R. P. THOMÆ

LE BLANC,

SOCIETATIS JESU,

COMMENTARIA

AMPLISSIMA CONCIONATORIA IN OMNES DAVIDIS

PSALMOS.

Digitized by Google

R. P. THOMÆ LE BLANC,

Soc. Jeſu SS. Theologiæ Doctoris, in Academia Remenſi & Muſſipontana, atque in Collegio Divionenſi Scripturæ ſacræ Profeſſoris,

PSALMORUM DAVIDICORUM ANALYSIS,

IN QUA APERTE CERNITUR SINGULIS in Pſalmis ordinem eſſe admirabilem:

ADJUNGITUR

COMMENTARIUS AMPLISSIMUS, IN QUO

Non tantùm ſenſus Litterales; ſed omnes etiam Myſtici exponuntur: atque ad eorum illuſtrationem plurima & ſelecta Scripturæ teſtimonia, Sanctorum Patrum ſententiæ, veterum Philoſophorum & Oratorum dicta, Principum ſymbola, aliàque aſſeruntur.

Adduntur loci communes, de omnibus propè materiis moralibus, non ſolùm ad Conciones; ſed etiam ad honeſtam converſationem: allatis diverſarum Nationum non paucis Hiſtoriis.

Acceſſit duplex INDEX: alter Rerum, in fine cujuſque Tomi: alter Concionum, cujuslibet Tomi initio præfixus.

TOMUS PRIMUS.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud Hæredes PETRI PüTZ, & JOANNEM MICHAELEM PüTZ, Bibliop.
Unter fetten Hennen im Roſenkrantz.
Anno M DCCXXXXIV.
Cum Privilegio Sacræ Cæſ. Majeſt. Speciali, & Permiſſu Superiorum.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM
SPECIALE.

CAROLUS SEXTUS Divinâ favente Clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wurtembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis, quòd, cum Nobis quondam Wilhelmi Metternich Bibliopolæ Colonienſis Hæredes, Joannes Everhardus Fromart, Joannes Wilhelmus Huiſch, & Hæredes Petri Pütz humillimè exponi curârint, quem in modum P. Thomæ Le Blanc Soc. Jeſu Analyſim Pſalmorum Davidicorum, unà cum Commentario ampliſſimo in folio denuo prælo committere reſolverint, vereantur autem, ne æmulorum invidiâ hanc editionem imitantium impendii & laboris ſui fructu fruſtrentur. Ideoque Nobis demiſsè ſupplicârint, quatenus eorum indemnitati Privilegio Noſtro Cæſareo ſuccurrere clementiſſimè dignaremur, Nos ſubmiſſæ pariter ac æquæ eorum petitioni annuendum cenſuerimus. Ac proinde Authoritate Noſtrâ Cæſareâ omnibus & ſingulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis & aliis quibuſcunque rem librariam ſeu negotiationem exercentibus firmiter inhibemus; vetamus, & interdicimus, ne quis ſupra nominatam P. Le Blanc Analyſim Pſalmorum Davidicorum cum Commentario ampliſſimo ſub hoc aliòve titulo aut hac vel alia formâ in toto vel in parte intra decem annorum ſpatium, ab hodierno die computandum, intra S. R. Imperii & Regnorum ditionumque Noſtrarum hæreditariarum fines recudere, vel aliis recudendum dare, aliorſumvè impreſſum apportare, vendere vel diſtrahere, citra præfatorum impetrantium, Hæredúmque ac ſucceſſorum voluntatem & aſſenſum, in ſcriptis obtentum auſit vel præſumat. Si quis verò ſecùs faciendo Privilegium hoc Noſtrum ſeu interdictum violare, contemnereque præſumpſerit, eum non ſolum ejuſmodi exemplaribus, ubicunque locorum repertis, perperam quippe recuſis ſeu apportatis (quæ antenominati ſupplicantes ſive propriâ authoritate, ſive Magiſtratûs illius loci auxilio ſibi vindicare poterunt) de facto privandum, ſed & decem marcarũ auri puri pœnâ, ærario ſeu Fiſco noſtro Cæſareo & parti læſæ ex æquo pendendâ, omni ſpe veniæ ſublatâ mulctandum decernimus; dummodo tenor hujus Noſtri Privilegii in fronte libri impreſſus reperiatur. Mandamus itaque omnibus & ſingulis Noſtris & S. R. Imperii Regnorum & Dominiorum Noſtrorum hæreditariorum ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, cujuſcunque ſtatûs, gradûs, dignitatis, aut ordinis exſtiterint, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti vel ſuo vel Superiorum ſuorum loco aut nomine jus juſtitiámque adminiſtrant, ne quempiam Privilegium hoc Noſtrum Cæſareum impunè violare, ſpernere, aut transgredi patiantur. Sed, ſi quos contumaces compererint, conſtitutâ à Nobis mulctâ eos puniri, & quibuſcunque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipſi graviſſimam Noſtram indignationem, prædictamque pœnam evitare voluerint. Harum teſtimonio litterarum manu Noſtra ſubſcriptarum, & Sigilli Noſtri Cæſarei appreſſione munitarum. Quæ dabantur Laxenburgi die trigeſimâ Maii Anno Milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo octavo, Regnorum Noſtrorum Romani vigeſimo ſeptimo, Hiſpanicorum trigeſimo quinto, Hungarici & Bohemici verò vigeſimo octavo

CAROLUS m. p.

(L. S.)

Vt Joan. Ad. Comes de Metſch. m. p.

Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.

J. J. Hayeck de Waldſtätten. m. p.

APPRO-

APPROBATIONES.

EGO PETRUS LE CARRE, Præpoſitus provinciæ Campaniæ Societatis Jeſu, poteſtate ad id ſuperioribus annis ab Adm. R. P. Goſvvino Nickel, Præpoſito Generali ejuſdem Societatis tradita, facultatem concedo, ut R. P. THOMÆ LE BLANC, ex eadem Societate Theologi, Commentaria in Pſalmos Davidicos, trium Theologorum Societatis judicio approbata, typis mandentur. In quorum fidem, has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Divione 27. Octobris, Anno 1661.

PETRUS LE CARRE.

EGo infraſcriptus Doctor Theologus, nec non divi Juliani apud Remos Paſtor, me legiſſe Commentarios in Pſalmos Davidis, Authore Reverendo Patre THOMA LE BLANC, è Societate Jeſû, nihilque in illis reperiſſe quod Eccleſiæ Catholicæ adverſetur, teſtor. Datum Remis, die 6. Julii, Anno Domini 1665.

JOANNES CRUCHAN.

EGo infraſcriptus in Sacra Theologia Doctor & publicus Profeſſor erudito cuivis, pio, & fideli Lectori Tomi hujus I. Commentariorum in Pſalmos quem in prioribus notata & nunquam ſatis laudata ſolertia edidit Rev. P. THOMAS LE BLANC, atteſtor ex attenta ejus lectione me eum comperiſſe, quem docti jucundè, pii utiliter, omnes ſecurè legere poterunt: opus quippe exhibentem, quod à fidei principiis nuſquam, à ſolidis morum regulis, nec ad apicem, à Doctorum ſenſu & conſenſu, ne ſyllaba quidem recedens, ideo omnibus commodum, omnibus commendandum duxi. Remis die Auguſti vigeſima, Anno 1668.

DANIEL EGAN.

INDEX

INDEX CONCIONUM
IN OMNES ANNI DOMINICAS.

Materiam Tibi Index alter abundè ſuppeditabit, quem facilè potes conſulere, in ſecundo Tomo reperies Concionum diſtributionem, in omnia Anni Feſta.

Dominica in Albis.

TER ibi dicit Jeſus: ***Pax vobis.*** Ob tres pacis utilitates. 1. Pax utilis, ut ſub lato metu benè recipiatur ipſe Jeſus: ***Venit Jeſus & ſtetit in medio.*** 2. Ut benè recipiatur Spiritus ſanctus; ***Accipe Spiritum ſanctum.*** 3. Ut myſteria divina cognoſcantur: ***Dominus meus, & Deus meus.*** *Joan. 20. Pax.*

In eadem Dominica, altera Concio. Diverſas perſonas conſidera. Jeſum, Thomam, alios diſcipulos, 1. In Thoma duo mala. 1. Abſentiam à cœtu diſcipulorum: ***Thomas non erat cum illis.*** 2. Incredulitatem: ***Non credam.*** 2. In Jeſu duo bona: 1. Potentiam in animæ ingreſſu: ***Cum fores eſſent clauſæ, venit.*** 2. Bonitatem, donatione pacis: ***Pax vobis.*** Oſtenſione vulnerum: ***Infer digitum huc.*** Illuminatione Thomæ: ***Dominus meus, & Deus meus.*** 3. Felicitatem aliorum: ***Beati qui non viderunt & crediderunt.*** *Fides. Jeſu potentia & bonitas.*

Dominica II. poſt Paſcha.

Quatuor dotes Chriſti Paſtoris. 1. Sapientia: ***Cognoſco oves meas.*** 2. Charitas: ***Animam pono pro ovibus.*** 3. Divitiæ: ***Alias oves habeo.*** 4. Poteſtas, 1. in ovium adductione: ***Illas oportet me adducere.*** 2. in perſuaſione; ***Vocem meam audient.*** 3. in conjunctione; ***Fiet unum ovile.*** *Joan. 10. Chriſtus Paſtor.*

Dominica III. poſt Paſcha.

Quatuor continet. 1. Afflictiones juſtorum: ***Plorabitis & flebitis.*** 2. Vana mundanorum gaudia: ***Mundus autem gaudebit.*** 2. Lætitiam juſt. ***Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.*** 4. Stabilitatem illius gaudii; ***Et gaudium veſtrum nemo tollet.*** *Joan. 16. tribulatio utilis.*

Dominica IV. poſt Paſcha.

Tres effectus Spiritûs S. 1. Arguere mundum: ***Arguet mundum de peccato*** &c. 2. Docere veritatem: ***Docebit vos omnem verit.*** 3. Chriſtum clarificare: ***Ille me clarificabit.*** *Joan. 16. Spiritus ſancti effic.*

Dominica V. poſt Paſcha.

Tria docentur. 1. Orationis modus. 1. ut aliquid petatur neceſſarium ad ſalutem: ***Si quid petieritis.*** 2. in Chriſti nomine: ***In nomine meo.*** 2. Efficacia: ***Dabit vobis.*** 3. Duæ cauſæ illius efficaciæ. 1. Oratio Chriſti juncta noſtræ: ***Rogabo Patrem.*** 2. Amor Dei erga nos: ***Pater amat vos.*** *Joan. 16. Oratio.*

In Litaniis majoribus.

Quatuor de oratione docet 1. Deum differre aliquando donationem eorum, quæ petuntur; ***Noli mihi moleſtus eſſe.*** 2. Vult peti inſtanter & perſeveranter; ***Petite & dabitur vobis; quærite,*** &c. 3. Dat perſeveranti: ***Omnis qui petit, accipit.*** 4. Cauſas aperit ex parte Dei. 1. Pater eſt: ***Quis ex vobis patrem petit panem,*** &c. 2. Bonus eſt: ***Si vos cum ſitis mali,*** &c. *Luc. 11. Oratio perſeverans.*

In vigilia Aſcenſionis.

Chriſtus petit à Patre ſuo clarificari, ob tres rationes. 1. ***Ut Filius tuus clarificet te.*** 2. ***Ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.*** 3. ***Ego te clarificavi.*** *Joan. 17. Chriſtus petit glorif.*

In die Aſcenſionis.

Tria in Aſcenſione ſpectanda. 1. Elevatio per aerem, Act. 1. ***Videntibus illis elevatus eſt.*** 2. Ingreſſus in cœlum: ***Aſſumptus eſt a vobis in cœlum.*** Seſſio in throno, & coronatio, Pſal. 2. ***Conſtitutus ſum Rex ab eo.*** *Act. 1. Aſcenſio Chriſti.*

In die Pentecoſtes.

Duo oſtenduntur. 1. Depoſitiones ad recipiendum Spiritum S. 2. Effectus illius. Ac primò, Duæ depoſitiones aſſign. Ex parte noſtra. 1. charitas: ***Erant omnes pariter*** (ὁμοθυμαδὸν, unanimiter) ***eodem loco.*** Ex parte Dei. Gratia: ***Factus eſt de cœlo ſonus.*** Secundò, effectus quatuor. 1. Ardentes facit: ***Appar. illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis ſeditque ſupra ſingulos eorum.*** 2. Totam animam replet: ***Repleti ſunt omnes Spiritu S.*** 3. Eloquentes facit: ***Cœperunt loqui, prout Spiritus S. dabat eloqui.*** 4. admirabiles reddit: ***Stupebant omnes, & mirab.*** *Act. 2. Spiritûs ſancti effic.*

Feria ſecunda poſt Pentecoſten.

Tres ſpectandi in myſterio Incarnationis, & tota ejus œconomia. 1. Deus Pater. 2. Chriſtus. 3. Nos ipſi. Primò, Deum Patrem movens cauſa eſt amor. ***Sic Deus dilexit mundum.*** Secundò, Finis quem Chriſtus obtinet, eſt ſalus noſtra. ***Ut omnes qui credit,*** &c. Tertiò, conditiones tres in nobis requiruntur, 1. Fides. ***Qui credit in eum, non judicatur.*** 2. Ren o- *Joan. 3. Amor Dei erga nos.*

tio

tio amoris à terrenis. *Dilexer. homines magis tenebras, quàm lucem.* 3. Actiones virtutum, quæ nos ad eum ducunt, *Qui facit veritatem, venit ad lucem.*

Feria tertia poſt Pentecoſten.

Joan. 10. Chriſtus cœli porta. Chriſtus eſt cœli porta. *Ego ſum oſtium.* Bona quatuor illius, qui per ipſum intrat. 1. Liberatur à peccatis. *Salvabitur.* 2. In cognitionem myſteriorum penetrat per fidem, *Et ingredietur.* Ad opera virtutum pergit, per ſpem. *Et egredietur.* Refectionem animæ reperit, per charitatem. *Paſcua inveniet.*

Dominica I. poſt Pentecoſten.

Luc. 6. Miſeric. uulit. Miſericordia facienda. Primò, quatuor opera miſeric. recenſet. 1. Non judicare, *Nolite judicare.* 2. Non condemnare. *Nolite condemnare.* 3. Parcere. *Dimitte.* 4. Benefacere. *Date.* Secundò, Effectus quatuor. 1. *Non judicabimini.* 2. *Non condemnabimini.* 3. *Et dimittemini.* 4. *Dabitur vobis.* Tertiò, motiva. 1. Non judicandum, nec cond. quia cæci ſumus. *Nunquid poteſt cæcus,* &c. 2. Dimitt. & dandum: quia ſumus peccatis onerati. *Quid vides feſtucam,* &c.

In ſolemnitate Corporis Chriſti.

Joan. 6. Euchar. effectus. Euchariſtiæ præſtantia & effectus. Primò, Chriſtus in Euchar. & cibus & potus animæ. *Caro mea verè eſt cibus,* &c. Tria efficit in ſumente. 1. Eum ſibi incorporat. *In me manet, & ego in illo.* 2. Eum vivificat, ita ut vivat vitâ Chriſti, aut ſaltem Chriſtiani. *Vivet propter me.* 3. Dat illi vitam æternam. *Vivet in æternum.*

Dominica infra Octavam: & ſecunda poſt Pentecoſten.

Luc. 14. Euchar. cœna. Quatuor de cœna Euch. dicuntur. 1. Excellentia convivii. *Fecit cœnam magnam.* 2. Patris familias virtutes. 1. Liberalitas, *Vocavit multos.* 2. Prudentia. *Miſit ſervum ſuum horâ cœnæ.* 3. Charitas. *Exi citò in plateas,* &c. 3. Socordia divitum, qui ſunt invitati. 1. Superborum. *Villam emi.* 2. Avarorum. *Juga boum emi quinque.* 3. Luxurioſorum. *Uxorem duxi.* 4. Denique, Felicitas afflictorum, qui compulſi ſunt intrare in convivium: ſive eſſent afflicti in bonis fortunæ, *Pauperes introduc huc*: ſive in bonis corporis, *Debiles, & cæcos, & claudos.* 3. ſive in bonis animi, *Exi in vias & ſepes.* Spinæ doloris animum cruciant.

Dominica III. poſt Pentecoſten.

Luc. 15. Zelus animarum. Zelus animarum, ob tria motiva. 1. Imitando Chriſtum, *Peccatores recipit.* 2. Imitando Angelos, *Gaudium erit coram Angelis Dei.* 3. Imitando homines. Primò, Paſtorem ſedulum, *Qui habet centum oves.* tria facit: 1. ovem quærit, 2. in humeros imponit, 3. de inventa gaudet. Secundò, mulierem prudentem *Si perdiderit drachmam.* Quatuor præſtat: 1. Accendit lucernam, per ſapientiam. 2. Evertit domum, per pœnit. 3. quærit, per dilig. 4. convocat amicas, per charitatem.

Dominica IV. poſt Pentecoſten.

Luc. 5. Negotiorum ſuſceptio. Ad negotia ſuſcip. duo ſunt neceſſaria. 1. Cognitio ſuæ impotentiæ, *Per totam noctem laborabo, nihil cepimus.* 2. Obedientia fiduciæ plena, *In verbo tuo laxabo rete.* Admirandi effectus ex bened. Dei. *Concluſerunt piſcium multitud. copioſam.* Re perfectâ, duo præſtanda. 1. Danda eſt Deo gloria. *Procedit ad genua Jeſu.* Humiliatio ſui, *Homo peccator ſum.*

Dominica V. poſt Pentecoſten.

Matth. 5. Inimici amandi. Charitas erga inimicos. In cogitatione, in verbo, & in opere. 1. in cogitatione, non iraſci, *Omnis qui iraſcitur.* 2. in verbo, non utendo convitiis, *Qui dixerit Raca.* 3. in opere, *Vade reconciliari.*

Monita tria. Frater eſt, *Iraſcitur fratri ſuo.* 2. Pœna, *Reus erit judicio.* 3. Removetur à Dei altari, *Relinque ibi munus.*

Dominica VI. poſt Pentecoſten.

Marc. 8. Fiducia in Dei miſeric. Quatuor dicuntur. Primò, ponuntur motiva, quæ Deum impellunt, ut nobis benefaciat. 1. ejus miſericordia, *Miſereor ſuper turbam.* 2. noſtra indigentia, *Non habent quod manducent. Deficient in via.* Secundò, diſpoſitiones ex parte noſtra. 1. Ei adhærere perſeveranter, *Triduò ſuſtinent me.* 2. Humiliare ſe, *Diſcumbere ſuper terram.* Tertiò, modus benefaciendi, *Benedixit, & juſſit apponi.* Sine labore, & uno verbo, quatuor effectus benedictionis. 1. *Saturati ſunt.* 2. *Suſtulerunt, quod ſuperaverant de fragmentis ſeptem ſportas.*

Dominica VII. poſt Pentecoſten.

Matth. 7. Conſortia impiorum & bar. vita. Quatuor dicuntur. Primò, præcipitur fuga impiorum, *Attendite à falſis prophetis.* Secundò, deſcribuntur, *Veniunt in veſtimentis ovium.* 2. Non tantùm ſunt hypocritæ, ſed etiam crudeles, *Intrinſecus ſunt lupi rapaces.* Tertiò, modus eos cognoſc. *A fructibus eorum cognoſc. eos.* Quartò, motiva eos contemnendi. 1. *Excidetur.* 2. *in ignem mitt.* 3. paradiſo privabuntur, *Non omnis,* &c. *intrabit.* Lege Pſ. 1. v. 1. fuſiſſimè.

Dominica VIII. poſt Pentecoſten.

Luc. 16. Tria dicuntur. 1. Reddendam rationem in die judicii, *Redde rationem villicationis tuæ.* 2. Pauperes quærendos ibi advocatos, *Facite vobis amicos.* 3. Eos ita potentes eſſe, ut cauſa ſint ſuperiores, *Ut recipiant vos in æterna tabern.* Similitudine id totum explicatur.

Dominica IX. poſt Pentecoſten.

Luc. 19. Duo ad fletum, & ad iram Chriſtum excitant. 1. defectus cognitionis Dei, *Si cognoviſ-*

ſes

ſet. Ejus punitio quadruplex. 1. Tentationes ex omni parte: *Circumdabunt te*. 2. Anxietates: *Coanguſtiabunt te*. 3. Dejectio in amorem terrenorum. & in peccata: *Ad terram proſternent te*. 4. Spoliatio omnis gratiæ & virt. *Non relinquent in te lapidem*. Secundò, Chriſtus ad fletum, & ad iram excitatur, ob defectum pietatis in templo: *Cepit ejicere vendentes*. Ratio redditur: *Feciſtis ſpel. latronum*. Remedium: auditio verbi Dei: *Erat docens*. *Luc. 19. Fletus & iræ Chriſti cauſa.*

Dominica X. poſt Pentecoſten.

Duo dicuntur. Primò, Superbia humiliat: tollit enim præmia virtutum: ſive ſint erga Deum: ut gratitudo: *Gratias ago*: & religio: *decimas do*. 2. erga prox. *Non ſum ſicut cæteri: raptores*, &c. 3. erga ſeipſum. *Jejuno bis in ſabbatho*. *Luc. 18. Superbia humiliat. Humilitas exaltat.*

Secundò, Humilitas exaltat. 1. reſpectu Dei: *Deſcendit juſtificatus*. 2. reſpectu proximi: *ab illo*. Concluditur: *Omnis, qui ſe exaltat, hum. & qui ſe humiliat, exalt.*

Dominica XI. poſt Pentecoſten.

Duo peccatoris mala. 1. Obſurdeſcere ad Dei vocem. 2. Obmuteſcere in ejus laude. *Surdus & mutus ſanantur.*

Primò autem declaratur morbus: *Surdum & mutum*. Secundò, modus ſanationis. 1. A tumultu mundi removendo: *Apprehendit de turba ſeorſum*. 2. Gratiam in animam immittendo vilitatem, lutum ſcilicet, oſtend. *Expuens in terram tetigit linguam*. Tertiò denique, effectus ſanationis. 1. Verborum piorum uſus: *Loquebatur rectè*. 2. Laus Dei cum aliis, *Bene omnia fecit*.

Dominica XII. poſt Pentecoſten.

Duo dicit. Primò, Deum amandum. Secundò, amandum proximum.

Ac Primò, dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum*. Ubi tria vides motiva amandi. 1. eſt Dominus. 2. Deus. 3. tuus: per creationem, redemptionem, gubernationem, &c. Vide Dei bonitas. *Luc. 10. Deus eſt amandus.*

Secundò, amandus proximus: *Diliges proximum tuum*. Modus, *ſicut teipſum*. Imitandus Samaritanus. 1. Alligavit vulnera: ſiſtendo peccata. 2. Infudit oleum & vinum. Severitate & ſuavitate utens. 3. imponit in jumentum: tollendo è loco peccati. 4. Ducit in ſtabulum ſeu hoſpitium, ponendo in loco ſecuro. 5. Curam ejus agit: juvando per ſeipſum. 6. Profert duos denarios: non parcendo pecuniæ. 7. Curam illius aliis commendat. *Et proximus.*

Dominica XIII. poſt Pentecoſten.

Duo continet. Primò, quid faciendum, ut ſanemur. Secundò, quid poſt ſanationem. *Luc. 17. Leproſi ſanati.*

Primò, ante ſanationem quatuor diſpoſitiones. 1. Humilitas: *Steterunt à longè*. 2. Fervor: *Levaverunt vocem ſuam*. 3. Cognitio ſapientiæ & bonitatis divinæ: *Jeſu præceptor, miſerere mei*. 4. Obedientia: *Dum irent, mundati ſunt*.

Secundò, poſt ſanationem duo præſtanda. 1. Gratiæ Deo agendæ, cum cognitione vilitatis noſtræ: *Cecidit in faciem*. 2. Gloriam dando Deo, agnoſcendo ejus potentiam: *Et daret gloriam Deo*.

Dominica XIV. poſt Pentecoſten.

Anxietas de victu & veſtitu tollenda: *Ne ſolliciti ſitis*.

Motiva quatuor. 1. Deus dedit animam & corpus: *Nonne anima plus eſt, quàm eſca*, &c. 2. Nutrit aves, & veſtit flores: *Conſiderate volatilia. Lilia agri*. 3. Anxietas eſt quædam infidelitas: *Hæc gentes inquirunt*. 4. Deus pater eſt, & pater providus. *Scit pater veſter*. Remedium 7. *Quærite primùm regnum Dei*. *Matth. 6. Anxietas vitanda.*

Dominica XV. poſt Pentecoſten.

De morte corporis & animæ. Primò, mors corporis ejicit domo: *Defunctus efferebatur*. Secundò, nihil morti eripit. 1. Non ætas: *Adoleſcens*. 2. Non parentes: *Unicus matri*. 3. Non amici: *Turba civitatis*. Tertiò, mors eſt magna miſeria: *Miſericordia motus*. Quartò, Reſurgemus: *Adoleſcens tibi dico ſurge*. *Luc. 7. Mors corporis.*

1. Mors animæ omnibus donis gratiæ privat. 2. Nemo poteſt inde nos eripere viribus naturæ. 3. Solus Jeſus id facit. Primò, vult: *Miſericordiâ motus*. Secundò, excitat peccatorem: *Tibi dico ſurge*. Tertiò, vivificat: *Reſedit qui erat mortuus*. Quartò, opera virtutum ut faciamus, donat: *Et cepit loqui*. Quintò, effert Deo: *Dedit matri*. Hoc opus magnum: *Magnificabant Deum*. *Et animæ.*

Dominica XVI. poſt Pentecoſten.

Duo afferit. 1. Humiliandos ſuperbos: *Qui ſe exaltat, humiliabitur*. 2. Exaltandos humiles: *Qui ſe humiliat, exaltabitur*. Id explicat convivii nuptialis parabola. 1. Nuptias Deus facit, nos in ſponſas eligens. 1. per gratiam. 2. per Euchariſtiam. 3. per gloriam. 2. Eos, qui ſe infirmos cenſent, facit excelſos in gratia, in Euchariſtia, in gloria. *Luc. 14. Humilitas exaltat.*

Dominica XVII. poſt Pentecoſten.

De amore Dei & proximi jam dictum eſt Dominicâ duodecimâ.

Quatuor habes Chriſti excellentias. 1. Dominus eſt hominum & Angelorum: *Dixit Dominus Domino meo*. 2. Rex eſt omnium: *Sede à dextris meis*. 3. Triumphator eſt hoſtium: *Ponam inimicos ſcabellum*. 4. Filius Dei eſt, non tantum Davidis: *Si David vocat Dominum*. *Matt. 22. Chriſti excell.*

Dominica XVIII. poſt Pentecoſten.

Matth. 9. Sanitas recuper. Tria docentur. 1. Peccatoris infirmitas. 2. Diſpoſitiones ad ſanitatem. 3. Quid ſit faciendum ſanis.

Primò. Peccator eſt infirmus. 1. Solutus eſt nervis, nec poteſt quicquam agere: ***Offerebant paralyticum.*** 2. Jacet peccator in deliciis: ***Jacentem in lecto.*** Secundò, ut ſanetur, requiritur 1. Fides: ***Videns fidem illorum.*** 2. Spes: ***Confide fili.*** 3. Gratia Dei: ***Remittuntur tibi peccata.*** Tertiò, poſt ſanitatem quatuor præſtanda. 1. Surgendum eſt jacenti: ***Surge.*** 2. laborandum: ***Tolle lectum.*** 3. loco commodo vivendum: ***Vade in domum tuam.*** 4. cum aliis laudandus Deus: ***Glorificaverunt.***

Dominica XIX. poſt Pentecoſten.

Matt. 22. Vocatio noſ ſpern. Multi vocati pauci verò electi.

Tria ſpectanda. 1. Dei vocantis bonitas, tum ob bona, ad quæ vocat. ***Ad nuptias:*** & ad prandium. ***Prandium paravi,*** tum ob multitudinem eorum quos vocat. Primò, divites, ***Abierunt alii in villam,*** &c. Secundò, pauperes. ***Ite ad exitus viarum.*** II. Videnda perverſitas eorum qui vocati ſunt, Primò, divitum, nam 1. negligunt vocationem. ***Illi autem neglexerunt.*** 2. occidunt ſervos ac monitores affligunt. ***Servos occiderunt.*** Secundò, pauperum: qui non aſſumunt veſtem gratiæ ſanctif. ***Non habens veſtem nuptialem.*** III. Timenda Dei juſtitia vocationem reſpuenti. 1. Deus divites occidit. ***Perdidit homicidas.*** 2. Pauperes ejicit in tenebras ignorantiæ & inferni. ***Mittite in tenebras.***

Dominica XX. poſt Pentecoſten.

Joan. 4. Filiorum cura. Cura parentum de filiis.

Duo ſpectanda. Primò, filii laborant febri cupidit. ***Filius infirmabitur,*** & ſæpè mortali, ***Incipiebat mori.*** Secundò, parentes obligantur providere. 1. eundo ad Jeſum. ***Abiit ad eum.*** 2. orando. ***Rogabat eum.*** 3. in eum credendo. ***Credidit homo.*** 4. domeſticos in virtute formando. ***Credidit ipſe & domus ejus tota.***

Dominica XXI. poſt Pentecoſten.

Matt. 18. Inimicis parcendum. Inimicis parcendum. Quatuor dicuntur. I. Deus exiget à nobis rationem peccatorum. ***Rationem ponere cum ſervis ſuis.*** II. Egemus Dei miſericordiâ, cùm graviter peccaverimus. ***Debebat decem millia talenta.*** III. Condonanda aliis peccata. ***Patientiam habe in me.*** IV. Non condonantes Deus punit. ***Tradidit eum tortoribus.***

Dominica XXII. poſt Pentecoſten.

Matt. 22. Regibus obed. Duo dicuntur. Primò, Principibus honos debitus reddendus. ***Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.*** Secundò, Deo præſertim. ***Et quæ ſunt Dei, Deo.***

Dominica XXIII. poſt Pentecoſten.

Matth. 9. Moriendum. Adoleſcentiæ lapſus. Tria dicuntur. Primò. divitiæ & honores non liberant à morte. Hinc princeps dicit. ***Filia mea defuncta eſt.*** II. Mundana non proſunt mortuis. ***Vidit tibicines, recedite.*** III. Solus Deus à morte ſuſcitat. ***Tenuit manum & ſurrexit.***

Spiritualiter. Tria etiam dicit. I. Adoleſcentes ſæpè mori per peccatum. ***Filia mea defuncta eſt.*** II. Ut ſuſcitetur, fugiat delicias & vana conſortia. ***Recedite.*** III. Jeſum in domum ſuam admittat, Euchariſtiam ſumens. ***Intravit.*** Et gratiam ſequens. ***Tenuit manum.***

Dominica XXIV. poſt Pentecoſten.

Matt. 24. Judicii extremi. Tria docentur. I. Signa judicium præcedentia. ***Sol obſcurabitur.*** II. Reſurrectio mortuorum & congregatio in vallem Joſaphat. ***Mittet Angelos.*** III. Adventus Chriſti judicis. ***Videbunt filium hominis.***

Dominica I. Adventus.

Luc. 21. Judicii extremi. Quatuor docentur. I. Mundi conturbatio. ***Erunt ſigna in Sole.*** II. Timor impiorum. ***Areſcentibus hominibus præ timore.*** III. Gloria Chriſti judicis. ***Videbunt filium hominis.*** IV. Gaudium Sanctorum. ***Levate capita.***

Dominica II. Adventus.

Matt. 11. S. Joannes Baptiſta. Duo oſtenduntur. I. Opera Chriſti mirabilia. Cœci vident. II. Virtutes S. Joannis mirabiles. 1. in animi conſtantia. ***Arundinem vento agitatam.*** 2. in corporis contemptu. ***Hominem mollibus veſtitum.*** 3. in gratiis gratis datis. ***Pluſquam Proph. Angelum.***

Dominica III. Adventus.

Joan. 1. Humilitas. Quæ ſit humilitas perfecta S. Joannis cernitur. Primò, ſe humiliat. 1. per rejectionem eorum. quæ non habet. ***Elias es tu? non ſum.*** 2. per diminutionem eorum, quæ habet. ***Ego vox.*** Secundò, Chriſtum exaltat. ***Cujus non ſum dignus ſolvere corrig.***

Dominica IV. Adventus.

Luc. 3. Pœnitentiæ effectus ſeptem. Pœnitentiæ effectus ſeptem. I. Remittit peccata. ***In remiſſionem peccatorum.*** II. Viam Deo in animam præparat. ***Parate viam Domini.*** III. Animam implet virtut. ***Omnis vallis impl.*** IV. Eam humiliat. ***Omnis mons humil.*** V. Actiones dirigit. ***Erunt prava in directa.*** VI. difficultates tollit. ***Et aſpera in vias planas.*** VII. Deum oſtendit. ***Videbit ſalutare Dei.***

Dominica infra Octavam Nativitatis.

Luc. 1. Chriſti amor. Quatuor præſtanda. Chriſtum amanti. I. Debet animo excellentiam ejus mirari. ***Erant mirantes.*** II. Corpore dolores ejus imitari. ***Animam pertranſibit gladius.*** III. Voce eum laudare in templo. ***Confitebor Domino.*** IV. Ubique ejus dotes omnibus prædicare. ***Loquebatur de illo omnibus.***

Do-

INDEX CONCIONUM.

Dominica inſra Octavam Epiphaniæ.

Pueri in omni virtute ſe exerceant. I. Sint in Templo pii. *Invenerunt in templo.* II. In ſchola humiles & ſtudioſi, *In medio Doctorum, audientem, & interrog. eos.* III. Dom. 1. *Luc. 2. Pueri virtutes.* reſpectu parentum, ſint obedientes. *Erat ſubditus illis.* 2. reſpectu Dei & aliorum. *Creſce-bat ſapientia coram, &c.*

Deus quærendus eſt. I. Deus aliquando ſe occultat, etiam amicis. *Remanſit puer Jeſus in Jeruſalem.* II. Quærendus 1. cum ſolicitudine. *Requirebant inter cognatos.* 2. cum labo- *Deus quo modo quærendus?* re, *Regreſſi ſunt in Jeruſalem.* III. Diſquirenda cauſa, cur à nobis receſſerit. *Quid feciſti nobis ſic?* IV. Advertenda quæ dicit & facit. *Mater ejus conſervabat.*

Dominica II. poſt Epiphaniam.

Quinque conſidera. I. Matrimonium eſt Sacramentum neceſſarium. *Nuptiæ factæ ſunt.* II. Ad nuptias vocandus Jeſus cum Sanctis. *Vocatus eſt Jeſus cum Diſcipulis.* III. Ci- *Joan. 2. Nuptiæ.* tò lætitia perit. *Vinum non habent.* IV. Quærenda lætitia, per devotionem Deiparæ. *Dicit Mater ejus miniſtris.* V. Noſtra miſeria Chriſto offerenda. *Implete hydrias aquâ.*

Dominica III. poſt Epiphaniam.

Conſidera Chriſtum & leproſum. Primò, in leproſo duæ ſunt virtutes, ad ſanitatem diſponentes. 1. Humilitas. *Adorabat eum.* 2. Fides. *Si vis, potes.* Secundò, in Chriſto tria *Matt. 8. Leproſi ſanatio.* mirare. 1. Charitatem. *Extend. manum: volo: mundare.* 2. Poteſtatem. *Mundata eſt le-pra.* 3. Prudentiam. *Oſtende te Sacerdoti.* Ne indignetur.

In Centurione ſpecta. I. Charitatem pro ſervo. *Puer meus jacet.* II. Humilitatem. *Do-mine, non ſum dignus.* III. Fidem. *Dic tantùm verbum, & ſanabitur puer meus.* Effectus *Centurio.* fuit ſanatio.

Dominica IV. poſt Epiphaniam.

Tria conſideranda. I. Miſeria humana, in continuis agitationibus. *Factus motus in mari.* II. Modus tranquillitatis obtinendæ. Oratio, & infirmitatis noſtræ confeſſio. *Domine ſalva* *Matth. 8. Animi quies.* *nos, perimus.* III. Jeſu ſalvantis dotes. 1. Prudentia, docendo diſcipulos. *Quid timidi eſtis.* 2. Charitas. *Surgens.* 3. Poteſtas. *Imperavit.*

Dominica V. poſt Epiphaniam.

Tria neceſſaria patrifamilias. I. Vigilantia: ne zizania oriantur. *Cùm dormirent, venit inimicus.* Prudentia in vitiis extirpandis, cum longanimitate. *Sinite utraque. Ne fortè.* Ju- *Matt. 13. Paterfamilias.* ſtitia. *Colligite ad combur.*

Dominica VI. poſt Epiphaniam.

Duo ſpectat in Eccleſia, vel religioſa familia. I. Parva ejus initia. *Simile grano ſinapis, quod minimum.* II. Amplitudo. *Fit arbor.* *Matt. 13. Eccleſia Religio.*

Dominica in Septuageſima.

Duo dicuntur. I. Deus vult operarios. II. Dat illis mercedem.

Ac 1. omnis ætas hominis apta eſt ad operandum. 1. Pueritia. *Egreſſus circa horam ter-tiam.* 2. Adoleſcentia. *Circa ſextam.* 3. Virilis ætas. *Et nonam horam.* 4. Senectus. *Circa* *Matt. 20. Operandum tota vita.* *undecimam.*

Secundò, Dat mercedem. 1. Omnibus operariis, promiſſam. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* 2. Ferventibus, promptiorem. *Incipiens à noviſſimis.*

Dominica in Sexageſima.

Tria dicuntur I. Verba concionatoris ſunt verbum Dei. & ſemen cœleſte. *Semen eſt ver-bum Dei.* II. Multi ex eo non proficiunt. Nam aliqui nullum penitùs inde fructum habent. *Luc. 8. Concio.* *Venit diabolus, & tollit verbum.* 2. Alii proficiunt, ſed non perſeverant. *Hi radices non ha-bent.* 3. Vel ſuffocant ſemen. *Euntes ſuffocantur.* III. Denique, pauci proficiunt. *Fructum afferunt.* Modus. *In patientia.*

Dominica in Quinquageſima.

Tria ſpectanda: nempe noſtra cæcitas, neceſſaria ad ſanationem, agenda poſt illam.

Ac primò, Homines peccatores cæci ſunt. *Cæcus quidem.* Ratio cæcitatis eſt otium. *Se-debat.* & tumultus mundi. *Secus viam.* Effectus illius cæcitatis eſt inopia. *Mendicans.* Se- *Luc. 18. Cæci ſanatio.* cundò, neceſſaria ut ſanemur. 1. Oratio fidei plena. *Jeſu Fili David.* 2. Humilis. *Miſerere mei.* 3. Perſeverans. *Multò magis clamabat.* Deinde, ardens ſanitatis deſiderium requiri-tur. *Domine, ut videam.* Tertiò denique, poſt ſanationem, Jeſus ſequendus. *Sequebatur illum.* Et laudandus. *Magnificans illum.*

Dominica I. in Quadrageſima.

Tria narrantur. Tentationes Chriſti, modus vincendi, fructus victoriæ.

Tres tentationes exponuntur. I. Tentatio gulæ. *Dic, ut lapides panes fiant.* Modus vin-cendi, amor rerum ſpiritualium. *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo.* II. Ten *Matth. 4. Tentatio Chriſti in deſerto.* tatio vanitatis. *Mitte te deorſum. Angelis ſuis mandavit.* Modus vincendi extraordinaria fugere. *Non tentabis Dominum.* III. Tentatio ambitionis. *Hæc omnia tibi dabo.* Modus vin-cendi. *Dominum Deum tuum adorabis.*

Denique, fructus victoriæ declaratur. I. Fugit Diabolus. *Reliquit eum Diabolus.* II. An-geli veniunt. *Ecce Angeli acceſſerunt,* 3. ſuppeditant neceſſaria.

Dominica II. in Quadrageſima.

Quomodo debeamus transfigurari.

Primò, comites ſancti aſſumendi. *Aſſumpſit Jeſus Petrum, &c. Moyſes & Elias cum eo.* *Matt. 17. Transfiguratio.* Secundò, lucendum etiam in corpore. *Facies ſicut Sol, Veſtimenta ſicut nix.* Tertiò deniq. ef-

fectus

fectus transfigur. 1. In hominibus lætitia. *Bonum eſt nos hic eſſe.* 2. In Deo glorificatio. *Hic eſt Filius meus dilectus.*

Dominica III. in Quadrageſima.

Luc. 11. *Mutus.* Tria de mutis dici poſſunt. I. Dæmon reddit mutos erga Deum in oratione. II. Erga Dei miniſtros, in confeſſione. III. Erga alios, in converſatione: impediens cœleſtem converſationem.

Recidiva Agi poteſt de Charitate, *Omne regnum in ſeipſum diviſum, deſolabitur.*

Poteſt etiam ſermo eſſe de recidivis. I. Dæmon in anima peccatoris eſt, velut in arce ſua. *Cum fortis armatus.* II. A Chriſto ejicitur. *Si autem fortior.* III. Redit dæmon cum majore impetu. *Aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe.* IV. Maximum inde malum oritur. *Fiunt noviſſima pejora prioribus.*

Concio. Tractare etiam poſſis de utilitate & uſu Concionum. Primò, Verbum Dei dat felicitatem, 1. auditum. *Beati qui audiunt Verbum Dei.* 2. cuſtoditum, *& cuſtodiunt illud.*

Dominica IV. in Quadrageſima.

Joan. 6. Fiducia in Dei bonitate.

Providentia. Conſidera providentiam Dei, erga ſervos ſuos, 1. Illos agnoſcendo, & apertis oculis ſemper intuendo. *Cum ſublevaſſet oculos.* 2. Eorum inopiam ſublevare cupiendo. *Unde ememus panes?* Secundò, conſidera depoſitionem ſervorum Dei, ut ea bona recipiant. 1. eſt cognitio ſuæ inopiæ. *Ducentorum denariorum panes non ſuff.* 2. In terram dejectio. Diſcubuerunt viri. Tertiò, conſidera liberalitatem Dei. *Diſtribuit quantum volebant.* 2. Potentiam. *Impleti ſunt, Impleverunt duodecim cophinos.*

Dominica de Paſſione.

Joan. 8. Modus evitandi peccata, *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Peccata vitare. Primò, peccatum horrere ut dæmonem in animam intrantem. *Ego dæmonium non habeo.* Secundò, Honorem Dei ama. *Honorifico Patrem meum.* Tertiò, propriam gloriam fuge. *Non quæro gloriam meam*

Dominica in Palmis.

Matt. 21. *Chriſti in animam ingreſſus.* Ingreſſus Chriſti in animam. In eo tria notanda: diſpoſitiones, modus recipiendi, utilitas.

Primò, depoſitiones quatuor, 1. Solvere affectus animales, & Chriſto eos ſubjicere. *Invenietis Aſinam alligatam & pullum. Solvite & adducite mihi.* Ac poſtea, *Eum deſuper ſedere fecerunt.* 2. Bona externa, pro Chriſti honore abjicere. *Straverunt veſtimenta in via.* 3. Bona corporis negligere, & ſe mortificare. *Cædebant ramos de arboribus.* 4. Voce & animo Deum laudare. *Hoſanna filio David, benedictus, &c.*

Secundò, modus recipiendi, 1. Affectus per charitatem movendo. *Commota eſt univerſa civitas.* 2. Fidem augendo. *Hic eſt Jeſus Propheta.* 3. Spem ſalutis excitando. *Hoſanna filio David,* q. d. Salva nos fili David.

Tertiò denique, conſidera utilitatem ingreſſus. 1. Ejicit malos habitus. *Ejiciebat omnes vendentes.* 2. Tollit affectum avaritiæ. *Menſas numulariorum evertit.* 3. Sanat morbos dans robur & vitam. *Acceſſerunt cæci & claudi, & ſanavit eos.*

INDEX

I N D E X
QUÆSTIONUM,

E T

EORUM, IN QUOS DIVISUS EST , ARTICULORUM

Concionatori utiliſſimus.

T O M U S P R I M U S.

PSALMUS PRIMUS.

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 1. ad verſ. 5.

Quàm magna & jucunda virtuti annexa felicitas? vol. 5.

ARTICULUS I.

Beatus qui non abiit in conſilio impiorum. 5
Art. 2. Beatus qui io via peccatorum non ſtetit. 10
Art. 3. Beatus qui in cathedra peſtilentiæ non ſedit. 15
Art. 4. Quænam ſtructura cathedræ peſtilentiæ? 19
Art. 5. Beatus qui in cathedra peſtilentiæ hæreticorum non ſedit. 20
Art. 6. Legis Dei amor facit beatos. 27
Art. 7. Meditatio diurna & nocturna beatos facit. 37
Art. 8. Juſtus eſt ſimilis arbori vitæ. 52
Art. 9. Juſtus eſt arbor plantata juxta decurſus aquarum, velut aquarum viventium. 62
Art. 10. Juſtus eſt arbor bona ferens fructum ſuo tempore. 70
Art. 11. Juſtus eſt arbor pulchra, cujus folium non defluit. 81
Art. 12. Vir juſtus eſt arbor mirabilis, &c. 85

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 5. ad 8.

Quàm fallax & inanis impiorum felicitas. 93
Art. 1. Impius arbor mala, infrugifera, & exſcindenda. 95
Art. 2. Impios eſt pulvis vilis, vento diſpergendus. 102
Art. 3. Impiorum calamitas ſumma in extremo judicio. 115

PSALMUS SECUNDUS.

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 1. ad 5.

Quàm gravis & juſta punitio Judæorum, & Gentilium Chriſto in paſſione inſultantium. 133
Art. 1. Rabies ſumma Judæorum, & Gentilium in Chriſtum. 135
Art. 2. §. 1. Chriſtus vincola Judæorum & Gentilium rupit, & nunc ab iis ſervos ſuos liberat. 153
§. 2. Vitiorum vincula ſunt moleſtiſſima. 158
§. 3. Vincula Chriſti pretioſiſſima. 166
Art. 3. Deus habitat io cœlo ut in aula, & inde punit Chriſto & piis iojurios. 171

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 6.

Qualis & quantus Rex Chriſtus, & quales ſubditos ſuos requirit. 185
Art. 1. Chriſtus eſt Rex totius orbis. 187
Art. 2. Chriſtus fuit verus legiſlator. 200
Art. 3. Chriſtus fuit verè & propriè Filius Dei, & quantæ hinc oriootur ejus prærogativæ. 205
Art. 4. Chriſto datus eſt univerſus orbis in hæreditatem, itaque ejus Eccleſia eſt Catholica. 217
Art. 5. Chriſtus eſt paſtor omnium fidelium. 227
Art. 6. Deus judex & vindex conterit peccatores, ut vaſa figuli. 231
Art. 7. Sapientia decet Reges Chriſtianos. 240
Art. 8. Sapientia decet judices Chriſtianos, & cæteræ virtutes. 244
Art. 9. Timor Dei neceſſarius Regibus & judicibus. 257
Art. 10. Correctioni morum, & amori Dei magnâ curâ vacare debent Reges & Principes. 267
Art. 11. Reges & Principes impii graviter puniuntur. 275
Art. 12. Quando futurus dies judicii? 284

PSALMUS TERTIUS.

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 1. ad finem.

Quàm certum & ſecurum jucundúmque perfugium Deus in extrema clade. 29
Art. 1. Multis calamitatibus & tentationibus homo, præſertim luxurioſus, ſubjacet in hac vita. 295
Art. 2. Ad deſperationem impellit dæmon, ſed qui ſpem ſuam in Chriſtum conjecerit, ſecurus eſt. 306
Art. 3. Oratio obtinet Dei auxilium in afflictione, eſt etiam utilis externâ voce prolata. 313
Art. 4. Serviens Deo ſuperat innumeros hoſtes, Deus enim omnes conterit. 320
Art. 5. Peccatorum, & præſertim detractorum dentes Deus conterit. 326
Art. 6. Omnis gratia in- & externa à Deo eſt, ſine illa nihil poſſumus. 333

PSALMUS QUARTUS.

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 1. ad 6.

Quàm liberali animo omnes animi corporiſque vires ac facultates Deo ſint conſecrandæ. 345
Art. 1. Juſtorum orationis vis quanta. 347
Art. 2. Tribulatio dat mentis latitudinem. 457
Art. 3. Terrena omnia vana, & mendacium. 364

Art. 4. Deus per miſericordiam ſuam Sanctos facit mirabiles. 379

Art. 5. Ira frænanda eſt, ne nos in graviſſima peccata impellat. 387

Art. 6. Examen conſcientiæ veſperi inſtituendum, præſertim de iis, quæ per iracundiam admiſſa ſunt. 394

Art. 7. Perfectum ſacrificium Deo faciendum omnium actionum. 399

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 7. ad fin.

Quantam lætitiam animo Sanctorum ingerat cognitio divinæ providentiæ, & ſpes in illam. 413

Art. 1. Singulari amore Deus Sanctis providet, & illos illuminat. 414

Art. 2. Juſti à Deo illuminati lætitiâ complentur. 421

Art. 3. Juſti neglectis terrenis, quæ tamen Deus illis deeſſe non patitur, in pace & quiete mentis ſibi gratulantur. 444

PSALMUS QUINTUS.

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 1. ad 9.

Qualis debeat eſſe oratio, ut à Deo exaudiatur. 443

Art. 1. Orationis octo proprietates. 343

Art. 2. Oratio matutina Deo acceptiſſima. 450

Art. 3. Oratio detegit odium Dei in omnes peccatores, præſertim mendaces & doloſos. 457

Art. 4. Templa ſunt adeunda cum timore & reverentia. 473

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 9. ad fin.

Quàm utile eſt juſtis, ſeſe divinæ providentiæ ducendos committere. 483

Art. 1. Deus eſt dux neceſſarius in vita ſpirituali. 483

Art. 2. Hoſtes occurrentes in via Dei ambulantibus, eos monſtruoſis formis terrere moliuntur, præſertim calumniatores & detractores. 489

Art. 3. Deus confuſis hoſtibus ſervos lætitiâ cumulat, ſpe, & charitate. 458

Art. 4. Deus benevolentiæ ſuæ ſcuto ſervos ſuos tegit, & coronat. 514

PSALMUS SEXTUS.

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 1. ad 6.

Quantus terror divini judicii omnibus peccatoribus.

Art. 1. Quàm horrendum eſt argui à Deo & corripi in ira & furore, tum in hac, tum in altera vita. 533

Art. 2. Peccatum eſt animæ morbus periculoſiſſimus, medicus eſt Chriſtus eam ſanans. 537

Art. 3. Peccatum eſt mors animæ, & infernus, à quo ſolus Jeſus extrahit. 549

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 7. ad finem.

Quanta vis pœnitentiæ & lachrymarum.

Art. 1. Lachrymæ nocturnæ iram Dei mitigant, & animam lavant. 563

Art. 2. Lachrymarum vocem exaudit Deus. 574

PSALMUS SEPTIMUS.

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 2. ad 9.

Quantâ rabie dæmon in electos inſilit, & quibus præſidiis furor ille contunditur.

Art. 1. Dæmon inſtar leonis ſævit in homines. 584

Art. 2. Magna vis ad ſuperandum dæmonem ſita eſt in amore inimicorum. 590

Art. 3. Per Incarnationem Chriſtus dæmonem vicit. 602

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 9. ad 18.

Quàm juſtum & ſeverum Dei judicium in ſceleratos.

Art. 1. Deus Judex intimas hominum cogitationes & affectiones expendit & punit, præſertim in Chriſtianis. 616

Art. 2. Deus eſt Judex prudens, juſtus, fortis, temperans. 633

Art. 3. Magnus eſt peccatoris dolor in conceptione, parturitione, & partu peccati. 645

Art. 4. Sæpè ea mala in ſceleratos recidunt, quæ aliis parant. 653

PSALMUS OCTAVUS.

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 2. ad 4.

Quanta Dei gloria elucet in mundi creatione. 673

Art. 1. Mirabilis eſt Deus in terræ, cœli, lunæ, & ſtellarum productione. 673

Art. 2. Nomen Dei eſt admirabile, imò in nomine Jehova. 695

Art. 3. Nomen Jeſu eſt admirabile in cœlo, & terra. 702

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 5. ad 9.

Quanta hominis vilitas & dignitas.

Art. 1. Quanta hominis vilitas. 720

Art. 2. Quanta hominis, præſertim Chriſti, dignitas, ſi cum Angelis, & aliis rebus conferatur. 727

PSALMUS NONUS.

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 2. ad 14.

Quàm venerandum Crucis & Paſſionis myſterium, & quantæ utilitates ab ea in nos dimanant.

Art. 1. Gratiarum actio Chriſto debita ob Paſſionem, & qualis. 758

Art. 2. Cruce dæmon fugatur, & cum ſuo exercitu ſuperatur. 771

Art. 3. Chriſtus in cruce Judex ſupremus, & Rex orbis. 776

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 6. ad 8.

Quàm perfectè per Apoſtolos idololatria ſit deſtructa.

Art. 1. Magnitudo victoriæ & perennitas. 782

Art. 2. Civitas impietatis deſcribitur, evertitur regno Chriſti per Apoſtolos ſtabilito. 789

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 8. ad 13.

Quàm ſedulus pauperum adjutor Chriſtus.

Art. 1. Chriſtus Judex pauperes adjuvat. 801

Art. 2. Pauperes Chriſto adjutori ſuo ſerviant. 806

Art. 3. Oppreſſores pauperum punit Deus. 812

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 14. ad 21.

Quàm ſecura virtus Deo tutante, & infelix calliditas ſceleratorum Deo contrariante?

Art. 1. E portis mortis ad vitæ portas juſti perveniunt. 818

Art. 2. Impii laqueis ſuis irretiti & artibus pereunt. 822

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 22. ad 23.

Quanta avarorum in Deum impietas, & furor in homines.

Art. 1. Divitum arrogantia pauperibus exitialis eſt, ſed punitur. 830

Art. 2. Avaritia intellectum, voluntatem, memoriam, linguam, & actiones corrumpit. 838

Art. 3. Avarus comparatur leoni & aucupi. 850

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 33. ad 39.

Quantâ curâ Deus pauperum & orphanorum rebus providet?

Art. 1. Pauperes Deus juvat. 855

Art. 2.

Art. 2. Orphanorum curam ſuſcipit Deus. 858

PSALMUS DECIMUS.

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 2. ad 4.

Quàm efferum & periculoſum hæreticorum bellum in fideles.

Art. 1. Eccleſia eſt arx inexpugnabilis Deo tutante. 867
Art. 2. Ab arce Eccleſiæ ad montem hæreſis tranſire fideles invitantur à fictis amicis. 870
Art. 3. Hæreticorum arma & furor. 876

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 5. ad 8.

Quantâ curâ Deus ſervis providet contra impios.

Art. 1. Deus eſt in cœlo ut in templo ſuo, unde homines aſpicit. 885
Art. 2. Impii laqueis implicantur, igne & ſulphure uruntur, turbine æterno agitantur, & conſequenter qui peccat, odit animam ſuam. 894

PSALMUS UNDECIMUS.

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 1. ad 5.

Quanta hominum plerorumque, ſed præſertim blaſphemorum impietas.

Art. 1. An ſanctitas vitæ & doctrinæ funditus in Eccleſia defecerit? 907
Art. 2. Lingua cum vitiis ſuis tragœdias magnas excitat. 915

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 6. ad 9.

Quàm fidelis Deus in promiſſis ſuis. 925
Art. 1. Verba Dei ſunt ſimilia argento puriſſimo. 926
Art. 2. Impii in circuitu ambulant, & quomodo. 938

PSALMUS DUODECIMUS.

In hoc Pſalmo David proponit ſuam miſeriam in præſenti periculo, implorat opem Dei, figit in Deo ſpem, & promittit gratitudinem.

ORDO PSALMI.

PSALMUS DECIMUS TERTIUS.

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 1. ad 5.

Quàm perverſum athei cor, lingua, & corpus integrum.

Art. 1. Atheus omnis eſt ſtultus. 958
Art. 2. Atheus eſt moribus & affectibus corruptiſſimus. 963
Art. 3. Lingua athei eſt corruptiſſima, ſed Dei timore ſanatur. 972

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 4. ad 7.

Quænam Atheorum pœna? 978
Art. 1. Quantus timor impiorum, crudelitas? *ibid.*

PSALMUS DECIMUS QUARTUS.

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 1. ad 5.

Qualis via cœli, à Proph. deſcribitur.

Art. 1. Scalæ cœleſtis terminus. 993
Art. 2. Scalæ ad cœlum ducentis primi octo gradus. 1003
Art. 3. Scalæ cœleſtis duo ultimi gradus. 1032

PSALMUS DECIMUS QUINTUS.

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 1. ad 4.

Quantâ curâ Deus juſtos tuetur virtutibus exornatos.

Art. 1. Deus ſervat ſperantes in ſe, & humiles. 1046
Art. 2. Mirabiles ſanctos ſuos efficit Deus in omnium voluntatum ſuarum executione. 1053
Art. 3. Tribulatio compellit ire ad Deum. 1064

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 5. ad 11.

Quàm præclara Chriſti & juſtorum in cœlo hæreditas.

Art. 1. Deus eſt hæreditas Chriſti, & Sanctorum. 1075
Art. 2. Deus dat ſapientiam tendentibus ad cœlum. 1084
Art. 3. Deus ſe præſentem conſiderantes in virtute ſtabilit. 1096
Art. 4. Deus ſe præſentem conſiderantes lætificat. 1108
Art. 5. Chriſtus ad inferos deſcendit, & inde iterum aſcendit corpus ſuum vivificaturus. 1118
Art. 6. Chriſtus reſurgens ſervos ſuos vivificat atque lætificat. 1135

†

TOMUS SECUNDUS.

PSALMUS DECIMUS SEXTUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totam.

Quantâ curâ Deus ſervos ſuos tribulationibus probat, & in iis conſervat, & ad gloriam provehit. 5

ARTICULUS I.

Deus ſervos ſuos tentat, & calamit. probat, viſitat & examinat; ſed clamantes ad ſe exaudit. *col* 6.

Art. 2. Dei verbis animati Sancti, viam mandatorum licet difficilem, generosè decurrunt. 18
Art. 3. In via mandatorum ſuorum ambulantes Deus corroborat, ab hoſtibus tuetur ut pupillam oculi ſui, & tandem bonis æternis ſatiat. 24

PSALMUS DECIMUS SEPTIMUS.

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 2. ad 7.

Quàm efficax & ſuave Dei præſidium obſeſſis à mundo, carne, & dæmone. 45

Art. 1. Charitas animam juſti efficit fortem, ſecuram, & & victricem. 45

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 8. ad 16.

Quanta tempeſtas à Deo in ſceleratos excitata. 61
Art. 1. Omnia elementa in impios conſpirant. 63
Art. 2. Chriſtus in Incarnatione humilitatem ſuam maximè erga homines declaravit, & varias virtutes. 74

ORDO TERTIÆ SECTIONIS.
à verſ. 17. ad 30.

Art. 1. Societas mala nocet, bona prodeſt. 97
Art. 2. Deus humiles exaltat, illuminat, roborat. 102

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 31. ad 51.

Quàm facilem victoriam adjutore Deo juſti reportent. 115

Art. 1. Quatuor dotes eximiæ Dei Imper. ſummi. 117
Art. 2. Deus milites ſuos juvat ante, in, & poſt pugnam. 122

PSALMUS DECIMUS OCTAVUS.

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 1. ad 7.

Quanto ſplendore, & quàm utili influxu Apoſtoli velut cœli divini orbem illuſtrârunt. 145

Art. 1. Cœlorum ornatus, dierum & noctium varietas Dei gloriam enarrant. 145
Art. 2. Apoſtoli, & Apoſtolici viri cœlis ſimiles, & per totum orbem Dei gloriam enarrant. 153
Art. 3. In ſole Deus majeſtatem ſuam oſtendit. 160
Art. 4. Chriſtus eſt ſol, ſponſus, parens Eccleſiæ. 168

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 8. ad 12.

Obſervatio divinæ legis quàm perfectos efficiat. 179

Art. 1. Lex Dei eſt immaculata, & animas convertit. 180
Art. 2. Lex Dei ſapientiam dat humilibus. 183
Art. 3. Lex Dei eſt ſol animarum, eaſque illuminando lætificat. 186
Art. 4 Lex divina ad cœlum ducit. 190
Art. 5. Lex Dei præ auro, gemmis, melle, favo amanda, & cuſtodienda eſt. 191

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 13. ad 15.

Quàm ſollicitè ab occultis peccatis cavendum. 199
Art. 1. A peccatis propriis, & alienis occultis præſertim cavendum. 200
Art. 2. Quod peccatum omnium maximum? 206

PSALMUS DECIMUS NONUS.

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 1. ad 7.

Quàm potenti manu Reges ſibi ſupplices Deus juvet. 213
Art. 1. In bello Deus Reges tuetur. 214
Art. 2. Regibus oratio eſt neceſſaria, ex intimo corde effuſa. 221
Art. 3. Populi amor erga regem ſuum, & lætitia de ejus ſalute. 228

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 7. ad 10.

Quàm ſtudiosè ſacro unguento conſecratum Regem David Deus adjuverit. 231
Art. 1. Quo oleo & ritu Reges Judææ ungebantur & quare. 232
Art. 3. An & quatenus Judæis licitus equorum uſus. 243
Art. 4. Quanto ſtudio & ardore populus orare debet pro regibus. 247
Art. 5. Quantâ pietate Deo ſupplices in bello fuerunt Reges Francorum. 249

PSALMUS VIGESIMUS.

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 2. ad 8.

Quale Chriſti regnum, bellum & victoria. 255
Art. 1. Chriſtus fuitne verè Rex? 255
Art. 2. Bellumne geſſit Chriſtus, & quomodo hoſtes devicit? 258
Art. 3. Quantus victoriæ Chriſti fructus, & quàm glorioſa corona illi data eſt? 264

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 8. ad fin.

Quanti cruciatus hoſtium Chriſti. 279
Art. 1. Summus erit impiorum dolor in die judicii. 279
Art. 2. Varii cruciatus damnatorum in inferno. 285

PSALMUS VIGESIMUS PRIMUS.

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 1. ad 12.

Quibus rationibus auxilium in paſſione ſua à Patre æterno Chriſtus poſtulat. 303
Art. 1. Quomodo & cur à Deo Patre derelictus Chriſtus tempore paſſionis. 305
Art. 2. Quanto clamore in Chriſtum irruerunt peccata totius mundi. 312
Art. 3. Quanto & quàm efficaci clamore in hoſtes ſuos irruit Chriſtus in cruce pugnans. 317
Art. 4. Quanta Chriſti patientis humiliatio & cum verme ſimilitudo. 325
Art. 5. Quàm pura Chriſti Conceptio, nativitas, & quàm certo Deipara ſit virgo ante, in & poſt partum. 333
Art. 6. Unde lac Virgini, & quem in locum decidit Chriſtus naſcens. 345

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 12 ad 19.

Quàm dira paſſus Chriſtus in cruce. 349
Art. 1. Chriſtus in cruce eſt laceratus à feris. 350
Art. 2. In cruce corpus Chriſti integrum eſt cruciatum. 366
Art. 3. Chriſtus an, quomodo, & quâ lege clavis confixus in cruce. 381

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 20. ad 26.

Quanto ſtudio poſt reſurrectionem ſuam Patris ſui gloriam Chriſtus promovit. 397
Art. 1. Cur infernus cani, & dæmones unicornibus comparantur? 397
Art. 2. Fratres Chriſti ſunt omnes Chriſtiani, illis per Apoſtolos gloriam patris ſui aperit. 404

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 26. ad 32.

Quanto fructu, & quàm generali totius mundi conſenſu in venerabili Euchariſtiæ Sacramento Chriſtus adoratur & percipitur. 413
Art. 1. An & quæ vota accepit Chriſtus. 417
Art. 2. Euchariſtiæ varii effectus, & imò quàm perfectam animæ & corporis quandoque inducat ſocietatem. 421
Art. 3. Euchariſtia dat lætitiam & vitam. 425
Art. 4. Euchariſtia eſt memoriale Paſſionis Chriſti. 434
Art. 5. Ab omnibus orbis nationibus adoratus eſt Chriſtus in Euchariſtia. 437
Art. 6. Concilia œcumenica, quibus univerſus orbis adorationem Chriſto in Euchariſtia eſſe debitam, ſatis oſtendit. 441
Art. 7. Quantâ pietate & ardore fidem ſuam & veritatem erga Chriſtum in Euchariſtia exiſtentem teſtata eſt Aſia. 443
Art. 8. Quantâ pietate --- Africa. 445
Art. 9. Quantâ pietate. --- Europa. 448
Art. 10. Quantâ id pietate --- non verbis tantùm ſed & factis. 452
Art. 11. Quantâ pietate & reverentiâ Europæ Reges. 455
Art. 12. Quantâ pietate --- America. 461
Art. 13. Eſtne Euchariſtia ad ægrotos deferenda? 462
Art. 14. Chriſtiani ſunt populus quem fecit Dominus. 464

PSALMUS VIGESIMUS SECUNDUS.

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 1. ad 4.

Quàm perfectus paſtor ſit Chriſtus. 471
Art. 1. Chriſtus paſtor, Dominus eſt, & omnia ovibus ſuis abundanter ſuppeditat. 472
Art. 2. Chriſtus paſtor oves ſuas in optimis paſcuis Eccleſiæ collocat. 477
Art. 3. Chriſtus paſtor aquâ refectionis, id eſt, baptiſmi, ſapientiæ & gratiæ oves ſuas lavat & potat. 481
Art. 4. Chriſtus magnâ charitate errantes oves ad paſcua reducit. 486
Art. 5. Quàm ſollicitè & ſapienter Chriſtus paſtor oves ſuas ducit per viam virtutis. 491
Art. 6. Quàm ſecurè ovis vivit ſub Chriſto paſtore. 496
Art. 7. Chriſtus paſtor moderata paterna ſeveritate oves ſuas in officio continet. 504

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 5. ad fin.

Quàm utilis & ſuavis Euchariſtiæ menſa. 509
Art. 1. In Euchariſtiæ menſa cibos ipſe Chriſtus parat. 511
Art. 2. Quantæ virtutis Euchariſtia ad arcendos hoſtes ab anima, & ſuperandos. 517

Art. 3.

Art. 3. Chriſtus in Euchariſtis eſt ſoaviſſimum & efficaciſſimum animæ unguentum. 522
Art. 4 Euchariſtia mentem inebriat & rebus terrenis contemptis eam Chriſto unit. 530
Art. 5. Euchariſtiam piè ſuſcipientes miſericordia Dei totâ vitâ ſubſequitur. 540
Art. 6 Chriſtus in Euchariſtia poſitus ſervos ſuos miſericorditer ad cœlum deducit. 543

PSALMUS VIGESIMUS TERTIUS.

QUÆSTIO UNICA.

Per totam.

Quàm debitus, & glorioſus Chriſti in cœlos aſcenſus. 555
Art. 1. Chriſtus eſt terræ, id eſt, Eccleſiæ Dominus, & eam fundavit ſuper aquas baptiſmi & pœnitentiæ, &c. 557
Art. 2. Chriſtus Eccleſiæ Rex victis hoſtibus in cœlum aſcendit curru triumphali vectus. 569
Art. 3. Chriſti triumphantis corona comitatus, acclamationibus ornatus, &c. 581

PSALMUS VIGESIMUS QUARTUS.

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 1. *ad* 7.

Quanto ſtudio eſt cum Chriſto in cœlum evolandum. 601
Art. 1. Cur & quomodo anima ad Deum elevanda eſt. 603
Art. 2. Egemus Deo duce, præſertim in juventute; quia hæc ætas eſt maximè viriis obnoxia. 613

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 8. *ad* 14.

Quàm fida dux & ſecura eſt lex Dei in vita cœleſti. 623
Art. 1 Legem ſuam dat Deus alumnis manſuetis ſuis, ut eos ad cœlom ducat. 623
Art. 2. Omnes viæ Dei ſunt miſericordia & veritas. 629

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 15. *ad fin.*

Quanta contentione Laqueos hujus vitæ excutere debemus. 637
Art. 1. Oculi ad Deum ſunt elevandi, ut à laqueis expediamur. 637
Art. 2. Solus Deus poteſt nos à laqueis eripere. 640

PSALMUS VIGESIMUS QUINTUS.

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 1. *ad* 5.

Quantâ ſecuritate viri juſti divino ſe judicio ſiſtent. 651
Art. 1. Examen Dei eſt exactiſſimum, & injuſtis terribile. 651
Art. 2. Fugienda ſunt conſortia impiorum, præſertim hæreticorum. 659

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 6. *ad fin.*

Quantâ pietate, ardore & puritate in templis eſt orandum. 667
Art. 1. Manus & cor homo abluat oportet, & quo tempore præſertim. 667
Art. 2. Sacris choreis altare circuibant veteres, nos virtutibus illud circuire debemus. 672
Art. 3. Templa ſunt Dei domus, ſtudiosè ædificanda atque ornanda. 680

PSALMUS VIGESIMUS SEXTUS.

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 1. *ad* 6.

Quantâ ſecuritate vivendum eſt Deo duce & protectore. 693
Art. 1. Non eſt timendum Deo nos illuminante, ſalvante, & protegente. 694
Art. 2. Quæ cauſæ timoris in hujus vitæ militia. 704
Art. 3. Templa ſunt Dei domus, fontes delectationum ſpiritualium. 709

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 7. *ad* 14.

Quanto ardore ad terram viventium eſt aſpirandum. 721
Art. 1. Eſtne cordi os aliquod? 722
Art. 2. Quomodo David à parentibus ſuis relictus eſt, & à Deo aſſumptus, ubi de expoſitis pueris ſervatis agitur. 725
Art. 3. Quænam & qualis terra viventium, morientium & mortuorum. 729

PSALMUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 1. *ad* 5.

Quàm ſeverè & juſtè Deus punit peccatores & eorum aſſeclas. 741
Art. 1. Oris clamor & manuum & extenſio orationem juvat. 742
Art. 2. Sceleratì ſocios ſuos in idem exitium & culpæ & pœnæ trahunt. 751

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 6. *ad fin.*

Quantum animi gaudium & corporis exaltatio in Davide ob preces ſuas exauditas. 759
Art. 1. Vir juſtus totus eſt ex virtutum floribus conflatus. 760
Art. 2. Chriſtus eſt flos pulcherrimus, qui in paſſione ſucciſus, per reſurrectionem refloruit. 767

PSALMUS VIGESIMUS OCTAVUS.

QUÆSTIO UNICA.

Per totam.

Quàm merito jure offerendæ ſunt Deo victimæ. 779
Art. 1. Deo uni victimæ ſunt offerendæ, & quomodo. 780
Art. 2. Cauſæ cur Deo victimæ offerendæ, ubi de prædicationis Evangelicæ tonitruo, miraculorum fulgetris & aliis. 788
Art. 3. Vox Dei juvat in vita purgativa, illuminativa & unitiva. 820

PSALMUS VIGESIMUS NONUS.

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 1. *ad* 4.

Quibus à periculis David à Deo ſe liberatum prædicat. 843
Art. 1. Peccatum eſt infernus. 844

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 5. *ad fin.*

Quàm inſtabiles hujus vitæ conſolationes & deſolationes. 853
Art. 1. Conſolationis & deſolationis in hac vita mirabilis eſt alternatio, & ob illam Deus laudandus eſt. 854
Art. 2. Superbia felicitatem vertit in miſerias, ſed oratio humilis miſerias in felicitatem. 863

PSALMUS TRIGESIMUS.

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 1. *ad* 9.

Quantam ſpem in juſtis excitant Dei potentia, juſtitia, ſapientia, bonitas, & cætera attributa. 879
Art. 1. Anima in manus ac ſignum Dei eſt conjicienda, cum magna ſpe in ejus bonitate & miſericordia. 880

QUÆSTIO UNICA.

à verſ. 10. *ad* 19.

Quanta Davidis afflictio, & per quam opem à Deo efflagitet. 891
Art. 1. Ira hominis intellectum, voluntatem, memoriam, & totum corpus perturbat. 891
Art. 2. In manibus Dei ſunt ſortes noſtræ, nempe noſtra prædeſtinatio, gratia, gloria, cætera omnia. 697

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 20. ad fin.

Quanta Sanctis multitudo dulcedinis à Deo reſervata. 905
Art. 1. Octo conditiones ſeu proprietates felicitatis juſtorum. 906
Art. 2. Civitas munita eſt anima ſancta. & Eccleſia. 919
Art. 3. Quibus gradibus ad cœleſtem felicitatem aſcenditur. 925

PSALMUS TRIGESIMUS PRIMUS.

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 1. ad 2.

Quàm perfecta fiat peccati remiſſio in juſtificatione peccatoris. 935
Art. 1. Beatus eſt, cujus peccata remittuntur, teguntur, & non imputantur. 935
Art. 2. Fraus & hypocriſis fugienda. 949

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 3. ad 7.

Quanta confeſſionis utilitas. 953
Art. 1. Quàm pernicioſum ſilentium peccatoris. 954
Art. 2. Tribulatio peccatorem juvat ad converſionem & peccati confeſſionem. 961
Art. 3. Confeſſionis perfectæ conditiones octo. 967
Art. 4. Soline Deo, an etiam Sacerdotibus facienda confeſſio? 983
Art. 5. Effectus confeſſionis ſunt, culpam remittere, & pœnam æternam, ac partem temporalis pœnæ. 992

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 8. ad fin.

Quibus donis pœnitentes poſt confeſſionem Deus cumulat, quibusque pœnis relabentes affligit. 1007
Art. 1. Pœnitentes Deus illuminat, docet, juvat. 1007
Art. 2. Luxuria hominem transformat in equum, mulum, in quibus non eſt intellectus. 1106
Art. 3. Peccatores obſtinati in camo & fræno ad Deum revocandi ſunt. 1028

PSALMUS TRIGESIMUS SECUNDUS.

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 1. ad 9.

Quanto ardore laudandus Deus ob creationem cœli, maris & terræ. 1045
Art. 1. Cantandum eſt ad honorem Dei cum lætitia & ſuavitate. 1047
Art. 2. Non voce tantùm, ſed muſicis etiam inſtrumentis Deus laudandus. 1055
Art. 3. Materia cantici novi eſt ſanctitas, fidelitas, miſericordia, & juſtitia Dei. 1067
Art. 4. Materia cantici novi etiam eſt Dei potentia, in creaturis cœli, maris, terræ, & omnium in iis exiſtentium. 1080

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 10. ad fin.

Quàm ſedula Dei erga viros pios providentia. 1101
Art. 1. Deus corda & opera hominum contemplatur, & impiorum conſilia diſſipat. 1102
Art. 2. Per numeroſos exercitus non obtinetur victoria, ſed per Dei auxilium. 1115
Art. 3. Gigantes arcet Deus moli corporis & robori præfidentes. 1122
Art. 4. In equitatu non eſt confidendum. 1129
Art. 5. Radii ſeptem divinæ providentiæ erga pios. 1131

PSALMUS TRIGESIMUS TERTIUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 7.

Quanto ſtudio & ardore laudandus Deus poſt liberationem à periculis. 1147
Art. 1. Quænam virtutes ſunt neceſſariæ in perfecta Dei laudatione. 1147

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 8. ad fin.

Quàm ingentia commoda timoris Dei. 1163
Art. 1. Quanta ſecuritas timentium Deum, ob cuſtodiam Angelorum. 1164
Art. 2. Quantam ſuavitatem ex Deo percipiunt ſervi ejus. 1172
Art. 3. Quanta abundantia timentium Deum. 1179
Art. 4. Effectus timoris Dei. 1183
Art. 5. Mors peccatorum eſt infeliciſſima. 1193

TOMUS TERTIUS.

PSALMUS TRIGESIMUS QUARTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 6.

Quanta clade Deus impios proſternit & vaſtat. 5
Art. 1. Deus clypeo & gladio armatur, ut ſervos ſuos ab injuſtis hoſtibus tueatur. 5
Art. 2. Angeli armantur, ut puniant peccatores, juſtos juvent. 19

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 7. ad 17.

Quàm vafer, & periculoſus venator dæmon. 25
Art. 1. Fruſtra dæmon in viros juſtos furit. 26
Art. 2. Quibus armis & artibus contra dæmonem venantem utendum. 34

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 18. ad fin.

Quàm perfidus & pernicioſus eſt anceps adulator. 59
Art. 1. Adulator eſt monſtrum portentoſum omnibus inſidians. 59

PSALMUS TRIGESIMUS QUINTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 5.

Quantas ſtrages malitia edat in homine. 71
Art. 1. Peccata totum hominem corrumpunt. 73

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 6. ad finem.

Quanta miſericordia Dei in homines. 83
Art. 1. Altitudo, longitudo, latitudo, & profunditas divinæ miſericordiæ. 84
Art. 2. Miſericordia Dei ad peccatores, juſtoſque ſeſe extendit. 90
Art. 3. Quanta jucunditate ſanctos cumulat miſericordia Dei, præſertim in cœlo, ſeipſo eos & ſuis bonis inebrians. 96
Art. 4. Humilitate opus eſt, ut vitæ fonte, & lumine gloriæ fruaris, ſuperbia enim dejicit ad cœlum pergentes. 117

PSALMUS TRIGESIMUS SEXTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 12.

Felicitati impiorum non eſt invidendum, cùm ſit brevi peritura. 131
Art. 1. Nec invidendum, nec indignandum felicitati peccantium. 134
Art. 2. Fœnea, & citò marceſcens eſt felicitas peccatorum. 137
Art. 3. Stabilis & illuſtris eſt jucundiſſimaque felicitas Sanctorum. 140

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 23. ad fin.

Quanto ſtudio Deus juſtos ſervat, & injuſtos deprimit. 161
Art. 1. Juſtus nunquam indiget pane, & rebus neceſſariis. 161

Art. 2. Scelerati licèt cedris ſint altiores & ſtabiliores, dejicientur & eradicabuntur. 165

PSALMUS TRIGESIMUS SEPTIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 11.

Quàm multa & magna mala luxuriæ. 177
Art. 1. Deus graviter punit luxurioſos. 177
Art. 2. Luxurioſus eſt ſibi noxius. 180

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 12. ad fin.

Quàm odioſa hominibus luxuria. 201
Art. 1. Quanta in amicis inconſtantia & infidelitas, & quanto odio adulteros cuncti oderunt. 203
Art. 2. Patientia in contumeliis & afflictionibus ſervanda. 209

PSALMUS TRIGESIMUS OCTAVUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 3.

Quàm ſollicito ſtudio lingua cuſtodienda, & quanti fructus ſilentii. 223
Art. 1. Oris cuſtodia ſit ſedula. 223
Art. 2. Tres oris cuſtodes, ſilentium, humilitas, patientia. 231

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 4. ad 7.

Quanto ſtudio vitæ hujus brevitas conſideranda. 237
Art. 1. Orationis perfectæ quinque proprietates. 237
Art. 2. Humanæ vitæ ſumma brevitas, fragilitas, vanitas, inſtabilitas. 243

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 8. ad fin.

Qualis vitæ noſtræ peregrinatio. 263
Art. 1. Humanæ peregrinationis finis eſt poſſeſſio beatitudinis. 265
Art. 2. Vitæ cœleſtis impedimenta & adjumenta. 268

PSALMUS TRIGESIMUS NONUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 5.

Quàm ardenter optabant Patres incarnationem Chriſti. 285
Art. 1. Diu PP. Meſſiam venturum exſpectârunt, ac tandem eum obtinuerunt. 287

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 6. ad 11.

Quàm admirabilis Deus in incarnatione. 293
Art. 1. In incarnatione multa ſunt mirabilia. 293
Art. 2. Incarnatio fuit neceſſaria ad generis humani redemptionem. 296
Art. 3. Chriſti prædicatio fuit admirabilis. 304

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 12. ad fin.

Quanti Chriſti paſſionis dolores & fructus. 313
Art. 1. Quanta peccati malitia, quòd Chriſtum crucifigat & torqueat. 313
Art. 2. Magnus Chriſti patientis cruciatus fuit, quod à corde ſuo ſit derelictus, ubi agitur de cordis mobilitate & cuſtodia. 316
Art. 3. Confuſio, timor, & caſus Inimicorum Chriſti crucifixi & patientis, exultatio verò amicorum ejus. 320

PSALMUS QUADRAGESIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 4.

Quanta eleëmoſynæ commoda. 319
Art. 1. Ad felicitatem æternam conſequendam utiliſſima eſt eleëmoſyna. 329
Art. 2. Miſericordia juvat in hac vita & in morte. 334

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 5. ad fin.

Quanta patientis Chriſti afflictio, & reſurgentis poteſtas. 343

PSALMUS QUADRAGESIMUS PRIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 5.

Quàm ardenti deſiderio Deum ſitire debemus. 359
Art. 1. Juſtus inſtar cervi ad Deum currit, & illum ſitit vitæ fontem. 359
Art. 2. Lachrymæ juges Deum videre deſiderantis. 371
Art. 3. Lætitia ſumma Deum videntis & poſſidentis. 374

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 6. ad fin.

Quanta vis ſpei in Deum ad ſuperandas afflictiones ſive internas, ſive externas. 379
Art. 1. Internas triſtitiæ & aliarum paſſiones ſpes in Deum compeſcit. 380
Art. 2. Inferni fluctus timendi ſunt, quamdiu vivimus. 387
Art. 3. Superni fluctus ſunt pertimeſcendi in hac vita. 390
Art. 4. Collaterales fluctus ab hominibus exorti timendi ſunt. 394

PSALMUS QUADRAGESIMUS SECUNDUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
In totum.

Quæ virtutes neceſſariæ Sacerdoti ſacrificanti. 397
Art. 1. Quibus gradibus altare eſt conſcendendum. 398
Art. 2. Quibus ducibus ſacerdos ad altare debet conſcendere. 403
Art. 3. Quæ virtutes in ipſo altari exercendæ. 406

PSALMUS QUADRAGESIMUS TERTIUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 4.

Quanta victoria Dei, & Apoſtolicorum virorum in barbarorum converſione. 417
Art. 1. Chriſtus idololatriam & vitia mirabiliter debellavit. 417

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 5. ad 9.

Quanta Martyrum fides, ſpes, & charitas. 427
Art. 1. De fide. 427
Art. 2. De ſpe. 433
Art. 3. De charitate. 435

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 10. ad 22.

Quàm terrifica Martyrum tormenta & incommoda. 439
Art. 1. Afflictio martyrum in animi bonis. 440
Art. 2. Calamitas Martyrum in bonis fortunæ. 442
Art. 3. Quàm multa paſſi ſunt Martyres in bonis corporis. 450

QUÆSTIO UNICA. S. 4.
à verſ. 23. ad fin.

Quàm benigna potentique manu Deus Martyres juvat. 461

PSALMUS QUADRAGESIMUS QUARTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
Verſ. 2.

Quales decet eſſe Verbi Dei præcones. 477
Art. 1. Ex pleno corde eſt eructandum verbum bonum. 479
Art. 2. Dei Spiritu moveri concionator debet, ut auditori proſit. 484

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 3. ad 9.

Quàm præclaræ dotes corporis & animæ Chriſti. 489

Art. 1. Chriſti pulchritudo & eloquentia. 491
Art. 2. Chriſti arma, poteſtas, victoria, currus triumphalis. 498
Art. 3. Chriſti thronus & ſceptrum regium. 509
Art. 4. Chriſti & Chriſtianorum unctio regia. 513
Art. 5. Chriſti veſtes odoratæ, & palatium eburneum. 520

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 10. ad fin.

Quanta Eccleſiæ ſponſæ Chriſti majeſtas & dignitas. 523
Art. 1. Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana eſt Regina. 525
Art. 2. Eccleſiæ ſponſæ Chriſti virtutes præcipuæ. 532
Art. 3. Chriſti ſponſi amor erga Eccleſiam ſponſam. 538
Art. 4. Liberalitas ſubditorum ſponſi erga ſponſam ejus Eccleſiam. 540
Art. 5. Liberalitas ſponſi ut ſponſam exornet. 545
Art. 6. Comitatus præcipuus & maximè illuſtris ſponſæ ſunt virgines. 550
Art. 7. Quàm excellentes Chriſti, & Eccleſiæ filii. 556
Art. 8. Quanta Deiparæ Reginæ nobis, ſponſæ Dei, Matris fidelium dignitas & majeſtas. 564
Art. 9. Maria eſt ſponſa totius Trinitatis. 569
Art. 10. Maria eſt Mater omnium Chriſtianorum. 580

PSALMUS QUADRAGESIMUS QUINTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 4.

Juſtorum quanta ſecuritas, & perturbatio impiorum in die judicii. 585
Art. 1. Juſtus Deo adjutore fretus non timet. 585
Art. 2. Quanta perturbatio impiorum præſertim in die judicii. 589

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 5. ad fin.

Quanta civitatis cœleſtis lætitia, ſanctitas, ſecuritas & pax. 593
Art. 1. Civitatis cœleſtis ſumma amœnitas. 593
Art. 2. Civitatis cœleſtis ſumma ſanctitas & ſecuritas. 599
Art. 3. Civitatis cœleſtis æterna pax. 604
Art. 4. Quàm abundanti gratiarum fluxu Deipara irrigatur à Deo, & viciſſim ipſa Eccleſiæ irrigat. 610

PSALMUS QUADRAGESIMUS SEXTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
In totum.

Quæ cauſæ aſcenſionis Chriſti, modus & fructus. 617
Art. 1. Chriſtus erat dignus gloriâ aſcenſionis quà homo, & quà Deus. 619
Art. 2. Hominum, & Angelorum exultatio in aſcenſione. 626
Art. 3. Aſcenſionis Chriſti fructus. 631

PSALMUS QUADRAGESIMUS SEPTIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
In totum.

Quàm præclara civitas eſt Eccleſia Dei. 641
Art. 1. Eccleſiæ architectus eſt Deus, ſitus ejus commodiſſimus. 641
Art. 2. Eccleſiæ Rex Chriſtus. 648
Art. 3. Templum & curia ſupr. civitatis Dei. 656
Art. 4. Civitatis cœleſtis muri, turres, propugnac. & domus. 660

PSALMUS QUADRAGESIMUS OCTAVUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 5.

Quàm avidè verbum audiendum, & quàm prudenter à concionatore proloquendum. 669
Art. 1. Quales & quàm attentos Verbi Dei auditores eſſe convenit. 669
Art. 2. Materia concionum & modus concionandi optimus. 674

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 6. ad 12.

Divitiæ quàm inutiles in morte, & poſt mortem. 679
Art. 1. Mors diviti ſcelerato terribilis & inevitabilis. 681
Art. 2. Divites avari multum laborant & ſtulti ſunt. 688
Art. 3. Omnia quæ dives avarus congeſſit, citò defluunt. 693

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 13. ad 16.

Quomodo per peccatum homo ſit ſimilis beſtiis. 699
Art. 1. Homines per peccatum in belluas transformantur in hac vita. 699
Art. 2. Poſt mortem peccatores ut oves in inferno mactantur. 707

QUÆSTIO UNICA. S. 4.
à verſ. 17. ad fin.

Quàm brevis & infelix divitum gloria. 713
Art. 1. Divitiæ citiſſimè pereunt, nec in morte auferuntur. 713

PSALMUS QUADRAGESIMUS NONUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 6.

Quantâ majeſtate & terrore Chriſtus in fine mundi eſt judicaturus. 725
Art. 1. Qualis judex in fine mundi, qui rei, & quis locus judicii. 726
Art. 2. Antecedentia judicium extremum. 732
Art. 3. Comitantia & ſubſequentia judicium extremum. 741

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 7. ad 15.

Qualis futura judicii materia ad gloriam juſtorum. 747
Art. 1. Sacrificia pecudum non curat Deus. 748
Art. 2. Sacrificium laudis amat Deus, & fidelem votorum impletionem 755

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 16. ad fin.

Qualis materia extremi judicii ad punitionem impiorum. 765
Art. 1. Concionatori & oranti Deum quæ vitia fugienda. 766
Art. 2. Memoria divinæ juſtitiæ peccata ante oculos ſceleratorum ponentis, eaque punientis eſt utiliſſima ad emendationem. 777

PSALMUS QUINQUAGESIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 3. ad 8.

Quibus rationibus miſericordiam Dei obtinere David nititur. 787
Art. 1. Quàm magna & multa erga peccatores miſericordia Dei. 788
Art. 2. Quàm perfectam peccati remiſſionem à Dei miſericordia David poſtulat. 796
Art. 3. Quàm utilis & neceſſaria eſt proprii peccati cognitio, & recordatio. 800
Art. 4. Miſericordiam Dei commovere poteſt infirmitas orta ex peccato originis. 806
Art. 5. Veritatem omnem in omnibus amat Deus. 810
Art. 6. Quàm ſublimis & excellens Propheta David extitit. 813

QUÆSTIO UNICA. S. 2.

à verſ. 9. ad 14.

Quàm varii excellenteſque pœnitentiæ effectus. 819

Art. 1. Pœnitentia mentem mundat & nitidam facit. 819
Art. 3. Pœnitentia mentem cumulat gaudio. 823

Art. 3.

Art. 3. Pœnitentia cor mundum efficit. 825
Art. 4 Pœnitentia Spiritum rectum, ſanctum & principalem largitur. 829

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 15. ad fin.
Quàm perfecta gratiarum actio Deo reddenda ob ſcelerum condonationem. 839
Art. 1. David eſt perfectus orbis Doctor. 839
Art. 2. Dei eſt labia noſtra aperire, ut eum dignè & decenter amemus. 844
Art. 3. Gratum Deo ſacrificium eſt cordis contritio & humiliatio. 849
Art. 4. In Eccleſia Dei ſacrificatur ſacrificium juſtitiæ, & quale illud ſit. 853

PSALMUS QUINQUAGESIMUS PRIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 6.
Quàm peſtifera calumniæ lues. 865
Art. 1. Calumniatoris magna eſt malitia & potentia ad nocendum. 865
Art. 2. Calumniator malitioſus eſt in cogitando & præceps exequendo ea, quæ contra proximum cogitavit. 869
Art. 3. Cauſa efficiens, & formalis, & finalis calumniæ. 873

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 7. ad 9.
Quàm gravi pœnâ Deus calumniatores punit. 877
Art. 1. Calumniator punitur in ſe, & liberis ſuis. 878

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 10. ad fin.
Quàm grata & fructifera oliva in domo Dei vir juſtus. 883
Art. 1. Olivæ & juſti parallela. 883
Art. 2. Oleæ ſacræ, id eſt, hominis juſti, rami quinque, ſpes, longanimitas, laus Dei, charitas, contemplatio. 888

PSALMUS QUINQUAGESIMUS SECUNDUS.

ARTICULUS I.
à verſ. 1. ad 7.
Conformitas hujus Pſalmi cum tertio. 893
Art. 2. Quàm pernicioſa inanis gloria. 895

PSALMUS QUINQUAGESIMUS TERTIUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.
Quanta vis orationis & obſequii Deo voluntariè exhibiti. 705
Art. 1. Oratio eſt juſtis vir e omnium armorum. 905
Art. 2. Sacrificium voluntarium Deus ſibi vult offerri. 908

PSALMUS QUINQUAGESIMUS QUARTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 9.
Quantus Davidis dolor, cùm fugeret Abſalon. 915
Art. 1. Triſtitiæ & timoris malum eſt maximum. 915
Art. 2. Juſtus eſt columba alis virtutum ad Deum volans. 919
Art. 3. Utilitas ſolitudinis. 929
Art. 4. Puſillanimitas eſt periculoſa mentis tempeſtas & naufragium. 933

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 10. ad 16.
Quàm perverſa mundi civitas. 935
Art. 1. Mundi amarorum varia ſcelera. 937
Art. 2. Amicitiæ mundanæ ac præſertim aulicæ inconſtantia. 947

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 17. ad fin.
Quàm ſedulâ curâ Deus juſtos ſervat & nutrit. 957
Art. 1. Orationis veſpertinæ, meridianæ & matutinæ efficacia. 957
Art. 2. Cibos & alia neceſſaria providet Deus juſtis, ſceleratos verò punit. 964
Art. 3. Impiorum vita brevis eſt, piorū diuturna & ſecura. 976

PSALMUS QUINQUAGESIMUS QUINTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 7.
Quanta Christi humiliatio & tribulatio. 987
Art. 1. Chriſtus ab hominibus conculcatur in Paſſione, & Euchariſtia. 987
Art. 2. Proſperitas impiorum timenda eſt, illi opponenda ſpes in Deum. 990

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 8 ad fin.
Quanta vis lachrymarum & votorum. 997
Art. 1. Lachrymarum magna vis eſt, apud Deum. 997
Art. 2. Votorum Deo perſolutorum efficacia & meritum. 1001

PSALMUS QUINQUAGESIMUS SEXTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 7.
Quàm exitiale monſtrum calumnia, & quibus modis vitatur. 1011
Art. 1. Quibus virtutibus calumniam vincere poſſimus. 1011
Art. 2. Calumniis impetitos juvat Deus. 1012
Art. 3. Calumniatoris lingua gladius eſt, & dentes ſagittæ. 1021
Art. 4. Calumniatoris punitio & fraudes. 1025

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 8. ad fin.
Quàm perfecta conformitas cum Dei voluntate etiam in adverſis habenda. 1027
Art. 1. Cor ad omnia pro Deo agenda & patienda paratum eſſe debet. 1028
Art. 2. Conformitatis voluntatis noſtræ cum divina effectus. 1032

PSALMUS QUINQUAGESIMUS SEPTIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 2. ad 6.
Quanta malorum judicum perverſitas. 1043
Art. 1. Judicum malorum intectatio & vitia. 1045
Art. 2. Furor, venenum, barbaries iniquorum judicum. 1051

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 7. ad fin.
Judicum iniquorum quàm acerba punitio. 1053
Art. 1. Judicum ſceleratorum & calumniatorum variæ pœnæ. 1056
Art. 2. Juſtorum lætitia in punitione impiorum, & ob virtutem merces. 1066

PSALMUS QUINQUAGESIMUS OCTAVUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 6.
Innocentiæ magna vis eſt in omnem partem. 1075
Art. 1. Innocentia ab omnibus hoſtibus eripit. 1075
Art. 2. Innocentia ad Deum remuneratorem ducit. 1079

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 7. ad 16.
Quanta impio fames & ignominia. 1081
Art. 1. Fames canina ſceleratorum converſionem ſuam differentium. 1083
Art. 2. Scelerati & canini homines circuitus ſibi faciunt & aliis noxios. 1088

Art. 3. Pœnæ ſuperborum, blaſphemantium, mendacium. 1094

QUÆSTIO UNICA. S. 5.
à verſ. 17. ad fin.

Ob ſecuritatem in periculis debita eſt Deo gratiarum actio.

Art. 1. Deus juſto eſt aſylum ſecurum & optatiſſimum. 1101

PSALMUS QUINQUAGESIMUS NONUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 3. ad 7.

Quanta afflictionis commoda. 1111

Art. 1. Deus in peccatores iraſcitur, eoſque punit, ut illorum miſereatur. 1111

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 8. ad fin.

Quàm mirabilis in Eccleſia ſtatuum varietas & per tribulationes dilatio. 1125

Art. 1. Status conjugatorum, Religioſorum & Clericorum. 1125
Art. 2. Sex alii ſtatus in Eccleſia & gradus. 1127
Art. 3. Optabile eſt & utile multas tribulationes pati. 1132

TOMUS QUARTUS.

PSALMUS SEXAGESIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 2. ad 4.

Quales & quantas Regum virtutes eſſe convenit præſertim in afflictione.

Art. 1. Chriſtianum Regem decent virtutes quatuor. col. 3

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 5. ad fin.

Quantâ curâ Deus Reges tuetur.

Art. 1. Aſylum tutiſſimum Regum eſt Deus. 12
Art. 2. Pietas vitam Regibus prorogat, & eorum poſteros beat. 16
Art. 3. Reges decet miſericordia, veritas & gratitudo. 21

PSALMUS SEXAGESIMUS PRIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 2. ad 8.

Quanto ſtudio voluntati Dei mens in omnibus ſubjicienda ſit.

Art. 1. Voluntati Dei nos conformare debemus, quia eſt noſter creator, ſalvator & ſanctificator. 30
Art. 2. Dæmonis impetus in animam terribilis eſt & metuendus. 37
Art. 3. In afflictionibus voluntas Deo ſubjicienda eſt. 41

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 9. ad fin.

Quantâ fiduciâ in uno Deo, non in hominibus eorumque divitiis ſperandum.

Art. 1. Cor effundendum eſt coram Deo. 47
Art. 2. In hominibus & in eorum honoribus non ſperandum eſt. 51
Art. 3. Non eſt ſperandum in divitiis, præſertim injuſtè partis. 54
Art. 4. Deus cum poteſtate & miſericordia reddit unicuique quod ſuum eſt. 59

PSALMUS SEXAGESIMUS SECUNDUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 2. ad 3.

Quænam conditiones prærequiſitæ ad orationem, & quis finis.

Art. 1. Vigilantia juſtis omnibus utiliſſima. 63
Art. 2. Sancti Deum, & ejus bona ſitiunt. 69

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 4. ad finem.

Miſericordiam Dei omnibus animi corporiſque viribus quomodo laudare debemus.

Art. 1. Miſericordia Dei laudanda eſt corpore & animo. 77
Art. 2. Miſericordiæ divinæ effectus quatuor erga juſtos. 86
Art. 3. Juſtitiæ divinæ quatuor effectus erga ſceleratos. 89

PSALMUS SEXAGESIMUS TERTIUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 2. ad 7.

Quàm exitialis ſceleratorum, præſertim detractorum & calumniatorum ſocietas.

Art. 1. Timor mundanus eſt ſpernendus. 97
Art. 2. Detractorum & aliorum ſceleratorum conſortia vitanda ſunt. 100

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 8. ad fin.

Sceleratorum, & præſertim detractorum quanta calamitas.

Art. 1. Scelerati & detractores præſertim à Deo puniuntur, & ſibi ipſis nocent. 111
Art. 2. Visâ ſceleratorum, & maximè detractorum pœnâ impii convertuntur, & juſti exultant. 117

PSALMUS SEXAGESIMUS QUARTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 2. ad 6.

Quanto deſiderio paradiſus exſpectandus eſt.

Art. 1. Deus eſt hymnis in cœlo, & Eccleſia celebrandus. 125
Art. 2. Benignitas Dei erga peccatores, quos ad ſe attrahit. 129
Art. 3. Benignitas & liberalitas Dei erga juſtos. 135

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 7. ad fin.

Quanta pulchritudo cœleſtis paradiſi, & fœcunditas.

Art. 1. Paradiſi ſtabilitas, tranquillitas, pax, &c. 138

PSALMUS SEXAGESIMUS QUINTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 2. ad 5.

Quanto affectu ſtudioque laudandus Deus ob Chriſti reſurrectionem.

Art. 1. In reſurrectione Chriſti laudandus eſt Deus ab omnibus hominibus. 157
Art. 2. In reſurrectione Chriſti elucet Dei potentia. 160
Art. 3. Gratitudo hominum in reſurrectione Chriſti. 164

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 6. ad 13.

Quanta tribulationis fortiter toleratæ utilitas.

Art. 1. Cauſa lætitiæ in reſurrectione Chriſti. 168
Art. 2. Reſurgens Chriſtus alumnos ſuos ducit in cœlum, ſed tribulatione probatos. 174

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 13. ad fin.

Quàm grati Deo eſſe debemus oratione noſtrâ exauditâ.

Art. 1. Victimæ in domo Dei ſunt offerendæ, & quales. 187
Art. 2. Per acceſſum ad Jeſum, & per ferventem orationem obtinetur divina miſericordia. 194

PSALMUS SEXAGESIMUS SEXTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
Verſ. 2. & 3.

Quàm excellens Dei beneficium Incarnatio.

Art. 1. Miſericordia, benignitas, & lux Dei in Incarnatione. 201

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 4. ad fin.

Gra-

Gratiæ referendæ ſunt Deo ob Incarnationem, & quomodo.

Art. 1. Glorificandus eſt Chriſtus ob Incarnationem. 209

Art. 2. Chriſtus in Incarnatione fuit fructus terræ ſanctæ, id eſt, Deiparæ. 211

PSALMUS SEXAGESIMUS-SEPTIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.

à verſ. 2. ad 8.

Quanta dæmonum trepidatio, & Sanctorum exultatio in Aſcenſione Chriſti.

Art. 1. In Aſcenſione Chriſti trepidaverunt & contriti ſunt dæmones. 219

Art. 2. In Aſcenſione Chriſti lætitia hominum. 223

Art. 3. In Aſcenſione Chriſti Angelorum exultatio. 227

Art. 4. Lætitia Chriſti in Aſcenſione. 235

QUÆSTIO UNICA. S. 2.

à verſ. 9. ad 19.

Quàm jucundus & efficax eſt Eccleſiæ Spiritus ſanctus.

Art. 1. Spiritus ſanctus eſt manna divinum, & pluvia cœleſtis. 241

Art. 2. Spiritûs ſancti poteſtas ſumma in Evangelio propagando. 249

Art. 3. Spiritus ſanctus ab hoſtium terrore liberat. 256

Art. 4. Spiritus ſanctus Apoſtolos Eccleſiæ dividit, ut virtutem omnes ſciant, & ſequantur. 262

QUÆSTIO UNICA. S. 3.

à verſ. 19. ad 25.

Quanta captivorum liberatorum lætitia in Chriſti Aſcenſione.

Art. 1. Triumphantis Chriſti majeſtas & gloria. 266

Art. 2. Feliciter nos Jeſus triumphans in cœlum ducit. 270

Art. 3. Chriſtus dæmones & ſuperbos dejicit & conterit. 275

QUÆSTIO UNICA. S. 4.

à verſ. 26. ad finem.

Quanto ardore aſcendenti Chriſto laudes dicendæ ſunt.

Art. 1. Apoſtoli in cœlum aſcendenti Chriſto laudes canunt. 277

Art. 2. Reges & populi converſi Chriſtum triumphantem prædicant. 282

PSALMUS SEXAGESIMUS OCTAVUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.

à verſ. 2. ad 13.

Quàm gravis fuerit tempeſtas Paſſ. Chriſti.

Art. 1. Afflictio & tentatio magnæ & periculoſæ ſunt tempeſtates. 299

Art. 2. Chriſtus ob zelum & alias virtutes irriſus eſt & afflictus. 305

QUÆSTIO UNICA. S. 2.

à verſ. 14. ad 22.

A quibus incommodis, & cur liberari Chriſtus poſtulat.

Art. 1. Orationis vis, ut ab afflictionibus liberet, atque iis juvet. 319

Art. 2. Chriſtus patiens ab amicis deſtitutus, felle & aceto ab inimicis potatur. 324

QUÆSTIO UNICA. S. 3.

à verſ. 22. ad 29.

Quanta Judæorum punitio ob necem Chriſto illatam.

Art. 1. Punitio Judæorum in bonis corporis & fortunæ. 334

Art. 2. Punitio Judæorum in bonis animi. 340

QUÆSTIO UNICA. S. 4.

à verſ. 30. ad fin.

Quomodo Chriſtus gratias agit Patri ob opem ſibi præſtitam in paſſione.

Art. 1. Laudandus Deus ab omnibus. 345

PSALMUS SEXAGESIMUS NONUS.

QUÆSTIO UNICA.

In totum.

Quàm neceſſarium nobis divinum auxilium.

Art. 1. Perfecti & imperfecti egent auxilio Dei continuo. 356

Art. 2. Impiorum juſtis inſultantium pœnæ. 361

Art. 3. Lætitia Deum amantium, quærentium, & laudantium. 363

PSALMUS SEPTUAGESIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.

à verſ. 1. ad 8.

Quibus modis confuſio æterna vitanda ſit.

Art. 1. Deus in ſe ſperantes adjuvat & protegit. 372

Art. 2. Deus patientes ſervos ſuos ab hoſte eripit. 376

Art. 3. Tota vita conſecranda eſt Deo, præſertim juventus & pueritia. 379

QUÆSTIO UNICA. S. 2.

à verſ. 9. ad 16.

Quàm neceſſarium in ſenectute auxilium Dei.

Art. 1. Senectus hominibus ſæpè contemptui eſt, ſed virtutibus ornata acceptiſſima ſit Deo. 387

Art. 2. Scientiæ contemptus juvat contemplat. & cæt. 394

QUÆSTIO UNICA. S. 3.

à verſ. 17. ad fin.

Quanto ſtudio ob juventutis & ſenectutis beneficia Deo gratos nos eſſe decet.

Art. 1. Magnum Dei donum eſt ab ipſa juventute in pietate & ſcientiis inſtitui. 397

Art. 2. Deo à tribulatione liberanti, imò & exercenti in ea gratiæ ſunt agendæ. 400

PSALMUS SEPTUAGESIMUS PRIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.

à verſ. 2. ad 5.

Quàm perfecta & utilis Chriſti juſtitia.

Art. 1. Judiciaria poteſtas in omnes homines data eſt Chriſto. 409

Art. 2. Juſtitiæ ſuaviſſimus fructus eſt pax. 414

Art. 3. Chriſtus eſt Rex juſtus atque æternus, calumniatores puniens. 416

QUÆSTIO UNICA. S. 2.

à verſ. 6. ad 16.

Quanta Regis Chriſti erga ſubditos ſuos benignitas.

Art. 1. Incarnationis & nativitatis Chriſti modus & fructus. 423

Art. 2. Epiphania & adoratio Chriſti in toto orbe. 427

Art. 3. Chriſtus paſſione ſuâ & morte nos redemit à fœneratore diabolo, qui uſuris, id eſt, peccatis omnes captivaverat. 437

Art. 4. Chriſtus reſurgens in Eccleſia adoratur, & benedicitur; ipſe per Euchariſtiam fideles alit & roborat. 443

QUÆSTIO UNICA. S. 3.

à verſ. 17. ad fin.

Cur Chriſtus ab hominibus glorificandus.

Art. 1. Chriſtus laudandus eſt ob benignitatem ſuam in homines. 451

PSALMUS SEPTUAGESIMUS SECUNDUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.

à verſ. 1. ad 14.

Quàm exitialis felicitas peccatorum.

Art. 1. Quanta Dei bonitas erga juſtos. 461

Art. 2. Dei benignitas ergo impios divites. 463

Art. 3. Sceleratorum divitum flagitia in Deum & homines. 470

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 15. ad 20.

Quàm velox & ſevera impiorum in hac vita felicium punitio.

Art. 1. Sancti in afflictionibus delectantur. 479
Art. 2. Miſerabilis impiorum interitus. 482

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 21. ad fin.

Quanto ſtudio Deum unum amare, & deſiderare debemus.

Art. 1. Vitæ unitivæ initium, ac virtutes in ea neceſſariæ. 489
Art. 2. Vitæ unitivæ progreſſus Deo juvante & ductante. 494
Art. 3. Vitæ unitivæ conſummatio conſiſtit in perfecta charitate. 496

PSALMUS SEPTUAGESIMUS-TERTIUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 8.

Quàm lugenda Jeroſol. & animæ peccatricis deſolatio.

Art. 1. Jeroſolym: civitatis reprobatio & afflictio. 510
Art. 2. Auxilium Dei imploratur commemoratione Dei beneficiorum. 514
Art. 3. Superbos Judæorum hoſtes ac ſacrilegos punit Deus. 516
Art. 3. Judæos & peccatores Deus derelinquit. 522

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 9. ad 18.

Quanta in cœlo terráque poteſtas Dei.

Art. 1. Dei Regis & Salvatoris poteſtas in toto orbe & in ſalute data elucet. 525

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 19. ad 23.

Quantâ curâ ſervos ſuos tueatur Deus, & impios punit.

Art. 1. A feris, & aliis incommodis ſervos ſuos Deus cuſtodit. 535

PSALMUS SEPTUAGESIMUS-QUARTUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.

Quantâ mentis demiſſione Deo ſerviendum.

Art. 1. Humilitas erga Deum ut benefactorem. 547
Art. 2. Humilitas erga Deum ut judicem. 549
Art. 3. Superbos judicat & punit Deus. 555

PSALMUS SEPTUAGESIMUS-QUINTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 2. ad 5.

Quanta Dei cognitio & veneratio eſt in monaſteriis Religioſorum.

Art. 1. Dei major eſt notitia religioſis, quàm aliis. 567
Art. 2. In religioſorum mentibus moratur Deus ob pacem & vigilantiam ipſorum. 571
Art. 3. Lux divina religioſos illuminat, ut ſacros montes. 577

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 6. ad 10.

Quàm miſera ſecularium hominum conditio.

Art. 1. Omnis peccator turbatur & inſanit. 579
Art. 2. Avarorum vita eſt ſomnus, mors eorum extrema inopia. 583
Art. 3. Honores & dignitates ſuperborum citò pereunt. 587
Art. 4. Voluptati dediti in judicio puniuntur. 589

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 12. ad 13.

Quanto ſtudio grati ob accepta beneficia eſſe debemus.

Art. 1. De beneficiis Dei ita cogitandum eſt, ut eam ob rem virtuti ardentiùs ſtudeatur. 592
Art. 2. Vota gratuita offerenda, & reddenda ſunt Deo Regi regum. 596

PSALMUS SEPTUAGESIMUS-SEXTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 2. ad 10.

Quanta vis orationis in afflictione.

Art. 1. Conditiones ſeu proprietates orationis, ut Deo grata ſit. 605
Art. 2. Deus unus in afflictione ſtudioſè quærendus eſt. 608
Art. 3. Dei memoria in ipſa tribulatione delectat. 610
Art. 4. Motiva ad fortiter ferendam tribulat. 617
Art. 5. Tribulatorum tandem miſeretur Deus. 620

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 11. ad 21.

Quas rationes affert David, ut Deum flectat ad miſericordiam.

Art. 1. Renovatio mentis eſt etiam neceſſaria perfectis. 623
Art. 2. Deus ſervos ſuos ex afflictione liberat, attritis impiis, ſicut olim Iſraël. merſis Ægyptiis. 630

PSALMUS SEPTUAGESIMUS-SEPTIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 11.

Quanta commoda ex auditione & obſervatione legis Evangelicæ naſcantur.

Art. 1. Magnâ attentione & humilitate lex Chriſti audienda eſt. 645
Art. 2. In Scriptura ſunt parabolæ, ænigmata, ideóque eſt obſcura, & attentum atque humilem lectorem requirit. 648
Art. 3. Scripturæ & myſteriorum intelligentia Chriſtianis per Patres aperitur. 651
Art. 4. Legem Dei edoceant parentes, & eam liberi ſtudioſè diſcant. 654
Art. 5. Peccator à Deo cor ſuum avertit, & cœptum iter virtutis facilè deſerit. 658

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 12. ad 22.

Quanta Dei poteſtas in converſione peccatoris, & quanta relabentis in peccata, gulæ præſertim, ingratitudo.

Art. 1. Poteſtas Dei ſe exerit in vita purgativa. 669
Art. 2. In vita illuminativa Deus paſſiones temperat, & mentem illuminat. 672
Art. 3. In vita unitiva Deus ſe & ſuas gratias copioſè Sanctis communicat. 677
Art. 4. Gula fuit Judæis in deſerto, & nunc multis cauſa plurimorum peccatorum. 680

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 25. ad 29.

Quanta Dei liberalitas erga homines, & hominum ingratitudo erga liberalem Deum.

Art. 1. Euchariſtia eſt excellentior quàm manna. 691
Sanguine Chriſti veſcimur, ideo templum Deitatis habemur. 701
Art. 2. Coturnices bis dedit Deus Judæis, ſed ingratis. 706

QUÆSTIO UNICA. S. 4.
à verſ. 30. ad 37.

Quàm ſevera in voraces Dei juſtitia, quantáque eorum ad lapſum propenſio.

Art. 1. Helluones iratus Deus citò & graviter punit. 711
Art. 2. Obſtinatos in ſua malitia citò & graviter punit. 717
Art. 3. Afflictio vel invitos ad Deum trahit. 718
Art. 4. Diſplicet Deo converſio, quæ corde non fit, & omnis hypocriſis. 721

QUÆSTIO UNICA. S. 5.
à verſ. 38. ad 41.

Quanta miſericordis Dei in peccatores benignitas, & peccatoris relabentis ingratitudo.

Art. 1. Deus conſiderans hominis imbecillitatem, in eum totam iram non effundit, punit tamen ſæpè relabentes in ſcelera. 723

QUÆSTIO UNICA. S. 6.
à verſ. 42. ad 53.

Quantâ charitate Judæos ex Ægypto Deus eduxit.

Art. 1. Oblivio beneficiorum Dei eſt mors animæ. 728

Art. 2. Animæ peccatricis plagæ collatæ cum plagis Ægyptiorum. 730

Art. 3. Servos ſuos educit ex Ægypto, & per deſertum deducit in terram promiſſam. 743

QUÆSTIO UNICA. S. 7.
à verſ. 54. ad 58.

Quantum ſit Dei donum, quod Deus nos in Eccleſia ſua conſtituit, & quanta à nobis ob illud gratitudo requiratur.

Art. 1. Terræ promiſſionis, & Cathol. Eccleſiæ excellentia. 747

Art. 2. Peccantium Chriſtianorum ingratitudo eſt abominabilis Deo. 753

QUÆSTIO UNICA. S. 8
à verſ. 59. ad fin.

Quàm lugenda Judæorum, & animæ peccatricis reprobatio: quamque felix Chriſtianorum ad fidem electio, & juſtorum ad gloriam.

Art. 1. Reprobatio Judæorum & peccatorum in peccata relabentium. 761

Art. 2. Electio Eccleſiæ Catholicæ præ Synagoga. 766

Art. 3. Chriſti paſtoris Eccleſiæ dotes, ubi agitur de proprietatibus bonorum Paſtorum. 771

PSALMUS SEPTUAGESIMUS OCTAVUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 4.

Quanta clades animæ à peccatis occupatæ.

Art. 1. Peccator eſt cultor idolorum. 785

Art. 2. Peccato civitas animæ funditus evertitur. 786

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 5. ad fin.

Quibus motivis impelli poteſt Deus, ut ſervis ſuis afflictis ſuccurrat.

Art. 1. Deus zelotes propriis peccatis punit peccatores. 794

Art. 4. Severè Deus ulciſcitur perſecutores Martyrum. 798

Art. 3. Deus ſervos ſuos à vinculis ſolvit, & ideo ab ipſis laudatur. 800

PSALMUS SEPTUAGESIMUS NONUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 2. ad 7.

Quanta utilitas Chriſti adventus in hanc terram.

Art. 1. Deus eſt Rex omnium Angelorum. 807

Art. 2. Quàm utilis & neceſſarius Dei adventus in terras. 811

Art. 3. Celerem Chriſti adventum poſtulârunt Patres. 816

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 9. ad 20.

Quàm neceſſarius Chriſti adventus in terras ad Eccleſiæ perfectionem.

Art. 1. Eccleſia eſt Chriſti vinea præſtantiſſima. 820

Art. 2. Chriſtus vineam ſuam ob peccata affligit. 827

Art. 3. Dei auxilium pro Eccleſiæ vinea tutanda poſtulandum eſt. 830

PSALMUS OCTOGESIMUS

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 2. ad 6.

Quàm ſtudioſè & alacriter diebus feſtis Dei laudes celebrandæ ſint.

Art. 1. In uno Deo lætandum eſt. 837

Art. 2. Neomenia apud Judæos erat feſtum, & cur tubâ in eo feſto buccinarent. 841

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 8. ad fin.

Quanto ſtudio Deus unus colendus.

Art. 1. Deus in tribulatione invocatus ſervos ſuos juvat. 852

Art. 2. Deo uni Domino noſtro, ſalvatori & benefactori ſerviendum eſt. 854

Art. 3. Deus obſequentes ſibi facit felices & victores. 859

Art. 4. Suaviſſimis cibis ſervos ſuos reficit Deus. 864

PSALMUS OCTOGESIMUS PRIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 4.

Quanta juſtitiæ cura debet eſſe judicibus.

Art. 1. Deus in judicum conſeſſu præſens eſt, & judicat. 871

Art. 2. Ob potentiorum divitias non eſt injuſtè judicandum. 876

Art. 3. A judicibus juvari debent pauperes & pupilli. 882

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 5. ad fin.

Quanta antiquorum judicum pœna.

Art. 1. Quadruplex ſcientia neceſſaria judicibus. 886

Art. 2. Judices & omnes viri juſti ſunt Dii, & filii Dei. 891

Art. 3. Injuſti judices & Principes à *Deo* puniuntur. 898

PSALMUS OCTOGESIMUS SECUNDUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 2. ad 8.

Quanta Hæreticorum in Eccleſiam *Dei* impietas.

Art. 1. Omnis creaturæ excellentia *Deo* comparata nihil eſt. 905

Art. 2. Innumera ſunt hæreticorum ſcelera. 907

Art. 3. Hæretici in Barbarorum popul. figurâ adumbrati. 920

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 9. ad fin.

Quàm ſevera hæreticorum, & aliorum impiorum punitio.

Art. 1. Juſtum *Dei* judicium non effugit hæreticus. 931

Art. 2. Graves hæreticorum pœnæ variis comparationibus expreſſæ. 941

PSALMUS OCTOGESIMUS TERTIUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 2. ad 7.

Quanto ardore viri perfecti ad cœlum aſpirant.

Art. 1. Amore & deſiderio noſtro dignus eſt paradiſus.

Art. 2. Lætitia mentis & corporis à *Deo*, & in *Deo* quærenda eſt. 958

Art. 3. Quanta paradiſi excellentia. 962

Art. 4. Ad cœlum & cœleſtia mente aſcendendum. 971

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 8. ad fin.

Quibus motivis *Deus* impelli poteſt, ut nobis det æternam beatitudinem.

Art. 1. Oratio cœlum aperit ſi adſit gratia *Dei*. 983

Art. 2. *Deus* libenter aperit juſto cœlum, ut ibi gloriâ coronetur. 990

PSALMUS OCTOGESIMUS QUARTUS.
à verſ. 2. ad 4.

Quàm abundans benedictio Eccleſiæ à *Deipara* Virgine obtineatur.

Art. 1. *Deipara* benedictionibus eſt cumulata, & per eam homines benedicti à diaboli tyrannide liberantur. 1001

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 5. ad 10.

Quanta in noſtra juſtificatione à *Deipara* bona obtineantur.

Art. 1. Converſio noſtra ad *Deum*, & *Dei* ad nos ſit per Virginem. 1009

Art. 2. Incarnationis effectus hominibus communicatur per Mariam. 1011
Art. 3. Pacem Deus dat mundo per Virginem. 1015

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 11. ad fin.

Quantæ Christi virtutes in Incarnatione apparuerunt.
Art. 1. Quatuor virtutes in Incarnatione eminuerunt miſericordia & veritas, juſtitia & pax. 1019

PSALMUS OCTOGESIMUS QUINTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 8.

Qualis debet eſſe oratio, ut à Deo facilè exaudiatur.
Art. 1. Oratio humilis pauperum ſpiritu exauditur. 1030
Art. 2. Oratio juſtorum cuſtodit eorum animas, & lætificat. 1032
Art. 3. Orans petet ſe à Deo exaudiendum ob Dei bonitatem & miſericordiam. 1038
Art. 4. Omnes orbis nationes à Chriſto adducentur ad Patrem æternum ut eum adorent. 1042

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 10. ad fin.

Quantâ curâ Chriſtum & Sanctos ſuos tuetur & honorat Deus.
Art. 1. Deus ſolus magnus eſt, ac ſolus ſequendus. 1046
Art. 2. Deus eos quos deducit, liberat ab inferno inferiori, & à variis periculis. 1052
Art. 3. Deus ſervos facit Reges, hoſtium omnium domitores. 1058

PSALMUS OCTOGESIMUS SEXTUS.
QUÆSTIO UNICA.
In totum.

Quantâ curâ & amore Deus Eccleſiam ſuam regit & exornat.
Art. 1. Eccleſiæ fundamenta, portæ, & ſtructura. 1069
Art. 2. Eccleſia Dei gentes omnes totius orbis complectitur. 1076
Art. 3. Sub Chriſto Rege felicem agunt vitam ejus Eccleſiæ. 1083
Art. 4. Deipara eſt Sion, civitas Dei in montibus ſanctis fundata. 1089

PSALMUS OCTOGESIMUS SEPTIMUS.
QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 2. ad 9.

Quanti cruciatus Chriſti patientis, & quanta vis Crucis ut afflictiones toleremus.
Art. 1. Oratio cruce ſignata maximam apud Deum vim habet. 1105
Art. 2. Omnis vita noſtra eſt reſperſa crucibus. 1109
Art. 3. Crucem ſuam ferre difficile eſt, ſed glorioſum & utile. 1112

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 10. ad finem.

Quàm meritò jure reſurrectionem ſuam eſt meritus Chriſtus in cruce patiens & orans.
Art. 1. Oratio & conſtantia Chriſti in cruce & paſſione. 1121
Art. 2. Reſurrectio Chriſti & noſtra gloriam Dei promovet. 1125
Art. 3. Matutina oratio pauperum & afflictorum exauditur. 1132
Art. 4. Crux nos liberat ab hoſtibus, quibus circumdamur, & ab omni terrore. 1141

PSALMUS OCTOGESIMUS OCTAVUS.
QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 2. ad 5.

Quanta Dei miſericordia & veracitas in myſterio regni Chriſti elucet.
Art. 1. Miſericordibus & veracibus miſericors & fidelis eſt Deus. 1151
Art. 2. Chriſti regnum eſt æternum, alia citò deſinunt. 1155

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 6. ad 18.

Quanta gloria Chriſtus in Aſcenſione, Dominus orbis conſtituitur.
Art. 1. Chriſtus in cœlum aſcendens ab Angelis & hominibus laudatur. 1159
Art. 2. Chriſti poteſtas in toto orbe elucet. 1163
Art. 3. Chriſtus Rex poteſtate, juſtitiâ, miſericordiâ & veritate emicat. 1167
Art. 4. Felix eſt populus Chriſtianus ſub Chriſto bono principe. 1175

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 19. ad 36.

Quanta Chriſti Regis poteſtas & felicitas.
Art. 1. Regem nobis optimum dat Pater æternus Filium ſuum. 1178
Art. 2. Cuſtodes imperii & ejus amplitudo. 1184
Art. 3. Amor Patris æterni erga Chriſtum Filium ſuum, quem Regem orbis conſtituit. 1188
Art. 4. Chriſtus punit Chriſtianos delinquentes. 1192
Art. 5. Chriſtus totius orbis, Reges verò Chriſtiani ſunt regnum ſuorum ſoles, lunæ, & irides. 1194

QUÆSTIO UNICA. S. 4.
à verſ. 37. ad fin.

Quanta miſeria animæ à Deo relictæ.
Art. 1. Peccatum omnia vaſtat in anima. 1200

PSALMUS OCTOGESIMUS NONUS.
QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 11.

Quanta vitæ humanæ brevitas & vanitas.
Art. 1. Deus eſt juſtorum aſylum ſecurum, latum, æternum. 1210
Art. 2. Magna eſt vitæ humanæ brevitas & vanitas. 1215
Art. 3. Vita hominum comparatur herbæ, & flori marcido & decidenti. 1220
Art. 4. Naturalem vitæ brevitatem peccata breviorem faciunt. 1227
Art. 5. Vitæ humanæ brevitas terminatur 70. aut 80. annis. 1233

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 12. ad fin.

Quàm potens & magna Dei manſuetudo & miſericordia erga ſervos ſuos.
Art. 1. Manſuetudo Dei & hominum efficax eſt ad morum correctionem. 1239
Art. 2. Juſtitia Dei ſceleratos exterret, & juſtos ipſos. 1242
Art. 3. Sapientia à Deo data virum juſtum illuſtrat. 1242
Art. 4. Miſericordia Dei juſtos replet bonis & gaudio. 1244
Art. 5. Pietas Dei juſtos illuminat & dirigit. 1250

PSALMUS NONAGESIMUS.
QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 10.

Quàm ſecura & jucunda juſtis arx eſt Deus.
Art. 1. Deus eſt arx juſtorum altiſſima, tutiſſima, commodiſſima. 1256
Art. 2. Cum Deus ſit arx juſtorum, ſemper illis patet contra omnes hoſtes. 1260
Art. 3. In arcem potentiæ ſuæ ingreſſus tuetur Deus, ante, in, poſt pugnam. 1266
Art. 4. Deus juſtos liberat à timore matutino, veſpertino, meridiano. 1269
Art. 5. Deus hoſtes juſtorum in conſpectu illorum proſternit. 1080

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 11. ad fin.

Quantâ curâ & amore Angeli juſtum tuentur.
Art. 1. Singulis hominibus, orbibus, regnis ſuus eſt Angelus cuſtos. 1287
Art. 2. Finis Angelicæ cuſtodiæ. 1289
Art. 3. Modus Angelicæ cuſtodiæ ſuaviſſimus, & tutiſſimus. 1291

Art. 4.

Art. 4. Effectus hujus cuſtodiæ contra dæmones, ſerpentes, feras. 1294
Art. 5. Effectus hujus cuſtodiæ in omnibus rebus. 1303.
Art. 6. Per Angelos Deus juſtos in tribulatione poſitos juvat. 1313
Art. 7. Poſt, & in tribulatione Deus Sanctos glorificat. 1318
Art. 8. Deus vitam longam ſæpè dat juſtis, & ſemper vitam æternam, idque per Angelos. 1320

TOMUS QUINTUS.

PSALMUS NONAGESIMUS PRIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 2. ad 6.

Quantâ laude dignus eſt Deus ob creationem orbis. 3
Art. 1. Omni modo Creator laudandus eſt ab hominibus. *col.* 5
Art. 2. Deus delectat homines ſuis creaturis, inde glorificandus eſt. 9

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 7. ad 10.

Quàm multi & fœnei peccatores. 13
Art. 1. Vitia excæcant, virtus illuminat. 14
Art. 2. Scelerati velut fœnum ſuccidentur. 17

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 11. ad 12.

Juſtorum quanta excelſitas, diuturnitas, ſecuritas, jucunditas.
Art. 1. Juſti ſunt ſimiles unicornibus. 21
Art. 2. Senectus juſtorum felix, & Dei donis abundans. 22

QUÆSTIO UNICA. S. 4.
à verſ. 13. ad fin.

Quanta cedri & palmæ cum juſto ſimilitudo.
Art. 1. Palmæ & juſti 18. parall. & cum cedro comparatio. 26
Art. 2. Patientia omnibus, & Concionatoribus præſertim utiliſſima. 34

PSALMUS NONAGESIMUS SECUNDUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.

Quàm perfectus Eccleſiæ Rex Chriſtus.
Art. 1. Chriſtus in ſua reſurrectione Rex decorus, & fortis. 41
Art. 2. Deus potentiâ ſuâ & providentiâ orbem & Eccleſiam ſtabilit. 52
Art. 3. Deus ſibi thronum figit in anima juſti, ibique per Concionatores dominatur. 56

PSALMUS NONAGESIMUS TERTIUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 21.

Quàm ſevera in ſuperbos divina vindicta.
Art. 1. Deus ſuperbos graviter punit. 64
Art. 2. Plurima ſunt ſuperborum ſcelera. 68
Art. 3. Superbi providentiam Dei negantes ſtulti ſunt. 76

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 22. ad fin.

Quàm amabilis doctor, adjutor, conſolator, ſuſceptor juſtorum, præſertim humilium eſt Deus.
Art. 1. Deus doctor eſt juſtorum, præſertim humil. 83
Art. 2. Deus adjutor juſtorum, præſertim humil. 87
Art. 3. Deus eſt conſolator piorum humilium. 90
Art. 4. Deus eſt refugium ſervorum ſuorum humil. 93

PSALMUS NONAGESIMUS QUARTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 7.

Quanſâ veneratione & lætitiâ Chriſtus in nativitate ab hominibus eſt adorandus.
Art. 1. Quantâ cum lætitiâ & veneratione Chriſtus adorandus. 102
Art. 2. Cauſæ lætitiæ in nativitate Chriſti. 108
Art. 3. Chriſtus in nativitate eſt adorandus. 113

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 8. ad finem.

Quantâ curâ vocanti Deo obtemperandum.
Art. 1. Cordis obſtinatio cavenda eſt. 119

PSALMUS NONAGESIMUS QUINTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 6.

Quantâ alacritate & ardore laudes Chriſti nati ſunt celebrandæ.
Art. 1. Chriſto nato canticum novum cantandum ab hominibus. 127
Art. 2. In honorem nominis Jeſu canticum novum cantandum eſt. 133

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 7. ad fin.

Quantâ veneratione Chriſtus Rex & Judex venerandus.
Art. 1. Chriſto nato gloriam & honorem afferunt tres Reges. 139
Art. 2. Chriſtus in Epiphania tres Reges, & totum orbem lætificat. 143

PSALMUS NONAGESIMUS SEXTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 7.

Quanta majeſtas Chriſti ad judicium extremum venientis.
Art. 1. Ad Regis Chriſti aſpectum in extremo judicio Sancti lætantur. 152
Art. 2. In die judicii omnis creatura armabitur contra ſceleratos. 154

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 8. ad fin.

Quantâ veneratione & lætitiâ colendus Chriſtus.
Art. 1. Angeli & Sancti Chriſtum judicem glorificatorem adorant. 163
Art. 2. Sola virtus in extremo judicio ſecurum facis, & Sanctos lætificas. 166

PSALMUS NONAGESIMUS SEPTIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
verſ. 1. 2. 3.

Quàm admirabili modo ſalus orbi per Chriſtum data.
Art. 1. Chriſtus ſalvator admirabilis novo cantico eſt laudandus. 175
Art. 2. In die judicii Chriſtus juſtitiam ſuam & miſericordiam toti orbi manifeſtabit. 180

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 4. ad fin.

Quanto affectu & alacritate cantica dicenda à Sanctis Chriſto judici.
Art. 1. Deo ad nos veniente eſt exultandum. 185
Art. 2. Pſallendum eſt Chriſto in cithara, pſalterio, tubia, &c. 188.
Art. 3. Omnes creaturæ Chriſtum judicem cum lætiſia venerabuntur. 194

PSALMUS NONAGESIMUS OCTAVUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 5.

Quantâ veneratione Deus in templis adorandus.
Art. 1. Deus in templis regnat. 199
Art. 2. Denain Angelis & Angelicis ſedet & regnat. 203.
Art. 3. Humanitas Chriſti eſt adoranda velut arca divina, & reliquiæ Sanctorum ſunt honorandæ, ut vaſa ſancta. 210

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 6. ad finem.

Quantâ ſanctitate Sacerdotes & Diaconi Deo ſervire, & in templis miniſtrare debent.
Art. 1. Sacerdotes legis gratiæ in Moyſe & Aarone adumbrati. 217

Art. 2. Deus adorandus eſt in monte ſancto, præſertim à Sacerdotibus. 226

PSALMUS NONAGESIMUS NONUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.

Quanta lætitia Sanctorum in cœlo futura.

Art. 1. Chriſto ſerviendum eſt cum lætitia. 230
Art. 2. Ad Regem Chriſtum advolandum eſt cum alacritate & lætitia. 235

PSALMUS CENTESIMUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.

Quibus virtutibus decet Regem ornari.

Art. 1. Clementiam ac miſericordiam exerceant Reges. 253
Art. 2. Juſtitiam Reges colant. 258
Art. 3. Regibus neceſſarius eſt virtutum omnium concentus. 261
Art. 4. Prudentia iis eſt neceſſaria, & acquiritur virtutibus. 262
Art. 5. Innocentia iis eſt neceſſaria, ut ſint veri Reges. 267
Art. 6. Conſiliarios & judices malos Rex oderit, & puniat. 271
Art. 7. Reges fugiant detractionem, & puniant. 276
Art. 8. A Regum menſis arcendi ſuperbi & avari. 379
Art. 9. Rex ſervos, miniſtros & amicos habeat innocentes, fideles, &c. 283
Art. 10. Zelus regius in puniendis ſceleratis emineat. 291

PSALMUS CENTESIMUS PRIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 12.

Quanto ardore pœnitentia de peccatis facienda.

Art. 1. Homines omnes, ſed præſertim peccatores vivunt miſerè. 301
Art. 2. Pœnitentes comparari pelicano, nycticoraci, paſſeri. 309
Art. 3. Peccator ab omnibus impetitur, etiam pœnitens. 317

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 13. ad 18.

Chriſtus incarnatus ex omnibus orbis nationibus quàm glorioſam ſibi ædificaverit Eccleſiam.

Art. 1. Deus in ſe immutabilis incarnatus in tempore hominum causâ. 325
Art. 2. Ex omnibus orbis nationibus ædificatur Eccleſia. 327

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 19. ad fin.

Quanta gratitudo Chriſtianorum erga Chriſtum incarnatum.

Art. 1. Chriſto incarnato ſervient omnes nationes, & Reges verbis Scripturæ commoti. 333
Art. 2. Quantâ curâ contemplanda eſt vitæ brevitas, ne mors incautos præveniat. 343
Art. 3. Omnia ſunt mutabilia præter Deum. 349

PSALMUS CENTESIMUS SECUNDUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 5.

Omnibus laudibus benedicendus Deus ob beneficium juſtificationis & glorificationis.

Art. 1. Chriſtus adorandus & diligendus eſt ea tota anima, & omnibus viribus. 357
Art. 2. Laudandus eſt Chriſtus, quòd peccata condonet, & peccatorem ſanatum & redemptum in cœlo coronet. 362
Art. 3. Juſti & aquilæ comparatio, præſertim in renovatione. 371

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 6. ad 18.

Quanta Dei in homines miſericordia, præſertim timentes ſe.

Art. 1. Afflictos juvat Deus miſericordiâ & juſtitiâ. 380
Art. 2. Deus eſt miſericors erga timentes ſe. 389
Art. 3. Dei miſericordia erga timentes ſe eſt paterna. 392
Art. 4. Æterna eſt miſericordia Dei erga juſtos. 398

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 19. ad fin.

Regem Chriſtum quantâ veneratione Angeli & omnes creaturæ laudare debent.

Art. 1. Chriſtus Rex omnibus dominatur. 403
Art. 2. Rex Chriſtus ab Angelis adoratur & colitur. 406

PSALMUS CENTESIMUS TERTIUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 5.

Quanto ardore laudandus Deus in contemplatione cœli empyrei, ſtellati, & aërei.

Art. 1. Dei majeſtas in cœlo empyreo eminet. 417
Art. 2. Etiam in cœlo ſtellato. 422
Art. 3. Etiam mirabilis in aëreo. 425

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 6. ad 25.

Quàm mirabilis Deus in terra. 435

Art. 1. Terram & Eccleſiam fecit Deus immobilem. 436
Art. 2. Aquis abyſſi & fontium irrigata eſt terra. 438
Art. 3. Pluviæ mirabilis effectus, præſertim in productione vini & olei. 442
Art. 4. Deus parat avibus arbores, & cervis aliiſque montes in perfugium. 431
Art. 5. Solis & lunæ viciſſitudo utilis eſt animalibus, ut cibum quærant, & hominibus, ut operentur. 455

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 26. ad 31.

Quàm admirabilis Dei ſapientia in mari.

Art. 1. Maris amplitudo & fœcunditas mira. 461
Art. 2. Deus piſcibus & cæteris vim vitalem dat & ſervat ſuis Spiritum ſanctum. 469

QUÆSTIO UNICA. S. 4.
à verſ. 32. ad fin.

Quanto affectu laudandus Deus ob creationem, & conſervationem orbis.

Art. 1. Deo ſoli gloria ab omnibus danda eſt. 474
Art. 2. Laudes Deo cantandæ totâ vitâ, & alacriter. 478

PSALMUS CENTESIMUS QUARTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 6.

Laudandus & quærendus Deus cum hymnis, & canticis, & virtutibus.

Art. 1. Laudandum Dei nomen cum fide, ſpe, charitate, atque in eo gloriandum. 488
Art. 2. Quærendus Deus cum lætitia, fortitudine & beneficiorum memoria. 496

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 7. ad 15.

Quantâ curâ Deus protexit Patriarchas, Abraham, &c.

Art. 1. Deus init fœdus cum Sanctis ſuis, præſertim religioſis. 505

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 16. ad 21.

Quanta & quàm mira Joſephi in Ægypto exaltatio.

Art. 1. Fames corporis & animi malum eſt maximum. 515
Art. 2. Famem corporis ſuſtulit Joſephus, famem animi tollit concionator, & quæ ejus virtus. 519
Art. 3. Joſephum Deus illuminat & inflammat, ut Ægyptum erudiat: & prælatos atque concionatores, ut Eccleſiam. 524

QUÆSTIO UNICA. S. 4.
a verſ. 22. ad 35.

Quantis bonis Iſraëlitas juſtos, & pœnis impios Ægyptios afficit Deus.

Art. 1. Mirabilis Eccleſiæ Chriſti multiplicatio, & hoſtium eluſa rabies & invidia. 535

Art. 2. Miraculis Apoſtolos ſuos illuſtrat Deus, ut ex Ægyptiaca ſervitute educant electos in libertatem filiorum ſuorum. 539

Art. 3. Plagæ Ægyptiorum & animæ peccantis. 543

QUÆSTIO UNICA. S. 5.
a verſ. 36. ad fin.

Quantâ benignitate populum Iſraël ex Ægypto eductum in Chananitidem induxit Deus.

Art. 1. Hebræi ex Ægypto egredientes auro Ægyptiorum ditati ſunt, & mundo exules religioſi ditantur ſapientia & virtutibus. 550

Art. 2. Iſraëlitas in deſerto deduxit Deus, & aluit pane corporeo, & nunc corpori & animæ ſervorum ſuorum prævidet. 552

PSALMUS CENTESIMUS QUINTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 5.

Quanto ſtudio laudandus Deus & orandus, ut nobis æternam beatitudinem donet.

Art. 1. Deus laudandus eſt ob ſuam bonitatem & benignitatem. 569

Art. 2. Beatus eſt ac ſemper lætus, qui Deum opere laudat. 573

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
a verſ. 6. ad 13.

Quanta peccata Judæorum in exitu ex Ægypto.

Art. 1. Peccata majorum ſuorum imitati ſunt Hebræi, idque penè omnes alii faciunt. 579

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 14. ad 32.

Quàm gravia peccata Judæorum in deſerto.

Art. 1. Gula eſt funeſtus fons ſcelerum. 586

Art. 2. Ambitio cauſa ſcelerum & ruina. 591

Art. 3. Inobedientia viam cœlorum obſtruit. 597

Art. 4. Luxuria cauſa idololatriæ & ruinæ. 601

QUÆSTIO UNICA. S. 4.
à verſ. 33. ad fin.

Quàm gravia Judæorum peccata in terra promiſſionis, & quomodo Deus ſe erga eos geſſit.

Art. 1. Perfecta paſſionum victoria eſt neceſſaria & fuga malorum ſociorum & conjugum. 610

Art. 2. Per malam educationem liberi conſecrantur diabolo, per bonam & vota religioſa Deo. 616

PSALMUS CENTESIMUS SEXTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 3.

Quanto affectu laudandus Chriſtus, ob redemptionem generis humani.

Art. 1. 4. ob cauſas laudandus eſt Chriſtus Redemptor. 625

Art. 2. Chriſtus redemptionis ſuæ fructum per totum orbem diffudit. & quidem in Gallias ab ipſis Apoſtolorum temporibus. 629

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 4. ad 31.

Quàm gravis afflictio Judæorum in everſione Jeroſol. & captivitate Babylonica.

Art. 1. Omnis peccator errat in ſolitudine, ibique fame & ſiti moritur, niſi ſuccurrat oratio. 636

Art. 2. In carcere tenebroſo & vinculis ferri jacet peccator. 640

Art. 3. Acedia periculoſus morbus animæ, cum ſanat Verbum Dei. 644

Art. 4. Peccator gravi tempeſtate jactatur, ſed per ſapientem ac ferventem Prælatum à naufragio eripitur. 649

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
a verſ. 33. ad fin.

Quàm liberaliter animam pœnitentem virtutum floribus ac fructibus locupletat Deus.

Art. 1. Vitia inducunt terræ ſterilitatem, virtus fœcunditatem. 569

PSALMUS CENTESIMUS SEPTIMUS.

Canticum Pſalmi ipſi David.

PSALMUS CENTESIMUS OCTAVUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
a verſ. 2. ad 5.

Quanta Judæorum in Chriſtum flagitia.

Art. 1. Laus eſt pulcherrima merces virtutis. 671

Art. 2. Detractor & calumniator eſt alter Judas, Chriſtum in membris prodens & affligens. 675

Art. 3. Pro inimicis ſuis orat, & orari vult Chriſtus. 979

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
a verſ. 6. ad 20.

Quàm graves pœnæ, & quantâ juſtitiâ inflictæ ſunt à Deo Judæ proditori ac Judæis Chriſtum perſequentibus.

Art. 1. Diabolus ſtat à dextris Judæ & ſceleratorum illis dominans. 685

Art. 2. Oratio Judæ & impiorum, fit illis in peccatum, & quomodo. 686

Art. 3. Judæ vita brevis fuit & dignitas apoſtolatûs, ubi agitur de Epiſcopatûs ſplendore. 689

Art. 4. Judas & Judæi puniti ſunt in ſuis filiis. 694

Art. 5. Judas & Judæi maledictionem induerunt & imbiberunt. 699

Art. 6. In detractorem cadunt maledictiones Judæ. 703

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 21. ad fin.

Quàm debita Chriſto reſurrectio, & quâm ipſi glorioſa.

Art. 1. Homo in hac vita inſtar umbræ prætervolat, & inſtar locuſtæ nullibi ſtabilis perſeverat. 707

Art. 2. Jejunia & corporis macerationes ſunt arma Sanctorum. 710

Art. 3. Ignominia Sanctorum in gloriam mutatur Deo illis opem ferente, & hoſtes illorum præſertim detractores confundente. 716

PSALMUS CENTESIMUS NONUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
a verſ. 1. 2. 3. 4.

Quantâ gloriâ Chriſtus in cœlo coronatus.

Art. 1. Chriſtus omnium Dominus ſedet à dextris Patris æterni, & quomodo. 723

Art. 2. Sceptrum Regis Chriſti potens. 729

Art. 3. Majeſtas Chriſti & de toto orbe victoria. 733

Art. 4. Chriſtum in cœlo triumphantem omnes Sancti venerantur ut Regem, Pater æternus honorat & exorat ut filium unigenitum. 739

Art. 5. Chriſti Sacerdotis & Melchiſedech ſeptem parallela. 745

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
a verſ. 5. 6. 7.

Quàm perfectus Chriſti triumphus de hoſtibus.

Art. 1. Chriſtus Judex timendus eſt, & venerandus Regibus. 754

Art. 2. Chriſti & Sancti ejus de afflictionum torrente bibentes exaltantur à Deo. 759

PSALMUS CENTESIMUS DECIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
verſ. 1. 2.

Quanto ardore gratiæ agendæ ſint Deo propter opera ejus.

Art. 1. Laudandus eſt Deus ex toto corde, præſertim ob Euchariſtiam. 766

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 3. ad fin.

Quàm perfecta gratiarum actio reddenda Chriſto propter Euchariſtiam.

Art. 4. Euchariſtia eſt Dei magnificentia & juſtitia. 773

Art. 2. Euchariſtia eſt memoriale & ſumma omnium mirabilium veteris & novi teſtamenti. 775

Art. 3. Opus maximæ miſericordiæ Dei. 778

Art. 4. Cibus Deum timentium, & opus Dei efficaciſſimum. 780

Art. 5. Chriſtus in Euchariſtia eſt fidelis redemptor, ſanctus & terribilis. 786

Art. 6. Timor Dei initium ſapientiæ & perfectio, & ad Euchariſtiam accedenti neceſſarius. 790

Art. 7. Sapientia perfecta eſt, quæ opere implet, quod cognoſcit. 795

PSALMUS CENTESIMUS UNDECIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 4.

Quanta felicitas Deum timentis.

Art. 1. Timor Dei felicem facit hominem in ſe, & coram Deo. 801

Art. 2. Fructus timoris Dei eſt benedictio filiorum. 806

Art. 3. Gloriâ & divitiis terrenis & ſpiritualibus illuſtris eſt vir Deum timens. 811

Art. 4. Lumine divinarum conſolationum & virtutum illuſtratus Deum timens. 817

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 5. ad 8.

Quanta viri miſericordis felicitas.

Art. 1. Beatus eſt, qui magno affectu abundanter dat pauperibus. 821

Art. 2. Beatus eſt miſericors & liberalis in judicio divino & humano 825

Art. 3. Eleëmoſyna data prudenter, abundanter, alacriter in cœlis exaltatur & coronatur. 830

QUÆSTIO UNICA. S. 3.
à verſ. 9. ad fin.

Quàm gravis avarorum infernus.

Art. 1. Avaritia eſt infernus exectabilis etiam in terris, & poſt vitam infernus damnatorum horribilis. 839

PSALMUS CENTESIMUS DUODECIMUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.

Quantâ curâ & ardore laudandus Deus.

Art. 1. Laudandus Deus omni tempore, loco, præſertim à pueris. 846

Art. 2. Deus licèt excelſiſſimus reſpicit humiles, exaltat, fœcondat. 863

PSALMUS CENTESIMUS DECIMUS. TERTIUS.

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 1. ad 16.

Quàm ſingolare Dei beneficium eductio Iſraëlitarum ex Ægypto, & piorum è ſæculari captivitate.

Art. 1. E mundo velut ex Ægypto & populo barbaro exiens fit Iſraël, Jacob, Judas, ſanctificatio & poteſtas Dei. 879

Art. 2. Sex miracula fiunt in exitu de mundi Ægypto, & in religionis ingreſſo. 894

Art. 3. Omnium mirabilium, quæ in ſe & per ſe efficit Deus, nullam gloriam ſibi vendicant ſancti, ſed totam Deo tribuunt & nomini Jeſu. 906

Art. 4. Avarus religioſus & Prælatus malus ſunt idola aurea & argentea. 913

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 17. ad fin.

Quàm beneficus Deus erga timentes ſe & in ſe ſperantes.

Art. 1. Deus ſperantes in ſe juvat, protegit, benedicit. 921

Art. 2. Pii præſertim religioſi ſunt cœlum, in quo laudatur Deus. 927

PSALMUS CENTESIMUS DECIMUS QUARTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 6.

Quantâ charitate, patientiâ, humilitate, afflictiones ſunt tolerandæ.

Art. 1. Charitas in afflictione corporis & animæ plurimum juvat. 937

Art. 2. Oratio jungenda charitati. 944

Art. 3. Tribulatio eſt efficaciſſimum in tentationes remedium. 950

Art. 4. Oratio eſt maximum præſidium tentatis & tribulatis. 957

Art. 5. Deinde humilitas, præſertim parvulis & humilibus. 960

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 7. ad fin.

Quanto ardore ad cœlum aſpirandum.

Art. 1. In cœlo perfectiſſima quies erit, in terris inchoatam & ſuavem habet bona conſcientia. 969

Art. 2. Virtus eſt vitæ via, cœlum, patria & regio ſuaviſſima. 976

PSALMUS CENTESIMUS DECIMUS. QUINTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 5.

Quàm generoſa Martyrum fides & conſtantia.

Art. 1. Fides baſis omnium virtutum. 984

Art. 2. Heroicâ fortitudine Martyres fidem profeſſi. 986

Art. 3. Humilitas fidem, & fides humilitatem parit. 988

Art. 4. Contemplationis variæ ſpecies & nomina. 992

Art. 5. Contemplatio Dei & divinarum oſtendit res terrenas & ipſum hominem eſſe mendacia. 999

Art. 6. Gratitudo Sanctorum pro beneficiis, etiam calice Martyrii. 1005

Art. 7. Bona deſideria ſunt opere explenda, & vota Deo reddenda. 1010

Art. 8. Sanctorum mors pretioſa & glorioſa in conſpectu Dei, præſertim Martyrum. 1012

Art. 9. Idque ob efficaciam reliquiarum ipſorum. 1020

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 6. ad 8.

Quàm religioſum martyrium eſt ſtatus religioſus.

Art. 1. Religioſus ad ſerviendum Deo multis nominibus obligatur. 1025

Art. 2. Religioſus & Martyr triplici vinculo ſolutis vadunt in perfectionem libertatis filiorum Dei. 1031

Art. 3. Religioſus & Martyr offerunt Deo perfectum ſacrificium laudis. 1033

Art. 4. Religioſus & Martyr Deo vota ſua reddunt. 1037

PSALMUS CENTESIMUS DECIMUS SEXTUS.

ALLELUJA.

PSALMUS CENTESIMUS DECIMUS SEPTIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 14.

Quàm ſtudioſè laudandus Deus ob auxilium Chriſto datum in paſſione, & nobis in tribulatione.

Art. 1. Deus laudandus ob bonitatem & miſericordiam. 1050

Art. 2. In tribulatione Deus cor dilatat & charitatem. 1056

Art. 3. Non timet qui in Deo ſperat, ab hominibus. 1059

Art. 4. Mundus, caro, dæmon mentem triplici exercitu circumdant, ſed Dei nomine fugantur. 1066

Art. 5. In tentatione Deus juvat ante & poſt lapſum. 1072

QUÆSTIO UNICA.
à verſ. 15. ad fin.

Quàm glorioſa Chriſto, Eccleſiæ læta & utilis ſit ejus reſurrectio.

Art.

Art. 1. In die Paſchatis lætantur juſti. 1077
Art. 2. Chriſtus à mortuis reſurgens ſervis dat vitam immortalem. 1082
Art. 3. Deus reſurgentibus cũ Chriſto cælum aperit. 1088
Art. 4. Chriſtus à Judæis reprobatus in paſſione factus eſt totius Eccleſiæ lapis angularis in reſurrectione. 1094
Art. 5. Dies reſurrectionis Chriſti eſt dies exaltationis orbi Chriſtiano. 1097
Art. 6. Dies reſurrectionis Chriſti eſt dies ſalutis, proſperitatis, benedictionis & lucis. 1102
Art. 7. Eſt dies lucis. 1105
Art. 8. Dies fervoris & gratiarum actionis. 1109

TOMUS SEXTUS.

PSALMUS CENTESIMUS DECIMUS OCTAVUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.

à verſ. 4. ad 18.

Quanto ſtudio adoleſcens à Deo lumen petere debet, ut in via mandatorum dirigatur.

Art. 1. De literis Hebraicis, præſertim de Aleph & Pſalmis Alphabeticis. 17
Art. 2. Beati qui ſine macula ambulant in mandatis Dei. 19
Art. 3. Lex Dei ſcrutanda inſtar theſauri & gemmarum, & Deus ipſe legiſlator. 33
Art. 4. Lex Dei exactè ſervanda ob duodecim rationes. 43
Art. 5. Totis corporis & animi viribus lex Dei ſervanda. 58
Art. 6. In adoleſcentia mandatorum divinorum via ſequenda eſt. 64
Art. 7. Ne ab ea adoleſcens repellatur, Deus Doctor ſequendus, ac verba ejus in corde recondenda. 69
Art. 8. Etiam in labiis debent eſſe verba Dei. 76
Art. 9. Cum gaudio via mandatorum Dei currenda. 78
Art. 10. In via mandatorum Dei exercitatio neceſſaria. 82

QUÆSTIO UNICA. S. 2.

à verſ. 17. ad 32.

Quàm gravia incurrit damna, qui à via virtutis ad vitiorum deflectit.

Art. 1. Mors animæ & languor ſummè vitanda. 90
Art. 2. Cæcitas mentis depellenda, ad conſideranda legis mirabilia. 95
Art. 3. Peregrini dum ſumus in hac vita, adjutore egemus Deo. 101
Art. 4. Deſideranda eſt conſtanter omni vitæ tempore obſervatio mandatorum Dei. 104
Art. 5. Superbia periculoſa & noxia ambulanti in via mandatorum Dei. 108
Art. 6. Vitandus eſt contemptus ambulanti in via Dei & quomodo. 114
Art. 7. Animus facilè adhæret terrenis niſi ſedulò provideatur. 124
Art. 8. Somnus eſt maximè noxius viatori ad cælum. 128
Art. 9. Mendacium à via cæleſti avertit, veritas in cælum ducit. 132
Art. 10. In via mandatorum Dei currendum corde dilatato 136

QUÆSTIO UNICA. S. 3.

à verſ. 33. ad 48.

Quàm neceſſarius Dux in via mandatorum Dei ambulanti.

Art. 1. Lex à Deo ſolo quærenda & acceptanda. 144
Art. 2. Donum intellectus à Deo petendum, ut legem ejus ſcrutentur & cuſtodiant. 147
Art. 3. Dux nobis Deus neceſſarius eſt in via cæli, qui partim per ſolum, partim per Angelos & homines ducat. 151
Art. 4. Cor à divitiarum amore abſtractum, in Dei legem eſt inclinandum. 155
Art. 5. Oculi à terrena vanitate, ad legis divinæ & cæleſtis rerum veritatem revocandi ſunt. 163
Art. 6. Lingua in via cæli à mandacis omnibus cuſtodienda, & in amore veritatis diligenter conſervanda. 170
Art. 7. Libertas ſancta, in fidei & virtutis defenſione, coram ipſis regibus &c. ſervanda. 173

QUÆSTIO UNICA. S. 4.

à verſ. 49. ad 64.

Quanta vis ſpei & charitatis in via cæli.

Art. 1. Spes in via cæli juvat, pigros incitat, fatigatos recreat & conſolatur. 183
Art. 2. Zelus in via cæli animas ad Deum ducere nititur, quod opus eſt magnæ virtutis, & Deo gratiſſimum. 191
Art. 3. Charitas animam Deo unit, & virtutibus replet. 200
Art. 4. Ad charitatem divinam fovendam, amicitia impiorum cavenda, & nocturna oratio ad Deum ex corde fundenda. 208
Art. 5. Econtra amicitia piorum quærenda, & conſervanda. 213

QUÆSTIO UNICA. S. 5.

à verſ. 65. ad 80.

Quanta neceſſitas bonitatis Dei & fidei propriæ in via legis divinæ progrediendi.

Art. 1. Fides divinam bonitatem, diſciplinam & ſcientiam edocet, & quomodo. 224
Art. 2. Humiliatio & calamitas illuminat ſervos Dei. 230

QUÆSTIO UNICA. S. 6.

à verſ. 81. ad 96.

Quanta animæ calamitas, in deſolatione, ariditate & diſtractione inter orandum.

Art. 1. Deſolationem ſpiritualem tam peccatores quàm juſti in via cæli patiuntur. 238
Art. 2. Ariditas ibidem moleſtiſſima & pernicioſiſſima 241
Art. 3. Diſtractiones, inania fabulamenta menti orantis objiciuntur, earum cauſa & remedia. 245
Art. 4. Deo totam animam, corpus & bona omnia tam interna quàm externa conſecrare debemus. 250

QUÆSTIO UNICA. S. 7.

à verſ. 97. ad 112.

Quanta meditationis & prudentiæ utilitas.

Art. 1. Prudentiam ad hoſtes ſuperandos & virtutes acquirendas, Deus dat ſervis ſuis, etiam pueris. 255
Art. 2. Verba Dei melle ſuaviora, audienti & guſtanti. 267
Art. 3. Verba Dei in Scriptura ſunt lucerna Eccleſiæ & animæ ſanctæ. 271
Art. 4. Conſtantia humilis, & pervigil animæ curæ requiritur in ſervis Dei. 275

QUÆSTIO UNICA. S. 8.

à verſ. 113. ad 128.

Quanto ſtudio impiorum conſortium eſt vitandum.

Art. 1. Odio habendi ſcelerati & converſatio eorum fugienda. 287
Art. 2. Deus omnes religioſos præſertim ſibi ſe conſecrantes ſuſcipit, vivificat, gloria æterna condonat. 291
Art. 3. Scelerati inſtar vilis ſcoriæ abjiciendi. 299
Art. 4. Timore Dei caro noſtra crucifigenda. 304
Art. 5. Amore Dei & legis ejus contemnendæ mundi divitiæ. 308

QUÆSTIO UNICA. S. 9.

à verſ. 129. ad 144.

Quanto ſtudio ſtatim poſt peccatum miſericordia Dei poſtulanda.

Art. 1. Os noſtrum Deo aperiendum eſt deſideriis & orationibus; proximis verò prædicatione verbi Dei & collocutione ſpirituali. 317
Art. 2. Calumnia eſt furia in omnes volans; ſed tandem Deus juſtos ab ejus unguibus liberat. 323
Art. 3. Oculi corporis cuſtodes egent ſumma cuſtodia, ne hoſtibus in animam aditum aperiant. 329
Art. 4. Cor noſtrum zelo ſalutis proximorum inflammandum eſt. 336
Art. 5. Aures & mentem lex Dei ignea illuminat, accendit, ac purgat. 338

ORDO SECTIONIS. S. 10.
à verſ. 145. ad 160.

Art. 1. Oratio matutina Deo gratiſſima & oranti utiliſſima. 346

QUÆSTIO UNICA. S. 11.
à verſ. 161. ad fin.

Quanto gaudio & quiete juſti ad ſalutis portum perveniant.

Art. 1. Horæ Canonicæ ſepties in die recitandæ ſunt. 360
Art. 2. Pax optabiliſſima vitæ bonum, datum amantibus Deum & legem ejus. 365
Art. 3. Chriſtus paſtor oves ſuas errantes ad caulam reducit, ſi legem ſuam non obliviſcantur. 371

PSALMUS CENTESIMUS DECIMUS-NONUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.

Quàm periculoſum & juſto moleſtum hujus vitæ exilium.

Art. 1. Oratio eſt in tribulatione ferventior, & facilius exauditur. 383
Art. 2. Homine fraudulento & doloſo nil pernicioſius. 387
Art. 3. Vita hæc eſt peregrinatio moleſta juſtis & Sanctis. 394
Art. 4. In pace & mentis tranquillitate etiam cum inquietis & convivantibus agendum eſt. 399

PSALMUS CENTESIMUS VIGESIMUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.

Quantâ curâ ſperantem in ſe peregrinum juvat Deus in hujus vitæ via.

Art. 1. Oculi ad cœlos, Deum, Chriſtum, Deiparam & Sanctos elevandi. 405
Art. 2. A Deo ſolo creatore cœli &c. eſt auxilium nobis neceſſarium. 410
Art. 3. Deus eſt Sanctorum cuſtos pervigil. 413
Art. 4. Deus eſt cuſtos univerſalis, totum hominem ſervans omni tempore ab omni malo. 416

PSALMUS CENTESIMUS VIGESIMUS PRIMUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.

Quanto ardore & gaudio ad cœleſtem Jeruſalem aſpirandum.

Art. 1. Sancti in morte ad cœlum ſuſpirantes lætantur. 425
Art. 2. Ad cœlum erecto animo & conſtanti pergendum. 433
Art. 3. Jeruſalem cœleſtis eſt urbs perfectiſſima. 436
Art. 4. Et jucundiſſima, in perfectiſſima charitate, cum Deo omnibus civibus ſuis unita. 439
Art. 5. Et ampliſſima, ad quam omnes admittuntur. 443
Art. 6. Ejus cives ſunt Reges & judices. 448
Art. 7. Habet pacem perfectiſſimam & ſuaviſſimam. 452

PSALMUS CENTESIMUS VIGESIMUS SECUNDUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.

Quantâ fiduciâ & animi demiſſione oculi ad Deum in cœlis habitantem elevandi.

Art. 1. Ad cœlum oculi erigendi ſunt in afflictionibus præſertim. 459
Art. 2. Contemplandus eſt Deus in cœlis, id eſt, in Sanctis ſuis. 466
Art. 3. Oculos Dei Domini noſtri manibus ſemper fixos habere debemus, & ab illis ad nutum pendere. 470
Art. 4. Deus benignus oculis pios aſpicit, oculos verò ſuperborum dejicit. 474

PSALMUS CENTESIMUS VIGESIMUS TERTIUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.

Quam neceſſaria Dei gratia in tentationibus ſuperandis & virtutibus exercendis.

Art. 1. Deus in juſtis habitans, eos totaliter perficit, & ab hoſtibus, ut à feris, & tempeſtate protegit. 480
Art. 2. Deus ſervos ſuos à torrente calamitatis, hominum crudelitate, & inſidiis, ſumma bonitate & potentia eripit. 487
Art. 3. Gratia Dei toto vitæ tempore, & in omnibus actionibus neceſſaria eſt. 492

PSALMUS CENTESIMUS VIGESIMUS QUARTUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.

Quanta ſtabilitas felicitas in Deo ſperantis.

Art. 1. Sperans in Deo, ſimilis monti Sioni. 499
Art. 2. Et Jeroſolymæ, variis montibus & muris cinctæ. 504
Art. 3. Machinas bellicas evertit Deus, & exercitu eorum deleto pacem ſecuram dat populo ſuo. 509

PSALMUS CENTESIMUS VIGESIMUS QUINTUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.

Quanta lætitia captivorum poſt multas lacrymas & dolores liberatorum.

Art. 1. Peccatum eſt captivitas diabolica, Babylonica deterior. 521
Art. 2. Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent. 532

PSALMUS CENTESIMUS VIGESIMUS SEXTUS.

QUÆSTIO UNICA.
Per totum.

Quàm neceſſarium auxilium Dei in urbium ædificatione & cuſtodiâ.

Art. 1. Sine Dei auxilio ſpeciali nemo poteſt domum ſibi ſtabilem ædificare. 545
Art. 2. Neque civitatem ullam cuſtodire. 551
Art. 3. Luce, quiete, & ſomno indigemus ut alacriter & conſtanter laboremus. 556
Art. 4. Filios dat Deus in mercedem pietatis & virtutis. 560

PSALMUS CENTESIMUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.

Quænam beatam familiam efficiunt.

Art. 1. Timor Dei fecilem facit. 568
Art. 2. Dein labor timori Dei junctus. 572
Art. 3. Uxor bona ſimilis fœcundæ viti. 577
Art. 4. Filii juſtorum ſimiles ſunt oleis fructiferis & ſemper virentibus. 585

PSALMUS CENTESIMUS VIGESIMUS OCTAVUS.

QUÆSTIO UNICA.
Per totum.

Quantâ benevolentiâ impugnatos ſervos ſuos tuetur Deus.

Art. 1. Patitur Deus ſervos ſuos impugnari, non expugnari. 597
Art. 2. Flagella ſibi ab impiis inflicta Sancti patienter tolerant, & præterea voluntaria ſibi ipſis infligunt. 605

Art.

Art. 3. Superbos Deus dejicit inſtar fœni in tecto creſcentis. 611

PSALMUS CENTESIMUS VIGESIMUS NONUS.

QUÆSTIO UNICA.

In totum.

Quanto ardore & ſpe clamandum ad Deum in gravi calamitate.

Art. 1. Peccator cadit in profundum, inde clamat ad Deum, ut extrahatur. 621

Art. 2. Peccator timeat in profundo peccati oculos & manus Dei. 626

Art. 3. In miſericordia Dei tota vita ſperandum eſt. 628

PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS.

QUÆSTIO UNICA.

In totum.

Quanta humilitatis bona, & ſuperbiæ mala.

Art. 1. Inanis gloria, arrogantia, ambitio, præſumptio, & ſimiles ſuperbiæ peſtes diligenter fugiendæ. 635

Art. 2. Conſolationis divinæ lacte & deliciarum ſuarum ſuavitate privantur ſuperbi. 646

PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS PRIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.

à verſ. 1. ad 9.

Quanta Regum manſuetudo, pietas, ac ſacerdotum ſanctitas eſſe debet.

Art. 1. Chriſtiani reges, præſertim imitentur Chriſti & Davidis manſuetudinem. 657

Art. 2. Templorum ædificandorum cura habenda. 667

Art. 3. An arca fuerit in templo Zorobabelis. 673

Art. 4. Deipara & anima juſti eſt arca teſtamenti, in qua Chriſtus requieſcit ac Deus, & fundit oracula. 677

Art. 5. Sacerdotes omni virtutis genere floreant. 685

Art. 6. A ſanctitate & pietate oritur lætitia & gloria 698

QUÆSTIO UNICA. S. 2.

à verſ. 10. ad fin.

Quàm ſtudioſè ſervos ſuos tuetur & benedicit Deus.

Art. 1. Deus ſervos ſuos juvat ob ſanctorum merita & preces, ac piis regibus dat diuturnam poſteritatem. 706

Art. 2. Legem ſuam ſervantes, maximè viduas & pauperes amat & cuſtodit Deus, eiſque neceſſaria dat. 712

Art. 3. Sacerdotes manſuetudinem Chriſti imitentur. 720

Art. 4. Reges juſtos Deus coronat gloria. 723

PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS SECUNDUS.

QUÆSTIO UNICA.

In totum.

Quàm magna bona oriuntur ex fraterna concordia.

Art. 1. Illa Deo eſt gratiſſima. 735

Art. 2. Inducit in animam omnes virtutes. 745

Art. 3. Eâ nihil eſt jucundius. 748

Art. 4. Eſt unguentum ſanctam Eccleſiam & animas juſtorum fovens & recreans. 753

Art. 5. Eſt ros ſuaviſſimus & utiliſſimus. 760

Art. 6. Dat benedictionem & vitam æternam. 766

PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS TERTIUS.

QUÆSTIO UNICA.

In totum.

Quàm grata Deo muſica ad ipſum laudandum & quæ ad illam neceſſaria.

Art. 1. Virtutum harmonia Deo gratiſſima. 773

Art. 2. Standum eſt in domo Domini per varias virtutes & præſertim per perſeverantiam. 785

Art. 3. Attollenda ad Deum manus in orationibus præſertim nocte. 789

PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS QUARTUS.

QUÆSTIO UNICA.

In totum.

Quantâ pietate & affectu Jeſum, & nomen Jeſu laudare nos convenit.

Art. 1. Cùm ſimus ſervi Jeſu, nomen ejus ſuaviſſimè laudare debemus. 800

Art. 2. Jeſus eſt bonus Dominus, quia benignus eſt & illuſtris, potens, &c. 806

Art. 3. Jeſus nubes, fulgetras, pluvias, & cœleſtes ventos per orbem immittit. 815

Art. 4. Jeſus vitia, & vitioſos proſternit. 820

Art. 5. Jeſus laudandus propter collata in nos beneficia, 830

PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS QUINTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.

à verſ. 1. ad 9.

Quàm mira Dei bonitas tum in ſe, tum in creaturis.

Art. 1. Deus ob infinitam bonitatem, & miſericordiam laudandus. 839

Art. 2. Deo creatori & ſanctific. confitendum eſt. 851

Art. 3. Et ob creationem & conſervationem Solis, lunæ, &c. 855

QUÆSTIO UNICA. S. 2.

à verſ. 10. ad finem.

Quanta Dei benignitas erga animam à poteſtate dæmonis liberatam.

Art. 1. Juſtitiæ Dei ſceleratos puniendi ſemper miſcetur miſericordia. 863

Art. 2. Afflictos ſpecialiter juvat Deus, & coronâ micantiore exornat. 877

Art. 3. Humilium memor eſt Deus, eos à malis liberat, & bonis cumulat. 880

PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS SEXTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.

à verſ. 1. ad 6.

Quanta occaſio lachrymarum in hujus vitæ exilio.

Art. 1. In mundo ſunt exitiales fluvii ambitionis, avaritiæ, luxuriæ. 895

Art. 2. Super flumina Babylonis ſedendum, & flendum. 899

Art. 3. In ſola paradiſi memoria lætandum eſt, rejectis vanis mundi gaudiis. 905

QUÆSTIO UNICA. S. 2.

à verſ. 7. ad finem.

Quanta punitio impiorum juſtos affligentium.

Art. 1. Idumæorum, & Babyloniorum punitio ob everſam Jeruſalem. 913

PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS SEPTIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.

à verſ. 1. ad 4.

Quàm ſtudioſè laudandus Deus ſpectantibus nos Angelis in oratione.

Art. 1. Ex toto corde liberatori & amatori noſtro Jeſu ſerviendum cum gratiarum actione. 921

Art. 2. Orantes cogitent ſe eſſe in conſpectu Angelorum, & ab iis illuminari, & variè juvari. 926

QUÆSTIO UNICA. S. 2.

à verſ. 5. ad fin.

Quàm magna commoda juſtis proveniunt ex humilitate & afflictione.

Art. 1. Rex eſt, quicunque Deo ſervit. 933

Art. 2. Humiles benevolis oculis aſpicit Deus, ſuperbos reſpuit & dejicit. 937

Art. 3.

Art. 3. In medio tribulationis ſervos ſuos vivificat & ſervat Deus. 940

PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS OCTAVUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 12.

Quàm perfecta Dei providentia erga ſervos ſuos, & quàm admirabilis immenſitas ejus ubique illos juvantis.

Art. 1. Deus amicos ſuos afflictionibus probat ut filios. 951
Art. 2. Poſt afflictionem eos conſolatur. 956
Art. 3. Deus cognoſcit omnes cogitationes & actiones hominum. 959
Art. 4. Deum ubique præſentem conſiderans, peccata fugit, & virtutem ardenter ſequitur. 962

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 13. ad finem.

Quantâ miſericordiâ Deus ſervos ſuos juvat & honorat.

Art. 1. Servos ſuos licèt imperfectos juvat Deus, & ad virtutem format. 969
Art. 2. Deus Sanctos ſuos gloriâ & honore etiam in terris coronat. 972
Art. 3. Odio habendus impius & impietas ejus. 982

PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS NONUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 9.

Quàm exitiales & execrandi ſint fraudulenti.

Art. 1. Fraudulentus eſt monſtrum teterrimum & ſæviſſimum. 991
Art. 2. In Deum ſperandi, & deſideria mundana abjicienda varia motiva. 996

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 10. ad fin.

Quàm certa & ſevera ſceleratorum, præſertim loquacium punitio.

Art. 1. Scelerati ac præcipuè mendaces & calumniatores ſuis artibus capiuntur, & in laboribus multis vivunt. 1001
Art. 2. Linguoſus eſt fons ſcelerum & calamit. 1008
Art. 3. Juſtus Deum laudat, & cum illo ſemper manet. 1012

PSALMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 6.

Grata Deo oratio juſtorum, & ipſis utilis.

Art. 1. Oratio eſt thus & thimiama Deo gratiſſ. 1019
Art. 2. In orationis ſacrificio manus ad cœlum elevandæ. 1030
Art. 3. Silentium neceſſarium eſt, præſertim tempore orationis, & acceptæ contumeliæ & injuriæ. 1034
Art. 4. Vitandæ ſunt excuſationes & deliciæ peccatorum. 1040
Art. 5. Correctio fraterna cum charitate facienda, & cum gratiarum actione ſuſcipienda. 1043
Art. 6. Adulator oleo magico ſe & alios in varias beſtias transformat. 1049

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 7. ad fin.

Quàm certa clades ſceleratorum.

Art. 1. Peccatum omne præcipitium eſt, peccator in eo abſorbetur, & conteritur. 1052
Art. 2. Virtutes 6. neceſſariæ ad animæ cuſtodiam. 1057

PSALMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS PRIMUS.

In totum.

Quantopere Sancti deſiderârunt egredi è carcere corporis.

Art. 1. Cor in oratione coram Deo effundendum eſt. 1065
Art. 2. In tribulatione orandum eſt, præſertim deficiente ſpiritu noſtro. 1071
Art. 3. Viam cœli in comitatu virtutum decurrere jucundiſſimum eſt. 1074
Art. 4. In ipſa ſingularum virtutum via laqueos ponunt hoſtes, ſed ab illis ſpes erigit. 1079
Art. 5. E mundi corporiſque carcere Sancti evolare deſiderant. 1081

PSALMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS SECUNDUS.
à verſ. 1. ad 8.

Quantus tremor Sanctorum in meditatione judiciorum Dei.

Art. 1. Si Deus in rigore judicium contra nos exerceat, nemo coram eo purus & innocens erit. 1091
Art. 2. Dæmon peccatores excæcat, & conturbat in vita, ut in extremo judicio ſe penitùs perdat. 1096
Art. 3. Memoria judiciorum Dei neceſſaria eſt, & gratia Dei poſtulanda. 1098

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 9. ad fin.

Quàm utilis conformitas cum Dei voluntate.

Art. 1. In via Dei cognita ferventer ambulandum, & conformiter ejus voluntati. 1103
Art. 2. Spiritus ſanctus dux eſt in via cœli ambulantium. 1107
Art. 3. Servitutis divinæ utilitas, ſuavitas, nobilitas. 1110

PSALMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS TERTIUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 9.

Quantâ curâ bellum ſpirituale nobis gerendum.

Art. 1. Deo duce in hac vitæ militia fortiter dimicandum. 1117
Art. 2. Milites ſuos Deus juvat ac protegit. 1125
Art. 3. In bello tenebricoſo milites illuminat Christus, ac vanitatem hominis & humanarum rerum oſtendit. 1132
Art. 4. Vita hominis inſtar umbræ tam citò evaneſcit. 1136
Art. 5. Deus per incarnationem & gratias juvat plos, impios atterit fulminibus & variis pœnis. 1140

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 10. ad fin.

Quàm vana, inanis, fluxa felicitas hominum terrenorum.

Art. 1. In multitudine & ornatu filiorum non eſt ſita felicitas. 1146
Art. 2. Puellarum verus ornatus non ſunt aurum, argentum, gemmæ; ſed modeſtia & virtutes. 1149
Art. 3. Non in divitiis, & aliis bonis terreniis, ſed in Deo. 1156

PSALMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS QUINTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 9.

Quanto ſtudio & aſſiduitate laudandus Chriſtus.

Art. 1.

Art. 1. Chriſtus eſt Deus & Rex noſter, exaltandus corde, ore, opere. 1167
Art. 2. Chriſti Dei & Regis attributa omnia ſummis laudibus extollenda. 1170
Art. 3. Chriſti miſericordia patientia, manſuetodo imitandæ. 1174

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 10. ad fin.

Quàm excellentes Chriſti Regis virtutes.

Art. 1. Chriſtus eſt Rex æternus, verax, ſanctus. 1180
Art. 2. Chriſtus Rex animas ſervorum ſuorum & corpora ſuſtentat & fovet. 1183
Art. 3. Chriſtus eſt Rex juſtitiæ, miſericordiæ, pietatis. 1187

PSALMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS QUINTUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.

Quo ardore laudandus, quantâque ſpe Chriſtus invocandus.

Art. 1. Chriſtus animâ laudados eſt. 1194
Art. 2. Nec io Priocipibus, nec in ullis hominibus ſpes ponenda eſt. 1196
Art. 3. Mors omnibus communis admonet ſpes noſtras in nullo homine ponendas. 1200
Art. 4. Rationes decem cur in Deo ſperans ſit beatus. 1204

PSALMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS SEXTUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 6.

Quantâ laude dignus eſt Chriſtus ob Eccleſiæ conſtitutionem & ornatum.

Art. 1. Utilis, jucunda, decora pſalmodia. 1212
Art. 2. Laudandus Chriſtus, quòd omnes populos in unam Eccleſiam congreget. 1216
Art. 3. Et quòd Eccleſia cives ſuos imperfectos ſanet, perfectos magis illuſtret. 1218

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 7. ad fin.

Quantâ curâ Chriſtus Eccleſiæ ſuæ providet.

Art. 1. Magna cura ei neceſſaria providet. 1223

PSALMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS SEPTIMUS.

QUÆSTIO UNICA.
Per totum.

Quàm felix & ſecura Dei Eccleſia in proſperis & adverſis.

Art. 1 Laudandus eſt Chriſtus, quòd Eccleſiam ſuam bonis cumulet. 1229
Art. 2. Et quòd pacem in ea conſtituat. 1232
Art. 3. Quòd verbo ſuo tribulationes ſervorum vertat in conſolationem. 1235

PSALMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS OCTAVUS.

QUÆSTIO UNICA. S. 1.
à verſ. 1. ad 6.

Quanto ardore Angeli, &c. Deum laudant.

Art. 1. Deus es creaturis cognoſci & laudari debet. 1242
Art. 2. Angeli & Angelici Deum laudant. 1247
Art. 3. Sol, luna, ſtellæ, Deum laudant. 1249
Art. 4. Et cœli, & aquæ cœleſtes. 1252

QUÆSTIO UNICA. S. 2.
à verſ. 7. ad fin.

Quanto ſtudio creaturæ ſublunares Deum laudant, *per quatuor articulos oſtenditur.* 1255

PSALMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS NONUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.

Quanta Sanctorum lætitia, benignitas, & ſeveritas.

Art. 1. Canticum novum cantandum Deo. 1270
Art. 2. Laudandus quòd manſuetos exaltet. 1274
Art. 3. Sancti Deum in cœlo laudant voce corporea. 1280
Art. 4. Injurias Deo factas ulciſcentur. 1283

PSALMUS CENTESIMUS QUINQUAGESIMUS.

QUÆSTIO UNICA.
In totum.

An inſtrumenta muſica adhibenda in Dei laudibus celebrandis.

Art. 1. Dicit ita. 1288
Art. 2. Etiam in mediis tribulationibus. 1293
Art. 3. Omnes & toti Deum laudare debemus. 1294

Finis Indicis Quæſtionum.

Index Con-

INDEX CONCIONATORIUS

TOMI PRIMI.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Cùm prodierit jam ex ſe fructum, ſcitote quia prope eſt æſtas. Luc. 21.

OMnis homo eſt arbor, & cur? 3a. ut ſciatur quum prope ſit æſtas gloriæ, oportet attendere, an producant fructus, quos ferre debent, 70. rationalem & gratiæ proportionatum, 74 fructum ſuum fert naturæ ſuæ conformem, 73. tempore ſuo, tota vita, 77. 78. 79. 80. fructus bonos producit vir juſtus, 70. tres ſpeciales S. Benedictus, 74.

Dominica II. Adventûs.

Qui præparabit viam tuam ante te. Matth. 11.

Quoniam omnis caro corruperat viam ſuam, adeò quidem ut omnes à ſemita juſtitiæ declinaverint, nec eſſet qui faceret bonum, non eſſet uſque ad unum. Opus ſanè erat, præmitti virum, qui viam venturo in carne Salvatori præpararet, quod fecit S. Joannes Baptiſta. Duæ jam ſunt viæ, juſtorum & peccatorum, c. 10. perit quomodo, 126. eſt tortuoſa, aſpera, tenebroſa, lutulenta, lubrica, periculoſa, 127. ſeq. implicata ad mortem, 129. via juſtorum, 122. eam novit Deus. & quomodo, *ibid.* placet Deo, 123. eſt recta, plana, munda, lucida, delectabilis, ſecura, expedita, 124. 125. 126. Viam noſtram dirigit Deus luce ſua, 488. complanat, 489. in ea ducit, 485. via vitæ per Chriſtum innoteſcit, 1130.

Dominica III. & IV. Adventûs.

Parate viam Domini. Jo. 1.

Viam Domini parare debemus per pœnitentiam, quæ omni tempore agenda, 563. ad eam quæ neceſſaria, 576, habet magnam vim, 563. dat ſecuritatem, 570. aquam victimis infundit, 407. eſt ſacrificium in monte Carm. *ibid.* & lab. æneum animam purgans, 889.

Dominica infra Octav. Nativ.

Erant mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo. Luc. 2.

Poterit textui citato congruenter agi de detractione, quam impedit cognitio ſui, 1020. n. 45. adeo quis miretur hæc & talia de aliis dici. Cùm alibi dictum ſit de detractione, agetur hic de cognitione ſui occaſione jam nobilis effectus, eſt ergo 2. greſſus humilitatis, 1052. hæc baſis ſanctitatis, 608. eſt via vitæ, 1050. plana hic circumquaque.

Dominica infra Octav Epiph.

Erat ſubditus illis. Luc. 2.

Cùm Chriſtus Dominus omnem ſuam actionem voluerit eſſe noſtram inſtructionem, ex divina certè diſpoſitione voluit incipere actiones ſuas ab obedientia, ut hac oſtenderet ſe eſſe verum filium David, & ex ſancta Judaica ſtirpe progenitum, in qua ſicut in cæteris, ita in exequenda divina voluntate promptiſſimi fuerunt David & Judas Machabæus, 1056. n. 21. David ab Abſalone filio, &c. ad n. 22. quod cum delectatione feciſſe ſe teſtatur, cùm obedientiam cibum ſuum vocat, & hodie de eo obedientia ejus prædicetur adhuc in ineunte ætate, erat ſubditus illis, noſtra hæc eſt inſtructio, voluntatem ergo Dei tanquam ſidus ad portum ducens jugiter aſpiciamus, 1056. n. 22. & obedienter eam exequamur ob octo rationes, exemplo tot Sanctorum, 1056. ad 1062. & ſeq. obedientia inter cæteras virgines animam offert in ſacrificio, eſt inauris data Jobo ab amicis, 406. & ſeq.

Dominica I. poſt Epiph.

Quodcunque dixerit vobis, facite. Jo. 8.

Quod Chriſtus priori Dominicâ exemplo docuit, id hodie mater ejus jubet, in unum conſpirant mater & filius, nempe in voluntatis divinæ executionem, quæ ſanctos efficit ob 9. rationes, 1056. 1057. 1058. reddit hæc obedientia tutos & ſecuros, 30. (*ſi de vino velis*) vinea florens eſt anima ſancta, 555. vinum Deus mirabiliter providit S. Bonifacio, 426. vinum voluptatis brevi ebibitur, 374. & voluptuoſos Deus conterit, 258. vinum luxuriæ cor gravat, eſt iniquitas calcanei, 370. omnia imperia & regna evertit, 298. 299. 300. quomodo ſit in calcaneo, 370. luxurioſi ſunt ſepulchrum fœtens, 491. 492.

Dominica II. poſt Epiph.

Domine puer meus jacet in domo paralyticus. Matth. 8.

Oratio in afflictione opem impetrat, 359. 360. petita impetrat, 316. 317. expertus etiam eſt hodiernus Centurio Chriſtum pro ſanitate pueri ſui rogans; mentem prætere a dilatat, 361. eſt fons lætitiæ, 1109. fons mirabilis in Umbria, 68. fons linus abortum impedit. 85. mirabilior & ſalubrior fons eſt oratio, non ergo mirum SS. adeo frequentes in ea fuiſſe, 45. 46.

Dominica III. poſt Epiph.

Quid timidi eſtis modicæ fidei? Matth. 8.

Deus dat ſalutem Regibus, 336. in Deum ſcilicet ſperantibus & confidentibus, ſed ne forſan ſermo in dubium & deſperationem ducat de ſalute, quòd Deus eam det Regibus, ſcire oportet, quòd Regem non faciant opes, nec veſtis tyriæ color; Rex eſt, qui ſeipſum regit, quicunque tales ſunt, hos undique Deus circumdat, eſt à dextra gladius, à ſiniſtra ſcutum, ante oculos lux, à tergo pædagogus, in circuitu turris, intra ipſos velut anima, ſupra ipſos umbella, infra ipſos baſis, à 1098. ad 1101. ſi exſurgat ergo tempeſtas quædam, quæ omnia ſurſque deque ferre videatur, quid timidi eſſetis ita protecti? Deus eſt clypeus juſtorum, 629. utilis, &c. 516. 517. 518.

Ipſe verò dormiebat.

Somnus eſt ſymbolum pacis, 432. in ſomnis Deum & Angelos videt Jacob, 433. ſomnus eſt animæ contemplatio, 320.

Imperavit ventis.

Venti quatuor impios dejiciunt, carnis cupiditas ab occidente, mundus à meridie, dæmon à ſeptentrione, Deus ab oriente, 111. 112.

Dominica IV. poſt Epiph.

Qui ſeminat bonum ſemen in agro ſuo. Matth. 13.

Per ſemen, quod quis debet ſeminare in agro ſuo, (corde ſcilicet & anima) non incongruè poſſunt intelligi virtutes, quæ ſunt quies animæ, 1114. via vitæ, 1126. ſacrificium juſtitiæ, 403. 1006. fructus ſolis & lunæ, 71 ex omnibus pietas, quam Reges debent ſeminare in agro

&

& ſuorum, & ſubditorum cordibus, maximè enim Reges decet, 275. eſt regnum & regnorum fundamentum, 274. pietas erga patrem dat regnum Eumelo, 644. dein Timor Domini, quia neceſſarius regibus, 257. dat lætitiam, 261. 266. eſt fons ſapientiæ, 263. 264.

Dominica V. poſt Epiph.

Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, &c. Matth. 13.

In exordio poteſt totus textus Evangelii (de grano) cruci applicari, & dein in confirmatione dici qualis arbor facta poſtquam crevit. Arbor ſcilicet in qua Chriſtus toti orbi dominatur, 780. & ab omnibus Rex colitur, 781. arbor cujus fructus parit lætitiam, 423. amara facit dulcia, 363. lapis in Scoria mirabilis, *ibid.* Arbor quæ creſcit in lumen Chriſti, 420. thronum & ferculum, Salomonis ſceptrum & corona, 777. 778. 780. torcular, 667. alia elogia, 168. arbor amanda, 769. ad quam confugiendum cum reſignatione, 770. in qua gloriandum, 171. quod faciunt ordines Meliteñſes eam ferendo, 170. 171. ejus amatrix S. Lydvvina, 769. B. Coleta, 767.

Dominica Septuageſimæ.

Quid hic ſtatis tota die otioſi. Matth. 20.

Si ullibi otium vitandum eſt, vitandum certè eſt in via ſeu in vinea Domini, ſive in via cœleſti ob tres rationes, 1065.

Qui exiit primo mane. Matth. 20.

Etſi per totum diem ad modum Evangelii patrisfamilias eundum ad conducendos ſpirituales operarios (ſenſus internos & externos) in vineam ad operandam ſalutem per orationem vocalem, de qua 314. & 315. diligenter tamen videndum, ut fiat hoc primo mane, ob ſex rationes, 453. & 455. manè adſtandum Deo ut amico & judici, 450. & 451. Regi, *ibid.* id *faciebat Carolus V.* Imperator, 455. & 456. primi Chriſtiani, *ibid.* Reges Ægypti, 275. ad hoc incitamur galli cantu, 456. ſtellarum luce, fulgore ſolis, *ibid.* & diligenter cavendum, ſeu attendendum, ne irrepat ſerpens vectis & tortuoſus dæmon, 882. reſiſtendum illi ut crudeli, 598. leoni ſævienti, 584. irruit in juſtos, ſed Deus eos protegit, *ibid.*

Dominica Sexageſimæ.

Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen. Luc. 8.

1. Seminatores ſunt parentes, qui in filios debent ſeminare ſemen bonæ diſciplinæ, & non nimium iis indulgere, aliàs infeliciter metunt, exemplo David, 293. 295.

2. *Quod autem in bonam terram, hi ſunt, &c. fructum afferunt in patientia.*

Per bonum ſemen, quod in bonam terram cadit, & fructum affert in patientia, benè intelligi poteſt id Regii Prophetæ Pſ. 2. ℣. 12. *Apprehendite diſciplinam, ne quando, &c.* poſt explicatum ſenſum, 267. in confirmatione oſtendi poteſt, quot modis hæc diſciplina ſit apprehendenda, 268. 269.

Dominica Quinquageſimæ.

Cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans. Luc. 18.

Cæcus eſt peccator præſertim obſtinatus, ſecus, & non in via ſalutis vel mandatorum Dei, & mendicat, quia non eſt dives meritorum. Pro hac materia ſervient pro exordio, n. 79. c, 572. 573. n. 80. & 81. excæcatus ergo vanitate (peccato) 374. gravi onere animæ (peccato) 650. captivitate, 981. longo morbo animæ & toto corpore, 537. ad 524. & 1064. ita cæcus ſedet dicto onere peccati, & jugo ferreo, 162. preſſus in fovea profunda & fœtenti, 656. imò in inferno, ubi ignis, catenæ, dæmon, carcer, vermis, tenebræ, ſerpentes, blaſphemiæ, 557. ad 562. ſedet juxta portas mortis. 819. non ergo in via ſalutis, ut à qua aberrans inutilis à Deo rejectus, 970. dum peccando faciem ſuam à Deo avertit, 970. quam viſum ut denuò ingrediatur, & à Deo recipiatur, iterum videat & prioribus meritorum diviitiis ditetur, oportet. ut mendicans roget & inclamet tranſeuntem Jeſum, *Jeſu Fili David miſerere mei.*

Dominica I. Quadrageſimæ.

Dominum Deum tuum adorabis. Matth. 4.

Adorandus Deus adoratione externâ & internâ, hæc ab illa adjuvatur, docetur à ſenioribus in templo cœleſti, 477. humilitas ſenioris, & pietas junioris Theodoſii, 478. adorandus cum timore, motiva timoris, *ibid.* 479. & in templo, quod religioſè adeundum, quia ſanctum eſt & domus Dei, 479. 480.

Hæc omnia tibi dabo. Matth. 4.

Munera totum hominem corrumpunt, 1039. ad 1041.

Dominica II. Quadrageſimæ.

Domine adjuva me. Matth. 15.

Cùm S. Julianus oratione ſuâ, &c. 237. mirum non eſt, quòd hæc mulier ferventi & perſeveranti oratione petitâ impetrârit, ut & nos impetremus, oratio debet habere conditiones requiſitas, 348. 352. 353. & proprietates, 444. 445. alia conditio, 316. n. 38.

Dominica III. Quadrageſimæ.

In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Luc. 11.

Nunquam David melius quid (quamvis omnia benè) de Chriſto prophetizavit, quàm cùm dixit Pſalmo octavo: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum & ultorem, ut cætera taceam, hi lactentes & infantes ſunt Apoſtoli & primi Chriſti diſcipuli, 684. numero vigeſimo ſeptimo, per quos hodie manifeſtiſſimè deſtruit inimicos & ultores Judæos calumniantes eum per Beelzebub, &c. hoc enim iis calumnioſè dicentibus, reſpondebat, filii veſtri in quo ejiciunt? ideo ipſi Judices veſtri erunt, quaſi diceret; mihi hoc crimen imponitis infenſiſſimi hoſtes & inimici, hos verò ut deſtruam non utar magno labore; ſed adhibebo infantes & lactentes parvulos, filios veſtros, quos aſſumpſi Apoſtolos & diſcipulos, hi etiam dæmonia ejicient, num in digito diaboli? certè non, neque ego id facio, ſed in digito Dei, hinc pervenit ad vos regnum Dei; ſed vos contra me eſtis, non colligitis mecum, adeóque diſpergam vos per parvulos, infirma mundi elegi, ut fortia quæque confundam, &c. Chriſtus per infantes ſeu parvulos deſtruit dæmonem, tyrannos, calumniatores, 686. 687. & Eccleſiam docet, *ibidem* applicari poteſt, quòd Deus in bello ſpirituali innumeros hoſtes vincat, 322. 323.

Dominica IV. Quadrageſimæ.

Cùm ſublevaſſet oculos. Jo. 6.

Oculi Dei ſunt providentia & miſericordia, 831. lucidiores ſole, 173. cùm Chriſtus hos ſublevâſſet in turbam magnam, repentè erat ſollicitus, ut reficerentur pane ad depellendam famem, multò magis ſollicitus, ut ſatiamur gratiâ ſuâ, quæ neceſſaria eſt, 85. ne fame moriamur quoad animam, 953. & reddamur fortes ad rumpendum jugum peccati, 164. numero quadrageſimo primo, creſcamus in bonis operibus, 75. 311. piè vivamus inter impios, 911.

Dominica V. Quadrageſimæ.

Ero ſimilis vobis mendax. Joannis 8.

Mendacinm nunquam eſt licitum, 467. contra Platonem, 469. eſt à diabolo, & alter diabolus: ſtudiosè vitandum, 467. 468. mendaces puniti apud Perſas, &c. 1031. 1032.

Dominica Palmarum.

Invenietis aſinam alligatam, &c. *ſolvite,* &c.

1. Per aſinum alligatum intelligitur Synagoga, alligata graviſſimo jugo legis Moſaicæ, per pullum aſinæ Gentilitas petulans & libera ſine lege; poſſunt accommodari ad Concionem omnia, quæ ſunt à 153. ad 156.

2 Solvite (peccatorem) ligatum in ore, naribus, 161. manibus, pedibus, oculis, auribus, collo, 162. dejicite opus ferreum peccati, 162. & adducite mihi, per quod oſtenditur requiri ad libertatem peccatoris bonam voluntatem, & deſiderium, & laborem ad vincula illa ſolvenda. adò, gratiam, quam offert, 164. ſolvi poſſunt jugo etiam diu alligati, 164. & 165. ſoluti virtutes ſequantur, & ad Deum volabunt, ſed videant, ne denuò implicentur, 166. quod ne fiat, ligentur vinculis Chriſti, de quibus 166. ad 172.

Feria VI. Paraſceve.

Exite filiæ Sion, & videte Regem veſtrum in diademate.

Exordium fieri poteſt ex 89. & 733. ejus variæ coronæ à n. 105. ad 108. Videte Regem: ut Deus, Rex ab æterno, 192. n. 80. ut homo, ab ipſa conceptione, 192. in nativitate, 193. vita, 194. exite filiæ Sion, videte Regem veſtrum in diademate humanitatis, 733. exierunt omnes à majore uſque ad minorem, Sacerdos cum Levita, & Regem hunc cum plauſu introduxerunt. O ſanna, &c. benedictus, &c. ſed ô lamentabilem cataſtropheo, ô tragœdiam ſanguine plenam! ubi hodie illud O ſanna? ubi illud Benedictus? &c. Chriſtum invadunt impii, 134. Chriſtus ligatur, & ligat, qualia ſint ejus vincula, vide à 166. ad 169. in maxilla percutitur, 327. coronatur ſpinis, 734. probat ſe Regem, 194. olim Reges creati ſtatim in clypeo elevabantur, 522. ſic Chriſtus clypeo crucis facit miracula, 765. ejus hoſtes & auxilium, 294. gentes & principes in eum inſurgunt, 135. minoratus ab Angelis, 728. n. 98. myſterium paſſionis eſt occultum, 754 in ea tribulatione eſt dilatatus, 358. n. 25. memoria Chriſti paſſionis cor ſignandum, 761. in plurium cordium ſtigmata, *ibid.* in eo crucifixo lætandum.

Dominica Reſurrectionis.

Surrexit. Marc. 16.

Chriſti reſurrectio nova ejus generatio, 210. n. 112. ad 117. reſurrexit victor mortis. 604. 213. ante num. 116. Si Samſon & cæteri pauci victoriam reportârunt à multis 322. quidni Chriſtus mortem viceris, vinculs ruperit, 153. ſi victores hoſtium colla calcabant, 597. quidni Chriſtus contrivisſet capita hoſtium, utpote in reſurrectione Rex, 196. hoſtem viceris, rebellionem impedivit, arma eripiendo, civitates evertendo, memoriam delendo. regnum ſtabiliendo? 789. ad 794. ab hac columna ad 800. deſcribuntur impii civitatis diaboli. Chriſtus in paſſione dormivit, excitatur in reſurrectione, 319. n. 42 exordium poteſt formari ex præcedentibus numeris, 40. 41. poſt hunc ſomnum reſurgit excitatus ut Jonas, 211. vermis, 212. phœnix, 213. ſol. *ibid.* ut Dominus ſervos vivificans, 1126. 1229. & à vinculis liberans, 153. 154. ejus reſurrectio eſt via vitæ, 1128. ob quinque rationes neceſſaria, 1128. 1129.

Dominica in Albis.

Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Jo. 20.

Quemadmodum Pater meus cœleſtis miſit me in mundum, ut meâ doctrinâ docerem veritatem, & expugnem omnes meos adverſarios zelo gloriæ Patris; ita mitto vos viles piſcatores omnis doctrinæ ignaros ante reges & præſides, adverſus totum mundum, ut pari zelo fortia quæque confundatis, quod & factum ingens Angelorum zelus, 665. n. 114. ardens Apoſtolorum, 645. deſtruunt idololatriam, eſt figur. in everſione urbis Jericho, clade Madian, & Moabit. 782. ad 785. Apoſtoli ſunt infantes Chriſtum laudantes, 684. arguebant Reges, quod & alii Sancti faciunt, 786. 787. arma lucis ſumebant, 451.

Dominica II. poſt Paſcha.

Ego ſum Paſtor bonus. Joannis 10.

Oves Chriſti paſtoris ſunt omnes fideles, 227. Hic paſtor eſt potens, vigilans, ſeverus. fortis, præſtat gregem ſecurum, ad 231. animam ſuam dedit pro ovibus in paſſione, paſtor amare & portare debet gregem, 256. num. 175. paſtores mali plebem devorant, 980.

Dominica III. poſt Paſcha.

Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Joan. 16.

Mundus gaudebit ſed mendaciter. eſt enim civitas mendacii, id eſt, Acaib, quæ amara promittit ſuaviter, fugacia ſtabilis: turbulenta quietem, infelicia felicitatem, 376. ad 379. mundus ergo gaudebit, ſed modicum, id eſt, omne tempus æternitat. compar. breve, 288. citò enim deſinet adeóque contemnendus, 1032. ejus applauſus eſt ventus meridionalis domum dejiciens, 112. eſt lacus certaminis, 605. n. 36. eſt corruptus, 907. in eo peſtis, bellum, fames, 436. 437.

Dominica IV. poſt Paſcha.

Arguet mundum. Jo. 16.

Quia Chriſtus dicit, quòd Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato, de juſtitia & judicio? ob gravitatem peccati utique arguet in futuro, 533. numer. 16. quod eſt horrendum, 535. ſed non eſt mirum, ita enim peccatum Deo diſplicet, 454. 461. 464. eorum pœna figuratur in punitione Adam ejecti è paradiſo, 53. Tobiæ, 115. Civitatum everſarum Damaſci & Gazæ, 2. 152. meritò igitur peccatores ſpernendi & expellendi, 1024. ut non arguatis, morere peccato, ut Deo vivas, 556.

Dominica V. poſt Paſcha.

Exivi à patre, & veni in mundum; & jam relinquo mundum & vado ad patrem. Jo. 16.

Poſſunt hæc itinera explicari per materiam feſtorum Nativitatis, Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Chriſti.

Petite, ut gaudium veſtrum ſit plenum. Jo. 16.

Exordium poteſt fieri ex numero 135. c. 1133. ad quem ſequitur gaudium Sanctorum, in quo numer, ſeqq. ſpectatur plenitudo, quod oritur à viſione Dei, ſit annexum gloriæ, & æternitas mundi gaudium eſt promiſſum triſtitiæ uſque ad finem.

Dominica infra Octavam Aſcenſionis.

Sed venit hora. Jo. 15.

Licèt impii hic diu videantur eſſe felices & extolli, (oſtende per varias comparationes pios omnibus anguſtiis premi, & via non ſupprimi) venit tamen hora, quâ illi, id eſt, impii, vento diſjicientur, de quib. vide c. 111. ad 115. hi verò vento tempeſtatum, tribulationum evehantur, c. 1068. ad 1070.

Dominica Pentecoſt. eſt inter Feſta.

Dominica Trinitatis.

Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Matthæi 28.

Chriſtus fuit Rex ab æterno, ut verbum Dei, 190. 191. ut homo Rex ab ipſa conceptione, 192. id probavit in nativitate, vita, paſſione, reſurrectione, aſcen-

ſione

ſione, & probabit in die judicii, à 193. ad 199. Rex ſpiritualis Eccleſiæ, 187. cum qua poteſtate. *ibid.* non fuit ſpecialiter Rex temporalis Judææ, 190. habuit directum dominium in totum orbem, 190 & 191. amplitudo ejus regni, 222. Ferdinandi Regis præclara de regno Chriſti confeſſio, 199. unctus in regem, 137. 138. quinque ejus elogia, 197. corona dominii, 735. Angelis præſtantior ob dominium, 729. eſt eorum caput, 744. magna felicitas ſub rege Chriſto, 224. erit rex æternum. Ejus 4. coronæ, 199. omnia ei ſubjicientur, 744. habuit ergo poteſtatem regiam: deinde habuit poteſtatem legiſlativam, quæ ſeptem habuit excellentias, 202. 203. 204.

Dominica I. poſt Trinit.

Magna cœna, multi invitati, ſeſe excuſantes. Luc. 14.

Salvandorum paucitas, 993. quinam verò pauci illi, &c. & multi illi, &c. ℞. 1. divites, patet ex Evangelio Chriſti, quid enim in magna cœna gloria cum urticis, lapis, & fluxis rebus, aut earum unicam curam habentibus, id ſunt divitiæ, 266. 373. dives enim facilè ſuperbit, 832. idque ex ſolis terrenis & earum poſſeſſione, quæ tamen ſunt vana, 984. inſolita, 371. ſunt mendacium, 378. 375. 376. 372. ℞. 2. poſſunt intelligi per eos qui juga boum emerunt, uſurarii qui ſe & alios occidunt, 1033. uſuræ duplex acceptio, 1032. uſuræ variæ, 1033. ejus pater, mater, 1035. uſura eſt fons plurimorum malorum, 1032. 1034. eſt prohibita, ad 1038. ℞. 3. Luxurioſi (uxorem duxi) Luxuria enim cor gravat, 370. eſt iniquitas calcanei, *ibid.* evertit imperia, 298. 299. 301. Luxurioſi ſunt ſepulchrum fœtens, 492. poteſt referri, c. 487. deliciæ periculoſæ. Ad ſecundos poſſunt referri avari, & de avaritia, 369. 372. 850. 839. 840. 841. 842. 828. 237. 852.

Dominica II. poſt Trinit.

Erant appropinquantes ad Jeſum publicani & peccatores. Luc. 15.

Peccator omnis cum ſit mendax, 466. Chriſtus verò ipſa veritas: peccator vir ſanguinum, 470. Chriſtus verò ipſa vita. Peccator ligatus, 161. 162. captivus, 551. 987. & ſibiipſi laqueos tendat, 771. adeoque non poſſit ambulare viam ſalutis quæ iterum Chriſtus, quomodo appropinquant ad Jeſum peccatores? Certe ergo ejus hæreditas non tantùm gentiles, 218. ſed totus mundus, 217. an non ergo memoria ejus ſuaviſſima, 1110. ex ore laudandus? 761. ad eum appropinquant peccatores ut obtenebrati ad lucem, eſt enim ſol omnibus lucem affundens, 1111.

Dominica III. poſt Trin.

Date & dabitur vobis, Luc. 6. *vel qua menſura*, &c.

Qualis quis eſt erga proximum, taliter illi retribuitur tam in malis quam in bonis.

Pro exordio poteſt ſervire textus Davidis cum explicatione, 655. 656. & in propoſitione fieri digreſſio ad materiam propoſitam, 657. 658. 659. & ſeq. 660. 329.

Nolite judicare, & non judicabimini. Luc. 6.

Judicium temerarium omnes vitent, 802.

Dominica IV. poſt Trin.

Cum turba irruerunt in Jeſum ut audirent verbum Dei. Luc. 5.

1.

Citatus textus clariſſimè poteſt explicari, ſi per verbum Dei intelligatur Chriſtus, is enim eſt verbum Dei perſonale, 208. adeoque ſub textu latet altiſſimum myſterium proceſſionis filii à patre, de quo 205. 206. 207. verbi hujus excellentia fundatur in filiatione Dei, 214. 215. 216. etiam ut homo eſt filius Dei natur. quomodo, 209. 250.

2.

Quid mirum turbas in Jeſum irruiſſe, ut audirent verbum Dei? erat enim & eſt ſimile argento puriſſimo, 926. 936. & veræ, 83. 84. neceſſarium, &c. ibid. ut fructu non deſtituatur ejus prædicatores, debent eſſe ſimiles Eliæ, 48. ſeptem Angelis, & Angelo habenti librum legis, 48.

Per totam noctem laborantes nihil cœpimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Luc. 5.

Quia labore omnia emuntur, 1065. laborandum in via cœleſti, 1010.

Dominica V. poſt Trin.

Niſi abundaverit juſtitia, &c. Matth. 5.

1. Exordium poteſt eſſe nu. 90. c. 400. poſtea ad rem facient ſequentia uſque ad c. 413.

2. Exordium poteſt eſſe nu. 24. juſtitiæ triplex acceptio, occaſione hujus tertiæ acceptionis omnes ad juſtitiam, per ejus excellentiam adhortabor, attendite. Sive judices, ſive milites, ſive quicunque ſitis, niſi abundaverit, &c. Si judices, juſtitiam colite, hæc nimirum veſtrum elementum eſt, 635. jungenda ei veritas, 913. Si milites juſtitiâ pugnate & vincetis, 637. hæc de cœlo dejecit Luciferum, 114. è parad. Adam, 114. è terra promiſſ. Judæos ibid. & qualeſcunque ſitis juſtitiam operamini, hæc eſt omnis virtus, 1006. juſti non fluctuant, 1042. à Deo roborantur, 905. ſunt ſui ipſorum judices, 244.

Non occides. Matth. 5.

Detractores ſunt homicidiæ, alios devorantes, 980. comparatur denti, 328. quales dentes habeat, 328. ſimiles caligini, 331. plura, 329. 330. eſt ſpernendus, 1024.

Dominica VI. poſt Trin.

Miſereor ſuper turbam; quia &c. Marc. 8.

Parabola Evangelica clariſſimè exponit Chriſti filii Dei erga turbam ſollicitudinem, bonitatem, miſericordiam, providentiam, &c. quod in exordio poteſt fuſius proponi, ex quo diſcimus eundem erga nos pari ſollicitudine, &c. eſſe affectum, ne in via ad patriam cœleſtem deficiamus, in qua oportet Chriſtum triduo, id eſt, ſemper patienter ſuſtinere, 670. & mens noſtra dilatatur, 360. Adriani Papæ ſymbolum, 362. cum patientia pſalterium Chriſti accipiendum, 767. quod ſi fiat noſtri miſerebitur, & ſubminiſtrabit nobis panes, id eſt, omnia neceſſaria, gratiam internam & externam, 66. 1090. actualem, 67. poteris hic excurrere in laudem gratiæ, gratia præveniens vocatur infuſio, inſpiratio, 69. gratiâ ſuâ Chriſtus nos ſuſcipit. ut redemptor, &c. 309. effectus duplex, 335. gratia ſignat in nobis imaginem Dei, 418. ſuavem odorem infundit animæ, &c. 555. gratia eſt maturinum tempus, ob ſeptem rationes, 449. illi cooperandum, 75. ejus ſymbolum eſt aqua, 64.

De Dei providentia & miſericordia.

Providentia eſt oculus Dei, 891. lucem dat ſervis ſuis, 417. multis neceſſaria providit, 425. eſt dux in via cœli, 483. præcedit ut columna ignis & nubis, 1107. Miſericordia eſt gratuita, 818. eſt ejus oculus, 891. Deus eſt noſter per creationem, &c. 1050. 1051. nos ſuſcipit ut redemptor, 309.

Dominica VII. poſt Trin.

Omnis arbor qua non facit fructum bonum, &c. Matth. 7.

1.

De variis arboris, c. 88. 92. 235. 83. 55. arbor bona & bonos fructus ferens Chriſtus, c. 61. & vir juſtus, 52. 65. 55. 62. 56. 70. 71. 83. 85. 81. arbor mala & infelix impius, 95. 96. 97. 98. excidetur & ejicietur in ignem, *ibid.* 448. 449. 450.

2.

Omnis homo eſt arbor, c. 52. ut ſit bona debet eſſe

plantata in horto fidei Catholicæ, quæ eſt fundamentum vitæ; 574. eſt porta cœli, 821. & ferre fructus charitatis, 283 figurata in Enoch, 403. eſt candelabrum aureum, 890. cum fide pulſandum pſalterium Chriſti, 765. & non debet eſſe plantata in hæreſi, quæ eſt mons dæmonis, 874. ubi fert fructus malos ab 875. ad 878. hæreſis eſt porta mortis, 810.

3.

Debet ferre fructum, quem 1, præcedunt folia (veſtis arboris) ſymbolum exteriorum virtutum, dein actuum & verborum, 81. 82. 2. flores, Id eſt, deſideria, 72. hos jam ſequitur fructus hominis interioris, puritas, ſeu ſanctitas, quid hæc ſit, 908. dat incorruptionem, 1113. 1154. in Sanctis Deus habitat per gratiam & gloriam, 505. & 1093. eos obumbrat, 506. eſt in iis politicè, &c. 508. & operatur mira, 1095. & ſuavis erga illos, 1094. facit eos mirabiles, 379. 385. eſt in iis mirabilis, 384. illis cum amore providet, 414. ut hos fructus arbor ferat, debet eſſe plantata juxta aquas, eorum effectus mirabiles, 76. & 573. aquæ ſunt eloquia Dei, 65. contritio & gratia, *ibid*, *& ſeq.* 64.

Dominica VIII. poſt Trin.

Redde rationem villicationis tuæ. Luc. 16.

Judicium impiis terribile, quomodo in eo non reſurgent & quare, 115. 116. 117. conſcientiæ morſus, 983. ejus tumultus eſt ſpiritus procellarum, 901. conſcientiâ terrebuntur, 118. accuſatoribus, *ibid.* ira Judicis, 119. certitudo damnationis, 120. ſeparatio à Sanctis, 150. ſeparabuntur ab illis ut hœdi ab agnis, 122. ira Judicis erit ut ira leonis, 183. ut urſi, 184. Judex oſtendet vulnera, 183. ibi ignis divinæ vindictæ, 281. qui impios involvet, 570. quis ergo non videt judicium hoc Dei juſtum & ſeverum, 616. terribile etiam SS. futurum, 536. paratus eſto ſemper quia ejus tempus incertum, 285. 586. 801. Chriſtus quomodo paravit judicium, judicabit ſapienter omnes homines, juſtè & miſericorditer, ad 804.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Luc. 16.

Ut dives ſit lætus debet Deum timere, 266. Juvate pauperes, 857. facere ſibi amicos patrem cœleſtem, B. Virginem, Angelum cuſtodem, quod eſt facillimum, dando ſcilicet pauperibus eas divitias quas inique conquiſivit, ſunt enim hæ urticæ, lappæ, tribuli, 566. ignis, 832. fluxæ ut aqua, 373. quod ſi non faciat ſuperbit, 832, à Deo terretur, 265.

Dominica IX. poſt Trin.

Flevit ſuper eam, Luc. 19. *& ejecit è templo vendentes & ementes.*

1. Quid mirum Chriſtum hos è templo ejeciſſe, quia erat domus Dei, 479. cœlum terrenum, *ibid.* ſancta, 480. *& ſeq.* adeoque cum timore & reverentia adeunda, 473. cum ſpe & humilitate, 476. cum metu filiali, 479. in illis quia trepidant Angeli, Sancti, & pagani. *ibid.*

2. Quidni & nos ex corde quod templum eſt Spiritus, ejiciamus peccata, cum & in templo Herculis nec canes nec muſcæ, 480. peccata verò multò pejora illis, ut quæ Deus odit, 459. 460. & fœtent, 555. eorum corruptio, 965. 966.

3. Per pœnitentiam, 576.

Dominica X. poſt Trinit.

Ut orarent. Luc. 18.

Felix fuit in oratione hic publicanus, quia per orationem conſecutus eſt juſtitiam, obedivit ergo hic Deus voci peccatoris, quid mirum quod cum Deo cætera omnia orationi obediant? 355. 356. oratione olim muri ceciderunt, 314. hic cecidit murus aheneus peccatorum; oratione multi è periculis liberati, 354. 359. hic evadit periculum æternæ perditionis. Oratio ergo impetrat quæ petit, 316. quod ut faciat, orans debet orationem vertere in conſpectum altiſſimi, à quo illuſtratur, 1103. & inflammatur, 1104. motiva ad ferventem orationem poſſunt eſſe, quod oratio ſit ſacrificium Nehemiæ, 408. & thus in ſacrificio, 418. quod orantis cor ſit mons ſanctus, 316. ejus tres effectus, 347. cito exauditur, 355. in illa cor levandum cum manibus, & invocandus Deus in veritate, 349. 350.

Dominica XI. poſt Trin.

Et loquebatur rectè. Marc. 7.

Lingua eſt univerſitas iniquitatis, facit tragœdiam cum quinque vitiis, 915. n. 51. & ſeq. ſi ſcilicet non loquatur rectè, ſed vana, 916. & labiis doloſis, & hoc in corde & corde, 918. 919. ad 925. non loquuntur rectè Judices & Advocati muneribus corrupti, 1041. num. 78. rectè loquuntur, qui loquuntur corde & ore, 919. hoc faciunt, qui loquuntur veritatem in corde ſuo quid hoc ſit, docet, 1011. 1012. & qui non agit dolum in lingua ſua, quid hoc ſit, 1014 1015. 1016. non loquuntur rectè adulatores, aſpides, 973. qui fovent ſcelera potentium, 835. num. 113. Athei Deum negantes, 960. &c. calumniatores habent eos vulpis, 490. cor inſtar follis, 491 guttur leonis, 495. linguam viperæ, 494. Deus illos deſtruit per infantes, 687. Detractores, cum detractio ſit vitium diabolicum, 496. Sanctis odioſum, 1020. ſunt vacua ſepulchra, 496. plena cadaveribus & fœtentia, 496. homicidæ ſunt, *ibid.* &c. necant audientes fœtore, 497. &c. ad 501. dentes inficit nigredine, 331. quomodo puniantur, 319. 330, 331. audire illos non oportet, 1019. hæretici verbum Dei adulterantes, 860. Scriptura decipientes, 881.

Apprehendens eum de turba. Marc. 7.

Conſortia impiorum fugienda, 1073. fœlix qui id facit, 18. & 938. conſortium id eſt peſtilens, 16. 1074.

Dominica XII. poſt Trinit.

Hæc fac (dilige Dominum Deum tuum ex toto, &c. & proximum tuum, &c.) & vives. Luc. 10.

Per *Te* Vives proculdubio intelligitur vita æterna, & verè ita eſt, charitas enim eſt porta cœli, 821. ut vitâ hâc vivamus, vincendi ſunt hoſtes, qui vitam hanc nobis conantur eripere; quod ne fiat, diliges, id eſt, charitatem tanquam ſcutum aureum iis objicies, 518. & dæmonem vinces, 588. nec ſolus pugnabis, quia charitas ad bellum ducet omnes virtutes, 518. quæ eam ut reginam ſequuntur, 404. Ergo diliges, charitas enim eſt cauſa perfecti gaudii, 513. ſi Deum dilexeris, de dilectione proximi non dubitabis, 514. Hoc ergo fac & vives. Charitas ignis holocauſti, 412.

De oratione *vide Dom. X. poſt Trinit. & II. Quadrageſimæ.*

Dominica XIII. poſt Trin.

Oſtendite vos ſacerdotibus. Luc. 17.

Sacerdotes erant primogeniti in lege naturæ, 214. Sacerdotes Moſaici miniſtrabant in veſte linea, 480. 481. judicabant etiam civilia, 250. & lepram, ut patet in hodierno Evangelio, quemadmodum hi leproſi miſſi ſunt ad ſacerdotes, ut mundentur, ſic ſpirituales leproſi debent ſe oſtendere ſacerdotibus per legitimam confeſſionem, ad quam requiritur examen conſcientiæ, 394. uſque ad 397.

Dominica XIV. poſt Trin.

Nolite ſolliciti eſſe, &c. ſcit enim pater veſter, &c. Matth. 7.

Scit pater cœleſtis, quibus indigeamus, utpote cujus oculi providentiæ & miſericordiæ in pauperes reſpiciunt, 891. 892. & multis varia neceſſaria providit, 425. 456. cavete ne his nimium intenti ſitis, ne ſolliciti ſitis de terrenis quæ ſunt vana, 984. inſolida, 371, 373. promittunt, quod non habent, 378. plura, 372. 374. 375. amor eorum timidum facit impium, 983. hæc autem pro neceſſitate

ceſſitate habebitis, ſi quæratis tantùm regnum Dei, & ejus juſtitiam, id eſt, virtutem colere, quæ dat fœlicitatem, c. 4. 88. ſapientiam, 1087. illis in Deus iucrut, 817.

Dominica XV. poſt Trinit.

Accepit omnes timor, & magnificabant Deum. Luc. 7.

Duplex eſt timor Dei, ſervilis & filialis, ille eſt bonus, 258. 259. 260. hic melior & excellentior ratione charitatis, hic videtur accepiſſe omnes in hodierno Evangelio, cùm ſtatim ſubjungatur, & magnificabat Deum, cum hoc ſtat lætitia, 261. timendum eſt, ut lætemur, & miſcenda timor lætitiæ, 262. 263. hactenus de timore piorum, nunc de impiorum. Hi timent, ubi non eſt timor, 981. timor Artemonis ridiculus, 982. & paraſitorum Heliogabali Imperatoris, 493. timor Dei eſt noſter oculus mentis, 976.

Dominica XVI. poſt Trin.

Qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Luc. 14.

Superbi tragœdiam luſerunt in Scotia, Hiſpanis, &c. 613. ſic humiliantur, qui à Deo conteruntur, 235. ſuis conſiliis capiuntur, 834. eorum oratio rejicitur, 351. ſedent in cathedra peſtilentiæ, 15. ſuperbia figurata in Tyro, 369. cor gravat, *ibid.* qui ſe humiliat, exaltabitur, eſt enim humilitas baſis ſanctitatis, 608. pes ſiniſter Sanctorum, 1050. ejus duo greſſus cognitio ſui, 1052. & cognitio Dei, 1050. eſt via vitæ, *ibid.* ducit ad cœlum, 1052. Sanctos gloriâ coronat, exempla, 613. Dei opem obtinet, 1046. motivum humilitatis naturæ noſtræ, 365. n. 33. & quia ſæpè decipimur, *ibid.* & ob Dei præſentiam, 1105. motivum exemplare humilitatis Chriſti in incarnatione, 608. dæmonem vincit, 586.

De dilectione, *vide Dom. 12. poſt Trin.*

Dominica XVII. poſt Trin.

Quid vobis videtur de Chriſto? Math. 22.

1. Ad hanc quæſtionem dignè reſpondendum, videtur mihi Chriſtus ſecundùm etymologiam nominis, idem eſſe quod unctus, & verè ita eſt; eſt enim unctus gratiâ unionis & ſanctificationis, 137. in Prophetam, Sacerdotem, Regem, *ibid.* cujus humanitas eſt magnificentia Dei, 678. mons ſanctus, 377. luna perfecta, 1108. videtur mihi præterea Chriſtus eſſe cauſa omnis benedictionis, 340. noſtra ſalus, 334. vera lux nos recreans, 422. lumen vultus Dei, 420. n. 122. videtur mihi arbor bona in medio Eccleſiæ, 57. n. 75. *& ſeq.* arbor vitæ, 61. ejus ſurculi, fructus, 62. & folium. 83.

2. Gloria Eduardi Regis Angliæ inter duos Reges victos, Chriſti naſcentis inter duo animalia, 508. quid ergo vobis videtur de Chriſto? num forſan Rex? Rex utique, Regem enim probavit ſe in nativitate, 193. quem omnes circumſtant, ut lineæ centrum, filii parentem, fluvii mare, planetæ ſolem, 610. 611. imò ab ipſa conceptione Rex fuit, 102. corona ejus humanitas, 734. cujus conceptio ſeu incarnatio amabilis & utilis, 604. admirabilis, 608. ejus humilitas in ea, 608. 612. depreſſio infra Angelos, 728. præſtantia præ illis ob unionem, *ibid.* num. 97. 193. n. 83. 729. n. 99. eſt myſterium occultum, 754. per eam dæmon victus, 602.

3. Dum Chriſtus Judæos ita interrogat, videtur voluiſſe dicere, quid vobis videtur de Chriſto, de quo hactenus calumnioſè dixiſtis, quòd ſit potator vini, quòd habeat dæmonium, & in eo ejiciat dæmonium, quem tanquam fabri filium contempſiſtis, &c. quid vobis de illo videtur, an propterea contemnendus, ſi dæmonem habuit, an vini potator eſt? reſpondent, filius David, & hoc verum, quæ ſequuntur in Evangelio, non dicit Chriſtus, quaſi vellet negare, ſed Phariſæorum ſuperbiam confundere, ſed quia filios David, quomodo præter cætera videtur Judex ſapiens, 802. ſol juſtitiæ in hoc judicio, 627. plenus oculis, 628. in hoc judicio probabit ſe Regem, de hac materia plura Domin. 8. poſt Pent.

Dominica XVIII. poſt Trin.

Remittuntur tibi peccata tua. Math. 9.

Quemadmodum ex Evangelio colligere eſt obiter conſideranti morbus hujus paralytici, originem duxit ex peccato, nec hoc incongruè, peccatum enim morborum cauſa eſt, 539. ipſi peccatori nocuum, 658. & ipſa porta mortis, 819. ad incutiendum terrorem peccati poſſunt ſervire hæc: ejus partus eſt pejor partu viperæ & monſtrorum, 650. univerſa ejus generatio à dæmone, 653. &c. hinc dolor illud concipienti & parienti, 648. 650. ejus veniſtas pernicioſa, 572. 573. fœdat mentem, 1004. 1005. vitandum eſt ob quatuor rationes, 1008. & ſeq. peccator odit ſeipſum, 896. eſt gluma, quiſquiliæ, favilla, lanugo, pulvis, 103. eſt lupus, leo, leopardus, 150. 151. beſtia, 366. &c. peccatorum abominationes, 964.

Dominica XIX. poſt Trin.

Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. Matth. 22.

Quia peccatum infernus eſt, 557. ad 562. jubetur mitti ex inferno peccati, in infernum damnatorum, hic variè ſumitur, 553. in eo pluviæ laqueorum & ignis, 899. ejus amplitudo, 900. ligatus eſt ore, manibus, &c. 161. 162. eſt captivus, 551. ſibi laqueos tendit. 771. 987.

Dominica XX. poſt Trin.

Incipiebat enim mori. Joan. 4.

Mors varia, 552. in quanam nullus Dei memor, 553. ad diligentem præparationem valent, quòd mors Sanctorum quieta, 428. ejus memoria profuit S. Joſaphato, 647. repentinâ morte ſublati, *ibid.* hinc ob incertitudinem oportet ſemper eſſe paratos, impius in morte deridetur à Deo, 178. in eum cadit laqueorum pluvia, 898. 899. Mors Saulis miſera, 659.

Dominica XXI. poſt Trin.

Si non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo ex cordibus veſtris. Matth. 18.

Inimicorum amor vincit dæmonem, 590. & ſeq. & dat gloriam, 599. inimicis non parcens à dæmone vincitur, 593. capitur, poſſidetur, 595. 596. hoſtes amandi, 1018. n. 40. vindicare eſt abjectum. 597. 598.

Iratus Dominus tradidit eum tortoribus. Matth. 18.

Ira prudens licita eſt, reprimit paſſiones, juvat ad virtutes acquirendas, & plura, 392. 393. ira furens eſt tonitru & fulmen, 369. ejus vapores & nubes, ignes, ſonus, impetus, &c. ad 392. ita fremit, 139. & ſeq. gravis eſt, 370. in Idumæa figuratur, 152. iræ Dei phialæ, 663. frænandi modus, 399.

Dominica XXII. poſt Trin.

Cujus eſt hæc imago & ſuperſcriptio. Matth. 22.

1.

Homo licèt abjectiſſimus in corpore & animo, &c. à 722. ad 728. eſt tamen imago Dei, ab Angelis paulò minoratus, 729. eſt Angelis compar. 727. imò præſtantior iis, 732. gloriâ coronatus, imago & pars Dei, parvus Deus, 733. Rex orbis, 736. palatium totus mundus eſt, ſupellex res omnes, *ibid.* forma regis, thronus, veſtis, arma, ſatellites, 737. 738. 739. dominium in animalia, ſubditorum multitudo, 742. 743.

2.

Ætna eſt imago peccatoris, quia ſemper ardet, 224. ſecum pugnat, 437. nunquam quietus, 7. & 1118. ſerpentes acus, ranæ, 16. Catonis mira impietas, 8.

Horti Alcinoi, & variæ arbores, imago juſtorum variis modis, à 74. ad 85. eorum proſperitas, ad 94. Imago impiorum elegans, poteſt ſumi ex art. 1. c. 95. 100.

Imago juſtorum poſſunt eſſe corpora Sanctorum incorrupta, 1123. & ſeq. ex illis ſuavis odor, 556. Imago Dei ſunt creaturæ, 680.

Dominica XXIII. poſt Trinit.

Sanguinis fluxum patiebatur annorum duodecim. Matth. 9.

Morbi diuturnitas deſignat gravitatem peccati, cui quis diu aſſuevit, vel obſtinationis, vel peccati vetuſtatem perniciosam & periculoſam, 572. obſtinatio cavenda ob ſex rationes, 12. & 13. ſedet in cathedra peſtilentiæ, 16. obſtinatos eſt arbor habens medullam ferream, 96.

Si tetigero tantùm, &c. Matth. 9.

Mulier hæc Evangelica exemplar eſt fiduciæ ſive firmiſſimæ ſpei, quod dignum ut ob oculos noſtros jugiter verſetur, ſperandum eſt ſub alis Dei, 1048. ſpei in Deum cauſæ quatuor, 885. & 175. ſpem augentia motiva, 444. eſt pes dexter juſtorum, 1048. catena aurea in cœlum trahens, 308. menſa panum propoſitionis, 890. ſpes juſti mira efficit, 59. 60. in fin. ſpes in Deum ſervat ab ejus vindicta, 282. 1047. facit animam ſecuram, 435. replet lætitia, 503. Ludovici Borbonii, & Scotiæ Regum ſymbolum, 504. Spes jungenda fidei, & charitati, 283. Judæ Machab. &c. 175. in Noë figuratur, 403.

Dominica XXIV. poſt Trin.

Erit tunc tribulatio. Matth. 24.

Cùm exarſerit in brevi ira ejus (Chriſti judicis) tunc erit tribulatio, ardebit enim ira, Deut. 4. Dominus Deus tuus ira conſumens eſt, applica quæ volueris, 281. 282. remedium adverſus Dei iram, ſpes in Deum, 282. 283. vindicta Dei terribilis, *ibid.* ſed num brevi ira hæc exardeſcet, ℟. brevi, 284. tempus tamen eſt incertum, variæ opiniones, 285. 286. 287. & ſeq.

FESTA.

S. THOMAS.

Niſi videro.

Thomas repræſentat obſtinatum peccatorem, adeoque congruenter ages de obſtinatione, quæ vitanda ob ſex rationes, 12. obſtinatus eſt arbor habens medullam ferream, 96. ſedet in cathedra peſtilentiæ, 15. ſerviet & habitus peccati, 572.

NATALIS Chriſti.

Natus eſt vobis hodie Salvator. Luc. 2.

Magna fuit gloria Eduardi Regis Angliæ inter duos Reges victos, major Chriſti inter duo animalia nati, 608. natus eſt ergo Salvator, cujus incarnatio admirabilis, 608. humilis, 608. 601. depreſſio infra Angelos, 728. præſtantia præ illis, *ibid.* n. 97, & 193. n. 83. 193. n. 99. omnes ad eum confluunt, 609. natus eſt Rex, 728. corona ejus humanitas, 192. 193. Chriſti incarnatio myſterium occultum. 754. per eam dæmon victus, 734. 601. Chriſti triplex generatio, æterna in cœlo, temporalis in Bethlehem naſcendo, in Jeruſalem reſurgendo, 205. &c. Chriſtum natum omnes circumſtant, ut lineæ centrum, &c. 610. 611.

S. STEPHANUS.

Stephanos græcum, latinè corona dicitur, debebatur illi hoc nomen, tum quia poſt Chriſtum eſt primus (corona) martyrum, tum quia corona datur victori, 663. coronæ variæ, 521.

Stephanus plenus gratiâ & fortitudine, &c. Act. 6.

Samſonis pectus imperterritum, 927. fortius S. Stephani, gratiæ & fortitudinis comes fuit Sapientia, cui non poterant Judæi, &c. reſiſtere, ſapientiæ proprietates, 5. & plura de ea, 1085. ad 1097. bonum & regium omen NOMEN STEPHANUS, uti ſapientia Chriſtianum Regem non decet rantùm ut luceat, regnum ſtabiliat, 241. Deorum ſceptrum, &c. eſt, 243. ita ſceptrum & corona S. Stephani fuit ſapientia victrix, magnum dominium fuit Regum, 707. majus S. Stephani, poſtquam more Regum, 192. 193. erectus ſpiritualiter lapidum clypeo in cœlum elevatus, 522.

S. JOANNES Evangeliſta.

Tu me ſequere. Joan. 21.

Sequere me, utique fortiter & imperterritè in tribulationibus. non eſt ſervus major Domino, ſi me perſecuti fuerint, & vos perſequentur, ſed animosè me ſequamini, per ſpinas, &c. ſi non fuerunt in ſtatu innocentiæ, 90. jam ſunt abundanter, per eas ego vos ducam, adverſitates ſcilicet & afflictiones, ſed hæ ſunt felicitas Sanctorum, eos recreat, *ibid.* & ſeq. Fructus virtutum augent. 91. ſeq. fortis gaudet in dolore, 363. fortes eſtote, fortitudo reſiſtit dæmoni ut leoni, 586. Lyſimachi & aliorum, 587.

Circumciſio Domini.

Vocatum eſt nomen ejus Jeſus. Luc. 2.

Jeſu nomen in toto orbe adoratur, 706. admirabile in terra, 708. in cœlo, 710. inferis, *ibid.* ſanat morbos corporis & mentis, 708. 709. clypeus in dæmones, 711. hoſtes proſternit, 714. eminet omnibus nominibus, 703. 715. etiam Dei, 733. & Jehova, *ibid.* cordi, ori, manui inſcribendum, 717. illud adorant infantes, 714. Japonicæ fœminæ mira pietas, 714. illud venerantur Prophetæ, 715. Sibillæ & Sancti, 716.

Epiphania.

Procidentes adoraverunt eum. Matth. 2.

Chriſtum in nativitate Regem, 193. cæteri reges adorârunt procidentes, per ſtellam illuminati & directi, quia ut ſtellæ à ſole, ſic illi à Chriſto lucem acceperunt, eſt enim ſol Chriſtus omnibus ut ſtellis lucem affundens, 111. & nos eum adoremus, oſculemur, quia oſculum eſt ſignum adorationis, 274. & oſculandus eſt cum amore, 269. reverentia, 272. 273. humilitate, *ibid. in fin.*

Turbatus eſt Herodes. Matth. 2.

Quia audiebat de nato novo Rege (de regia ejus poteſtate, vide Dominicam Trin.) turbabatur, hunc ut è medio tolleret, juſſit occidi infantes, ſed irrito conatu, 148. n. 22.

Herodes quatuor ſunt in Scriptura, 136. (poteſt eſſe exordium) Herodis Antipæ perverſitas, 141. punitio, 149.

S. MATHIAS.

Tollite jugum meum ſuper vos. Matth. 11.

Exordium poteſt eſſe, n. 28. c. 153. & per totam concionem, deinde dici, quia jugum Chriſti ſuave, 169. leve & forte, *ibid.* & 171. ferendum eſt, & excutienda juga legis Moſaicæ, 154. & peccatorum ferreum, 162.

Feria 2. Paſchæ.

Hunc Deus ſuſcitavit. Act. 10.

Suſcitavit Chriſtum, qui deſcenderat ad inferos *Eph.* 4. ut Joſeph, 1119. 1120. cur? 1121. ergo indè triumphans regreſſus, *ibid.* corpore per tres dies incorrupto, 1122. ob ſanctitatem, quæ & aliorum SS. corpora ſervat incorrupta, 1123. 1124. 1125. cur ſecundò, ut cum eo reſurgamus, 1129. ſequentia poſſunt pro libitu accommodari. Quomodo? aſcendit ab inferis, 1118. triumphans, 1121. gloria Chriſtianorum, 311. corona, 333. exaltat ejus caput, 311. pater noſter, 367. radix noſtra, 258. 259.

Feria 3.

Pax vobis. Luc. 24.

Pax mentis eſt in quiete appetitus, 427. 430. eam parit conformitas cum Dei voluntate, 1058. 1060. ejus triplex ſymbolum, 431. ſeq. non eſt pax impiis, 500. 501. ab iis recedendum, 436.

PHILIPPUS ET JACOBUS.

Non turbetur cor veſtrum. Jo. 14.

In tribulationibus mens elevanda ad cœleſtia, & cor non turbabitur, ideo videtur Chriſtus paulò poſt his citatis verbis adjunxiſſe: *In domo patris mei manſiones multæ ſunt*, caperti ſunt Sancti, quorum felicitas fuerunt tribulationes, 90. ſunt utiles, 535. quia augent fructus virtutum, ad Deum ire cogunt, dant conſtantiam, 91. 92. 93. 1064. cœlum aperiunt, 1069. quod ob varias rationes eſt mons ſanctus, à 1000. ad 1004. ſi hujus intuitu ſancti Martyres & Ignatius lætati ſunt, 176. quidni etiam felicitas hujus tabernaculi Dei, 995. 996. hoc ſanctum ſanctorum, 996. 998. hoc denique templum Dei, 886. impediet, quo minus corda noſtra non turbentur?

2. Fortitudo Samſonis, ex ſpiritu Domini irruentis ſuper eum, 927. non minus ego adero vobis, nolite ergo turbari, nihil enim difficile eſt iis, qui Deum habent adjutorem, 930.

Creditis in Deum, &c. Joan. 14.

Sunt qui in Deum non credant, & vocantur Athei, qui quales ſunt? ſtulti, 960. in omnibus corruptus, 958. negat Deum & quomodo, 960. &c. eſt monſtrum, deſcribitur, 972. Atheiſmus eſt maximum ſcelus, 968.

Aſcenſio Chriſti.

Aſſumptus eſt in cœlum. Marc. 16.

Aſcenſum Chriſti videtur prædixiſſe David, Pſ. 7. v. 8. & poteſt hanc (paſſionem, humilitatem, &c.) in altum regredi, 611. n. 46. aſcendit propter Eccleſiæ utilitatem, 612. ut cum eo aſcendamus, debemus priùs cum eo deſcendere, id eſt, nos humiliare; humilitas enim eſt via ad cœlum, SS. gloria cumulavit, *ib. & ſeq.* aſcendit ut Rex, 196. n. 87. eſt mirificatus per aſcenſionem, 381. tunc Regem ſe probavit, 214. corona gloriæ in aſcenſione, 735.

Pentecoſtes.

In Pentecoſte lex vetus deſiit obligare, 156. occaſione hujus poteſt tractari de materia legum, à 27. ad 41. & 47. 155. 157. 203. 204. præter hanc materiam parum in hoc Tomo.

Feria 2. Pentecoſtes.

Qui facit veritatem, venit ad lucem. Joan. 3.

Veritas triplex, doctrinæ, vitæ, & juſtitiæ, 912. inter homines imminuta, 911. placet Deo, 1013. laudabilis in Joanne Rege Franciæ, & Renato duce Barri, 1028. 1029. qui eam in corde loquitur, venit ad lucem, habitabit in tabernaculo, &c. 1011. n. 32. ſeq.

Feria 3. Pentecoſtes.

Qui non intrat per oſtium, ſed aliunde aſcendit, hic fur eſt & latro. Joan. 10.

Cùm Chriſtus Dominus ſit oſtium ad ovile, id eſt Eccleſiam, quotquot veri paſtores eſſe volunt, per legitimam vocationem debent intrare, quæ cùm in Hæreticis deficiat, ſequitur illos eſſe fures & latrones: tales ſunt Lutherani & Calviniſtæ, quorum ſymbola vide à 875. 882. eorum furorem, 878. ad 884. verbum Dei adulterant, 860. ſedent in cathedra peſtilentiæ, 21. in Levita an figuratum, 21. prodromi Antichriſti, ſemen diaboli, genimina viperarum, locuſtæ Apoc. ſimiles dæmoni, ad 25. hæreſis eſt venenum, 23. meretrix Babylon: vinum dat venenatum, *ibid.* & 24.

Feſtum Corporis Chriſti.

Euchariſtia eſt frumentum electorum, 426. & manna in urna aurea, 890. n. 41. ejus ſacrificium eſt ſacrificium juſtitiæ, 401. 402. n. 92.

JOANNES BAPTISTA.

Inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta.

Parthorum regum majeſtas magna, 1104. major Joannis (explica) ſapientia fuit plus quàm Salomon, quæ quia ſine Chriſto non obtinetur, 1090. quis dubitabit Joannem majorem Salomone? hæc animam ſanctificat & ſecuram facit, 1092. hominem facit cœlum, quid de Joanne, 1087. ſi ſtella matutina, 1085. Sol & Deum facit, 1086. quid de Joanne? Sapor ſalutatus Rex antequam natus, 193. quidni Joannes, quem utero clauſum Rex regum virginali utero circumdatus non tantùm regem ſalutavit, verùm & ſapientiâ quæ regum corona, &c. eſt, 243. donavit, applica quod donetur in nocte, 1093.

Quia Joannes in utero ſanctificatus & è poteſtate dæmonis ereptus, ſerviet pro hac materia 1 dæmon injuſtos irruit, ſed, &c. 584. Chriſtus illi arma detrahit, 789. ideo contemnendus, 1022. dæmon eſt ſerpens tortuoſus, 882. crudelis, 588. leo ſæviens, 584. lis inter dæmonem & hominem, 776. fugatur cruce, 771. figuratus in Madian, &c. 773.

PETRUS ET PAULUS.

Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Matth. 16.

Eccleſia eſt arx inexpugnabilis, 817. Dei majeſtate, poteſtate, ſapientiâ, fidelitate, ut propugnaculis munita ad 870. templum Dei, 889. & ſeq. tabernaculum, 994. hoc quomodo Dei hoſtes evertent? eſt fundata in petra, 867. deficere non poteſt, 909. nec defecit tempore Eliæ, 910. in Eccleſia Romana ſemper fuerunt SS. *ibid.* Eccleſiæ perſecutores puniti, 660. Eccleſia eſt luna, ſtellæ doctores, 693. eſt via quæ ducit ad Bethſames, id eſt, ad domum ſolis, 277. eſt via lucida & odorifera. *ibid.*

S. MARIA MAGDALENA.

1. *Lachrymis cœpit rigare pedes ejus.* Luc. 7.

Lachrymæ morbos animæ ſanant, 573. mortem impediunt, *ibid.* earum vox magna apud Deum, 575. ſi jungatur humilitas, 564. iram Dei mitigant, animam lavant, 565. mentis ariditatem tollunt, 568. ignem judicii extinguunt, 569. & inferorum, 571. iis lectum lavabat David, 567.

2. *Oſculabatur pedes ejus.*

De oſculis variis habentur, à 270. ad 275.

JACOBUS.

Poteſtis bibere calicem? Matth. 20.

Vos peccatores, qui in hac vita ut aquam bibitis iniquitatem, poteritiſne aliquando, poſtquam pluit ſuper vos in morte & judicio laqueos ignis, 898. 899. bibere calicem damnationis æternæ, 901. 902. 903. 904.

S. LAURENTIUS.

Qui amat animam ſuam, perdet eam. Joan. 12.

Animæ locus in corpore, 628. &c. ſumitur pro toto homine, 870. eſt hortus concluſus, 424. domus Dei, 481. tabernaculum, 999. templum ob conſecrationem, altare, holocauſtum, labrum æneum, candelabrum aureum, menſam panum propoſitionum, 889. 890 in anima Sancti Deus eſt, 508. eam ſuſtentat, 1101. Deus eſt ejus medicus, 546. n. 54. quid ſit animam odiſſe, 897. n. 54.

S. BARTHOLOMÆUS.

Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentatione, & ego diſpono vobis regnum. Luc. 22.

Patet ex textu, Jeſum etiam fuiſſe tentatum, 304. nemo ergo liber eſt ab his, adeo ut ſemper ſibi ſuccedant. *ibid.* plura de his, 302. 303. 304. undique impetunt, 1102. mundus tentans, figuratur in Romanis Jeruſalem obſi-

obſidentibus, 339. caro, in Sodomitis domum Loth invadentibus, &c. *ibid.* ſunt lis inter hominem & dæmonem; 775. hoſtes ſunt, qui non timendi, quia Deus milites ſuos armat, 537. eſt illis murus, &c. 345. dat victoriam, ſi invocetur, 1102. 1103. nulla tentatio vincitur ſine gratia, 339. eſt utilis, ut porium teneamus, 304. ergo benè dicit Chriſtus, qood iis diſponat regnum, qui cum illo in tentatione invicti permanſerint.

S. MATTHÆUS.

Non veni vocare juſtos, ſed peccatores. Matth 9.

Cum peccator abominabilis ſit, 964. ſeq. mendax, 466. vir ſanguinum, 470. quid quæſo cauſæ cur cum peccatoribus Chriſtus manducet, & æterna veritas, & pax ipſa ſeſe iis adjungat? imo cum à cæleſti parte irrideatur, 177. 178. 179. & ut vas figuli conterendus ſit, 231. & ſeq. eos vocet præ juſtis, quorum animæ domus Dei ſunt, 481. tabernaculum, 999. templum, 889. R. cauſa erat converſio eorum, non enim ſanis opus medicinâ, ſed malè habentibus. Venit ergo vocare ad pœnitentiam, quâ juſti non indigent ſed peccatores.

Diſcite quid ſit, miſericordiam volo, & non ſacrificium.

Sacerdos ille ſecundum ordinem Melchiſedech volens hodie nos diſcere miſericordiam, videtur nos tanquam Neo-myſtas (omnis enim Chriſtianus eſt ſacerdos, 408. in ſacrificio ſpirituali, (de quo 412.) quomodo ſacrificium ſpirituale debeant offerre, ut ſcilicet in eo potiſſimum adducant miſericordiam, quæ oleum affundit, 405. amatur à Deo, 380. plura, 384. ad 389. miſericors in hoſtes Ageſilaus, &c. 601. miſericordia Dei imploranda, 537. miſericordiam volo & non ſacrificium, pecudum ſcl. 1069. ſed ſacrificium ſpirituale, de quo jam ante.

Vide tit. Miſericordia, Sacrificium.

S. MICHAEL.

Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Matth, 19.

Inſana gloriæ cupiditas Homlæ. 614. ſimile quid videbantur attentare Apoſtoli, cum exoriebatur inter illos contentio, quis eorum videretur eſſe major, quam inſaniam ut Chriſtus reprimeret, dicebat, qui major eſt veſtrum fiat ſicut minimus, efficiatur ut parvulus, ſecuti conſilium, facti ſunt infantes, parvuli, pueri, per quos docet Chriſtus Eccleſiam, 687. niſi efficiamini ſicut hi parvuli non intrabitis in regnum cælorum, niſi humiles ſitis, prout humilitas naturæ noſtræ hoc nos monet, 365. parvulos non ſequemur, humilitas enim eſt via vitæ, 1050. & ad cælum ducit, 1052. Sanctos gloria coronat, 653. inſignis corona eſt corona Martyrum, hanc parvuli conſequuntur &c. 686,

SIMON ET JUDAS.

Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Jo. 15.

Tribulatio eſt utilis, 535. eſt juſtorum felicitas, 90. auget fructus virtutum, &c. 91. 92. 93. cælum aperit, 1069. 1064. reddit fortes, 92. mentem dilatat, 357. 358. 359. 360. 361. urget gradum, mira de navibus, 1068. Deus invocandus, 1065.

Hoc mando vobis ut diligatis &c.

Amoris vehementiam aliqui Sancti nimiam ſenſerunt, 1132. amor ligans & vulnerans, 168. amor cordis jungendus manibus, 32. 35. amor non tentit laborem, 170. amici conſtantes, 1029. amor ſui migrat in montem, 872. amor mitus Ariobarzanis erga filium, 215.

OMNES SANCTI.

Beati pauperes ſpiritu. Matth. 5.

Pauperes in cœlo primas tenent, 1070. Chriſtus eos juvat, 801. 929. 986. eſt illis aſylum glorioſum, 804. paratum, 805. paupertas religioſa Deum poſſidet, 1080. debent Deo ſervire, 806. eos benignè aſpicit, 890. penè ſolus, 857. pauperum pecunia eſt eorum ſanguis, 814. illam rapientes ſunt homicidæ, 812. eorum irriſores puniuntur, 813. 816. eorum ſanguis quæritur ab impiis, 814. à Deo requiritur, 816. pauper incenditur ſuperbiente impio, 831. beati, quia beatitudo veſtra Deus ipſe, 1076.

Beati mundi corde.

Cordis munditiez quærenda, 626. rectitudo, 630. erigendum in cælum, 631. recti corde ſalvantur, ergo beati mundo corde, etiam in hac vita: eſt enim cor vas amplum domus Dei, 367. 368. in quo fit ſacrificium juſtitiæ, 810. placet Deo, 1013. eſt ſymbolum cogitationum, 621. n. 56. erat ſoli ſacrum, 623. 624. vult Deus jungi manibus, 32. ad 36. Deus illud ſcrutatur ut judicet, 626. n. 60. illi toto corde confitendum, 759. quæ peccata illud gravent, 369. ſeq. corde & corde loqui, 918. cordis duo ſinus, 920. perdices paphlaus corde duplici, 920.

S. MARTINUS.

Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum. Luc. 11.

Lucerna accenſa eſt Sacra Scriptura poſita ſuper candelabrum Eccleſiæ, ut luceat omnibus, qui ſunt in domo (Eccleſia) extra hanc nulli lucet, ut qui ejus intelligentiam non habent, pro hac materia poteſt ſervire: Scriptura eſt ſplendor veritatis, &c. 933. hæretici crebra ejus mentione decipiuntur, 881. eſt eloquium Dei, 931. argentum purgatum, 933, eſt cælum, 693.

S. ANDREAS.

Relictis retibus ſecuti ſunt illum. Matth. 4.

Nemo ferè Apoſtolorum ſecuti ſunt Jeſum, niſi prius relictis quibuſdam retibus, id eſt, impedimentis, ut nos ſequamur, debemus relinquere retia, ſive vincula vitiorum: quæ ſunt moleſta. 160, mundi quæ ſunt vincula Nabuchodonoſoris, 159. dæmonis & Dalilæ ſeu carnis. 160. laquei varii peccatoris, 823. Venus compedita apud Lacedæmonios, 823, illis capitur, *ibid.* Carolus Burus & Aquitimus, *ibid.* à laqueis mundi cavendum, 165.

DEDICATIO.

Vidi civitatem ſanctam, Jeruſalem novam.

Huc referri poſſunt civitates à Chriſto deſtructæ, 792. n. 43. civitas dæmonis perit cum ſonitu, 800. hæc eſt impius ad longum, 795. 796. templi Salomonis & Zorobabelis magnificentia, 429. 430. minor noſtrorum

FINIS TOMI PRIMI.

COMMEN-

COMMENTARII IN PSALMOS.

PSALMUS PRIMUS.

1. BEatus vir, qui oon abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetis,
& in cathedra peſtilentiæ non ſedit.
2. Sed in lege Domini voluntas ejus, & io lege ejus meditabitur die ac noſte.
3. Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecùs decurſus aquarum: quod
fructum ſuum dabit in tempore ſuo.
4. Et folium ejus non defluet: & omnia, quæconque faciet, proſperabuntor.
5. Non ſic impii, non ſic: ſed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.
6. Ideò non reſurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio juſtorum.
7. Quooiam oovit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit.

PSALMI PRIMI ANALYSIS.

Propheta noſter, ut omnes ad virtutem impellat, deſcribit viri pietatis ſtudioſi,

- Officia duo,
  - Peccato noo adhærere. 1.
    - Cogitatione, impiorum conſiliis credendo. 1.
    - Opere, mores perditorum imitando. 1.
    - Verbo, doctrinæ peſtilenti adhærendo. 1.
  - Virtutem ſequi, ad quod juvatur:
    - Amor legis Divinæ. 2.
    - Et frequenti ejus meditatione. 2.
- Felicitatem maximam,
  - Ob firmas in fide radices. 3.
  - Gratiarum fœconditatem. 3.
  - Fructum ubertatem. 3.
  - Foliorum viriditatem. 4.
  - Omnium rerom lætum exitum. 4.
- Adverſarium miſerum,
  - In hac vita. 5. in qua
    - Privatur piorum felicitate & gratiis. 5.
    - Ac pulveris inſtar diſſipatur. 5.
  - Et in futura. 6. In qua
    - Trepidabit reus in judicio. 6.
    - Expelletur à cœtu Sanctorum. 6.
- Adjutorem potentiſſimom. 7. Qui
  - Ejus actiones amat, & approbat. 7.
  - Impii conſilia perdit, & diſſipat.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. Cur hic Pſalmus caret titulo?

HIc Pſalmus titolo caret. Qua porrò de cauſa? Reſpondet primò Caſſiodorus, ideò Pſalmum hunc titulo carere, quia de Chriſto agit, cui nihil eſt præponendum. Capiti noſtro, ait, de quo abſolutè dicturus eſt, nihil debuit præponi, dum ipſum rerum omnium conſtat eſſe principium. Hæc ratio oon eſt efficax, tum quia Pſalmus hic non eſt de ſolo Chriſto: tum quia Pſalmis aliis, qui ſunt de Chriſto, titulus præfigitur, ut patet in Pſal. 21. & plurimi de illo Pſalmos omnes explicant.

Secondò, ſanctus Auguſtinos opinatur Pſalmum hunc titulo carere: quia propriam vocem Dei loquentis inducit: non decet aotem aliquid divino eloquio præponi: deinde, ut perſpicuum eſſet, quantum hic Pſalmus inter cæteros emineret. Sed titulo carere magna dignitas non eſt, & vix aſſerri poteſt ratio, cur hic pſalmus vox Dei potiùs appelletur, quàm alii, qui de beatitudine agunt, ſicut pſalmus centeſimus decimus octavus.

Tertiò itaque, hic pſalmus noo habet titulum, quòd ſit omnium aliorum pſalmorum veluti titulus, eorumque veſtibulum coronas & flores iis oſtentans, qui in ipſorum ootitiam penetrârint: beatitudinem enim offert legem meditantibus, & opere explentibus. Sanctus Hieronymus Pſalmum hunc vocat præfationem Spiritûs ſancti. Sanctus Gregorius Nyſſènus Tractatu ſecundo in Pſal. cap. octavo ait, eſſe introductionem ad Philoſophiam ſpiritualem. Sanctus Chryſologus noocupat Pſalmorum præfationem, titulum & clavem. Verba ejus ſunt ſermone quadrageſimo quarto: *Pſalmus, quem hodie cantavimus, Pſalmorum præfatio eſt, imò & Pſalmorum Pſalmus, titulorum titulus, eſt argumentum generans argumenta, eſt tota cauſa ſequentium canticorum. Et ſicut clavis aula regalis abs primùm*

januam patefecit, penetrales reddit intimas ac multiplices manſiones: ita Pſalmus iſte ubi reſeraverit aditus intelligentiæ primos, Pſalmorum omnium pandit myſterium, pandit ſecretum. Ita Chryſologus. Sanctus Baſilius homiliâ in hunc pſalmum, vocat fundamentum & baſim cæterorum. Quod, inquit, ad domus molitionem eſt fundamentum, ad compingendam navim carina, quod cor in conſtituendo animantis corpore: vim nihilo diſparem, meo quidem judicio, circumciſum hoc ac breve proœmium obtinet ad univerſam ſupellectilem atque apparatum pſalmorum. Hæc Baſilius.

2. Titulus in Græcis Bibliis à quo poſitus? Nota, In textu Græco habetur hic titulus: Davidis Prophetæ & Regis melos. An à ſeptuaginta Interpretibus, an ab aliquo alio ſit appoſitus hic titulus, neſcitur. Euthymius certè ait: ſicut apud Hebræos ſine inſcriptione habetur, ita ab omnibus interpretibus eſſe dimiſſum. Theodoretus idem dicens addit rationem, non audentes, inquit, à ſeipſis aliquid adjungere verbis Spiritus ſancti. Hinc patet, tunc in nullis, aut in paucis Græcis exemplaribus fuiſſe ullum titulum: itaque probabilius eſt, non à ſeptuaginta Interpretibus eſſe additum. In Pſalterio Syriaco, quod latinè vertit Gabriel Sionita, nullus eſt Pſalm. ſine titulo. In hoc autem hic titulus legitur: Narratio concionis, quæ de bonis moribus habetur, in canone novem beatitudinem apud Matthæum. Ugo à S. Charo Cardinalis enumerat in Pſalmo noſtro octo beatitudines, & eas oſtendit in ejus verſiculis: ut novem poſſis reperire; ſed octo commodiùs aſſignabis, cùm Chriſtus hunc numerum in Evangelio poſuerit. In expoſitione Pſalmi eas contemplabimur.

3. Argum. Pſalmi. Quæres, quodnam ſit argumentum hujus pſalmi? Reſpondet primò Ugo Cardinalis ad literam agi de Judæis, qui contra voluntatem Dei deſcenderunt in Ægyptum, poſt excidium Jeruſolymæ, Jerem. 13. ſed hic Pſalmus latiùs patet.

Secundò, aliqui de ſolo Chriſto illum exponunt: quia certum eſt de illo eſſe Pſalmum ſecundum, cum quo apud Hebr. iſte conjungitur: deinde, quia in Græco eſt: Beatus ὁ ἀνήρ. q. d. Beatus ille vir eximius, ſingularis ille heros: & in textu Hebraico eſt etiam articulus ה *ha*, qui ſæpè eſt demonſtrativus ſpecialis alicujus perſonæ. Sed neque apud Græcos, neque apud Hebræos, hoc univerſaliter verum eſt: ſæpiſſimè enim eſt ſimplex articulus, ornatûs gratiâ poſitus.

Tertiò denique, arbitror Pſalmum hunc ad literam eſſe de quolibet viro juſto, ſpecialiùs tamen de Chriſto. Prædicat verò Propheta beatitudinem eorum, qui virtutis ſtudioſi ab impiis ſe ſubduxerint, ac legi Dei amandæ, meditandæ & exequendæ ſe totos tradiderint: miſeriam autem ſceleratorum, qui & in hoc, & in futuro ſæculo graviter punientur. 4. Quare hic pſalmus ordine primus eſt?

Quæres ſecundò: Quare hic Pſalmus ponitur primo loco? Reſpond. Quia agit de beatitudine. Beatitudo enim eſt fundamentum, & principium doctrinæ moralis. Ita Bellarminus, Pſalmorum verò liber, ut ait ſanctus Auguſtinus, communis quidam bonæ doctrinæ theſaurus eſt, aptè ſingulis neceſſaria ſubminiſtrans: ita ipſe in prologo. Secundò, quia, ut loquitur Caſſiodorus, pſalterium eſt cœleſtis Paradiſus. Itaque beatitudo oculis ad illud accedentium oſtendenda eſt, ut ardentiùs currant. Tertiò denique pſalmus hic primo loco ponitur, ut beatitudinis ſpe excitet ad tolerantiam, & ad virtutum acquiſitionem, quæ in Pſalmis celebrantur. Ut enim ait ſanctus Auguſtinus: *Pſalmorum liber quæcumque utilia ſunt ex omnibus, continet. Futura prædicit, veterum geſta commemorat, legem viventibus tribuit, gerendorum ſtatuit modum.*

Nota. Nonnulli putant Pſalmum centeſimum ſeptimum omnium primum eſſe ſcriptum, cùm in eo dicatur: *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara.* Sed hoc nullo modo videtur verum, cùm agat ibi de ſubjuganda Idumæa, quam aggreſſus tantùm anno regni ſui decimo quinto. Multos autem pſalmos ſcripſit, cùm eſſet paſtor, & cùm illum Saul perſequebatur. Probabiliùs eſt, ultimum omnium eſſe compoſitum Pſalmum ſeptuageſimum primum, cùm in ejus fine habeatur: Defecerunt laudes David, filii Jeſſe. 5. Quis pſalmus ſcriptus ſit primus & ultim.

DIVISIO TOTIUS PSALMI.

Duo continet. Primò, virum juſtum beatum eſſe, Verſ. 1. Secundò, impium eſſe miſerum. Verſ. 5.

SECTIO PRIMA.

Tria exequitur. Primò, oſtendit quid ſit fugiendum, ut ſimus beati verſ. 1. Secundò, quid faciendum verſ. 2. Tertiò denique, quanta ſit piorum felicitas verſ. 3.

PARAPHRASIS.

1. Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum: & in via peccatorum non ſtetit: & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

1. Beatus eſt, qui nec malis impiorum conſiliis faciles aures animúmque præbuit, nec ab iis in abrupta vitiorum abduci ſe paſſus eſt. Beatus etiam eſt, qui, ſi nonnunquam imprudens in eorum cœtus incidit, viámque malam inivit, ſtatim pedem mentémque retulit, neque peſtifera illorum doctrina afflari ſe permiſit, aut illâ alios infecit.

2. Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.

2. Sed in lege DEI voluntatem ſuam, amorémque omnem defixit, eamque jugi meditatione diu noctúque expendit, ut altiores in mente radices agat.

3. Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

3. Quis eum beatum non dixerit, cùm futurus ſit inſtar arboris fœcundæ, prope confluentium rivorum aquas conſitæ, ubi humore nunquam deſtituetur, atque uberes fructus præſtituto tempore profundet?

4. Et folium ejus non defluet: & omnia, quæcunque faciet, proſperabuntur.

4. Vernantique ſemper coma tum æſtate, tum hyeme, excuti ſibi vel leviſſimum folium non ſinet: omniáque ſibi ex voto fluere, & feliciter obtingere gaudebit, licèt caliganti hominum turbæ ſecùs videatur.

QUÆSTIO UNICA.

Quàm magna & jucunda virtuti annexa felicitas?

7. Ordo ſectionis. PRopheta noſter beatum illum prædicat, qui corpore animoque peccata fugerit, & virtutem fuerit amplexatus.

Primò enim, à peccatis declinandum eſt, aures à malis conſiliis conſervando, verſ. 1. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum.* 2. Pedes à lata improborum via revocando. *Et in via peccatorum non ſtetit.* 3. Corpus integrum, atque os præſertim, à loco & doctrina peſtifera removendo: *Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit.*

Secundò, Virtus ſequenda eſt. 1. Voluntatem in Deo, ejusque vel minimis mandatis, defigendo, verſ. 2. *Sed in lege Domini voluntas ejus.* 2. Intellectum, divini Solis radiis, omni tempore illuſtrando: *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.*

Felicitatem deinde ex illa peccatorum fuga, & ex amore ſtudioque virtutis orituram declarat Arboris vitæ ſimilitudine, quæ in medio Paradiſi terreſtris poſita optimos ſuaviſſimoſque fructus toto anno profundebat.

Primò, radicem illius ac truncum, prope fontis vitæ fluenta collocat, verſ. 3. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Secundò, ramos fructibus honeſtandos eſſe prædicit: *Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Tertiò, folia ſemper viridantia, arborem exornatura: *Et folium ejus non defluet.* Quartò denique, fructum nunquam à vermibus erodendum, aut putredine corrumpendum: *Et omnia, quæcunque faciet, proſperabuntur.*

ARTICULUS I.

Beatus eſt, qui non abiit in conſilio impiorum.

8. Verſ. 2. DAvid filios ſuos, omneſque homines, ad cœleſtem beatitudinem & coronam invitans, eos præmonet, ut viam & ſocietatem impiorum fugiant, verſ. 1. BEATUS VIR, Theodotio vertit, νεώτερος, junior, adoleſcens, QUI NON ABIIT IN CONSILIO, Tertullianus lib. de ſpectacul. cap. 3. & 4. *In concilium*, per c. ſed non placet: melius Pagn. & Arias, *in conſilium*, per s. id enim ſignificat vox Hebr. עצת *eſa*, IMPIORUM: ET IN VIA PECCATORUM NON STETIT, ET IN CATHEDRA PESTILENTIÆ NON SEDIT.

Nota: In primo hoc verſu deſcribit Propheta virum juſtum per negationem: in ſecundo autem, per affirmationem. Hebræi enim ſolent utraque dicendi ratione uti, cùm quid multum volunt commendare & animis imprimere. Illi autem ſoli debita eſt beatitudo, quia eſt amicus Dei & filius, & conſequenter hæres.

9. Abire in conſilio impiorum. Quæres 1. Quid ſit abire in conſilium impiorum? Reſpondet primò Bellarminus, eſt ſequi eorum conſilia, leges, ſententiam, quæ ſunt omninò contraria viæ Dei, id eſt legi Dei. Secundò, & meliùs ac ſignificantiùs, abire in conſilium impiorum, eſt illis ſe adjungere comitem, cum quadam facilitate & delectatione. Plùs enim eſt abire in conſilium impiorum, quàm eo rapi & duci. Nam qui rapitur, invitus rapitur: qui ducitur, aliquo modo reluctans, & difficiliorem ſe præbens, ducitur. Qui verò abit, promptum ſe & alacrem oſtendit, vel pedibus viam eſſe decurſurum, velut ſuavi muſicâ delinitum viæ moleſtias non timere. Non eſt opus vinculis, ut rapiatur: non currit, ut ducatur: ſed ipſemet abit cum prodigo domum ſuam deſerens, & regionem longinquam petens, ubi cum meretricibus omnem ſubſtantiam ſuam diſſipet.

Quæres 2. Quomodo ex hoc hemiſtichio probatur, beatum eſſe illum, qui non abit in conſilio impiorum? Reſp. ea vi verborum, aut ex verſionibus, varias elici poſſe rationes.

Primò enim, qui non abit in conſilio impiorum, eſt irreprehenſibilis. Scholion Græcum eum quem Septuaginta hic vocant μακάριον, id eſt beatum, vocat ἄμεμπτον, id eſt, in quo nihil eſt reprehendendum. q. d. Ille nihil habet reprehenſione dignum, qui non ſequitur conſilia impiorum. Sigiſmundus Imperator beatos eſſe dicebat in terris Reges, qui ſuperbis excluſis, manſuetudinis & miſericordiæ cultores viros, in Curia aſſeſſores & Conſiliarios haberent, ut refert Æneas Sylvius, de geſtis Sigiſmundi. S. Baſilius à conſiliario bono removet ſuperbiam, avaritiam, & alia vitia. Verba ejus ſunt tract. de Renunciatione. Conſiliarium, ait, oportet eſſe ab avaritia abhorrentem, quietum, egentium ſtudioſum, minimè iracundum, minimè injuriarum memorem: ſed naturà propenſum ad eos docendos, qui ad ipſum accedunt, quem gloria inanis non inflet, adulatio non frangat, ſeverum & conſtantem, cui denique nihil ſit præſtantius honore Dei. Hæc Baſilius. Ariſtoteles ipſe docet lib. 6. Ethicorum, cap. 13. fieri non poſſe, ut quis ſit prudens, qui non ſit bonus. Sanctus Chryſoſtomus ait, virtutem eſſe fontem, matrem, & radicem prudentiæ: improbitatem autem, ex amentia capere initium. S. Ambroſius volens nos avertere à malis conſiliariis, lutoſo fonti eos comparat. Quis, ait, in cœno fontem requirat? Quis è turbida aqua potum petat? Itaque ubi luxuria eſt, ubi intemperantia, ubi vitiorum confuſio, quis inde ſibi aliquid hauriendum exiſtimet? Quis non deſpiciat morum colluvionem? Quis utilem cauſæ alienæ judicet, quem videt inutilem ſuæ? Ita Ambroſius, lege illum etiam cap. 17. Neronem Imperatorem mali conſiliarii corruperunt, ut docet Xiphilinus: & Joam Regem Juda, ut habetur 2 Paralip. 24. qui bonis conſiliis Jojadæ Pontificis in Dei Cultu conſtans fuerat: poſt ejus mortem idola coluit, & Zachariam Prophetam interfecit. Zacharias memoriam Dei ſignificat, hanc tollunt ex animo conſiliarii ſcelerati. Itaque ſapienter dicebat Job, Rex Huſſitarum, capite vigeſimo primo, 16. *Conſilium impiorum longè fac a me.* Sunt locuſtæ armatæ prodeuntes de puteo abyſſi, quorum vox eſt vox curruum equorum currentium in bello. Apocalyp. 9. aut ſunt equi & equites, ex quorum ore procedit ignis, fumus & ſulphur. Ibidem. Nihil ſpirant præter crudelitatem. Imitare Fridericum III. Imperatorem, qui à ſe rejecit conſiliarios, à quibus impellebatur, ut clàm perderet Ladislaum puerum, Hungariæ & Bohemiæ Regem, cujus mors opes maximas & duo regna illi allatura eſſet. Quî fit, inquit, quòd me divitem potiùs, quàm pium erga meos eſſe cupitis? Ego ſanè divitias non ita amo, ut impiis conſiliis perſuaſus, propter eas indignum facinus perpetrare velim, ut narrat Æneas Sylvius libro tertio Comment. de Rebus geſtis Alphonſi. Vide à me dicta Pſalm. 100. 4. & 7. atque Pſal. 118. 115. Item, Pſal. 25. 4.

Secundò, qui non abit in conſilio impiorum, eſt perfectus V. & VI. editio ac Theodotio eum quem hîc Septuaginta dicunt μακάριον, appellant τέλειον, id eſt perfectum, q. d. Ille perfectus eſt, qui non ſinit ſe abripi ab impiis conſiliariis. Plato in Theage, ait, conſilium eſſe ἱερὸν χρῆμα, rem ſacram, & ſanctus Baſilius in Iſaiam, ἱερὸν πρᾶγμα. Baſilius Imperator in exhort. ad Leonem filium dicit, in prudentum conſilio Deum quaſi in ſolio ſuo conquieſcere. Hinc Jethro dicebat Moſi, Exod. 18. 19. *Audi verba mea atque conſilia, & erit Deus tecum.* Dio Chryſoſtomus oratione trigeſ. ſecunda docet, quorum Dii providentiam habent, iis concedere bonos conſiliarios, αὐτομάτους, etiam ultrò venientes. Inter Getas ſemper erat aliquis, qui Zamolxis callens inſtituta Regi conſiliarius adeſſet, & Dei nomen aſſequeretur, ut refert Strabo

Right-margin notes: 10. Beatus eſt, qui non abit in conſilio impiorum. 1. Eſt irreprehenſibilis. — 11. 2. Eſt perfectus.

lib. 7. ubi ait, Auguſto Romæ imperante Boërebiſtam tenuiſſe Imperium Getarum: Decæneum verò, ſive Ceneum, fuiſſe ejus conſiliarium. Iſocrates Nicocli Regi dicit, bonum conſiliarium eſſe utiliſſimam, & maximè regiam omnium poſſeſſionem. Et Tacitus libro 4. nullum, ait, majus boni Imperii inſtrumentum, quàm bonus conſiliarius, qui meritò pacis decus ſit appellandus. Jeſus Siracides Eccli. 21. 16. multa paucis complectitur, cùm dicit: Conſilium ſapientia eſſe fontem vitæ.

12. 3. Eſt quietus. Tertiò, qui non abit in conſilio impiorum, eſt quietus. Contrà verò, qui eo ſe duci patitur, quietis nullam habet partem. Hebraica vox רשעים *reſaim*, quæ hic habetur, ſignificat non ſolùm impios, ſed etiam inquietos in ſeipſis, ac perturbatores aliorum, Iſai. 57. 20. *Impii quaſi mare fervens, quod requieſcere non poteſt.* S. Chryſologus egregiè, & aptè ad Pſalmum noſtrum, eam fluctuationem deſcribit, ſerm. 44. *Abiit, abiit à ſe, à Deo impius cùm receſſit: nec ſtat in conſilio, impius cogitationibus qui vagatur. Iſte modo fertur ad cælum, modo refertur ad terras, jactatur per maria, levatur fluctibus, mergitur in profundo: cumque ſua ſemper mente volvitur ut ebrius, non ſe computat, & computat cælum: qui ſe ſcire exiſtimat totum, ſe neſcit.* Alios etiam quietos eſſe non patiuntur improbi, ſed pravis ſuis conſiliis eos exagitant, Iſai. 19. 13. dicitur: Stulti facti ſunt Principes Taneos, emarcuerunt Principes Mempheos, deceperunt Ægyptum, angelum populorum ejus. Dominus miſcuit in medio ejus *ſpiritum vertiginis*: Chald. & Sept. ſpiritum erroris, *& errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens.* Hebr. ebrius in vomitu ſuo. Scholiaſtes Ariſtophanis ait, Neptunum Deum iratum Athenienſibus, immiſiſſe illis δυσβουλίαν, id eſt, ſtultum & malum conſilium, veluti furiam quæ omnia perverteret. Marius Maximus ſapienter dicebat, meliorem eſſe Rempublicam, & propè tutiorem, in qua Princeps malus eſſet, quàm in qua amici Principis pravi exiſterent: quia unus malus poteſt à pluribus corrigi, non verò multi ab uno: idem ſentiebat, & dictitabat Homulius Senator Romanus: Quas turbas ſuis conſiliis & fraudibus non excitârunt Brunechildis & Fredegundis in Francia, Athalia & Alexandra in Judæa, Cleopatra in Ægypto, Draomiria, ſeu Drahomira in Bohemia, Caroci mater in Germania & Gallia? Carocus enim Rex Vandalorum cum magna multitudine pervagatus Germaniam, aſſenſu Germanorum trajecto Rheno Gallias invaſit, & vaſtata per gyrum patria, indigenas graviter afflixit. Ei mater, deteſtabilis mulier, à cujus nutu pendebat, tale dedit conſilium: Fili, ſi nomen quæris æternum, omnia ædificia quæ cæteri Reges & Principes conſtruxerunt, deſtrue: & homines, quibus illi pepercerunt, occide. Tu enim neque meliora neque pulchriora poteris ædificia conſtruere, quàm dudum illi conſtruxerunt: neque pietate, modeſtia, elementia, illis parcendo, quos viceris, nomen tibi facere glorioſum. Impiæ matris impio uſus conſilio Carocus, Rheno tranſmiſſo Moguntiam Urbem Ciſrhenanam, cum habitatoribus cunctis delevit, incendit, ac funditus deſtruxit. Deinde Vormatiam, poſtea Spiram ſimili furore aggreſſus, interfectis civibus cunctis, quos reperit, ſubvertit. Inde movens, Trevirorum urbem Ciſmoſellanam obſedit, cepit, & vix paululum à clade Francorum reſpirantem deſtruxit. A Treviris movit ad Metenſem civitatem, quam cepit, ſubvertit, cunctis habitatoribus ejus necatis. Inde progreſſus, interiorem Galliam intravit, & poſt multarum urbium deſolationes, Arelatenſem poſtremò civitatem obſedit, ubi à milite quodam, nomine Marcio, captus & vinculis conſtrictus, per omnes civitates, quas devaſtaverat, eſt circumductus cum ludibrio, & vitam nimis impiam digna morte finivit. Ita habetur in libro 1. compendii Joannis Trithemii.

Quartò denique, qui non abit in conſilio impiorum, it per viam rectam, & bonis omnibus, etiam temporalibus, abundantem. Pro, *beatus*. Hebr. eſt אשרי *aſre*, quæ vox & beatum, & beatitudinis, & beatè ſignificat. Hinc Arias vertit, *beatitudines viri qui non ambulavit in conſilium impiorum.* Et Arabs: *Beatitudo viro, qui non eſt ſectatus ſententiam inobedientium.* Vox autem Hebr. *aſre* derivatur à Rad. אשר *aſar*, rectà ambulavit, direxit, felix fuit. Hinc mihi videtur deduci Gallicum verbum *aſſeurer*, id eſt, ſecurum reddere. Sic etiam εὐοδεῖν & εὐοδοῦν Græcis ſunt proſperè agere, benè & feliciter ambulare, dirigere. Salomon Rex ſapientiſſimus dicit, Prov. 2. 11. *Conſilium cuſtodiet te.* Contra verò, ut ait S. Gregorius, valde fortitudo deſtruitur, niſi per conſilium fulciatur. Origenes in cap. 14. ad Romanos, conſiliarios improbos comparat piratis, lumen in ſcopulo accendentibus, ad naves eò trahendas, ut frangantur. Achab Rex Iſraël credens malis conſiliis pſeudo-Prophetarum ad bellum contra Syros impellentium occiditur. 2 Reg. 22. Sedecias Rex Juda Regnum amittit, ante oculos ſuos videt filios occidi, excæcatur juſſu Nabuchodonoſoris, qui Jeroſolymam & Templum incendit & evertit, 4. Reg. 25. Herodes Tetrarcha Galilææ & Peroeæ uſus pravis conſiliis Herodiadis uxoris ſuæ regno exuitur, & exul in Gallias amandatur, ut refert Joſeph. Jacobus III. Scotorum Rex, quòd benè monentes nobiles non audiret, regnum amiſit, ab iis expulſus eſt, filio in locum ejus ſuffecto, ut ait Polydorus Virgilius. Notabile eſt quod affert Joannes Magnus lib. 2. de Botuildo Sueonum Rege. Cùm enim ob avaritiam & ignaviam omnibus exoſus, urgentibus hinc Rutenis, illinc Danis, fugere è Regno cogeretur, Storblindus Theſauri cuſtos petiit, an rei alicujus oblitus eſſet? Cui ille nimis tardè ſapiens, Ego, inquit, nimis diu oblitus ſum bonorum procerum meorum conſilia audire: in quam oblivionem niſi incidiſſem, ego ſalvus in ſalva patria, quam nunc turbatam relinquere cogor, permanerem. Mox erectis velis ſe ad Curetes recepit. Inde reverſus, & ſanioribus uſus conſiliis, multa in ſtatum feliciorem reduxit. Ad rem noſtram etiam aptius eſt, quod idem author ait de Carolo Canuto Rege Sueonum & Gothorum lib. 23. cap. 7. Is non ſua, ſed avariſſimorum præfectorum culpa regno pulſus à Joanne Upſalenſi Archiepiſcopo, ad Caſimirum Regem Poloniæ fugere volebat. Diſpoſitis navibus, cùm jam ſola anchora levanda reſtaret, quidam ex præfectis Regem interrogat. An quicquam in terra neglexiſſet? At is ſuſpirans reſpondit: Neglexi profectò ante plures annos te, & tui ſimiles in furcam ſuſpendere: quod ſi tunc feciſſem, nunc quietus in tranquilla Republica permanerem. Deinde erectis velis in Gedanum celeberrimum Pruſſiæ emporium pervenit.

13. 4. Bonis omnibus abundat.

Nota. Vox Hebraica עצה *eſa*, quæ hic habetur, & conſilium ſignificat, deducitur à Rad. יעץ *iaas*, conſulere, deliberare, decernere, quam quidam tranſpoſitam volunt ex יצע *iaſa*, id eſt, ſternere: quòd conſilium ſit velut ſtratum, ſuper quod conſiſtant actiones. Si fundamentum firmum ac ſolidum eſt, firmæ ac ſolidæ ſtabunt actiones: ſi verò fundamentum ſit arena fluctuans, omnia corruent. Ariſtoteles lib. 2. Ethic. cap. 41. ait, virtutes aut conſilia quædam eſſe, aut non ſine conſilio. S. Chryſoſtomus dicit, conſilium eſſe λύχνον βίου, Lucernam vitæ, & ubique præire debere. Syneſius in oration. de regno. *Rex*, inquit, *amicos in ejuſdem naturæ communionem adſciſcit, vim quodammodo ſuam multiplicans: ita enim fiet, ut & omnium oculis videat, & omnium auribus audiat, omniumque animis in unum conſentientibus conſilium capiat.* Ita Syneſius. Erant apud Perſas ex intimis regis, qui ſpeciali nomine dicerentur Regis oculi, & Regis aures: ii ſcilicet, quorum oculis & auribus res regni ſui videbat, atque audiebat. Plato in Theage dicit, eſſe ἀλαζονείαν δεινήν, intolerabilem

14. Conſilium eſt baſis actionum.

ſuper-

ſuperbiam, exiſtimare ſe nullius egere conſilio: ſed ſibi uni attentum eſſe, quaſi ſolus poſſit ſine conſilio decernere, quæ optima ſunt. S. Baſilius in regulis fuſius diſputatis vocat, *αὐθαδείας δεῖγμα*, arrogantiæ ſignum. Ariſtoteles lib. 1. Ethic. eum qui aliena conſilia contemnat, vocat *ἀχρεῖον ἄνθρωπον*, hominem nihil, hominem ad omnia inutilem. Sed ſedulò videndum eſt, ut bonum ſit conſilium. Dio Chryſoſtomus in Rhodiaca dicit, ſexcentos inveniri poſſe, quibus magis profuerit auferre pecunias, quàm dare: bono autem conſilio neminem eſſe qui non egeat in omni tempore, & ad omnem vitam, ne is quidem qui feliciſſimè degere videtur. Hinc omnia regna & Reſpublicæ Senatum, veluti baſim felicitatis ſuæ, ſibi conſtituunt: apud Judæos erat Sanhedrin 72. ſapientiſſimorum virorum. Lycurgus, teſte Ariſtotele, conſtituit Lacedæmone octo & viginti ſeniores, qui duobus Regibus aſſiderent. Romulus Senatores à ſe creatos Romæ, patres populi appellavit. Venetorum Duci aſſident ſex grandiores natu ex primoribus patrum, qui ex ſenis regionibus urbis (Sexteria vulgò appellant) ex ſingulis ſinguli creantur: octimeſtre id munus. Hi quia in conſulendo & decernendo frequentes principi aſſiſtunt, ab re ipſa *Conſiliarii* ſunt nominati: eſtque is Magiſtratus non recens, ſed non multò poſt ducatiam poteſtatem natus: quippe qui Dominici cognomento Moncearii principatu, qui poſt Theodatum & Gallam magiſterio Equitum ſucceſſit, in Republica eſſe cœperit. Conſtat enim ob præceps ingenium, duos illi annuos conſiliarios datos, quos utique Tribunos ab initio dictos reperio. *His abſentibus, nullum principi publicum curare licet negotium, non audire, non decernere, non publicas literas reſignare: ſi quatuor eorum convenerint, vel eo abſente negotium omne tranſigunt*, ut aſſerit Sabellicus de magiſt. Venetorum.

15. Adoleſcenti ſunt maximè noxia prava conſilia. Nota 2. Adoleſcentibus præſertim ac pueris cavendum eſt, ne abeant in conſilio impiorum. Theodotio, V. & VI. editio habent in Pſalmo noſtro: *Beatus νεώτερος juvenis, qui non abiit*, &c. Ut enim ait Ariſtoteles lib. 2. Rhetor. cap. 12. juvenes ſunt maximè *φιλέταιροι καὶ εὐεξαπάτητοι* amicorum ſtudioſi, & facilè decipiuntur. Hinc Salomon filium ſuum monet Prov. 1. 10. *Fili mi! ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis.* Nam, ut ſcribit S. Bernardus in Epiſt. 78. ad Suggerium: *Habent & lac & oleum peccatores, ſuave quidem, ſed venenoſum, ſed mortiferum.* Vide à me dicta Pſ. 54. 22. Lamiæ ſunt nudantes mammam, & lactantes catulos ſuos. Thren. 4. 3. Rabanus in Lamia figurari vult hypocritam: habent enim humanam faciem, ſed corpus beſtiale. Hoc aptiſſimè dicetur de pædagogis, magiſtris, nutricibus, parentibus, & conſiliariis malis puerorum nobilium, quibus cum lacte venenum inſtillant. Salvianus lib. 5. de providentia. *Nutrices*, ait, *mores ſuos, vel bonos, vel malos, in pueros quos alunt, cum lacte tranſmittunt: ita exiſtima de conſiliariis & præceptoribus adoleſcentium: utrique enim mores ſuos cum doctrina tranſmittunt.* Ita Salvianus.

Eam ob rem graviſſima damna multi paſſi ſunt. Tres tantùm Judææ Principes videamus. Primò, Davidis noſtri filius Abſalon, qui patris pacem ſignificat, deluſus à conſiliario ſcelerato Achitophele, qui ſignificat fratris ruinam, Regem ſe proclamari curat in Hebron, patrem ex urbe regia deturbat, decem ejus concubinas in oculis ſolis polluit, patrem fugientem occidere cogitat, numeroſum exercitum in eum movet, in prælio vincitur, & è quercu pendens tribus lanceis à Joabo in corde configitur, ac ſine pompa funebri in foveam grandem projicitur, & lapidibus obruitur. 2 Reg. 17. ac 18. Secundò, Roboam, filius Salomonis, ſecutus inſulſum & crudele conſilium juvenum, decem regni ſui tribus amiſit, quæ elegerunt ſibi Regem Jeroboamum, idola coluerunt, & nunquam ſe tribui Juda & Benjamin conjunxerunt, donec regnum Iſraël deſtructum eſt à Salmanaſare, Aſſyriorum Rege, & Regnum Juda à Nabuchodonoſore Rege Babylonis. 3 Reg. 12. Tertiò, Ochozias, Rex Juda, ingreſſus eſt per viam domus Achab: mater enim ejus Athalia impulit eum ut impiè ageret. Fecit igitur malum in conſpectu Domini, ſicut domus Achab: *Ipſi enim fuerunt conſiliarii poſt mortem patris ſui in interitum ejus.* 2 Paralip. 22. 3.

Contra verò, juvenes celebritatem nominis ſibi comparant, ſi conſilia ſenum ſequantur. Conſtantino Magno quærenti, quo pacto Alexander Imp. & adoleſcens & Syrus in talem evaſiſſet principem, cùm Tiberii, Caligulæ, Nerones, Domitiani, Commodi, ante illum principes Romani ſanguinis, Imperatorium nomen dignitatemque fœdâſſent? Reſponſum fuit, id potiſſimum moribus ac probitati eorum accepto eſſe referendum, quos ille Princeps in conſilio habuerat, Ulpiano, Julio Paulo, Pomponio, Fabio Sabino, Juriſconſultis præſtantiſſimis & viris clariſſimis. Ita Rutilius in vita Ulpiani. Nullam legem ille Imperator ſanxit ſine viginti viris Juris ſcientiæ peritis, quos in conſilio habuit, ut aſſerit Sabellicus lib. 6. Ennead. 7.

Nota 3. Opus eſt mentis fortitudine, ut non 16. Mentis robore eſt opus ad conſilia mala evitanda.
abeas in conſilio impiorum. Unde dicitur: *Beatus vir, qui non abiit*, &c. Hebr. איש *is*, virum ſignificat vividum ac veluti igneum, mentis vigore & ardore excellentem. Hinc vox Græca *ἴς*, id eſt, robur, & Latina *vis* deducitur. Rad. eſt אש *es*, hoc eſt, ignis: vel יש *ies*, eſt: quòd vir prius ſit creatus quàm mulier, aut quòd authoritate, dignitate & gloria antecellat. S Bernardus ſerm. 35. ex parvis, aſſignat quatuor modos evadendi ex malis conſiliis impiorum. *Ad hoc*, inquit, *conſilium impiorum itur quatuor modis. Quidam enim trahuntur inviti, alii attrahuntur illecti, alii seducuntur ignari, alii ſequuntur ſpontanei. Iſtis neceſſaria ſunt quatuor virtutes, per quas armati reſiſtant, ne in conſilium eant. Invitis neceſſaria eſt fortitudo, qua reſiſtant uſque ad mortem minis, cruciatibus & damnis. Illis qui attrahuntur illecti, indigent temperantia, qua reprimit illicita deſideria, nec cedit promiſſionibus, nec emollitur blanditiis. Illis qui ſeducuntur ignari, opus eſt prudentia, qua ab utilibus inutilia diſcernit: & docet quid timendum, quidve rejiciendum ſit. Juſtitia indigent illi, qui ſequuntur ſpontanei, &c.*

ARTICULUS II.

Beatus eſt, qui in via peccatorum non ſtetit.

NUnquam abire in conſilio impiorum difficile 17. Verſ. 1. 2. pars. Via peccatorum.
eſt, ſaltem in eo non eſt manendum. Itaque additur, *& in via peccatorum non ſtetit.*

Quæres primò, quænam eſt via peccatorum? Reſpondet primò Didymus, viam peccatorum eſſe Diabolum. Chriſtus eſt via Sanctorum & virtutum: unde ipſe ait Joan. 14. 6. *Ego ſum via.* Secundò, viam peccatorum, eſſe mundum, docet S. Bernardus ſerm. 35. ex parvis. Tertiò, S. Chryſologus ſerm. 44. opinatur, viam peccatorum eſſe vitam noſtram in terra, ob multiplices ejus lapſus. Tam frequenter enim larvæ peccatorum in ea occurrunt, ut inde ſibi nomen poſſit aſſumere. Chryſologi verba ſunt: Si ſic, fratres, ab utero in viam projicimur peccatorum, & delictorum iter totas currimus per ætates, cogitemus infantiæ vanitates, adoleſcentiæ lapſus, juventutis ruinas, ſenectutis morbus: & tunc nos non viam vitæ, ſed peccatorum viam carpere ſic videbimus. Hæc ipſe, qui de hac via arbitratur locutum eſſe Chriſtum Matth. 7. 13. cùm ait: Quàm lata & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem: & multi qui intrant per eam! *Delictis lata*, inquit, *diffuſa fluctibus, criminibus ſpatioſa: & verè via eſt hæc vita præſens, in quam venit & vadit homo.* Hæc Chryſologus. In via continua ſumus, in qua ambulamus die ac nocte, innumeris nos à tergo propel-

 len-

lentibus, nemine vel pedem unum retrò flectente. Eccleſiaſt. 1. 4. dicitur: *Generatio præterit, generatio advenit*. Locus aliis dandus eſt, velut aquis in ima ruentibus, & alias impellentibus. Quartò, S. Bernardus ſerm. 35. ex parvis, jam citato, ait, viam peccatorum eſſe propriam voluntatem, quæ eſt ſuperbia, ex qua ſunt omnia mala: ſicut ex communi ſunt bona. Hæ quatuor explicationes ſunt myſticæ.

Quintò igitur ad literam, via peccatorum, eſt eorum agendi ratio, ac modus & progreſſus in ſceleribus, quibus interni dies noctéſque in vanis cogitationibus & actionibus traducunt. S. Gregorius lib. 16. Mor. 5. *Via elati*, inquit, *ſuperbia: via raptoris, avaritia: via eſt lubrici, concupiſcentia carnalis*. Hæc ille. Anima enim noſtra cogitationibus ſuis & affectionibus ambulat, ſicut corpus pedibus.

18. Stare in via peccatorum. Quæres ſecundò, quid eſt ſtare in via peccatorum? Reſp. primò, illos peccatores ſtare in via, qui in illa ſunt immobiles, ita ut neque progrediendo ad majora ſcelera, neque regrediendo ad virtutem, in uno eodémque ſtatu & loco perſiſtant. Secundò & melius, in via peccatorum ſtare, & jugiter in ea perſeverare, & conſtanter in ea ambulare cum peccatoribus: laborem itineris non recuſando, ſed ſemper ad deteriorem ſtatum prolabendo. Ipſa enim obſtinatio, licèt in iiſdem vitiis, magnus eſt ad interitum curſus: in via lubrica ſunt ſcelerati, ſemper in abyſſum defluunt. illos ubi error avius, aut cœca temeritas, aut malitia præceps, in abrupta conjecit, obſtinatio furentes agit, vires iis ſufficit, greſſum urget, ac perenni jactatis motu nullam quietis partem tribuit. Stat ſemper peccator, non recumbit: pergit ſemper ulteriùs, ut de reditu deſperet. Quare, ſtatus ille immobilitatem quamdam voluntatis malo adhærentis oſtendit. Hinc Deus, inde conſcientia, inde terror judicii & inferorum, inde ſpes præmiorum ac bonorum cœleſtium impellit: ſed ſtat cautes obdurata atque immobilis hæret.

19. Via peccatorum eſt lata. Nota, pro via, Hebr. eſt דרך derech, id eſt, via ſpatioſa, & à multis calcata: Rad. *darach*, calcavit. *Via* quoque apud latinos eſt iter latum & amplum, dicta quaſi *veha* à vehendo, ut ait Varro. Via, ut dicit Paulus Juriſconſultus, conſtitui vel latior octo pedibus, vel anguſtior poteſt, ut tamen eam latitudinem habeat, qua vehiculum ire poteſt: alioqui iter ſit, non via. S. Ambroſius in pſal. 1. oſtendit latitudinem viæ peccatorum ducentis ad mortem, & coarctationem callis ſanctorum, ad cælum & coronam promoventis deſcribit, his verbis: *Juſtorum via anguſtior eſt, injuſtorum latior. Illa ſobrietatis anguſtior, hæc ebrietatis latior, ut poſſit capere fluctuantes. Hæc habet ſeculi hujus illecebras, illa habet futurorum præmia. In iſtis fructus præſentior, in illis ſpes tardior*. Hæc & alia fuſè Ambroſ. ſecutus S. Baſilium, quem etiam conſule. Periculum itaq; eſt, ne multitudo in eam viam confluentium te attrahat, & in ea detineat obſtinatum.

20. Nota 2. pro, *peccatorum*, Hebr. eſt חטאים *hattaim*, id eſt, peccatorum errantium & à ſcopo deflectentium. Rad. *hata* peccare, alterare, à via & ſcopo deflectere. Via illa periculoſa & noxia eſt, quæ tendit in præcipitium & abyſſum. *Iter impiorum peribit*. Pſalm. 1. 6. Vide ibi dicta. 2. *hattaim*, id eſt, peccatorum, qui habent peccandi conſuetudinem & habitum. Hinc deducitur Græcum ἄτη, id eſt, nocumentum, noxa, clades. Ate, malus genius ſeu dæmon, qui noxas & turbas immittere ſolet rebus mortalium: inde etiam derivatur ἀτάω, id eſt, inſanio: omnis enim peccator ſtultus eſt, & ſibi aliiſque noxius, ac dæmon quidam terrenus.

21. Omnis peccator ſtat. Moral. Omne peccatum de obſtinatione dæmonis participat, & in malitia ſtabilitatem dat per frequentatos actus. Primò itaque, ſuperbi ſtant inſtar onagrorum, qui ſe liberos natos putant. Jerem. 14. 6. *Onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum quaſi dracones*. S. Gregorius lib. 20. Mor. 29. in illud, frater fui draconum, ſuperbos comparat etiam draconibus. Secundò, ſtat luxurioſus ſuo damno. Dan. 8. 3. *Ecce aries unus ſtabat ante paludem*, habens cornua excelſa, & unum excelſius altero atque ſuccreſcens. Poſtea vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem, & omnes beſtiæ non poterant reſiſtere ei. Aries ille erat Darius Codomannus, luxu & luxuria perditus: duo ejus cornua erant, vel Cyrus & Darius Medus, duo illius imperii fundatores, ut ait S. Hieronymus: vel duæ familiæ regiæ, una Cyri, altera Darii Hyſtaſpis, ut vult Theodoretus vel meliùs, ipſi Perſæ & Medi, ut placet Pererio: cornu excelſius erant Perſæ, à quibus illud imperium dicebatur Perſicum. Luxurioſus omnes ventilat obſtantes cupiditatibus ſuis: ſed vincitur ab hirco, id eſt, ab aliquo rivali fortiore, ſicut Darius poſt varias gentes domitas profligatus eſt ab Alexandro, & regno ſuo ſpoliatus. Tertio, iratus ſtat ſtrictum gladium tenens, eoque ſe & alios transverberans, Ezechiel alloquens Judæos in Babylone captivus, ait: *Steteſtis in gladiis veſtris, feciſtis abominationes*. Quartò invidus ſtat, ut commodiùs & promptius aliis noceat. Jer. 52. 12. *Nabuzardan princeps militiæ ſtabat coram rege Babylonis in Jeruſalem*, & incendit domum Domini, & domum Regis, & omnes domos Jeruſalem, & omnem domum magnam igni combuſſit. Nulla utilitas ex incendio provenit incendiario: talis eſt invidus, qui id unum curat, ut alteri noceat. Nabuzardan Hebr. ſignificat latratum diſpergentem litigantis. Lites ſæpè nihil afferunt præter clamores, rixas, invidias, & incendia domorum & familiarum, quas in cineres redigunt. Stat coram Nabuchodonoſore, qui ſignificat planctum judicii, ſi aliquibus credimus. Quintò, ſtat ipſe piger, & eam ob rem perit, Jer. 48. 45. *In umbra Heſebon ſteterunt de laqueo fugientes: ignis egreſſus eſt de Heſebon, & flamma de medio Seon, & devorabit partem Moab, & verticem filiorum tumultus*. Heſebon ſignificat cogitationem: Seon verò, bellum, afflictionem, anguſtiam. Stat piger cogitans, & nihil agens, unde à flamma & miſeriis conſumitur. Vult & non vult piger, Prov. 13. 4. Itaque ſtat veluti ſtupidus, neſcius quò ſe vertat. Sextò, avarus ſtat, veluti Lupus apertis faucibus prædam expectans, Ezech. 22. 27. agens de principibus Jeroſolymæ, ait: *Principes ejus in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam*. Septimò denique, guloſi ſtant, ſicut canes ad menſam Domini: ſed dicitur illis, foris canes. Apocal. 22. 15. &, famem patientur ut canes, Pſalm. 58. 7.

Nota. Spei radius affulget, cùm dicat Propheta noſter, beatum eſſe illum, qui in via peccatorum non ſtetit. Deſperandum enim eſſet, ſi dixiſſet, beatos eſſe illos ſolos, qui in eorum viam non abiiſſent: hoc enim eſt impoſſibile, ut ait S. Hieronymus: & S. Chryſologus ſic ait ſerm. 44. Non dixit Propheta, non venit. Nemo enim in viam non venit peccatorum, in quam nos ipſa lex naturæ perducit & mortis. S. Auguſtinus l. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 5. *Aliter*, inquit, *ſapere quàm ſe res habet, humana tentatio eſt. Nimis autem amando ſententiam ſuam, vel invidendo melioribus, uſque ad præcidendæ communionis & condendi ſchiſmatis vel hæreſis ſacrilegium pervenire, diabolica præſumptio eſt. In nullo autem aliter ſapere, quàm ſe res habet, Angelica perfectio eſt*. Hæc Auguſtinus. In viam peccatorum abeunt Leves, quos, vilis inſtar algæ & ſpumæ, ludibundus turbo modò in hanc, modò in illam rupem allidit. In via peccatorum ſtant, qui in profunda vitiorum merſi variis tunduntur fluctibus, nec poſt ingentes boatus ac fremitus loco cedunt. S. Bernardus utrumque evitandum eſſe docet ſerm. 35. ex parvis. Abire, inquit, pertinet ad illos, qui ſunt & inconſtantes, & leviter poſſunt impelli. Quod quidam volentes evitare, fiunt evidenter obſtinati, nullius conſilio acquieſcentes, propoſitum ſuum immobiliter tenentes: & ideo adjunctum eſt, *& non ſtetit*: ſcilicet, ut nec levis ſit, nec obſtinatus. Ita Bernardus. 22. Difficile eſt non peccare, ſed cavenda eſt obſtinatio.

Quæres, quibus motivis moveri quis poteſt, ut non ſtet obſtinatus in via peccatorum? Reſp. Sex præſertim afferri poſſe. 23. Motiva ſex ad obſtinationem vitandam. Primum.

Primò, quia obſtinati provocant iram & maledictionem Dei. Apoc. 8. 13. *Et vidi, & audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cæli, dicentis voce magnâ; Væ! væ! væ habitantibus in terra!* Id eſt, in rebus terrenis cum affectu & ſtabilitate. Joachimus dicit, illam aquilam eſſe S. Gregorium Papam, homines

tores ſui temporis ad emendationem morum incitantem. 2. Vieges noſtes arbitratur, aquilam illam eſſe ipſum S. Joañem, qui myſteria altiſſima penetravit. 3. Aretas & Ticonius volunt, aquilam eſſe typum concionatorum, qui in fine mundi declarabunt hominibus venturam punitionem ob peccata: debent enim volare per medium cæli, vitam cæleſtem inſtituendo, & homines abſterrendo à vitiis, movendoque eos, ut meminerint ſe eſſe peregrinos, neque domor aut fixum habitaculum quærere debere, ſed tabernacula, ſicut Abraham, Iſaac, & Jacob, qui vixerunt in Chananitide, manentes in caſulis quaſi peregrini, ſcientes ſe non habere in terra manentem civitatem, S. Ambroſius lib. 2. de Abraham, cap. 7. *Non habitatores*, ait, *ſed accolæ ſumus terræ hujus. Accola enim temporalis diverſorii ſpem gerit: habitator autem ſpem omnem atque uſum ſua illic ſubſtantia locare videtur, ubi habitandum putaverit. Itaque, qui eſt terræ accola, habitator cæli eſt. Qui autem habitator terræ, poſſeſſor eſt mortis.* Et S. Hieronymus in cap. 7. Ezech. ait: Sanctus non eſt habitator terræ, ſed advena atque peregrinus; dicitque Pſalm. 38. 13. Advena ſum & peregrinus, ſicut omnes patres mei. Quamobrem & Abraham Hebræus, id eſt, περάτης, & peregrinus tranſitorque memoratur. Sic ipſe.

24. Secundum. Secundò, in obſtinatione peccata fiunt graviora & magis noxia. Apocal. ibid. 21. *Et grando magna ſicut talentum deſcendit de cælo in homines, & blaſphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis: quoniam magna facta eſt vehementer.* Ad literam locus iſte intelligitur de vera grandine, quæ tempore Antichriſti cadet in ſceleratos, & habebit molem ac pondus talenti, ut cenſet Alcazar. Talentum autem Atticum erat mnarum ſexaginta, id eſt, Romanarum librarum 62. cum dimidia, quæ efficiunt uncias 750. antiquum talentum Hebræorum erat duplum ad talentum Atticum. 2. Alcazar idem opinans, per grandinem illam myſticè deſignari obdurationem, quâ nonnulli ex Gentilibus plectebantur, cùm Conſtantinus & Romani ad Chriſtum fuerunt converſi. 3. Richardus ſumit de obduratione damnatorum in inferis. 4. Malim cum Cornelio à Lapide interpretari de quavis obſtinatione impiorum, de qua S. Auguſtinus tom. 10. ſermone de ſanctis Innocentibus, dicit: *Percutitur hac animadverſione peccator, ut moriens obliviſcatur ſui, qui, dum viveret, oblitus eſt Dei.*

22. Difficile eſt non peccare, ſed cavenda eſt obſtinatio.

25. Tertium. Tertiò, in obſtinata voluntate ſtandi in viis peccatorum, alia ex aliis peccata ſuceteſcunt & multiplicantur. Iſaiæ 34. 14. *Occurrent dæmonia onocentauris, & piloſus clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, & invenit ſibi requiem. Ibi habuit foveam ericius, & enutrivit catulos & circumfodit, & fovit in umbra ejus: illuc congregati ſunt milvi, alter ad alterum.* Onocentauri ſunt dæmones ſeu ſpectra & larvæ, quæ monſtroſa & terrifica figura Idumæam à Sennacheribo rege Aſſyriorum deſolatam percurſura dicuntur, partim humana, partim equina vel aſinina figura. Nam fabuloſum videtur, quod dicunt Plutarchus & Ælianus, onocentaurum eſſe animal collo, pectore, mammis muliebribus, & humeris, brachiis ac digitis humanis: ſed dorſo, lateribus, ac pedibus aſininis, ſicut etiam colore cinereo. Piloſi in eo loco intelliguntur etiam dæmones hirſuti inſtar hircorum, quos Faunos & Satyros Ethnici vocaverunt: & quidem Caldæus Paraphraſtes vertit, dæmones inter ſe colludent. Lamiæ, ſunt aut ſtryges atque ſagæ, quæ pueros enecant, aut ipſi dæmones ſuccubi, aut eorum ſpectra formâ muliebri apparentis & ad libidinem incitantia; ut deluſos poſtea devorent: Empuſæ vocantur. Hæc facilè adaptare potes ſociis depravatis, ſed potiſſimum luxurioſis. 2. De eadem Idumæa vaſtata addit Iſaias verſu undecimo. *Et poſſidebunt illam onocrotalus, & ericius, ibis, & corvus habitabunt in ea.* Onocrotalus avis erat immunda apud Judæos: deducitur ab ὄνος, aſinus & κρόταλον, crepitaculum: quia voce abſona rudentem aſinum refert: ab Hebræis vocatur קאת *Kaa*, à vomitu. Nonnulli vocant gutturoſam avem, ob ingluviem, quæ in ipſius gutture inſtar ſtrumæ propendet; atque in nonnullis tanta eſt, ut quinquilibres vivos

23. Motiva ſex ad obſtinationem vitandam. Primum.

piſces voret hauſtu uno. Jure id dixeris de ſociis voracibus & gulæ deditis. 3. Ibis, eſt avis Ægyptia, quæ ſerpentibus veſcitur: erat quoque avis immunda Judæis, Solinus ait, eam ore generare & concipere, ſed id refutat Ariſtoteles lib. 3. de generatione animal. cap. 6. & jure. Hoc applica ſociis detractoribus & invidis, qui ſerpentibus, id eſt, aliorum peccatis, paſcuntur. Subjungit idem Propheta: *Et orientur in domibus ejus ſpinæ, & urtica. & paliurus in munitionibus ejus: & erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum.* Paliurus, eſt frutex ſpinoſus & aſper, in Cyrenaica regione præſertim proveniens, baccas ferens vini ſaporem ſucco ſuo commendantes. Lotum huic poſtponunt Cyrenaici, ut ait Plinius lib. 13. cap. 19. ſpinas habet acutas, ut dicit Maro, ecloga 5. Ebrioſis ſociis hunc compara: cum vini ſuavitate ſpinas habent, quibus ad ſe accedentes cruentant, & vinum eorum venenum eſt.

Quartò, obſtinati nullis Dei telis penetrari cor ſuum permittunt. Similes ſunt locuſtis è puteo abyſſi cum fumo velut fornacis magnæ aſcendentibus, quibus erat facies hominum, capilli mulierum, dentes leonum, & quæ *habebant loricas, ſicut loricas ferreas.* Apocal. 9. ℣. 9 Compara etiam illos animali Indico, quod ideò Hiſpani nuncupant Armadillum, quia habet corium ſuum inſtar armaturæ & loricæ compactum, & vix penetrabile. Tales erant Judæi, quos Deus ipſe Exod. 32. 9. vocat populum duræ cervicis. Moſes verò Deuter. 9. 6. duriſſimæ cervicis populum. Iſaias cap. 48. 4. ait illi populo: Durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea. Tales fuerunt tyranni plurimi, qui nec miraculis clariſſimis & frequentibus, nec pœnis inflictis ad ſanam mentem revocari potuerunt. Talis Pharao, de quo Exodi 7. 13. *Induratum eſt cor Pharaonis.* Zacharias Propheta de Judæis dicit capite 7. 12. *Cor ſuum poſuerunt ut adamantem, ne audirent legem.* Nicephorus Imperator, immodicæ expilationis nomine reprehenſus à Theodoſio Patricio, Salibara fideli ſuo adminiſtro monente, omnium voces audiri de ipſo conquerentem, ac fore ut ex rebus ipſius aliquando triſtibus gaudium caperent. Si, ait, Deus cor meum, ſicut cor Pharaonis, prorſus obduravit, quid boni erit ſubditis meis? Noli Theodoſi à Nicephoro expectare, quàm quæ vides, ut ait Cedrenus. 26. Quartum.

Quintò, obſtinatus in peccatis ſibi complacet, atque gloriatur cum ſuis amaſiis & compotatoribus. Iſaias agens de everſione Babylonis, id eſt, animæ peccatorum confuſione plenæ, dicit capite 13. 21. *Requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: Et habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi: Et reſpondebunt ibi ululæ in ædibus, & Sirenes in delubris voluptatis.* In anima peccatoris draco ſibilat, clangit ſtruthio, ſaltat piloſus, ulula gemit, & Siren cantat. Sirenes, ſunt marina monſtra, quæ ore & pube tenus ſunt virgines, infernè verò piſces: quale penè noſtro ſeculo captum eſt in Friſia, atque inter homines vixit aliquot annis, ac nere didicit. Poëtæ finxerunt tres fuiſſe Sirenes, filias Acheloi fluminis, quarum una, voce: altera, tibiis: tertia, lyra canebat: & primò juxta Pelorum Siciliæ promontorium, poſtea in Capreis inſulis habitâſſe, ubi nautas cantu ſuo deceptos in naufragia deducebant. Ovidius lib. 5. Metam, ait fuiſſe comites Proſerpinæ. Si veritatem quæris, erant meretrices, quæ cantu & lenociniis allectos homines in ſcelera & extremam inopiam trahebant: ideo ſopire, demergere, ac devorare eos dicebantur. Sirenes dictas quidam volunt ἀπὸ τῆς σειρᾶς, id eſt, à catena, qua fatuos illigabant. Auguſtinus, adhuc voluptatum captivus, illa ſe catenis ita ligari dolebat, ut penè eſſet neceſſitas in ea permanendi. 27. Quintum.

Sextò denique, periculum eſt, ne dum obſtinatio impedit morum converſionem, repentinum exitium afferat. De Ægyptiis ac Pharaone, obdurato animo populum Dei inſequentibus, dicitur Exodi decimo quinto, verſu quinto: *Abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis.* Cives Gabaa in ſuo ſcelere pertinaces, & Tribus Benjamin eos protegens, penè ad internecionem delentur, libro Judicum capite 20. Obſtinatum à Deo punitum poſſis 28. Sextum.

 con-

Digitized by Google

conferre oxori Lothi, quæ licèt ab Angelis abſtracta ex Sodoma flammante, ad eam oculos animumque reflectit, & in ſtatuam ſalis convertitur, Geneſis 19. 26. Videtur ſal ille metallicus fuiſſe, qui reſiſtit pluviæ, & ædificiis ſoliditate ſua eſt utilis. Statuam illam tradit Tertullianus ad ſua uſque tempora perdurâſſe. Burchardus, qui vixit abhinc annis circiter trecentis, dicit, hanc ſua ætate adhuc extitiſſe inter Engaddi & mare mortuum. Adrichomius illam etiamnum ſupereſſe docet. Targum Jeroſolymitanum addit, duraturam uſque ad diem reſurrectionis & judicii.

ARTICULUS III.

Beatus eſt, qui in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

29. NEmo eſt, qui corporum peſtem non fugiat: pauci verò ſunt, qui peſtem fugiant animorum. Beatos dicit David eos qui hoc fecerint; unde addit: *Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Tertul. lib. 2. contra Marcionem legit, in cathedra peſtilentium. Septuag. vertunt, ἐπὶ καθέδρᾳ λοιμῶν, id eſt, in cathedra peſtilentiarum. Una peſtis aliam peſtem creat in ſocietate impiorum.

30. Cathedra peſtilentiæ. Quæres primò, quid ſit cathedra peſtilentiæ? Reſp. primò S. Baſilius in Pſalm. noſtrum, cathedram illam eſſe converſationem ſtabilem & firmam in judicio pravo, quæ habitum vix unquam deſiturum, atque ægerrimè mobilem, ſolet animis ingignere. Animæ enim morbus, ubi jam inveteravit: mali item exercitatio, ſimul atque occalluit diuturnitate, δυσίατος καὶ ἀνίατος παντελῶς, vix ullam admittit medelam, aut certè immedicabilis eſt prorſus: cùm in his, ut in pleriſque aliis, conſuetudo mutetur & abeat in naturam. Hæc Baſilius.

Secundò, Bellarminus cenſet, cathedram peſtilentię eſſe ſocietatem peſtilentem hominum. Chald. favet, qui vertit, & in ſocietate deriſorum non ſedit.

31. Tertiò, S. Auguſtinus arbitratur, illam cathedram eſſe regnum terrenum cum ſuperbia: quia vix quiſquam eſt, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Superbiæ autem peſtilentia, eſt morbus latè pervagatus, & omnes, aut penè omnes involvens. Babylon, id eſt, anima peccatrix, vocatur mons peſtifer. Jeremiæ quinquageſimo primo, verſu vigeſimo quinto, mons, ob ſuperbiam; peſtifer, ob corruptionem: ideo punitur; addit enim Propheta: *Et extendam manum meam ſuper te, & evolvam te de petris*, (id eſt, de arcibus, & de obſtinatione tua) *& dabo te in montem combuſtionis. Et non tollent de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamenta: ſed perditus in æternum eris, ait Dominus.*

32. Quartò denique, & melius, idem S. Auguſtinus ait, cathedram peſtilentiæ eſſe doctrinam perniciosam, cujus ſermo ut cancer ſerpit. 2 Timoth. 2. 16. Græcè, ὡς γάγγραινα, id eſt, ut morbus qui vocatur gangræna, & qui mortem affert, niſi citò pars corporis eo affecta reſcindatur. Itaque rectè Apoſtolus ibi dicit: *Profana & vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem: & ſermo eorum ut cancer ſerpit.*

S. Chryſologus ſerm. 44. diſtinctius explicat, atque: peſtilentiæ cathedram eſſe Philoſophiam, quæ docuit, aut Deos multos: aut eum qui eſt, vel non eſſe, vel non poſſe inveniri. 2. Cathedram peſtilentiæ à Phariſæo proponi, qui traditiones humanas decretis cœleſtibus anteponit. 3. Cathedram illam eſſe hæreſim, quæ ſub ſpecie fidei, ſcindit, rumpit, diſtrahit unitatem.

33. In cathedra peſtilentiæ ſedere. Quæres ſecundò, quinam in ea cathedra peſtilentiæ ſedeant? Reſp. primò, omnem peccatorem ex malitia peccantem ſedere in cathedra peſtilentiæ. Ita ſentit S. Gregorius 3. part. paſtoral. admonit. 33. In cathedra, inquit, peſtilentiæ ſedere, eſt, ex ratione mala diſcernere, & tamen ex deliberatione perpetrare. Quaſi in perverſi conſilii cathedra ſedit, qui tanta iniquitatis elatione attollitur, ut adimplere malum etiam per conſilium conetur. Et ſicut aſſiſtentibus turbia prælati ſunt, qui cathedræ honore fulciuntur: ita delicta eorum qui præcipitatione corruunt, exquiſita per ſtudium peccata tranſcendunt: ita Gregorius.

34. Secundò, ſuperbi ſedent in cathedra peſtilentiæ: omnibus enim eminere volunt. Talis erat Rex Tyri, quæ undique mari cingebatur, & ſupra fluctus eminebat, Ezech. 28. 2. *Elevatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris.* Balthaſar Rex Babylonis altam cathedram ſuperbus ambiebat, cùm dicebat Iſaiæ 14. 13. *Supra aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium.* Alluditur ad ſuperbiam Luciferi, quem cum aliis Angelis S. Joannes Damaſcenus lib. 2. de fide capite 4. putat fuiſſe creatum in aëre, & rebus terrenis fuiſſe præpoſitum, ideoque ſuperiora ambientem, dixiſſe, in cælum conſcendam. Sanctus verò Hieronymus vult creatum eſſe in firmamento, & inde empyreum petere voluiſſe: ſed in empyreo omnes Angelos eſſe creatos docet Magiſter ſententiar. lib. 2. diſtinct. 2. & S. Thomas 1. p. q. 61. art. 4. & cum eo penè omnis ſchola. Montem quærit, quia ſuperbus eſt. Aquilonem ſpectat, quia frigidus amiſit charitatem. Nubium altitudinem amat, quia nihil ſtabile habet, ac vento agitur.

35. Tertiò, in cathedra peſtilentiæ ſedent, qui mala conſuetudine in peccatis obduruerunt. His velut antiquioribus in ſcelerum univerſitate datur pileus & cathedra Doctoris. Talis eſt obſtinata impietas, de qua Zacharias Propheta cap. 5. 7. *Ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una ſedens in medio amphoræ. Et dixit, hæc eſt impietas. Et projecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os ejus.* S. Hieronymus, Haymo, Remigius & Rupertus dicunt, talentum illud plumbeum denotare gravitatem culpæ, & conſequenter pœnæ, quæ peccatores dejicit atque atterit, ita ut ſe erigere nequeant. Sedebat autem ſuper amphoram, ita ut umbilico tenus ſuper eam emineret: pedes verò vel extra vel intra amphoram demitteret. S. Ambroſ. in Pſ. noſtr. ſic ad rem noſtram explicat: *Iniquitas in talento plumbeo ſedet, eò quòd fixa in peccato, ſe ab eo ſeparare non poſſit. An ignoramus, quòd tantam vim habeat inveterata conſuetudo peccandi, ut excludat naturam. Quæ cùm ſit medicabilis ad ſalutem, diuturno tamen tempore paſſionibus depravata*, immedicabilis invenitur. Non ergo permaneamus in vitiis, ſed unuſquiſque etiamſi aliquando fuerit, exiliat à culpa.

36. Quartò, in cathedra peſtilentiæ ſedet, qui malum aliis exemplum præbet, eoque illos in peccatum inducit, ut explicat S. Bernardus ſerm. 35. ex parvis.

Quintò denique, & melius, S. Auguſtinus, S. Chryſologus, Bellarminus, & alii eum dicunt ſedere in cathedra peſtilentiæ, qui prava docet, ſive ſint fidei, ſive probatis moribus contraria. Sedere in cathedra peſtilentiæ, inquit Bellarminus, eſt eſſe in conſeſſu hominum peſtilentium, ſive aſſidere peſtilentibus, & cum eis legem Domini deſpicere, quaſi nihil conducat ad beatè vivendum: i.e. cum gaudio & lætitia: ſed melius ſit carnis deſideria perficere, ſenſibuſque in omnibus indulgere. Vox ſedentium in cathedra peſtilentiæ deſcribitur Malach. 3. illis verbis: Vanus eſt, qui ſervit Deo: & quod emolumentum, quia cuſtodivimus præcepta ejus? Hæc ille.

37. Impii ſunt ſerpentibus ſimiles. Nota. Impii peſtilentes jure comparabuntur venenatis ſerpentibus. S. Jacobus in Epiſt. c. 3. 8. *Lingua eorum plena veneno mortifero.* Et Pſal. 139. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis: venenum aſpidum ſub labiis eorum. Vide ibi dicta. Quantas urbibus clades inferant, declarat Salomon Prov. 29. 8. *Homines peſtilentes diſſipant civitatem.* Comparare eos poſſis locuſtis ex abyſſi puteo prodeuntibus, quibus data eſt poteſtas, *ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ.* Apoc. 9. Et ranis Ægyptiacis omnia fœdantibus in domo Ægyptiorum, & ipſius Regis Pharaonis: quibus comportatis in immenſos aggeres computruit terra. Exod. 8. Confer etiam tribus ſpiritibus immundis, prodeuntibus de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeudoprophetæ. Apocal. 16.

38. Nota, pro, *peſtilentia*, Hebr. eſt לצים *Leſim*, i.e. irriſorum, ita etiam Arabs, Syrus & Aquila: Apollinaris quoque vertit λυμαντήρων, h.e. ſcurrarum: Symachus, ἐπιθετῶν, impoſterum. Interpres noſter eandem vocem *Les*, vertit peſtilentem, Prov. 19. 25. Irriſores enim ſunt maximè peſtilentes. Unde ubi habetur Prov. 29. 8. *Homines peſtilentes diſſipant civitatem*, R. Levi ſic explicat, q. d. Deriſores jurgia & diſſidia ferunt, quibus perditur civitas.

Irriſores ſunt maximè peſtilentes.

Nonnulli λοιδορίαν, convitium, probrum, maledictum dici volunt, quaſi λοιμορίαν, i.e. peſtem. Damagoras & λοιμὸς, i.e. peſtis, eandem ſummam numeri, nempe 420. efficiunt græcè, ut oſtenditur L.2. epigr. Græc. epigr. 253. Amicorum ſuorum, familiarum, & regnorum peſtes ſunt, qui virtutem rident, & convitia jactant in viros pios. S. Ambroſius in Pſ. noſtr. illos graphicè depingit: *Sedent*, ait, *in conciliis, derogantes ſobriis, ructantes crapulam, ſedent in tabernis de ebrietate certantes. Inter hos meretrix plena vino, huic arridens, illum adurens, & omnes ardore inflammans libidinis. Verecundus ſi tranſeat, erubeſcit, à ſingulis carpitur: ſi flagitioſus, omnium ore laudatur, & tanquam morbus tranſit in animas ſingulorum. Qui enim in flagitiis celebris, plurimos ad imitationem adducit erroris.* Hæc Ambroſius. S. Auguſtinus quodam loco vocat ſacrilegam dicacitatem. Et in Pſal. 6. Plerumque, ait, tantum valent irriſionibus ſuis, ut infirmos homines de Chriſti nomine erubeſcere faciant. Et in Pſal. 90. dolet, reperiri aliquos inſultatores Chriſtianos, qui fugere volentibus nugacia theatra, & ire ad Eccleſiam, dicant irridendo: Tu magnus es, tu juſtus, tu Elias: tu es Petrus, tu de cœlo veniſti, ſicque eos avertant. Hi ſunt, qui, ut ait David Pſalmo 49. 20. adverſus filium matris ſuæ ponebant ſcandalum. S. Hieronymus vertit, fabricantur opprobrium. R. Salomon dicit, quòd linguæ exploratorum, qui detraxerant terræ promiſſæ, & ab eo populum Dei averterant, Num. 13. inflatæ fuerint, & venenum ſtillârint, ipſique mortui ſubitò ſint.

39. Mille locis, ait Creſolius noſter l. 2. Myſtag. Rex David declaravit, quàm ſit noxia, quàmque incredibilia damna ferat perditorum hominum familiaritas & conſuetudo, à qua liberatus, & eâ cauſâ delibatus liquidâ lætitiâ, in hunc modum Numen alloquebatur Pſal. 4. 10. *Singulariter in ſpe conſtituiſti me.* Ubi S. Chryſoſtomus: Quid eſt, ait, καταμόνας, ſingulariter? τῶν πονηρῶν χωρὶς, ſeorſum ab improbis. Quod ſingularis ille Doctor ſic illuſtrat. Retuli pedem à communione conſceleratorum, atque *morum contagionem* ſummâ diligentiâ curaque fugi. Nec immeritò. Nam ut corpora è corrupti aëris lue pereunt, ſic animi inexplicabile damnum capiunt ex malorum ſocietate. Et quemadmodum ſanus oculus quando vitiatum & laborantem aſpexerit, conſimili modo afficitur, & qui ſcabie eſt coopertus, illis etiam, qui ſani ſunt, illam impertit: ita vulgò evenire conſtat, in improborum hominum conſuetudine, ut ſæva lues ſe blandè inſinuans nec opinantem maculet. Et quidem S. Juſtinus Martyr ψώραν, ſcabiem nominat, epiſt. ad Zen. *Scabiem*, inquit, *mens contrahit, & vitioſis impletur humoribus, ab aliorum familiaritate.* Iſaias verò cap. 5. λοιμοὺς, *peſtes*, vocat: ad quas vorandas & horribili fato exhorrendas, ipſe infernus os ſuum dilatavit. *Aperuit os ſuum, & deſcendens ad eum glorioſi, & magnates, & divites*, & λοιμοὶ αὐτῆς, *peſtilentes ejus.* Rectè S. Chryſoſtomus peſtem illos atque contagium civitatis appellat: ut qui non tantùm ad ſuam perniciem alunt, & tuentur malitioſam nequitiam, verùm etiam ad alios peſtilentem quoque morbum tranſmittunt: eodem modo S. Cyrillus Alex. in Æggæum, improbis adhæreſcere, ait eſſe, πάνδεινον ἀῤῥώστημα, *pernicioſiſſimum animi morbum*: Et in Zachariam, portas inferi dicit à Chriſto appellatos ὀλέθρους καὶ φθόρους, *homines peſtiferos, exitia generis humani.*

Scabiem ſuam aliis affricans.

40. Reſtat ut cum Davide dicamus: Beatus vir, qui non abiit, &c. *Et in cathedra peſtilentia non ſedit:* fuga opus eſt, ut admonet S. Ambroſ. enat. in hunc Pſalmum. Omnis, inquit, mundi hujus corruptela, peſtilentia eſt. Ne ergo tetigeritis, ne attaminaveritis eam. *Lues eſt, contaminat: morbus eſt, polluit.* Et poſtea: A pedibus uſque ad caput ſerpit lues dira morborum, quando laborat contagio, quando compatiuntur alii, ſi quis effectu libidinis defraudetur, &c. Libro autem de fuga ſeculi, cap. 6. ab impio & inſidioſo ſeculo fugiendum admonet, ac multa illius ſacræ fugæ commoda percenſet. *Fuga hæc*, inquit, *fœcunda virtutum eſt, non effœta meritorum. Fuga hæc neſcit frigus timoris, tremorem mortis, contractionem ſolicitudinis, diſſolutionis otium, inſcitiæ fortes, torporem lenitudinis, ſed vita cœleſtis requirit impigrum viatorem, regni ſuperioris competitorem ſtrenuum, divitem agricolam, qui fructus ſuos cogat, & cogendo diripiat.* Secedendum deinde docet in loca hominibus inacceſſa, ad quæ purioris amantes vitæ avolârunt, cæleſtium inſtar volucrum terras deſpectantium. Pergit idem S. Doctor: Deſertum fuga eſt bona, ad quod fugit Elias, Eliſæus, Joannes Baptiſta: Fugit Elias mulierem *Jezabel*, id eſt, *effuſionem vanitatis*: Et fugit ad montem *Oreb*, quod ſignificat *exſiccationem*, ut ſiccaretur in eo carnalis profluvium vanitatis, & cognoſceret pleniùs Deum. Erat enim ad torrentem *Chorrad*, quod eſt *cognitio*, ubi abundantiam profluentem divinæ cognitionis hauriret: ita fugiens ſeculum, ut nec cibum corporis hujus exquireret, niſi quem aves detuliſſent, miniſtræ, quanquam eſca ejus plerumque terrena non fuerit. Hæc ille. Quid porrò fugeret Elias rebus humanis major, & prope cœlitum è numero unus, declarat, cùm ſubdit: *Fugiebat ſecularem illecebram, & converſationis maculoſa contagionem, & impia ac prævaricatricis nationis ſacrilegia.* Quomodo hæc contagio ſacrilegium adduxerit, oſtendit S. Greg. hom. 38. in Evangelia, ubi amitæ ſuæ Gordianæ turpem lapſum deplorat, quæ cum Tarſillæ atque Æmylianæ ſororum ſuarum exemplo ad cœleſtia poſſet incendi, *puellarum gaudebat ſocietate laicarum, eique perſona valde oneroſa erat, quæcunque huic mundi credita non erat.* Æmyliana verò tantæ virtutis laude florebat, ut morienti Chriſtus apparuit, atque illa mortua ſuaviſſimus odor ædes compleverit. Apparuit deinde ſorori ſuæ Tarſillæ, ut eam mortis diem edoceret, atque ſecum in cælum evocaret. Cùmque hæc de Gordiana eſſet ſollicita: *Veni*, inquit, *Gordiana, etenim ſoror noſtra inter laicas deputata eſt.* Et quidem illis vita functis Gordiana metu ſoluta, oblita Dominici timoris, oblita pudoris & reverentiæ, oblita conſecrationis, conductorem agrorum ſuorum, poſtmodum maritum duxit. M. Antonio Imp. in urbe Seleucia fracta à militibus aurea capſula in Apollinis Templo, tam peſtilens aër inde egreſſus eſt, ut totam regionem devaſtârit: vimque Romam uſque, & in totum Orientem extenderit. Ab ore ſceleratorum, velut ab arca dæmonum, peſtem afflari ſciebant *Scythæ*, qui peregrinos mores ita evitârunt, (quòd inſitam genti frugalitatem corrumperent) ut Anacharſim occiderint, quia Græco more Cybeles ſacra colebat: *Epidaurii* quoque mercatoribus ſuis commeandi ad Illyrios facultatem ademerunt, ne eorum vitia contraherent. Ne tamen commodis ex eo commercio prodeuntibus privarentur, ætate gravem virum, famâ & moribus probatum ex ſua civitate diligebant, eique ad Illyrios penetrandi jus ſoli tribuebant, qui in emendis vendendisque rebus aliorum civium ſuorum deſideria expleret.

Felix eſt, qui cœtus impiorum fugit.

Elias fugit Jezabelem.

Gordiana corrumpitur ſocietate puellarum laicarum.

Scytharum & Epidauriorum prudentia, in vitando malo conſortio.

Eadem diligentia plerique hominum cœtus, & mulierculárum nobis ſunt fugiendi, qua primorum temporum Chriſtianis theatra & ſpectacula. Non enim minor nunc eſt detractorum crudelitas quàm olim leonum & tigridum; & ſunt aliquando ſpectacula pudicis oculis, & auribus cachinni atque dicteria & turpia verba periculoſiora. His igitur adapta quod ait Tertull. l. de ſpectac. c. 27. Odiſſe debemus iſtos conventus & cœtus ethnicorum, vel quòd illic nomen Dei blaſphematur, illic quotidiani in nos Leones expoſtulantur, inde perſecutiones decernuntur, inde tentationes emittuntur. Quid facies in illo ſuffragiorum impiorum æſtuario deprehenſus? Non quaſi aliquid illic pati poſſis ab hominibus

Theatrorum exitioſa ſpectacula.

nemo

Digitized by Google

nemo te cognoſcit Chriſtianum: ſed recogita quid de te fiat in cælo. *Dubitas enim illo momento, quo in diaboli Eccleſia fueris, omnes Angelos proſpicere de cælo, & ſingulos denotare quis blaſphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures diabolo adverſus Deum adminiſtraverit? Non ergo fugies ſedilia hoſtium Chriſti, illam cathedram peſtilentiariam, ipſumque aerem qui deſuper incubat ſceleſtis vocibus conſtupratum. Sint dulcia licèt & grata, & ſimplicia, etiam honeſta quædam. Nemo venenum temperat felle & helleboro, ſed conditis pulmentis & bene ſaporatis, & plurimum dulcibus id mali injicit: ita & diabolus lethale quod conficit, rebus Dei gratiſſimis & acceptiſſimis imbuit. Omnia illic ſeu fortia, ſeu honeſta, ſeu ſonora, ſeu canora, ſeu ſubtilia, proinde habe ac ſi ſtillicidia mellis de lubacunculo venenato: nec tanti gulam facias, quanti periculum.* Hæc Tertullianus: lege Jobum capite 41. 9. de ſternotatione Leviathan, de ejus ore & naribus: atque nefariis ſociis applica.

ARTICULUS IV.

Quænam eſt cathedra peſtilentiæ ſtructura?

PRimò, varios ipſius gradus aſſignare poſſumus.

41. Cathedræ peſtilentiæ varii gradus. Primò, Secundò. Tertiò.

Primò, cum Davide noſtro tres: nempe abire in conſilio impiorum, in via peccatorum ſtare, & in cathedra peſtilentiæ ſedere: quibus in verbis poſſis notare. 1. Cum ſancto Ambroſio in ſymbol. Apoſt. peccata cogitationis, locutionis, operis. 2. Peccare mobiliter, firmius, obſtinatè. 3. Malis cogitationibus delectari, illis conſentire, opere eas explere: quæ figurata ſunt in tribus mortuis à Chriſto ſuſcitatis. Nam filia archiſynagogi ſuſcitata eſt in domo, Matth. 9. 18. filius viduæ Naim in via, Luc. 7. 11. Lazarus in ſepulchro, Joann. 11. 38. Cogitatio mala etiam non exit foras, & in primo mortuo repræſentatur. Locutio, eſt in porta oris, & ſecundo deſignatur. Opus, eſt extra caſtellum, & in tertio exprimitur.

Quartò.

4. Ad peccandum incitat ſuaſio, exemplum, doctrina. 5. Peccator recedit à Deo, delectatur peccato, in eo firmatur. Hos gradus conſiderat S. Auguſt. in Pſalmo noſtro, cùm ait: *Conſiderandus eſt ordo verborum, abiit, ſtetit, ſedit. Abiit enim ille, cùm receſſit à Deo. Stetit, cùm delectatus eſt peccato. Sedit, cùm in ſua ſuperbia confirmatus redire non potuit, niſi per eum liberatus, qui neque abiit in conſilio impiorum, nec,* &c. Chriſtum intelligit. Secundò, S. Chryſologus ſerm. 44. tres gradus cathedræ illius peſtiferæ aſſignat: nempe approbare, facere, & amare impietatem.

Quintò.

Verba ejus ſunt: *Impietatem qui probat, facit: qui facit, amat: qui amat, non poteſt non docere. Hinc eſt, quòd docens impietatem, peſtilentia reſidet in cathedra: & ſermone mellito virus doctrinæ lethalis audientibus ſic diffundit.*

42. Cathedræ peſtilentiæ pedes.

Secondò, quatuor cathedræ peſtilentiæ pedes aſſignat S. Bernard. ſerm. 35. ex parvis. Cathedra hæc, ait, quatuor pedibus ſobſiſtit. Primus pes eſt malitia: 2. Contemptus Dei: 3. Irreverentia: 4. Aſtutia: malitia eſt amare malum, & ſaporem mali habere: & malum quia malum eſt diligere, ſicut facit diabolus, & nonnulli iniqui. 2. Sed quia fit aliquando, ut tales timeant Deum non timore bono, ſed ne incurrant vel damnum rerum, vel corporis cruciatum, ut amplius fiant mali, contemnunt ipſum Deum, & fit ſecundus pes, contemptus Dei. 3. Item poſſet fieri, ut malum amarent, Deum contemnerent: ſed inhiberet eos pudor hominum, cum quibus habitant, ideò ad augmentum mali ſequitur tertius pes irreverentia: ut nec Deum timeant, nec homines revereantur. 4. Ad conſummationem verò malitiæ adeſt quartus pes Aſtutia, ut ſciant oti viribus prædictis, miſcentes oleo venenum & melli acetum.

Pars ſuperior.

Tertiò, pars cathedræ ſuperior eſt potentia atque authoritas. Pergit idem S. Pater. *Eminens pars cathedræ*, cui ſedens inhæret, eſt potentia. Si enim potens eſt qui prædicta habet, tunc plurimum nocet: vel ſi potentem ſibi allicere poteſt, quem conſilio ſuo ſeducat, & ad malum impellat.

Pulvinar.

Quartò, pulvinar cathedræ eſt ſuperbia. *Deinde*, ut ibidem dicitur, *apponitur pulvinar, ut ſuaviter ſedeat. Pulvinar fit de levibus pennis avium, ſignificans vanam gloriam, & favorem popularem, quibus homines delectati, extolluntur.*

Suppedaneum.

Quintò, Suppedaneum eſt hypocriſis. Concludit idem Sanctus. Scabellum pedibus ſupponitur, ne terram tangant, tales enim nonnulli terrenas actiones non faciunt, ſed ſpirituales ſimulant, ut magis decipiant. Horum doctrina eſt quaſi peſtilentia, multa loca occupans & vaſtans. Hactenus S. Bernard.

Artifex, materia, forma, &c.

Sextò, Hugo à S. Victore cap. 1. in pſalmos, artificem, inſtrumenta, materiam & formam cathedræ hujus exitialis & diabolicæ oſtendit. Primò, artifex eſt anima malè operans. Verba ejus ſunt: Quando anima per contemplationem Deo inhæret, manet in patria: quando cogitationem ſuam ad terrena & tranſitoria inflectit, à patria in exilium vadit. *Primùm, per vanitatem abit: deinde, per delectationem ſtat: deinde per conſenſum ſedet: per opus, ædificat: per deſperationem, habitat. Qui malum operatur, cathedram fabricat. in cathedra ſedet, qui in malo perſeverat.* Secundò, inſtrumenta operis mali ſunt quinque ſenſus corporis. Tertiò, materia eſt illud in quo quiſque explet propoſitum pravæ voluntatis. Quartò, modus fabricandi talis eſt: *Viſus eligit, ſermo præcidit, officium coaptat, experientia componit.* Viſus pertinet ad oculum, ſermo ad auditum, officium ad manum, experientia ad olfactum & guſtum. Quintò: Adaptata materia fabricam anima conſtruit: quia conſenſu communi habito, ad actum turpitudinis venit. Quatuor ergo iſta: hoc eſt eligere, præcidere, coaptare, conſtruere, quatuor ſunt piſtilla cathedræ; quæ videlicet cathedra, tunc cathedra peſtilentiæ fit, quando pravum opus in apertum veniens plures corrumpit. Sic Hugo ille: Ugo autem de S. Charo, ſeu Ugo Cardinalis, ait, tribus modis dici cathedram peſtilentiæ. 1. Errorem docendo, ut faciunt hæretici. 2. Ad malum incitando, ut mali Chriſtiani. 3. Malum exemplum præbendo, ut mali Prælati. S. Greg. Naz. orat. 1. admonet, peſte paſtorum facilè gregem corrumpi & perdi: itaque ait ipſis curandum eſſe, ut *argenti atque auri* inſtar, omni ex parte verſati, atque in omnibus temporibus & rebus, μηδαμῶ κίβδηλον ἠχεῖν, ἢ ὑπόχαλκον, nuſquàm adulterinum aut ſubæratum quiddam tinniant: nihilque deterioris materię, flammâque acriori dignæ, in ſeipſis geſtent. Nam alioqui tantò gravius malum fuerit, quantò pluribus impertitum. Siquidem major eſt ea improbitas, quæ ad plures ſerpit, quàm ea quæ in uno defixa hæret. Rationem deinde ſubdit, cur Prælati ſibi cavere debeant à vitiis: quia ſcilicet ſubditos inficerent. *Nam neque vel* δευσοποιῷ βαφῇ, *indelebilem tincturam pannis, vel fœtidum aut ſuavem odorem res admota ita facilè contrahunt, vel exitialis quidam vapor tam facilè in aerem diffunditur, & per aerem animantia occupat, (quod quidem Peſtis & eſt & appellatur) quàm*, φιλεῖ τάχιστα τῆς τῶ προεστῶτος κακίας ἀναπίμπλασθαι τὸ ὑπήκοον, *ſubditi celeriter improbitate Antiſtitis impleri ſolent, & quidem multò faciliùs quàm virtute.*

ARTICULUS V.

Beatus eſt, qui in cathedra peſtilentiæ hæreticorum non ſedit.

43. Hæretici ſedent in cathedra peſtilentiæ.

SI morum corruptores in contagioſa cathedra ſedent, quid de illis dicetur, qui halitu ſuo ſtygio non charitatis tantùm ramos, virtutum fructus, ſpei truncum, ſed ipſam fidei radicem inficiunt?

Hæreticos in peſtilentiæ cathedra ſedere apertè dicit S. Chryſol. ſerm. 44. *In cathedra peſtilentiæ hæreticus ſedet, qui ſub ſpecie fidei ſcindit, rumpit, diſtrahit unitatem.* S. Greg. Nyſſ. oratione de Filii Deitate, nuncupat eos, δογματιστὰς ἀπάτης, *doctores fraudis.* Evagr. l. 1. c. 2. Neſtorium vocat, βλασφημίας ἐργαστήριον, *blaſphemiæ officinam.*

Hæreſim eſſe cathedram peſtilentiæ, in qua hæreticus

Pulvinar.

Suppedaneum.

Artifex, materia, forma, &c.

Illa enim cathedra eſt hæreſis. Quæ eſt ſedes ſatanæ.

reticus & dæmon, qui eſt ejus velut anima, ſedeat, via meliùs probari poteſt, quàm ea loco S. Joannis Apoc. 2. 13. *Scio, ubi habitas, ubi ſedes eſt Satanæ.* Græcè θρόνο: Nicolaitæ hæretici ſedem fixerant Pergami, urbe clariſſima Troadis, cujus Angelum, id eſt, Epiſcopum, S. Joannes alloquitur: S. Carpum intelligit Aureolus; ſed cùm in Rom. Mart. 13. Aprilis dicatur fuiſſe Epiſcopus Thyatiræ, non Pergami, probabilius eſt de alio agi. Verſ. autem 24. alloquens S. Carpum, qui fuit Angel. ſeu Epiſcopus Thiatyræ, ait: multos non cognoviſſe *altitudines ſatanæ:* id eſt primò, ut ait Rupertus, ſuperbiam, quia dixit olim dæmon Iſai. 4. *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Secundò, altitudo ſatanæ, eſt pelagus ingens, & abyſſus vitiorum, ut dicit Gagneius: quia impius, cùm in profundum venerit, contemnit. Tertiò, Andreas Cæſarienſis intelligi vult fraudes ejus altiſſimas, id eſt, profundiſſimas & occultiſſimas. Quartò, altitudo ſatanæ eſt hæreſis Ebionis & Cherinthi, ut cenſet Lyranus. Quintò denique, & meliùs, eſt hæreſis Nicolaitarum, ut docet Ribera: hæretici autem doctrinam ſuam eſſe altiſſimam & profundiſſimam, ſibique ſolis comprehenſibilem, gloriantur. S. Ignatius epiſt. 9. ad Philadelphienſes, ait hæreticos eſſe, ἐχθρῶν σπορὰν, *diaboli hoſtis noſtri ſementem.* S. Leo paucis hæreſim delineat ſerm. 3. de jejunio decimi menſis: *In qua, inquit, lex eſt mendacium: diabolus religio: ſacrificium, turpitudo.*

Hæretici in Leviathan figurati.

Poſſis & dæmonem & hæreticum putare tibi deſcriptum eſſe Jobi 41. ubi inter cætera dicitur, de Leviathan, verſ. 9. *Sternutatio ejus, ut ſplendor ignis: & oculi ejus, ut palpabra diluculi.* Ad literam, Leviathan eſt balæna, 1. Sternutatio ejus, eſt ejectio copioſa aquæ per os & nares: unde S. Iſidorus vult dictam Balænam, à græco βάλλειν, emittere: hoc præcipuè facit *Phyſeter* ſic vocatus græcè, id eſt *flator*, quòd ſufflando aquam illam in magna copia emittat. 2. Oculi eſſe dicuntur ut palpabræ diluculi, hoc eſt primæ lucis radii: quia, ut ait Olaus lib. 21. 5. *Oculi balænarum noctu coruſcant, ingentium flammarum modo: procul enim viſi à piſcatoribus, ignes eſſe grandes putantur.* 3. De ore ejus lampades procedunt, ſicut tædæ ignis accenſæ: quia candicantem & pellucidam aquæ vim eructat, in quam ſi radii Solis inciderint, inſtar lampadum videtur eſſe. 4. De naribus ejus procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ atque ferventis: cùm enim aquam eructat, videtur mare ebullire velut olla æſtuans. 5. Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur, id eſt vehemens & præfervidus ſpiritus, qui ſit venti follis ferrarii prunas exſufflantis atque inflammantis. Myſticè, hæreticus in omnibus lucem fugit, & flammam infert atque incendia, manens tamen ſemper in aquis voluptatum, atque pro radiis eaſdem aquas in alios conjiciens.

Sunt prodromi Antichriſti.

Dæmon cornua ſua occultat, prodromos ſuos, qui ſe humili Chriſti cathedræ opponant, emittit. Antichriſtum habebit in fine mundi, qui erit abominatio deſolationis non tantùm ſtans, ſed ſedens in loco ſancto, & curans ſe & idolum ſuum adorari: nunc hæreticos habet, qui, ut ait S. Athanaſius, ſunt Antichriſti præcurſores, orat. 2. in Arrianos dicit, eorum hæreſim eſſe χριστόμαχον καὶ πρόδρομον Ἀντιχρίστου, *Chriſti perduellem, & præcurſatricem Antichriſti.* Hoc de noſtri temporis hæreticis dici poteſt, etiam dicamus Apoc. 4. 18. *Hic ſapientia. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ: numerus enim hominis eſt: & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex.* Hic opus eſt ſapientia, nam varii varia nomina comminiſcuntur, quæ hunc numerum efficiant. Primò, S. Hippolytus tract. de Conſommatione ſæculi affert. Nomen ἀρνοῦμαι *nego*: & Pererius in cap. 12. Dan. ℣. 1. ait, inter plures convenire hoc fore Antichriſti, *nego baptiſma*; vel, *nego JESUM.* Secundò, profert nomen νικητὴς, *victor*, & alia ſex. Viegas affert quindecim. Tertiò, S. Anſelmus affert nomen, ἄντιμος, id eſt, honori contrarius. Chriſti enim honorem deprimere molietur, & mores habebit inhoneſtos. Quartò, appoſitè ad pſalmum noſtrum Lindanus in dubitantio, dialogo 3. & Bellarminus lib. 3. de Pontifice cap. 10. annotant, Saxonicè *Martin Lauter*: Græcè, *David Chitreus.* Hebraicè, *Joannes Calvinus*: & *Beza antitheos* nomenum 666. qui eſt numerus Antichriſti, efficere. Habent quoque *characterem Antichriſti* in manu & fronte, de quo Apoc. 13. 16. id eſt crudelitatem in manu, & impudentiam in fronte. Hunc characterem putat 1. Alcazar eſſe ipſum nomen Antichriſti, aut numerum nominis ejus. 2. Viegas eſſe & nomen ejus, & numerum illum, ac præterea imaginem Antichriſti. 3. S. Hippolytus tract. de Conſ. ſec. eſſe nomen Antichriſti, & vocem ἀρνοῦμαι. 4. Ribera putat fore *formam draconis.* 5. Ansbertus ait, meliùs fore tres primas litteras nominis Χριστός, hàc figurâ *, ſe enim finget eſſe verum Chriſtum ſeu Meſſiam. Hæc omnia quadrant etiam hæreticis, ob impietatem, fraudes, & hypocriſim, aliaque vitia.

43. Hæretici ſedent in cathedra peſtilentiæ.

Nota. Venenum habent hæretici: itaque peſtem afflant in cathedra peſtilentiæ. Sunt enim, ut ait S. Ignatius ad Philadelph. σπέρμα πονηροῦ *ſemen diaboli*, qui vocatur Apoc. 12. 9. Draco magnus & ſerpens antiquus: quia ab initio mundi decepit Adamum & Evam ſub illa ſerpentis ſpecie. Non enim, ut docet Moſes Barcepha lib. de paradiſo, cap. 27. permiſit illi Deus aliud animal aſſumere & ingredi. *Venena ſunt.*

Venenum illud ſuum optant hæretici profundere, figurati in illo præcurſore Antichriſti, de qua Apoc. 13. 11. *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia Agni, & loquebatur ſicut draco.* Primò, quia doctrinam habent fraudulentam. Secundò, venenatam. Tertiò, diabolicam: in dracone enim figuratur dæmon, cap. 12. 9. Similes ſunt hæretici Antichriſto, qui à S. Greg. Nazian. jambico 5. ſic definitur: Eſt vir opibus amplis, Apoſtata peſſimus, *bellua venenum vomens.* Itaque non ſunt tantùm tineæ. S. Baſilius hom. 1. Hexaëm. vocat hæreſim Manichæorum σητόβρωμα ἐκκλησιῶν, *tineam Eccleſiarum*: non tantùm ſepiæ, ut Arrianos vocat S. Athanaſius orat. 4. contra ipſos. *Ut*, inquit, *Sepia piſces atramentum projiciunt*, ἵνα ἀκεραίους σκοτίζωσιν, *ut eo ſimplicioribus tenebras offundant*: non ſolùm ſciniphes Ægyptiaci, id eſt pediculi, ut vult Cajetanus, aut pulices, ut Torniellus: aut culices potiùs, ſeu parvæ muſcæ, quæ in ore habent aculeum, quo pungunt & ſugunt. His hæreticorum ſophiſmata comparat Origen. S. Auguſt. ſerm. 87. de tempore, & S. Iſidorus in cap. 14. Exod. ait: Cùm Sciniphes ſint ſubtile ac minutum animal, ita ut oculi viſum, niſi acutè cernentis, effugiant, corpus tamen terebrant ſimulo: ita hæreſis *ſubtilibus verborum ſtimulis animas terebrat: tantaque calliditate circumvenit, ut deceptus quiſque nec intelligat unde decipiatur.* Non inquam hæc tantùm ſunt hæretici. *Draconi ſimiles.* *Belluæ.* *Tineæ.* *Sepiæ.* *Sciniphes.*

Sed primò, *genimina viperarum*, ut ait S. Cyrillus Jeroſolym. Catech. 6. matrem Eccleſiam occidere moliuntur. Nec genimina tantùm & fœtus ſunt, ſed *viperæ venenatiſſimæ*; ſic appellat Tertull. lib. de Baptiſmo, cap. 2. mulierem quamdam de hæreſi Cajana, quæ doctrinâ ſuâ pleroſque rapiebat. *Genimina ſunt viperarum.*

Secundò, ſunt *Scorpii.* Tertull. in Scorpiaco dicit Eccleſiam *ſuos ſcorpios pati*, id eſt hæreticos, ac poſteà ſubdit: *Cùm fides æſtuat: & Eccleſia exuritur, de figura rubi tunc Gnoſtici erumpunt, tunc Valentiniani proſerpunt, tunc omnes martyriorum refragatores ebulliunt calentes & ipſi offendere, figere, occidere.* Apoc. 9. 3. dicitur: *De fumo putei exierunt locuſtæ in terram, & data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ.* In locuſtis illis hæreticos figurari fusè docet Bellarminus in orat. quam ultimo tomo præpoſuit, & Viegas in Apocalypſim: habent poteſtatem ſcorpii, quia 1. ſicut ſcorpius facie blanditur, caudâ ferit: ita hæreticus. 2. Lethali ferè ſemper ictu ferit ſcorpius virgines, & fœminas ferè in totum: omnes ferè hæretici fœminas aliquas primò decipiunt. 3. Venenum eſt omnibus medio die, cùm incanduêre Solis ardoribus, ut ait Plinius lib. 11. cap. 25. ſalaces hæretici ſunt nocentiores, & æſtuantes libidine faciliùs interimunt. 4. *Fert obliquo* *Scorpii.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quo ictu & inflexo ſcorpius, & hæreticus fraudibus agit. 5. Semper cauda ſcorpii in ictu eſt, nulloque momento meditari ceſſat, nequando deſit occaſioni.

Locuſta terrifica. Tertiò, hæretici, ut dixi, figurantur in monſtroſis illis locuſtis Apoc. 9. fusè deſcriptis. Primò, ſunt locuſtæ, 1. Quia inquieti & inconſtantes, ex hoc in illud ſaltitantes. 2. Sordidi ſunt, ſanioſo ore cuncta polluentes. 3. In ventrem, id eſt, in gulam & libidinem, proni maximè. 4. Eccleſiæ flores devorant. 5. Impudentes ſunt. Secundò, locuſtæ ſunt *ſimiles equis paratis in prælium*, verſ. 7. quia & hæretici ſuperbi ſunt ut equi, & rebelles in ſuos Reges ac Principes, armiſque ſectam propagant, ut patet in Calviniſtis, Lutheranis, & aliis. Tertiò, *ſuper capita eorum tanquam coronæ ſimiles auro:* ob inanem gloriam, & quia principes ſeducere moliuntur. Similes tantùm ſunt auro, quia vero zelo & charitate non fulgent, ſed ſolùm fingunt. Quartò, *facies eorum tanquam facies hominum*, ob fictam manſuetudinem & benevolentiam. Quintò, *habebant capillos, ſicut capillos mulierum.* Verſ. 8. ob libidinem & infirmitatem. Sextò, *dentes eorum, ſicut dentes leonum erant*, propter crudelitatem, & quia fœtorem iis, quæ mordent, inducunt, ut dixi ſuprà de leonis morſu. Septimò, *habebant loricas, ſicut loricas ferreas*, verſ. 9. propter obſtinationem, in qua præſertim poſita eſt hæreſis. Ut enim ait S. Thomas 2. 2. qu. 11. art. 2. ad 3. de ratione hæreſis ſunt duo, nempe electio privatæ diſciplinæ, & pertinacia. Octavò, vox alarum earum, ſicut vox curruum multorum currentium in bellum, ob celeritatem & loquacitatem. Nonò, venenum illis non deeſt, dicitur enim verſ. 10. *Et habebant caudas ſimiles ſcorpionum, &c.* De illis mox eſt dictum. Decimò, habebant ſuper ſe Regem Angelum abyſſi, cui nomen hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon, Latinè exterminans, verſ. 11. Non quilibet dæmon præeſt hæreticis, ſed Abaddon, Apollyon, exterminans, quæ tria idem ſignificant. Nam iis eſt proprium quarto modo omnia ſacra & profana, quantum poſſunt, exterminare, ut oculis patet in everſione altarium, templorum, urbium, provinciarum atque regnorum hoc & præcedenti ſæculo.

Aſpides. Quartò, hæretici ſunt *aſpides*. S. Epiphan. hær. 71. comparat Menandri hæreſim aſpidi ſe & alias aſpides, cum quibus in vas quoddam erat conjecta, devoranti.

Baſiliſci. Quintò, hæretici ſimiles ſunt *regulo, ſeu baſiliſco*. S. Ignat. epiſt. 12. ad Antiochenos: *Cavete*, ait, *canes mutos, ſerpentes ſuper pectus gradientes, dracones ſquamoſos, aſpides, baſiliſcos, ſcorpios. Hi namque ſunt Thoes aſtuti, ſimiæ hominum imitatrices.* Thos, ut ait Plinius lib. 8. cap. 34. eſt lupi genus cæteris procerius, cruribumque levitate diſſimile, velox ſaltu, venatu vivens, innocuum homini, per hyemes hirtum, æſtate nudum.

Colubri. Sextò, *colubri* ſunt inter herbarum vireſcentium & ſuaveſragrantium flores ſeſe inſinuantes, ut pungant ex improviſo, lib. 1. conſtit. Siculorum, tit. 1. de Hæreticis & Patarenis: *Hi ſunt colubri, qui columbas decipiunt. Hi ſunt ſerpentes, qui latenter videntur inſerpere, & ſub mellis dulcedine virus evomunt, ut dum vita cibum miniſtrare ſe ſimulant, caudâ feriant; & mortis poculum, velut quoddam diriſſimum aconitum, immiſcent.*

44. *Venenum hæreſis lethale eſt.* Nota 2. Venenum hæreſis ita peſtilens eſt, ut citiſſimè multos inficiat. Hoc S. Vigilius Martyr lib. adverſus Eutychetem in hunc modum declarat: *Hæc pernicioſi diſcriminis lethalis & mortifera peſtis intra venerandos Eccleſiæ aditus, ita velociùs cuncta populatur: ut eò plùs noceat, quò minùs nocere intelligitur.* Sic enim teterrimi anguis edocta magiſterio invidiarum ſuarum ancipites laqueos dextra lævâque tetendit, ut ſuper anguſtum & nimis arduum commeantibus itineris callem reliquerit. Si enim paululùm in utramque partem nutantis volueris mutare veſtigia, illicò capieris. Inter Neſtorii ergò quondam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, non rectoris, ſed diſſipatoris: non paſtoris, ſed prædatoris, ſacrilegum dogma, & Eutychetis nefarium & deteſtabilem ſectam, ita *ſerpentina graſſationis calliditas* ſeſe temperavit, ut, &c. Hæc Vigilius.

Gangræna ſunt hæreticorum verba. 2 Timoth. 2. 17. agens S. Paulus de hæreticis ait: *Sermo eorum ut cancer ſerpit:* cancer non animal, ſed morbus, ut dixi ſuprà. S. Eulogius Archiepiſc. Toler. id clarè de ipſis explicat, lib. 1. memorialis Sanctorum. Verba, inquit, hæreticorum ut cancer ſerpunt in mentes hominum, & modico fermento ſceleris faciliùs maſſa panis corrumpitur. De ſcriptis S. Eulogii præclarum dat elogium Baron. in Martyr. die 24. Novemb. *Omnino*, ait, *ita ſcripta ſunt, ut in pyxide Spiritûs ſancti calamum intinxiſſe S. Eulog. videatur.*

Vinum offert hæreſis, ſed venenatum, eóque omnes, ac præſertim Principes, inebriare nititur: hanc ſymbolicè poſſis exprimere per mulierem fornicariam, viſam à S. Joanne, cui ait unus de ſeptem Angelis, qui habebant ſeptem phialas & plagas noviſſimas, id eſt, ultimas in fine mundi infligendas, Apoc. 17: 1. Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas: Cum qua fornicati ſunt Reges terræ, & *inebriati ſunt, qui inhabitant terram*, (qui in terrenis ſibi domum & quietem optant) *de vino proſtitutionis ejus.* Vinum proſtitutionis, eſt vinum, quo ad ſecum fornicandum, id eſt, ad idola vitiorum colenda, invitat ac pellicit. Vinum autem, quod offert hæreſis, eſt libertas, voluptas, effrænis licentia condemnandi facta & dicta Majorum, atque ſcripturas pro ſuo ſenſu interpretandi. Quæres. Quænam ſit illa mulier S. Joan. oſtenſa? Reſpondet primò, & verè, S. Hieron. S. Auguſt. lib. 18. de Civit. Dei, cap. 2. Tertull. lib. contra Judæos, cap. 9. eſſe Romam ethnicam, quæ talis fuit tempore ipſius S. Joan. & futura eſt tempore Antichriſti ejecto Pontifice. Secundò, idem S. Auguſt. in pſalm. 26. S. Ambroſ. S. Proſper, S. Thomas per meretricem illam intelligunt cœtum omnium impiorum; ſive mundum, & ejus gloriam, opes, delicias & pompas. Tertiò, Aretas & Caponſacchius dicunt, meretricem illam ſuper aquas multas ſedentem eſſe Conſtantinopolim Thracio Boſphoro proximam: hæc nunc eſt Turcarum metropolis, unde vinum proſtitutionis in omnes gentes effunditur. Quartò, de Saraceniſmo ſive ſecta Mahometis fœdiſſima explicat Aureolus. Quintò, de hæreſi commodè exponi poteſt. Nam ſunt, qui dicant Romam in fine mundi, Pontifice expulſo, ſuſcepturam hæreſes: ſedet hæreſis ſuper aquas. 1. Quia in fluctibus eſt perpetuis & mutationibus, nihil in ea eſt ſolidi & conſtantis. 2. Quia voluptates amat, iiſque incubat.

Meretricem illam depingit S. Joannes verſ. 3. *Vide mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem & cornua decem. Et mulier erat circundata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione & immunditiâ fornicationis ejus. Et in fronte ejus nomen ſcriptum, Myſterium: Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ. Et vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum.* Primò, beſtia hæc aut eſt eadem cum beſtia cap. 13. 1. hinc eſt cum Antichriſto, ut vult Suarez 3. part. tom. 2. diſp. 59. art. 6. ſect. 2. aut eſt mundus ſeu cœtus impiorum, qui eſt corpus politicum diaboli, ſive diabolus in mundo dominans. Secundò, eſt coccinea. 1. Ob faſtum & arrogantiam. 2. Ob fuſum Martyrum ſanguinem. Tertiò, habet capita ſeptem, id eſt, ſeptem vitia capitalia. Quartò, habet cornua decem, id eſt, vires contra decem mandata, quæ evertere nititur.

45. *Hæreſis offert vinum, ſed venenatum.*

Eſt meretrix Babylonis.

Secundò, mulier beſtiæ inſidens, eſt hæreſis, ut dixi. Primò, purpurâ & coccino, & auro atque margaritis ornatur, ut mollitiem, luxuriam atque faſtum hæreticorum denotet. Secundò, poculum aureum in manu, eſt ejus illecebra & pompa atque opes, quas pollicetur. Tertiò, poculum illud eſt plenum abominatione & immunditia, id eſt prava & ſceleſtata doctrina, quæ eſt hæreſis philtrum: meretrices autem & ſagæ philtra ſua ex cineribus buſonum, ranarum, ſerpentium, aliarúmque rerum immundarum,

darum, efficiunt. Quartò, hæreſis vocatur Babylon, quia plena eſt confuſione vitiorum. Quintò, eſt mater fornicationum: tum quia luxuriam docet vota virginitatis & continentiæ evertendo: tum alios ex aliis errores ſerendo: tum denique idololatriam & atheiſmum pariendo. Sextò, ebria dicitur ſanguine, ob crudelitatem, ut patet ubique terrarum. S. Ignat. epiſt. 10. ad Smyrnenſes vocat hæreticos θηρία ἀνθρωπόμορφα, *feras humanam formam habentes*, & S. Epiphan. hær. 30. nuncupat hæreſim Ebionitarum, πολυκέφαλον ὕδραν, *multiplicem hydram*. Nota, alludere ad beſtiam habentem capita ſeptem, cui inſidebat meretrix, mox declarata: ab ipſo Chriſto hæretici vocantur falſi Prophetæ, & *Lupi rapaces*. Matt. 7. 15. & S. Paulus ait Act. 20. ℣. 29. majoribus natu Epheſinæ Eccleſiæ, quos Mileſum evocaverat. *Scio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Syrus vertit lupi feroces. Vide octo analogias lupi & hæretici apud S. Ambroſium lib. 7. in cap. 10. Luc. Leonibus hæreticos Arrianos comparat S. Athanaſ. epiſt. ad Adelphium Epiſcopum: *Ut leones*, inquit, *quærentes quem ex ſimplicioribus devorent, pro moribus ſui Imperatoris circumambulant.* Alludit ad illud 1 Petr. 5. 8. adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui reſiſtite *fortes in fide*. Hic eſt hæreticorum Imperator, ejus cum leone duodecim analogias vide apud Cornelium à Lapide, atque ſectariis ipſius adapta. S. Bonaventura in Lament. Jerem. comparat hæreticos lamiis in hunc modum: *Lamia eſt monſtrum, habens caput virgineum, corpus porcinum, & equinos pedes: crudeliſſimum, dictum à lamentatione, quaſi lamens. Per lamias ergò intelliguntur hæretici, vel hypocritæ: in facie ſimplices, in ventre carnales, in pedibus equi & inſtabiles.* Mammas præſertim oſtentant, & lac doctrinæ, Jerem. Thr. 4. 3. *Lamiæ nudaverunt mammas*, ſed unguibus ac dente laniant. Non eſt magna differentia inter has tres hebraicas voces, שד *ſad*, mamma: שד *ſod*, vaſtatio, vaſtitas: & שד *ſed*, dæmon: uno variato punctulo iſta variant. Hæreticus dat mammam, ut animam vaſtet, atque in eam dæmonem infectat.

46. Hæretici ſunt ſimiles dæmoni.

Hæreticus eſt veluti dæmon incarnatus, lib. 1. Conſtitut. Sicularum, tit. 1. de Hær. & Patarenis, vocantur hæretici, *Angeli peſſimi*, id eſt, peſſimi dæmones. Poſſis conferre cum illis ſeptem Angelis, id eſt, dæmonibus, ut aliqui volunt. Et quidem Angelos S. Joanni oſtenſos Apoc. 8. pro dæmonibus acceperint, oportet Lyranus & Aureolus, qui de Arrio interpretantur, quæ de primo Angelo dicuntur Apoc. 8. 7. *Et primus Angelus tubâ cecinit, & facta eſt grando & ignis, miſta in ſanguine, & miſſum eſt in terram, & tertia pars terræ combuſta eſt, & tertia pars arborum concremata eſt, & omne fœnum viride combuſtum eſt.* Per avaritiam fiunt hæretici clades terræ, omnia templa expilant, & igni ferroque Chriſti paradiſum vaſtant, id eſt, Eccleſiam. Secundò, Aureolus ait, ſecundum Angelum eſſe Macedonium Hæreſiarcham, qui docuit Spiritum ſanctum, eſſe creaturam & ſervum filii, verſ. 8. *Et ſecundus Angelus tubâ cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare, & facta eſt tertia pars maris ſanguis: & mortua eſt tertia pars creaturæ, quæ habebant animas in mari, & tertia pars navium interiit.* Per concupiſcentiam carnis fit hæreticus mons ardens inſtar Ætnæ in Sicilia, aut Veſuvii in Italia: & in mare, id eſt, in animas molles, fluxas, inſtabiles & inquietas, à dæmone conjicitur: tunc fit ſanguis, id eſt, putredo & ſanies in corpore, mors in anima, ruina in omni præſidio, quo poſſis fugere ex naufragio. Tertiò, idem Aureolus ait, Pelagium monachum, & hæreſiarcham, qui docuit aquas Baptiſmi non prodeſſe infantibus, cùm careant peccato originali, figurari in tertio Angelo ſeu dæmone, verſu 10. *Et tertius Angelus tubâ cecinit: & cecidit de cœlo ſtella magna, ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum. Et nomen ſtellæ dicitur abſynthium.* (Græcè ἄψινθος ipſa abſinthii amaritudo) *& facta eſt tertia pars aquarum in abſinthium, & multi hominum mortui ſunt de aquis, quia amaræ factæ ſunt.* Per ſuperbiam hæreticorum, hæc omnia mala eveniunt. Nam ſuperbia, id eſt, ſtella, ob lucem & excelſitatem: ſed eſt ſtella aerea, id eſt, cometes, non ſtella cœleſtis. 2. Cadit, ob temeritatem & inſaniam. 3. Ardet, per cupiditatem majorum ſemper honorum. 4. Cadit in flumina per turpem lapſum in luxuriam. 5. Abſinthium vocatur & eſt, ob amaritudinem continuam doctrinæ ſeditioſæ. 6. Aquas vertit in abſinthium, id eſt, delicias vanas in dolorem. 7. Multos occidit ob peſtilentem afflatum. Poſſis alios quatuor Angelos, id eſt, dæmones, adaptare Neſtorio, Joanni Hus, Joanni Calvino, & Martino Luthero. Aut certè 7. comparare 7. hæreſiarchiis hujus temporis famoſioribus, incipiendo à Luthero: nam Apocalypſis eſt de temporibus Mundi noviſſimis, ad quæ properamus.

47. Cathedra peſtilentiæ eſt fugienda.

Reſtat primò, ut cognitam peſtem & cathedram peſtilentiariam fugiamus. Hoc monet Jer. cap. 50. 8. *Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini.* Secundò, celeriter egrediendum docet, peſtis enim eſt, cap. 51. 6. *Fugite de medio Babylonis, & ſalvet unuſquiſque animam ſuam*, cætera bona præ illa negligat: licèt ſis in medio Babylonis, quæ te ſemper magis ac magis involvit, potes effugere & evolare, Zach. 2. 7. *O Sion, fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis:* non eſt ibi locus tuus? Tu enim es Sion facta ad Deum contemplandum, ibi eſt confuſio, & cogitationum & actionum: noli in eo loco habitare, tranſi, fuge. Hebr. המלטי *himmaleti*, eripere, ſalvare: verti etiam poteſt, erue te, libera te, ſalva te: licèt enim ſit in Niphal, habet tamen quoque ſignificationem Hiphael: utrumque porro fac, 1. *Eruere*, id eſt, patere, ut gratia Dei te eruat, ne reſiſte Dei gratiæ, 2. *Erue te*, cooperare gratiæ: omnia faciet gratia Dei, ſed tecum. Chald. vertit, *evade*. Tigurina, ſalvare. Porrò filia Babylonis, eſt filia Babylon, ſeu Babylon: orbes enim ut puellæ pingebantur. Sion verò, ponitur pro Sioniis, id eſt, Judæis. Tertiò, cauſa fugiendi eſt periculum, ſi maneamus, Apoc. 18. 4. *Exite de Babylone populus meus, ut ne participes ſitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis*, ad montes fugiendum docet Chriſtus, cùm videtur deſolatio abominationis ſtans in loco ſancto, Matth. 24. 15. longè magis, quando eſt ſedens in cathedra, & cathedra peſtilentiæ. Nam, 1. Seſſio denotat quietem & durationem. 2. Cathedra, authoritatem. 3. Peſtilentia, exitium aliorum.

Speciatim ab hæreti fugiendum, & ab hæreticis, docet S. Ignatius epiſt. 9. ad Philadelph. *Fugite, ὡς τέκνα φωτὸς, καὶ ἀληθείας, ut filii lucis & veritatis, ſciſſionem unitatis, & pravam doctrinam hæreticorum, à quibus pollutio egreſſa eſt in omnem terram. Ubi verò paſtor eſt, eodem & vos, ut oves, ſequimini.* Rationem fugæ affert, periculum cum ipſis pereundi, ac paulò poſt ſubdit: *Si quis juxta aliena præcepta graditur, hic non eſt Chriſti, nec particeps paſſionis Chriſti: ſed eſt vulpes, & φθορεὺς ἀμπελῶνος χριστοῦ, corruptor vineæ Chriſti: cum ejuſmodi non commiſceamini, ne cum illo pereatis; quamvis pater ſit, quamvis filius, quamvis frater, quamvis domeſticus. Non parcet, inquit, Deut. 13. oculus veſter ſuper eum. Oſores Dei & vos odiſſe oportet.* Sic S. Irenæus lib. 3. c. 140. refert, S. Joannem Apoſtolum exiliiſſe de balneo, in quo Cerinthum hæreſiarcham viderat, & cauſam protuliſſe: nempe, timere ſe, ne balneum concideret, quòd intus eſſet Cerinthus inimicus veritatis: & S. Polycarpum Marcioni item hæreſiarchæ occurrenti ſibi, & dicenti: cognoſce nos, reſpondiſſe: *Cognoſco te primogenitum ſatanæ.* Quæ cùm retulit, addit Irenæus: Tantum Apoſtoli, & horum diſcipuli habuerunt timorem, ut *neque verbotenùs* communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem; quemadmodum & Paulus ait: Hæreticum autem hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita: ſciens quoniam perverſus eſt, qui eſt talis, & à ſemetipſo damnatus. Sic ipſe,

Ad pſalmum noſtrum aptiſſimè referes, quod ait Sozomen. lib. 1. cap. 24. Maximum, inquit, Epiſcopum euſidentem fortè inter hæreticos Paphnutius manu attrahens, ſic allocutus eſt: *Non patiar Epiſcopum venerabilem ſedere in cathedra peſtilentiæ, & cum impuro hoc grege verbo communicare.*

Imitare pueros Samoſatenſes, de quibus Theodoret. lib. 4. c. 15. Nicephor. lib. 11. c. 21. Baronius tom. 4. anno 370. Cùm illi pilâ luderent in foro, atque per forum Lucius ejuſdem urbis Epiſcopus Arrianus iter faceret, accidit, ut uni elapſa pila per aſini ipſius, ſeu mulæ, pedes pelleretur; tum pueri exclamaverunt, contaminatam eſſe pilam. At ipſe re animadverſâ juſſit quemdam ex ſequentium numero ſubſiſtere, & recognoſcere, quid facerent; vidit pueros igne accenſo pilam per flammas trajicere, ut ſic peſtem, quam ex attractu illo contraxeſſat, depellerent.

ARTICULUS VI.

Legis Dei amor beatos efficit.

Verſ. 2. 1. Pars. CUm verſu primo oſtenderit Propheta noſter, quænam ſint fugienda, ut ſimus beati, nunc docet, quænam ſint facienda, Verſ. 2. *Sed in lege Domini voluntas ejus.* (Hebr. *bephſe*, voluntas eum delectatione. Chald. animi propenſio.) *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.*

48. Lex Dei eſt quadruplex. Quæres primò: Quænam ſit illa lex, in qua voluntas eſt ponenda: Reſpondet primò Clemens Alexand. lib. 2. Strom. eſſe ipſum Deum. Nam pſalmi noſtri locum citans, ait, S. Petrum in prædicatione, legem & verbum appellaviſſe Dominum.

Secundò, Aponius in Cant. ait, legem illam eſſe totam Scripturam ſanctam.

Nempe æterna, naturalis, divina, humana. Tertiò, & pleniùs ac meliùs dixeris, intelligi omnes leges Dei, quæ ad quatuor capita revocari poſſunt: nempe ad legem æternam, legem naturalem, legem divinam poſitivam, & legem humanam bonam. Ac primò, lex æterna, eſt Dei lex. Sicut enim ait S. Thomas 1. 2. q. 91. art. 1. in Corp. Nihil aliud eſt lex, quàm *dictamen practicæ rationis in principe*, qui gubernat aliquam communitatem perfectam: manifeſtum eſt autem, ſuppoſito quòd mundus divinâ providentiâ regatur, ſicut docetur 1. part. qu. 22. art. 1. & 2. quòd tota communitas univerſi gubernatur ratione divinâ; & ideò ipſa *ratio gubernationis rerum in Deo, ſicut in principe univerſitatis, exiſtens, legis habet rationem.* Et quia divina ratio nihil concipit ex tempore, ſed habet æternum conceptum, ut dicitur Prov. 8. inde eſt, quòd hujuſmodi legem oportet dicere æternam. Secundò, lex naturalis, eſt lex Dei: quia, ut ait idem ſanctus Doctor qu. citatâ art. 2. cùm omnia participent æqualiter legem æternam, in quantum ſcilicet ex ejus impreſſione habent inclinationes in proprios actus & fines, hoc excellentiori modo habet creatura rationalis: unde ait David Pſ. 4. 17. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, quaſi lumen rationis naturalis, quo diſcernimus, quid ſit bonum, & quid malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud ſit, quàm impreſſio divini Luminis in nobis: unde patet, quòd *lex naturalis nihil aliud eſt, quàm participatio legis æternæ in rationali creatura.* art. 3. docet, omnem legem, in quantum juſta eſt, derivari à lege æterna, & art. 4. legem naturalem eſſe eandem apud omnes, quoad prima principia communia, ſecundùm rectitudinem & notitiam, non autem quoad alia. Tertiò, lex divina, eſt participatio legis æternæ in ordine ad finem ſupernaturalem: ſicut lex naturalis, ad finem naturalem. Eſt neceſſaria præter legem naturalem, & humanam 1. Ut dirigatur homo ad actus proprios in ordine ad finem ultimum. 2. Propter incertitudinem humani judicii, diverſæ, imò contrariæ leges fiunt. 3. Quia homo non judicat de motibus interioribus. 4. Quia lex humana cogitur multa mala tolerare, nullum autem peccatum debet eſſe improhibitum & impunitum. Dividitur autem lex divina in veterem & novam. Quartò denique, eſt lex humana, quæ, ut dixi, in quantum juſta eſt, eſt participatio legis æternæ, & ab ea derivatur, ſicut à fonte. Eſt enim, ut ait S. Thom. 1. 2. q. 91. 3. diſpoſitio particularis, inventa per rationem humanam ex principiis communibus legis naturalis. Nam lex eſt quoddam dictamen rationis, & ſimilis proceſſus invenitur rationis practicæ & ſpeculativæ: utraque enim ex quibuſdam principiis ad quaſdam concluſiones procedit. Sicut igitur in ratione ſpeculativa ex principiis indemonſtrabilibus naturaliter cognitis producuntur concluſiones diverſarum ſcientiarum, quarum cognitio non eſt naturaliter indita, ſed per induſtriam rationis inventa: ita etiam ex præceptis legis naturalis, quaſi ex quibuſdam principiis communibus & indemonſtrabilibus, neceſſe eſt, quòd ratio humana procedat ad aliqua magis particulariter diſponenda, & iſtæ particulares diſpoſitiones adinventæ ſecundùm rationem humanam, dicuntur leges humanæ, obſervatis aliis conditionibus, quæ pertinent ad rationem legis, unde Tullius lib. 2. de Invent. ait, quòd initium juris eſt à natura profectum, deinde quædam in conſuetudinem ex utilitate venerunt; poſteà res à natura profectas, & à conſuetudine probatas, legum metus & religio ſanxit: idem S. Thomas ait 1. 2. qu. 19. art. 4. legem humanam eſſe menſuram menſuratam à lege divina, & à lege naturali, cujus finis eſt utilitas hominum. *Lex*, ut ait Julianus Imperator orat. 2. *eſt fœtus quidam juſtitiæ, ἱερὸν ἀνάθημα, καὶ θεῖον ἀληθῶς, τοῦ μεγίστου Θεοῦ. Deique ſacrum, & verè divinum donarium, quam nemo ſui compos parvi facit atque contemnit.* Hinc plerique Legiſlatores finxerunt ſuas ſe leges à Diis accepiſſe. 1. A Saturno, Charimundas legiſlator Carthaginenſium. 2. A Jove, Minos Cretæ. 3. Ab Apolline, Lycurgus Lacedæmone. 4. A Mercurio, Oſiris in Ægypto. 5. Ab Orimaſo, Zoroaſtres apud Perſas & Bactrianos. 6. A Bono Deo, Zantraſtes apud Arimaſpos. 7. A Minerva, Solon inter Athenienſes, & Zaleucus inter Locrenſes. 8. A Veſta, Zamolxis inter Scythas. 9. A Nympha Ægeria, Numa Rex Romanus. 10. Et varii à variis Diis. *A Diis leges ſe accepiſſe multi finxerunt.*

Quæres ſecundò: Cur, cùm quatuor has leges ponamus, David tamen dicat in verſiculo noſtro: *Et in lege Domini voluntas ejus?* Reſpond. primò, Leges quidem multas eſſe, ſed in uno principio radicari, & ad unum finem ducere. Reſp. ſecundò, Prophetam præſertim agere de lege divina, quæ dividitur quidem in legem veterem & novam, ſed non tanquam in diverſas ſpecies, & ſic ſunt una lex; ut ait enim S. Thom. 1. 2. q. 91. art. 5. Diſtinctio eſt cauſa numeri: dupliciter autem inveniuntur aliqua diſtingui. Uno modo, ſicut ea, quæ ſunt omninò ſpecie diverſa, ut equus & bos. Alio modo, ſicut perfectum & imperfectum in eadem ſpecie, ſicut puer & vir: & hoc modo lex divina diſtinguitur in legem veterem, & in legem novam. Unde Apoſtolus ad Galat. 3. comparat ſtatum legis veteris, ſtatui puerili exiſtenti ſub pædagogo. Attenditur autem perfectio legis gratiæ ſupra veterem in tribus ad legem pertinentibus. Primò, in fine qui eſt bonum ſenſibile & terrenum in veteri lege: unde Exod. 3. in principio legis invitatur populus ad regnum terrenum Chananæorum: in lege nova ordinatur ad bonum intelligibile & cœleſte: unde ſtatim Chriſtus in ſuæ prædicationis principio invitavit ad regnum cœlorum, dicens: pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cœlorum, Matth. 4. Secundò, ad legem pertinet dirigere actus humanos ſecundùm ordinem juſtitiæ, in quo etiam ſuperabundat lex nova legi veteri, interiores actus animi ordinando, ſecundùm Matth. 5. Niſi abundaverit juſtitia veſtra plusquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum: & ideò dicitur, quòd lex vetus cohibet manum, lex nova animum. Tertiò, ad legem pertinet inducere homines ad obſervantias mandatorum: & hoc quidem lex vetus faciebat timore pœnarum: lex autem nova facit hoc 49. Quomodo lex Dei una ponitur à Davide?

per

per amorem; qui in cordibus noſtris infunditur per gratiam Chriſti, quæ in lege nova confertur, ſed in lege veteri figurabatur: & ideò dicit S. Auguſtinus contra Adamantium Manichæi diſcipulum, cap. 17. tom. 6. quòd *brevis differentia eſt legis & Evangelii, timor & amor.* Itaque David noſter præſertim loquebatur hominibus legis gratiæ, cùm dicebat, *Et in lege Domini voluntas ejus:* amorem & cor depoſcit, non manum tantùm, ut dicetur quæſt. ſeq.

Lex humana eſt appendix legis divinæ.

Leges quoque humanæ, ſunt velut quædam appendices & auctaria legis illius divinæ, cui uniuntur, & legis naturalis nobis à Deo inditæ. Philo libro de Joſeph, leges ait oppidatim receptas, ſunt, προσθῆκαι ὀρθοῦ λόγου, id eſt, *appendices rectæ rationis à natura nobis inſitæ: ſicut & civilis vir eſt auctarium juxta naturam viventium.* προσθήκη βιοῦντος κατὰ φύσιν. Plato in Politico vocat leges ab hominibus latas, μιμήματα τῆς ἀληθείας, *imitamenta veritatis.* Deus autem eſt prima, & ſola, certa, & infallibilis veritas, ac menſura & regula omnis veritatis. Hinc S. Aug. l. 9. de Civit. Dei: *Omnium,* inquit, *legum inanis eſt cenſura, niſi divinæ imaginem gerat.*

Nota porrò, vetus teſtamentum dividi in tres partes. Primò in *Thora,* ſive legem, quæ continetur Pentateuco: Secundò, in *Nebiim:* id eſt, Prophetas. Tertiò, in *Ketubim,* id eſt, Hagiographa: ſic Luc. 24. 44. dicitur: Neceſſe eſt compleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me: & lex à Prophetis diſtinguitur, Matth. 7. 12. & cap. 11. 13. & cap. 22. 40. Nota ſecundò, ſæpè tamen legem pro his omnibus ſumi, ut paſſim in epiſtola ad Romanos, & alibi: ſicque in Pſalmo noſtro accipi debet, *Et in lege Domini voluntas ejus:* debet enim voluntas omnia Dei verba ex omni loco Scripturæ, ut orientales gemmas, colligere, & conſervare in corde ſuo, velut in theſauro cœleſti; unde illa & ſibi aliis profutura proferat.

50. *Habet voluntatem in lege, qui amat veritatem.*

Quæres tertiò: Quid ſit habere voluntatem in lege? Reſpondet primò Hugo S. Victore cap. 2. in Pſalmos, illum habere voluntatem in lege, qui diligit veritatem. *Multi,* ait, *habent legem in corde, ſed non habent cor in lege: legem in corde habent, qui cognoſcunt veritatem. Qui verò legem in corde habent, non cor in lege, hi portant legem, non portantur à lege: onerati ſunt, non adjuti; quia ſcientia, ubi non eſt charitas, gravat, non allevat.* Veritas illa ſuaves Orbi radios expandit, 1 Joan. 5. 6. *Chriſtus eſt veritas:* & Joan. 1. 8. dicitur: lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: idque facit per legem: nam, ut Sapiens Prov. 6. 23. *lex lux.* Vide dicta Pſal. 118. 105. Lucerna pedibus meis verbum tuum; & lumen ſemitis meis. Primaſius, Rupertus & Richard. à Victore Chriſtum volunt induci, Apoc. 18. 1. ubi S. Joannes dicit: *Vidi alium Angelum deſcendentem de cælo, habentem poteſtatem magnam, & terra illuminata eſt à gloria ejus,* deſcendit de cœlo Chriſtus per Incarnationem, & luce Evangelii Orbem illuſtravit, prædixitque everſionem Babylonis & idololatriæ; hic ſenſus bonus eſt, licèt veriùs putem agi de vero Angelo, prædicente excidium Babylonis, id eſt, Romæ ethnicæ, in fine mundi. Alcazar explicat de S. Petro prædicente everſionem, id eſt, converſionem Romæ ab ethniciſmo ad Chriſtianiſmum; ſed hoc eſt accommodatitium.

Et ipſam legem cupit implere.

Secundò, apertiùs dixeris eum habere voluntatem in lege, qui vult & amat legem. Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit. Hebr. *Et in lege Domini* חפצו *hephſo, voluntas ejus:* non quælibet; ſed cum affectu atque complacentia, cum delectatione & voluptate; voluntas beneplaciti & amoris. Chald. etiam vox *raava,* animi propenſionem, ſeu voluntatem cum propenſione ac libera electione ſignificat. Lex ab eligendo dicitur, non tantùm quòd facienda & vitanda per illam eligamus, ſed etiam quòd eligamus legem ipſam. Dicitur à ligando, quia obligat; vel à legendo ſecundùm Iſidorum, quia ſcripta eſt, ut ait S. Thom. 1. 2. qu. 90. art. 1. item art. 4. ad 2. & 3. Hæc eſt ſapientia doctrinæ, de qua Eccli. 6. 26. *Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum.* Nota vocem Græcam κλοιὸς, non ſignificare torquem vel monile aureum, ſed collare ferreum vel numellam, jugum ferreum vel ligneum, quo collum, pedes, manus includuntur: deducitur à κλείω, claudo. Ut diſcas etiam dura & aſpera præcepta libenter exequi. Computreſcet jugum à facie olei, ſubditur enim verſu 30. *Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, & baſes virtutis, & torques illius in ſtolam gloriæ. Decor enim vitæ eſt in illa, & vincula illius alligatura ſalutaris.* Græcè, merus hyacinthinus. Sanct. Auguſt. in Pſal. 101. vincula illius fila hyacinthina. Alludit, ut vult Palacius, ad ligaturas chirurgorum, quibus vulnus obligant: vel potiùs, alludit ad hyacinthinas, id eſt, violacei coloris, fimbrias, quas Judæi jubebantur palliis ſuis aſſuere, ut ex earum aſpectu recordarentur præceptorum Dei, ut dicitur Num. 15. 38. & ſeq. hâc veluti teſſerâ diſcernebantur à gentibus.

51. *Voluntas eſt in lege. 1. Ut avis in nido. 2. Ut Phœnix in aromatibus. 3. Ut ovis in prato. 4. Ut piſcis in aqua. 5. Ut ſtella in cœlo. 6. Ut puer in ſinu matris. 7. Ut miles in arce.*

Amorem illum legis Dei docet nos David, cùm ait: *in lege* voluntatem noſtram debere eſſe. Sit itaque in illa & intra illam. 1. Ut avis in nido, ubi quieſcat. 2. Ut Phœnix in Arabicis odoribus & aromatis, ubi ardeat. 3. Ovis in prato, ubi pingueſcat. 4. Piſcis in aqua, ubi ſpatietur. 5. Stella in cœlo, in quo fulgeat. 6. Pupulus in mammis & ſinu matris, in quo nutriatur & foveatur. 7. Miles in arce, in qua ſecurus hoſtes rideat. 8. Adam in terreſtri paradiſo, ubi deliciis omnibus circumfluat. 9. Sancti in cœleſti palatio, ubi in Deum, veluti ſpongia in oceanum, & ferrum in fornacem ardentem, ſeſe immergat. In intellectu autem viri juſti legem meditantis, lex erit & Deus ipſe, ut Sol in cœlo, gemma in aureo annulo, flos in horto, paſtor in grege, Doctor in cathedra, Rex in throno, Sacerdos in ſanctuario, anima in corpore, Deus in mundo, ac præſertim in cœlo.

52. *Sub lege eſſe ſervile eſt, in lege eſſe, filiale eſt. Lex Dei eſt lex ignis & charitatis.*

Sub lege eſt ſervus & mercenarius onus portans; *in lege,* ut in curru, filius ad cœleſtem Patrem igne amoris evolans. S Aug. *Aliud eſt,* ait, *eſſe in lege, aliud ſub lege. Qui eſt in lege, ſecundùm legem agitur. Ille ergo liber eſt, iſte ſervus. Deinde aliud eſt lex, quæ ſcribitur & imponitur ſervienti; aliud lex, quæ mente conſpicitur, ab eo, qui non indiget litteris.* Non priùs datur lex Moſi, quàm in verticem montis Sinai flammantem, id eſt, ad charitatis culmen aſcenderit. Ibi legem igneam accipit. Moſes, ait, Deut. 33. 2. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis; paruit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex. Dilexit populos, omnes Sancti in manu illius ſunt.* Nota 1. Ubi eſt Deus & Sancti, ibi eſt ignea lex: ſancti non ſunt, qui frigidi ſunt. S. Greg. hom. 30. in Evangelia: *dextra Dei appellantur Electi: in dextra ergo Dei ignea lex: quia Electi mandata cœleſtia nequaquam frigido corde audiunt, ſed ad hæc amoris intimi facibus inardeſcunt.* Nota 2. Igneam eſſe Dei legem, quia à Deo, qui ignis conſumens eſt, datur ex intimo amore: unde ſtatim, poſtquam in hoc cantico dixit Moſes, in dextera ejus *ignea lex:* addidit: *dilexit populos:* quaſi diceret: Deus, qui eſt charitas, venit ignem mittere in terram. Vult hunc ignem accendi: ideò legem ſuam ſic incipit Deut. 6. 5. *Diliges Dominum Deum tuum.* S. Auguſt. *Sola,* inquit, *charitas perducit ad Deum,* & S. Joan. 1 epiſt. 4. 7. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt;* & Paulus Rom. 13. 10. *plenitudo legis* (Syrus, adimpletio) *eſt dilectio.* 1. Dei. 2. Proximi. 3. Legis ipſius: qui enim amat legem, eam perfectè implet, & cùm merito, 1 Cor. 9. 17. Si volens hoc ago, mercedem habeo: ſi invitus, diſpenſatio mihi credita eſt: id eſt, adminiſtratio Evangelii, Rom. 7. 22. *condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem.* q. d. exteriora non curo: oculis Dei ſervio, qui ſcrutatur corda & renes: homo interior, 1. Eſt mens. 2. Eſt homo ipſe gratia, *charitate,* & ſpiritu Dei imbutus & vivens: *hujus anima eſt gratia & charitas:* hujus lex eſt lex divina, ejuſque dictamen, ut ait Cornelius

verſ. 25. pergit Paulus, *mente ſervio lege Dei*, cap. 6. 14. dixerat iiſdem Romanis, *Non enim ſub lege eſtis*, & verſu 15. *Non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia.* Non ſub jugo gemimus, ſed oleo & unguento deſluente ex capite & barba Aaron noſtri in oram veſtimenti ejus, id eſt, in Eccleſiam & animam ſanctam, recreamur & fovemur. Angelus dans legem Moyſi digitos manuum duro lapidi immiſit, ut eam ſcriberet, at noſter Meſſias pedem tingit in oleo, & vult ſibi caput & pedes à nobis oleo, & ſacris charitatis aromatibus inungi. Galatas reprehendit idem Apoſtolus, quòd vellent eſſe ſub lega Moſis, Gal. 4. 21. & 5. 18. atque 1. Cor. 9. 2. de ipſa lege gratiæ ait, *cùm eſſem in lege Chriſti.* Si legem Moſaicam vocant Hebræi כלי חמדה *cheli hamuda*, id eſt, vas pretioſum, ac præſertim R. Achiva id ait in Pirke avoth cap. 3. quid de Chriſti lege dicemus? Cor juſtorum in ea eſt, ut balſamum in vaſe ſapphirino: atque ut gemma in pixide aurea. Juſti dupliciter non ſub luge: ſcilicet coactivè, & quantum ad opera Spiritûs S. ut docet S. Thom. 1. 2. q. 93. art. 6. ad 1. Non ut imitetur eos, qui velut onagri liberos ſe natos putant, & occaſionem peccati accipiunt libertatem: ſed velut ſervi & amici, & filii, & ſponſæ Chriſti, cor illi totum offerunt. Nam, ut ait Tertull. lib. de pudicitia, cap. 6. *Operum juga rejecta ſunt, non diſciplinarum.* Chriſtus dat jugum, ſed ſuave & leve, imò diſſuavians & allevians, oſculatur oſculo oris ſui dans legem, ſicut oſculatur mater pupulum, ad cor dilatandum in operatione, Jerem. 31. 33. *Dabo legem meam in viſceribus ejus.* Ibi illam juſtus recipit, atque velut in throno collocat, veluti Reginam omnibus facultatibus animæ & corporis dominaturam, Pſ. 36. 31. *Lex Dei ejus in corde ipſius.* Et ſignatiùs Pſ. 39. 9. *Legem tuam in medio cordis mei.* Non eſt in angulo, ſed in medio, ut Sol in cœlo medio imperans, illuminans, accendens, & ſuperiora & inferiora. Nam dicitur Pſalm. 18. 8. Lex Domini immaculata, convertens animas: cùm ſit ignea, convertit vel ferrum frigidum in ſelpſam, illud inflammat & ſcintillare facit: emollitumque in omnes partes verſat, ſi malleum atque incudem pati velit. Atque ad hoc aliaque animos facit Deus, Pſalm. 111. 1. Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus *volet nimis:* egebit potiùs fræno, quàm calcaribus.

Gloriatur David Pſal. 118. 163. *Legem tuam dilexi:* ſibi hoc ad omnia peccata evitanda ſufficere judicans; dicit enim S. Auguſtinus: *Ama, & fac quod vis.* Salomon filium ſuum inſtruens, vult, ut legem cordi inſcribat, Prov. 7. 1. *Fili mi, cuſtodi ſermones meos, & præcepta mea reconde tibi*, velut gemmas & theſaurum divitem. Syr. vertit, *Abſconde in corde tuo.* Extra cor patent latronibus, & facilè excidunt ex ore, vultu, manibus, ac toto corpore, niſi radicentur in corde: ut ibi ſpiritus vitales putrificent, ut creſcant, ut ſe per venas & arterias animæ & corporis diffundant, pergit verſu 2. *Fili, ſerva mandata mea, & vives: & legem meam quaſi pupillam oculi tui.* 1. Quia eſt tibi inſtar lampadis & Solis. 2. Licèt parva videatur, cœlum tamen ac Deum in ſe continet. 3. Eget multis propugnaculis, ut pupilla ſuperciliis, palpebris & ciliis, atque quadruplici tunica; nempe ſpeculari, reticulata, cryſtallina, & cornea. Cor tandem requiritur verſu 3. *Liga eam in digitis tuis.* (Septuaginta, circumpone eam digitis tuis; velut annulum aureum ſcilicet) *ſcribe illam in tabulis cordis tui.* Septuag. ſuper latitudinem cordis tui; amat cor amplum & dilatatum. Cor illud magnum, & legis divinæ amans, poſtulabant à Judæis in Ægypto manentibus, Judæi qui erant Jeroſolymis, & in Judæa reliqui. Sic enim eis ſcribunt, 2 Machab. 1. 3. *Det vobis Deus cor omnibus* (unum cor omnibus, & animam unam, per mutuam charitatem) *ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem corde magno* (nullam ejus voluntatem à corde veſtro excludentes; anguſti eſt pectoris & nimium coarctati hoc Dei mandatum velle, illud nolle) *& animo volenti adaperiat cor veſtrum* (illud cœlo oſtendendo & dilatando) *in lege ſua, & in præceptis ſuis, & faciat pacem.* 1. Dei cum animo. 2. Animi cum corpore. 3. Corporis cum paſſionibus. 4. Totius hominis cum proximo. Hoc autem fit per legem. Ut enim docet S. Thom. 1. 2. q. 99. art. 2. in Corp. *Intentio divinæ legis eſt, ut conſtituat principaliter amicitiam hominis ad Deum.* Amans Deum, cætera amat in eo.

Voluntarias victimas amat Deus. Hinc David *Victimas voluntarias amat Deus.* Pſal. 53. 8. ait: *Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine.* Tunc bona eſt Dei laus & confeſſio, cùm offertur voluntarium ſacrificium. Aliqui vertunt, *cum liberalitate, cum munificentia*, ſacrificabo tibi. Si adſit ardentiſſima & promptiſſima voluntas, etiam vidua mittens duo minuta (quæ ſimul ſunt quadrans: quadrans autem eſt 4. pars aſſis) in gazophylacium: id eſt, in arcam, in quam donaria populus jaciebat, plùs omnibus mittet, Dei judicio, Marc. 12. 42. eritque coram eo non tantùm munifica: ſed etiam magnifica. Animum illum voluntarium, quem Deo exhibuerat, à filiis ſuis David Rex noſter depoſcebat, cùm enim 1 Paral. 28. congregatis omnibus Principibus Iſraël, Ducibus tribuum & Præpoſitis turmarum, qui ipſi miniſtrabant, tribunis quoque & centurionibus, & qui præerant ſubſtantiæ & poſſeſſionibus Regis, filiiſque ſuis cum eunuchis potentibus, & robuſtiſſimis quibuſque in exercitu Jeruſalem, dixiſſet, voluntatis Dei eſſe, ut Salomon ipſi in regnum ſuccederet, eumque à Deo electum eſſe in filium, & Deum & ſummum in patrem, atque regnum ejus firmaturum in ſempiternum, ſi præcepta ſervaret: converſus ad Salomonem ait, verſ. 9. *Tu autem Salomon fili mi, ſcito Deum Patris tui, & ſervito ei corde perfecto, & animo voluntario.* q. d. niſi ex voluntate ipſi ſervieris, non firmabit regnum tuum: ſi tu à mandatis ejus recedes, & ille à tui cuſtodia, ſicut accidit. Animus voluntarius præcipuè requiritur in lege gratiæ. Nam, ut monet S. Gregor. Naz niai 8. *Non eſt legis noſtra*, ἄγειν ἀναγκαςῶς ἀλλ' ἑκουσίως, *per vim ducere, coactéque, ſed voluntariè.* Pontifex Judæorum in Rationali ſcripta hæc duo verba gerebat, Urim & Thummim, id eſt, flammas ſeu ſplendores & perfectiones: ut denotaret, in pectore, cui Rationale incumbebat, perfectionem eſſe quærendam & ponendam: inde ut ex fonte lucis & ardoris debere illam manare. Turcæ ipſi leges aliquot Alrorani collo appenſas in pectus demittunt, ut oſtendant ſe ex animo eas obſervaturos: torquem illum ſibi videri pulcherrimum, ex eo poſſis conjicere, quod ait Conſtantinus Porphyrogenita lib. de adminiſtr. imper. cap. 25. *Appellavit ſe*, inquit, *amor numen, geſtans Alcoranum per tabellas è collo inſtar torquis.* Leges Dei poſtis vocare tributa amoris. Tributa primò ſunt, Philo lib. de Migratione Abrahami. *Mens initiata perdit vectigal perfecto Deo juxta ſacras Literas. Lex enim eſt*, τέλος τῷ κυρίῳ. *Tributum Domini:* Secundò, amoris eſt tributum docet S. Auguſt. lib. de ſpir. & litera: *Lex Dei charitas eſt: lex data eſt, ut gratia quæreretur: gratia data eſt, ut lex impleretur.* Et in Antologia ſacra Jacobus Billius canit: *Verus amor Chriſti vera eſt cuſtodia legis.*

Fœdus iniit Deus cum Abrahamo, & quidem *Deo victima perfecta ſunt offerenda.* ſempiternum, Gen. 17. 4. ut ſcilicet Abraham ſervaret legem Circumciſionis, & conſequenter alias omnes Dei leges: Deus verò, ejus peculiarem curam gereret, atque terram Chanaan daret ejus poſteris, qui per circumciſionem, velut ſignum pacti initi, cognoſcebant ſe eſſe populum Deo dicatum & conſecratum. Fœdus illud jam antè ſancitum erat ſine mentione circumciſionis, Gen. 15. 4. & ſeq. Quando Abraham Deo vaccam triennem, capram trimam, id eſt, trium annorum, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam immolavit. Nota primò, Deum voluiſſe animalia trima, quia tunc ſunt perfectâ ſtaturâ, ætate, & robore. Ex animo ſe & voluntariè Deo ſacrificare oſtendit, qui perfectam victimam offert cum Abel, Gen. 4. verſu 4. *Abel obtulit de*

primo-

primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: & reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus. Hebr. יִשַׁע *iſſu*, ἐνέφθη, delectatus eſt, ut vertit Symmachus: conſolationem accepit, ut Aquila: ſuſcepit cum beneplacito, ut Chaldæus: ἐνεπύρισε, inflammavit, ut Theodotio, 1. Victimas, igne è cœlo deciduo. 2. Abelem, igne charitatis. Nota ſecundò, fœdera ſolita ſancire cum ſanguine: primâ vice, Deum contentum fuiſſe ſanguine pecudum, ab Abrahamo oblatarum; Sed vice alterâ voluiſſe ſanguinem ipſius Abrahami fundi, & ſanguinem Iſmaëlis filii ejus, ac poſteà omnium poſterorum, ut diſcerent, vel cum propriæ vitæ jactura Deo eſſe alacriter ſerviendum, quod ſe facturum abundè probavit Abraham pergens ad montem Moria, immolaturus Iſaacum unigenitum ſuum, Gen. 22. 6. *Ipſe verò portabat in manibus ignem & gladium*; niſi ignem manibus tuliſſet, gladius defluxiſſet: ſi in operibus tuis non ſit amor & charitas, citò mortificatio langueſcet, atque concidet. Nota tertiò, Aquilam pro Moria vertiſſe καταφανῆ, id eſt, apparentem, conſpicuum, lucidum: quia, in monte Moria fuit ædificatum à Salomone templum, in quo erat *debir*, id eſt, oraculum Dei in propitiatorio, & lex intra Arcam, atque Spiritus ſanctus docens hominea veritatem, illuminans Prophetas, eiſque oracula inſpirans. Moria etiam 1. Viſionem ſonat à radice *raa*, *vidit*, quia hunc montem Deus Abrahamo oſtendit, ibique eum vidit miſericordiæ oculis ac beneficentiæ, atque ab eo oculis fidei conſpectus eſt. 2. Timorem à rad. *iare*, *timuit*: quòd ibi Abraham ſit Deum reveritus, ibique ejus poſteri in templo Deum coluerint. Chald. vertit, *Vade in terram divini cultus.* 3. Amaritudinem à rad. *marar*, *amarus fuit*: Abrahamo ſcilicet. 4 Myrrheum à *mor*, *myrrha*, quòd myrrhâ abundet. 5. Denique ad rem noſtram aptè, poteſt ſignificare docentem ſeu legiferum: à rad. *iara*, *docuit*: unde *thora*, *lex*: quia, ut dicitur Iſai. 2. 3. *De Sion exibit lex.* Notat autem Diodorus Tharſenſis, montem Moria in plures colles & monticulos fuiſſe diviſum, atque in Orientali ejus parte fuiſſe Sionem, quæ erat civitas David inſtar arcis Jeruſalem: juxta illam verò, in area Ornan Jebuſæi à Davide coëmpta, Salomonem extruxiſſe Templum, ut habetur 2. Paral. 3. 1. Nota quartò, fœdus illud fuiſſe bis renovatum à Moſe, aliiſque; De Aſa Rege Juda dicitur, 2. Paral. 15. 12. *Intravit ex more ad corroborandum fœdus, ut quærerent Dominum Deum Patrum ſuorum in toto corde, & in tota anima ſua. Si quis autem, inquit, non quæſierit Dominum Deum Iſrael, moriatur, à minimo uſque ad maximum, à viro uſque ad mulierem.* Dicit deinde, illos juraſſe voce magna in jubilo, & in clangore tubæ, & in ſonitu buccinarum, ut oſtenderent alacritatem mentis, ac ſubdit verſu 15. *In omni corde ſuo juraverunt, & in tota voluntate quæſierunt eum, & invenerunt.* Aliter non invenitur, fugit mœſtos & non ungentes oleo lætitiæ faciem ſuam, hilarem datorem diligit Deus. Cretenſes, ut ait Strabo lib. 10. Geogr. pueros ſuos edocebant literas, καὶ τὰς ἐκ τῶν νόμων ᾠδὰς *& leges numeris muſicis conditas*: ut ſcilicet pueri, illecti cantus ſuavitate, in animum jucundius præcepta virtutum demitterent. Advertit idem Author, Deum coli inter feriandum, idque commune eſſe Græcis & Barbaris: cum muſica autem ſæpè fieri. *Muſica enim, ait, in ſaltatione, rythmo, cantilena verſans, ob voluptatem artiſque varietatem*, πρὸς τὸ θεῖον ἡμᾶς συνάπτει, *nos conjungit cum Deo.* Benè quidem dictum eſſe affirmat, homines tunc Deum imitari, cùm beneficia conferunt: rectiùs tamen fore, ſi dicatur, cùm numina rectè colunt: hoc autem fieri gaudendo, dies feſtos agitando, philoſophando, ac muſicam tractando: ideò Platonem & eo priores Pythagoreos, Philoſophiæ nomen, muſicæ impoſuiſſe, ac tradidiſſe mundum ſecundùm harmoniam conſtare, πᾶν τὸ μυσικὸν θεοῦ ἔργον ὑπολαμβάνοντες, *Omne quod muſicum eſt, opus Dei cenſentes.* Ita Strabo.

Victimas [illegible] Deus.

Deo tribuitur [illegible]

Sponſas ſibi Deus vult eſſe animas noſtras, non vult niſi volentes & amantes. Rebecca poſtulabatur in uxorem Iſaaco filio Abrahami, pater ejus Bathuel, & frater Laban dicunt Gen. 24. 57. *Quæramus ipſius voluntatem*, eam cùm præſtitiſſet, habent ſponſum Iſaacum, id eſt, riſum & gaudium, & fuit Chriſti avia: dat Deus ſponſæ ſuæ leges amoris, & ipſa cum amore eas ſervat, & leves exiſtimat ac ſuaves, Pſ. 118. 97. ait David: *Quomodo dilexi legem tuam Domine?* Quod Oleaſter in cap. 3. Geneſis, verſans, ait: Numquid *ſexcenta tredecim* leges erant, quas ſervare tenebaris bone Rex? Cur ergo legem vocas ſexcenta tredecim præcepta, quoniam dilexi legem tuam Domine? Amor onus non ſentit: dicebat S. Joan. Climacus in anaceph. grad. 26. *legum cuſtodia*, ἀγάπης τεκμήριον, *ſignum eſt charitatis.* Nos verò dicamus, charitas eſt legis omnis, quantumvis aſperæ, mitigatrix, quæ illi delectationem maximam affundit, & facit dilatato corde currere viam mandatorum, Pſ. 118. 1. *Beati, qui ambulant in lege tua, Domine!* Velle, mente ire eſt, ut ait S. Greg. Per hanc viam, ut dicit S. Bern. ſerm. 35. ex parvis, incedunt, & quaſi quemdam *currum* ducunt tria hominum genera, *ſervus, mercenarius, filius.* Trahunt eundem currum jumenta, quorum nomina ſunt *comminatio & promiſſio.* Super comminationem ſervus ſedet, ſuper promiſſionem mercenarius. Horum uterque currum trahit: alter timore, alter cupiditate, & uterque prorſus ſtimulis impellitur. Solus filius, qui nec timore quatitur, nec illicitur cupiditate: ſed Spiritu dilectionis agitur, ſine labore aut læſione vehitur in curru. Quicúmque enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. Habet etiam currus quatuor rotas, illas ſcilicet quatuor animi affectiones notiſſimas, amorem & lætitiam, timorem & triſtitiam. Amant enim reprobi temporalia, & lætantur, cùm malefecerint: ſed hunc amorem & hanc lætitiam ſequitur timor, & triſtitia ſempiterna. Electi verò, quibus dicitur Joan. 16. Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, ponunt primas rotas timorem & triſtitiam: poſteriores autem, amorem & lætitiam. Ipſis etiam commutatur timor in charitatem, & triſtitia in lætitiam ſempiternam. Notandum autem, quòd hæc via legis Domini conſummatur ſex diebus. Et prima quidem diæta eſt gemitus cordis; ſecunda, confeſſio oris; tertia, largitio propriæ poſſeſſionis: quarta, labor corporis: quinta, abnegatio propriæ voluntatis: ſexta, contemptus mundi: in ſeptima, fit quies ab omnibus prædictis, ſperans octavam Reſurrectionis. Sic Bernardus pſalmum noſtrum meditans. Diæta porrò, eſt locus, in quo cibus ſumi ſolebat, ut patet ex Plin. in epiſt. ſic dictus ἀπὸ διαιτῶν, id eſt, à convivio: zetam vocat Lamprid. in Heliogabulo, à ζῆν, quia ibi hilariùs vivetetur. Sumitur etiam diæta pro victus ratione, & præſcripta vivendi formula, in utroque ſenſu explicari poteſt ſanctus hic Pater: quàm celeriter autem in ea via currant, qui divina ſapiunt, declarat Philo, cùm lib. de Migratione Abrahami dicit, τοὺς θεοῦ λόγους, πράξεις εἶναι σοφοῦ, *Verba Dei, eſſe opera ſapientis.* Vix citiùs Deus imperat, quàm ſapiens legem datam exequatur: inter legem & executionem nihil mediat. Id apertum eſt in Abrahamo: & meliùs in Chriſto Pſ. 39. 9. *In capite libri* (Hier. in volumine libri, id eſt, in tota lege, in ſumma legis) *ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui* (illam facere, cibum ſuum illam vocat Joan. 4. 34.) *& legem tuam in medio cordis mei.* Ut illud teneat in æquilibrio, neque in unam partem potiùs inclinet, quàm in alteram: ſive dextera ſit ac felix, ſive ſiniſtra & cum infortunio. Lex illa Chriſto data erat de morte in Cruce: nam priùs dixerat: *Holocauſtum & pro peccato* (& victimam pro peccato) *non poſtulaſti: tunc dixi, ecce venio.* Cibum illi fuiſſe ac delicias illam Dei voluntatem patet ex Hebr. & Græco, *In medio ventris mei*, de ventre animæ agitur, qui idem eſt cum corde: affectum ſuum Chriſtus aperuit, Luc. 22. 15.

Sponſas non vult Deus, niſi volentes & amantes.

Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum: quia erat tranſitus ad Paſſionem, quam Calicem vocat, Matth. 20. 22. & 26. 39. ob ſuavitatem propter vehementiam amoris.

Manibus vult Deus jungi cor & amorem. Iſai. 46. 8. dicit Deus: *Redite prævaricatores ad cor:* non curat Deus manus ſine corde. Hinc labiorum etiam honorem rejicit, à populo eodem Iſraëlitico oblatum c. 29. 13. quia, ut ait, *cor ejus longè eſt à me*, Hypocritæ, ut rectè dicit Democritus, ſunt εἴδωλα αἰσθητικὰ, ſimulacra artificioſa & bellè ornata, quæ ad ſui ſpectaculum alliciunt, ſed ſunt καρδίας κενὰ, corde carentia. Oculos habent, & non vident: aures habent, & non audiunt: ſed ne cordis quidem habent ſimilitudinem, eo enim prorſus carent. S. Auguſt. de verbis Domini: *Cor*, inquit, *habet in ventre guloſus, laſcivus in libidine, cupidus in lucris;* pudeat, ſi non habeamus cor in Dei lege, ut eam voluntariè & ſpontè exequamur. Crates dicebat, ἀνοήτους τῶν ἀνθρώπων, ſtultos homines, terebris (id eſt, inſtrumentis quibus ligna perforantur) eſſe ſimiles, quæ niſi δεσμῷ καὶ ἀνάγκῃ, vinculis & neceſſitate coactæ officium ſuum non faciunt: & Pythagoras dictitabat, ſacrificia ſtultorum, ignis ſolùm alimenta eſſe: quòd ſcilicet eorum victimæ corde careant, quod eſt ſignum inauſpicatiſſimum, idque Cæſari mortem fertur portendiſſe. Itaque jubet Moſes Exod. 35. 5. *Omnis voluntarius, & prono animo offerat Domino;* agit de auro, argento, ære, hyacintho, cocco bis tincto, aliiſque ad tabernaculum & veſtes Sacerdotum neceſſariis. Ne pilum quidem caprarum vult offerri, niſi mente devota & animo voluntario.

55. *Beatus eſt cujus voluntas in lege Dei eſt.* Reſtat ut oſtendamus, beatum illum eſſe virum, cujus voluntas ſit in lege Dei. Hoc enim David noſter aſſerit: *Beatus vir, qui non abiit, &c. ſed in lege Domini voluntas ejus.* Lex, ut ait S. Thom. 1. 2. q. 9. art. 2. maximè reſpicit ordinem ad beatitudinem, & propriè ad felicitatem communem; & clarè dixit Propheta noſter Pſal. 118. 1. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Vide ibi dicta, & paſſim in toto illo Pſalmo longiſſimo, nempe centum & ſeptuaginta ſex verſiculorum, qui eſt continua exhortatio ad legem Dei ſervandam, adeò ut nullus ſit verſus præter unum, qui de illa non agat: nempe præter verſum 122. de quo adhuc dubitari poteſt.

1. Lex dat vitam incipienti. Primò, peccatori mortuo, & per pœnitentiam ad Deum recurrenti lex dat vitam, Prov. 3. 22. *Cuſtodi legem atque conſilium, & erit vita animæ tuæ.* Hebraicè חיים *haiim*, vertere etiam poſſis, *vitas:* nempe gratiæ & gloriæ. Baruch. 4. 1. *Omnes, qui tenent legem, pervenient ad vitam.* Et hæc vita continuò affluet, neque unquam deficiet, lex enim eſt fons, Prov. 13. 14. *Lex ſapientis, fons vitæ*, (Sept. lex ſapiens) *ut declinet à ruina mortis.* R. Levi apertè ait, dici legem fontem vitæ, quòd ab illa vitæ immortalitas dimanet: Deinde, lex pœnitentes vivificatos ſanat à vulneribus acceptis. S. Baſil. hom. 1. in Pſalmos, vocat Scripturam ſacram, κοινὸν τῶν ψυχῶν ἰατρεῖον, *communem curandarum animarum medicinam.* Et Ariſtot. lib. 1. Rhet. cap. 3. docet, in legibus ſalutem Reip. contineri, & S. Petrus Damiani ait, legem eſſe plagarum in Ægypto inflictarum, hoc eſt, *animæ vulnerum medicinam.*

2. Dat ſecuritatem proficienti. Secundò, Proficientem in Dei via lex cuſtodit & ditat. Primò, cuſtos eſt individuus, Prov. 2. 10. *Si intraverit ſapientia cor tuum* (cor ſibi depoſcit) *& ſcientia animæ tuæ placuerit, conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſervabit te.* Sepem quam circumdedit Deus vineæ ſuæ, ut fieret in cornu olei, Iſaiæ 5. 1. ait eſſe legem, S. Iren. lib. 4. cap. 7. & Euthym. in Matth. 21. Tunc anima ſancta fit vinea fertilis, & ſuavitatis plena, eámque aliis effundens. Secundò, Sapientia dicit Prov. 8. 18. *Mecum ſunt divitiæ & gloria: opes ſuperbæ, & juſtitia.* Hebr. הון עתק *hon atek* vertit. R. David, opes multæ & magnæ, ſeu opes pingues. 2. R. Emmanuel, ſubſtantia multiplex. 3. R. Aben Ezra, opes ſublimes & validæ. 4. R. Levi, & Mercerus, opes ſtabiles, diuturnæ & duraturæ. 5. Theodotio, ſubſtantia antiqua. 6. Superbæ opes, id eſt, magnæ & amplæ, ut explicat Pagninus. Malè legunt Complutenſ. opes ſupernæ: dicit Rex noſter Pſ. 118. 72. *Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti.* Solon apud Dinarchum orat. contra Ariſtogitonem leges vocat, τῆς πόλεως νόμισμα, *numiſma civitatis.* Unde Demoſthenes ſapienter infert orat. contra Timocreont. eas non eſſe adulterandas. Solon, inquit, exiſtimabat, argentum quidem numiſma privatorum eſſe commutationum causâ inter privatos repertum; Leges autem putavit *numiſma civitatis* eſſe. Itaque, Judices, oportet multò magis, ſi quis iſtud, quod civitatis eſt numiſma, corrumpat, & adulterinum inducat, odiſſe & punire, quàm ſi quis illud quod privatum ſit.

Tertiò, Perfectos Deo unit lex, & gaudio cumulat. Primò, unit Deo, Rom. 8. 2. *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto JEſu.* Lex ſpiritus vitæ, id eſt, ſpiritus vivificantis, eſt gratiæ & charitatis lex, per Chriſtum & in Chriſto liberans à lege peccati & mortis: hoc eſt, à dictamine, jure, dominatu, ac reatu concupiſcentiæ: ut licèt ea ſentiam, non tamen conſentiam, ut explicat S. Auguſt. lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelag. c. 10. & S. Anſelmus c. 10. 4. *Finis legis Chriſtus* (eſt) *ad juſtitiam omni credenti.* Chriſtus eſt finis legis. 1. Quia eſt ejus perfectio & conſummatio, ut ait S. Chryſoſtom. 2. Quia umbras implens illam terminavit & ceſſare fecit, ut vult S. Greg. hom. 16. in Ezech. 3. Et verius, atque ad rem noſtram aptius, eſt finis, hoc eſt, ſcopus legis: quia tota lex ad Chriſtum quaſi ad finem, terminum, & ſcopum ſuum refertur, tendit, ducit & vocat, ut explicat Theodoretus. Alludit hic eleganter & ingenioſè Paulus, ut notat Cornelius, in hebraica voce *thora*, lex, ad radicem, *jara*, id eſt, jacere, ſagittare. Quaſi lex ſit ſagitta, quæ collimat in Chriſtum. Secundò, lex dat perfectis lætitiam, Eccle. 2. 10. *Nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* Chaldæus Paraphraſtes accommodatiſſimè ad propoſitum, voluptatem illam de lege explicuit, cùm vertit: *Neque cor meum prohibui ab omni gaudio legis, quando tempus mihi vacabat.* David noſter delicias illas à legis amore dimanantes noverat, cùm dicebat Pſ. 118. 165. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum:* id eſt, offendiculum, obſtaculum, occurſus malus, lapſus, ruina. Chald. Paraph. declarat, nullum iis ſcandalum fore in mundo venturo, ſed de hac etiam vita interpretor. Pax porrò apud Hebræos bonum quodlibet, tranquillitatem, abundantiam, & ipſam felicitatem ſignificat. Vide illum locum. Lex eſt portus in hoc mari jactatos excipiens, atque à naufragio liberans: quem ſi non petieris, periiſti. Socrates dicebat, neque navigantes præterquam loco commodo appellere tutum eſſe, neque viventes præter legem, ducere βίον ἀκίνδυνον, *vitam ſine periculo.* Qui itaque ſapit, legi ſeſe committit conſervandum. Eccl. 33. verſ. 3. *Homo ſenſatus credit legi, & lex illi fidelis.* Credit legi Dei, id eſt, ei adhæret, ac fideliter eam obſervat, ut explicat Bonartius; & lex eum ſpe ſua non fraudat, ſed dat bona promiſſa. In ſancto ſanctorum erat lex intra arcam poſita, ut denotaretur in lege Dei radicaliter contineri beatitudinem. Nam anagogicè, ſanctum ſanctorum repræſentabat cœlum empyreum.

Bona hæc ſuo modo ab omni lege dimanant. Primò, de lege naturali ait Speuſippus in primo adverſus Cleophontem: *Si regnum res bona eſt, & σοφὸς μόνος βασιλεὺς καὶ ἄρχων, ſapiens ſolus eſt Rex & Princeps: lex, cum ſit recta ratio, bona fuerit.* Secundò, lex vetus (quæ, ut ait S. Thom. erat via ad legem novam, ſicut lex nova ad cœleſtem Eccleſiam, ſeu ad cœleſtem hierarchiam. 1. 2. quæſt. 101. art. 2.) appellatur à S. Chryſologo ſerm. 92. *Fidei janua, gratiæ nuncia, Evangelii prævia, pædagogus religionis infantiæ.* Juſtificationem hominum quam efficere non poterat, figurabat factis ceremonialibus, & promittebat verbis, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 107. art. 2. pueros tamen verè juſtificabat: mares quidem, per circumciſionem: puellas verò, per aliquod aliud ſacramentum. Lex illa vocatur à Paulo, ſancta, Rom. 7. 12. & ſpiritualis, verſ. 14. 14. *Omnia lex Dei dat Bona. Primo, lex naturæ. Secundo, lex Moſis.*

Ter-

Tertiò, lex gratiæ. Tertiò, lex chriſtiana dicitur *gratia fidei*: quia principaliter eſt ad gratiam: ſecundariò autem eſt ad ceremonialia & ſacramentalia: lex autem vetus è converſo, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 107. art. 1. Lex gratiæ implet legem veterem, exhibendo quod lex vetus promittebat & figurabat art. 2. ibid. & 12. q. 104. art. 6. ad 2. *νόμος βασιλικὸς καὶ ἔμψυχος*, *lex regia & animata* dicitur à Clemente Alex lib. 1. Strom. qui optimè ratiocinatur in exhort. ad gentes, noſque ad legem hanc ſervendam exhortatur. Leges Solonis, ait, ſequuntur Athenienſes; & Argivus, leges Pharaonei, & Spartanus, Lycurgi. *Si autem σεαυτὸν ἀναγράφεις τῷ Θεῷ*, teipſum Deo aſcribas, cœlum quidem tibi eſt patria, Deus autem legiſlator. Charondas, legiſlator Thuriorum, proprio ſanguine leges ſuas ſanxit: Tenpes, Rex Tenediorum, adulterii filii morte. Zaleucus, legiſlator Locrenſium, oculi onius proprii, & oculi filii ſui jactura: ſed excellentiori modo Chriſtus innocens, novum teſtamentum ſuum, ſeu fœdus, ac leges nobis datas ad bona fœderis obtinenda, ſanguine proprio ſancivit: & nos qui necdum uſque ad ſanguinem reſtitimus, languebimus & laborem fugiemus? Saltem noſtra nos utilitas & honor moveat. Hugo lib. 3. de anima: *Solus is regnat, qui depoſito cordis imperio, legibus rationis ordinat totam familiam motuum interiorum & exteriorum.*

ARTICULUS VII.

Meditatio diurna & nocturna beatos efficit.

55. Verſ. 2. 2. pars. Amor Dei juvat meditationem legis.

EX amore legis Dei oritur aſſidua & fervens ejus meditatio. Cùm itaque dixiſſet David de viro juſto, verſ. 2. In lege Domini voluntas ejus: ſubdit: ET IN LEGE EJUS MEDITABITUR DIE AC NOCTE. Aquila, reſonabit in lege. Chald. *ſillaa*, ſignificat orare. Hebr. יהגה *iege* ſignificat, meditabitur cum animi affectu & motu vehementiori, qui etiam ipſo corporis geſtu declaretur: ut cùm quis oculis intensè defixis aliquid cogitat vel loquitur. Qui diligit, attentè meditatur. Pſ. 118. 47. *Meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi nimis.* Non ſufficit qualiſcunque dilectio mandatorum ac Dei, ut applicet intellectum ad meditandum, memoriam excitet, contineat imaginationem, ſenſus claudat, genua corroboret, corpus totum in decenti ſtatu ſiſtat. Et verſ. 97. *Quomodo dilexi legem tuam? Tota die meditatio mea eſt.* In hoc apparet, quòd legem diligam, quia eam ſemper meditor: proprium enim eſt amantis eſſe magis in amato quàm in ſe ipſo. Eo modo meditaberis legem, quo modo eam diliges, ac viciſſim amor & cognitio ſunt ſibi mutuò cauſæ: eſt cœleſtis fluxus & refluxus: extra ſe amor rapitur, è cœlo tamen in intellectum radios novos reportat: intellectus è cœlo legem attrahit ſibique unit, ſed ut reflexos radios in voluntatem immittat, quibus ſuccenſa leviùs & altiùs evolet. Secundò, R. Salomon, R. Abraham, R. David, & R. Emmanuel dicunt *haga* ſignificare potiſſimùm loqui ore: per metaphoram verò, meditari, quòd meditatio ſit cordis locutio. Sic meditari etiam uſurpatur pro loqui cum conſideratione, Pſ. 34. 28. *Lingua mea meditabitur juſtitiam tuam.* Et Pſ. 36. 30. *Os juſti meditabitur ſapientiam.*

56. Meditari legem Dei die ac nocte quid? Primò.

Quæres: Quid ſit meditari legem Dei die ac nocte? Reſpondent primò S. Amb. S. Bern. ſerm. 35. ex parvis, Titelm. & Remig. die ac nocte meditari eſſe meditari in proſperis & in adverſis: in die enim malorum ſemper memores debemus eſſe bonorum. Hebræi hoſtem, murum aſpicere, contemplari & canere eadem voce exprimunt: שור *ſur* enim hæc omnia ſignificat, ut intelligas, hoſtes & calamitates eſſe muros animæ, ſi tamen, ut oportet, contempleris: tunc eveniet tibi cantus & gaudium in Deo ſalutari tuo.

Secundò. Reſp. Secundò S. Auguſt. S. Hilar. & S. Hieron. eum die ac nocte meditari legem Dei, qui nihil non agat ex legis præſcripto etiam cùm dormit. Verba S. Hilar. ſunt: *Per hoc efficitur, ut ſine intermiſſione oremus; cùm per opera Deo placita, & in gloriam ejus ſemper exercita, ſancti cujuſque viri vita omnis oratio ſit; ac ſic ſecundùm legem nocte diaque vivendo, vita ipſa nocturna legis erit, & diurna meditatio.* Et S. Ambroſ. in verſ. 5. hujus Pſalmi, citans verſionem Aquilæ, quam attuli, *reſonabit in lege*, ait: *Præcepta legis reſonet vita ejus, mores reſultent: ſicut illorum, quorum in omnem terram exivit ſonus.* Sis tuba argentea ductilis, ut convocare poſſis multitudinem, quando movenda erunt caſtra. Num. 10. 2. Sapientia ſis argentum, & mortificatione mallei ictus ſuſtineas, tunc eris ſonorus in manu Dei. Buccina in Neomenia tuba, Pſ. 80. 4. ſive cornea, ſive argentea. Qua de re agetur ſuo loco.

Tertiò, Jacobus de Valentia ait, eum meditari die ac nocte, qui veteri & novo ſtudeat teſtamento. *Nox enim præceſſit, dies appropinquavit*, ut ait S. Paulus Rom. 13. 12. noctem ibi 1. S. Chryſoſt. explicat de hac vita, diem de judicio & reſurrectione. 2. S. Cyprian. lib. de zelo & livore, & S. Ambroſ. in Pſal. 45. meliùs noctem explicant de tempore ante Chriſtum; tunc enim erant tenebræ infidelitatis & peccatorum: diem verò, de Evangelii tempore, ubi Sol Chriſtus fidei & gratiæ radios per Orbem effudit. Tertiò.

Quartò, S. Bern. ſerm. 35. ex parvis cenſet, eum meditari die ac nocte, qui vacat utrique vitæ: contemplativæ ſcilicet, atque activæ. Quartò.

Quintò denique, & meliùs meditari die ac nocte, Quintò.
eſt parœmialis formula, qua ſignificetur meditatio aſſidua, quantùm humana imbecillitas pati poteſt. Pari uſus eſt loquendi modo Chriſtus Luc. 18. 1. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Sic Eccli. 18. 22. dicitur: *Non impediaris orare ſemper.* Et Apoſtolus Epheſ. 6. 18. *Orantes omni tempore.* ac 1 Theſſal. 5. 17. *ſine intermiſſione orate.* Euchitæ hæretici ſtolidi erant, qui ex his locis docebant, Chriſtianum non debere laborare: neque aliud agere, quàm ut ſemper oret. Sed rectè ait S. Baſil. hom. 1. in Julittam martyrem: Qui benè ſemper agit, hic ſemper orat. Tacitus lib. 15. & 20. ait, meditationes ſeu meditamenta militaria in militia apud Romanos dici militum exercitationes, & imaginarios conflictus ſine ſanguine: tales quoque erant meditationes ad curſum, & ad ludos Olympiæ: & Tertullianus locum exercitationis vocat meditatorium. Beda etiam ait, eum ſemper orare, qui horis canonicis juxta ritum Eccleſiaſticæ traditionis, pſalmodiis & conſuetis precibus Dominum laudare & rogare non deſiſtit. Lyranus verò vult, non continuationem temporis, ſed orationis inſtantiam denotari. S. Thomas 2. 2. quæſt. 75. art. 14. docet: debere eſſe continuam orationem, non ſecundùm ſeipſam, hoc enim eſt impoſſibile: ſed ſecundùm cauſam ſuam, virtutem ſcilicet charitatis. Sed clarè & apertè, ut dixi, die ac nocte meditari, & ſemper orare dicitur, qui frequenter orat aut meditatur, quantum poteſt: addit S. Baſil. reg. 306. ex brevioribus, eum die ac nocte meditari, qui non invenit tempus, quo ad futiles cogitationes poſſit aberrare, ſed ſemper providet Dominum in conſpectu ſuo. Pſ. 15. 8. habens oculos ad illum, Pſ. 24. 15.

Nota primò, meditationem legis ſæpè commendari in Scriptura. Pſ. 77. 1. *Attendite popule meus legem meam.* Alios locos afferam poſteà. Hinc David dicit Pſ. 118. 24. *Teſtimonia tua meditatio mea eſt.* verſ. 77. *Lex tua meditatio mea eſt.* Hebr. *deliciæ meæ.* Meditabatur quoque in omnibus Dei operibus. Pſ. 142. 5. & optabat alas columbæ, ut volaret, & requieſceret: in meditatione ſcilicet. Pſ. 54. 7. Sic Ezechias Rex Juda dicebat in ſuo cantico eucharistico, poſt ſanitatem à lethali morbo receptam, Iſaiæ 38. 14. *Sicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor ut columba.* Meditatur ut columba, ſicut explicat S. Bernard. ſerm. in hoc canticum: 1. Qui lacrymas fundit in tribulatione offerens Deo ſacrificium veſpertinum. 2. Qui contemplationis otia repetit cum Magdalena. 3. Qui privata orationum ſuſpiria effundit. Clamat verò ſicut pullus hirundinis: 1. Qui exultans gratias agit pro viſitatione. 2. Qui Marthæ ſe officiis mancipat. 3. Qui ſimul cum aliis pſallit in Eccleſia. Quàm ferventer id face-

57. Meditatio legis commendatur.

ret David, ipſe docet Pſ. 38. 4. *In meditatione mea exardeſcit ignis*: non meus, ſed Dei, unde Hieron. vertit, *incenſus ſum igni*. Non ipſe me inflammo, ſed cœlitus ignis cadit in me, ut in victimam ab Elia oblatam in altari aquis madenti. 3. Reg. 18. 38. In altari Dei ſemper ignis ardere debet. Levit. 6. 12. ignis ſcilicet charitatis, quam multæ aquæ non potuerunt extinguere. Cant. 8. 6. id eſt, tentationes, diſtractiones, calamitates.

Meditatio hæc utilis eſt.

Nota ſecundo, utilitatem meditationis. Pſ. 118. 92. *Niſi quòd lex tua meditatio mea eſt, tunc fortè periiſſem in humilitate mea*. Hieron. in preſſura mea: id eſt, in afflictione, ut S. Ambroſius explicat. Hebr. עני *hom*, ſignificat dejectionem, abjectionem, depreſſionem, humiliationem, utilitatem; *hanava* verò, manſuetudinem, virtutem humilitatis. Nihil vilius eſt imperito, præſertim in lege Dei. Cleanthes dictitabat, rudes homines ſolâ formâ à brutis differre. Sextus Philoſophus piſcibus mutis eos comparabat. Neque vox, inquit, in piſcibus, neque virtus in hominibus imperitis eſt quærenda. Quod ſi vocem emittant, vana effutiunt. Demades ajebat Athenienſes, ἐοικέναι αὐλοῖς, ſimiles eſſe tibiis, quòd adempta lingua nihil reſiduæ rationis haberent. Eos qui legi Dei non vacant, aliis verò rebus occupentur, compara cum procis Penelopes veriùs quàm Ariſton Chius, qui dicebat: Eos, qui Mathematicis diſciplinis vacarent neglecta Philoſophia, ſimiles eſſe illis procis Penelopes, qui, cùm ipſa potiri non poſſint, ad ancillas ſe convertebant.

Imperiti brutis ſimiles.
a piſcibus mutis.
Athenienſes ſimiles tibiis.

58. Meditatio legis dirigit opera noſtra.

Socrates dicebat, peregrinos errare in viis: in rebus autem, imperitos & rudes. Legem dat Deus nobis Chriſtianis in ducem, & in robur. Hoc figuratum eſt in Joſue, Duce populi Iſraël, quem mox introducturum tres circiter hominum milliones in terram promiſſam alloquitur Deus, & ait bis, confortare, & eſto robuſtus. Joſue 1. 6. & 7. tum verſu 8. ſubtexit: *Non recedat volumen legis ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut cuſtodias & facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.* Tunc iterum addit verſ. 9. confortare, & eſto robuſtus, ut oſtendat vim nobis dandam à S. Trinitate, ſi modò legem divinam fuerimus meditati. Eſt enim lex, Dei armamentarium & turris David, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Cant. 4. verſ. 4. tres patres: id eſt, Maxim. Nilus, & Pſellus, in hoc loco Cantici dicunt, mille clypeos eſſe legem tum ſcriptam, tum naturalem, quæ ſibi mutuo ſunt ornamento: eſſe autem armaturam fortium, quatenus per contemplationem & meditationem corroborantur & diriguntur: turrim verò Davidis, eſſe rationem. Deut. 17. 18. præcipitur Principi & Regi populi Iſraël, ut ſtatim, atque ſederit in throno ſuo, deſcribat ſibi Deuteronomium legis *in volumine*, accipiens exemplar à ſacerdotibus Leviticæ tribus, habeatque ſecum, legatque illud *omnibus diebus* (etiam cum innumera negotia intercurrunt) *vitæ ſuæ*, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & ceremonias ejus, quæ *in lege* præcepta ſunt. Nota, *in volumine* jubebatur ſcribere, ut ſciret legem involvendam in corde, ut plus ſemper eſſet intus quàm foris: plus in corde, quàm in ore: in medulla, quàm in cortice: in animo, quàm in corpore. Liber oſtenditur S. Joanni ſcriptus intus & foris, Apocal. 5. verſ. 1. hunc que comedit, etiamſi prædictum eſſet ab Angelo amarum fore in ventre receptum. c. 10. 11. Hunc librum arbitror ad literam eſſe Apocalypſin ipſam, quæ fuit ſuavis in ore, quia prima ſpecie placuit ob varia ſymbola & ænigmata, ſed amara fuit cognito ſenſu eorum, ob plagas in eis contentas. Ad rem noſtram S. Ambr. & S. Anſelm. exponunt de ſacra Scriptura: ejus ſigilla ſeptem aſſignat Ugo. 1. Sententiarum profunditatem. 2. Senſuum multiplicitatem. 3. Figurarum varietatem. 4. Rerum ipſarum incomprehenſibilitatem. 5. Myſteriorum obſcuritatem. 6. Tropologiarum ſuavitatem. 7. Infallibilem veritatem mixtam cum rerum inevidentia. Hunc librum ſibi non ab Angelo, ſed à Chriſto ipſo oblatum Chriſtianus ſuſcipiat, ſed præſertim Princeps, & Eccleſiaſticus, & Laicus, licet in eo amaritudines videat. Nam contrarium accedet, erit aliquando hic legis liber in ore, & cùm in ſtomachum dimittitur, amarus, ſed triſtitia vertetur in gaudium. Prope arcam, in qua erat lex Moſis, poſita erat urna aurea, continens manna, ut ſcias legis meditationi adjungi delectationem.

Nota tertiò, à Davide poſtulari, ut de die meditemur Dei legem. *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Aquila tantùm poſuit diem, noctis mentione non factâ: ſive quia dies artificialis diem naturalem & noctem continet: ſive ut ait S. Ambr. *quoniam qui legem meditatur, ſemper in luce eſt, noctem non habet* תורה *thora*, aliqui deducunt ab אור *or* lux: vide dicta Pſ. 118. 105. *lucerna pedibus meis verbum tuum.* In Oceano tenebroſo mundi navigans, ad legem, velut ad lampadem in portu poſitam, aſpice, erit tibi dux ad ſalutem. Dio Chryſoſt. orat. 75. *Lex eſt, βίου ἡγεμὼν, dux vitæ, & civitatum præſes communis, negotiorumque juſta regula, ad quam normam dirigere quemque oportet mores ſuos: ſin minus, pravus erit & curvus:* ait eſſe Primò utiliorem legem urbi quàm mœnia: quia muris non cinctæ pleræque urbes perdurant: abſque lege autem nulla civitas habitari poteſt. Secundò, utiliorem eſſe Deorum oraculis, quòd oracula ſint obſcura, lex clara, quam è cœlo dedicit, ac veram Jovis filiam vocat, invictam atque inſuperabili vi præditam, adjutricem ſenectutis, magiſtram juventutis, paupertatis auxiliatricem, & divitiarum cuſtodem. Tertiò denique, eſſe utiliorem gubernaculis navium, quòd amiſſo clavo navis non pereat, tempeſtate non correpta. Civitas autem ſalva eſſe non poſſit ſolutâ lege, etiamſi nihil acerbi ditique extrinſecus adveniat.

59. Meditatio facienda eſt de die.
Lex enim eſt lux.

Lex eſt inſtar Solis, in quo, qui manent, fiunt angelici & cœleſtes. Apoc. 19. 17. *Vidi unum Angelum ſtantem in Sole.* Id eſt, in Evangelii luce. Nam de Chriſto dicitur Pſal. 18. 6. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Lex vetus erat umbra futurorum. Coloſſ. 2. 17. umbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum. Hebr. 10. 1. eſt columna *ignis & nubis*, populum ducens ad terram promiſſam, Exod. 14. 24. lucem habet, ſed non ſine umbra. At in lege gratiæ *lux vera* illuminat omnem hominem, Joan. 1. 9. & omnes ſunt, *lux in Domino*. Epheſ. 5. 8. & *filii lucis*. 2 Theſſal. 5. verſu 5. legis hoc dat cuſtodia. Pſ. 18. 8. *Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.* In illa ſapientia ſancti irradiant, Eccl. 27. 12. *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut Sol:* quia eſt in Sole, & illi unitur, atque illo cingitur. Clem. Alex. in protreptico, ſeu admon. ad gentes, ait, *cœleſti doctrina hominem fieri.* Sole juſtitiæ Chriſto velut abſorbetur, & undique penetratur.

Lex eſt Sol illuminans.

60. Meditatio legis facit animam cœlum.

Cœlum empyreum ſeu paradiſus fit anima per meditationem legis Dei. Apoc. 21. 1. *Vidi cœlum novum, & terram novam, & mare jam non eſt.* Primò, Joachimus Abbas per cœlum intelligit illuſtriores Sanctos, quorum ſicut Pauli converſatio jam in cœlis eſt. Per terram verò, cæteros fideles in Baptiſmo, per gratiam & vitam Chriſtianam innovatos: per mare, perſecutores, qui deſinent converti ad Chriſtum: omnia enim hæc ipſe intelligit de Eccleſia militante. Secundò, Alcazar cœlo vult repræſentari animam Dei viſione & fruitione æterna gaudentem: terra, corpus impaſſibile & glorioſum: mari, perſecutores, qui non erunt in Paradiſo. Tertiò, ſimpliciter ad literam agi arbitror de cœlorum, terræ, & maris innovatione in fine mundi. Quartò denique, ad rem noſtram tropolog. accipe 1. De anima ſancta cœlum facta per cœleſtium contemplationem. 2. De terra corporis, per virtutes innovata. 3. De mari appetitus concupiſcibilis & iraſcibilis quieſcente. S. Bernard. ſerm. 27. in Cant. *Eſt cœlum, ait, ſancta anima, habens Solem intellectum: Lunam, fidem: aſtra, virtutes, quæ maximè in nocte, id eſt, in adverſis emicant. Ergo virtus eſt ſidus: & homo virtuoſus eſt cœlum.* Si placet, voluntas erit Luna: aſtra verò, cæteræ potentiæ & facultates.

Fit civitati Dei ſimilem.

Si cupis altiùs efferre hominem, Deo per contemplationem unitum, confer illum civitati beato-

rum

rum à S. Joanne perſpectæ, hæc enim eſt maximè propriè paradiſus: de illa Apoc. 21. 10. *Oſtendit mihi Angelus civitatem ſanctam Jeruſalem deſcendentem de cœlo, à Deo, habentem claritatem Dei, & lumen ejus ſimile lapidi pretioſo, tanquam lapidi jaſpidis, ſicut cryſtallum.* Anima ſancta amans Deum ejuſque legem, eſt 1. Civitas, id eſt, civium unitas, per unanimem concordiam partis inferioris ac ſuperioris in omnibus potentiis & facultatibus, ac ſenſibus. 2. Eſt ſancta ἁγία, ſine terra, non ſapit ea, quæ in terra, ſed quæ ſurſum ſunt, habet cor ſurſum. 3. Eſt Jeruſalem, id eſt, viſio pacis, Deus enim eſt pax noſtra. 4. Deſcendit de cœlo per humilitatem, per quam ſecuriùs deinde elevatur: quia qui ſe humiliat, exaltabitur. 5. Habet claritatem Dei, omnem aliam reſpuens, clauſo oſtio illi ſe ſiſtens, ne lux data foras erumpens minùs illuminet atque inflammet. 6. Lumen ejus eſt *ſimile jaſpidi, ſicut cryſtallum*. Græcè κρυσαλλίζοντι, cryſtalliſzanti, inſtar cryſtalli lucenti. Sunt enim, ut ait Plin. lib. 37. c. 8. varii jaſpides & diverſorum colorum: Alii virent ut Smaragdus, alii pellucent ut cryſtallus. Vox Arabica ſignificat cryſtallum, berillum, chryſolithum, & onychem. Lux porrò illa jaſpidis cryſtalliſzantis denotat viſionem & contemplationem clariſſimam animæ puræ & innocentis. Vide Anſelm. Boëtium inſignem gemmarium lib. 2. de gemmis. Addit de civitate illa ſancta S. Joannes verſu 18. *Ipſa civitas aurum mundum ſimile vitro mundo.* 1. Aurum eſt anima contemplans, ob ſtabilitatem mentis non evagantis. 2. Vitrum eſt ob perſpicuitatem rerum objectarum. verſ. 19. *Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioſo ornata. Fundamentum primum jaſpis: ſecundum ſapphirus, tertium chalcedonius, &c.* Nota, muros apparentes, & è terra extantes, eſſe ex unico lapide pretioſo: nempe ex jaſpide, verſu 18. portas ipſas conſtare ex ſolis margaritis; verſu 21. fundamenta autem omni lapide pretioſo, id eſt, duodecim, mox ab eo recenſitis ornati: ſive, quia primus lapis fundamenti erat jaſpis; cui ſuperponebatur ſapphirus, ſapphiro chalcedonius, id eſt, carbunculus: chalcedonio ſmaragdus, & ſic de cæteris. Sive, quia, ut vult Ribera, licèt ſingula fundamenta eſſent ex ſingulis gemmis, erant tamen veſtita & ornata aliis undecim: ſive, ut placet Cornelio, ſingula fundamenta ſingulis gemmis conſtabant, ita ut ſimul juncta eſſent omni lapide pretioſo ornata. Ille fundamentorum ornatus major denotat, 1. Eos majoribus lucere virtutibus, qui Mariæ partem optimam ſibi eligunt ad pedes Jeſu abjecti orantes partem in abſcondito. 2. Majorem debere eſſe curam mentis & interiorum animi motionum, quàm exteriorum actionum: quia Deus intuetur cor. De civitate ſua addit Joan. verſu 23. *Non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea*, non curat lucem ſcientiarum, aut divitiarum, & gloriæ mundanæ, *nam claritas Dei illuminavit eam.* Nota denique, de civitate illa ſancta dici Apoc. 21. 16. longitudo, & latitudo, & altitudo ejus æqualia ſunt: quia in juſto tanta eſt perſeverantiæ longitudo, atque latitudo charitatis, quanta eſt altitudo contemplationis.

61. Meditanda eſt lex Dei tota die.

Nota quartò, non unam diei partem, ſed totum diem à te requiri. *In lege ejus meditabitur die ac nocte.* Et Pſ. 70. 24. mirabile eſt, quod dicitur, *Tota die meditabitur juſtitiam tuam.* Vel ſanctiſſimis debet ſemper Dei juſtitia obverſari; neque eſt oſculandus pes miſericordiæ ſine pede juſtitiæ. Dies ſibi ſuccedentes in divinorum etiam contemplatione occupentur, ut tota hebdomas in Dei amore & cognitione luceat uſque ad octavam reſurrectionis, *& dies diei* eructet verbum, Pſ. 18. 3. *Dies*, ut ait Caſſiod. in Pſal. noſtr. *Pagani dixerunt à numinibus ſuis, id eſt, à Diis, à quibus eos etiam nominâſſe noſcuntur.* Primum enim diem appellabant diem Solis; ſecundum, Lunæ; tertium, Martis; quartum, Mercurii; quintum, Jovis; ſextum, Veneris; ſeptimum Saturni. Nota, omnes dies dici à planetis, id eſt, ſtellis errantibus; quia hæc vita ſibi non conſtat, ſed plena eſt innumeris erroribus & inconſtantiis, licèt maximè luceat.

1. Manè orandus eſt Deus & contemplandus, ut noctis tenebras excutiat. Hoc ſe facturum ait David Pſ. 62. 7. *In matutinis meditabor in te.* Vide dicta Pſ. 5. 5. *Manè aſtabo tibi, & videbo.* Chriſtus dicitur ſtella matutina Apoc. 22. 16. *Ego ſum ſtella ſplendida & matutina:* id eſt, Lucifer, ſive Phoſphorus, qui Solem præit; quia ſicut ſtella illa noctis finem affert & diei initium; ita Chriſtus peccato & ignorantiæ finem, fidei & ſalutis initium, mundo attulit; & ſingulis juſtis, cùm incipit lucere in cordibus eorum. Magi & Perſæ manè ſacrificium & preces abſolvebant, ut ait Herodot. lib. 1. matutinum tempus ſacrificiis idoneum exiſtimantes, cùm Deos tunc aſſidere templis, & matutinis ſalutationibus adeſſe opinio eſſet. Hoc ab Hebræis fortaſſe acceperant, qui quotidie manè agnum anniculum & immaculatum Deo in holocauſtum offerebant, ut Deus præceperat, Exod. 29. 39. id meminerint parentes, Deoque manè agnellos ſuos offerant, procurentque, ut illi ſe Deo ſiſtant. *1. Manè.*

2. Media die laudandus eſt Deus. Pſal. 54. 18. *Meridie narrabo & annuntiabo.* Inde & Gymnoſophiſtæ hora meridiana immolare Diis conſueverant, ut ait Gyrald. hiſt. deor. ſyntagm. 17. Sponſa petit à Sponſo ſuo, id eſt, anima à Chriſto, Cant. 1. 6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* q. d. Te volo, non tuos, ſicut Magdalena in reſurrectione Angelos negligebat, id enim unum poſcebat, dicite ubi poſuerunt *eum*, cætera nihil ſunt. Ille eſt, qui eſt. Per ſodales falſos & fictos Chriſti, intelligit hæreticos & ſciſmaticos, falſoſque Chriſtianos. Philo Carpathius, illi longè ſunt fugiendi. Paſcit autem Chriſtus in meridie, id eſt, in fervore charitatis, contemplativos; & cubat in caſtis pectoribus, in quiete perfectæ contemplationis & perfectæ unionis. *2. in Meridie.*

3. Veſperè offerendum eſt ſacrificium veſpertinum. Pſal. 140. 2. *Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Vide ibi dicta. Nota, veſperè ſicut manè ab Hebræis quotidie oblatum Deo, in holocauſtum, agnum immaculatum; id eſt, non cæcum, non truncis auribus pedibuſque, &c. Ita diem transfige, & ambula immaculatus in via, ut ſerò ſis agnus, & agnus immaculatus, Dei altaribus, aſpectu, & igne non indignus. Sic dices cum Rege noſtro Pſalmo 54. 18. *Veſpere, & mane, & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam,* à veſpera incipit, quia inde apud Judæos, ſicut nunc apud nos, feſta incipiebant; ſic tu in vita ſpirituali, *veſpere & mane dies unus.* Geneſis 1. 5. à cognitione & dejectione tui incipe, noli ſeculari manum, aſpiciendo Solem orientem vanitatis mundanæ, & lux tibi cœleſtis orietur, & invenies in fine lucem ſemper matutinam atque nunquam deſinentem. Egreſſus fuerat Iſaac ad meditandum in agro inclinata jam die, Geneſ. 24. 63. ibi Rebeccam ſponſam reperit. *3. Veſpere.*

4. Singulas intercurrentes horas aſperge orationibus ejaculatoriis, & in omnibus rebus Deum vide; quod ſanctus Ignatius ſtudioſè faciebat, & in ſuis alumnis requirebat. Hoc Ægyptii Monachi præſtabant, teſte S. Aug. epiſt. 121. ad Probam, qui eas orationes vocat *raptim jaculatas*, dicitque ea de cauſa fieri, ut intentio *vigilanter erecta*, quæ oranti plurimùm neceſſaria eſt, per productiores moras non evaneſcat atque hebetetur. Sic meditaberis tota die.

Nota quintò, non diem tantùm à te poſtulari in meditatione, ſed etiam noctem. *In lege ejus meditabitur die ac nocte.* Lauda itaque 1. In principio noctis, ut monet Jeremias Threnorum 2. 19. *Lauda in nocte, in principio vigiliarum tuarum:* ante omnes vigilias, ut exponit Origenes, & Olympiodorus. *Meditare in media nocte.* Pſ. 118. 62. *Media nocte ſurgebam ad confitendum nomini tuo.* 3. In fine noctis, illud Thren. 2. In principio vigiliarum, Chald. vertit, in ortu auroræ. Dicitur de muliere forti, Prov. 31. 15. *De nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis* ſummo mane evigilavit, ut intellectum, voluntatem ac memoriam, cæteraſque facultates 62. Meditanda eſt lex Dei de nocte.

paſce-

paſceret, *& cibaria ancillis ſuis*, ſenſibus corporeis & appetitui inferiori ex redundantia gaudii cœleſtis. Chald. vertit, *dedit penſum ancillis ſuis*, ut tota die laborarent. 4. Tota nocte eſt meditandum. Pſal. 77. 14. *Deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuſtratione ignis*, Columnæ ſcilicet igneæ beneficio per deſertum Iſraëlitas Deus deduxit in terram promiſſam, ut nec frigerent, nec aberrarent. Senſus optimus loci citati ex Threnis, lauda in nocte, *in principio vigiliarum*, eſt, ut initio cujuſque vigiliæ nocturnæ ad Deum animum erigamus. Erant autem nocturnæ vigiliæ quatuor, trium horarum ſingulæ, apud Judæos & Romanos.

63. *Nox apta eſt orationi.* *1. quia tenebræ animum colligunt.*

Aptior eſt autem nox ad preces. Primò, tenebræ animum colligunt, quem lux diſſipat objectis variis rebus diſtrahentibus. Licèt enim Caſſiodorus dicat *noctem* eſſe nominatam, eò quòd *noceat*, aſpectibus ſive actionibus noſtris: tamen id de ſolo corporis aſpectu verum eſt, auget enim nox lumen mentis, dum illud colligendo intendit. David ait Pſalmo 138. 11. *Nox illuminatio mea in deliciis meis.* S. Hieronymus vertit: *Nox quoque lux erit circa me.* Deus enim me circumdat & illuminat: illi ſum apertus, & ille mihi.

2. Tunc ceſſant occupationes.

Secundò, nox aptior eſt meditationi: quia tunc ceſſant occupationes & ſollicitudines mundanæ, & actiones etiam ſpirituales cum proximis. Hinc Jeſus *erat pernoctans in oratione Dei.* Luc. 6. 12. orabat tunc præſertim, ut Deus ſequenti die inter diſcipulos deſignaret Apoſtolos duodecim, eoſque ſeligeret, qui tantam dignitatem ſuſtinere poſſent. David Rex occupationibus variis ac bellis diſtentus ait Pſal. 76. 7. *Meditatus ſum nocte cum corde meo:* de die, ago cum meis Principibus & Conſiliariis, ſed de nocte me cor meum ſolum ſequitur, illi uni attendo, cum eo colloquor. Alios etiam hortatur Pſalmo 128. 133. *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta.* Chald. ad ſuggeſtum ſanctitatis. S. Hier. ad ſanctum: id eſt, ad ſanctuarium, ad ſancta ſanctorum, ubi eſt ipſa ſanctitas, Deus dans oranti ſanctitatem: de die manus auro, argento, aliis rebus ac mercibus graves in terram cadunt, ut eam colant, cum hominibus verſentur ac diteſcant: de nocte ſunt leviores, & facilè attolli poſſunt. S. Chryſoſt. ibi ait, noctu eſſe, καθαρωτέρας εὐχὰς καὶ κουφότερον νοῦν, puriores preces, & mentem leviorem, ac plus otii: atque, à quodam pro *in ſancta*, redditum eſſe ἁγίως, *ſanctè:* aut ἡγιασμένως *ſanctificatè:* libro autem ſecundo de compunctione dicit, Deum, nutricis inſtar, populo oculos claudentis, ut quietè dormiat, noctem dediſſe, & tenebras terræ obtendiſſe, καθάπερ καταπέτασμα, *tanquam aulæum*, hominibuſque à labore quietem conceſſiſſe, ut noctis beneficio ab omnibus dici tumultibus, καθάπερ ἐκ χειμώνων, *tanquam decumanis fluctibus*, ad portum tranquillum deferrentur.

3. Tunc hoſtis eſt periculoſior.

Tertio, neceſſaria eſt nocturna meditatio, quia tunc hoſtis eſt periculoſior: eſt enim princeps tenebrarum. Epheſ. 6. 12. Dæmonas vocantur *rectores tenebrarum.* Hinc fortaſſe Chriſtus in nocte captus eſt, quia peccata noſtra portabat, & monuit Apoſtolos dormiturientes, ut orarent. Matthæi 26. 40. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*, velut naufragi in abyſſum, unde non emergatis: aut ſicut aves in laqueum. Nam, ut ait Theophylactus, intrat in tentationem, qui abſorbetur à tentatione; atque, ſicut loquitur ſanctus Hieronymus, quem tentatio peccato irretitum intra caſſes ſuos tenet. Cùm ſomno ſe dediſſent Apoſtoli triſtitia gravati, illis accidit, quod Chriſtus prædixerat verſu 31. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte.* Scandalum, id eſt, offendiculum, ex quo ruina ſequatur, primò, in fide, ut S. Hilarius putat. Scandalum, ait, patiemini, id eſt, metu & *infidelitate turbabimini:* opinantes ſcilicet Chriſtum invitum & coactum pati, ſed hoc eſt valdè dubium. Secundò, certum eſt, ſcandalum eſſe paſſos nimiæ timiditatis & puſillanimitatis, ut fuga probat. Terribilius eſt, quod Petro contigit, ut erat prædictum verſ. 34. Amen dico tibi, quia *in hac nocte*, antequam gallus cantet, ter me negabis. Græcè ἀπαρνήσῃ, abnegabis, S. Marc. c. 14. 30. ait, priuſquam gallus vocem bis dederit: cantat enim bis. 1. Poſt mediam noctem. 2. Validius ſub auroram, cùm ſentit Solem: ante hunc ſecundum cantum, ter negavit Petrus: mirum certè, gallus Deum laudat: Apoſtolus negat; ne patiaris animal illud ſolare te eſſe vigilantius, ne poteſtas tenebrarum te occupet. S. Chryſoſt. homil. 77. de pœnit. contin. & virginitate, conſiderans, quòd licèt Deus diabolo dixiſſet, ne attingeret Job, in eum tamen incubuiſſet, ac ſperâſſet ſe eum dejecturum, exclamat: ἀγρυπνίας χρεία ἀγαπητοί. *Opus eſt vigilantia, dilecti! Nam & miles dormit, non in lecto, ſed humi: piſcator non dormiens piſcatur, ſed ſtans aliquando peragit noctem: Agricola omnem adhibet vigilantiam, ne Domus vinea lædatur: & paſtor ſub dio ſtans, noctem conſummat, gregem cuſtodiens.* Jacob dicebat Geneſis 31. ſe aruiſſe æſtu per diem, & gelu per noctem, ſomnumque receſſiſſe ab oculis ſuis; unde facilè colligi poteſt, ſi id pro vili pecude præſtitit, quid debeamus facere pro anima omnium rerum pretioſiſſima, καὶ οὐκ ἰσόῤῥοπον πάσης οὖν τῆς οἰκουμένης, *nec æquivalentem totum pariter Orbem habente.* S. Baſilius orat. in martyrem Julittam, orationis continuationem commendans ad minutiſſima quæque deſcendit; orandumque docet, cùm pane, vinoque vires ſuffulcimus, cùm tunicam aut pallium induimus; cùm Solis beneficio de die fruimur, ſtellarum, & Lunæ de nocte: cùm aut oculos in cœlum ſuſtollimus, aut in terras reflectimus, velut divinorum donorum exercitu vallati: *ipſam*, ait, *ut diſpertitor noctem in ſomnum & orationem: imò ſomni ipſi ſint* μελετήματα τῆς εὐσεβείας, *pietatis exercendæ meditationes*, ut S. Xaverio accidiſſe mox dicam.

4. Deus ſe libentius communicat animæ ſolitariæ.

Quartò, nocturna meditatio eſt utilior, quia Deus ſolitariæ ſe animæ libentiùs communicat. Matth. 6. ℣. 6. Chriſtus præcipit, *clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito: & Pater tuus, qui videt in abſcondito*, (alia videre ſe nonnunquam diſſimulat) *reddet tibi.* 1. Per uberiorem gratiam. 2. Per gloriam: Græca addunt, ἐν τῷ φανερῷ, in manifeſto: id eſt, 1. Coram hominibus. 2. Per illuſtrationem mentis. Cubiculi cordis oſtium claudit primò, qui impedit diſtractiones, ne illud intrent, ut explicat S. Auguſtinus & S. Ambroſius lib. de Cain & Abel, c. 9. Secundò, qui claudit labia, & ſecretò orat, ut Anna mater Samuelis, 1 Reg. 1. 13. Tertiò, cùm Chriſtus dicat intrandum eſſe cubiculum & claudendum, hoc accipi poteſt, ut ſonat ad literam, & de nocte fit, ut patet.

S. Gregor. lib. 8. mor. cap. 17. illud conſiderans Pſalmo 149. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis*, hoc exponit de ſecreto cordis, in hunc modum. Cùm, inquit, mala ab exterioribus fugiunt: ſecuri intra mentium ſecreta gloriantur. Et Seneca ad Lucil. epiſt. 68. ait: Animalia quædam ne inveniri poſſint, veſtigia ſua circa cubile ipſum confundunt: idem tibi faciendum eſt, alioquin non deerunt, quæ perſequantur. Ac paulò poſt ſubdit: Cùm ſeceſſeris, non eſt agendum hoc, ut de te homines loquantur, ſed *ut ipſe tecum loquaris.* Quid autem tecum loquaris? Quod homines de aliis libentiſſimè faciunt. De te apud te malè exiſtima, &c. Quid in otio facio? Ulcus meum curo, in pectore collectio & vomica eſt. Sic ipſe. Apocalypſis 12. 14. *Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum.* Habet alas aquilæ Eccleſia & anima ſancta, ut volet in deſertum, & oculos, ut ibi Solem contempletur; dictum erat verſu 6. locum hunc illi paratum à Deo, ut paſcatur diebus mille ducentis ſexaginta, id eſt, ad literam, tempore regni Antichriſti, qui per tres annos cum dimidio imperabit.

5. Facilius anima compungitur.

Quintò, meditatio de nocte facta ob tenebrarum horrorem faciliùs compunctionem mentis excitat. Severus, Gabalenſis Epiſcopus, volt νύκτα dedoci ἀπὸ τοῦ νύττειν, id eſt, à compungendo. Hac de re dicendi locus erit Pſalmo 4. verſo 5. *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris*

comp un-

compungimini. Jeremiæ 52. verſu 7. *Exierunt de captivitate nocte.*

6. *Prudentius in quiete mens judicat.*

Sextò denique, mens in meditatione nocturna velut è ſpecula, contemplans diurnas actiones, & eas inter ſe conferens iteratis noctibus, prudentiùs judicat. Proverbiorum 31. 18. *Non extinguetur in nocte lucerna ejus.* Nempe, mulieris fortis. Non modò eam ipſa non extinguit, ſed à nullo extingui patitur; quia domi manet clauſo oſtio; at de die, aut à vento extinguitur in area, vico, platea & aperto cubiculo, aut ab ipſa fidente luci externæ. Pſalmo decimo octavo, verſu tertio. *Nox nocti indicat ſcientiam:* dies quidem eructat verbum, ſed nox ſcientiam; non enim tantùm rerum ſuperficiem & corticem conſiderat, ut de illis loqui poſſit; ſed fundum penetrat ac medullam guſtat, ut ſciat imperturbabiliter; & ſapiat ſupernaturaliter. Nox vocatur à Sophocle in Electra, εὐφρόνη, id eſt, conſiliatrix, ab εὐφρονεῖν benè ſapere. Leo Imperator apud Cedrenum noctem inſomnem ducens dicitur, σοφώτερα βουλευσάμενος, *ſapientiùs deliberaviſſe.* Philoſtratus lib. 1. de vitis Sophiſtarum, hanc ſententiam cuidam illorum aſſcribit; *O nox! plurimum particeps es divinæ ſapientiæ.* Vulgari parœmia dicimus, nox dabit conſilium; & S. Cyrill. catech. 9. ait: Quid nocte ad ſapientiam utilius?

64.
Tam de die, quàm de nocte lex DEI eſt meditanda.

Nota ſextò, non requiri tantùm vel diei vel noctis meditationem, ſed conjunctè utrumque poſtulari. *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte:* inſtar Solis & Lunæ eſt anima ſancta, radios ſpargit diurnos & nocturnos. Pſalmo 88. verſu 38. *Thronus ejus ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum: & teſtis in cœlo fidelis*, agit de Davide, cujus thronus cum gloria duraturus prædicitur. Tropol. Anima ſancta thronum in ſe habet, in quo Deum recipit per meditationem & gratiam; itaque, in die conſolationis, lucet ut Sol; in nocte deſolationis, ut Luna, omni tempore, ut Iris, quæ eſt teſtis in cœlo fidelis, ut vult Genebrardus; ſed hoc ſuo loco expendetur. Iridem quidem poſuit Deus in teſtimonium & ſignum reconciliationis, Geneſis 9. verſu 13. ſed an de ea ibi agat David, eſt dubium. Apocalypſis 43. Iris Dei thronum cingit, ſemper animo paratus eſt ad miſericordiam, & c. 12. 1. Mulier illa mirabilis, i. e. Eccleſia, & anima pura, cingitur Sole, Luna & ſtellis, de die enim & de nocte aſt in continua contemplatione Chriſti, & Dei Solis, Lunæ Deiparæ, ſtellarum Apoſtolorum; ibi clamat parturiens, & cruciatur ut pariat; ad opus enim affectus ſuos dirigit ad lumina; clamores illos edebat David, Pſalmo 87. 2. *In die clamavi, & nocte coram te*, ergò in lumine clamavit; Deus enim eſt lux, & tenebræ in eo non ſunt ullæ; coram eo *nox ſicut dies illuminabitur.* Hoc conſiderans Judas Machabæus, ubi cognovit Antiochum Eupatorem venire cum multitudine adverſus Judæam, 2 Machabæorum 13. verſu 10. *Præcepit populo, ut die ac nocte Dominum invocarent.* His precibus armatus Judas una impreſſione in exercitum hoſtilem interfecit in caſtris quatuor millia virorum, ac ſæpiùs illi damna intulit, atque irrito conatu abire compulit.

Dei præſentia ſemper conſervanda.

Chriſtus ſanctæ Mechtildi ait de S. Gertrude: Quia in Gertrudis animo maneo, par eſt ratio, ut in me ſemper maneat, meque ſemper præſentem in oculis habeat; cùmque per charitatem ab oratione & contemplatione abſtrahitur, ut ſaluti proximi aut rebus temporalibus vacet, id efficiat, quod delicata ſponſa, quæ præſentem ſponſum habet, quæque à cubiculo in cubiculum tranſire coacta ob aliquod negotium, eum manu prenſat ſecumque ducit; ſic in externis rebus à me diſcedere non debet, ſed me ſecum ſemper ducere.

65.
Frequentes preces fundunt.
1. *S. Jacobus.*

Diu noctuque orationi incubuerunt Sancti. Sanctus Jacobus minor Jeroſolym. Epiſcopus & Chriſti Apoſtolus *nocturnas diurnis* orationes exæquabat, atque oratio illius cibus eſſe videbatur: Callum obduxerant genua, ab orandi conſuetudine, & duritiem cameli pelli non abſimilem contraxerant: addit S. Chryſoſt. frontem quoque illi occalluiſſe, quòd in eam orans humi ſtratus incumberet. Hinc tantum animi robur & perfectionis ſtudium ſumpſit, ut carnem nunquam guſtaverit, aut vinum, aut potionem ullam attigerit, cui via eſſet inebriandi.

2. *S. Martha.*

S. Martha ſoror ſanctæ Magdalenæ *centies diebus ſingulis, ſingulisque noctibus centies*, genu ad Deum orandum flectebat. Hinc ita fervebat deſiderio virtutum, ut neque carnem, neque ova, neque caſeum ederit, quamdiu in monaſterio Virginum in Gallia fuit, ac ſemel tantùm in die cibum ſumpſerit, teſte S. Antonino.

3. *S. Bartholomæus.*

S. Bartholomæus *centies diurnas & centies nocturnas* Deo preces offerebat, ut ait Ribad. 24. Auguſti.

4. *S. Antonius.*
5. *S. Arſenius.*

S. Antonius & S. Arſenius cadenti Soli dorſum obvertebant, nec potiùs cœleſti lumini mentem claudebant, quàm ſe dies ſequens aperuiſſet, & Sol oriens in oculos incurreret: ac ſæpè eum incuſabant, quòd celeriùs exurgeret.

6. *S. Xaverius.*

S. Xaverius Indiarum ac præſertim Japoniæ Apoſtolus, qui Orbe univerſo cor latius habebat, diurnas orationes tam continuas Deo offerebat, ut inter ſpineta nudis pedibus ambulans aculeos non ſentiret in Deum abſorptus: noctu verò, in ipſa neceſſitate ſomni, cui ſæpè duas dumtaxat horas raptim tribuebat, interſpirabat ſæpiùs, dulceque Jeſu nomen & breves orationes, velut factas ex ignito pectore flammas emittebat, ut ait Turſell. in vita. S. Claram, S. Radegundem Reginam, aliosque in ſomnis oraſſe legimus.

7. *S. Theodulphus.*

S. Theodulphus ab aratro rediens, ſæpè totam noctem, ſæpè duas pervigil in Hymnis & Pſalmis canendis perſiſtebat, ut teſtatur Flodoardus lib. 2. hiſt. Eccl. Remenſis c. 25.

8. *Ipſo Scipio.*

Si aquilas illas Solem æternum inconniventibus oculis ſpectantes volatu conſequi non poſſumus, ſaltem veſpertilionem in ipſis impietatis tenebris natum ſequamur. Sabellicus libro 2. capite 4. refert, Scipionem, qui primus Africani nomen tulit, ſolum ſæpiùs de nocte Capitolium aſcendiſſe, adoraturum Deos; ut verò quidam autumant, Deum conſulturum. *In quo*, ait, *ſubit illa reputatio admiratione digna, nunquam eum, tametſi antelucanus locum adiret, à canibus arcis cuſtodibus allatratum.*

66.
Tam vetus, quàm nova lex meditanda.

Nota ſeptimò, cùm dicitur, *In lege ejus* meditabitur die ac nocte, intelligi tam de lege veteri, quàm de nova; eſt enim tantùm una lex, ut dixi ex D. Thoma, præcipuè tamen ſtudendum eſſe meditationi legis novæ, id eſt, legis gratiæ.

Primò, vetus à Deo commendatur.

Primò, veteris legis meditatio commendatur Deuteronomii ſexto, verſu 6. *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi, hodie in corde tuo.* Velut in arca facta ex lignis Setim imputribilibus, & intus ac foris laminis aureis inaurata. *Et narrabis ea filiis tuis*, (& quidem ex corde, ex quo ſicut fonte in os, veluti rivum, manabunt) *& meditaberis in eis, ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens.* Hebraicè in cubando: id eſt, primò, cùm lectum petis, ut decumbas. Secundò, & nervoſiùs, etiam cùm decumbis & dormis: ita enim per diem reſonare debet lex Dei in corde & ore tuo, ut fiat echo in nocte, *atque conſurgens. Et ligabis ea, quaſi ſignum in manu tua*, (ad opus deducenda eſt meditatio) *eruntque & movebuntur ante oculos tuos*, (ante dextrum & ſiniſtrum: id eſt, in proſperis & adverſis) *ſcribesque ea in limine, & oſtiis domus tuæ*, hoc eſt, ut rectè explicat Abulenſis, ita continuam præceptorum, & dilectionis Dei habebis recordationem, ac ſi ipſa frontalibus, dextralibus & domorum liminibus inſcripta, ſemper oculis objiceretur. Judæi hæc ad literam prorſus accipientes, circum brachia & frontem membranas quaſdam geſtabant, in quibus ſcripta eſſent verba Deuteronomii ſexto, verſu quarto: Audi Iſraël, Dominus Deus noſter, Deus unus eſt. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Membranæ illæ dicebantur Græca voce φυλακτήρια, id eſt, conſervatoria. Primò, quia memoriam legis divinæ conſervabant. Secundò, quia cenſebantur à Scribis amuleta ſanitatis & præſidia contra dæmones & alia incommoda. Chriſtus reprehendit Phariſæos, Matthæi vigeſimo tertio, verſu quinto, quòd dilatarent phylacteria ſua, id eſt,

mem-

membranas illas, ut apparerent cæteris religioſiores & exactiores legis obſervatores. *Non intelligentes*, ut ait S. Hieronymus, *quòd hæc in corde portanda ſint, non in corpore: alioquin & armaria & arcæ habent libros, & notitiam Dei non habent.* Sapienter ac piè S. Auguſtinus in Soliloq. capite decimo octavo. Sicut nulla hora eſt, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar; ſic nullum debet eſſe momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, & te non diligam ex omni fortitudine mea. R. Iſmaël interrogatus à ſororis filio, an ſibi Græcorum, id eſt, Gentilium, ſcripta liceret legere, poſtquam Moſis legem didiciſſet, acutè reſpondit, *eam horam ſolam aliis, quàm legi impendere, fas eſſe, quæ nec ad diem pertineret, nec ad noctem.* Severiùs id tamen eſt, nam licet de ſpoliis Ægyptiorum tabernaculum, Sacerdotes, ipſamque arcam exornare.

Secundò, lex Evangelica eſt lex lucis. Secundò, meditatio legis Evangelicæ eſt præſertim curanda: eſt enim, ut ait S. Thomas 1. 2. qu. 107. art. 2. Lex veritatis: lex verò vetus eſt lex umbræ, vel lex figuræ. Et quidem, cùm Angeli Evangelium paſtoribus nuntiarunt Luc. 2. 9. *claritas Dei circumfulſit illos*, id eſt, tantus ſplendor, ut eſſet index Majeſtatis divinæ, cujus legatus erat Angelus. 2. Quòd lux à Deo non nata immitteretur, venerat enim *lux hominum.* Joan. 1. 4. Ut luceret in tenebris, verſ. 5. & illuminaret omnem hominem, verſu 9. Pium eſt, quod ait S. Ambroſ. ſerm. 10. *Si Sol obſcuratur, cum Chriſto patitur: neceſſe eſt illum ſplendidius ſolito lucere, cùm naſcitur:* itaque arbitrantur, Solem feſtinâſſe, ut citiùs eo die oriretur, & clariùs illuceſceret. Hoc non eſt certum: idem de die Reſurrectionis multi cenſent. Lex noſtra lex lucis eſt. Apoſtoli eam promulgantes comparantur duodecim ſtellis, quibus Eccleſia coronatur & ſplendeſcit. Apoc. 12. 1.

Itaque conſilium Patri huic rei adhibe, 1 Timoth. 4. 15. *Hæc meditare, in his eſto*, ταῦτα μελέτα, hæc cura, his intende, & verſ. 16. *Attende tibi & doctrinæ:* ut & à Deo illam recipias, & in alios transfundas. Lucius Epiſcopus in Concil. Carthag. nuncupat ſancta & adoranda Scripturarum verba. S. Dionyſ. vocat Evangelia λόγια σεπτότατα, id eſt, verba rationis & venerationis pleniſſima. S. Greg. Neocæſareæ Epiſc. ait, cùm Evangelium vel quid Apoſtolicum legitur, non eſſe attendendum libro, vel lectori, ſed, ἀπ' οὐρανοῦ φθεγγομένῳ θεῷ, *loquenti è cœlis Deo.* Nicephor. lib. 14. c. 3. teſtatur Theodoſ. jun. Imp. tanti Evangelia feciſſe, ut quatuor integra ſcripſerit propria manu, χρυσοῖς γράμμασιν, *literis aureis.* Volebat præceptum datum Regibus Judæis de deſcribendo Deuteronomio propria manu, implere perfectiùs in lege gratiæ. B. Borgia 3. Præpoſit. Generalis Soc. Jeſu, cùm adhuc eſſet in ſæculo Prorex Cataloniæ, ſecum penè ſemper ferebat teſtamentum novum, cujus in lectione ardentes divini amoris flammas hauriebat. Theodoſii factum meliùs illuſtrabis conſuetudine Aritonorum, qui populus (teſte Nicol. Damaſceno) oracula ſua, teſtis alioquin inſcripta, aureis involucris obvoluta ſervabat. S. Auguſtinus librum Evangeliorum omni tempore tenebat, atque in omnibus occupationibus, etiam cùm animum ſuum honeſta recreatione relaxabat. S. Epiphan. illum ſemper aut manu aut ſinu geſtabat, aſſiduè legens etiam in mari, atque in ſæviſſima tempeſtate: cùmque morti eſſet proximus, pectori ſuo impoſuit. S. Barnabas ſemper Evangelium S. Matthæi, quod ſua ſibi manu deſcripſerat, collo appenſum geſtabat, atque, ut ait Nicephor. lib. 16. c. 3. ſepeliri ſecum voluit. S. Theophila Chriſti amore inflammata, Evangelium in ſinu ſemper habebat: cùmque in lupanar Diocletiano jubente ducta eſſet, illud legere cepit: tum Angelus è cœlo lapſus puritatem ejus ſervavit.

67\. *Opera ſunt jungenda meditationi.* Nota octavò, opus jungendum eſſe meditationi. S. Auguſt. S. Hilarius, S. Hieron. S. Ambroſ. dicunt eum meditari die ac nocte legem Dei, qui ab operibus lege præſcriptis non recedit, ut diximus initio. Hoc præſertim faciant verba Dei præcones, Apoc. 11. 3. *Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.* *Concionatores ſunt ſimiles 1. Eliæ & Henoch.* Ad litteram intellige non de Elia & Jeremia, ut voluit Victorinus: non de Elia & Moyſe, ut S. Hilarius: ſed de Elia & Henoch, qui per tres annos cum dimidio reſiſtant Antichriſto & ejus aſſeclis, amicti ciliciis, id eſt, ſaccis, inſtar Capucinorum, Recollectorum, atque Eremitarum, ut hac veſte aſpera homines ad pœnitentiam exciteut, ſicut cùm in terris degeret Elias, veſtem interiorem habuit hirſutam, atque caprorum vel camelorum pelle confectam non eraſis pilis: zonamque ſeu cingulum de pelle adhuc villoſa & pilis naturalibus horrente. Unde 4 Reg. 1. 8. à nunciis Ochoziæ Regis Iſraël dicitur, vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus. Secundò, duos illos teſtes vult Michaël Eiſingerus eſſe Chriſtum & S. Joan. Baptiſtam. Tertiò, S. Antoninus eſſe Sylverum Papam & Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui Eutychetis hæreſiarchæ reſtiterunt. Quartò, Ubertinus ſanctum Dominicum & ſanctum Franciſcum. Quintò, ad rem noſtram aptè, ſed myſticè, Pannonius explicat de Doctoribus & Prædicatoribus, qui duo teſtamenta, vetus & novum, populis exponunt. Sextò denique, Alcazar nobis etiam favet, cùm ait: duos illos teſtes pro Chriſto ſtantes eſſe ſapientiam inſignem & inſignem ſanctitatem, quæ teſtimonium veritati perhibuerunt. Affert autem notatione ſeptima viginti ſymbola, quibus oſtendat neceſſariam eſſe conjunctionem ſapientiæ cum ſanctitate, tu illum conſule.

2. Septem Angelis veſtiti lino mundo. Apoc. 15. videt S. Joannes apertum Templum tabernaculi teſtimonii in cœlo, id eſt, primò, ut vult Cornelius, templum, quod eſt tabernaculum teſtimonii, ſeu in quo ſervabatur teſtimonium, hoc eſt lex, & tabulæ legis. Secundò, & meliùs, Alcazar per Templum tabernaculi præcisè accipit Sanctum ſanctorum tabernaculi: hoc enim erat quaſi templum, id eſt, chorus tabernaculi. Templum porro hoc, & maximè ſacratior ejus pars, ſcilicet Sancta ſanctorum, ſignificat locum Beatorum. Sequitur autem verſ. 6. *Et exierunt ſeptem Angeli habentes ſeptem plagas de templo, veſtiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.* Rupert. Beda, & Ansbertus hoc explicant de concionatoribus, qui fuerunt à mundi exordio, & futuri ſunt uſque ad ejus finem. Primò, concionatores debent eſſe Angeli, id eſt, nuncii Dei, per legitimam miſſionem. Secundò, debent habere in ore plagas ſeptem, id eſt, omnes pœnas à Deo infligendas propter 7. peccata capitalia. Tertiò, debent egredi de templo, id eſt, *ab oratione & legis contemplatione*, ut ſint inſtrumenta Deo unita. Quartò, veſtiantur lino mundo & candido, morum innocentia per mortificationem parta: linum enim variè ditque contunditur, maceratur, atque carminatur, ut fulgeat. Quintò, præcingantur circa pectora per continentiam, & quidem zonis aureis ob ſapientiam, ut vult Primaſius: aut ob charitatem. Sextò, plagas & iracundiam effundant phialis, id eſt, paulatim & ſtillando cum magna prudentia pro captu auditoris: & phialis aureis, per charitatem: & phialis acceptis ab uno de quatuor animalibus, id eſt, Angelis primariis, ſtantibus ante thronum Dei, per conſilium Prælatorum ſuorum, quando dubium incidit.

3. Angelo habenti librum legis in manu. Si opus meditationi legis adjunxeris, nihil tibi reſiſtet. Apoc. 10. 1. *Et vidi alium Angelum fortem deſcendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite ejus, & facies ejus erat ut Sol, & pedes ejus tanquam columna ignis, & habebat in manu ſua libellum apertum: & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram.* Si habeas librum legis in manu, id eſt, in operatione, tunc primò circumdaberis nube, id eſt, refrigerio cœleſti mitigatis paſſionibus. Secundò, iris erit in capite tuo, ob miſericordiam Dei, exhibitam tibi in veritate cogitationum & conceptuum illuſtrium atque cœleſtium. Tertiò, facies tua erit ut Sol, ob myſteriorum notitiam, & eorum in alios reflexionem. Quartò, pedes tui, id eſt, affectus erunt columnæ igneæ. 1. Ut per

zelum

zelum ardeas in impios. 2. Ut per mentis robur ſoſtineas pios. Quintò, ponet pedem tuum ſuper mare & ſuper terram, tum in proſperis, tum in adverſis ſtabilis & perſeverans. Nota per illum Angelum intelligit Aurelius Juſtinianum Imp. qui codicem juris conſcribi & digeri juſſit, Primaſius verò Chriſtum, Ribera & Viegas ad literam melius Angelum propriè dictum; tu intellige myſticè de concionatore, qui ſit Angelus vitâ & moribus, ac legis meditatione. Quàm efficax ad virtutem fuerit Evangelii lectio in Biſarione Abbate veſtes ſuas; ac deinde ipſum codicem Evangeliorum pauperibus dante, vide apud Pallad. hiſt. Lauſiacæ cap. 116.

68. *Peccata nocent meditationi, cùm ſint tenebræ.*

Malitia meditationem facit tenebroſam, Iſai. 21. 4. *Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum.* Pro *Babylon*, ibi habetur נשף *neſeph*, caligo, obſcuritas. Ubi eſt confuſio operationis, eſt caligo mentis, Apoc. 11. 7. *Vocatur* Antichriſtus *beſtia, quæ aſcendit de abyſſo*, de caligine, & cum caligine. Locuſtæ quæ aſcenderunt de puteo abyſſi, erant fumo involutæ: habetur enim cap. 9. 2. *Aperuit Angelus puteum abyſſi: Et aſcendit fumus putei, ſicut fornacis magnæ: Et obſcuratus eſt Sol & aer de fumo putei: Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram.* Tenebræ illæ eò ſunt admirabiliores, quòd Angelus, qui puteum abyſſi aperuit, eſſet & vocaretur ſtella: in medio lumine caligant impii, impietas ſuum fumum & caliginem ſemper trahit, & lucem virtus, Exod. 10. 23. *Nemo* (Ægyptiorum) *vidit fratrem ſuum, nec movit ſe de loco in quo erat*, per tres dies) *ubicumque autem habitabant filii Iſrael, lux erat.* Hebr. *in ſedibus ſuis*, in eadem domo cum Ægyptiis obcæcatis in medio tenebrarum horribilium, aut ut eſt in Hebr. tenebrarum caliginis, id eſt maximè caliginoſis, Judæi luce ſerenâ gaudebant: & vice verſa Ægyptii in terra Geſſen luminoſa, erant in tenebris palpabilibus, id eſt denſiſſimis. Nota porrò: 1. Puteum abyſſi, eſſe partem inferiorem hominis. 2. Fornacem magnam, eſſe peccatoris ardentem concupiſcentiam. 3. Fumum putei ſeu fornacis illius depreſſæ, eſſe tentationes caliginoſas, & obſcuritates à carne immiſſas. 4. Solem & aërem, eſſe intellectum & mobilem imaginationem plenam ſpeciebus. 5. Locuſtas, eſſe mordaces anxietates atque erraticas diſtractiones ex hoc piatorum flore in illum, & per res fœneas evagationem. Solis lumen eripit peccatum. Rheginus ſerm. de amicitia. Sicut ἡλίου φῶς, ſolare lumen imbecillus & impotens viſus aſpicere nequit; ita veritatem, idque multò magis, infirma mens & invalida conſpicere non poteſt. Heraclius ajebat, malos fieri oculos & aures ſtultorum hominum, ψυχὰς βαρβάρους ἐχόντων, barbaros animos habentium, Cercidas Poëta dicebat: *Mentis eſt videre, mentis audire. Sed quomodo viderent ſapientiam, licet propinquam, quorum mens, πηλῷ σέσακται καὶ δυσεκνίπτῳ τρυγί, luto repleta eſt, ac fæce, quæ difficulter elui poteſt?* Non amat balſamum miſceri fimo. In alabaſtrite ponit aromata ſua Magdalena, ut iis Chriſtum ungat, & domus impletur odore unguenti.

69. Beatus eſt qui vacat meditationi.

Nota nonò, Beatum illum eſſe, qui *in lege Dei meditatur die ac nocte.* Vox enim beatus ſubintelligitur in hoc hemiſtichio, ſicut in præcedenti. 1. Felix eſt, qui non abiit in conſilio impiorum, in via eorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. 2. Felicior eſt, qui virtutum opera exercuerit, & cum bona voluntate legem amaverit. 3. Denique, ille eſt feliciſſimus, qui his adjecerit perpetem de Deo ac divinis contemplationem: ut fonte invento rivi non areſcant: & radice obtentâ, fructus uberiores fundantur, & folia lætiùs vireant.

1. *Quia juvat in via purgativa.*

Juvat primò meditatio in via purgativa exiſtentes, Eccl. 12. ℣. 12. *Frequens meditatio, carnis afflictio eſt.* Didymus conſiderans adoleſcentiam multis paſſionum & internorum motuum tumultibus agitatam atque ſordibus contaminatam, ait, eam ſibi conſulere non poſſe, & vitia effugere, *niſi aſſiduè verba Dei atque ſermones in mente habeat*, ἡ γὰρ ἔννοια καθαρτικὴ καὶ φυλακτικὴ παντός ἐστιν. *Hæc enim cogitatio purgatrix & ſervatrix eſt omnium.* Et S. Nilus in paranæſi omnes ad meditationem adhortans, ait, *meditatione divinæ legis*, γυμνάζου διάνοιαν, *mentem colito: continuè enim meditata*, ἐκτίλλει λογισμῶν τῶν πονηρῶν, *extirpat malas cogitationes.* Secundò, ſi iteratæ plagæ ab hoſte necdum penitùs victo inferantur, meditatio mortem impedit, Eccl. 4. ℣. 12. *Sapientia filiis ſuis vitam inſpirat.* Clemens Alexand. legit lib. 7. Stromatum, ἐνεφυσίωσε, inſpiravit, ſupple vitam. Nunc in Græco eſt ἀνύψωσε, exaltavit: dum vitam ſapientia, ſed vitam glorioſam & illuſtrem, *& ſuſcipit quærentes ſe, & præibit in via juſtitiæ:* 1. Ut dux & lux. 2. Ut hyperaſpiſtes & protector, verſ. 13. ſubditur: Qui illam diligit, diligit vitam: & qui vigilaverint ad illam, complectentur placorem ejus. Græcè, εὐφροσύνην, lætitiam: erunt læti & placidi, verſ. 14. *Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt*, & quidem vitam glorioſam, κληρονομήσει δόξαν, hæreditabit gloriam: non gloriam erraticam & incertam, ſed ſtabilem & hæreditate partam, erit enim Dei Filius: *Et quo introibit, benedicet Deus:* Ut Angelus Jacobo, qui ſignificat luctantem, cùm uſque ad auroram in oratione perſtitit, Geneſ. 32. 26. Ibi dictus eſt Iſraël, id eſt, fortis in Deum, & vocavit nomen loci Phanuel, id eſt, apparitio Dei: & ſtatim ortus eſt ei Sol; conſtantia noſtra, & benedictio Dei, dat lumen. S. Baſilius in exhort. ad baptiſm. vitam animæ ſine meditatione legis, & Divinorum conſervari poſſe negat. *Sicut*, inquit, *corpus niſi reſpiret, vivere nequit: ita anima, niſi conditorem agnoſcat, ſubſiſtere non poteſt.* Θεοῦ ἀγνοια, θάνατός ἐστι ψυχῆς. *Ignoratio Dei, mors eſt animæ.* Et Theſſalus: *Sicut anima corpus ſecundùm naturam vivificat: ita animam: ζωοποιεῖ ἀρετὴ καὶ γνῶσις, vivificat virtus & ſcientia.*

Secundò, in vita illuminativa, lucem dat meditatio, Pſ. 118. 130. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis:* Dat & intelligentiam & ipſum intellectum, quo carent peccatores qui ſunt ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Hieron. *docet parvulos.* 1. Judæos adhuc egentes lacte, quia lex erat imperfecta, ut explicat Gregentius Tephrenſis Epiſcopus diſp. cum Herbano. 2. Parvulos ætate vel mente, ut ait Euthymius. 3. Parvulos malitia, id eſt, non malos, ut S. Chryſoſtomus exponit. 4. Ac præcipuè, humiles in oculis ſuis parvos, qualis erat Saul cùm in Regem electus eſt. 1 Reg. 15. 17. & David ait 2 Reg. 6. 22. *Ero humilis in oculis meis.* Primò, me conſiderando: ſecundò, Deum: & ſic illuminabor, Pſ. 18. 8. *Lex Domini immaculata, convertens animas* (à terra ad cœlum, à voluptatibus ad Deum) *teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.* S. Chryſoſtomus in cap. 1. Iſa. Soli legem comparat. *Non ſic*, ait, *oculos corporis noſtri veluti* χειραγωγοῦσιν, *manuducunt radii Solis: ut animæ oculos* καταυγάζει, *illuſtrant legis præcepta.* — *2. Lucem dat in illuminativa.*

Tertiò, in vita unitiva, meditatio legis Deo conjungit, ut accidit Moſi in ſummitate montis Sinai, cùm ei lex dabatur, & lumen cœleſte velut illi incorporabatur, ita ut foras prodiret: ſed in monte Sion, qui ſpeculum aut ſpeculationem ſignificat, id fit ſuavius; in eo enim eſt Chriſtus Legiſlator. De monte Sion ait Iſai. c. 25. 6. *Faciet Dominus in monte hoc* (alta petit meditatio) *convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum* (ad medullam uſque pergit meditatio, & illam exugit) *vindemiæ defæcatæ*, id eſt, vini puriſſimi, & à fæcibus ſuis purgatiſſimi. Bonum convivium pinguium & vini facit, qui Incarnationem Chriſti, Nativitatem, Paſſionem, inſtitutionem Euchariſtiæ, Reſurrectionem, Aſcenſionem, aliaque myſteria cogitat & guſtat. Hoc eſt convivium Sapientiæ, de quo Prov. 9. 2. *Sapientia immolavit victimas, miſcuit vinum, propoſuit menſam ſuam.* Aquila, depoſuit. Chald. ordinavit. Vatablus, Inſtruxit menſam, miſcet autem vinum, modò ad dolorem peccato- — *3. In unitiva conjungit Deo.*

anim, modò ad amorem Dei, modò ad varios virtutum actu excitans, ſed ſemper cum ſuavitate: unde guttur Sponſi ſemper eſt dulcedinis plenum, Cant. 5. 16. *Guttur illius ſuaviſſimum, & totus deſiderabilis.* S. Ambroſius lib. 3. de fide, c. 5. legit: *Fauces ejus dulcedines, & totus deſiderium.* Hoc verò de iis, qui verba Dei ſedula meditatione guſtant, exponit Lucas Abbas ſancti Cornelii in Summariola in Cant. *Guttur Domini*, ait, *illi mihi videntur, qui ab omni mundi negotio alieni, melliſluenta eloquia Domini meditantur, & relictis urbibus deſerta petentes, nihil in ſe triſte, ſed totum quod plenum ſit gaudio, Deo & Angelis continentes.* Suave quoque eſt guttur orantium ipſi Deo, qui legem meditantes amat. R. Meir in Pirke avoth. cap. 6. Omnis, inquit, qui laborat in lege, ut diſcat, in multa meretur: nec ſolùm iſtud, ſed & totus mundus illi debet. Vocatur *civis, amicus, amator Dei*, amator perſonarum. *Deum lætificat*, lætificat homines: veſtit eum humilitate & timore, & dirigit eum ut ſit juſtus, rectus, fidelis, & eum elongat à peccato. Hæc ille. Torrente voluptatis potat Deus os, quorum converſatiò jam in cælis eſt, Gen. 2. 10. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum:* vel per occultos meatus ſeſe in terram inſinuans, vel per varios flexus ac rivos irrigans. Eden eſt nomen proprium loci, in quo erat paradiſus, ſignificat autem voluptatem: unde fluvius dicitur oriri de loco voluptatis, & irrigare paradiſum: ad rem noſtram explicat R. Moſes Barcepha part. 2. Commentarii de Paradiſo. Priuſquam, ait, violâſſet Adamus legem: *Promanabat fluvius, hoc eſt delicia, ex meditatione rerum aſpectabilium, & non aſpectabilium nata.* Nunc terra profert ſpinas & tribulos, anxietates ſcilicet ac tentationes: & in ſudore vultus noſtri veſcimur pane. Meditationum etiam jure componas fonti, è terra exilienti, Geneſ. 2. 6. *Fons aſcendat è terra, irrigans univerſam ſuperficiem terræ.* Fons ille eſt: 1. Ut vult Cornel. אד *ed*, id eſt gurges vel inundatio: puta abyſſus illa primigenia aquarum, quæ primò creata eſt cum cælo & terra. 2. Et magis ad literam, fons, id eſt fontes, rivuli & flumina, ut S. Auguſtinus, Philo, & Nicolaus Papa ad Michaëlem Imp. exponunt. 3. Ad rem præſentem aptiſſimè: אד *ed*, id eſt vapor, quem Sol vi ſuâ è terra ſurſum attrahebat, ut poſtea noctis frigore concretus in rorem, & in humorem reſolutus, terram ejuſque germina irrogaret initio mundi, ut dicunt Chald. Molina, & Pererius. R. Sadaia, Arias Montanus, & Mercerus; qui tamen temere reprehendit noſtrum interpretem, quòd fontem vertat, deceptus ab 70. interpretibus, ut ait. Sed ſcire debebat Ariſtot. lib. 1. Meteor. cap. 1. dicere, nubes ex aquis ortas, & in aquas verti ſolitas, eſſe circularem & perennem fluvium, ſive oceanum, qui per aërem fluit, & volitat. Meditatio itaque: 1. Eſt vapor è terra aſcendens, ob calorem atque ardorem charitatis. 2. Eſt fons, ob perennitatem & abundantiam gaudiorum. 3. Irrigat terram, & ejus totam ſuperficiem, corporis ardores refrigerans, & faciem gaudio perfundens, vel in maximo æſtu tormentorum. Cùm S. Alexander I. Papa ferreis ungulis laniaretur, & igne torreretur, tacebat: ſilentii cauſam rogatus ab Aureliano, ait: *habere ſe quod cum Deo loqueretur, neque cum hominibus loqui ſibi modò licere.* Aſcenderat è terra, & fiebat ei hæc cum Deo locutio, fons aquæ *ſalientis* in vitam æternam, ob exultationem mentis, quam in Pſalmo noſtro Chaldæus expreſſit, *& in lege ejus* מרנן *merannem, meditans, exultans, cum exultatione meditans, die ac nocte.*

Conclude ergo cum S. Ambroſio in Pſalm. 118. Octon. 12. *Tota die in lege meditare, non perfunctoria tibi debet eſſe tranſcurſio. Si agrum emere velis, ſi mercari domum, prudentiorem adhibes, & quod juris ſit, diligenter conſideras: & ne in aliquo fortè fallaris, tibi ipſi non credis. At nunc tu ipſe emendus es tibi, de tuo pretio cogita. Conſidera qui ſis, quod nomen habeas, quid acquiras tibi: non agrum, non pecuniam, non gemmarum monilia: ſed JESUM Chriſtum, cui nulla poſſint pretia, nulla ornamenta conferri. Adhibe tibi conſiliarios, Moyſem, Eliam, Jeremiam, Petrum, Paulum, Joannem, ipſum magnum Conſiliarium JESUM Dei Filium, ut acquiras Patrem, &c.* Sit, ut ait Jeremias Thren. 4. 10. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus:* quoties reſpiramus; de illo cogitemus: in illo, per illum, & de illo reſpiremus: ipſe in nobis potius reſpiret orans pro nobis gemitibus inenarrabilibus: eſt enim ſpiritus oris noſtri: ſed ſit etiam ſpiritus cordis & totius corporis: dicamus cum Paulo, Galat. 2. 20. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus:* Si vivit in te, certè in te reſpirat, inſpirat, & expirat.

ARTICULUS VIII.

Vir juſtus eſt ſimilis arbori vitæ.

EVitato conſilio & conſortio impiorum, oſtendit 70. Verſ. 3. I. Pars Vir juſtus eſt arbor vitæ.
Propheta noſter primò voluntatem inclinandam eſſe in amorem legis & actionum lege præceptarum. Secundò, intellectum diu noctuque in ejuſdem legis meditatione occupandum: nunc tertiò aperit ex illo amore & contemplatione legis ſecuturas operationes ſanctas & felicem in ſuſceptis exitum, verſ. 3. ET ERIT TANQUAM LIGNUM, QUOD PLANTATUM EST SECUS DECURSUS AQUARUM, QUOD FRUCTUM SUUM DABIT IN TEMPORE SUO. Duplex ſenſus eſſe poteſt. Primus, ſubintelligendo relativum qui, q. d. *Et qui erit ſicut lignum:* ita ut ſit ſenſus, q. d. Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, &c. Et beatus vir, qui erit ſicut arbor plantata ſecus rivos aquarum, non tantùm in voluntate & mente legem habens per deſideriorum & cogitationum flores, ſed etiam per fructus operum. Secundus ſenſus, ac melior, eſt: ſi accipiamus & emphaticum: q. d. Beatus vir, qui non abiit, &c. Et erit; id eſt, ſic erit velut arbor fructibus & foliis dives & ornata: ita ut verſus hic contineat mercedem dandam iis, qui fecerint ea, quæ duobus primis verſibus continentur.

Arboris itaque in hieroglyphico proponuntur commoda obventura iis, qui ſe divino cultui mancipârint. *Ejus radix, fructus, folia.* Arboris autem illius fortunatæ primò radicem & truncum David collocat in loco irriguo prope decurſus aquarum; ut lætiùs pingueſcat, verſ. 3. *Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecùs decurſus aquarum.* Secundò, ramos fructibus onerandos aſſerit ibidem: *Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Tertiò, foliis ſemper virentibus fructus conſervandos arboremque decorandam, verſ. 4. *Et folium ejus non defluet.* Quartò denique, fructus omnes ad maturitatem perventuros, & nunquam corrumpendos, Ibid. *Et omnia, quæcunque faciet, proſperabuntur.*

Ac primò dicitur, & erit tanquam lignum, quod 71. Hominès ſunt arbores ambulantes.
plantatum eſt, ſecùs decurſus aquarum. Hebr. שתול *ſatul*, & plantatum, & tranſplantatum ſignificat: & quidem Aquila vertit, μεταπεφυτευμένον, id eſt tranſplantatum, ut S. Hier. etiam habet. Quales ſint hi decurſus aquarum, videbitur art. ſeq.

Dico primò, homo commodè arbori comparatur, Marci 8. 24. ait cæcus, viſum recipiens: *Video homines, ſicut arbores ambulantes:* ideſt primò, video homines ſimiles arboribus ambulantibus: ſecundò & meliùs, ut ex græco textu patet, video homines ambulantes, eoſque video ſimiles arboribus. ἀνθρώπους ὡς δένδρα περιπατοῦντας. Ubi Cornelius: Homo, inquit, ſimilis eſt arbori. Primò, proceritate & altitudine. Secundò, rectitudine. Tertiò, rotunditate. Quartò, cortice & coma: quod enim in arbore eſt cortex & folia, hoc in homine eſt pellis, & pili, crineſque. Quintò ramis, homo enim expanſis brachiis, eſt quaſi arbor expanſis ramis. Sextò, vitâ & venis: ſicut enim homo vivit aliturque cibo, chylo, & ſanguine per venas in totum corpus diſtributis: ſic arbor vivit aliturque ſucco per fibras in omnes partes diſpertito. Septimò, arbor è parva frutice ſenſim creſcit in altum: ſic & homo creſcit occulto

velut arbor ævo: adeoque ſicut homini ſua eſt pueritia, adoleſcentia, virilis ætas, ſenium & mores, ſic & arbori. Octavò, arbor bona producit bonos fructus, malos mala: ſic homo bonus bona opera profert, malus mala: quare ſicut ex fructibus arbor cognoſcitur, ſic ex operibus homo, ut docet Christus Matth. 7. 17. Denique arboribus, ſicut animalibus, ſua eſt cutis, ſanguis, caro, nervi, venæ, oſſa, medullæ, ait Plinius lib. 16. c. 38. Unde ut ex arboribus naſci animalia, ac præſertim anates in inſulis Scotiæ vicinis certum eſt. Porrò *arbores* videntur *ambulare* in inſulis ac ſylvis, quæ in flumine vel mari moventur & fluitant, quales videre eſt Audomaropoli in Belgio. Idem fit, cùm ventis agitantur. Aquilone autem gaudent arbores, eoque firmantur & optimè germinant, Auſtro blandiente fatiſcunt, ait Plinius lib. 17. c. 2. ſic homines per adverſa in virtute roborantur & proficiunt, per proſpera ſolvuntur & deficiunt. Addit Plinius lib. 13. c. 4. arboribus, præſertim palmis, ſexum ineſſe ſicut hominibus, ut aliæ ſint mares, aliæ fœminæ. *Mas*, inquit, *in palmite floret*, *fœmina circa florem germinat tantùm ſpinæ modo.* Multæ fœminæ nec florent, nec germinant, ſed ſolùm pungunt, ut ſpinæ. Præterea lib. 17. c. 24. aſſerit arbores, ſicut homines, laborare fame, crudelitate, peſte, cæteriſque morbis ægrotare. Item lib. 17. cap. 25. docet, arbores ſubinde inſtar hominum locutas eſſe: ſed fictitium eſt, aut per Angelos vel dæmones factum. Denique lib. 13. c. 1. docet, primum homini cibum, eumque paratum & illaboratum fuiſſe ex arboribus, & ſic inductos homines cœlum ſpectare: Clemens Alexand. vocat hominem, plantam cæleſtem, in Admon. ad Gentes cap. 47. *Hominem*, inquit, *qui natus eſt ad cæli contemplationem*, *& verè eſt*, φυτὸν οὐράνιον, *planta cœleſtis*, *ad Dei cognitionem adhortamur. Id quod ejus eſt proprium. eximium & peculiare ſumentes*, *ut ait*, αὐτάρκες ἐφόδιον αἰώνων, *ſufficiens ſæculorum viaticum*, *pietatem & Dei cultum comparet*, *conſulentes.* Plato autem & Ariſtoteles dixerunt, homines eſſe arbores inverſas. Caput enim, quod eſt ſenſationis radix, intelligentiæ & motus, eſt ſurſum: pedes verò, qui ſunt ramorum inſtar, ſunt deorſum. Si gratiam ſpectas, longè magis homo eſt arbor inverſa, quæ non ad cælos, ſed ad inferos tendit, ramos ſuos, fructus, & folia, in terram immergens, niſi à Deo erigatur.

70. Verſ. 3. I. Pars Vir juſtus eſt arbor vitæ.

Ejus radix, fructus, folia.

71. Homines ſunt arbores ambulantes.

ἀνθρώπους ὡς δένδρα περιπατοῦντας.

72. Arbores illæ ſunt tranſplantandæ.

Homo creatus eſt extra paradiſum. Ab eo ejectus poſt peccatum.

Dico ſecundò, arborem illam eſſe tranſplantandam, ſi fructum ex ea dignum Dei manibus habere exoptas. Et erit tanquam lignum *tranſplantatum*, ut vertit S. Hieron.

Creaverat Deus Adamum extra paradiſum terreſtrem, ut tradit S. Ambroſius lib. de Paradiſo, c. 4. in Hebron aliqui creatum putant: inde autem eodem die per Angelum tranſlatus, ac veluti tranſplantatus eſt in paradiſum, ut hoc non naturæ ſuæ debitum, ſed gratia Dei merè gratuita donatum ſciret. Poſt peccatum ejectus eſt à Deo è paradiſo, Gen. 3. 23. *Emiſit eum Dominus de paradiſo voluptatis*, *ut operaretur terram de qua ſumptus eſt.* Hinc colligit Abulenſis tranſlatum fuiſſe in Hebron, ubi creatus fuerat, vixit, & poſtea ſepultus eſt: alii ſepultum volunt in monte Calvariæ, ubi Chriſtus eſt crucifixus. Hebr. *ieſallehehu*, cum amandavit, ablegavit, ejecit, expulit, ut Mercerus explicat. Eſt enim in conjug. Piel, quæ vim & coarctionem hîc ſignificat. Rectè etiam Pagninus & Arias cum noſtro interprete vertunt, *emiſit*: utrumque enim factum eſt. Nam 1. Deus iratus à ſe Adamum expulit, & præcepit ut è paradiſo exiret. 2. Deo diſparente Angelus eum & Evam vel manu eduxit, ut Raphaël Tobiam è domo paterna: vel vi quadam abſtraxit, ut Loth è Sodomis: vel rapuit, ut Abacuc ex Judæa in Babylonem. S. Ephrem cenſet, creatum fuiſſe Adamum horâ nonâ matutinâ, & paradiſo expulſum horâ tertiâ meridianâ. Nihil eſt certi in ea re. Huic, & peccatori cuilibet poſſis occinere illud Jerem. 2. 21. *Ego plantavi te vineam electam*, *quomodo ergo converſa eſt in pravum vinea aliena?* Secundò, miſeria peccatoris eradicati ex

Figura peccatoris eſt:

loco gratiæ, in quo primò plantatus erat, poteſt explicari tranſlatione Regis Joachin, filii Joachim, ex civitate ſancta, & ex terra promiſſionis, de illa Ezechiel ſub arboris typo ſic ait c. 17. 3. *Hæc dicit Dominus Deus: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, ſummitatem frondium ejus avulſit, & tranſportavit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum poſuit illam.* Aquila illa grandis, eſt Rex Babylonis Nabuchodonoſor, ſuper omnes Reges eminens, ut aquila inter aves. 1. Magnas alas habebat, quibus multos ſibi ſubjectos populos tegeret. 2. Longa habebat membra: & ſicut Septuag. vertunt, extenſa, quibus latè ſe protenderet, & hoſtes remotos licèt diſcerperet atque unguibus teneret. 3. Plena erat plumis, & quidem variorum colorum, inſtar pavonis, ait R. David, habebat enim exercitum ex plurimis ac diverſiſſimis nationibus conflatum. Septuag. vertunt: *plena unguium*, id eſt, militum rapacium. 4. Tulit medullam cedri, id eſt, Joachin juvenem natum annos octodecim cùm regnaviſſet tantùm menſes tres, & cum principibus ſuis, aulicis & judicibus duxit in Babylonem. 5. Summitatem frondium ejus avulſit, id eſt proceres & magnates, qui ſunt veluti proceriores ſtolones, id eſt ſurculi, qui ex arbore avelluntur, ut in aliam inſerantur. Corn. per ſummitatem frondium intelligit Regem ipſum Joachim, ſed malim eum dicere medullam: ſicut enim medulla eſt in arboris medio, & veluti cor ejus, ita Rex eſt cor populi ſui, & in medio ut res pretioſiſſima & auguſtiſſima. 6. Transportavit eam, medullam ſcilicet cedri & ſummitatem frondium ejus, in terram Chanaan, id eſt, in Babylonem, ſicut ſtatim poſtea explicat, cùm ſubdit, in urbe negotiorum poſuit illam. Nota primò, Babylonem vocari Chanaan: 1. Ut indicet Joachin & ramos cum eo deciſos de Libano, id eſt, de Chananæo ſolo, transferendos in Babylonem ita ſuaviter, ut in proprio ſolo habitare videantur, quia ſponte ſe tradiderat Nabuchodonoſori. Ita Gaſpar Sanctius. 2. Quia Chanaan ſignificat mercatorem ſeu negotiatorem; Babylon autem erat urbs mercimoniis celeberrima, unde vocatur urbs negotiatorum. Ita R. David, & R. Salomon. 3. Arbitror Babylonem dici terram Chanaan, id eſt, urbem perverſam, impiam, vitiis & idololatriâ perditam: ſic ſenes illi ſcelerati Suſannam calumniantes vocantur à Daniele Propheta, Dan. 13. 56. *Semen Chanaan, & non Juda:* Et de Judæis neſariis ait Sophonias c. 1. *Conticuit omnis populus Chanaan.* Nota 2. Jeruſalem vocari Libanum: 1. Quia eſt pulcherrima, unde dicitur Thren. 2. 15. *Urbs perfecti decoris, gaudium univerſæ terræ.* Libanus etiam erat mons pulcherrimus. 2. Quia aromata, aliave ex Libano in illam afferebantur ad varios uſus. 3. Et præcipuè, quia murorum altitudine & candore, palatiorum multitudine & excelſitate, ſimilis erat monti Libano celſiſſimis arboribus & candore, unde nomen accepit, conſpicuo. Poſſis cum S. Hieron. templum vocare Libanum: domus quoque regia à Salomone ex cedris Libani conſtructa dicebatur ſaltus Libani. Nota 3. in omni conditione timendum eſſe tibi, ne transferaris in Babylonem, id eſt, in confuſionem mentis & peccati: ſive ſis in templo cum Prælatis: ſive in aula cum Regibus, ſive in urbe cum civibus.

Joachin tranſlatus in Babylonem.

Extra paradiſum igitur, in terra producente ſpinas & tribulos, & in Babylone captivi, ac ſervi peccati, gignimur, & Adamo complantamur ejus ſurculi, Epheſ. 2. 3. *Eramus naturâ filii iræ.* Id eſt: 1. Filii diaboli, qui eſt ira & feritas. 2. Filii ignorantiæ, ignaviæ, captivitatis, ut ait S. Bern. ſerm. 1. de Purific. B. Mariæ. 3. Filii iræ, id eſt ipſa Dei ira, ut explicat S. Chryſoſtomus. 4. Et melius, filii iræ ſunt, qui iram excitant parentis, in ipſo ortu apparente monſtroſi & ſpurii, portantes characterem & imaginem alicujus adulteri ſuſpecti. Alluſum ad aquilas, quæ eos pullos quos generoſos non judicant: & qui, ut aliqui volunt, ad radios Solis connivent, abjiciunt, & ad varios populos, qui, ut fertur, filios probabant, aut exponendo ſerpentibus,

Adamo peccatori complantamur in naſcendo.

ut Pſylli: aut fluvlis, ut Germani: & ſpurios cenſebant, qui non eſſent illæſi, aut non fluitarent in aquæ ſummo. Somus autem filii iræ, *natura:* hoc eſt 1. A nativitate ob peccatum originis, ut ait S. Thomas. 2. Naturali ingenio, propenſione, & indole, ut S. Hieronymus; ſic Geneſ. 8. 21. ait Deus Noëmo: *Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia.* Hebr. mala ſunt à pueritia ſua: itaque, nihil in nobis eſt puri, nulla nobis eſt pueritia vera. Nam radix ipſa eſt corrupta, Ezech. 16. 3. ait ipſi Jeruſalem, quæ erat figura populi Chriſtiani: *Radix tua & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa: & quando nata es, in die ortus tui non eſt præciſus umbilicus tuus, & aqua non eſt lota in ſalutem, nec ſale ſalita, nec involuta pannis.* Senſus eſt, talem te reputavi, quaſi nata eſſes ex Amorrhæo patre, & Cethæa matre, quia plena es vitiis. Hoc verum eſt in omnibus infantibus, qui omnes filii iræ perinde naſcuntur, atque ſi orirentur à parentibus barbaris. Corruptio enim oritur ab Adamo, qui conſtitutus erat caput generis humani. Itaque ſolus Chriſtus & ejus mater ſanctiſſima, commune illud maledictum evaſerunt. Per Baptiſmum, aquâ non tantùm lavamur, & ſale ſalimur, ſed in Chriſto regeneramur, illique inſerimur, ut oleaſtri in bonam olivam, Rom. 6. 4. *Conſepulti ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem:* trina merſio repræſentabat baptizatos veluti ſepeliri cum Chriſto, & quidem in mortem peccati, quod, ut Pharao, mergitur in mari rubro ſanguinis Chriſti: & verſu 5. apertius: *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus: ſimul & reſurrectionis erimus:* Supple, complantati ſimilitudini: id eſt, ſi cum Chriſto moriamur, & cum eo ſepeliamur in eandem terram cum ea defoſſi, ipſique inſiti, Græcè σύμφυτοι, *inſititii*, ſimul etiam cum ipſo reſurgemus: hic in novitate vitæ per ejus gratiam, & in cœlo per gloriam. Vult nos ſibi inſeri, ut fructum feramus, Joan. 15. 5. *Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere.* Non dicit aliquid non poteſtis facere, ſed nihil prorſus: omne enim meritum noſtrum, & omnis gratiæ influxus à Chriſto capite ducit initium, ut docet S. Thom. 3. p. q. 8. & S. Nicodemo ait Chriſtus Joan. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Jeremias cap. 17. ℣. 7. ait, benedictum eſſe virum qui confidit in Domino, & cujus domus fiducia ejus, quia *erit quaſi lignum quod transplantatur ſuper aquas*, quod ad humorem mittit radices ſuas: & non timebit, cùm venerit æſtus: Et erit folium ejus viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum, de ſingulis agetur ſuo loco. Origen. in Pſ. noſtr. ait, juſtos transplantari ad aliorum utilitatem; hoc notatum eſt in martyribus, qui in diverſa exilia conjecti, diverſos populos ad Chriſti fidem produxerunt, ut S. Clemens Papa in Ponto per miraculum fontis: vel, vult Origenes juſtos transplantari, id eſt accommodare ſe & transferre ad aliorum utilitatem, captui cujuſque ſerviendo: è pectore & corde Concionatorum arbores cœli enaſcantur, ut ex iis omnes fructum colligant.

E pectore S. Nicetæ naſcitur cupreſſus. Theocteriſtus in oratione funebri de S. Niceta memorat, ex Athanaſii inſignis cœnobitæ defuncti & ſepulti pectore arborem cupreſſum enatam eſſe. Cujus frondibus morbi pellebantur. Sis cupreſſus: 1. Cum mortuis & cogitatione mortis verſando. 2. Blattas & tineas non recipiendo: mala fuge conſortia, ut timeas. Si te corruptum vides in ſæculo, transplantare in religione: tranſi ſæculi mare, & pro fructibus venenatis feres fructus ſuaves & ſalutiferos. Columella ait, malum Perſicum, *le peſcher*, in Perſide tuliſſe fructum venenatum, eam ob rem tranſmiſſam in Italiam ut noceret, mutato ſolo naturam mutaviſſe, & ſalubrem eſſe inventam.

73.
Vir juſtus eſt arbor bona. Dico 3. Vir bonus eſt arbor bona, Matth. 12. 33. *Facite arborem bonam*, Pſ. 91. 12. *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt.* Jerem. 17. 7. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Et erit quaſi lignum quod transplantatur*, &c. ſuȩ. Singulas arboris partes applicat viro pio Hugo Victorinus c. 2. in Pſalmos: *Radix*, inquit, *eſt fides, ſtipes, ſpes: rami, charitas: medulla, intentio bona: cortex converſationis ſpecies: folia juſta actio: flores, bona fama: fructus, intus per conſcientiam: foris, per doctrinam: ſupra, per gloriam.* Paulò aliter Origenes hom. 10. in Numeros, hujus ſacræ arboris initium & progreſſum aperit. Eſt, ait, primum germen, prima hominis in Chriſto confeſſio. Secundò, frondeſcit, ubi renatus donum gratiæ Dei ex Spiritus S. Purificatione ſuſceperit. Inde affert *flores:* ubi proficere cœperit, & morum ſuavitate decorari, ac fragrantiam miſericordiæ & benignitatis effundere. Ad ultimum quoque affert etiam *fructus juſtitiæ*, quibus non ſolùm ipſe vivat, ſed & aliis præbeat vitam: cùm enim ad perfectum venerit, & protulerit ex ſe verbum fidei, verbum ſcientiæ Dei; & alios fructificet, hoc eſt, attuliſſe fructus, quibus alii nutriantur. Hæc ipſe. Lorinus

Novem parallela arboris fructiferæ cum viro juſto. verò noſter novem virorum ſanctorum cum arbore ſimilitudines aſſignat. Primò, arbor fructifera ſeritur & eget culturâ: ſic juſtus nemo naſcitur, ſed fit per gratiam, auxilium Dei, cooperationem propriam. Secundò, prima pars deformis; ſuperior, pulchra: juſtus inferiorem partem domat ac dejicit, ſuperiorem exornat. Tertiò, radix unde omnia trahit arbor, latet; & quò procerior arbor, eò illa profundior; juſtus latere geſtit, & humilis eſſe. Quartò, hyeme rigeſcit arbor, videturque mortua, verè reviteſcit; juſtus in hac vita obſcurus eſt. Quintò, ex eadem radice exiſtit varia partium ratio; ex charitate eadem virtutes multæ. Sextò, fructificat aliis arbor; Juſti virtus gratuita eſt, non ſui commodi gratiâ. Septimò, arbor robuſta, ventis, imbribus, fluminibus reſiſtit; Juſtus, rebus adverſis. Octavò, in juſto ſunt folia honeſtarum cogitationum, flores affectuum, fructus operum, virens doctrina, florens vita, fructuoſa operatio. Nonò, fructus maturus infertur in horrea; Juſtus poſt mortem in cœlum, ubi eſt fruitio.

Marcian. arbor gratioſa. Et S. Domnina. Conſtantinus Manaſſes vocat Marcianum Imper. δένδρον χαριτόφυτον, *arborem gratiis plenam.* Et S. Chryſoſt. tom. 1. hom. de Sanctis Bernice & Proſdoce, S. Domninam earum matrem ſe cum illis immergentem, ne fidem abnegaret, comparat cœleſti arbori. Sicut, inquit, radix arboris habens δύο βλάστας, duos ſtolones utrimque ſtantes; ita beata illa, utroque in latere ſtantes habens filias ſuas virgines, ambulabat, & in aquam illas immittebat, neque ſunt ſuffocatæ, vel novo potius & inuſitato Baptiſmate baptizatæ.

74.
Juſtus confertur arbori Nabuchodonoſoris. Lyranus eximiam illam arborem à Nabuchodonoſore viſam, quâ ipſe præſentebatur interprete Daniele, Dan. 4. adaptat viro juſto. Hæc arbor, inquit, alta eſt per juſtitiam. 2. Fortis, per conſtantiam. 3. Frondoſa, per eloquentiam. 4. Magna, per prudentiam, quâ dirigit omnes virtutes. 5. Diffuſa per miſericordiam. 6. Fructifera, per devotionis exuberantiam. 7. Omnes paſcuntur ex ea, per fraternam ædificationem. 8. Subter eam beſtiæ, per ſenſuum exteriorum refrænationem. 9. In ramis ejus volucres cæli, per motuum exteriorum moderationem. Hic homo ſi in peccatum cadat, contra eum inclamat vigil, id eſt, Chriſtus in Evangelio, vel Prælatus prædicando. 1. Succidite arborem, quantum ad deſertionem charitatis, quæ eſt vita animæ. 2. Præcidite ramos, quantum ad oblationem voluntatis bonæ. 3. Excutite folia, quantum ad defectum bonæ locutionis. 4. Diſpergite fructus, quantum ad ſubſtractionem bonæ operationis. 5. Fugiant animalia, quæ ſubter eam ſunt, quantum ad defectum debitæ ſubjectionis. 6. Alligetur vinculo, quantum ad generationem malæ conſuetudinis, eoque ferreo, propter duritiem obſtinationis. 7. Ejiciatur foras, quantum ad inverecundiam in omnibus malis, quia tunc facta eſt ei frons meretricis. 8. Cor ejus ab humano commutetur, quantum ad omnem modum crudelitatis. 9. Septem tempora commutentur ſuper eam, quantum ad perverſam opinionem totius legis. Hujus arboris ſententias

per-

percipiunt in ſomniis Reges, Principes, Nobiles, Divites: quis frequenter in prædicationibus audiunt divinam ſententiam, ſed non curant, ac ſi eſſet tantummodò ſomnium. Ita Lyr. lege textum ipſum Danielis.

75. Chriſtus eſt arbor bona in medio Eccleſiæ.

Dico quartò, Chriſtus eſt arbor bona in medio Eccleſiæ plantata. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecùs decurſus aquarum.* Hoc de Chriſto exponit S. Greg. lib. 19. Mor. & hom. 2. in Ezech. & alii plurimi, habet radicem in terra viventium, unde primum traxit originem, ut ait Origen. in Levit. & Georgius Venetus in 2. Cant. Vocatur à S. Jacobo inſitum verbum c. 1. 21. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum,* (Syrus, inſitum in natura noſtra) *quod poteſt ſalvare animas veſtras.* Verbum inſitum primò eſt inſpiratio divina, quam menti inſerit Spiritus S. ut ait Thomas Anglicus: ſecundò, eſt Scriptura, & prædicatio ejus, per quam à Concionatore gratia divina menti inſeritur, ut placet Bedæ & Gagneio. Tertiò, eſt Chriſtus ipſe ſeu verbum incarnatum: Quia 1. Sicut arbori agreſti inſeritur, aut inoculatur ſurculus arboris feracioris, ita humanitati Verbum divinum Patri æquale. 2. Inſitus ſurculus coaleſcit cum arbore, cui inſeritur, eique perfectiſſimè unitur: ita per Verbum divinum ita ſubſiſtit humana natura, eique hypoſtaticè unitur, ut poſt illam unionem ſit tantùm una perſona: nempe perſona divina Verbi ſubſiſtens in natura divina Verbi, & in natura humana, ut docet S. Thom. 3. p. q. 2. a. 2. & 3. & 4. atque q. 3. a. 1. Tertiò, ſurculi inſiti vis & ſuccus ita miſcetur cum vi naturali & ſucco arboris, cui inſeritur, ut fructus unius ſint fructus alterius: ita per communicationem idiomatum opera Dei tribuuntur homini, & opera hominis Deo: hæc enim propoſitio vera eſt, Deus eſt homo. S. Thom. 3. p. q. 16. a. 1. integro: item hæc propoſitio, homo eſt Deus art. 2. nec propriè & verè ille homo, ſcilicet Chriſtus, eſt homo Dominicus, ſed Dominus dicendus. Art. 3. quæ ſunt divinæ naturæ, de homine dici poſſunt, tanquam de hypoſtaſi divinæ naturæ; & quæ humanæ naturæ ſunt, de Deo tanquam humanæ naturæ hypoſtaſi: eſt enim una eademque hypoſtaſis utriuſque naturæ, ſed veluti compoſita, ut docet q. 2. a. 4. Item hæc propoſitio vera eſt, Deus factus eſt homo, q. 16. art. 6. non tamen è converſo verum eſt, homo factus eſt Deus; quia natura humana non habuit priùs ſubſtantiam humanam, quàm aſſumeretur, art. 7. & magis ad rem noſtram adhuc eſt quæſitum, utrùm Chriſtus ſit unum vel duo, & reſpondet q. 17. art. 1. *Quia nos ponimus in Chriſto unam perſonam, & unum ſuppoſitum, ſequitur, quòd dicamus, quod non ſolum Chriſtus eſt unus maſculinè, ſed etiam quòd eſt unum neutraliter.* Hinc ſequitur communicatio idiomatum. S. Bernardus ſerm. 3. de vigil. Nativit. *Nihil*, ait, *Deo ſublimius, nihil vilius limo: & tamen tanta dignatione Deus deſcendit in limum, tantaque dignitate limus aſcendit ad Deum, ut quicquid in eo Deus fecit, limus feciſſe credatur: quicquid pertulit limus, Deus in illo pertuliſſe dicatur.* Serm. autem de S. Benedicto ait, Chriſtum eſſe arborem fructiferam, & plantam cœleſtem, cùm dicatur Pſal. 84. Veritas de terra orta eſt, & juſtitia de cœlo proſpexit, tract. de paſſione Dom. ipſum fuſiſſimè comparat viti. Eſt ille Elcana Euphratæus, id eſt, fructificans, qui erat maritus *Anna*, id eſt, *gratia ſeu gratioſa*, quæ erat figura animæ ſanctæ: ex his ortus fructus *Samuel*, id eſt, *obediens Deo*; ſeu obedientia Dei.

76. Chriſtus multis arboribus collatus. 1. Cedro.

Unica arbor ſatis non poteſt nobis repræſentare Chriſti proprietates omnes, & varietatem fructuum, quam affert in Eccleſia ſua, ideò ſub nomine ſapientiæ variis ſe comparat, Eccl. 24. Ac primò, Cedro ℣. 17. *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano.* 1. Ob excelſitatem, unde Pſ. 79. 11. dicuntur cedri Dei. 2. Ob imputribilitatem & quandam æternitatem, unde ex tabulis cedrinis compactam Arcam Noë docent Hebræi, & parietes ac tectum Templi Salomonis tabulis cedrinis veſtiebantur, 3 Reg. 6. 9. & ſeqq. Tertiò, in Cedro odor eſt, quo fugari ſerpentes, ait Rabanus. Chriſtus eſt 1. excelſior cœlis factus, Hebr. 7. 26. deinde eſt Rex ſæculorum, Apoc. 15. 3. Rex in æternum, Pſal. 28. 10. Regnum ejus regnum omnium ſæculorum, Pſ. 144. 13. denique fugat ſerpentes, id eſt, peccata & dæmones ſolo odore, nempe invocatione nominis JESU, Marc. 16. 17. *In Nomine meo dæmonia ejicient.* Quod etiam mali faciunt. Matth. 7. 22.

Secundò, confert ſe divina Sapientia cupreſſo, *2. Cupreſſo.* Ibid. *Et quaſi Cypreſſus in monte Sion.* Græcè, & ſicut cypariſſus in monte Aërmon, ſive Hermon, qui etiam nuncupatur Sion, aut aliquem collem mons Hermon habet ſibi ſubjectum, qui Sion dicitur, de quo vide Pſ. 132. 3. Cypreſſus 1. Alta eſt, 2. Recta. 3. Folia non amittit. 4. Odorata eſt, 5. Cariem non ſentit, nec blattas & tineas: unde & ſimulacra Deorum ex ea fiebant, ut ait Plinius.

Tertiò, confert ſe ſapientia palmæ exaltatæ in Cades, verſ. 18. Gr. in Gaddi, id eſt, in Engaddi, *3. Palma.* qui locus erat prope mare mortuum, non longè à Jericho. Engaddi, ut ait Salian. anno mundi 2976. n. 3. fuit urbs nobiliſſima dicta Haſaſon thamar, ut ait S. Hier. in Tradit. in 14. Gen. i. Urbs palmarum, quòd nimirum palmis floreret & balſamis. De palma pauca dicam infra, plura verò Pſ. 91. 13.

Quartò, ſequitur ibid. *Et quaſi plantatio roſæ in Jericho.* Supple, exaltata ſum. Roſa exaltatur, 1. *4. Roſa.* pulchritudine, 2. odore, 3. dignitate inter flores: eſt enim florum regina. Ejus odore ſcarabæi pereunt. Chriſtus inter Judæos peccatores fuit roſa inter ſpinas. Notat Delrio & Bonartius hic non agi de roſis vulgò dictis Jerichuntinis, quæ in aquam immerſæ hiant & expanduntur circa diem Annuntiationis Dominicæ, & Chriſti Natalis, manifeſtum ſymbolum Virginei partus, de illis exſtat libellus Sturmii, Medici Lovanienſis: quia illæ roſæ, neque pulchritudine, neque odore excellunt: ſed agi de aliis pulchrioribus, & omnes Judææ roſas ſuperantibus.

Quintò, verſ. 19. comparat ſe olivæ ſpecioſæ in *5. Oliva.* campis. De illa Pſ. 51. 10. dicam. Sextò, platano *6. Platano.* exaltatæ juxta aquam in plateis. Id eſt, in viis latis & ſpatioſis juxta fluenta aquarum. Platanus grata eſt propter umbram, propter quam dicit Plinius l. 12. c. 1. ex alieno petitam Orbe. Sapientia divina *clamat in plateis*, Prov. 8. 4. offert umbram vitalem, Thren. 4. 20. *In umbra tua vivemus.* Umbra platani ſerpentes fugat, veſpertiliones ſub ea nidulantur, nec illam ferre poſſunt.

Septimò, ℣. 20. Sapientia divina ſe confert cin- *7. Cinnamomo.* namomo & balſamo aromatizanti, ac myrrhæ electæ dans ſuavitatem odoris.

Octavò, ℣. 21. comparat ſe ſtoraci, qui ſuccus *8. Storace.* eſt vel lacryma odorata ſtillans ex Arabico frutice, qui appellatur ſtyrax, & etiam ejus liquor. Vide Plin. l. 12. c. 17. ait fugere ſerpentes.

Nonò, ibid. Galbano ſe comparat, eſt autem *9. Galbano.* Galbanum vel galbanus, reſina ſive ſuccus fruticis cujuſdam Syriæ, Plinius lib. 12. c. 25.

Decimò, ℣. eod. 21. dicitur ungula, ſive onyx. *10. Onychi.* Eſt autem aroma ſeu reſina odoratiſſima. Nomen ſumpſit, quòd colorem humani unguis referat.

Undecimò, Gutta appellatur, ſive ſtacte, quæ *11. Myrrha.* eſt lacryma ex myrrha ſponte defluens, abſque inciſione.

Duodecimò, Libanus non inciſus, id eſt, thus, *12. Thuri.* quod ſponte fluit ex arbore thurifera ante inciſionem. De thure vide multa apud Plin. l. 12. c. 14.

Decimò-tertiò, Balſamum non mixtum, facilè *13. Balſamo.* balſamum adulterari docet Plin. lib. 12. 15.

Decimò-quartò, ℣. 22. Sapientia divina dicitur *14. Terebintho.* Terebinthus extendens ramos honoris & gratiæ, id eſt, honorabiles & gratioſos: vel honorem & gratiam afferentes. Levinus Lemnius de herb. & arbor. Biblicis c. 21. docet, Terebinthum eſſe arborem in Syria ac Palæſtina ſpectabilem & amœnam folio ferè lauri, flore oleæ, coloris punicei, baccis primùm herbaceis, mox rubris, maturitate nigris: fundere æſtivis caloribus reſinam halitu ſuavem, dictam Terebinthinam, adeò pellucidam, ut fundum poculi, in quo ſervatur, conſpici queat,

mederi vulneribus, dolorea mitigare, intus humorum collectiones diſcutere, calculos atterere, &c.

15. *Viti.* Decimò quintò, ỳ. 23. comparat ſe divina Sapientia viti fructificanti ſuavitatem odoris, & producenti florea honoris & honeſtatis. Si myrrham à ſtacte ſeparas, & balſamum à balſamo, non miſto, adhuc augebis comparationes. Hæc ſtrictim attigiſſe ſit ſatis. Lege Cornel. fusè de his agentem, quem tibi intactum relinquo.

77. David juſto comparat oleam, ut vult Lorinus. Quæres: Quænam arbor in hoc Pſalmo ex illis omnibus intelligatur? aut quænam alia? Reſpondent primò Janſenius, & Lorinus, aliique, eſſe oleam. Huic comparatur Joſue ſeu Jeſus filius Joſedech ſummus Pontifex Judæorum, & Zorobabel Princeps, qui populum è captivitate Babylonica reduxerunt, & templum Deo extruxerunt Cyro & Dario permittentibus, Zachar. 4. 12. *Quid ſunt duæ ſpicæ olivarum, quæ ſunt juxta roſtra aurea, in quibus ſunt ſuffuſoria ex auro?* Dicuntur duæ ſpicæ, id eſt, arbores: ſive ut Syrus vertit & Arabs, rami, pleni olivis. Non enim erant hæ duæ oleæ ſculptæ in candelabro, ſed viſæ ſunt à Propheta Zacharia velut arbores ſtantes ex utraque parte candelabri aurei. Roſtra verò aurea, ſunt duæ ſummitates duorum candelabri calamorum, ſupra quos duæ erant lucernæ, una ad dexteram, altera ad ſiniſtram ipſius candelabri. In Hebræo eſt צנתרות *Santheroth*, quod 1. Marinus & Mercerus vertunt canales. 2. R. Jonas, virgas. 3. R. David, vaſa ad ſimilitudinem fiſtularum, & Pagninus fiſtulas. 4. Sept. μυζωτῆρας, nares. 5. Chald. Lecythos. 6. Vatabl. ampullas. 7. Arias, canthatos. 8 Interpres noſter commodè, ac eleganter vertit roſtra, quia illi calami candelabri, qui erant velut ejus brachia lucernas ferentia, in acumen ac velut in formam roſtri deſinebant. Angelus deinde ait, ỳ. 14. *Iſti ſunt duo filii olei, qui aſſiſtunt Dominatori univerſæ terræ*, in ejus præſentia & luce bonum ac ſuave eſt, ejus legem meditari die ac nocte: ſi tamen nox eſt in oculis Solis. 1. Aquila & Theodotio vertunt, Iſti ſunt *filii ſplendoris*. Monemur, Pſ. 33. 6. *Accedite ad eum, & illuminamini.* 2. Sept. Syr. & Arab Antiochenus textus habent, *filii pinguedinis*. Pſ. 62. 6. dicitur: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. 3. Arab. Alexand. *filii miſericordiæ.* Matth. 5. 7. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. 4. Chald. *filii principum*, eos maximè decet legem Dei meditari: eam ob rem in gratiam filiorum, ac præſertim Salomonis, ſcripſit David Pſal. 118. longiſſimum, qui totus eſt de lege Dei amanda, meditanda, & opere explenda. Apoc. 11. 4. de Henoch & Elia habes: *Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes.* Alludit ad duos Cherubinos factos ex ligno olearum, & poſitos in Sancto Sanctorum ex utraque parte Arcæ. David de ſeipſo ait Pſ. 51. 10. *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei, ſperavi in miſericordia Dei in æternum, & in ſæculum ſæculi.* Plinius lib. 16. 44. ait, oleam durare per ducentos annos: non ſentit cariem, ideò eſt æternitatis ſymbolum. 2. Pinguis eſt, ideò eſt ſymbolum miſericordiæ, gratiæ, & Spiritûs S. dona ſua in animam ſuaviter infundentis. 3. Eſt etiam pacis hieroglyphicum. 4. Folia illi non defluunt, ut tradit Plinius, ſed ad pſalmum noſtrum hoc illi deeſt, quòd non amat rivos & decurſus aquarum, ſed ſolum aridum. Plura dicam Pſ. 51. 10.

Secundò, iidem Janſenius & Lorinus arborem noſtram dicunt poſſe intelligi palmam. Et quidem, palma non eſt abſimilis hominis coma, medulla eſt inſtar cerebri, fructus ſunt dactyli, id eſt, digiti. Itaque, non malè vir juſtus ei à Davide comparabitur, & ſignatè habet in Pſ. 91. 13. *Juſtus ut palma florebit.* Vide ibi fusè dicta. Job. 29. 18. de ſeipſo dicit: *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.* Nunc ſufficiat locus Philonis, qui lib. de Vita Moſis ſic loquitur: *Palma eſt arbor pulcherrima, quæ fructum fert optimum, & ζωτικὴν δύναμιν, vitalem vim habet, non in radicibus defoſſam ut cætera, ſed in ſummo, καρδίας τρόπον, in cordis modum ramorum in medio, à quibus circumquaque ſtipatur, ceu princeps à ſuis ſatellitibus.* Subdit deinde, eamdem eſſe piorum conſtitutionem, & hanc eſſe naturam mentis, quæ ſanctitatem deguſtavit. Solet enim hæc ſurſum ſpectare, & in ſublimibus verſari, occupata contemplandis divinis pulchritudinibus, χλεύην τιθεμένη ἐπίγεια. floccifaciens terrena, & luſum ea reputans, & ſola ſeria eſſe cœleſtia ac divina.

Tertiò, Cornel. à Lapide illud Jerem. 17. 8. *Et erit quaſi lignum, quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit, cùm venerit æſtus: Et erit folium ejus viride, &c.* de lauro interpretatur, eique dicit, eſſe ſimilem virum, qui in Deo ſperat. Sicut enim fulmen, quicquid invenit in terra, ferit præter laurum, ut ait Plinius lib. 2. c. 55. ſic magna calamitas omnia poteſt auferre, ſternere & evertere, præter firmam Deo nixi virtutem. Ad hoc utilis eſt Syriaca verſio, Benedictus eſt vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus: erit quaſi arbor plantata ſuper aquas, *quæ robuſtior corde* (firmior) *eſt omni homine.* Illuſtre eſt, quod contigit S. Laurentio Juſtiniano; Cùm illum cœnobita quidam adiiſſet, in ſua vocatione vacillans, petensque, ut orationibus ſibi ſuccurreret, lauri ramum illi in aqua coctum dedit, juſſitque eum, ut in horto plantaret: Si, inquit, radicem egerit, ac fronduerit, in religioſa domo hac perſeverabis: utrumque autem cum omnium gaudio & admiratione contigit. 3. Laurum, ut Cornelius.

Quartò denique, licèt de palma commodè poſſit locus noſter exponi, quòd gaudeat riguis totoque anno bibere, ut ait Plinius l. 13. c. 4. quòd fructus ferat plurimos & optimos, atque folia non amittat, de arbore tamen vitæ Davidem loqui arbitror: ſic ſentiunt S. Ambr. & S. Hilar. quidam etiam Chaldaici codices apud Nebienſem, quibus Eugubinus adhæſit, habent: *Et erit arbor vitæ.* Nota 1. Lignum vitæ, eſſe quamdam naturalem arborem, ut docet S. Thom. 1. p. q. 102. art. 1. ad 4. idque eſſe de fide aſſerit Suarez. tract. de opere ſex dierum lib. 3. c. 15. Itaque rejiciendi ſunt Origen. & Eugubin. qui dicunt, eſſe tantùm arborem ſymbolicam. Nota 2. dici arborem vitæ, id eſt, vitalem, vivificam, conſervatricem vitæ: idque, ut docet Suarez, per propriam efficaciam ſibi connaturalem: idemque valdè errare dicit eos, qui cenſent illam arborem ſeu fructum ejus tantùm fuiſſe ſignum illius effectus & incorruptionis, quam Deus daturus eſſet homini, ſi non peccâſſet, quod cenſet Eugubinus in c. 2. Geneſis 3. refellitur autem ſufficienter ex verbis Geneſ. 22. *Ne fortè mittat* (Adam) *manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum:* patet enim vim remanſiſſe illi arbori poſt peccatum Adami, & conſequenter fuiſſe illam merè naturalem, non verò ſupernaturalem, ut putârunt S. Bonav. & Gabriel: & S. Auguſt. in eorum ſententiam inclinare videtur li. 8. de Gen. ad lit. ubi dicit, cibum illum contuliſſe talem effectum *nonnulla inſpiratione ſalubritatis occulta.* Et ſtatim inter miracula computat, quòd cibus ille immortalitatem afferret. Sed verè naturali virtute hæc arbor dediſſet Adamo ac poſteris vitam, 1. Diuturnam, 2. Morbis & ſenio carentem, 3. Vegetam & robuſtam, 4. Alacrem, & ſine ulla triſtitia, melancholiam enim procul abegiſſet. Nota 3. Licèt Abulenſis, Rupert. lib. 3. de Gen. c. 30. Theodoret. & alii cenſeant unam comeſtionem cibi illius vivifici ſuffeciſſe ad dandam immortalitatem, probabilius tamen Scotum, Durandum, Pererium & alios arbitrari ſæpiùs ſumendum fuiſſe, licèt rarò: quia fructus ille erat finitæ virtutis. Nota 4. Fructus arboris vitæ, vires integras reparabat: primò, humorem naturalem primogenium, aut eò meliorem ſuggerendo. 2. Calorem naturalem continuâ actione & pugnâ cum aliis cibis (quibus ordinariè uſus etiam tunc fuiſſet homo, ut docet S. Aug. l. 13. Civit. c. 20.) refractum acuendo & roborando: & in priſtinum, vel etiam meliorem ſtatum reſtituendo: eumque continendo, & conſervando. Unde, ſi ſtatis temporibus, licèt raris, ex hac arbore comediſſet homo, nec mortem, nec ſenium incurriſſet, ut enim docet idem S. Auguſtin. lib. 5. c. 23. *Lignum vitæ corpus à morte* 4. Et melius de arbore vitæ explica.

neceſſi-

neceſſitate prohibebatur, atque in juventutis flore tenebatur: & Auctor quæſt. novi & veteris teſtam. in q. 19. ait de illo vitæ cibo: *Erat hominis quaſi inexpugnabilis murus, quia corporis corruptionem inbibebat.* Nota 5. Molinam cenſere eſum ligni vitæ allaturum fuiſſe immortalitatem abſolutam, ita ut integrè ſemper reſtitueret hominem priſtino vigori. Scotus verò in 2. diſt. 19. tribuit tantùm vim dandæ immortalitatis reſtrictæ & reſpectivæ: adeò ut homines quidem in ſtatu innocentiæ nunquam morerentur, ſed ex vi fructus illius vivificantis ad aliquot annorum millia durarent, donec Deus eos in cœlum transferret, quæ eſt æqualis æternitas. Nec ſemper vox עלום *olam*, *& in æternum*, pro æternitate omninò abſoluta & interminabili ſumuntur, ſed pro longiſſimo tempore, ut patet Gen. 6. 3.

78. Chriſtus eſt arbor vitæ. His poſitis: Dico in paradiſo Eccleſiæ lignum vitæ eſſe Chriſtum. Primò, quia arbor vitæ erat in medio paradiſi terreſtris, Gen. 2. 9. & S. Joannes Apoc. 22. 2. deſcribens ſanctam civitatem Jeruſalem cœleſtem, *in medio*, ait, *plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem Gentium*, de Chriſto id explicant Beda, Rupertus, Ansbertus, ac Ribera: de Sanctis & Beatis ipſis Viegas. Secundò, Chriſtus ſui viſione & fruitione in cœlo atque in Euchariſtia dat vitam immortalem: Joan. 5. 56. *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus*: & 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: de Sapientia divina, id eſt, Chriſto, dicitur Prov. 3. 18. *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eum.* S. Hier. in Iſai. c. 65. omnibus, qui accedunt ad eam. S. Auguſt. in Pſ. 32. omnibus poſſidentibus eam. (Sept. qui complectuntur eam) *& qui tenuerit eam, beatus.* De Euchariſtia commodè dicet illud, quod habetur Apoc. 2. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.* Lignum vitæ, ibi intelligitur fruitio Dei & beatitudo, indeque conſequens immortalitas. Hæc enim eſt immarceſcibilis vitæ & gloriæ corona, quam ſuis fidelibus Chriſtus promittit, q. d. Vincenti dabo edere per contemplationem & fruitionem, *de ligno vitæ*, id eſt, de divinitate beante, & dante gloriam immortalem, ſicut inchoatè faciebat lignum, id eſt, arbor vitæ in paradiſo, cujus erat figura & typus. Secundò tamen, Victorinus & Beda cenſent illud lignum vitæ eſſe Chriſtum, qui in Eccleſiæ paradiſo omnibus fruendus proponitur: & quidem in Euchariſtia, ut Alcazar, Anaſtaſius Sinaita lib. 1. Hexaëm. Paſcaſius lib. de Corp. Chriſti cap. 7. & 8. atque Rupertus volunt: in ea enim vires amiſſæ reparantur, & vitæ immortalitas datur. Eſt enim *panis vitæ*, ut Chriſtus ipſe vocat Joan. 6. ℣. 35. & 48. *panis vivus, qui de cœlo deſcendit*, ℣. 51. manna erat inanimis ac mortuus cibus: Chriſtus verò in Euchariſtia, eſt panis, id eſt, cibus vivus & vivificans, poteſt enim, & vult vitam ſuam communicare; agi de Euchariſtia ab eo verſu 51. ita certum putat Maldonatus, ut aſſerat hoc negare eſſe temerarium, ac propè erroneum. Eſt communis opinio Patrum Græc. & Latin. S. Cyrilli, S. Chryſoſt. S. Thomæ, Theophylact. Euthym. Ruperti, & aliorum. Concilium Epheſ. Nicæn. 2. Cabilon. 2. Senon. & Tridentinum ſeſſ. 13. c. 2. & ſeſſ. 21. 1. de Euchariſtia exponunt. Quòd vitam ſuam communicet, patet ex ſequentibus: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

Surculi ejus ſunt omnes Sancti. Sancti quoque, ſunt ſurculi ex primaria vitæ arbore exurgentes, & ipſi conſequenter ſunt arbores vitæ, id eſt, vivificantes, Prov. 11. 30. *Fructus juſti, lignum vitæ*: id eſt, dans aliis vitam, quod explicans, ſubdit: *Et qui ſuſcipit animas, ſapiens eſt.* Chald. ſuſceptrix animarum eſt Sapientia. Cornelius vult; lignum ſeu arborem vitæ poni pro fructu illius arboris, ita ut ſenſus ſit, fructus juſti eſt inſtar fructus ligni vitæ. Arbor enim vitæ myſticè eſt ipſa ſapientia & juſtitia, & conſequenter ipſe ſapiens & juſtus: fructus verò ejus, ſunt opera juſta & ſancta, hæc ipſe. Secundò, poteſt eſſe ſenſus, q. d. fructus juſti eſt lignum ſeu arbor vitæ, id eſt, juſtus producit novas vitæ arbores, animas ad Deum convertendo. Sicut enim Chriſti fructus eſt arbor vitæ, id eſt, juſtus, qui alios adhuc vivificat: ita fructus juſti eſt alius juſtus, eamdem vim vivificandi habens, ut fiat catena vitæ ad cœlum ducens: ſicut tacta magnete, alia ſibi uniunt, & vim alia attrahendi aliquando communicant.

Fructus ipſas arbores, id eſt, Sanctos exornans, duplex eſt. Primò, ſapientia. Secundò, virtutes. S. Auguſt. lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 21. & S. Maximus centuriâ 2. cap. dicunt, eſum cibi illius eſſe figuram ſapientiæ. Philo de Mundi opificio utrumque fructum complexus eſt: *Dei*, inquit, *paradiſus habet omnes arbores*, ἔμψυχα ϰ̓ λογιϰὰ, *animatas rationeque præditas, quarum fructus virtutes ſunt, & incorruptus intellectus atque ſagacitas, quid turpe ſit, quid honeſtum, dijudicans.* Fructus ille, eſt in medio paradiſi, id eſt, in medio cordis humani, & in mediocritate conſiſtit: noſter Jacobus Alvares de Paz lib. 3. de Natura perfectionis part. 2. c. 13. & ſeq. docet, lignum vitæ eſſe ſanctam perfectionem, in cordibus juſtorum plantatam juxta fluenta gratiæ: Radicem eſſe, timorem Dei Eccl. 1. 16. Ramos eſſe omnes virtutes, quæ à Dei timore & amore procedunt, de quibus Eccl. 1. 25. Rami ejus longævi. Folia, ſunt præcepta divina, quia lignum iſtud protegunt & ornant, quibus gentes à morbis peccatorum liberantur, & ſalutem juſtitiæ adipiſcuntur. Fructus 12. ſunt, 1. Puritas mentis. 2. Abjectio temporalium. 3. Quies appetituum. 4. Circumſpectio verborum. 5. Mundiria cogitationum. 6. Impatientia deſideriorum cœleſtium. 7. Sollicitudo virtutum. 8. Pulchritudo operum. 9. Suſtinentia adverſitatis. 10. Collectio internarum virium. 11. Concordia voluntatum. 12. Transformatio in Deum. S. Joannes ait, Apoc. 22. 2. arborem vitæ in cœleſti Jeruſalem afferre 12. fructus, ſingulos ſcilicet ſingulis menſibus novus in te fructus videatur, & ſit. Fructus, ſapientia & virtutes.

ARTICULUS IX.

Juſtus eſt arbor plantata juxta decurſus gratiarum, velut aquarum viventium.

Vidimus virum pium, qui fugit conſilia & doctrinam improborum, & in lege Dei meditetur die ac nocte, eſſe arborem vitæ in horto Dei. Nunc videndum eſt, in quo loco ſit plantandus. Hoc docet Propheta noſter verſ. eod. 3. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt* SECUS DECURSUS AQUARUM. Hebr. *ſuper* פלגי *phalge*, rivos, ſeu diviſiones, ac divortia aquarum. S. Hier. juxta rivos, Felix, ſecus rivulos. Hoc denotat ubertatem fontis, prope quem ſita ſit arbor; ubi enim omnes aquas ſuas illi obtulerit, eas deinde dividit aliis arboribus, herbis, floribus ac frugibus profuturas. Sept. vertunt διεξόδους, diviſiones, varias diffuſiones per diverſarias. 79. Verſ. 3. II. Pars. Juſtus plantandus eſt juxta aquas.

Quæres 1. Quænam ſint illæ aquæ, prope quas arbor ſacra plantatur? Reſp. primò Euthymius, eſſe divina eloquia, quorum eſt animas irrigare & impinguare; hinc Chriſtus ad ſuas conciones invitans dicit, Joan. 7. 37. *Si quis ſitit*, ſalutem ſuam & felicitatem æternam, *veniat ad me, & bibat.* Et Iſaias 55. 1. *Omnes ſitientes venite ad aquas*, doctrinæ & gratiæ, ut explicat Chald. & alii. S. Greg. Naz. orat. in S. Baptiſma, id eſt, orat. 40. *Sitit*, inquit, *ſitiri Dominus.* 1. Eloquiorum Dei.

Secundò, aquas illas de aquis contritionis exponit Tertull. lib. de pœnit. cap. 4. *Tu*, inquit, *nihil quondam penes Deum, niſi ſtilla ſitulæ & areæ pulvis, & vaſculum figuli, arbor exinde fias illa, quæ penes aquas ſeritur, & in foliis perennat, & tempore ſuo fructus agit, quæ non ignem, non ſecurim videbit.* Sed agitur hic de Chriſto, aut ſaltem de juſto fugiente conſortia impiorum, & meditante in Dei lege diu noctuque; itaque non eſt ſermo ad literam de lacrymis contriti cordis. 2. Contritionis.

Tertiò, de aqua omnium gratiarum in mentem Chriſti 3. Omnis gratiæ.

Chriſti & Sanctorum effuſa, eaimque fœcunditate, locum hunc interpretor. Hâc enim eget omnis arbor vitæ, ut in vita maneat, & vitæ fructus fundat. Cùm, ſicut docet Vaſques in 1. 2. diſp. 186. c. 1. notitiam & fidem myſteriorum noſtræ religionis habere non poſſimus ſine auxilio gratiæ: nec affectum ipſum credendi, cap. 2. nec victoriam de tentationibus, diſp. 189. cap. 1. nec opus bonum morale facere ex omni circumſtantiis bonum, diſp. 190. c. 2. Ubi verò fuerit aqua illa gratiæ, omnes fructus proveniunt. Apoc. 22. 1. dicit S. Joannes: *Oſtendit mihi* (Angelus) *fluvium aquæ vitæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni.* Et ſtatim ſubjungitur verſ. 2. *In medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem Gentium.* Fluvius ille, ut ait Richard. à S. Vict. eſt gratia Spiritûs ſancti: aut Spiritus ſanctus: ſicut dicit Rupertus: ſponſa & fons & hortus dicitur in Canticis, ut oſtendatur, non poſſe eſſe hortum fructiferum & Sponſo gratum, niſi habeat aquas gratiarum: ea proportione dat aliis fructum ſuum, quâ gratiæ ubertatem recipit. Cant. 4. 12. *Hortus conclusus, ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus:* de Eccleſia id exponit Aponius, quæ eſt hortus labore Apoſtolorum excultus: ſecundò, concluſus Dei & Angelorum cuſtodia, ut ait Willeramus: tertiò, fons patens domui David. Zachar. 13. 1. quartò, obſignatus ſignaculo fidei, ut dicit Angelomus. Eadem ad animam ſanctam penè transferre potes, de qua explicat S. Greg. Nyſſ. Quanta vis ſit aquæ irrigantis hortum illum, patet verſ. 13. *Emiſſiones tuæ* (propagines plantarum & arborum) *paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus, cypri*, id eſt, 1. Camphoræ, ut cenſet Guidacerius. 2. Botrorum cypariſtimi, ſeu cyperi, ut velle videtur Juſtus Orgelitanus. 3. Frutex intelligitur opobalſami, ut Hailgrinus, Valentinus & Guilielmus. 4. Fructus cypri arboris, ut Jarrius. 5. Veræ vineæ botros naſcentes in Engaddi, qui cyprinum ſaporem præbeant guſtantibus, accipit S. Gregorius, S. Bernard. Willeram. Titelmannus & alii. Cenſeo cum Jarrio agi de arbore cypri, nihil enim obſtat, & Philo ſic deſcribit. Cyprus arbuſcula eſt, flore candido, cincinnorum inſtar pendente coma odoratiſſima, folio oleæ: ex hac fit unguentum nomine Cyprinum, ad multa commodiſſimum; habetque folia, flores, & fructus, & ramos utiliſſimos: hæc optima in aſcenſione Judææ, & Ægypti Canopo provenit: ſic Philo: addit ſacer textus, *cum nardo: nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum cum univerſis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis unguentis.* Hebr. cum omnibus capitibus aromatum, id eſt, cum aromatibus pretioſiſſimis & primæ notæ. Fiſtula porrò, non eſt caſia, ut Alanus, Caſſiodor. & Willeramus volunt: nam Hebr. eſt קנה *kane*, quod non ſignificat caſiam, ſed cannam & calamum aromaticum, quem Kimhi, & Mercerus cenſent eſſe canellam: fragrantiam ejus laudat S. Greg. Nyſſenus. Ne quis dubitet, an fons ille ſignatus ſit poſitus ad irrigandas arbores, ſequitur verſu 15. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Dixerat ſponſam eſſe hortum, & eſſe fontem: ſed latiùs patet fons quàm hortus, quia aliis etiam inſervit ac ſufficit; fideles enim ſinguli ſunt hortuli, ut dicunt Philo. Aponius & Pſellus: aquæ viventes ſunt aquæ non ſtativæ, ſed fluentes: quomodo ergo ſunt in puteo? Nam aquæ puteales manent; dic puteum illum habere aquam aſcendentem & ſalientem in vitam æternam: ſimilis eſt puteo, qui populo ſitienti in deſerto à Moſe orante oſtenſus eſt, de quo cecinerunt omnes carmen hoc Num. 21. 17. *Aſcendat puteus*, (aqua putei) *puteus, quem foderunt principes, & paraverunt duces multitudinis in datore legis* (cum Moſe) *& in baculis ſuis*, id eſt, cum legionibus: manus nobiles aqua hæc poſcebat: ſine Chriſto & ipſius cruce hæc nobis aqua gratiæ non produiſſet. *De ſolitudine Matthana: de Matthana in Nahaliel, de Nahaliel in Bamoth, de Bamoth, vallis eſt in regione Moab, in vertice Phaſga, quod* (Phaſga) *reſpicit contra deſertum*, optant omnes, aut gratulantur ſibi aquam illam è puteo, id eſt, fontes, ut ſæpè ponitur in Scriptura) ſequi populum per omnes illas manſiones. Ruperto placet illo in loco denotari eos, qui in virtutibus & gratia progreſſus faciunt. Nam *Matthana* idem eſt, quod *donum deſcendens*, ſcilicet à Patre luminum: ex quo primò aſcendunt *in Nahaliel*, id eſt, *in hæreditatem:* vel poſſeſſionem Dei per activæ vitæ virtutem: deinde *in Bamoth*, id eſt, *in excelſa*, ſcilicet contemplativæ vitæ: de Bamoth hac incipit vallis humilitatis: oritur enim humilitas ex contemplatione Dei & ſui, eaque eſt juxta verticem Phaſga, hoc eſt, juxta altam ſapientiam & facundiam. *Phaſga* enim ſignificat *os multum.* Sapientiam autem docet humilitas, idque contra deſertum: id eſt, contra inania deſertoris diaboli mendacia. Hinc etiam eſt proverbium apud Hebræos, *ex Nahaliel Bamoth*, id eſt, ex virtute & pietate oritur celſitudo & gloria; virtus enim eſt quaſi hæreditas & poſſeſſio Dei, quam ſignificat Nahaliel.

Quæres ſecundò: Quomodo aqua ſit gratiæ Symbolum? Reſp. primò, gratia, ſicut aqua, animam à ſordibus expurgat, Pſ. 50. 9. *Asperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Vide ibi dicta: nunc ſufficiat Chald. *infundet ſuper me ſicut ſacerdos, qui profundit ſuper immundum aquas aſperſionis cum hyſſopo de cinere vaccæ, & mundus ero.* Secundò, gratia refrigerat æſtum concupiſcentiæ. Eccl. 18. 16. *Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic & verbum meliùs quàm datum.* Si melius & acceptius eſt ſuave & benevolum verbum hominis, quid erit gratia & locutio Dei interna? Tertiò, gratia ſitim tollit, & amorem rerum omnium terrenarum. Chriſtus dicit Samaritanæ, Jo. 4. 13. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Nam, ut ait S. Aug. Quomodo ſitient, qui inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ? In terra hoc habetur inchoatè, in cœlo perfectè. Iſaiæ 49. 10. *Non eſurient, neque ſitient, & non* (Doctrina Evangelica, gratia, & Eucharistia) *percutiet eos æſtus & Sol*, agit de Chriſtianis paſcendis, potandis, & refrigerandis. Alludit ad populum Iſraël, cui Deus in arido & ſabuloſo deſerto dedit manna, fontes è rupe virga excuſſos, & columnam nubis velut cœleſtem umbellam. Illa aqua non deeſt, quia *flumen Dei repletum eſt aquis.* Pſ. 64. 10. Flumen Dei 1. intelligit beatitudinem cœleſtem Procopius in c. 30. Iſaiæ, & Chald. eo loco vertit, *ex fonticulo Dei, qui eſt in cœlis, qui plenus eſt imbribus benedictionis, præparabis ſegetes eorum.* 2. Flumen Dei, ait eſſe doctrinam S. Chryſoſt hom. 10. in epiſt. ad Hebr. 3. S. Aug. vult ipſum Dei populum eſſe fluvium illum 4. S. Athanaſ. eſſe Dei Filium, vel Spiritum ſanctum. 5. S. Hieron. eſſe baptiſmum noſtrum; per aquas verò, omnes interpretantur gratiam Dei. Quanta copia illæ dandæ ſint aquæ, docet Deus ipſe Iſaiæ 41. 17. & ſeqq. *Egeni & pauperes quærunt aquas, & non ſunt*, ut Agar. ejecta è domo Abrahæ, & Iſraëlitæ in deſerto: *Lingua eorum ſiti aruit. Ego Dominus exaudiam eos*, ut clamantem Iſmaëlem puerum annorum 19. abjectum ſub unam arborum, *Deus Iſrael non derelinquam eos. Aperiam in ſupinis* (acclivibus & montoſis) *collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram in viam in rivos aquarum.* Hoc factum eſt in converſione Gentilium ad Chriſti fidem. Tu ad illos fontes anhela cum Davide, Pſ. 41. 1. Quemadmodum deſiderat cervus, &c. ibi ea de re fuſiùs.

Quartò denique, ſicut aqua, tum pluvialis, tum fontana &c. arbores fœcundat & impinguat, ita mentem gratia, Eccl. 24. 40. *Ego ſapientia effudi flumina. Ego quaſi trames aquæ immenſa de fluvio: ego quaſi fluvii Dioryx* (alveus, rivus, canalis, foſſa, in quam aqua deducitur: ab ὀρύττω, fodio, fit διῶρυξ, foſſa) *& ſicut aquæductus exivi de paradiſo.* Quid porrò efficiet illa vis & abundantia gratiarum Sapientiæ increatæ, id eſt, Chriſti, è paradiſo ad nos, & terram arbuſtaque arentia, & flores emortuos deſcen-

80. Aqua eſt gratiæ ſymbolum. 1. Quæ ſordes purgat. 2. Refrigerat. 3. Sitim tollit. 4. Fœcundat.

Digitized by Google

deſcendentis? Subditur verſu 42. *Dixi: rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.* Græcè, irrigabo areolam meam juſtam, id eſt, animam Sanctorum. Syrus, inebriabo cubilia mea in anima ſancta quieſcit gratia Dei & ſapientia. E paradiſo fluit illa aqua, Pſ. 103. 19. *Rigans montes* (Apoſtolos, Prælatos, viros à terra elevatos) *de ſuperioribus ſuis.* Paradiſus, ut vult Suidas, dicitur à *παρὰ* & *δέυω*, id eſt, irrigo: eſt enim continuus influxus cœli empyrei in hæc inferiora, ſicut aliorum cœlorum, ut docet Suares tract. de opere ſex dierum, & fluvius ille aquæ vitæ. Apoc. 22. continuas ſtillas gratiæ in nos dejicit. Meliùs tamen dices, paradiſum eſſe vocem hebraicam: non, ut vult Pollux, Perſicam, deducitur à rad. פרה *phara*, fructificavit, & הדס *hadas*, myrtus: q. d. hortus myrtorum, quæ inter cæteras arbores odore & ſapore excellunt. Jucunditatem & utilitatem aquarum illarum paradiſi aperit, Ezechiel 32. 14. *Puriſſimas addam aquas eorum, & flumina eorum quaſi oleum adducam, ait Dominus Deus*, id eſt, ut ait Cornelius, quietas, indeque puras, claras & limpidas ſicut oleum. Secundò, aliquid amplius denotari arbitror, nempe quòd inſtar olei, membra fovere & roborare debeant, & miſericordiam Dei in nos immittere. Hinc nato Chriſto, aut potiùs paulò ante, fluxit fons olei Romæ. Ipſe eſt Meſſias, id eſt, unctus, fontes habet olei, quod ſimul habet etiam aquæ proprietates. Hæc eſt aqua refectionis, de qua Pſ. 22. verſ. 2. *Super aquam refectionis educavit me.* Græc. *ἀναπαύσεως*, requietis. Hebr. *menuhoth*, requietum, ſeu conſolationum: implet nos Chriſti aqua *omni gaudio* in credendo, in amando, & in operando: S. Bern. ſerm. 5. de quadrag. docet, per illas delectationes divinas nos delectari in Domino. 1. S. Ambroſ. aquam refectionis ait eſſe requiem internam mentis. 2. S. Cyrill. Jeroſol. & Elias in S. Greg. Naz. orat. 2. de Filio, & orat. 11. contra Arrianos explicat de ſacris Scripturis. 3. Origenes hom. 8. in Cantica, de gratia & viis juſtitiæ. Refectio non tantùm pro quiete, ſed etiam pro nutritione ſumi poteſt, ut Marci 14. verſ. 14. Anima ſancta eſt hortus ſponſi. Cant. 5. 1. hortus irriguus. Iſaiæ 58. 11. hortus Domini, c. 51. 5. cinnamomum & balſamum. Eccl. 24. 20. irrigandus eſt *fonte vitæ.* Pſ. 35. 10. id eſt, gratia Chriſti, qui eſt vita, & eſt apud Patrem velut aquarum abyſſus. Burchardus in deſcriptione terræ ſanctæ c. penult. ait, vidiſſe ſe in Ægypto hortum balſami, qui ex ſe non dabat fructum, niſi irrigaretur fonte vicino, in quo B. Virgo ſæpiùs puerum Jeſum lavit, atque Saracenos expertos teſtari, fruſtrà illum aliis aquis irrigari. Sine me nihil poteſtis *facere*, ait Chriſtus. Jo. 15. 5. nec ſcire: eſt enim *fons ſapientiæ Verbum Dei*, Eccl. 1. 5. apud oppidum Ceſcum rivus fluit Nus, ex quo bibentium ſubtiliores ſenſus fieri tradit Varro, at in Cea inſula fontem eſſe, quo hebetes fiant. Plin. 31. 2. *tenebroſa aqua* in nubibus aëris, Pſ. 17. 12. in rebus vanis & altis, & ad arbitrium venti ambulantibus. Pauſan. in Eliacis lib. 1. pag. 161. ait: Perſeam arborem ſolis aquis Nili gaudere. Aquæ Nili, ſunt aquæ turbidæ. Jer. 2. 18. Nilus dicitur fluvius turbidus. Joſue 13. 3. turbidus eſt, & turbat in Ægypto, id eſt, in Mundo, exiſtentes: & ſæpè aquas in ſanguinem mutat, id eſt, in affectus purulentos & carnales: aqua autem Chriſti, eſt aqua virgo, & virgines faciens, ſimilis fonti Cyziceno, ex quo potantes amoris flammas non ſentiunt ampliùs, Mutiano teſte: lavant virgines ac dealbant ſtolas ſuas, id eſt, corpora in ſanguine agni, qui ſanguis lac ſit oportet, quandoquidem dealbat: neque id mirum, eſt enim agni ſanguis.

80. *Aqua eſt gratiæ ſymbolum. 1. Quia ſordes purgat. 2. Refrigerat. 3. Sitim tollit.*

81. Aquæ decurrentes ſunt: Primò, mortalitas.

Quæres tertiò: cur aquæ arborem vitæ irrigantes decurrere dicantur? Reſpondet primò Bruno aquas currentes eſſe mortalitatem, cui ſe Chriſtus fecit obnoxium, ſecundùm dictum Thecuitis mulieris Davidem orantis pro Abſalone jam per tres annos exulante apud Regem Geſſur, 2 Reg. 14. verſ. 14. *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur:* aquæ ad mare deſcendentes fortaſſe revertuntur, ex aliquorum Philoſophorum opinione; Sed in terram velut in hiatum & lacunam cadimus, & ibi perimus. Dies ſinguli ſunt ſtillæ aquæ. Pſ. 72. 10. *Dies pleni* (Hebr. מי *me*, aquæ) *invenientur in eis.*

Secundò peccata.

Secundò, S. Auguſt. cenſet decurſus aquarum, eſſe peccata & lapſus populorum. Apoc. 17. 15. *Aquæ, quas vidiſti, ubi meretrix ſedet, populi ſunt, & gentes, & linguæ:* populi variis idiomatis loquentes, qui in fine Mundi parebunt Babyloni, id eſt, Romæ ethnicæ: ſpecialiùs loquitur Remig. in Pſ. noſtr. qui aquæ decurſus ait eſſe fluxus carnalium concupiſcentiarum. Prope illas aquas plantatur Chriſtus, ut mortem per eſum arboris inductam per fructum vitæ tollat. S. Greg. hom. 2. in Ezech. id meditatur ſpectans Ezechielem propè fluvium Chobar velut ipſius figuram. *Venit Ezechiel juxta fluvium Chobar: quia fortitudo Dei* (id Ezechiel ſignificat) *per Incarnationis ſuæ myſterium propinquare dignata eſt peccatorum ſuorum pondera portanti generi humano, quod ab ortu ſuo quotidie defluit ad mortem, ſicut de illo per Pſalmiſtam dicitur: Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Juxta decurſus quippe aquarum plantatus eſt, quia juxta lapſus incarnatus eſt defluentium populorum. Ezechielem autem fortitudinem Dei, Buzi vero, deſpectum interpretatum diximus. Sed Ezechiel filius eſt Buzi, quia ex illo populo unigenitus Dei incarnari dignatus eſt, quem propter culpam perfidiæ Dominus deſpexit. Fortitudo ergò Dei ex contemptu vel deſpectu naſcitur: quia Redemptor noſter humanitatem aſſumere ex populo perfido & contempto dignatus eſt. Venit ergo in terram Chaldæorum. Chaldæi interpretantur captivantes; vel, quaſi dæmones. Iniqui enim, quia & ipſi iniquitates perpetrant, & ad iniquitatem alios perſuadendo trahunt, nimirum captivantes ſunt. Qui rectè quoque & quaſi dæmones interpretantur, quia & hi, qui alios ad iniquitatem ſuadendo pertrahunt, in ſemetipſos miniſterium dæmonum ad iniquitatem ſuſcipiunt, quamvis dæmones per naturam non ſint. Venit ergo fortitudo Dei in terram Chaldæorum; quia inter eos Unigenitus Patris apparuit, qui & per ſemetipſos ad peccatum defluxerant, & ad peccata alios captivantes trahebant.*

82. 3. Et optimè fluxus omnium gratiarum. Fluxus porrò denotat 1. eſſe aquam vivam.

Tertiò, & veriùs, decurſus aquarum eſt decurſus & fluxus gratiarum. In hoc autem fluxu diſce primo eſſe aquam vivam & non mortuam. De illa Jo. 4. 10. ait Jeſus Samaritanæ: *Si ſcires donum Dei, & quis ſit, qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forſitan petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam:* id eſt, vivificantem, ut explicat S. Cyrill. l. 2. c. 22. & ad rem noſtram S. Aug. tract. 11. in Jo. Aqua viva, inquit, dicitur, quæ ita fluit, ut ſit conjuncta ſuo principio, putà fonti & venæ, è qua ſcaturit: aqua autem mortua vocatur, quæ diverſa eſt & interrupta à ſuo fonte: gratia ergo vocatur aqua viva, quia à ſuo fonte, nempe à Spiritu Sancto nunquam ſeparatur, uti & Spiritus ſanctus à ſua origine, nempe à Patre & Filio inſeparabilis eſt, illiſque intimè in eadem numero eſſentia divina unitus: quare, licèt animæ ſeſe infundat, tamen à Patre & Filio non recedit, imò ad animam ſecum Patrem & Filium inducit, ut in eo omnes, quaſi in templo ſuo inhabitent, juxta illud Jo. 14. 23. Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Ita Cornel. in c. 4. Jo. Secundò, decurſus aquarum ſeu gratiarum denotat vehementiam charitatis illas à ſe propellentis & derivantis in alios cum celeritate & magno deſiderio. Cant. 4. 15. *Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Pſ. 45. 5. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Vide ibi dicta. Non vadit tantùm, ſed currit Spiritus ſancti gratia, neſcit enim tarda molimina. Tertiò, decurſus ſeu defluxus aquarum fit ex alto fonte in locum depreſſiorem, id eſt, à Deo in animam humilem. Pſ. 103. 10. *Qui emittis fontes in convallibus,* (Hebr. nehalim verti poteſt, in torrentibus: vel in vallibus plenis torrentibus) *inter medium montium pertranſibunt aquæ:* quod S. Bern. ad ſuam Claravallem derivans ſerm. de S. Bene-

2. eſſe vehementem.

3. ex alto in ima cadere.

dicto,

dicto. quem arbori fructiferæ ſecus decurſus aquarum plantatæ comparat. *Ubi ſunt, ait, decurſus aquarum? Profectò in vallibus, quia inter medium pertranſibunt aquæ. Quis enim non videat etiam torrentes montium ardua declinare, & mediam ad humilitatem ſemper divertere vallis. Sic profectò, ſic Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam.* Securus hic fige pedem, quicunque es jumentum Chriſti, ſuper hunc ramum innitere, ſemitam vallis incede. Nimirum in monte ſibi ſedem conſtituit ſerpens antiquus, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retrò; propterea vallem magis elige ad ambulandum, vallem elige ad plantandum. Neque enim vel in ſerendis arboribus montana ſolemus eligere, quòd frequenter arida ſunt & petroſa: in vallibus pinguedo eſt, ibi plena ſpica, ibi centeſimus oritur fructus, juxta illud Pſ. 64. Et valles abundabunt frumento. Audis, quia ubique vallis laudatur, ubique humilitas prædicatur. Ibi plantare, ubi decurſus aquarum, quia ibi copia gratiæ ſpiritualis, & aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, laudant nomen Domini: id eſt, cœleſtes benedictiones faciunt, ut laudetur. Hæc Bern. meditatur quoque S. Aug. ſerm. 38. in Evang. Jo. c. 10. tom. 10. radicem arboris poni in humili loco, & ſer. 31. in Evang. Lucæ, foſſam notat circumfodi arbori, & cophinum ſtercoris injici ad declarandam humilitatem animæ pœnitentis: illum lege. Eccl. 17. 5. *Ut firmaret radicem ſuper aquas.* Ibi ſtat firma in convalle, ſæpè eradicatur in monte & loco petroſo, in quo radix non multum deſcendit.

4. Continuò & abundanter dari. Quarto, aquarum & gratiarum decurſus denotat, novas ſubinde, & abundanter, & continuò dari, ut magis ac magis creſcamus. 5. Illi ſtatim cooperandum. Quintò, decurſus admonet citò cooperandum præſenti gratiæ, cùm extemplò effluat, & nova offeratur. Fontem gratiarum ſecum ferebat Sponſus, & propè oſtium Sponſæ effundebat ſtans & pulſans rore madens. Cant. 5. 2. *Caput meum plenum eſt rore: & cincinni mei guttis noctium:* arbores ſunt, ea quarum foliis liquor diſtillat. Caput Chriſti eſt ejus Divinitas, ut ait Apoſtolus, hic eſt fons omnis gratiæ. Cùm Sponſa ſtatim oſtium non aperuiſſet, abiit. 6. Illi non reſiſti. Sextò, Haymo indicari vult per decurſum aquæ non reſiſtit gratiæ Spiritûs ſancti, ſi decreverit ſalvare. 7. Citò abire. Septimò, Hugo à S. Victore & Caſſiodorus conſiderant in decurſu provideri, ut in humilitate maneamus, advertentes gratiam citò abire. Hugo à S. Victore ſerm. de feſto cujuſlibet Sancti. *Decurſus aquarum*, inquit, *explicat vices aſpirationum: quia ſpiritus, ubi vult, ſpirat: accedit, ut creſcamus: recedit, ne ſuperbiamus.* Caſſiodorus verò in Pſ. noſtr. *Ut nec nimia inundatio lignum læderet: nec iterum irrigatio procul conſtituta ſiccaret.*

83. Chriſti gratia triplex. Quæres quartò: Quot rivi aquarum arborem noſtram ſacram irrigent? Occaſionem quæſiti dat vox Hebraica פלגים *Phelagim*, hic poſita: quæ, ut diximus, ſignificat diviſiones, rivos, divergia ſeu divortia aquarum. Reſp. primò: ſi de Chriſto agitur, de quo præcipuè eſt Pſalmus, S. Thom. 3. p. q. 8. art. 5. tres ponit in Chriſto gratias. Primò, gratiam unionis: ſecundò, gratiam capitis: tertiò, gratiam ſingularis perſonæ. Gratia unionis, ut ipſe definit q. 6. art. 6. in corp. eſt ipſum eſſe perſonale, quod gratis divinitùs datur humanæ naturæ in perſona Verbi: quod quidem eſt terminus aſſumptionis. 2. Eadem ſecundum eſſentiam eſt gratia Chriſti perſonalis, quâ anima ejus juſtificata eſt, cum illa ſecundùm quam totius Eccleſiæ caput eſt alios juſtificans, quanquam ſecundùm rationem diverſa. q. 8. a. 5. Habuit autem gratiæ plenitudinem omnimodam q. 7. a. 10. & tantam ut non poſſit augeri. art. 12.

84. Multæ actuales juſtorum. Secundò, ſi de ſingulis juſtis ſermo eſt, præter gratiam habitualem ſeu ſanctificantem, innumeræ dantur gratiæ actuales. Eccl. 24. 40. *Ego ſapientia effudi flumina.* Et effundere cupio. Jo. 7. 37. ait Chriſtus: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat: flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Venter animæ eſt idem cum ejus corde ſeu mente, ut docent S. Auguſt. S. Chryſoſt. & Teoph. flumina illa quinque præſertim numerari poſſunt, ſicut quinque fluxerunt de Chriſti vulneribus. S. Bern. ſerm. 1. de Nativit. Domini, illos aſſignat. 1. Miſericordiæ fontem. 2. Sapientiæ. 3. Gratiæ. 4. Charitatis. 5. Zeli: lege totum ſermonem illum, & ſerm. 67. ex parvis in illa verba Iſaiæ 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, ubi 4. Paradiſi flumina ponit; veritatem, ſapientiam, virtutem & charitatem. Alia quinque poteſt aſſignare, primò charitatem cum S. Auguſtino; Secundò, lætitiam ſpiritualem cum S. Baſil. in Pſ. 45. Tertiò, doctrinam Evangelicam cum S. Ambroſio; Quartò, felicitatem & gloriam cœleſtem, quam S. Joannes comparat fluvio aquæ vitæ ſplendido inſtar cryſtalli, procedenti de ſede Dei & Agni. Apoc. 22. 1. Quintò, cum S. Chryſoſt. S. Cyrill. Origen. Leontio, & aliis, aquam vivam oblatam Samaritanæ, & fluentem de ventre, id eſt, de interiori animæ Sanctorum, dic eſſe omnem gratiam & gloriam, omnia chariſmata & virtutes atque omnia dona Spiritûs ſancti.

Leander refert in Umbria non procul à Narnia fontem eſſe, qui nunquam ſcaturire viſus eſt, niſi cùm annonæ penuria propediem futura eſt. At verò, Deus noſter fons perennis eſt. Pſ. 35. 10. *Apud te eſt fons vitæ.* Semper exundat. Prov. 18. 4. *torrens redundans fons ſapientiæ.* Joël. 3. verſ. 18. *Fons de domo Domini egrediebatur.* Eccl. 24. 43. *factus eſt mihi trames abundans* διώρυξ, foſſa, aquæ ductus, alveus. Syrus, fuit mihi torrens. Tigurina, aquæductus meus evaſit, flumen, *fluvius meus appropinquavit ad mare*, id eſt, inſtar maris auctus eſt; unde Tigurina, flumen meum in mare excrevit; ſemper augentur gratiæ iis, qui cooperantur; ibi plantentur, ut ſuccum exugant & creſcant; In ſolo arido naturæ corruptæ peccator per originale peccatum ab Adamo plantatus eſt; à Chriſto tranſplantatur, ſuper aquas gratiæ, ut ibi vivat & proficiat. Jo. 3. ℣. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei:* ex qua renaſcimur in Baptiſmo, ſicut ex aqua in principio Mundi cœli omnes, aliaque plurima facta ſunt; de cœlis non conſentit Suares, qui in tract. de opere ſex dierum cenſet & creatos primo inſtanti cum terra; cauſas varias, cur in aqua ſit inſtitutus Baptiſmus, vide apud S. Th. 3. p. q. 66. art. 3. Non ſatis eſt renaſci, ſed oportet creſcere prope aquas gratiarum in altum & latum per contemplationem & charitatem, Eccl. 24. 19. *Quaſi platanus exaltata ſum juxta aquas:* platanus deducitur à πλάτος, id eſt, à latitudine, quia ramos & folia latè extendit, quibus umbram præbet viatori gratiſſimam, ut ab æſtu Solis ſeſe tueatur; aquas amat, ejus folia fugant veſpertiliones.

Fons in Umbria mirabilis.

Num. 24. 5. Iſraëlitæ & eorum tabernacula cedris prope aquas virentibus, & ramos extendentibus, comparantur à Balaam, eos Dei juſſu benedicente; *Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, &c. Ut valles nemoroſæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi Cedri prope aquas:* ad rem noſtram maximè eſt verſio Chaldaica Paraph. Jeroſolymitani. *Decori & celebres ſunt tanquam cedri prope aquas, quæ extolluntur creſcendo:* cedri enim prope aquas maximè creſcunt, cùm ob magnitudinem & proceritatem magno egeant alimento & irrigatione.

Platanus exaltata juxta aquas tibi figurabit eos, qui poſt Baptiſmum proficiunt. 2. Cedrus procera prope aquas, eos, qui jam ad majores virtutes proceſſerunt. 3. Palma juxta eaſdem aquas, repræſentabit tibi jam ſumma conſecutos & victores. Exodi 15. 27. *Venerunt autem in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ, & caſtra metati ſunt juxta aquas:* pone caſtra juxta fluenta gratiæ, non in te, ſed in Dei gratia confidens, & palmas reperies atque victoriam. Nota ſecundò, licèt ſis palma, non eſſe tibi recedendum ab aquis & gratia. Tertullianus lib. 4. in Marcion. c. 24. per fontes duodecim Apoſtolos, per 70. palmas, Diſcipulos Chriſti intelligit: dicebat Paulus Rom. 6. 23. *Gratia Dei, vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro:* gratia, id eſt, donum Dei gratuitum, unde Tertull. lib. de reſurrect. carnis c. 47. legit, *donativum Dei vita æterna.* Senſus autem eſt, gratia per

Chri-

Chriſtum Jeſum ducit nos ad vitam felicem atque æternam, quæ ſine illa non poteſt obtineri per opera noſtra. Et 1 Cor. 15. 10. idem Apoſtolus ait: *Gratia Dei ſum id, quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit.* Gr. κενὴ, inania, atque otioſa, ſine opere atque fructu. S. Ambroſ. legit, gratia ejus in me pauper non fuit. Deus liberalis eſt: *ſed abundantius illis omnibus laboravi. Non ego, ſed gratia Dei mecum*, ſupple, laboravit.

Gratia præveniens vocatur infuſio à Concilio Arauſicano.

Ad rem noſtram maximè eſt, quòd Concil. Arauſicao, 2. vocat gratiam prævenientem, *infuſionem* & operationem Spiritûs ſancti; ab extrinſeco enim venit, & in animas immittitur, velut aqua in vas ſacrum, aut ad radicem arboris recens plantatæ, aut in ramos creſcentis, aut fructus & folia jam habentis. Nota cum Vaſqueſio 1, 2. diſp. 185. c. 2. Gratia alia eſt operans, alia cooperans: quarum ſingulæ aliis quoque tribus nominibus vocari ſolent. Operans, dicitur præveniens, excitans, inſpirario ſeu *infuſio*: cooperans verò, vocatur etiam comitans, adjuvans & gubernatio. Sic autem non dividitur gratia habitualis, ſed actualis, id eſt, auxilia gratiæ. Primò, dicitur operans: quia, ut loquitur S. Aug. operatur in nobis ſine nobis, non quòd non ſit à nobis effectivè concurrentibus, ut putavit Vega, (cùm enim ſit actio vitalis, eſt à principio intrinſeco vitam habente) ſed quòd ſit in nobis, & motum ſubitum excitet ſine conſenſu noſtro libero: ſic eſt actio hominis, non autem actio humana, ut loquuntur. Secundò, dicitur præveniens, ob eandem rationem: nempe quòd & ipſa prima cogitatio ſancta & motus ab ea excitatus in voluntare ſit ante conſenſum liberum. Tertiò, excitans vocatur, quia voluntas noſtra peccati ſomno oppreſſa, vocationis voce interna, & ſanctæ cogitationis, ad officium impellitur ſine libertate. Epheſ. 5. 14. *Surge, qui dormis: & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus:* peccator dormit, & ſtertit, ac ſomnia videt, ſibique delicias imaginatur. Vide Pſ. 75. 6. Dormierunt ſomnum ſuum, &c. Non ſe poteſt excitare ab hoc ſomno & morte peccator, eget ſono externo excitante, hunc edit Jeſus. Apoc. 3. 20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis mihi aperuerit, intrabo ad eum, & cœnabo cum illo.* Ubi vides 1. Deo oſtium claudi per peccatum, & deſidiam. 2. Gratiam pulſare ad oſtium. 3. Eſſe in libertate aperire vel non aperire. 4 Magna præmia promitti aperienti: cœnat enim Chriſtus cum illo, id eſt, primò delectatur bonis conſcientiæ ejus, ut ait Rupertus. Secundò & meliùs, dat gratiam juſtificantem, cum qua ſequuntur omnes virtutes, velut cœli fercula: Tertiò, Alcazar hoc præſertim intelligit de gratia per Euchariſtiam data.

4. *Infuſio* verò dicitur gratia, ut dixi, quia velut ſacra aqua, ſive fontana, ſive pluvialis, ſive alia in interiora mentis immittitur. Iſaiæ 55. 10. *Quomodo deſcendit imber, & nix de cœlo, & illuc ultra non revertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti. Sic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo*, &c. Verbum Dei primò, & maximè propriè, eſt illa promiſſio de dando Meſſia & gratia: Secundò, eſt Evangelium. Tertiò, Chriſtus ipſe: Quartò, gratia vocans ad fidem & virtutes. S. Aug. l. 1. de prædeſt. Sanctorum c. 19. circa med. nec quia credimus, ſed ut credamus, vocamur: atque illa vocatione, quæ ſine pœnitentia eſt, id prorſus agitur & peragitur, ut credamus. Hæc ipſe. S. Spiritum ſæpè orat Eccleſia, *infunde* lumen ſenſibus, *infunde* amorem cordibus.

5. Gratia præveniens dicitur inſpiratio in Concil. Arauſ. 2. can. 5. & 6. atque ab S. Aug. lib. de Eccl. dogm. c. 21. Initium ſalutis noſtræ, inquit, Deo miſerante habemus: ut acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt: ſic etiam nunc communiter primam cogitationem ſanctam vocamus inſpirationem: quia eſt à Spiritu ſancto, qui in faciem animæ inſpirat *ſpiraculum vitæ*. Gen. 2. 7. & fit homo in animam viventem, qui antea erat mortuus in anima. Hoc tribuit Job Spiritui ſancto c. 33. 4. *Spiritus Dei fecit me: & ſpiraculum Omnipotentis vivificavit me.* Per Spiritum intelligit 1. Deum ipſum S. Greg. & Severus. 2. Philippus intelligit Spiritum ſanctum, in Deo notat Patrem, in Omnipotente Filium. Nunc non de creatione, ſed de recreatione accipe, & Spiritui ſancto tribue, favent Sept. cùm vertunt: *Spiritus divinus eſt, qui me fecit: ſpiratio autem Omnipotentis eſt, quæ docet me:* ad pſalmum noſtrum aptius eſt, quod ait Chriſtus Nicodemo Joan. 3. 5. Niſi quis renatus fuerit *ex aqua & Spiritu ſancto*, non poteſt introire in Regnum Dei. Infuſioni jungitur inſpiratio: & verſ. 8. apertiùs, *Spiritus, ubi vult, ſpirat, & vocem ejus audis: ſed neſcis, unde veniat, aut quò vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu:* per ſpiritum accipit 1. Animam, Maldon. & Corneł. quæ vult enim corpora animat & vivificat. 2. Et melius, S. Auguſt. S. Ambroſ. & S. Greg. ſpiritum hic intelligunt Spiritum ſanctum, ubi vult, ſpirat, & fidei, virtutumque actus, quibus, & quando, & quomodo vult, inſpirat: vocem ejus audis, id eſt, vim, impulſum, & efficaciam; ut ait Ammonius, neſcis, unde veniat, aut quò vadat, neſcis, quomodo animam hominis immutet, renovet, ſanctificet: & ad quantam perfectionem perducat ex ſe naſcentem, ut dicit Gloſſa. Sic eſt omnis, qui naſcitur ex ſpiritu, id eſt, hac ratione exiſtit, fit, vivificatur, ſubſiſtit, qui in Baptiſmo renaſcitur ex Spiritu ſancto: neſcit, unde illi veniat inſpiratio, aut quò eum ducat. Philippenſes 2. 13. *Deus eſt, qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate.*

Inſpiratio illa & ejus vis benè explicabitur per id, quod accidit in die Pentecoſtes, Actorum ſecundo, verſ. ſecundo: *Factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes:* Primò, repentè fit ille ſonus, quia gratis datur, & ante omne meritum: deinde, quia celeritatem & vim maximam habet convertendi peccatores, ut in Paulo, Magdalena, latrone patuit. Secundò, è cœlo auditur, quia eſt merè ſupernaturalis, & omnes naturæ vires ſuperat: deinde ad cœlum vocat. Sanctus Joannes Apocalypſis primo, audit vocem inſtar tubæ ſe vocantem, & poſteà illi cœlum aperitur, & videt, quæ non licet homini explicare. Tertiò, eſt ſpiritus, id eſt, ventus. Græcè, πνοὴ, flatus, ventus, quia gratia ſeſe inſinuat in animam. Quartò, ventus ille eſt vehemens, ad denotandam efficaciam prædicationis Evangelicæ, ut ait D. Thomas prima parte, quæſtione quadrageſima tertia, articulo ſeptimo ad ſextum, idem potes dicere de voce interiori. Quintò, replet totam domum, id eſt cœnaculum, ut ait Cornelius, de tota domo, malim accipere: & partem inferiorem & ſuperiorem replet Dei inſpiratio. Sextò, ubi erant ſedentes, id eſt, quieſcentes, columba enim Spiritûs ſancti non ponit pedem in aquis fluctuantibus: tunc probabiliter Apoſtoli orabant, vel genu flexo, vel ſtantes, ut Judæi ſolebant. Cajetanus putat ſediſſe propriè loquendo. Septimò, apparent diſpertitæ linguæ, quia dividit ſingulis prout vult. Octavò, ſedit ſuprà ſingulos eorum, quia, quantùm eſt ex ſe, venit non neceſſarius. De cæteris gratiis cooperantibus agetur ſuo loco.

ARTICULUS X.

Vir juſtus eſt arbor bona fructum ſuum ferens, & ſuo tempore.

DEus propria manu arborem ſacram tranſplantat 85.
è terra Sodomæ, id eſt, peccati, ubi ſunt fru-

Verſ. 3. 3. Pars. Vir juſtus bonos fructus producit.

ctus cinere oppleti & fœtentes, in paradiſum ſuum, ubi fons Baptiſmi & variarum gratiarum irrigat non tantùm faciem terræ, ſed omnia cordis intima. Viciſſim vir pius Deo velut arbor bona, refundit fructus optimos. Verſu eodem 3. QUOD FRUCTUM SUUM DABIT IN TEMPORE SUO. Dabit, id eſt, feret & producet. Secundò, *dabit*, quia ſibi non producit, ſed Domino ſuo. In ejus fructibus hæc leguntur ex Pſal. 113. 9. Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Tertiò, *dabit*, non expectabit,

bit, donec excutiantur, aut evellantur, ſed ramos inclinabit per humilitatem: atque in manus & ſinum defluere ſinet, per abnegationem ſui & ſuorum commodorum.

Nempe virtutes.

Quæres primò: Quinam ſint fructus bonæ illius arboris? Reſp. cum S. Auguſt. Hugone à S. Vict. Euthym. & aliis, eſſe bona opera & virtutes. Hi ſunt fructus Solis & Lunæ, id eſt, intellectus luce cœleſti illuſtrati, & voluntatis tenebras paſſionum atque tentationum diſcutientis. Moſes Deuter. 33. 14. benedicens tribum Joſeph, ait: *De benedictionibus Domini terra ejus, de pomis cœli, & rore, atque abyſſo ſubjacente. De pomis fructuum Solis & Lunæ:* id eſt terra, in qua tribus Joſeph manebit in terra promiſſionis, habebit benedictionem in pomis, ſeu fructibus ab influxu cœli, Solis ac Lunæ naſcentibus, & pingui rore nutritis, ac fontibus è terra ubertim ſcaturientibus, atque arbores alentibus abundabit. *De vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum.* Id eſt, non tantùm habebit fructus in arboribus ad valles conſitis, ſed etiam in iis, qui ſtatuuntur in montibus & collibus, qui ſunt ab initio Mundi fertiles, & illi à Deo præparati. Nota, 1. Poma cœli influentis nutrita, ſunt charitas erga Deum. 2. Poma rore madentia, ſunt charitas erga proximum & miſericordia. 3. Poma abyſſi jacentis, ſunt humilitas. 4. Poma Solis & Lunæ, ſunt contemplatio & meditatio die ac nocte, de qua verſu primo Pſalmi noſtri. 5. Poma in montium & collium vertice ſunt animi excelſitas terram deſpiciens, & ad cœlum tendens. Deus vult à ſervis ſuis fructus à terra elevatos. 4 Reg. 19. 30. *Quodcunque reliquum fuerit de domo Juda, mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum.* Qui ſe humiliat, exaltatur. Gen. 49. 22. Jacob loquens de ipſo Joſepho ait: *Filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu.* Hebr. pro *decorus aſpectu*, habetur עלי עין *ale ajin, ſuper fontem*, ibi arbor noſtra punitur: pro, *filius accreſcens*, eſt in Hebræo, filius fructificationis, id eſt, fructificans. Accrevit ob filios ſuos Ephraim & Manaſſem, qui adoptati à Jacob conſtituerunt duas tribus in Iſraël: & quidem Ephraim fuit tribus una ex numeroſiſſimis & fortiſſimis, ex qua varii Principes, Populi & Reges extiterunt, & Samaria urbs regia decem tribuum fuit in tribu Ephraim, qui ſignificat fructificantem, & ut ait Cornelius, ad Etymon illud Jacob alluſit, cùm Joſephum ejus patrem vocavit filium accreſcentem ſeu fructificantem: malim tamen alluſum ad ipſum nomen Joſephi, quem interpretantur augmentum vel augeſcentem.

Et poma aurea.

Euthymius in Pſal. noſtr. *per fructum* intelligit *univerſas divitias*, quæ de ſpiritualibus laboribus congregantur. Hi ſunt fructus à Sapientia divina dari, de qua Prov. 3. 18. *Melior eſt acquiſitio ejus negotiatione argenti, & auri primi, & puriſſimi fructus ejus.* Alludit ad arbores, ferentes poma aurea, ut fingunt Poëtæ. Nam etiam Scriptura ſeſe accommodat vulgari modo loquendi, & aliquando ad fabulas alludit, ut de Titanibus, lamiis, & aliis, videre eſt. Vel fructus ibi ſumitur pro proventu, & ſic vertunt Chald & Pagn. *auro melior eſt proventus ejus:* ibi ſunt veræ divitiæ. S. Auguſtin. illud Matth. 12. ℣. 33. ſer. 12. tom. 10. aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam &c. ait: *Cùm ſe homo inanem invenerit meliorum bonorum, ut quid eſt avidus externorum bonorum? Ecce quid prodeſt plena bonis arca, cùm ſit inanis conſcientia? Bona vis habere, & bonus non vis eſſe? Non vides te erubeſcere debere de bonis tuis, ſi domus tua plena eſt bonis, & te habet malum?* Oſtendit deinde neminem eſſe, qui uxorem amet querulam, iracundam, caſtitatis prodigam: qui velit filium aut filiam contumaces, aut aleæ vinoque deditos: qui ſervum aut ancillam deſides & enerves: qui villam ſterilem, detritam tunicam, caligam laceram non averſatur ac reſpuat. *Et tamen*, inquit, *vis habere malam vitam. Rogo te, prapone vitam tuam caligæ tuæ. Omnia, quæ circa jacent oculis tuis elegantia & pulchra, tibi chara ſunt, & tibi ipſe vilis & fœdus es. Si tibi poſſent reſpondere bona, quibus eſt plena domus tua, quæ habere optâſti, quæ perdere timuiſti, nonne & tibi clamarent: Sicut tu nos bona vis habere, ſic & nos volumus bonum dominum. Tacita voce interpellant contra te dominum tuum. Ecce bona dediſti huic, & ipſe malus eſt. Quid ei prodeſt, quod habet, quando eum, qui omnia dedit, non habet.* Itaque quiſque ſe magis, quàm ſua inſpiciat, ut ferat fructum ſuum, non agrorum ſuorum, aut vinearum, eumque domino ſuo offerat.

86. Fructus debemus ferre.

Fructum ut feramus, hortatur nos divina Sapientia Eccl. 39. 17. *Obaudite me divini fructus* (fideles, qui eſtis filii Dei) *& quaſi roſa plantata ſuper rivos aquarum* (Baptiſmi & gratiarum) *fructificate. Quaſi Libanus odorem ſuavitatis habete.* Libanus hic poteſt primò ſumi mons Judææ, qui arboribus odoratis abundabat, ut pinis, cedris, cypreſſis, aliiſque, & ſic cenſet Syrus, cùm vertit: Odor veſter, ſicut odor Libani in cedris ſuis. Secundò, ſumi poteſt pro Thure, quod Græci λίβανον vocant, & Hebraicè *Lebona*, & quidem Tigurina habet, odore ſuavi thuris in Mundo fragrate. Tertiò, & meliùs, Libanus ſumitur pro thuris arbore, ſicut cap. 24. ℣. 21. *quaſi Libanus non inciſus vaporavi habitationem meam*, id eſt, locum, in quo ſum, nempe Eccleſiam; loquitur enim ibi Sapientia divina, quæ vaporat, id eſt, vapore odorato replet ſingulas animas fidelium, & Eccleſiam univerſam per doctrinam ſuam, miracula & virtutes, Chriſtus enim eſt Patris æterni ſapientia, quæ inſtar arboris thuriferæ dedit Orbi univerſo odorem ſuavitatis.

Cùm ſimus in terra promiſſionis.

Num. 13. 21. ait Moſes exploratoribus, quos mittebat in terram Chanaan: *Confortamini, & afferte nobis de fructibus terræ.* In terra promiſſa ſunt Sancti, ut arbores fructibus onuſtæ. Joſue & Caleb abſciderunt palmitem cum uva ſua, quem ipſi duo in vecte portaverunt; De malis quoque granatis & ficis loci illius tulerunt, & dixerunt ℣. 28. *Venimus in terram, ad quam miſiſti nos, quæ reverà fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognoſci poteſt*, ex fructibus arbor cognoſcitur, atque ipſa terra amatur; ſic Galli & Longobardi in Italiam viſis ejus fructibus tranſiêrunt. Videant Chriſtiani & Religioſi, ut bonis fructibus in terram ſuam, quæ verè eſt terra promiſſionis, alios inducant, ſuavitate & odore illectos. Dicebat ſuis Apoſtolis Chriſtus Jo. 15. verſ. 16. *Ego elegi vos, & poſui vos; ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat:* erant arbores per Orbem ambulantes, quas etiam cæci videbant, & earum fructibus guſtatis viſum recipiebant; fructus ſuos gratis carpendos offerebant, qui nunc etiam manent, & ſuaviſſimi ſunt guſtantibus. In cœlum quoque eſt ambulandum, erectis ac ſemper creſcentibus ramis noſtris, donec fructus noſtri veniant in Dei manus. Coloſſ. 1. 10. *Ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, creſcentes in ſcientia Dei:* nunquam ramos in terram inflectendo per affectus terrenos; & intentionem incorvatam.

87. Florum hic non fit mentio. 1. Quia non ſufficiunt ſola deſideria.

Nota; *Florum* non fit mentio in Pſalmo noſtro. Primò, quia Deus non eſt contentus ſolis deſideriis, opera requirit. Vir juſtus ſimilis eſt ficui, de qua Plin. lib. 16. c. 25. *Ficus non floret*, nec ulla ſe ſpecioſa ornamentorum luxurie oſtentat, ſed tamen *dulciſſimos fructus parit*, eò eſt fructus dulcior, quò minùs promittitur, & ſe oſtentat. Theophraſt. libro 2. de plantis c. 4. refert, vitem quamdam, licèt nulla emiſiſſet folia, neque ulli racemi ſperarentur, ſuaviſſimum tamen fructum protuliſſe. Secundò, ipſi flores in juſto fructus ſunt. Eccl. 24. 23. *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris* (in Romana, ſimilis ſum viti germinanti gratiam) *flores mei fructus honoris & honeſtatis:* Græca Romana, & Tigur. Latina, *Flores mei fructus gloriæ ſunt, &*

2. Ipſi flores fructus.

divitiarum, πλούτου habent Septuaginta, id eſt, divitiarum. Syrus, frondes ſplendoris & decoris, id eſt, ſplendidæ & decoræ. Hanc vitem de Chriſto ſumit Rabanus. 2. De Deipara S. Hildephonſus ſermone 1. de Aſſumptione, benedictus eſt fructus ventris ejus. 3. De anima qualibet facta dici poteſt. Pro omnibus Mundi regnis fructus illos ne perdas; hoc diſce apologo Joatham filii Gedeonis,

Judi-

Judicum 9. fingit omnes arbores detuliſſe regnum olivæ, ſed eam id renuiſſe, cùm diceret, ſe non poſſe deſerere pinguedinem ſuam, qua & dii utuntur, & homines: deinde rogatam ficum ut acciperet, dixiſſe: numquid poſſum regnum deſerere, dulcedinem meam, fructuſque ſuaviſſimos, & ire, ut inter cætera ligna promovear? Denique vitem quoque eodem oblato regno reſpondiſſe ℣. 13. *Numquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoveri?* Quæ, quantumvis ſeſe ineurvent, ligna ſunt, & caduca, atque in flammas ut plurimùm abjicienda. Nota primò cum noſtro Tirino, arborem hîc eſſe hominem, ſed inverſam, & conſilii ac rationis capacem. *Oliva*, inquit, *ficus, vitis* inter bonas laudataſque arbores omnium præſtantiſſimæ & fœcundiſſimè, deſignant homines imperio omni ex parte dignos; ſed qui zelo perfectioris cultûs Dei, & ſtudio propriæ ſalutis, illud contemnunt, ſibique vacare præoptant. Nota ſecundò, vinum qui eſt fructus vitis, *dici lætificare Deum* & homines, quia in ſingulis ſacrificiis addebatur libamen vini, cujus pars Deo offerebatur, pars dabatur ſacrificanti. Num. 15. 5. *vinum ad liba* (libamenta) *fundenda ejuſdem menſuræ dabit in holocauſtum ſive victimam.* Aſſignatur deinde, quantum in agnos ſingulos, & arietes, & boves atque hædos ſit offerendum. Ritum portò libationis refert Abulenſis, laicus offerens victimam & libamina, domi ſuæ in farinam victimæ ſuæ præſcriptam ſuperfundebat oleum, non poterat enim hæc farina Deo libanda miſceri aqua: nam ſic habita fuiſſet immunda & inepta ſacrificio, ſed oleo miſcenda erat. Tum farinam ità commiſtam offerens afferebat ad ſanctuarium, unà cum vini menſura hîc præſcripta, tradebatque ea ſacerdoti, qui accipiens effundebat vini partem in victimam cremandam, ut colligere licet verſ. 5. & cap. 28. 14. atque ex ſimila tollebat pugillum, quem cremebat ſuper altare: reliquam verò ſimilem & vinum in ſuos uſus ſervabat. Libamenta enim ſemper maxima ex parte cedebant ſacerdoti, etiam in holocauſtis. Nota tertiò, vinum æquali menſura offerri in holocauſtum & in pacificam victimam, quia, licèt diverſa ſit oblatio, ſemper eadem in offerendo alacritas eſſe debet.

83. Quæres ſecundò: Quænam arbor fert *fructum ſuum?* Reſpondeo, quæ fert naturæ ſuæ conformem: neque enim à pyro hoc exigamus, ut dureſcat in nucleum, neque à rubo, ut malegronata aut ceraſa nobis fundat Geneſ. 1. 12. *Protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, habens unumquodque ſementem ſecundùm ſpeciem ſuam*, *vere* protulit terra herbas & arbores die tertia creationis, ut rectè ait S. Baſilius & Ambroſius in Hexaëm. non verò ſolùm accepit vim, plantas producendi, ut videtur velle S. Aug. lib. 5. de Geneſ. ad lit. c. 4. & 5. & lib 8. c. 3. nota ex Suareſio tract. de opere ſex dierum lib. 2. cap. 7. num. 16. in omni loco terræ fuiſſe plantas productas in ſtatu perfecto ſingulis regionibus accommodato pro illo tempore anni, in quo talis regio terræ facta eſt, atque eſſe incepit. Atque ita, ubi erat hyems, plantæ habuerunt illam perfectionem, quam in hyeme naturaliter habere poſſunt. & ſimili modo de cæteris tribus temporibus anni. Tu operare ſecundùm gratiam tibi datam, ſive in frigore ſis, ſive in ardore, vide, ut maneas in ſtatu perfecto illi diſpoſitioni apto. S. Ambr. admirans homines velut infrugifera & ingrata ſenticeta in Mundi medio, undique flores & fructus fundentis gemebat lib. 3. Hexaëm. cap. 7. *Herba generi reſpondet ſuo, tu non reſpondes tuo generi. Tritici granum ſparſum terra generis ſui gratiam reddit, & tu degeneras? Fruges non adulterant ſui ſinceritatem ſeminis, tu adulteras puritatem animæ, vigorem mentis, corporis caſtitatem: Non agnoſcis opus eſſe te Chriſti?* Itaque, fructus Chriſti charactere, id eſt, cruce, inſignes funde, & omnium virtutum flores. S. Chryſoſt. in Pſ. 138. ait, virtutis fructus διηνεκεῖς, ἀνθοῦντας, καὶ μηδέποτε μαραινομένους, eſſe conſtantes, & perpetuò florentes, neque unquam marceſcentes: eſſeque bona immortalia & ab interitu omninò aliena.

2. Fructum ſuum fert, qui fert naturæ ſibi datæ conformem.

Tres fructus in S. Benedicto, arbori ſecus decurſus aquarum plantatæ comparat, reperitque S. Bernardus ſerm. de illo: primò, ſanctitatem: ſecundò, juſtitiam: tertiò, pietatem. Sanctitatem, inquit, miracula probant, doctrina pietatem, vita juſtitiam. In Chriſto eoſdem tres fructus notat. Paſcit enim vitâ, paſcit doctrinâ, paſcit interceſſione.

Tres fructus à S. Bernardo aſſignati.

S. Thomas in Pſ. noſtr. decem Sanctorum fructus animadvertit, velut ſacrum decalogum non in tabulis lapideis, ſed in cordibus & ſcriptum & fructificantem, ac florentem inſtar virgæ Aaronis poſitæ propè aram, tabulas legis continentem, *ubi turgentibus gemmis eruperunt flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Num. 17. 8. Nota virga hæc Aaronis diverſa fuit à virga Moſis, fuit ex amygdalo, ſicut & aliorum 12. Principum, ut ait S. Cyrillus in Catena, deſumptam fuiſſe ex arbore, cujus in ligno ſanatæ ſunt amaræ aquæ, per Moſem opinatur, aut potiùs fingit, R. Simeon apud Galatin. lib. 6. c. ult. atque eam arborem exciſam fuiſſe Angelorum manibus ab arbore vitæ, quæ erat in paradiſo. 3. Primò erupuit in gemmas ſeu buccas: ſecundò in flores: tertiò, in fructus. 4. Abulenſis cenſet virgam hanc non fuiſſe poſteà ſiccatam, ſed ſemper manſiſſe cum floribus, aut veriùs cum fructibus: quia fuit perenne monumentum & teſtimonium apud poſteros tanti miraculi. Itaque, licèt ſis lignum aridum, & virga aliis noxia ob nimiam ſeveritatem, de miſericordia Dei ne deſpera, florere adhuc potes, & fructus facere ſemper duraturos. Sed ad S. Thomam redeamus. Sancti, ait, fructificant: Primò, per ſapientiæ contemplationem. Eccleſ. 6. verſ. 19. *Quaſi is, qui arat, & qui ſeminat, accede ad eam, & ſuſtine bonos fructus illius.* Secundò, per charitatis fervorem. Canticorum 5. 1. *Veniat Dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.* Tertiò, per laudis confeſſionem. Hebr. 13. 15. *Per ipſum offerimus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Quartò, per melioriam operationem. Pſ. 84. 13. *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Quintò, per proximorum converſionem. Jo. 15. 16. *Ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Alios deinde quinque fructus aſſignat idem S. Doctor: primò, per carnis integritatem. Apocalypſ. 14. 1. *Virgines enim ſunt, & ſequuntur agnum, quocumque ierit:* Secundò, per cordis intentionem. Philipp. 3. 12. *Sequor autem, ſi quo modo comprehendam:* Tertiò, per tribulationis paſſionem. 1 Petri 2. verſ. 21. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Quartò, per mandatorum obſervationem. Jobi 23. 11. *Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus, viam ejus cuſtodivi, & non declinavi ex ea:* Quintò, per gloriæ receptionem. Eccl. 23. 38 *Gloria magna eſt ſequi Dominum: Longitudo enim dierum aſſumetur ab eo.*

Decem à S. Thoma.

Secundò, ex his infer hominem ferre *fructum ſuum*, cùm fert fructum rationalem: Chriſtianum verò, cùm fructus ſupernaturales atque ex gratia Chriſti procedentes. Religioſum, cùm regulis ſuis conformem dat. Ad varia in Eccleſia officia tum Eccleſia tum laica potes deſcendere. Fructum funde, quem ex officio teneris profundere, & da illum liberaliter Deo & proximo, ſic dabis fructum tuum.

2. Hominis fructus rationalis.

Tertiò, dat *fructum ſuum*, qui dat gratiæ ſibi datæ & viribus ſuis proportionatum. Romanorum 12. 3. *Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* S. Chryſoſt. & Syr. ad modeſtiam, id eſt, humilitatem: ſuperbus enim, ut ait S. Chryſoſtomus, quovis demente furioſior eſt. S. Iren. libro 5. capite 20. ad Prudentiam. Græc. eſt, εἰς τὸ σωφρονεῖν, ita ut ſim ſanæ mentis: σωφρονεῖν enim opponitur μαίνομαι, inſanio, apud Platonem de Republ. libro 1. ſumitur ab Æſchine pro prudenter ſe gerere. Ebrius eſt, qui ſupra vires vult ſapiens videri & eſſe. Pergit Apoſtolus, *unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei*, primò, ſicut unicuique diſtribuit Deus menſuram fidelitatis, id eſt, talenta, functiones & gratias, ut ait Toletus: ſecundò, ut contineat ſe intra menſuram & terminum ſibi à fide divina præſcriptum, ut S. Ire-

3. Sit gratiæ datæ proportionatus.

næus exponit: tertiò, ut non ſe extendat ultra menſuram chariſmatum ſibi conceſſorum, v. g. Prophetiæ, explicationis ſermonum, doni linguarum, exhortationis, aliorumque donorum, præſertim æternorum: operetur etiam ſecundùm latitudinem gratiæ ſibi conceſſæ, & non ultrà agere ambiat, officio quoque ſibi impoſito ſe accommodet, atque extra ejus limites non evagetur, ſic erit *rationabile* ejus *obſequium*, quod Paulus poſtulat verſu 1. Rationabile tu, *i.* ut ait S. Chryſoſtomus, Photius, & Cornelius, id eſt, nec carnale, ut Judæorum, nec irrationale, ut Gentilium. 2. Rectò conſilio & circumſpectè Dei voluntatem exequendo, ut explicat ſanctus Baſilius in brev. reg. 230. Tertiò, ut facti poſſis rationem reddere, ſicut ait S. Anſelmus: Quartò, ut moderatum & non cum nimia corporis afflictione, ut S. Thomas. Hæc omnia rependes Deo ex menſura gratiæ datæ, virium corporis, & ex officii rerumque gerendarum variis circumſtantiis: ſic fructus tuus manebit. Ut enim ait S. Bernard. ſerm. 49. in Cant. *Diſcretio eſt moderatrix & auriga virtutum, affectuum, morum: omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem, & perpetuitatem. Tolle hanc, virtus vitium erit.* Non omnis fert omnia tellus.

4. Nihil ſibi de aliorum fructibus arroget. Quartò denique, *fructum ſuum* ferunt, qui non ferunt alienum, nec aliorum bona opera ſibi arrogant, aut per hypocriſim fingunt ſe habere fructus, quos non habent, mentito vultu, formata ad pietatem facie, aut etiam veſte aſſumptâ religioſâ. S. Bern. in ea eſt mente ſerm. de S. Benedicto: *Arbores,* ait, *quæ fructum ferunt, ſed non ſuum, hypocritæ ſunt, cum Simone Cyreneo crucem portantes non ſuam, qui religioſa intentione angariantur: & quæ non amant, facere compelluntur.*

89. Hinc ſequitur nos cooperari gratiæ Dei. Nota, ex hoc loco poſſe oſtendi, juſtos cooperari gratiæ divinæ: quia, ſi non cooperantur, non dant fructum *ſuum*. S. Bern. opuſc. de gratia & libero arbitrio docet, noſtro conſenſu nos eſſe coadjutores & cooperatores Spiritûs ſancti, & promeritores regni. S. Proſper lib. 2. de vocatione gentium c. 26. ait, voluntatem hominis ſubjungi atque conjungi gratiæ prævenienti & excitanti. Gratiæ operantis & cooperantis meminit Concil. Arauſ. 2. can. 9. qui ex ſent. 22. S. Auguſt. ſumptus eſt: *Quoties*, inquit, *bona operamur, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur.* Idem S. Doctor. lib. de gratia & libero arbitr. c. 17. *Ut velimus, ſine nobis operatur: cùm autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum operatur.* Et lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. c. 8. *Multa,* inquit, *in homine bona fiunt, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non præſtet Deus, ut faciat homo.* Ubi vides & gratiam operantem & cooperantem, quas S. Thom. 1. 2. q. 111. art. 2. ad 4. docet, idem eſſe ſecundùm rem, & differre ſecundùm rationem & ſecundùm effectus; & ſimiliter prævenientem & ſubſequentem. Eadem enim vocatio, & cogitatio ſancta, ac primus voluntatis motus ſubitus, dicitur gratia operans, præveniens & excitans, quatenus conſenſum noſtrum antecedit: dicitur verò cooperans, comitans, ſubſequens, adjuvans, quatenus permanens in nobis efficit nobiſcum conſenſum. Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 5. docet, exordium juſtificationis ſumendum eſſe à gratia præveniente, ac ſubdit: Hoc eſt ab ejus vocatione, ut per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam eidem aſſentiendo & cooperando liberè diſponantur.

Aquæ tollentes ſterilitatem & inſaniam. Nota ſecundò, ſicut in Campania regione, Sinueſſanæ aquæ, ſterilitatem fœminarum & virorum inſaniam abolere produntur, teſte Plin. lib. 21. c. 1. ita eſſe certas aquas gratiarum, quibus animæ irrigatæ peccata à ſe amovent, & virtutum fructus ferunt. Duplex enim eſt gratia præveniens: prima efficax, quæ ſemper effectum habet in nobis; ſecunda, inefficax, quæ poſſet habere effectum, non habet: utriuſque meminit S. Auguſt. lib. de corrept. & gratia c. 11. circa medium: *Iſtam gratiam nunquam habuit primus homo, quâ nunquam vellet eſſe malus: & ſine quâ etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet, ſed eam tamen per liberum arbitrium deſerere poſſet.*

Gratia efficax eſt cauſa fructûs. Quo quid apertius? Innumeros autem efficacis gratiæ effectus animam irrigantis confert cum aquæ effectibus: cùm enim una ſit, quid non facit? Audi S. Baſil. lib. 5. in Hexaëm. *Una aqua,* inquit, *per radices attracta, alio modo radices, alio candicis corticem, alio lignum, alio medullam eadem & folium fit, & in ramos denſiores alit: ſurculoſque dividitur, & incrementa frugibus præſtat: lacryma denique ſuccique ſtirpis eadem ex cauſa manant, quorum quantum ſit inter ſeſe diſcrimen & differentia, quis oratione conſequi poſſit? Aliud eſt enim Lentiſci lacryma, aliud Balſami ſuccus, Ferula inſuper quædam tam in Ægypto, quàm in Africa, diverſum ſucci genus illacrymantur. Fertur & Succinum ſuccum ſtirpium eſſe, in lapidis naturam concretum. Ab eodem rurſum humore, in vite quidem vinum, in olea oleum conflatur: Eadem aqua nunc lenis eſt ſenſui, cùm in aliis plantis educata fuerit: nunc contra pungit guſtum, cùm per alias deducta ſtirpes exacuerit, nunc in ſummum amarorem verſa ſenſum exaſperat, cùm in abſynthium aut Scammoneam pervenerit: atque in glandibus quidem ac cornis, in aſtringentem acerbamque vertitur qualitatem: in terebinthis autem atque juglandibus nucibus ad molliuſculam quamdam oleique æmulam naturam mutatur. Sed quid opus eſt remotiora afferre, cùm eadem in ficu contrarias miſceat in qualitates. Eſt enim in ſucco quidem ſummè amara, in fructu autem ſummò dulcis. Et in eadem itidem vite, in flagellis & ramis aſtringentiſſima natura eſt, in racemis autem ſuaviſſima. Quot præterea differentiæ ſunt colorum? Eandem in pratis aquam conſpexeris hoc in flore rubeſcentem, in alio purpuream, & in hoc cæruleam, in alio albidam. Quin eſt, longe plures odorum ibi differentias efferentem inveneris, quàm ſint ipſa varietates differentiæque colorum.* Hæc aliæque Baſilius. Sed longè majora atque admirabiliora in Dei gratia videre, & admirari poſſumus. Cùm enim in animum fortem inciderit, qualem fortitudinem in ignibus, rotis & eculeis perferendis oſtendit? Cùm in teneriorem venerit, quas devotionis lacrymas, & pietatis ſenſus exprimit? In hoc lilium fit caſtitatis, in illo charitatis roſa, in alio viola humilitatis, in alio arbor excelſa conſtantiæ & magnanimitatis, in omnibus denique fit omnia, & ſine illa omnia fiunt nihil. Nam, ut ait S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 9. cùm nullum agens ſecundum agat, niſi in virtute primi, ſitque caro ſpiritui perpetuò rebellis: non poteſt homo, licèt jam gratiam conſecutus, per ſeipſum operari bonum, & vitare peccatum, abſque novo auxilio Dei ipſum monentis, dirigentis & protegentis: quamvis alia habitualis gratia, ad hoc ei neceſſaria non ſit.

Quæres tertiò: quænam arbor fert fructum *tempore ſuo?* Reſp. primò, totum tempus vitæ eſſe tempus noſtrum: poſt vitam verò, eſſe Dei tempus, in quo arbores bonas ad cœleſtia viridaria transferet continuis fructibus coronandas, malas verò & aridas in flammam conjiciet perpetuò arſuras: itaque dic eum ferre fructum tempore ſuo, qui, dum vivit, benè operatur. Ad hoc Paulus hortatur Galatas c. 6. 10. *Ergo, dum tempus habemus, operemur bonum.* 90. Homo debet ferre fructum tempore ſuo, id eſt, Primò, tempore vitæ ſuæ. Tempus eſt ſervus fugitivus, eo utendum eſt ſtatim, ut datum eſt nobis: alas habet, continuò avolat: citò è manibus noſtris effluet. Apoc. 10. 6. *Juravit Angelus per viventem in ſæcula ſæculorum: quia tempus non erit amplius.* Senſus eſt ad literam poſt finem mundi, qui eſt proximus, non erit amplius tempus propriè dictum, qui ex Ariſtot. eſt numerus, id eſt, menſura, motus primi mobilis ſecundùm prius & poſterius: ceſſabit quoque motus omnium aliorum cœlorum & aſtrorum. Tropolog. verò monemur, tempus vitæ eſſe diligentiſſimè expendendum. Primò, quia eſt breviſſimum. Pſ. 89. 9. *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.* Hebr. *anni noſtri, ſicut meditatio*, aut cogitatio. S. Hier. vertit, *quaſi ſermo*, id eſt, celeres ſunt, & tam citò effugiunt, quàm cogitatio aut vox prolata: vel ſenſus eſt, ut ait Bellarm. Anni noſtri nihil ſunt, niſi quædam continua exercitatio & laborioſa meditatio: ſicut aranea totâ vitâ ſuâ exercetur in texendis telibus, cum propriæ ſubſtantiæ conſumptione. De ea re agemus

1. Quia tempus illud eſt breviſſimum.

2. Irrevocabile. mus ibi fuſiùs. Secundò, quia tempus amiſſum eſt irrevocabile, Eccl. 9. 10. *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare.* Syr. in fortitudine tua fac. Veneta, pro virili tua. Brylin. ſecundùm potentiam tuam. Hebr. in virtute tua. Sept. prout virtus tua. Vox Latina *inſtanter*, denotat omnem cunctationem & retardationem eſſe amovendam. Ratio redditur: *quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Ratio non eſt apud inferos Græcè habetur, λογισμὸς, id eſt, cogitatio & æſtimatio rei, atque deliberatio faciendi. Vox עשבון *Eſebon*, ſignificat etiam æſtimationem & computationem: nec poſſumus lucrari, computare ſumptus noſtros, ut villicationis fructus Domino oſtendamus, poſt mortem non licebit ampliùs villicare. Tertiò, quia vita momentum breve eſt, ſed unde pendet æternitas: itaque, ſedulò theſauri noſtri & granaria complenda ſunt. *3. Inde pendet æternitas.* Imitanda eſt formica, de qua Sapiens Prov. 6. ℣. 6. *Vade ad formicam, ô piger! Et conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam.* Sept. *Eſto illa ſapientia.* Majora quæris bona, quære adhuc diligentiùs: ſaltem, ut habent Chald. & Syr. *Similis eſto formicæ*, & conſidera, &c. Arabs placet, cùm pigrum vocat impotentem: *O impotens! vade ad formicam*, &c. Pigritia facit impotem mentis, & in actione impotentem, diligentia omnia poteſt, & labor improbus omnia vincit. Pergit Salomon ℣. 7. *Quæ, cùm non habeat ducem.* Sept. agellum. Chald. meſſem. *Nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat.* Lege S. Baſilium homil. 9. Hexaëm. formicam putat dici S. Iſidor. & Aldrovrandus lib. 5. de inſectis, quaſi ferentem aut forantem, id eſt, perforantem, micas. Hebr. dicitur *nemala*, quaſi incidens, quia incidit grana, ne germinent: Nunc tempus meſſis eſt, atque miſericordiæ. S. Auguſtinus tom. 10. ſerm. 28. c. 5. *Tempus eſt miſericordiæ, ut corrigamur: nondum venit dies judicii: locus eſt, ſpatium eſt. Peccavimus, corrigamur. Nondum finita eſt via, nondum clauſus eſt dies, nondum expiratum eſt; non deſperetur, quod pejus eſt.* Cùm mortis hyems folia excuſſerit, nihil eſt, cur de fructibus cogitemus. Neque enim arbores meſſem ſuam explicant, cùm campi nivibus inhorreſcunt, cùm fluvii denſantur in gelu, ramique omnes frigore rigeſcunt: ſed cùm mitior lætiórque ſe tempeſtas aperit. Itaque, jure Aretas fructum ait dari *tempore ſuo*, cùm eſt tempeſtiva vitiùs: ſeu, ut ait Chald. *Cùm fructus matureſcit in tempore ſuo:* poſteà enim tempus fructuum non erit ampliùs, ſed frigus & ſtridor dentium, fruſtrà ſine cibo in æterna fame frendentium. Oculos aperiamus, dum lucem habemus, ne tenebræ nos comprehendant, flens JEſus perituræ Jeroſolymæ dicebat, Luc. 19. 42. *Si cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua:* dum tecum eſt Sol Chriſtus, & ſe tuum facit, luciſque ſuæ uſuram concedit; & per lucem, ardorem, quo fructus dignos pœnitentiæ facere poſſis, *quæ ad pacem tibi.* Pax apud Hebræos omne bonum tam corporis, quàm animi complectitur. Eſt Apoſiopeſis. poſtquam enim dixit: Si cognoviſſes, &c. nihil ſubdit; ſed ſupple cum Euthymio, tu me audires, & in me crederes. Sceleratus hanc vitam putat diem ſuam, in qua deliciæ amandæ ſint, & voluptas ſit quærenda; ſed, ut ait S. Greg. homil. 39. in Evangel. *Pacem habet in die ſua, qui grave damnationis ſcandalum in die habebit aliena*; dies enim judicii vocatur dies Domini: ſed ſapientiùs age, fac vitam hanc diem tuam, in qua ſit lux virtutum, & opereris, dum dies eſt, ut moriaris plenus dierum, non verò noctium, in quibus dominantur principes tenebrarum.

2. Fructus ſuo tempore fertur, cùm nec nimis præcox eſt. Reſp. ſecundò, & meliùs, arbor, id eſt, homo, *fert fructum tempore ſuo*, cùm, prout temporis, perſonarum, atque negotiorum circumſtantiæ exigunt, virtutes exercet. Ne ſint fructus nimis præcoces, nec nimis tardi.

Præcoces primò rejiciuntur, Deut. 15. 19. *Non operaberis in primogenito bovis, & non tondebis primogenita ovium.* Omnia enim primogenita Deo debebantur, ovium, caprarum, & boum, eráque ipſi offerenda, & primogenitum aſini redimebatur ove. Philo in principio lib. de ſacerd. honor. tradit etiam primogenita equorum, & camelorum fuiſſe jure Divino redimenda, Exod. 13. 12. dicitur: *Separabis omne, quod aperit vulvam, Domino: & quod primitivum eſt in pecoribus tuis, quicquid habueris maſculini ſexûs, conſecrabis Domino:* ſed Philo rejicitur ab Abulenſi, Suarez & Barrad. Ovis autem primogenitum cum ſua lana offerebant, Deo enim & interiora & exteriora debentur. Ad rem noſtram S. Greg. lib. 8. Moral. 4. *Moſes*, ait, *hic vitam inchoantium humanis occupationibus exerceri prohibuit, in primogenito quippe bovis operari, eſt bona converſationis primordia, in exercitio publicæ actionis oſtendere. Ovium quippè primogenita tondere, eſt ab occultationis ſuæ tegmine, humanis oculis inchoantia bona opera noſtra denudare. Cùm ergo vita noſtra ſimplex, quid atque innocuum inchoat, dignum eſt, ut ſecretò ſui velamina non relinquat, ne nudum hoc humanis oculis quaſi ſubducto vellere oſtendat.*

Sed ut ab arboris ſimilitudine non recedamus, quanta mala ex præcipitatione oriantur, explicabis commodè loco Iſai. c. 18. 5. *Ante meſſem totus efflornit, & immatura perfectio* (immaturi ſurculi & ramuſculi in ſe quidem erunt perfecti, ſed fructus maturos non fundent) *germinabit, & præcidentur ramuſculi ejus falcibus: & quæ derelicta fuerint, abſcindentur & excutientur. Et relinquentur ſimul avibus montium, & beſtiis terræ, & æſtate perpetuà erunt ſuper eum volucres, & omnes beſtiæ ſuper illum hiemabunt.* Datur ibi cauſa cladis Æthiopum, quando Tharaca eorum Rex ingenti exercitu accurrit, ut Aſſyrios profligaret. Præproperè enim gloriabantur, & ſe jactabant præſertim juvenes; ſed ramuſculi illi præciſi ſunt falcibus, id eſt, gladiis Aſſyriorum, qui cum Rege ſuo Sennacherib iis obviam iverunt, eoſque profligârunt. S. Bern. in ardentibus zelo indiſcreto initio converſionis præcipitem illam fructificandi cupiditatem reprehendit his verbis: Nonne in arboribus noſtris citiùs, quàm oportet, pullulantibus timemus floribus intempeſtivis? Sic ſunt aliqui, quorum fructus, quia *nimis properè, minùs proſperè* oriuntur. Hi ſunt, qui in initio converſionis ſuæ aliis fructificare continuò velle præſumunt.

Secundò, tardi quoque fructus rejiciendi ſunt. Volebat ſibi Deus primitias arborum offerri. Præcipitur Lev. 19. 23. *Quando ingreſſi fueritis terram, & plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto autem anno omnis fructus eorum ſanctificabitur laudabilis Domino. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma, quæ proferunt, ego Dominus Deus veſter.* Tria ibi nota: Primo, tribus primis annis fructus arborum abjici, quia ſunt nimis aquoſi & indigeſti, ut ait Abulenſis: in quo figuratur, initio converſionis potiùs verſandum in propria abnegatione & mortificatione, quàm in aliis operibus virtutum, ac præcipuè contemplationis. Præputia porrò arborum primi fructus vocantur, alludendo ad circumciſionem, in qua, donec præputium abſciſſum eſſet, puer cenſebatur immundus: ita donec fructus trium annorum abjecti eſſent, ac velut circumciſi, arbor immunda putabatur. Secundò, fructus anni quarti Deo conſecrabantur; vult enim ſibi Deus offerri primitias laborum noſtrorum, priuſquam de nobis cogitemus. Tertiò denique, fructus anni quinti & cæterorum cedebant in uſum dominorum, quia tandem ex laboribus nobis oritur ubertas & ſuavitas. Nota 4. Semper Judæos dediſſe ſingulis annis decimas fructuum ſuorum Deo, id eſt, Levitis & Sacerdotibus Dei vices gerentibus, Levit. 27. 30. *Omnes decimæ terræ, ſive de frugibus, ſive de pomis*, (Hebr. *de fructu* עץ *es, arboris*, id eſt, arborum, arboris cujuslibet: poma enim ſumuntur pro omni fructu) *Domini ſunt, & illi ſanctificantur*: debent ſanctificari, & offerri, ut cedant in uſum ejus miniſtrorum. *Nec nimis tardus.*

Sumus inſtar arborum in pendenti rupe conſitarum, quarum vix una fibra pondus ſuſtineat: ventis & imbribus objecti in horas & momenta ruinam expectamus, itaque non eſt fructus differendus.

rendus. Seneca epiſt. 101. *Quàm ſtultum eſt, ætatem diſponere, ne craſtino quidem dominamur. O quanta dementia eſt ſpes longas inchoantium! Emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram, tum demùm laſſam & plenam ſenectutem in otium referam. Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia ſunt. Nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere. Idquoque, quod tenetur, per manus exit, & ipſam, quam premimus, horam caſus incidit. Volvitur tempus ratâ quidem lege, ſed per obſcurum. Quid autem ad me, an naturâ certum ſit, quod mihi incertum eſt?* Aperit deinde, quàm in dubio fluctantes ſalo, ac proximi naufragio, de incertis ac longè poſteà eventuris ſtatuamus. Longas, ait, navigationes & peteratis littoribus alienis ſeros in patriam reditus proponimus. Militiam & caſtrenſium laborum tarda manupretia, procurationes, officiorúmque per officia proceſſus diſponimus; cùm interim ad latus mors eſt, quæ, quoniam nunquam cogitatur niſi aliena, nobis ſubinde ingeruntur mortalitatis exempla, non diutiùs, quàm dum miramur, hæſura. Quid autem ſtultius, quàm mirari id uno die factum, quod omni poteſt fieri? Stat quidem terminus nobis, ubi illud inexorabilis fatorum neceſſitas fixit, ſed nemo ſcit noſtrûm, quàm propè verſetur. Ex his propemodùm Chriſtianè concludit: *Sic itaque formemus animum, tanquam ad extremum ventum ſit. Nil differamus, quotidie cum vita paria faciamus. Maximum vitæ vitium eſt, quod imperfecta ſemper eſt, quod etiam aliquid ex illa differtur. Qui quotidie vitæ ſuæ extremam manum impoſuit, non indiget tempore.* Noli eſſe ſimilis illi arbori Ægypti, quæ, ut ait Theophraſtus, lib. de plantis, c. 21. nullum fructum affert, niſi ἑκατοστῷ ἔτει, anno centeſimo: Bis dat, qui citò dat, ut vulgaris fert parœmia.

Arbor dans fructum anno centeſimo.

92. Fructus totâ vitâ dandus eſt.

Tertiò, Interruptio quoque in dandis fructibus Deo non placet: de Tobia ſeniore habes Tob. 2. 13. *Cum ab infantia ſua ſemper Deum timuerit, & mandata ejus cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis evenerit ei: ſed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ.* In hyeme tribulationis etiam majores fructus tulit, quàm in vere proſperitatis. Meditabatur in lege Domini die ac nocte, ac cæcus & videns, dicebat filio ſuo Tobiæ, c. 4. 6. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum*, in cogitatione & memoria, ut ait Tirinus. Secundò, exiſtens in gratia habes Spiritum S. perſonaliter & ſubſtantialiter novo & mirabili modo in te habitantem, vide, ne tam pretioſum fructum perdas, *Et cave, ne aliquando peccato conſentias, prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.* Si Spiritum S. perdas, plurimos gratiæ ſanctificantis & virtutum fructus, qui eum conſequuntur, & ab eo conſervantur, perdes, Galat. 5. 22. *Fructus autem Spiritûs eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas*, χρηστότης, (humanus, ſuavis & benignus affectus) *bonitas* (ἀγαθωσύνη, beneficentia, beneficus affectus) *longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia*, (à cibo & potu nimio, id eſt, temperantia, ut Vatablus vertit: vel à Venere ac libidine, ut S. Anſelmus: vel potiùs, ab omni vitio) *caſtitas*, quæ differt à continentia: quia continentia in luctamine eſt, caſtitas in pace, ut loquitur S. Anſel. Nota, 1. illos fructus Spiritûs S. ſeu virtutes enumeratas dupliciter poſſe conſiderari: 1. Ut ſunt ab homine. 2. Ut ſunt à Spiritu S. Si operatio hominis procedat ab homine ſecundùm facultatem ſuæ rationis, ſic dicitur eſſe *fructus rationis*: ſi verò procedat ab homine ſecundùm altiorem virtutem, quæ eſt virtus Spiritûs S. ſic dicitur eſſe operatio hominis *fructus Spiritûs Sancti*, quaſi cujuſdam Divini ſeminis, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 70. a. 1. convenienter aſſignari illos duodecim fructus ab Apoſtolo, probat ingenioſè art. 3. illum lege. Nota 2. Omnes virtutes eſſe fructus Spiritus Sancti, ſed dici fructus ratione delectationis, non ratione habitûs. Ut enim ait idem S. Doctor 2. 2. q. 136. art. 1. ad 3. fructus in ſui ratione importat quamdam delectationem. Sunt autem operationes virtutum delectabiles ſecundùm ſe ipſas, ut dicitur lib. 1. Ethic. cap. 8. Nota 3. Fructus Spiritûs Sancti propriè dici virtutum ipſos actus, ut habes 1. 2. q. 70. a. 1. Itaque operare, ſi vis fructus habere: & operare ſemper, ut Deo fruaris in æternum. Animam ſanctam comparare poſſis hortis Alcinoi, de quibus Homerus Odyſſ. 9. Ex his, ait, οὔποτε καρπὸς ἀπόλλυται, nunquam fructus perit, neque deficit hyeme aut æſtate, toto anno durans: ſed ſanè ſemper Zephyrus ſpirans, hæc quidem creſcere facit, alia autem matureſcere, pyrum poſt pyrum ſeneſcit, malúmque poſt malum: porrò poſt uvam uva, ficus autem poſt ficum. Vel unica juſti anima eſt hortus integer, ubi habitus ſunt arbores, & actus ſunt fructus: toto anno ibi ſunt fructus, quia eò non penetrat Aquilo & hyems; clauſus eſt enim hortus, Cant. 4. 12. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus:* bis clauſus eſt, quia in animo & in corpore eſt clauſus. Murus autem ita altus eſt, ut ventus eò non penetret. De Paradiſo cœleſti dicitur Apoc. 21. 16. Civitas in quadro poſita eſt: *longitudo, & altitudo, & latitudo ejus æqualia ſunt.* Dicitur autem, quòd Angelus arundine aureâ menſus eſt longitudinem & latitudinem per ſtadia duodecim millia, id eſt, per mille & quingenta milliaria; itaque altitudo quoque extenditur ad 1500. milliaria: quis igitur hoſtis aut turbo in eam civitatem penetret? Itaque in medio plateæ ejus & ex utraque parte fluminis eſt lignum vitæ, (id eſt, variæ arbores vitæ) afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum; Cum aliqua proportione de paradiſo terreſtri, hoc eſt, de anima ſancta, loquere. S. Thom. 1. 2. q. 70. a. 3. in Corp. comparat fructus duodecim arboris vitæ à Joanne viſæ, Apoc. 22. 2. Murus eum paradiſum cingens altiſſimus eſt. Deus ipſe ait, Zach. 2. 5. *Ego ero ei murus ignis in circuitu*, faciet ſuo calore & luce fructus matureſcere, frigus non amat: unde inclamat verſ. 6. *O! ô fugite de terra Aquilonis*, id eſt, de Babylone capienda à Dario, Medo & Cyro: ſic dicit Sponſus Divino amore æſtuans, & horti ſui fructibus providens, Cant. 4. 16. *Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum: & fluant aromata illius.* Surge, id eſt, abi, fuge, avola, ut explicant S. Nilus, S. Maximus, S. Greg. Papa, & alii: Theodoretus & multi recentiores Interpretes hæc verba tribuunt Sponſæ: meliùs Sponſo tribue cum Delrio, hortum autem ſuum vocat ſponſam, quam ſuprà dixerat hortum concluſum, Cap. autem 5. 1. Sponſa invitat Sponſum ad eſum fructuum ſuorum ab Aquilone ſervatorum. *Veniat Dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.* Fructus pomorum, id eſt, poma, quæ ſunt fructus. 1. Dederat poma, quæ ſereret, ex illis ortæ ſunt arbores, & ex arboribus alia poma, quæ erant fructus pomorum ſuorum. Semen enim gratiæ Dei actualis requiritur ad omnia bona opera, præſertim ſupernaturalia. Comedit autem fructus illos, cùm per fidem ſibi incorporat multitudinem convertendorum, ut ait Honorius, qui ſponſam ait eſſe Eccleſiam. 2. Et longè magis, cùm ſibi illos incorporat per charitatem.

Horti Alcinoi.

Ad extremum, ſi ferat fructus vir pius in hac terra Deo dignos, percipiet à Deo fructus gloriæ in futuro, Sap. 3. 15. *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus*, Job. 22. 21. *Acquieſce ei*, (R. Moſes, profice cum Deo) *& habeto pacem*, (Cajet. pacifica te) *& per hæc habebis fructus optimos.* De muliere forti per diem & noctem laborante dicitur, Pro. 31. ℣. 31. *Date ei de fructu manuum ſuarum* (Septuag. Vaticana habent χειλῶν, labiorum pro χειρῶν, manuum, ſed error videtur, facili mutatione ρ in λ. S. Ambroſ. & S. Auguſt. & Auctor catenæ græcæ ex Septuaginta legunt χειρῶν, tu & manibus & labiis Deo fructifica) *& laudent eam in portis opera ejus.* 1. In hora mortis, quæ eſt porta, quâ ad aliam vitam tranſitur. 2. In hora judicii: cùm, ſicut ait Salonius, Chriſtus dicet ad Angelos: *Date ei de fructu manuum ſuarum*, &c. Nota, non datur ibi de fructu manuum alienarum, ſicut in hac vita, pauperes laborant, divites eorum labore fruuntur. 3. In portis cœli, ubi, ſicut dicit Cornelius, inſcribantur fortia ejus facinora, quæ æternam ejus laudem omnibus cœli incolis perpetuò repræſentent, ut ipſi illa, Deúmque in illis perpetim laudent & celebrent.

93. Fructus gloriæ dabitur iis, qui fructus virtutum tulerint.

Ejus

Ejus victoriæ & trophæa, quæ retulit de Mundo, carne, diabolo, inſculpantur valvis paradiſi, velut perennia virtutis & fortitudinis ejus, Deique gratiæ encomia. Vide S. Greg. lib. Moralium 6. cap. 15. S. Auguſt. tom. 10. ſerm. 45. de diverſis.

Palmæ dantur in manu operariorum.

Dantur Sanctis fructus manuum, cùm dantur palmæ in manibus. S. Joannes vidit in cœleſti paradiſo Sanctos ex omnibus gentibus, tribubus, populis, & linguis, id eſt, idiomatis, ſtantes ante thronum Dei, & in conſpectu Agni, hoc eſt, Chriſti gloriâ coronati, Apoc. 7. 9. erant autem *amicti ſtolis albis,* (corporibus puris) *& palmæ in manibus eorum:* non in capite, ob cogitationem: non in ore, ob laudem & preces; ſed in manibus, ob opera. Non enim qui dicit: Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum, ſed qui facit ejus voluntatem: fac, & vives. Hebræi pomarium ſeu viridarium arboribus frugiferis conſitum vocant שלח *ſelah,* quæ vox etiam ſignificat arma & gladium, 2 Eſdr. 4. 17. Joël. 2. 8. arma noſtra ſunt opera noſtra, & fructus Spiritûs ſancti. 1. Fortia ſunt, quia arma ſunt. 2. Dulcia, quia fructus ſunt, & fructus Spiritûs ſancti: aperiunt nobis *civitatem palmarum.* Judicum 1. 16. ſic vocatur Jericho, quæ ſignificat odorem, aut captationem odoris: amœnis palmetis abundabat ager Jericho, & roſis totius Judææ fragrantiſſimis & ſpecioſiſſimis, ut facilè colligitur ex Eccl. 24. 18. Nota, folia palmæ eſſe inſtar gladii arcta & acuminata, quia Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, ſed eorum gladii in victoriam & triumphum vertuntur. Tertull. Apologetici, cap. 50. tormenta Martyrum vocat eorum *palmatam veſtem.* Juſti in cœlis ſunt velut inſtar eximiæ palmæ, Pſalm. 91. 31. *Juſtus ut palma florebit, & ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantati in domo Domini: in atriis domûs Dei noſtri florebunt.* Quanti fructus oriantur ex Martyrum corporibus, habes apud S. Chryſoſtomum hom. 47. in S. Julianum.

Vario modo dicitur aliquid fructus hominis.

Nota denique cum S. Thoma 1. 2. qu. 70. art. 1. Uno modo dicitur fructus hominis, quaſi arboris, id quod ab eo producitur. Alio modo, dicitur fructus hominis id, quod homo adipiſcitur: non autem omne id, quod adipiſcitur homo, habet rationem fructus, ſed id, quod eſt ultimum, delectationem habens: habet enim homo agrum & arborem, quæ fructus non dicuntur, ſed ſolùm id, quod eſt ultimum, quod ſcilicet ex agro & arbore homo intendit habere: & ſecundùm hoc *fructus hominis* dicitur *ultimus hominis finis,* quo debet frui. Si autem dicatur fructus hominis, id quod ex homine producitur, ſic ipſi actus humani fructus dicuntur: operatio enim eſt actus ſecundus operantis, & delectationem habet, ſi ſit conveniens operanti. In quantùm actus humani conſiderantur ordinati ad finem vitæ æternæ, magis habent rationem *florum.* Unde dicitur Eccl. 24. Flores mei fructus honoris & honeſtatis: in cœlo actus Sanctorum, ſunt fructus eorum, quos perpetuò offerunt Deo ut ſupremo Domino, qui ſub alia conſideratione ultimi finis eſt Sanctorum fructus, quia illo fruuntur.

ARTICULUS XI.

Vir juſtus eſt arbor pulchra, cujus folium non defluit.

94. Verſ. 3. 4. Pars. *In viro juſto ne folium quidem defluit.*

FRuctu ſuo arbores utilitatem afferunt; foliis verò, delectationem: vir pius utrumque Deo præſtat: in eam rem cùm David dixiſſet arboris inſtar eum fructus dare ſuo tempore, addit verſ. eod. 3. ET FOLIUM EJUS NON DEFLUET. Hebr. non, יבול *jibbol,* cadet, marceſcet, languebit, naturali ſucco deſtituetur, priori ſtatu excidet: hæc omnia *nabal* ſignificat, & propriè de floribus & foliis dicitur. In juſto nihil non modò excidit, ſed ne languet quidem, aut marceſcit, & ſucco caret: omnia in eo ſunt vivida & vegeta, ac primævi ſucci plena.

1. *Folium eſt veſtis arboris. Eſt ſymbolum exteriorum virtutum.*

Quæres: Quid per folium in anima ſancta ſymbolicè repræſentetur? Reſp. Folium tripliciter conſiderari poſſe. Primò, quatenus eſt veluti veſtis exterior arboris, eamque exteriùs exornat & tegit: ſic eſt typus primò virtutum omnium extrà prodeuntium atque internas animi divitias & fructus contegentium à vento vanitatis, à frigore tepiditatis, atque ab ardore concupiſcentiæ. S. Ambroſ. in Pſal. noſtr. hoc videtur ſenſiſſe, cùm ait: *Fructus interior eſt: folium, quo fructus vel à Sole torrente, vel à frigore defenditur. Fructus videtur eſſe fides, pax, doctrina, excellentia veræ cognitionis, interior myſteriorum, ratio. Hos fructus bona vita cuſtodit: mala, etiamſi percepit, amittet.* Euthymius ſpecialiter folia ait eſſe virtutem humilitatis, *quæ virtutes omnes, non ſecus ac proprios fructus, protegit atque conſervat;* tegit enim atque occultat virtutes internas, ne conſpectæ oculos prædonum, viatorum, aviumque irritent & alliciant. Secundò, etiam folium, ut eſt exterior ornatus arboris, poteſt ſignificare verba & ſermonem, atque facundiam & ſuavitatem converſationis cum proximo, exhortationes ſive publicas, ſive privatas. S. Hilar. S. Auguſtinus, S. Hieron. S. Bern. & Caſſiod. per folium non cadens intelligunt Verbum Dei, quod, ut ait S. Hilar. non cadit, quia per Dominum dictum eſt: Cœlum & terra præteribunt, Verba autem mea non præteribunt. Sed de hoc infrà dicam.

Et verborum.

2. *Folium ſua viriditate recreat. Eſt ſymbolum ſpei.*

Secundò, ſpectari poteſt folium, quatenus viriditate ſua oculos recreat, & declarat arborem eſſe ſanam, benè radicatam, in bono ſolo plantatam, aquis ſufficientibus irrigatam, & fructus eo anno daturam: ſic ſpectatum folium eſt ſpei ſymbolum, & quidem Euthymius hoc loco folium interpretatur ſpem ſalutis.

3. *Folium eſt quid minimum in arbore.*

Tertiò, folium conſiderari poteſt, quatenus eſt quid minimum in arbore & facilè auferibile, & cujus defluxus non ita curetur à colono. Et hoc ſpectari poteſt primò, prout folium ab arbore procedit, & ſic ſignat minimos actus virtutum, aut minima verba, quæ ſollicitè curantur ab eo, qui eſt perfectus. Nam eſt incipientis evitare mala conſortia, & legem meditari, ideò dicitur, *Beatus vir, qui non abiit, &c.* Proficientis eſt fructus fundere, *& erit tanquam lignum, quod fructum ſuum dabit.* Sed perfecti eſt, ne quidem verbulum perdere, aut leviſſimam actionem, *& folium ejus non defluet.* Jacobi 3. 2. *Qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir.* Hugo à S. Victore annot. in caput 13. epiſt. ad Rom. ait, in moderatione linguæ non tam conſiſtere perfectionem, quàm cumulum perfectionis. Secundò, folium minimum ſpectari poteſt, quatenus datur arbori, id eſt, homini, à Deo: & ſic denotat omnia externa commoda, famam, nominis celebritatem, amicos, neceſſaria ad ſuſtentationem corporis, ſanitatem, recreationes honeſtas, aliaque, quæ non patitur Deus à ſervis ſuis tolli ſine ſpeciali providentia ac benevolentia; id Chriſtus Apoſtolis pollicetur Luc. 21. 18. *Capillus de capite veſtro non peribit.* Quod S. Greg. hom. 35. in Evang. conſiderans, ait: Scimus, fratres! quia caro inciſa dolet, capillus inciſus non dolet; ait ergò Martyribus ſuis: Capillus de capite veſtro non peribit; videlicet apertè dicens: cur timeris, ne pereat, quod inciſum dolet, quando & illud in vobis perire non poteſt, quod inciſum non dolet? Sic ipſe. Capilli hominis ſunt velut ejus folia, quibus tegatur & ornetur, tecta eſt tota capillis S. Agnes Virgo caſtiſſima, cùm ab impiis atque laſcivis nudata eſſet, ut ad lupanar duceretur. Alcazar in illud Apocal. 22. 2. *Folia ligni ad ſanitatem gentium,* dicit, ligni, id eſt, arboris vitæ, folia, in cœlo eſſe dotes accidentales viſionis beatificæ, quæ eam decorant, ſicut folia arborem: quales ſunt in animo ſumma delectatio, ac fruitio ſummi boni: in corpore autem, plena ſanitas, vigor, robur: item agilitas, claritas, ſubtilitas, impaſſibilitas. Hæc conferre potes foliis aureis & argenteis, quæ aliquando dabantur in præmium. Refertur in chronico Miſnenſi: Henricum Landgravium haſtiludia Northuſæ inſtituiſſe, ibique arborem aureis & argen-

Eſt ſymbolum actuum & verborum minimorum.

Arbor aureo folio & argenteo.
Mons aureus Pompeji.

teri foliis etexiſſe: ſingulis concurrentibus & frangentibus haſtas, ſed in ſeſſione permanentibus, *argenteum folium* dediſſe: adverſariis autem ex equo dejicientibus, *aureum*. Pompejus *montem aureum* quadratum, cum cervis atque leonibus, pomiſque omnis generis circumdata *vite aurea* in triumpho oſtentavit; ſed hæc omnia citò defluxerunt, cùm victus à Cæſare in campis Pharſalicis in Ægyptum fugit: ubi proditoriè occiſus in alieno littore inſepultus jacuit, non reperiens glebam terræ, cùm de tribus Mundi partibus triumphâſſet: illi dic enim Davide: *Non ſic, impii, non ſic.* Non ſunt arbor vitæ, ſed mortis: ramos habent nonnunquam aureos, ſed propè inferos, in quos folia eorum ſuo pondere decidunt: & incurvatam atque eradicatam arborem trahunt: ſolis Sanctis licet dicere, primo avulſo ramo aureo non deficere alium, & ſimili frondeſcere metallo, toti enim ex charitate conflati ſunt, & ex victoriis ac triumphis. Palma à prima germinatione iiſdem uſque ad finem foliis frondet: oleæ & pino folia decidunt quidem, ſed ita occultè & ſenſim illa permutant, ut nunquam nudari comâ propriâ videantur. Plinius lib. 13. cap. 14. refert, quibus arboribus folia non cadant. S. Auguſtin. lib. 21. de Civit. cap. 5. docet, Tilon inſulam Indiæ eò præferri cæteris terris, quòd omnis arbor, quæ in ea gignitur, nunquam nudatur tegmine foliorum. An in paradiſo terreſtri folia ex arboribus caderent, difficilè eſt divinare, ea de re aſſerit Aſcan. Martinengus in gloſſa magna ſuper Geneſim, in agro Elephantino vites & ficus nunquam folia amittere tradit Theophraſtus lib. 1. de plantis: in agro Thurino etiam quercum eſſe Sibari conſpicuam, quæ ſemper folia retineat, atque in agro Gortynenſi Cretæ inſulæ platanum apud fontem quemdam, quæ ſemper vireat. Jerem. 17. 8. de viro, qui confidit in Domino, ait: *Et erit folium ejus viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum.* Huic loco aptiſſimè quadrabit, quod Herodor. lib. 4. affert de arbore quadam Theræ inſulæ: cùm enim illa inſula per annos ſeptem caruiſſet pluviâ, atque plantæ arboreſque areſcerent, una remanſit incolumis, quæ virides ramos explicans inter cæterarum incendia, gratiſſimâ juventute pubeſcere viſa eſt. In medio nationis pravæ & in arenti Arabiæ deſerto vivunt juſti, ſunt tamen virentes palmæ in Elim prope fontes divinos, Num. 33. 9. ibique proficiunt, Proverb. 11. 28. *Qui confidit in divitiis ſuis, corruet*; (ut dixi, de Pompejo cum ſuo monte aureo) *juſti autem quaſi virens folium germinabunt.* Complut. Orientur. Varablus, velut arbor frondibus ornata florebunt: folium ſemper virens, quale eſt cedri, lauri, palmæ, refert ſpeciem vitæ immortalis atque æternæ, ſicut notat S. Ambroſius in Pſalmum noſtrum: Salazar in Proverb. ait, folium virens figurare ſpem immortalitatis. Juſti ſicut folium virens germinant, ut explicat Lyranus, id eſt, proficiunt de bono in melius; ſicut ex caudice folii germinat calyculus, ex calyculo flos, ex flore fructus, v. gr. pomum, nux, pirum. Ad hunc locum alluſit Iſaias cap. 55. obi agens de Jeroſolyma per Meſſiam reſtituenda, ut volunt Judæi illum adhuc expectantes; vel, de ea reparanda poſt captivitatem Babylonicam, ut vult S. Thomas; vel potiùs, loquens de Eccleſia ex gentibus conflata, ut explicant S. Hier. S. Cyrill. S. Hilarius in Pſ. 65. S. Juſtin. apolog. 2. S. Greg. Nazian. Orat. 1 in Julianum, ait ℣. 1. *Lætabitur deſerta & invia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium: germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans: gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron:* id eſt, decor & gloria Synagogæ Judæorum, quæ per duos montes Judææ pulcherrimos atque fertiliſſimos Libanum & Carmelum, & per agrum Saron amœniſſimum & uberrimum figuratur.

95. Nota primò, folium, id eſt, Verbum Chriſti non defluere. Primò à veritate per mendacium, Joan. enim 17. 17. dicitur, *Sermo tuus veritas eſt:* id eſt, Evangelium, quòd ſecundùm mandatum tuum annuntio, non eſt umbra, ut lex Moſaica; nec mendacium, ut fabulæ paganorum, cap. 1. 17. habetur, *gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt:* ubi S. Auguſt. gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad prophetiarum impletionem, Matth. 22. 16. *Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam* (Syrus, faciem) *hominis:* ut ei placiturus videas, quam in partem velit te inclinare, non curas iram vultûs ejus, aut oculorum blanditias, ut dicas contra veritatem, quæ arrideant. Arabs vertit, *non reſpicis in faciem hominis*, oculis in terram dejectis, vides homines eſſe humum, aut erectis in cœlum Patrem cœleſtem, cui placendum eſt, intueris. To idem fac. Apoc. 19. 11. *Vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis & Verax:* oculi ejus erant ſicut flamma ignis, & in capite habebat diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo novit, niſi Ipſe; Ribera & Viegas putant hoc nomen eſſe Verbum Dei, malim ad literam dicere, nomen illud eſſe prorſus incognitum. Poſſis dicere tropologicè eſſe nomen Fidelis & Veracis, nemo enim illud nomen novit; quia, ut ait David Pſ. 115. 11. *Omnis homo mendax:* veritas porrò coronata eſt, & inſtar ignis lucet atque ardet. Secundò, non defluit Verbum Chriſti à neceſſitate; de Samuële, qui fuit Chriſti typus, dicitur 1 Regum 3. 19. *Crevit Samuel* (plantatus erat in domo Domini) *& Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.* Omnia ibant in cœlum, & cœleſtes exhortationes Deique laudes. Ad literam, verbum cadere in terram, eſt forma proverbialis, q. d. eſſe irritum & vanum, eſſe mendax & fallax, carere ſucceſſu & eventu prædicto. Sanctius putat alludi ad gladiatores aut milites, qui, cùm ſtrenui ſint, nullum telum emittunt, niſi in corpus hoſtis, nullum verò irritum in terram. Malim alludi ad eos, qui ad ſcopum collimant, & ab eo non aberrant, ita Samuelis verba recta ad veritatis ſcopum tendebant, & ab eo nunquam aberrabant, neque altiùs, neque infra, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram deflectebant.

1. A veritate.
2. A neceſſitate.

Tertiò, Verbum Chriſti non defluebat ab utilitate, Ezech. 47. 12. *Et erunt fructus ejus in cibum, & folia ejus ad medicinam.* Arborem ibi deſcriptam vult S. Hieronymus intelligi ſacram Scripturam, cujus ſenſus literalis fidem noſtram paſcit, allegoricus & moralis mores corrigit, itaque eſt in medicinam. 2. S. Ambroſ. in Apoc. 22. vult, arbores ibi poſitas eſſe Eccleſiæ Doctores, qui in utraque ripa, id eſt, in doctrina novi & veteris Teſtamenti, poſiti ſunt, ubi fructus bonorum operum & folia verborum prædicationis fundunt. Cornelius putat ab Ezech. juſtos, à Joanne Chriſtum in Apocalypſi deſignari ſub arboris typo; potea in utroque loco & de Chriſto, & de juſtis exponere, utilitas autem ex illis manans eſt perpetua, priùs enim maximè ad rem noſtram dictum erat: *Non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus: per ſingulos menſes afferet primitiva, quia aqua ejus de ſanctuario egredientur*; primitiva, ſive primitiæ ſingulorum menſium eſt fervens oblatio ſui & operum ſuorum facta initio cujuſque menſis, quam Chriſtiani omnes facere debent, imò & diebus ſingulis cum quotidiana innovatione fervoris, veluti quotidie incipientis, ut S. Antonius monuit paulò ante mortem diſcipulos ſuos, & S. Gregorius monet omnes 22. Moral. 2. Neſcit, inquit, mens per torporem veteraſcere, quæ ſtudet per deſiderium ſemper inchoare. Hoc facies, ſi aquis è ſanctuario exeuntibus, id eſt, Euchariſtiæ, ſaltem ſingulis menſibus corporaliter appropinquas, & quotidie mentaliter ac ſpiritualiter illis te unias, atque inde vivificum ſuccum trahas.

3. Ab utilitate.

Quartò, Verbum Chriſti non defluit ab intentione & efficacia, Pſ. 88. 35. *Neque profanabo teſtamentum meum.* S. Hier. vertit, non violabo pactum meum. *Et quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.* Hieron. non mutabo, Matth. 24. 35. *Cœlum & terra tranſibunt:* à ſtatu, in quo ſunt, ad alium, unde Apoc. 6. 14. dicitur, cœlum receſſit ſicut liber involutus; motu ſcilicet cœlorum ceſſante,

4. Ab efficacia.

Arboribus in Tilo inſula non defluunt folia.
Et variis locis.
Arbor viridis in ſumma ariditate.
Folium, id eſt, Verbum Chriſti non defluit.

&

& ſplendore ſubducto in fine mundi, poſtea cap. 21. 1. ad rem noſtram meliùs: *Vidi cœlum novum, & terram novam. Primum enim cœlum & prima terra abiit, & mare jam non eſt*, quale erat antè, ſicut cœlum & terra tranſierunt à ſtatu ſuo priſtino: addit Chriſtus apud Matth. *Verba autem mea non præteribunt*. Pſ. 101. 27. *Ipſi* (cœli) *peribunt. tu autem permanes:* Syrus cap. 1. 11. epiſt. ad Hebræos vertit, tranſibunt: *Et omnes ſicut veſtimentum veteraſcent*. (S. Hieron. atterentur. *Et ſicut opertorium*. (S. Hieron. pallium. Chald. ſtolam, Paulus ad Hebr. 1. 11. amictum) *mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es*. Vide ibi dicta.

96. Gratia Dei eſt neceſſaria, ut folium viri juſti non defluat.

Nota ſecundò, opus eſſe aquâ gratiæ, ut arbores noſtræ folia non defluant. Perſea arbor ſolis Nili aquis gaudebat, ut dixi aliàs, & arbores balſami fonti Virginis vegetabantur, de quo etiam egi: & arboris apud Ezechielem fructus non deficiebat, & folium non defluebat, quia aquæ fluminis, ſuper quod ſita erat, *de ſanctuario* egrediebantur, Ezech. 47. 12. ad literam, Villalpandus ait, fuiſſe aquas ſubterraneas in templo, quæ per canales ductæ in atrium Sacerdotum effluebant, quibus tum victimæ, tum ipſe locus in quo victimæ laniabantur, purgaretur: deinde per tubos & aquæ ductus foras propellebantur. Alleg. his aquis Baptiſmus, doctrina Chriſti & gratia figurantur. Effectus aquarum illarum plures vide apud Ezechielem: aquarum verò gratiæ effectus eſt quintuplex: 1. Sanitas animæ. 2. Velle bonum. 3. Efficaciter operari. 4. Perſeverantia in bono. 5. Perventio ad gloriam. Folium non defluens, denotat perſeverantiam, quæ datur ex mera Dei gratia, cùm ſub meritum non cadat: ut enim ait S. Thomas 1. 2. q. 109 art. 10. Ad perſeverantiam habendam homo in gratia conſtitutus non quidem indiget aliquâ aliâ habituali gratiâ, ſed divino auxilio ipſum dirigante & protegente contra tentationum impulſus.

Linus fons abortum impedit.

Linus fons in Arcadia abortus fieri non patitur, ut docet Plinius l. 31. cap. 2. Theſpiarum autem fons conceptus mulieribus repræſentat, item in Arcadia flumen Elatum; hæc eſt aqua vanitatis, quæ ſtatim abortum cauſat; illa eſt Dei gratia, quæ in bono propoſito dat firmitatem, & impedit defectum & defluxum. S. Bern. opuſc. de Gratia & libero Arbitrio; *Gratia*, ait, *liberum excitat arbitrium, cùm ſeminat cogitatum: ſanat, cùm immutat affectum: roborat, ut perducat ad actum: ſervat, ne ſentiat defectum*. S. Auguſtinus epiſt. 105. prævenientis & ſubſequentis gratiæ meminit hoc ſenſu: *Prævenit, ut ſanemur: ſubſequitur, ut ſanati vegetemur: prævenit, ut vocemur: ſubſequitur, ut glorificemur: prævenit, ut piè vivamus; ſubſequitur, ut cum illo ſemper vivamus*. Et S. Fulgentius ad Monimum cap. 11. *Prævenit impium, ut fiat juſtus; ſubſequitur juſtum, ne fiat impius; prævenit eliſum, ut ſurgat; ſubſequitur elevatum, ne cadat*. Aliter etiam ſumit gratiam prævenientem, comitantem & ſubſequentem, vide apud Vaſq. in 12. diſp. 185. cap. 10. nu. 46.

ARTICULUS XII.

Vir juſtus eſt arbor mirabilis, in qua omnia utilia ſunt & fortunata.

97. Verſ. 3. 4. Pars. Omnia juſtis eveniunt proſpera.

DE radice arboris poſita ſuper aquas gratiæ, de fructu, & foliis diximus ſuprà; nunc truncum, ramos, medullam, corticem exteriorem, cæteraque uno verbo David complectitur, verſu eod. 3. ET OMNIA, QUÆCUNQUE FACIET, PROSPERABUNTUR. Erunt proſpera, proſperè evenient atque germinabunt; nota, ad arborem meliùs hæc referri, cùm de ea proximè ſit dictum, quàm ad virum juſtum, qui non abiit in conſilio impiorum, &c. de quo verſ. 1. Hoc apertè ſenſit Chald. cùm vertit: *Et omne germen ejus graveſcet & proficiet*. Nec repugnat Aquila, qui reddit, *dirigentur;* aut S. Hilarius, *benè dirigentur*. Non amat Deus arbores incurvas, & obliquas; hominem, quem ut ſacram arborem poſuerat in paradiſo, rectum poſuerat, Eccl. 7. 30. *Solummodò hoc inveni, quòd fecerit Deus hominem rectum*. Syr. homines rectos: ex bono ſemine aut radice boni extitiſſent ſurculi in cœlum rectà tendentes. *Salvos facit rectos corde*. Pſ. 7. 11. Deducit eos in viam rectam, Pſal. 106. 7. Generatio rectorum benedicetur, Pſ. 111. 2. Nota ſecundò, Heſychium, & Bedam in 1 Reg. & S. Hieron. velle, hoc ſoli Chriſto competere: quia nullus eſt cui aliquis adverſa non accidant, & aliqua peccata ſaltem levia; favere videtur Arabs, cùm vertit: *Et quicquid operabitur, explebit:* ac Syrus, *quodcumque facit, perficit:* nec parum juvat Hebr. יַצְלִיחַ *jaslîah*, proficere, vel proſperare faciet: à Chriſto autem atque ejus gratia omnis profectus noſter eſt; unde S. Petrus ait 1. epiſt. 2. verſ. 2. *Ut in eo creſcatis in ſalutem*. Syr. ad vitam. Niſi enim ejus lacte nutriamini, peribitis. Et ad rem aptiùs, Joan. 15. 5. *Ego ſum vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia ſine me nihil poteſtis facere*. Hinc Concilium Arauſican. cap. 7. definit: Qui dixerit nos poſſe bonum aliquod, quod ad ſalutem pertineat vitæ æternæ, per naturæ vigorem cogitare aut eligere, aut Evangelii prædicationi credere abſque illuminatione & inſpiratione Spiritûs ſancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei, in Evangelio dicentis: Sine me nihil poteſtis facere. Hæc ibi.

His poſitis, dico, hoc loco præſertim agi de Chriſto, ſecundariò tamen agi de viris ſanctis: de utriſque autem ſub arboris typo. David in verbis ſuis noviſſimis, ait 2 Reg. 23. 4. *Sicut lux auroræ oriente Sole, mane abſque nubibus rutilat, & ſicut pluviis germinat herba de terra, &c.* (Sic) *cuncta ſalus mea & omnis voluntas, nec eſt quicquam ex ea quod non germinet:* Ut notet agnoſcere ſe omnem germinationem ſuam à Deo, ut Sole & ſacro imbre, oriri ſine ſuis meritis prævijs, ſed tamen inſtar arboris illuminatæ & irrigatæ ſe cooperatum eſſe Dei voluntati; unde obtinuerit promiſſionem de felicitate tam in ſe, quàm in poſteris. Nota, quòd habeatur, cuncta enim ſalus mea, vè *enim* non impedire hunc ſenſum. Nam כִּי *chi* hebraicum, quod per *enim*, eſt hic redditum, non eſt ſemper cauſale, ſed ſæpè eſt encliticum, & ornatûs gratiâ poſitum, aut emphaticum; aut ſignificat ſanè, profectò, quæ omnia huic loco convenire poſſunt. Nota 2. in hebræo eſſe יַצְמִיחַ *jaſmiah*, in Hiphil, quod de plantis propriè dicitur, & ſignificat, *germinare faciet*. Juſtus enim ita germinat, ut etiam alios germinare faciat. Nota 3. ita David germinâſſe, ut non dedignetur Chriſtus dicere, ſe ex ea radice prodiiſſe, Apoc. 22. 16. *Ego ſum radix & genus David*. Et cap. 5. verſ. 5. ait unus de ſenioribus ſtantibus ante thronum: *Ecce vicit leo de tribu Juda radix David*. Syrus ibi vertit, illa radix David; ſupple, ſingularis & eximia. Eſt autem Metonymia *radix*, id eſt ſurculus è radice; unde in Arabico textu habemus, *de radice David*. Sic Iſai. 11. 1. vocatur *virga de radice Jeſſe*, qui fuit pater Davidis. Chald. ibi vertit, *Egredietur Rex de filiis Jeſſe, & Chriſtus de filiis filiorum ejus ungetur*. Et cap. 53. 2. *Aſcendet ſicut virgultum coram eo*. Hebr. יוֹנֵק *jonek*, lactantem puerum ſignificat; itaque Sept. vertunt, *infans:* ad plantas metaphoricè transfertur, unde noſter interpres vertit virgultum, id eſt tener ſurculus. Theodotio vertit, *puer infans*; additur verò, *& ſicut radix de terra ſitienti*. Hebr. de terra ſiccitatis. Aquila reddit, de terra invia. Talis erat uterus Virginis, qui erat hortus concluſus, Cant. 4. 12. & omnibus hominibus invius; ſitiens tamen, ſed imbrem cœleſtem, ac dicens, Iſai. 45. 8. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem*, ut arborem vitæ. Arab. Antioch. vertit, gaudeat terra, & multiplicetur veritas. Syrus, multiplicetur ſalus. Dicitur Chriſtus, germen juſtum, Jerem. 23. 5. *Suſcitabo David* (Hebr. לְדָוִד *le David*, Davidi) *germen juſtum*. Meſſiam, ut reddit Chald. & explicat S. Hieronymus, atque omnes Hebræi Hebr. צֶמַח *ſemah*, ſignificat ſurculum pullulantem, ex parvo enim germine creſcet in ma-

98. In Chriſto omnia proſperantur.

magnam arborem, ex qua poſſint vivere omnes volucres cœli, & beſtiæ terræ habitare ſub ramis ejus. Ier. 33.15. *Germinare faciam David germen juſtitiæ.* Prorſus ex Chaldaicis myſteriis vocat Dei Filium *florem mentium*, eas enim divino odore complet, atque in iis recipi gaudet, atque dilatari.

Dico ſecundò, Chriſtum & Sanctos tam in donis ſupernaturalibus, quàm in naturalibus proſperari. De Chriſto res clara eſt, cùm à primo Conceptionis puncto fuerit comprehenſor, id eſt, habuerit viſionem Dei beatificam, ut docet S. Thom. 3. p. q. 10. art. 2. ſcientiam per ſe infuſam art. 3. Scientiam acquiſitam art. 4. Gratiam perfectiſſimam & virtutes omnes q. 7. & 8. atque omnia in Dei gloriam retulerit. De Sanctis agamus.

99. Et in Sanctis.
Ac primò, omnia quæcunque faciunt Sancti, proſperantur. Primò, quia ſuppoſitâ gratiâ habituali eos ſanctificante, omnia opera bona ipſorum, licèt à charitate non imperentur, ſunt meritoria vitæ æternæ, ut docet Vaſq. in 12. diſp. 217. c. 2. Et quidem in die judicii Chriſtus operum mercedem daturus non meminit niſi operum miſericordiæ, nec fit mentio ulla imperii charitatis, Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei. Poſſidete* (Græc. κληρονομήσατε, hæreditate, ut etiam Arabs vertit) *paratum vobis regnum a conſtitutione mundi.* Arab. ante conſtitutionem mundi: id eſt ab omni retrò æternitate. Cauſa donationis regni ſubditur verſ. 35. *Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare*, &c. Syr. dediſtis quòd manducarem. Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. hoc apertè denotare videtur, cùm ait: Juſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuò conſervaverint; ſive amiſſam recuperaverint, proponenda ſunt Apoſtoli verba, (nempè 1 ad Cor. 15) *Abundate in omni opere bono, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino.* Hæc ibi. Fruſtrà autem Concilium hæc Pauli verba proponenda eſſe diceret, & Paulus ipſe ad omne opus bonum ea ratione exhortaretur, quia labor in talibus operibus non eſſet futurus ſine præmio æternæ vitæ, (de hoc enim Concil. & Paulus loquebantur) ſi non quolibet opere bono juſtus apud Deum gloriam promereretur. Secundò, omnia quæcumque faciunt Sancti, proſperantur, id eſt, augentur atque *proficiunt*, ut vertit Chald. Hæreticum enim eſt, quod dixit Lutherus, omnes Sanctos in hac vita eſſe æqualiter juſtos, & neminem in ſanctitate proficere. Nam Eccl. 18. 22. *Non impediaris orare ſemper, & ne verearis* (ſic legit Concilium Trid. ſeſſ. 6. cap. 10. & S. Auguſtinus in ſpeculo: aliqui legunt, ne vetéris: id eſt, nihil te vetet, nihil te impediat) *uſque ad mortem juſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum:* quæ digna eſt omni labore, & quæ datur pro ſingulis operibus & ſecundùm illa. Fauſtus Rhegienſis Epiſc. in Inſtruct. ad Monachos, ait: Nullum ſibi finem proficiendi faciat, nullum terminum conſtituat acquirendi, cùm ſibi dici audiat Para in exitu opera tua. Et iterum: non verearis uſque ad mortem juſtificari. Sic ipſe. Dicit Chriſtus Matth. 5. 48. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt:* quot verò gradus perfectionis ſunt inter noſtram & divinam? Si vel per totam æternitatem ſingulis momentis mille gradus acquireremus, ad ejus vel minimam partem non aſcenderemus; & in tantula vita hæremus atque torpeſcimus? Saltem arbores imitemur, quæ pro ratione ætatis augentur, & ſingulis annos novos ramos fundunt. S. Greg. in illud Job. 31. 18. de utero matris meæ egreſſa eſt mecum miſeratio, ait lib. 21. Moral. cap. 13. *Electis cùm foris ætas corporis, intùs, ſi dici licet, creſcit ætas virtutis.* Apoc. 22. 11. apertè declaratur dari quâ augmentum juſtitiæ & ſanctitatis, cùm dicitur: *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & Sanctus, ſanctificetur adhuc.* Concilium Trid. utitur hoc loco ad illud augmentum probandum. Fauſtus Rheg. citatus: *Gratia*, inquit, *de gratia naſcitur, & profectus profectibus, ferviant: lucra lucris, & merita meritis locum faciunt: ut quantò plus quis acquirere cœperit, tanto plus conetur acquirere: & quantò avidiùs de ſapientia bonis hauſerit, tantò plus haurire deſideret: ſicut ipſa de ſe loquitur Sapientia: qui edunt me, adhuc eſurient.* Tertiò, Sanctis omnia, quæ faciunt, proſperantur, quia non tantùm intenſioribus actibus, ut voluit S. Bonavent. & Durandus, augmentum gratiæ & gloriæ merentur, ſed etiam *quolibet actu meritorio*, ut ait S. Thomas 1. 2. q. 114. art. 8. ad 3. Cùm tamen hoc non ſit de fide, enitere ut quàm intenſiſſimos efficias. Quartò, omnia, quæ faciunt Sancti, proſperantur: quia merita eorum per peccatum mortificata reviviſcunt, ut fuſiſſimè probat Vaſquez in 12. diſp. 221. quem conſule: itaque actus bonus non caret unquam ſuo præmio in Sanctis, qui uſque ad finem vitæ perſeverant; licèt nonnunquam in media via præ infirmitate corruant, & gemmas multo labore collectas effundant. Cum Iſaia itaque clamemus c. 3. 10. *Dicite juſto, quoniam benè: quoniam fructus manuum ſuarum comedet:* non comedet alienus ex eo, neque tinea, neque ærugo, nec verbis corrodens ad eum pervenient: cupreſſus blattas & tineas non ſuſtinet, longè minùs arbor vitæ & fructus ejus. Quintò denique, omnia, quæ faciunt Sancti, proſperantur; quia jam beatos faciunt in hac vita, intellectum ipſorum ac voluntatem Deo conjungendo. S. Auguſtinus ſcripſit librum de Vita beata, quo docet, non aliud eſſe beatam vitam, quàm perfectam Dei cognitionem. & ſerm. 112. de tempore: *Cognitione Dei*, inquit, *nihil meliùs eſt, quia nihil beatius eſt, & ipſa vera beatitudo eſt.* Unde & Salvator ad Patrem ait: Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te unum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Et mox ſubdit: *Beata ſiquidem vita, eſt cognitio divinitatis: cognitio divinitatis, virtus boni operis eſt: virtus boni operis, fructus eſt æternæ beatitudinis.* Sic ipſe. Juſti ſunt arbores illæ in India, quæ, ut tradit Curtius, ſpeciem quercus habent, & folia multo melle tincta; robuſti & generoſi ſunt Sancti, ideò cœleſtibus deliciis affluunt. *Arbores melliflua in India.*

Hinc fit, ut paſſim in Scripturis beatitudo tribuatus, & fugæ peccatorum, & actibus omnium virtutum. Primò, beatus dicitur initio Pſalmi noſtri vir, qui non abiit, &c. pro *vir*, Theodotio V. & VI. editio habens τέλειος, perfectus; Scholion græcum ἄμεμπτος, *irreprehenſibilis:* quaſi ſit idem eſſe beatum, & eſſe irreprehenſibilem per carentiam peccati, aut eſſe perfectum per virtutum acquiſitionem. Nota 1. אשרי *aſre*, quam vocem noſter interpres ibi reddidit *beatus*, poſſe verti beatitudines vel beatè, q. d. beatitudines omnes, non una tantùm, ſunt viro, qui non abiit in conſilio impiorum, &c. Nota 2. eamdem vocem *aſre*, deduci à Rad. אשר *aſar*, quæ propriè ſignificat, rectè ambulavit, direxit, ac deinde ſumitur pro beatum eſſe ac beatificare; quia beati immaculati in via, quia ambulant in lege Domini; via recta, ſicut eſt breviſſima, ita maximè optata & proſpera eſt viatori. Hinc εὐοδεῖν & εὐοδοῦσαι dicuntur de beato; S. Barnab. dicebat teſte Clem. Alex. l. 2. Strom. c. 2. Beatus vir, qui non ambulavit in via impiorum, *ut piſces* ambulant in tenebris in profundo maris. Neque in via peccatorum ſtetit, ſicut ii, qui, cùm Dominum videantur timere, peccant *ut porcus;* eſuriens enim clamat; ſatiatus autem non agnoſcit Dominum. Neque ſedit ſupra cathedram peſtilentiæ, *ſicut volucres paratæ ad prædam.* Juſſit autem Moſes non veſci porco, nec aquilâ, nec accipitre; nec corvo, neque quovis piſce, qui non habet ſquamas; ſic ipſe. S. Chryſoſt. ſerm. 44. ait beatum eſſe, qui iſta tria declinando, ad Trinitatis beatitudinem meruit pervenire. *100. Beatus eſt, qui fugit vitia, & virtutes ſequitur.* Secundò, beatus dicitur, qui de peccatis admiſſis conteritur, & alludit parvulos ſuos ad petram, Chriſtum ſcilicet, Pſ. 136. 9. Tertiò, beatus eſt, cui remiſſæ ſunt iniquitates, & cujus tecta, id eſt, deleta prorſus ſunt peccata, Pſ. 31. 1. Quartò, beatus eſt, qui fidem habet, Pſ. 93. 12. *Beatus, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum*, & S. Petrus à Chriſto beatus dicitur, Matth. 16. 17. quia Pater cœleſtis ipſi revelaverat, eum eſſe Filium Dei. Quintò, ſpes beatum facit, Pſ. 2. 12. *Beati omnes, qui confidunt in eo.* Pſ. 33. 9. *Beatus*

vir,

vir qui ſperat in eo. Pſ. 39. 5. *Beatus vir, cujus nomen Domini ſpes ejus.* Pſ. 83. 6. *Beatus vir, cujus eſt auxilium Domini ſpes ejus*, non reſpicit in vanitates & inſanias falſas & fallentes, quæ felicitatem promittunt, & miſeriam afferunt. Sextò, præſertim quæcunque facit, qui diligit, proſperantur. Ut enim ait Paulus Rom. 8. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ut dicetur infrà. S. Baſil. in Pſal. noſtrum jurè vocat Deum, *βρύουσαν πηγὴν, ἄφθονον χάριτα, ἀδαπάνητον θησαυρὸν, fontem ſcaturientem, luculentam & exundantem gratiam atque charitatem, theſaurum nunquam exhauriendum*; eo utitur Sponſa, quæ, ait Cant. 2. 16. Dilectus meus mihi & ego illi: quid ei deeſſe poſſit ad beatitatem, quæ habet, *αὐτόκαλον*, id quod eſt per ſe bonum & fons omnis boni? Pſ. 143. 15. *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.* Septimò, beatus eſt etiam, qui timet Dominum, Pſ. 111. 1. Octavò, qui legem meditatur die ac nocte, Pſ. 1. 2. & Eccl. 14. 22. *Beatus vir, qui in ſapientia morabitur*, (ut in medio Solis) *& qui in juſtitia ſua meditabitur.* Nonò, qui legem meditatam cuſtodit, Prov. 29. 18. *Qui cuſtodit legem* (in ſe, & in aliis, ut bonus Chriſti miles) *beatus eſt.* Pſ. 126. 5. *Beatus eſt, qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis.* Decimò, fortitudo beatum facit, Pſ. 1. 1. *Beatus vir*, Hebr. איש *is*, vir dicitur ab אש *es*, ignis, q. d. igneum, vir verò dicitur à viribus. Undecimò, miſericors eſt beatus, Pſ. 40. 1. *Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* Duodecimò, omnis virtus in ſinu ſibi ſecum fert felicitatem. S. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 5. ait, *in nomine Chriſtiano* intrinſecùs eſſe beatitudinem noſtram. Hinc Pſ. 44. habes: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* S. Hieronymus vertit, faſciis aureis veſtita eſt, in ſcutulatis (alii in veſtibus Phrygionicis, ſeu acu pictis) ducetur ad Regem: accident oculis fimbriæ aureæ, id eſt dona naturæ: & opus pictum, id eſt ornatus gratiæ in operibus exterioribus: ſed omnis decor in illis oritur ab intrinſeco amore, velut à radice pulchritudo arboris. Seneca lib. unico de Vita beata paſſim multa habet in eam rem, cap. 9. ait: *Summum bonum in ipſo judicio eſt, & habitu optimæ mentis: quæ cùm ſuum habitum implevit, & finibus ſe ſuis cinxit, conſummatum eſt ſummum bonum, nec quicquam ampliùs deſiderat. Nihil enim extra totum eſt, non magis quàm ultra finem. Itaque erras, cùm interrogas: quid ſit illud propter quod virtutem petam? Quæris aliquid ſupra ſummum. Interrogas quid petam ex virtute? Ipſam. Nihil enim eſt melius ipſa, pretium ſui eſt. An hoc parum magnum eſt? Cùm tibi dicam, ſummum eſt, infragilis animi rigor, & providentia, & ſubtilitas, & ſanitas, & libertas, & concordia, & decor: aliquid etiamnum exigis majus, ad quod iſta referuntur? Quid mihi voluptatem nominas? Hominis bonum quæro, non ventris, qui pecudibus ac belluis laxior eſt.* Fuſiſſimè id proſequitur: & epiſt. 77. unam in homine rationem, velut reginam, curandam docet, cætera ad famulitium ablegat. In homine, ait, optimum quid eſt? Ratio: hâc antecedit animalia, Deos ſequitur; ratio ergo perfecta proprium hominis bonum eſt: cætera illi cum animalibus ſatiſque communia ſunt. Valet? Et Leones. Formoſus eſt? Et pavones. Velox eſt? Et equi. Nunc dico, in iis omnibus vincitur. Nunc quæro, quid in ſe maximum habet, quod ſuum? Corpus habet? Et arbores. Habet impetum & motum voluntarium? Et beſtiæ, & vermes. Habet vocem: ſed quantò clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem mobilioremque Luſciniæ: *Quid in homine proprium? Ratio: hæc recta & conſummata felicitatem hominis implebit.* Hæc ibi. Tullius integrum Tuſculanarum quæſtionum librum in eo probando ponit: virtutem ad benè beatèque vivendum, ſeipſâ eſſe contentam: idem etiam confirmat toto paradoxo ſecundo: & Plato, ut ait Euſebius lib. 12. de præparat. Evang. cap. 15. præcepit, ut cogerentur Poëtæ dicere: vinum bonum in Beatis eſſe numerandum: ſive cum paupertate luctetur, ſive divitiis circumfluat: malum verò, in miſeris computandum, ſi vel aggeſtas Midæ & Cinyræ opes theſauris ſuis ſuperet.

Objicies, multis ſæpè & graviſſimis calamitatibus juſtos viros ita opprimi, ut nemo poſſit dicere, eos non eſſe tunc miſeros, ut in Jobo, Lazaro, Martyribus, aliiſque patuit: qui privati patria, opibus, uxore, liberis, amicis, rebus omnibus, afflictati morbis & tormentis vitam traxêre. *Reſp.* 1. ſæpè virtuti annexam eſſe etiam temporalem abundantiam, ut in Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, Joſepho, Davide, Salomone primis regni annis, Joſaphato, Ezechia, aliiſque eſt apertum, & Deus ad id ſe ampliſſima promiſſione obligavit Iſraëlitis, Deuter. 28. 1. ac ſeq. fuſiſſimè: locum illum conſule, ſed in his non moror, itaque 101. *Sancti quidem affliguntur.*

Reſpond. 2. Adverſitatem eſſe maximum Sanctorum bonum, de quo ſuo loco fuſius dicam Pſal. 65. 12. & 135. 23. & 137. 7. atque alibi, nunc ſatis ſit, quòd primò triſtitiam non affert, Prov. 12. 21. *Non contriſtabit juſtum, quicquid ei acciderit: impii autem replebuntur malo.* Deus enim illum ſobducet à calamitate, ut ait R. Levi: aut potiùs in ipſa calamitate, ut aurum in igne, ſplendidiorem reddet: Chalazias gemma, ut ait Plinius lib. 36. cap. 11. *Grandinum* & colorem & figuram habet, adamantinæ duritiæ. Narrant etiam in ignem additæ manere ſuum frigus. Hæc ille. *Valentior omni fortuna animus eſt*, ut ait Seneca: quid verò efficiet gratia? S. Chryſoſtomus homil 4. in Geneſ. *ἀδαμάντων στεῤῥοτέρους*, inquit, *adamante ſolidiores Dei gratia nos efficit; & ſi volumus, ἀναλώτους, omnino invictos.* 102. *Sed eſt ipſa afflictio felicitas eorum; nam 1. eos non contriſtat. Chalazias gemma.*

Quæritur, utrùm in ſtatu innocentiæ fuerint ſpinæ & tribuli, & herbæ noxiæ ac venenatæ? De herbis noxiis & venenatis penè omnes fatentur fuiſſe, cùm ſint in ſuis ſpeciebus perfectæ, ad pabulum animalium, aliàque, & ad perfectionem univerſi utiles: de ſpinis ac tribulis negant S. Baſilius, homil. 5. Hexaem. S. Ambroſ. lib. 3. cap. 9. & undecimo. S. Damaſcenus lib. 2. de fide, cap. 10. & ajunt, roſam tunc fuiſſe ſine ſpinis. Sed meliùs S. Auguſt. 3. de Geneſ. ad liter. cap. 18. affirmat, retractans contrariam opinionem, quam tenuerat lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 13. affirmat quoque S. Thomas 1. p. q. 69. art. 2. ad 2. ubi dicit fuiſſe illa tunc producta virtute, vel actu, ſed non in pœnam hominis. Suarez tract. de Opere ſex dierum lib. 2. c. 7. nu. 11. putat, non fuiſſe acta ſpinas & tribulos ante peccatum Adæ, quia non præceſſit tempus ſufficiens, ut ex terra per efficientiam Solis & ſtellarum procrearentur, ſed futura hæc fuiſſe, licèt non peccaret: veriùs arbitror dicendum eſſe, etiam actu fuiſſe ſpinas, ſaltem in aliqua mundi regione, ubi roſa à Deo creata eſt in ſua perfectione: nam nunquam videtur fuiſſe ſine ſpinis. Sed omnes fatentur innocentem hominem nihil ex iis incommodi accepturum fuiſſe. Idem dic de tribulationibus in hoc miſero ſtatu, reſpectu juſtorum. *An ſpinæ fuerint in ſtatu innocentiæ?*

Secundò, non modò non contriſtat virum fortem calamitas, ſed etiam recreat. S. Hier. *Quantò magis*, ait, *tentationibus caditur, tantò fortior fit: & pro nomine Salvatoris inter flagella lætatur.* Actor. 5. 41. de Apoſtolis pro Chriſto flagellatis aut fuſtigatis, dicitur: *Ibant gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JEſu contumeliam pati.* Rectè S. Chryſoſt. annotat fortitudinis excellentiſſimum gradum eſſe, non tantùm patienter & libenter, ſed etiam lætanter pati adverſa. Ad eum nos hortatur S. Jacobus c. 1. 2. *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cùm in varias tentationes incideritis.* Cùm una tribulatio accidit, eſt aliquale gaudium; ſed cùm variæ irruunt, tunc eſt plenum, & omne, & totum gaudium: & quidem cùm in eas incideritis: quò minùs enim ſunt præviſæ, eò ſunt utiliores, & magis à Deo immiſſæ. Ab ipſa afflictione oritur hæc lætitia. Dan. 3. 49. Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria & ſociis ejus in fornacem: & *excuſſit flammam ignis de fornace*, (primò tollit Deus triſtitiam) *& fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem*: Satis erat excuſſiſſe flammam ad conſervationem, voluit amator hominum etiam recreationem dare. Vatablus vertit, *quaſi roſcidum flatum.* 2. *Eos recreat.* *Ventum roris in medio fornace.*

flatum ſuſurrantem, loquebatur potentiam & bonitatem Dei. Quæres ex qua materia factus ſit ille ventus refrigerans? Reſpond. probabiliter dici poſſe, factum eſſe ex ipſa flammæ materia; cùm dicatur, fecit *medium fornacis*, id eſt, flammam quæ erat in medio fornacis, *quaſi ventum roris*: non enim fecit ex ipſo loco ventum, ſed ex ea materia quæ erat in loco; itaque eſt metonymia: partem enim flammæ Deus per Angelum excuſſit de fornace, & partem convertit in aërem frigidum & roſcidum: ſolita eſt hæc mutatio aëris in ignem, & ignis in aërem; minus enim à ſe invicem quàm ab aliis elementis differunt. Deus dat auxilium de tribulatione, non tantùm in tribulatione, id petit David Pſ. 59. 13. Da nobis auxilium *de tribulatione*. Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes venit in modum venti & ignis, ut denotaret tribulationem ipſam divino igne ardentibus eſſe refrigerium. Ignis fornacis Babylonicæ excuſſit vincula, quibus ligati erant Ananias, Miſaël, & Azarias, eoſque liberos efficit ſine ulla læſione. Nota, Ananias ſignificat *gratiam Dei*: Miſaël, *ſcrutans Deum*; ſeu, contrectans Deum. Rad. מש *mas*, ſeu משש *maſas* contrectavit, ſcrutatus eſt: & *el* Deus, jod paragogico interjecto. Azarias ſignificat, *auxilium Domini*. Poſſis etiam dicere fortaſſe *mis* ſignificâſſe ſcrutationem, ſic nullum erit jod paragogicum in Miſaël. Nota 2. ſi in media flamma tentationis & calamitatis ad Dei gratiam recurras, & Deum præſentem contempleris atque contrectes, non deerit tibi ejus auxilium, per quod vel ab igne vincula tua malorum habituum

Fulmen non lædit Mithridatem. Aquila fulmini inſidens. Fulmen lecto incumbens. ſolvantur. Cùm vagiret adhuc in cunis infantulus Mithridates Aſiæ atque Ponti rex, collapſum fulmen faſcias, quibus erat obvolutus, excuſſit ipſo illæſo. Carolus V. & Maximilianus II. in ſymbolis ſuis poſuerunt Aquilam fulmini inſidentem; cui ramus olivæ eſſet additus: cum Dei fulmine ſtat ejus miſericordia: & gravem afflictionem in corpore vel anima juſti conferre poſſis cum fulmine, quod in numis Antonini pingebatur in lecto collocatum: pacem enim mentis non tollit, ſed conſervat, hoſte accedere non audente.

3. Tribulatio fructus virtutum auget. Tertiò, tribulatio non modò non impedit fructum ſacræ arboris, ſed etiam auget. Joan. 15. 1. *Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt: Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Nota, nullum excipi à purgatione, id eſt, emundatione, reſciſſione, amputatione: quia nullus eſt mundus à ſorde & ſuperfluitate. Nota 2. falcem Dei eſſe ejus increpationes, ſed præſertim afflictiones: patere te nunc ad fructum putari, ne in die judicii falx acuta vindemiatoris Angeli te prorſus reſecet, ac mittat in lacum iræ Dei magnum, ut dicitur Apoc. 14. 17. & ſeq. ubi ſallax ſignificat cultellum incurvum, quo vindemiatores uvam abſcindunt, & vinitores palmitem ipſum.

Rom. 8. 28. *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Omnes tribulationes, ut explicat ſanctus Ambroſius & ſanctus Hieronymus. Non cooperantur illis ad delicias & voluptatem, ſed ad bonum; id eſt: 1. Ut in virtute ſe exerceant. 2. Ut ad Deum ducant. 3. Ut ad felicitatem perfectam perferant. Oſeas Propheta poſt explicatam graviſſimam afflictionem populi Iſraëlitici, in qua erunt ſine Rege, ſine Principe, ſine ſacrificio, ſine Ephod, id eſt, ſine prophetia, ſine

Theraphim quid. altari, ſine theraphim, id eſt: 1. Sine ſacris imaginibus, ut putat Aben Ezra. 2. Sine Cherubim arcam cingentibus, ut explicat Monceius libro 1. de vitulo aureo. 3. Sine Seraphim, ut alii volunt: quia Caldæi ſolent mutare ſ. in t. 4. Sine Urim & Tummim, ut exponit Leo Caſtrius. 5. Denique, & melius, ſine ſuis idolis: quæ appellantur theraphim à voce Chaldaica תרף *theraph*, putreſcere; unde Chaldæi vocant delubrum, id eſt, idoli fanum, domum turpitudinis, & idola vocantur ſæpè à Prophetis immunditiæ & ſordes: vel, ut placet Marino, deducitur theraphim à רפה *rapha*, demittere & humiliare: quòd ante idola ſe humiliarent atque dejicerent: vel, ab alia ſignificatione *rapha*, remiſſum eſſe, negligentem, otioſum: ad hoc enim incitabant idola, & ad voluptates: item poſſis commodè deducere a verbo רפא *rapha*, per aleph, mederi, ſanare: à ſuis enim idolis petebant, & ope dæmonis aliquando obtinebant ſanitatem, ſæpius tamen ſpe ſua fruſtrabantur, Deo juſtè ipſos puniente, ut patet in Ochozia Rege Iſraël filio Achab, qui ideò mortuus eſt, quòd conſuluiſſet Beelzebub per ſuos legatos, utrùm eſſet victurus, cùm graviter ægrotaret ex lapſu de cœnaculo, id eſt, è ſummo totius domus tabulato, vel potius è ſolario ſeu tecto plano: ceciderat autem per cancellos, id eſt, per peribolum cancellatum, & ad elegantiam variis in locis perforatum: non dubium eſt autem, quin conſulendo Beelzebub, id eſt, Deum muſcarum, opem ab eo petierit: ſed cùm eſſet muſca impotentior, nihil præſtitit, ut habes 4 Reg. c. 1. Ad rem autem ut veniam, poſt deſcriptam illam gravem calamitatem Iſraëlis, ſubdit Propheta c. 3. 5. *Poſt hæc* (non ante) *revertentur* (ſua ſponte; antea ne duci quidem, trahi, & rapi poterant) *filii Iſraël, & quærent Dominum* (quem patrem rejecerant) *Deum ſuum, & David* (Chriſtum amabilem) *Regem ſuum: & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus.* Ad bonum, id eſt; *Judæi afflicti ad Deum redeunt.*
1. Ad Spiritum ſanctum, cui præcipuè bonitas attribuitur, cùm ſit eſſentialis amor Patris & Filii. 2. Ad Chriſtum ſeu Meſſiam, id eſt, unctum, de quo ait David, Pſ. 58. 18. *Deus meus, miſericordia mea.* 3. Ad præſens propoſitum aptius, alii *bonum ejus*, interpretantur de Euchariſtia, de qua Zachar 9. 17. *Quid enim bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum*, (Sept. Vatabl. Arab. Antioch. juvenum: a juvando dicuntur: Arabicus textus, Alexandrinus; puerorum: à puritate habent nomen: ſis purus & juva Rempub. & eris electus ac frueris frumento electo) *& vinum germinans virgines?* Syr. delectans virgines. 2. Vinum boni odoris ad virgines. 3. Arab. Alex. vinum in unguentum. 4. Nervoſius, Pagninus & Vatabl. virgines ſucculentas & vegetas reddens. Noſter verò interpres nobis magis favet agentibus de arborum fructu, & vite per purgationem fructificante, cùm vertit, *germinans*. Virgines ſequuntur agnum quocunque ierit, & ei adhærent ut palmites vini, & caſtrari ſe ſinunt & putari propter regnum cœlorum, ut melius germinent. Quòd afflictio fœcundet, optimo ſymbolo expreſſerim olivæ Byzantinæ: quam, ut ait Soſtratus Byzantinus, in quodam luco Byzantii, imber igneus fœcundam reddidit. Ignis Spiritus ſancti in virginibus excoquit humores noxios, qui lumbos implent illuſionibus, non veris bonis: ſed fœcundat mentem, & replet fructibus ſuis, de quibus S. Paulus Galat. 5. 22. ubi duodecim enumerat præcipuos, ut dixi ſupra. S. Chryſoſt. ſerm. 64. ad populum, ut declaret quàm præclari ſint fructus tribulationis, vocat eam *ſpiritualem mercaturam*. Lege ſerm. 14. ubi agit de gloria in tribulationibus, & mercatori, aratori, militi, &c. Juſtum laborantem comparat. Serm. etiam 15. multa congerit ad commendationem tribulationis.

Quartò, calamitas dat in virtute conſervanda & augenda conſtantiam. *Arbores*, ut advertit S. Chryſ. ſerm. 14. quæ in umbroſis ac ventorum expertibus locis naſcuntur & aluntur, cùm externa ſpecie proſperè germinent, molles fiunt & fungoſæ, & facilè quovis incurſu læduntur: quæ verò in excelſis montium verticibus ſitæ ſunt, à multis magniſque ventis agitantur, intemperiem aëris aſſiduè ferunt, graviſſima tempeſtate pulſantur, & multa nive feriuntur, *σιδήρου παντὸς ἰσχυρότερα*, *ferro quovis robuſtiores vadunt*: idem dicit de corporibus, quæ multis ac variis in deliciis educantur, unguentis delibuta mollibus veſtibus obvolvuntur, balneis foventur, cibis delicatis ad nauſeam infarciuntur; ea enim ſunt mollia & enervata, atque viros faciunt elumbes, ad gynæceum magis, quàm ad pugnam aut palæſtram aptos: hoc ipſum de animis eſſe judicandum cenſet: ſi enim otio luxuque diffluant, ſi difficilia & ardua fugiant, ſi voluptatis lenociniis atque nugis ineſcentur atque infatuentur, fiunt, *κηροῦ παντὸς μαλακώτεραι ἢ ἀσθενέστεραι*, Cera qualibet molliores & *4. Tribulatio dat conſtantiam in virtute. Arbores ventis agitatæ fiunt firmiores & ſaniores.*

in-

imbecilliores, igniſque pabulum æterni. Quæ verò ventis ſe ac pruinis ſponte atque alacriter expoſuerint, & adverſa occurrentia tolerârint, ait effici: σιδήρε καὶ ἀδάμαντος στερροτέρας καὶ γενναιοτέρας, ferro & adamante ſolidiores ac generoſiores: atque ex eo, quòd aſſiduè vexentur, evadere, ἀχειρώτες, inexpugnabiles & acquirere patientiæ ac fortitudinis habitum, ἀκαταμάχητον, invictum atque inſuperabilem. *Afflicti ſunt ferro & adamante fortiores.* Arbores lanigeræ ſunt ad levidam civitatem propè Jericho, quæ lanas gignunt, cujus generis lanas vidiſſe ſe S.Greg. Tur. l. 1. miracul. c. 18. refert, candore & ſubtilitate admirabiles, ſed prædura teſta theſaurum illum ſuum tuentur. Nam poma producunt in modum cucurbitarum, teſtas in circuitu duriſſimas habentia, intùs autem lanæ plena. *Arbores lanigeræ propè Jericho.*

5. Tribulatio ſpem auget. Quintò denique, ſpem coronæ facit pugna cum hoſte. Nam 2 Timoth. 2. 5. monet Apoſtolus: *Non coronabitur, niſi qui legitimè* (νομίμως, juxta legem præſcriptam, in ſtadio ſcilicet & agone) *certaverit.* Et ad rem noſtram aptè ℣.6. *Laborantem agricolam* (non otioſum atque deſidem) *oportet de fructibus percipere.* Tales vult eſſe vineæ ſuæ cultores Deus, qui dura tolerent. Oſeæ 2.15. agens de Eccleſia ſub typo vineæ, ait: *Dabo ei vinitores ejus ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam ſpem.* Agricolæ Eccleſiæ fuerunt Apoſtoli atque Apoſtolici viri. *Vallis Achor.* Nota 1. Vallis Achor erat ſita propè Jericho, amœniſſima & fœcundiſſima, ùt patet Iſaiæ 65. 10. in ea primùm conſedit populus Iſraël intrans terram promiſſam. Nota 2. Dictam eſſe vallem Achor, id eſt, turbationis, propter ſacrilegium Achan, qui captâ Jericho ſumpſit de anathemate pallium coccineum valdè bonum, & ducentos ſiclos, id eſt, ducentas libras argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum, ideoque turbatus eſt Iſraël & fugatus ab habitatoribus urbis Hai. Joſue itaque c. 7. 25. ait ad Achan: *Quia turbâſti nos, exturbet te Dominus in die hac: indéque vocatum eſt nomen loci illius, vallis Achor uſque hodie.* Nota 3. Vallem Achor, id eſt, turbationis, poni à Deo in ingreſſu terræ promiſſæ, id eſt, in initio virtutis & cœleſtes afflictiones, ſed ad aperiendam ſpem: ſive ut vertit R.David, Pagn. & Vatablus, *ad oſtium ſpei.* Afflictio eſt janitrix palatii gratiæ & gloriæ: violenti enim rapiunt regnum cœlorum. Chald. reddit, *vallem Achor ad delicias animæ.* De forti egreſſa eſt dulcedo, ut ait Samſon vir ſolaris. Judicum 14. 14. id eſt, de leone, ut ipſe explicat verſ. 18. nam in ipſo leonis ore repererat favum mellis, verſ. 8. ſed in ore leonis, quem priùs inſilientem in ſe occiderat, verſ. 6. Reſilit adverſis, & ipſa amaritudo in ſuavitatem vertetur. De apibus Hymettiis, Julianus Imp. in conſolatoria Salluſtii ob diſceſſum, ait: *Apis, ἐκ τῆς δριμυτάτης ὕλης, ex acidis imprimis herbis, quæ in Hymetto monte naſcuntur, dulciſſimum rorem exugit, indéque mellificat.* *Apes Hymettia.* Sed mirum eſt magis, quòd in ipſo, & fortaſsè ex ipſo ore leonis apes mel fecerint, cum vir fortis confringens in fruſta aptum fecerat apum domicilium & mellis. Hebræi verbo שחק *ſahak*, cum puncto in dextro cornu, ſignificant *contundere*; שחק *ſahak* verò poſito puncto in ſiniſtro cornu, ſignificant ridere: quia ex afflictione juſtorum lætitia ſequitur: in impiis extrema gaudii luctus occupat. *Sahak.* Pergit verò Oſeas Propheta loco citato, *& canet juxta dies juventutis ſuæ*: id eſt, ſicut eo tempore, quo primùm aſcendit de Ægypto, Duce Moſe, & tranſito mari rubro viſoque Pharaone ſubmerſo cum exercitu cecinit canticum. Exod. 15. Hebraicum verbum ענה *ana*, quod noſter vertit, *canet*, Sept. & Syr. reddunt, *humiliabitur ibi.* 2. Symmachus, *affligetur.* 3. Theodotio, *reſpondebit ei.* 4. Aquila, *audiet.* 5. Chald. *dedent ſe in verbo meo.* In mediis afflictionibus & humiliationibus. 1. Audit Deum anima ſancta. 2. Ei ſe dedit. 3. Ob gratias ſibi datas canit. Nemo egreditur ex Ægypto, niſi ſequens Moſem, id eſt, Chriſtum, & quidem per mare rubrum paſſionis.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

Tria continet. Primò, impios in hac vita diſpergendos eſſe inſtar pulveris. Verſ.5. Secundò, in judicio extremo ſeverè condemnandos. Verſ.6. Tertiò, in inferis æternùm perituros. Verſ.7.

PARAPHRASIS.

5. *Non ſic impii, non ſic: ſed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.*	5. Longè diſpar eſt ſceleratorum conditio, qui firmis licèt divitiarum, honorum, voluptatúmque videantur nixi radicibus; vilis tamen more pulviſculi, ſubito turbine exorto diſſipantur, & per aërem ludibrium venti fortunæque jactantur, & gravi deinde caſu in terram proruunt.
6. *Ideò non reſurgent impii in judicio: neque peccatores in concilio juſtorum.*	6. Cùmque in terris agitato pulveri ſimiles fuerint, in extremo judicio nec mente, nec corpore conſiſtent: neque peccatores, confluentium ad hoc ſacrum Chriſti tribunal ſanctorum multitudinem, vel aſpectu ſuſtinere poterunt, nedum in eorum cœleſti cœtu verſari.
7. *Quoniam novit Dominus viam juſtorum: & iter impiorum peribit.*	7. Deus enim juſtorum vivendi rationem amat, dirigit, ac probat: mores autem & actiones impiorum, eorúmque conatus diſperdit ac diſſipat.

QUÆSTIO UNICA.

Quàm fallax & inanis impiorum felicitas?

PRophetam noſtrum ſecuti, explicuimus ſuperiori ſectione proborum felicitatem, tum in hac, tum in alia vita: nunc cum ipſo miſerias ſceleratorum utroque in loco declaremus.

Ac primò, in hac vita. Primò excludit ab illis felicitatem arboris fructiferæ, & foliis ſemper ornatæ, eo quòd ſit plantata ſecùs decurſus viventium aquarum, verſu quinto. *Non ſic impii, non ſic.* Secundò, declarat miſeriam eorum poſitivam, quòd ſint aridi ac viles inſtar pulveris, qui vento huc illuc jactatur, & poſt multam agitationem evaneſcit. ibid. *Sed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.*

Secundò, miſeriam malorum in alia vita oſtendit. Primò, tempore judicii, tum ob accuſatores, verſu ſexto. *Ideo non reſurgent impii in judicio.* Tum ob Judicem & aſſeſſores Judicis. Ibidem. *Neque peccatores in concilio juſtorum.* Quæ enim conventio lucis ad tenebras? Secundò, in termino judicii. Nam vita, & agendi ratio piorum ſententia lata approbabitur, verſu ſeptimo. *Quoniam novit Dominus viam juſtorum.* Et actiones impiorum æternâ pœnâ puniuntur, ibid. *Et iter impiorum peribit.*

ARTI-

ARTICULUS I.

Impii ſunt arbor mala, infrugifera, & exſcindenda.

103. Verſ. 5. 1. Pars. Impii ſunt arbor infelix & funeſta. Cujus

ARbori bonæ & felici pios comparavit David ſuprà: hîc verò dicit verſu quinto: NON SIC IMPII, NON SIC. Illa repetitio, *non ſic*, neque in textu Hebraico, Chaldaico, & Syr. reperitur, neque apud Septuaginta Interpretes. Eſt tamen jure addita à noſtro atque Arabico Interprete. Primò, ad majorem certitudinem & ad emphaſim. Secundò, ad denotandum affectum vehementem, & indignationem in ſcelera impiorum, & juſtum zelum contra ipſos. Tertiò, ut indicetur, neque eos beatos eſſe intrinſecè per fugam peccatorum, & amorem ac meditationem legis Dei, neque etiam extrinſecè datis aquis gratiarum, propè quas plantati in omnibus proſperentur, ut ſuperiùs dicitur de viris probis, quorum felicitati è diametro reſpondet infelicitas perverſorum. 1. In radice. 2. In trunco. 3. In ramis. 4. In foliis. 5. In fructu.

1. Radix ponitur in loco arido.

Ac primò: Radix impii ponitur vel in loco arido, vel propè aquas noxias. Et quidem primò ariditatem illam, & ea ariditate infelicitatem Judæis interminatur Deus, Iſaiæ primo, verſu vigeſimo nono: *Erubeſcetis ſuper hortis, quos elegeratis:* & in quibus, ſicut etiam in nemoribus propè fana conſiti, idola veſtra coluiſtis, præſertim Belphegor ſeu Priapum; ſicut Maacha mater Regis Aſa feciſſe legitur 2 Paralippom. 15. verſ. 16. ſed Rex pius illud Idolum fregit, ſequitur magis ad rem verſ. 30. Iſai. *Cùm fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus abſque aqua*, in quo omnia ſunt arida, ſqualida, triſtia, & inorilia, atque morientia. Hoc fusè denunciatur Ægyptiis capite decimo nono ejuſdem Prophetæ, verſu quinto & ſeq. *Areſcet aqua de mari*, de amaro peccatore ad literam, de Nilo, qui, cùm exundat, eſt inſtar maris. Nam, ut docet Plinius libro 5. cap. 9. niſi ſupra duodecim cubitos intumeſcat, & oppleat Ægypti agros, famem inducit Ægypto; clariùs explicat, quid mare intelligat. *Et fluvius deſolabitur atque ſiccabitur, & deficient flumina: attenuabuntur & ſiccabuntur rivi aggerum.* (Rivi in agros deducti ex Nilo, & aggeribus vallati) *Calamus & juncus marceſcet*, calamo, id eſt, arundine; & junco abundant Nili ripæ, ac papyro, ex qua Ægyptii, ut ait Plinius libro decimo tertio, capite undecimo, navigia texunt, & è libro vela, tegeteſque & veſtem, etiam ſtragulam ac funes. Mandunt quoque crudum decoctúmque, ſuccum tantùm devorantes. *Nudabitur alveus rivi à fonte ſuo, & omnis ſementis irrigua ſiccabitur, areſcet, & non erit.* Secundò, impii ſunt poſiti ſuper aquas Babylonis, ut ſalices infructuoſæ. Pſalmo centeſimo trigeſimo ſexto, verſu ſecundo de reprobis explicat Radulphus Flaviacenſis in Levit. idque propter ſterilitatem. Vel poſiti ſunt ſuper aquas Sodomæ, id eſt, ſuper lacum Aſphalititem fœtentem & bituminoſum, ubi dant fructus, ſed inutiles. Ut enim tradit Solinus, in Sodomitico agro poma gignuntur, quæ, licèt ſpeciem maturitatis habeant, mandi tamen poſſunt; nam fuliginem intrinſecùs favillaceam ambitio tantùm extremæ cutis prohibet: quæ vel levi preſſa tactu fumum exhalat, & fatiſcit in vagum pulverem, de illis dicitur Sap. 10. 7. *Quibus in teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores.*

2. Truncus ſine medulla. Medulla cedri ablata.

Secundò, Truncus aut medulla caret, aut ferream & lethiferam habet. Ablatam à cedro dicit Ezechiëlis 17. verſu 3. *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate venit ad libanum. & tulit medullam cedri.* Aquilæ etiam Jeremiæ 49. 22. comparatur Nabuchodonoſor Rex Babylonis & Aſiæ Monarcha: magnas alas habebat, id eſt, multos milites: alæ equitum etiam dicuntur in exercitu: illæ alæ habebant plumas & varietatem, id eſt, plumas varias: eſt enim hendiadys, hoc eſt, unum per duo: plumas autem variæ ſunt nationes diverſæ, ex quibus conſtabat ejus exercitus. R. David comparat illas caudæ pavonis variegatæ, & innumeris ocellis pictutæ, medullam cedri abſtulit, id eſt, Joachim Regem Juda, ut ait Sanctius, & jam dixi ſuprà. Juſtis verò contrà dant medullam, qui carere medullà deberent. Gen. 45. verſ. 18. Joſeph, id eſt, Chriſtus, ait fratribus ſuis, Apoſtolis & Sanctis: *Ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ:* id eſt, adipem & pinguedinem, ut eſt in Hebræo, fruges ſcilicet atque optimos & pinguiſſimos terræ fructus. Numer. 18. verſu 12. *Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti tibi dedi.* Deus alloquitur Aaronem ſummum Pontificem: decet populum offerre Deo in perſona Sacerdotum in primitias & decimas optimas quæque; ſed decet Sacerdotes in ſpiritualibus adipe & pinguedine replere animas ſuas.

Medullam verò ferream habent crudeles, quales ſunt ut plurimùm ſcelerati, animæ ſaltem ſuæ hoſtes infenſiſſimi. Marcus Paulus Venetus libro 3. cap. 16. ait: In Java Inſula eſſe arborem, quæ habet medullam ferream virgæ modo ab imo ad ſummum verticem ductam, Iſaiæ 48. verſo 4. Deus ait Judaico populo: *Scivi, quia durus es,* (per cordis obſtinationem. Chaldæus, quòd ſis rebellis) *& nervus ferreus cervix*, (flecti non poteſt per obedientiam, ut leg ſuſcipiat) *& frons tua ærea*, per impudentiam, & publicam peccandi licentiam, neſcis ampliùs erubeſcere. Ad interiorem medullam & exteriorem corticem commodius uteris loco Ezechiëlis 2. verſ. 4. *Filii durâ facie*, en corticem; ſic Tullius ait, Piſonem habere os ferreum, *& indomabili corde*, en medullam. Sic Caſſiodorus in Pſal. 34. ait: *Saxeo ſtupore* durata ſunt pectora. Ezechiëlis cap. 3. verſ. 7. dicit Deus, eſſe eoſdem Judæos *atteritâ fronte* (Hebr. fortes fronte. S. Hieronymus, durâ facie) *& duro corde.* Trunco etiam arboris noſtræ aptè contuleris tibias ferreas ſtatuæ Nabuchodonoſoris, de quibus Danielis 2. verſ. 33. habebat caput aureum & pectus argenteum, id eſt, de auro congregando cogitabat, & pecuniam amabat per avaritiam; qui talis eſt, habet tibias ferreas & pedes, atque dentes, & ungues ferreos & ferinos, ut omnia conterat, corrodat, comminuat. S. Chryſoſt. tom. 5. conc. 1. de Lazaro, ait divitem epulonem copiâ rerum non eſſe factum meliorem, ſed perſeveràſſe, ἐκτεθηριωμένον, verſum in feram, imò potiùs, θηρίων πάντων ὠμότερα, ferarum omnium crudelitatem, & inhumanitatem moribus ſuperàſſe: foliis autem quinque interjectis idem ſanctus Pater oſtendit conſcientiam avari diriſſimè torqueri, ejus perturbationem & morbos in lectis aureis & argenteis. Sanctus Bernardus expendit ſermone nono de modo benè vivendi ad ſororem. Itaque, ſi cum Davide Pſalmo 72. 2. ſentis moveri pedes tuos viſâ pace exteriori peccatorum, & cum Jobo 21. verſu 7. eorum divitiis & proſperitate, deripe corticem, medullam intuere, & ferrum ac tumultum reperies, eoſque videbis regi in virga ferrea.

Vel eam habent ferream.

Arbor habens medullam ferream.

104. 3. Rami ſunt fragiles.

Tertiò, rami impiorum ſunt fragiles. Sap. 4. ℣. 5. *Confringentur rami inconſummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.* Superbus ramos in altum effert, ſed eò faciliùs diffringuntur. S. Nilus orat. de ſuperbia: *Arbor*, inquit, *ſublimis, eſt ſuperbia: putrida tamen, & ejuſmodi ramos habens, qui facilè perfringantur, atque aſcendentem in terram proſternant:* eum enim agitant, & quietum eſſe non ſinunt, quamdiu adhuc ſtant, ob venti vehementiam.

4. Folia defluunt.

Quartò, folia ſceleratorum ſunt inutilia, caduca, à vento huc illuc diſjicienda. Theophraſt libro primo, capite vigeſimo notat, cùm Tilia calicem & dulcia folia habeat, nullum tamen animal fructu ipſius veſci. 2. Defluxum ſpontaneum foliorum habet, Eccl. 14. verſu 18. *Omnis caro ſicut fœnum veteraſcet, & ſicut folium fructificans* (Græcè θάλλον, germinans) *in arbore viridi: alia generantur & alia dejiciuntur.* Quid fiet in arbore arida? Omnia

proc-

penitus decidunt. *Sit generatio carnis & ſanguinis*, (hominum, ſed maximè carnalium & pollutorum) *alia finitur, & alia naſcitur:* in ætatis vere, foliorum viriditas delectat; ſed in hyeme nudatur arbor, mors omnia decutit: arbores item, quæ foliis abundant, parum fructus ferunt: omnis enim ſuccus in illis producendis & nutriendis conſumitur: nulla dignitas à morte liberat, decor omnis deperit, & lux honorum citò evaneſcit, Iſaiæ 34. verſu 4. *Omnis militia cœlorum defluet* (etſi Sol ſis, aut Luna, & ſtellæ, obſcuraberis Deo ad judicium tecum veniente) *defluit: folium de vinea, & de ficu.* 3. Folia lapſa ventos in varias partes rapit, & tandem in lutum dejicit, Iſaiæ 64. verſu ſexto. Facti ſumus ut immundus omnes nos: & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ: *& cecidimus quaſi folium univerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos*, cadimus per puſillanimitatem, levamur per vanitatem & ſuperbiam. S. Greg. lib. 12. Moral. cap. 22. explicans illud Jobi 13. verſ. 25. *contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam*, ait: Quid eſt homo, niſi folium, qui tentationis vento rapitur, & deſideriorum flatibus levatur? Mens quippe humana quot tentationes patitur, quaſi tot flatibus movetur. Hanc enim plerúmque ira perturbat: cùm recedit ira, ſuccedit inepta lætitia. Aliquando hanc ſuperbia elevat: aliquando verò inordinatus timor in infimis deponit. Et paolò poſt ait, jure etiam hominem vocari ſtipulam. Qui enim ait, arbor fuit in conditione, folium à ſemetipſo factus eſt in tentatione: ſed pòſt ſtipula apparuit in dejectione. Quia enim de alto cecidit, folium: quia verò per carnem terræ proximus fuit, etiam cum ſtare videbatur, ſtipula eſſe memoratur. Sed quia viriditatem intimi amoris perdidit, jam ſtipula ſicca eſt. Hæc ibi. Dan. 4. 11. *Excutite folia ejus*, etiam ante tempus.

5. Fructus nullus, vel peſtifer.

Quintò: Impiorum fructus, aut nullus eſt, aut noxius. Sterilitate eos damnat Deus: id figuratum eſt in ficu fructum non ferente, Matth. 21. 19. *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum.* Omnes comprehendit Prophetas, Pſal. 20. 11. *Fructum eorum de terra perdes.* Et 77. 46. *Dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locuſtæ.* Eccl. 5. 9. *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis*, (ſunt ſpinæ & cardui ſteriles) *& hoc ergò vanitas.* Superbus etiam caret fructu, aut eo non fruitur. Eccl. 6. 2. *Non te extollas in cogitatione tua velut taurus, ne forté elidatur virtus tua per ſtultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo.* Iſaiæ 10. 12. *Viſitabo ſuper fructum magnifici regis Aſſur*, (Sennacherib ſuperbi cogitationes) *& ſuper gloriam altitudinis oculorum ejus*, ſuper elatum ſupercilium. Omnis denique peccator fructu caret. Sap. 3. 11. *Sapientiam & diſciplinam qui abjicit, infelix eſt: & vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu*, &c. Hoc ut denotaret Jacob, inaures & deos domeſticorum ſuorum infodit ſubter terebinthum, arborem infructuoſam, Geneſ. 35. 4. quod meditans S. Ambr. lib. 12. de Jacob cap. 7. ait: Ibi ergò ſunt dii gentium, ubi nullus eſt fructus.

Si qui ſint fructus, Deus illos excutit. Iſaiæ 17. 4. *Attenuabitur gloria Jacob*, (Samaria urbs regia in regno Iſraël) *& pinguedo carnis ejus marceſcet*, (loquitur velut de filia delicata) *& erit:* 1. *Sicut congregans in meſſe, quod reſtiterit, & brachium ejus ſpicas leget*, (via toto brachio, & magno labore paucas ſpicas legere poterit) *& erit ſicut quærens ſpicas in valle Raphaim:* Raphaim otioſos, remiſſos, & negligentes ſignificat; ad formicam ablegandus eſt piger: ſignificat etiam gigantes & medicos: ſive robore, ſive induſtria præſtes, fame morieris ob ſcelera. 2. *Et relinquetur in eo ſicut racemus.* 3. *Et ſicut excuſſio oleæ duarum vel trium olivarum in ſummitate rami*, (ubi eum difficultate & periculo colliguntur) *ſive quatuor aut quinque in cacuminibus ejus fructus ejus, dicit Dominus Iſraël.*

Apocal. 6. 12. ait S. Joannes: Et vidi cùm aperuiſſet (Agnus) ſigillum ſextum: & ecce terræ motus magnus factus eſt, & Sol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, & Luna tota facta eſt ſicut ſanguis: & ſtellæ de cœlo ceciderunt ſuper terram, *ſicut ficus emittit groſſos ſuos*, (abjicit fructus immaturos) *cùm à vento magno movetur.* Cùm fit motus terræ, id eſt, animæ terrenæ, & exhalationes peſtiferas inhalantis. 1. Intellectus, qui eſt Sol mentis, fit niger, ſicut ſaccus factus ex nigris ſetis & pillis. 2. Voluntas, quæ eſt ejus luna, fit ſanguinea per deſideria turbulenta & nefaria. 3. Stellæ, id eſt, reliquæ mentis facultates, cadunt de cœlo in terram & deſideria lutea. Contra verò, quatuor Angeli, id eſt, dæmones, ut vult Delrio lib. 2. de Mag. quæſt. 11. impediuntur ab Angelo, hoc eſt, Chriſto, ut placet S. Ambroſ. aut melius, à vero Angelo, ne flent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in ullam arborem, donec ſignentur ſervi Dei in frontibus, ne ſcilicet eorum fructibus noceant.

Oſeæ 5. 12. *Ego quaſi tinea Ephraim, & quaſi putredo domui Juda.* Pro *putredo* eſt Hebr. רקב *rakab*, id eſt, *teredo:* eſt vermis in ligno naſcens, illudque erodens, de quo vide Plin. lib. 16. cap. 41. Uſurpatur etiam pro verme veſtes terente & erodente. Plin. lib. 8. cap. 48. de prætextis Servii Tullii mirum fuit, nec defluxiſſe eas, nec teredinum injurias ſenſiſſe annis quingentis ſexaginta. Tinea verò eſt vermiculus, qui aut ſitu, aut pulvere ac putredine interdum naſcens, veſtes aut libros abrodit. Columella lib. 9. cap. 14. vermes quoſdam in alvearibus natos, apibus noxios, & ceram erodentes, vocat tineas. Senſus itaque eſt, ut vult S. Hieron. & Lyranus, ſicut tinea veſtem, quia mollior eſt, citò abſumit: ita decem tribus, inter quas Ephraim eminet, per Aſſyrios (Phul ſcilicet, Teglatphalaſar, & Salmanaſar) citiùs conſumam: Sicut autem teredo lignum, utpote durum, tardius abrodit, ita tribum Juda & Benjamin tardiùs perdam per Nabuchodonoſor regem Babylonis. Hoc autem illis contingent, quia abibunt *poſt ſordes*, id eſt, poſt idola & vitia, à putredine verò & ſordibus fiunt tineæ & teredines. Plin. lib. 11. 35. *Pulvis in lanis & veſte tineas creat, præſertim ſi araneus unà includatur, ſitit enim, & omnem humorem abſorbens, ariditatem ampliat.* S. Greg. lib. 18. Moral. cap. 11. piè notat, tineam corrumpendo ſibi domum ædificare: ita gula & luxuria carnem, in qua exoriuntur, corrumpi. Et lib. 5. cap. 28. in illud Jobi cap. 4. 19. *Qui habitant domos luteas* (corpora carnea) *qui terrenum* (Hebr. pulveris) *habent fundamentum, conſumentur velut à tinea*, ait: Tinea de veſte naſcitur, & eamdem veſtem, de qua oritur, oriendo corrumpit. Quaſi quædam veſtis animæ, caro eſt, ſed hæc nimirum veſtis habet tineam ſuam: quia ab ipſa carnalis tentatio oritur, ex qua laceratur, & paucis interjectis, ſubdit: *Tinea damnum facit, & ſonitum non facit: ita iniquorum mentes, quia damna ſua conſiderare negligunt, integritatem quaſi neſcientes perdunt*, de eruca, locuſta, brucho, rubigine vide Joël. 2. 4.

Continua eſt Impiorum afflictio. Oſeæ 5. 7. *Nunc devorabit eos menſis cum partibus ſuis.* Leo Hebr. reddit, *cum agris ſuis.* Sept. *& cleros eorum:* id eſt, ſortes, ſeu ſortitò diviſas terras & agros, ut habetur Joſue 15. & Pſal. 77. 54. Sorte diviſit terram in funiculo diſtributionis. Senſus autem eſt: Devorabit eos menſis, id eſt, hoſtes & variæ plagæ in eos irruent ſingulis menſibus, eoſque vaſtabunt & perdent. Sept. pro *menſis*, vertunt *rubigo.* Nota, hanc Plin. lib. 18. 17. maximam ſegetum peſtem. Eſt autem rubigo ſive robigo morbus ſegetum veluti regius, quo palleſcunt culmi in modum auri vel æris, unde etiam vocatur aurugo & ærugo, ſicut à rubedine dicitur rubigo, quòd rubras faciat ſegetes. Oritur autem hic morbus, ſeu vitium ſegetum, à corrupto aëre, & Albertus ait eſſe rorem incenſum ab aëre defluentem. Chald. vertit, *populi.* Arab. Antioch. *Latrones.* Arabs Alexand. *Aſſyrii:* magis ad rem

Digitized by Google

noſtram, & interpreti noſtro conformius, Aquila vertit, *Neomenia*, id eſt, primus dies menſis: etenim à nova luna menſem Hebræi incipiebant. Nota porrò, menſem vocari חדש *hodes* ab Hebræis. q. d. novitatem ſeu innovationem: quia novam lunam habebant ſingulis menſibus, qui typus eſt mutabilitatis rerum omnium terræ, quæ ſublunares ſunt, ideòque luna ipſa mutabiliores. Lunam habe ſub pedibus ſicut mulier illa Apoc. 12. 1. & inconſtantiam terrenorum atque mutabilium preme. Nota 2. Fontem mali, eſſe ſuperbiam: unde ſubdit Oſeas verſ. 8. *Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama, ululate Bethaven.* q. d. hoſtis eſt in proximo, arma præparate, ſed fruſtrà id facitis, ideò ululate præ dolore vocem in verba non valentes formare. *Gabaa* ſignificat collem: *Rama* excelſum: *Bethaven* domum vanitatis: hæc præſertim proſternit Deus. Nota 3. Bethaven ſignificare etiam *domum iniquitatis*, & Sept. vertere Bethon, id eſt, *domum doloris*: ſic πόνος labor, & πονηρία, iniquitas, ſunt affinia: ululatus denotat dolorem maximum, qui homines faciat mentis impotes: & ſignificat vitioſos, eſſe lupos, non homines: addit Oſeas verſ. eod. 8. *poſt tergum tuum Benjamin.* Sept. vertunt, ἐξέστη, in ſtuporem & in extaſim raptus eſt Benjamin, præ admiratione ſcilicet cladis, advertens urbem Bethaven tribui ſuæ proximam eſſe direptam, Bethaven poteſt figurare corpus, Benjamin verò, animam, ſignificat enim filium dexteræ: occupantibus autem paſſionibus corpus, in periculo eſt anima: paries cùm proximus ardet, domus tua vix tuta eſt.

Fructus porrò, qui ſunt in ſceleratis, ſunt putres, fœtentes, venenati, lethiferi. Iſaiæ 2. 13. *Dies Domini exercituum ſuper omnes quercus Baſan.* Significat quercus Baſan. 1. ſuperbos: quia quercus excelſa eſt: & Baſan ſuit regnum Og gigantis. 2. Avaros divites, gulæ & libidini deditos; quia terra Baſan erat pinguiſſima & uberrima, & Baſan ſignificat ignominiam, unde Baſil. ait, gloria illorum *parit ignominiæ fructum*: & in magnam pœnam, dicit Sapiens, fore, ut perverſi comedant fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſiliis ſaturentur. Prov. 1. 31. & cap. 10. 16. *Fructus*, ait, *impii ad peccatum*, cap. 15. 6. *In fructibus impii conturbatio*: mortem in iis advertit S. Paulus Rom. 7. 5. *Cùm eſſemus in carne*, (tunc vivebat extra carnem, ut Angelus) *paſſiones peccatorum, quæ per legem erant*, (quæ legis Moſaicæ occaſione excitabuntur) *operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti*: ut peccatorum fructus producerent, qui ad æternam mortem traherent. Suar. tract. de opere ſex dierum lib. 3. cap. 14. ait, de fide tenendum eſſe Adamum non fuiſſe moriturum, ſi de pomo vetito non comediſſet, & definitum eſſe contra Pelagium in Concil. Milevit. cap. 1. cui contrarium docenti dixit Anathema: & Apoſtolus Rom. 5. ait, *per peccatum mors.* Nunc peccatum corpore, velut ſuburbio, occupato urbem & arcem occupare nititur, & cives ejus perdere: animam ſcilicet atque omnes ejus facultates.

Labor omnis irritus erit ad bonos fructus habendos, quamdiu peccatum in nobis erit. Iſaiæ 17. 10. *Plantabis plantationem fidelem, & germen alienum ſeminabis*: Aliqui legunt ex Hebræo, germen alieno ſeminabis, Aſſyriorum ſcilicet, qui Syriam & Samariam, quas Propheta alloquitur, devaſtârunt. Et verſ. 11. *In die plantationis tua labruſca*, cùm vineam plantaveris, orietur ex ea non vitis bonæ ſurculus, ſed labruſca, id eſt, vitis agreſtis, quæ etiam dicitur vitis erratica. Servius cenſet vocari labruſcam, quòd in agrorum labris, hoc eſt, marginibus & ſepibus, naſcatur: ſylveſtrem vocat Maro in Bucolicis, *& manè* (nimis citò) *ſemen tuum florebit: ablata eſt meſſis, in die hereditatis*, (ut eò major ſit dolor, quò fructus eſt propior & certior) *& dolebit graviter*, ſe conculcari, ſanguine polluti ob cædes factas in variis agris, ſe manu hoſtili rapi. Eſt enim proſopopeia. Sic eſt ſenſus aptior, quàm ſi cum Cornelio explices, *dolebit*, id eſt, dolere faciet meſſis cultores ſuos. Non eſt enim ibi *chieb* in Piel, ut ipſe ponit: ſed כאב *cheeb* *anum*, quod Arias vertit, *doloris deſperati*. Pagn. *percuſſionis infirmantis*. Quanta eſt miſeria, ut dies hæreditatis & meſſis, ſit dies deſperationis & percuſſionis.

Sextò denique, umbra impiorum eſt noxia. 105.
Iſaiæ 30. 3. *Erit vobis fiducia umbræ Ægypti in ignominiam.* Plin. lib. 17. cap. 13. de arborum umbris agit, dicitque non faſtidiendam eſſe hanc ſcientiam, neque in minimis ponendam, quando *quibuſque ſatis umbra, aut nutrix, aut noverca eſt.* Juglandium quidem pinorumque & picearum, & abjectis, quæcumque attingere, non dubiè venenum eſſe. 6 Umbra impiorum eſt noxia.

Arborem infrugiferam ſibi, aliis noxiam, Deus ex Eccleſiæ ſuæ horto ejiciendam ſuccidit, atque in flammas projici curat. Luc. 3. 9. *Jam ſecuris ad radicem poſita eſt. Omnis ergò arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Nota primò, in Græco verbum eſſe in præſenti ἐκκόπτεται excíditur, βάλλεται mittitur, ut præſentiſſimum excidium declaretur. Nota 2. Non tantùm ad truncum, ſed etiam ad radicem eſſe poſitam ſecurim, ut omnis ſpes ſuccreſcendi auferatur. Nota 3. Euthymio videri per radicem intelligi vitam, S. Gregorio ipſam ſtirpem integram, quæ etiam propter ſcelera parentum perit, ut patuit in Jeroboamo, filio Nabat indocente decem tribus ad cultum vitulorum aureorum, quos ipſe in Dan & Bethel poſuit, patuit in Baaſa, in Jehu, in Achab, aliiſque regibus Iſraël, qui cum ſtirpe ſua exciſi ſunt, ob ſcelera, Deo id ipſis per Prophetas declarante. Senſus itaque eſt: ſecuris, id eſt, mors, ut cenſet Euthymius: ſeu potiùs vindicta Dei & Chriſti ultoris, ad radicem Judæorum, velut arborum infrugiferarum, poſita eſt, ut exciſi extra Dei paradiſum terreſtrem, nempe Eccleſiam, extrudantur, & eorum loco gentes plantentur: ideò timendum nobis eſt: etenim ut ait Apoſtolus Rom. 11. 21. *Si Deus naturalibus ramis* (Judæis ab Abrahamo originem & fidem ducentibus) *non pepercit: time, ne fortè nec tibi parcat*, cùm ſis Gentilis, & oleaſter, inſertus tantùm in bonam olivam. De omnibus generatim loquitur ſanctus Gregorius homilia 20. in Evang. Arbor, ait, hujus Mundi eſt univerſum genus humanum. Securis verò, eſt Redemptor noſter, qui velut ex manubrio & ferro, tenetur ex humanitate, ſed incidit ex Divinitate. Notat deinde, ſecurim, non juxta ramos, ſed ad radicem poni. Cùm enim, inquit, malorum filii tollentur, quid aliud, quàm rami infructuoſæ arboris abſcinduntur? Cùm verò tota ſimul progenies cum parente tollitur, infructuoſa arbor à radice abſciſſa eſt, ne jam remaneat, unde iterum pravæ ſoboles ſuccreſcant. Hæc ipſe. Ficum plantatam in vinea ſua reperiens ſine fructu Dominus jubet cultori vineæ eam excidi, qui vix annum obtinet, ut fodiendo & eam ſtercorando experiatur, an ſit fructum allatura, ſin minùs, operam ſuam offert ad exciſionem. Luc. 13. 7. ſeveriùs eſuriens Chriſtus egit, qui Jeroſolymam petens, ficum ſine fructu repertam maledixit. Matth. 21. 19. *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum*, & areſacta eſt continuò ficulnea. In ea alleg. repræſentatos Judæos fructu virtutum carentes, & famem ſpiritualem Chriſti de eorum ſalute intelligi volunt S. Chryſoſt. S. Hilar. & S. Hieronymus. Nota, areſactio eſt terribilior, quòd necdum eſſet tempus fructuum: ne igitur adoleſcens dicas, aliquid dandum eſt ætati, fructus dignos pœnitentiæ in ætate virili & ſenili te Deo oblaturum: quis ſcit, an priùs ſis areſaciendus? Deus à te fructum ſemper poſtulat, adverte, quot in juventute areſcant & exſcindantur. Ezech. 31. 12. *Confringentur arbuſta ejus.* Si dicebat Paulus Philippenſibus cap. 4. 17. *Requiro fructum abundantem in ratione veſtra*, non in arca veſtra; quid faciet Deus? Adverte, rationem ibi poni pro computo. Habe librum computi, in quo notes,
Itaque impiorum arborem ſuccidit Deus.

quot

quot expenſas Deus fecerit & quotidie faciat in tui cultura, & quos illi fructus rependas: ne tibi accidat, quod domui Juda, de qua ſub vineæ typo dicitur Ezech. 17. 8. *In terra bona ſuper aquas multas plantata eſt vinea, ut faciat frondes & portet fructum, ut ſit in vineam grandem:* Sed quia non tulit fructum, additur: *Radices ejus evellet, & fructus ejus diſtringet, & ſiccabit omnes palmites germinis ejus, & areſcet.*

In temporalibus & ſpiritualibus ſcelerati exſcinduntur. Primò, de temporali exciſione numeroſi exercitus Sennacherib Regis Aſſyriorum dicitur Iſaiæ 10. 33. & ſeq. *Excelſi ſtaturâ ſuccidentur, & ſublimes humiliabuntur, ſubvertentur condenſa ſaltus ferro, & Libanus cum excelſis cadet.* In eo exercitu unâ nocte cæſa ſunt ab Angelo centum octoginta quinque millia principum, nobilium, ducum & militum. Nota, haſtati præſertim, in acie, referunt ſpeciem ſylvæ. Foliis cadentibus, & umbris prætercurrentibus, & ſomniis evolantibus terrena bona comparat S. Chryſoſt. in Pſal. 3. ubi ait, eſſe etiam, *ματαιότητα*, id eſt vanitatem. Hugo à S. Vict. hoc etiam amplificat hom. 9. in Eccleſiaſten. Species, inquit, rerum viſibilium, folia ſunt: quæ modò quidem pulchra & virentia apparent, ſed cadent ſubitò, cùm turbo exierit. Quæ ſunt folia? Domus, vineæ, horti, piſcinæ, ſylva lignorum germinantium, familiæ, poſſeſſiones, aurum, argentum, ſubſtantiæ regum & provinciarum, lyræ, citharæ, tibiæ, organa, ſcyphi, & urcei, & vaſa pretioſa: divitiæ, & pompæ, & gloria: omnia hæc folia ſunt. *Quare folia? Quia vana, quia caduca, quia tranſitoria, ideo folia.* Virent quidem modico tempore, ſed citò areſcunt & cadunt. Sed tamen dum ſtant, umbram faciunt, & habent refrigerium ſuum: ſed eſt obſcura umbra & inimica lumini. Sic ille, qui fusè ibi agit de periculoſa umbra, quæ ſub illis foliis quæritur. Fructus quoque impiorum perdit Deus. Hoc figurat in excidio Moabitarum 4 Reg. 3. 19 ubi Eliſeus Propheta imperat tribus regibus: nempe Joſaphat Regi Juda, Joram Regi Iſraël, & Meſæ Regi Edom, bellantibus in eos: *Percutietis omnem civitatem munitam, & omnem urbem electam, & univerſum lignum fructiferum ſuccidetis, cunctoſque fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum egregium operietis lapidibus.* Apocal. 8. 7. tertia pars arborum concrematur: & ideò nulla ſpes eſt, quod poſſint iterum pullulare.

Arbores bis mortuæ. Secundò, de ſpiritualibus bonis agit S. Judas in ſua Epiſtola, cùm loquens de Gnoſticis hæreticis, quos Caino, Balaam & Core comparat, inter cætera verſ. 12. ait: *Arbores autumnales* (Gr. *φθινοπωρινὰ*, id eſt, autumno marceſcentes, vel ſinentes ut ultimi autumni & hyemi proximi: vel fructus ſuos corrumpentes ac perdentes: onde Arabs vertit, arbores corruptorum fructuum) *infructuoſæ, bis mortuæ.* Primò, in animo & corpore. Secundò, in fructu & foliis. Tertiò, ut ait Cornelius, bis mortuæ, id eſt, eradicatæ, quia tunc in ipſa radice arbores moriuntur, non tantùm in trunco & ramis, qui hyeme videntur mortui, & reviviſcunt in vere. Quartò, ante baptiſmum in Gentiliſmo, aut etiam per peccatum originis, & poſt baptiſmum per hæreſim. Quintò, & aptius, in fide & charitate: fides eſt radix, charitas arbor reliqua: additur, *eradicata*, ut ſpes tollatur emendationis & profectus. Quomodo fides etiam ſine charitate ſit radix & fundamentum juſtificationis, optimè oſtendit Vaſquez in 1. 2. diſp. 10. cap. 6. & 7. illum conſule. Adde tamen opera, ſed in Chriſti fide fundata. Nam, ut ait S. Ambr. in Pſal. noſtr. *Virtutes ſine fide, folia ſunt; videntur virere, ſed prodeſſe non poſſunt. Agitantur vento, quia non habent fundamentum. Quanti Gentiles habent miſericordiam, habent ſobrietatem, ſed fructum non habent, quia fidem non habent? Labuntur citò folia, ubi ventus flaverit. Et aliqui Judæi habent caſtimoniam, ſedulitatem lectionis multam & diligentiam: ſed ſine fructu, & verſantur ut folia. Hæc fortè ſunt folia, quæ Salvator in illa ficu reperit, ſed fructum non invenit.* Idem dic de hæreticis, ideò exſcindentur, & in ignem mittentur.

Ex his porrò rectè concludemus cum Davide noſtro: *Non ſic impii, non ſic.* Non ſic ſcilicet ſunt arbor vitæ plantata ſecus decurſus aquarum viventium, quæ fructum ferat tempore ſuo, cujus folia non defluant, & omnia proſperentur: ſunt poſiti ultra flumina Æthiopiæ, & diripiunt flumina terram, & illos ipſos cum radicibus. Unde monet Rex noſter Pſal. 61. 11. *Divitiæ, ſi affluant, nolite cor apponere*, velut ad arborem citò eradicandam, & procurſu ſpumantium aquarum auferendam: qui bibunt de quodam Æthiopiæ fonte rubro, Lymphati fiunt, ut ait Cteſias: mente abluta, quæ moleſtia non ſequetur ſurſum ac deorſum in lutulentis aquis volutatum? *E quodam fonte bibentes fiunt furioſi.* Socrates dicebat, victum ægrotantis, & bonam fortunam inſipientis, *πολὺ ἔχειν τὸ ἐπαχθὲς*, multum continere moleſtiæ, item, idem eſſe Languenti *φορτίον ἀναθεῖναι*, imponere; & indocto bonam fortunam: & S. Chryſoſt. tom. 5. Conc. 1. de Lazaro, comparat divitem impium navi plenæ mercium, & ſecundo vento delatæ; ſed ut ait, *εἰς ναυάγιον ἔπλεε*, *ad naufragium navigabat.* Nunc arbori confert latè ramos expandenti, ſed jam exeſæ à fluvio, extrema & vix unica fibra adhuc terræ ſuæ adhærenti. *Subitò.* Quò magis erit onuſta foliis & fructibus terrenis, eo citiùs in abyſſum ruet. S. Greg. Naz. *Improbus miſer eſt, licet res vitæ hujus illi ex voto fluant: & tantò miſerior eſt, quantò magis ὑπὸ τῆς εὐροίας, ſecundo fluxu deluſus fuerit, ſibique aliud quodpiam bonum vero bono præſtabilius perſuaſerit πονηρᾶς δόξης καρπὸν δρεπόμενος, malum malæ opinionis fructum decerpens.* Et S. Chryſoſt. hom. 61. Si videas, inquit, nequitia & luxu diffluentem, & in extremis ſceleribus viventem, omni honore abundantem, regium ſolium aſcendentem, diademate coronatum, purpurâ indutum, & *οἰκουμένης ἁπάσης κρατοῦντα*, univerſæ continentiæ Dominum, ingemiſce; ac, *διὰ ταῦτα*, propter illud ipſum in miſeris eum computa, ita ſanctus Doctor.

Hoc etiam vidit Seneca ethnicus lib. de beata vita cap. 7. Infelices quidam, ait, non ſine voluptate, imò ob ipſam voluptatem ſunt: quod non eveniret, ſi virtuti ſe voluptas immiſcuiſſet, quâ virtus ſæpè caret, nunquam indiget. Quid diſſimilia, imò diverſa componitis? *Virtus eſt regia.* Altum quiddam eſt virtus, excelſum, regale, invictum, infatigabile. Voluptas humile, ſervile, imbecillum, caducum: cujus ſtatio ac domicilium fornices ac popinæ ſunt. Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, pulverulentam, coloratam, calloſas habentem manus. Voluptatem latitantem ſæpius, ac tenebras captantem, circa balnea ac ſudatoria, ac loca ædilem metuentia, mollem, enervem, mero atque unguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollutam, &c. Et S. Auguſt. epiſt. 121. ad Probam cap. 5. propoſitâ quæſtione: Quid ſit beata vita? Negat in eo eſſe ſitam, ut omnia fluant ex voluntate. *Quid enim, ait, ſi nequiter velit vivere? Nonne tantò miſerior eſſe convincitur, quantò facilius mala ejus voluntas impletur?* Attexit deinde ab ethnico ſumptam ſententiam: *Velle quod non deceat, idem ipſum miſerrimum; nec tam miſerum eſt, non adipiſci quod velis: quàm adipiſci velle quod non oporteat.* Tum ſubdit: quid tibi videntur hæc verba, nonne à veritate per quemlibet hominem dicta ſunt? Hæc ibi.

ARTICULUS II.

Impii ſunt pulvis vilis, & vento diſpergendus.

OStendit Propheta quid non ſint impii: putà 106.
arbor bona & fructifera. Nunc aperit, quid Verſ. 5.
ſint: putà, pulvis tenuis & evaneſcens. Verſ. 2. Par.
eod. 5. SED TANQUAM PULVIS, QUEM PROJICIT Impii
VENTUS A FACIE TERRÆ. Nota, Hebr. velut ſunt: 1. gluma.

מץ *mos*, id eſt Primò, gluma, ſeu folliculus tenuiſſimus, atque leviſſimus, qui proximè triticum tegit, eſtque palea levior. Ut enim ait Varro lib. 1. de re ruſtica cap. 48. de frumento loquens: Granum dictum, quod eſt intimum, ſolidum: gluma, qui eſt folliculus ejus: ariſta, quæ ut acus tenuis, longa eminet è gluma. Proinde, ut grani theca ſit gluma: & apex, ariſta. Impii ſunt, ut frumenti gluma; quia: 1. Juſtos coarctant & conſtringunt, ſed conſtringendo conſervant. 2. Cum vanno aliiſque modis frumentum purgatur, granum ſubſidit: gluma autem vento diſſipatur: & in hoc notat Aben Eſra juſtos eſſe grano ſimiles; ſceleratos verò glumæ, in qua nihil eſt ſolidum. S. Bern. ſerm. uno explicat, quinam ex peccatoribus ſint fœnum, quinam lignum, quinam ſtipula. S. Auguſt. comparat hæreticos zizaniæ: ſchiſmaticos ſpicis putrefactis: chriſtianos malos, ſtipulæ.

2. Quiſquiliæ. Secundò, *mos* ſignificat quiſquilias, ut vertit Vatablus. Sunt autem quiſquiliæ, ut ait Feſtus, purgamenta terrarum, & quicquid ex arboribus ſurculorum, foliorumque & florum minutim decidit. Has ventus in omnem partem nullo negotio diſſipat, eam ob rem Cæcilius quiſquilias volantes, ventiſpolia appellat, homines nihil & perditorum fæcem: Tullius lib. 1. epiſt. ad Atticum, vocat quiſquilias & in orat. pro Sextio, Numerium, Serranum & Ælium dicit eſſe quiſquilias ſeditionis Clodianæ.

3. Favilla. Tertiò, *mos* pro favilla ſumitur. Job. 21. 18. ubi agens de impiis ait: *Erunt ſicut palea ante faciem venti, & ſicut favilla, quam turbo diſpergit.* Ubi Pineda dicit, favillam ſumi pro pulvere, non quocumque, ſed qui remanet in area ex decuſſis granis & contritis palcis; minorulum eſſe illud, quod ex folliculis granorum, & ariſtis remanet, & ferè in pulverem abit. Arbitror tamen favillam eſſe ſumendam in ordinaria ſignificatione, id eſt pro ſcintilla igne deſtituta, cujuſmodi ſolet flammæ impetu exilire, fumoque immiſceri, & ventorum ludibrium fieri, atque cum fumo evaneſcere, & hoc patet ex verſo præcedente, ubi dixerat, *lucerna impiorum extinguetur, & superveniet eis inundatio:* pergens in eadem metaphora comparat eos favillæ. q. d. non tantùm in fine erunt miſeri perverſi, cùm peribunt; ſed etiam cùm lucebunt, toti abibunt in favillam, quæ à vento raptabitur: & hoc fortaſſe ſpectabat Oſeas Propheta cap. 13. verſ. *Erunt ſicut pulvis turbine raptus ex area, & ſicut fumus de fumario. Pro fumario,* Hebr. *arubba*, vertit Aquila cataractam; S. Hieron. autem dicit, cataractam propriè vocari foramen in pariete fabricatum, per quod fumus egreditur: ſic videmus in officinis fabrorum ferrariorum canales parietem penetrantes, ut è fornace fumus exeat; cum eoque innumeras ſcintillas evolare, quæ cum fumo pereunt. Sept. cùm legiſſent *arbe*, verterunt locuſtam; fumus autem ſive halitus, flatus ſeu ſpiritus, qui oritur à locuſta, tenuiſſimus eſt, ac penè imperceptibilis: unde poteſt intelligi, quàm parva res ac penè nihil ſit Ephraim, licèt ſit tribus regia in regno Iſraël: & in ea repræſentari ſcelerati quam ſint viles. Oſeæ enim de Ephraimitis, id eſt, decem tribubus, ibi loquitur.

4. Lanugo. Quartò, *mos* Sept. verterunt χνοῦν: eſt autem χνοῦς lanugo plantarum, & pomorum quorundam, & barbæ: mollis lanæ villus. Sunt, qui etiam ſpumam vocent illam lanuginem.

5. Pulvis. Quintò, ordinariè *mos* exponitur pulvis, ut Iſaiæ 17. 13. Oſeæ 13. 3. Sophoniæ 2. 2. Scelerati divites ſunt vitulus aureus in pulverem contritus à Moſe. Exod. 32. 20. Et ſtatua aurea Nabuchodonoſoris, à lapillo de monte deciſo tacta, & redacta in pulverem, Dan. 2. 35. Neutri profuit populi & Magnatum adoratio. Hoc animadverſum eſt in morte divitis epulonis, quam conſiderans S. Chryſoſt. tom. 5. conc. 2. de Lazaro. Hic mihi, ait, conſidera menſas argento circumtectas, lectos, tapetia, ornamenta, quæ tota in domo ſunt omnis, unguenta, aromata, vini meri copiam, eduliorum varietates, ciborum delicias, coquos, adulatores, ſtipatores, famulos, ac reliquam univerſam pompam, ſtrepitumque extinctum, marcidumque factum πάντα σποδὸς, πάντα τέφρα καὶ κόνις, *ubique cinis, ubique favilla, & pulvis*, lamenta & luctus, nemine ſuccurrente, neque ſemel egreſſam animam poſteà revocante.

Impii verò pauperes, ſunt ſpinæ & rubi, ubique aculeos habent, & in animam ſuam reflexos & implicatos: atque exteriùs eminentes, ut non ſibi tantùm, ſed aliis noceant, & vulnera infligant furtis, homicidiis, detractionibus, execrationibus, maledictis. Cùmque vitam miſeram trahant, in cineres abeunt. Iſaiæ 9. 18 *Succenſa eſt quaſi ignis impietas, veprem & ſpinam vorabit, & ſuccendetur in denſitate ſaltus, & convolvetur ſuperbia fumi.* Non aſcendet rectà in cœlum, ſed convolvetur atque in obliquum reflectetur, diſpergetur deinde & peribit. Paupertatem nefariorum compara lapidi Aſio, qui, ut ait Theophr. lib. de igne, ἀφανίζει πάντα, καὶ εἰς ἑαυτῶν τέφραν ποιεῖ, omnia conſumit, & in cinerem redigit. De illo vide Plin. lib. 36 cap. 17.

Nota ſecundò: Propheta comparat nefarios pulveri vago, & in aëre pereunti, ut eos opponat juſtis, quos arbori ſecus decurſus aquarum radicatæ & fructum ferenti contulit ſuprà. Aliquot parallela oppoſita videamus. 107. Comparantur impii pulveri.

1. *Quia pulvis eſt terra vilis.* Primò Arbor vivit vita vegetativa, habetque veram animam, ut patet ex nutritione, quæ eſt vita quædam ſeu vitalis operatio. Pulvis verò eſt terra vilis, ac ſine anima. Jeremias Propheta, poſtquam cap. 22. 28. dixit, regem Jechoniam eſſe vas fictile atque contritum, & vas abſque omni voluptate, de Judæis omnibus ſubdit verſ. 29. *Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini.* Terræ nomen repetitur ter, ut & Sacerdotes, & Reges, atque populum moneat fragilitatis & vilitatis ſuæ. 2. Ut alludat ad triplicem cladem trium Regum: nempe Joachas à Pharaone Nechao Rege Ægyptiorum captivati: Joachim rapto à Nabuchodonoſore primùm, ac poſteà occiſi: atque Joachin ſeu Jechoniæ in captivitatem Babylonicam abducti ab eodem Nabuchodonoſore.

JEſus ut denotaret Scribas & Phariſæos eſſe terram & terræ hærere, nomina eorum ſcribebat in terra, Joan. 8. 6. Et de omnibus impiis generatim, ait Jeremias cap. 17. 13. *Expectatio Iſrael Domine, omnes, qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te in terra ſcribentur:* ibi ſunt ſordidè, & facilè delentur, vel levi flatu venti, vel pedis motu: Reprehendit eos Rex noſter, Pſal. 48. 12. atque, *vocaverunt nomina ſua in terris ſuis*, à terra ſumunt honorem ſuum & nomen, ſunt velut obvoluti terris, cùm eas ex omni parte acquirunt, & ibi nomen ſuum inſculpi volunt, ſiuntque nomina hominum, non homines. Apocal. 11. 13. *Et in illa hora* (qua Henoch & Elias reſurgentes in cœlum aſcendent ſub finem Mundi) *factus eſt terræ motus magnus, & decima pars civitatis*, (Jeruſalem) *cecidit* (impius, qui eſt terra, tremit, & in pulverem reſolvitur) *& occiſa ſunt nomina hominum* (non homines) *ſeptem millia.* Dum cœleſtes illæ turbæ divina intonabant, illi ad aſpides aurem, ſed cordis, terra obſtruebant. Notabile eſt, quod Oſeæ 8. verſ. 1. ubi legimus, *in gutture tuo ſit tuba*, id eſt, tu, ô Oſea! tubali voce inſtar aquilæ voluntates meas aperi populo meo; Sept. verterunt, *in ſinu eorum quaſi terra*, aliter eos legiſſe, quàm interpretem noſtrum eſt neceſſe: ſed quotidie, dum concionatores cœleſtia inculcant, peccator terra ſinum ſuum opplet, ut locum in eo vox DEI non reperiat.

Secundò: Arbor in omnem partem dilatatis radicibus ſtabilitur. Pulvis verò, licèt terra ſit, reliquæ tamen ſolidæ terræ non adhæret. Impius radices non habet. Luc. 8. 13. *Et hi radices non habent*; ideò infirmus eſt. Quid pulvere tenuius? Iſaiæ 40. 15. dicitur: *Inſulæ quaſi pulvis exiguus.* Terra, ut ait Boëthius lib. 2. de conſol. eſt *punctum puncti*, id eſt, Mundi, qui punctum eſt, ſi cum Deo comparetur. Hæc ipſe. Inſulæ ſunt homines, undique deliciis, voluptatibus, & vitiis, ut fluctibus ſpumantibus, cincti. Sept. pro quaſi pulveris, ver- 2. *Reliquæ terræ non adhæret.*

vertunt, *quaſi ſpatum*. Vatablus reddit, ecce inſulas quaſi minutiſſimum pulverem projiciet. Et cap. 29. 5. ait idem Propheta: *Et erit ſicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te.* Nota, Hebr. אבק *abak*, ut vult R. David, ſignificat pulverem tenuem: ut verò cenſet Mercerus, pulverem qui vento impellitur; & ſic erit ſenſus: qui te volunt ventilare, id eſt ventilabro ſeu vanno agitare, & verſare, atque concutere, ipſimet ventilabuntur: nempe Chaldæi, qui Judæos in captivitatem duxerunt. Nota 2. addi tamen adjectivum דק *dak*, tenuis, minutus, comminutus, contritus, à Rad. *dakak*, conterere, comminuere. q. d. Qui nunc inſtar pulveris ſunt innumeri, ut te obruant, erunt ipſi ſub aliorum pedibus, & contererentur, atque comminuentur: ſub pedibus ſcilicet Darii Medi, & Cyri Perſæ, Babylonem conterentium: pergit Iſaias, *& ſicut* מץ *mot*, *favilla*. (Pagn. & Arias, gluma) *pertranſient multitudo eorum, qui contra te prævaluerant.* Nota, S. Hieron. ibi favillam ſumit in propria ſignificatione, & benè: ſic enim aptius & copioſius exaggerat vanitatem percutientem Chaldæorum. q. d. Vulgus eorum eſt inſtar pulveris contuſi, & nobiles, duces, principes, ſunt inſtar favillæ, cujus ſplendor periit, quæque à vento expellitur & diſſipatur. Vehementiam venti eos ablaturi deinde amplificat, verſ. 6. *Eritque repentè confeſtim, à Domino exercituum viſitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis, & tempeſtatis, & flamma ignis devorantis.* Somnio deinde eos egregiè comparat verſ. 7. & 8. Tropol. impius eſt ſcintilla lucens, ob imaginem Dei in ejus anima fulgentem ante peccatum, ſed malitia gratiam extinguens facit eum vilem favillam. S. Greg. lib. 9. Moral. 27. noſtra, ait, dignitas fulget per imaginem, & longè diſtat à beatitudinis perfectione per carnem: quia, dum ſpiritus miſcetur pulveri, quodammodo connectitur infirmitati. Sic ipſe.

3. *Aridus eſt.* Tertiò: Arbor plantatur ſecus decurſus aquarum, ut inde ſuccum trahat; & demiſſum cœlo imbrem foliis ac ſinu ſuſcipit bibitque, ut inde nutriatur & vireſcat. Pulvis verò, in vertice montium, & in viis mediis, ſub pedibus viatorum, & rotis curruum atque jumentorum veſtigiis reperitur, & aridus eſt. Jeremias cap. 17. 6. hominem, qui ponit carnem brachium ſuum, comparat *myricæ in deſerto: Et quæ non videbit*, id eſt non experientur, non ſentiet, cùm venerit bonum, nempè pluvia: *Sed habitabit in ſiccitate in deſerto*, (ut nec à terra, nec à cœlo humorem vivificum habeat) *in terra ſalſuginis & inhabitabili.* Nota, myrica quam vernaculè vocamus *bruyere*, eſt genus humilis virgulti, cujus duæ ſunt ſpecies: altera ſativa, quæ vocatur etiam Tamarix à Plinio lib. 13. cap. 21. altera ſylveſtris, quam in Achaia Briam ſylveſtrem nuncupant. Humiles myricas vocat Maro 4. Ecloga tenues Ovid. 10. Metam. fragiles lib. 3. de arte. Nota 2. impius erit Primò myrica. Secundò, myrica in ſiccitate, id eſt ſine pluvia. Tertiò, myrica in deſerto. Quartò, non in quocumque deſerto; ſed ſalſuginoſo, & non tantùm non habitato, ſed inhabitabili.

Magis ad rem præſentem ait idem Jeremias, ſeu Deus potiùs apud ipſum cap. 51. 37. *Deſertum faciam mare ejus*, id eſt, ut vult Lyranus, Euphratem fluvium, qui alluit Babylonem: & mare dicitur, ob abundantiam aquarum: vel mare cum Vatablo intellige abundantiam hominum & opum, quæ tanta Babylone videbatur, ut quaſi mare exhauriri non poſſe videretur: *Et ſiccabo venam ejus*, per Darium & Cyrum ex alveo aquas ejus aliò derivando, ita ut per illum areſactum milites intraverint, & minimè cogitantes oppreſſerint: *Et erit Babylon in tumulos*, domorum dirutarum & arenarum: in quibus, ut ſequitur, ſit habitatio draconum, ſtupor & ſibilus. Ad illam cladem alludit S. Joan. Apocal. 16. 12. *Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphratem: & ſiccavit aquam ejus:* Id eſt, felicitatem terrenam, ut explicat S. Laurentius Juſtinianus: ad literam, in fine mundi ſiccabitur Euphrates, ut præparetur via regibus Orientalibus, qui parebunt Antichriſto, ſicque facilius veniant in campum Armagedon, qui probabiliter erit juxta Jeruſalem & vallem Joſaphat, cùm in Jeruſalem regia Antichriſti futura ſit, & in valle Joſaphat extremum judicium, voxque Armagedon ſit Hebraica. Nota, Armagedon ſignificare *montem pomorum, ſive fructuum*. Nam הר *har* montem ſignificat, & מגד *meged*, omne pretioſum & optimum tam in fructibus, quàm in auro, argento, lapidibus pretioſis ac veſtibus, & aliis. Erunt impii in locum fructuum, id eſt, in Eccleſiam; ſed ut ibi cum Antichriſto & hæreticis pugnent contra Chriſtum & pios: ſpe autem ſua fruſtrabuntur: nam *mons fructuum*, fiet ejus *excidium excidii*, ſeu *anathema excidens*, ſuccidens, incidens: hoc quoque ſignificat Armagedon, ubi committetur pugna illa extrema, in qua Antichriſtus vincetur & occidetur. *Armagedon.*

Ingemit David Pſalm. 142. 6. *Expandi manus meas ad Te*, ut ramos arboris ad pluviam gratiæ & conſolationis poſcendam: *Anima mea ſicut terra ſine aqua Tibi:* S. Hieronym. vertit, quaſi terra ſitiens ad Te. Pſalm. 62. 2. dicit, ſe eſſe poſitum in terra deſerta, invia & inaquoſa. Pſalm. 41. 1. ſe comparat cervo anhelanti ad fontes aquarum. Hebr. ibi eſt: *Sicut areola præparata ad irrigationes aquarum.* A Deo ſolo remedium ariditatis invenies. Tempore regis Achab cùm per tres annos cum dimidio Elias cœlum clauſiſſet in regno Iſrael ob peccata, & præſertim ob idololatriam, 3 Reg. 18. 1. Luc. 4. Jacobi 5. pluviam oratione obtinuit, cùm jam penè omnia aruiſſent. 3 Reg. 18. 42. & ſeq. Eadem ſiccitas trium annorum cum dimidio erit in fine mundi orantibus Elia eodem & Henoch: ſicque toto tempore quo florebit Antichriſtus, erit ariditas. Nam regnabit *per tempus & tempora, & dimidium temporis*; id eſt, per annum, per duos annos, atque per dimidium anni: nempe per tres annos cum dimidio, Apocal. 12. 14. Elias autem & Henoch illi ſe opponent & concionabuntur per dies mille ducentos & ſexaginta, amicti ſaccis, id eſt, veſtibus pœnitentium; iis ſupervivet Antichriſtus per dies octodecim. Nam tres anni Juliani cum ſex menſibus efficiunt dies 1278. vel potiùs, poſt tres annos cum ſex menſibus ſupervivet adhuc Antichriſtus per 30. dies: nam Daniel c. 12. 11. ait, eum regnaturum dies mille ducentos nonaginta: ſed hæ minutiæ numerorum ut plurimum in Scriptura omittuntur. Antichriſti & impiorum regnum in ariditate eſt.

Quartò: Arbor fructus profundit, ut juſſit Deus Geneſ. 1. Pulvis verò, ſterilis eſt. S. Ambr. in Pſal. noſtr. *Anima*, inquit, *plena floribus pietatis, hortum habet: vel ipſa hortus eſt, qui fructus ferat. Anima, quæ impietati patet, pulverem habet, qui infœcundus ad fructum. Fructiferam quidem illam fecit Dominus, ſed ipſa ſibi collegit impietatis pulverem.* Sterilitatem illius pulveris aperit Deus cum Judæis agens de Jechonia Rege Juda. Jerem. 22. 29. *Terra, terra, terra*, (vehementiam affectus in loquente, & ſurditatem in audientibus notat hæc repetitio: deinde erant terra in cogitatione, verbis, & opere) *audi ſermonem Domini. Hæc dicit Dominus: Scribe virum iſtum ſterilem.* Jechoniam regem, qui etiam dictus eſt Joachin, filius Joakimi Regis occiſi à Chaldæis. Nota, pro *ſterilem*, Hebr. eſſe ערירי, *ariri*, quod Septuag. vertunt, abdicatum: Symmachus, vacuum; Aquila, *non creſcentem:* R. David, *unicum abſque liberis:* deduci poteſt ab ערער *arar*, myrica, quæ in deſerto eſt ſterilis & ſolitaria atque humilis. Nota 2. Jechoniam per menſes tantùm tres in Jeruſalem regnaviſſe, & abductum eſſe juſſu Nabuchodonoſoris in Babylonem captivum in ipſo ætatis flore: nempe anno ætatis 18. ibi quidem genuiſſe ſeptem filios, cùm jam haberet Salathiel: ſed nullus ex iis fuit rex: & illa ſterilitas melius in ſequentibus explicatur, *virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur: nec erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem* (regiam) *habeat ultra in Juda.* 4. *ſterilis eſt.*

5. Omnia reddit inculta. Quintò: Arbores trunco, foliis, fructibus, umbra ipſa exornant & exhilarant hortos, valles, & aperta camporum; Pulvis & arena omnia reddunt inculta & horrida. In Jacob & Eſau figurantur virtutis amœnitas & vitii fœditas. Jacobum enim benedicens Iſaac pater ejus, Geneſ. 27. verſu 27. incipit: *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Nota, Jacob comparatur agro: 1. Odorifero, ob flores & fructus. 2. Pleno, ob multitudinem herbarum, ſegetum, & arborum. 3. Benedicto à Deo, ob rorem cœli & pinguedinem terræ: lege S. Gregor. hom. 6. in Ezech. de florum, id eſt virtutum, vario odore. Eſau verò, dicitur Gen. 25. verſ. 25. *Totus in morem pellis hiſpidus:* Inde appellatus eſt 1. Eſau, id eſt factus & perfectus: quia naſcens apparuit hiſpidus inſtar viri, non glaber, ut infans: inde quoque appellatus eſt שעיר, *ſeir*, id eſt piloſus: ſed in hoc fuiſſe aliquam deformitatem patet, quòd Jacob jam natus annos 77. pelliculas hœdorum manibus circumdederit, in modum chirothecarum; iiſque colli nuda, id eſt mollitiem & glabritiem, protexerit, Geneſ. 27. 16, ut ab Iſaaco Eſau putaretur. Hæc S. Ambr. conſiderans lib. de Iſaac & anima cap. 7. *Quid*, ait, *pleno agro pulchrius, cùm ſeges fluctuat, cùm poma rutilant, vel cùm uvarum ſerta dependent: aut baccis onuſta olea curveſcit, vel viridantes gramine montium vertices, vallium humilia veſtiuntur. Et, ut Scriptura utamur teſtimonio. Jacob decorus erat, & ideo erat odor agri pleni. Eſau hiſpidus erat & indecorus, & ideo agreſtis erat, qui fructus illos habere non poſſet.*

Mundus licèt tot creaturis & hominibus refertus videatur, Sanctis tamen ob gratiæ defectum & virtutis, apparet velut deſertum. Apocal. 17. 3. S. Joannes ait: *Abſtulit me Angelus in ſpiritu in deſertum.* Carne erat in Patmos inſula, ſpiritu abripitur, ut videat gloriam meretricis magnæ Babylonis, id eſt, Romæ ethnicæ, quæ in medio populorum & regum circumdata erat purpura, & coccino, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua. Ut intelligas omnem mundi gloriam, eſſe merum deſertum, carens verâ lætitiâ & felicitatis fructibus. Unde fortaſſe Roma apparet inſidere beſtiæ; nam ad deſerta ſe beſtiæ recipiunt, præſertim monſtroſæ, qualis eſt illa. Nota primò, per hanc beſtiam non intelligi Antichriſtum, ut cenſuit Suares 3. p. tom. 2. diſp. 59. art. 6. ſect. 2. non diabolum ejuſque regnum, ut putavit Viegas; ſed mundum, id eſt complexionem vitioſorum & mundanorum, quibus de ſuo calice aureo propinat Babylon. Secundò, beſtiam illam eſſe coccineam, id eſt purpuratam ſanguine Martyrum, ut ait Alcazar: vel melius regio ſplendore & faſtu triomphantem. Tertiò, habere capita ſeptem, id eſt ſeptem montes, ſeptem ſcilicet peccata capitalia: ſeptem reges, hoc eſt, ſeptem dæmones, qui illis præſunt, ut Aſmodæus luxuriæ. Quartò, habere decem cornua, id eſt, ut explicat S. Ambroſ. & Ticonius, omnia regna regibus impiis ſubjecta: de ſenſu literali dicemus alias. Quintò, poculum aureum habere, id eſt, felicitatem, & ſuavitatem mundanam, delicias ac voluptates: ſed illud poculum eſſe plenum abominatione & immunditia fornicationis, h. e. idololatriæ, quam omnibus gentibus propinat.

6. Pedibus omnium calcatur. Sextò: Arbor in cælum ſe ſubrigit, & fructus à terra elevat, ne pedibus hominum ferarumque proterantur: neve eorum manibus & dentibus pateant. Pulvis verò, ſub omnium pedibus jacet, & ubique calcatur: Malach. 4. 3. *Calcabitis impios, cùm fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum*, id eſt, in die judicii, quando efficiam ut conculcetis inimicos veſtros ſceleratos. Nota, alludere ad morem victorum, qui in Oriente præſertim aut calcabant, aut calcari curabant, hoſtes devictos ut pater Joſuë 10. 24. ubi de quinque regibus ait ad principes exercitus: *Ite, & ponite pedes ſuper colla regum iſtorum.* Nota 2. Sancti in die judicii calcabunt impios: 1. Quia in acie ſublimes, videbunt miſeros ſub pedibus ſuis in terra catenatos. 2. Quia aſſeſſores erunt Judicis, eoſque ad æternas flammas damnabunt, ubi perpetuò manebunt, ſicut cinis manet in foco, ſemper urendi, nunquam conſumendi. S. Hilar. in Pſal. noſtrum de inferorum pœna etiam explicat, quòd impii pulvis appellantur. Per id, ait, quòd pulvis & lutum ſunt, in naturam tantùm pœnalis ſupplicii reſervari. Hæc ipſe. Nec impedit potentia, dignitas aut opulentia; nam dicitur Mich. 1. 3. *Deſcendet Dominus*, (ad judicium) *& calcabit ſuper excelſa terræ, & conſumentur montes ſubtus eum.* Hebt. *namaſſu*, colliqueſcent & diſſolventur, conterentur, liqueſcent. Excelſa terræ ſunt optimates Iſraël. Tu præveni tempus illud: & pulverem tuum, id eſt corpus, ſubige & contunde. Hoc monet Nahum. 3. 14. *Intra in lutum, & calca, ſubigens tene laterem.* Ubi S. Hieron. Quia ſemel, ô anima ingreſſa es lutum & clauſa corpore, ſuſtine injuriam & neceſſitates corporis, & conculcare ab inimicis: & omnia ad conficiendam carnem, quæ pœnitentia digna ſunt, patere. Semel enim aſſumens lutum & paleas, & inanibus hujus ſæculi negotiis involuta, debes per injuriam ſponte calcari, &c. Hæc ibi.

Septimò: Arboris partes omnes ſibi uniuntur: radix truncum, truncus ramos, rami fructus & folia ſuſtentant. Pulveris verò grana non modò terræ reliquæ, ſed ne ſibi quidem uniuntur. Impii non modò cum juſtis non coaleſcunt, ſed ne vinculo quidem charitatis ſibi adunantur: ſuis enim quique commodis ſervientes, ab aliorum amore diſcreti, nullo adminiculo fulciuntur, ſed leves ad ſua ſinguli lutra diſcurſant. Ante ædificationem turris Babylonicæ, dicitur de omnibus hominibus, quòd eſſent *labii unius* & ſermonum eorumdem. Gen. 11. 1. ſed non dicitur, quòd eſſent *cor unum & anima unum*, in Spiritu ſancto de cœlo in Apoſtolos & fideles deſcendente, Act. 4. 32. Nota, tibi erat unum labium, id eſt una lingua, nempe Hebraica in tota terra: ſed quia corda erant diverſa, ipſum labium diverſum fit, & dividitur in 72. linguas matrices, ut cenſent S. Hieron. S. Auguſtin. S. Proſper, & S. Epiph. vel potius in 55. ut vult Cornelius, quia tollit Cainan, & patres nominatos ex perſonis 72. Geneſ. capite decimo numeratis: aut denique verius, in quinquaginta ſex: nam Cainan non eſt delendus, ut S. Greg. Naz. S. Auguſt. Euſeb. Hugo, Dionyſius, Lipom. Delrin, Tolerus, alibique docent. Nota 2. שפה *ſapha*, ſignificat labium, ſi punctum ponatur in ſiniſtro cornu: שפה *ſapha* autem, puncto in dextro latere collocato ſignificat contundere, conterere, frangere: labia doloſa *in corde & corde* (duplici corde) loquuntur. Pſal. 11. 3. inde oritur contritio: unde additur verſ. 4. *Diſperdat* (Hebr. diſperdet, ſuccedet) *Dominus univerſa labia doloſa.* Et ipſa ſe labia ſceleratorum per calumnias, detractiones, contumelias conterunt. Prov. 10. verſ. 10. *Stultus labiis verberabitur:* id eſt, ut ait Salonius, condemnabitur, propter verba iniqua, quæ locutus eſt. Sic verſ. 8. dixerat: *Stultus caditur labiis;* Pagninus vertit *propter labia punietur.* Aquila vapulabit; Symmachus, torquebitur. Septuag. ſupplantabitur. Theodotio, φυρήσεται, fermentabitur. Nota 3. in Pentecoſte cor unum & animam unam in uno Spiritu omnia labia ſimul junxiſſe, ut omnia idiomata una lingua proferrentur. *7. Grana pulveris ſibi non uniuntur.*

8. A vento diſſipatur. Octavò: Arbor ventorum flatibus reſiſtit trunco ſuo, & radicibus bene firmatis. Pulvis nullam habet reſiſtentiam, ſed ſtatim à vento disjicitur & diſſipatur. De perverſis dicit Deus 2 Reg. 22. 43. *Delebo eos ut pulverem terræ quaſi lutum platearum:* Ubi notat Sanctius, cùm dicitur aliquis delendus ut pulvis terræ, dici facilè eſſe delendum, cùm pulvis nullam prorſus habeat vim reſiſtendi. Idem penè dicitur Pſalm. 17. 43. De illa diſperſione pulveris fusè mox agetur.

9. In acie perit. Nonò: Arbor ventorum vi dejecta, à loco ſuo non movetur, ſed ſaltem fibris terram tenet, ſeque immotam præſtat. Pulvis verò, ſemel à vento in aërem elevatus, diſſipatur, & aſpicientium oculos effugit, peritque. Impii, ut ait Genebr. in Pſal. noſtr. celeriter levique negotio, quaſi vento vio-

len-

lenter & infeliciter delebuntur, atque diſparebunt tanquam pulvis, quem ita per aërem propellit & raptat ventus, ut brevì nuſquam appareat, utpote in auras evaneſcens.

10. Oculis nocet. Decimò: Arborea viriditate ſuâ oculos reficiunt & recreant. Pulvis in oculos agitatus incurrit, iis nocet, & caliginem infert. De impiis divitibus, qui inſtar Idolorum adorari ſe volunt, poſſis cum Baruch Propheta dicere cap. 6. 15. & 16. *Sicut vas hominis confractum inutile efficitur, tales ſunt & Dii illorum. Conſtitutis illis in domo, oculi eorum pleni ſunt pulvere a pedibus introeuntium.* Vanitas eos excæcat; ideo cæci ſunt, & duces cæcorum, quod Chriſtus Matth. 15. 14. de Scribis & Phariſæis dicit: & tu de ſciolis poſſis efferre, præſertim cùm ſunt vitioſi. S. Ambroſ. in Pſal. noſtr. *Pulvis eſt impietas. Sicut pulvis eſt impiorum potentia. Caliginem infert, ſalutem dare non poteſt. Simul ac vehemens flare cœperit ſpiritus, ſpargit eam, atque diſſolvit. Aërem turbat, ſolum nudat: at pulvis projicitur: deficit ut fumus: liqueſcit ut cera.* Fit peccatum nubes pulverea Solem & lucem eripiens. S. Chryſoſt. hom. 64. *Peccatum*, ait, σκοτεῖ τὸν λογισμὸν, *obtenebrat mentem. & quaſi*, νεφέλη πυκνὴ, *denſa nubes mentem corrumpit.*

11. Nares, & os implet. Undecimò: Arbor fructu ſuo palatum refrigerat, humectat, & delectat, ſitimque & famem tollit. Pulvis verò nares & os opplet, atque fauces areſacit, ita impietas. Iſaias 3. 24. *Erit pro ſuavi odore fœtor.* S. Baſilius legit *pulvis*, atque delicias aromatum & unguentorum pretioſorum opponi pulveri, qui oppilatione moleſtam difficultatem inducens circa orificium anhelitûs multum tædii affert & anxietatis. Os pulvere complent, qui ſemper pro terra & de terra loquuntur. Iſaiæ 29. 4. *Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quaſi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum, muſſitabit:* exili & tenui voce loquetur, dolos & fraudes inſuſurrans participibus malitiæ tuæ, atque per detractiones & calumnias occultas alios bonis evertens. Python eſt ſpiritus divinator, qui ſe humanis corporibus inſinuans, reddit oracula, ſic dictus à πυνθάνομαι, interrogo, quòd ab eo varia petantur: ſic Act. 16. verſ. 18. S. Paulus ſanavit puellam, quæ Philippis urbe Macedoniæ habebat *Spiritum Pythonem.* Syrus vertit, ſpiritum divinationis: & πύθιοι vocabantur, qui Delphios ad conſulenda oracula mittebantur, qui publicè cum regibus cibaria habebant, & veſcebantur unà, ut tradit Herodot. lib. 6. Secundò, Pythones appellantur homines ipſi, qui à dæmonibus poſſeſſi ſunt, ut indicat Plutarchus in eo opuſculo, quod inſcripſit, cur oracula deſièrint, & habemus apud Iſaiam cap. 8. 19. *Quærite à Pythonibus* (Sept. ἐγγαστριμύθοις ventriloquis: Hebr. אבות *oboth*, utribus) *& à divinis, qui ſtrident incantationibus ſuis.* Hebr. *meſaphſephim ve magim*, muſſitantes & ſubmurmurantes. Galli dicunt, *gazouiller.* Rabbi Abraham, R. David, & R. Emmanuel dicunt propriè ſignificare הגה, *haga*, loqui ore, & per metaphoram ſumi pro meditari: arbitror מהגים *magim*, inde dictum, hoc loco propriè ſignificari loquentes cum meditatione, cum ſtupore quodam & extaſi, ſtupefactos & meditabundos: hinc magi dicti videntur incantatores, qui à dæmone inquirunt, quæ optant ſibi & aliis. Pagn. & Arias vertunt, *garrientes & ſuſurrantes:* ſic enim carmina magica recitant, & dæmon in ventriloquis ſæpè exili voce loquebatur. Quòd autem ſæpè furiis agerentur & ſpumarent illi enthuſiaſtæ, cùm ſive per os, ſive per ventrem oracula darent, ut patet apud Virgil. l. 6. Æneid. Ideo S. Hier. vertit, *ſtrident.* Nota, ab Hebr. vocari *oboth*, id eſt, utres: quia per ventrem quaſi per utrem obſcuras, ſtridulas, hiulcas, confuſas, ambiguas & perplexas ſæpè dabant voces: Scholiaſtes Ariſtophanis in Pluto modum, quo id fieret, explicat. Impii vox, eſt vox Pythonis de terra ob ventrem loquentis.

12. Veſtes inficit. Duodecimò: Sunt, qui ex arborum foliis ſibi veſtes contexant, ut S. Paulus Eremita ſuam ex foliis palmarum, quam veſtem S. Antonius in præcipuis anni ſolemnitatibus ſibi ab eo datam ponebat. Pulvis veſtes fœdat. Veſtis animæ, corpus eſt. Job. 40. 5. ait Deus Jobo, *ſpecioſis induere veſtibus.* Et Paulus 1 Cor. 7. 34. *Mulier ſit ſancta corpore & ſpiritu.* Hebr. 10. 22. omnes alloquens ait: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia mala*, id eſt, à peccatis, quæ conſcientiam perverſam efficiunt, purgati per Chriſti Sanguinem, quo aſperſi ſumus felicius & efficaciùs, quàm Judæi aqua, cinere vaccæ rufæ ſanctificata, de qua agitur Num. 19. *& abluti corpus aqua munda*, id eſt, emundante, ut ait S. Chryſoſt. & S. Anſelmus, quod verum arbitror: puto tamen etiam ſubindicare aquam, in quam olim cinis vitulæ rufæ injiciebatur, non fuiſſe omninò mundam & puram, ſed aquam Baptiſmi eſſe puram & aptam ad abluendum & purgandum; alia potiùs infeciſſet & veſtes, & corpus: neque apta fuiſſet ad potum: erat tamen aqua expiationis & luſtrationis Judæis, egenum licèt elementum, ad ſignandam vim Baptiſmi per Chriſtum. 1 Cor. 15. 44. *Seminatur corpus animale*, (in pulvere ſepulchri) *ſurget corpus ſpirituale*, in gloria: hîc etiam per animæ gratiam poteſt arrham illius felicitatis obtinere.

Decimò tertiò: Arbores, fructuum ſuorum variis ſuccis, ad condiendos cibos inſerviunt, eos pulvis inſipidos facit: impietas omnem menti ſaporem & ſapientiam, id eſt, ſapidam ſcientiam aufert. Moſes Deut. 32. 6. Judæos vocat populum ſtultum & inſipientem, quòd Deum ex corde non colerent. & S. Paulus Rom. 1. 21. Gentilium Philoſophos arguens, ait: *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Contrà verò, ut ait author Eccleſiaſtici c. 1. 25. *Radix ſapientiæ, timere Deum*, id eſt, revereri Dominum, ut habent Tigurina: nam bonus eſt Dominus, *& rami ejus longævi.* Septuag. μακροημέρευσις, dierum longitudo: & in hac & in alia vita. Arabs reddit, *Radices illius, vita æterna: & arbor illius, prolongat dies.* De ſapientia intelligit, & conſequenter de timore Dei. *13. Cibos inſipidos facit.*

Decimò quartò denique: Arbor dat cibos hominibus, & ante diluvium ſolis fructibus vos victitâſſe cenſuit S. Baſil. Beda, Tornielius, & alii: ſed meliùs Soto, Salianus in Annal. Suares tract. de opere ſex dierum lib. 5. cap. 6. num. 27. & ſeq. putant, eſum carnium fuiſſe licitum ante diluvium, cùm non ſit per ſe malus, neque ejus inveniatur prohibitio: & probabiliter iis uſos eſſe homines, etiam juſtos: certè S. Juſtinus quæſt. 129. ad gentes, ait, Abelem comediſſe de lacte ovium. Ut enim ait Paulus 1 Cor. 9. Quis paſcit gregem, & de lacte ejus non manducat? Adde: Quis pelle ovis ad veſtes utitur? Et carnem ejus, quam ſcit ſuaviſſimam, ad canes abjicit? Suares tamen loco citato n. 2. putat in ſtatu innocentiæ cibum infantium futurum fuiſſe lac maternum: adultorum verò, ſemina, & fructus arborum, n. 3. nec pane, nec alio cibo arte confecto: imò neque ovis aut lacte animalium uſuros fuiſſe, n. 16. neque carnibus, n. 12. quia illis non indiguiſſent: nam & ordinatam delectationem, & ſuſtentationem vitæ, & virium corporis conſervationem ſufficienter dabant fructus arboris vitæ, & aliarum arborum. Sed hæc non multum probant. Ut ut ſit, fructus arborum nobis cibum ſuppeditant; pulvis, cibus eſt ſerpentis. Gen. 3. 14. *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Rupert. lib. 3. de Trinitate cap. 18. ait, homines, qui terrena ſapiunt, eſſe cibum & pabulum dæmonis poſt Adæ peccatum. S. Greg. l. 30. Mor. c. 6. in illud Job. 38. verſ. 38. *Quando fundebatur pulvis in terram, & glebæ compingebantur*, ait, per pulverem peccatores accipi, nullo rationis pondere ſolidati, cujuslibet tentationis flatu rapiuntur: glebas tamen fieri, cùm in una fide & charitate conjunguntur & confunduntur. Alio in loco dicit, iniquos inſtabiles per pulverem deſignatos, eſſe cibum ſerpentis. Iſaiæ 65. 25. *Serpenti pulvis panis ejus.* Foreriua ad literam, ibi ſerpentem ſumit pro dæmone peccatores devorante, ſenſum tantùm eſſe myſticum arbitror. Eurynomi dæmonis mentionem habes apud Pauſaniam l. 10. *14. Cibus eſt ſerpentis.*

ſeu, in Phocicis, ubi ait à Delphicis creditum, carnes mortoorum, exceptis tantùm oſſibus, devorare: & Rabbini volunt ab Iſaia intelligi Azazelem dæmonem, qui eſt princeps deſerti, & in poteſtate ſua habet pulverem deſerti, id eſt, humanum corpus, quod ex pulvere factum eſt, donec converſum fuerit in naturam ſpiritualem. Sic etiam Valentiniani apud S. Irenæum cenſent Azazelem eſſe nomen dæmonis, l. 1. c. 12. idem tradit Reuchlinus lib. 3. de arte Cabal. atque, in exercitu ſatanæ latiſſimè imperare: ſignificat emiſſarium abeuntem: fortis ſis in Deo, & citò illum fugabis: cum eo autem convivantur impii, de quibus Michææ 7. 17. *Lingent pulverem, ſicut ſerpentes:* non tantùm devorabunt, ſed lingent, velut aliquid ſuave.

Verſ. 5. 3. Pars. Præcipuè autem comparatio pulveris cum impio, in eo eſt, quòd pulvis diſpergitur huc illuc. Verſ. eod. 5. SED TANQUAM PULVIS, QUAM PROJICIT VANTUS A FACIA TARRÆ, id eſt, à ſuperficie terræ, à terra: nam facies terræ ſumitur pro terra: facies maris, pro mari: facies iræ, pro ira: & ſic de aliis, per Hebraiſmum. Pulvis porrò, qui à terra projicitur, vel elevatur uſque ad nubes, & ibi mutatur in aquam, vel in ranas & bufones: aut elevatur uſque ad ignis ſphæram, ſi ulla eſt, atque ibi vertitur in ignem: aut in fontes ac mare præcipitatur, & fit lutum ad ima defluens, ſi præſertim in magna quantitate projicitur.

Facies terra Tropol. eſt primò, conſtantia & firmitas virtutis, ut explicat Ludolphus: Secundò, bona iſta ſuperficialia & externa, ut S. Thomas: Tertiò, fixa certo in terræ loco habitatio, ut Heſych. & Euthym.

Alleg. *facies terra* eſt ſoliditas Eccleſiæ, ſicut interpretatur Haymo Ansgog. Primò, eſt ſocietas juſtorum in judicio, ut ait Dion. Carthuſian. & Jacobus de Valentia: Secundò, eſt ſtabilitas in Deo, & in terra viventium, ut explicat S. Auguſt. & dicit Iſaias cap. 26. ſecundùm Sept. *Tollatur impius, ne videat gloriam Domini:* ſic à facie terræ promiſſionis per arenas Arabiæ diſperſi ſunt Iſraëlitæ per 40. annos, quòd ab exploratoribus perterrefacti ad eam noluiſſent aſcendere. Num. 14. 33. *Filii veſtri vagi erunt in deſerto quadraginta annis*, inchoatis, non plenis, ab ea punitione, ſi ab anno profano ducas exordium: incipit enim menſe Tiſri, id eſt, Septembri: murmur autem factum eſt menſe Julio: itaque primi anni erunt tantùm duo menſes, deinde ſecuti ſunt anni 38. pleni: ad extremum annus quadrageſimus à Tiſri uſque ad Martium decurrit tantùm per ſex menſes. Si verò incipias numerare ab egreſſu ex Ægypto, erunt 40. anni completi uſque ad ingreſſum terræ promiſſæ.

108. Venti quatuor impios disjiciunt. Nota, *Ventus* quadruplex hìc ſentiri poteſt, qui pulverem disjiciat à facie terræ: ſic Judæis in Babylone morantibus dicitur Zachar. 2. 6. *In quatuor ventos cali diſperſi vos.*

1. *Cornis cupiditas, qua eſt ventus occidentalis.* Primus ventus eſt Occidentalis: nempe, 1. Nefaria cupiditas ipſius impii, ut explicat Haymo, quæ domum ipſam intrat per hortum & delicias. 2. S. Auguſtin. de ſuperbia explicat: illa non parietes tantùm ſuccutit, ſed in altum ſe volens extollere, tectum charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum, diſrumpit & diſſipat, omnemque virtutum ſupellectilem omnibus aëris, id eſt, vanitatis, injuriis exponit ac latrociniis furum. 3. Ventum pro morte ſumit S. Greg. 11. Mor. 17. pulverem pro vita: aut pro fama & memoria impii: *Periit memoria eorum cum ſonitu.* Pſ. 9. 7. facto per ventum inanem, & pereuntem ac perdentem. Superbos diſperſos mente cordis ſui, Luc. 1. 51. comparat pulveri montium, de quo Iſaiæ 17. 13. *Rapietur ſicut pulvis montium à facie venti:* pulvis domorum, quietus manet: pulvis vallium, & humiditate ſua non eſt ita volubilis, & à montibus tegitur, à ſylvis, ſegetibus, herbis & floribus, in quibus & ſub quibus latet; ſed pulvis montium eſt aridus, & omni vento expoſitus. *Et ſicut turbo coram tempeſtate*, à qua in omnem partem agitur dextrorſum, ſiniſtrorſum, ſurſum, deorſum: cum vertigine & ludo. 1. Vatablus reddit, *ſicut globus ante turbinem.* 2. Sept. *ſicut pulverem rota tempeſtatis impellentis.* 3. Pagninus in theſauro, *ſicut rota.* 4. In paraphraſi, ſicut ſtipula, & ita vertit R. David. Vox Hebr. גלגל, *galgal*, ſumitur pro re volubili, qualis eſt turbo, rota, globus, qui, cùm à turbine corripitur, totus impetu illius rotatur & projicitur, agit autem Iſaias de Damaſcenis vincendis à Teglathphalaſar Rege Aſſyriorum. 4 Reg. 16. 9. & poſt 134. annos à Nabuchodonoſor Rege Babylonis. Jerem. 49. 23. pergit Iſaias verſ. 14. *In tempore veſpere, & ecce turbatio: in matutino, & non ſubſiſtet:* In adverſis, & proſperis; in ſenectute, & juventute.

2. *Mundi applauſus, qui flat à meridie.* Secundus ventus, qui pulverem disjicit, eſt favor & applauſus Mundi vel odium ejus. Ventus hic eſt meridionalis, adducit pluvias, & morbos, ac peſtem. Ventus hic evertit domum filiorum Jobi. Nuncius ait Job. 1. 19. *Repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domûs, qua corruens oppreſſit liberos tuos.* Cùm ortus fuerit ventus ille à regione deſerti, id eſt, à Deſerto Arabiæ, rectè S. Hieron. concludit fuiſſe Auſtrum. Terra enim Hus, in qua regnavit Job, habet ab Occidente Jordanem, Trachonitidem regionem, & Argob: ab Oriente autem, Hermon: non illum, qui citra Jordanem monti Tabor conjungitur, ſed alium majorem & celſiorem trans Jordanem, qui etiam Sanir dicitur, Ezech. 27. & Sion, Deuteron. 4. abundatque leonibus & pardis, Cant. 4. atque laudatiſſimis abietibus ad tabulata navium Tyriorum, Ezech. 27. ab aquilone habet agrum Damaſcenum & montem Libanum: à Meridie denique habet montem Seir, ſive Edom, quem incoluit Eſau, Idumæum quoque reliquam, & deſertum Arabiæ: paulò inferiùs ad latus meridiei habet regnum Baſan, & regionem Galaaditidem & lacum Geneſareth.

Tempeſtates pulveris in Arabia. Ferunt in Arabia aliquando tempeſtates arenarum excitari, ſicut in mari fluctum. Herodotus certè in Thalia dicit, exercitus miſſos à Cambyſe ad Ammonis Jovis fanum in Africa evertendum, fuiſſe ita arenis vento agitatis obrutos, ut ne unus quidem miles ſuperfuerit. Juppiter porrò ibi cultus, Ammon eſt appellatus, id eſt, arenarius, quòd locus, in quo fanum eſſet, alioqui amœnus ob fontem & arbores, ex omni parte arenis cingeretur: ἄμμος enim Græcè arenam ſignificat. Notabile eſt, quod Plin. lib. 2. cap. 45. refert, in Cyrenaica Provincia rupem quamdam Auſtro tradi ſacram, quam profanum ſit, attrectari hominis manu, inſonare confeſtim *auſtro volvente arenas.* Tange montes, & fumigabunt. Tradit quoque, in Dalmatiæ ora ſpecum eſſe, vaſto in præceps hiatu; in quem dejecto levi pondere, quamvis tranquillo die turbini ſimilis emicat procella. De mundanis dici poteſt illud Oſeæ 8. 7. *Ventum ſeminabunt*, (ventum, aut ἀνεμόφθορα, ſemina vento corrupta, ut ait Hieron.) *& turbinem metent.* Arabs Alex. *in perditione auferentur.* Dixerat idem Propheta verſ. 6. *In aranearum telas erit vitulus Samaria:* id eſt, vitulus aureus poſitus à Jeroboam Rege in urbe Dan, quæ erat terminus Judææ à Septentrione: & in Bethel, quæ prius Luza vocabatur, & erat in finibus regni Iſraël à meridie. Samaria autem urbs regia ponitur ſynecdochicè pro toto regno decem tribuum, quod dicitur etiam regnum Iſraël. Hebr. autem vocem, quam S. Hieron. vertit *aranearum telas*, Arias & Pagn. reddunt, *contritiones.* 2. R. David & Vatablus, *fragmenta, fruſta, ſciſſilia.* 3. Chald. *aſſeres.* 4. R. Jonas, *expulſiones.* 5. R. Jepher, *averſiones, aut rebelliones.* 6. Septuag. *ſeducens.* 7. Symmach. *inſtabilis* 8. V. editio, *vagus & fluctuans.* Vetat S. Paulus Eph. 4. 14. ne ſimus parvuli fluctuantes, & ne circumferamur omni vento peſtilentis vitæ. Vehementes ſunt illi venti. Iſaiæ 21. 1. Onus deſerti maris (Babylonis exſcindendæ) ſicut turbines ab Africo (vento meridionali) veniunt: de deſerto venit, de terra horribili.

3. *Dæmon flans à Septentrione.* Tertius ventus, qui *pulverem projicit à facie terra*, eſt ventus Septentrionalis, nempe dæmon, ut Euthym. & S. Hieron. explicant: aut quilibet tentationis flatus, ut S. Greg. 28. Mor. cap. 9. *ab*

Aqui-

Aquilone, ut ait Jerem. 1. 14. *pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ*, id eſt, qui non ſe reputant peregrinos in terra: ad literam, agit de Jeruſalem vaſtanda per Nabuchodonoſor Regem Babylonis, quæ eſt Septentrionalis Jeroſolymæ, ut ait Theodoret. & Vatablus: aut potiùs, quia Nabuchodonoſor capta Ninive, & Syria decurſa, Judæam eſt ingreſſus per Dan, quæ urbs eſt Septentrionalis reſpectu Jeruſalem, exercitum ſecum adducens conflatum ex gentibus Septentrionalibus. Nam Ninive eſt magis Septentrionalis, quàm Chaldæa.

Philiſthæis vaſtandis à Sennacherib Rege Aſſyriorum, cujus urbs regia erat Ninive, ait Iſaias 14. 31. *Ulula porta, clama civitas: proſtrata eſt Philiſthæa omnis: ab Aquilone enim fumus veniet, & non eſt, qui effugiet agmen ejus.* S. Hieron. id explicat de Sennacherib, Cornelius de Ezechia Rege Juda, per fumum intelligit, magnum pulverem, qui excitatur ab exercitu veniente; malim explicare de igne; ut ſit metonymia, in qua ſignum ponatur pro ſignato, ſeu effectus pro cauſa.

Dixit dæmon Iſaiæ 14. 13. *Sedebo in monte teſtamenti*, in cœlo, hic enim eſt mons fœderis, *in lateribus Aquilonis.* Ad literam agitur de Balthaſar Rege Babylonis, qui vult coli, ut Deus in throno ſuo vel templis idolorum ſuorum; ſicut Deus verus colebatur ante everſionem templi Jeroſolymitani, quod 1. vocatur mons; quòd in monte Sion eſſet ſitum, & ſua mole appareret ad modum montis. 2. Mons teſtamenti, hoc eſt, fœderis initi cum Deo & populo in deſerto mediatore Moſe; nam arca fœderis erat in Sancto Sanctorum, in eaque tabulæ legis Dei digito ſcriptæ ſervabantur. 3. Erat in lateribus Aquilonis, quia Salomon templum extruxit ad Aquilonarem urbis partem, qua de re dicitur Pſalm. 47. 2. Dæmon porrò rectè comparatur vento Aquiloni, ob frigus. S. Auguſt epiſt. 20. ad Honoratum; *Diabolus & Angeli ejus, à luce atque fervore charitatis averſi, & nimis in ſuperbiam invidiamque progreſſi, velut glaciali duritia torpuerunt: & ideò per figuram, tanquam in Aquilone ponuntur.*

109. *4. Deus, qui flat ab Oriente.* Quartus ventus, eſt Orientalis, cum luce veniens ut peccata ſceleratorum aperiat; & cum turbine, ut puniat. Plin. lib 2 cap. 47. ab Oriente æquinoctiali ponit Subſolanum ventum; ab Oriente brumali, Vulturnum; illum Apelioten, hunc Eurum Græci appellant; uterque eſt vehemens. Eliphaz Themanites, id eſt, ut ait S. Hier. de locis Hebr. rex Themanorum; ſive urbs ſive provincia Idumææ

a. Ejicit è cœlo luciferum. fuerit Theman, ait Job. cap 4. 8. *Vide eos, qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo periſſe, & ſpiritu oris ejus* (אפו affo, furoris ejus) *eſſe conſumptos.* Quàm ſubito turbine præceps dejectus eſt Angelus è cœlo? Iſaiæ 14. 12. *Quomodo cecidiſti de cælo lucifer, qui manè oriebaris:* Vix oriebaris, vix eras creatus, cùm cecidiſti. Ut enim docet S. Thom. 1. p. q. 6. art. 6. Probabilior & Sanctorum dictis magis conſonans eſt opinio, quòd ſtatim poſt primum inſtans ſuæ creationis diabolus peccaverit. Et hoc neceſſe eſt dicere, ſi ponatur, quòd in primò inſtanti ſuæ creationis in actum liberi arbitrii proruperit, & cum gratia fuerit creatus. Cùm enim Angeli per unum actum meritorium ad beatitudinem perveniant, ſi diabolus in primo inſtanti in gratia creatus meruiſſet, ſtatim poſt primum inſtans beatitudinem accepiſſet, niſi ſtatim impedimentum præſtitiſſet peccando. Si verò ponatur, quòd Angelus in gratia creatus non fuerit, vel quòd in primo inſtanti actum liberi arbitrii non potuerit habere, nihil prohibet aliquam moram fuiſſe inter creationem & lapſum. Ita S. Doctor. Apud Iſaiam הילל *helel:* quod interpres noſter vertit *lucifer*, verti poteſt *ulula*, oritur enim à radice ילל *jalal*, ululare, ejulare ὀλολύζειν unde illæ voces videntur derivari; & quidem Aquila reddit: *Ulula fili auroræ.* Nunquam pervenit ad diem perfectum, ſed immediatè poſt dejectus eſt à Deo ultore & ejus ſequaces: *Neque locus inventus eſt eorum in cælo*; eſt Hypallage, ita ut ſit ſenſus; ipſi non ſunt ampliùs inventi in cœlo: vel Metonymia, in quo continens pro contento ponitur, id eſt, locus pro locato: cœlum pro Angelis in cœlo exiſtentibus. Impii, qui ſibi in die proſperitatis fulgent, velut luciferi, brevi fiunt ululæ in nocte adverſitatis.

Adam & Eva diu poſt lapſum non manſerunt in paradiſo: ſed, ut docet Suares tract. de opere ſex dierum lib. 4. cap. 8. eodem die ejecti ſunt, quo peccârunt: & patet ex contextu Gen. 3. ubi ſtatim poſt narrationem lapsûs utriuſque parentis, additur, & aperti ſunt oculi amborum, & fecerunt ſibi perizomata, & cùm audiſſent Vocem Domini Dei ambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, &c. Philoxenus & Jacobus Sarugenſis dicunt, Adamum creatum eſſe horâ nonâ matutinâ, & paradiſo expulſum eſſe horâ tertiâ pomeridianâ, & S. Ephrem citatus à Barcepha in fine lib. 1. de paradiſo idem cenſet, ſicque per ſex tantùm horas manſit in paradiſo. Suares cenſet creatum Adam initio ſextæ diei circa ortum Solis, & paulò poſt translatum eſſe in paradiſum: illo die non peccâſſe, ſed ſequenti, quòd etiam putat Abulenſis, neque eſſe ejectum, niſi prope Solis occaſum, itaque pluſquam per unum naturalem diem in paradiſo manſiſſe, ut illius pulchritudinem videret, ſciretque, unde excidiſſet. Pererius divinat, ſicut ipſemet ait, primâ ſextâ feriâ poſt creationem peccâſſe: quia probabile eſt, Chriſtum fuiſſe incarnatum & mortuum eâdem die, quâ Adamus peccavit: ſic per octo dies manſiſſet in paradiſo. Sed communiter dicunt Patres, eâdem die quâ creatus eſt, peccâſſe, & ejectum ſub eam horam, quâ Chriſtus in cruce extra Jeruſalem eſt mortuus ad illud peccatum eluendum. Ita S. Irenæus, S. Cyril. S. Epiph. aliique. Nota 1. ad rem noſtram eſſe, quod refertur Gen. 3. 8. Deus veniſſe flante vento: *Et cùm audiſſent Vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam & uxor ejus.* Cùm enim aura, id eſt, ventus, flaret ex ea parte, qua Deus, aut Angelus ipſius vices gerens, & humanâ figurâ apparens, veniebat, timuerunt, & fuga ſibi conſuluerunt, ſeque inter condenſas arbores occultaverunt. His rectè dicas, quod Iſaias, peccatoribus, cap. 24. 20. *Agitatione agitabitur terra ſicut ebrius, & auferetur quaſi tabernaculum unius noctis*, quod per avia vel deſerta proficiſcentes figunt, ut ibi noctu dormiant: illud enim ſtatim primo mane auferunt, ut ſæpè faciunt Canadenſes in ſylvis ſuis. Adam & Eva fuerunt pulvis, quem projecit ventus à facie terræ. *2. E terreſtri paradiſo Adamum.* *Quamdiu ibi fuerit, aperitur.*

Jubet Deus Oſeæ Prophetæ, ut vocet primogenitum filium ſuum Jezrahel, id eſt. *diſperget Deus*, ut in memoriam revocet captivitatem futuram & diſperſionem in Aſſyrios per Salmanaſar faciendam. Oſeæ 1. 4. *Voca nomen ejus Jezrahel: quoniam adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Jezrahel* (in urbe Jezrahele effuſum) *ſuper domum Jehu*, qui Achabum Regem & Jezabel ejus uxorem, aliosque ex eorum domo ibi occidit Deo jubente, ſed in eadem ſcelera, & in idololatriam incidit, ideò ejus ſtirps pari pœna punietur & exſcindetur. Et cap. 4. 17. ait: *Particeps idolorum Ephraim*, &c. id eſt, populus Iſraël, cujus tribus præcipua & regia erat Ephraim: pœnam attexit verſ. 19. *Ligavit eum ſpiritus in alis ſuis.* Spiritus, id eſt, ventus & turbo indignationis ac vindictæ divinæ, auferet populum illum ſceleratum in captivitatem, ſicut turbo paleas colligit, illigat, & diſpergit. Zeno Imperator dicebat: *ludibrium Dei eſt homo*, quod verum eſt de peccatore. Pios quoque ad majorem coronam gloriæ, hic circumagit atque agitat, ipſique Jobo *reſpondens Dominus de turbine dixit*, c. 38. 1. Turbo, ut ait Seneca lib. 5. natural. quæſt. cap. 13. eſt *ventus circumactus*, & eumdem ambiens locum, & ſe in ipſa vertigine concitans. Hic turbo, in quo Deus loquebatur, erat junctus nubi tenebroſæ, quam circumvolvebat: unde S. Auguſt. vocat *turbinem nubis*, & Sept. *turbinem & nubes*: nubem porrò illam turbine rotatam cenſet S. Chryſoſtomus ſupra Jobi caput extitiſſe, illi proximam, ut ex ea Deum loquentem audiret. *3. Deum tribus à Palæſtina.* *Jezrahel quid.*

Quàm

4. Peccatores omnes in Sobna figurati. Quàm vehemens ſit jactatio peccatoris, & quàm inevitabilis, docet Iſaias cap. 27. 17. Ubi Sobnam alloquens ſummum Judæorum Pontificem, aut potiùs ſacerdotem è dignioribus templi præpoſitum & ſacri ærarii, ſed ſuperbum & arrogantem, ait: *Ecce Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus, & quaſi amictum* (veſtem) *ſublevabit te. Coronans coronabit te tribulatione, quaſi pilam mittet te in terram latam & ſpatioſam,* (lata eſt via, quæ ducit ad perditionem) *ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Domini tui. Et expellam te de ſtatione tua.* Nota, ſuperbus auferetur 1. Ut gallus, qui in fimo ſuperbit & cantat. 2. Ut veſtis, quæ vanè lucet: ſuperbi tantùm quærunt exteriorem ornatum. 3. Velut pila, quæ huc illuc à ludentibus jactatur, in hoc intentis ut ſi fieri poſſit, nunquam quieſcat. Qui ſuper omnes ſtare vult: ab omnibus dejicitur, & apparet vilis terræ pulvis, ſub pedibus omnium ipſiuſque dæmonis. Apocal. 12. 18. *Et ſtetit draco ſuper arenam maris.* Impii ſunt 1. Arena, quia ſteriles & innumerabiles. 2. Sunt maris arena, tum quia fluctibus obruuntur & agitantur: tum quia ſpuma, alga, & quiſquiliis innumeris onerantur & fœdantur. Pulvis terræ adhuc celeriùs à vento diſſipatur & perditur, huic comparatur Sennacherib, contra Deum ipſum ſuperbiens. Iſaiæ 16. 4. *Finitus eſt pulvis*, id eſt, Sennacherib, ſic appellatur primò, ob innumerabilem exercitum. Secundò, quia ab Angelo, ut levi vento, unâ nocte diſſipatus eſt, cæſis 185. millibus militum.

Concludamus cum S. Ambroſio in Pſalmum noſtrum, omnia terrena eſſe contemnenda, cùm omnia ſint pulvis tranſiens & facilè mobilis. *Quid,* inquit, *juvant conſulares prætexta, aut nitentes auro triumphales palmata? Nudus exibis; Nemo illic conſulem recognoſcet. Quid proſunt innumera poſſeſſiones? Publica ſunt, non tua. Hodie tu tenes, cras alius. Cùm tu exieris, alius intrat. Vix moviſti pedem, alius greſſum intulit. Quanti ante te illuc fuerunt? Quanti poſt te dominabuntur? Et hoc putas eſſe privatum?* In hoc terreno pulvere ploremus coram Domino, & panem noſtrum ſicut cinerem manducemus, non guſtum quærentes, ſed ob exilium gementes. Michæam audiamus c. 1. 10. dicentem: *In domo pulveris, pulvere vos conſpergite.*

ARTICULUS III.

Summa impiorum calamitas in extremo judicio.

110. Impii miſerrimi in die judicii. Verſ. 6. EXpoſitâ impiorum felicitate in hac vita, in qua pulveris modo raptantur: nunc pergit Propheta eorum miſeriam in alia vita explicare, & quidem triplicem. Nam primò, in extremo judicio trepidabunt, cùm videbunt ſe condemnandos. Verſ. 6. NON RESURGENT IMPII IN JUDICIO. Secundò, ſegregabuntur à cœtu juſtorum, ut hœdi fœtentes ab ovibus. ibid. *Neque peccatores in concilio juſtorum.* Tertiò denique terminum vitæ, æternum interitum, in flammis nunquam extinguendis, reperient. verſ. 7. *Quoniam novit Dominus viam juſtorum: & iter impiorum peribit:* in præcipitium, & in abyſſum inferorum, deſinet.

In eo reſurgent. Quæres: Quomodo non reſurgant impii in judicio, cùm fide certum ſit omnes homines reſurrecturos, & omnes eſſe judicandos? Reſpond. primò, omnes reſurrecturos in fine Mundi. Hoc docet Paulus 1 Cor. 15. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur:* id eſt, per Chriſtum, & propter Chriſtum, quia quod eſt primum in quolibet genere, eſt cauſa omnium, quæ ſunt poſt, ut docet Ariſtot. lib. 2. Metaph. Chriſtus autem verſ. 20. vocatur primitiæ dormientium; & Apocal. 1. 5. primogenitus mortuorum, id eſt, qui primus ad vitam immortalem ſurrexit: eſt etiam primus dignitate & merito. Vide S. Thom. 3. p. 56. art. 1. ubi docet, reſurrectionem Chriſti eſſe cauſam reſurrectionis corporum: efficientem ſcilicet, in quantum humanitas Chriſti, ſecundùm quam reſurrexit, eſt quodammodò inſtrumentum Divinitatis, & operatur in virtute ejus: exemplarem verò, quia id, quod eſt perfectiſſimum, eſt exemplar ejus, quod eſt minùs perfectum, ſecundùm ſuum modum. Philip. 3. 21. dicitur: *Reformabit* (Gr. μετασχηματίσει, transformabit, transfigurabit, in aliam formam accidentalem mutabit) *corpus humilitatis noſtræ* (corpus noſtrum humile & abjectum) *configuratum corpori claritatis ſuæ.* Syrus clarè vertit, *ut ſit in ſimilitudinem corporis gloriæ ſuæ.* Id eſt, corporis ſui glorioſi. Dices: Quomodo per Chriſtum impii reſurgent? Reſp. S. Thomam loco mox citato ad 3. dicere, eſſe cauſam efficientem. S. Ambroſ. lib. de reſurr. cap. 2. & S. Cyrill. lib. 4 in Joan. cap. 12. cenſere, & rectè, eſſe etiam Chriſtum cauſam meritoriam reſurrectionis malorum, non quà mali & reprobi ſunt, ſed quà homines; meruit enim in Paſſione Chriſtus, ut mors aboleretur ab humano genere: unde ait Oſeæ 13. 14. *Ero mors tua, ò mors!* Et Apoſtolus 1 Cor. 15. poſtquam dixit omnes in Chriſto vivificandos, addit verſ. 23. *Unuſquiſque in ſuo ordine*, ut ſicut explicat S. Chryſoſt. & Theophylactus, qui virtute ſunt præditi, reſurgant inter beatos: qui verò vitiis fœdati reperientur, reſurgant inter reprobos. *Per Chriſtum.*

Reſpondeo ſecundò ad quæſitum, omnes homines eſſe judicandos, ſi agatur de judicio retributionis: nam, ut ait Paulus Epheſ. 6. 8. *Unuſquiſque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſive ſervus, ſive liber,* & contra Coloſſ. 3. 25. *Qui injuriam facit, recipiet id, quod iniquè geſſit, & non eſt perſonarum acceptio apud Deum.* Syr. אפא *affe*, facierum. Non ſpectat, an ſit amica facies ac perſona, an ſpecioſa, nobilis, dives & ablandiens, &c. Verte te, in quam voles, faciem, à juſto Judice judicaberis atque condemnaberis, ſi id opera tua exigant. Oſeæ 10. 4. *Germinabit quaſi amaritudo judicium ſuper ſulcos agri:* id eſt, ſuper ſulcos cordis, quod populus Iſraël per impietatem ſulcavit, in eo ſculpendo & imprimendo idola, & ſemen venenatum jaciendo: unde in illis ſulcis orietur amaritudo, id eſt, amaræ & venenatæ herbæ. Hebr. ראש *ros*, venenum, amaritudo, quod eſt amarum, ſicut eſt fel, & virus ſerpentium: itaque Chald. Paraphr. reddit, *quaſi caput ſerpentum maleficorum:* ſi caput intret, ſequetur corpus, ibique pullulabunt ſerpentes, venenum fundent, miſerum cor tundent, vellicabunt, & corrodent. *Et per ipſum judicabuntur.*

Quæres igitur ſecundò: Quid ſit reſurgere in judicio? Reſp. hoc poſſe intelligi & de judicio hujus vitæ, & de judicio extremo. Ac primò, Lyranus ait, impios non reſurgere in judicio, id eſt, non reſurgere à peccatis in hac vita, & ſanctus Thom. dicit non reſurgere reparatione juſtitiæ, ad quam reparantur proprio judicio: cùm ſcilicet ſe judicant & puniunt in examine conſcientiæ, in confeſſione, & ſatisfactione pro peccatis. Hæc de reſurrectione prima Apocal. 20. 5. 111. *Reſurgere in judicio quid. Primò.*

Secundò, & meliùs, ſanctus Auguſtinus de extremo judicio explicans, ait: impios non reſurgere in judicio, id eſt, ut judicent: neque, ut ait S. Ambroſ. & S. Cyrill. Jeroſ. ut judicentur, abutentibus enim hoc loco contra reſurrectionem dicit, impios non reſurrecturos ἐν κρίσει, in judicio, ſed ἐν κατακρίσει, in condemnatione. Sicut enim, ut habetur in ſupplemento ſummæ S. Thom. q. 89. art. 6. qui ædificant ſuper fundamentum fidei, aurum, & argentum, & lapides pretioſos, divinis ſervitiis totaliter inſiſtentes, qui nullam admixtionem notabilem alicujus mali meriti habent, ſalvabuntur, ſed non judicabuntur per diſcuſſionem meritorum: ita, ut dicitur art. 7. in infidelibus, cùm non ſit fidei fundamentum, quo ſublato omnia opera ſequentia perfecta rectitudine intentionis carent, non eſt diſcuſſio neceſſaria. Nam nulla eſt permixtio bonorum operum cum malis, quæ hanc diſcuſſionem requirat. Idem dicitur de bonis & malis Angelis art. 8. non enim egent judicio diſcuſſionis:

ſionis: quia neque in bonis poteſt aliquid mali reperiri, neque in malis aliquid boni ad judicium pertinens: ſed illis fiet judicium retributionis; opera enim illorum ſequuntur illos, ut famuli dominos. Hoc itaque ſenſu dicitur Joan. 3. 18. *Qui non credit, jam judicatus eſt: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Rem illuſtrat aptiſſimâ ſimilitudine Theodorus Heracleotes: Sicarios, inquit, in homicidio ipſo deprehenſos non deferunt judices, ut quæſtionem habeant: ſed ut ſententiam, quam ſanxêre leges, contra illos pronuncient: ſic, &c. Credere porrò in nomine Chriſti, ſive ut eſt in græco, *εἰς ὄνομα*, in nomen, eſt credere in ipſum Chriſtum: nomen enim metonymicè ponitur pro re nominata: ſic Apocal. 3. 4. Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua: id eſt, paucos homines.

Tertiò, & propriè. Reſp. 2. Propriè impios in judicio non reſurgere, id eſt, non ſtare, non conſiſtere. Hebr. *Non* יקמו *jakumu*, id eſt, *ſtabunt*: non ſtabilientur, ut alii verterunt. Chald. & Syr. eadem voce uſi ſunt. Senſus autem eſt: Impii ita erunt trepidi & perturbari in die judicii, ut ſeſe in terram abjecturi ſint, & antra quæſituri, ut ſe occultent à facie Judicis irati, coram quo non audebunt comparere, ſuæ ſibi pravitatis conſcii. Reſurgere propriè in judicio dicitur homo, ut ait S. Thom. hic, quando cauſa ſua ſublevatur per ſententiam judicis. Iſti ergò non reſurgunt, quia ſententia pro eis in judicio non fertur.

Reſcim. Nota primò, aptiſſimè impios hic vocari רשעים *reſaim*, id eſt, inquietos: quia ſicut in vita fuerunt inquieti & alios inquietantes: ita ipſi ſine ulla quiete exterriti huc illucque diſcurrere nitentur, & fluctuantes animo corporeque agitabuntur, omnem ſe in partem contorquentes.

112. Tres cauſæ cur non reſurgant, id eſt, non conſiſtant impii in judicio. Nota ſecundò, tres afferri cauſas à Propheta, cur ſcelerati non ſtent & conſiſtant in judicio. Primò, quia ſunt pulvis, qui projicitur à facie venti: quòd cùm dixiſſet, ſubdidit ſtatim: *ideò non reſurgunt*, &c. ubi vides particulam cauſalem *ideò*, denotare cauſam, cur non ſtent, eſſe, quia ſunt pulvis. Secundò, quia videbunt Sanctos, quos contempſerunt & oppreſſerunt, à Deo magnificari & exaltari. verſ. ult. *Quoniam* novit Dominus viam juſtorum. Qualis ſit ea notitia, dicetur infra. Tertiò, quia tunc apertè cognoſcent ſe ſententia judicis in præcipitia æterna dejiciendos. Ibid. *Et iter impiorum peribit.* Tunc verum erit, quod ait Iſaias cap. 26. 14. *Morientes non vivant, gigantes, non reſurgant.* Impii ſunt 1. morientes, quia peccatum eſt mors animæ. 2. gigantes, quia ſuperbi & de ſuo robore, honore, divitiis, ac deliciis gloriantur. Illi autem non reſurgunt, quia qui caput cælo inferre volebant, ut illi ædificatores Babylonicæ turris, ſi fabulas ſequimur, ii optabunt cum Encelado aliiſque gigantibus vel toto monte Ætna licèt flammivomo obrui, ut lateant: dicent enim montibus Oſeæ 10. 8. operite nos; & collibus: cadite ſuper nos. Ad rem præſentem aptiùs in decem tribus Iſraël invehens idem Propheta cap. 8. 7. ait: *Ventum ſeminabunt* (Sept. corrupta vento) *& turbinem metent: culmus ſtans non eſt in eo.* Omnis meſſis operum ipſorum luto corrupta jacet, & in pulvere vanitatis, neque ipſi ſtant coram Deo ſuo, qui inſtar agricolæ venit, ut ponat triticum in horreo, & zizania in ignem conjiciat collecta in faſciculos ad comburendum. Matth. 13. 30. Alia comparatione utitur Iſaias cap. 30. 13. *Erit vobis hæc iniquitas ſicut interruptio cadens* (murus fractus & interruptus, atque mox caſurus) *& requiſita in muro excelſo:* ejus excelſitas ruinam celeriorem & graviorem facit: idem fit in ſuperbo divite in judicio Dei corruente. Nota, *requiſita interruptio* eſt primò, ut vult Sanctius, muri pars, quæ, cùm cecidit & ampliùs non invenitur, ubi erat, quæritur & deſideratur: Secundò, *requiſita*, id eſt, quæſita ab inſulſis Judæis, ut ibi ſerventur, cùm ea muri parte mox caſura ſint obruendi, ut Emmanuel Sa exponit: Tertiò, Adamus & Cornelius *requiſitam* ajunt eſſe, ingentem, ſubitam & improviſam, cujus proinde poſt lapſum cauſa, quæ non apparet, per admirationem inquiritur: Quartò, & optimè, *interruptio requiſita in muro*, illa eſt, quam hoſtis quærit, ut arietatione aut bombardarum exploſione celeriter illum disjiciat, & viam ſibi in urbem muniat. Sic per interruptionem muri jam disjecti milites Caroli V. Imp. Duce Carolo Borbonio, & Philiberto Aurantio, Romam primo aſſultu cœperunt anno 1527. & Borbonio in aſſultu occiſo fœdè diripuerunt, capto Clemente VII. Pontifice & Cardinalibus.

Primò itaque, terrebit ſceleratos pulverulenta ac ſordida conſcientia, quæ eos accuſabit. Job. 8. 22. *Qui oderunt te, induentur confuſione, & tabernaculum impiorum non ſubſiſtet:* impiorum tabernaculum, eſt eorum conſcientia, & corpus: neutrum autem firmum erit ac ſtabile. S. Greg. lib. 8 Mor. cap. 32. hæc meditans: Juſtorum hoſtes, ait, in extremo examine confuſio induit; quia cùm tranſacta mala redundare ſibi ante oculos mentis aſpexerint, *ſuus eos undique reatus deprimens veſtit.* quàm moleſta autem ſit hæc veſtis, judica ex dictis S. Chryſoſtomi hom. 8. ad populum. Peccatum, inquit, nullo prodit arguente, nullo condemnat accuſante, pavidum facit & timidum peccatorem: intus habet impellentem, *συνειδότος κατήγορον*, *conſcientiæ accuſatorem*, & hunc ubique circumfert: & ſicut ſeipſum non poteſt fugere, ſic nec intrinſecùs ipſum agitantem: ſed quocumque abeat, flagellatur, & *τραῦμα ἀνίατον ἔχει*, vulnus habet immedicabile. Confuſionem peccatorum & ruinam amplificat Iſaias cap. 41. 11. *Ecce confundentur, & erubeſcent omnes, qui pugnant adverſum te: erunt, quaſi non ſint; & peribunt viri, qui contradicunt tibi*, per ſua peccata; illi erunt, quaſi non ſint, id eſt, res nihili, & mox conſumendi; unde verſ. ſeq. ait, eos futuros veluti conſumptionem; id eſt, velut id, quod conſumptum atque deletum eſt, atque protritum. S. Greg. Naz. orat. 15. vocat peccata, *πικροὺς κατηγόρους*, id eſt, acerbos accuſatores. 113. Impios in judicio terrebit 1. conſcientia.

Secundò, terrebit impios in die judicii, accuſatorum multitudo. Nam primò, dæmones inſurgent. Apocal. 12. 10. vocatur diabolus, *accuſator fratrum*, qui accuſat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte. Vox Græca *κατήγορος* ſignificat oblocutorem, calumniatorem, detractorem atque accuſatorem. Si apud Deum Sanctos, de quibus ibi agitur, auſus eſt accuſare, ut etiam Jobum accuſavit cap. 1. 11. & quid faciet impiis? De quibus additur à S. Joanne verſ. 16. *Iratus draco ſtetit ſuper arenam maris.* Id eſt, ſuper impios, ut ſanctus Auguſtinus, Orig. & Heſychius explicant, hi ſunt pulvis, quem & ventus projicit à facie terræ, & fluctus impulſus vento ejicit à facie maris, ut nuſquam conſiſtant, cap. 12. 4. *Draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura: ut, cùm peperiſſet, filium ejus devoraret.* Mulier illa erat circumdata Sole, Luna & ſtellis, id eſt, anima ſancta cincta omnibus virtutibus; filius ejus, eſt bonum opus, quod cupit draco devorare; ſed ſtat tantùm *ante* mulierem illam; ſtat verò *ſuper* arenam maris, illam premens & agitans pro voluntate, & ſine reſiſtentia. Secundò, Sancti & Angeli accuſabunt impios in die judicii. Sap. 5. 1. *Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia, adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt:* aperient eorum peccata, & ea amplificabunt. Job. 20. 27. *Revelabunt cæli iniquitatem ejus: & terra conſurget adverſus eum:* ad literam agit de impio divite, in quem cælum & terra inſurgent, ſterilitatem inducendo; cælum quidem, ut ait Pineda, negando lumen & pluviam; terra autem, fructus denegando, & in ejus perniciem multa producendo; ad rem verò noſtram ſanctus Gregorius libro 20 Moral. capite 19. ait: *Quid per cælos, niſi juſtos? Et quid per terram, niſi peccatores accipimus, &c. Impio ad illud terribile judicium deducto, revelant cæli iniquitatem, & terra conſurgit adverſus eum: ut qui nec bonis unquam nec malis pepercit, in illo eum tremendo examine, & juſtorum vita, & peccatorum pariter accuſet.* 2. Accuſatorum multitudo.

Tertiò,

Tertiò, infideles ipſi, & alii peccatores, Chriſtianos ſingulos, ac præſertim Religioſos, accuſabunt: dicent cum Chriſto, Matth. 11. 21. *Væ tibi Corozain! væ tibi Bethſaida! quia, ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Bethſaida erat primaria civitas Galilææ & Decapoleos: Syriacè ſignificat domum piſcationis. Hebr. domum venationis, quod in idem redit: nam venatio in mari eſt piſcatio: erat autem Bethſaida propè Capharnaum adjacens mari Galilææ, id eſt, lacui Geneſareth: inde orti ſunt tres Apoſtoli, nempe ſanctus Petrus, ſanctus Andreas frater ejus, & ſanctus Philippus: commodè repræſentat domum religioſam, quæ vacat ſaluti animarum procurandæ: hæc eſt enim domus venationis ſeu piſcationis, ex qua Deus mittit piſcatores & venatores, de quibus Jerem. 16. verſ. 16. *Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos: & poſt hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum*; de Apoſtolis hoc explicat S. Hier. quibus ait Chriſtus Matth. 4. 19. *Faciam vos fieri piſcatores hominum.* Corozain verò, ſignificat Chaldaicè, *hoc ſecretum.* Erat quoque inclyta civitas Galilææ, & inter celebriores urbes Decapoleos numerata, ſita è regione Capharnai ad mare Galilææ, ubi Jordanis in mare hoc influit. Eſſe poteſt typus religioſorum aut perſonarum, quæ cum proximo non verſantur, ſed amant ſecretum, ſedemque ſuam habent in confluxu Jordanis, qui ſignificat *fluvium judicii*: qui meditatione judicii ſeſe occupantes ex regulæ ſuæ inſtituto Si in occulto quid fecerint, patebit omnibus. Plin. lib. 36. cap. 22. *Nerone*, ait, *principe in Cappadocia repertus eſt lapis duritia marmoris, candidus atque tranſlucens, etiam qua parte fulvæ inciderant venæ, ex argumento phengites appellatus. Hoc conſtruxerat ædem fortunæ, quam Seiam appellant à Servio rege ſacratam, aurea domo complexus. Quare etiam foribus non apertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quàm ſpecularium modo, tanquam incluſa luce non tranſmiſſa. In Arabia quoque eſſe lapidem vitri modo tranſlucidum, quo utuntur pro ſpecularibus.* Communiter legunt foribus apertis, ſed errorem eſſe in manifeſto eſt: quid enim mirum, ſi foribus apertis ibi eſſet lux diurna: ſed admirabile prorſus eſt, quòd foribus non apertis Sol eò penetraret per ipſos parietes, ſine feneſtra. Claude cor, quantum voles, patebit omnium oculis in die judicii. Nullus te lapis & obſtinatio celabit.

Phengites lapis pellucidus.

3. Ira judicis.

Tertiò, impios terrebit in die illa terribili ira judicis offenſi, quem nihil poteſt latere. Apocal. 14. verſ. 14. *Et vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam.* Andreas Cæſarienſis rectè docet, ibi agi de Chriſto Judice, qui 1. ſedet ſuper nubem candidam: quia ibi omnia erunt manifeſta & ſincera. 2. Habet falcem acutam, quia venit univerſum Mundum meſſurus, eique finem impoſiturus. S. Greg. l. 33. moral. c. 10. falce figurare divini judicii poteſtatem ait: quia in falce, quicquid inciditur, quaquaverſum flectatur, intus cadit: & poteſtas superni judicii nullatenus evitatur: intra ipſam quippe ſumus, quolibet fugere conemur. S. Joannes cap. 1. 7. ait: *Ecce venit cum nubibus: & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*, clavis, lancea, ſpinis, flagellis, &c. in paſſione: & poſteà variis peccatis; *Et plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ.* Verſ. autem 14. ubi deſcribitur, habes: *Oculi ejus tanquam flamma ignis.* Oculi flammantes iram & vindictam Chriſti denotant, ut ait Ribera: & verſ. 15. *Et pedes ejus ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti.* Aurichalcum eſſe æs, quod colorem habet aureum, dicit Sextus Pompejus: æs autem in camino ardenti iram quoque ignitam ſignificat, Malach. 3. 2. *Quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans & quaſi herba fullonum.* Arab. Antioch. quaſi ſulphur quod candeſcit. Arab. Alex. quaſi ſulphur exardeſcet. Hebr. *Sicut borith lavantium*, pannos ſcilicet: id eſt, fullonum. Arias & Vatablus putant, borith eſſe ſaponem: ſed veriùs R. Jonas & R. Salomon cenſent herbam eſſe, & S. Hier. in cap. 2. Jeremiæ verſ. 22. ait, herbam fullonum naſci in virentibus & humidis Palæſtinæ locis, atque ad eluendas ſordes & maculas à pannis eamdem vim habere, quam habet nitrum & ſapo. Unde & herba ſaponaria appellatur. In judicio erit Chriſtus ignis conflans pro reprobis, herba fullonum pro iis, qui levia peccata commiſerunt, aut jam veniam pro culpa ſaltem obtinuerunt. Erunt ibi, ut ait S. Chryſ. tom. 5. ſer. 6. in terræ motum & Lazarum, ποταμοὶ πυρὸς, ignis fluvii, & minaces iræ, atque ad judicium pertrahentes virtutes, & tremendum tribunal, judicium incorruptum, &c. Vide Pſal. 47. 4. *Ignis in conſpectu ejus exardeſcet*, &c. S. Greg. 14. Mor. cap. ult. ait, cum turbine terroris adventum illum ſeveri judicis futurum; illum Bogoris Rex Bulgarorum à Methodio Monacho in tabella expreſſum videns, ita intremuit, ut ad veram fidem ſit eam ob rem converſus, ut tradit Cedrenus.

4. Certitudo damnationis.

Quartò, terrebit vel maximè impios certitudo condemnationis pro quolibet peccato: nullus enim evitabit cognitionem & ſententiam judicis: Eccl. 12. 14. *Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive malum ſit, ſive bonum.* Ubi legimus *pro omni errato*, Sept. habent in omni contempto. Brylinger in omni neglecto. Syr. contra omne, quod eſt abſconditum. Venet. cum omni ſecreto. Arab. de omni negotio. Chald. Complut. Zamoræ, ut manifeſtet omne verbum. Omnia itaque ſive manifeſta, ſive occulta, ſive ob parvitatem neglecta, in judicio expendentur, & punientur. Matth. 12. 36. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Hebraiſmus eſt, ita ut ſit ſenſus: De omni verbo otioſo homines reddent rationem, id eſt, reddere tenebuntur; quod ſi non fecerint, punientur: ſolent Hebræi ponere nominativum nominis, cujus poſteà caſum per affixum vel aliter referunt, ut Pſalm. 11. 4 Dominus in cælo ſedes ejus: id eſt, Domini ſedes in cælo. Pſal. 89. 10. dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: id eſt, in diebus annorum noſtrorum 70. anni: *Otioſum porrò verbum, quod eſt aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ utilitatis caret*, ut ait S. Greg. 3. parte Paſtor. admon. 15. lege ſanctum Bernardum ſermon. de triplici cuſtodia manûs, linguæ, & cordis. Quis ante judicem tam ſeverum ſtabit? Columnæ ipſæ cæli contremiſcent: impii verò, ut dicitur Pſal. 139. 11. *In miſeriis non ſubſiſtent.*

5. Separatio à ſanctis. Verſ. 6. 2. pars.

Quintò, terrebit impios in die judicii ſeparatio eorum à Sanctis: hanc Propheta noſter ſuntram docet Verſ. eod. 6. NEQUE PECCATORES IN CONCILIO JUSTORUM, ſupple, reſurgent. Caſſiod. Euthym. Flamin. legunt *in conſilio*, per S. quod Septuaginta habent, ἐν βουλῇ: ſed hæc vox ambigua eſt, & cœtum perinde atque conſilium ſignificat. Vox verò Hebr. עדה *eda* tantùm ſignificat cœtum, conventum, congregationem, certum collegium, concilium per c. non verò per s. Chald. Syr. Arabs etiam vertunt, ſocietatem, cœtum, concilium.

Senſus eſt primò, q. d. impii non erunt aſſeſſores Judicis Chriſti cum Sanctis. Ezech. 13. 9. *In concilio populi mei non erunt, & in ſcriptura domûs Iſrael non ſcribentur nec in terram Iſrael ingredientur*: agit de falſis Prophetis, qui videbant vana, & divinabant mendacia populo in Babylone captivo. His intentat 1. quòd non erunt in concilio, id eſt, in cœtu & conſeſſu ſeniorum, conſiliariorum, & judicum poſt reditum in Jeruſalem. Hinc Chaldæus reddit, *in ſecreto*. Vatabl. *in arcano*. 2. Quòd in ſcriptura domus Iſraël non ſcribentur, id eſt, catalogo Iſraëlitarum viventium & redeuntium in optatam patriam, ut narratur 1 Eſd. 8. ubi ille catalogus texitur. 3. Quòd in terram Iſraël non ingredientur, quia priùs in captivitate morientur. Anagog hæc de excluſione impiorum à ſeſſione in die judicii,

114\. Primò enim non aſſidebunt judici Chriſto cum ipſis

&

& ingreſſu in cœlum explica: cùm ſapientiæ lucem non habuerint in vita, non deceret eos ſedere judices, præſertim cùm ipſi ſint rei. Prov. 24. 7. *Excelſa ſtulto ſapientia*, ad eam non poteſt pertingere, *in porta non aperiet os ſuum*: id eſt inter judices, qui ſedere ſolebant propè urbium portas. Nota, judicare multipliciter dici: 1. quaſi *cauſaliter*, ut dicatur illud judicare, unde apparet aliquis judicandus: & ſecundùm hoc aliqui dicuntur judicare comparatione, in quantum ex comparatione aliorum aliqui judicandi oſtenduntur, ſicut patet Matth. 11. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio*, &c. Sic judicare in judicio communiter & bonorum & malorum eſt. Alio modo dicitur judicare quaſi *interpretativè*. Interpretamur enim aliquem facere, qui facienti conſentit: unde illi, qui conſentient judici, ejus ſententiam approbando, judicare dicentur: & ſic judicare erit omnium electorum. Unde dicitur Sap. 3. 8. *Judicabunt juſti nationes*. Tertio modo, dicitur aliquis judicare *aſſeſſorè*, & quaſi per ſimilitudinem: quia ſcilicet ſimilitudinem judicis habet, in quantum ſedet in loco eminenti ſicut judex, & ſic aſſeſſores dicuntur judicare. Et ſecundùm hunc modum dicunt quidam, quòd perfecti viri, quibus judiciaria poteſtas promittitur Matth. 19. judicabunt, ſcilic. per honorabilem conſeſſionem: quia ſuperiores cæteris apparebunt in judicio, obviantes Chriſto in aëra, ita in ſupplemento Summæ S. Thomæ, ubi hic tertius modus quaſi inſufficiens rejicitur, & quartus aſſertur, qui perfectis viris conveniet, in quantum in eis continentur decreta divinæ juſtitiæ, ex quibus homines judicabuntur: ſicut ſi liber in quo continetur lex, judicare dicatur. Unde Apoc. 20. Judicium ſedit, & libri aperti ſunt: citatur ibi Richard. à S. Victore, illum lege: ſed hic quartus modus judicandi non placet: quia alioqui omnibus Sanctis conveniet: nam in eis continentur quoque decreta divinæ juſtitiæ, ſicut in libro eorum bonis operibus ſcripto, & accuſante atque condemnante impios, qui eadem non fecerunt: deinde hic judicandi modus valdè imperfectus eſt. Dico itaque, quòd primo ſelectiores Sancti ſedebunt in loco ſublimiori, & propè Chriſtum, velut aſſeſſores: ſecundò, quod Chriſtus poſt exprobrationem impietatis ſceleratorum, & eorum accuſationem, petet ab illis, nonne ſint jure condemnandi, (ſicut Præſes petit à conſiliariis ſuis) qui dicent eſſe condemnandos, & poſteà Chriſtus feret ſententiam. Sic plenè explicatur & planè, quod Matth. 19. ℣. 28. ait Chriſtus Apoſtolis: *Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione*, (in generali reſurrectione) *cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël*, id eſt, Judæos, ut exponit Theophylactus & Euthymius: omnes gentes, ut alii & verè exponunt: hæ enim ſub duodecim tribuum nomine intelliguntur, ſicut Apoc. 7. Adverte autem, duodecim illas tribus à Jacobo originem trahentes fuiſſe populum Dei fidelem & electum, ideò per eas non repræſentari propriè gentes infideles: neque enim judicabuntur in extremo judicio, per diſcuſſionem, ut ante explicui, quia qui non credit, jam judicatus eſt, Joan. 3. 18. An poteſtas judicandi correſpondeat voluntariæ paupertati, vide apud Platum tract. de bono ſtatûs religioſi, & apud S. Thom. ſuppl. q. 89. art. 2. ubi docetur art. 3. Angelos non eſſe judicaturos: quia, cùm judicium tribuatur Filio hominis, oportet aſſeſſores humanæ naturæ eſſe participes, ut ſint Judici conformes. Hoc repræſentatur Apoc. 4. ubi 24. Seniores ſedent ſuper thronos circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus habentes coronas aureas: in throno autem excelſiori, Chriſtus, ut placet S. Ambr. vel Deus, ſed ſpecie humanâ, ut ait Richard. & Ribera. Angeli verò, non ſedent in thronis, ſed ſtant ante thronum inſtar ſeptem lampadum, & quatuor animalium. Datur verò Senioribus poteſtas judicandi cap. 20. 4.

119. Secundò, ſenſus eſt. Peccatores non reſurgent in concilio, id eſt, in cœtu juſtorum: quia ſeparabuntur etiam loco, cum omnes ad judicium in vallem Joſaphat convenerint, ut docet S. Chryſoſtomus hom. 10. in Matth. & S. Ambroſ. lib. 10. in Luc. cap. 23. qui ait, hoc figuratum in duobus latronibus cum Chriſto cruci appenſis: quorum alter ad dextram, alter ad ſiniſtram eſt collocatus. *Secundò erunt in loco infimo.*

Separationem illam apertè declarat Chriſtus ſub typo hœdorum & ovium, Matth. 25. 32. *Congregabuntur ante eum* (Filium hominis) *omnes gentes, & ſeparabit eos abinvicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis: & ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris*. Dextera enim eſt ſymbolum felicitatis, gloriæ, regni, victoriæ & triumphi: ſiniſtra verò infelicitatis, opprobrii, ſervitutis, calamitatis & miſeriæ. S. Thomas ait, *à dextris*, id eſt, in honoratiori & nobiliori loco, nempe in aëre, conſiſtent electi, inde mox in cœlum Chriſto conſcenſuri, juxta illud: *Rapiemur in nubibus obviam Chriſto in aëra*. 1 Theſſal. 4. 16. Reprobi verò erunt à ſiniſtris, id eſt, humiliori & viliori loco in imo terræ, ut inde hiante terra abſorbeantur in tartara. Author libri de ovibus, qui tribuitur S. Auguſt. cap. 5. ait: *Quid hic faciunt hirci in grege Dei? In iiſdem paſcuis, in iiſdem fontibus: & hirci tamen ſiniſtra deſtinati dextris miſcentur, & prius tolerantur, quam ſeparentur: & hic exercetur ovium patientia ad ſimilitudinem patientiæ Dei: ſeparatio enim ab illo erit, alterum ad ſiniſtram, alterum ad dextram. Nunc autem ipſe tacet, tu vis loqui*. Habes parabolam zizaniorum ſeparatorum à tritico, Matth. 13. 30. & paleæ à grano Luc. 3. 17. *Ut hœdi ab ovibus ſeparati.*

Conclude cum S. Gregor. Naz. orat. 53. *Operæ pretium eſt, dum juvenili adhuc ætate flores Dei timore affici, priuſquam malis te tradas, priuſquam magna illa & horrenda Dei Judicii dies advenerit; cùm jam nec Sol, nec luna, nec reliqua ſidera ſplendebunt, verùm ſupernæ virtutes in illa, τῶν ὅλων χειμῶνι καὶ ταράχῃ, rerum omnium tempeſtate & tumultu movebuntur*. S. Fulgentius lib. de remiſſione peccatorum, cap. 17. eum qui tantis rebus non terreatur, vocat duræ cervicis, & incircumciſum corde & auribus.

Poſtquam dixit Propheta noſter non futuros impios cum bonis in judicio, & conſequenter per totam æternitatem, rationem reddit, verſ. ult. QUONIAM NOVIT DOMINUS VIAM JUSTORUM, AT ITER IMPIORUM PERIBIT. *Verſ. 7. 1. part.*

Viam juſtorum. Primò Caſſiodorus ait eſſe Chriſtum: iter impiorum, eſſe diabolum, ſed hoc eſt myſticum. Secundò itaque, via ſeu iter juſtorum & impiorum, eſt curſus totius vitæ, eorum opera, actiones, contentiones, ſtudia, cogitationes. Nota, in Hebr. Syr. Chald. Arab. & Gr. eadem voce viam & iter hîc exprimi, ideò non eſſe vim in illis vocibus faciendam, & S. Auguſt. Epiſt. 47. legit: Novit Dominus viam juſtorum, & viam impiorum peribit. 116. *Via juſtorum quæ?*

Novit illam juſtorum viam Deus: id eſt, approbat, amat, diligit, conſervat, promovet, ſecuram & felicem efficit. Ita Nicephorus Blemmida, S. Auguſt. S. Ambroſ. Euthym. Bellarm. Lorin. & alii. Sic Prov. 4. 27. dicitur: *Vias, quæ à dextris ſunt, novit Dominus: perverſæ verò ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt*. Principium motus à dextra parte ſumitur, ut notavit Ariſtot. & quæ dextra ſunt, cenſentur eſſe felicia. Viæ itaque à dextris poſitæ, ſunt bonæ actiones & laudabiles, quibus ad æternam felicitatem tenditur, & ad Chriſti dexteram, ubi erunt oves in judicio extremo: viæ, quæ à ſiniſtris ſunt, actiones ſunt perverſæ, quæ ducunt ad ſiniſtram, ubi erunt hœdi; & inde in æternam infelicitatem dejiciunt. *Quomodò eam DEUS novit?*

Nota, cognitio Dei non eſt ſterilis; amorem parit, & paternam curam atque providentiam. Amos 3. 2. ait Deus Iſraëlis: *Tantummodò vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ*, id eſt, 1. Elegi, ut vertit Chaldæus. 2. Amavi, & ſpeciali curâ & providentiâ eduxi ex Ægypto, ſicut dixeras *Quantum bonum ſit cognitio.*

verſu præcedenti, deduxi per deſertum: ad quod alludit verſ. 3. cùm ait: Nunquid ambulabunt duo pariter, niſi convenerit eis? Contra, dicit Deus de impiis regibus Iſraël Oſeæ 8. 4. *Principes extiterunt, & non cognovi*, practicè ſcilicet: id eſt, non approbavi, non author, neque ideò curavi eos conſervare, & benedictionibus cumulare. Deus enim id dicitur non cognoſcere, quod non fecit: & cognoſcere, quod fecit. S. Auguſtinus epiſt. 47. *Dicturus eſt*, ait, *illis ad ſiniſtram conſtitutis: Non novi vos. Quod autem eſt, quod ille non novit, qui utique novit omnia: ſive bona hominum, ſive mala? Sed quid eſt, non vos novi, niſi tales vos ego non feci? Quemadmodum illud, quod dictum eſt de ipſo Domino JESU Chriſto, quia non noverat peccatum: quid eſt, non noverat, niſi quia non fecerat? Ac hoc, quod dictum eſt, vias, quæ à dextris ſunt, novit, Dominus, quomodò intelligendum eſt, niſi quia ipſe fecit vias dexteras; id eſt, vias juſtorum, quæ ſunt utique opera bona, quæ præparavit Deus, ſicut dicit Apoſtolus, ut in illis ambulemus: vias autem ſiniſtras, perverſas: id eſt, vias impiorum, non utique novit, non eas ipſe fecit in homine, qui fecit hominem, ſed homo ſibi. Propter quod dicit: odivi autem ego perverſas vias malorum, ipſæ ſunt à ſiniſtris.* Quæritur à Theologis, an Divina ſcientia ſit rerum omnium exſtentium cauſa? Et reſpond. S. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 8. *Scientia Dei, eſt cauſa rerum. Sic enim ſcientia Dei ſe habet ad omnes res creatas, ſicut ſcientia artificis ſe habet ad artificiata.* Scientia autem artificis eſt cauſa artificiatorum, eò quòd artifex operatur per ſuum intellectum. Unde oportet, quòd forma intellectûs ſit principium operationis: ſicut calor eſt principium calefactionis. Sed conſiderandum eſt, quòd forma naturalis, in quantum eſt forma manens in eo, cui dat eſſe, non nominat principium actionis, ſed ſecundum quod habet inclinationem ad effectum. Et ſimiliter forma intelligibilis non nominat principium actionis, ſecundum quod eſt tantùm in intelligente, niſi adjungatur ei inclinatio ad effectum, quæ eſt per voluntatem. Cùm enim forma intelligibilis ad oppoſita ſe habeat, (cùm ſit eadem ſcientia oppoſitorum) non produceret determinatum effectum, niſi determinaretur ad unum per appetitum, ut dicitur lib. 9. Metaph. text. 10. Manifeſtum eſt autem, quòd Deus per intellectum ſuum cauſat res: cùm ſuum eſſe ſit ſuum intelligere. Unde neceſſe eſt, quòd ſua ſcientia ſit cauſa rerum, ſecundum quod habet voluntatem conjunctam, ita ibi: ac deinde ad rem noſtram apertiùs: *Unde ſcientia Dei, ſecundum quod eſt cauſa rerum, conſuevit nominari ſcientia approbationis.* Cognoſcit itaque Deus viam, id eſt, actiones juſtorum, quia illarum eſt cauſa. S. Aug. in Pſal. noſtr. eam comparat medicinæ, quæ dicitur ſalutem cognoſcere, quia illam cauſat; morbos ignorare, quia illos fugat. *Novit*, inquit, *Dominus viam juſtorum: quemadmodum dicitur: novit ſalutem medicina, morbos autem non novit*, & S. Ambr. in Pſal. 24. loquens de muliere, quæ per duodecim annos ſanguinis profluvium paſſa erat, & ſolam fimbriam veſtis Chriſti tangens erat ſanata, illúdque expendens, quod ait Luc. 8. 46. *Tetigit Me aliquis, nam & Ego cognovi virtutem de Me exiſſe*, explicat commodè ad inſtitutum noſtrum, cùm dicit: *Cognitio Chriſti collatio ſanitatis eſt.*

117. In cognitione viæ juſtorum ſibi Deus complacet. 1. Quia recta eſt. Nota ſecundò, complacet ſibi Deus in cognitione & contemplatione viæ juſtorum. Primò, quia recta eſt, & ab eo dirigitur. S. Ambr. in Pſ. noſtr. Vias eorum, inquit, Deus novit, quorum greſſus dirigit. Illi cooperari debemus, ut monet Iſaias cap. 40. 3. *Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri*; ſive ſitis in ſæculo, viam Dei parate, ut ad vos veniat ſervantes præcepta, ſive ſitis in ſolitudine & clauſtro, rectificate, & bona intentione rectas facite, ſemitas & arctos calles conſiliorum: *Dulcis & rectus Dominus* Pſal. 24. 8. *Juſtitia Domini recta.* Pſal 18. 9. *Recta via Domini.* Oſeæ 14. 10. per obliqua non graditur, & *ſalvos facit rectos corde.* Pſal. 7. 11. Iſaias verba illa: Parate viam &c. refert, tanquam dicenda à S. Joanne in deſerto: Joannes gratiam, ſeu potiùs gratia plenum ſignificat. Si vis gratiam habere, ſis rectus, & rectâ viâ ambula, Deum ſincerè quærens, & ex animo.

Secundò, *novit Deus viam juſtorum*, quia plana eſt. Sequitur apud Iſaiam citatum verſ. 4. *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas.* Prava ſunt, obliqua, diſtorta, flexuoſa: illa ad Chriſti adventum fient recta: aſpera verò, ſunt inæqualia; nunc alta, nunc depreſſa; illa per eum quoque fient æqualia & complanata, ut nihil ſit altius, nihil depreſſius, ſed omnia ejuſdem proportionis & modi: ſuperbi enim, qui ſunt altiores, quàm opus ſit, ſe depriment: puſillanimes verò, qui ſunt dejectiores, animum erigent. 2. Plana.

Tertiò, *novit Deus viam juſtorum*, quia munda eſt. Pſalmo 17. verſ. 31. *Deus meus impolluta via ejus*: id eſt, Dei via eſt impolluta. Hebræi enim ſolent ponere nominativum nominis, cujus deinde caſum alium per affixum, aut alio modo referunt, ut jam monui. S. Hieronymus vertit *immaculata*, Septuaginta, ἄμωμος irreprehenſibilis, inculpata, ſine dedecore, probro, infamia, ignominia, vituperio: ne moni quidem morſibus obnoxia. Similem vult ſervorum ſuorum viam, unde pergit Propheta verſ. 33. *Poſuit immaculatam viam meam*, Aquila, *perfectam*, & hoc ſignificat Hebr. תמימה *themima*. Si vis eſſe perfectus, ſis immaculatus. In adventu Meſſiæ prædicit Iſaias futuram ſemitam & viam, quâ ſcilicet in templum cœleſte eatur, capite 35. 8. *Erit ibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur: non tranſibit per eam pollutus.* Alludit ad templum Joroſolymitanum, & ad tabernaculum Moſis, à quibus immundi arcebantur: quin etiam ab atrio populi fidelis excludebantur omnes gentiles & immundi, pœnâ capitis propoſitâ legem illam violantibus: unde atrium mundorum dicebatur. De ſancta & cœleſti civitate Jeruſalem, ait S. Joannes Apoc. 21. 27. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Ut enim dicit de illa Iſaias cap. 60. 21 *Populus tuus omnes juſti.* Et c. 52. 1. *Induere veſtimentis gloriæ tuæ Jeruſalem civitas Sancti*, id eſt Chriſti, qui Eccleſiam Epheſiorum 5. 27. exhibuit ſibi glorioſam, *non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata*, quod efficit per ſacramenta ſancta, doctrinam ſinctam, atque ſanctos Prælatos, Doctores & fideles: pergit Iſaias ad rem noſtram aptè. *non adjiciet ultra, ut pertranſeat per te incircumciſus & immundus*. id eſt, dæmon, ut ait S. Cyrill. & Procop. qui te polluat, & ſervituti ſuæ ſubjiciat: vel meliùs, infideles, qui te diripiant & vaſtent, ut apri in vineam irrumpentes. Conclude cum eodem Iſaia. & omnibus inclama cum S. Joanne, Iſaiæ 40. 3. *Parate viam Domini*, Regis ad vos venire volentis, & ad ſe vos introducere optantis. Hebr. פנו *phannu*, aptiſſimè ad rem præſentem vertunt *repurgate*: ſed aliquid mihi ſignificantius exprimere videtur, atque eſſe, ita purgate, ut conſpicuam faciatis, & dignam Dei oculis: ita mundam facite, ut nihil ſordidum Deo eam aſpicienti & decurrenti appareat. Nam radix פנה *phana* ſignificat aſpicere, vertere, mundare, præparare; inde *φαίνω* deducitur, id eſt, appareo: & fanum, id eſt, *templum*, quod etiam Donatus à *tuendo*, id eſt, aſpiciendo, deducit: ad templum Dei via munda ducit: illi dicit, Abacuc 1. 13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum*, id eſt, ne approbes iniquitatem, & iniquos, iiſque faveas, & coram te ſtare ſinas: & David Pſalmo 5. 6. *Non habitabit juxta te malignus: neque permanebunt injuſti ante oculos tuos.* Matth. 7. 23. impiis in die judicii Chriſto dicentibus, ſe in nomine ejus prophetâſſe, & miracula feciſſe, dicet: *Nunquam novi vos*, ut oves gregis mei ſignaculo meo ſignatas, *diſcedite à me, qui operamini iniquitatem*, ut tenebræ à Sole. Vide dicta Pſ. 118. 1. & ſeq. beati immaculati in via. 3. Munda.

Quartò *Novit Deus viam juſtorum*, quia lucida eſt. Proverb. 4. 18. *juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens.* 4. Lucida.

dens, procedit (vadit, ut Theodot. promovet, ut Vatablus) *& creſcit uſque ad perfectam diem.* Lux illa oritur à Deo, ut Sole animæ ambulantis in via mandatorum. Ut enim dicit ſanctus Gregorius Nazianzenus oratione 21. *Quod rebus ſub ſenſum cadentibus eſt Sol, hoc illis, quæ animo & ratione intelliguntur, eſt Deus. Ille enim Mundum hunc aſpectabilem colluſtrat, hic inviſibilem. Ille corporis oculos ita afficit, ut lumen ipſius intueri poſſint: Deus verò, rationales mentes, θεοειδεῖς ἀπεργάζεται, divinas efficit.* Illam verò à ſe productam lucem ſemper aſpicit oculus ille divinus, in ea ſibi complacet, eam fovet & auget, *uſque ad ſtabilitatem diei,* ut Syr. & Theodot. vertunt, *uſque ad ſtabilem diem,* ut Symmachus. Lux illa mundat viam. Pſalmo 36. 18. *Novit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit:* tunc erit dies ſtabilis & perfecta: ad rem noſtram eſt maximè græca verſio: nam pro *dies immaculatorum*, habet, *vias immaculatorum:* quaſi diceret, viæ juſtorum ſunt ita lucidæ & puræ, ut ſint dies clariſſimus: ubi erant Hebræi, lux erat, & ambulantes ſecum lucem vehebant, & in Ægypti tenebris ſemitas lucis faciebant. Sic etiam *vias* legunt S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Hieronymus, Pſalterium Romanum & Gallicanum. Sanctus Ambroſius autem in eum locum junctionem lucis & innocentiæ faciendam eſſe docet, his verbis: *Quia immaculata innocentia, gratia Dei & plenitudo miſeretur, non miſeretur errantibus. Iſti non habent diem, quia lucem fugiunt, de quibus pulchre dictum eſt Pſalmo 143. dies eorum ſicut umbra prætereunt. Cognitio ergò Dei, dignationis eſt, non viſionis. Oculi ejus lux ſunt; quos aſpicit, illuminat: & ideò oculi ejus, dies juſtorum ſunt.* Hoc etiam piè, ſuaviter, & ingenioſè explicat ſanctus Bernardus lib. 5. de conſideratione ad Eugenium cap. 5. *Deus amat, ut charitas: novit, ut veritas: ſedet, ut æquitas: dominatur, ut majeſtas: regit, ut principium: tuetur, ut ſalus: operatur, ut virtus: revelat, ut lux: aſſiſtit, ut pietas.* Virginibus cum lampadibus extinctis ad nuptiale convivium ingredi optantibus dicit: *Neſcio vos.* Matth. 25. 12. id eſt, pro meis non agnoſco, reprobo, damno. S. Hieronymus, novit, inquit, Dominus, qui ſunt ejus, & qui ignorat, ignorabitur.

5. *Delectabilis.* Quintò, *Novit Deus viam juſtorum*, quia eſt delectabilis: eſt enim via ipſius ſapientiæ, de qua Proverbiorum 3. 17. *Viæ ejus, viæ pulchræ.* Pagninus, *delectabiles.* Vatablus, amœnæ. Septuaginta, bonæ. Arab. bonitatis. Hebraicè נעם amœnitatis, ut Arias, pulchritudinis, & decoris, ut potes vertere. *Et omnes ſemitæ illius pacificæ.* Aben Ezra, pacatæ: Septuaginta, in pace. Arab. curſus ejus in pace. In illis viis anima virtutibus exornata cum delectatione ambulat, & omnium oculos ad ſe rapit, Canticorum 7. 1. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis?* Quidam in ſcholiis græcis vertit, ἐκουσιαζομένης, id eſt, munifici, ſeu ſpontè dantis. Hebraicè filia נדב nadab, quod idem eſt cum *nadib.*, & ſignificat munificum, magnificum, liberalem, pronum ad benefaciendum: principem, heroëm; magiſtratum, quòd eos deceat munificentia & magnificentia: ac viciſſim, qui animo ſunt liberali, digni ſint, qui aliis præſint. Septuaginta & Theodoretus, *nadab* putant eſſe nomen proprium. Sanctus Hieronymus libro 1. in Jovinian. & ſanctus Ambroſius libro de obitu Valentiniani, legunt Aminadab. *Greſſus* verò illius filiæ principis, id eſt, animæ, quæ per gratiam facta eſt filia Dei, ſunt quatuor: nempe ut ait Honorius in Cant. ſunt quatuor affectus: concupiſcentia, timor, gaudium, & dolor, qui eam portant ad opera, ſicut pedes corpus portant ad loca. Vel, ut ait idem, greſſus animæ, ſunt cogitationes, per quas graditur ad actiones. Malim dicere, eſſe ipſas actiones, quibus tendit ad Deum. Via cœli eſt ita gaudii plena, ut tota ſit gaudium: de ejus termino clarum eſt, Matth. 21. 23. *Intra in gaudium Domini tui:* ſic vocatur cœlum, gaudium Domini: de toto decurſu Iſaias 35. 8. de Eccleſia dicit: *Erit ibi ſemita & via.* Septuaginta vertunt, *erit ibi lætitia civium.*

Sextò, *Novit Dominus viam juſtorum*, quia eſt 6. *Secura.*
ſecura. Prov. 3. 17. *Semitæ illius* (ſapientiæ) *pacificæ.* Vide verſiones ſtatim allatas. Deus illam ſecuritatem dat cuilibet ſincerè ad ſe tendenti. S. Auguſt. lib. 8. confeſ. cap. 11. *Quid in te ſtas, & non ſtas? Projice te in eum, noli metuere, non ſe ſubtrahet, ut cadas. Projice te, ſecurus excipiet te, & ſalvabit te.*

Septimò denique, *Novit Dominus viam juſto-* 7. *Expedita.*
rum, quia eſt expedita; in ea enim non ſunt ſpinæ & rubi, qui currentem retineant. Clamat Petrus Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te:* neceſſarium eſt omnia relinquere, ſaltem affectu, ſi vis Chriſtum ſequi nudum in cruce, & in vita paupertinum. 1 Cor. 7. 30. *Reliquum eſt, ut, qui emunt, tanquam non poſſidentes ſint. Et qui utuntur hoc Mundo, tanquam non utantur.* Sic admunitis ait, cap. 9. 24. *Sic currite, ut comprehendatis,* & Hebr. 12. 1. *per patientiam curramus*, & de ſe ait, Philip. 2. 16. *non in vacuum cucurri.* Contrà verò, dicitur, Prov. 15. 19. *Iter pigrorum, quaſi ſepes ſpinarum.* Sept. *ſtrata ſpinis*; Itaque ſpinæ non ſunt tantùm ex utraque parte viæ, ut veſtes retineant, & lacerent: faciem, oculos, & manus lædant: ſed etiam in ipſo viæ ſolo, ut pedes implicent, pungant, & retineant. Chald. *Via pigrorum, tribuli & ſpinæ*, nihil ibi eſt terræ, ubi aliquamdiu interquieſcas, ſemper ſupra ſpinas eſt ambulandum: unde impii dicunt, Sap. 5. 7. ſe ambulaviſſe vias difficiles. Hebr. *via pigri velut* מסכת *meſucath, ſepes* (vel ſenticetum) *ſpinarum:* pergit Sapiens adhuc magis ad rem præſentem aptè: *via juſtorum abſque offendiculo.* Sept. viæ fortium tritæ. Chald. via rectorum munda & pura. Hebr. ſemita rectorum complanata: Auctor catenæ græcæ, fortium ſemitæ ſunt planæ atque protritæ. Adagium eſt R. Agadæ, quod citatur à R. Salomone: *Via Eſau eſt tanquam ſpina floccis lanæ implicita, quam ſi inde removeas, aliunde emerget:* id eſt, manus improborum vix evades, niſi pecuniarum ope: ſi enim ex una parte contra eos te munias, aliunde pungent: ſed ſuis etiam ipſi ſpinis graviùs infeſtantur. Octavò denique, viæ juſtorum terminus eſt vita æterna, in qua juſti & Deo noti & Deum facie ad faciem cognoſcentes cum eo conquieſcent.

Pergit igitur Propheta noſter, & Pſalmum con- 118.
cludit voce impiis terrifica, verſ. eod. 7. ET ITER Verſ. 7.
IMPIORUM PERIBIT. Nota primò, iter perire dici- 2. pars.
tur, cùm viator in urbem aliquam aut deſtinatum Iter im-
locum pergens, ejus finem reperit, & tamen, quò piorum
tendit, non pervenit: ſed vel aliquod præcipitium perit, &
ante oculos ſuos cernit, vel paludes & loca ex omni quomo-
parte cœnoſa, vel denſas ſylvas, in quas penetrare do.
non poſſit, vel agros ſine ullo tramite. Nota ſecundò, S. Ambroſium obſervare, non temerè dici hic, iter impiorum & viam juſtorum, cùm Chriſtus, Joan. 14. 6. dixerit, ego ſum via; non verò, ego ſum iter. Sed hæc obſervatio non eſt ſolida: nam in textu Hebr. Syr. Chald. Arab. & Græco, ut jam monui, eſt eadem utrobique dictio: & S. Hilar. legit, *via impiorum peribit*, & via nonnunquam in malam partem ſumitur, ut in Pſalmo noſtro verſ. 1. in via peccatorum non ſtetit. Matt. 7. 13. lata & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem. Iter verò, nonnunquam in bonam partem accipitur, ut Pſ. 49. 23. Illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei. Pſ. 67. 5. Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum. Nota tertiò, non dici, quòd ſint perituri impii, ſed quòd ſit periturum iter impiorum: quia, ut rectè ait Oecumenius, ſi penitùs interirent, puniri non poſſent, & damnationis experiri pœnam.

Nota quartò, poſſe etiam verti, iter impiorum perdes, quia *tobed*, id etiam ſignificat. Sed meliùs interpretem noſtrum reddidiſſe, *iter impiorum peribit.* Primò, quia ſenſus eſt apertior, & ſyntaxis melior. Novit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit: quàm ſi diceretur, perdes, ſupple, ô Deus! per enallagen perſonæ. Secundò, quia ſic denotatur, Deum non eſſe cauſam perditionis

impiorum, ſed illos ipſos. Oſeæ 13. 9. *Perditio tua*, id eſt, ex te, & ex peccatis tuis, *Iſrael: tantummodò in me auxilium tuum.* Unde S. Bernard. ſerm. 8. in natali Domini: *Rectè*, ait, *Deus non Pater judiciorum, vel ultionum dicitur, ſed Pater miſericordiarum, eò quod miſerendi cauſam & originem ſumat ex proprio, judicandi vel ulciſcendi magis ex noſtro.*

Nota quintò cum S. Auguſtino, *iter impiorum perire*, idem eſſe ac Deum iter impiorum non noviſſe: & ſic verſus totus ſenſum optimum habet. Novit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit, id eſt, non noſcitur à Deo: non noviſſe autem Deum, non eſt tantùm, ut explicat Euthymius, veluti cognitione ſua indignas impiorum vias ignorare ſe ſimulare: ſed eſt illas damnare & reprobare. S. Fulgent. lib. 1. ad Monimum illud citans Prov. 4. 27. Vias, quæ à dextris ſunt, novit Dominus: perverſæ autem ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt, ſic ait: *Vias, quas Deus fecit, novit: quas non fecit, perdit, quia eas non novit.* Et S. Greg. lib. 2. Mor. c. 3. in quo illud diſcutit Jobi 1. 7. cùm dixit Deus ſatanæ, *unde venis?* Notat, non eſſe dictum ſanctis Angelis, unde veniris, ſed ſoli ſatanæ, atque cauſam reddens, ait: *Non requirimus, niſi utique quæ neſcimus. Neſcire autem Dei, reprobare eſt. Unde quibuſdam in fine dicturus eſt: neſcio vos, unde ſitis.* Deteſtatur Deus viam impiorum, Prov. 15. 9. *Abominatio eſt Domino via impii: qui ſequitur* (Hebr. metaddeph, qui perſequitur, qui avidè ſequitur, ut cœleſtem prædam & coronam) *juſtitiam, diligitur ab eo.*

In hac vita. Nota ſextò, iter impiorum perire, & in hac, & in alia vita. Primò, in hac vita iter impiorum, id eſt, vivendi ratio, actiones, cogitationes, conatus, ſæpè infelicem exitum ſortiuntur: ſpe ſua ut plurimùm excidunt, & vanis deſideriis iiſque innumeris cruciantur. Secundò, & meliùs, Caſſiodor. explicat

Et in futura. de æterno interitu: in abyſſum deſinit via impiorum, ibique perit.

119.

Octo de cauſis iter impiorum reprobat DEUS. Nota ſeptimò, octo cauſas afferri præſertim poſſe, propter quas iter impiorum à Deo non cognoſcatur: id eſt, reprobetur & pereat. Primò, quia

1. Quia eſt tortuoſum & obliquum. non eſt rectum, ſed variis anfractibus & flexibus tortuoſum atque obliquum. Pſalmo 11. 9 *In circuitu impii ambulant.* Prov. 2. 15. *Quorum viæ perverſæ ſunt.* Vatablus vertit, obliquæ. Theodotio, *ςρεβλαὶ*, tortuoſæ, flexuoſæ, contortæ: inde per metaphoram, vafræ, callidæ, verſutæ, ſinuoſæ inſtar ſerpentum: deducitur à *ςρέφω* quod verſo, flecto, torqueo ſignificat: & per metaph. verſutè & callidè ago. Symmach. *σκαμβαὶ*, obliquæ, incurvæ, diſtortæ, hinc *σκαμβὸς* à Suida appellatur, quem Latini Varum nominant, id eſt, cui crura introrſum contorta ſunt, à *σκάζω* claudico, ut Homerus in Iliad. uſurpat, deducitur. Pergit Sapiens, *& infames greſſus eorum.* Septuaginta, & flexuoſi curſus eorum. Aquila, jactant ſe in flexuris ſuis, & ſubſannant in agris ſuis. Hebraicè נלוזים *nelozim*, perverſitates, ut vertit R. Emmanuel: recedentes, ut Arias. Vertere poſſis, declinationes, illuſiones, illuſores, receſſus. Qui enim in via Dei non progreditur, & non rectâ incedit, regreditur, & hominibus Deoque ac ſibi illudit, nihil proficiens & multum laborans. Sic Prov. 3. verſ. 32. ubi legimus, *abominatio Domini eſt omnis illuſor*, habetur eadem vox *naloz.* & rad. *luz.* arbitror deludi, ludo, luſus, ſignificat autem *luz* declinare, recedere, deflectere ab inſtituto, & à promiſſo, illudere. Chald. & R. Jonas vertunt, *Abominatio Domini eſt, perverſitas.* R. Salomon, qui per devia tranſverſus agitur. R. Levi, qui à recta via devias, & flexuoſum iter ingreditur.

2. Aſperum. Secundò, iter impiorum à Deo reprobatur, quia eſt aſperum, id eſt, non planum. Baruch Propheta quarto, verſu vigeſimo ſexto: *Delicati mei ambulaverunt vias aſperas.* Hoc eſt, Judæi in captivitatem Babylonicam ducti ſunt, cùm Dei filii ſub ficu & vite ſua deliciis terrenis & cœleſtibus fruerentur. Chriſtus vias complanavit atque aſperitatem earum abſtulit, Iſaiæ 40. 4. ut oſtendi ſuprà.

3. Tenebroſum. Tertiò, iter impiorum à Deo reprobatur, quia eſt tenebroſum. Prov. 4. verſ. 19. *Via impiorum tenebroſa.* Hebr. אפלה *aphela*, caligo, tenebræ: non eſt tantùm tenebroſa, ſed eſt fons caliginis: *neſciunt, ubi corruant.* Nam illa caligo efficit, ut foveas non videant, nec eas caveant: nec videant iter ſecurum, ut ad aliud tendant. Proverbiorum ſecundo, verſu decimo tertio: *Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas.* Hebr. חשך *hoſech*, caliginis. Jobi vigeſimo primo, verſu decimo ſeptimo. *Lucerna impiorum extinguetur*, de filiis lucernam explicat ſanctus Gregorius, de felicitate, Pineda: nunc explica de lumine rationis, quod ſignatum eſt ſuper nos; nam ambulanti per viam impietatis, quæ ipſa caligo eſt, paulatim extinguitur, & greſſus ſuos dirigere non poteſt; *& ſuperveniet eis inundatio.* Hebraicè אידם *edam* exitium eorum, ut vertit Arias, contritio eorum, ut Pagninus. Vertere poſſis afflictionem calamitatum, interitum. Rectè Philippus ait, per inundationem intelligi abundantiam tormentorum.

Quartò, iter impiorum à Deo reprobatur, quia eſt lutulentum. Pſalmo nono, verſu vigeſimo ſexto: *Non eſt Deus in conſpectu ejus*, ut lux in via dirigens: *inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore*: nam in luto, quod non videt, ambulat. Hebraicè יחילו *iahilu*, à rad. חול *hol*, propriè ſignificat dolere inſtar parturientium, dolore cruciari & angi: cadere, formidare, proſperari. Vel potiùs à rad. חלל *halal*, violari, profanari, occidi, vulnerari, dolere, cruciari. Sanctus Hieronymus vertit: *Parturiunt viæ ejus in omni tempore.* Campenſis, profanæ ſunt. Vatablus, dolore afficiuntur. Chald. R. Salomon, R. Moſes, proſperabuntur. Nota, Felicitas & proſperitas improborum, dolore, cruciatu, profanatione, inquinatione, & formidine plena eſt. *4. Lutulentum.*

Quintò, iter impiorum à Deo reprobatur, quia non eſt delectabile, ſed moleſtum ob frequentes lapſus. Pſalmo trigeſimo quarto, verſu ſexto: *Fiat via illorum tenebræ & lubricum.* Jeremiæ vigeſimo tertio, verſu undecimo: *Via eorum quaſi lubricum: impellentur enim & corruent in ea.* Monet Jeſus filius Sirach, author Eccleſiaſtici capite trigeſimo ſecundo, verſu vigeſimo quinto: *In via ruinæ non eas, & non offendes in lapides.* Syrus vertit: In via aſperitatis ne incedas, ne fortè offendas in petra, bis: id eſt, graviter & ſæpiùs. Arab. Ne incedas in via petræ, ne fortè offendas in petram bis. Græcè, in lapidoſis. *Nec credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum: σκάνδαλον* quidam dicunt eſſe propriè lignum incurvum, quo tendicula ſeu decipula ſuſtinetur: & in quod impingens animal, ipſam tendiculam ſeu decipulam ſuper ſe ſubita ruina proſternit: dicitur etiam *σκανδάληθρον.* 2. Ponitur pro quovis offendiculo in via objecto, & inducente in periculum lapsûs & ruinæ. 3. Pro occaſione peccandi: ſic ſumitur Matthæi decimo octavo, verſu ſexto: *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis*, &c. Syr. reddit: *Qui offendiculo fuerit.* Vitæ autem laborioſæ, ut nos non credamus, admonet ſanctus Laurentius Juſtinianus: Evita, inquit, ea, quæ multis obſtaculis impediuntur: quia opera Spiritûs Sancti facilia ſunt & æquabilia: *diaboli verò, aſpera & plena ſentibus.* Symbolum hoc erat Pythagoræ: *Pede in limine illiſo, retrocedendum:* id eſt, quæ in ipſo initio ſunt noxia, non ſunt proſequenda. *5. Lubricum.* *Pythagoræ ſymbolum.*

Sextò, iter impiorum à Deo reprobatur, quia non eſt ſecurum, ſed periculis plenum. Proverb 22. verſ. 5. *Arma & gladii in via perverſi:* id eſt, ut ait R. Levi, ambulantis per viam perverſam, & non conſiderantis, per quam viam ambulet. Hebr. vox צנים *ſinnim*. Primò, ſignificat ſpinas, ut R. Abraham, & R. David exponunt. Secundò, laqueos, & ſic Chald. Paraph. vertit: *Pedica & laquei in via perverſa.* Syr. *& laquei.* Tertiò, ſignificat frigus, ut R. Levi reddit, & deducitur à rad. *ſanan*, fugere. Quartò, latrones, ſic enim vertit, R. Salomon, *latrones & laquei ſunt abſconditi in via profligati.* Quintò, ſignificat clypeum, & arma. Eſt enim plurale à *ſinna*, id eſt, ſcutum, clypeus, arma: ſed ſecundùm terminationem maſculino- *6. Periculoſum.*

rum

tura in plurali: dicitur etiam *ſiunoth*, terminatione fœminina. Peccator gelu concretus in ſpinas, laqueos, & tela hoſtium incidit.

7. Implicatum.

Septimò, iter impiorum à Deo reprobatur, quia eſt impeditum & implicatum. Jobi decimo octavo verſu octavo: *Immiſit in rete pedes ſuos, & in maculis ejus ambulat.* Nota, maculæ retis, ſunt retis foramina, ſeu plagæ: id eſt, ſpatia illa interjecta in reti: in maculis igitur retis ambulare, eſt ambulare complicatum & involutum reti. Alludit ad aves captas, & caſſibus incluſas, quæ fugere nituntur: Sed ſecum ferunt retia, in quæ ſe magis ac magis induunt. Nota etiam, duplicem maculæ ſignificationem, afferre elegantiam ſententiæ: dum enim ſe convolvunt retibus aves captæ, ſeſe maculant & coinquinant viſco, pulvere, luto. Additur verſu nono: *Tenebitur planta illius laqueo, & exardeſcet contra eum ſitis*; id eſt, ſitientes, per Metonymiam: ſitientes autem ejus pecunias & ſanguinem, ſunt prædones. Sic capite quinto, verſu quinto: *Bibent ſitientes divitias ejus*; id eſt, prædones, ut vertit Pagn. ſeu graſſatores, ut Vatablus.

8. Ad mortem ducit.

Octavò, præſertim iter impiorum à Deo reprobatur, & perit: quia deducit ad mortem & perditionem æternam. Jobi vigeſimo primo, verſu decimo tertio: *In puncto ad inferna deſcendunt.* Nota, Hebraicè *berega*, in momento; ex quo rectè infertes eſſe infinitam peccati gravitatem & malitiam, ut nunc aliqui Theologi docent, inter quos eſt noſter Hurtadus de Mendoza. Quò enim major eſt gravitas, eò eſt motus velocior: atque ubi eſt motus in inſtanti ſeu momento temporis, gravitas ſit oportet infinita. Impii ſe quantum poſſunt extollunt, infernus eſt in medio terræ, diſtans ab ejus ſuperficie mille & quingentis leucis circiter; & tamen eò dejiciuntur ſceleratí inſtanti, aut potius proprio pondere corruunt, id enim vox *deſcendunt*, denotat. Hoc in Lucifero adhuc magis eſt mirum, qui è ſummo cœli vertice in momento, id eſt, breviſſimo tempore, deſcendit ad inferos, à quibus diſtabat, ſi credimus quibuſdam mathematicis, pluſquam centum millionibus leucarum. Ruina Regis Tyberi ſub ejus typo deſcribitur Iſaiæ decimo quarto. Impii dicunt capite vigeſimo octavo, verſu decimo quinto: *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum*: Non magis curant, quàm ſi facto fœdere certi eſſent de eorum amicitia innoxia: vel potius, iis ſe addixerunt & conſecrârunt, eorum ſe fœderatos & amicos profitentur, ſeque & alios ipſis devovent. Horrendum eſt, quod refert Æneas Sylvius, Europ. capite vigeſimo primo,

Horrendo impius ut Fridericus moritur.

cùm princeps, potius monſtrum, Fridericus Comes Ciliæ in Styria, Valeria olim dicta, eſſet in libidinem propenſiſſimus, & occiſa propria manu uxore greges puellarum raperet, uxores paſſim maritis auferret, Eccleſiarum bona diriperet, perditiſſimos quoſque ad ſe conſciſceret, Romam Indulgentiarum causâ in Jubilæo anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi, jam nonagenarius petiit. Sed adeò nihil profecit, ut cùm reverſus nihilo melior appareret, interrogatus: Quid ſibi Roma profuiſſet in priſtinos mores relapſo? Ait: Et calceator meus ad conſuendas ocreas, poſt Romam viſam rediit. Quem cùm aliquis ex amiciſſimis monuiſſet, ſciret ſe moriturum, ac de ſepulchro cogitaret: *Iſtuc*, inquit, *ago*; *Nam ſepulcrali marmori hoc epigramma inſculpendum ſtatui: Hæc mihi porta eſt ad inferos. Quid illic reperiam, neſcio. Scio quæ reliqui, abundavi bonis omnibus, ex quibus nihil fero mecum, nec quod bibi atque edi, quodque inexhauſta voluptas exhauſit.* Quid aliud in bovis ſepulchro, aut potius in dæmonis cœnotaphio, poſſes ponere? Si mori dæmon poſſet, quid aliud ſtatueret?

Plinius libro trigeſimo ſexto, verſu vigeſimo ſeptimo: In Aſſo Troadis, ait, Sarcophagus lapis fiſſili vena ſcinditur. Corpora defunctorum condita in eo abſumi conſtat intra 40. diem, exceptis dentibus. Peccati proprium eſt, ad nihilum omnia redigere, ipſum eſt enim nihil. Tyrio Regi dicitur

Sarcophagus carpora conſumens.

Ezechiëlis vigeſimo octavo, verſu decimo nono: *Nihil factus es, & non eris in perpetuum*; de dæmone habes Jobi decimo octavo, verſu decimo quinto: *Socii ejus qui non eſt*; quod meditans ſanctus Gregorius libro decimo quarto Moralium capite undecimo ait: Qui jam non eſt, quia à ſumma eſſentia receſſit, & quaſi ad non eſſe tendit, ex quo ſemel ab eo, qui verè eſt, cecidit: quia benè eſſe perdidit; & Apocalypſis decimo ſeptimo, verſu undecimo: *Beſtia quæ erat, & non eſt: & ipſa octava eſt: & de ſeptem eſt, & in interitum ibit*: prius dixerat verſu octavo: *Beſtia, quam vidiſti, fuit & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit.* Nota, viderat Babylonem, id eſt, Romam ethnicam, in ſpecie mulieris ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem & cornua decem. Nota ſecundò, per illam beſtiam intelligi diabolum in mundo regnantem. Senſus itaque literalis eſt: Beſtia quam vidiſti, fuit potens ante Chriſtum & liberè per Orbem vagabatur, nunc non eſt amplius in terra, ſed dejecta eſt in abyſſum inferorum, unde exurget tempore Antichriſti: ſed poſt breve tempus iterum rejicietur in abyſſum. Eſt de ſeptem capitibus, id eſt, regibus Antichriſtum præceſſuris, in illis diabolus dominabitur, & per illos neſaria aget, atque torquebit pios, eſt tamen ab iis revera ſeparatus, & ſic eſt velut octavum caput beſtiæ; unde in Græco habetur: *Et ipſe octavus eſt*; ſupple, rex impius. Nota 3. non tantùm impii pereunt, ſed eorum locus: *Iter impiorum peribit.* Apocalypſis 12. verſu 8. *Neque locus inventus eſt eorum in cælo*; id eſt, in aëre; agitur enim de pugna dæmonum & S. Michaëlis, in fine mundi dæmones tunc ita dejicientur, ut locus eorum ne videatur quidem amplius in terra aut ſupra terram. Alluditur quoque ad primum Angelorum lapſum è cælo. Tempus etiam impiorum peribit. Ap. 10. 6. *Tempus non erit amplius*; Sic peribunt, ita ut à ruina ſurgere non poſſint, magis quàm lapis ex immenſa abyſſo, in quam eſt projectus. Nota 5. Hæc omnia mala oriuntur à peccato. S. Chryſoſt. in Pſ. 139. *Nihil lædit hominem præter peccatum: eo ſublato, omnia facilia, explicata, ac tranquilla ſunt. Si verò adſit, πάντα σκόπελοι, καὶ χειμῶνες, καὶ ναυάγια, Omnia ſunt ſcopuli, tempeſtates & naufragia.*

Conclude cum Rege noſtro Pſ. 138 verſ. ult. *Deduc me in via æterna.* Chald. in via rectorum mundi. Romanum Pſalt. in viam æternam. S. Chryſoſtomus in eum locum, viam æternam ait eſſe viam ſpiritualem, & quæ ducit in cœlum, & cujus non eſt finis: alia omnia eſſe caduca, momentanea, & vita præſenti concludi: Dei auxilio opus eſſe, ut quis ad eam deducatur, virum verò ſapientiæ ſtudio debitum, amplecti virtutem, & fieri ὑψηλότερον τῶν βιῶν, excelſiorem rebus quæ ad hanc vitam pertinent. S. Bonavent. ſeptem nobis hujus cœleſtis viæ calles oſtendit tract. integro de 7. itiner. æternitatis. Primum iter ait eſſe, à terrenis abſtractionem. Secundum, æternorum ſtudioſam meditationem. Tertium, æternorum limpidam contemplationem. Quartum, æternorum occultam revelationem. Sextum, æternorum experimentalem prægustationem. Septimum, æternorum meritorum operationem, ſive Deiformem. Has vias decurre, ſi coronam in fine optas, reperire, quam tibi Chriſtus agonotheta paratam oſtendit atque offert.

PSALMUS SECUNDUS.

1. Quare fremuerunt gentes : & populi meditati ſunt inania?
2. Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum : & adverſus Chriſtum ejus.
3. Dirumpamus vincula eorum : & projiciamus à nobis jugum ipſorum.
4. Qui habitat in cœlis, irridebit eos : & Dominus ſubſannabit eos.
5. Tunc loquetur ad eos in ira ſua : & in furore ſuo conturbabit eos.
6. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus : prædicans præceptum ejus.
7. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu : ego hodie genui te.
8. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam : & poſſeſſionem tuam terminos terræ.
9. Reges eos in virga ferrea : & tanquam vas figuli confringes eos.
10. Et nunc Reges intelligite : erudimini, qui judicatis terram.
11. Servite Domino in timore : & exultate Ei cum tremore.
12. Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus : & pereatis de via juſta.
13. Cùm exarſerit in brevi ira ejus : beati omnes, qui confidunt in Eo.

PSALMI SECUNDI ANALYSIS.

Propheta noſter Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti contemplans veiut in tabella depingit

- Hoſtes Chriſti 1.
  - Plebejus 1.
    - Gentiles, qui infremant. 1.
    - Judæos, qui inania machinentur. 1.
  - Nobiles 2.
    - Reges, duos Herodes, & Pilatum Præſidem Judææ, qui in Eum inſurgant. 2.
    - Principes Sacerdotum, Phariſæos & Scribas, qui conſilium contra Ipſum ineant. 2.
- Apoſtolos Chriſti. qui. 3.
  - Vincula eorum abrumpant. 3.
  - Et jugum abjiciant. 3.
- Patrem Chriſti, 4. qui.
  - Animo, illos irrideat. 4.
  - Geſtu, ſubſannet. 4.
  - Voce irata, percellat. 5.
  - Fulmine, ad inferos detrudat. 5.
- Chriſtum ipſum. 6.
  - Regem, qui in Eccleſia dominetur. 6.
  - Legiſlatorem, qui legem Evang. ſanciat. 8.
  - Filium Dei, in Reſurrectione gloria coronatum. 7.
  - Hæredem, Orbis univerſi.
  - Paſtorem ſedulum, qui virgâ conſtanter dirigat. 9.
  - Judicem ſeverum, qui rebelles conterat. 9.
- Subditos Chriſti. 10.
  - Reges. 10. Et Judices. 10. qui
    - Intellectu, dignitatem Chriſti percipiant. 10.
    - Auribus, præcepta ejus hauriant. 10.
    - Opere, illi ſerviant. 11.
    - Corpore toto, ob ejus gloriam exultent. 11.
    - Amore, legem ejus impleant. 12. ne
      - Deus indignetur. 12.
      - Ipſi à via ſalutis excidant. 12.
      - In judicio iram ejus ſubeant. 13.
    - Spe, felicitatem æternam conſequantur.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

IN Hebræo textu, & apud S. Hieronymum, hic Pſalmus titulo caret : in Bibliis Regiis Græcè habetur, ψαλμὸς τῷ δαυίδ. Arabicum Pſalt. manuſcriptum hunc titulum præ ſe fert : *Propheta de Chriſto Domino, & vocatione gentium.* Syr. item, *de vocatione gentium, innuit Prophetiam de Paſſione Chriſti.* Nota, audacius eſſe Lyrani dictum : de Pſalmorum titulis, ut communiter ſcribuntur in Bibliis, parùm curandum eſſe : ſed ſolùm, ut ſcribuntur in Hebræo, & in translatione S. Hieronymi : Theodoretus præf. in Pſalmos, temeritatis arguit, invertere inſcriptiones Pſalmorum : quæ in prima, inquit, origine uſque ad Ptolemæi tempora delatæ ſunt, & interpretibus 70. in Græcam linguam tranſlatæ, iterúmque ait τολμηρὸν καὶ λίαν θρασὺ rem nimiæ temeritatis & confidentiæ plenam arbitrari ſe, falſas illas inſcriptiones putare, atque noſtras rationes, τῆς τοῦ πνεύματος ἐνεργείας σοφωτέρας, vi ſancti Spiritûs ſapientiores judicare. S. Chryſoſtomus l. 1. de compunctione cordis, Pſalmorum titulos à Spiritu ſancto dictatos docet, & comment. in Pſal. 3. comparat 1. Cum ſtatuis, quas Reges ponunt victoriam aſſecuti. 2. Cum columnis & inſcriptionibus, quas aurigis & athletis. 3. Cum libris, in quibus deſcribuntur victorum laudes. Ugo Cardin. & S. Thomas dicunt, titulos illos Pſalmis appoſitos ab Eſdra, quaſi *claves* ad intelligentiam ſequentium : ante ipſum S. Hieron. proœm. in Pſal. vocaverat claves Pſalmorum, & S. Auguſtinus Pſalm. 58. dixerat, Titulum Pſalmi, eſſe *fontem ſublimitate Sacramenti decoratam*, ut ſciamus, qui intraturi ſumus, cùm tanquam ſuper poſtem, quid intùs agatur, legerimus : vel cujus domus ſit : vel quiſnam ſit illius prædii poſſeſſor.

1. Tituli Pſalmorum non ſunt negligendi.

Quæres : An hic pſalmus diverſus ſit à primò? Reſp. primò, aliquos cenſuiſſe non eſſe diverſum, 1. Quia titulo caret. 2. Quia Act. 13. 33. à Paulo citatur ſub primi nomine. Reſp. 2. Eſſe diverſum

2. Diverſus eſt hic Pſ. à primò.

Pſal-

Pſalmum à primo. Nam alioqui non eſſent centum & quinquaginta Pſalmi: deinde in Hebræis, Syr. Arab. Æthiop. vulgatis exemplaribus, & in Græcis ſecernitur à primo; item in citato Actorum loco plures & emendatiores codices habent, *ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es tu*, & Græcè habetur τῷ δευτέρῳ, id eſt, ſecundo.

3. Cur hic pſalmus ponatur 2. loco.

Deinde, argumentum utriuſque Pſalmi eſt omninò diſtinctum. Nam in primo agitur de fuga peccati, & proſecutione virtutis, atque de felicitate piorum ac miſeria impiorum. In hoc autem mentio fit Paſſionis Chriſti, Reſurrectionis, Regni, Gentium converſionis, Providentiæ ejus & juſtitiæ. S. Hieronymus audaciorem vocat, qui de alio, quàm de Chriſto velit poſt Apoſtolos interpretari, & S. Auguſtinus rectè ait, id evinci contra pertinaciſſimos, ex illis verbis: Filius meus es tu, ego hodie genui te, & ex dominio in omnes gentes ipſi oblato, his vocibus: Poſtula à me, & dabo tibi gentes.

Quæres ſecundò: Cur hic Pſalmus ponatur poſt primum? Reſp. primò, S. Gregor. Nyſſen. tract. 1. in pſalm. cap. 11. dicit, primum pſalmum abducere hominem à cognatione, quam cum malo contraxit: ſecundum oſtendere, cui ſit adhærendum, dum ob oculos ponit Chriſti in carne manifeſtationem: ſimúlque docere, fiduciam erga ipſum, beatitudinem noſtram eſſe. Reſpondeo ſecundò, in primo pſalmo beatitudinem virtutis ſtudioſis proponi: in hoc ſecundo, de Chriſto agi, per quem eſt obtinenda, Epheſ. 2. 5. *Cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto*, id eſt, cum Chriſto, vel inſtar Chriſti, ut ait Cornelius: ſeu potiùs, per Chriſtum: ſubditur enim, *cujus gratiâ eſtis ſalvati*; inchoatâ ſalvatione per fidem gratis ſcilicet per ipſum juſtificati, fidem & gratiam primam juſtificantem per ipſum accipientes ſine ullis præviis meritis: *Et conreſuſcitavit, conſedere fecit in cœleſtibus*, per ſpem, quâ nobis paratas ſedes expectamus: & per vitam cœleſtem, quâ de facto ad eas perveniemus, *in Chriſto JESU. Ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ, in bonitate* (ἐν χρηστότητι, per benignitatem & clementiam) *ſuper nos, in Chriſto JESU*, per Chriſtum, ut ipſe Cornelius exponit. Itaque eodem modo præcedentia exponenda ſunt: non verò, cum Chriſto, vel inſtar Chriſti. Nota, ſæcula ſupervenientia poſſe accipi, & de tempore legis gratiæ in hac vita, & de ſtatu gloriæ in altera. Vide Salian. tom. 3. anno 2988. num. 3. & ſeq. hunc pſalmum de Chriſto allegoricè, de Davide ad literam explicantem, quando conſtitutum Regem ſuper totum populum & Jeroſolymâ occupatâ exultantem aggredi cogitarent Philiſthæi, quos deinde variis præliis fregit. Sed eſt verius, ut dixi ſuprà, etiam literaliter hunc pſalmum eſſe de Chriſto.

DIVISIO TOTIUS PSALMI.

Tria proponit. Primò, Judæos & Gentiles in Chriſtum furentes. Verſ. 1. & 2. Secundò, Deum Patrem eos irridentem & punientem. Verſ. 3. ad 6. Tertiò, Chriſtum à DEO Patre Regem conſtitutum, toti Orbi imperantem. Verſ. 6. uſque ad finem.

SECTIO PRIMA.

Tria continet. Primò, fremitum & malitiam Judæorum & Gentilium, partim plebeiorum, partim in dignitate conſtitutorum, contra Chriſtum, verſ. 1. & 2. Secundò, Exhortationem Chriſti ad Apoſtolos, ut vincula eorum & jugum abrumpant. Verſ. 3. Tertiò, Dei Patris iram & vindictam in Filii ſui perſecutores aperit V. 4. & 5.

PARAPHRASIS.

1. *Quare fremuerunt gentes: & populi meditati ſunt inania.*

1. Quid cauſæ eſt, cur Gentiles in me Chriſtum Dei Filium inſtar ferarum infremant, & Judæorum plebs ſine cauſa necem mihi machinetur, vanas & mendaces rationes in medium proferens?

2. *Aſtiterunt Reges terræ: & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus.*

2. Quid cauſæ eſt, cur Herodes Antipas Rex Galilææ, & Pilatus Judææ præſes inſurrexerint, ignominiæ & morti me addicendo? Cur ſummus Pontifex, Principes Sacerdotum, Scribæ, Phariſæi, ac cæteri Judæorum Magnates, mortem meam tanto ardore ſitiverunt, cùm ſcirent ſe non in Chriſtum tantùm, ſed in ejus Patrem Deum peccare?

3. *Dirumpamus vincula eorum: & projiciamus à nobis jugum ipſorum.*

3. Vos, ô fideles mei & Apoſtoli mentem erigite & roborate! Vincula idololatriæ ac peccatorum, jugúmque legis Moſaicæ, quæ Gentiles nobis & Judæi moliuntur, imponere, diffringamus, & à cervicibus noſtris excutiamus.

4. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos: & Dominus ſubſannabit eos.*

4. Pater meus æternus, cœli terræque Dominus, qui in cœlo, velut in aula regia, vim ſuam majeſtatémque maximè oſtendit, eorum conatus irridebit: & terrenos illos homines, Rex ipſe omnium ſupremus, ludibrio exponet, eluſis eorum artibus & molitionibus, ruinam in me paratam in ipſorum caput reflectens.

5. *Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.*

5. Cùm eos ſine templo, ſine regno, ſine lege, ſine rege, ſine lare extorres viderit, ac præſertim in die judicii trepidantes & confuſos, tunc ſeverè per me increpabit ac puniet: & mentis impotes, pœnarúmque præſentium & futurarum acerbitate conturbatos, æternis ſuppliciis addicet.

QUÆSTIO UNICA.

Quàm gravis & juſta Judæorum & Gentilium Chriſto in Paſſione ſua inſultantium punitio?

4. Ex omni parte Chriſtum impii invadunt.

IN ſacra nobis tabella Chriſtum Propheta noſter proponit, quem rabidi canes, urſi, leones, ſerpentes invadant. Primò ab Oriente, Gentilium cunei in canes deformati infrendent, verſ. 1. *Quare fremuerunt gentes?* Secundò, ab Occidente, plebs Judæorum ut vilis urſorum eadem multitudo machinatur, ibid. *Et populi meditati ſunt inania?* Tertiò, à Meridie, Reges, ut leones irruunt, verſ. 2. *Aſtiterunt Reges terræ.* Quartò, ab Aquilone, Scribæ, Phariſæi, Sacerdores & proceres Judæorum, in dracones transformati, venenum malitiæ & invidiæ ſuæ effundunt. Ibid. *Et principes convenerunt*

runt in unum, adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus?

In tabellæ angulo trepidi latitant Apoſtoli & pauci fideles, quos imperterritus Chriſtus animans, ait, verſ. 3. *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipſorum.* Secundò, digitum in cœlum intendens, oſtendit in ſuprema tabellæ parte, Deum Patrem armatum fulmine, minas ſceleratorum exercitui intentantem, verſ. 4. *Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* Tertiò, in ima tabellæ parte hiantes inferos & flammas eructantes commonſtrat, in quas judicari & condemnari, ſint devolvendi, verſ. 5. *Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.*

ARTICULUS I.

Summa fuit Gentium & Judæorum in Chriſtum rabies.

5. *Verſ. 1. & 2. Quis in hoc pſalmo loquitur.*

ANtequam pœnam contemplemur, videndum eſt, quinam peccent, in quem & quàm graviter. Prophetam ſequamur, Verſ. 1. QUARE FREMUERUNT GENTES, ET POPULI MEDITATI SUNT INANIA? ASTITERUNT, &c. Nota, Tertullianum lib. 5. contra Marcion. cap. 14. innuere, hæc eſſe verba Dei Patris. Secundò, pleroſque cenſere Davidem loqui. Tertiò, ſimpliciùs & veriùs, loqui ipſum Chriſtum: ſic enim facilis eſt totus pſalmi contextus, ut patet ex paraphraſi: & hæc verba, Ego autem conſtitutus ſum rex, &c. id maximè declarant. Neque dicas in 2. verſu poni in tertia perſona, *adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus:* ſi Chriſtus ipſe loqueretur, dicendum fuiſſe: & adverſus me, nam Reſp. Hebræos ſæpè de ſeipſis loqui in tertia perſona: ut Num. 12. 7. ait Deus: At non talis ſervus meus Moyſes, qui, &c. palam, & non per ænigmata & figuras *Dominum videt:* id eſt, me. Et Oſeæ 1. 7. dicit etiam Deus: *Salvabo eos in Domino Deo ſuo,* id eſt, per meipſum, qui ſum eorum Dominus & Deus.

6. *Quæ gentes, Reges & Principes in Chriſtum inſurgunt.*

Quæres primò: Quænam Gentes, qui populi, Reges & Principes in Chriſtum inſurgant? Reſp. primò, S. Cyrill. in catena, S. Hieron. in cap. 14. Zachar. & S. Athan. epiſt. ad Marcellinum, Gentes Davidem intelligere ipſos Judæos: Meliùs tamen ipſum Hieron. 32. de paganis id exponere, alioſque penè omnes interpretes. Nam gentiles in Chriſtum etiam infremuerunt, & ipſum crucifixerunt.

Reſpondeo 2. Per *populos* Cornelium à Lapide in cap. 13. Act. cenſere idem intelligi atque per Gentes. Sed hoc verum non videtur, cùm Apoſtoli omnes Act. 4. 27. clarè nominent *populos Iſraël:* id eſt Judæos, & diſtinguant illos à Gentibus. Hinc Tertullianus libro quarto contra Marcion. legit *tribus*, & Aquila vertit, φυλὰς *tribus:* quo nomine vocabantur duodecim partes regni Judæorum. Nota, quando Judæi vocantur *populi* numero plurali, ſæpè in malam partem accipi: quando autem dicuntur *populus* numero ſingulari, ſæpè ſumi in bonam partem. Nam apud ſacros & profanos Authores, pauci ſumuntur pro bonis: multi pro malis. Sic Pſ. 3. ℣. 1. *Multi* bellantes adverſum me. De ea re ibi dicam.

Reſpondeo tertiò: Reges Chriſtum perſequentes eſſe: Primò dæmones, ut explicat Origenes. Hos enim vocat Paulus Epheſ. 6. 12. *Mundi rectores tenebrarum harum.* S. Hilarius in Pſalmos, legit, *mundi potentes.* Tertullianus lib. 5. contra Marcion. *mundi tenentes.* In Græco eſt κοσμοκράτορας, id eſt, mundi dominos. Ne tamen putes eos cœlis ac terræ dominari, addidit Apoſtolus, tenebrarum harum: hoc eſt, tenebroſi & caliginoſi hujus aëris: pari modo c. 2. ℣. 2. dæmonem vocavit principem poteſtatis aëris hujus, in quo ſcilicet, ut homini noceat. Secundò, alii cenſent hìc Reges & Principes pro eodem ſumi. Sed cùm meliùs poſſint diſtingui, ut videbitur, non oportet à ſermonis proprietate recedere. Tertiò, Bellarm. hìc vult agi de duobus Herodibus: nempe Idumæo & Antipa: ad quod Nota, quatuor Herodum in Scriptura fieri mentionem. Primò, Herodis Aſcalonitæ ſeu Idumæi, qui id nominis habuit quod gente eſſet Idumæus, educatus Aſcalone. Patrem habuit Antipatrum, Rex *Herodum quatuor fit mentio in Scriptura.*
Judææ declaratus eſt à Senatu Romano id poſtulante Antonio anno mundi 4014. ætatis ſuæ 33. adhuc regnante in ea regione Antigono, qui hoſtis declaratus eſt, quòd a Parthis accepiſſet imperium, & victus atque occiſus eſt poſt tres annos. Herodes verò, poſt varia patrata ſcelera, natum Chriſtum anno mundi 4053. ſtatim incepit perſequi cæſis quatuordecim innocentium puerorum millibus, à bimatu & infrà, ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis: ad majorem ſecuritatem, ne infanti quidem unius diei parcens, licèt nato poſt viſam ſtellam, ut ait Beda in cap. 2. Matth. Gloſſa, & Dionyſ. Carth. aliique. Quàm citò Deus ultor in eum inſurrexerit, dicam infrà. Secundò, patri peſſimo ſucceſſit malus filius Herodes Antipas, qui factus eſt ab Auguſto Tetrarcha Galilææ, ut vocatur, Matth. 14. 1. & Luc. 3. 1. Judæa data Archilao ſine titulo Regis, quem pater illi teſtamento tribuerat: Philippo conceſſa Ituræa regione montuoſa & nemoroſa, ad radices montis Libani: & Trachonitide regione trans Jordanem & Cæleſyriam ſita: Lyſaniæ denique, quarto Herodis Aſcalonitæ filio, ſi Beda atque Adrichom. credimus: ſeu veriùs, filio Lyſaniæ ſenioris juxta montem Libanum imperantis, attributa Abilina regione, quæ ab Oriente adjacet Damaſco, ab Occidente Chalcidi, à Septentrione Libano. Nomen ſumpſit ab Abila, ſeu Abyla & Abela, illuſtri urbe Cœleſyriæ, ſita ad Libanum montem. Sic regnum Herodis Aſcalonitæ, qui etiam Idumæus & Magnus dicitur, in quatuor partes ſeu Tetrarchias diviſum eſt, in quibus totidem tetrarchæ, ſeu Principes & Dynaſtæ imperârunt. Tertiò, Herodes Agrippa nepos Antypæ ex Ariſtobulo filio Herodis Aſcalonitæ anno à Nativitate Chriſti 39. à Cajo Caligula tetrarchiæ Philippi Rex fuit ordinatus: poſt annos quatuor, nempe anno 44. Chriſti, Claudii Imp. II. S. Jacobum Apoſtolum, filium Zebedæi, S. Joannis Apoſtoli fratrem, gladio occiſi imperavit, ut narrat S. Lucas Act. 12. 2. S. etiam Petrum Apoſtolorum verticem, ſtatim poſteà in carcerem conjecit, ut gratior eſſet Judæis, ſed ab Angelo liberatus eſt. 12. 7. Quartò, Agrippæ illius ſenioris filius fuit Herodes Agrippa junior, coram quo Paulus vinctus cauſam egit, Act. 25. ℣. 23. & ſeq.

Quartò, per Reges Chriſtum perſequentes alii volunt per Syllepſim ſolum Herodem Antipam intelligi, qui Chriſto illuſit induto veſte alba, Luc. 23. 11. Nota, veſtis illa alba, Græcè dicitur λαμπρὰ, id eſt illuſtris, candida, ſplendida: quali vel Reges, ut vult Janſenius cap. 141. Concord. vel Principes, & illuſtres viri utebantur, ſicut cenſet Baronius. Nota 2. Candor ille veſtis denotabat Chriſti innocentiam, puritatem, virginitatem, victoriam, immortalitatem, gloriam. Nota 3. Judæi alicujus criminis poſtulati, ſiſtebant ſe judicibus atrati, ſicut Joſephus teſtatur lib. 14. Antiq. cap. 17. Cùm autem Agnus innocens JEſus coram illis apparuit, veſtis data eſt candida in teſtimonium innocentiæ: unde Pilatus ſtatim eâ viſâ pronunciat, nil neque à ſe, neque ab Herode dignum morte in ipſo reperiri. Itaque hìc jure dicitur: *Quare fremuerunt*, &c.

Quintò denique, Reges arbitror hìc vocari, præſertim Herodem Antipam, & Pilatum Judææ Procuratorem, qui pro Romanis provinciam illam adminiſtrabat: agitur enim hìc præcipuè de Paſſione Chriſti. Nota, Archelao Judææ tetrarcha ab Auguſto condemnato, & juſſo Viennam Galliæ urbem ire in exilium, Judæam fuiſſe contributam Syriæ, anno mundi 4062. Chriſti 10. quod à Quintilio Varo Syriæ Præſide executioni mandatum, cui ſtatim ſucceſſit Quirinius Senator Romanus, per omnes honorum gradus ad Conſulatum uſque provectus, & imprimis illuſtris, is Judææ Procuratorem conſtituit Coponium, cum quo ſecundum cenſum inſtituit, cùm jam ipſe alium inſtituiſſet anno Nativitatis Chriſti. Nota 2. Eam tantum partem *Judæa facta eſt provincia Romanorum, & quando.*

regni

regni Judææ factam eſſe provinciam Romanorum, quæ Archelao prius parebat: nempe, Judæam propriè dictam, in qua erat Tribus Juda & Benjamin, Samariam & Idumæam, ut docet Joſephus lib. 17. Antiq. cap. 13. Herodem autem Antipam & fratrem ejus Philippum pacificè, ſicut anteà, tetrarchias ſuas gubernâſſe; idque per multos annos, cùm Antipas mortuus ſit tantùm poſt Chriſti Paſſionem; ei enim illuſit, ut jam dixi: & Philippus adhuc vivebat, cùm idem Antipas juſſit decollari S. Joannem Baptiſtam propter Herodiadem, quam retinebat apud uxorem ejus. Nota 3. Coponio in Judææ præfectura ſucceſſiſſe M. Ambivium, illi Annium Rufum, mortuo Auguſto miſſum in eam provinciam fuiſſe à Tiberio Imp. Valerium Gratum, cui ſucceſſit Pontius Pilatus, de quo agimus, idque factum anno Chriſti 27. Nota 4. Tandem ab Auguſto Imperatore conceſſum fuiſſe Regis nomen, cum diademate, & aliis regiis inſignibus, Herodi Antipæ in Galilæa imperanti: unde Rex vocatur Marc. 6. 14.

7. Chriſtus eſt nomen dignitatis.

Quæres ſecundò: De quo Domino & Chriſto hîc agatur? Reſp. 1. Judæi, agi de Davide, ſed jam eos rejeci explicans pſalmi argumentum. Reſpondeo itaque ſecundò, per Chriſtum intelligi JEſum verum Meſſiam ſeu Chriſtum à Patre æterno, qui hic Dominus dicitur, unctum præ participibus ejus. Nota, nomen JEſu eſſe nomen proprium hujus hominis, qui dictus eſt JEſus Chriſtus: nomen verò, ſeu potiùs cognomen Chriſti, eſſe nomen appellativum, ſeu officii nomen atque dignitatis. Nota 2. cum Tertulliano contra Praxeam cap. 14. & 28. & cum Lyrano hic, in veteri teſtamento *Chriſtum Dei* intelligi Dei Filium: in novo autem expreſsè vocari Filium Dei: indeque probari poſſe diſtinctionem perſonarum Patris & Filii. Sic vocatur Chriſtus Dei aut Domini in Pſalmo noſtro. Abacuc 3. 13. & alibi. Nota 3. Non tantùm vocari Chriſtum Domini, ſed etiam Chriſtum Dominum, Luc. 2. 11. ab Angelo: & Thren. 4. 20. à Jeremia: *Spiritus*, inquit, *oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris*, in Hebr. eſt *meſiah, jehova*: id eſt, Meſſias Dominus, ſeu Deus: itaque nec de Joſia occiſo à Pharaone Nechao Rege Ægypti, 4 Reg. 23. 29. debet intelligi cum Chald. Paraphr. & Sanctio: nec de Sedecia Rege ultimo Judæorum capto & excæcato à Rege Nabuchodonoſore, & in Babylonem abducto, ut voluit Maldonatus: ſed de JEſu Salvatore noſtro, ut dixerunt S. Clemens, S. Irenæus, S. Juſtinus, & alii. Dicitur porrò, Spiritus oris noſtri, id eſt, ut ajunt Origenes, Rupertus, & Rabanus, anima & vita noſtra; ſicut enim ſine anima corpus mortuum eſt: ita anima ſine gratia Chriſti, eſt mortua. Ideò inſpirans Chriſtus in Apoſtolos ait, Joan. 20. 22. *Accipite Spiritum ſanctum*: Illud eſt verum ſpiraculum vitæ, quo fit verè & perfectè homo in animam viventem. Tertull. legit, *Spiritus perſonæ ejus Chriſtus*: quia, ut ipſe loquitur, Paternæ perſonæ ſpiritus eſt Chriſtus. Eſt etiam, licèt aliter, Spiritus perſonæ Sanctorum: unde Paulus dicebat, Galat. 2. 20. *Vivo autem jam non ego: vivit verò in me Chriſtus*. In me loquitur, orat, agit, & patitur. Ut enim ait S. Dionyſ. de divinis Nominib. c. 4. *Amor eſt virtus faciens unionem*.

8. Chriſtus eſt unctus gratiâ unionis & ſanctificationis.

Nota 4. Chriſtum eſſe unctum à Patre, primò gratiâ ſubſtantiali, nempe unione hypoſtaticâ. Secundò, gratiâ habituali ſanctificante, de utraque explico locum illum, Pſ. 44. 8. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*. Ubi fuſiùs de ea re erit agendum. Vide S. Thomam 3. p. q. 2. & 7. & 8. Oleum illud exultationis vocat S. Fulgentius ad Regem Traſimundum, cap. 14. *Unctionis Dominicæ ſacramentum*, eſſeque ait Spiritum S. ſuper Chriſtum effuſum. Indè S. Chryſoſt. in Pſ. 44. dicit: *Multi fuerunt ante ipſum Chriſti, id eſt, uncti, ſed nemo ſic: ſicut etiam agni multi*, αὐτὸς δὲ ἐξαίρετος, *ipſe verò egregius: ſic & multi filii, ipſe verò unigenitus. Sunt enim omnia ejus eximia, non ea ſolùm, quæ pertinent ad divinitatem, ſed ea etiam, quæ ad humanitatem. Nemo enim unctus eſt tali Spiritu.*

Nota 5. Chriſtum à Patre unctum eſſe in Prophetam, Sacerdotem, & Regem. Primò, Prophetas aliquando unctos fuiſſe patet in Eliſæo, quem unxit Elias in Prophetam, 3 Reg. 19. 16. & Pſal. 104. 15. dicitur: *Nolite tangere chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*. Ubi multi dicunt, tangere chriſtos Dei, nihil eſſe aliud, quàm in Prophetis, id eſt, contra Prophetas malignari: ſæpiſſimè enim in Pſalmis ſecunda pars verſus eſt explicatio primæ partis. Secundò, Chriſtus in Sacerdotem ungitur, ut verus Aaron, de quo Pſal. 132. 2. *Sicut unguentum* (Hebr. unguentum excellens. Symmach. κάλλιστον) *in capite, quod deſcendit in barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus*. Id eſt, in capitium, ſeu ſummitatem tunicæ, quæ collum circumdat. Illud unguentum deſcribitur & imperatur, Exod. 30. 23. & ſeq. vetaturque, ne quis eo cogatur præter Pontificem, tabernaculum, arcam, menſam, candelabrum, altaria, & vaſa tabernaculi, quæ eo uncta ſunt, & facta ſunt Sancta Sanctorum, id eſt, ſanctiſſima per eam conſecrationem. Eo legitur à Moſe inunctus Aaron, Levit. 8. 12. *Quod* (oleum) *fundens ſuper caput Aaron, unxit eum & conſecravit*. Ubi nota, in Pontificis conſecratione triplicem fuiſſe luſtrationem. Primò, effuſionem unguenti ſacri in ejus caput, in qua effuſione conſiſtebat propriè conſecratio pontificia. Secundò, unctionem dextræ auris, & pollicum manus dextræ & pedes dextri, ſed ſanguine arietis. Tertiò, aſperſionem tam unguenti, quàm ſanguinis in eum & veſtes ejus. In aliorum verò Sacerdotum conſecratione erat tantùm unctio ſanguine arietis in iiſdem corporis partibus, & ſimilis aſperſio. Effuſio autem ſacri unguenti, quæ in Pontifice ſuperaddebatur, figurabat ubertatem & plenitudinem gratiæ, ſpiritûs, & poteſtatis, ipſi à Deo communicatam. De Chriſto habes, Jo. 1. 14. *plenum gratiæ & veritatis*, de plenitudine poteſtatis habes, Matt. 28. 18. ejus nomen, Cant. 1. 3. dicitur oleum effuſum, ad cujus odorem adoleſcentulæ accurrant, ſed id magis ad Chriſtum Regem ſpectat.

9. Chriſtus unctus eſt in Prophetam, Sacerd. & Regem. 1. Prophetæ ungebantur aliquando. 2. Sacerdotes etiam Moſaici ungebantur.

10. Chriſtus Rex unctus.

Tertiò, Chriſtus in Regem ungitur. Pſ. 44. 8. *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*, (S. Hier. *oleo exultationis*, illa lætitia intus contineri non poteſt, Symm. ἐλαίῳ ἀγαλλιασμοῦ: *oleo nitoris*, vel ſplendoris) *præ conſortibus ejus*. Hebr. vocem חברים *chabarim*, unde fortaſſe vernaculè vocamus *camarade*, vertit noſter interpres *amicos*, Cant. 8. 13. ſocios Iſaiæ 1. 23. ſodales. Cant. 1. 6. Senſus eſt, Deus unxit te oleo gratiæ, tum hypoſtaticæ, tum ſanctificantis, præ omnibus hominibus eamdem naturam participantibus. Oleum illud ſuper eum totum ſeſe diffudit. In Canticis, ubi Rex Sponſus depingitur, de genis ejus dicitur cap. 5. 13. *Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis*, id eſt, ab iis, qui vendunt pigmenta, unguenta, & aromata. 2. *Labia illius diſtillantia myrrham primam*: id eſt, ſtacten, guttam myrrhæ, quæ ſponte ab ea arbuſcula diſtillat ante inciſionem: hæc autem myrrha eſt optima: unde Aquila vertit, ἐπίλεκτον, *electam*, Sept. & S. Ambroſ. *plenam*, id eſt, perfectam, non adulteratam, cum abundantia fluentem. 3. Pectus ejus plenum eſt hoc ſacro unguento, Cant. 1. 2. *Meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis*, id eſt, odorem ſuaviſſimum unguenti ſacri, quo plena ſunt & eaundant, effundentia. 4. Figurari poteſt Chriſtus in Aſer, qui ſignificat beatum; de illo, ſeu potiùs ejus tribu Moſes ait Deut. 33. 24. *Benedictus in filiis Aſer, ſit placens fratribus ſuis, & tingat in oleo pedem ſuum*. Id eſt, ringet, eſt enim Prophetia; Senſus eſt, ita abundabit olivetis & oleo, ut in eo, ceu aqua, pedes lavare poſſit, ob copiam & ubertatem. De nomine Sponſi, effuſo inſtar olei jam dixi. Si manus ſponſæ ſtillant myrrham nimiam, & digiti ejus pleni ſunt myrrhâ probatiſſimâ. Cant. 5. ℣. 5. de Sponſo quid dicetur? Ubi nota, Tropol. in genis denotari verecundiam, in labiis eloquentiam & doctrinam, in uberibus charitatem, in pedibus humilitatem, in manibus fervorem operationis, in nomine bonam famam. S. Bern. ſerm. 15. in Cant. de Chriſti & JEſu nomine ſuo

more

more ſuaviſſimè ait: *Ecce Chriſtus, ecce Jeſus, utrumque infuſum Angelis, utrumque effuſum in homines. & in illos homines qui computruerant tanquam jumenta in ſtercore ſuo. homines & jumenta ſalvans, quemadmodum multiplicavit miſericordiam ſuam Deus. Quàm carum! quam vile! Vile, ſed ſalubre. Si vile non eſſet, non mihi effunderetur. Si ſalubre non eſſet, non me lucraretur. Particeps nominis ſum & hæreditatis, Chriſtianus ſum. Frater Chriſti ſum. Si ſum, quod dicor, hæres ſum Dei, cohæres autem Chriſti.* Et paulò infrà, fusè & optimè nomen Jeſu comparat cum oleo, quod lucet, paſcit & ungit. Lege ſerm. 1. in Vigilia Nativitatis, ibi de Chriſti nomine ſuaviſſima reperies.

Quæres 3. Quid gentes, populi, Reges & Principes illi in Chriſtum fecerunt? Reſp. cum Propheta noſtro, quatuor feciſſe. Primò, *fremuerunt.* Secundò, *meditati ſunt inania.* Tertiò, *aſtiterunt.* Quartò, *convenerunt in unum.* Ubi nota 1. Prophetæ prophetias ſuas ſæpe per tempus præteritum exprimunt: quia res, de quibus agebant, velut in tabella, illorum animo objiciebantur: ideò videbant eas velut agi ante ſe, vel eſſe jam peractas: deinde id faciunt, ad rei futuræ certitudinem declarandam. Aliquando autem ponunt futurum pro præterito, ut ſpem excitent poſteris, Deum eadem pro ipſis facturum, quæ fecit pro piis eorum parentibus, ut Pſ. 65. 6. *In flumine pertranſibunt pede:* ubi poſt mentionem tranſitus maris rubri, poſt ejus arefactionem, ponit tranſitum populi per Jordanem fluvium duce Joſue, ut dicitur Joſue 3. Dudum autem ante Davidis tempora id contigerat.

11. Fremunt 1. aquæ. Nota ſecundò, *Fremere* proprium eſſe aquarum, ferarum, & iratorum ſeu indignantium. Primò enim fluctus maris, & fluviorum dicuntur fremere, ſic Maro 2. Georg. ait: *Fluctibus, & fremitu aſſurgens Benace marino.* Gentes autem aquis agitatis conferuntur. Tales ſunt aquæ illæ Babylonis meretricis, Apoc. 17. 15. *Aquæ, quas vidiſti, ubi meretrix ſedet, populi ſunt, & gentes, & linguæ.* Linguis fremit populus. Herodotus ait, vulgus eſſe, χειμάῤῥῳ ποταμῷ ἴκελον, id eſt, torrenti fluvio ſimilem. S. Chryſoſt. hom. 23. in epiſt. ad Rom. ait, populus fluctuum inſtar huc illuc circumferri: atque Demoſthenes orat. de falſa legatione, dicit, populos eſſe turbam, ἀσυνθμητότατον ἁπάντων, rerum omnium inconſtantiſſimam, καὶ ἀσυνετώτατον, & imprudentiſſimam: ſicut in mari κῦμα ἀκατάστατον, fluctum inſtabilem. Itaque facilè in ſcopulos incurrit, & fremit, Iſai. 57. 20. *Impii autem quaſi mare fervens,* Hebt. נגרש nigras, impulſum, agitatum, *quod quieſcere non poteſt.* Ad rem præſentem aptiſſimè vertit Vatablus, *Impii autem Euripi inſtar fremunt:* non ſemel tantùm, ſed aliquando ſæpius in die. Euripus dicitur fretum, id eſt, mare anguſtum inter Aulidem Bœotiæ portum, & Eubœam inſulam, quod unius diei & noctis ſpatio ſepties recurrit eo impetu, ut navigia repugnantibus ventis plena ſecum rapiat, ut tradit Mela. Hinc parœmia orta eſt, *Homo Euripus,* tum ob varias fortunæ vices, tum ob morum inconſtantiam: Judæi porrò inſtar frementis & furentis maris in patientem Chriſtum inſaniebant: ideò dicit Pſ. 68. 3. *Veni in altitudinem maris* (S. Hier. in profundum aquarum. Chald. ad profunda fortitudinis cohortis impiorum) *& tempeſtas demerſit me.* S. Auguſt. negat omninò dubitari poſſe, quin ibi Chriſtus patiens loquatur.

2. Feræ. Secundò, *fremere* dicuntur feræ. Caſſiodor. hic: *Fremitus propriè ferarum eſt.* De leone dicitur Prov. 19. 12. Uſurpatur etiam de equo, Job. 39. 24. Jerem. 8. 16. efferati erant Gentiles in Chriſtum: cum enim illi Pilato jubente, incitantibus Judæis, ſpineâ coronâ, flagellis, clavis, lanceâ, omnique tormentorum acerbitate cruciatum occiderunt. Gen. 37. 33. dicebat Jacob: *Fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Joſeph.* Quod de Chriſto, cujus figura erat Joſeph, interpretans S. Ambr. lib. de Joſeph Patr. c. 38. docet ibi Crucis præfigurari inſigne, in qua exutus tunicam, id eſt, carnem, quam aſſumpſit polymitam, hoc eſt, decoram diverſitate virtutum, à Judaicis beſtiis cruentatus eſt. Mallem dixiſſet, à Gentilibus ut feris fuiſſe diſceptum, hæc enim tantùm linguâ fecerunt Judæi, manu verò propriâ Gentiles, variis etiam conviciis & ſcommatis in eum infrementes: eos Chriſtus Luc. 10. 3. vocat lupos, inter quos mittat Apoſtolos inſtar agnorum: *Ecce ego,* inquit, *mitto vos, ſicut agnos inter lupos.* Hos vide in eorum rabie contra S. Theclam Martyrem, ad cujus aſpectum leones, aliæque feræ miteſcebant: de illa S. Ambr. lib. 2. de Virginibus, ait: *Aderabat prædam ſuam beſtia, & propria oblita natura, naturam induerat, quam homines amiſerant. Videres quadam naturæ transfuſione homines feritatem indutos, ſævitiam imperare beſtiæ: beſtiam exoſculantem pedes virginis docere, quid homines facere deberent. Tantum habet virginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur.* Quantus fuerit fremitus Gentilium in Chriſtum, diſce ex Hebr. רגשו raghesu, id eſt, tumultuati ſunt, unanimi conſenſu perſtrepuerunt, ſimul commoti & incitati ſunt, turmatim tumultum fecerunt. Sept. verterunt, ἐφρύαξαν, infrenduerunt, fremuerunt, propriè de equo dicitur, ut notat S. Cyrill. & ſic à Plutarcho uſurpatur in Lyc. à Laërtio in Antiſth. ab Herodoto, & aliis. S. autem Greg. vocat juſtorum perſecutores, *equos diaboli.* Sunt equus ille pallidus, Apoc. 6. 8. ſuper quem ſedet mors, & quem ſequitur infernus: & cui data eſt poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, morte (id eſt, peſte) & beſtiis terræ: vel, ſunt equi ab eodem S. Joan. viſi c. 9. 17. de quibus hæc refert: *Capita equorum erant tanquam capita leonum: & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur,* & ꝟ. 19. *caudæ eorum ſimiles ſerpentibus habentes capita: & in his nocent:* qui ſedebant ſuper eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphureas: ob iram & furorem aliaque vitia. Peccatores omnes eſſe feras, dicam infrà. Judæi quoque, quos ut vidimus, S. Hieron. & S. Athan. per gentes hìc intelligunt, Pſ. 21. comparantur canibus, tauris, leonibus, unicornibus, aliiſque, de quibus ſuo loco: ab Ezech. autem lupis, c. 22. 27. *Principes Sionis in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem, & ad perdendas animas & avarè ad ſectanda lucra:* quod S. Hier. de principibus ſæcularibus exponit: poteſt tamen de Eccleſiaſticis uſurpari, qui avaritiâ ſuâ & exemplo malo fundunt ſanguinem animarum, quibus ait S. Bern. epiſt. 2. quicquid præter neceſſarium victum, ſimplicemque veſtitum de altari retinent, rapinam eſſe & ſacrilegium.

Tertiò, per metaphoram transfertur *fremitus* ad homines iratos & indignantes, Prov. 19. 12. *Sicut fremitus leonis, ita & regis ira.* Chald. Fremit ſicut leo ira regis. Pagn. pro fremitu vertit rugitus, Eccl. 13. 4. *Dives injuſtè egit & fremet,* de peccatore furente, Pſ. 111. 10. *dentibus ſuis fremet, & tabeſcet.* Tacitus lib. de Germanorum moribus, ait: eos fremitu indicare ſolitos fuiſſe, quid diſpliceret & aſpernarentur: quid probarent, concuſſione frameatum. Tullius ad Atticum: *Qui, ait, fremitus hominum, quàm irati animi?* Et Maro l. 11. Æneid. indignantis populi fremitum ſic expreſſit: 3. Homines irati.

Vix ea legati, variuſque per ora cucurrit
Auſonidum turbata fremor, ceu ſaxa morantur.
Cùm rapidos amnes, clauſo fit gurgite murmur,
Vicinaque fremunt ripæ crepantibus undis,

Et Lactant. l. 7. dicit: Frement ubique bella, omnes gentes in armis erunt.

Nota tertiò, Judæos non tantùm ſubito impetu in Chriſtum ferri, ſed meditatâ malitiâ ipſum impetere, verſ. eod. 1. *Et populi meditati ſunt inania.* Hebr. יהגו jehgu, corde & ore meditati ſunt, muſſitaverunt, excogitârunt. Syr. excogitârunt. Chald. רנן renan, denotat exultationem, cum inſultatione, Arab. *delirârunt.* Vox Hebr. Iſa. 31. 4. vertitur, rugite; itaque hìc poſſis reddere *rugiêrunt.* Ubi adverte, Judæos eſſe feras, ut jam dixi, ſed malitioſas; addunt vaſtitiem ad feritatem; unde S. Chryſoſt. hom. 1. contra Judæos tom. 1. vocat eos, ἀνθρώπους δαιμονῶντας, *homines dæmoniacos:* ac poſteà dicit 12. Malitia Judæorum in Christum.

eſſe

eſſe omni ferâ immaniores: ſynagogam eorum eſſe, *δαιμόνων καταγώγιον, dæmonum diverſorium:* & *εἰδωλολατρείας χωρίον, idololatriæ ſacellum:* eos ad filiorum adeptionem vocatos, *in canes degeneràſſe:* nos verò, qui canes eramus, brutam naturam divinâ gratiâ exuiſſe, atque ad filiorum naturam poſſe aſcendere. Ac multis interjectis, dicit eos nihilo meliores eſſe porcis & hircis, præ laſcivia nimiaque helluatione: proſtibulum ac theatrum eſſe nunc eorum ſynagogam, ſpeluncam latronum & *καταδύσιον θηρίων, latibulum ferarum.* Nam *ſpelunca Hyænæ facta eſt mihi domus veſtra.* Sic ipſe legit, ubi Interpres noſter habet Jerem. 7. 11. Numquid ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua invocatum eſt nomen in oculis veſtris? Itaque Judæi ſunt feræ, & quidem impuræ, fallaces & crudeles, ut Hyæna, quæ teſte Plinio lib. 8. cap. 30. fertur ſermonem humanum inter paſtorum ſtabula aſſimilare, nomenque alicujus addiſcere, quem evocatum foras laceret. Huic bellè conferas Cainum evocantem fratrem Abelem in agrum, ibique eum proditoriè occidentem: & Judæos ſimiles Caino Chriſtum extra Jeruſalem crucifigentes. Crudelitatem plebis Judaicæ fusè vituperat S. Cyprianus epiſt. 81. ejus impietatem S. Leo ſerm. 17. de paſſione Domini, eamque vocat petris duriorem.

Nota 4. Reges *aſtitiſſe*, ut excelſiores cæteris, ℣. 2. *Aſtiterunt Reges terræ:* ſupple, quare? Sicut in 1. verſu dicitur, *Quare fremuerunt Gentes:* Aſſiſtere autem ſeu aſtare, hic eſt inſurgere, ſtatuere ſe, ut ſuperiorem & vindicem de reo ſupplicium ſumpturus uno conſenſu & eadem conſpiratione. Hebr. in Hitpaël יתיצבו *ithiaſſebu*, ſtatuent ſeipſos, ſua ſcilicet authoritate. Denotatur enim ab Hebræis in illa conjugatione, actio ejuſdem in ſeipſum. Origenes, ut diximus, per reges terræ, dæmones intelligit: veriùs alii, duos Herodes Reges: de Aſcalonita vix natum JEſum cruento gladio

13. Herodis perverſitas. quærente, ait S. J. Chryſol. ſerm. 150. *Herodes quærebat, ſed quærebat diabolus per Herodem.* S. Maximus hom. 4. in Epiph. nuncupat, furentis inſaniam. S. Leo ſerm. 1. in eod. feſto, cæcam ſtultæ æmulationis impietatem. Sed, ut docui ſuprà, de Herode Antipa & Pilato hic locus eſt præſertim exponendus, Luc. 13. 32. Antipam vocat *vulpem*, erat enim verſipellis & fictus, & per fraudem occiderat S. Joannem Baptiſtam in convivio, ut ait S. Chryſoſt. Quid verò dicetur, cùm Chriſto ipſi unigenito Dei Filio illuſerit? Erit & dicetur *Herodes*, id eſt, *draco ignitus*, hoc enim ſignificat Syris,

Et etymon. Græcis verò erit *Heros Plutonis*, ſeu inferorum princeps: ab *ἥρως*, heros: & *ᾅδης*, Pluto, ſive infernus. Hebræis, mons gloriæ, ſeu vanitatis & arrogantiæ ab הר *har* mons & הוד *hod*, honor, gloria, dignitas, celebritas, robur, fortitudo, majeſtas, potentia. Hæc omnia ſuperbus ambit: ſed gravi & inflato corde amat mendacium: nihil ibi eſt ſolidi, eſt tantùm uter inflatus: Herodes ſignificat etiam, *pellis gloriæ*, עור *hor*, pellis: & *hod*, gloria: nullus ibi eſt ſuccus, nulla caro, nulla oſſa, medulla nulla, ſed pellis tantùm diſtenta & ſonans, atque aërem peſtilentem continens & accedenti afflans.

14. Pilatus fuit membrum diaboli. Pilatum verò (quem Judææ procuratorem ſeu præſidem inter Reges terræ poſuimus) quoties contra Chriſtum aſtantem vides, & voce quidem innocentiam proclamantem, militum tamen ſpinis coronantem, flagellis concidentem, & cruci ſuffigentem? Hunc appellat S. Bern. epiſt. 190. *membrum diaboli:* Idem dicit S. Greg. hom. 16. in Evang. Veneno plenum eſt membrum illud, cùm ſerpens ſit ejus caput, ex quo ſanies profluit.

15. In unum conventio Judæorum contra Chriſtum. Nota 5. Principes *convenerunt in unum* adverſus Chriſtum, in eum conſilium ineundo, ut occideretur, ſicut Apoſtoli explicant, 4. 23. Hæc autem conventio in unum denotat: Primò, multitudinem. Tertull. lib. contra Praxeam c. 28. legit, congregati ſunt. S. Cyprian. lib. 1. c. 13. collecti ſunt. Secundò, ſtabilitatem, tum quòd dicatur, *in unum*, tum quòd in Hebræo ſit נוסדו *noſedu*, fundati ſunt, conſiliati ſunt, conſultatione ſeſe ſtabiliverunt & fundârunt. Eſt verbum in Niphal, à Rad. *iaſad*, fundare, conſilium enim ita ſe habet ad opus, ut fundamentum ad ædificium. Chald. vertit *ithhabberu*, conjungentur, ſeipſos conjungent. Eſt enim in Hitphael. Verti etiam poſſunt Chaldaica, *ut rebellent à Domino, & certent cum Chriſto ejus.* Pro Domino eſt *Jehova*, quod Patri æterno ut plurimùm tribuitur, quia in veteri teſtamento magis ſe declaravit, & eſt principium omnis entis. Jehova autem ſignificat ipſum ens. Filio tamen & Spiritui S. etiam tribuitur, ut jam monui, quòd ſint una natura, ſubſtantia & eſſentia cum Patre. Tertiò adverte, principes hìc à Sept. vocantur *ἄρχοντες*, à Symm. *ὕπαρχοι*, à Tertulliano l. 5. contra Marcion. c. 21. & l. 5. c. 2. *Magiſtratus*, ut videas non tantùm intelligendos Phariſæos, ut explicat Caſſiodorus: ſed principes Sacerdotum, & principes ſæculares Judæorum, ut benè cenſet Lyranus. Sed de Anna tamen & Caipha præſertim intelligi velim: ductus eſt enim JEſus in domum Annæ, & poſteà in domum Caiphæ, & in utraque gravia paſſus eſt. Uterque autem dicitur Princeps Sacerdotum, Luc. 3. 2. Et Annas etiam poſt Chriſti paſſionem, Act. 4. 6. Quo tempore adhuc Caiphas erat Pontifex. Non enim aſſentior Cornelio in Acta, & Maldonato in Lucam, ſentientibus, alternis annis Annam & Caipham hunc geſſiſſe magiſtratum, neque S. Auguſt. exiſtimanti eos ſimul fuiſſe Pontifices: nec enim hoc unquam contigit apud Hebræos. Sed ut rem altiùs repetam, ad perfectiorem hujus rei cognitionem. Nota, Annas ſive Ananelus factus eſt ſummus Pontifex ab Herode Aſcalonita, anno Mundi 4018. Herodis Regis 2. ante Chriſtum 35. Hyrcani Pontificis 40. qui propter aurium detruncationem ſuo officio fungi non poterat: itaque per ſex reliquos annos ejus Ananus non fuit verus & legitimus Pontifex, ſed velut ipſius vicarius: Poſt mortem autem Hyrcani tenuit Pontificatum annis ſex. Huic ſucceſſit Simon, annis viginti duobus, uſque ad annum Mundi 4051. Aug. 41. Herodis 38. ante Chriſtum 2. Simoni ſucceſſit Matthias, Matthiæ Joazarus, Joazaro Eleazarus, Eleazaro Jeſus. Jeſu Joazarus iterum, Joazaro Ananus, quem Evangeliſtæ Annam vocant, & de quo mox agimus. Anano ſucceſſit Iſmaël, Iſmaëli Eleazarus, Eleazaro Simon, Joſephus denique, cognomento Caiphas, huic Simoni ſucceſſit, anno Chriſti 19. & Tiberii Imp. 5. Valerio Grato Judæam regente jam ab annis quatuor, cui ſucceſſor datus eſt poſt 7. annos, nempe anno Chriſti 26. Pontius Pilatus, qui Caipham ſemper in ſua dignitate retinuit, quamdiu in ea provincia cum imperio fuit, id eſt, uſque ad annum Chriſti 38. quo à Vitellio Syriæ præſide Romam miſſus eſt, ut apud Imperatorem Tiberium objecta ſibi dilueret, ut ait Joſeph. lib. 18. Antiq. c. 5. quid ipſi acciderit, dicam poſteà. Omnes autem hos Pontifices ſub Herode ut Roman. non fuit inutile numerare, ut intelligas, quanta confuſio fuerit in illo Pontificatu Judæorum, poſt nativitatem veri & æterni Pontificis JEſu Chriſti, qui ſempiternum habet Sacerdotium, & venerat infiniti valoris hoſtiam oblaturus. Annas porrò ſocer Caiphæ, fuit Princeps Sacerdotum, id eſt, princeps Senatûs, quod Sanedrim dicebatur, atque ex 72. viris conſtabat, quorum erat ſumma authoritas: eorum enim erat de lege, de propheta, deque ipſis Regibus cognoſcere & judicare: in eo concilio primum quidem locum tenebat ſummus Sacerdos, (ad ipſum enim Reges non admittebantur) ſed tamen, qui primus erat poſt ſummum Sacerdotem, cenſebatur Princeps illius concilii, ſicut Romæ, licèt Imperatores eſſent primi in Senatu, primus tamen Senator dicebatur princeps Senatûs. Caiphas verò erat ſummus Pontifex eo anno, quo Chriſtus eſt paſſus.

Convenerunt porrò ſæpiùs in Chriſtum toto tempore prædicationis ejus Scribæ, Phariſæi, Sacerdo- 16.
tes, Principes ſacerdotum, uti patet ex variis Primum
interrogationibus ipſi factis, ut caperent eum in eorum
ſermone, Matth. 22. Jo. 8. & alibi. Sed cùm hìc conciliabulum.

agatur

agant de Chriſti paſſione, 4. arbitror. Primum, quod factum eſt fer. denotari 4. potiſſimùm conciliabula & conventicula 4. ſive die Mercurii proximo, ante Chriſti crucifixionem. Tunc enim ad ipſos congregatos abiit Judas, ut dicitur Matth. 26. 14. *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Iſcariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos:* Siclos ſcilicet: Illud erat, quo occiſi ſervi vita æſtimabatur, & ab occiſore redimebatur, ſicut Exod. 21. 32. præcipitur. Nota deinde, Principes Sacerdotum ibi non tantùm intelligi Annam & Caipham poſſe, ſed etiam alios, qui eodem titulo gaudebant. Erant enim 24. qui ſic appellabantur, ſicut erant 24. vices ſacerdotales ſecundùm diviſionem à Davide factam, 1 Paral. 24. qui autem cujuſque vicis erat princeps & caput, dicebatur princeps Sacerdotum. Unde ℣. 5. habetur: *Erant principes ſanctuarii, & principes Dei, tam de filiis Eleazar, quàm de filiis Ithamar.* Erant hi duo filii Aaron, qui ſoli liberos habuerant: Nadab enim & Abiu ignem alienum offerentes occiſi erant ab altari egreſſo.

17. Secundum. Secundum conciliabulum ſeu conventiculum, in quo Scribæ, qui erant legis Doctores, Phariſæi, aliique contra Chriſtum convenerunt, factum eſt in domo Annæ, ad quem eum captum primò adduxerunt, Joan. 18. 13. ſive 1. Quia domus Annæ erat in via ad Caipham pergentibus, ſicut ait S. Auguſt. (in eadem enim domo non manſit cum eo, ſicut alii dixerunt) ſive 2. Quia erat ſocer Caiphæ, ideò honoris causâ ad illum venerunt, ut cenſet Euthymius: ſive 3. Quia Judæ promiſerat pretium venditionis, quod S. Cyrill. re ipsâ ab eo perſolutum fuiſſe arbitratur: ſive 4. Quòd præ omnibus deſiderare ſe ejus necem denotâſſet, magiſque eam procurâſſet, urgendo alios, & ſervos multos ad ipſum capiendum mittendo, qui diligentiam ſuam atque ardorem probare voluerunt, & hero ſuo gratificari: ſive denique 5. Et potiùs, ut ibi conſultarent ſtudioſiùs, quibus de rebus coram Pontifice, cujus erat ſententiam ferre, eum accuſarent, & teſtes ſubornarent, atque inſtruerent, ut digna morte proferrent.

18. Tertium. Tertium conciliabulum contra Chriſtum fuit in domo Caiphæ ſummi Pontificis, ubi totum illud magnum concilium Sanedrim erat, & cum impatientia prædam ſuam expectabat: ibi adjuratus ab ipſo Caipha JEſus, ſe Filium Dei eſſe, profeſſus eſt: ideò Caiphas ſcidit veſtimenta ſua. Solebant enim Judæi, auditâ blaſphemiâ id facere, & veſtem uſque ad pectus conſcindere, ut corde ſe dolere ſignificarent, ſicut præſtitit Ezechias Rex Juda auditis Rabſacis blaſphemiis, Iſai. 27. & 4 Reg 19. Hoc tamen non licebat facere ſummo Pontifici, ei enim id vetatur, Lev. 10. & 21. Caiphas autem contra innocentem JEſum, lege contemptâ, primus omnium Pontificum veſtem ſcidit, ut judices in ipſum concitaret, qui omnes conclamant eſſe *reum mortis:* præcipitur, Levit. 24. 16. ut blaſphemus lapidetur, ſicut S. Stephano contigit blaſphemiæ accuſato. Sed jure barbarum illud conſilium & decretum deteſtans S. Leo ſerm. 3. de paſſione Dom. ait: *Inſtis inſanum cruentumque conſilium tauri pingues, vituli multi, frementes beſtiæ, canes rabidi, ut mori Authorem vitæ, & Dominum gloriæ traderetis.* Et Origenes: *Quantum*, ait, *putas fuit erroris, ipſam principalem vitam, ream mortis pronunciare, & tantorum reſurgentium teſtimonio non aſpicere fontem vitæ, de quo in omnes viventes vita fluebat? Quoniam, ſicut Pater vitam habet in ſe, ſic & Filio vitam dedit habere in ſemetipſo.* Ita Orig.

Quartum *conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum* (Nota, ibi apertè plures ſic vocari, non tantùm unum aut alterum) *& Seniores populi adverſus JEſum, ut eum morti traderent*, Matth. 27. 1. Hoc autem fecerunt *manè*, ipſo die, quo Chriſtus eſt crucifixus. Matthæi verba ſunt: *Mane autem facto* conſilium &c. Syr. cùm eſſet diluculum. Ubi nota cum S. Hier. ſollicitudinem Sacerdotum in malum, juxta illud Pſalm. 13. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* Et Jerem. 8. 6. *Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Et Origenes ait: *Lenta virtus, vitium præceps.* Non adfuerant de nocte omnes Senatores; ut igitur à Pilato abſolvi Chriſtus non poſſet, omnes iterum Caiphas convocavit, & ab iis JEſum damnari procuravit, Luc. cap. 22. 66. aptiſſimè ad Pſalmum noſtrum ait: *Et ut factus eſt dies, convenerunt Seniores plebis*, (Senatores magni conſilii Sanedrim) *Et Principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum, dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis*, &c.

19. Irritus fuit conatus hoſtium Chriſti. Quæres 4. Quo eventu & fructu Gentes, populi, Reges & principes terræ in Chriſtum inſurrexerint? Reſpondeo cum Propheta noſtro, *meditati ſunt inania*. Hebr. ריק *rik*, tria præſertim ſignificat. Primò, inanitatem, vacuitatem, vanitatem, rem non ſolidam, non firmam, non diuturnam, ſed inanem & vacuam. Sic Jerem. 51. 34. *Comedit me, devoravit me Nabuchodonoſor Rex Babylonis: reddidit me quaſi vas inane*, (loquitur Jeruſalem civibus viduata) *abſorbuit me quaſi draco, replevit ventrem ſuum teneritudine mea*, medullam meam & ſanguinem exugens, ut faciunt dracones. Hebr. deliciis meis: id eſt, bonis omnibus ac divitiis, ut explicat Chald. adoleſcentibus meis nobilibus, ut Ugo. Meipsâ teneré nutritâ in Dei cultu, ut Dionyſius Carthuſ. Hoc poterat Chriſtus dicere de bonis ſuis, cùm fuerit nudus in cruce poſitus: de Diſcipulis, qui fugati ſunt: de ſeipſo, ſanguine exhauſto: unde ait Pſ. 30. 13. *Factus ſum tanquam vas perditum*, id eſt, evacuatum, inutile, confractum. Secundò, *rik* ſignificat ſine cauſa, Pſal. 72. 13. Hinc dicitur, *Quare* fremuerunt, &c. quod eſt admirantis, ut placet Ruperto: vel potiùs increpantis, ut S. Thomæ & Caſſiodor. aut certè dolentis & gementis. Tertiò, *rik* ſignificat vacuè, inaniter, & ſic exponit R. Abraham, & Aquila vertit κενῶς, eodem ſenſu uſurpatur Job. 39. 19. Jerem. 51. 58. Iſai. 49. 4. Ut enim docet Sapiens Proverb. 21. 30. *Non eſt ſapientia*, (Chald intelligentia) *non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum*, neque contra Chriſtum ejus: quòd ſcilicet poſſit ſe illi opponere, eique reſiſtere, & conſilia ipſius atque decreta evertere. Septuag. Rom. habent: non eſt ſapientia, &c. *apud impium:* tam dæmonem, quàm hominem, ut ait Caſſianus collat. 7. c. 18. Hoc videbat Rex noſter, cùm dicebat Pſal. 93. 11. *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam* (quòd) *vanæ ſunt.* S. Cyprian. de bono patientiæ, cognovit Dominus cogitationes *ſapientium*, quia ſunt ſtultæ. Tertull. contra Marcion, cap. 6. quòd ſint ſupervacuæ. S. Paulus 1 Cor. 3. 20. quoniam vanæ ſunt. Tales erant Scribæ legis Doctores, Phariſæi religioſi, Sacerdotum Principes, aliique Seniores populi, de quibus Pſal. 63. 7. *Scrutati ſunt iniquitates*, varios ac multiplices nocendi modos, meditati ſunt inania, hoc eſt enim omnis iniquitas. Chald. exponit, perveſtigabunt, ut inveniant iniquitates ad diſperdendum juſtos, & longè magis juſtitiæ omnis fontem Dominum JEſum, ſed fruſtrà; ideò additur: *Defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.* Scrutinium ſignificat inveſtigationem, inquiſitionem, ſcrutationem; unde S. Auguſt. legit, *ſcrutantes ſcrutationes:* id eſt, valdè diligenter & accuratè ſcrutantes: Hebræi enim additione nominis augent verbi ſignificationem, ut Geneſ. 2. 17. *morte morieris:* id eſt, pro certo morieris. 12. 11. deſolatione deſolata eſt terra: id eſt, maximè deſolata eſt: & ſic de aliis paſſim. Scrutabantur autem Judæi ſcrutinio ſeu ſcrutatione in Chriſtum, quærentes falſa teſtimonia contra ipſum, ut eum, ejuſque nomen, fidem, gloriam, diſcipulos, aliaque perderent: ſed quàm inaniter id ipſi aliique hoſtes fecerint, breviter videamus.

20. Primò, Gentilium. Primò, Gentiles cæcâ rabie ſententiam ſpirant, taureis carnem diripiunt, clavis ſanguinem exhauriunt, cruce necem inferunt. Sed ecce tibi redivivus regnat, & triumphat: lucemque ſuam reſurgens & in cœlum aſcendens, ex eoque emicans per totum Orbem diſpergit, Eccl. 1. 5. *Oritur Sol & occi-*

& occidit, & ad locum ſuum revertitur, ibique renaſcens (Syr. ut inde etiam oriatur) *gyrat* (Hieron. gyrans gyrando vadit. Syr. abit. Veneta. tranſit (*per meridiem, & flectitur ad Aquilonem.* Sol inducitur ab Hebræis שמש *ſemes*, quod quidam derivant à שמע *ſama*, audire; & per metaphoram, famoſum eſſe; malim deducere à שם *ſem*, nomen, fama, gloria; & אש *es*, ignis, q. d. ignis glorioſus, admirabilis, prædicandus; aſtra ignea plurimi cenſuerunt, ut alias dicam. Sol ille Chriſtus JEſus eſt qui, Pſ. 18. 6. *Exultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus.* À ſumma gloria uſque ad ſummam abjectionem & ad aquas agitatas Mundi deſcendit, ibique merſus eſt; ſed inde lætior atque ſplendidior ſurrexit.
19. 1. Oritur Sol ille divinus in nativitate. 2. Occidit in cruce. 3. Renaſcitur in reſurrectione. 4. Ad locum ſuum revertitur. 5. In aſcenſiones gyrat per meridiem in miſſione Spiritûs ſancti; non eſt enim, qui ſe abſcondat à calore ejus. Sponſa optat ſcire, ubi cubet in meridie. Quidam deducunt *ſemes*, *Sol*, à Chald. voce *ſamas*, quæ ſignificat primò miniſtrare: venit enim non miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam, ut vivificum radicum, dare pro multis. Secundò, *ſamas* ſignificat conjungi ſponſæ: ipſe enim eſt caſtiſſimus animæ Sponſus, per radios gratiæ ſuæ & virtutum, ac per Spiritûs ſancti donum, ſuique ipſius & Patris illapſum, ſe illi intimè & ſuaviſſimè, & inſeparabiliter, ſi ipſa velit, uniens; & theſauros ſemper in ejus viſceribus, & gemmas novas producens. 6. Flectitur ad Aquilonem, in adverſitatibus eam roborans: & efficiens, ut eadices agat: neque tunc, licèt frigidam, ſua luce deſtituens: item flectitur ad Aquilonem, in judicio, tum particulari, tum univerſali.

Cant. 7. ℣. 7. *Dixi: Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Hebr. סנסניו *ſanſinnau*, R. David, & R. Salomon vertunt, *ramos ejus:* fructibus ſcilicet onuſtos: quid enim jucunditatis in ramorum acceptione ſine fructu? Sed denotat ſe non unum tantùm fructum carptim ſumpturum, ſed omnes per otium retento ramo. Eſt metonymia. Septuaginta reddunt, *cacumina.* Aquila, *elatas* ſupremos etiam fructus, & maturiores decerpet: id eſt, gloriam maximam, nominis celebritatem, ſummam & regiam dignitatem. Nota, palmam interpretati ſunt de cruce Caſſiodor. Bernard. Honorius, Willeram. & alii plurimi: gladiis ſimiles ſunt rami ejus, & ponderi reſiſtunt, atque ſunt victoriæ & felicitatis ſymbolum. Fructus illius palmæ, ſunt reſurrectio, aſcenſio, miſſio Spiritûs ſancti, nominis JEſu exaltatio, converſio totius Orbis, aliaque. S. Bern. lib. de paſſione Domini, cap. 36. *Cruce*, ait, *totum Mundum ſimul & inferos ſubjugavit, qui regnavit a ligno fortis JEſus.* Et cap. 46. *Dixi, aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus. Quid eſt in palmam? In crucem, cujus una pars de arbore palmæ dicitur facta fuiſſe.* De quatuor enim generibus arborum facta fuiſſe refertur: de cypreſſo, de cedro, de oliva, de palmis. Cypreſſus in profundo, cedrus in longo, oliva in alto, palma in lato. 1. Cypreſſus timorem ſive humilitatem ſignificat, ubi eſt radix crucis: per quam non ſolùm ſitus humilis, ſed natura ejus exprimitur: quia, ut dicitur, fugat odore ſerpentes, id eſt, diabolos, quorum proprius character ſuperbia ab humilitatis virtute fugatur. 2. Cedrus arbor longitudine præſtans aliis arboribus, longitudinem Crucis, id eſt, perſeverantiam ſignificat, ſive patientiam. Naturali enim ſua virtute approbatur, quia eſt valdè durabilis, & corrumpi ex natura non poteſt. 3. Oliva arbor oleum effundens, per quam miſericordiæ opera ſignificantur, charitatem ſignificat: quæ arbor benè latitudinem habet crucis: quia lata eſt charitas; quæ etiam ad inimicos extendi præcipitur. Hæc Bern. qui ad rem noſtram quartò
20. Primò Gentium. addit: *Palma porrò arbor victoriam ſignificat, altitudinem Crucis optimè ſignificat, ſpem de ſupernis habendam, non ad infima deprimendam. Hæc arbor habet in ſe titulum triumphalem ſcriptum, in quo inveniuntur fructus crucis. Prima enim dictio eſt JEſus, per quam intelligitur ſalvatio: quæ idem eſt, quod redemptio. Ecce fructus Crucis. Propterea enim Chriſtus crucifixus eſt, ut redimeret hominem.* Adde ibi fuiſſe, *JEſus Nazarenus* (id eſt, floridus) *Rex Judæorum:* ſpinas & clavos afferunt tortores, ſed flores ſunt, crucem in ſupplicium erigunt, ſed ſit ſceptrum & virga dominantis, ac thronus regius, ut fusè oſtendam, Pſal. 9. ſect. 1. Reges ipſi cruce ſeſe exornant & muniunt. S. Hieron. *Vexilla*, inquit, *Chriſtianorum militum, Crucis inſignia ſunt; Regum purpuras & ardentes diadematum gemmas ſalutaris patibuli pictura condecorat.*

Secundò: Judæi in Chriſtum meditati ſunt inania & inaniter, ſpe enim ſua exciderunt: 1. Chriſti gloriam & nomen extinguendi. 2. Gentis ſuæ conſervandæ & exaltandæ. His benè adaptes illud Jerem. 14. 6. *Onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum* (S. Greg. 29. Mor. c. 14. legit, *ventos:* ſuperbus omnem inanem auram venatur) *quaſi dracones* (qui ob caloris copiam ſiccì ſunt & æſtuantes, ut ait Plinius lib. 8. cap. 12.) *defecerunt oculi eorum, quia non erat herba:* defectu aquæ & cibi, onagri in deſerto deficiunt, & oculi eorum caligant, dum in excelſis rupibus aërem & ventos captant, ut ſe refrigerent. Hoc ſuperbis applicat S. Greg. 20. Mor. 29. in illud Jobi 30. 29. *Frater fui draconum.* Perverſi, ait, ventum quaſi dracones trahunt, cùm malitioſa ſuperbia inflantur. Ad rem verò noſtram aptius, de Judæis Chriſtum perſequentibus, & ſpe ſua deſtitutis exponit. lib. 29. c. 14. *Quo dicto, ait, ſuperba ac nequiſſima Judæorum eſt perſecutio prophetata. Ipſi namque Onagri pro mentis elatione, ipſi Dracones pro virulenta cogitatione vocati ſunt. Qui ſteterunt in rupibus, quia non in Deo, ſed in ſummis poteſtatibus hujus mundi confiſi ſunt, dicentes: Regem non habemus, niſi Cæſarem. Traxerunt ventos quaſi dracones, quia ſpiritu elationis inflati, ſuperbia malitioſa tumuerunt. Defecerunt oculi eorum, quia ſpes eorum ab eo quod intendebat, corruit. Quia temporalia diligunt, præſtolari æterna neglexit: & terrena ideo, quia Deo prapoſuit, amiſit.* — 21. Secundò Judæorum.

Dixerant in concilio collecto poſt mortem Lazari, Pontifices & Phariſæi Joan. 11. 48. *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem.* Transferent nos aliò, ut ait Vatablus: Senſus eſt, templum noſtrum, ut vult Maldonatus: & Jeroſolymam, ut S. Chryſoſt. perdent Romani, ac totam Judaicam gentem. Præerat concilio Caiphas, qui ſignificat 1. *vomens ore*, à rad. קיא *kaa*, evomere, vomere: & פה *phe.* Os illi & ſocii s recté dixeris cum Iſaia cap. 19. 14. Dominus miſcuit in eis ſpiritum vertiginis: & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, *ſicut errat ebrius & vomens.* 2. Caiphas ſignificat *onocrotalus oris.* Kaa enim etiam onocrotalum, cuculum, & pelicanum ſignificat. Onocrotalus autem erat avis immunda, & ad ſacrificia, & ad cibum, Levit. 11. 17. Deducitur porrò ab ὄνος aſinus, & κρόταλον crepitaculum, crepitus: quòd rudlitum aſini referat voce abſona: imò aſino fuerunt omnes illi, ac præſertim Caiphas, ſtupidiores. Ut enim ait Iſaias 1. 3. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognovit, & populus meus non intellexit:* ne equo quidem generoſo aut cani ſagaci & induſtrio comparantur: ſed ſtolido bovi & aſino. Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ. Pſ. 81. 5. Cæci ſunt & duces cæcorum Matth. 15. 14. ideo & in foveam ruunt, & in eam alios trahunt. 3. Caiphas ſignificat, *ſagax inveſtigator*, ut ait Pagninus, quod maximè ad rem præſentem facit: inſtar enim venatoris, ſed maligni, veſtigabat an prætextum aliquem in Chriſtum poſſet reperire. 4. Malim ſumere à קוף *Kuph*, circuire: q. d. circuitorem, circulatorem, in circuitu & per fraudes ambulantem: ab ea rad. *Kuph*, etiam derivatur, & ſimiam ſignificat: poſſis in eadem notione ducere Caipham à יקף *jakaph*, circuire: ſic erit metatheſis literarum. 5. Poteſt verti, congelatus, coagulatus, condenſatus, compactus, concretus; ob malitiam ſcilicet atque obſtinationem. Sic Sophon. 1. 12. dicitur Deus viſitaturus, id eſt, puniturus, viros *Kophaim*, defixos in fæcibus ſuis. Rad. קפא *Kapha*, condenſare, — Caipha etymon.

deſigere. &c. 6. Caiphas exponi poteſt, dux hebes, ſive ſtupidus, obtuſæ mentis, à rad. קהה *Kaha*, obſtupeſcere, hebetari, & פאה *phea*. dux princeps.

Caiphas itaque videns in eo concilio malignantium altercationes, ipſe omnium peſſimus, ait, ỳ. 50. *Vos neſcitis quicquam: nec cogitatis, quia expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Nota primò, mentem Caiphæ fuiſſe dicere, expediens eſſe, ut JEſum ad mortem damnaretur, ne Romani audientes eum Meſſiam & regem eſſe Judæorum, arma in eos caperent, & tollerent eorum locum, id eſt, templum & Sionem, ut dixi, & gentem univerſam. Spiritum tamen ſanctum ita ejus moviſſe linguam, eaque verba menti ejus objeciſſe, ut potiùs diceret, expedire, ut JEſus moreretur pro populo, id eſt, ad populum ſalvandum, à ruina in peccatum, & ab inferis: & ideò S. Joannes verſ. 51. ait, eum prophetâſſe. Nota ſecundò cum Origene, propriè loquendo, Caipham non fuiſſe Prophetam, cùm illud myſterium non intelligeret, ſed Spiritus ſanctus per eum loqueretur, ſicut olim per os aſinæ Balaam. Num. 22. & S. Chryſoſt. dicit, linguam ejus non cor commotam eſſe à Spiritu ſancto. Quomodo autem gens illa perierit, quis non videt? Primò, per totam diſperſa terram, patria ſua à tot annis expulſa? Ezech. 12. 15. *Scient, quia ego Dominus, quando diſperſero illos à Gentibus, & diſſeminavero eos in terris*; quod præſertim ait de captivitate Babylonica, ſed longè nunc veriùs eſt, ut patet: cùm ne uni quidem pauci relicti ſint in Jeruſalem immunes à gladio, & fame, & peſtilentia. Secundò, ſervi ſunt ubique, ſine rege, ſine principe, ſine ulla dominatione, Jer. 17. 4. *Relinqueris ſola ab hereditate tua*, id eſt, ſpoliata tua hæreditate, *quam dedi tibi: & ſervire te faciam inimicis tuis in terra, quam ignoras, quoniam ignem ſuccendiſti in furore meo, uſque in æternum ardebit*; alloquitur Sionem peccantem. S. Greg. Naz. orat. 12. ad rem noſtram ſpeciatim dicit: *μία στήλη συμφορᾶς*, *una calamitatis columna totus terrarum Orbis eſt, per quem variè fuſi ſparſique ſunt Judæi, divinuſque cultus compreſſus & extinctus: atque adeo Jeroſolymitana urbis ſolum, quod vix agnoſcitur.* Nota, olim mancipia vendi ſolita ad columnas. Quàm vili autem pretio venditi ſint Judæi in clade Jeroſolymæ, vide apud Joſeph. de bello Jud. Tertiò, in illa ſervitute ſunt viles & infames, vocantur à S. Chryſ. tom. 1. hom. 34. quæ eſt 1. in Judæos, *καινὴ λύμη, καὶ νόσος οἰκουμένης*, *communis lues & morbus totius Orbis.* Quartò, quod deplorandum magis, in cæcitate ſua atque duritia manent, ſingulis rectè dicas cum Iſaia cap. 48. 4. *Scivi, quia durus es, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea.* 1. Durities ſymbolum eſt indocilitatis, quòd in re dura non facilè inſculpas, quæ velis. 2. Collum ferreum ſymbolum eſt rebellionis, inobedientiæ, animi inflexibilis & arrogantis, atque ſe demittere neſcii. 3. Frons ærea, impudentiam denotat, neſcit enim erubeſcere. S. Cyprian. epiſt. 80. ad Vigilium, ait, in Judæis ſuo tempore adhuc durare patrum irreligioſam perfidiam, quæ odio nominis Domini incredulitatis inſania roborata, nec ad noſcendam veritatem poteſt corrigi: nec ad timorem Dei ipſius montis doceri atque ſuaderi.

Grave ſupplicium exciſionis & incendii intentat Deus Damaſcenis, Gazæis, aliiſque Amos 1. quæ Rupertus ſic Judæis applicat: *Gaza*, inquit, *ſonat fortitudinem, & Judæorum deſignat rebellionem adverſus veritatem. Azotus interpretatur ignis uberum, ſive patrui: & ardentem in illos ſignificat invidiam patris eorum diaboli, quæ exuberat in eis. Aſcalon interpretatur ignis homicida, & homicidialem illorum furorem deſignat. Accaron, ſterilitas: & inopiam illorum, quia fructum ſpiritus fugiunt, & paleam literæ ſectantur, ſignificat. Philiſtiim, potione cadentes, & illorum vere ebrioſum hoc nomine intelligimus ſcandalum, juxta illud Pſ. 68. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum. Obſcurentur oculi eorum, ne videant, &c.* Hæc adhuc fuſiùs proſequitur S. Hieron. in comm. Judæi adhuc meliùs figurantur per Damaſcenos, id eſt, *ſanguinem habentes*: erant duæ illæ ſanguiſugæ dicentes, affer, affer: dum clamabant: Crucifige, crucifige; ac præterea: Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Gethæi quoque ſunt, id eſt, *torcularia*, ſed diaboli: Chriſtum in torculari, velut uvam prementes: unde dicit Iſai. 63. 3. *Torcular calcavi ſolus*; ſed ipſi erunt etiam miſeri, & comprimentur. Nam Apoc. 19. 15. *Ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.* Et vindemiati ab Angelo ſalce acuta mittentur in lacum iræ DEI magnum, & calcabitur lacus extra civitatem, & exibit ſanguis de lacu uſque ad frænos equorum per ſtadia mille ſexcenta. cap. 14. 19. Quantùm verò Chriſtus crucifixus inclaruerit, mox dicetur verſ. 6. & ſeqq.

Tertiò: Herodes duo, & Pilatus in Chriſtum 22.
inſurgentes, ſibi ipſis nocuerunt, non illi. Primò, Tertiò,
Herodes Aſcalonita jacturam regni timens, curat Herodis
infantes omnes occidi *à bimatu & infrà.* Ægyptius & Pilati.
& Perſicus interpres, *à duobus annis & infra.* Syr. & Arab. *à filio duorum annorum*; ſequitur, *ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis.* Græcè, *ἠκρίβωσε*, exactè ſcrutatus erat. Nota, Cornelius à Lapide cenſet infanticidium hoc non tertio menſe, ſed biennio incho-to: puta decimo quinto menſe ab ortu Chriſti contigiſſe, citat pro ſe Euſebium, S. Epiphan. S. Auguſt. & alios. Itaque eam ob rem cæſos infantes à bimatu & infrà. Meliùs tamen Maldon. Janſen. & Baron. dicunt eodem anno Nativitatis Chriſti id eſſe factum, & Herodem occidiſſe innocentes à bimatu & infrà, uſque ad tempus, quo ſtellam ortam didicerat: non occidiſſe verò eos, qui poſt ſtellæ apparitionem nati erant: ſed vix, quod ad eam miſericordiam ſpectat, id mihi perſuadeo, quin ſaltem illuſtriores perimi juſſerit, juſſit autem duorum annorum pueros occidi, ne aberraret à fine ſuo, regni ſcilicet conſervandi. Nota ſecundò, non diu dilatam eſſe vindictam. Non enim aſſentior Baronio mortem Herodis ad annum Chriſti octavum differenti, ſed magis S. Epiphanio hær. 78. Et Niceph. lib. 1. cap. 14. eam poſt unum annum contigiſſe dicenti: & adhuc magis noſtro Saliano probanti eam eveniſſe eo ipſo anno, & quidem circa Paſcha: itaque Purificatione factâ initio Februarii, Chriſtum mox tranſlatum eſſe in Ægyptum: inde, ſecutam cædem infantium reliquo menſe, poſteà ægritudinem Herodis & mortem in menſe Martio; cui reſpondet Niſan, cujus 14. die eſt Paſcha Judæorum. Et quidem Euſeb. lib. 1. hiſt. cap. 8. ait, punitum eſſe Herodem ſtatim, & nulla interpoſita mora. Quàm autem acerbis doloribus ſit cruciatus, diſce ex Joſepho lib. 17. c. 8. Regi morbus factus eſt gravior, *pœnam impietatis exigente numine.* Lento enim calore torrebatur, qui non tam externo tactu deprehenderetur, quàm intus popularentur viſcera. Aderat & vehemens voracitas, cui neceſſe eſſet continuò cibos ſuggerere: ſimùlque vexebatur inteſtinorum exulceratione, & cholicis paſſionibus: pedes tumebant phlegmate humido atque pellucido, ſimiliterque inguina. Ipſa quoque verenda putrefacta ſcatebant vermiculis, accedente fœtore, nec minùs moleſta tentigine, non ſine fœtore graviſſimo. Super hæc omnia, nervorum contractione laborabat, & difficultate anhelitus. Quamobrem conſtans erat inter viros divinos & fatidicos opinio, Regem læſæ tot modis pietatis, Deo pœnas expendere. Sic Joſephus. Nota tertiò, adeò in furias actum fuiſſe, ut quinque diebus ante mortem juſſerit occidi Antipatrum filium ſuum, quem regni ſui fecerat ſucceſſorem. Herodes porrò ſibi ipſi necem inferre molitus eſt cultello, ſed Achiabus nepos id impedivit, ut tradit Joſephus.

Chriſto autem non obfuit ejus crudelitas. Nam primò, admonente Joſephum Angelo, Matth. 2. 13. (Gabrielem fuiſſe arbitror) evaſit carnificum manus: abiit in Ægyptum, ut eam ab idolis repurgaret, ſicut ait S. Leo ſerm. 2. in Epiph. eodem Angelo monente, reportatus eſt ex Ægypto anno ætatis nono, ut putat Baronius: ſeptimo, ut Ammonius: quinto, ut Janſenius, aut potius ſecundo, ut Salianus: mortuis iis, qui quærebant animam pueri: id eſt, Herode, & forſaſſe aliquibus aulicis & aſſentatoribus, qui eum ad id incitaverant, atque Archelaum,

laum, Antipam, & Philippum commoverant. Secundò, mactati infantes ſolantur ut Martyres: & quidem à primis Eccleſiæ temporibus, ut teſtatus Origen. hom. 3. diverſ. & S. Auguſt. agens contra Pelagianos. Tertiò, Chriſtus per hanc crudelitatem toti Orbi innotuit. S. Leo ſerm. 2. in Epiph. *Sævitia Herodis*, inquit, *volens primordia ſuſpecti ſibi Regis extinguere, huic diſpenſationi neſciens ſerviebat: ut, dum atroci intentus facinori ignotum ſibi puerum indiſcretâ infantium cæde perſequitur, annunciatum cælitùs Dominatoris ortum inſignior ubique fama loqueretur, quàm promptiorem ad narrandum diligentioremque faciebat, & ſupernæ ſignificationis novitas, & cruentiſſimi perſecutoris impietas. Tunc autem etiam Ægypto Salvator illatus eſt, ut gens antiquis erroribus dedita, jam ad vicinam ſalutem per occultam gratiam ſignaretur: & quæ nondum ejecerat ab animo ſuperſtitionem, jam hoſpitio reciperet veritatem.*

Herodes verò Antipas, qui Chriſtum albâ veſte induerat, cùm ad Caium navigâſſet, anno 40. à Chriſti Nativit. id eſt, ſex annis poſt paſſionem: (Nam paſſus eſt Chriſtus, natus annos triginta quatuor, ut ait S. Ignatius epiſt. ad Trallianos, & fusè probat Baron. in Annal.) Cùm, inquam, ad Caium navigâſſet, ut Rex fieret ex Tetrarcha, ab Agrippæ regis legato accuſatus, ſua tetrarchia privatur, & Lugdunum in Gallias exul mittitur, bonis ejus Agrippæ datis, ut tradit Joſeph, lib. 18. cap. 9. Amandatum fuiſſe primò in Gallias, deinde Ilerdæ in Hiſpania exulâſſe, ibique infeliciter eſſe mortuum, ait L. Dexter. in Chron. anno Chriſto 34. mœrore animi conſumptum in Hiſpania tradit Hegeſip. de excid. Jeroſ. lib. 2. c. 5. Quin etiam Joſephus lib. 2. belli Jud. cap. 8. dicit, unà cum Herodiade uxore iviſſe in Hiſpaniam. De morte autem Herodiadis vide Niceph. lib. 1. cap. 20.

Pilatus etiam Dei vindictam manum non effugit. Nam à Vitellio Syriæ Præſide variorum criminum reus ſeptimo poſt Chriſti paſſionem anno, id eſt, à Nativit. Chriſti 41. Romam ad Caium Imp. miſſus eſt. Quid ei acciderit, tradit Ado Viennenſis Epiſcopus in Chron. *Pilatus*, ait, *qui ſententiam damnationis in Chriſtum dixerat, & ipſe perpetuo exilio Viennæ recluditur, tantiſque ibi irrogante Caio languoribus coarctatus eſt, ut ſua ſe tranſverberaus manu, multorum malorum compendium mortis celeritate quæſierit.*

23. Quartò, Principum. Quartò, Principes Judæorum, qui in unum convenerant contra Chriſtum, puniti etiam ſunt. Caipham quidem omnium caput ſibi ipſi mortem intuliſſe, indicat Niceph. lib. 2. hiſt. c. 10. S. Clemens Romanus lib. 8. Conſt. Apoſt. cap. 2. & S. Athanaſ. ſeu veriùs Anaſtaſius Epiſc. Nicænus quæſt. 18. in Script.

Omnium pœnam conſiderat S. Leo ſerm. 3. de Paſſione Domini. Hæc enim verba Matth. 27. verſ. 1. Mane autem facto conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, & Seniores populi, adverſum JEſum, ut eum morti traderent, meditans, ait: *Mane, Judæ, non ortus vobis lucis contigit, ſed occaſus, nec veſtris oculis ſolitus dies prodiit, ſed impiis mentibus nox terræ cæcitatis incubuit. Hoc mane vobis templum & altaria diruit, legem & Prophetas ademit, regnum & Sacerdotium ſuſtulit, in luctum æternum omnia feſta convertit.* Hoc amplificat S. Chryſoſt. hom. 1. in Judæos tom. 1. Jeroſolyma capta, ſpoliata, incenſa, & ſolo æquata eſt, ipſumque templum, anno Chriſti 72. id eſt, 38. poſt paſſionem. Vide Baron. in Annal. & Joſephum de bello Jud. l. 6.

Hæc prædicta ſunt ab Oſea cap. 3. 4. *Dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine theraphim.* Nota primò, per Ephod, ſive ſuperhumerale S. Hieron. intelligere pontificatum & ſacerdotium: erat enim ornatus præcipuus ſacerdotis, ob rationale ipſi attextum. Meliùs tamen S. Cyrill. cenſet intelligi oracula & prophetiam, quæ fiebat per Urim & Thummim: id eſt, cùm Pontifex veſtes pontificias & Ephod, Rationali ornatum (in quo hæc verba Urim & Thummim ſcripta erant, id eſt, doctrina & veritas) seddebat oracula Deo ſibi ſpeciale auxilium præſtante. Sic Num. 27. 21. dicitur: *Eleazar conſulet Dominum.* In Hebræo textu eſt: *Eleazar interrogabit pro eo* (pro Joſue duce populi) *in judicio Urim coram Domino:* id eſt, habens veſtes Pontificis, & rationale, in quo hæc vox Urim ſcripta eſt. Nota ſecundò, theraphin 1. Pro idolis ſumi à Cornel. à Lapide. 2. Pro ſacris imaginibus ab Aben Ezra. 3. Pro imaginibus Aſtrologorum, ut ex iis loquentibus & reſponſa dantibus cognoſcerent futura, à Cajetano in cap. 17. Judicum, & ab Oleaſtro in cap. 31. Geneſ. 4. Sumi pro Cherubim & Seraphim, ſeu aliis templi ornamentis, à S. Hieron. & Alberto. 5. Maximè ad rem noſtram Sanchez & Leonem Caſtrum opinari, eſſe Urim & Thummim: & probant ex eo, quòd Sept. & Aquila reddant, *illuminationes* vel *manifeſtationes* Nota tertiò, Chald. Theod. Theoph. Cornel. hæc omnia 1. accipere de excidio decem tribuum per regem Aſſyriorum Salmanaſar. 2. Rufinum & Albertum id explicare de captivitate Babylonica per Nabuchodonoſor, capto Sedecia Rege, urbe incenſa & templo Jeroſol. 3. R. David referre ad tempora Machabæorum, cùm ab Antiocho Epiphane, aliiſque dira paſſi ſunt Judæi. 4. Tamen S. Hieron. S. Cyrill. Alex. S. Auguſt. lib. 18. de civit. cap. 28. alioſque plurimos ea explicare de miſeria Judæorum ob Chriſti necem, eáque duraturа eſſe uſque ad finem Mundi.

Tropol. per gentes in Chriſtum frementes Ugo Card. intelligit peccata: Secundò, per populos, Mundum: Tertiò, per reges & principes, dæmones. Malim per gentes intelligere carnem: id eſt, quinque ſenſus, & duplicem appetitum ſenſitivum: nempe concupiſcibilem & iraſcibilem. Nota, ſive carnem, ſive ſeptem peccata capitalia accipias, ſunt ſeptem gentes, quæ expellendæ ſunt de terra promiſſionis, id eſt, de anima ſancta: & percutiendæ uſque ad internecionem. Deuteron. 7. id fit per perfectam mortificationem. Hæ gentes erant Jebuſæi, Chananæi, Hevæi, Amorrhæi, Pherezæi, Gergezæi & Hethæi, de quibus agam aliàs fusiùs. Cum venerunt in hæreditatem Dei, polluunt templum ejus. Pſal. 78.

Nota ſecundò, gentes illas fremere, quia peccator eſt fera. Chaldæi dicebant in hominis neſarii corde beſtias habitare. Figuratur in Idumæa, quæ terrenam ſonat, vaſtata à Sennacherib rege Aſſyriorum, de qua Iſaias 34. 14. *Occurrent dæmonia onocentauris*, (ſpectra, quæ appareant partim aſini aut equi, partim hominea) *& piloſus* (dæmon in forma ſatyri) *clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia*, (dæmon ſuccubus) *& invenit ſibi requiem. Ibi habuit foveam ericius, & enutrivit catulos, & circumfodit, & fovit in umbra ejus: illuc congregati ſunt milvi alter ad alterum.* S. Chryſoſt. homil. 19. in Geneſi vocat θηριώδη, id eſt, ferinum hominem, qui in peccatum declinat. Themiſtius orat. 5. ait, eſſe θηρίον ἐν μορφῇ ἀνθρώπου, *belluam in forma hominis.* Lyſides autem Pythagoreus in epiſt. ad Hipparchum, feris paſſiones comparat, πυκνάς, inquit, καὶ βαθύσκια λόχμαι, *denſa & profunda ſylva circa mentem & cor naſcuntur. Omnimoda verò perverſitas ſub his umbraculis paſcens deliteſcit, prohibens, nec ullo modo ſinens, tantiſper reſpicere rationem.* 24. Peccator eſt fera in Chriſtum furens.

Speciatim Chriſtus diſcipulos mittens, ait Matthæi 10. 16. *Ecce ego mitto vos ſicut oves* (Luc. 10. 13. ſicut agnos) *inter lupos.* Scribas & Phariſæos cenſet hic lupos vocari S. Hieronymus. Secundò, alii meliùs, hoſtes quoslibet & perſecutores, ſed præſertim Gentes, à quibus ſunt graviora paſſi. Lupus. Lupus eſt omnis peccator. S. Chryſoſt. tom. 6. hom. de phar. & publ. vocat publicanum ante converſionem ſuam, lupum ratione præditarum ovium, θηρίον ἀνθρωπόμορφον humana forma belluam. Ariſtonymus acutè ait, neminem, cùm injuriam à lupo accepit, fieri lupum, ut remordeat: homines verò ſibi invicem lupos exiſtere, imò etiam leones, (ut dixi ex S. Ambroſio lib. 2. de virg. ubi agit de S. Thecla) in Deum enim ipſum rugiunt. Pſal. 73. 5. *Et gloriati* Leo.

ſunt. (Hebr. שאגו *ſaagu*, rugierunt) *qui oderunt te*. Leopardis ſe decem, id eſt, militibus efferatis, traditum ad cuſtodiam, ait S. Ignatius epiſt. ad Romanos, eoſque tantæ fuiſſe feritatis, ut beneficiis affe-

Leopardus. cti pejores fierent. *De Syria*, ait, *uſque Romam pugno ad beſtias in mari, & in terra, nocte dieque ligatus cum decem Leopardis: hoc eſt, militibus, qui me cuſtodiunt, quibus, & cùm benefeceris, pejores fiunt*. Poterat enim Davide noſtro dicere. Pſal. 73. 19. *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi*. Hebr. תורךא *thorecha*, turturis tuæ. Geme ut turtur, cùm te tot hoſtibus, ut belluis immanibus, in hoc exilio, velut in periculoſa ſylva cinctum ſentias.

25. Peccatores puniuntur. Fruſtra gentes illas fremere in Chriſtum & juſtos, videre poſſis in punitione Damaſci, Gazæ, Tyri, Edom, Ammon, Moab, Iſraël, quas Allegor. pro Judæis Chriſtum perſequentibus, & ideò vaſtatis, poſſis accipere: Tropol. autem de ſeptem vitiis capitalibus. De illis agit Propheta Amos cap. 1. & 2. Primò, ſuperbiam figurat Tyrus. Hebr. צור *ſor*, rupes, petra, ſaxum, arx: eminebat enim in mari civitas Tyrus, adeò inacceſſa, ut etiam totius penè Aſiæ viribus Rex Nabuchodonoſor vix annis tredecim obſidens ceperit: gloriabatur veluti regina in corde maris, de ſuperbia regis Tyri vide Ezech. 28. ideò caſus ejus comparatur rejectioni Luciferi è cœlo: ignem urbi Amos minatur cap. 1. 10. Secundò, avaritiam repræſentat Iſraël, cum quo poſſis & Judam pingere. Nam duodecim illæ tribus ab uno parente Jacob ortum habent: atque ſub Saule, Davide, & Salomone ſimul junctæ erant, & poſt captivitatem Babylonicam. Amos graves pœnas quoque intentat Iſraëli cap. 2. 6. & ſeq. *Pro eo, quòd vendiderit pro argento juſtum, & pauperem pro calceamentis*. Hebr. pro נעלים *nahalim*, id eſt, duobus calceis, pro pari calceorum: eſt enim dualis numerus. Pro calceis verò aliquem vendere, eſt rem nullius pretii dare. Ad literam, de quolibet juſto paupere intellige, quem in judicio pecunia opprimebant ditiores. Ut enim ait Alanus lib. de conqueſtione naturæ: *Si quis armatus eſt pecunia tanquam loricis argenteis, torrentis impetum Tullianis, fulgur incurſus Hectoreis, robur virtutis Herculea, verſipellis Ulyſſis vilipendit aſtutias. In tantum enim habendi fames incanduit, ut Dialectica muta ſit ſubtilitas, Rhetorica langueſcat civilitas, ubi nummorum perorat pluralitas. Nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat univerſis*. Alleg. de Chriſto aptiſſimè id explicatur, qui 30. argenteis ſiclis eſt venditus à Juda.

Gazæi. Tertiò, luxuria figuratur in Gaza & urbibus aliis Philiſthæorum. Gaza ſignificat robur, duritiem, pertinaciam, obfirmationem. Nihil eſt luxuria tenacius, & majori difficultate ſanabile. Azotum habebant Philiſthæa, Aſcalon, & Accaron, præter Gazan. Et Geth. 1.

Azotii. Azotus dicitur Hebraicè אשדוד *Azdod*, & ſignificat *ignem amoris*, ab אש, *es*, ignis: & דוד *dod*. amor. 2. Aſcalon ſonat, *ignis levis*, ab *es* ignis: & קל *Kal*, levis, velox, celer: ex levitate mentis luxuria oritur, & momento per totum corpus & animam graſſatur: rectè voces vernaculè, *un feu volage*. Reddere potes, ignis maledictus, ignis infamis, vilis, contemptibilis: & ut ſanctus Hieronymus, *ignis inſanus*: ob levitatem ſcilicet animi. Rad. *Kalal*, contemni, viléſcere, maledici, levem eſſe ac celerem. Tertiò, Accaron ſignificat *turbationem doloris*, ſeu *dolorem corrumpentem*, ſeu perdentem, ab שכר *achar*, turbare, corrumpere, perdere: & און *on*, dolor. Hîc à luxuria oritur, & in corpore ob morbos exedentes: & in animo, ob conſcientiæ morſum non benè

Gethæi. exponunt eradicationem triſtitiæ, quia Accaron ſcribitur per caph: *acar* verò, eradicare, per Koph. Quartò, Philiſthæi prætereà habebant urbem Geth, quæ torcular ſignificat: omnem ſuccum hominis, & vinum, id eſt, lætitiam, exprimit luxuria, & non remanent niſi vinacea uvarum, hoc eſt, mœror & ſtupiditas, Aazam, Azotum, Aſcalon, & Accaron, atque Geth quinque ſenſibus per illam peſtem perditis applicare poſſis. Quintò. Philiſthæi ſignificant pulvere conſperſos: à פלש *Phalas*, cinere aut pulvere conſpergere: totus in luto eſt luxurioſus. Cave illas quinque ſatrapias ſeu metropoles Philiſthæorum, niſi velis in pulverem, cinerem & lutum converti.

Quartò, iram denotat Edom, id eſt, Idumæa, quæ ſonat, *ſanguinaria*. Quintò, invidiam repræſentat Ammon, qui ſignificat *populum triſtitiæ* ab עם *am*, populus: & און *on*, triſtitia, dolor, oppreſſio, rapina, divitiæ labore aut malis artibus partæ, violentia, contritio, luctus. Hi ſunt fœtus invidiæ. Idumæi. Ammonitæ.

Sextò, gulam Damaſcus repræſentat: ſignificat *ſanguinis potum*. Guloſus totus eſt caro & ſanguis: & animalium ſe carne opplet ac ſanguine. Sanguinis eſus erat Judæis vetitus, Levitici tertio, verſu decimo ſeptimo, & eſus adipis, ibidem, ut gulæ ſuæ moderari diſcerent. Septimò denique, pigritiam figurat Moab, qui ſignificat *à patre*. Delicatuli, & divites, & nobiles à parentibus ditati, in turpi ſæpè otio deliteſcunt, & quod ſibi majores virtute ac labore pepererunt, per ſummam ſegnitiem dilapidant. Damaſceni.

De illis omnibus poſſis dicere ex Pſalmo 118. 85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes*, (Hebraicè, foderunt mihi ſuperbi foveas) *ſed non ut lex tua*. Meditantur inania. Pſalmo 82. verſ. 4. *Cogitaverunt adverſus Sanctos tuos*. Hebraicè, abſconditos tuos: id eſt, humiles, qui omnia opera ſua abſcondunt, nec meditantur, nec agunt inania & vana. Itaque dicunt Pſalmi 62. verſ. 10. *Ipſi in vana quæſierunt animam meam*. 1. Quæſierunt ad vana. 2. Quæſierunt vanè & fruſtrà. Sunt ſpinæ ſe invicem complectentes, & ſibi mutuò aculeos infigentes, cùm *conveniunt in unum* adverſus Dominum & Chriſtos ejus, id eſt, ejus gratiâ unctos. Nahum 1. ℣. 10. *Sicut ſpinæ ſe invicem complectuntur, ſic convivium eorum pariter potantium: conſumentur quaſi ſtipula ariditate plena*. Tigurina, ceu culmus ad plenum torridus. Septuaginta aliter habent, uſque ad fundamenta ſua in pavimentum redigentur, & quaſi ſmilax planta implicata comedentur, & quaſi ſtipula exſiccabitur, Eccl. 21. 10. *Stuppa collecta, Synagoga peccantium, & conſummatio illorum flamma ignis*. Complutenſ. adjiciunt, *in perditionem*. Nota, id aptiſſimè dici de Judæorum ſynagoga in Chriſtum collecta, & igne divinæ vindictæ conſumpta per Romanos: & Rabanus ait, ſtupæ vili comparari, ut oſtendatur vilitas ejus, & velociſſimus interitus.

In deſcriptione Leviathan, qui eſt typus diaboli, ait Job capite 41. 6. *Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia* (Hebr. ſcuta fortia: & quidem æs fuſum longè eſt ſolidius & fortius) *compactum ſquamis ſe prementibus*, id eſt, arctiſſimè cohærentibus, & ſe invicem complectentibus. *Una uni conjungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas. Una alteri adhærebit, & tenentes ſe, nequaquam ſeparabuntur*. Conveniunt impii *in unum*, ut dæmoni ſerviant: & corpus ejus ac membra, id eſt, alios impios tegant, piiſque noceant. Sed illa, licèt in ſpeciem videantur fortia, erunt infirma & noxia. Nam, ut habetur Pſalmo 45. 10. Deus *arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni*: contrà verò, juſtos ſuos protegit atque coronat ſcuto bonæ voluntatis, Pſal. 5. 13. Ac præſertim per paſſionem, de qua eſt Pſalmus noſter: ut enim ait Jeremias, Thren. 3. 65. *Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum*. R. Salomon vocem Hebr. *thaala*, vertit, ſtultitiam tuam; quod ipſe de oraculis Prophetarum intentantium minas populo ante everſionem Jeroſolymæ, & ante captivitatem peccanti, exponit: ſtulta enim illa reputabat: tu de Chriſti cruce explica. Nam, ut ait Paulus 1 Cor. 1. 18. *Verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem, qui ſalvi fiunt, Dei virtus eſt*. Græcè, δύναμις, potentia, robur, fortitudo: ecce ſcutum cordis. Crucis elogia pulcherrima vide apud S. Chryſoſt. homilia 4. de cruce & latrone. *Crux*, ait, *ſpes eſt Chriſtianorum*; &c. *Regum magnificentia, ſcutum perpetuum, inſenſatorum ſapientia, libertas ſervorum, imperatorum philoſophia*.

ARTI-

ARTICULUS II.

Chriſtus Judæorum & Gentilium vincula & jugum abrupit, atque nunc ab iis ſervos ſuos liberat.

26. CUm ferarum inſtar fremente & furentes circa Chriſtum Gentiles, Judaicam plebem inania meditantem, Herodem & Pilatum aſtantes, Principes Sacerdotum, alioſque in unum convenientes videbamus, timor irripere poterat, ne in tanta & tam efferata turba vinceretur. Sed ecce tibi
Verſ. 3. vocem lætitiæ plenam inaudio Verſ. 3. DIRUMPAMUS VINCULA EORUM, ET PROJICIAMUS A NOBIS JUGUM IPSORUM.

Quis loquitur. Quæres primò: Quis hic loquatur? Primò S. Ambroſ. in Pſal. 118. Octon. 8. & 14. Origenes
1. tractatu 4. in Matth. S. Juſtin. Apolog. 2. Lorinus & alii, cenſent hic loqui gentes, populos, reges terræ, & principes, eſſeque hunc eorum fremitum, meditationem, inſurrectionem, & deliberationem in conventiculo ſuo, ut Chriſti vincula & jugum, id eſt, monita atque legem, rejiciant: neque eum aut Patrem ejus ſinant regnare ſuper ſe, ſed eorum regnum conentur evertere. Sed ſic pſalmus eſſet
2. intricatior. Secundò, S. Hilarius in comment. S. Cyprianus libro 1. cap. 13. S. Paulinus epiſtola 4. ad Severum, putant fideles ſeſe animare ad excutiendum jugum idololatriæ & legis veteris, ut Chriſti ſuave jugum tollant. Sed quomodo poſtea dicerent: Ego autem conſtitutus ſum Rex? Plures autem inducere loquentes in hoc Pſalmo non eſt
3. neceſſe. Tertiò, S. Cyrill. Jeroſ. ait hic loqui Angelos optantes vincula ſolvere, quibus Chriſtus erat conſtrictus: S. autem Chryſoſt. ſerm. 6. de Aſcenſ. tribuit Angelis volentibus punire Judæos, eoſque ait fuiſſe à Chriſto impeditos, pro illis enim oravit
4. in cruce, Lucæ 23. verſ. 34. Quartò, Eugubinus putat eſſe verba Dei Patris & Chriſti ejus, id eſt, Filii Dei: ſicut cùm dixerunt Geneſis 1. verſu 26. Faciamus hominem. Quintò, ſanctus Hieronymus in
5. caput 39. Job arbitratur, totam Trinitatem loqui de lege abroganda propter Chriſti crucifixionem: & vocari legem, vincula & jugum, quia carnaliter
6. Et optimè. à Judæis intelligebatur. Sextò arbitror, ſolum Chriſtum hic loqui ad Apoſtolos ſuos, & ad omnes fideles. Sic enim facilis eſt & planus totius Pſalmi contextus: in eo enim toto Chriſtus loquitur, & partim hoſtium ſuorum furorem, partim Dei Patris erga ſe benignitatem atque munificentiam, partim neceſſitatem ei ſerviendi declarat, hacque ratione omnia clara ſunt. Lege paraphraſim.

27. Quæres ſecundò: Quænam ſint ea vincula jugum,
Quæ vincula & juga vult rumpi Chriſtus. quæ Chriſtus jubet dirumpi & projici? Reſpondeo primò: Intelligi de corporeis vinculis & tormentis, quibus Chriſtus affligebatur. Nota, hæc Hebr. eſſe in futuro, *dirumpemus*, *projiciemus*:
Primò. ſunt enim prophetica: ſicut verſu ſequenti dicitur, irridebit & ſubſannabit. Rectè tamen vertit noſter interpres, dirumpamus & projiciamus: quia futurum Hebraicum ſæpè exponi poteſt per modum exhortantis, imperantis & optantis, ut plerumque fit apud Prophetas, ac præſertim in Pſalmis.
Secundò. Reſpondeo ſecundò, accipi illa vincula & jugum, quibus ſpiritualiter ipſi tenebantur, & alios irretire atque obruere moliebantur: nempe idololatriam & nefarios ritus, quibus Gentiles erant addicti: & legem Moſaicam, qua aſtringebantur & gravabantur Judæi.

28. Nota, jugum eſt ligneum inſtrumentum, quod
Jugum quid. in colla boum injicitur, ut ſimul jungantur & arctentur ad arandum, aut quid aliud agendum. De leonibus id uſurpat Plinius libro octavo, capite decimo ſexto. Jugo, ait, ſubdidit eos: primuſque Romæ ad currum junxit M. Antonius: & libro decimo, capite quadrageſimo quinto leones jugum ſubeunt. S. Ambroſius lib. 7. in Lucam, illud Lucæ 14. verſu 19. *Juga boum emi quinque*, de quinque libris legis veteris exponit: id eſt, de Pentateucho. Ut enim docet ſanctus Hieronymus in

prologo galeato, dividunt Hebræi ſcripturam in tres partes: 1. In *thora*, id eſt, in legem, quæ complectitur Geneſim, Exodum, Leviticum, Numeros, & Deuteronomium. 2. In Nebiim, id eſt, Prophetas: ſive priores, libros ſcilicet Joſue, Judicum, Ruth, & Regum: ſive poſteriores, Iſaiam, Jeremiam, Ezechiam & 12. minores Prophetas. 3. In Cherubim, id eſt, in Hagiographa: nempe Job. Pſalm. Prov. Eccleſiaſten, Cant. Danielem, libros Paralippom. Eſd. & Eſter. Hebræi porrò eum, qui liberius legem non
ſervabat, vocabant בליעל *Belial*, quaſi dicerent: Belial.
ſine jugo, à *beli*, ſine: & ol, jugum. Sic 1 Regum 2. verſu 12. de filiis Heli ſummi Pontificis, carnem vi à populo auferentibus, antequam adeps Deo conſecraretur, aliaque contra legem facientibus, ac ſpeciatim polluentibus mulieres, quæ obſervabant ad oſtium tabernaculi, id eſt, quæ in domo quadam templo adjuncta vivebant ſeparatæ à populari turba: ſive ad certum tempus virginitatem ſervarent, ſive quia mariti viduatæ reliquam vitam tranſigere decreverant in templo, ut veſtes ſacras, aliaque ad miniſterium ſacrum texerent, & orationi ac pietati ſe totas conſecrarent. De illis, inquam, filiis Heli dicitur: *Porro filii Heli, filii Belial: neſcientes Dominum*, ſcientia ſcilicet practica, i. e. non reverentes, non timentes, non colentes, non adorantes, legem ejus contemnentes ac pro nihilo ducentes. Pythagoras docebat, *μὴ ζυγὸν ὑπερβαίνειν*, *jugum non transgredi*: id eſt, legem non violare. Quam grave eſſet jugum legis Moſaicæ, declarant tot præcepta cæremonialia, judicialia, moralia, id etiam oſtendit ejus ſeveritas: unde ſanctus Gregorius comparat eam Arcturo; libro enim vigeſimo nono Moralium decimo ſexto, illud meditans Jobi trigeſimo octavo, verſu trigeſimo primo: *Numquid conjungere valebis micantes ſtellas Pleiadas, gyrum Arcturi poteris diſſipare?* Sic ad rem noſtram loquitur: Poteſt per Arcturum, qui à plaga frigoris naſcitur, lex: per Pleiades verò quæ ab Oriente ſurgunt, teſtamenti novi gratia deſignari. Quaſi enim *ab Aquilone lex venerat*, quæ tanta ſubditos rigiditatis aſperitate terrebat. Nam dum pro culpis ſuis alios præciperet lapidibus obrui, alios gladii morte mulctari, plaga torpens, & velut à Sole charitatis aliena, præceptorum ſuorum ſemina plus premebat ea frigore, quàm ea calore nutriebat. *Cujus oppreſſionis pondus Petrus horruerat, cùm dicebat Actorum decimo quinto: Quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervicem diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Sic ipſe.
Ubi adverte, Arcturus eſt ſtella in ſigno Bootæ poſt Arcturus.
caudam majoris Urſæ, cujus ortus & occaſus tempeſtates facit: dictus Arcturus ab *ἄρκτου οὐρά*, urſæ
cauda. Pleiades verò, ſunt ſeptem ſtellæ ante genua Pleiades.
Tauri, quæ ortu ſuo primæ navigationis commodum tempus aperiunt: ideo dici videntur, non à *πλεῖος*, id eſt, multitudine, ſicut cenſuit Gregorius, ſed à *πλεῖν*, id eſt, navigare. Latini Vergilias vocant, quòd verno tempore oriantur: circa Æquinoctium occidunt. Sunt amicum ſidus, unde Vatablus in loco citato Jobi vertit, *delicias Pleiadum*. Sept. *nexum Pleiadum*. Deliciæ legis Chriſti ſunt in mutuo nexu charitatis: illud eſt mandatum novum, quod è cœlo attulit, & dedit Jo. 13. 34. Pleiadas vocat Manilius, ſidus glomerabile: & Seneca, denſos Pleiadum greges.

Quæres tertiò: Quandonam neceſſe fuerit vin- 29.
cula & jugum legis Moſaicæ excutere, atque à ſe Legis
prorſus projicere? Nota primò in Hebr. eſſe נְנַתְּקָה Moſaicæ
nenatteka dirumpamus, eradicemus. Verbum *nathak*, jugum:
propriè ſignificat eradicare, extirpare, evellere. excutiendum.
Jobi 18. 14. Ezechielis 17. 9. ſignificat etiam frangere, rumpere. Pſ. 106. 14. Jerem. 2. 20. item diſſolvere, ſolvere, diſſipare. Jobi 17. 11. Chald. in Pſalmo noſtro vertit, deſtruamus, frangamus, dirumamus: ea enim omnia ſignificat, תרע *thera*: Syriacum verò פסך *phesach*, ſignificat, incidit, præcidit, excidit. Lorinus rectè etiam notat in projectione jugi denotari excuſſionem cum impetu, indignatione, execratione, tanquam rei graviſſimæ & moleſtiſſimæ. Sed tunc in jugo involvit etiam injurias

30. Legem Moſaicam homines non poterant abrogare.

Chriſto factas: lex enim Moſis non execranda, cùm ſit Divina. Nota ſecundò, lex vetus non potuit ab homine abrogari: quia verè erat lex Divina, à Deo data, & promulgata per Angelum ejus vices gerentem in monte Sina, Exod. 20. ita ut Angelus tubali voce decalogum pronunciaret, & à toto populo audiretur, id eſt, ferè à tribus hominum millionibus, dicens: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, &c. *Non habebis Deos alios coram Me*, &c. ut docent S. Greg. Nyſſenus, Philo, & alii: Neque in ea lege potuit quis diſpenſare præter Deum: quia diſpenſatio legis, eſt quædam partialis mutatio: ita docet Suares de legib. lib. 9. cap. 9. Neque legitur poteſtas data Pontificibus legis veteris, ut diſpenſarent in legibus latis, neque conſtat ex Scriptura, hoc ab iis eſſe factum. Poterant tamen interpretari legem, & determinare, quod in certis circumſtantiis non obligabat, ut accidit Achimelech in ſummo Pontifici in Nobe, ubi erat tunc temporis tabernaculum: dedit enim Davidi panes propoſitionis, 1 Reg. 21. 6. id eſt, panes, qui ſingulis Sabbathis ponebantur ante Dominum, hoc eſt, ante altare thymiamatis, ſupra menſam auream, quæ erat poſita ad ſiniſtram illius altaris in Sancto, candelabrum verò aureum erat ad dextram partem altaris. Non licebat autem eos panes comedere, niſi ſolis Sacerdotibus, & filiis eorum maſculis, idque in loco ſancto: id eſt, in atrio tabernaculi, Levit. 24. 9. Interpretatus eſt autem eam legem non obligare in neceſſitate, in qua erat David.

31. Deus illam abrogavit.

Nota tertiò, certum eſſe, legem illam Moſis eſſe abrogatam poſt Chriſti adventum, & vim ſuam prorſus amiſiſſe. Hoc ſæpiſſimè inculcat S. Paulus in epiſtolis. Et quidem Roman. 6. 14. apertè dicit: *Non eſtis ſub lege*, (ſub lege Moſis, ut ſub jugo) *ſed ſub gratia*; ut ſub oleo ſancto & ſanctificante. Computreſcit jugum à facie olei. Iſaiæ 10. 27. Vatablus & Foterius vertunt: Præ pinguedine laxabitur & ſolvetur jugum ejus. Ad literam, intelligitur excuſſio ſervitutis Aſſyriacæ ſub Sennacherib, cui ex fœdere cum Achaz patre Ezechiæ inito, Judæi quotannis pendebant tributum trecentorum talentorum argenti, & triginta talentorum auri. 4 Regum 18. 14. Ezechia verò illud jugum à ſe rejecit. Tropologicè Sanctus Gregorius 19. Moral. capite 12. & 13. applicat Spiritûs ſancti unctioni, diſcipulos per gratiam à captivitatis ſervitute liberantis. Symbolicè ad jugum legis ablatum traduci poteſt. Sanctus item Paulus Rom. 8. 2. ait: *Lex ſpiritûs vitæ* (id eſt, ſpiritûs vivificantis, lex gratiæ) *in Chriſto JEſu liberavit me à lege peccati & mortis*, à lege Moſis. Nam, ut ait capite 7. verſ. 6. *Soluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur*, veluti captivi in vinculis: unde capite octavo citatu pro *liberavit*, Tertullianus libro de reſurrect. carn. capite 46. legit, *manumiſit*, velut mancipia & ſervos manumiſſos & donatos libertate. Itaque monet Galatas idem Apoſtolus capite 5. 1. *State*, (in fide & libertate Chriſti, de qua egit in fine capitis præcedentis) *& nolite iterum jugo ſervitutis contineri.* Græcè, μὴ ἐνέχεσθε, ne implicemini, ut Vatablus vertit, *ne illaqueamini*, ut Eraſmus: ubi vides & jugum continens atque implicans, & vincula illaqueantia. Adverte, hæc ſpectare ad Galatas, qui anteà fuerant pagani, non poterant enim cogi ad legalia, ut determinatum eſt in concilio Jeroſolymitano, Act. 15. & eos, qui ex Judæis converſi erant: à die enim Pentecoſtes illis etiam ceſſavit lex, imò etiam Judæis omnibus necdum ad fidem converſis.

Hoc figuratum eſt in aſina & pullo ejus ſolutis prope Bethphage, ut cenſet Janſenius: aut prope vicum aliquem è regione Bethphage ſitum, quod eſt probabilius; jam enim JEſus venerat in Bethphage, cùm ait diſcipulis duobus, nempe Petro & Philippo, ſi credimus Bedæ, ut veriùs Petro & Joanni, ut ait Janſenius & Cornelius, Matthæi 21. verſu 2. *Ite in caſtellum, quod contra vos eſt*, κατέναντι ὑμῶν, è regione veſtri poſitum, ex adverſo, ex oppoſito veſtri ſitum, *& ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſolvite, & adducite mihi.* In aſina & pullo ſanctus Hilarius canone 21. in Matthæum, primo repræſentari Samaritas & Gentiles: ideòque extra Jeruſalem quæri, quòd à vera fide extorres errarent. Veriùs ſanctus Hieronymus in illius loci commentario, docet, per aſinam, quæ *ſubjugalis* fuit, & edomita *jugum legis* traxerat, ſynagogam intelligi. Pullum verò aſinæ laſcivum & liberum, Gentium populum denotare; miſiſſe autem JEſum duos diſcipulos, unum in circumciſionem, alterum in gentes: Hinc Origenes & Theophylactus arbitrantur, duos illos diſcipulos fuiſſe Petrum & Paulum, (ſed typicè, nam Paulus tunc non erat converſus) quia unus erat futurus Gentium Apoſtolus, alter Judæorum, qui omnes ante Chriſti adventum aſinis rectè collati ſunt: Nam, ut ait author operis imperfecti in Matthæum, fuerunt paſſionibus diverſis immundi, irrationabiles, verbitatione carentes, ſtulti propter Dei contemptum, infirmi ſecundùm animam, ignobiles, quia obliti generationis cœleſtia facti fuerant ſervi paſſionum & dæmonum: *oneriferi*, quia ſufferebant ſarcinam erroris à dæmonibus, vel Philoſophis impoſitam. Sic ipſe. Verbo rem abſolve, omnia in peccatoribus ſunt aſinina & ſtupida.

His poſitis ad quæſitum tertium, quod propoſui, Reſpondet primò Scotus in 4. d. 3. quæſtione 4. ceſſâſſe præceptum circumciſionis ſtatim atque Baptiſmus Chriſti eſt inſtitutus. Melius tamen ſanctus Thomas 1. 2. quæſtione 103. articulo 3. ad 2. Bonaventura in 4. d. 3. 2. p. ejus articul. 2. quæſtione 2. Major quæſtione 2. Richardus d. 1. articulo 6. quæſtione 4. Capreolus quæſtione 3. articulo 3. ad 1. Palud. quæſtione 6. articulo 3. Durand. quæſtione 9. legem veterem cenſent non deſiiſſe obligare ante Chriſti mortem, ſine exceptione ullorum præceptorum: quia lex gratiæ non erat promulgata: unde Chriſtus remiſit leproſos ad ſacerdotes, & juſſit, ut à lege præcepta offerrent. Luc. 5. & 17. ipſe paſcha inſtituit more ſolito, Matthæi 26. & generatim dicit Matthæi 23. 2. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.* Scribæ erant legis Doctores & interpretes, Phariſæi regebant populum, & rejectis Sadducæis eligebantur in Magiſtratus, ut indicat Joſephus lib. 10. Antiq. capite 2. *Omnia ergò, quæcunque dixerint vobis*, (in lege præcepta, ut ait Maldon.) *ſervate & facite.* Syrus clarè vertit: Quæcunque dixerint vobis, ut ſervetis, ſervate & peragite. Nota, cathedra ibi per catachreſim ſumitur pro poteſtate & auctoritate docendi: ſic vocamus cathedram ſancti Petri ipſam poteſtatem & auctoritatem Pontificiam docendi & regendi fideles univerſi Orbis: & Pontifex ex cathedra definire dicitur, quando id facit ex auctoritate Pontificia, ſive ſtet, ſive ſedeat: & quidem in cathedra lignea S. Petri nunquam ſedet Pontifex.

Reſpondent igitur ſecundò S. Thomas in 4. diſtinct. 1. quæſt. 2. articulo 5. & Marſil. in 4. quæſt. 2. articulo 1. p. 4. in ipſo puncto mortis Chriſti legem veterem eſſe mortuam, quoad obligationem: quia, ut dicitur Hebræorum 8. 13. *Dicendo novam* (teſtamentum) *veteravit prius.* Græcè, πεπαλαίωκε, antiquavit, antiquatum eſſe & abolitum declaravit. Et magis ad rem cap. 9. 17. *Teſtamentum in mortuis confirmatum eſt.* Id eſt, mortuis iis, qui teſtantur, eorum teſtamentum ratum ac firmum eſt, & vim ſuam obtinet: ſi autem novum teſtamentum, ſeu fœdus, eſt initum atque ratificatum in Chriſti morte, vetus eſt abolitum & abrogatum; ergò & lex, quæ erat conditio fœderis.

Reſpondeo tamen tertiò cum S. Bonaventura in 4. d. 3. p. 2. art. 3. q. 2. Scot. q. 4. Scoto quæſt. 7. articulo 2. legem veterem tantùm eſſe mortuam in die Pentecoſtes, quando lex nova promulgata eſt, & cœpit obligare: tunc enim prorſus lex vetus deſiit obligare: Primò, quoad præcepta cæremonialia. Unde S. Paulus Coloſſ. 2. 16. ait: *Nemo vos judicet* (reprehendat, condemnet) *in cibo, aut in potu*, hoc eſt, in delectu & *abſtinentia* certorum ciborum aut potuum Judæis præſtituta & ordinata Levitici 11. *Aut in parte diei feſti*, (id eſt, in partitionibus feſtorum ſecundum ritus Judaicos) *aut Neomenia, aut* 32. In die Pentecoſtes lex vetus deſiit obligare.

Sabba-

Sabbathorum: neomenia erat dies primus menſis, qui non erat propriè feſtum, ita ut ab opere ceſſaretur: erat tamen celebris clangore tubarum, & oblatione plurium victimarum: nempe vitulorum duorum agnorum, ſeptem & unius arietis; intellige, præter agnum, qui quotidie in juge ſacrificium immolabatur mane & veſperi. Hoc patet Numerorum 10. verſu 10.& cap. 28. verſu 11. ac Pſalmo 80. verſu 4. addit Paulus: *Quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti*, id eſt, veritas & ſoliditas adumbrata per illa veteris legis feſta nunc per Chriſtum habetur. Eſt Catachreſis. Secundò, lex vetus ceſſavit etiam obligare quoad judicialia præcepta, ut habet Paulus Epheſ. 2. verſu 15. *legem mandatorum decretis evacuans* lex mandatorum, ait Suar. libro 9. de leg. cap. 11. ſine dubio judicialia præcepta comprehendit. Nota, lex vetus dicebatur lex mandatorum. 1. Quia innumera mandata continebat, & non dabit gratiam ad illa implenda. 2. Quia erat lex imperioſa, cum ſeveritate mandans ea, quæ jubebat, gravibus pœnis adjunctis, ſi quis peccaret, ut patet in Exod. Levitic. Numer. & Deuteronom. Pergit Paulus, *ut duos* (populos, Gentilem & Judaicum) *condat in ſemetipſo* (κτίσῃ, creet) *in unum novum hominem*, id eſt, ut hominem novum & in novitate vitæ ambulantem efficiat, ſpiritum vitæ ac motum aſpirans, cùm ſit totius Eccleſiæ caput, ut docet ſanctus Thomas 3. parte, quæſtione 8. articulo 1. & ſeqq. Tertiò, etiam lex vetus poſt diem Pentecoſtes nullum prorſus ſive Judæum, ſive Chriſtianum obligavit ad præcepta decalogi, aut ad alia alia præcepta moralia, ac proinde tota illa lex ceſſavit, quoad obligationem, ut docet Victor. Rele. de matrim. 2. p. n. 3. Tolet. Rom. 31. annot. 15. Salmeron. ad Rom. 7. diſput. 6. Barradius tomo 1. libro 2. capite 21. Quoad materiam tamen multa præcepta moralia remanſerunt, ſed non obligant ex vi legis Moſaicæ, ſed ex vi legis Evangelicæ aut legis naturalis, quam ſequentes Gentiles decalogum obſervabant, licèt nulla lege Moſis obligarentur: id tradit Paulus Romanorum 2. verſu 14. *Cùm gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex*, de gentibus ad Chriſtum converſis id explicat S. Auguſtinus de ſpiritu & litera, à cap. 26. ad 20. S. Proſper, S. Fulgent. S. Anſelmus, aliique. Veriùs tamen S. Chryſoſt. S. Cyprianus libro 3. ad Quirinum cap. 99. S. Hieronymus ad Algaſ. quæſt. 9. & multi alii, exponunt de gentilibus in gentiliſmo viventibus, quos ſola lex conſcientiæ dirigit. & ſynderesis, quæ eſt habitus primorum principiorum moralium (ut ait S. Thomas 1. p. q. 79. art. 12. & 12. q. 94. art. 1. ad 2. & 22. q. 45. art. 6. ad 1. & 3.) officii admonet; Actus enim ſynderesis eſt remurmurare malo, & inclinare ad bonum. 1. p. q. 79. art. 1. *inter ſe invicem cogitationibus* (λογισμῶν, ratiocinationibus aut diſceptationibus) *accuſantibus, aut etiam defendentibus*, hominem ipſum, *qui* hæc benè vel malè facit. Unde Menander dixit: βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις θεός, *mortalibus cunctis conſcientia eſt Deus.* Vide dicta Pſalmo quarto, verſu ſexto: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Tertullianus libro 5. contra Marcion. cap. 11. legit, ſignificatum eſt: ſed meliùs & expreſsiùs ac ſignificantiùs eſt, *ſignatum*, impreſſum, inſculptum: indelebiliter ſcilicet. Hebraicè, *vexillatum*, inſtar vexilli prælatum, ut in eo militemus, & hoſtes vincamus: tale vexillum luminoſum erat in deſerto ſuper filios Iſraël columna lucens & ardens.

33. *Quandonam legis Moſaicæ obſervatio incepit eſſe mortifera.*

Quæres quartò: quandonam non tantùm potuit, ſed etiam debuit abjici vinculum & jugum legis Moſaicæ, ita ut peccatum eſſet illud non abjicere, cum in Pſalmo noſtro Chriſtus dicat, *dirumpamus, projiciamus.* Reſpondet primò S. Hieronymus in epiſt. ad Galat. 2. & epiſt. 89. ad S. Auguſt. cenſet, mortiferum ſemper fuiſſe ceremonias legis ex animo obſervare. ab initio prædicationis Evangelii, poſt Chriſti mortem. Pro ipſo facere videtur S. Paulus Galat. 5. verſ. 2. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam, ſi circumcidamini, Chriſtus nihil vobis prodeſt:* id eſt, Chriſti paſſio, mors, redemptio, gratia, fides, baptiſmus, atque religio. Et verſu 4. *Evacuati eſtis à Chriſto.* (à Chriſti redemptione & gratia) *qui in lege juſtificamini*, id eſt, qui per opera legis quæritis juſtificari, atque gratiam veſtram & virtutes augere.

Reſpondeo ſecundò cum S. Auguſtino, dupliciter potuiſſe uſurpari legalia. Primo, tanquam neceſſaria ad ſalutem, & ſic uſum illum eſſe illicitum. Secundò, ex conſuetudine ſolemnitatis, & ſic fuiſſe licitum. Neque enim fuiſſet facilè ſtatim totum Judæorum populum abducere à rebus à Deo ipſo præceptis, ſicque eorum converſio fuiſſet impedita: ipſi etiam Apoſtoli uſi ſunt legalibus, etiam quoad ceremonias. Nam Paulus Act. 16. 1. circumcidit Timotheum filium Eunices mulieris Judææ ad fidem converſæ, & patris gentilis: licita enim Judæis erant matrimonia cum gentilibus, modò non eſſent Chananæi: ut patet in Jacob, Geneſis 29. 23. Joſeph. Geneſis 41. 45. Moſe, Exod. 2. 21. Davide, 2 Regum 3. verſu 3. Salomone, 3 Regum 3. 1 Eſthere, quæ nupſit Aſſuero regi Babylonis, Eſther 2. 17. Circumcidit autem S. Timotheum Paulus, ut eo poſſet uti, ſine contradictione Judæorum: eum poſtea creavit Epheſi Epiſcopum. Præterea Paulus ipſe emiſit votum Nazaræatus, Actorum 18. verſu 18. *Qui ſibi totonderat in Cenchris* (Strabo libro octavo ait, Cenchras, vel Cenchreas eſſe navale ſeu portum Corinthi ad Orientem, cui ad Occidentem objectus erat alter, dictus Lecheæ: ſpatium inter hos duos portos vocatur Iſthumus Corinthiacus) *caput: habebat enim votum*, id eſt, votum Nazaræatus, illud enim κατ' ἐξοχὴν Hebræi intelligebant, cùm ſimpliciter voti faciebant mentionem. Duo autem continebat illud votum. Primò abſtinentiam à vino, & omni re, quæ poteſt inebriare: ne acinum quidem uvæ poterant comedere. Secundò, comam alere tenebantur, quamdiu votum durabat. Erant enim Nazaræi, vel perpetui tota vita, vel ad tempus tantùm: puta ad menſem, hebdomadam, annum. Voto autem expleto, ſi erant Jeroſolymis, certas victimas offerebant, de quibus Num. 6. Voti illius Nazarenus à Paulo facti iterum ſit mentio Act. 21. 26. ſive ſit idem votum cum eo, de quo agitur cap. 18. ſive alterum: illud autem explevit anno à Nativit. Chriſti 58. id eſt poſt Paſſionem 24. ut tradit Baronius in Annal. an. 58. Unde videas, quamdiu legalibus ſine noxa uti fuerit permiſſum. Uſus quoque eſt legalibus S. Petrus Antiochiæ anno Chriſti 51. ubi incidit illa celebris contentio Pauli cum ipſo, de qua agitur Galat. 2. 11. Vide Baron fusè de ea tractantem, & S. Petrum ab omni culpa immunem eſſe oſtendentem, Num. 39. Non itaque eſt facile determinare tempus, in quo lex Moſis inceperit eſſe mortifera: ſed tantùm dici probabiliter poteſt: tunc cepiſſe eſſe mortiferam, quando toti Orbi fuit mortua per ſufficientem promulgationem legis novæ, quæ veluti formaliter excludebat legem veterem: hoc autem fiebat ſucceſſivè, & non poteſt à nobis annus certus deſignari. Nunc poſſumus cum Deo dicere, Iſai. 11. 2. *Loquimini ad cor Jeruſalem* (qui triſtem conſolatur, dicitur loqui ad cor) *& advocate eam* (παρακαλεῖτε, conſolamini) *quoniam completa eſt malitia ejus*, id eſt, labor, afflictio, tribolatio: *Loquitur quidem de populo* Chriſtiano, ut rectè dicunt S. Cyrillus, & S. Chryſo. ſed tamen alludit ad liberationem à captivitate Babylonica poſt 70. annos. Septuag. veterum, *humilitas*, id eſt, vilitas, abjectio, humiliatio. Hebr. צבא *ſaba*, id eſt, *malitia:* quod de lege Moſis abolita & abrogata tempore legis novæ explicant, nec malè, S. Juſtin. in Tryph. Tertull. lib. 4. in Marcion. Leo Caſtrius & Forerius.

§. II.

Moleſtiſſima ſunt vitiorum vincula.

34. *Tropologicè. Vincula ſunt timor & amor.*

TRopolog. vinculum & jugum eſt, primò, omne peccatum. Secundò, illud præſertim quod per habitum ac malam conſuetudinem ligat & captivat.

Ac primò: Ugo Card. in Pſalm. noſtr. tribuens vincu-

vinculum cupiditati, & jugum timori. *Vinculum*, ait, *eſt amor malè accidens, quo trahimur ad illicita. Jugum, eſt timor malè humilians, quo reperimur & retrahimur, ne faciamus utilia.* Propheta noſter non intelligit tantum ligneum inſtrumentum, quod immittitur in collum boum, & jugum vocatur, ſed etiam funes illi ligno implicatos, & boum arantium collo. Hebr. enim, *projiciamus à nobis*, עבותימו *Abothemo*, funes eorum, *Aboth* ſignificat funem colligatum, complicatum, intricatum, convolutum, perplexum. S. Hier. vertit, *laqueos eorum.* Chald. *catenam eorum.* Omnis iniquitas ligat & conſtringit, Proverb. 5. 22. *Iniquitates ſuæ capiunt* (Chald. comprehendunt) *impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Sept. implicatur. Pagn. tenetur. Vatablus, irretitur. R. Salomon, ſuſpenditur. Arab. ligatur. Funes peccatorum ſunt 1. Ipſa culpa ſeu macula peccati. 2. Reatus pœnæ. 3. Servitus diaboli. 4. Habitus & conſuetudo peccandi. 5. Connexio ſeu colligatio peccatorum, ut ait Cornelius. Nota, S. Iſidor. pro *funibus* legit *crinibus:* vel minima peccata, quæ per capillos denotantur, ſi multiplicantur, funes fiunt inextricabiles, & inſolubiles. Mundo, dæmoni, & carni ſpecialia ſunt vincula.

35. *Mundus habet vincula Nabuchodonoſoris.*

Vincula ſua habet primò Mundus. Hæc ſunt vincula Nabuchodonoſor Regis Babyloniæ, id eſt, confuſionis, quibus ligavit Sedeciam, quem excæcavit, poſtquam occidit filios ejus ipſo ſpectante, & ut dicitur 2 Paral. 36. 6. *Et vinctum catenis duxit in Babylonem*, ibique eſt mortuus. Catenis aureis Æthiopes conſtringebant reos ſuos: hi auro non ornabantur, ſed onerabantur. Socrates cernens adoleſcentem divitem, ſed imperitum, ait: *Videte*, χρυσοῦν ἀνδράποδον, *aureum mancipium:* in ſæculo nequam mutuis ſe vinculis illaqueant peccatores. Oſeæ 5. 2. *Audite hoc Sacerdotes, & attendite domus Iſraël, & domus regis auſcultate: quia vobis judicium eſt:* 1. Ut judicetis alios vobis ſubditos. 2. Ut judicemini à Deo: *quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi*, id eſt, 1. Speculatoribus: ſæpè enim Hebræi ponunt abſtracta pro concretis. Speculatores autem ſunt boni Prophetæ, quibus impii tendebant inſidias: unde Arab. Antioch. laqueus in offenſionem. Speculatio ponitur pro populo ſpeculato, ut ſic loquar, id eſt, ſpeculationi ſacerdotum, principum, nobilium, & reliquorum aulicorum commiſſo, quem tamen ipſi trahebant in præceps, ut ſæpè in aulis principum, ubi tot puellæ in laqueos inducuntur. Nota, elegans eſt paronomaſia hic in Hebr. textu inter משפט *miſp*, judicium, & מצפה *miſpha* ſpeculatio: & פח *phah*, laqueus: pergit Oſeas, & (ſicut) *rete expanſum ſuper Thabor.* Thabor ſignificat puritatem, vel lumen veniens: itaque anima ſancta comparari poteſt monti Thabor: 1. Ob excelſitatem, quia à terra eminet. 2. Ob lumen, quia ibi Chriſtus ſe transfigurat. 3. Ob pulchritudinem, quia puriſſima eſt, & flores habet virtutum. 4. Ob fœcunditatem operum. 5. Ob continuum gratiæ rorem. Ut enim dicunt Burchardus, Bredembachius, & Adricomius, Thabor, ſive Itabyrius, ut vocatur à Sept. & Joſepho, mons eſt pulcherrimus in medio Galilææ campo, mirâ æqualitate ex omni parte rotundus: in vertice viginti ſex ſtadiorum campeſtris planities patet; cœli temperie eſt ſaluberrimus, vineis, olivis, aliiſque arboribus fructiferis undique conſitus, rore perpetuo uvidus, arborum frondibus & verſicoloribus herbis ſemper viridis, atque ſuavi omnigenum florum odore fragrantiſſimus. Hinc maxima avium in eo eſt frequentia, quarum jucundo concentu amœniſſimus eſt: iis, & feris

36. *Dæmon habet vincula Pharaonis Nechao.*

laqueos tendebant venatores, ut hîc dicitur. Secundò, dæmon ſua etiam habet vincula, quibus vincit & captivat ſuperbos. Hæc ſunt vincula, quibus Pharao Nechao ſubactum Joachaz Regem Juda ligat & ducit in Ægyptum, ſuperbus erat Joachaz & ferox, unde comparatur Ezech. 19. 3. leunculo, qui leo factus eſt, & didicit capere prædam & hominem comedere. De ejus captivitate dicitur 4 Reg. 23. 33. *Vinxit eum Pharao Nechao in Rebla, quæ eſt in terra Emath, ne regnaret in Jeruſalem*, (non benè regnat ſuperbus in Eccleſia, quæ eſt viſio pacis) *& impoſuit mulctam terræ*, (tributum animæ terrenæ) *centum talentis argenti, & talento auri:* doctrinam, quæ ſonora eſt, ut argentum; & charitatem, quæ pretioſa eſt, ut aurum, ad ſe trahens. Nota: Talentum auri apud Judæos continebat duodecim millia coronatorum Francicorum. Proportio autem pretii auri ad pretium argenti tempore Davidis, & poſtea adhuc tempore Platonis, qui floruit tempore Artaxerxis Mnemonis Regis Perſarum, & Jonathan Pontif. Judææ, erat duodecupla: adeo ut una auri uncia, vel libra, valeret duodecim uncias vel libras argenti. De vinculis dæmonis ſuperbum ligantis, & captivantis, adhuc aptiùs uſurpabis locum Oſeæ cap. 4. 9. *Ligavit eum ſpiritus in alis ſuis.* Spiritus eſt ventus, cui per proſopopœiam alas dant Poëtæ, aliique. S. Hier. aptè ad rem noſtram exponit: Ligavit eos diaboli ſpiritus in alis ſuis, qui circumferuntur omni vento doctrinæ, & ſtabili in Eccleſia pede permanere non poſſunt. Sic ipſe Vatablus exponit ad literam. Ventus conſtrictam tenebit illam congregationem Iſraëlitarum in alis ſuis, & ita eos aliò transferet: nempe in captivitatem Aſſyriacam per Salmanaſar Regem Aſſyriorum. Ventus eſt tribulatio, & afflictio vehemens: unde Sept. reddunt: Turbo ſpiritus ſibilabit in alis ejus: & commodè ad ſuperbum vertit Symmachus, *ligavit ventum in alis venti:* ſuperbus eſt ventoſus, à vento aufertur, ſed ut corruat: ſicut ille Conſtantinopolitanus Icarus, & Simon magus, & hæretici cælum volatu petere volentes, de quibus Baronius in Annal. Vernaculè eum, qui ſe & ſua jactat & laudat, vocamus *un vanteur:* ſe jactare, dicimus, *ſe vanter*, q. d. ſe vento implere: totus vento tumet arrogans. Leo Hebræus reddit: *Ligavit ventum in alis ſuis.* Syr. colligabitur ventus in alis eorum, illum ſuperbi venantur & captant mico artificio & hypocriſi. Arab. Antioch. favet, cùm vertit: *Venit ſpiritus inflexus in alis ejus.* Non audet directè & apertè glorioſam quærere, vela obliquat naufragio proximus. Ventum illum non recipit, niſi ut efflet: Scire enim tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter. Arab. Alex. *Flaverunt venti ex alis ejus.* Pergit Oſeas, *& confundentur à ſacrificiis ſuis:* inanis gloria per ipſas ſanctiſſimas actiones corrumpit, offert victimas ſuas Baal, qui ſignificat dominum: cupidine dominandi ardet, atque ad hoc ſtudia ſua omnia & opera dirigit.

37. *Caro habet vincula Dalilæ.*

Tertiò, caro ſua geſtat vincula, eaque perniciosiſſima. Hæc ſunt vincula Dalilæ, quibus ligavit Samſonem quater, Judicum 16 Primò, cogitatione. Secundò, delectatione. Tertiò, conſenſu. Quartò, opere. Nota, Dalila ſignificat pauperem, tenuem: ſeu potiùs, depauperantem, attenuantem, areſacientem, exhaurientem. Rad. דלל *dalal*, attenuari, areſcere, &c. Hæc omnia facit luxuria, cùm conſtrictam prædam ſuam tenet, ut ſanguiſuga illi adhærens. Nota 2. Dalila habitabat in valle Sorec, quæ Num. 13. dicitur *vallis botri*, ob inſignem illum botrum ab exploratoribus Joſue & Caleb præciſum, & allatum ad Moſem. Ibi vineta erant laudatiſſima, & ideo vallis Sorec vocabatur. Sorec enim ſignificat vitem ſelectiſſimam, atque vinum generoſiſſimum ferentem: ideo cùm Jerem. 2. ℣. 21. habeatur: *Plantavit te Sorec:* Noſter vertit, *plantavi te vineam electam.* Sine Cerere autem & Baccho friget Venus: luxuria Samſonem ligat, ſed poſtquam deſcendit in vallem Sorec, Oſeæ 4. 11. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Hi ſunt individui comites. Sunt tres, non charites, ſed furiæ cum velo charitum apparentes: in noviſſimo autem mordent ut coluber. Dalilam illam fuiſſe uxorem Samſonis putat S. Chryſoſt. hom. 17. ex variis in Matth. Caſſianus Collat. 17. cap. 20. S. Ephrem. tom. 1. ſer. adverſus improbas mulieres. Diſce etiam in uſu legitimi conjugii ligari mentem & excæcari poſſe, & poſſe hominem ex proprio dolio inebriari, ut dicebat S. Ægidius ſocius S. Franciſci. Probabilius tamen S. Ambr. epiſt. 70. S. Hier. epiſt. 126. ad Evagrium, Abbas Joachim p. 3. in Apoc. Abulenſis

qu.

qu. 7. & 10. putant fuiſſe meretricem, & quidem natione Philiſthæam. Jure itaque Samſoni in interitum ruenti dixeris, quod poſtea Salomon, juveni meretricem invitantem ſequenti, Prov. 7. 22. *Statim eam ſequitur.* Sept. pro *ſtatim* Hebr. פתאם vertunt κεπφωθείς, infatuatus, ut habent Roman. circumventus, ut S. Ambr. deducunt *phitbom*, à פתה *phatha*, ſeducere; unde *phethi*, inſipiens, qui facilè decipitur, parvulus κέπφος porrò, ut ait Heſychius, eſt ſpecies avis marinæ leviſſimæ, quæ facilè è quovis vento marino circumagitur, quæque facilè decipitur & capitur; unde proverbialiter pro ſtolido & facilè deceptibili uſurpatur. Oppianus deducit à κεφότης, Levitas. Suidas Larum vocat, & ait ſpumam marinam comedere, dumque eam comedit, capi à piſcatore. Gaza appellat fulicam. Polychronius tradit ad libidinem eſſe admodum propenſam, eſſe avem ſtolidam & clamoſam. Luxurioſus 1. Stolidus eſt; 2. Loquax; 3. Spumam amat. 4 Omni venti vento agitur. 5. Dum ſpumam vocat, capitur. Pergit Salomon, *quaſi bos ductus ad victimam.* Hebr. ad lanienam. Sept. ad mactationem. *Et quaſi agnus laſciviens.* Sept. *Sicut canis ad vincula:* legerant *cheleb*, canis noſter *chebes*, agnus: nunc in Hebræo eſt *eches*, compes: unde Pagn. & in paraphraſi, & in theſauro, vertit: *ſicut compes ad caſtigationem ſtulti*, addit Salomon, *& ignorans quod ad vincula ſtultus trahatur.* Symmachus: Exultans ſuper vinculis ſtultus. Vatablus, ceu dum compes ſtulto ad caſtigationem adhibetur. Arbitror aliqua verba ex textu Hebræo excidiſſe, quibus agno laſcivienti ſimilis ille juvenis diceretur. Ac verſ. 23. quid ex his vinculis ſit ſecuturum additur: *Donec transfigat ſagitta jecur ejus.* Sept. tanquam cervus ſagittâ vulneratus in jecore. Nota, jecur eſt ſedes amoris & concupiſcentiæ. *Velut ſi avis feſtinet ad laqueum: & neſcit quòd de periculo animæ illius agitur.* Syr. reddit, neſcit ſe ad mortem ſuam pergere. Sept. currere. Theocritus Idyll. 8. ait: *Arboribus metuendum malum tempeſtas, aquis caninum, avibus laqueus, feris agreſtibus retia: viro autem, tenera virginis amor.* Seneca lib. de vita beata, num. 8. jugum à voluptati virtuti imponi ait: *Quæ voluptatis virtutiſque ſocietatem facit, & ne ex æquo quidem fragilitate alterius boni, quicquid in altero vigoris eſt, hebetat: libertatemque illam, ita demum ſi nihil ſe pretioſius novit invictam, ſub jugum mittit. Nam (quæ maxima ſervitus eſt) incipit illi opus eſſe fortunâ, ſequitur vita anxia ſuſpicioſa, trepida, caſum pavens, temporumque ſuſpenſa momentis. Non das virtuti fundamentum grave, immobile, ſed jubes illam in loco volubili ſtare. Quid autem tam volubile eſt, quàm fortuitorum expectatio corporis rerumque corpus afficientium varietas?* Quid de turpi voluptate diceret, qui hoc etiam de ea, quam honeſtam omnes cenſent, dicit.

38. Peccatar ligatur. 1. In ore.

Nota, Ligatur peccator, primò ore, ut equus, Marci 7. 3. habes *vinculum linguæ.* Pſal. 31. 9 de equo & mulo, id eſt, luxurioſis & ſuperbis, quibus non eſt intellectus, habes: *in camo & fræno* (S. Auguſt. S. Ambr. S. Iſidor. in fræno & camo) *maxillas eorum conſtringe.* Camus eſt funis, vel capiſtrum, ſive retinaculum, quo equi aut aliæ beſtiæ ligantur.

2. Naribus.

Secundò naribus peccator ligatur, 4 Reg. 19. 28. ait Deus Sennacherib: *Ponam circulum in naribus tuis*, ducam te ut bubalum aut mulum circulo ferreo injecto, aut velut urſum retraham in Aſſyriam. q. d. Tu corrugato naſo me irriſiſti, & ſubſannâſti atque blaſphemâſti, ego te perforato naſo ducam quò mihi placuerit. Hoc etiam facit voluptas, quæ veluti naſo ſtolidos amatores ſuos trahit, dicimus *tirer par le nes*, ducere quò velis, facilè decipere, Prov. 11. 22. *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua.* Sept. ad rem noſtram aptiſſimè vertunt: *Inauris aurea in nare porcæ, ſic mulieri* (κακόφρονι ſtultitiæ, ut reddit Vatablus: malè moratæ, ut S. Hier. in 16. Ezech.) *pulchritudo.* Hæc eſt vinculum quo trahit & trahitur, ac capitur.

3. Manibus.

Tertiò, ligatur peccator in manibus, cùm mulierem tangit, aut ab illa tangitur, Eccle. 7. 27. id expertus Salomon ait: *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt*, (ipſos venatores aliquando, & viros Apoſtolicos capit, atque ſanctiſſimos, ut S. Jacobum eremitam) *& ſagena cor ejus.* Syr. Ipſa eſt laqueus, & rete cor ejus. Chald. jungit cum præcedentibus, cùm vertit: *Retia & offendicula ſunt in corde ipſius.* Non habet tantùm rete unum, ſed plura. *Vincula ſunt manus illius.* Sept. Paulò aliter, vinculum in manibus ejus. Arab. compes. Noſter verò, nervoſiùs & ſignificantiùs dixit, *vincula* ſunt *manus* illius: non tantùm habet in manibus vincula, ſed manus ipſæ ſunt vincula, quibus mulieres ſtringunt, amplectuntur, captivant. S. Greg. Thaumat. in ſua paraphraſi ſic explicat: *Si vel manum tantùm manui connexuerit, non minùs ſtrictè retinet, quam ſi vinculis conſtrictos traheret:* de vitibus Luciani, quæ in ſuperiori parte formam virgineam habebant, & manu prehenſos juvenes duos retinuerunt, ita ut ſecum radices agerent, dicam aliàs. Veneta editio habet: *Manus ejus ſimiles ſunt domus vinctorum:* ſunt carcer eo periculoſior, quò blandior.

4. Pedibus.

Quartò, ligatur peccator in pedibus, ut non poſſit currere viam mandatorum. Nahum 3. 8. *Numquid melior eſt Alexandria populorum* (verrere poſſis, Alexandria tumultus, ut noſter interpres vertit, Jerem. 46. 25.) *quæ habitat in fluminibus*, in deliciis & voluptatibus: quarum typus eſt Nilus fluvius turbidus, qui ab ortu & occaſu cingit Alexandriam: ab initio vitæ uſque ad finem animam delicatam: vel animam, & corpus. Nota, tempore Nahum Alexandria dicebatur נא no, id eſt pulchra, quaſi *naa:* pulchritudo ad cœnum ducit, & in eo ſæpè habitat, niſi gratia Dei ſuccurrat, unde additur, *aquæ in circuitu ejus; cujus divitiæ, mare*, (amaritudo non deeſt deliciis) *aquæ muri ejus:* itaque facilè diffluunt. Ad literam, Alexandria, ut dixi, ab ortu & occaſu cingebatur Nilo: à meridie, lacu Mareotico: ab occidente, mari mediterraneo. *Æthiopia fortitudo ejus, &c.* Nigredo & turpitudo vitiorum. Et ℣. 10. tandem concluditur, *omnes optimates ejus confixi ſunt* (ſtimulis carnis) *in compedibus*, & ſuis, & muliercula ipſius: pedes, id eſt affectus utriuſque ſimul capiuntur. caveant ſibi, nobiles & optimates præſertim à compedibus aureis: his omnes irretiunt & irretiuntur, imbres aureos vel in carcerem depluere facientes.

5. Oculis.

Quintò, oculo, præſertim amore capiuntur, ut Davidi contigit aſpicienti Bethſabee 2 Reg. 11. 2. quod meditans S. Auguſt. in Pſ. 50. ait, de longè vidit David illam, *in qua captus eſt.* Mulier longe, libido propè. Sic ipſe, Ezech. 6. 9. vocat oculos fornicantes. Et Clemens lib. 3. Pædag. cap. 11. ait: *Laſcivis autem aſpectus, & verſatilibus atque conniventibus oculis intueri, nihil eſt aliud, quam oculis mœchari, cùm per eos cupiditas ineat primæ pugnæ præludia.*

6. Auribus.

Sextò, aures etiam illigantur catenis aureis ac ſericis.

7. Collo.

Septimò, collo jugum imponitur, Pſ. 72. 6. *Tenuit eos ſuperbia.* Hebr. ענקתמו *anakathmo*, coronavit eos, ut vertit Pagninus: torque ligavit, ut Arias, in torquibus & armillis ſæpè plus onerat & gravat ſuperbia & luxuria, quàm ornat gemma auro circundata. Sequitur, *operti ſunt iniquitate & impietate ſua.* Arias reddit: Involvet ornamentum iniquitas eos: Sæpè nimius ornatus eſt cauſa iniquitatis. Generatim loquitur S. Greg. lib. 30. Moral. c. 12. qui quinque *juga boum* (quæ ille emens & probans, Luc. 14. perdidit cœnam magnam, id eſt, felicitatem æternam) ait eſſe quinque corporis ſenſus. Omnibus dicitur Iſaia 10. 4. *Ne incurvemini ſub vinculo*, id eſt, cavete ne abducamini in captivitatem. Jugum pro ſervitutis incommodo ſæpè ſumitur à Cicerone in Philipp.

39. Jugum peccati eſt ferreum & æneum.

Secundò dixi initio articoli peccatum fieri vinculum periculoſum, & jugum per habitum: in ea re affer illud Eccl. 28. 24. de lingua aſſueta peccatis: *Jugum illius jugum ferreum eſt: & vinculum illius vinculum æreum eſt:* id eſt, duriſſimum & indomabile, ut ait S. Jacobus c. 3. 8. Statua Regis Nabuchodonoſor habebat caput aureum, & pectus argenteum, ſed ventrem & femora ærea, id eſt, gulæ & luxuriæ habitus duriſſimos & penè inſuperabiles: *tibias* ferreas & *pedum partem* fictilem i. e. conſuetudinem obſtinatam conterendi crudeliter pauperes: ideo dejicitur, Dan. 2. 33 & ſeqq. atque ipſe

alli-

alligatus *vinculo ferreo*, c. 4. 12. Balthaſar Deos ſuos æreos & ferreos laudabat cum ſuis concubinis & meretricibus, cap. 5. 4. gloriantur cùm malè fecerint. Dentes & ungues ferreos habebat beſtia quarta terribilis, cap. 7. 19. quæ Romanum Imperium repræſentabat, *cornua* ferrea ſibi fecerat Sedecias pſeudopropheta Baal, quibus aërem ventilabat. 3 Reg. 22. 11. qui typus eſt ſuperbi fruſtrà aërem verberantis. Sic per obſtinationem fiet homo ferreus. Sed Deus quoque *ponet jugum ferreum ſuper cervicem tuam, donec te conterat*. Deut. 28. 48. ſi in peccato perſiſtat: & omne quoad pacem animæ tuæ quæſieris, fiet tibi *lectus ferreus*, ſicut Og gigantis, Deut. 3. 11. Sua vincula deſcribit & deplorat S. Auguſt. lib. 8. Confeſſ. c. 5. *Ego ſuſpirabam ligatus, non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe voluntate perverſa facta eſt libido; & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obſtrictum dura ſervitus.* Hujus catenæ captivantis varios annulos pertexit S. Bern. de grad. humilit. 12. *Poſtquam*, inquit, *terribile Dei judicium prima flagitia impunitas ſequitur, experta voluptas libenter repetitur, repetita blanditur, concupiſcentia reviviſcente ſopitur ratio, ligat conſuetudo. Trahitur miſer in profundum malorum, traditur captivus tyrannidi vitiorum.* Serm. 1. de Annunc. B. MARIÆ notat in Eva peccante funiculum triplicem, qui difficilè rumpitur; nempe curioſitatis, voluptatis, & vanitatis. Mundus tres quoque habet: ſcilicet concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. Difficilè rumpuntur, ſed præcipuè ii triplicentur, per operationem, delectationem, & conſuetudinem ſeu habitum, Eccl. 4. 12. *Funiculus triplex difficilè rumpitur.* Arab. & Veneta editio, *filum triplicatum*.

40. Diffringendum eſt & excutiendum. Dirumpenda ſunt illa vincula & jugum abjiciendum, cùm Chriſtus dicat: *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipſorum.* Nota, cùm Chriſtus dicat, *dirumpamus*, *projiciamus*: duo ad hoc requirit. Primo bonam voluntatem noſtram, & deſiderium, ac laborem ad illorum vinculorum & ejus jugi abruptionem perfectam. Secundò, gratiam neceſſariam eſſe oſtendit, eamque offert: cùm ſine illa nihil poſſimus facere. Unde non dicit, Dirumpite, projicite. Hoc enim ſcit nobis ſolis eſſe impoſſibile.

Primò itaque, audi Iſaiam cap. 52. 2. tibi inclamantem: *Excutere de pulvere* (de amore terræ, in qua ſedes captiva in Babylone, id eſt in confuſione cogitationum, affectionum, & operationum) *conſurge, ſede Jeruſalem*, ſed in ſolio regali, ut ſponſa magni Regis, & Filia, & Regina aſtans à dextris circumdata varietate, *ſolve vincula colli tui captiva filia Sion*, quæ per contemplationem vides miſeriam peccati & excellentiam Dei te vocantis. Et cap. 58. 6. *Nonne hoc eſt magis jejunium quod elegi? Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes*, id eſt peccata per frequentatos actus ſibi mutuo implicata, & peccatorem colligantia atque in barathrum dejicientia. Speciatim varii exponunt de obligationibus & pactis uſurariis, atque ſyngraphis iniquis, & violentis cautionibus, quibus pauperes à divitibus ligantur & deprimuntur. Sæpè facilius eſt vincula rumpere, ut fregit Samſon Judicum 15. 14. Vincula quibus ligaverant eum milites de tribu *Juda*, qui ſignificat *laudem*, & mundum figurat adulatione laudantem & ligantem. Arſenium imitare, & ruptis vinculis fuge in ſolitudinem, & illic avocare, & lude: aut diſcinde vincula ſicut nodum Gordium ille Macedo in Aſiam trajiciens, quod fuit omen felicitatis & victoriæ. Licèt ſit *quaſi vinculum plauſtri peccatum*, ut ait Iſaias 5. 18. ferro divides, ut Scanderbergus, & Godefredus Bullionius homines armatos integros, cameli collum, & fulcra focaria ferrea: tunc dices, laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Pſ. 23.

41. Secundò, gratia Chriſti eſt neceſſaria, ut computreſcat jugum à facie olei, ſicut dixi ex Iſaia. Itaque eam offert Chriſtus, cùm ait: *Dirumpamus.* Ad hoc gratia Dei requiritur.
Jerem. 28. 4. dicit: *Jechoniam filium Joachim Regem Juda, & omnem tranſmigrationem Juda* (& abſtractum ponitur pro concreto) *qui ingreſſi ſunt in Babylonem, ego convertam ad locum iſtum* (ad Jeruſalem, ubi erat Jeremias) *ait Dominus: Conteram enim jugum Regis Babylonis*; id eſt Balthaſaris victi & occiſi per Darium Medum, & Cyrum, qui remiſit in Judæam Zorobabel, filium Salathiel, filii Jechoniæ. Neque enim ipſe Jechonias Rex Juda captivus rediit in Jeruſalem, ſed mortuus eſt in Babylone; dicitur autem rediiſſe, quia poſteri ejus redierunt.

Oſeæ 11. 4. ait Deus: *Ero eis quaſi exaltans jugum, ſuper maxillas eorum*: quòd dicitur primò alludendo ad morem agricolarum, qui ad ſingulos elevant jugum ad bonum caput & cornua; hoc autem faciendum docet Columella lib. 2. cap. 2. *Ut colla eorum refrigeſcant*: quia celeriter conflagrant, niſi aſſiduè refrigerentur; & ex eo tumor, ac deinde ulcera invadunt; ita ipſe. Secundò jugum poteſt ſumi pro camo ſeu capiſtro, quo boum os & maxillæ teguntur, & conſtringuntur, ne inter arandum carpant germina: jugo enim capiſtrum alligatur, ne boves caput ad paſtum abjiciant, ſed eo erecto incedant; lege etiam præcipiebatur, ut non ligarent os bovis terentis in area fruges, Deut. 25. 4. id eſt, jubebantur identidem illud capiſtrum tollere, ut poſſet bos comedere, ſi vellet. Sic etiam inter arandum aliquoties id faciunt agricolæ. Invitat JEſus laborantes, & pollicetur refectionem, Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes*, (neminem excludit) qui laboratis (οἱ κοπιῶντες) id eſt, qui fatigati, & moleſtiis affecti eſtis: dolore veluti diſciſſi, à κόπτω, ſcindo, ſeco, tundo. Ambulat vias difficiles peccator: *Et onerati eſtis.* Tum lege Moſaica, ut explicat Theophilactus, tum peccatis, ut S. Chryſ. S. Hieron. S. Auguſt. *Et ego reficiam vos.* Syr. requiem dabo: recreabo, in omni quiete conſtituam, ut ait S. Chryſoſtom. ſuper aquam refectionis educat oves ſuas bonus Paſtor. Pſ. 22. 2. Vide ibi dicta. S. Gregor. illud Matth. conſiderans: Venite, &c. ait: *Aſperum quippe jugum: & dura ſervitutis pondus eſt ſubeſſe temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle ſtare in non ſtantibus, appetere quidem tranſeuntibus, ſed cum tranſeuntibus nolle tranſire: Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ priùs mentem ex deſiderio adipiſcendi afflixerant, poſt ex pavore amiſſionis premunt. Liber ergo dimittitur, qui calcatis deſideriis, ab appetitione rerum temporalium, ſecuritate mentis exoneratur.* Hoc tribuit David Deo ſe adjuvanti, & pollicetur ſe gratum fore, Pſ. 115. 8. *Dirupiſti* Hebr. פתחת *phittahtha, aperuiſti*, (diſſolviſti) *vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*, in Euchariſtia Chriſtum recipiens & offerens poſt ſolutionem vinculorum, per Apoſtolorum ſucceſſores, quibus dicitur, Matth. 16. 19. & 18. ℣. 18. ea omnia ſolvenda, quæ ipſi ſolverint: & figuratur in iis ſolventibus reſuſcitatum Lazarum, qui erat ligatus pedes & manus inſtitis, id eſt, linteaminibus, ut vertit Arabs: faſciis ſepulchralibus, ut Syrus: κειρίαις, id eſt, faſciis ſepulchralibus, deducitur à κὴρ ſors, fatum lethiferum ſeu funeſtum, mors: unde ordinariè ſcribitur κηρίαις. Peccator ligatus eſt κειρίαις, deducendo à κῆρ cum accentu circumflexo, quod cor ſignificat: cor enim ejus funeſtis ab lethiferis faſciis & vinculis circumligatur, & ab Apoſtolis eſt ſolvendum: unde id JEſus ipſe facere noluit.

Ne deterreat peccatorum multitudo, aut in iis per longum habitum colligatio & putrefactio, quatriduanum & fœtentem Lazarum vides reſuſcitari, & audis Deum, Iſai. 25. 7. *Præcipitabit in monte hoc* (in Sione, de quo agitur in Pſalmo noſtro) *faciem vinculi colligati*, id eſt convoluti, per multas ſpiras & complicationes replicati. Heb. eſt, *vinculum, vinculum*, id eſt, vinculum graviſſimum, & maximè aſtringens: ſic enim Hebræi ſuperlativum aliquando exprimunt per geminationem ejuſdem vocis, ut Pſalm. 67. 13. *Rex virtutum dilecti dilecti*: id eſt, dilectiſſimi, & verſu 21. ejuſdem Pſalmi: *Deus* 42. Jugum peccati abjicere poſſunt etiam eo dudum implicati.

De-

Domini exitus mortis, id eſt, Domini potentiſſimè dominantis. Vel, vinculum, vinculum: poteſt ſignificare omnia vincula, ſeu omnia peccata: ac præcipuè peccatum originale, quod eſt vinculum, vinculum: & animam & corpus pervertens, & eſt radicaliter omnia peccata: unde κατ' ἐξοχὴν appellatus peccatum, Rom. 5. 12.

43. Tunc liberi virtutes ſequentur.

Nota, virtutum abundantia ſequetur mentis libertatem, Ezech. 34. 27. *Et dabit lignum agri fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum, & erunt in terra ſua abſque timore: & ſcient, quia ego Dominus cùm contrivero catenas jugi eorum, & eruero eos de manu imperantium ſibi*, de poteſtate diaboli, carnis, mundi, peccati, ut explicat Cornelius etiam ad literam: Hebræi exponunt de liberatione è manu Chaldæorum: ad eam alludunt, ſed de Chriſti redemptione eſt ſermo, ut explicat S. Ambroſ. lib. 7. epiſt. 47. & S. Auguſt. lib. de octo Dulcitii quæſtionibus quæſt. 5. & aliqui Hebræi, teſte R. David: ſub illo verè dixeris, quod tempore Machabæorum eſt figuratum, lib. 1 Mach. 13. 41. *Ablatum eſt jugum gentium ab Iſrael*, hoc eſt, idololatria: & jugum Moſis, id eſt, lex: Iſraël autem, ſunt ſpirituales Abrahæ filii, ut explicat Paulus.

Et ad Deum evolabunt.

Avolant in Dei ſinum vinculis ſoluti Oſeæ 11. verſ. 11. *Avolabunt quaſi avis ex Ægypto, & quaſi columba de terra Aſſyriorum*; poſt liberationem à captivitate Babylonica per Cyrum, qui fuit Chriſti figura, & vocatur etiam Chriſtus, Iſai. 45. 1. Nota primò: Avis Ægypti eſt Ibis, quæ eſt ſpecies ciconiæ Ægypto particularis, quæque alibi non reperitur. Tullius lib. 1. de natura Deorum teſtatur, Ibim *maximam vim ſerpentum conficere*, itaque evertere peſtem ab Ægypto, cùm volucres angues, ex vaſtitate Libyæ vento Africano invectas, interficit, atque conſumit: ex quo fit, ut illæ nec morſu vivæ noceant, nec odore mortuæ. Hoc optimè conveniet iis, qui, cum ſe à peccati vinculis exolverint, alas aſſumunt, volant, peccata devorant aliorum, ut S. Petrus in illo linteo conſpectos ſerpentes jubetur comedere, Act. 11. 17. Nota ſecundò: Columbam fuiſſe ſacram Aſſyriis, & nefas fuiſſe apud ipſos eam occidere: ſcito volatum columbæ eſſe directum, celerem, conſtantem: dic cum Propheta noſtro, Pſ. 54. 7. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Vide ibi dicta, declarat deinde, quis id perfectè faciat, verſ. 8. *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine*, ut illa mulier Apoc. 12. 14. à dracone liberata, & habens alas duas: nempe contemplationis & actionis. Onagri ſimilitudine id etiam explicat S. Gregor. 30. Mor. cap. 12. ubi illud Jobi 39. 5. *Quis dimiſit Onagrum liberum, & vincula ejus, quis ſolvit? Cui dedit in ſolitudine domum, & tabernacula ejus in terra ſalſuginis* (per mortificationem) *contemnit multitudinem civitatis, &c.* meditans in hunc modum Religioſis Mundum ſerentibus adaptat: *Onager, qui in ſolitudine commoratur, non incongrue vitam eorum ſignificat, qui remoti à turbis ſæcularibus conſervantur. Qui aptè etiam liber dicitur, quia magna eſt ſervitus ſæcularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamvis in eis ſponte deſudet, &c.*

44. In laqueos ſæculi ne te induas.

Contrà verò, qui à ſolitudine & religioſa domo in ſeculum redeunt, in vincula ſe iterum induunt, & captivitati mancipant, Amos 5. verſ. 5. *Nolite quærere Bethel*, ut ibi vitulum aureum colatis, poſitum à Jeroboamo primo Rege Iſraël, quique erat de tribu *Ephraim*, qui ſignificat fructificantem: amor opum augendarum facit, ut aureus vitulus adoretur. *Jeroboam* verò ſignificat, impugnans populum; quia diſcordiæ & lites ex eodem fonte oriuntur concupiſcentiæ: erat filius *Nabat*, id eſt, aſpicientis, conſiderantis; quia prudentiores ſunt filii hujus ſæculi filiis lucis in generationibus & lucris ſuis: toti ſunt oculus, ut tanquam leo inſidientur pauperi, & rapiant eum ac devorent, pergit

Berſabee.

Amos: *Et in Galgalam nolite intrare, & in Berſabee non tranſibitis*, erat Berſabee urbs ultima terræ ſanctæ ad meridiem, ſicut Dan ultima ad Septentrionem: unde dicitur, à Dan uſque Berſabee, cùm totam terram illam intelligimus: ibi poſita erant idola. Rationem præcepti dat Propheta, *quia Galgala captiva ducetur*; Galgala erat locus & civitas illuſtris, diſtans à Jordane ſtadiis 50. à Jericho 10. ibi prima circumciſio facta eſt populi, qui non erat circumciſus in deſerto: & per ſex annos tabernaculum Dei cum Arca & propitiatorio in ea urbe fuerunt: Itaque, erat celebris ob religionem; ſed poſtea, ut loci religione invitatus populus idola avidiùs coleret, ibi ſunt collocata: ea propter ait Amos, Galgala captiva ducetur. Hebr. *Galgal, galo, ugle, volubilitas volvendo volvetur*, id eſt, anima inconſtans in virtute ad majorem ſemper inconſtantiam & mentis & fortunæ devolvetur. Elegans eſt hæc paronomaſia: vertere etiam poſſis, rota rotando rotabitur: vel, migratio migrando migrabit. Hæc enim omnia *galgal* ſignificat, à radice *galal* volvit, rotavit, migravit. Unde Tigurina reddit: Galgal transmigrans transmigrabit. Sed tu dic cum Davide Pſ. 10. 1. Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem ſicut paſſer? E deſerto JEſum in montem aufert diabolus, ſed eum fugat, & reportatur ab Angelis ſibi miniſtrantibus, pergit Amos: *Et Bethel erit inutilis*. Bethel ſignificat domum Dei: ob viſam à Jacob mirabilem illam ſcalam Angelis plenam, & à Deo ipſo firmatam, atque ad cœlum pertingentem, Geneſ. 28. 12. Et eſt figura domûs religioſæ: ſed eò idola deportata ſunt à Jeroboam: vitulus ſcilicet aureus, qui erat Deus Ægypti, nempe Apis: ideò Bethel facta eſt Bethaven, id eſt, domus iniquitatis, vanitatis, inanitatis, nihili, idoli, doloris, & in hoc loco eſt in Hebræo: *Bethel erit in Aven*: erit inania & vacua, ut Arabs vertit, imò ipſa inanitas, à bono opere vacuitas, vanitas, idolum. Ut enim ait S. Auguſt. ſicut non eſt facilè reperire meliores, quàm qui in monaſteriis piè vivunt; ita vix deteriores iis invenias, qui cucullum abjecerunt. Non ſunt ejus verba, ſed ſenſus.

Galgala.

Bethel.

§. III.

Pretioſiſſima ſunt Chriſti vincula.

QUæres quintò: Nullúmne Chriſti eſt vinculum? Hoc ut intelligas, nota S. Thomam, S. Ambroſium, & alios poſitos initio articuli, cenſere, gentes frementes populos, reges terræ, & principes dicere verba, quæ examinamus, nempe: *Dirumpamus vincula eorum*, Dei Patris & Filii ejus: vel, Chriſti & Apoſtolorum: *& projiciamus a nobis jugum ipſorum*. Hinc neceſſariò infertur Chriſto ſua eſſe vincula & jugum. Licèt autem non ſentiam gentes, &c. hic loqui, ut ſuprà probavi, in gratiam tamen id ſentientium, pauca adjiciamus. 45.

45. Chriſtus ſua habet vincula.

Dico primò: Chriſtum habere duplicis rationis vincula. Primò, quibus hoſtes liget, ut draconem ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſatanas, Apoc. 20. ubi dicitur ligatus per mille annos, id eſt, per totum tempus, quod intercurret à tempore vitæ Chriſti, uſque ad finem Mundi: tunc ſolvetur modico tempore, id eſt, per tempus, & tempora, & dimidium temporis: nempe per tres annos cum dimidio, dum Antichriſti perſecutio & poteſtas vigebit.

1. Quibus hoſtes illiget.

Secundò: Chriſtus habet ſua vincula, quibus ſervos ſuos & amicos vinciat in vinculis charitatis, quia ipſe eſt charitas: & eos vinciando exornet, & liberos faciat impediendo, ne ab hoſte retrahantur. Hinc Paulus evitat, ſeque vocat vinctum JEſu Chriſti, Epheſ. 3. 1. *Ego Paulus vinctus Chriſti JEſu*, ὁ δέσμιος, ille captivus & ligatus: epithetum eſt gloriæ & honoris, & cap. 4. 1. *Ego vinctus in Domino*, alligatus Domino, ligatus propter Dominum & ejus Evangelium. Scripta eſt hæc epiſtola in carcere Romano, & miſſa per Tychicum Diaconum, anno Chriſti 59. Sed Paulus longè magis ſpiritu quàm corpore erat vinctus Chriſti JEſu, & ab eo per omnia pericula cum alacritate & gaudio trahebatur. Sic Mileti exiſtens anno Chriſti 58. ut ait Baronius, evocatis ad ſe majoribus natu Eccleſiæ Ephe-

2. Servus ſuos.

Paulus illo vinculo amabat.

Epheſinæ, ait Act. 20. 22. *Ecce alligatus ego ſpiritu, vado in Jeruſalem*, id eſt à Spiritu ſancto, ut facto vinculo, ligatus in animo meo & abreptus: licèt idem ſanctus Spiritus in omnibus civitatibus per ora propheiantium fidelium proteſtetur, vincula & perſecutiones mihi parari. Sed nihili horum vereor, *οὐδενὸς ποιοῦμαι*, ea nihil facio. Pluribus intùs vinculis tenebatur. Varia enumerat Richard. à S. Victore, de ſtatu int. homin. *Vinculis*, ait, *trahimur. 2. Vinculis retrahimur. 3. Vinculis aſtringimur. Vincula attrahentia, ſunt præceptiones: Vincula retinentia, prohibitiones. Vincula conſtringentia, ſunt admonitiones. Præceptionibus illuc ſæpè urgemur, quò boni operis greſſum ſine difficultate non dirigimus. Prohibitionibus inde ſæpè retrahimur, quo per deſiderium properamus. Admonitionibus verò cordium noſtrorum hiantia, ſeu etiam fluxa arctiùs religamus, cùm voluntates noſtras à licitorum etiam uſu reſtringimus*. Eadem fermè habet S. Bonavent. S. Ignatius, Fundator Societ. JEſu, iis ſtringebatur, cùm Hiſpaniæ totius catenas, ibi ob pietatem in carcerem conjectus, non modò non timebat, ſed etiam optabat.

Varii eorum vinculorum effectus.

46\. Nota, Vincula illa ſunt primò neceſſaria, ut qui ab hoſtium caſtris recens capti ſunt, retineantur, Pſ. 149. 8. *Ad alligandos reges eorum in compedibus* (S. Hieron. in catenis) *& nobiles eorum* (Hebr. נכבדים *nichbedim*, principes, magnates, glorioſos, excellentes. Chald. יקירים *jakkirim*, pretioſos, qui in pretio ſunt, & magni æſtimantur) *in manicis ferreis*. S. Hier. in compedibus. S. Auguſt. S. Proſper, Caſſiod. Pſalterium vetus, Rom. & Ambroſ. in vinculis. Ferrea primò ſunt per timorem, ut fiant aurea per amorem. Hoc S. Auguſt notat: *Ne progrederentur*, inquit, *ad illicita, compedes acceperunt, compedes ſapientiæ, compedes verbi Dei. Quare ergo vincula ferrea, & non aurea? Ferrea ſunt, quamdiu timent: ament & aurea erunt. Attendat charitas veſtra, quid loquar. Audiſtis modo Apoſtolum Joannem 1. epiſt. 4. Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor tormentum habet: hoc eſt vinculum ferreum. Et tamen niſi incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem. Initium ſapientiæ timor Domini. Incipit ergo à vinculis ferreis, finitur ad torquem aureum. Dictum eſt enim ad ſapientia: Et torquem aureum circa tuam cervicem*. Nota, nobiles egent vinculo ferreo, ut ad Deum ducantur, & cum eo retineantur, magis quàm pauperes, quos ſua ſatis paupertas ad cœlum ire cogit, atque ab amata ſibi terra divelli. Sic Bogoris Rex Bulgarorum viſâ judicii extremi tabulâ convertitur; ſic Nabuchodonoſor, de quo dicitur Dan. 4. 12. alligatur vinculo ferreo, ad ſanam mentem reducitur, & Deum laudat *Regem cœli*, cap. eod. 4. 34. non cogitat ampliùs de terra, qui priùs in ſtatua aurea & argentea, ſe ob divitias terrenas adorari cupiebat, ut Deum terræ. David ipſe hoc vinculo eguit poſt lapſum à Propheta Nathan pœnis intentatis 2 Reg. 12. & poſt populum numeratum, per Gad etiam Prophetam, cap. 24. 13. Ut enim vita horum vinculorum timoris, videas neceſſitatem Jeremiæ dicit Deus cap. 27. 2. *Fac tibi vincula & catenas*. Initium ſapientiæ timor Domini.

Vincula illa ſunt, 1. Neceſſaria.

Ferrea ſunt timoris vincula, amoris aurea.

1\. *Bogoris ligatur timore.*
2\. *Nabuchodonoſor.*
3\. *David.*
4\. *Jerem.*

47\. Secundò: Vincula Chriſti ſunt ſuavia, Oſeæ 11. 3. *Ego quaſi nutritius Ephraim*, id eſt decem tribuum: nam Jeroboam primus earum Rex fuit de illa tribu: nunc aptè, ad rem noſtram, Ephraim, id eſt fructificans, ille eſt qui ſuaves fructus virtutum Deo fundit, & ab eo gratiæ fructus percipit. *portabam eos in brachiis meis* (ſuavia ſunt hæc vincula) *& neſcierunt quod curarem eos. In funiculis Adam trabam eos*. Quibus 1. Deus ad ſe Adamum traxit, nempe per beneficentiam, ut explicat Rufinus. 2. Quibus Patriarchas: nempe Abrahamum, Iſaac, Jacob, &c. Ut S. Hieronymus: nam Adam ibi commune nomen eſt, unde Sept. Aquila, Symm. Theodotio, Syr. vertunt, *hominis*: vincula autem hominis ſunt amor: ideò explicationis gratiâ additur, *in vinculis charitatis*, eſt amoris magnes amor: & amans non modò trahitur, ſed rapitur & avolat cum rapiente, eique adhæret. Chald. reddit: Sicut moris eſt trahi filios dilectos, traxi eos *fortitudine charitatis*. Quanta ſit ſuavitas in illis vinculis, ſenſit S. Auguſt. in lib. 9. Conf. ſ. c. 1. declarat, agens de ſua converſione: *Quàm ſuave, ait, mihi ſubitò factum eſt carere ſuavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me tu vera & ſumma ſuavitas: ejiciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior.* Quàm ſuavia erant hæc vincula Sponſæ dicenti cant. 2. 5. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia *amore* langueo. *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Illa ſunt JEſu vincula animam extra ſe rapientis. Nam, ut ait S. Hier. epiſt. 127. *Chriſti voluntaria ſunt vincula, & vertuntur in amplexus*. S. Auguſt. ſerm. 2. de Verbis Domini, illud expendens: Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Joan. 6. 44. ait: *Non dixit, duxerit, ſed traxerit. Iſta violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? Crede, & venis: ama, & traheris. Ne arbitreris iſtam aſperam moleſtamque violentiam: dulcis eſt, ſuavis eſt, ipſa ſuavitas te trahit. Nonne ovis trahitur, cùm eſurienti herba monſtratur?* Et tract. 26. in Joannem: *Noli*, inquit, *cogitare te invitum trahi: trahitur animus & amore*. Et paulò pòſt: *Quomodo voluntate credo, ſi trahor? Ego dico: parum eſt voluntate, etiam voluptate traheris. Quid eſt trahi voluptate? Delectare in Domino, eſt trahi voluptate, & dabit tibi petitiones cordis tui*: trahit ſua quemque voluptas.

Funiculi Adam.

Vincula charitatis.

Illis S. Aug. ligatur.

Et Sponſa.

Tertiò: Fortia ſunt Chriſti vincula, Cant. 1. 3. *Trahe me poſt te, curremus*. A terra elevant hæc vincula, Joan. 12. 32. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*. Exaltatus JEſus per Reſurrectionem & Aſcenſionem, ut ait Chryſoſtom. per Crucem, ut Maldonatus: ad ſe trahit omnia, id eſt: 1. Corpus & animam, ut S. Auguſt. & Beda exponunt. 2. Omnes homines, ut S. Cyrill. & S. Chryſoſt. qui ideò legunt, *omnes*. Robur denotat vox Græca, *ἑλκύσω*, per vim traham, ſcilicet invito diabolo, ut dicit Cornel. Unde crux eſt fortitudo noſtra. S. Leo ſerm. 8. de Paſſ. Chriſtum alloquens, ait: *Crux tua omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Fortis eſt ut mors, dilectio, Cant. 8. 6. Amor vehemens ligatus pingitur, quòd ab amato diſcedere non poſſit, ſed conſtanter ei adhæreat. Majorem vim amoris ligati, quàm vulnerati, eſſe docet Richardus à S. Vict. *Prior gradus eſt*, ait, *qui vulnerat, ſecundus qui ligat. Licet ergo ligari minus ſit quandoque quam vulnerari, tamen major violentia videtur eſſe, ſi poſtquam aliquis percuſſus dejicitur, dejectus deprehenditur, deprehenſus abducitur, abductus incarceratur, incarceratus catenatur, atque ligatur, & jam omninò captivus tenetur. Quid horum quaſi major & violentius? Ille liber eſt, iſte autem à loco, in quo detinetur, recedere non poteſt. Sic utique qui à ſecundo gradu violentæ charitatis abſorptus eſt: quicquid agat, quocumque ſe vertat, ab illa vana & intima ſollicitudinis ſua cura avelli non poteſt, quia ligatus eſt*, S. Bonavent. ex eodem Richardo vim illorum vinculorum oſtendit, tract. de 7. itiner. æetern. in itin. 4. diſt. 5. art. 2. Quid, inquit, iſta ſunt charitatis vincula, niſi Dei beneficia: bona *naturæ*, bona *gratiæ*, & bona *gloriæ*? His enim beneficiis debitores nos fecit: quia naturam condidit, gratiam contulit, & gloriam repromiſit. Ecce funiculus triplex. Funiculus autem triplex difficilè rumpitur. Seneca dicit: Qui beneficium accepit, libertatem perdidit. Sic Bonav. In mari ſumus fune ad litus, aut anchora ad fundum maris teneri bonum eſt, ut de votis religioſis dixit Card. Rupificaldius. 48.

3\. Vincula Chriſti ſunt potentia.

Omnia ad cum trahens ſurſum.

Crucis elogia.

Amor ligans & vulnerans.

Vincula ſunt DEI beneficia.

Quartò denique: Chriſti vincula ſunt glorioſa. Jeſus Sirach Author Eccleſiaſtici, cap. 6. 30. de vinculis ſapientiæ, id eſt Chriſti, agens, ad illa ſuſcipienda his verbis invitat: *Erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis*, id eſt fortiſſimam. Cùm enim Hebræi non habeant ſuperlativum, ſæpè illum efferunt per genitivum ſingularis numeri, aut pluralis, ut vir dolorum, Iſai. 53. 3. id eſt ſummis affectus doloribus: turris fortitudinis, Pſ. 61. 4. id eſt fortiſſima. Syrus loco cit. Eccl. vertit: Erunt tibi *retia* ejus ſedes fortis. Vatabl. præſidio validiſſimo: per- 49.

4\. Vincula Chriſti ſunt glorioſa.

Sunt torquis, corona, ſalus. pergit Anthor, *& baſes virtutis*, id eſt, baſes & fundamenta firmiſſima. Vatabl. ſolido firmamento. *Et torques illius in ſtolam gloriæ.* Syr. coronam gloriæ nectes tibi. Figuratur hoc in torque aureo, quo Joſeph donatus eſt à Pharaone, Gen. 41. verſ. 4. & Daniel à Balthaſare Rege Babylonis, Dan. 5. 29. addit Jeſus Sirac. verſ. 31. *Decor enim vitæ eſt in illa, & vincula ejus alligatura ſalutaris*, enim decore dans ſalutem: ut illud diadema, quo vulnus Lyſimachi ligatum eſt. S. Auguſt. in Pſ. 101. legit: *Decus aureum eſt in illa, & vincula illius fila hyacinthina.* Græcè, χλωσμα ὑακίνθινον: alludit ad fimbrias coloris hyacinthini, id eſt violacei & cæleſtis, quas Hebræi geſtare jubebantur *ad angulos palliorum*. Num. 15. 38. Hebr. ad alas veſtium, hoc eſt, ad extremitatem veſtium extimarum, quæ pallia vocantur. Id autem fiebat, ut earum aſpectu recordarentur mandatorum Dei: nec ſequerentur cogitationes ſuas & oculos, per res varias fornicantes: ſed eſſent ſancti Deo ſuo, ut ibi exprimitur; ſic erant ſalutaris alligatura.

Ligari pro Chriſto, eſt regiâ dignitate præſtantius. Quanta autem ſit gloria vinculis corporeis pro Chriſto conſtringi, eximiè oſtendit S. Chryſoſt. hom. 8. in epiſt. ad Epheſ. illud contemplans verſ. 1. cap. 3. *Ego Paulus vinctus Jeſu Chriſti. Vinctum*, inquit, *eſſe propter Chriſtum illuſtrius eſt, quàm ſive Apoſtolum, ſive Doctorem, ſive Evangeliſtam eſſe. Magna dignitas hæc, & regno quovis & Conſulatu major. qui diligit, & ardet Chriſtum, eligit potius vincula ferre propter Chriſtum, quàm cælos inhabitare. Non enim caput ita ſplendidum reddit impoſita corona margaritis conſpicua, ut catena ferrea, quæ propter Chriſtum fertur. Quòd ſi quis mihi vel univerſi cæli, vel ejus catenæ copiam & optionem largitus eſſet, catenam hanc ego planè elegiſſem: Si mihi cum Angelis, & iis, qui prope thronum Dei ſunt, ſtandum fuiſſet ſurſum, aut cum Paulo vincto, carcerem utique prœoptaſſem. Nihil hâc catenâ beatius.* Vide cætera pulcherrima.

50. Jugum Chriſti eſt. Quæres ſextò, & ultimò, Chriſtus habeatne jugum, & quale? Reſpondeo habere: ſed primò, ſuave. Secundò, leve. Tertiò, forte. Quartò, glorioſum: itaque inſaniiſſe gentes, populos, reges terræ, & Principes, cùm Dei Patris & Chriſti ejus jugum à ſe abjicere volentes, ut explicat S. Thomas. dicunt in pſalmo noſtro: *Et projiciamus à nobis jugum ipſorum.*

1. Suave. Primò: Jugum Chriſti eſt ſuave. Hoc ipſe profitetur Matth. 11. 29. *Tollite* (Syr. bajulate) *jugum meum* (jugum à jungendo dicitur; partem unam feretis, ego alteram) *ſuper vos.* 1. Ut rem pretioſam, 2. Ut commoda omnibus veſtris præferendam. Jugum illud eſt lex gratiæ, ſeu Evangelium. Cauſam invitationis ſubdit verſ. 30. *Jugum enim meum*
1. *ſuave eſt.* Arab. bonum. Græcè, χρηστόν. 1. Bonum,
utile, commodum, ut ab Ariſtoph. & Plut. uſur-
2. patur. 2. Benignum, mite, clemens, ut ab Hero-
3. diano, & epiſt. ad Epheſ. 4. à Paulo. 3. Suave,
4. jucundum, facile, ut à S. Gregorio. 4. Lene, ut
à Menandro. Jugum illud eſſe Evangelium docet S. Hilarius: ſuavitatem ejus notat Cornelius. Primò, quia pauciora & faciliora habet præcepta, quàm lex vetus. Secundò, quia majorem dat gratiam, quæ valdè alleviat onus mandati. Tertiò, quia amore nos regit, ut filios: non timore, ut ſervos: ſicut faciebat lex vetus. Quartò, quia mortem non intentat, nec infert, ut lex vetus. ſed aufert. Quintò, quia promittit ſui obſervatoribus vitam feliciſſimam, eoſque quaſi manu ducit ad æternam cæleſtium gaudiorum dulcedinem, juxta illud Pſ. 35. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Suavitatem illius jugi præclarè amplificat S. Ambroſius ſerm. 3. in Pſ. 118. *Portare Chriſti jugum ſuave eſt, ſi ornamenta putes cervicis tuæ eſſe, non onera. Attolle ergo oculos ad Dominum Deum tuum, & quære Deum, & invenies. Erige cervicem, redimicula, non vincula geris. Multa quoque animalia redimiculis gaudent, & phalerari ſibi magis quam undari videmur: genæ ſicut turturis præferent inſignia verecundiæ, redimicula cervicis libertatis attollent fiduciam.* S. Bonavent. loco mox citando vocat jugum amoris, inde illi eſt præcipua ſuavitas.

2. Leve eſt. Secundò: Jugum Chriſti leve eſt. Hoc ipſe aſſerit eodem Matthæi loco, ubi addit: *Et onus meum leve.* Onus illud eſt etiam Evangelium, quod S. Hieron. ait eſſe leve, quòd nihil præcipiat, niſi quod poſſumus. 2. Quòd non puniat, niſi ob peccatum voluntatis: cùm in lege Moſis eſſent multæ pœnalitates, etiam in iis quæ præter voluntatem acciderent: ut in contactu mortui, &c. Hinc ad illud jugum ſuſcipiendum invitat omnes S. Ambroſius lib. de Elia & jejunio, c. 22. *Suſcipite jugum Chriſti. Nolite timere, quia jugum eſt: feſtinate, quia leve eſt. Non conterit colla, ſed honeſtat. Quid dubitatis? Quid procraſtinatis? Non alligat cervicem vinculis, ſed mentem gratiâ copulat. Non neceſſitate conſtringit, ſed voluntatem boni operis dirigit.*

Tertiò: Jugum Chriſti forte eſt. Ut enim ait S. Bern. epiſt. 72. *Portat omnem, cui portandum imponitur.* De peccatoribus dicitur Job 26. 5. *Gigantes gemunt ſub aquis:* immerſi deliciis & voluptatibus, & in eis natantes & ſe verſantes. Sept. turbabuntur, & dolores habebunt. Chald. contremiſcent & frangentur. Nihil eſt aquis mollius, iis tamen laceratur ſceleratus. S. verò Paulus gaudet in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, &c. 2. Cor. 11. 23. & ſeqq. jugum hoc videtur eum prorſus humi affixurum: ſed elevat uſque ad tertium cælum, ut ſtatim poſt recenſitas afflictiones ſubjicit cap. ſeq. verſ. 1. & ſeqq. Non poterat elevari niſi eum jugo, ſed Chriſti: nam anteà ſua eum peccata ex equo dejecerant, Act. 9. 4. nec priùs ſurrexit, quam collum jugo ſubdidiſſet, dicens: Domine! quid me vis facere? Statim enim additur verſ. 7. *Surge*, q. d. ſemper jacuiſſes, niſi cervicem tuam mihi ſubdidiſſes. Alis avium, & avem onerantibus, & tamen elevantibus, piè & ingenioſè jugum illud æquiparat S. Auguſt. ſerm. 24. de Verbis Apoſtoli: *Hæc ſarcina*, inquit, *non eſt pondus onerati, ſed alæ volaturi.* Habent enim & aves pennarum ſuarum ſarcinas: *Portant illas, & portantur.* Portant illas in terra, portantur ab illis in cœlo. Tu ſi miſericordiam velis præſtare avi, præſertim æſtate, & dicas: Miſeram iſtam aviculam onerant pennæ, & detrahas onus hoc, in terra remanebit, cui ſubvenire voluiſti, ita S. Doctor. Vide S. Bern. epiſt. 341. S. Bonav. Opuſ. tom. 2. tract. de myſtica Theol. part. 2. particul. 5. & ſuavitatem & levitatem divini jugi ſic conſiderat: *Jugum, ait, amoris ſua dignitate & jucunditate allicientiâ ſic ſigit interius voluntatem, ut nihil pœnæ ſentiat, qui cervicem ſuam ſuppoſuerit, ad hoc jugum ſuaviſſimum ſuſtinendum. Nam contra conſuetudinem aliorum jugorum, illud manifeſtiſſime in ſuis ſuſtinentibus eſſe comprobatur. Nam aliud jugum trahentes ab ipſo, cervices inclinant inferius, jugum autem illud in tantum ſuſtinentes elevat, ut commorantes in terra, faciat in cæleſtibus habitare, ut ſupra noſmetipſos extendendo, ſpiritum concives faciat ſupernorum.* 3. Forte. Laborem non ſentit amans.

Quartò denique, Jugum Chriſti glorioſum eſt. De ſapientia, (id eſt Chriſto qui eſt ſapientia Patris æterni, & in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi) dicitur Eccl. 6. 30. *Torques illius in ſtolam gloriæ.* Antiquitùs, ait Lyranus, ſapientes utebantur torque aureo, & bullâ ad pectus demiſsâ in ſapientiæ ſymbolum, quæ in pectore claudi exiſtimatur. Darius Rex Babylonis Zorobabeli & ſociis diſputantibus, quidnam eſſet optimum, victori quaſi ſapientiæ palmam ferenti, promiſit, 3 Eſdr. 3. 6. dona magna, & purpurâ cooperiri, & in auro bibere, & ſuper aurum dormire, & currum aureo fræno, & cidarim byſſinam, *& torquem circa collum.* Et Prov. 1. 8. ait Salomon: *Audi, fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ;* diſciplina (ſive ut vertit Syr. lex; aut eruditio, ut Chaldæus) eſt Evangelium, quod ab eo accipit Eccleſia, & dat filiis, ut jugum ſuave & glorioſum: unde ſequitur verſ. 9. *Ut addatur gratia capiti tuo* (Sept. corona gratiarum. Chald. decor gratiæ) *& torques collo tuo.* Sept. & torques aureus circa collum tuum. Nunc Equites Ordinum militarium cum collari ſuo & jugum ſubeunt, & gloriam à regibus maximam aſſumunt. Crucem plerique geſtant aut in collari ſeu torque, aut in veſtibus: alii 4. Glorioſum. *Eſt torquis honoris.* *Zorobabel torque inſignis.* 51. Ordines militares jugum Chriſti in torque.

portant, nempe crucem.

1. Equites Ord. ſepulchri Chriſti. — *2. Equites S. Lazari.* — *3. S. Mauritii.* — *4. S. Mar. de monte Carmelo.* — *5. Equites Melitenſ.* — *6. Templarii.* — *7. S. Jacobi.*

in pectore, alii in brachio: rubeam alii, alii candidam, aut alterius coloris, ſed omnes crucem. Equites Ordinis ſepulchri Chriſti, quem à S. Jacobo inſtitutum quidam volunt, alii poſt inventam à S. Helena crucem, gerebant quinque cruces rubras in honorem quinque plagarum Chriſti. Equites Ord. S. Lazari, quem à tempore S. Baſilii inſtitutum volunt, crucem viridem præferebant. Equites S. Mauritii, albam; nunc in Sabaudia uniti ſunt duo illi Ordines: Equites S. Mariæ de monte Carmelo, & S. Lazari in Gallia gerunt violacei coloris crucem: B. Mariæ Virginis effigie inſignem, ex collo pendentem, itemque chlamydi affixam exemplo Melitenſium. Equites Melitenſes, crucem albam: Templarii, rubram. Equites S. Jacobi, rubeam in modum gladii factam: Equites Ordinis gladiferorum ſeu militum Chriſti in Livonia, binos gladios formâ crucis decuſſatim poſitæ rubeſcentes: Equites S. Mariæ glorioſæ apud Italos, ad pacificandas Italiæ civitates inſtituti, crucem purpuream in campo albo duabus ſuprapoſitis ſtellis: Franciſcus Sanſonius iis crucem rubeam cum limbo aureo in pectore attribuit. Equites ſancti Spiritus in Gallia, & S. Mariæ de Mercede & Redemptione captivorum in Aragonia, ubi eſt celebris, crucem argenteam. Crux rectè dicetur jugum Chriſti, quod portandum eſt humeris, Luc. 14 27. *Qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Romani de-

Sub jugum mittebantur hoſtes, & quomodo.

victos hoſtes ſub jugum mittebant. Livius ait, tribus haſtis jugum fieri, humis fixis duabus, ſuperque eas transverſa una deligata. Hinc ſubjugare hoſtes, id eſt debellare, ſubjicere, profligare, atterere, χειρῶσθαι: jugum illud erat veluti crux gemina, ignominiæ autem cauſa cogebant victos diſcinctos & inermes ſub illud tranſire: ſed Chriſtiano crucis jugum affert gloriam. Eſt enim crux, ut ait S. Chryſoſt. hom. de Cruce: *Regum magnificentia, libertas ſervorum, Martyrum gloriatio.* Hinc Paulus verus miles Chriſti, qui bonum certamen certabat, dixit, Galat. 6. 14. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce* (cùm extra crucem ſim, timeo, ne fortè cùm aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar) *Domini noſtri JEſu Chriſti.* S. Auguſtinus id amplificans ſerm. 20. de Verbis Apoſtoli, ait: Poterat Apoſtolus gloriari *in ſapientia* Chriſti, & verum diceret: poterat *in majeſtate*, poterat *in poteſtate*, & verum diceret: ſed dixit: *In cruce.* Ubi mundi Philoſophus erubuit,

In cruce magis glorian dum eſt, quam in cæteris.

ibi Apoſtolus theſaurum reperit: ut qui gloriatur in Domino, glorietur. Quo Domino? Chriſto crucifixo: *Ubi humilitas, ibi majeſtas*; ubi infirmitas, ibi poteſtas: ubi mors, ibi vita: ſi vis ad illam venire, noli iſta contemnere, noli erubeſcere: ideò *in fronte*, tanquam in ſede pudoris, ſignum Crucis accepiſti. Sic Auguſt.

Conclude cum S. Baſilio orat. 4. de pœnit. *Quid jugum times, velut juvencula quadam, quæ jugum nondum experta ſit? Non atterit, crede mihi, cervicem jugum illius, ſed gloria afficit. Vides in crimen vocari Ephraim, quòd perinde ac juvenca œſtro perculſa ſine ordine oberrans, legis jugum detractaſſet. Subjice indomitam cervicem tuam, ſis tamen tum Chriſti, ne demiſſa jugo, vitamque liberam degens feris diripiendus exponaris.* Si Chriſtum, & ejus jugum portes, omnes tibi cum ramis palmarum occurrent, & veſtes ſuas & ramos arborum ad pedes tuos adjicient. S. Auguſt. lib. de vera Relig. cap. 35. *Huic uni Chriſto qui ſubjectus eſt, ſubjecta habet cætera.* Seneca dicebat lib. de Vita beata, num. 16. *In regno nati ſumus: Deo parere, libertas.* Vulgaris, ſed veriſſima eſt parœmia, Servire Deo, regnare eſt.

ARTICULUS III.

Deus in cælo, ut in aula ſua, habitat, & inde punit Chriſto & piis viris injurios.

Verſ. 4. 1. Pars.

POſt exhortationem ad vincula hoſtium diſrumpenda, & jugum projiciendum, Dux totius exercitus Chriſtus tela è cœlo in ipſos parata oſtentat: ne Apoſtoli aliique putent ſibi difficile fore, non modò vincula & jugum excutere, ſed celebrem etiam victoriam reportare, verſ. 4. QUI HABITAT IN COELIS IRRIDEBIT EOS, ET DOMINUS SUBSANNABIT, &c.

Quæres: Quare Deus in cælis dicatur habitare? 52.

Deus eſt ubique.

Reſp. primò, Deum non in ſolis cælis habitare, ſed ubique longè lateque diffuſum per immenſitatem ſuam extendi per totam terram, aquam, aërem, aliaque: imò ultra cælos in ſpatiis eſſe imaginariis, ut vocant: ideòque à Syris vocari *gigantem ſeculorum*, quòd & ſuâ æternitate omnia tempora, & ſuâ immenſitate omnia ſpatia complectatur. Sic Deus ipſe ait Jerem. 23. 24. *Cælum & terram ego impleo.* Tales dicebat, omnia eſſe Deorum plena, & Maro eclog. 3. Jovis omnia plena. Salomon ſcribens ad Hyram Regem Tyri ad habenda ligna cedrina, arceurbina, aliaque, & artifices qui noſſent operari in auro, argento, ære, ferro, purpurâ, coccino, & hyacintho, ad ornandum templum Dei, ait 2 Paralip. 2. 6. *Cæli cælorum*, id eſt cæli vaſtiſſimi, ſicut Hebræi, Canticum Canticorum, id eſt, canticum præſtantiſſimum: Sancta Sanctorum, id eſt ſanctiſſima, locus in templo ſanctiſſimus, *capere eum nequeunt.* Ulterius porrigitur. Nam, ut ait Sophar Naamathites, id eſt, ex urbe Naamath, quæ erat in terra Hus, & in qua regnabat, Jobi 11. 8 *Excelſior cælo eſt, & quid facies? Profundior inferno, & unde cognoſces? Longior terra menſura ejus, latior mari.* Nota, Sophar ſignificat ſpeculatorem, à rad. צפה *ſupha*, ſpeculatus eſt: & Naamath ſignificat pulchrum, aut jucundum, à rad. נעם pulcher fuit: unde Noëmi etiam dicta eſt: Sis ſpeculator pulchri, id eſt, Dei, & eum ubique intueberis ut ſpeculum ſine macula. S. Hilarius de Trinit. l. 1. *Deus, inquit, eſt intra & extra, ſupereminens & internus, circumfuſus & infuſus in omnia.*

Hoc admirans Propheta Baruch. cap. 3. 24. 53.

Domus ejus eſt totus mundus.

O Iſrael! quam magna eſt domus Dei. 1. Templum Jeroſolymitanum, ut Ugo. 2. Cælum, ut Lyranus 3. Totus mundus, ut benè S. Ambroſ. 6. Hexaëm. 4. Ut enim dicit Diogenes, mundus eſt fanum quoddam ſanctiſſimum & Deo dignum. 5. Ejus immenſitas, & ubiquitas, ut noſter Chriſtophorus Gillius libro 2. tract. 9. de immenſitate Dei, cap. 16. pergit Propheta, *& ingens locus poſſeſſionis ejus?*

Terræ ambitus, quantus. — *Stellarum magnitudo, quanta.*

Terræ ambitus ſeu circulus ſub Æquatore, ubi maximus eſt, continet 21500. milliaria: ſtella ſextæ & infimæ magnitudinis totam terræ magnitudinem continet decies & octies: ſtella verò primæ & ſummæ magnitudinis eandem continet centies & ſepties. *Magnus eſt, & non habet finem*: ſpatia enim imaginaria Deus replet, *excelſus & immenſus.* Et de Deo ait Propheta noſter Pſalmo 144. verſu 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*, (ſuprà vires & humanas & angelicas) *& magnitudinis* (Hieron magnificentiæ) *ejus non eſt finis.* Ubique magnus, ubique laudabilis, ubique magnificus. Vide dicta Pſal. 138. 8. *Si aſcendero in cælum, tu illic es*, &c.

S. Thomas 1. part. quæſt. 8. art. 1. docet, Deum 54.

Quot modis Deus eſt ubique.

eſſe in omnibus rebus, ſicut agens addens ei in quod agit, art. 2. eſſe in omni loco, ut dantem ei eſſe & virtutem locativam: atque ut omnem locum replentem, art. 3. eſſe ubique per potentiam, præſentiam, & eſſentiam, quod explicat exemplo regis, qui dicitur eſſe in toto regno, ſcilicet per ſuam potentiam, licèt non ſit ubique præſens. Per præſentiam verò ſuam dicitur aliquid eſſe in omnibus, quæ in proſpectu ipſius ſunt: ſicut omnia, quæ ſunt in aliqua domo, dicuntur eſſe præſentia alicui, qui tamen non eſt, ſecundùm ſubſtantiam ſuam, in qualibet parte domus, ſecundùm verò ſubſtantiam vel eſſentiam dicitur aliquid eſſe in loco, in quo ejus ſubſtantia habetur.

Primò itaque Deus eſt ubique per potentiam, 55.

Primò, per potentiam.

quatenus, inquit Suares tractatu de Deo libro 2. cap. 2. numero 4. virtute ſua & actione omnia continet & conſervat, & cum omnibus actu operatur. Juxta illud Hebr. 1. 3. *Portans omnia verbo virtutis*, id eſt, verbo potentiſſimo: ſic enim Hebræi ponunt pro ſubſtantivo & adjectivo ſuperlativo duo ſubſtantiva, quorum unum ſit in genitivo, ut

turris

tueris fortitudinis, id eſt, fortiſſima, ſicut jam monui. Unico verbulo & nutu Deus, velut Atlas Mundi totius, fecit omnia. Syr. vertit, אחיד *ohid*, complectens, continens, coërcens omnia velut omnipotens: & ut notat Corn. apud Syros *ahid* eſt Dei epithetum, & notat omnipotentiam, φέρων, quoque cum Eraſmo verti poteſt agens, movens, moderans, gubernans omnia, ſicut etiam creavit.

Act. 17. 28. Paulus Athenis in Areopago perorans, & Dei majeſtatem ac poteſtatem prædicans ait: *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus.* In ipſo, id eſt, primo, intra ipſum. Nam rectè Seneca epiſtola 41. Propè eſt à te Deus: tecum eſt, intus eſt. Sacer intra nos Spiritus ſedet: ita ipſe. 2. *In ipſo*, id eſt, in ejus dominio, & juriſdictione, ac regno. S. Auguſt. in prima verba Orationis Dominicæ, *Pater noſter qui es in cælis*, Matth. 6. 9. dicit, Deus eſt in ſeipſo, ſicut α & ω: in Mundo, ſicut rector & auctor. Sic Auguſt. 3. *In ipſo*, id eſt, per ipſum, ut explicat S. Cyrillus, & benè: Nam Apoſtolus confirmat tria, quæ dixerat, ℣. 25. *Cùm ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem*, (reſpirationem) *& omnia.*

56. **Secundò, per præſentiam.**

Secundò, Deus eſt ubique per præſentiam, omnia contemplando, & intuendo clariſſimè. Hebr. 4. 13. *Non eſt ulla creatura inviſibilis* (ἀφανὴς, non apparens, non tota lucida & perſpecta) *in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt* (τετραχηλισμένα. 1. Jugulata, ut reddit Theophylactus. 2. Excoriata, ut S. Chryſoſt. 3. Meliùs, in collum ſeu cervicem reclinata & reſupinata, ita ut facies omnibus aperta & conſpicua ſit: à τράχηλος, collum, cervix, ut Ribera. 4. A collo ad caudam per medium diſſecta, ita ut animalis diviſi inteſtina nudentur, & aſpicienti pateant, ut optimè exponit Gagneus. Deus enim eſt καρδιογνώστης) *oculis ejus.* In ſe creaturæ ſunt obſcuræ, & tenebroſæ, & caliginem amantes, atque inviſibiles hominibus: ſed in Dei conſpectu ſunt lucidæ & claræ: in ſe ſunt tectæ, involutæ, complicatæ: inſcrutabile eſt cor hominis: ſed in Dei oculis nuda ſunt, non tantùm in exterioribus, ſed etiam in profundo abyſſi, ut Jonas in ventre ceti. Sapient. 1. ℣. 7. *Spiritus Domini replevit Orbem terrarum.* Et apertiùs Jeremiæ 23. verſu 24. *Si occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum? Dicit Dominus*, Eccleſiaſtici 23, verſu 28. *Oculi ejus multo plus lucidiores ſuper Solem*, Græcè, *millies* Sole ſplendidiores. Syrus, *decies* millies Sole majores. Adde tu, quantum vales, eorum lucem non comprehendes. Tigurina editio, *infinitis* partibus perſpicaciores, *circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes:* nihil eſt ipſis ſecretum: quantumcunque homo cor ſuum, ut labyrinthum, involvat & implicet: & ubicunque lateat in abyſſi fundo, aut in terræ viſceribus: Deus eſt πανόπτης *omnia intuens*, ut vocatur à Sophocle in Oedip. totus eſt viſus, ut ait Plinius libro ſecundo, capite ſeptimo, eſt immutabilis mutans omnia, inviſibilis videns omnia, ſicut loquitur ſanctus Auguſtinus in ſpeculo, cap. 4. Pergit Siracides verſu 29. *Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia ſunt agnita, & poſt perfectum reſpicit omnia.* Tropologicè, Deus videt perfectos & imperfectos. Myſticum etiam eſt, quod ait Syrus, qui vertit: *Et poſt conſummationem Mundi ipſe judicat illum.* Pſalmo 138. verſu quinto ait Propheta noſter: *Ecce Domine, tu cognoviſti omnia noviſſima & antiqua*, id eſt, quæ dudum extiterunt, quæ nunc ſunt, & poſteà futura ſunt. Hinc monet S. Cyprianus de orat. Dom. ubique benè agendum, & internis animi vocibus ad Deum clamandum, non inſano fragore, cùm Deus ubique præſens, non vocis, ſed cordis auditor ſit.

Oculi ejus Sole ſunt lucidiores.

57. **Tertiò, per eſſentiam.**

Tertiò, Deus ubique eſt per eſſentiam, id eſt, ut ait Suar. per indiſtantiam eſſentiæ ſuæ ab omnibus rebus creatis, quæ vocatur *præſentia ſubſtantialis* in omnibus illis; & hæc eſt propriè, de qua agitur, cùm de immenſitate Dei & exiſtentia ejus in omnibus rebus, ſeu locis, ſermo eſt Pſalmo 138. verſu 8. *Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum*, (S. Hieronymus, ſi jacuero in inferno) *ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculo* (Chaldæus, ſi aſſumpſero *alas auroræ:* ab Oriente ſcilicet in Occidentem, momento radios diſpergens) *& habitavero in extremis maris.* (Chaldæus, in noviſſimo Occidentis: id eſt, in ultimis ejus regionibus) *Etenim* (Hebr. גַם *gam* etiam) *illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* S. Auguſtinus, & S. Proſper, deducet & adducet. S. Gaudentius Brixienſis tractatu 14. tenebit, & adducet. Ut enim ait S. Auguſtinus tomo 2. epiſtola 57. ad Dardanum: *Deus ſubſtantialiter ubique diffuſus, ſine labore regens, & ſine onere continens Mundum:* ibi de ea re ſubtiliſſimè. S. Fulgentius libro de fide ad Petrum Diaconum, cap. 3. *Ubique totus Dominus & implet & continet.* Joan. Aurelianenſis Epiſcopus libro 1. de cultu imaginum: *Deus ubique eſt, & omnia continet, & nuſquam continetur.* S. Cyrillus libro 1. Theſauri, cap. 7. *Deus eſt in omnibus, & penetrat omnia.* Vide S. Gregorium Nyſſenum orat. catech. cap. 25. S. Gregor. Naz. Apolog. 1. S. Chryſoſt. hom. 17. in Gen. Theodoretum in cap. 1. ad Eph. S. Damaſc. l. 1. c. 8.

S. Auguſt. libro 7. Confeſſ. cap. 5. egregio ſimili rem explicat: Conſtituebam, ait, in conſpectu ſpiritûs mei, univerſam creaturam: & feci *unam maſſam grandem*, diſtinctam generibus, ſanè finitam: te autem, Domine! *ex omni parte ambientem eam, & penetrantem*, ſed uſquequaque infinitum: tanquam ſi mare eſſet ubique, & undique per immenſa ſpatia infinitum ſolum mare, & haberet *intra ſe ſpongiam* quamlibet magnam, ſed finitam tamen: plena eſſet ſpongia illa ex omni parte ſua immenſo mari. Sic creaturam tuam finitam, te *infinito plenam* putabam, & dicebam: Ecce Deus, & ecce, quæ creavit Deus, & ecce, quomodo ambit & implet ea: ita ipſe.

Omnia ſunt intra Deum ſicut ſpongia in mari.

Reſpondeo ſecundò ad quæſitum, quo petebatur: Cur Deus in cœlis habitare dicatur? Hoc fieri ad augendam fidem, ſpem, & charitatem noſtram. 58.

Deus in cœlis præſertim dicitur habitare. Primò, ad fidem augendam.

Primò, ad augendam fidem noſtram, & magnam de Dei majeſtate opinionem: Nam ob excellentiam cœleſtium corporum, ob eorum lucem & eminentiam ſupra nos, pluris æſtimamus ibi poſita: quæ verò humi jacent, aut ſub terra ſunt, pedibus noſtris calcamus, & animis ſpernimus. Hinc Deus, ut oſtendat majeſtatem ſuam, ait Iſaiæ 66. ℣. 1. *Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum: quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi? Et quis eſt iſte locus quietis meæ?* Ubi S. Hieronymus ait hoc dici, ut Judæorum convincat errorem, qui putant, inviſibilem & incorporalem, & incomprehenſibilem, templo Jeruſalem poſſe concludi. Nota, ſæpè in Scriptura *Deum cæli* vocari ad diſtinctionem idolorum: & cum illis opponitur; vel cum ipſius providentia agitur. Sic Achior dux omnium filiorum Ammon, à Deo collata Hebræis beneficia recenſens Holoferni ait, Judith quinto, verſu octavo: Deſerentes ceremonias patrum ſuorum, quæ in multitudine deorum erant, unum *Deum cæli* coluerunt. Et verſu duodecimo, *fugientibus* (ab Ægypto) *Deus cæli mare aperuit.* Et verſu decimo nono de revertentibus ab idolorum cultu, ait: Dedit eis *Deus cæli* virtutem reſiſtendi. Judith in extrema Bethuliæ patriæ ſuæ calamitate orat, capite nono, verſu 17. *Deus cælorum, Creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me miſeram deprecantem, & de tua miſericordia præſumentem.* Cyrus devictâ Babylone victoriam ſuam Deo acceptam ferens, qui tam manifeſtum de eo oraculum ediderat, Iſaiæ 45. 1. ait, 1 Eſdræ 1. 2. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli.* Artaxerxes Rex etiam Perſarum Eſdram vocat ſacerdotem legis Dei cœli, 1 Eſdræ 7. 12 & 21. ad diſtinctionem legum idololatrantium populorum. Nabuchodonoſor Rex Babylonis poſt pœnæ ſeptennium ſibi & regno redditus, ait Dan. 4. 34. Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico, & glorifico *Regem cæli.* Pſ. 112. 5. *Quis ſicut Dominus noſter, qui in altis habitat?*

Deus cæli ſæpè vocatur in Scriptura.

Vocatur ſimpliciter, *cæleſtis*, ſine addito. Pſalmo 67. 15. *Dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam.* Vide ibi dicta.

In cœlo gloriæ ſuæ ſedem æternam poſuit, ut cum ſanctis ſuis dominetur. Pſal. 102. 9. *Dominus in cœlo paravit* (Hebr. הכין *hechin*, S. Hieron. ſtabilivit) *ſedem ſuam, & regnum ipſius omnibus dominabitur.* Græcè, δεσπόζει, dominatur: Nunc dominabitur. S. Joannes jubetur in cœlum aſcendere, tunc videt ibi thronum poſitum in cœlo, vide ejus deſcriptionem eximiam Apoc. 4.

59. Secundò ad ſpem excitandam.

59\. Secundò, cogitatio quòd Deus in cœlo habitet, ſpem excitat auxilii, cui nullæ gentes, populi, *reges terræ*, aut principes poſſint obſiſtere. Et eam ob rem in Pſalmo noſtro Deus dicitur in cœlo habitare, ut opponatur regibus terræ, & præ illis ejus excellentia & poteſtas videatur. Ideo Chriſtus initio orationis Dominicæ, quam jure S. Cyprianus libro de oratione vocat, Evangelii breviarium: jubet Apoſtolis, aliiſque, ut dicant: *Pater noſter, qui es in cœlis.* Rex noſter ait Pſalmo 90. 10. *Tu es Domine ſpes mea, altiſſimum poſuiſti refugium tuum*, (Hebr. מעון *maon*, domum refugii: unde Aquila vertit οἰκητήριον: Symmachus, teſte Euſebio 9. de demonſtrat. Evang. cap. 7. οἰκητήριον, Chald. domum majeſtatis. Nota, urbes refugii erant ut plurimum in loco excelſo, ut Ramoth Galaad, poterant enim facilius ab ignaris vix adiri. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Chaldæus: Plaga atque nocumentum. Nota, cœlum empyreum eſt immobile, ut docet S. Thomas 1. part. quæſt. 66. art. 3. & quæſt. 102. ad 1. ſic qui Deo cœli adhæret, ſtat cum Seraphinis ſuper ſolium ejus, Iſaiæ 6. ℣. 2. & ſuper propitiatorium arcæ, id eſt, ſuper ejus operculum, quod eſt typus humanitatis Chriſti. Exodi 25. ℣. 18. Cœlum etiam incorruptibile. 1. part. quæſt. 66. 3. ita & Sancti ſunt facti ex cedro, ut parietes templi Salomonis, & auro incruſtantur, aut ex lignis Sethim, ut altare thymiamatis, & arca, & menſa: aut potius ex materia cœleſti, quæ eſt alterius rationis à materia quatuor elementorum. 1. quæſt. 66. 2. ad 5. & 82. quæſt. 49. articulo 4. illa materia cœli non eſt potentia ad corruptionem: quia forma ejus excludit omnem privationem ab ea, ut docet idem S. Doctor 1. p. q. 9. item 10.

Urbes refugii erant in locis elevatis.

1. Judas Machabæus in Deo cœli ſperat.

Fiduciam victoriæ inde concipit Judas Machabæus, quòd Deum cœli pro ſe pugnaturum ſciat. Eâ ſpe animatus libro 1 Machabæorum 3. 18. cùm Seron. princeps exercitus Syriæ exercitum duceret, paucoſque ſuos milites trepidantes videret, ait: Facilè eſt concludi multos in manu paucorum: & non eſt differentia in conſpectu *Dei cœli* liberare in multis, & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed *de cœlo fortitudo eſt.* Eodem cœli contuitu animabatur generoſa ſeptem Machabæorum martyrum mater, eoque filium natu minimum incitabat, 2 Machabæorum 7. 27. *Fili mi, miſerere mei, quæ te in utero novem menſibus portavi, & lac triennio dedi & alui, & in ætatem iſtam perduxi. Peto nate, ut aſpicias ad cœlum, &c. Ita fiet, ut non timeas carnificem iſtum*, &c. S. Ambroſius eum ſic loquentem inducit libro 2. de Jacobo, capite 11. Tu ſolus ſuperes, fili, ſumma votorum meorum, tu poſtremus conclude gaudia mea. Miſerere mei, quæ te in utero tot menſium curriculo portavi, ne uno momento confundas ſenectutem meam, ne decolores tot fratrum tuorum trophæa, nec ſacrum eorum comitatum relinquas, ne conſortium deſeras. Te adhuc iſti expectant triumphi, *aſpice in cœlum*, unde hauſiſti ſpiritum, &c. temporales opes ſunt: perpetua corona, quæ à Deo omnipotente defertur, ita S. Ambroſius. Propheta noſter dicit, Deum in cœlis habitare, ut ardua opera impellat.

2. Mater ſeptem aliorum Machabæorum.

3. Nehemias.

Nehemias 2. Eſdr. 2. 20. cùm muros Jeruſalem reparari curans Artaxerxis regis Perſarum permiſſu, audiviſſet Sanaballat Horonitem, & Tobiam ſervum Ammanitem, & Golem Arabem, impedire tantum opus moliri, ſuos hortatus eſt ad conſtantiam: *Deus cœli ipſe nos juvat, & nos ſervi ejus ſumus: ſurgamus, & ædificemus.* Deus ſemper vincit, ut ait Trajanus Dux Valenti Imperat. In primitiva Eccleſia jubebantur orantes ſe convertere ad Orientem, unde etiamnum altaria in templis ponuntur in parte orientali. Rationem reddit ſanctus Auguſtinus libro de ſermone Domini in monte. Admonemur, inquit, *convertere nos ad Deum, hujus rei gratia orantes ad Orientem convertimur, unde cœlum ſurgit. Non tanquam Deus ibi ſit cæteras mundi partes deſerens, ſed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem ſe convertere: id eſt, ad Deum, cùm corpus ejus, quod terrenum eſt, ad corpus excellentius, id eſt, ad corpus cæleſte, convertitur.*

4. Omnes Chriſtiani.

60\. Tertiò, ad charitatem inflammandam.

60\. Tertiò denique, cogitatio quòd Deus in cœlis habitet, Charitatem inflammat, ut ex dictis patet. Addo ſanctum Chryſoſtomum, qui in Pſalm. 112. ait, Deum dici manere in cælis, ut paulatim Judæorum excitet cogitationem, & ὑψηλὴν τὴν γνώμην, *mentem allatum efficiat.* Et hom. 20. in Matth. negat ſapienter, cùm Deus in cælis eſſe dicitur, eum ibi concludi ac definiri: ſed Scripturam à terris abducere orantem, eumque ὑψηλοῖς προσηλῶσαι χωρίοις, *ſupernis affigere regionibus.*

Cœlum empyreum habet influentiam.

S. Thomas 1. parte, quæſtione 66. articulo 3. ad 2. cenſet, probabilius eſſe, quod ſicut ſupremi Angeli, qui aſſiſtunt, habent influentiam ſuper medios & ultimos, qui mittuntur, quamvis ipſi non mittantur ſecundùm Dionyſium capite octavo cœleſtis hierarch. ita cœlum empyreum habet influentiam ſuper corpora, quæ moventur, licèt ipſum non moveatur. Et propter hoc poteſt dici, quod influit *in primum cœlum*, quod movetur: non aliquid tranſiens & adveniens per motum, ſed aliquid fixum & ſtabile: putà virtutem continendi & cauſandi, vel aliquid hujuſmodi ad dignitatem pertinens, ita ibi. Peccatores maximè conveniuntur dejectis oculis mentis in inferos, ut deſcendant illuc viventes, & non deſcendant morientes: viri autem cæleſtes cœli contuitu concitantur ad actus amoris Dei: unde ſanctus Martinus in ultimo morbo illud ſemper aſpicere volebat, & ſanctus Ignatius, Fundator Societatis JEſu, in turrim quamdam domus ſæpè conſcendebat oraturus, ut libero proſpectu cælum aſpiceret: tum ubertim amoris lacrymæ fluebant ex oculis, & ex interno ardore facies accendebatur, & deſideria cæleſtia ad Deum emittebat, dicebatque: Heu quam ſordet terra, cùm cælum aſpicio! Sanctus Gregorius Nyſſenus dicit, cœli aſpectu mentem incitari, ad cæleſtia à Deo petenda. *Stultiſſimum*, inquit, *fuerit, ſi quis accedens ad Deum à ſempiterno temporaria poſtulet, à cæleſti terrena, à ſublimi humilia atque abjecta, ab eo qui regnum cælorum elargitur, & ea quæ eripi non poſſunt, ad tempus alienorum rerum uſum: quarum neceſſaria quidem ademptio, temporarius verò fructus, periculoſa adminiſtratio eſt.* Cælum, ut ait ſanctus Thomas 1. parte, quæſtione 115. articulo 3. per ſe agit in corporibus omnium inferiorum: ſed in anima & in potentiis ejus organicis, agit per accidens: in intellectu autem & voluntate, indirectè tantùm. Hoc quidem verum eſt de actione phyſica, ſed moraliter plurimum influit, ſi ſæpè aſpiciatur.

Cœli aſpectu gaudet S. Martinus & S. Ignatius.

61\. Quadruplex pœna hoſtium Chriſti.

61\. Quæres: Quantæ & quales ſint pœnæ Judæorum & aliorum Chriſto inſultantium? Reſp. quatuor hic à Propheta noſtro, ſeu potius à Chriſto ipſo, qui in toto pſalmo noſtro loquitur, aſſignantur, primò, eos animo Deus irridet. Secundò, geſtu & exteriori corporis habitu ſubſannat. Tertiò, voce irata increpat. Quartò, pœnæ inflictione turbat, ut mox cum Propheta videbimus. Nota primò catachreſim, quia Deus Pater non habet membra, ſed hæc dicuntur ἀνθρωποπαθῶς. Nota ſecundò, Deus Pater hæc faciet per Filium ſuum, præſertim in judicio extremo, ubi hæc verè accident. Nota tertiò, rectè hoc loco ſtatim poſt mentionem paſſionis Chriſti fit mentio judicii, ut etiam coram Caipha Matthæi 26. verſu 64. Marci 14. verſu 62. fecit ipſe Chriſtus. Primò, ut oſtendatur Dei Patris juſtitia, & amor erga Filium. Secundò, ut gloria Chriſti declaretur. Tertiò, ut authores necis ejus terreantur & convertantur.

Vers. 4. 2. Pars.

Primò itaque, illuſoribus illudit Deus Pater & Filius. Verſu eodem 4. IRRIDEBIT EOS. Arabs, *illudet eis.*

62\. Primò eos Deus irridet.

62\. Quadruplex tempus adverto illius irriſionis: Primò, etiam cùm ferociunt, & furiati in Jeſum inſaniunt. Aliqui vertunt, *irridet.* Et quidem Hebræi

cùm

cùm careant tempore præſenti, ſæpè exprimunt illud per tempus futurum, præſertim dum in re, quæ fit, perſeveratur, ut hic: irriſio enim illa erit diuturna, imò æterna, niſi reſipiſcant. Fremebant in Agnum innocentem Judæi; ſatellites armabant, qui eum vincirent: teſtes ſubornabant, qui calumniis obruerent: judicem ſtimulabant, qui ut reum, ut perduellem, ut blaſphemum damnaret. Sed Deus è cælo gigantes illos, vermiculos verius & puſiones deſpectos confundit linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi ſui, Geneſis 11. verſu 7. ut non ſint convenientia teſtimonia. Marci 14. verſu 56. ut à judice innocens ſæpius declaretur. Matthæi 27. Marci 15. Lucæ 23. verſu 14. Joannis 19. verſu 4. dæmon flammas furibundis ſubjicit, ſed ipſe quoque irridetur morte Chriſti proſtratus, De eo Pſalmo 103. verſu 26. *Draco iſte, quem formâſti ad illudendum ei.* Sanctus Hieronymus vertit Leviathan, id eſt, balæna: eſt autem typus dæmonis, ſibi in medio aquarum, id eſt, commotionum & agitationum, piſcentis. Ad rem noſtram facit Job capite 40. verſu 24. ubi Deus loquens de Leviathan, ſeu balæna, dicit: *Numquid illudes ei, quaſi avi?* Quod nobis percommodè exponit ſanctus Gregorius 33. Moral. 14. *Quaſi avi diabolo Dominus illuſit, dum & in Paſſione Unigeniti ſui oſtendit eſcam, ſed laqueum abſcondit.* Et poſtea ſubdit: *More avis illuſus, divinitatis ejus laqueum pertulit, dum humanitatis ejus eſcam momordit.*

1. Illo ipſo tempore quo inſaniunt.

Idem accidit impiis, cùm Chriſti membra, id eſt, pios, torquent, tunc enim ſuo ſe gladio & telo jugulant. Sanctus Baſilius in Iſaiam: *Conſilia,* inquit, *adverſus juſtos inita in caput malignè conſultantium retorquentur: ſicut & tela, quaſi in corpus ſolidum inciderint, nec cedens, ſed repercuſſivum, in ſuos jaculatores reſiliunt.* Hæc ipſe. Nam peccato lethifero ſe obſtringunt. Sanctus Auguſtinus concione 2. in Pſalmum 36. id expendit: *Tuum corpus premit adverſitas, illius animum putrefacit iniquitas. Quis damno graviore percutitur, qui amittit pecuniam, an qui amittit fidem?* Aut chaſitatem ſaltem: dicebat ſanctus Chryſoſtomus, qui loquentem Davidem inducit homilia de David & Goliath: *Ego cæleſtibus pugno*, tu terrenis dimicas: tu in lancea, ego in fide: tu in clypeo, ego in prece: ita ibi moles illa carnes dejecta eſt & proprio gladio confoſſa. Sanctus Cyrillus Alexandrinus verè: Semper, inquit, perſecutoribus Eccleſiæ conatus in caput ipſorum reciderunt, & tangunt *ſuammet pupillam.*

2. Tota reliqua vita.

Secundum tempus quo Judæi irriſi ſunt, & cæteri impii, eſt reliqua vita poſt peccatum. Sanctus Chryſoſtomus homilia 35. quæ eſt 2. in Judæos, Illos vocat, *πάντων ἀνθρώπων ἀθλιωτέρους*, *mortalium omnium miſerrimos:* eſſe quidem ramos radicis ſanctæ, ſed fractos, atque *in canes* degeneraſſe. Amos Propheta capite 5. verſu 9. agens contra Samaritas ab Aſſyriis ob peccata vaſtandos, ait: *Qui ſubridet vaſtitatem ſuper robuſtum.* Pagninus vertit: Qui roborat vaſtatorem ſuper populum robuſtum. Chaldæus & Vatablus: Qui fortificat debiles, eosque facit prævalere robuſtis & fortibus. Rad. *ſalag*, roborare, fortificare, reforillare, ut moderni explicant. Melius tamen ibi cum ſancto Hieronymo vertes: Qui ſubridet: nam etiam Aquila vertit *μειδιῶν*: eſt autem *μειδιάω* leniter rideo, ſubrideo, ut Homerus, Heſiodus, Euſtat. Heſych. exponunt: de hilaris etiam uſurpatur. Propriè, ait ſanctus Hieronymus, *μείδημα*, dicitur, quod nos ſubriſionem poſſumus appellare: quando quis iraſcitur, & apertis paululum labiis ſubridere ſe ſimulat, ut iræ oſtendat magnitudinem. *Subridet* autem Deus *vaſtitatem*, id eſt, irridendo facilè immittit, ut explicat Emmanuel Sa: videtur ludere in malis impiorum, ut Mariana. Sic Pſalmo 36. verſu 13. dicitur: *Dominus autem irridebit eum.* Dæmon ipſe, ut ait ſanctus Baſilius homilia 22. in cruce Chriſti crucifixus eſt.

3. Mortis tempore.

Tertium tempus, in quo Deus Judæos irriſit, & nunc ridet peccatores, eſt tempus mortis. Hoc in Juda ſe ſtrangulante, in Pilato ſe occidente, in tot milibus peremptis cùm Jeruſalem everſa eſt, patuit. Vide Joſephum de bello Judaico, & Baronium in Annalibus. Omnibus dicitur Proverbiorum 1. verſu 25. *Deſpexiſtis* (Hebr. thiphreu, evacuâſtis, otioſum & irritum feciſtis: Symmachus, diſſipâſtis. Septuaginta, exauctorâſtis) *omne conſilium meum & increpationes meas neglexiſtis.* Loquitur ibi ſapientia, id eſt, Chriſtus: & addit proximo verſu 26. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo,* (Hebraicè, in, *edechem*, confractione & contritione veſtra. Arabs, in exitio veſtro) *& ſubſannabo* (Septuaginta, gaudebo. Sanctus Cyprianus & Lucifer Calar. gratulabor) *cum vobis id quod timebatis, advenerit.* Hebr. פחדכם *phadechem*, pavor, horror, ſtupor veſter: id eſt, clades quæ vos ſtupefacit. Sanctus Gregorius libro 9. Moralium capite 20. Ridere Dei, inquit, *eſt humanæ nolle afflictioni miſereri*, de Antiocho Epiphane, id eſt illuſtri: ſeu potius Epimane, id eſt, rabido & furioſo habes 2 Machabæorum 9. verſu 13. *Orabat ſceleſtus Dominum, a quo non eſt miſericordiam conſecuturus.* Sic Deus inſultat Baltbaſari Regi Babylonis pereunti, & ipſi Babyloni, Iſaiæ 13. & 14. Pharaoni Regi, & Ægypto, Ezechielis 29. 30. Tyri regi quem Lucifero comparat Ezech. 28.

4. In die judicii.

Quartum denique tempus, in quo Deus irridebit peccatores, erit die extremi judicii: & de illo potiſſimùm eſt hic ſermo in Pſalmo noſtro. Sapientiæ 4. *Videbunt, & contemnent eum* (juſtum: Chriſtum ſcilicet, qui ſolus potuit dicere: Quis me arguet de peccato?) *Illos autem Dominus irridebit: & erunt* (id eſt, idcircò erunt) *poſthac decidentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum.* De die illo poteſt dici Proverbiorum 1. verſu 26. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Symmachus vertit, ridebo *in collocatione veſtra.* Cùm eritis ad lævam cum hædis, & in loco infimo: Sancti verò ad dexteram, & in thronis ſublimes. Septuaginta, in perditione.

Verſ. 4. 3. Pars. 63. Deus impios ſubſannat. Tria ſannarum genera.

Secundò; Deus non interna tantùm irriſione deſpicit impios, ſed etiam exteriore geſtu id ſignificat. Ideo addit Propheta noſter verſu eodem 4. ET DOMINUS SUBSANNABIT EOS. Ut vilia mancipia. Nota, Cornutus in Perſium, Sat. 1. tria ſannarum genera eſſe ſcribit. Primò, cùm manuum contractis digitis, & ad inferiorem partem inclinatis, Ciconia ſignificatur. Secundò, cùm auriculæ aſini efformantur. Tertiò, cum lingua in modum ſitientis canis protenditur. Sanctus Hieronymus ſannam ait eſſe irriſionem, quæ ab occipitio diſtorto ore & labiis contractis fit, anteriorum dentium oſtentatione: Hîc dicit, fieri rugata fronte, & contracto naſo. Septuaginta vertunt, ἐκμυκτηριεῖ, deducitur a μυκτὴρ, naris, naſus: Itaque propriè ſignificat naſo ſuſpendere, naſo irridere. Theodorus Antiochenus ait, μυκτηρισμὸν, eſſe ſpiritum è naribus emiſſum, in ejus contemptum, qui ſe valdè jactando fremit. Hebr. לעג *laag*, ſignificat balbutire, balbutiem fingere ad aliquem irridendum & ſubſannandum. Hinc dicitur Iſaiæ 28. verſu 11. *In loquela labii*, Hebr. in, *laage*, balbutie labii, ut vertit Forerius: in ſubſannatione labii, ut Septuaginta, *& lingua altera* (per Chaldæos victores) *loquetur* (Deus) *ad populum iſtum*, ad Judæos, qui irrident & ſubſannant Prophetas, & dicunt blæſa voce: Manda, remanda: expecta, reexpecta: modicum ibi, modicum ibi, per mimeſim verba prophetarum referentes. Nota 2. Ugo hanc diſtinctionem ponit inter irriſionem & ſannam, ſeu ſubſannationem: Riſus, inquit, vel irriſio perficitur ore: ſubſannatio verò, naſo: Irridemus cum voluptate, ſubſannamus cum ira: Irriſio eſt res leporis: ſubſannatio, indignationis animi: lepos, eſt in ore: ira, oſtenditur in naſo. Et quidem אף *aph* Hebræis eſt naſus & ira. Sed jam vidimus etiam ore fieri ſannam. Sanna enim etiam eſt riſus diſſolutus, & deriſio cum cachinno, ſicut videmus in ſannione, qui ſoluto riſu & diſtortis totius corporis partibus, immoderatam quamdam & ridiculam alios deridendi formam ſine ulla ira effingit, & aliorum mores inepto quodam geſtu per contemptum exprimit, ut ſtultus ferè videatur. Adverte etiam, apud Cratinum, ſannas fatuum ſignificare.

Multiplex ſubſannatio im-

His poſitis ſanctus Thomas Dicta in Pſalmo noſtro ſic adaptat judicio extremo, in fine mundi. Primò, Deus irridebit ſceleratos ſtatuens eos à ſini-

Pœnarum in die judicii. ſtris, Matth. 25. 33. Secundò, ſubſannabit, dicens: Eſurivi,&c. improperando, verſu 42. Tertiò, loquetur in ira ſententiam ferendo, verſ. 41. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Quartò, conturbabit, ſententiam exequendo. Ibunt hi in ſupplicium æternum, verſu 46. Subſannationem hanc impiorum per aliam catachreſim poſſis exprimere verbis Dei ipſius, Amos 2. verſu 13. *Ecce ego ſtridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno.* Primò, Deus ſtridet ſub fœno, id eſt, ſub vita & peccatis carnalium, qui nihil aliud ſunt præter fœnum. Pſalmo 128. verſu 6. Iſaiæ 37. verſu 27. & 40. 6. Michææ 4. verſu 12. R. Abraham, non eſt, ait, robur, ut feram vos: ſed gemo ſub onere: & ſanctus Gregorius 32. Moralium 6. *Sub fœni onere ſtridere, eſt pondera & iniquitates peccantium cum querela tolerare.* Unde Iſaiæ 1. verſo 14. ait Deus: *Calendas veſtras* (neomenias: id eſt, oblationes in eis fieri ſolitas) *& ſolemnitates veſtras odivit anima mea:* hoc eſt, ego; quia ſicut Deus non habet corpus, ita propriè loquendo non habet animam, ſed eſt totus anima, id eſt, perfectiſſimus ſpiritus: *facta ſunt mihi moleſta.* Septuaginta, facti eſtis mihi in ſatietatem, *laboravi ſuſtinens:* velut ſub gravi onere & maſſa plumbea. Secundò, ſtridet Deus, id eſt, ſtridere facit & gemere ſub afflictione & onere. Vide onera impoſita peccatoribus Babyloniis, Iſaiæ 13. verſu 1. Moabitis, 15. verſu 1. Syris, 17. verſu 1. Ægyptiis, 19. verſu 1. & variis populis in cap. ſeqq. de undecim illis oneribus tripolog. ſerm. habet ſanctus Bernardus. Vertit Chaldæus, coarctabo vos. Tertiò, ſtridet Deus indignans, & diras omnes nefariis cum excidio intentans, tum in hac, tum præſertim in alia vita in die judicii. Sicut plauſtrum ſtipulæ, ait ſanctus Hieronymus, vel fœni onere prægravatum, ſtridore & ſonitu longè *exululat*; ſic ego peccata veſtra ultra non ſuſtinens, & quaſi ſtipulam tradens incendio, clamabo & dicam: *Peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem ſuam, & robuſtus non ſalvabit animam ſuam:* ſunt verba Amos verſu 14. Deus enim ſtatim impios dejicit ad inferos, Arab. Alex. Ego devolvam vos, ut plauſtrum volvens: ibi, ut dicitur Matthæi 8. verſu 12. erit fletus, & *ſtridor* dentium. In illo igne cachinnis dæmonum æternis objicientur miſeri, & cum acerrimis doloribus ſine morte interibunt amiſſis divitiis ſuis, deliciis & honoribus. Amos 7. verſu 9. *Demolientur excelſa idoli:* id eſt, templa, fana atque altaria idolis (honori ſcilicet & ambitioni) dicata in montibus & collibus. Hebraicè, excelſa Iſaac, in quibus ſcilicet ad ſimilitudinem & memoriam Iſaac, qui ſe Abrahamo immolandum tradiderat in monte Moria, ipſi filios ſuos immolabant Moloc, id eſt, Saturno, atque in ejus honorem cremabant conjectos intra ſtatuam æream ardentem. Septuaginta reddunt, *excelſa riſus*, id eſt, ridenda, riſu digna Sic enim idolum Jeremiæ 10. verſu 15. dicitur, opus riſu dignum: *Vana ſunt*, inquit, *& opus riſu dignum, in tempore viſitationis ſuæ* (id eſt, punitionis divinæ) *peribunt:* Per opera intellige primò, idola ſculpta. Secundò tropologicè, vana hominum ſtudia & terrena. Peribunt hæc omnia, & ipſa excelſa atque aræ riſus: id eſt, apud quas hilaritati, riſibus, cantui, & ludo ſe dabant: ut fecerunt Iſraëlitæ in deſerto poſt adorationem vituli aurei, Exodi 32. verſu 6. *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Sed citò riſus ille in luctum verſus eſt cæſis idololatrarum viginti tribus millibus juſſu Moſis, & aureo vitulo in cineres redacto & in aquas abjecto: pergit Amos: *Et ſanctificationes Iſraël* (Septuaginta, ſacrificia. Chaldæus, ſacra: reddes aptius, ſanctuaria, id eſt, templa idolorum) *deſolabuntur.* Tropologicè, ſanctificationes Iſraël, ſunt actus hypocritarum, præſertim ſacerdotum & religioſorum: qui adhuc idola, id eſt, honores (qui verè ſunt εἴδωλα, ſimolacra, effigies, imagines, quaſi diceret, apparitiones, viſiones: non res vera & ſolida: ab εἴδω, video) colunt: atque ſub pietatis ſpecie adorant, & adorari volunt. *Et conſurgam ſuper domum Jeroboam in gladio*, id eſt, cum gladio, hoc enim Beth etiam ſignificat. Nota, Jeroboam ille non erat filius Nabat, primus rex decem tribuum creatus tempore Roboam regis Juda, ſed erat filius Joas filii Jehu. Nota ſecundò, Jeroboam ſignificare primò litigantem cum populo. Secundò, impugnantem populum. Tertiò, judicantem populum. Caveant ſibi judices, patroni, & diſceptantes, ne pauperibus ſint injurii, aut expectent gladium vindicem judicii Dei, aut in ſe aut in filiis. Jeroboam nominavit filium ſuum Zachariam, id eſt, memoriam Dei: vel, memor eſt Deus: & verè, nam occiſus eſt Zacharias à Sellum, & in eo periit prorſus ſtirps Jehu. 4 Regum 15. Deus memor eſt omnium peccatorum, & illa punit cùm eorum videtur oblitus.

Tertiò: Christus, & Deus per ipſum, in die judicii voce corporea increpabit & condemnabit ſcelera- *Verſ. 5. 1. Pars.*
tos. Verſu 5. TUNC (cùm eos irridebit & ſubſanna- 64.
bit) LOQUETUR AD EOS IN IRA SUA, ET IN FURORE *In die judicii ſpeciali ſententia condemnabuntur.*
SUO CONTURBABIT EOS. Nota, cum Suare tomo 2. in 3. partem ſancti Thomæ diſputatione 58. ſectione 10. de ſingulis hominibus particolares & proprias ſententias ferendas eſſe, quia non omnes ſunt eadem pœna afficiendi, aut remunerandi eodem præmio: ſed unusquisque pro ſuorum meritorum qualitate. Hoc ſanctus Gregorius Nyſſenus docet orat. in illud: Quod uni ex minimis meis feciſtis: ſic enim loquitur. Adhuc verſor circa ſpectaculum terribilis adventus Regis, quem deſcribit nobis Evangelium, etiam nunc animus, terrore eorum quæ dicta ſunt, *defixus pavore atque formidine* torpet, veluti cernens quodammodo tum ipſum cœlorum Regem in ſolio glorioſo terribiliter præſidentem; tum infinitas illas Angelorum legiones, Regem undique circumſtantes, atque illum magnum ac terribilem Regem ex inenarrabili gloria ad humanam naturam deſpicientem: & omne genus hominum, qui ex quo homines nati ſunt uſque ad illam terribilem apparitionem, invenientur, ad ſeſe cogentem, *& pro merito ac dignitate anteactæ vitæ, unicuique ſententiam accommodantem.* Ita Nyſſenus. Nota ſecundò, penè certum eſſe ſententias illas particulares ſingulorum hominum, non corporea, ſed mentali voce, eſſe efferendas. Nimis enim longum tempus ad hoc requireretur: & nugatur Mahometes, cùm judicio extremo aſſignat centum annorum millia. Nota tertiò, eas tamen privatas & particulares ſententias non tantùm ab iis, ad quos pertinebunt, ſed *ab omnibus qui judicio aderunt*, cognoſcendas eſſe, ut docet Suares loco citato n. 4.

His poſitis, Dico ſententiam generalem tam pro 65.
bonis: nempe, *Venite benedicti*, &c. quàm in malos, *Generalis ſententia voce corporea à Christo proferretur.*
ſcilicet: *Diſcedite à me maledicti*, &c. quæ habentur Matthæi 25. eſſe à Chriſto voce corporea proferendam. Primò, quia id poſtulat Chriſti gloria, ut qui in paſſione coram tondentibus ſe velut agnus, obmutuit, ut leo rugiat, & poteſtatem ſuam regiam & judiciariam, etiam ut homo, teſtetur. Secundò, quia hoc majori terrori & ignominiæ erit reprobis, illâ enim voce, velut fulmine & gladio flammeo ex ore Chriſti prodeunte, proſternentur. Hoc prædicetur Joëlis 2. verſu 11. *Dominus dedit* (id eſt, dabit: ſed Prophetiæ vident futura quaſi jam facta) *vocem ſuam ante faciem exercitus ſui:* ad literam, ante Chaldæos, qui à Deo in Judæam immittentur, ut eam ob ſcelera puniant. Allegoricè, ante Angelos ſanctos, & dæmones in die judicii: *Quia multa ſunt nimis caſtra ejus, quia fortia & facientia verbum ejus: magnus enim dies Domini, & terribilis valdè: & quis ſuſtinebit illum?* Locutionem etiam denotat capite 3. verſu 2. *Diſceptabo cum eis.* Hebraicè, judicio contendam. Syrus, dijudicabo eos. Id commodè exponetur de locutione & reprehenſione mentali, qua Pilato, Herodi, Caiphæ, Judæ, aliisque omnibus peccatoribus, ſua dona & eorum peccata exprobrabit; dixerat clarè ad rem noſtram: *Congregabo omnes Gentes*, ad extremum judicium, ut explicat ſanctus Hieronymus, *& deducam eas in vallem Joſaphat.* De ea ſic Adrichomius, vallis Joſa- *Vallis Joſaphat.*
phat, quæ & vallis Cedron, & vallis montium vocatur, vallis eſt lata & profunda, inter Jeroſalem & montem Oliveti interjecta, totam ab Oriente cingens urbem, quam torrens Cedron tranſiens ſuis

aquis

aquis egregiè fœcundat. In hac valle pii ac religioſi Reges Juda, Aſa, Ezechias, & Joſias templi combuſſerunt idola, eorumque cineres in torrentem Cedron projecerunt. Hæc vallis communis totius civitatis erat cœmeterium, ubi vulgus & ignobiles ſepeliebantur: extra urbem enim Judæis ſepeliri mos erat, ibique nunc Turcæ ſepeliuntur. In hac quoque valle die illa cunctis mortalibus tremenda, omnes undique homines ad extremum judicium ſunt congregandi, ut à Chriſto Judice recipiant debita pro meritis præmia quiſque ſuis. Unde & vallis conciſionis appellatur, quòd ibi mali à bonis ſeparabuntur, ita ipſe: in valle Joſaphat futurum in fine Mundi judicium ex hoc loco omnes probant: Joſaphat ſignificat *Dei*, ſeu Domini, *judicium*: à יה *iah* Deus, & שפט *ſaphat*, judicium: itaque ſunt, qui ut nomen appellativum ſumant, & dicant, incertum omninò eſſe, ubi ſit illa vallis Joſaphat, ſed malè: quia decet, ut ibi Chriſtus glorioſus & judex appareat, ubi viſus eſt reus & noviſſimus virorum, & Angeli poſt Aſcenſionem Chriſti, aſpicientibus Apoſtolis, dixerunt, eum ſic venturum, quemadmodum viderant eum euntem in cœlum: erant autem in monte Oliveti, qui adjacet valli Joſaphat. Sed hoc non concludit. Senſus tamen penè omnium Patrum, futurum judicium in dicta valle Joſaphat. Vide Suarem tomo 2. in tertiam partem, diſputatione 53. ſectione 3. ubi ait, à parte præcipua diei vallem Joſaphat: nam alia etiam vicina, ut montem olivetum, montem Sion, aliaque loca occupabunt corpora damnatorum, quæ vel ſtabunt, & jacebunt in terra: Sancti verò, erunt ſublimes in aëre. Movet me non parùm idem Joël Propheta capite 3. verſu 16. *Dominus de Sion rugiet, & de Jeruſalem dabit vocem ſuam, & movebuntur cœli & terra*: quia primo terra abſorbebit reprobos, & cœlum ſinu ſuo exultanti excipiet Sanctos, ut explicat Lyranus: Secundò, cœli, id eſt, homines cœleſtes; movebuntur gaudio audita pro ſe lata ſententia: & terra, id eſt, terreni homines, movebuntur ira, furore, deſperatione, triſtitia inexplicabili, accepta ſententia damnationis, ut Remigius & Haymo exponunt. Præcedentia etiam de Solis & Lunæ obtenebratione, & ſtellarum lumine deficiente, non poſſunt explicari commodè, niſi de die judicii etiam ad literam: lege totum caput, expende, & trepida.

Joſaphat etymon.

66\. Iram Chriſti in judicio flammantem Propheta noſter declarat in fine Pſalmi noſtri: *Cùm exarſerit in brevi ira ejus*, &c. Vide ibi dicta. Nunc de ira verbis declarata tantùm eſt ſermo, ait enim: *Tunc loquetur ad eos* (& ſingulos, & omnes) *in ira ſua*. Exprimi poteſt triplici ſymbolo ira illa. Primò, ignis ex ore Chriſti prodeuntis, ſicut de Henoch & Elia, reſiſtentibus Antichriſto, dicitur, Apocalypſis 11. verſo 5. Si quis voluerit nocere eis, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum. De Chriſto autem habes Pſalmo 17. verſu 9. *Aſcendit fumus in ira ejus*, (ex naribus erumpens.) *Ignis à facie ejus exarſit*. Sanctus Hieronymus, ignis *ex ore* ejus devorans, Symm. ἐκ ϛόματος, *carbones ſuccenſi ſunt ab eo*: fulmina & tonitrua.

Iræ Chriſti in die judicii, tria ſymbola.
1. Ignis ex ore prodiens.

67\. Secundum ſymbolum iræ Chriſti improbos arguentis & condemnantis eſt gladius flammeus ex ejus ore exiens. Apocalypſis 19. verſu 15. *De ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus*. Deſcribit ibi Chriſtum equo albo vectum, oculis flammantibus, diadematis multis ſpectabilem, veſtitum veſte aſperſa ſanguine, &c. gladio autem dicitur percuſſurus Gentes, id eſt, Antichriſtianos, & omnes reprobos.

2. Gladius item ex ore egrediens.

68\. Tertium ſymbolum iræ Chriſti loquentis in judicio eſt fremitus leonis, ſeu leo fremens. Nam, ut dicitur Proverbiorum 19. verſu 12. *Sicut fremitus* (Arias, rugitus) *Leonis: ita & Regis ira*. Et Chriſto ſpeciatim rugitum de Sione & de Jeruſalem tribuit Joëlis 3. verſu 16. ut jam dixi, & Amos primo, verſu ſecundo, ſic incipit prophetiam ſuam: *Dominus de Sion rugiet, & de Jeruſalem dabit vocem ſuam*. Quid inde conſequens: *Et luxerunt ſpecioſa paſtorum*. id eſt, paſcua, prata, agri: per hæc intellige deliciis deditos, qui in die judicii lugebunt: *Et exſiccatus eſt vertex Carmeli*: erat mons fertiliſſimus, in quo Nabal, id eſt, ſtultus, habitavit tempore Davidis: ad eum tamen alludi non arbitror: ſed per verticem Carmeli, intelligi divites, nobiles, principes ac reges terræ, qui in die judicii præ trepidatione & horrore areſcent & contabeſcent. Apud Hebræos שפה *ſapha*, cum puncto in ſiniſtro cornu ſignificat labium, linguam, ſermonem: in dextro autem, conterere, contundere, frangere. Vel unico verbo Deus hoſtes conterit: leo fremitu exterret omnia animalia, deinde in ea inſilit, Oſeæ 5. verſu 14. *Ego quaſi Leæna Ephraim*, ait Deus, *& quaſi catulus leonis domui Juda: Ego ego capiam & vadam: tollam, & non eſt qui eruat*. Nota שחל *ſahal*, Leonem & Leænam ſignificat: unde hîc & Jobi 4. verſu 10. Sanctus Hieronymus Leænam vertit. Pagninus verò leonem. Septuaginta & Arias hîc pantheram: Pſalmo 91. 13. noſter interpres reddit, aſpidem. Significat denique quamlibet ſævam & efferatam beſtiam. Ut, ſicut ait S. Hieronymus, quicquid ſævum in beſtiis eſt, hoc *in Dei indignatione* cognoſcas. Nihil panthere velocius, nihil leone fortius. In panthere velox per Aſſyrios regni Samariæ ſignificatur interitus: & in leone fortiſſimum contra Jeruſalem & Judam aliquanto poſt tempore oſtenditur regnum Chaldæorum, &c. *Ut fiat Deus, quaſi panther, vertatur in leonem, mutetur in beſtias*. Sic ipſe. Oſeas verò cap. 13. 7. eamdem ſimilitudinem magis dilatat: *Ego ero eis quaſi leæna, ſicut pardus in via Aſſyriorum*, quando captivi ducentur ad Aſſyrios per deſertum inter Judæam & Aſſyriam interjacens, in quo ſunt pardi, ſeu pantheræ; *Occurram eis quaſi urſa* (S. Iſidor. Pel. lib. 3. epiſt. 267. ſicut urſa anxia) *raptis catulis, & dirumpam interiora jecoris eorum*. Hebraicè, לב *leb*, cor, per ſynecdochen accipitur pro omnibus interioribus, id eſt, jecore, præcordiis, & aliis viſceribus. Leo Hebræus vertit, lacerabo pertinax cor eorum, *& conſumam eos ibi* (1. In corde, ut explicat Arias: ubi cruris eos conſumam & doloribus. 2. In via Aſſyriorum, ut S. Hier.) *ſicut leo: beſtia agri ſcindet eos*: Hoc eſt Aſſyrii, qui decem tribus duxerunt in captivitatem. Nota, hæc captivitas figurat captivitatem inferorum: quia nunquam ſoluta eſt, ex quo Salmanaſar Rex Aſſyrius Iſraëlitas abduxit: in inferno autem nulla eſt redemptio: captivitas verò Judæorum in Babylone per 70. annos figurare poteſt purgatorium: Romana autem per Titum inferos: quia durabit ſemper. Iſaias etiam 31. 4. dicit, Deum deſcenſurum inſtar leonis rugientis. Amos denique c. 3. 4. inſtar leonis rugientis, & prædam rapientis.

3. Fremens & rugiens leo.

69\. Quartò, Deus & Chriſtus in die judicii terrore percellent impios, verſ. eodem 5. *Et in furore ſuo conturbabit eos*. Primò, nubibus igneis, tonitribus, fulgetris, & fulmine. 2. Angelorum & Sanctorum in ipſos iratorum exercitu. 3. Judicis irati conſpectu. 4. Voce terrifica. 5. Conſcientiæ propriæ contemplatione, aliiſque multis. Sanctus Bernardus in Pſalmum 90. generatim loquitur: *Quid*, ait, *tam pavendum, quid tam plenum anxietatis & vehementiſſima ſollicitudinis excogitari poteſt, quàm judicandum aſtare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare ſub tam diſtricto Judice ſententiam?* Et in feſto beatæ Mariæ Magdalenæ: Qui hæc, ait, diutiùs cogitans non ſtatim contremiſcat, & in *deſperationis* toretur abyſſum: Vox Hebraica בהל *bahal*, quæ hîc uſurpatur, propriè ſignificat, ſubitò terrore percelli: licèt enim diem judicii credant ſcelerati, tam multa tamen inexpectata ſentient, & tam acerba, ut prorſus velut improviſa illis futura ſint. Præſertim Reges terræ & principes, qui in Chriſtum aſtiterunt & convenerunt, conturbabuntur. Apocalypſis ſextò, verſu decimo quinto: *Reges terræ, & principes*, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium: & dicent montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, *ab ira Agni*: quoniam venit dies magnus *iræ ipſorum* (contra ipſos. Græcè eſt αὐτοῦ, ejus: nempe Agni) & quis poterit ſtare? Vide dicta Pſalmo primo, verſu quinto. Ideò non *reſurgent*

Variis modis Deus percellet impios in judicio.
1.
2.
3.
4.
5.
Ira Agni.

(Hebraicè יקמו *iakumu*, ſtabunt, ut vertit Arias) impii in judicio, &c.

Ira leonis. Si ira agni ſuſtineri non poteſt, quis iram rugientis leonis feret? Amos 3. verſu 8. *Leo rugiet, quis non timebit?* Ariſtoteles & Plinius advertunt, leonem bis rugire: Primò, cùm fame premitur, & prædam conſpicit: Secundò, cùm illam capit. Trepidationem impiorum notat Oſeas ad leonis rugitum capite 11. 10. *Quaſi leo rugiet* (Dominus) *quia ipſe rugiet, & formidabunt filii maris:* Id eſt 1. inſulani. 2. Populi occidentales: quia, cùm mare mediterraneum ſit occidentale Judææ, ſæpè in ſcripturis mare ponitur pro Occidente. 3. Tropologicè, filii maris, ſunt peccatores tempeſtatibus paſſionum agitati. Iſaiæ 57. verſu 20. *Impii quaſi mare fervens.* Hebr. נגרש *nigras*, agitatum, concitatum, impulſum: tum paſſionum, tum calamitatum ventis. Vatablus reddit, impii Euripi inſtar fremunt: per fluctus reciprocos fortunæ variæ, addit Iſaias, *quod quieſcere non poteſt.* Euripus etiam vento non agitante huc illuc fluctuat: ſi ventus & turbo advenerit, quid fiet? *Formidabunt.* Hebraicè יחרדו *ieherdu*, trepidabunt, trement, expaveſcent, concutientur: denotat commotionem externam ex metu, & cura, ac ſolicitudine: toto corpore in judicio trement mali: de Incarnatione & prædicatione Chriſti, per ſeipſum & per Apoſtolos S. Hieron. explicat, & benè: ad rem tamen noſtram accommodari aliquatenus poteſt.

Oſtendet ſua vulnera Chriſtus. Apertiùs Zachariæ duodecimo, verſu decimò: *Aſpicient ad me, quem confixerunt*, (Septuaginta, cùm inſultârunt, legerant *rakadu*: nunc eſt דקרו *dakaru*, confixerunt, fixerunt, transfoderunt: in cruce ſcilicet) *& plangent eum planctu, quaſi ſuper unigenitum.* Primo, ſanctus Hieronymus, & ſanctus Cyrillus cenſent agi de Chriſto in cruce transfixo, cui pii compatiebantur. Secundò, Suareſ tomo 2. in 3. partem, diſputatione 57. ſectione 9. numero 2. Sanctus Auguſtinus libro 20. de civitate Dei capite 30. Toler. Joann. 19. numero 37. Remigius & Lyranus in Zach. id etiam ad literam de die judicii explicant, atque inde probant ſtigmata & inſignia crucifixionis videnda tunc in Chriſti corpore; ſic Apocalypſis 1. verſu 7. dicitur: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*; qui transfixerunt eum in paſſione, atque nunc in membris ſuis crucifigunt. Chriſti vulnera tunc omnibus manifeſta fore, docent etiam ſanctus Ignatius epiſtola ad Smyrnenſes. Sanctus Hieronymus ad Heliod. S. Chryſoſtomus homilia de cruce & latrone. S. Cyprianus ſermone de Aſcenſione. Videbuntur autem glorioſa, & mira luce coruſcantia, ſed cum ſummo terrore impiorum, ut noctuarum in tanto ſplendore caligantium, & irati ſententiam expectantium.

Tonitru eſt vox ejus. Cùm enim verè Job dixerit cap. 26. 11. *Columnæ cæli* (id eſt, Angeli, ut S. Gregorius & S. Thomas exponunt) *contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus.* Hebr. ad increpationem ejus: qua ſcilicet non ipſos Angelos, ſed eos, quorum curam geſſerunt, increpat: quid accidet ipſis reis? Itaque, eleganter hunc terrorem ob Dei reprehendentis & condemnantis vocem oſtendit verſu 14. *Cùm vix parvam ſtillam ſermonis* (ſuſurrum verborum, Symmachus) *ejus audierimus: quis poterit tonitruum magnitudinis* (Hebr. tonitru fortitudinum) *illius intueri?* id eſt, cogitare, expendere: vel, audire, percipere. Nam, cùm viſus ſit omnium ſenſuum præſtantiſſimus, de omni ſenſu ab Hebræis uſurpatur. Stilla porrò ſermonum ſunt primò, minæ prophetarum clades terrenas & judicium etiam extremum intentantium: ſic Amos 7. 16. arguit Amaſiam ſacerdotem idolorum in Bethel ſibi dicentem: *Non ſtillabis ſuper domum idoli*, id eſt, non intentabis minas, quòd citò ſit deſtruenda. Secundò, ſtilla ſermonum, ſunt reprehenſiones Chriſti, cùm in terris viveret: guttatim enim, & ſenſim, atque ſuaviter peccatores arguebat, ut corda dura excavaret, & fœcunda redderet. Tonitru verò eſt ſententia decretoria in die judicii. S. Leo ſermone de paſſione conſiderans Chriſtum, cùm invaderetur in horto montis Oliveti à militum & ſatellitum cohorte, & ſe inquirentibus dixiſſet: *Ego ſum*, ſtatim omnes in terram dejeciſſe, exclamat: *Dominus dicit, Ego ſum, & ad vocem ejus turba proſternitur impiorum. Quid jam poterit majeſtas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas judicanda?* Et S. Gregorius libro 17. Moralium capite 21. *Quis ejus iram toleret, cujus & ipſa non potuit manſuetudo tolerari?* Cùm quærerent magi, ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum, turbatus eſt Herodes & omnis Jeroſolyma cum illo: Matth. 2. 3. cùm in illo adventu dicat Angelus paſtoribus, Luc. 2. 10. *Nolite timere.* Ecce enim evangelizo vobis *gaudium magnum*, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie *Salvator*, qui eſt Chriſtus Dominus in civitate David. Veniet verò tunc Judex & terribilis, præſertim divitibus, & potentibus. Michææ 1. 3. *Ecce Dominus egredietur de loco ſuo*, (è cœlo, vel, à ſolita ſua benignitate) *& deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ*, (optimates Samariæ per Salmanaſar: & divites peccatores, per dæmones) *& conſumentur*, Hebr. *namaſſu*, (hoc eſt, colliqueſcent & diſſolventur) *montes ſubtus eum*, (nobiles & potentes, qui cæteris eminent) *& valles* (pauperes & puſillanimes) *ſcindentur ſicut cera à facie ignis.* (Sept. tabeſcent) *& ſicut aquæ, quæ decurrunt in præceps.*

Amos 5. 16. fusè diem illum horrificum deſcribit. Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum Dominator: *In omnibus plateis* (in cunctis vicis, Arias) *planctus. & in cunctis, quæ foris ſunt, dicetur væ, væ! & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos, qui ſciunt plangere. Et in omnibus vineis erit planctus, quia pertranſibo in medio tui, dicit Dominus. Væ deſiderantibus diem Domini*, (ſpernentibus Prophetas, qui annuncient cladem & excidium regni Iſraël per Salmanaſar. Allegoricè, diem judicii) *ad quid eam vobis?* Supple, deſideratis: *dies Domini iſta, tenebræ, & non lux. Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei urſus; & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber.* Leo fuit Iſraëlitis Phul Rex Aſſyriorum, qui ſupplicibus pepercit, *Phul.* imò & auxilium promiſit Manahem regi danti ſibi mille talenta argenti 4 Regum 15. verſu 19. Urſus fuit Teglathphalaſar etiam Rex Aſſyriorum, qui *Teglathphalaſar.* tempore Phacee regis cepit Aion, & Abel Domum, Maacha & Janoe, & Cedes, & Aſor, & Galaad, & Galilæam, & univerſam terram Nephthali: & tranſtulit eos in Aſſyrios, 4 Regum 15. 29. Coluber deinque fuit Salmanaſar, item Aſſyriorum Rex, *Salmanaſar.* qui anno nono Oſeæ Regis Iſraël, & ſexto Ezechiæ Regis Juda, cepit Samariam urbem regiam ſitam in monte Somer, & inde dictam, & totum regnum occupavit, & ejus incolas tranſtulit in Aſſyriam: poſuitque eos in Hala & in Habor juxta fluvium Gozan in civitatibus Medorum, 4 Regum 17. verſu 6. Allegoricè. Chriſtus eſt leo in reſurrectione: 70.
urſus in judicio: coluber, eſt dæmon in inferno. *Chriſtus eſt leo & urſus.* S. Hieronymus ait, dæmonum eſſe leonem in hac vita, urſum in morte, colubrem in gehenna: ibi enim damnatos mordet, & cruciat ut aſpis. De Deo dicitur Threnorum 3. 10. *Urſus inſidians factus eſt mihi, leo in abſconditis:* (urſus ſignificat ſævitiam in laniando & devorando: leo autem, animum invictum, terrorem & fortitudinem) *Semitas meas ſubvertit*, (Chaldæus, ſpinis ſepſit) *confregit me, poſuit me deſolatam:* in captivitate Babylonis, id eſt, confuſionis. Verè infernus eſt Babylon, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat: infernum quoque poſſis dicere eſſe civitatem Medorum, id eſt, menſurantium; quia ibi dicitur: Quantum fuit in deliciis, tantum date illi tormenti. Apocal. 18. 7. Ibi ſunt Hala & Habor civitates. Primò, *Hala* *Hala.* ſignificat 1. Dolorem, cruciatum, formidinem, angorem, Rad. הול *hol*, angi, dolere, cruciari, cadere, formidare, parturire. 2. Vulnus & occiſionem, ab הלל *halal*, vulnerare, occidere. Infernus enim eſt mors æterna. 3. Pollutionem, ab חלל *hillel*, polluere. 4. Infirmitatem, morbum, ægrotationem, ab הלה *hala*, ægrotavit, infirmatus eſt. Secundò, *Habor*, incarnationem, conjunctionem, congre-

Habar. congregationem ſignificat. Rad. חבר *habar*, congregare, colligere, incantare. Tertio, ibi eſt fluvius *Gozan*, qui ſignificat exciſionem, avulſionem, extractionem, tonſionem, Pſ. 48. 15. *Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Vide ibi dicta; tondet ibi impios dæmon, & omnibus divitiis, deliciis & honoribus nodatos torquet, & ſemper flagellat. Gozan deducitur à גוז *guz*, excidere, avellere, tondere: vel à גזז *gazaz* ejuſdem ſignificationis. *Gozan.*

Conclude, & dic impiis cum Oſea cap. 9. 5. *Quid facietis in die ſolemni, in die feſtivitatis Domini?* Cùm explicant S. Hieron. Albertus, Haymo, Clarius, vos puniam captivitate, paupertate, gladio: & facietis perenne feſtum & ſolemnitatem vindictæ meæ. Sic Iſaias 34. 6. *Victima Domini in Boſra,* (erat Idumææ metropolis: ſignificat vindemiam, aurum, munitionem, exciſionem: Væ vobis divitibus! dicebat Chriſtus) *& interfectio magna in terra Edom,* (per Chaldæos: id eſt, dæmones) *& deſcendent* (in inferos) *unicornes & tauri cum potentibus,* (Idumæi: id eſt, ſanguinarii. 1. Superbi unicornes, in ſuo tantùm cornu & robore confiſi. 2. Tauri luxurioſi, qui ſunt, Pſalm. 67. 31. congregatio taurorum in vaccis populorum. 3. Divites avari ſanguinem pauperis ſugentes) *quia dies ultionis Domini, annus retributionis judicii Sion:* id eſt, contra Sion, ut dicit S. Hier. S. Cyr. S. Thom. Caveant ſibi, qui ſpeculandis divinis ſunt ex officio obligati: Vel meliùs, pro Sione contra Idumæos: qui ſanguine ſibi illuſtri applaudunt, videant, ne ſacerdotes & pauperes Deo vacantes conterant, judicem cœleſtem cogitent. Audiant S. Laur. Juſt. opuſc. de contemptu Mundi. *Quamobrem revolvat peccator quilibet interdum intra ſe, quid in illo acturus eſt judicio, quantuſque erit pavor, cùm deſuper iratus erit Judex, ſubtus inferni patens chaos, coram poſiti teſtes Angeli, dæmonia accuſantia, manifeſta ſcelera in libris conſcientiarum compendioſiſſimè ſcripta elementaque turbata? Nam ſicut latere nemini erit poſſibile: ita damnandis apparere intolerabile. Equidem tunc evacuabuntur principatus ſæculi, poteſtates populorum, & omne, quod altum atque decorum eſt: quoniam de ſolis operibus ſingulorum diſceptatio fiet.* 71. Terror impiorum multiplex in die judicii. Aptiſſimè punitioni Boſræ, quæ ſonat vindemiam, adjice locum, Apoc. 14. 19. Et miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram: & vindemiavit *vineam terræ, & miſit in lacum iræ Dei magnum: Et calcatus eſt lacus extra civitatem, & exivit ſanguis de lacu uſque ad frænos equorum per ſtadia mille ſexcenta.* Hoc de inferis explicant Viegas, Leſſius, Cornelius, & alii. Eadem comparatione uſus eſt Joël c. 3. 13.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

Duo continet. Primò, deſcribit Regem Chriſtum. Verſ. 6. ad 10. Secundò, oſtendit, quales eſſe debeant ejus ſubditi. Verſ. 10. uſque ad finem.

PARAPHRASIS.

6. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus: prædicans præceptum ejus.

6. Non tantùm amorem erga me ſuum Pater æternus oſtendit, quòd hoſtes meos contriverit: ſed longè magis, quòd me totius Orbis, ac præcipuè Eccleſiæ ſuæ ſanctæ Regem conſtituerit, & ſanciendæ promulgandæque legis Evangelicæ poteſtatem dederit.

7. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te.

7. Ipſe Angelorum hominumque Dominus, Filium me ſuum eſſe ſibi æqualem & coæternam prædicat; ab ipſa æternitate genitum ſecundùm divinitatem, & novo quodam modo in Incarnatione productum, & in Reſurrectione glorificatum ſecundùm Humanitatem.

8. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ.

8. Quin etiam invitavit me, ut in hæreditatem nationes omnes, ad ultimos uſque Orbis limites, mihi depoſcerem, eaſque ſe mihi daturum eſt pollicitus, quod & præſtitit.

9. Reges eos in virga ferrea: & tanquam vas figuli confringes eos.

9. Tantamque mihi in eas conceſſit poteſtatem, ut ego trepidos forti virgâ tueri valeam, & rebelles vaſis inſtar figulini conterere.

10. Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui judicatis terram.

10. Nunc itaque Orbis univerſi Reges & judices Regiam Majeſtatem meam mente percipite, & totis viribus contendite, ut legem meam perſpectam & cognitam habeatis.

11. Servite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.

11. Mihi Domino veſtro populorumque omnium, debitum cultum, & reverentiam exhibete: & ob gloriam meam & conceſſa vobis dona cœleſtia exultate; ſed cum tremore, de actionibus omnibus rationem reddituri.

12. Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus: & pereatis de via juſta.

12. Magno affectu ſuſcipite, complectimini, & firmiter retinete doctrinam meam: ne fortè tandem juſta in vos ira propter obſtinationem excandeſcam, velut in ſervos pervicaces: ſicque à recta juſtorum in cœlum via in æternum excidatis.

13. Cùm exarſerit in brevi ira ejus: beati omnes, qui confidunt in eo.

13. Cùm in die extremi judicii, qui opinione veſtrâ citiùs accidet, ira Dei exarſerit, beati erunt omnes, qui ſpretis Mundi illecebris & vanitatibus ſpem in Deo ſuam reponunt, & virtutes ſibi comparant, quibus ad ſperata præmia perveniant.

QUÆSTIO UNICA.

Qualis & quantus Rex Chriſtus, & quales ſubditos ſuos requirit?

Poſtquam Chriſtus, qui in toto hoc Pſalmo loquitur, oſtendit hoſtium ſuorum furorem, verſu 1. & 2. eorumque conatus irritos, ac punitionem, verſ. 3. 4. & 5. Nunc oſtendit.

72. Chriſtus eſt Primò, quanta ſit gloria à Patre æterno ſublimatus, quod ad ſex titulos revocat. Primò, quòd ſit Rex ab eo Orbi datus, verſ. 6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum ejus.* Secundò, quòd ſit legiſlator Evangelicæ legis, Ibid. *Prædicans præceptum ejus.* Tertiò, quòd Filius Dei, verſ. 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quartò, quòd Hæres bonorum divinorum, verſ. 8. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Quintò, quòd Paſtor hominum, verſ. 9. *Reges eos in virga ferrea.* Sextò, quòd Judex Orbis univerſi, ibid. *Et tanquam vas figuli confringes eos.* 1. *Rex.* 2. *Legiſlator.* 3. *Filius Dei.* 4. *Hæres Dei.* 5. *Paſtor hominum.*

Secundò,

Chriſtus 6. à ſervis ſuis requirit.

Secundò, Sex quoque è ſervis ſuis poſtulat. Primò, ut intelligant. 2. Ut erudiantur. 3. Ut ſerviant in timore. 4. Ut exultent cum tremore. 5. Ut apprehendant diſciplinam. 6. Ut in ſe confidant. Hæc autem perſpicuitatis gratiâ ad quatuor revoco.

4. Præſertim à regibus & judicibus petit.

Primò itaque, ſubdiit Chriſto Reges & judices intellectum ſuum ſapientiâ exornent, verſ. 10. *Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui judicatis terram,*

Secundò, voluptatem ſuam timore filiali ei ſubjiciant, verſ. 11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

Tertiò, cognitioni & amori opus addant, explendo totam ejus legem, verſ. 12. *Apprehendite diſciplinam: ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta.*

Quintò, illius bonitate, & bonorum operum ſuorum conſcientiâ fieri, in eo fiduciam ſuam collocet, verſ. 13. *Cùm exarſerit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo.*

ARTICULUS I.

Chriſtus eſt Rex totius Orbis.

Verſ. 6. 1. Pars.
74. Quis loquitur.

PRiuſquam de ſubditis agatur, de Rege videndum eſt, cum Propheta noſtro, verſ. 6. EGO AUTEM CONSTITUTUS SUM REX AB EO SUPER SION MONTEM SANCTUM EJUS, PRÆDICANS PRÆCEPTUM EJUS. Quæres primò: Quis hæc loquatur? Reſpondet Lorinus, Davidem loqui, ait enim, hæc de ipſo explicari poſſe, ſed de Chriſto præcipuè. Meliùs tamen cum S. Hier. S. Cyrillo, Origene, & aliis, ſoli Chriſto hæc tribuemus: quomodo enim de Davide verum erit? Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me? &c.

75. Chriſtus Rex Eccleſiæ ſemper fuit. Quia Summus Sacerdos. Habens poteſtatem excellentiæ. Majorem regiâ, ob quatuor.

Quæres ſecundò: An Chriſtus fuerit Rex ſpiritualis totius Eccleſiæ? Reſpondeo fuiſſe, ob ſummum ſuum Sacerdotium; Et præcipuè de hac poteſtate agi in hoc verſu. Primò, quòd dicatur Rex ſuper Sion montem ſanctum: eſt enim Figura Eccleſiæ. De Sion vide dicta, Pſ. 86. 1. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*, &c. ubi etiam de Eccl. & Pſ. 47. toto, atque variis locis. Secundò, quòd dicatur, prædicans præceptum ejus. Habuit itaque Chriſtus, ut homo, *ſupernaturalem quondam poteſtatem excellentiæ*, ut loquitur Suarez tom. 2. in 3. p. diſ. 47. in univerſam Eccleſiam, quæ meritò regia appellatur, cùm plurimis modis ſuperet omnium temporalium regum poteſtatem & dignitatem. Primò, in fine ejus, qui cœleſtis eſt, & ſempiternus. Secundò, in amplitudine, quia non ſolùm terram univerſam, ſed etiam cœlum ipſum amplectitur. Tertiò, quia non temporalis eſt & caduca, ſed æterna. Quartò, non ſolùm corporibus, ſed etiam animis dominatur, eorumque utilitatem & ſanctitatem præcipuè efficit: unde ad hunc finem cæteras res omnes ſibi ſubjectas habet. Nota, actus

Actus 4. illius poteſtatis.

hujus ſupereminentis poteſtatis ſunt. 1. Eccleſiam conſtituere. 2. Sacramenta ordinare, iiſque vim dare ſanctificandi. 3. Poteſtatem dare ad remiſſionem peccatorum, & tribunal ſtatuere, in quo ſedeant judices, qui in foro animæ etiam de internis judicent. 4. Eoſque certis verbis, vel externis ſignis, à peccatis abſolvere, & animas ſanctificare, cùm vellet. Nulli prorſus unquam tanta poteſtas eſt communicata.

76. Probatur Chriſti poteſtas regia ſpiritualis. Ex Propheta Ezechiele.

Illa poteſtas regia ſpiritualis probatur ex Scripturis, Ezech. 21. 26. *Aufer cidarim*, (cidaris erat tegumentum capitis, quo Perſarum reges peculiariter utebantur, albis maculis in cærulei coloris faſcia intermicantibus: ad alios etiam Reges traducitur hæc appellatio. 2. Pontifex Hebræorum cidari utebatur, in qua Dei nomen erat inſcriptum, Exod. 28. 4. & 36. Sumi itaque poteſt cidaris metonymicè & pro ſacerdotio, & pro regno, quæ erant à Judæis auferenda: unde additur, *tolle coronam. Nonne*
2. *hæc eſt* (corona) *quæ humilem ſublevavit?* Jechoniam in captivitate Babylonica, ubi poſt 37. annos captivitatis ab Euilmerodach filio Nabuchodonoſoris honoratus eſt, & regio habitu ac coronâ donatus: *& ſublimem humiliavit*, vel eundem Jechoniam ſeu Joachin: vel Sedeciam Regem Judæorum ultimum, quibus ipſa corona regia fuit cauſa ruinæ dejectionis. Ille enim poſt tres menſes regni abductus eſt in Babylonem juſſu Nabuchodonoſoris, hic poſt undecim regni annos excæcatus cæſis priùs ante ejus oculos liberis, eſt captivus etiam in Babylonem traductus; pergit verſ. 27. *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam*; id eſt, patiar eam coronam ab iniquiſſimis & alienigenis regibus poſſideri: & primò ab Herode Aſcalonita vitiis omnibus cooperto, deinde ab aliis: *Et hoc non factum eſt: donec veniret*, (non fiet, donec veniat) *cujus eſt judicium*, (qui eſt ſupremus totius Orbis Judex) & *tradam ei* Coronam illam; Itaque locus hic tam de regno Chriſti temporali, quàm de ſpirituali, exponi poteſt. Non placet autem Pintus, qui, eam cujus eſt judicium, explicat de Nabuchodonoſore, qui evertit Jeruſalem: neque Polychronius, qui exponit de Zorobabel, ejus urbis & templi reparatore.

Locus pulcherrimus eſt de poteſtate ſpirituali Chriſti, Ezech. 34. 23. *Suſcitabo ſuper eas* (oves, id eſt, fideles) *paſtorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David:* Chriſtum ſcilicet, cujus pater & figura erat David: ipſe verò eſt verus David, id eſt, amans & amabilis דוד *dod, amor*. Nota *dod*; & *David* non differre ullo modo in literis ſeu conſonantibus, ſunt enim eædem in utraque voce hebraica, nempe duplex *daleth*, & unum *vau:* imò nec in ipſo puncto eſt ulla diverſitas, niſi quòd punctulum, ſi ſuperponatur *vau*, fit דוד *dod*, amor; ſi verò ponatur infra *vau*, fit דוד *David*, & hinc figurat, quòd cùm Verbum divinum in cœlis amore Dei Patris & ipſorum hominum arderet, ut eum declararet nobis, homo factus eſt, & infra omnes ſe demiſit: unde hic vocatur *ſervus* ob aſſumptam humanitatem, Philipp. 2. 6. *Qui cùm in forma Dei eſſet* (cùm eſſet Deus; forma enim ibi ſignificat naturam & eſſentiam: unde Dei forma, eſt divinitas & Deus ipſe) *non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo.* Patri vides omnia excelſa & ſublimia: vide ut illa pro nobis abjecerit, *ſed ſemetipſum exinanivit*, (inanivit, exhauſit, ut vertit Tertullianus) *formam ſervi accipiens.* Vide Suar. 3. p. tom. 1. diſp. 44. ſect. 1. 2.

David Chriſti ſi humiliantis typus.

Pergit Ezechiel: *Ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem*, dupliciter erit paſtor, & in anima, *& in corpore.* 2. *In hac, & alia vita.* 3. Ut Deus, & ut homo. 4. Et Judæorum & Gentilium: fiet enim unum ovile, & unus paſtor. *Ego autem Dominus ero eis in Deum*, (& in Deum Patrem, & amatorem) *& ſervus meus David princeps in medio eorum*, (cor eorum conſervans, regens, nutriens) *Ego Dominus locutus ſum, & faciam cum eis pactum pacis:* pacificum, novum teſtamentum, quod non tantùm commendet pacem, ſed eam det. *Et ceſſare faciam beſtias peſſimas* (id eſt, vitia, & hominum malorum ac dæmonum poteſtatem) *de terra. Et qui habitant in deſerto*, (religioſi) *ſecuri dormient* (ſomno contemplationis) *in ſaltibus*, in ſylvis, & montibus. *Ponam eos in circuitu collis mei* (Sionis, id eſt, Eccleſiæ. Chald. templi) *benedictionem:* religioſi ſunt benedictio; Primò paſſivè, quia benedicuntur à Deo: Secundò activè, quia ipſi debent eſſe fons benedictionum per orationes ſuas & mortificationes, toti corpori Eccleſiæ: *Deducam imbrem in tempore ſuo: pluviæ benedictionis erunt:* conciones & Sacramenta. Lege cætera, quæ ſunt ſuaviſſima. S. Benedicto, & ejus filiis, hoc aptè applicari poſſit.

Probatur etiam ex Daniele.

De regno etiam ſpirituali Chriſti agit Daniel, ubi c. 2. deſcriptâ illâ admirabili ſtatuâ aureâ, argenteâ, æreâ & ferreâ Nabuchodonoſor Regis Babyloniorum, quâ ſignificabantur quatuor imperia, nempe Babylonicum, quod tunc florebat (nam Aſſyrium ad Babylonios perfectè tranſtulerat ipſe Nabuchodonoſor, factus Aſiæ monarcha anno Mundi 3452. everſâ Ninive, imperii Babylon. ann. 119.) Perſicum, Græcum, & Romanum, ait, lapidem de monte abſciſſum totam illam ſtatuam in pulvere redegiſſe, quod ſic explicat verſ. 44. *In diebus autem*

regnorum

regnorum illorum (adhuc ſtante Romano imperio temporali, ſub Auguſto) *ſuſcitabit Deus cœli regnum*, (& Deus cœli, & cœli regnum, ſi latinas voces ſpectemus: ſed hebraicæ non patiuntur cœli, referri ad regnum, ſed tantùm ad Deum: eſt enim in ſtatu abſoluto, & non in regimine) *quod in æternum non diſſipabitur* (itaque non eſt temporale, ſed ſpirituale) *& regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet univerſa regna hæc*, (ſunt enim ad finem converſi Babylonii, Perſæ, Græci, ac Romani) *& ipſum ſtabit in æternum*, hîc inchoatè per gratiam, & in cœlo perfectè & conſummatè per gloriam. Verſ. 45. Adaptat viſioni in hunc modum: *Secundum quod vidiſti, quod de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus.* 1. De monte, id eſt, populo Judaico, qui veluti mons eminebat inter omnes Orbis nationes, ut ait S. Auguſt. tract. 9. in Joann. erat enim cœlo propior, & lucem cœleſtem uberiùs recipiebat. 2. De monte, id eſt, de B. Virgine, quæ erat mons ob eminentiam, & ſtabilitatem virtutum, atque ob theſaurum in ejus viſceribus contentum; inde abſciſſus eſt lapis ſine manibus, hoc eſt, ſine operatione viri, ut S. Iren. explicat lib. 3. S. Juſtin. in Tryph. S. Epiph. de Laud. Virg. S. Auguſt. tract. jam citato. S. Hier. ad Euſtoch. de cuſt. virg. cap. 22. aliique, *& comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum:* Imperia illa quatuor: Nam capite aureo figuratur Imperium Babylonicum: argento pectore & brachiis, Perſicum: ventre & femoribus æreis, Græcum: tibiis ferreis, & pedibus partim ferreis, partim fictilibus, Roman. Nota, in omnibus illis regnis viguit ambitio, quæ figuratur capite aureo, & pectore argenteo & brachiis. 2. Luxuria, in ventre ac femoribus æreis repræſentata. 3. Avaritia, in tibiis ferreis, & pedibus ferreis atque fictilibus, id eſt, terrenis ſeu teſtaceis, oſtenſa. Hæc enim omnia Chriſtus peſſumdedit, væ inclamans ambientibus primas cathedras in ſynagogis, & honorem inanem quærentibus, ac divitibus, & luxurioſis; ac vexillum virginitatis, humilitatis, atque paupertatis, erigens. Si plura cupis de regno ſpirituali Chriſti, adjice locum pulcherrimum Dan. 9. 24. *Septuaginta hebdomades* (annorum ſcilicet, id eſt, 490. anni) *abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum*, abbreviatæ, ut Beda & Perer. explicant, quòd eſſent annorum non ſolarium, ſed lunarium, qui ſunt breviores diebus undecim: 2. meliùs, abbreviatæ: id eſt, breves, paucæ: & ut Sept. vertunt *conciſa:* poterat enim Deus longè plures ſtatuere: ſi æternitatem ſpectes, quid ſunt 490. anni, cùm ante Deum mille anni ſint tanquam dies heſterna, quæ præteriit? *Et ſuper urbem ſanctam tuam* (Sionem) *ut conſummetur prævaricatio.* (Tertull. lib. contra Judæos legit, quoadusque inveteretur delictum; S. Chryſoſt. orat. 2. in Jud. & Euſebius lib. 8. demonſt. Senſum eſſe volunt, donec Chriſtus occidatur, quod eſt ſummum ſcelus, & prævaricatio conſummata: vel meliùs, Senſus eſt, donec per Chriſtum peccata Mundi tollantur, & abolea ntur: itaque additur ad explicationem, *finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna*, hoc eſt, Evangelium, quod docet implere omnem juſtitiam, Matth. 3. 15. ut exponit Pintus. 2. Juſtitia ſempiterna (ſeu, ut eſt Hebr. juſtitia ſæculorum, hoc eſt, omnium hominum omnibus ſæculis viventium) eſt Chriſtus. 3. Meliùs, Juſtitia ſempiterna, eſt ſanctificatio hominum, quâ jus acquirunt ad æternam hæreditatem, ut Deum in cœlis per totam æternitatem colant, & poſſideant per amorem, viſionem, & immenſum gaudium: *adimpleatur viſio & prophetia*, Hebr. ad ſignandum, ſeu ſigillandum prophetiam. Res autem perfectæ ſolent ſigillari, ut panni, aliaque: ſed præſertim diplomata, literæ, teſtamenta. Hinc à Tertull. in Jud. Chriſtus dicitur, ſignaculum omnium Prophetarum, *& ungatur Sanctus Sanctorum*, id eſt, Sanctiſſimus, Hebr. *Kodes Kodaſim*, id eſt, ſanctitas ſanctitatum. Arab. puritas puritatum. Sanctiſſimus autem ille καθ' ἐξοχὴν, eſt Meſſias ſeu Chriſtus, id eſt, unctus, 1. Unione hypoſtaticâ. 2. Gratiâ pleniſſimâ, ita ut in omnes exundet. Nam in ſummum

Lapis evertens ſtatuam auream.

Pontificem, Regem, Prophetam, Doctorem, Legiſlatorem, & Orbis univerſi Redemptorem inunctus eſt. Nota, hæ ſeptuaginta hebdomades annorum, id eſt, anni 490. ſunt inchoandæ ab anno Mundi 3596. Sextæ ætatis 80. Artaxerxis 7. Imperii Perſici 80. Eſdræ 2. Eliaſibi Pontificis 7. Olympiad. 80. ann. 3. Urbis conditæ 295. ab hoc enim anno uſque ad Chriſti mortem fluxerunt anni 490. Salianus vult anno 20. Artaxerxis incepiſſe, & agi de annis lunaribus, ſed id verum non arbitror.

De regno Chriſti ſpirituali vide prætereà Zachar. 9. ℣. 9. Jerem. 31. 33. & 33. 15. Iſaiæ 11. 2. & 42. 1. & 49. 6. & 61. 1. Hunc Deus Pater gloriâ & honore coronat, Pſ. 8. 6. id eſt, ex omni parte cingit, & conſtituit eum ſuper opera manuum ſuarum. Hebr. habent, dominari eum facies. In Pſalmo noſtro dicit ipſe: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo.* S. Hieronymus vertit: Ego autem ordinavi Regem meum. Felix conſtitui. Cajet. præfeci. Eugub. declaravi. Chald. evexi. Aquila, V. & VI. editio διεσωσάμην, incolumem præſtiti. Symmach. ἔχρισα, unxi, legunt, נסכתי, *naſacthi*, ſed Sept. legerant *niſachti* in Niphal, ſignificat, conſtitutus ſum, ordinatus ſum, ſicut habes, Prov. 8. 23. Et ideò vertetunt κατεστάθην, conſtitutus ſum: ſic etiam Arabs vertit, & benè. Loquitur enim ipſe Chriſtus, non eſt Deus Pater, ut patet ex verſu ſeq. Dominus dixit ad me, &c.

Probatur denique ex variis Prophetis.

Quæres tertiò: An Chriſtus jure hæreditario ac merè humano fuerit Rex temporalis Judæorum? Reſpondent aliqui, fuiſſe: illudque jus ex duplici capite deſumunt. Primò, Armacanus lib. 4. de quæſtionibus Armenorum cap. 15. & 16. ait, Chriſtum fuiſſe Judæorum Regem temporalem, quia B. Virgo rectâ lineâ ex familia David deſcendebat: cùmque deeſſet maſculus, debuiſſe in regnum ſuccedere: neque enim fœmina debebat excludi ab hæreditate privata, num. 27. & 39. ergò, ut infert, neque à regia. Sed primò, vivebat S. Joſeph, qui rectâ lineâ per Salomonem deſcendebat à David, ut patet Matth. 1. 16. Secondò, probabiliùs eſt, paternam lineam Virginis fuiſſe à David per Nathan, ut ait Suar. in 3. p. 77.

Chriſtum fuiſſe Regem temporalem Judæorum Armacanus putat. Quia erat Mariæ Filius.

Secundò, Franciſcus Lucas, & Cornel. à Lapide in Matt. cenſent, Chriſtum fuiſſe Regem temporalem Judæorum poſt mortem S. Joſeph, qui fuit pater ejus matrimonialis. Si enim jure communi in hæreditatem parentum ſuccedunt filii, qui duntaxet per publicam famam cenſentur filii: item illi, qui à parentibus adoptantur, quantò magis Chriſtus ſucceſſit Joſepho patri ſuo: utpotè natus ex ejus conjuge, virtute & dono Spiritûs S. Quare, ſicut Joſephus habebat in Chriſtum jus paternum, putà omnia jura, quæ habent patres in filios: ſic viciſſim Chriſtus habebat erga Joſephum jus filiale: ſcilicet omnia jura, quæ habent filii reſpectu parentum. Sed fundamentum hujus ſententiæ non poteſt probari; nempe, jus hæreditarium regni Judaici ad S. Joſephum deveniſſe: Quis enim ſcit, an eſſet maximus natu inter fratres? Aut an pater, avus, aliique majores ejus eſſent natu maximi aut primogeniti inter ſuos? Quòd itaque dicitur Chriſtus conſtitutus Rex *ſuper Sion*, per Sionem intellige Eccleſiam, in qua fuit Rex ſpiritualis. ita que cenſet Suar. 3. p. q. 22. diſp. 48. ſect. 1. nullum jus humanum, ſeu hæreditarium Chriſto fuiſſe ad regnum temporale Judæorum. Illum conſule.

2. Franc. Lucas, quia erat filius Joſeph.

Quæres quartò: Utrum Chriſtus habuerit abſolutum & directum dominium, ac poteſtatem, in Orbis univerſi regna omnia temporalia, adeò ut poſſet illa regere, moderari, aut mutare pro voluntate? Reſp. habuiſſe, ſicque fuiſſe Regem & Dominum temporalem regnorum omnium. Hæc enim dignitas & poteſtas decebat Filium Dei, illique debebatur propter unionem hypoſtaticam. In ea opinione eſt S. Thom. lib. 1. de regim. principum cap. 22. & ſeqq. S. Antonin. 3. p. tit. 3. c. 2. Almain. lib. de poteſtate Eccleſ. cap. 8. Turrecrem. lib. 2. Summæ Eccleſ. cap. 116. Navarr. in cap. Novit. de judiciis, notab. 3. n. 8. & ſeq. & n. 130. 78.

Chriſtus habuit directum dominium temporale in totum Orbem.

Probatur primò, Prov. 8. 15. ubi de ſapientia, *Probat. 1.*

id

id eſt, de Chriſto, habetur: *Per me Reges regnant, & legum conditores* (Vatablus, conſiliarii. Chald. potentes Sept. dynaſtæ. Hebr. principes) *juſta decernunt.* Ac verſ. 16. *Per me principes imperant, & potentes* (Chald. judices juſti) *decernunt juſtitiam.*

Secundò. Secundò, Apoc. 1. 5. dicitur *Princeps Regum terræ.* Et cap. 19. 16. *Habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.* Ita Saporem Regem Perſarum, communi ipſis elogio, vocat Julius Capitolinus, cap. 24. Regem regum. Quòd autem dicitur in veſtimento, & in femore ſcriptum fuiſſe eum titulum, putat primò Cornel. à Lapide, eſſe Hendiadym, ſenſumque eſſe, q. d. in veſtimento femoris, ſive tegente femora, aut in femore veſtito. Secundò, ſimpliciùs & veriùs, Senſus eſt, q. d. tam in veſte, id eſt, in regio paludamento, quàm in ipſo Chriſti femore, fuiſſe viſam illam inſcriptionem in illa viſione imaginaria, *Rex regum, & Dominus dominantium.* Nomen porrò hoc in femore ſcribitur, ut, 1. Denotetur Chriſtum, quà Deus eſt, ſuâptè naturâ regnare, ut ait Maldonatus in Matth. 27. 11. per femur enim natura denotatur. 2. Et meliùs, ut Verbi Incarnatio ſignificetur, ſicut docet S. Greg. hom. 15. in Ezech. cùm enim femur, ut ait Valla lib. 4. partes anteriores & exteriores coxæ ſignificet: ſicut femen interiores & poſteriores, ipſas genitales partes complectitur, atque eſt generationis & hieroglyphicum & cauſa.

Tertiò. Tertiò: Pſalm. 8. 6 *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis*, (Hebr. מאלהים *me elohim*, à Deo, ut S. Hieronymus vertit, ſed meliùs Septuag. ab Angelis; hoc enim etiam ſignificat elohim: imò & principes & judices, qui imperium, dominium, & gubernationem Dei participant, ſic vocantur, Pſal. 81. 1. Minuitur autem Chriſtus præ Angelis, ob humanam naturam aſſumptam; ſed, ut eſt Hebr. *meat*, id eſt, parum: ſive reſpectu temporis: unde Syr. reddit *pauliſper*, vel, *parvo tempore*: ſive reſpectu diſtantiæ, intervalli, aut quantitatis rei, in qua minuitur, q. d. in parva re, in parva quantitate, infra illos minuitur. Græcè βραχύτι. Nam in multis Angelos ſuperat, nempe in unione cum perſona Verbi, in ſapientia, gratia, virtutibus & gloria. Pergit David, *gloriâ & honore coronâſti eum*; id eſt, primò, coronam ei gloriæ, quam meruit, dediſti. Secundò meliùs, copioſâ gloriâ eum circumcinxiſti & vallâſti ex omni parte, omnes illi ſubjiciens, & Regem omnium hominum & Angelorum conſtituens, *& conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Hebr. dominari eum feciſti ſuper, &c. dominum ſtatuiſti totius Mundi, *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, ſub humilitate Incarnationis, & explicat ſanctus Anſelmus: *Oves & boves univerſas*, &c. nec enim Chriſtus eſt tantùm Rex hominum, ſed etiam Dominus omnium creaturarum, iis utens ad libitum. Hunc locum ipſi tribuit S. Paulus Hebr. 2. onde non licet de ejus ſenſu dubitare.

Quartò. Quartò: Matth. 28. 18. Chriſtus in monte Oliveti Diſcipulos ſuos alloquens, antequam in cœlum aſcenderet, eos mox relicturus, ut iis animos adderet, ait: *Data eſt Mihi* (ſoli, etiam quà homo ſum, ut ait S. Cyrillus, & S. Greg. Nyſſen.) *omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Itaque Reges omnes ſunt velut mei vicarii: non quòd non ſint veri domini, ſed quòd à mea voluntate pendeant, & poſſim eos conſervare, tollere, augere, & minuere pro arbitrio. Sic S. Thomas lib. de regim. princip. vocat Auguſtum Cæſarem, *Chriſti vicarium.*

79. *Triplex genus dominii.* Nota, triplex eſt dominium. Primò, divinum, quod directè cadit in res omnes etiam quoad deſtructionem, & conſervationem: illud cùm ſit ab omni alio independens, eſt prorſus incommunicabile. Secundò, eſt dominium merè humanum, quale videmus in regibus & principibus. Tertiò, eſt dominium aliud inter illa duo medium, quod, ut ait Suarez, creatum quidem ſit, ſub divino exiſtens & ab illo pendens, & in creata voluntate & libertate fundatum; excellens tamen, ac ſuperans omnia dominia & regna humana. Primùm, in origine, cùm à Deo manet, & non ab hominibus. Deinde in ejus firmitate & ſtabilitate, quòd non ſit caducum, ſed ſtabile & æternum. Tertiò, in materia ſeu objecto, quòd ad res omnes creatas ſe extendat, etiam ad Angelos, & ad omnem uſum tam naturalem, quam ſupernaturalem. Hoc autem genus dominii medii poſſibile eſſe, non videtur poſſe dubitari, cùm nullam in ſe repugnantiam involvat. Et Deus, qui eſt ſupremus omnium Dominus, poſſit ſui dominii participationem, prout voluerit, communicare. Hoc autem eſſe Chriſto communicatum probat dignitas unionis hypoſtaticæ, & jam dicta ſuprà.

Quæres quintò: Quandonam inceperit illud Chriſti regnum? Nota, Si Divinitatem ſpectes, Chriſtus eſt Rex ab æterno. Non enim tantum dicitur Pſ. 28. 10. *Sedebit Dominus Rex in æternum:* ſed etiam Prov. 8. 23. *Ab æterno ordinata ſum, &c.* ibi loquitur increata Sapientia, id eſt, Verbum divinum: vocatur etiam, Sap. 7. 7a. *Candor lucis æternæ.* Pſal. 109. 3. ait illi Pater æternus, *ex utero ante Luciferum*, id eſt, ante ſtellam auroræ prævium, *genui te.* Vide illum locum. Itaque jure vocatur à ſancto Joanne, Apoc. 15. 3. *Rex ſæculorum*, tam futurorum, quàm præcedentium. Nota 2. Si humanitatem ſpectes, Chriſtum eſſe conſtitutum Regem in tempore à Deo Patre, & hoc dicit Propheta noſter: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus.* 80. *Chriſtus ut Deus, eſt Rex ab æterno.*

81. *Chriſtus ut homo fuit Rex ab ipſa Conceptione.* Dico itaque primò, Chriſtum ab ipſa Conceptione Regem fuiſſe totius Orbis, & habuiſſe illud excellens dominium, de quo dixi, ſuper omnes creaturas. Ratio eſt, quia hoc illi competit propter unionem hypoſtaticam: itaque, ſtatim illa poſita reſultavit jus in omnia, & Chriſtus eo uti poterat, cùm haberet uſum rationis perfectiſſimum, omnique gloria & honore eſſet coronatus: Unde ſtatim eum adoraverunt Angeli, ut Regem ſuum, & ipſe eorum obſequium ſibi præſtitum ſuſcepit, Hebr. 1. 6. *Cùm iterùm introducit Primogenitum in Orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus.* S. Chryſoſt. & S. Ambroſ. in eum locum, ac S. Cyrill. lib. de fide ad reginas, dicunt, Chriſtum, quà Deus eſt, primò introductum fuiſſe in Orbem per æternam generationem: Nam ſtatim, ac genitus eſt à Patre, ſpatia omnia implevit, in quibus poſteà Orbis eſt creatus: nempe, cœlum, terram, & in eis contenta. Iterùm verò, id eſt, ſecundò, per Incarnationem, cùm in utero Virginis conceptus eſt, fuiſſe in Orbem introductum.

Pſal. 109. 3. *Tecum principium* (principatus, ut legit S. Chryſoſt.) *in die virtutis tuæ*, fortitudinis, ut S. Hieron. vertit: Sept. δυνάμεως, poteſtatis, roboris. Incarnationis diem hîc denotari cenſent Genebr. & Lorin. Tunc enim Deus fecit potentiam in brachio ſuo, Luc. 1. 51. Regem enim potentiſſimum conſtituit. Ut enim ait S. Cyr. lib. 3. in Joan. cap. 2. qui cum Deo Patre ſemper regnat, Regem ſe conſtitutum fatetur. Homo enim factus, cui regnare naturaliter non eſt proprium, regnum accipere dicitur, quod naturaliter ut Deus ſemper habet, ita ipſe. S. verò Chryſoſt. in pſal. 109. locum cit. dicit: *Quid eſt, tecum principatus? In te, ait, eſt principatus, qui non poſteà acceſſit, ſed in te eſt perpetuò. Hoc eſt, in ipſo, ἐν αὐτῷ αὐτῷ, ἐν τῇ φύσει αὐτῷ, in ſubſtantia ejus, in natura ejus.* Poteſt S. Chryſoſt. etiam de ipſo Conceptionis puncto exponi, ſubdit enim: *Ipſe habuit principatum in natura, in ſubſtantia; ut qui non eam acceperit, poſtquam fuit genitus, nec extrinſecùs importatam aut adventitiam poſſederit, ſed ita ſit genitus. Et ideò de regno interrogatus dicebat, Joan. 18. 37. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in Mundum.*

82. *Variis modis reges creantur. Darius. Changius. Piaſtus.* Quare non equi hinnitu, ut Darius in Perſide: non ſomno, ut Changius faber ferrarius in Tartaria: non ob liberalitatem: ut in Polonia Piaſtus antea agello colendo & mellificio vitam ſuſtentans: non adoptione, aut tyrannide, aut jure belli, aut electione, aut jure humano parentum, ut innumeri: ſed à principiis ſibi intrinſecis, & à natura habet Chriſtus, ut ſit Rex hominum & Angelorum omnium.

Sa-

Sapor creatur Rex, antequam naſcatur. Sapor Perſarum Rex in utero materno creatus eſt, ipſo utero coronato. Cùm enim magi prædixiſſent reginam gravidam parituram eſſe maſculum, & peritiam ſuam in prædictione alia probâſſent, de principum & magnatum conſenſu ventri ejus corona eſt impoſita, & rex acclamatus, qui necdum erat natus. At verò, ante ipſam Chriſti Conceptionem ait Deiparæ Gabriel Angelus, Luc. 1.32. *Dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Domus Jacob, ut ait Beda, eſt Eccleſia. In ea regnat nunc Chriſtus per gratiam, & in cœlo regnabit per gloriam: *& regni ejus non erit finis.* In conceptione unctus eſt, & conſecratus Rex, Pſal. 44. 8. *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*, præ participibus tuis, ut S. Hier. id eſt, ſociis, ut Symm. vertit. Unctionem autem illam primò, de gratia unionis hypoſtaticæ exponunt S. Greg. Naz. S. Juſtin. in Tryph. S. Cyrill. Alex. & alii. Secundò, de gratia ſanctificante, S. Athan. orat. 2. contra Arianos: De gratia capitis, quæ eſt eadem realiter cum ſanctificante, & differt ratione, quòd propter eminentiam ſuam ad alios derivetur, poſſis explicare. Nota, ungi ſolebant reges & ſummi ſacerdotes Judæorum: qua de re aliàs fuſiùs dicetur, Pſal. 19. ſect. 2. articulo primo.

83. *Semper fuit Rex Chriſtus, & id oſtendit: Primò, in Nativitate.* Dico ſecundò: In nativitate, vita, paſſione, aliquos illius regiæ dignitatis radios Chriſtus oſtendit: in Aſcenſione autem fuit & in judicio extremo, & tota æternitate exiſtet lux perfecta & conſummata.

Ac primò: Regem ſe Chriſtus in ipſa nativitate oſtendit, cùm & devolantes ex aula cœleſti principes accivit, & ex Judaica ſtirpe paſtores, & ex gentilitia ſuperſtitione Reges, qui ſuum illi tributum honoris deferrent. Neque in anima ſibi defuerunt, cùm ſtella, quæ, ut canit Prudentius in hymno Epiph. *Solis rotam* vincebat & lumine, in Oriente apparuerit, & radiis clarioribus ac longioribus verſus Judæam extenſis, oraculum Balaam atque Sibillarum in memoriam revocavit tribus Regibus Magis, id eſt, ſapientibus. Illi verò ſtatim itineri ſeſe accingentes, ubi Jeroſolymam ſunt ingreſſi, clamaverunt, Matth. 2. verſ. 2. *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?* Id eſt, qui naturâ & nativitate eſt Rex Judæorum, imò & totius Orbis, ut ſuprà dixi. Ubi verò ſtella ſtante, inſtar ſatellitis & ſervi, ſupra locum, ubi erat puer, *intrantes domum*, (id eſt, hoſpitium aliquod, ad quod ex ſtabulo diverterant Deipara, & S. Joſephus, ut cenſet S. Epiph. hær. 51. vel ſtabulum, ut S. Aug. ſerm. 1. & 2. Epiph. S. Juſtin. in Tryphon. S. Chryſoſt. S. Greg. Nyſſ. S. Thom. 3. p. q. 32. & Suar. tom. 2. in 3. p. d. 14. ſect. 4. *Intrantes invenerunt Puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum.* Arab. Procideruntt eum adorando. Non requirunt Macedonum chlamydem, ut Aſſyriorum tiaram, aut Romanorum trabeam, Numidarum candidam in fronte vittam, Siculorum purpuream veſtem, reliquorum principum apparatum, ut Regem agnoſcant & venerentur: ſed in ipſo ſtabulo adorant. Hinc S. Bern. ſerm. 1. de Epiph. ſic eos alloquitur: *Quid facitis ò Magi? quid facitis? Latentem Puerum adoratis, in tugurio vili, in vilibus pannis. Ergone Deus eſt iſte? Deus certè in templo ſancto ſuo, Deus in cœlo ſedes ejus, & vos eum quæritis in vili ſtabulo, in matris gremio? Quid facitis, quòd & aurum offertis? Ergò Rex eſt iſte? Et ubi aula regia, ubi curia regalis frequentia? Numquid aula eſt ſtabulum, thronus præſepium, curia frequentia Joſeph & Maria? Non illis ſordet ſtabulum, non pannis offenduntur, non ſcandalizantur lactentis infantiâ. procedunt: venerantur, ut Regem, adorant, ut Deum.* In ſuis muneribus teſtabantur ſe agnoſcere eum Regem: ſinguli enim triplex munus obtulerunt: nempe aurum, thus & myrrham, ut S. Ambroſ. S. Greg. S. Anſelmus, Abulenſis, & alii docent: auro autem Regem eſſe declarabat, ut S. Leo, S. Ambr. lib. 2. in Luc. Juvencus presbyter, cæterique tradunt. Unus S. Leo ſufficiat ſerm. 1. in Epiph. Adorant, ait, in carne Verbum, in infantia ſapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum majeſtatis, utque ſacramentum fidei ſuæ intelligentiæque manifeſtent, quod cordibus credunt, muneribus proteſtantur. Thus Deo, myrrham homini, *aurum offerunt Regi*, ſcienter divinam humanamque naturam in unitate venerantes: quia, quod erat in ſubſtantia proprium, non erat in perſona diverſum, ita S. Leo. Aurum eſt regni ſymbolum, quia inter metalla primum locum tenet, ſuo ſplendore inter illa emicat. Plato lib. 3. de Republ. *Deus*, inquit, *formans omnes, qui inter nos apti ſunt ad imperandum, aurum in ipſorum generatione miſcuit: ideò ſunt honoratiſſimi: eorum autem ſubſidiariis, argentum: agricolis verò & ſimilibus, ferrum atque æs.* Suetonius in Auguſto c. 94. ait: Julium Marathum ſcriptis prodidiſſe, ante paucos, quàm Auguſtus naſceretur, menſes prodigium Romæ factum publicè, quo denunciabatur regem populo Romano naturam parturire. Senatum exterritum cenſuiſſe: ne quis illo anno genitus educaretur, ſed hoc fuiſſe impeditum. Longè plura ante Chriſti ortum, & oracula Prophetarum ac Sibyllarum, & prodigia, Orbi Regem parari declaraverunt, de his agemus ſuo loco. Niceph. Call. lib. 1. hiſtor. cap. 17. aſſerit, ipſum Auguſtum Cæſarem Romæ in Capitolio aram maximam exſtrui curaviſſe cum hac epigr. *Ara primogeniti Dei*, quòd à Pythio Apolline efficaciam Chriſti his verbis expreſſam accepiſſet:

Me puer Hebræus, divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub orcum.
Aris ergò dehinc tacitus abſcedito noſtris.

Secundò: In vita, operibus ſe ſuis Regem Chriſtus probavit. Apocal. 19. 16. Qui habet in veſti- 84. *Secundò, in vita.*
mento ſuo, & in femore ſcriptum: Rex regum & Dominus dominantium: quod S. Ambroſ. expendens, ait: *Habet in femore ſcriptum, quòd ipſe ſit Rex regum: quia in operibus, quæ in carne poſitus geſſit, cognitum eſt eum eſſe verum Dei Filium.* Univerſæ creaturæ eum Regem ac Dominum ſuum agnoverunt, eique obedierunt, Deus enim Pater illi omnia ſubdidit, Matt. 8. 27. *Venti & mare obediunt ei.* S. Gregorius hom. 10. in Evangelia, probat, omnia illi obediviſſe: *Omnia elementa*, inquit, *Auctorem ſuum veniſſe teſtata ſunt: Deum hunc cœli eſſe cognoverunt, quia protinus ſtellam miſerunt. Mare cognovit, quia ſub plantis ejus ſe calcabile præbuit. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis ſuæ radios abſcondit. Saxa & parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus ſciſſa ſunt. Infernus agnovit, quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit. Et tamen hunc, quem Dominum inſenſibilia elementa ſenſibilia, adhuc infidelium Judæorum corda Deum eſſe minimè cognoſcunt, & duriora ſaxis ſcindi ad pœnitendum nolunt.* Etſi Deum pauci agnoverunt, Regem tamen multi facere voluerunt. Joan. 6. 15. Meſſiam ſcilicet, ut ait Cornel. quem Judæi putabant daturum ſibi copiam frumenti, vini, olei, auri & argenti. Tunc quinque panes hordeaceos & duos piſces multiplicans quinque virorum millia verſ. 10. paverat: adde mulieres ac parvulos, quantus erit numerus?

Specimen quoddam regiæ ſuæ dignitatis præbuit in ingreſſu Jeroſolymæ urbis regiæ, cùm totus populus portis effuſus cum ramis palmarum obviam ei proceſſit, & laudes ejus decantavit, ut, ſicut ait S. Matthæus cap. 21. 5. impleretur, quod dictum eſt per Prophetam Zachariam: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus, &c. Verba Zach. cap. 9. ℣. 9. ſunt: *Exulta ſatis* Hebr. מאד *meod*, valdè. Chald. vehementer, *filia Sion*, (urbs Sion: urbes puellæ vocantur, & ut puellæ pinguntur) *exulta filia Jeruſalem. Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator.* Hebr. נושע *noſa*, ſalute plenus, ſalute circumdatus. Non enim eſt una ex literis Heemanticis, & in hoc loco eſt formativa nominis: ſicut in Nemrod, quod à *morad* deducitur: & Neptali à *phatal.* Malè aliqui ſumpſerunt hîc noſa, pro Benoni, id eſt, participio in conjungatione Niphal, & ſignificare volunt ſalva-

rum: eſt enim Chriſtus Salvator, nec ipſe eget ſalvatore, qui alios ſalvat. In oblatione palmarum poſſis conſiderare, Judæos fateri Chriſtum Regem eſſe victoriarum Authorem.

85. Tertiò, in paſſione. Tertiò: In ipſa Paſſione, Rex eſt ſæpiùs proclamatus. Primò, à Pilato Judææ Præſide, qui cùm audiret inclamantes, Crucifige, crucifige eum, ait Joan. 19. 15. *Regem veſtrum crucifigam?* Milites poſt flagellationem exuentes JEſum, *chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Chlamys propriè eſt veſtis militaris, pallio brevior, multò ac ſtrictior *une cape:* militis igitur alicujus detrita chlamys injecta eſt humeris Chriſti, quæ, quia erat coccinea, ſpeciem aliquam regis referebat, ſed theatralis & deridendi. S. Marcus & S. Joannes purpuram vocant: vel, quia color coccineus & purpureus ſæpè confunduntur ob ſimilitudinem: vel quia erat hæc chlamys dibapha, hoc eſt, bis tincta: primò, cruore purpuræ piſcis: ſecundò, cocco, id eſt, grano ex arbuſcula illici ſimili, vel ex rubenti gramine, naſcente: Chlamyde autem, ut ait Plut. in Eumene, nulla veſtis fuit regalior apud Macedones: atque, ut dicit Caſſiodor. lib. 2. epiſt. 2. purpuræ color regnantem diſcernit, dum conſpicuum facit, ne de aſpectu Principis poſſit errari. Itaque ſapienter S. Cyrill. lib. 12 in Joan. cap. 15. ait: *Per purpuream veſtem regnum totius Mundi, quod per fidem Chriſtus accepturus erat, ſignificatum fuiſſe volunt.* In corona quoque ſpinea capiti ejus impoſita idem repræſentatur, verſ. 29. & Matt. 15. 17. & ſeq. Joan. 19. 2. Hoc monet S. Bernard. de Paſſione Domini cap. 19. *Licèt in irriſione coronent, tamen ignorantes & irridentes coronatum Regem fatentur. Ergò Rex eorum, vel ab ipſis neſcientibus demonſtratur.* Et S. German. Patr. Conſtant. orat. in Sepult. Chriſti: Purpura illa, inquit, & corona ex ſpinis plexa ante crucem, confirmabat *victoriam dicentis:* Confidete, ego vici Mundum, Mundique Principem.

2. Crux ipſa regium fuit inſigne. Iſaiæ 9. 6. *Factus eſt principatus ſuper humerum ejus.* Ingenioſè nonnulli cabaliſticè exponunt vocem משרה *miſra*, quæ ſignificat principatum: per מסיר שרה *miſſir, ſara*, hoc eſt, *ex ſpina imperium:* ut denoteur, per coronam ſpineam, & crucem, datum eſſe Chriſto imperium. S. Bern. ſerm. 2. Epiphan. *Apparet quidem in corona paupertatis, in corona miſeriæ, coronandus à familia ſua, corona juſtitiæ, quando exibunt Angeli, & tollent de regno ejus omnia ſcandala, quando venit ad judicium cum Senioribus populi.* Et de cruce S. Auguſt. ſerm. 7. de tempore: *Meritò crux Chriſti dicitur principatus: quia per eam diabolus vincitur, & totus Mundus ad Dei gloriam revocatur.* Vide dicta Pſ. 9. ſect. 1. ubi probo, crucem eſſe Chriſti currum triumphalem, thronum, ſceptrum, & coronam. Tertull. lib. contra Judæos, in cruce regnum vidit, cùm ait: Quis omninò Regum inſigne poteſtatis ſuæ *humero præfert*, & non aut in capite diadema, aut in manu ſceptrum? Sed ſolus Rex novus novorum ſæculorum, Chriſtus JEſus, novam gloriam, poteſtatem & ſublimitatem ſuam *in humero extulit;* crucem ſcilicet, ut ſecundùm Davidis Prophetiam exinde regnaret. Ita ipſe, Pſalm. 95. 10. juxta Sept. habemus, *regnavit à ligno Deus*, & ſic legerunt S. Aug. S. Leo ſer. 4. de paſſ. S. Greg. hom. 6. in Ezech. S. Iſid. de voc. Gent. cap. 25. S Ambr. in 1. ad Cor. S. Bern. ſerm. 1. de reſurr. & alii. Vide ibi dicta. Nota, Hebræi vocant Principem נשיא *naſi*, q. d. portitorem, portantem, bajulum: græci *βασιλέα*, q. d. *βάσιν λαοῦ* baſim & fundamentum, atque columnam, & ſuſtentaculum ſeu fulcrum populi: Luc. 19. 17. *Bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, hebraicè autem Golgota.* Nota, bajulat ſibi crucem, ut ſe Regem probet: bajulat nobis, ut in cruce peccata noſtra portet. S. Aug. tract. 117. in Joan. crucis vim regiam prædicat. *Grande*, ait, *ſpectaculum: ſed ſi ſpectet impietas, grande ludibrium; ſi pietas, grande myſterium: Si ſpectet impietas, grande ignominiæ documentum: ſi pietas, grande fidei monumentum. Si ſpectet impietas, ridet Regem, pro virga regni, lignum ſui portare ſupplicii: ſi pietas, videt Regem bajulantem lignum ad ſemetipſum figendum, quod fixurus etiam erat in frontibus Regum, in eo ſpernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum.*

3. In titulo ſupra Crucem poſito, apertè Rex Chriſtus declaratur, Joan. 19. verſ. 19. *Scripſit autem & titulum Pilatus: & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum: JEſus Nazarenus, Rex Judæorum:* & erat ſcriptum hebraicè, græcè & latinè: ita ut ſicut ait Baron. anno Chriſti 34. num. 119. in ordine nobilior locus, ac proinde prior ille ſit viſus, qui Chriſto eſſet vicinior, ſicque Latina prior, noviſſima verò Hebraica (ut quæ Græca inferior & Barbara à Romanis haberetur) poſita eſſet inſcriptio. Siquidem apud eos in theatro locus infimus Senatorum, ſummus verò plebis: & in triumpho poſtremus Imperatoris: ſed & in triclinio noviſſimus Conſulis erat: ſicque ſedendo, procedendo, & recumbendo, locus ultimus primus eſſet, ita ipſe. Qui ſe humiliat, exaltabitur: docet JEſus recumbendum eſſe in noviſſimo loco. Sed ad rem redeamus. S. Cyrill. Alex. lib. 12. in Joan. cap. 19. advertit, in his tribus linguis ſcriptum titulum denotare, Chriſtum eſſe Regem totius Orbis. Verba ejus ſunt: Divinitùs, ut ego puto, factum eſt, ut trium linguarum, quæ præcipuæ ſunt, literis titulus ſcriptus fuerit. Omnium enim gentium regnum Chriſto attributum eſſe ſignificavit. Ipſe enim, ait Daniel, honor, & regnum datum eſt, & omnes tribus & linguæ ipſi ſervient, ita Cyr. In eo verò vim facit S. Ambroſius, lib. 10. in Luc. quòd titulus ille fuerit ſupra crucem: *Meritò*, inquit, *ſupra crucem titulus. Non enim humani corporis, ſed divinæ poteſtatis eſt regnum, quod habet Chriſtus: meritò ſupra crucem titulus, quia, licèt in cruce erat Dominus JEſus, ſupra crucem tamen Regis majeſtate radiabat. Latro etiam in cruce Regem agnovit. Luc. 23. 42.*

Quartò: in Reſurrectione, Regem ſe & Victorem Chriſtus probavit, & hoſtem ſpolians, & de eo triumphum agens, Pſalm. 23. 7. dicunt Angeli eum ad limbos deſcenſurum præcedentes, ſicut explicant S. Athanaſ. orat. 4. in Arian. S. Chryſologus ſerm. 65. S. Epiphan. orat. de ſepul. Chriſti, S. Chryſoſtomus hom. quòd Chriſtus ſit Deus, & alii multi: *Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales*, portæ æternæ, ut legit Tert. in Scorp. cap. 10. *Et introibit Rex gloriæ*, id eſt, glorioſus: Act. 2. verſ. 2. *Vocatur Deus gloriæ.* Et 1 Cor. 2. 8. *Dominus gloriæ.* S. Cypr. lib. 2. contra Judæos legit illud Pſal. *Rex claritatis.* Verſ. 8. dicitur Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio Crucis ſcilicet, & verſ. 10. *Dominus virtutum.* Hebr. *Sabaoth*, id eſt, *exercituum*, ut S. Hieron. vertit, & Aquila reddit, *Dominus militiarum:* cœleſtis, & terreſtris. 86. Quartò, in reſurrectione.

Pſalm. 109. 3. ait Deus Pater Chriſto: *Tecum principium* (Gr. ἀρχὴ, id eſt, principatus) *in die virtutis tuæ.* Diem illum Genebrardus explicat de reſurrectione ejus, in qua poſt mortem cœpit glorioſiſſimè regnare, *in ſplendoribus Sanctorum.* Chald. ſplendoribus ſanctitatis. Aquila, venuſtatibus ſanctis. Hoc de dotibus corporis glorioſi explica. VI. editio, in gloria Sanctorum. Vide illum locum: *ex utero ante Luciferum genui te.* S. Hieron. vertit, de vulva orietur tibi ros adoleſcentiæ tuæ. De hac re commodiùs dicetur verſ. ſeq. ubi de reſurgente Chriſto ait Pater æternus: *Ego hodie genui te.*

Quintò: Dies virtutis Chriſti præcipuè fuit dies Aſcenſionis in cœlum: tunc enim accepit poſſeſſionem regni ſui. Primò, ſe Dominum probat in elevatione per propriam virtutem. Act. 1. 9. *Videntibus illis elevatus eſt.* Luc. 24. 50. *Ferebatur in cœlum.* Franci olim clypeo impoſitum regem humeris portabant, & adorandum exercitui ac populo proponebant: id etiam fecerunt variæ nationes. Plato ait, reges eſſe θεοὺς ἐξ ἀνθρώπων, *Deos ex hominibus*, Jeſus eſt homo Deus, à 87. Quintò, in cœlum aſcendens. 1. Elevavit ſe in altum ſuâ virtute.

ſummo

ſummo cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus. Secundò, regiam ſuam poteſtatem oſtendit in deductione captivorum ſecum, Epheſ. 4. 8. *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem*, (id eſt, captivos) *dedit dona hominibus*, in Pſalmo 67. erat, verſ. 19. accepiſti dona in hominibus, id eſt, pro hominibus: vel, propter homines. Hebræi enim uſurpant Beth etiam loco pro, & propter. Tertiò, ut Regem ſuum ſuſceperunt & adoraverunt Angeli, è cœlis occurrentes venienti. Illud enim Pſal. 23. 7. de limborum deſcenſu explicatum, veriùs eſt de Chriſti in cœlum aſcenſu, ut ibi oſtendam. Attollite portas, &c. Nunc ſufficiat S. Auguſt. ſermon. 5. de Reſur. *Viderunt cœlites cuncti ſpecioſum vulneribus Chriſtum, ſpolia è caſtris tyrannicis reportantem, & admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis, deducúntque lætantes. Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Id eſt, glorioſus. Eſt quoque Rex gloriæ: id eſt, totius aulæ cœleſtis, & omnium glorificatorum. Quartò, ut Rex ſuper omnes Angelos, Archangelos, & omnes ſpiritus cœleſtes aſcendit, in throno ad dexteram Patris poſito ſeſſitus. Pſal. 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo*, (Pater Filio) *ſede à dextris meis*: ad dexteram, ut legit S. Ambroſ. S. Cypr. lib. 2. c. 26. Tert. lib. 4. contra Marcion. S. Aug. tract. 8. in Joan. Sedere porrò ad dexteram, eſt tenere primum locum inter electos. Vide ibi dicta. Quintò, illi dat Pater coronam regiam, & ſceptrum, poteſtatémque in omnem creaturam, & ejus poteſtatis pleniſſimum uſum, ſubdens ejus voluntati omnia tam naturalia, quàm ſupernaturalia & gratiarum donationem aut ſubtractionem ad libitum. Dan. 7. 13. *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi Filius hominis veniebat, & uſque ad Antiquum dierum pervenit: & in conſpectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem* (judicandi & regnandi) *& honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ſervient ei*. S. Juſt. ac S. Cypr. legunt: Omnes *reges terræ* per genus, & *omnis claritas* (omnes clari & illuſtres) ſervient ei. Sic erunt veri reges: quia ſervire Deo, regnare eſt. Sextò, illum ut Regem omnes ſuſcipient. Apocal. 5. 4. *Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & Seniorum: & erat numerus eorum millia millium. Dicentium voce magnâ: Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem* (accipere, non in ſe, cùm jam eſſet Deus; ſed in mente, & cognitione hominum) *& ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*, & omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Septimò, Regem ſe liberalem oſtendet. Epheſ. 4. 8. *Dedit dona hominibus*: dona ſcilicet Spiritûs ſancti, ut explicat S. Ambroſ. & S. Hieronymus: dedit etiam ipſum Spiritum ſanctum, qui eſt donum donorum, quem promiſerat Apoſtolis, Joan. 16. 7.

2. Deducens captivos.

3. Ab Angelis adoratus.

4. Ad dexteram Patris ſedens.

5. A Patre coronatus & poteſtatem accipiens.

Sic regiam ſuam poteſtatem oſtendit in terra, in inferis, & in cœlis, ut ſe omnium Dominum probaret, Epheſ. 4. 10. *Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cœlos*, & ipſum empyreum, ita ut ſuper illud emineat, ſitque in illo ſpatio inani aut toto corpore, aut parte corporis, ac pedibus inſiſtat convexæ ejus ſuperficiei, ut S. Thom. S. Anſelm. Corn. à Lap. & alii cenſent. 2. *Super omnes cœlos*, tum ſtellarum errantium, tum fixarum, in cœlum empyreum & ejus partem nobiliſſimam aſcendit. Hic ſecundus ſenſus magis placet, & aliàs infrà confirmabimus, *ut impleret omnia*. 1. Ut ſuctu ſui ſanguinis loca omnia repleret, ſicut explicat S. Hieron. 2. Ut impleret omnes electorum hominum & Angelorum ſedes, ut S. Anſelm. 3. Ut donis ſuis omnes compleret, ſicut S. Ambr. 4. Ut ubique gloriam ſuam, virtutem, & poteſtatem declararet, ſicut Theophylactus & Oecumenius. Nam, ut dicit S. Bern. ſerm. 2. de Aſcenſ. Aſcendit Chriſtus ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia: jam enim, cùm ſe Dominum univerſorum, quæ ſunt in terra, & in mari, & in inferno, probaſſet, non reſtabat, niſi ut *aëris & cœlorum* ſe eſſe Dominum, argumentis ſimilibus, vel certè potioribus approbaret. *Terra* enim cognovit Dominum, quia ad vocem virtutis ejus, cùm clamâſſet magnâ voce: Lazare, veni foras, mortuum reddidit. Cognovit *mare*, quia ſolidum ſe præbuit ſub pedibus ejus: ita ut Apoſtoli eum putarent phantaſma eſſe. Cognovit *infernus*, cujus ipſe portas æreas, & vectes ferreos confregit: ubi & ligavit illum inſatiabilem homicidam, qui vocatur Diabolus & Satanas. Profectò qui mortuos ſuſcitavit, leproſos mundavit, cæcos illuminavit, claudos firmavit, & omnem exſufflavit infirmitatem, Dominus omnium fuit, & eâdem, quâ fecerat, manu, quæ defecerant, reficiebat. Atque poſteà ſubdit: ad claudendam igitur tunicam tuam inconſutilem, Domine JEſu, ad perficiendam fidei noſtræ integritatem, reſtat, ut videntibus diſcipulis per medium aëris, ſicut aëris Dominus, aſcendas ſuper omnes cœlos. Ex tunc probabitur, quia *Dominus univerſorum tu es*, quia *omnia in omnibus adimpleſti*, & jam tibi profectò debebitur, ut in nomine tuo omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur; quia tu es in gloria, & in dextera DEI Patris. Ita Bernardus.

Quam poteſtatem ubique oſtendit.

Sextò: In judicio extremo Chriſtus poteſtatem 88.
ſuam regiam, velut gladium habemus in vagina reconditum, exeret: tunc ante ipſum columnæ ipſæ cœlorum contremiſcent, eúmque venerabuntur omnes homines & Angeli, Hebr. 1. 6. *Cùm iterùm introducit Primogenitum in Orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei;* primò, fuit introductus Chriſtus in Orbem per Incarnationem, iterùm introducetur in die judicii. S. Matthæus agens de Chriſto judicaturo in fine Mundi, eum Regem vocat, cap. 25. 34. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti, &c.* Cauſam inquirens Abulenſ. q. 357. ait, ſic appellari, cùm eſt mentio judicii: quia ad Regem pertinet magnitudo apparatûs, & magnitudo poteſtatis, & exercitium gubernationis. S. Chryſoſt. hom. 33. de petitione filiorum Zebed. *βασιλικὸς μάλιστα*, inquit, *τὸ κρίνειν καὶ δικάζειν*. Regia eſt maximè, judicare ac diſceptare, honore deferre ac ſupplicio afficere. Chriſtus eſt verus Melchiſedech, id eſt, Rex juſtitiæ, de illo dicitur, Pſal. 44. 7. *Sedes tua Deus* (S. Hier. thronus tuus) *in ſæculum ſæculi*, (S. Aug. in ſæcula ſæculorum) *virga directionis, virga regni tui*. S. Hieron. *Sceptrum æquitatis, ſceptrum regni tui*: ſceptrum ſumitur metonymicè pro exercitio poteſtatis regiæ, cujus ſignum eſt ſceptrum: id eſt, juſtitiam exercebis, juſtè gubernabis, & cum æquitate ac rectitudine. S. Bern. ſerm. 2. de Epiph. *Coronandus*, inquit, *à familia ſua corona juſtitiæ, quando exibunt Angeli, & tollent de regno ejus omnia ſcandala, quando veniet ad judicium cum Senioribus populi ſui, cùm pugnabit pro eo Orbis terræ contra inſenſatos.*

Sextò, Regem ſe Chriſtus oſtendet in die judicii.

Chriſtus Rex, ac Judex, & Vindex depingitur 89.
egregio emblemate, Apocal. 19. verſ. 11. Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, *Vocabatur Fidelis, & Verax*, (promiſſa complens fideliter) *& cum juſtitia judicat, & pugnat*, id eſt, juſtiſſimè, & jure æquiſſimo. *Oculi ejus ſicut flamma ignis*, id eſt, flammantes atque fulgurantes propter iram contra ſceleratos, *& in capite ejus diademata multa*: eſt enim Rex regum, & regnorum omnium: diadema porrò, erat faſcia candida, quâ regum capita cingebantur. *Et veſtitus erat veſte aſperſâ ſanguine*: apparebunt enim ſtigmata in ejus corpore: *Et vocatur nomen ejus, Verbum Dei. Et exercitus, qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo, & mundo*, ut denotent: 1. Suam puritatem & innocentiam. 2. Felicitatem, gloriam & triumphum. Nam lætabitur juſtus, cùm viderit vindictam. *Ex ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus*, ſententia damnationis

Emblema Chriſti, Regis, Judicis & Vindicis.

Piorum in die judicii.

ſtris, Matth. 25. 31. Secundò, ſubſannabit, dicens: Eſurivi, &c. improperando, verſu 42. Tertiò, loquetur in ira ſententiam ferendo, verſ. 41. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Quartò, conturbabit, ſententiam exequendo. Ibunt hi in ſupplicium æternum, verſu 46. Subſannationem hanc impiorum per aliam catachreſim poſſis exprimere verbis Dei ipſius, Amos 2. verſu 13. *Ecce ego ſtridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno.* Primò, Deus ſtridet ſub fœno, id eſt, ſub vita & peccatis carnalium, qui nihil aliud ſunt præter fœnum. Pſalmo 128. verſu 6. Iſaiæ 37. verſu 27. & 40. 6. Michææ 4. verſu 12. R. Abraham, non eſt, ait, robur, ut feram vos: ſed gemo ſub onere: & ſanctus Gregorius 32. Moralium 6. *Sub fœni onere ſtridere, eſt pondera & iniquitates peccantium cum querela tolerare.* Unde Iſaiæ 1. verſu 14. ait Deus: *Calendas veſtras* (neomenias: id eſt, oblationes in eis fieri ſolitas) *& ſolemnitates veſtras odivit anima mea:* hoc eſt, ego; quia ſicut Deus non habet corpus, ita propriè loquendo non habet animam, ſed eſt totus anima, id eſt, perfectiſſimus ſpiritus: *facta ſunt mihi moleſta.* Septuaginta, facti eſtis mihi in ſatietatem, *laboravi ſuſtinens:* velut ſub gravi onere & maſſa plumbea. Secundò, ſtridet Deus, id eſt, ſtridere facit & gemere ſub afflictione & onere. Vide onera impoſita peccatoribus Babyloniis, Iſaiæ 13. verſu 1. Moabitis, 15. verſu 1. Syris, 17. verſu 1. Ægyptiis, 19. verſu 1. & variis populis in cap. ſeqq. de undecim illis oneribus tripolog. ſerm. habet ſanctus Bernardus. Vertit Chaldæus, coarctabo vos. Tertiò, ſtridet Deus indignans, & diras omnes nefariis cum excidio intentans, tum in hac, tum præſertim in alia vita in die judicii. Sicut plauſtrum ſtipulæ, ait ſanctus Hieronymus, vel fœni onere prægravatum, ſtridore & ſonitu longè *exulalat*; ſic ego peccata veſtra ultra non ſuſtinens, & quaſi ſtipulam tradens incendio, clamabo & dicam: *Peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem ſuam, & robuſtus non ſalvabit animam ſuam:* ſunt verba Amos verſu 14. Deus enim ſtatim impios dejicit ad inferos, Arab. Alex. Ego devolvam vos, ut plauſtrum volvens: ibi, ut dicitur Matthæi 8. verſu 12. erit fletus, & *ſtridor* dentium. In illo igne cachinnis dæmonum æternis objicientur miſeri, & cum acerrimis doloribus ſine morte interibunt amiſſis divitiis ſuis, deliciis & honoribus. Amos 7. verſu 9. *Demolientur excelſa idoli:* id eſt, templa, fana atque altaria idolis (honori ſcilicet & ambitioni) dicata in montibus & collibus. Hebraicè, excelſa Iſaac, in quibus ſcilicet ad ſimilitudinem & memoriam Iſaac, qui ſe Abrahamo immolandum tradiderat in monte Moria, ipſi filios ſuos immolabant Moloc, id eſt, Saturno, atque in ejus honorem cremabant conjectos intra ſtatuam æream ardentem. Septuaginta reddunt, *excelſa riſus*, id eſt, ridenda, riſu digna. Sic enim idolum Jeremiæ 10. verſu 15. dicitur, opus riſu dignum: *Vana ſunt*, inquit, *& opus riſu dignum, in tempore viſitationis ſuæ* (id eſt, punitionis divinæ) *peribunt:* Per opera intellige primò, idola ſculpta. Secundò tropologicè, vana hominum ſtudia & terrena. Peribunt hæc omnia, & ipſa excelſa atque aræ riſus: id eſt, apud quas hilaritati, riſibus, cantui, & ludo ſe dabant: ut fecerunt Iſraëlitæ in deſerto poſt adorationem vituli aurei, Exodi 32. verſu 6. *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Sed citò riſus ille in luctum verſus eſt cæſis idololatrarum viginti tribus millibus juſſu Moſis, & aureo vitulo in cineres redacto & in aquas abjecto: pergit Amos: *Et ſanctificationes Iſrael* (Septuaginta, ſacrificia. Chaldæus, ſacra: reddes aptiùs, ſanctuaria, id eſt, templa idolorum) *deſolabuntur.* Tropologicè, ſanctificationes Iſraël, ſunt actus hypocritarum, præſertim ſacerdotum & religioſorum: qui adhuc idola, id eſt, honores (qui verè ſunt εἴδωλα, ſimulacra, effigies, imagines, quaſi diceret, apparitiones, viſiones: non res vera & ſolida: ab εἴδω, video) colunt: atque ſub pietatis ſpecie adorant, & adorari volunt. *Et conſurgam ſuper domum Jeroboam in gladio*, id eſt, cum gladio, hoc enim Beth etiam ſignificat. Nota, Jeroboam ille non erat filius Nabat, primus rex decem tribuum creatus tempore Roboam regis Juda, ſed erat filius Joas filii Jehu. Nota ſecundò, Jeroboam ſignificare primò litigantem cum populo. Secundò, impugnantem populum. Tertiò, judicantem populum. Caveant ſibi judices, patroni, & diſceptantes, ne pauperibus ſint injurii, aut expectent gladium vindicem judicii Dei, aut in ſe aut in filiis. Jeroboam nominavit filium ſuum Zachariam, id eſt, memoriam Dei: vel, memor eſt Deus: & verè, nam occiſus eſt Zacharias à Sellum, & in eo periit prorſus ſtirps Jehu. 4 Regum 15. Deus memor eſt omnium peccatorum, & illa punit cùm eorum videtur oblitus.

Verſ. 5. 1. Pars. 64.
In die judicii ſpecialis ſententia condemnabuntur.

Tertiò: Chriſtus, & Deus per ipſum, in die judicii voce corporea increpabit & condemnabit ſceleratos. Verſu 5. TUNC (cùm eos irridebit & ſubſannabit) LOQUETUR AD EOS IN IRA SUA, ET IN FURORE SUO CONTURBABIT EOS. Nota, cum Suare tomo 2. in 3. partem ſancti Thomæ diſputatione 58. ſectione 10. de ſingulis hominibus particulares & proprias ſententias ferendas eſſe, quia non omnes ſunt eadem pœna afficiendi, aut remunerandi eodem præmio: ſed unusquisque pro ſuorum meritorum qualitate. Hoc ſanctus Gregorius Nyſſenus docet orat. in illud: Quod uni ex minimis meis feciſtis: ſic enim loquitur. Adhuc verſor circa ſpectaculum terribilis adventus Regis, quem deſcribit nobis Evangelium, etiam nunc animus, terrore eorum quæ dicta ſunt, *defixus pavore atque formidine* torpet, veluti cernens quodammodo tum ipſum cœlorum Regem in ſolio glorioſo terribiliter præſidentem: tum infinitas illas Angelorum legiones, Regem undique circumſtantes, atque illum magnum ac terribilem Regem ex inenarrabili gloria ad humanam naturam deſpicientem: & omne genus hominum, qui ex quo homines nati ſunt uſque ad illam terribilem apparitionem, inveolentur, ad ſeſe cogentem, *& pro merito ac dignitate anteactæ vitæ, unicuique ſententiam accommodantem.* Ita Nyſſenus. Nota ſecundò, penè certum eſſe ſententias illas particulares ſingulorum hominum, non corporea, ſed mentali voce, eſſe efferendas. Nimis enim longum tempus ad hoc requireretur: & nugator Mahometes, cùm judicio extremo aſſignat tenium annorum millia. Nota tertiò, eas tamen privatas & particulares ſententias non tantùm ab iis, ad quos pertinebunt, ſed *ab omnibus qui judicio aderunt*, cognoſcendas eſſe, ut docet Suares loco citato n. 4.

65.
Generalis ſententia voce corporea à Chriſto proferretur.

His poſitis, Dico ſententiam generalem tam pro bonis: nempe, *Venite benedicti*, &c. quàm in malos, ſcilicet: *Diſcedite à me maledicti*, &c. quæ habentur Matthæi 25. eſſe à Chriſto voce corporea proferendas. Primò, quia id poſtulat Chriſti gloria, ut qui in paſſione coram tondentibus ſe velut agnus, obmutuit, ut leo rugiat, & poteſtatem ſuam regiam & judiciariam, etiam ut homo, teſtetur. Secundò, quia hoc majori terrori & ignominiæ erit reprobis, illâ enim voce, velut fulmine & gladio flammeo ex ore Chriſti prodeunte, proſternentur. Hoc prædicitur Joëlis 2. verſu 11. *Dominus dedit* (id eſt, dabit: ſed Prophetiæ vident futura quaſi jam facta) *vocem ſuam ante faciem exercitus ſui:* ad literam, ante Chaldæos, qui à Deo in Judæam immittentur, ut eam ob ſcelera puniant. Allegoricè, ante Angelos ſanctos, & dæmones in die judicii: *Quia multa ſunt nimis caſtra ejus, quia fortia & facientia verbum ejus: magnus enim dies Domini, & terribilis valde: & quis ſuſtinebit illum?* Locutionem etiam denotat capite 3. verſu 2. *Diſceptabo cum eis.* Hebraicè, judicio contendam. Syrus, dijudicabo eos. Id commodè exponetur de locutione & reprehenſione mentali, qua Pilato, Herodi, Caiphæ, Judæ, aliisque omnibus peccatoribus, ſua dona & eorum peccata exprobrabit; dixerat clarè ad rem noſtram: *Congregabo omnes Gentes*, ad extremum judicium, ut explicat ſanctus Hieronymus, *& deducam eas in vallem Joſaphat.* De ea ſic Adrichomius, vallis Joſaphat, quæ & vallis Cedron, & vallis montium vocatur, vallis eſt lata & profunda, inter Jeruſalem & montem Oliveti interjecta, totam ab Oriente cingens urbem, quam torrens Cedron tranſiens ſuis

Vallis Joſaphat.

aquis

aquis egregiè fœcundat. In hac valle pii ac religioſi Reges Juda, Aſa, Ezechias, & Joſias templi combuſſerunt Idola, eorumque cineres in torrentem Cedron projecerunt. Hæc vallis communis totius civitatis erat cœmeterium, ubi vulgus & ignobiles ſepeliebantur: extra urbem enim Judæis ſepeliri mos erat, ibique nunc Turcæ ſepeliuntur. In hac quoque valle die illa cunctis mortalibus tremenda, omnes undique homines ad extremum judicium ſunt congregandi, ut à Chriſto Judice recipiant debita pro meritis præmia quiſque ſuis. Unde & vallis conciſionis appellatur, quòd ibi mali à bonis ſeparabuntur, ita ipſe: in valle Joſaphat futurum in fine Mundi judicium ex hoc loco omnes probant: Joſaphat ſignificat *Dei*, ſeu Domini, *judicium*: à יה *iah* Deus, & שפט *ſaphat*, judicium: itaque ſunt, qui ut nomen appellativum ſumant, & dicant, incertum omninò eſſe, ubi ſit illa vallis Joſaphat, ſed malè: quia decet, ut ibi Chriſtus glorioſus & judex appareat, ubi viſus eſt reus & noviſſimus virorum, & Angeli poſt Aſcenſionem Chriſti, aſpicientibus Apoſtolis, dixerunt, eum ſic venturum, quemadmodum viderant eum euntem in cœlum: erant autem in monte Oliveti, qui adjacet valli Joſaphat. Sed hoc non concludit. Senſus tamen penè omnium Patrum, futurum judicium in dicta valle Joſaphat. Vide Suarem tomo 2. in tertiam partem, diſputatione 53. ſectione 3. ubi ait, à parte præcipua dici vallem Joſaphat: nam alia etiam vicina, ut montem olivarum, montem Sion, aliaque loca occupabunt corpora damnatorum, quæ vel ſtabunt, & jacebunt in terra: Sancti verò, erunt ſublimes in aëre. Movet me non parùm idem Joël Propheta capite 3. verſu 16. *Dominus de Sion rugiet, & de Jeruſalem dabit vocem ſuam, & movebuntur cœli & terra:* quia primo terra abſorbebit reprobos, & cœlum ſinu ſuo exultanti excipiet Sanctos, ut explicat Lyranus: Secundò, cœli, id eſt, homines cœleſtes, movebuntur gaudio audita pro ſe lata ſententia: & terra, id eſt, terreni homines, movebuntur ira, furore, deſperatione, triſtitia inexplicabili, accepta ſententia damnationis, ut Remigius & Haymo exponunt. Præcedentia etiam de Solis & Lunæ obtenebratione, & ſtellarum lumine deficiente, non poſſunt explicari commodè, niſi de die judicii etiam ad literam: lege totum caput, expende, & trepida.

[Margin: Joſaphat etymon.]

66. Iram Chriſti in judicio flammantem Propheta noſter declarat in fine Pſalmi noſtri: *Cùm exarſerit in brevi ira ejus*, &c. Vide ibi dicta. Nunc de ira verbis declarata tantùm eſt ſermo, ait enim: *Tunc loquetur ad eos* (& ſingulos, & omnes) *in ira ſua*. Exprimi poteſt triplici ſymbolo ira illa. Primò, ignis ex ore Chriſti prodeuntis, ſicut de Henoch & Elia, reſiſtentibus Antichriſto, dicitur, Apocalypſis 11. verſo 5. Si quis voluerit nocere eis, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum. De Chriſto autem habes Pſalmo 17. verſu 9. *Aſcendit fumus in ira ejus*, (ex naribus erumpens.) *Ignis à facie ejus exarſit*. Sanctus Hieronymus, ignis *ex ore ejus* devorans, Symm. ἐκ ςόματος, *carbones ſuccenſi ſunt ab eo:* fulmina & tonitrua.

[Margin: Iræ Chriſti in die judicii, tria ſymbola. 1. Ignis ex ore prodiens.]

67. Secundum ſymbolum iræ Chriſti improbos arguentis & condemnantis eſt gladius flammeus ex ejus ore exiens. Apocalypſis 19. verſu 15. *De ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus*. Deſcribit ibi Chriſtum equo albo vectum, oculis flammantibus, diadematis multis ſpectabilem, veſtitum veſte aſperſa ſanguine, &c. gladio autem dicitur percuſſurus Gentes, id eſt, Antichriſtianos, & omnes reprobos.

[Margin: 2. Gladius item ex ore egrediens.]

68. Tertium ſymbolum iræ Chriſti loquentis in judicio eſt fremitus leonis, ſeu leo fremens. Nam, ut dicitur Proverbiorum 19. verſu 12. *Sicut fremitus* (Arias, rugitus) *Leonis: ita & Regis ira*. Et Chriſto ſpeciatim rugitum de Sione & de Jeruſalem tribuit Joëlis 3. verſu 16. ut jam dixi, & Amos primo, verſu ſecundo, ſic incipit prophetiam ſuam: *Dominus de Sion rugiet, & de Jeruſalem dabit vocem ſuam.* Quid inde conſequens: *Et luxerunt ſpecioſa paſtorum:* id eſt, paſcua, prata, agri: per hæc intellige deliciis deditos, qui in die judicii lugebunt: *Et exſiccatus eſt vertex Carmeli:* erat mons fertiliſſimus, in quo Nabal, id eſt, ſtultus, habitavit tempore Davidis: ad eum tamen alludi non arbitror: ſed per verticem Carmeli, intelligi divites, nobiles, principes ac reges terræ, qui in die judicii præ trepidatione & horrore areſcent & contabeſcent. Apud Hebræos שפה *ſapha*, cum puncto in ſiniſtro cornu ſignificat labium, linguam, ſermonem: in dextro autem, conterere, contundere, frangere. Vel unico verbo Deus hoſtes conterit: leo fremitu exterret omnia animalia, deinde in ea inſilit. Oſeæ 5. verſu 14. *Ego quaſi Leæna Ephraim*, ait Deus, *& quaſi catulus leonis domui Juda: Ego ego capiam & vadam: tollam, & non eſt qui eruat*. Nota שחל *ſahal*, Leonem & Leænam ſignificat: unde hic & Jobi 4. verſu 10. Sanctus Hieronymus Leænam vertit. Pagninus verò leonem. Septuaginta & Arias hic pantheram: Pſalmo 91. 13. noſter interpres reddit, aſpidem. Significat denique quamlibet ſævam & efferatam beſtiam. Ut, ſicut ait S. Hieronymus, quicquid ſævum in beſtiis eſt, hoc *in Dei indignatione* cognoſcas. Nihil panthere velocius, nihil leone fortius. In panthere velox per Aſſyrios regni Samariæ ſignificatur interitus: & in leone fortiſſimum contra Jeruſalem & Judam aliquanto poſt tempore oſtenditur regnum Chaldæorum, &c. *Ut fiat Deus, quaſi panther, vertatur in leonem, mutetur in beſtias.* Sic ipſe. Oſeas verò cap. 13. 7. eamdem ſimilitudinem magis dilatat: *Ego ero eis quaſi leæna, ſicut pardus in via Aſſyriorum*, quando captivi ducentur ad Aſſyrios per deſertum inter Judæam & Aſſyriam interjacens, in quo ſunt pardi, ſeu pantheræ; *Occurram eis quaſi urſa* (S. Iſidor. Pel. lib. 3. epiſt. 267. ſicut urſa anxia) *raptis catulis, & dirumpam interiora jecoris eorum.* Hebraicè, לב *leb*, cor, per ſynecdochen accipitur pro omnibus interioribus, id eſt, jecore, præcordiis, & aliis viſceribus. Leo Hebræus vertit, lacerabo pertinax cor eorum, *& conſumam eos ibi*. (1. In corde, ut explicat Arias: ubi curis eos conſumam & doloribus. 2. In via Aſſyriorum, in S. Hier.) *ſicut leo: beſtia agri ſcindet eos:* Hoc eſt Aſſyrii, qui decem tribus duxerunt in captivitatem. Nota, hæc captivitas figurat captivitatem inferorum: quia nunquam ſoluta eſt, ex quo Salmanaſar Rex Aſſyrius Iſraëlitas abduxit: in inferno autem nulla eſt redemptio: captivitas verò Judæorum in Babylone per 70. annos figurare poteſt purgatorium: Romana autem per Titum inferus: quia durabit ſemper. Iſaias etiam 31. 4. dicit, Deum deſcenſurum inſtar leonis rugientis. Amos denique c. 3. 4. inſtar leonis rugientis, & prædam rapientis.

[Margin: 3. Fremens & rugiens leo.]

69. Quartò, Deus & Chriſtus in die judicii terrore percellent impios, verſ. eodem 5. *Et in furore ſuo conturbabit eos*. Primò, nubibus igneis, tonitrubus, fulgetris, & fulmine. 2. Angelorum & Sanctorum in ipſos iratorum exercitu. 3. Judicis irati conſpectu. 4. Voce terrifica. 5. Conſcientiæ propriæ contemplatione, aliiſque multis. Sanctus Bernardus in Pſalmum 90. generatim loquitur: *Quid*, ait, *tam pavendum, quid tam plenum anxietatis & vehementiſſima ſollicitudinis excogitari poteſt, quàm judicandum aſtare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare ſub tam diſtricto Judice ſententiam?* Et in feſto beatæ Mariæ Magdalenæ: Qui hæc ait, diutiùs cogitans non ſtatim contremiſcat, & in *deſperationis* rotetur abyſſum: Vox Hebraica בהל *bahal*, quæ hîc uſurpatur, propriè ſignificat, ſubitò terrore percelli: licèt enim diem judicii credant ſcelerati, tam multa tamen inexpectata ſentient, & tam acerba, ut prorſus velut improviſa illis futura ſint. Præſertim Reges terræ & principes, qui in Chriſtum aſtiterunt & convenerunt, conturbabuntur. Apocalypſis ſextò, verſu decimo quinto: *Reges terræ, & principes*, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium: & dicent montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, *ab ira Agni:* quoniam venit dies magnus *iræ ipſorum* (contra ipſos. Græcè eſt αὐτοῦ, ejus: nempe Agni) & quis poterit ſtare? Vide dicta Pſalmo primo, verſu quinto. Ideò non *reſurgent*

[Margin: Variis modis Deus percellet impios in judicio. 1. 2. 3. 4. 5. Ira Agni.]

(Hebraicè יקמו *iakumu*, ſtabunt, ut vertit Arias) impii in judicio, &c.

Ira leonis. Si ira agni ſuſtineri non poteſt, quis iram rugientis leonis feret? Amos 3. verſu 8. *Leo rugiet, quis non timebit?* Ariſtoteles & Plinius advertunt, leonem bis rugire? Primò, cùm fame premitur, & prædam conſpicit: Secundò, cùm illam capit. Trepidationem impiorum notat Oſeas ad leonis rugitum capite 11. 10. *Quaſi leo rugiet* (Dominus) *quia ipſe rugiet, & formidabunt filii maris:* Id eſt 1. Inſulani. 2. Populi occidentales: quia, cùm mare mediterraneum ſit occidentale Judææ, ſæpè in ſcripturis mare ponitur pro Occidente. 3. Tropologicè, filii maris, ſunt peccatores tempeſtatibus paſſionum agitati. Iſaiæ 57. verſu 20. *Impii quaſi mare fervens.* Hebr. נגרש *nigras*, agitatum, concitatum, impulſum: tum paſſionum, tum calamitatum ventis. Vatablus reddit, impii Euripi inſtar fremunt: per fluctus reciprocos fortunæ variæ, addit Iſaias, *quod quieſcere non poteſt.* Euripus etiam vento non agitante huc illuc fluctuat: ſi ventus & turbo advenerit, quid fiet? *Formidabunt.* Hebraicè יחרדו *teherdu*, trepidabunt, trement, expaveſcent, concutientur: denotat commotionem externam ex metu, & cura, ac ſolicitudine: tum corpore in judicio trement mali: de Incarnatione & prædicatione Chriſti, per ſeipſum & per Apoſtolos S. Hieron. explicat, & benè: ad rem tamen noſtram accommodari aliquatenus poteſt.

Oſtendet ſua vulnera Chriſtus. Apertiùs Zachariæ duodecimo, verſu decimò: *Aſpicient ad me, quem confixerunt*, (Septuaginta, cui inſultârunt, legerant *rukadu*: nunc eſt דקרו *dakaru*, confixerunt, fixerunt, transfoderunt: in cruce ſcilicet) *& plangent eum planctu, quaſi ſuper unigenitum.* Primo, ſanctus Hieronymus, & ſanctus Cyrillus cenſent agi de Chriſto in cruce transfixo, cui pii compatiebantur. Secundò, Suares tomo 2. in 3. partem, diſputatione 57. ſectione 9. numero 2. Sanctus Auguſtinus libro 20. de civitate Dei capite 30. Tolet. Joann. 19. numero 37. Remigius & Lyranus in Zach. id etiam ad literam de die judicii explicant, atque inde probant ſtigmata & inſignia crucifixionis videnda tunc in Chriſti corpore; ſic Apocalypſis 1. verſu 7. dicitur: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*; qui transfixerunt eum in paſſione, atque nunc in membris ſuis crucifigunt. Chriſti vulnera tunc omnibus manifeſta fore, docent etiam ſanctus Ignatius epiſtola ad Smyrnenſes. Sanctus Hieronymus ad Heliod. S. Chryſoſtomus homilia de cruce & latrone. S. Cyprianus ſermone de Aſcenſione. Videbuntur autem glorioſa, & mira luce coruſcantia, ſed cum ſummo terrore impiorum, ut noctuarum in tanto ſplendore caligantium, & iram ſententiam expectantium.

Tonitru eſt vox ejus. Cùm enim verè Job dixerit cap. 26. 11. *Columnæ cœli* (id eſt, Angeli, ut S. Gregorius & S. Thomas exponunt) *contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus.* Hebr. ad increpationem ejus: qua ſcilicet non ipſos Angelos, ſed eos, quorum curam geſſerunt, increpat: quid accidet ipſis reis? Itaque, eleganter hunc terrorem ob Dei reprehendentis & condemnantis vocem oſtendit verſu 14. *Cùm vix parvam ſtillam ſermonis* (ſuſurrum verborum, Symmachus) *ejus audierimus: quis poterit tonitrum magnitudinis* (Hebr. tonitru fortitudinum) *illius intueri?* Id eſt, cogitare, expendere: vel, audire, percipere. Nam, cùm viſus ſit omnium ſenſuum præſtantiſſimus, de omni ſenſu ab Hebræis uſurpatur. Stilla porrò ſermonum ſunt primò, minæ prophetarum clades terrenas & judicium etiam extremum intentantium: ſic Amos 7. 16. arguit Amaſiam ſacerdotem idolorum in Bethel ſibi dicentem: *Non ſtillabis ſuper domum idoli*, id eſt, non intentabis minas, quòd cito ſit deſtruenda. Secundò, ſtilla ſermonum, ſunt reprehenſiones Chriſti, cùm in terris viveret: guttatim enim, & ſenſim, atque ſuaviter peccatores arguebat, ut corda dura excavaret, & fœcunda redderet. Tonitru verò eſt ſententia decretoria in die judicii. S. Leo ſermone de paſſione conſiderans Chriſtum, cùm invaderetur in horto montis Oliveti à militum & ſatellitum cohorte, & ſe inquirentibus dixiſſet: *Ego ſum*, ſtatim omnes in terram dejeciſſe, exclamat: *Dominus dicit, Ego ſum, & ad vocem ejus turba proſternitur impiorum. Quid jam poterit majeſtas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas judicanda?* Et S. Gregorius libro 17. Moralium capite 21. *Quis ejus iram toleret, cujus & ipſa non potuit manſuetudo tolerari?* Cùm quærerent magi, ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum, turbatus eſt Herodes & omnis Jeroſolyma cum illo: Matth. 2. 3. cùm in illo adventu dicat Angelus paſtoribus, Luc. 2. 10. *Nolite timere.* Ecce enim evangelizo vobis *gaudium magnum*, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie *Salvator*, qui eſt Chriſtus Dominus in civitate David. Veniet verò tunc Judex & terribilis, præſertim divitibus, & potentibus. Michææ 1. 3. *Ecce Dominus egredietur de loco ſuo*, (è cœlo, vel, à ſolita ſua benignitate) *& deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ*, (optimates Samariæ per Salmanaſar: & divites peccatores, per dæmones) *& conſumentur*, Hebr. *uamaſſu*, (hoc eſt, colliqueſcent & diſſolventur) *montes ſubtus eum*, (nobiles & potentes, qui cæteris eminent) *& valles* (pauperes & puſillanimes) *ſcindentur ſicut cera à facie ignis.* (Sept. tabeſcent) *& ſicut aquæ, quæ decurrunt in præceps.*

Amos 5. 16. fusè diem illum horrificum deſcribit. Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum Dominator: *In omnibus plateis* (in cunctis vicis, Arias) *planctus: & in cunctis, quæ foris ſunt, dicetur væ, væ! & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos, qui ſciunt plangere. Et in omnibus vineis erit planctus, quia pertranſibo in medio tui, dicit Dominus. Væ deſiderantibus diem Domini*, (ſpernentibus Prophetas, qui annunciant cladem & excidium regni Iſraël per Salmanaſar. Allegoricè, diem judicii) *ad quid eam vobis?* Supple, deſiderans: *dies Domini iſta, tenebræ, & non lux. Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei urſus; & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber.* Leo fuit Iſraëlitis *Phul.* Phul Rex Aſſyriorum, qui ſupplicibus pepercit, imò & auxilium promiſit Manahem regi danti ſibi mille talenta argenti 4 Regum 15. verſu 19. Urſus *Teglathphalaſar.* fuit Teglathphalaſar etiam Rex Aſſyriorum, qui tempore Phacee regis cepit Aion, & Abel Domum, Maacha & Janoe, & Cedes, & Aſor, & Galaad, & Galilæam, & univerſam terram Nephthali: & tranſtulit eos in Aſſyrios, 4 Regum 15. 29. Coluber *Salmanaſar.* denique fuit Salmanaſar, item Aſſyriorum Rex, qui anno nono Oſeæ Regis Iſraël, & ſexto Ezechiæ Regis Juda, cepit Samariam urbem regiam ſitam in monte Somer, & inde dictam, & totum regnum occupavit, & ejus incolas tranſtulit in Aſſyriam: poſuitque eos in Hala & in Habor juxta fluvium Gozan in civitatibus Medorum, 4 Regum 17. verſu 6. Allegoricè. Chriſtus eſt leo in reſurrectione: 70. *Chriſtus eſt leo & urſus.* urſus in judicio: coluber, eſt dæmon in inferno. S. Hieronymus ait, dæmonem eſſe leonem in hac vita, urſum in morte, colubrem in gehenna: ibi enim damnatos mordet, & cruciat ut aſpis. De Deo dicitur Threnorum 3. 10. *Urſus inſidians factus eſt mihi, leo in abſconditis:* (urſus ſignificat ſævitiam in laniando & devorando: leo autem, animum invictum, terrorem & fortitudinem) *Semitas meas ſubvertit*, (Chaldæus, ſpinis ſepſit) *confregit me, poſuit me deſolatam:* in captivitate Babylonis, id eſt, confuſionis. Verè Infernus eſt Babylon, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat: Infernum quoque poſſis dicere eſſe civitatem Medorum, id eſt, menſurantium; quia ibi dicitur: Quantum fuit in deliciis, tantum date illi tormenti. Apocal. 18. 7. Ibi ſunt Hala & Habor civitates. Primò, *Hala* *Hala.* ſignificat 1. Dolorem, cruciatum, formidinem, angorem, Rad. חול *hol*, angi, dolere, cruciari, cadere, formidare, parturire. 2. Vulnus & occiſionem, ab חלל *halal*, vulnerare, occidere. Infernus enim eſt mors æterna. 3. Pollutionem, ab חלל *hillel*, polluere. 4. Infirmitatem, morbum, ægrotationem, ab חלה *hala*, ægrotavit, infirmatus eſt. Secundò, *Habor*, incantationem, conjunctionem,

congre-

Habar. congregationem ſignificat. Rad. הבר *habar*, congregare, colligere, incantare. Tertiò, ibi eſt fluvius *Gozan*, *Gozan.* qui ſignificat exciſionem, avulſionem, extractionem, tonſionem, Pſ. 48. 15. *Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Vide ibi dicta; tondet ibi impios dæmon, & omnibus divitiis, deliciis & honoribus nudatos torquet, & ſemper flagellat. Gozan deducitur à גז *guz*, excidere, avellere, tondere: vel à גזז *gazaz* ejuſdem ſignificationis.

Conclude, & dic impiis cum Oſea cap. 9. 5. *Quid facietis in die ſolemni, in die feſtivitatis Domini?* Cùm explicant S. Hieron. Albertus, Haymo, Clarius, vos puniam captivitate, paupertate, gladio: & facietis perenne feſtum & ſolemnitatem vindictæ meæ. Sic Iſaias 34. 6. *Victima Domini in Boſra,* (erat Idumææ metropolis: ſignificat vindemiam, aurum, munitionem, exciſionem: Væ vobis divitibus! dicebat Chriſtus) *& interfectio magna in terra Edom,* (per Chaldæos: id eſt, dæmones) *& deſcendent* (in inferos) *unicornes & tauri cum potentibus,* (Idumæi: id eſt, ſanguinarii. 1. Superbi unicornes, in ſuo tantùm cornu & robore confiſi. 2. Tauri luxurioſi, qui ſunt, Pſalm. 67. 31. congregatio taurorum in vaccis populorum. 3. Divites avari ſanguinem pauperis ſugentes) *quia dies ultionis Domini, annus retributionis judicii Sion:* Id eſt, contra Sion, ut dicit S. Hier. S. Cyr. S. Thom. Caveant ſibi, qui ſpeculandis divinis ſunt ex officio obligati: Vel meliùs, pro Sione contra Idumæos: qui ſanguine ſibi illuſtri applaudunt, videant, ne ſacerdotes & pauperes Deo vacantes conterant, judicem cœleſtem cogitent. Audiant S. Laur. Juſt. opuſc. de contemptu Mundi. *Quamobrem revolvat peccator* 71. Terror impiorum multiplex in die judicii. *quilibet interdum intra ſe, quid in illo acturus eſt judicio, quantuſque erit pavor, cùm deſuper aderit iratus Judex, ſubtus inferni patens chaos, coram poſiti teſtes Angeli, dæmonia accuſantia, manifeſta ſcelera in libris conſcientiarum compendioſiſſimè ſcripta elementaque turbata? Nam ſicut latere nemini erit poſſibile: ita damnandis apparere intolerabile. Equidem tunc evacuabuntur principatus ſæculi, poteſtates populorum, & omne, quod altum atque decorum eſt: quoniam de ſolis operibus ſingulorum diſceptatio fiet.* Aptiſſimè punitioni Boſræ, quæ ſonat vindemiam, adjice locum, Apoc. 14. 19. Et miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram: & vindemiavit *vineam terræ, & miſit in lacum iræ Dei magnum: Et calcatus eſt lacus extra civitatem, & exivit ſanguis de lacu uſque ad frænos equorum per ſtadia mille ſexcenta.* Hoc de inferis explicant Viegas, Leſtius, Cornelius, & alii. Eadem comparatione uſus eſt Joël c. 3. 13.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

Duo continet. Primò, deſcribit Regem Chriſtum. Verſ. 6. ad 10. Secundò, oſtendit, quales eſſe debeant ejus ſubditi. Verſ. 10. uſque ad finem.

PARAPHRASIS.

6. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus: prædicans præceptum ejus.

6. Non tantùm amorem erga me ſuum Pater æternus oſtendit, quòd hoſtes meos contriverit: ſed longè magis, quòd me totius Orbis, ac præcipuè Eccleſiæ ſuæ ſanctæ Regem conſtituerit, & ſanciendæ promulgandæque legis Evangelicæ poteſtatem dederit.

7. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te.

7. Ipſe Angelorum hominumque Dominus, Filium me ſuum eſſe ſibi æqualem & coæternam prædicat; ab ipſa æternitate genitum ſecundùm divinitatem, & novo quodam modo in Incarnatione productum, & in Reſurrectione glorificatum ſecundùm Humanitatem.

8. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ.

8. Quin etiam invitavit me, ut in hæreditatem nationes omnes, ad ultimos uſque Orbis limites, mihi depoſcerem, eaſque ſe mihi daturum eſt pollicitus, quod & præſtitit.

9. Reges eos in virga ferrea: & tanquam vas figuli confringes eos.

9. Tantamque mihi in eas conceſſit poteſtatem, ut ego trepidos forti virgâ tueri valeam, & rebelles vaſis inſtar figulini conterere.

10. Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui judicatis terram.

10. Nunc itaque Orbis univerſi Reges & judices Regiam Majeſtatem meam mente percipite, & totis viribus contendite, ut legem meam perſpectam & cognitam habeatis.

11. Servite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.

11. Mihi Domino veſtro populorumque omnium, debitum cultum, & reverentiam exhibete: & ob gloriam meam & conceſſa vobis dona cœleſtia exultate; ſed cum tremore, de actionibus omnibus rationem reddituri.

12. Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus: & pereatis de via juſta.

12. Magno affectu ſuſcipite, complectimini, & firmiter retinete doctrinam meam: ne fortè tandem juſta in vos ira propter obſtinationem excandeſcam, velut in ſervos pervicaces: ſicque à recta juſtorum in cœlum via in æternum excidatis.

13. Cùm exarſerit in brevi ira ejus: beati omnes, qui confidunt in eo.

13. Cùm in die extremi judicii, qui opinione veſtrâ citiùs accidet, ita Dei exarſerit, beati erunt omnes, qui ſpretis Mundi illecebris & vanitatibus ſpem in Deo ſuam reponunt, & virtutes ſibi comparant, quibus ad ſperata præmia perveniant.

QUÆSTIO UNICA.

Qualis & quantus Rex Chriſtus, & quales ſubditos ſuos requirit?

Poſtquam Chriſtus, qui in toto hoc Pſalmo loquitur, oſtendit hoſtium ſuorum furorem, verſu 1. & 2. eorumque conatus irritos, ac punitionem, verſ. 3. 4. & 5. Nunc oſtendit. 72. Chriſtus eſt

Primò, quanta ſit gloria à Patre æterno ſublimatus, quod ad ſex titulos revocat. Primò, quòd ſit Rex 1. Rex. ab eo Orbi datus, verſ. 6. *Ego autem conſtitutus* 2. Legiſlator. *ſum Rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum ejus.* Secundò, quòd ſit legiſlator Evangelicæ legis, Ibid. 3. Filius Dei. *Prædicans præceptum ejus.* Tertiò, quòd Filius Dei, 4. Hæres Dei. verſ. 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego* 5. Paſtor hominum. *hodie genui te.* Quartò, quòd Hæres bonorum divinorum, verſ. 8. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Quintò, quòd Paſtor hominum, verſ. 9. *Reges eos in virga ferrea.* Sextò, quòd Judex Orbis univerſi, ibid. *Et tanquam vas figuli confringes eos.*

Secundò,

Chriſtus 6. à ſervis ſuis requirit.

Secundò, Sex quoque à ſervis ſuis poſtulat. Primò, ut intelligant. 2. Ut erudiantur. 3. Ut ſerviant in timore. 4. Ut exultent cum tremore. 5. Ut apprehendant diſciplinam. 6. Ut in ſe confidant. Hæc autem perſpicuitatis gratiâ ad quatuor revoco.

4. Præſertim à regibus & judicibus petit.

Primò itaque, ſubditi Chriſto Reges & judices intellectum ſummi ſapientiâ exornent, verſ. 10. *Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui judicatis terram,*

Secundò, voluptatem ſuam timore filiali ei ſubjiciant, verſ. 11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

Tertiò, cognitioni & amori opus addant, explendo totam ejus legem, verſ. 12. *Apprehendite diſciplinam: ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta.*

Quartò, illius bonitate, & bonorum operum ſuorum conſcientiâ fieri, in eo fiduciam ſuam collocet, verſ. 13. *Cùm exarſerit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo.*

ARTICULUS I.

Chriſtus eſt Rex totius Orbis.

Verſ. 6. I. Pars. 74. Quis loquitur.

PRiuſquam de ſubditis agatur, de Rege videndum eſt, cum Propheta noſtro, verſ. 6. EGO AUTEM CONSTITUTUS SUM REX AB EO SUPER SION MONTEM SANCTUM EJUS, PRÆDICANS PRÆCEPTUM EJUS. Quæres primò: Quis hic loquatur? Reſpondet Lorinus, Davidem loqui, ait enim, hæc de ipſo explicari poſſe, ſed de Chriſto præcipuè. Meliùs tamen cum S. Hier. S. Cyrillo, Origene, & aliis, ſoli Chriſto hæc tribuemus: quomodo enim de Davide verum erit? Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me? &c.

75. Chriſtus Rex Eccleſiæ ſemper fuit. Quia Summus Sacerdos. Habens poteſtatem excellentiæ. Majorem regiâ, ob quatuor.

Quæres ſecundò: An Chriſtus fuerit Rex ſpiritualis totius Eccleſiæ? Reſpondeo fuiſſe, ob ſummum ſuum Sacerdotium; Et præcipuè de hac poteſtate agi in hoc verſu. Primò, quòd dicatur Rex ſuper Sion montem ſanctum: eſt enim Figura Eccleſiæ. De Sion vide dicta, Pſ. 86. 1. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*, &c. ubi etiam de Eccl. & Pſ. 47. toto, atque variis locis. Secundò, quòd dicatur, prædicans præceptum ejus. Habuit itaque Chriſtus, ut homo, *ſupernaturalem quondam poteſtatem excellentiæ*, ut loquitur Suarez tom. 2. in 3. p. diſ. 47. in univerſam Eccleſiam, quæ meritò regia appellatur, cùm plurimis modis ſuperet omnium temporalium regum poteſtatem & dignitatem. Primò, in fine ejus, qui cœleſtis eſt, & ſempiternus. Secundò, in amplitudine, quia non ſolùm terram univerſam, ſed etiam cœlum ipſum amplectitur. Tertiò, quia non temporalis eſt & caduca, ſed æterna. Quartò, non ſolùm corporibus, ſed etiam animis dominatur, eorumque utilitatem & ſanctitatem præcipuè efficit: unde ad hunc finem cæteras res omnes ſibi ſubjectas habet. Nota, actus

Actus 4. illius poteſtatis.

hujus ſupereminentis poteſtatis ſunt. 1. Eccleſiam conſtituere. 2. Sacramenta ordinare, iiſque vim dare ſanctificandi. 3. Poteſtatem dare ad remiſſionem peccatorum, & tribunal ſtatuere, in quo ſedeant judices, qui in foro animæ etiam de internis judicent. 4. Eoſque certis verbis, vel externis ſignis, à peccatis abſolvere, & animas ſanctificare, cùm vellet. Nulli prorſus unquam tanta poteſtas eſt communicata.

76. Probatur Chriſti poteſtas regia ſpiritualis. Ex Propheta Ezechiele.

Illa poteſtas regia ſpiritualis probatur ex Scripturis, Ezech. 21. 26. *Aufer cidarim*, (cidaris erat tegumentum capitis, quo Perſarum reges peculiariter utebantur, albis maculis in cærulei coloris faſcia intermicantibus: ad alios etiam Reges traducitur hæc appellatio. 2. Pontifex Hebræorum cidari utebatur, in qua Dei nomen erat inſcriptum, Exod. 28. 4. & 36. Sumi itaque poteſt cidaris metonymicè & pro ſacerdotio, & pro regno, quæ erant à Judæis auferenda: unde additur, *tolle coronam. Nonne*

1. *hæc eſt* (corona) *quæ humilem ſublevavit?* Jechoniam in captivitate Babylonica, ubi poſt 37. annos captivitatis ab Evilmerodach filio Nabuchodonoſoris honoratus eſt, & regio habitu ac coronâ donatus: *& ſublimem humiliavit*, vel eundem Jechoniam ſeu Joachim; vel Sedeciam Regem Judæorum ultimum, quibus ipſa corona regia fuit cauſa ruinæ dejectionis. Ille enim poſt tres menſes regni abductus eſt in Babylonem juſſu Nabuchodonoſoris, hic poſt undecim regni annos excæcatus cæſis priùs ante ejus oculos liberis, eſt captivus etiam in Babylonem traductus; pergit verſ. 27. *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam*; id eſt, patiar eam coronam ab iniquiſſimis & alienigenis regibus poſſideri: & primò ab Herode Aſcalonita vitiis omnibus cooperto, deinde ab aliis: *Et hoc non factum eſt: donec veniret*, (non fiet, donec veniat) *cujus eſt judicium*, (qui eſt ſupremus totius Orbis Judex) & *tradam ei* Coronam illam; Itaque locus hic tam de regno Chriſti temporali, quàm de ſpirituali, exponi poteſt. Non placet autem Pintus, qui, eum cujus eſt judicium, explicat de Nabuchodonoſore, qui evertit Jeruſalem: neque Polychronius, qui exponit de Zerobabel, ejus urbis & templi reparatore.

Locus pulcherrimus eſt de poteſtate ſpirituali Chriſti, Ezech. 34. 23. *Suſcitabo ſuper eas* (oves, id eſt, fideles) *paſtorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David:* Chriſtum ſcilicet, cujus pater & figura erat David: ipſe verò eſt verus David, id eſt, amans & amabilis דוד *dod, amor.* Nota *dod*, & *David* non differre ullo modo in literis ſeu conſonantibus, ſunt enim eædem in utraque voce hebraica, nempe duplex *daleth*, & unum *vau:* imò nec in ipſo puncto eſt ulla diverſitas, niſi quòd punctulum, ſi ſuperponatur *vau*, fit דוד *dod*, amor; ſi verò ponatur infra *vau*, fit דוד *David*, & hoc figurat, quòd cùm Verbum divinum in cœlis amore Dei Patris & ipſorum hominum arderet, ut eum declararet nobis, homo factus eſt, & infra omnes ſe demiſit: unde hic vocatur *ſervus* ob aſſumptam humanitatem, Philipp. 2. 6. *Qui cùm in forma Dei eſſet* (cùm eſſet Deus; forma enim ſibi ſignificat naturam & eſſentiam: unde Dei forma, eſt divinitas & Deus ipſe) *non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo.* Patri vides omnia excelſa & ſublimia: vide ut illa pro nobis abjecerit, *ſed ſemetipſum exinanivit*, (ἐκένωσε exhauſit, ut vertit Tertullianus) *formam ſervi accipiens.* Vide Suar. 3. p. tom. 1. diſp. 44. ſect. 1. 2.

David Chriſti ſi humiliantis typus.

Pergit Ezechiel: *Ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem*, dupliciter erit paſtor, & in anima, *& in corpore.* 2. *In hac, & alia vita.* 3. Ut Deus, & ut homo. 4. Et Judæorum & Gentilium: fiet enim unum ovile, & unus paſtor. *Ego autem Dominus ero eis in Deum*, (& in Deum Patrem, & amatorem) *& ſervus meus David princeps in medio eorum*, (cor eorum conſervans, regens, nutriens) *Ego Dominus locutus ſum, & faciam cum eis pactum pacis:* pacificum, novum teſtamentum, quod non tantùm commendet pacem, ſed eam det. *Et ceſſare faciam beſtias peſſimas* (id eſt, vitia, & hominum malorum ac dæmonum poteſtatem) *de terra. Et qui habitant in deſerto*, (religioſi) *ſecuri dormient* (ſomno contemplationis) *in ſaltibus*, in ſylvis, & montibus. *Ponam eos in circuitu collis mei* (Sionis, id eſt, Eccleſiæ. Chald. templi) *benedictionem:* religioſi ſunt benedictio; Primò paſſivè, quia benedicuntur à Deo: Secundò activè, quia ipſi debent eſſe fons benedictionum per orationes ſuas & mortificationes, toti corpori Eccleſiæ: *Deducam imbrem in tempore ſuo: pluviæ benedictionis erunt:* conciones & Sacramenta. Lege cætera, quæ ſunt ſuaviſſima. S. Benedicto, & ejus filiis, hoc aptè applicari poſſit.

Probatur etiam ex Daniele.

De regno etiam ſpirituali Chriſti agit Daniel, ubi c. 2. deſcriptâ illâ admirabili ſtatuâ aureâ, argenteâ, æreâ & ferreâ Nabuchodonoſor Regis Babyloniorum, quâ ſignificabantur quatuor imperia, nempe Babylonicum, quod tunc florebat (nam Aſſyrium ad Babylonios perfectè transtulerat ipſe Nabuchodonoſor, factus Aſiæ monarcha anno Mundi 3452. everſâ Ninive, imperii Babylon. ann. 119.) Perſicum, Græcum, & Romanum, ait, lapidem de monte abſciſſum totam illam ſtatuam in pulvere redegiſſe, quod ſic explicat verſ. 44. *In diebus autem*

regnorum

regnorum illorum (adhuc ſtante Romano imperio temporali, ſub Auguſto) *ſuſcitabit Deus cœli regnum*, (& Deus cœli, & cœli regnum, ſi latinas voces ſpectemus: ſed hebraicæ non patiuntur cœli, referri ad regnum, ſed tantùm ad Deum: eſt enim in ſtatu abſoluto, & non in regimine) *quod in æternum non diſſipabitur* (itaque non eſt temporale, ſed ſpiritnale) *& regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet univerſa regna hæc*, (ſunt enim ad finem converſi Babylonii, Perſæ, Græci, ac Romani) *& ipſum ſtabit in æternum*, hîc inchoatè per gratiam, & in cœlo perfectè & conſummatè per gloriam. Verſ. 45. Adaptat viſioni in hunc modum: *Secundum quod vidiſti, quod de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus.* 1. De monte, id eſt, populo Judaico, qui veluti mons eminebat inter omnes Orbis nationes, ut ait S. Auguſt. tract. 9. in Joann. erat enim cœlo propior, & lucem cœleſtem uberiùs recipiebat. 2. De monte, id eſt, de B. Virgine, quæ erat mons ob eminentiam, & ſtabilitatem virtutum, atque ob theſaurum in ejus viſceribus contentum; inde abſciſſus eſt lapis ſine manibus, hoc eſt, ſine operatione viri, ut S. Iren. explicat lib. 3. S. Juſtin. in Tryph. S. Epiph. de Laud. Virg. S. Auguſt. tract. jam citato. S. Hier. ad Euſtoch. de cuſt. virg. cap. 22. aliique, *& comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum:* Imperia illa quatuor: Nam capite aureo figuratur Imperium Babylonicum: argenteo pectore & brachiis, Perſicum: ventre & femoribus æreis, Græcum: tibiis ferreis, & pedibus partim ferreis, partim fictilibus, Romam. Nota, in omnibus illis regnis vigiut ambitio, quæ figuratur capite aureo, & pectore argenteo & brachiis. 2. Luxuria, in ventre ac femoribus æreis repræſentata. 3. Avaritia, in tibiis ferreis, & pedibus ferreis atque fictilibus, id eſt, terrenis ſeu teſtaceis, oſtenſa. Hæc enim omnia Chriſtus peſſumdedit, væ inclamans ambientibus primas cathedras in ſynagogis, & honorem inanem quærentibus, ac divitibus, & luxurioſis; ac vexillum virginitatis, humilitatis, atque paupertatis, erigens. Si plura cupis de regno ſpirituali Chriſti, adjice locum pulcherrimum Dan. 9. 24. *Septuaginta hebdomades* (annorum ſcilicet, id eſt, 490. anni) *abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum*, abbreviatæ, ut Beda & Perer. explicant, quòd eſſent annorum non ſolarium, ſed lunarium, qui ſunt breviores diebus undecim: 2. meliùs, abbreviatæ: id eſt, breves, pauca; & ut Sept. vertunt *conciſa:* poterat enim Deus longè plures ſtatuere: ſi æternitatem ſpectes, quid ſunt 490. anni, cùm ante Deum mille anni ſint tanquam dies heſterna, quæ præteriit *Et ſuper urbem ſanctam tuam* (Sionem) *ut conſummetur prævaricatio.* (Tertull. lib. contra Judæos legit, quoadusque inveteretur delictum; S. Chryſoſt. orat. 2. in Jud. & Euſebius lib. 8. demonſtr. Senſum eſſe volunt, donec Chriſtus occidatur, quod eſt ſummum ſcelus, & prævaricatio conſummata: vel meliùs, Senſus eſt, donec per Chriſtum peccata Mundi tollantur, & aboleantur: itaque additur ad explicationem, *finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna*, hoc eſt, Evangelium, quod docet implere omnem juſtitiam, Matth. 3. 15. ut exponit Pintus. 2. Juſtitia ſempiterna (ſeu, ut eſt Hebr. juſtitia ſæculorum, hoc eſt, omnium hominum omnibus ſæculis viventium) eſt Chriſtus. 3. Meliùs, Juſtitia ſempiterna, eſt ſanctificatio hominum, quâ jus acquirunt ad æternam hæreditatem, ut Deum in cœlis per totam æternitatem colant, & poſſideant per amorem, viſionem, & immenſum gaudium: *adimpleatur viſio & prophetia*, Hebr. ad ſignandum, ſeu ſigillandum prophetiam. Res autem perfectæ ſolent ſigillari, ut panni, aliaque: ſed præſertim diplomata, literæ, teſtamenta. Hinc à Tertull. in Jud. Chriſtus dicitur, ſignaculum omnium Prophetarum, *& ungatur Sanctus Sanctorum*, id eſt, Sanctiſſimus, Hebr. *Kodes Kodaſim*, id eſt, ſanctitas ſanctitatum. Arab. puritas puritatum. Sanctiſſimus autem ille κατ᾽ ἐξοχὴν, eſt Meſſias ſeu Chriſtus, id eſt, unctus, 1. Unione hypoſtaticâ. 2. Gratiâ pleniſſimâ, ita ut in omnes exundet. Nam in ſummum

Lapis evertens ſtatuam auream.

Pontificem, Regem, Prophetam, Doctorem, Legiſlatorem, & Orbis univerſi Redemptorem inunctus eſt. Nota, hæ ſeptuaginta hebdomades annorum, id eſt, anni 490. ſunt inchoandæ ab anno Mundi 3596. Sextæ ætatis 80. Artaxerxis 7. Imperii Perſici 80. Eſdræ 2. Eliaſibi Pontificis 7. Olympiad. 80. ann. 3. Urbis conditæ 295. ab hoc enim anno uſque ad Chriſti mortem fluxerunt anni 490. Salianus vult anno 20. Artaxerxis incepiſſe, & agi de annis lunaribus, ſed id verum non arbitror.

De regno Chriſti ſpirituali vide prætereà Zachar. 9. ℣. 9. Jerem. 31. 33. & 33. 15. Iſaiæ 11. 2. & 42. 1. & 49. 6. & 61. 1. Hunc Deus Pater gloriâ & honore coronat, Pſ. 8. 6. id eſt, ex omni parte cingit, & conſtituit eum ſuper opera manuum ſuarum. Hebr. habent, dominari eum facies. In Pſalmo noſtro dicit ipſe: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo.* S. Hieronymus vertit: Ego autem ordinavi Regem meum. Felix conſtitui. Cajet. præfeci. Eugub. declaravi. Chald. evexi. Aquila, V. & VI. editio διεσωσάμην, incolumem præſtiti. Symmach. ἔχρισα, unxi, legunt, נסכתי, *naſacthi*, ſed Sept. legerant *niſacthi* in Nipal, ſignificat, conſtitutus ſum, ordinatus ſum, ſicut habes, Prov. 8. 23. Et ideò vertunt κατεστάθην, conſtitutus ſum: ſic etiam Arabs vertit, & benè. Loquitur enim ipſe Chriſtus, non eſt Deus Pater, ut patet ex verſu ſeq. Dominus dixit ad me, &c.

Probatur denique ex variis Prophetis.

Quæres tertiò: An Chriſtus jure hæreditario ac merè humano fuerit Rex temporalis Judæorum? Reſpondent aliqui, fuiſſe: illudque jus ex duplici capite deſumunt. Primo, Armacanus lib. 4. de quæſtionibus Armenorum cap. 15. & 16. ait, Chriſtum fuiſſe Judæorum Regem temporalem, quia B. Virgo rectâ lineâ ex familia David deſcendebat: eùmque deeſſet maſculus, debuiſſe in regnum ſuccedere: neque enim fœmina debebat excludi ab hæreditate privata, num. 27. & 39. ergò, ut infert, neque à regia. Sed primò, vivebat S. Joſeph, qui rectâ lineâ per Salomonem deſcendebat à David, ut patet Matth. 1. 16. Secundò, probabiliùs eſt, paternam lineam Virginis fuiſſe à David per Nathan, ut ait Suar. in 3. p. 77.

Chriſtum fuiſſe Regem temporalem Judæorum Armacanus putat. Quia erat Mariæ Filius.

Secundò, Franciſcus Lucas, & Cornel. à Lapide in Matt. cenſent, Chriſtum fuiſſe Regem temporalem Judæorum poſt mortem S. Joſeph, qui fuit pater ejus matrimonialis. Si enim jure communi in hæreditatem parentum ſuccedunt filii, qui duntaxat per publicam famam cenſentur filii: item illi, qui à parentibus adoptantur, quantò magis Chriſtus ſucceſſit Joſepho patri ſuo: utpotè natus ex ejus conjuge, virtute & dono Spiritûs S. Quare, ſicut Joſephus habebat in Chriſtum jus paternum, putà omnia jura, quæ habent patres in filios: ſic viciſſim Chriſtus habebat erga Joſephum jus filiale: ſcilicet omnia jura, quæ habent filii reſpectu parentum. Sed fundamentum hujus ſententiæ non poteſt probari: nempe, jus hæreditarium regni Judaici ad S. Joſephum deveniſſe: Quis enim ſcit, an eſſet maximus natu inter fratres? Aut an pater, avus, aliique majores ejus eſſent natu maximi aut primogeniti inter ſuos? Quòd itaque dicitur Chriſtus conſtitutus Rex *ſuper Sion*, per Sionem intellige Eccleſiam, in qua fuit Rex ſpiritualis. Itaque cenſet Suar. 3. p. q. 22. diſp. 48. ſect. 1. nullum jus humanum, ſeu hæreditarium Chriſto fuiſſe ad regnum temporale Judæorum. Illum conſule.

2. Franc. Lucas, quia erat filius Joſeph.

Quæres quartò: Utrum Chriſtus habuerit abſolutum & directum dominium, ac poteſtatem, in Orbis univerſi regna omnia temporalia, adeò ut poſſet illa regere, moderari, aut mutare pro voluntate? Reſp. habuiſſe, ſicque fuiſſe Regem & Dominum temporalem regnorum omnium. Hæc enim dignitas & poteſtas decebat Filium Dei, illique debebantur propter unionem hypoſtaticam. In ea opinione eſt S. Thom. lib. 1. de regim. principum cap. 12. & ſeqq. S. Antonin. 3. p. tit. 3. c. 2. Almain. lib. de poteſtate Eccleſ. cap. 8. Turrecrem. lib. 2. Summæ Eccleſ. cap. 116. Navarr. in cap. Novit. de judiciis, notab. 3. n. 8. & ſeq. & n. 130. 78.

Chriſtus habuit directum dominium temporale in totum Orbem.

Probatur primò, Prov. 8. 15. ubi de ſapientia, *Probat. 1.*

id

id eſt, de Chriſto, habetur: *Per me Reges regnant, & legum conditores* (Vatablus, conſiliarii. Chald. potentes Sept. dynaſtæ. Hebr. principes) *juſta decernunt.* Ac verſ. 16. *Per me principes imperant, & potentes* (Chald. judices juſti) *decernunt juſtitiam.*

Secundò. Secundò, Apoc. 1. 5. dicitur *Princeps Regum terræ.* Et cap. 19. 16. *Habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.* Ita Saporem Regem Perſarum, communi ipſis elogio, vocat Julius Capitolinus, cap. 24. Regem regum. Quòd autem dicitur in veſtimento, & in femore ſcriptum fuiſſe eum titulum, putat primò Cornel. à Lapide, eſſe Hendiadym, ſenſumque eſſe, q. d. in veſtimento femoris, ſive tegente femora, aut in femore veſtito. Secundò, ſimpliciùs & veriùs, Senſus eſt, q. d. tam in veſte, id eſt, in regio paludamento, quàm in ipſo Chriſti femore, fuiſſe viſam illam inſcriptionem in illa viſione imaginaria, *Rex regum, & Dominus dominantium.* Nomen porrò hoc in femore ſcribitur, ut, 1. Denotetur Chriſtum, quà Deus eſt, ſuâptè naturâ regnare, ut ait Maldonatus in Matth. 27. 11. per femur enim natura denotatur. 2. Et meliùs, ut Verbi Incarnatio ſignificetur, ſicut docet S. Greg. hom. 15. in Ezech. cùm enim femur, ut ait Valla lib. 4. partes anteriores & exteriores coxæ ſignificet: ſicut femen interiores & poſteriores, ipſas genitales partes complectitur, atque eſt generationis & hieroglyphicum & cauſa.

Tertiò. Tertiò: Pſalm. 8. 6 *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis*, (Hebr. מאלהים *me elohim*, a Deo, ut S. Hieronymus vertit, ſed meliùs Septuag. ab Angelis; hoc enim etiam ſignificat elohim: imò & principes & judices, qui imperium, dominium, & gubernationem Dei participant, ſic vocantur, Pſal. 81. 1. Minuitur autem Chriſtus præ Angelis, ob humanam naturam aſſumptam; ſed, ut eſt Hebr. *meat*, id eſt, parum: ſive reſpectu temporis: unde Syr. reddit *pauliſper*, vel, *parvo tempore*: ſive reſpectu diſtantiæ, intervalli, aut quantitatis rei, in qua minuitur, q. d. in parva re, in parva quantitate, infra illos minuitur. Græcè *βραχύτι*. Nam in multis Angelos ſuperat, nempe in unione cum perſona Verbi, in ſapientia, gratia, virtutibus & gloria. Pergit David, *gloriâ & honore coronâſti eum*; id eſt, primò, coronam ei gloriæ, quam meruit, dediſti. Secundò meliùs, copioſâ gloriâ eum circumcinxiſti & vallâſti ex omni parte, omnes illi ſubjiciens, & Regem omnium hominum & Angelorum conſtituens, *& conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Hebr. dominari eum feciſti ſuper, &c. dominum ſtatuiſti totius Mundi, *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, ſub humilitate Incarnationis, & explicat ſanctus Anſelmus: *Oves & boves univerſas*, &c. nec enim Chriſtus eſt tantùm Rex hominum, ſed etiam Dominus omnium creaturarum, iis utens ad libitum. Hunc locum ipſi tribuit S. Paulus Hebr. 2. unde non licet de ejus ſenſu dubitare.

Quartò. Quartò: Matth. 28. 18. Chriſtus in monte Oliveti Diſcipulos ſuos alloquens, antequam in cœlum aſcenderet, eos mox relicturus, ut iis animos addecet, ait: *Data eſt Mihi* (ſoli, etiam quà homo ſum, ut ait S. Cyrillus, & S. Greg. Nyſſen.) *omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Itaque Reges omnes ſunt velut mei vicarii: non quòd non ſint veri domini; ſed quòd à mea voluntate pendeant, & poſſim eos conſervare, tollere, augere, & minuere pro arbitrio. Sic S. Thomas lib. de regim. princip. vocat Auguſtum Cæſarem, *Chriſti vicarium.*

79. *Triplex genus dominii.* Nota, triplex eſt dominium. Primò, divinum, quod directè cadit in res omnes etiam quoad deſtructionem, & conſervationem: illud cùm ſit ab omni alio independens, eſt prorſus incommunicabile. Secundò, eſt dominium merè humanum, quale videmus in regibus & principibus. Tertiò, eſt dominium aliud inter illa duo medium, quod, ut ait Suarez, creatum quidem ſit, ſub divino exiſtens & ab illo pendens, & in creata voluntate & libertate fundatum; excellens tamen, ac ſuperans omnia dominia & regna humana. Primùm, in origine, cùm à Deo manet, & non ab hominibus. Deinde in ejus firmitate & ſtabilitate, quòd non ſit caducum, ſed ſtabile & æternum. Tertiò, in materia ſeu objecto, quòd ad res omnes creatas ſe extendat, etiam ad Angelos, & ad omnem uſum tam naturalem, quam ſupernaturalem. Hoc autem genus dominii medii poſſibile eſſe, non videtur poſſe dubitari, cùm nullam in ſe repugnantiam involvat. Et Deus, qui eſt ſupremus omnium Dominus, potuit ſui dominii participationem, prout voluerit, communicare. Hoc autem eſſe Chriſto communicatum probat dignitas unionis hypoſtaticæ, & jam dicta ſuprà.

Quæres quintò: Quandonam inceperit illud Chriſti regnum? Nota, Si Divinitatem ſpectes, Chriſtus eſt Rex ab æterno. Non enim tantum dicitur Pſ. 28. 10. *Sedebit Dominus Rex in æternum*: ſed etiam Prov. 8. 23. *Ab æterno ordinata ſum*, &c. ibi loquitur increata Sapientia, id eſt, Verbum divinum: vocatur etiam, Sap. 7. 72. *Candor lucis æternæ.* Pſal. 109. 3. ait illi Pater æternus, *ex utero ante Luciferum*, id eſt, ante ſtellam auroræ præviam, *genui te.* Vide illum locum. Itaque jure vocatur à ſancto Joanne, Apoc. 15. 3. *Rex ſæculorum*, tam futurorum, quàm præcedentium. Nota 2. Si humanitatem ſpectes, Chriſtum eſſe conſtitutum Regem in tempore à Deo Patre, & hoc dicit Propheta noſter: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus.* 80. Chriſtus ut Deus, eſt Rex ab æterno.

Dico itaque primò, Chriſtum ab ipſa Conceptione Regem fuiſſe totius Orbis, & habuiſſe illud excellens dominium, de quo dixi, ſuper omnes creaturas. Ratio eſt, quia hoc illi competit propter unionem hypoſtaticam: itaque, ſtatim illa poſita reſultavit jus in omnia, & Chriſtus eo uti poterat, cùm haberet uſum rationis perfectiſſimum, omnique gloria & honore eſſet coronatus: Unde ſtatim eum adoraverunt Angeli, ut Regem ſuum, & ipſe eorum obſequium ſibi præſtitum ſuſcepit, Hebr. 1. 6. *Cùm iterum introducit Primogenitum in Orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus.* S. Chryſoſt. & S. Ambroſ. in eum locum, ac S. Cyrill. lib. de fide ad reginas, dicunt, Chriſtum, quâ Deus eſt, primò introductum fuiſſe in Orbem per æternam generationem: Nam ſtatim, ut genitus eſt à Patre, ſpatia omnia implevit, in quibus poſteà Orbis eſt creatus: nempe, cœlum, terram, & in eis contenta. Iterùm verò, id eſt, ſecundò, per Incarnationem, cùm in utero Virginis conceptus eſt, fuiſſe in Orbem introductum. 81. Chriſtus ut homo fuit Rex ab ipſa Conceptione.

Pſal. 109. 3. *Tecum principium* (principatus, ut legit S. Chryſoſt.) *in die virtutis tuæ*, fortitudinis, ut S. Hieron. vertit: Sept. *δυνάμεως*, poteſtatis, roboris. Incarnationis diem hic denotari cenſent Genebr & Lorin. Tunc enim Deus fecit potentiam in brachio ſuo, Luc. 1. 51. Regem enim potentiſſimum conſtituit. Ut enim ait S. Cyr. lib. 3. in Joan. cap. 2. qui cum Deo Patre ſemper regnat, Regem ſe conſtitutum fatetur. Homo enim factus, cui regnare naturaliter non eſt proprium, regnum accipere dicitur, quod naturaliter ut Deus ſemper habet, ita ipſe. S. verò Chryſoſt. in pſal. 109. locum cit. dicit: *Quid eſt, tecum principatus? In te, ait, eſt principatus, qui non poſteà acceſſit, ſed in te eſt perpetuò. Hoc eſt, in ipſa, ἐν οὐσίᾳ αὐτοῦ, ἐν τῇ φύσει αὐτοῦ, in ſubſtantia ejus, in natura ejus.* Poteſt S. Chryſoſt. etiam de ipſo Conceptionis puncto exponi, ſubdit enim: *Ipſe habuit principatum in natura, in ſubſtantia; ut qui non eam acceperit, poſtquam fuit genitus, nec extrinſecùs importatam aut adventitiam poſſederit, ſed ita ſit genitus. Et ideò de regno interrogatus dicebat, Joan. 18. 37. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in Mundum.*

Quare non equi hinnitu, ut Darius in Perſide: non ſomno, ut Changius faber ferrarius in Tartaria: non ob liberalitatem: ut in Polonia Piaſtus antea agello colendo & mellificio vitam ſuſtentans: non adoptione, aut tyrannide, aut jure belli, aut electione, aut jure humano parentum, ut innumeri: ſed à principiis ſibi intrinſecis, & à natura habet Chriſtus, ut ſit Rex hominum & Angelorum omnium. 82. Vario modo reges creantur. *Darius. Changius. Piaſtus.*

Sa-

Sapor creatur Rex, antequam naſcatur.

Sapor Perſarum Rex in utero materno creatus eſt, ipſo utero coronato. Cùm enim magi prædixiſſent reginam gravidam parituram eſſe maſculum, & peritiam ſuam in prædictione alia probâſſent, de principum & magnatum conſenſu ventri ejus corona eſt impoſita, & rex acclamatus, qui necdum erat natus. At verò, ante ipſam Chriſti Conceptionem ait Deiparæ Gabriel Angelus, Luc. 1. 32. *Dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Domus Jacob, ut ait Beda, eſt Eccleſia. In ea regnat nunc Chriſtus per gratiam, & in cœlo regnabit per gloriam: *& regni ejus non erit finis.* In conceptione unctus eſt, & conſecratus Rex, Pſal. 44. 8. *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*, præ participibus tuis, ut S. Hier. id eſt, ſociis, ut Symm. vertit. Unctionem autem illam primò, de gratia unionis hypoſtaticæ exponunt S. Greg. Naz. S. Juſtin. in Tryph. S. Cyrill. Alex. & alii. Secundò, de gratia ſanctificante, S. Athan. orat. 2. contra Arianos: De gratia capitis, quæ eſt eadem realiter cum ſanctificante, & differt ratione, quòd propter eminentiam ſuam ad alios derivetur, poſſis explicare. Nota, ungi ſolebant reges & ſummi ſacerdotes Judæorum: qua de re aliàs fuſiùs dicetur, Pſal. 19. ſect. 2. articulo primo.

83. Semper fuit Rex Chriſtus, & id oſtendit: Primò, in Nativitate.

Dico ſecundò: In nativitate, vita, paſſione, aliquos illius regiæ dignitatis radios Chriſtus oſtendit: in Aſcenſione autem fuit & in judicio extremo, & tota æternitate exiſtet lux perfecta & conſummata.

Ac primò: Regem ſe Chriſtus in ipſa nativitate oſtendit, cùm & devolantes ex aula cœleſti principes accivit, & ex Judaica ſtirpe paſtores, & ex gentilitia ſuperſtitione Reges, qui ſuum illi tributum honoris deferrent. Neque in anima ſibi defuerunt, cùm ſtella, quæ, ut canit Prudentius in hymno Epiph. *Solis rotam* vincebat & lumine, in Oriente apparuerit, & radiis clarioribus ac longioribus verſus Judæam extenſis, oraculum Balaam atque Sibillarum in memoriam revocavit tribus Regibus Magis, id eſt, ſapientibus. Illi verò ſtatim itineri ſeſe accingentes, ubi Jeroſolymam ſunt ingreſſi, clamaverunt, Matth. 2. verſ. 2. *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?* Id eſt, qui naturâ & nativitate eſt Rex Judæorum, imò & totius Orbis, ut ſuprà dixi. Ubi verò ſtella ſtante, inſtar ſatellitis & ſervi, ſupra locum, ubi erat puer, *intrantes domum*, (id eſt, hoſpitium aliquod, ad quod ex ſtabulo diverterant Deipara, & S. Joſephus, ut cenſet S. Epiph. hær. 51. vel ſtabulum, ut S. Aug. ſerm. 1. & 2. Epiph. S. Juſtin. in Tryphon. S. Chryſoſt. S. Greg. Nyſſ. S. Thom. 3. p. q. 32. & Suar. tom. 2. in 3. p. d. 14. ſect. 4. *Intrantes invenerunt Puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum.* Arab. Prociderunt eum adorando. Non requirunt Macedonum chlamydem, ut Aſſyriorum tiaram, aut Romanorum trabeam, Numidarum candidam in fronte vittam, Siculorum purpuream veſtem, reliquorum principum apparatum, ut Regem agnoſcant & venerentur: ſed in ipſo ſtabulo adorant. Hinc S. Bern. ſerm. 1. de Epiph. ſic eos alloquitur: *Quid facitis ò Magi! quid facitis? Lactentem Puerum adoratis, in tugurio vili, in vilibus pannis. Ergone Deus eſt iſte? Deus certè in templo ſancto ſuo, Deus in cœlo ſedes ejus, & vos eum quæritis in vili ſtabulo, in matris gremio? Quid facitis, quòd & aurum offertis? Ergò Rex eſt iſte? Et ubi aula regia, ubi curia regalis frequentia? Numquid aula eſt ſtabulum, thronus præſepium, curia frequentia Joſeph & Maria? Non illis ſordes ſtabulum, non panni offenduntur, non ſcandalizantur lactentis infantiâ. procedunt: venerantur, ut Regem, adorant, ut Deum.* In ſuis muneribus teſtabantur ſe agnoſcere eum Regem: ſinguli enim triplex munus obtulerunt: nempe aurum, thus & myrrham, ut S. Ambroſ. S. Greg. S. Anſelmus, Abulenſis, & alii docent: auro autem Regem eſſe declarabat, ut S. Leo, S. Ambr. lib. 2. in Luc. Juvencus presbyter, cæterique tradunt. Unus S. Leo ſufficiat ſerm. 1. in Epiph. Adorant, ait, in carne Verbum, in infantia ſapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum majeſtatis, utque ſacramentum fidei ſuæ intelligentiæque manifeſtent, quod cordibus credunt, muneribus proteſtantur. Thus Deo, myrrham homini, *aurum offerunt Regi*, ſcienter divinam humanamque naturam in unitate venerantes: quia, quod erat in ſubſtantia proprium, non erat in perſona diverſum, ita S. Leo. Aurum eſt regni ſymbolum, quia inter metalla primum locum tenet, ſuo ſplendore inter illa emicat. Plato lib. 3. de Republ. *Deus*, inquit, *formans omnes, qui inter nos apti ſunt ad imperandum, aurum in ipſorum generatione miſcuit: ideò ſunt honoratiſſimi: eorum autem ſubſidiariis, argentum: agricolis verò & ſimilibus, ferrum atque æs.* Suetonius in Auguſto c. 94. ait: Julium Marathum ſcriptis prodidiſſe, ante paucos, quàm Auguſtus naſceretur, menſes prodigium Romæ factum publicè, quo denunciabatur regem populo Romano naturam parturire. Senatum exterritum cenſuiſſe: ne quis illo anno genitus educaretur, ſed hoc fuiſſe impeditum. Longè plura ante Chriſti ortum, & oracula Prophetarum ac Sibyllarum, & prodigia, Orbi Regem parari declaraverunt, de his agemus ſuo loco. Niceph. Call. lib. 1. hiſtor. cap. 17. aſſerit, ipſum Auguſtum Cæſarem Romæ in Capitolio aram maximam extrui curaviſſe cum hac epigr. *Ara primogeniti Dei*, quòd à Pythio Apolline efficaciam Chriſti his verbis expreſſam accepiſſet:

Me puer Hebræus, divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub orcum.
Aris ergò dehinc tacitus abſcedito noſtris.

Secundò: In vita, operibus ſe ſuis Regem Chriſtus probavit. Apocal. 19. 16. Qui habet in veſtimento ſuo, & in femore ſcriptum: Rex regum 84. Secundò, in vita.
& Dominus dominantium: quod S. Ambroſ. expendens, ait: *Habet in femore ſcriptum, quòd ipſe ſit Rex regum: quia in operibus, quam carne poſitus geſſit, cognitum eſt eum eſſe verum Dei Filium.* Univerſæ creaturæ eum Regem ac Dominum ſuum agnoverunt, eique obedierunt, Deus enim Pater illi omnia ſubdidit, Matt. 8. 27. *Venti & mare obediunt ei.* S. Gregorius hom. 10. in Evangelia, probat, omnia illi obediviſſe: *Omnia elementa*, inquit, *Auctorem ſuum veniſſe teſtata ſunt: Deum hunc cœli eſſe cognoverunt, quia protinus ſtellam miſerunt. Mare cognovit, quia ſub plantis ejus ſe calcabile præbuit. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis ſuæ radios abſcondit. Saxa & parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus ſciſſa ſunt. Infernus agnovit, quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit. Et tamen hunc, quem Dominum inſenſibilia elementa ſenſibilia, adhuc infidelium Judæorum corda Deum eſſe minimè cognoſcunt, & duriora ſaxis ſcindi ad pœnitendum nolunt.* Etſi Deum pauci agnoverunt, Regem tamen multi facere voluerunt. Joan. 6. 15. Meſſiam ſcilicet, ut ait Cornel. quem Judæi putabant daturum ſibi copiam frumenti, vini, olei, auri & argenti. Tunc quinque panes hordeaceos & duos piſces multiplicans quinque virorum millia verſ. 10. paverat: adde mulieres ac parvulos, quantus erit numerus?

Specimen quoddam regiæ ſuæ dignitatis præbuit in ingreſſu Jeroſolymæ urbis regiæ, cùm totus populus portis effuſus cum ramis palmarum obviam ei proceſſit, & laudes ejus decantavit, ut, ſicut ait S. Matthæus cap. 21. 5. impleretur, quod dictum eſt per Prophetam Zachariam: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus, &c. Verba Zach. cap. 9. ℣. 9. ſunt: *Exulta ſatis* Hebr. מאד *meod*, valdè. Chald. vehementer, *filia Sion*, (urbs Sion: urbes puellæ vocantur, & ut puellæ pinguntur) *exulta filia Jeruſalem. Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator.* Hebr. נושע *noſa*, ſalute plenus, ſalute circumdatus. Non enim eſt una ex literis Heemanticis, & in hoc loco eſt formativa nominis: ſicut in Nemrod, quod à *morad* deducitur: & Neptali à *phatal*. Malè aliqui ſumpſerunt hîc noſa, pro Benoni, id eſt, participio in conjungatione Niphal, & ſignificare volunt ſalva-

tum: eſt enim Chriſtus Salvator, nec ipſe eget ſalvatore, qui alios ſalvat. In oblatione palmarum poſſis conſiderare, Judæos fateri Chriſtum Regem eſſe victoriarum Authorem.

85. Tertiò, in paſſione.

Tertiò: In ipſa Paſſione, Rex eſt ſæpiùs proclamatus. Primò, à Pilato Judææ Præſide, qui cùm audiret inclamantes, Crucifige, crucifige eum, ait Joan. 19. 15. *Regem veſtrum crucifigam?* Milites poſt flagellationem exuentes JEſum, *chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Chlamys propriè eſt veſtis militaris, pallio brevior, multò ac ſtrictior *une cape:* militis igitur alicujus detrita chlamys injecta eſt humeris Chriſti, quæ, quia erat coccinea, ſpeciem aliquam regis referebat, ſed theatralis & deridendi. S. Marcus & S. Joannes purpuram vocant: vel, quia color coccineus & purpureus ſæpè confunduntur ob ſimilitudinem: vel quia erat hæc chlamys dibapha, hoc eſt, bis tincta: primò, cruore purpuræ piſcis: ſecundò, cocco, id eſt, grano ex arbuſcula illici ſimili, vel ex rubenti gramine, naſcente: Chlamyde autem, ut ait Plut. in Eumene, nulla veſtis fuit regalior apud Macedones: atque, ut dicit Caſſiodor. lib. 2. epiſt. 2. purpuræ color regnantem diſcernit, dum conſpicuum facit, ne de aſpectu Principis poſſit errari. Itaque ſapienter S. Cyrill. lib. 12 in Joan. cap. 15. ait: *Per purpuream veſtem regnum totius Mundi, quod per fidem Chriſtus accepturus erat, ſignificatum fuiſſe volunt.* In corona quoque ſpinea capiti ejus impoſita idem repræſentatur, verſ. 29. & Marc. 15. 17. & ſeq. Joan. 19. 2. Hoc monet S. Bernard. de Paſſione Domini cap. 19. *Licèt in irriſione coronent, tamen ignorantes & irridentes coronatum Regem fatentur. Ergò Rex eorum, vel ab ipſis neſcientibus demonſtratur.* Et S. German. Patr. Conſtant. orat. in Sepult. Chriſti: Purpura illa, inquit, & corona ex ſpinis plexa ante crucem, confirmabat *victoriam dicentis:* Confidete, ego vici Mundum, Mundique Principem.

2. Crux ipſa regium fuit inſigne. Iſaiæ 9. 6. *Factus eſt principatus ſuper humerum ejus.* Ingenioſè nonnulli cabaliſticè exponunt vocem משרה *miſra*, quæ ſignificat principatum: per מסיר שרה *miſſir, ſara*, hoc eſt, *ex ſpina imperium:* ut denotetur, per coronam ſpineam, & crucem, datum eſſe Chriſto imperium. S. Bern. ſerm. 2. Epiphan. *Apparet quidem in corona paupertatis, in corona miſeriæ, coronandus à familia ſua, corona juſtitiæ, quando exibunt Angeli, & tollent de regno ejus omnia ſcandala, quando venit ad judicium cum Senioribus populi.* Et de cruce S. Auguſt. ſerm. 7. de tempore: *Meritò crux Chriſti dicitur principatus: quia per eam diabolus vincitur, & totus Mundus ad Dei gloriam revocatur.* Vide dicta Pſ. 9. ſect. 1. ubi probo, crucem eſſe Chriſti currum triumphalem, thronum, ſceptrum, & coronam. Tertull. lib. contra Judæos, in cruce regnum vidit, cùm ait: Quis omninò Regum inſigne poteſtatis ſuæ *humero præfert*, & non aut in capite diadema, aut in manu ſceptrum? Sed ſolus Rex novus novorum ſæculorum, Chriſtus JEſus, novam gloriam, poteſtatem & ſublimitatem ſuam *in humero extulit;* crucem ſcilicet, ut ſecundùm Davidis Prophetiam exinde regnaret. Ita ipſe, Pſalm. 95. 10. juxta Sept. habemus, *regnavit à ligno Deus*, & ſic legerunt S. Aug. S. Leo ſer. 4. de paſſ. S. Greg. hom. 6. in Ezech. S. Iſid. de voc. Gent. cap. 25. S Ambr. in 1. ad Cor. S. Bern. ſerm. 1. de reſurr. & alii. Vide ibi dicta. Nota, Hebræi vocant Principem נשיא *naſi*, q. d. portitorem, portantem, bajulum: græci *βασιλέα*, q. d. *βάσιν λαοῦ* baſim & fundamentum, atque columnam, & ſuſtentaculum ſeu fulcrum populi: Luc. 19. 17. *Bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, hebraicè autem Golgota.* Nota, bajulat ſibi crucem, ut ſe Regem probet: bajulat nobis, ut in cruce peccata noſtra portet. S. Aug. tract. 117. in Joan. crucis vim regiam prædicat. *Grande*, ait, *ſpectaculum: ſed ſi ſpectet impietas, grande ludibrium; ſi pietas, grande myſterium: Si ſpectet impietas, grande ignominiæ documentum: ſi pietas, grande fidei monumentum. Si ſpectet impietas, ridet Regem, pro virga regni, lignum ſui portare ſupplicii: ſi pietas, videt Regem bajulantem lignum ad ſemetipſum figendum, quod fixurus etiam erat in frontibus Regum, in eo ſpernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum.*

3. In titulo ſupra Crucem poſito, apertè Rex Chriſtus declaratur, Joan. 19. verſ. 19. *Scripſit autem & titulum Pilatus: & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum: JEſus Nazarenus, Rex Judæorum:* & erat ſcriptum hebraicè, græcè & latinè: ita ut ſicut ait Baron. anno Chriſti 34. num. 119. in ordine nobilior locus, ac proinde prior ille ſit viſus, qui Chriſto eſſet vicinior, ſicque Latina prior, noviſſima verò Hebraica (ut quæ Græca inferior & Barbara à Romanis haberetur) poſita eſſet inſcriptio. Siquidem apud eos in theatro locus infimus Senatorum, ſummus verò plebis: & in triumpho poſtremus Imperatoris: ſed & in triclinio noviſſimus Conſulis erat: ſicque ſedendo, procedendo, & recumbendo, locus ultimus primus eſſet, ita ipſe. Qui ſe humiliat, exaltabitur: docet JEſus recumbendum eſſe in noviſſimo loco. Sed ad rem redeamus. S. Cyrill. Alex. lib. 12. in Joan. cap. 19. advertit, in his tribus linguis ſcriptum titulum denotare, Chriſtum eſſe Regem totius Orbis. Verba ejus ſunt: Divinitùs, ut ego puto, factum eſt, ut trium linguarum, quæ præcipuæ ſunt, literis titulus ſcriptus fuerit. Omnium enim gentium regnum Chriſto attributum eſſe ſignificavit. Ipſe enim, ait Daniel, honor, & regnum datum eſt, & omnes tribus & linguæ ipſi ſervient, ita Cyr. In eo verò vim facit S. Ambroſius, lib. 10. in Luc. quòd titulus ille fuerit ſupra crucem: *Meritò*, inquit, *ſupra crucem titulus. Non enim humani corporis, ſed divinæ poteſtatis eſt regnum, quod habet Chriſtus: meritò ſupra crucem titulus, quia, licèt in cruce erat Dominus JEſus, ſupra crucem tamen Regis majeſtate radiabat. Latro etiam in cruce Regem agnovit. Luc. 23. 42.*

86. Quartò, in reſurrectione.

Quartò: in Reſurrectione, Regem ſe & Victorem Chriſtus probavit, & hoſtem ſpolians, & de eo triumphum agens, Pſalm. 23. 7. dicunt Angeli eum ad limbos deſceſurum præcedentes, ſicut explicant S. Athanaſ. orat. 4. in Arian. S. Chryſologus ſerm. 65. S. Epiphan. orat. de ſepul. Chriſti, S. Chryſoſtomus hom. quòd Chriſtus ſit Deus, & alii multi: *Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales*, portæ æternæ, ut legit Tert. in Scorp. cap. 10. *Et introibit Rex gloriæ*, id eſt, glorioſus: Act. 2. verſ. 2. *Vocatur Deus gloriæ.* Et 1 Cor. 2. 8. *Dominus gloriæ.* S. Cypr. lib. 2. contra Judæos legit illud Pſal. *Rex claritatis.* Verſ. 8. dicitur Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio Crucis ſcilicet, & verſ. 10. *Dominus virtutum.* Hebr. *Sabaoth*, id eſt, *exercituum*, ut S. Hieron. vertit, & Aquila reddit, *Dominus militiarum:* cœleſtis, & terreſtris.

Pſalm. 109. 3. ait Deus Pater Chriſto: *Tecum principium* (Gr. ἀρχὴ, id eſt, principatus) *in die virtutis tuæ.* Diem illum Genebrardus explicat de reſurrectione ejus, in qua poſt mortem cœpit glorioſiſſimè regnare, *in ſplendoribus Sanctorum.* Chald. ſplendoribus ſanctitatis. Aquila, venuſtatibus ſanctis. Hoc de dotibus corporis glorioſi explica. VI. editio, in gloria Sanctorum. Vide illum locum: *ex utero ante Luciferum genui te.* S. Hieron. vertit, de vulva orietur tibi ros adoleſcentiæ tuæ. De hac re commodiùs dicetur verſ. ſeq. ubi de reſurgente Chriſto ait Pater æternus: *Ego hodie genui te.*

87. Quintò, in cœlum aſcendens. 1. Elevans ſe in altum ſuâ virtute.

Quintò: Dies virtutis Chriſti præcipuè fuit dies Aſcenſionis in cœlum: tunc enim accepit poſſeſſionem regni ſui. Primò, ſe Dominum probat in elevatione per propriam virtutem. Act. 1. 9. *Videntibus illis elevatus eſt.* Luc. 24. 50. *Ferebatur in cœlum.* Franci olim clypeo impoſitum regem humeris portabant, & adorandum exercitui ac populo proponebant: id etiam fecerunt variæ nationes. Plato ait, reges eſſe θεοὺς ἐξ ἀνθρώπων, *Deos ex hominibus*, Jeſus eſt homo Deus, à

ſummo

ſummo cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus. Secundò, regiam ſuam poteſtatem oſtendit in deductione captivorum ſecum, Epheſ. 4. 8. *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem*, (id eſt, captivos) *dedit dona hominibus*, In Pſalmo 67. erat, verſ. 19. accepiſti dona in hominibus, id eſt, pro hominibus: vel, propter homines. Hebræi enim uſurpant Beth etiam loco pro, & propter. Tertiò, ut Regem ſuum ſuſceperunt & adoraverunt Angeli, è cœlis occurrentes venienti. Illud enim Pſal. 23. 7. de limborum deſcenſu explicatum, verius eſt de Chriſti in cœlum aſcenſu, ut ibi oſtendam. Attollite portas, &c. Nunc ſufficiat S. Auguſt. ſermon. 5. de Reſur. *Viderunt cælites cuncti ſpecioſum vulneribus Chriſtum, ſpolia è caſtris tyrannicis reportantem, & admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis, deducúntque lætantes. Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Id eſt, glorioſus. Eſt quoque Rex gloriæ: id eſt, totius aulæ cœleſtis, & omnium glorificatorum. Quartò, ut Rex ſuper omnes Angelos, Archangelos, & omnes ſpiritus cœleſtes aſcendit, in throno ad dexteram Patris poſito ſeſſurus. Pſal. 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo*, (Pater Filio) *ſede à dextris meis*: ad dexteram, ut legit S. Ambroſ. S. Cypr. lib. 2. c. 26. Tert. lib. 4. contra Marcion. S. Aug. tract. 8. in Joan. Sedere porrò ad dexteram, eſt tenere primum locum inter electos. Vide ibi dicta. Quintò, illi dat Pater coronam regiam, & ſceptrum, poteſtatémque in omnem creaturam, & ejus poteſtatis pleniſſimum uſum, ſubdens ejus voluntati omnia tam naturalia, quàm ſupernaturalia & gratiarum donationem aut ſubtractionem ad libitum. Dan. 7. 13. *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli quaſi Filius hominis veniebat, & uſque ad Antiquum dierum pervenit: & in conſpectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem* (judicandi & regnandi) *& honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ſervient ei.* S. Juſt. ac S. Cypr. legunt; Omnes *reges terræ* per genus, & *omnis claritas* (omnes clari & illuſtres) ſervient ei. Sic erunt veri reges: quia ſervire Deo, regnare eſt. Sextò, illum in Regem omnes ſuſcipient. Apocal. 5. 4. *Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & Seniorum: & erat numerus eorum millia millium. Dicentium voce magnâ: Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem* (accipere, non in ſe, cùm jam eſſet Deus; ſed in mente, & cognitione hominum) *& ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*, & omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Septimò, Regem ſe liberalem oſtendet. Epheſ. 4. 8. *Dedit dona hominibus*: dona ſcilicet Spiritûs ſancti, ut explicat S. Ambroſ. & S. Hieronymus: dedit etiam ipſum Spiritum ſanctum, qui eſt donum donorum, quem promiſerat Apoſtolis, Joan. 16. 7.

2. Deducens captivos.

3. Ab Angelis adoratus.

4. Ad dexteram Patris ſedens.

5. A Patre coronatus & poteſtatem accipiens.

Quam poteſtatem ubique oſtendit.

Sic regiam ſuam poteſtatem oſtendit in terra, in inferis, & in cœlis, ut ſe omnium Dominum probaret, Epheſ. 4. 10. *Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cælos*, & ipſum empyreum, ita ut ſuper illud emineat, ſitque in illo ſpatio inani aut toto corpore, aut parte corporis, ac pedibus inſiſtat convexæ ejus ſuperficiei, ut S. Thom. S. Anſelm. Corn. à Lap. & alii cenſent. 2. *Super omnes cælos*, tum ſtellarum errantium, tum fixarum, in cœlum empyreum & ejus partem nobiliſſimam aſcendit. Hic ſecundus ſenſus magis placet, & aliàs infrà confirmabitur, *ut impleret omnia*. 1. Ut fructu ſui ſanguinis loca omnia repleret, ſicut explicat S. Hieron. 2. Ut impleret omnes electorum hominum & Angelorum ſedes, ut S. Anſelm. 3. Ut donis ſuis omnes compleret, ſicut S. Ambr. 4. Ut ubique gloriam ſuam, virtutem, & poteſtatem declararet, ſicut Theophylactus & Oecumenius. Nam, ut dicit S. Bern. ſerm. 2. de Aſcenſ. Aſcendit Chriſtus ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia: jam enim, cùm ſe Dominum univerſorum, quæ ſunt in terra, & in mari, & in inferno, probâſſet, non reſtabat, niſi ut *aeris & cælorum* ſe eſſe Dominum, argumentis ſimilibus, vel certè potioribus approbaret. *Terra* enim cognovit Dominum, quia ad vocem virtutis ejus, cùm clamâſſet magnâ voce: Lazare, veni foras, mortuum reddidit. Cognovit *mare*, quia ſolidum ſe præbuit ſub pedibus ejus: ita ut Apoſtoli eum putarent phantaſma eſſe. Cognovit *infernus*, cujus ipſe portas æreas, & vectes ferreos confregit: ubi & ligavit illum inſatiabilem homicidam, qui vocatur Diabolus & Satanas. Profectò qui mortuos ſuſcitavit, leproſos mundavit, cæcos illuminavit, claudos firmavit, & omnem exſufflavit infirmitatem, Dominus omnium fuit, & eâdem, quâ fecerat, manu, quæ defecerant, reficiebat. Atque poſteà ſubdit: ad claudendam igitur tunicam tuam inconſutilem, Domine JEſu, ad perficiendam fidei noſtræ integritatem, reſtat, ut videntibus diſcipulis per medium aëris, ſicut aëris Dominus, aſcendas ſuper omnes cœlos. Ex tunc probabitur, quia *Dominus univerſorum tu es*, quia *omnia in omnibus adimpleſti*, & jam tibi profectò debebitur, ut in nomine tuo omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur; quia tu es in gloria, & in dextera DEI Patris. Ita Bernardus.

88. *Sextò, Regem ſe Chriſtus oſtendet in die judicii.*

Sextò: In judicio extremo Chriſtus poteſtatem ſuam regiam, velut gladium habemus in vagina reconditum, exeret: tunc ante ipſum columnæ ipſæ cœlorum contremiſcent, eúmque venerabuntur omnes homines & Angeli, Hebr. 1. 6. *Cùm iterùm introducit Primogenitum in Orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*; primò, fuit introductus Chriſtus in Orbem per Incarnationem, iterùm introducetur in die judicii. S. Matthæus agens de Chriſto judicaturo in fine Mundi, eum Regem vocat, cap. 25. 34. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti, &c.* Cauſam inquirens Abulenſ. q. 357. ait, ſic appellari, cùm eſt mentio judicii: quia ad Regem pertinet magnitudo apparatûs, & magnitudo poteſtatis, & exercitium gubernationis. S. Chryſoſt. hom. 35. de petitione filiorum Zebed. *βασιλέως μάλιστα*, inquit, *τὸ κρίνειν καὶ δικάζειν.* Regia eſt maximè, judicare ac diſceptare, honores deferre ac ſupplicio afficere. Chriſtus eſt verus Melchiſedech, id eſt, Rex juſtitiæ, de illo dicitur, Pſal. 44. 7. *Sedes tua Deus* (S. Hier. thronus tuus) *in ſæculum ſæculi*, (S. Aug. in ſæcula ſæculorum) *virga directionis, virga regni tui.* S. Hieron. *Sceptrum æquitatis, ſceptrum regni tui*: ſceptrum ſumitur metonymicè pro exercitio poteſtatis regiæ, cujus ſignum eſt ſceptrum: id eſt, juſtitiam exercebis, juſtè gubernabis, & cum æquitate ac rectitudine. S. Bern. ſerm. 2. de Epiph. *Coronandus*, inquit, *à familia ſua corona juſtitiæ, quando exibunt Angeli, & tollent de regno ejus omnia ſcandala, quando veniet ad judicium cum Senioribus populi ſui, cùm pugnabit pro eo Orbis terræ contra inſenſatos.*

89. *Emblema Chriſti, Regis, Judicis & Vindicis.*

Chriſtus Rex, ac Judex, & Vindex depingitur egregio emblemate, Apocal. 19. verſ. 11. Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, *Vocabatur Fidelis, & Verax*, (promiſſa complens fideliter) *& cum juſtitia judicat, & pugnat*, id eſt, juſtiſſimè, & jure æquiſſimo. *Oculi ejus ſicut flamma ignis*, id eſt, flammantes atque fulgorantes propter iram contra ſceleratos, *& in capite ejus diademata multa*: eſt enim Rex regum, & regnorum omnium: diadema porrò, erat faſcia candida, quâ regum capita cingebantur. *Et veſtitus erat veſte aſperſâ ſanguine*: apparebunt enim ſtigmata in ejus corpore: *Et vocatur nomen ejus, Verbum Dei. Et exercitus, qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti albo byſſino, & mundo*, ut denotent: 1. Suam puritatem & innocentiam. 2. Felicitatem, gloriam & triumphum. Nam lætabitur juſtus, cùm viderit vindictam. *Ex ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus*, ſententia damnationis

Piorum in die judicii.

ſtris, Matth. 25. 33. Secundò, ſubſannabit, dicens: Eſurivi, &c. improperando, verſu 42. Tertiò, loquetur in ita ſententiam ferendo, verſ. 41. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Quartò, conturbabit, ſententiam exequendo. Ibunt hi in ſupplicium æternum, verſu 46. Subſannationem hanc impiorum per aliam catachreſim poſſis exprimere verbis Dei ipſius, Amos 2. verſu 13. *Ecce ego ſtridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno.* Primò, Deus ſtridet ſub fœno, id eſt, ſub vita & peccatis carnalium, qui nihil aliud ſunt præter fœnum. Pſalmo 128. verſu 6. Iſaiæ 37. verſu 27. & 40. 6. Michææ 4. verſu 12. R. Abraham, non eſt, ait, robur, ut feram vos: ſed gemo ſub onere: & ſanctus Gregorius 32. Moralium 6. *Sub fœni onere ſtridere, eſt pondera & iniquitates peccantium cum querela tolerare.* Unde Iſaiæ 1. verſu 14. ait Deus: *Calendas veſtras* (neomenias: id eſt, oblationes in eis fieri ſolitas) *& ſolemnitates veſtras odivit anima mea:* hoc eſt, ego; quia ſicut Deus non habet corpus, ita propriè loquendo non habet animam, ſed eſt totus anima, id eſt, perfectiſſimus ſpiritus: *facta ſunt mihi moleſta.* Septuaginta, facti eſtis mihi in ſatietatem, *laboravi ſuſtinens:* velut ſub gravi onere & maſſa plumbea. Secundò, ſtridet Deus, id eſt, ſtridere facit & gemere ſub afflictione & onere. Vide onera impoſita peccatoribus Babyloniis, Iſaiæ 13. verſu 1. Moabitis, 15. verſu 1. Syris, 17. verſu 1. Ægyptiis, 19. verſu 1. & variis populis in cap. ſeqq. de undecim illis oneribus tripolog. ſerm. habet ſanctus Bernardus. Vertit Chaldæus, coarctabo vos. Tertiò, ſtridet Deus indignans, & diras omnes nefariis cum excidio intentans, tum in hac, tum præſertim in alia vita in die judicii. Sicut plauſtrum ſtipulæ, ait ſanctus Hieronymus, vel fœni onere prægravatum, ſtridore & ſonitu longè *exululat*; ſic ego peccata veſtra ultra non ſuſtinens, & quaſi ſtipulam tradens incendio, clamabo & dicam: *Peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem ſuam, & robuſtus non ſalvabit animam ſuam:* ſunt verba Amos verſu 14. Deus enim ſtatim impios dejicit ad inferos, Arab. Alex. Ego devolvam vos, ut plauſtrum volvens: ibi, ut dicitur Matthæi 8. verſu 12. erit fletus, & *ſtridor* dentium. In illo igne cachinnis dæmonum æternis objicientur miſeri, & cum acerrimis doloribus ſine morte interibunt amiſſis divitiis ſuis, deliciis & honoribus. Amos 7. verſu 9. *Demolientur excelſa idoli:* id eſt, templa, fana atque altaria idolis (honori ſcilicet & ambitioni) dicata in montibus & collibus. Hebraicè, excelſa Iſaac, in quibus ſcilicet ad ſimilitudinem & memoriam Iſaac, qui ſe Abrahamo immolandum tradiderat in monte Moria, ipſi filios ſuos immolabant Moloc, id eſt, Saturno, atque in ejus honorem cremabant conjectos intra ſtatuam æream ardentem. Septuaginta reddunt, *excelſa riſus*, id eſt, ridenda, riſu digna. Sic enim idolum Jeremiæ 50. verſu 15. dicitur, opus riſu dignum: *Vana ſunt*, inquit, *& opus riſu dignum, in tempore viſitationis ſuæ* (id eſt, punitionis divinæ) *peribunt:* Per opera intellige primò, idola ſculpta. Secundò tropologicè, vana hominum ſtudia & terrena. Peribunt hæc omnia, & ipſa excelſa atque aræ riſus: id eſt, apud quas hilaritati, riſibus, cantui, & ludo ſe dabant: ut fecerunt Iſraëlitæ in deſerto poſt adorationem vituli aurei, Exodi 32. verſu 6. *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Sed citò riſus ille in luctum verſus eſt cæſis idololatrarum viginti tribus millibus juſſu Moſis, & aureo vitulo in cineres redacto & in aquas abjecto: pergit Amos: *Et ſanctificationes Iſraël* (Septuaginta, ſacrificia. Chaldæus, ſacra: reddes aptiùs, ſanctuaria, id eſt, templa idolorum) *deſolabuntur*. Tropologicè, ſanctificationes Iſraël, ſunt actus hypocritarum, præſertim ſacerdotum & religioſorum: qui adhuc idola, id eſt, honores (qui verè ſunt εἴδωλα, ſimolacra, effigies, imagines, quaſi diceret, apparitiones, viſiones: non res vera & ſolida: ab εἴδω, video) colunt: atque ſub pietatis ſpecie adorant, & adorari volunt. *Et conſurgam ſuper domum Jeroboam in gladio*, id eſt, cum gladio, hoc enim Beth etiam ſignificat. Nota, Jeroboam ille non erat filius Nabat, primus rex decem tribuum creatus tempore Roboam regis Juda, ſed erat filius Joas filii Jehu. Nota ſecundò, Jeroboam ſignificare primò litigantem cum populo. Secundò, impugnantem populum. Tertiò, judicantem populum. Caveant ſibi judices, patroni, & diſceptantes, ne pauperibus ſint injurii, aut expectent gladium vindicem judicii Dei, aut in ſe aut in filiis. Jeroboam nominavit filium ſuum Zachariam, id eſt, memoriam Dei: vel, memor eſt Deus: & verè, nam occiſus eſt Zacharias à Sellum, & in eo periit prorſus ſtirps Jehu. 4 Regum 15. Deus memor eſt omnium peccatorum, & illa punit cùm eorum videtur oblitus.

Tertiò: Chriſtus, & Deus per ipſum, in die judicii voce corporea increpabit & condemnabit ſceleratos. Verſu 5. TUNC (cùm eos irridebit & ſubſannabit) LOQUETUR AD EOS IN IRA SUA, ET IN FURORE SUO CONTURBABIT EOS. Nota, cum Suare tomo 2. in 3. partem ſancti Thomæ diſputatione 58. ſectione 10. de ſingulis hominibus particulares & proprias ſententias ferendas eſſe, quia non omnes ſunt eadem pœna afficiendi, aut remunerandi eodem præmio: ſed unusquisque pro ſuorum meritorum qualitate. Hoc ſanctus Gregorius Nyſſenus docet orat. in illud: Quod uni ex minimis meis feciſtis: ſic enim loquitur. Adhuc verſor circa ſpectaculum terribilis adventus Regis, quem deſcribit nobis Evangelium, etiam nunc animus, terrore eorum quæ dicta ſunt, *defixus pavore atque formidine* torpet, veluti cernens quodammodo tum ipſum cœlorum Regem in ſolio glorioſo terribiliter præſidentem: tum infinitas illas Angelorum legiones, Regem undique circumſtantes, atque illum magnum ac terribilem Regem ex inenarrabili gloria ad humanam naturam deſpicientem: & omne genus hominum, qui ex quo homines nati ſunt uſque ad illam terribilem apparitionem, invenientur, ad ſeſe cogentem, *& pro merito ac dignitate anteacta vitæ, unicuique ſententiam accommodantem.* Ita Nyſſenus. Nota ſecundò, penè certum eſſe ſententias illas particulares ſingulorum hominum, non corporea, ſed mentali voce, eſſe efferendas. Nimis enim longum tempus ad hoc requireretur: & nugatur Mahometes, cùm judicio extremo aſſignat centum annorum millia. Nota tertiò, eas tamen privatas & particulares ſententias non tantùm ab iis, ad quos pertinebunt, ſed *ab omnibus qui judicio aderunt*, cognoſcendas eſſe, ut docet Suares loco citato n. 4. — Verſ. 5. 1. Pars. 64. *In die judicii ſpeciali ſententia condemnabuntur.*

65. His poſitis, Dico ſententiam generalem tam pro bonis: nempe, *Venite benedicti*, &c. quàm in malos, ſcilicet: *Diſcedite à me maledicti*, &c. quæ habentur Matthæi 25. eſſe à Chriſto voce corporea proferendas. Primò, quia id poſtulat Chriſti gloria, ut qui in paſſione coram tondentibus ſe velut agnus, obmutuit, ut leo rugiat, & poteſtatem ſuam regiam & judiciariam, etiam ut homo, teſtetur. Secundò, quia hoc majori terrori & ignominiæ erit reprobis, illâ enim voce, velut fulmine & gladio flammeo ex ore Chriſti prodeunte, proſternentur. Hoc prædicerat Joëlis 2. verſu 11. *Dominus dedit* (id eſt, dabit: ſed Prophetiæ vident futura quaſi jam facta) *vocem ſuam ante faciem exercitus ſui:* ad literam, ante Chaldæos, qui à Deo in Judæam immittentur, ut eam ob ſcelera puniant. Allegoricè, ante Angelos ſanctos, & dæmones in die judicii: *Quia multa ſunt nimis caſtra ejus, quia fortia & facientia verbum ejus: magnus enim dies Domini, & terribilis valde: & quis ſuſtinebit illum?* Locutionem etiam denotat capite 3. verſu 2. *Diſceptabo cum eis.* Hebraicè, judicio contendam. Syrus, dijudicabo eos. Id commodè exponetur de locutione & reprehenſione mentali, qua Pilato, Herodi, Caiphæ, Judæ, aliisque omnibus peccatoribus, ſua dona & eorum peccata exprobrabit; dixerat clarè ad rem noſtram: *Congregabo omnes Gentes*, ad extremum judicium, ut explicat ſanctus Hieronymus, *& deducam eas in vallem Joſaphat*. De ea ſic Adrichomius, vallis Joſaphat, quæ & vallis Cedron, & vallis montium vocatur, vallis eſt lata & profunda, inter Jeroſalem & montem Oliveti interjecta, totam ab Oriente cingens urbem, quam torrens Cedron tranſiens ſuis — *Generalis ſententia voce corporea à Chriſto proferetur.* — *Vallis Joſaphat.*

aquis

aquis egregiè fœcundat. In hac valle pii ac religioſi Reges Juda, Aſa, Ezechias, & Joſias templi combuſſerunt idola, eorumque cineres in torrentem Cedron projecerunt. Hæc vallis communis totius civitatis erat cœmeterium, ubi vulgus & ignobiles ſepeliebantur: extra urbem enim Judæis ſepeliri mos erat, ibique nunc Turcæ ſepeliuntur. In hac quoque valle die illa cunctis mortalibus tremenda, omnes undique homines ad extremum judicium ſunt congregandi, ut à Chriſto Judice recipiant debita pro meritis præmia quiſque ſuis. Unde & vallis conciſionis appellatur, quòd ibi mali à bonis ſeparabuntur, ita ipſe: in valle Joſaphat futurum in fine Mundi judicium ex hoc loco omnes probant: Joſaphat ſignificat *Dei*, ſeu Domini, *judicium*: à יה *iah* Deus, & שפט *ſaphat*, judicium: itaque ſunt, qui ut nomen appellativum ſumant, & dicant, incertum omninò eſſe, ubi ſit illa vallis Joſaphat, ſed malè: quia decet, ut ibi Chriſtus glorioſus & judex appareat, ubi viſus eſt reus & noviſſimus virorum, & Angeli poſt Aſcenſionem Chriſti, aſpicientibus Apoſtolis, dixerunt, eum ſic venturum, quemadmodum viderant eum euntem in cœlum: erant autem in monte Oliveti, qui adjacet valli Joſaphat. Sed hoc non concludit. Senſus tamen penè omnium Patrum, futurum judicium in dicta valle Joſaphat. Vide Suarem tomo 2. in tertiam partem, diſputatione 53. ſectione 3. ubi ait, à parte præcipua dici vallem Joſaphat: nam alia etiam vicina, ut montem olivarum, montem Sion, aliaque loca occupabunt corpora damnatorum, quæ vel ſtabunt, & jacebunt in terra: Sancti verò, erunt ſublimes in aëre. Movet me non parùm idem Joël Propheta capite 3. verſu 16. *Dominus de Sion rugiet, & de Jeruſalem dabit vocem ſuam, & movebuntur cœli & terra:* quia primo terra abſorbebit reprobos, & cœlum ſinu ſuo exultanti excipiet Sanctos, ut explicat Lyranus; Secundò, cœli, id eſt, homines cœleſtes, movebuntur gaudio audita pro ſe lata ſententia: & terra, id eſt, terreni homines, movebuntur ira, furore, deſperatione, triſtitia inexplicabili, accepta ſententia damnationis, ut Remigius & Haymo exponunt. Præcedentia etiam de Solis & Lunæ obtenebratione. & ſtellarum lumine deficiente, non poſſunt explicari commodè, niſi de die judicii etiam ad literam: lege totum caput, expende, & trepida.

Joſaphat etymon.

66. *Iræ Chriſti in die judicii, tria ſymbola. 1. Ignis ex ore prodiens.*

Iram Chriſti in judicio flammantem Propheta noſter declarat in fine Pſalmi noſtri: *Cùm exarſerit in brevi ira ejus*, &c. Vide ibi dicta. Nunc de ira verbis declarata tantùm eſt ſermo, ait enim: *Tunc loquetur ad eos* (& ſingulos, & omnes) *in ira ſua*. Exprimi poteſt triplici ſymbolo ira illa. Primò, ignis ex ore Chriſti prodeuntis, ſicut de Henoch & Elia, reſiſtentibus Antichriſto, dicitur, Apocalypſis 11. verſu 5. Si quis voluerit nocere eis, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum. De Chriſto autem habes Pſalmo 17. verſu 9. *Aſcendit fumus in ira ejus*, (ex naribus erumpens.) *Ignis à facie ejus exarſit*. Sanctus Hieronymus, ignis *ex ore* ejus devorans, Symm. ἐκ ςόματος, *carbones ſuccenſi ſunt ab eo:* fulmina & tonitrua.

67. *2. Gladius item ex ore egrediens.*

Secundum ſymbolum iræ Chriſti improbos arguentis & condemnantis eſt gladius flammeus ex ejus ore exiens. Apocalypſis 19. verſu 15. *De ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus*. Deſcribit ibi Chriſtum equo albo vectum, oculis flammantibus, diadematis multis ſpectabilem, veſtitum veſte aſperſa ſanguine, &c. gladio autem dicitur percuſſuros Gentes, id eſt, Antichriſtianos, & omnes reprobos.

68. *3. Fremens & rugiens leo.*

Tertium ſymbolum iræ Chriſti loquentis in judicio eſt fremitus leonis, ſeu leo fremens. Nam, ut dicitur Proverbiorum 19. verſu 12. *Sicut fremitus* (Arias, rugitus) *Leonis: ita & Regis ira*. Et Chriſto ſpeciatim rugitum de Sione & de Jeruſalem tribuit Joëlis 3. verſu 16. ut jam dixi, & Amos primo, verſu ſecundo, ſic incipit prophetiam ſuam: *Dominus de Sion rugiet, & de Jeruſalem dabit vocem ſuam*. Quid inde conſequens: *Et luxerunt ſpecioſa paſtorum:* id eſt, paſcua, prata, agri: per hæc intellige deliciis deditos, qui in die judicii lugebunt: *Et exſiccatus eſt vertex Carmeli:* erat mons fertiliſſimus, in quo Nabal, id eſt, ſtultus, habitavit tempore Davidis: ad eum tamen alludi non arbitror: ſed per verticem Carmeli, intelligi divites, nobiles, principes ac reges terræ, qui in die judicii præ trepidatione & horrore areſcent, & contabeſcent. Apud Hebræos שפה *ſapha*, cum puncto in ſiniſtro cornu ſignificat labium, linguam, ſermonem: in dextro autem, conterere, contundere, frangere. Vel unico verbo Deus hoſtes conterit: leo fremitu exterret omnia animalia, deinde in ea inſilit, Oſeæ 5. verſu 14. *Ego quaſi Leæna Ephraim*, ait Deus, *& quaſi catulus leonis domui Juda: Ego ego capiam & vadam: tollam, & non eſt qui eruat*. Nota שחל *ſahal*, Leonem & Leænam ſignificat: unde hic & Jobi 4. verſu 10. Sanctus Hieronymus Leænam vertit, Pagninus verò leonem, Septuaginta & Arias hîc pantheram: Pſalmo 91. 13. noſter interpres reddit, aſpidem. Significat denique quamlibet ſævam & efferatam beſtiam. Ut, ſicut ait S. Hieronymus, quicquid ſævum in beſtiis eſt, hoc *in Dei indignatione* cognoſcas. Nihil panthere velocius, nihil leone fortius. In panthere velox per Aſſyrios regni Samariæ ſignificatur interitus: & in leone fortiſſimum contra Jeruſalem & Judam aliquanto poſt tempore oſtenditur regnum Chaldæorum, &c. *Ut fiat Deus, quaſi panther, vertatur in leonem, mutetur in beſtias*. Sic ipſe. Oſeas verò cap. 13. 7. eamdem ſimilitudinem magis dilatat: *Ego ero eis quaſi leæna, ſicut pardus in via Aſſyriorum*, quando captivi ducentur ad Aſſyrios per deſertum inter Judæam & Aſſyriam interjacens, in quo ſunt pardi, ſeu pantheræ; *Occurram eis quaſi urſa* (S. Iſidor. Pel. lib. 3. epiſt 267. ficut urſa anaia) *raptis catulis, & dirumpam interiora jecoris eorum*. Hebraicè, לב *leb*, cor, per ſynecdochen accipitur pro omnibus interioribus, id eſt, jecore, præcordiis, & aliis viſceribus. Leo Hebræus vertit, lacerabo pertinax cor eorum, *& conſumam eos ibi* (1. In corde, ut explicat Arias: ubi curis eos conſumam & doloribus. 2. In via Aſſyriorum, ut S. Hier.) *ſicut leo: beſtia agri ſcindet eos:* Hoc eſt Aſſyrii, qui decem tribus duxerunt in captivitatem. Nota, hæc captivitas figurat captivitatem infernorum: quia nunquam ſoluta eſt, ex quo Salmanaſar Rex Aſſyrius Iſraëlitas abduxit: in inferno autem nulla eſt redemptio: captivitas verò Judæorum in Babylone per 70. annos figurare poteſt purgatorium: Romana autem per Titum inferos: quia durabit ſemper. Iſaias etiam 31. 4. dicit, Deum deſcenſurum inſtar leonis rugientis. Amos denique c. 3. 4. inſtar leonis rugientis, & prædam rapientis.

Quartò, Deus & Chriſtus in die judicii terrore percellent impios, verſ. eodem 5. *Et in furore ſuo conturbabit eos*. Primò, nubibus igneis, tonitribus, fulgetris, & fulmine. 2. Angelorum & Sanctorum in ipſos iratorum exercitu. 3. Judicis irati conſpectu. 4. Voce terrifica. 5. Conſcientiæ propriæ contemplatione, aliiſque multis. Sanctus Bernardus in Pſalmum 90. generatim loquitur: *Quid*, ait, *tam pavendum, quid tam plenum anxietatis & vehementiſſimæ ſollicitudinis excogitari poteſt, quàm judicandum aſtare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare ſub tam diſtricto Judice ſententiam?* Et in feſto beatæ Mariæ Magdalenæ: Qui hæc, ait, diutiùs cogitans non ſtatim contremiſcat, & in *deſperationis* rotetur abyſſum: Vox Hebraica בהל *bahal*, quæ hîc uſurpatur, propriè ſignificat, ſubitò terrore percelli: licèt enim diem judicii credant ſcelerati, tam multa tamen inexpectata ſentient, & tam acerba, ut prorſus velut improviſa illis futura ſint. Præſertim Reges terræ & principes, qui in Chriſtum aſtiterunt & convenerunt, conturbabuntur. Apocalypſis ſextò, verſo decimo quinto: *Reges terræ, & principes*, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium: & dicent montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, *ab ira Agni:* quoniam venit dies magnus *iræ ipſorum* (contra ipſos. Græcè eſt αὐτοῦ, ejus: nempe Agni) & quis poterit ſtare? Vide dicta Pſalmo primo, verſu quinto. Ideò non *reſurgent*

69. Variis modis Deus percellet impios in judicio.
1.
2.
3.
4.
5.
Ira Agni.

(Hebraicè יקמו *iakumu*, ſtabunt, ut vertit Arias)
impii in judicio, &c.

Ira leonis. Si ira agni ſuſtineri non poteſt, quis iram rugien-
tis leonis feret? Amos 3. verſu 8. *Leo rugiet, quis
non timebit?* Ariſtoteles & Plinius advertunt, leo-
nem bis rugire? Primò, cùm fame premitur, & præ-
dam conſpicit: Secundò, cùm illam capit. Trepi-
dationem impiorum notat Oſeas ad leonis rugitum
capite 11. 10. *Quaſi leo rugiet* (Dominus) *quia ipſe
rugiet, & formidabunt filii maris:* Id eſt 1. Inſulani.
2. Populi occidentales: quia, cùm mare mediterra-
neum ſit occidentale Judææ, ſæpè in ſcripturis mare
ponitur pro Occidente. 3. Tropologicè, filii maris,
ſunt peccatores tempeſtatibus paſſionum agitati.
Iſaiæ 57. verſu 20. *Impii quaſi mare fervens.* Hebr.
נגרש *nigras*, agitatum, concitatum, impulſum:
tum paſſionum, tum calamitatum ventis. Vatablus
reddit, impii Euripi inſtar fremunt: per fluctus reci-
procos fortunæ variæ, addit Iſaias, *quod quieſcere
non poteſt.* Euripus etiam vento non agitante huc
illuc fluctuat: ſi ventus & turbo advenerit, quid fiet?
Formidabunt. Hebraicè יחרדו *ieherdu*, trepida-
bunt, trement, expaveſcent, concutientur: deno-
tat commotionem externam ex metu, & cura, ac
ſolicitudine: toto corpore in judicio trement mali:
de Incarnatione & prædicatione Chriſti, per ſeip-
ſum & per Apoſtolos S. Hieron. explicat, & benè:
ad rem tamen noſtram accommodari aliquatenus
poteſt.

Oſtendet ſua vulnera Chriſtus. Apertiùs Zachariæ duodecimo, verſu decimò:
Aſpicient ad me, quem confixerunt, (Septuaginta,
eo inſultârunt, legerant *rakadu:* nunc eſt דקרו
dakaru, confixerunt, fixerunt, transfoderunt: in
cruce ſcilicet) *& plangent eum planctu, quaſi ſuper
unigenitum.* Primo, ſanctus Hieronymus, & ſan-
ctus Cyrillus cenſent agi de Chriſto in cruce trans-
fixo, cui pii compatiebantur. Secundò, Suarez to-
mo 2. in 3. partem, diſputatione 57. ſectione 9.
numero 2. Sanctus Auguſtinus libro 20. de civitate
Dei capite 30. Tolet. Joann. 19. numero 37. Remi-
gius & Lyranus in Zach. id etiam ad literam de die
judicii explicant, atque inde probant ſtigmata & in-
ſignia crucifixionis videnda tunc in Chriſti corpore;
ſic Apocalypſis 1. verſu 7. dicitur: *Ecce venit cum
nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum
pupugerunt;* qui transfixerunt eum in paſſione,
atque nunc in membris ſuis crucifigunt. Chriſti
vulnera tunc omnibus manifeſta fore, docent etiam
ſanctus Ignatius epiſtola ad Smyrnenſes. Sanctus
Hieronymus ad Heliod. S. Chryſoſtomus homilia
de cruce & latrone. S. Cyprianus ſermone de
Aſcenſione. Videbuntur autem glorioſa, & mira
luce coruſcantia, ſed cum ſummo terrore impio-
rum, ut noctuarum in tanto ſplendore caligantium,
& iratii ſententiam expectantium.

Tonitru eſt vox ejus. Cùm enim verè Job dixerit cap. 26. 11. *Columnæ
cæli* (id eſt, Angeli, ut S. Gregorius & S. Thomas
exponunt) *contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus.*
Hebr. ad increpationem ejus: qua ſcilicet non ipſos
Angelos, ſed eos, quorum curam geſſerunt, incre-
pat: quid accidet ipſis reis? Itaque, eleganter hunc
terrorem ob Dei reprehendentis & condemnantis
vocem oſtendit verſu 14. *Cùm vix parvam ſtillam
ſermonis* (ſuſurrum verborum, Symmachus) *ejus
audierimus: quis poterit tonitrum magnitudinis*
(Hebr. tonitru fortitudinum) *illius intueri?* Id eſt,
cogitare, expendere: vel, audire, percipere. Nam,
cùm viſus ſit omnium ſenſuum præſtantiſſimus, de
omni ſenſu ab Hebræis uſurpatur. Stilla porrò ſer-
monum ſunt primò, minæ prophetarum clades ter-
renas & judicium etiam extremum intentantium:
ſic Amos 7. 16. arguit Amaſiam ſacerdotem idolo-
rum in Bethel ſibi dicentem: *Non ſtillabis ſuper
domum idoli*, id eſt, non intentabis minas, quòd
cito ſit deſtruenda. Secundò, ſtilla ſermonum, ſunt
reprehenſiones Chriſti, cùm in terris viveret: gut-
tatim enim, & ſenſim, atque ſuaviter peccatores
arguebat, ut corda dura excavaret, & fœcunda
redderet. Tonitru verò eſt ſententia decretoria in
die judicii. S. Leo ſermone de paſſione conſiderans
Chriſtum, cùm invaderetur in horto montis Oli-
veti à militum & ſatellitum cohorte, & ſe inquiren-
tibus dixiſſet: *Ego ſum*, ſtatim omnes in terram de-
jeciſſe, exclamat: *Dominus dicit, Ego ſum, & ad
vocem ejus turba proſternitur impiorum. Quid jam
poterit majeſtas ejus judicatura, cujus hoc potuit
humilitas judicanda?* Et S. Gregorius libro 17. Mo-
ralium capite 21. *Quis ejus iram toleret, cujus &
ipſa non potuit manſuetudo tolerari?* Cùm quære-
rent magi, ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum,
turbatus eſt Herodes & omnis Jeroſolyma cum illo:
Matth. 2. 3. cùm in illo adventu dicat Angelus paſto-
ribus, Luc. 2. 10. *Nolite timere.* Ecce enim evange-
lizo vobis *gaudium magnum*, quod erit omni po-
pulo: quia natus eſt vobis hodie *Salvator*, qui eſt
Chriſtus Dominus in civitate David. Veniet verò
tunc Judex & terribilis, præſertim ditioribus, & po-
tentibus. Michææ 1. 3. *Ecce Dominus egredietur de
loco ſuo,* (è cœlo, vel, à ſolita ſua benignitate) *&
deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ,* (optimates
Samariæ per Salmanaſar: & divites peccatores, per
dæmones) *& conſumentur,* Hebr. *namaſſu,* (hoc eſt,
colliqueſcent & diſſolventur) *montes ſubtus eum,*
(nobiles & potentes, qui cæteris eminent) *& valles*
(pauperes & puſillanimes) *ſcindentur ſicut cera à
facie ignis.* (Sept. tabeſcent) *& ſicut aquæ, quæ
decurrunt in præceps.*

Amos 5. 16. fusè diem illum horrificum deſcribit.
Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum
Dominator: *In omnibus plateis* (in cunctis vicis,
Arias) *planctus: & in cunctis, quæ foris ſunt, dicetur
væ, væ! & vocabunt agricolam ad luctum, & ad
planctum eos, qui ſciunt plangere. Et in omnibus
vineis erit planctus, quia pertranſibo in medio tui,
dicit Dominus. Væ deſiderantibus diem Domini,*
(ſpernentibus Prophetas, qui annuncient cladem
& excidium regni Iſraël per Salmanaſar Allegoricè,
diem judicii) *ad quid eam vobis?* Supple, deſiderans:
*dies Domini iſta, tenebræ, & non lux. Quomodo ſi
fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei urſus; & in-
grediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper pa-
rietem, & mordeat eum coluber.* Leo fuit Iſraëlitis
Phul Rex Aſſyriorum, qui ſupplicibus pepercit, *Phul.*
imò & auxilium promiſit Manahem regi danti ſibi
mille talenta argenti 4 Regum 15. verſu 19. Urſus
fuit Teglathphalaſar etiam Rex Aſſyriorum, qui *Teglathphalaſar.*
tempore Phacee regis cepit Aion, & Abel Domum,
Maacha & Janoe, & Cedes, & Aſor, & Galaad,
& Galilæam, & univerſam terram Nephthali: &
tranſtulit eos in Aſſyrios, 4 Regum 15. 29. Coluber *Salmanaſar.*
denique fuit Salmanaſar, item Aſſyriorum Rex,
qui anno nono Oſeæ Regis Iſraël, & ſexto Ezechiæ
Regis Juda, cepit Samariam urbem regiam ſitam
in monte Somer, & inde dictam, & totum regnum
occupavit, & ejus incolas tranſtulit in Aſſyriam:
poſuitque eos in Hala & in Habor juxta fluvium
Gozan in civitatibus Medorum, 4 Regum 17. ver-
ſu 6. Allegoricè. Chriſtus eſt leo in reſurrectione: 70.
urſus in judicio: coluber, eſt dæmon in inferno. *Chriſtus eſt leo & urſus.*
S. Hieronymus ait, dæmonum eſſe leonem in hac
vita, urſum in morte, colubrem in gehenna: ibi
enim damnatos mordet, & cruciat ut aſpis. De Deo
dicitur Threnorum 3. 10. *Urſus inſidians factus eſt
mihi, leo in abſconditis:* (urſus ſignificat ſævitiam
in laniando & devorando: leo autem, animum in
victum, terrorem & fortitudinem) *Semitas meas
ſubvertit,* (Chaldæus, ſpinis ſepſit) *confregit me,
poſuit me deſolatam:* in captivitate Babylonis, id eſt,
confuſionis. Verè infernus eſt Babylon, ubi nullus
ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat: Infernum
quoque poſſis dicere eſſe civitatem Medorum, id
eſt, menſurantium; quia ibi dicitur: Quantum
fuit in deliciis, tantum date illi tormenti, Apocal. 18.
7. Ibi ſunt Hala & Habor civitates. Primò, *Hala* *Hala.*
ſignificat 1. Dolorem, cruciatum, formidinem,
angorem, Rad. חול *hol,* angi, dolere, cruciari, ca-
dere, formidare, parturire. 2. Vulnus & occiſio-
nem, ab חלל *halal,* vulnerare, occidere. Infernus
enim eſt mors æterna. 3. Pollutionem, ab חלל *hillel,*
polluere. 4. Infirmitatem, morbum, ægrotatio-
nem, ab חלה *hala,* ægrotavit, infirmatus eſt. Se-
cundò, *Habor*, incantationem, conjunctionem,
congre-

Habar. congregationem ſignificat. Rad. הבר *habar*, congregare, colligere, incantare. Tertio, ibi eſt fluvius *Gozan*, qui ſignificat exciſionem, avulſionem, *Gozan.* extractionem, tonſionem, Pſ. 48. 15. *Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Vide ibi dicta; tondet ibi impios dæmon, & omnibus divitiis, deliciis & honoribus nodatos torquet, & ſemper flagellat. Gozan deducitur à גז *guz*, excidere, avellere, tondere: vel à גזז *gazaz* ejuſdem ſignificationis.

Conclude, & dic impiis cum Oſea cap. 9. 5. *Quid facietis in die ſolemni, in die feſtivitatis Domini?* Cùm explicant S. Hieron. Albertus, Haymo, Clarius, vos puniam captivitate, paupertate, gladio: & facietis perenne feſtum & ſolemnitatem vindictæ meæ. Sic Iſaias 34. 6. *Victima Domini in Boſra,* (erat Idumææ metropolis: ſignificat vindemiam, autem, munitionem, exciſionem: Væ vobis divitibus! dicebat Chriſtus) *& interfectio magna in terra Edom,* (per Chaldæos: id eſt, dæmones) *& deſcendent* (in inferos) *unicornes & tauri cum potentibus,* (Idumæi: id eſt, ſanguinarii. 1. Superbi unicornes, in ſuo tantùm corno & robore confiſi. 2. Tauri luxurioſi, qui ſunt, Pſalm. 67. 31. congregatio taurorum in vaccis populorum. 3. Divites avari ſanguinem pauperis ſugentes) *quia dies ultionis Domini, annus retributionis judicii Sion:* Id eſt, contra Sion, ut dicit S. Hier. S. Cyr. S. Thom. Caveant ſibi, qui ſpeculandis divinis ſunt ex officio obligati: Vel meliùs, pro Sione contra Idumæos: qui ſanguine ſibi illuſtri applaudunt, videant, ne ſacerdotes & pauperes Deo vacantes conterant, judicem cœleſtem cogitent. Audiant S. Laur. Juſt. opuſc. de contemptu Mundi. *Quamobrem revolvat peccator quilibet interdum intra ſe, quid in illo acturus eſt judicio, quantuſque erit pavor, cùm deſuper aderit iratus Judex, ſubtus inferni patens chaos, coram poſiti teſtes Angeli, dæmones accuſantes, manifeſta ſcelera in libris conſcientiarum compendioſiſſimè ſcripta elementaque turbata? Nam ſicut latere nemini erit poſſibile: ita damnandis apparere intolerabile. Equidem tunc evacuabuntur principatus ſæculi, poteſtates populorum, & omne, quod altum atque decorum eſt: quoniam de ſolis operibus ſingulorum diſceptatio fiet.* 71. Terror impiorum multiplex in die judicii. Aptiſſimè punitioni Boſræ, quæ ſonat vindemiam, adjice locum, Apoc. 14. 19. Et miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram: & vindemiavit *vineam terræ, & miſit in lacum iræ Dei magnum: Et calcatus eſt lacus extra civitatem, & exivit ſanguis de lacu uſque ad frænos equorum per ſtadia mille ſexcenta.* Hoc de inferis explicant Viegas, Leſſius, Cornelius, & alii. Eadem comparatione uſus eſt Joël c. 3. 13.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

Duo continet. Primò, deſcribit Regem Chriſtum. Verſ. 6. ad 10. Secundò, oſtendit, quales eſſe debeant ejus ſubditi. Verſ. 10. uſque ad finem.

PARAPHRASIS.

6. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus: prædicans præceptum ejus.

6. Non tantùm amorem erga me ſuum Pater æternus oſtendit, quòd hoſtes meos contriverit: ſed longè magis, quòd me totius Orbis, ac præcipuè Eccleſiæ ſuæ ſanctæ Regem conſtituerit, & ſanciendæ promulgandæque legis Evangelicæ poteſtatem dederit.

7. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te.

7. Ipſe Angelorum hominumque Dominus, Filium me ſuum eſſe ſibi æqualem & coæternam prædicat; ab ipſa æternitate genitum ſecundùm divinitatem, & novo quodam modo in Incarnatione productum, & in Reſurrectione glorificatum ſecundùm Humanitatem.

8. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ.

8. Quin etiam invitavit me, ut in hæreditatem nationes omnes, ad ultimos uſque Orbis limites, mihi depoſcerem, eaſque ſe mihi daturum eſt pollicitus, quod & præſtitit.

9. Reges eos in virga ferrea: & tanquam vas figuli confringes eos.

9. Tantamque mihi in eas conceſſit poteſtatem, ut ego trepidos forti virgâ tueri valeam, & rebelles vaſis toſtar figulini conterere.

10. Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui judicatis terram.

10. Nunc itaque Orbis univerſi Reges & judices Regiam Majeſtatem meam mente percipite, & totis viribus contendite, ut legem meam perſpectam & cognitam habeatis.

11. Servite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.

11. Mihi Domino veſtro populorumque omnium, debitum cultum, & reverentiam exhibete: & ob gloriam meam & conceſſa vobis dona cœleſtia exultate; ſed cum tremore, de actionibus omnibus rationem reddituri.

12. Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus: & pereatis de via juſta.

12. Magno affectu ſuſcipite, complectimini, & firmiter retinete doctrinam meam; ne fortè tandem juſta in voſ ira propter obſtinationem excandeſcam, velut in ſervos pervicaces: ſicque à recta juſtorum in cœlum via in æternum excidatis.

13. Cùm exarſerit in brevi ira ejus: beati omnes, qui confidunt in eo.

13. Cùm in die extremi judicii, qui opinione veſtrâ citiùs accidet, ira Dei exarſerit, beati erunt omnes, qui ſpretis Mundi illecebris & vanitatibus ſpem in Deo ſuam reponunt, & virtutes ſibi comparant, quibus ad ſperata præmia perveniant.

QUÆSTIO UNICA.

Qualis & quantus Rex Chriſtus, & quales ſubditos ſuos requirit?

Poſtquam Chriſtus, qui in toto hoc Pſalmo loquitur, oſtendit hoſtium ſuorum furorem, verſu 1. & 2. eorumque conatus irritos, ac punitionem, verſ. 3. 4. & 5. Nunc oſtendit.

72. Chriſtus eſt Primò, quanta ſit gloria à Patre æterno ſublimatus, quod ad ſex titulos revocat. Primò, quòd ſit Rex ab eo Orbi datus, verſ. 6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum ejus.* Se- 1. Rex. cundò, quòd ſit legiſlator Evangelicæ legis, Ibid. 2. Legiſlator. *Prædicans præceptum ejus.* Tertiò, quòd Filius Dei, 3. Filius Dei. verſ. 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quartò, quòd Hæres bonorum di- 4. Hæres Dei. vinorum, verſ. 8. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Quintò, quòd Paſtor hominum, verſ. 9. 5. Paſtor hominum. *Reges eos in virga ferrea.* Sextò, quòd Judex Orbis univerſi, ibid. *Et tanquam vas figuli confringes eos.*

Secundò,

Chriſtus 6. à ſervis ſuis requirit.

Secundò, Sex quoque à ſervis ſuis poſtulat. Primò, ut intelligant. 2. Ut erudiantur. 3. Ut ſerviant in timore. 4. Ut exultent cum tremore. 5. Ut apprehendant diſciplinam. 6. Ut in ſe confidant. Hæc autem perſpicuitatis gratiâ ad quatuor revoco.

4. Præſertim à regibus & judicibus petit.

Primò itaque, ſubditi Chriſto Reges & judices intellectum ſimul ſapientiâ exornent, verſ. 10. *Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui judicatis terram,*

Secundò, voluptatem ſuam timore filiali ei ſubjiciant, verſ. 11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

Tertiò, cognitioni & amori opus addant, explendo totam ejus legem, verſ. 12. *Apprehendite diſciplinam: ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta.*

Quintò, illius bonitate, & bonorum operum ſuorum conſcientiâ fieri, in eo fiduciam ſuam collocet, verſ. 13. *Cùm exarſerit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo.*

ARTICULUS I.

Chriſtus eſt Rex totius Orbis.

Verſ. 6. I. Pars.

74.

Quis loquitur.

PRiuſquam de ſubditis agatur, de Rege videndum eſt, cum Propheta noſtro, verſ. 6. EGO AUTEM CONSTITUTUS SUM REX AB EO SUPER SION MONTEM SANCTUM EJUS, PRÆDICANS PRÆCEPTUM EJUS. Quæres primò: Quis hic loquatur? Reſpondet Lorinus, Davidem loqui, ait enim, hæc de ipſo explicari poſſe, ſed de Chriſto præcipuè. Meliùs tamen cum S. Hier. S. Cyrillo, Origene, & aliis, ſoli Chriſto hæc tribuemus: quomodo enim de Davide verum erit? Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me? &c.

75.

Chriſtus Rex Eccleſiæ ſemper fuit. Quia Summus Sacerdos. Habens poteſtatem excellentiæ. Majorem regiâ. ob quatuor.

Quæres ſecundò: An Chriſtus fuerit Rex ſpiritualis totius Eccleſiæ? Reſpondeo fuiſſe, ob ſummum ſuum Sacerdotium; Et præcipuè de hac poteſtate agi in hoc verſu. Primò, quòd dicatur Rex ſuper Sion montem ſanctum: eſt enim Figura Eccleſiæ. De Sion vide dicta, Pſ. 86. 1. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*, &c. ubi etiam de Eccl. & Pſ. 47. toto, atque variis locis. Secundò, quòd dicatur, prædicans præceptum ejus. Habuit itaque Chriſtus, ut homo, *ſupernaturalem quondam poteſtatem excellentiæ*, ut loquitur Suarez tom. 2. in 3. p. diſ. 47. in univerſam Eccleſiam, quæ meritò regia appellatur, cùm plurimis modis ſuperet omnium temporalium regum poteſtatem & dignitatem. Primò, in fine ejus, qui cœleſtis eſt, & ſempiternus. Secundò, in amplitudine, quia non ſolùm terram univerſam, ſed etiam cœlum ipſum amplectitur. Tertiò, quia non temporalis eſt & caduca, ſed æterna. Quartò, non ſolùm corporibus, ſed etiam animis dominatur, eorumque utilitatem & ſanctitatem præcipuè efficit: unde ad hunc finem cæteras res omnes ſibi ſubjectas habet. Nota, actus hujus ſupereminentis poteſtatis ſunt. 1. Eccleſiam conſtituere. 2. Sacramenta ordinare, iiſque vim dare ſanctificandi. 3. Poteſtatem dare ad remiſſionem peccatorum, & tribunal ſtatuere, in quo ſedeant judices, qui in foro animæ etiam de internis judicent. 4. Eoſque certis verbis, vel externis ſignis, à peccatis abſolvere, & animas ſanctificare, cùm vellet. Nulli prorſus unquam tanta poteſtas eſt communicata.

Actus 4. illius poteſtatis.

76.

Probatur Chriſti poteſtas regia ſpiritualis. Ex Propheta Ezechiele.

Illa poteſtas regia ſpiritualis probatur ex Scripturis, Ezech. 21. 26. *Aufer cidarim*, (cidaris erat tegumentum capitis, quo Perſarum reges peculiariter utebantur, albis maculis in cærulei coloris faſcia intermicantibus: ad alios etiam Reges traducitur hæc appellatio. 2. Pontifex Hebræorum cidari utebatur, in qua Dei nomen erat inſcriptum, Exod. 28. 4. & 36. Sumi itaque poteſt cidaris metonymicè & pro ſacerdotio, & pro regno, quæ erant à Judæis auferenda: unde addit, *tolle coronam. Nonne hæc eſt* (corona) *quæ humilem ſublevavit?* Jechoniam in captivitate Babylonica, ubi poſt 37. annos

1.

captivitatis ab Evilmerodach filio Nabuchodonoſoris honoratus eſt, & regio habitu ac coronâ donatus: *& ſublimem humiliavit*, vel eundem Jechoniam ſeu Joachim: vel Sedeciam Regem Judæorum ultimum, quibus ipſa corona regia fuit cauſa miſeræ dejectionis. Ille enim poſt tres menſes regni abductus eſt in Babylonem juſſu Nabuchodonoſoris, hic poſt undecim regni annos excæcatus cæſis priùs ante ejus oculos liberis, eſt captivus etiam in Babylonem traductus; pergit verſ. 27. *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam*; id eſt, patiar eam coronam ab iniquiſſimis & alienigenis regibus poſſideri: & primò ab Herode Aſcalonita vitiis omnibus conperto, deinde ab aliis: *Et hoc non factum eſt: donec veniret*, (non fiet, donec veniat) *cujus eſt judicium*, (qui eſt ſupremus totius Orbis Judex) & *tradam ei* Coronam illam; Itaque locus hic tam de regno Chriſti temporali, quàm de ſpirituali, exponi poteſt. Non placet autem Pinius, qui, eam cujus eſt judicium, explicat de Nabuchodonoſore, qui evertit Jeruſalem: neque Polychronius, qui exponit de Zerobabel, ejus urbis & templi reparatore.

Locus pulcherrimus eſt de poteſtate ſpirituali Chriſti, Ezech. 34. 23. *Suſcitabo ſuper eas* (oves, id eſt, fideles) *paſtorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David:* Chriſtum ſcilicet, cujus pater & figura erat David: ipſe verò eſt verus David, id eſt, amans & amabilis דוד *dod, amor*. Nota *dod*, & *David* non differre ullo modo in literis ſeu conſonantibus, ſunt enim eædem in utraque voce hebraica, nempe duplex *daleth*, & unum *vau*: imò nec in ipſo puncto eſt ulla diverſitas, niſi quòd punctulum, ſi ſuperponatur *vau*, fit דוד *dod*, amor; ſi verò ponatur infra *vau*, fit דוד *David*, & hoc figurat, quòd cùm Verbum divinum in cœlis amore Dei Patris & ipſorum hominum arderet, ut eum declararet nobis, homo factus eſt, & infra omnes ſe demiſit: unde hic vocatur *ſervus* ob aſſumptam humanitatem, Philipp. 2. 6. *Qui cum in forma Dei eſſet* (cùm eſſet Deus; forma enim ibi ſignificat naturam & eſſentiam: unde Dei forma, eſt divinitas & Deus ipſe) *non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo.* Patri vides omnia excelſa & ſublimia: vide ut illa pro nobis abjecerit, *ſed ſemetipſum exinanivit*, (ἐκένωσε exhauſit, ut vertit Tertullianus) *formam ſervi accipiens.* Vide Suar. 3. p. tom. 1. diſp. 44. ſect. 1.

2.

David Chriſti ſit humiliantis typus.

Pergit Ezechiel: *Ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem*, dupliciter erit paſtor, & in anima, *& in corpore.* 2. *In hac, & alia vita.* 3. Ut Deus, & ut homo. 4. Et Judæorum & Gentilium: fiet enim unum ovile, & unus paſtor. *Ego autem Dominus ero eis in Deum*, (& in Deum Patrem, & amatorem) *& ſervus meus David princeps in medio eorum*, (cor eorum conſervans, regens, nutriens) *Ego Dominus locutus ſum, & faciam cum eis pactum pacis:* pacificum, novum teſtamentum, quod non tantùm commendet pacem, ſed eam det. *Et ceſſare faciam beſtias peſſimas* (id eſt, vitia, & hominum malorum ac dæmonum poteſtatem) *de terra. Et qui habitant in deſerto*, (religioſi) *ſecuri dormient* (ſomno contemplationis) *in ſaltibus*, in ſylvis, & montibus. *Ponam eos in circuitu collis mei* (Sionis, id eſt, Eccleſiæ. Chald. templi) *benedictionem:* religioſi ſunt benedictio; Primò paſſivè, quia benedicuntur à Deo: Secundò activè, quia ipſi debent eſſe fons benedictionum per orationes ſuas & mortificationes, toti corpori Eccleſiæ: *Deducam imbrem in tempore ſuo: pluviæ benedictionis erunt:* conciones & Sacramenta. Lege cætera, quæ ſunt ſuaviſſima. S. Benedicto, & ejus filiis, hoc aptè applicari poſſit.

De regno etiam ſpirituali Chriſti agit Daniel, ubi c. 2. deſcriptâ illâ admirabili ſtatuâ aureâ, argenteâ, æreâ & ferreâ Nabuchodonoſor Regis Babyloniorum, quâ ſignificabantur quatuor imperia, nempe Babylonicum, quod tunc florebat (nam Aſſyrium ad Babylonios perfectè tranſtulerat ipſe Nabuchodonoſor, factus Aſiæ monarcha anno Mundi 3452. everſâ Ninive, imperii Babylon. ann. 119.) Perſicum, Græcum, & Romanum, ait, lapidem de monte abſciſſum totam illam ſtatuam in pulverem redegiſſe, quod ſic explicat verſ. 44. *In diebus autem*

Probatur etiam ex Daniele.

regnorum

regnorum illorum (adhuc ſtante Romano imperio temporali, ſub Auguſto) *ſuſcitabit Deus cœli regnum*, (& Deus cœli, & cœli regnum, ſi latinas voces ſpectemus: ſed hebraicæ non patiuntur cœli, referri ad regnum, ſed tantùm ad Deum: eſt enim in ſtatu abſoluto, & non in regimine) *quod in æternum non diſſipabitur* (itaque non eſt temporale, ſed ſpirituale) *& regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet univerſa regna hæc*, (ſunt enim ad finem converſi Babylonii, Perſæ, Græci, ac Romani) *& ipſum ſtabit in æternum*, hîc inchoatè per gratiam, & in cœlo perfectè & conſummatè per gloriam. Verſ. 45. Adaptat viſioni in hunc modum: *Secundum quod vidiſti, quod de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus.* 1. De monte, id eſt, populo Judaico, qui veluti mons eminebat inter omnes Orbis nationes, ut ait S. Auguſt. tract. 9. in Joann. erat enim cœlo propior, & lucem cœleſtem uberiùs recipiebat. 2. De monte, id eſt, de B. Virgine, quæ erat mons ob eminentiam, & ſtabilitatem virtutum, atque ob theſaurum in ejus viſceribus contentum; inde abſciſſus eſt lapis ſine manibus, hoc eſt, ſine operatione viri, ut S. Iren. explicat lib. 3. S. Juſtin. in Tryph. S. Epiph. de Laud. Virg. S. Auguſt. tract. jam citato. S. Hier. ad Euſtoch. de cuſt. virg. cap. 22. aliique, *& comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum:* Imperia illa quatuor: Nam capite aureo figuratur Imperium Babylonicum: argento pectore & brachiis, Perſicum: ventre & femoribus æreis, Græcum: tibiis ferreis, & pedibus partim ferreis, partim fictilibus, Romanum. Nota, in omnibus illis regnis viguit ambitio, quæ figuratur capite aureo, & pectore argenteo & brachiis. 2. Luxuria, in ventre ac femoribus æreis repræſentata. 3. Avaritia, in tibiis ferreis, & pedibus ferreis atque fictilibus, id eſt, terrenis ſeu teſtaceis, oſtenſa. Hæc enim omnia Chriſtus peſſumdedit, væ inclamans ambientibus primas cathedras in ſynagogis, & honorem inanem quærentibus, ac divitibus, & luxurioſis; ac vexillum virginitatis, humilitatis, atque paupertatis, erigens. Si plura cupis de regno ſpirituali Chriſti, adjice locum pulcherrimum Dan. 9. 24. *Septuaginta hebdomades* (annorum ſcilicet, id eſt, 490. anni) *abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum*, abbreviatæ, ut Beda & Perer. explicant, quòd eſſent annorum non ſolarium, ſed lunarium, qui ſunt breviores diebus undecim: 2. meliùs, abbreviatæ: id eſt, breves, paucæ: & ut Sept. vertunt *concisæ:* poterat enim Deus longè plures ſtatuere: ſi æternitatem ſpectes, quid ſunt 490. anni, cùm ante Deum mille anni ſint tanquam dies heſterna, quæ præteriit? *Et ſuper urbem ſanctam tuam* (Sionem) *ut conſummetur prævaricatio.* (Tertull. lib. contra Judæos legit, quoadusque inveteretur delictum; S. Chryſoſt. orat. 2. in Jud. & Euſebius lib. 8. demonſtr. Senſum eſſe volunt, donec Chriſtus occidatur, quod eſt ſummum ſcelus, & prævaricatio conſummata: vel meliùs, Senſus eſt, donec per Chriſtum peccata Mundi tollantur, & aboleantur: itaque additur ad explicationem, *finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna*, hoc eſt, Evangelium, quod docet implere omnem juſtitiam, Matth. 3. 15. ut exponit Pintus. 2. Juſtitia ſempiterna (ſeu, ut eſt Hebr. juſtitia ſæculorum, hoc eſt, omnium hominum omnibus ſæculis viventium) eſt Chriſtus. 3. Meliùs, Juſtitia ſempiterna, eſt ſanctificatio hominum, quâ jus acquirunt ad æternam hæreditatem, ut Deum in cœlis per totam æternitatem colant, & poſſideant per amorem, viſionem, & immenſum gaudium: *adimpleatur viſio & prophetia*, Hebr. ad ſignandum, ſeu ſigillandum prophetiam. Res autem perfectæ ſolent ſigillari, ut panni, aliaque: ſed præſertim diplomata, literæ, teſtamenta. Hinc à Tertull. in Jud. Chriſtus dicitur, ſignaculum omnium Prophetarum, *& ungatur Sanctus Sanctorum*, id eſt, Sanctiſſimus, Hebr. *Kodes Kodaſim*, id eſt, ſanctitas ſanctitatum. Arab. puritas puritatum. Sanctiſſimus autem ille κατ' ἐξοχὴν, eſt Meſſias ſeu Chriſtus, id eſt, unctus, 1. Unione hypoſtaticâ. 2. Gratiâ pleniſſimâ, ita ut in omnes exundet. Nam in ſummum

Lapis evertens ſtatuam auream.

Pontificem, Regem, Prophetam, Doctorem, Legiſlatorem, & Orbis univerſi Redemptorem inunctus eſt. Nota, hæ ſeptuaginta hebdomades annorum, id eſt, anni 490. ſunt inchoandæ ab anno Mundi 3596. Sextæ ætatis 80. Artaxerxis 7. Imperii Perſici 80. Eſdræ 2. Eliaſibi Pontificis 7. Olympiad. 80. ann. 3. Urbis conditæ 295. ab hoc enim anno uſque ad Chriſti mortem fluxerunt anni 490. Salianus vult anno 20. Artaxerxis incepiſſe, & agi de annis lunaribus, ſed id verum non arbitror.

De regno Chriſti ſpirituali vide prætereà Zachar. 9. ℣. 9. Jerem. 31. 33. & 33. 15. Iſaiæ 11. 2. & 42. 1. & 49. 6. & 61. 1. Hunc Deus Pater gloriâ & honore coronat, Pſ. 8. 6. id eſt, ex omni parte cingit, & conſtituit eum ſuper opera manuum ſuarum. Hebr. habent, dominari eum facies. In Pſalmo noſtro dicit ipſe: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo.* S. Hieronymus vertit: Ego autem ordinavi Regem meum. Felix conſtitui. Cajet. præfeci. Eugub. declaravi. Chald. evexi. Aquila, V. & VI. editio *διεσωσάμην*, incolumem præſtiti. Symmach. ἔχρισα, unxi, legunt, נסכתי, *naſacthi*, ſed Sept. legerant *niſachti* in Nipal, ſignificat, conſtitutus ſum, ordinatus ſum, ſicut habes, Prov. 8. 23. Et ideò verterunt κατεστάθην, conſtitutus ſum: ſic etiam Arabs vertit, & benè. Loquitur enim ipſe Chriſtus, non eſt Deus Pater, ut patet ex verſu ſeq. Dominus dixit ad me, &c.

Probatur denique ex variis Prophetis.

77. Quæres tertiò: An Chriſtus jure hæreditario ac merè humano fuerit Rex temporalis Judæorum? Reſpondent aliqui, fuiſſe: illudque jus ex duplici capite deſumunt. Primo, Armacanus lib. 4. de quæſtionibus Armenorum cap. 15. & 16. ait, Chriſtum fuiſſe Judæorum Regem temporalem, quia B. Virgo rectâ lineâ ex familia David deſcendebat: cùmque deeſſet maſculus, debuiſſe in regnum ſuccedere: neque enim fœmina debebat excludi ab hæreditate privata, num. 27. & 39. ergò, ut infert, neque à regia. Sed primò, vivebat S. Joſeph, qui rectâ lineâ per Salomonem deſcendebat à David, ut patet Matth. 1. 16. Secundò, probabiliùs eſt, paternam lineam Virginis fuiſſe à David per Nathan, ut ait Suar. in 3. p.

Chriſtum fuiſſe Regem temporalem Judæorum Armacanus putat. Quia erat Mariæ Filius.

Secundò, Franciſcus Lucas, & Cornel. à Lapide in Matt. cenſent, Chriſtum fuiſſe Regem temporalem Judæorum poſt mortem S. Joſeph, qui fuit pater ejus matrimonialis. Si enim jure communi in hæreditatem parentum ſuccedunt filii, qui duntaxat per publicam famam cenſentur filii: item illi, qui à parentibus adoptantur, quantò magis Chriſtus ſucceſſit Joſepho patri ſuo: utpotè natus ex ejus conjuge, virtute & dono Spiritûs S. Quare, ſicut Joſephus habebat in Chriſtum jus paternum, putà omnia jura, quæ habent patres in filios; ſic viciſſim Chriſtus habebat erga Joſephum jus filiale: ſcilicet omnia jura, quæ habent filii reſpectu parentum. Sed fundamentum hujus ſententiæ non poteſt probari: nempe, jus hæreditarium regni Judaici ad S. Joſephum deveniſſe: Quis enim ſcit, an eſſet maximus natu inter fratres? Aut an pater, avus, aliique majores ejus eſſent natu maximi aut primogeniti inter ſuos? Quòd itaque dicitur Chriſtus conſtitutus Rex *ſuper Sion*, per Sionem intellige Eccleſiam, in qua fuit Rex ſpiritualis. Itaque cenſet Suar. 3. p. q. 22. diſp. 48. ſect. 1. nullum jus humanum, ſeu hæreditarium Chriſto fuiſſe ad regnum temporale Judæorum. Illum conſule.

2. Franc. Lucas, quia erat filius Joſeph.

78. Quæres quartò: Utrum Chriſtus habuerit abſolutum & directum dominium, ac poteſtatem, in Orbis univerſi regna omnia temporalia, adeò ut poſſet illa regere, moderari, aut mutare pro voluntate? Reſp. habuiſſe, ſicque fuiſſe Regem & Dominum temporalem regnorum omnium. Hæc enim dignitas & poteſtas decebat Filium Dei, illique debebatur propter unionem hypoſtaticam. In ea opinione eſt S. Thom. lib. 3. de regim. principum cap. 22. & ſeqq. S. Antonin. 3. p. tit. 3. c. 2. Almain. lib. de poteſtate Eccleſ. cap. 8. Turrecrem. lib. 2. Summæ Eccleſ. cap. 116. Navarr. in cap. Novit. de judiciis, notab. 3. n. 8. & ſeq. & n. 130.

Chriſtus habuit directum dominium temporale in totum Orbem.

Probatur primò, Prov. 8. 15. ubi de ſapientia, *Probat. 1.*

id

id eſt, de Chriſto, habetur: *Per me Reges regnant, & legum conditores* (Vatablus, conſiliarii. Chald. potentes Sept. dynaſtæ. Hebr. principes) *juſta decernunt.* Ac verſ. 16. *Per me principes imperant, & potentes* (Chald. judices juſti) *decernunt juſtitiam.*

Secundò. Secundò, Apoc. 1. 5. dicitur *Princeps Regum terræ.* Et cap. 19. 16. *Habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.* Ita Saporem Regem Perſarum, communi ipſis elogio, vocat Julius Capitolinus, cap. 24. Regem regum. Quòd autem dicitur in veſtimento, & in femore ſcriptum fuiſſe eum titulum, putat primò Cornel. à Lapide, eſſe Hendiadym, ſenſumque eſſe, q. d. in veſtimento femoris, ſive tegente femora, aut in femore veſtito. Secundò, ſimpliciùs & veriùs, Senſus eſt, q. d. tam in veſte, id eſt, in regio paludamento, quàm in ipſo Chriſti femore, fuiſſe viſam illam inſcriptionem in illa viſione imaginaria, *Rex regum, & Dominus dominantium.* Nomen porrò hoc in femore ſcribitur, ut, 1. Denotetur Chriſtum, quà Deus eſt, ſuâpte naturâ regnare, ut ait Maldonatus in Matth. 27. 11. per femur enim natura denotatur. 2. Et meliùs, ut Verbi Incarnatio ſignificetur, ſicut docet S. Greg. hom. 15. in Ezech. cùm enim femur, ut ait Valla lib. 4. partes anteriores & exteriores coxæ ſignificet: ſicut femen interiores & poſteriores, ipſas genitales partes complectitur, atque eſt generationis & hieroglyphicum & cauſa.

Tertiò. Tertiò: Pſalm. 8. 6 *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis,* (Hebr. מאלהים *me elohim,* a Deo, ut S. Hieronymus vertit, ſed meliùs Septuag. ab Angelis; hoc enim etiam ſignificat elohim; imò & principes & judices, qui imperium, dominium, & gubernationem Dei participant, ſic vocantur, Pſal. 81. 1. Minuitus autem Chriſtus præ Angelis, ob humanam naturam aſſumptam; ſed, ut eſt Hebr. *meat,* id eſt, parum: ſive reſpectu temporis: unde Syr. reddit *pauliſper,* vel, *parvo tempore:* ſive reſpectu diſtantiæ, intervalli, aut quantitatis rei, in qua minuitur, q. d. in parva re, in parva quantitate, infra illos minuitur. Græcè βραχύτι. Nam in multis Angelos ſuperat, nempe in unione cum perſona Verbi, in ſapientia, gratia, virtutibus & gloria. Pergit David, *gloriâ & honore coronâſti eum;* id eſt, primò, coronam ei gloriæ, quam meruit, dediſti. Secundò meliùs, copioſâ gloriâ eum circumcinxiſti & vallâſti ex omni parte, omnes illi ſubjiciens, & Regem omnium hominum & Angelorum conſtituens, *& conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Hebr. dominari eum feciſti ſuper, &c. dominum ſtatuiſti totius Mundi, *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus,* ſub humilitate Incarnationis, & explicat ſanctus Anſelmus: *Oves & boves univerſas,* &c. nec enim Chriſtus eſt tantùm Rex hominum, ſed etiam Dominus omnium creaturarum, iis utens ad libitum. Hunc locum ipſi tribuit S. Paulus Hebr. 2. unde non licet de ejus ſenſu dubitare.

Quartò. Quartò Matth. 28. 18. Chriſtus in monte Oliveti Diſcipulos ſuos alloquens, antequam in cœlum aſcenderet, eos mox relicturus, ut iis animos adderet, ait: *Data eſt Mihi* (ſoli, etiam quà homo ſum, ut ait S. Cyrillus, & S. Greg. Nyſſen.) *omnis poteſtas in cælo & in terra.* Itaque Reges omnes ſunt velut mei vicarii: non quòd non ſint veri domini, ſed quòd à mea voluntate pendeant, & poſſim eos conſervare, tollere, augere, & minuere pro arbitrio. Sic S. Thomas lib. de regim. princip. vocat Auguſtum Cæſarem, *Chriſti vicarium.*

79. *Triplex genus dominii.* Nota, triplex eſt dominium. Primò, divinum, quod directè cadit in res omnes etiam quoad deſtructionem, & conſervationem: illud cùm ſit ab omni alio independens, eſt prorſus incommunicabile. Secundò, eſt dominium merè humanum, quale videmus in regibus & principibus. Tertiò, eſt dominium aliud inter illa duo medium, quod, ut ait Suarez, creatum quidem ſit, ſub divino exiſtens & ab illo pendens, & in creata voluntate & libertate fundatum; excellens tamen, ac ſuperans omnia dominia & regna humana. Primùm, in origine, cùm à Deo manet, & non ab hominibus. Deinde in ejus firmitate & ſtabilitate, quòd non ſit caducum, ſed ſtabile & æternum. Tertiò, in materia ſeu objecto, quòd ad res omnes creatas ſe extendat, etiam ad Angelos, & ad omnem uſum tam naturalem, quam ſupernaturalem. Hoc autem genus dominii medii poſſibile eſſe, non videtur poſſe dubitari, cùm nullam in ſe repugnantiam involvat. Et Deus, qui eſt ſupremus omnium Dominus, poſſit ſui dominii participationem, prout voluerit, communicare. Hoc autem eſſe Chriſto communicatum probat dignitas unionis hypoſtaticæ, & jam dicta ſuprà.

Quæres quintò: Quandonam inceperit illud Chriſti regnum? Nota, Si Divinitatem ſpectes, Chriſtus eſt Rex ab æterno. Non enim tantum dicitur Pſ. 28. 10. *Sedebit Dominus Rex in æternum:* ſed etiam Prov. 8. 23. *Ab æterno ordinata ſum,* &c. ibi loquitur increata Sapientia, id eſt, Verbum divinum: vocatur etiam, Sap. 7. 72. *Candor lucis æternæ.* Pſal. 109. 3. ait illi Pater æternus, *ex utero ante Luciferum,* id eſt, ante ſtellam auroræ præviam, *genui te.* Vide illum locum. Itaque jure vocatur à ſancto Joanne, Apoc. 15. 3. *Rex ſæculorum,* tam futurorum, quàm præcedentium. Nota 2. Si humanitatem ſpectes, Chriſtum eſſe conſtitutum Regem in tempore à Deo Patre, & hoc dicit Propheta noſter: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus.* 80. Chriſtus ut Deus, eſt Rex ab æterno.

Dico itaque primò, Chriſtum ab ipſa Conceptione Regem fuiſſe totius Orbis, & habuiſſe illud excellens dominium, de quo dixi, ſuper omnes creaturas. Ratio eſt, quia hoc illi competit propter unionem hypoſtaticam: itaque, ſtatim illa poſita reſultavit jus in omnia, & Chriſtus eo uti poterat, cùm haberet uſum rationis perfectiſſimum, omnique gloria & honore eſſet coronatus: Unde ſtatim eum adoraverunt Angeli, ut Regem ſuum, & ipſe eorum obſequium ſibi præſtitum ſuſcepit, Hebr. 1. 6. *Cùm iterùm introducit Primogenitum in Orbem terræ. dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus.* S. Chryſoſt. & S. Ambroſ. in eum locum, ac S. Cyrill. lib. de fide ad reginas, dicunt, Chriſtum, quâ Deus eſt, primò introductum fuiſſe in Orbem per æternam generationem: Nam ſtatim, ut genitus eſt à Patre, ſpatia omnia implevit, in quibus poſteà Orbis eſt creatus: nempe, cœlum, terram, & in eis contenta. Iterùm verò, id eſt, ſecundò, per Incarnationem, cùm in utero Virginis conceptus eſt, fuiſſe in Orbem introductum. 81. Chriſtus ut homo fuit Rex ab ipſa Conceptione.

Pſal. 109. 3. *Tecum principium* (principatus, ut legit S. Chryſoſt.) *in die virtutis tuæ.* fortitudinis, ut S. Hieron. vertit: Sept. δυνάμεως, poteſtatis, roboris. Incarnationis diem hîc denotari cenſent Genebr. & Lorin. Tunc enim Deus fecit potentiam in brachio ſuo, Luc. 1. 51. Regem enim potentiſſimum conſtituit. Ut enim ait S. Cyr. lib. 3. in Joan. cap. 2. qui cum Deo Patre ſemper regnat, Regem ſe conſtitutum fatetur. Homo enim factus, cui regnare naturaliter non eſt proprium, regnum accipere dicitur, quod naturaliter ut Deus ſemper habet, ita ipſe. S. verò Chryſoſt. in pſal. 109. locum cit. dicit: *Quid eſt, tecum principatus? In te, ait, eſt principatus, qui non poſteà acceſſit, ſed in te eſt perpetuò. Hoc eſt, in ipſe,* ἐν οὐσίᾳ αὐτοῦ, ἐν τῇ φύσει αὐτοῦ, *in ſubſtantia ejus, in natura ejus.* Poteſt S. Chryſoſt. etiam de ipſo Conceptionis puncto exponi, ſubdit enim: *Ipſe habuit principatum in natura, in ſubſtantia; ut qui non eam acceperit, poſtquam fuit genitus, nec extrinſecùs importatam aut adventitiam poſſederit, ſed ita ſit genitus. Et ideò de regno interrogatus dicebat, Joan. 18. 37. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in Mundum.*

Quare non equi hinnitu, ut Darius in Perſide: non ſomno, ut Changius faber ferrarius in Tartaria: non ob liberalitatem: ut in Polonia Piaſtus antea agello colendo & mellificio vitam ſuſtentans: non adoptione, aut tyrannide, aut jure belli, aut electione, aut jure humano parentum, ut innumeri: ſed à principiis ſibi intrinſecis, & à natura habet Chriſtus, ut ſit Rex hominum & Angelorum omnium. 82. Variis modo reges creantur. *Darius. Changius. Piaſtus.*

Sa-

Sapor creatur Rex, antequam naſcatur.

Sapor Perſarum Rex in utero materno creatus eſt, ipſo utero coronato. Cùm enim magi prædixiſſent reginam gravidam parituram eſſe maſculum, & peritiam ſuam in prædictione alia probâſſent, de principum & magnatum conſenſu ventri ejus corona eſt impoſita, & rex acclamatus, qui necdum erat natus. At verò, ante ipſam Chriſti Conceptionem ait Deiparæ Gabriel Angelus, Luc. 1.32. *Dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Domus Jacob, ut ait Beda, eſt Eccleſia. In ea regnat nunc Chriſtus per gratiam, & in cœlo regnabit per gloriam: *& regni ejus non erit finis.* In conceptione unctus eſt, & conſecratus Rex, Pſal. 44. 8. *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis,* præ participibus tuis, ut S. Hier. id eſt, ſociis, ut Symm. vertit. Unctionem autem illam primò, de gratia unionis hypoſtaticæ exponunt S. Greg. Naz. S. Juſtin. in Tryph. S. Cyrill. Alex. & alii. Secundò, de gratia ſanctificante, S. Athan. orat. 2. contra Arianos: De gratia capitis, quæ eſt eadem realiter cum ſanctificante, & differt ratione, quòd propter eminentiam ſuam ad alios derivetur, poſſis explicare. Nota, ungi ſolebant reges & ſummi ſacerdotes Judæorum: qua de re aliàs fuſiùs dicetur, Pſal. 19. ſect. 2. articulo primo.

83. *Semper fuit Rex Chriſtus, & id oſtendit: Primò, in Nativitate.*

Dico ſecundò: In nativitate, vita, paſſione, aliquos illius regiæ dignitatis radios Chriſtus oſtendit: in Aſcenſione autem ſuit & in judicio extremo, & tota æternitate exiſtet lux perfecta & conſummata.

Ac primò: Regem ſe Chriſtus in ipſa nativitate oſtendit, cùm & devolantes ex aula cœleſti principes accivit, & ex Judaica ſtirpe paſtores, & ex gentilitia ſuperſtitione Reges, qui ſuum illi tributum honoris deferrent. Neque in anima ſibi defuerunt, cùm ſtella, quæ, ut canit Prudentius in hymno Epiph. *Solis rotam* vincebat & lumine, in Oriente apparuerit, & radiis clarioribus ac longioribus verſus Judæam extenſis, oraculum Balaam atque Sibillarum in memoriam revocavit tribus Regibus Magis, id eſt, ſapientibus. Illi verò ſtatim itineri ſeſe accingentes, ubi Jeroſolymam ſunt ingreſſi, clamaverunt, Matth. 2. verſ. 2. *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?* Id eſt, qui naturâ & nativitate eſt Rex Judæorum, imò & totius Orbis, ut ſuprà dixi. Ubi verò ſtella ſtante, inſtar ſatellitis & ſervi, ſupra locum, ubi erat puer, *intrantes domum*, (id eſt, hoſpitium aliquod, ad quod ex ſtabulo diverterant Deipara, & S. Joſephus, ut cenſet S. Epiph. hær. 51. vel ſtabulum, ut S. Aug. ſerm. 1. & 2. Epiph. S. Juſtin. in Tryphon. S. Chryſoſt. S. Greg. Nyſſ. S. Thom. 3. p. q. 32. & Suar. tom. 2. in 3. p. d. 14. ſect. 4. *Intrantes invenerunt Puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum.* Arab. Prociderunt eum adorando. Non requirunt Macedonum chlamydem, ut Aſſyriorum tiaram, aut Romanorum trabeam, Numidarum candidam in fronte vittam, Siculorum purpuream veſtem, reliquorum principum apparatum, ut Regem agnoſcant & venerentur: ſed in ipſo ſtabulo adorant. Hinc S. Bern. ſerm. 1. de Epiph. ſic eos alloquitur: *Quid facitis ò Magi! quid facitis? Lactentem Puerum adoratis, in tugurio vili, in vilibus pannis. Ergone Deus eſt iſte? Deus certè in templo ſancto ſuo, Deus in cœlo ſedes ejus, & vos eum quæritis in vili ſtabulo, in matris gremio? Quid facitis, quòd & aurum offertis? Ergò Rex eſt iſte? Et ubi aula regia, ubi curia regalis frequentia? Numquid aula eſt ſtabulum, thronus præſepium, curia frequentia Joſeph & Maria? Non illis ſordet ſtabulum, non pannis offenduntur, non ſcandalizantur lactentis infantiâ. procedunt: venerantur, ut Regem, adorant, ut Deum.* In ſuis muneribus teſtabantur ſe agnoſcere eum Regem: ſinguli enim triplex munus obtulerunt: nempe aurum, thus & myrrham, ut S. Ambroſ. S. Greg. S. Anſelmus, Abulenſis, & alii docent: auro autem Regem eſſe declarabat, ut S. Leo, S. Ambr. lib. 2. in Luc. Juvencus presbyter, cæterique tradunt. Unus S. Leo ſufficiat ſerm. 1. in Epiph. Adorant, ait, in carne Verbum, in infantia ſapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum majeſtatis, utque ſacramentum fidei ſuæ intelligentiæque manifeſtent, quod cordibus credunt, muneribus proteſtantur. Thus Deo, myrrham homini, *aurum offerunt Regi*, ſcienter divinam humanamque naturam in unitate venerantes: quia, quod erat in ſubſtantia proprium, non erat in perſona diverſum, ita S. Leo. Aurum eſt regni ſymbolum, quia inter metalla primum locum tenet, ſuo ſplendore inter illa emicat. Plato lib. 3. de Republ. *Deus*, inquit, *formans omnes, qui inter vos apti ſunt ad imperandum, aurum in ipſorum generatione miſcuit: ideò ſunt honoratiſſimi: eorum autem ſubſidiariis, argentum: agricolis verò & ſimilibus, ferrum atque æs.* Suetonius in Auguſto c. 94. ait: Julium Marathum ſcriptis prodidiſſe, ante paucos, quàm Auguſtus naſceretur, menſes prodigium Romæ factum publicè, quo denunciabatur regem populo Romano naturam parturire. Senatum exterritum cenſuiſſe: ne quis illo anno genitus educaretur, ſed hoc fuiſſe impeditum. Longè plura ante Chriſti ortum, & oracula Prophetarum ac Sibyllarum, & prodigia, Orbi Regem parari declaraverunt, de his agemus ſuo loco. Niceph. Call. lib. 1. hiſtor. cap. 17. aſſerit, ipſum Auguſtum Cæſarem Romæ in Capitolio aram maximam extrui curaviſſe cum hac epigr. *Ara primogeniti Dei*, quòd à Pythio Apolline efficaciam Chriſti his verbis expreſſam accepiſſet:

Me puer Hebræus, divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub orcum.
Aris ergò dehinc tacitus abſcedito noſtris.

Secundò: In vita, operibus ſe ſuis Regem Chriſtus probavit. Apocal. 19. 16. Qui habet in veſtimento ſuo, & in femore ſcriptum: Rex regum & Dominus dominantium: quod S. Ambroſ. expendens, ait: *Habet in femore ſcriptum, quòd ipſe ſit Rex regum: quia in operibus, quæ in carne poſitus geſſit, cognitum eſt eum eſſe verum Dei Filium.* Univerſæ creaturæ eum Regem ac Dominum ſuum agnoverunt, eique obedierunt, Deus enim Pater illi omnia ſubdidit, Matt. 8. 27. *Venti & mare obediunt ei.* S. Gregorius hom. 10. in Evangelia, probat, omnia illi obediviſſe: *Omnia elementa*, inquit, *Auctorem ſuum veniſſe teſtata ſunt: Deum hunc cœli eſſe cognoverunt, quia protinus ſtellam miſerunt. Mare cognovit, quia ſub plantis ejus ſe calcabile præbuit. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis ſuæ radios abſcondit. Saxa & parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus ſciſſa ſunt. Infernus agnovit, quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit. Et tamen hunc, quem Dominum inſenſibilia elementa ſenſibilia, adhuc infidelium Judæorum corda Deum eſſe minimè cognoſcunt, & duriora ſaxis ſcindi ad pœnitendum nolunt.* Etſi Deum pauci agnoverunt, Regem tamen multi facere voluerunt. Joan. 6. 15. Meſſiam ſcilicet, ut ait Cornel. quem Judæi putabant daturum ſibi copiam frumenti, vini, olei, auri & argenti. Tunc quinque panes hordeaceos & duos piſces multiplicans quinque virorum millia verſ. 10. paverat: adde mulieres ac parvulos, quantus erit numerus? 84. *Secundò, in vita.*

Specimen quoddam regiæ ſuæ dignitatis præbuit in ingreſſu Jeroſolymæ urbis regiæ, cùm totus populus portis effuſus cum ramis palmarum obviam ei proceſſit, & laudes ejus decantavit, ut, ſicut ait S. Matthæus cap. 21. 5. impleretur, quod dictum eſt per Prophetam Zachariam: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus, &c. Verba Zach. cap. 9. ṽ. 9. ſunt: *Exulta ſatis* Hebr. מאד *mood*, valdè. Chald. vehementer, *filia Sion*, (urbs Sion: urbes puellæ vocantur, & ut puellæ pinguntur) *exulta filia Jeruſalem. Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator.* Hebr. נושע *noſa*, ſalute plenus, ſalute circumdatus. Non enim eſt una ex literis Heemanticis, & in hoc loco eſt formativa nominis: ſicut in Nemrod, quod à *morad* deducitur: & Nephtali à *phatal.* Malè aliqui ſumpſerunt hîc noſa, pro Benoni, id eſt, participio in conjungatione Niphal, & ſignificare volunt ſalva-

ſummo cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus. *2. Deducens captivos.* Secundò, regiam ſuam poteſtatem oſtendit in deductione captivorum ſecum, Epheſ. 4. 8. *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem*, (id eſt, captivos) *dedit dona hominibus*, in Pſalmo 67. erat, verſ. 19. accepiſti dona in hominibus, id eſt, pro hominibus: vel, propter homines. Hebræi enim uſurpant Beth etiam loco pro, & propter. *3. Ab Angelis adoratus.* Tertiò, in Regem ſuum ſuſceperunt & adoraverunt Angeli, è cœlis occurrentes venienti. Illud enim Pſal. 23. 7. de limborum deſcenſu explicatum, veriùs eſt de Chriſti in cœlum aſcenſu, ut ibi oſtendam. Attollite portas, &c. Nunc ſufficiat S. Auguſt. ſermon. 5. de Reſur. *Viderunt cælites cuncti ſpecioſum vulneribus Chriſtum, ſpolia è caſtris tyrannicis reportantem, & admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis, deducúntque lætantes. Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Id eſt, glorioſus. Eſt quoque Rex gloriæ: id eſt, totius aulæ cœleſtis, & omnium glorificatorum. *4. Ad dexteram Patris ſedens.* Quartò, ut Rex ſuper omnes Angelos, Archangelos, & omnes ſpiritus cœleſtes aſcendit, in throno ad dexteram Patris poſito ſeſſurus. Pſal. 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo,* (Pater Filio) *ſede à dextris meis:* ad dexteram, ut legit S. Ambroſ. S. Cypr. lib. 2. c. 26. Tert. lib. 4. contra Marcion. S. Aug. tract. 8. in Joan. Sedere porrò ad dexteram, eſt tenere primum locum inter electos. Vide ibi dicta. *5. A Patre coronatus & poteſtatem accipiens.* Quintò, illi dat Pater coronam regiam, & ſceptrum, poteſtatémque in omnem creaturam, & ejus poteſtatis pleniſſimum uſum, ſubdens ejus voluntati omnia tam naturalia, quàm ſupernaturalia & gratiarum donationem aut ſubtractionem ad libitum. Dan. 7. 13. *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi Filius hominis veniebat, & uſque ad Antiquum dierum pervenit: & in conſpectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem* (judicandi & regnandi) *& honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ſervient ei.* S. Juſt. ac S. Cypr. legunt: Omnes *reges terræ* per genus, *& omnis claritas* (omnes clari & illuſtres) ſervient ei. Sic erunt veri reges: quia ſervire Deo, regnare eſt. Sextò, illum ut Regem omnes ſuſcipient. Apocal. 5. 4. *Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & Seniorum: & erat numerus eorum millia millium. Dicentium voce magnâ: Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem* (accipere, non in ſe, cùm jam eſſet Deus; ſed in mente, & cognitione hominum) *& ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*, & omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Septimò, Regem ſe liberalem oſtendet. Epheſ. 4. 8. *Dedit dona hominibus:* dona ſcilicet Spiritûs ſancti, ut explicat S. Ambroſ. & S. Hieronymus: dedit etiam ipſum Spiritum ſanctum, qui eſt donum donorum, quem promiſerat Apoſtolis, Joan. 16. 7.

Quam poteſtatem ubique oſtendit. Sic regiam ſuam poteſtatem oſtendit in terra, in inferis, & in cœlis, ut ſe omnium Dominum probaret, Epheſ. 4. 10. *Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cælos*, & ipſum empyreum, ita ut ſuper illud emineat, ſitque in illo ſpatio inani aut toto corpore, aut parte corporis, ac pedibus inſiſtat convexæ ejus ſuperficiei, ut S. Thom. S. Anſelm. Corn. à Lap. & alii cenſent. 2. *Super omnes cœlos*, tum ſtellarum errantium, tum fixarum, in cœlum empyreum & ejus partem nobiliſſimam aſcendit. Hic ſecundus ſenſus magis placet, & aliàs infrà confirmabitur, *ut impleret omnia*. 1. Ut fructu ſui ſanguinis loca omnia repleret, ſicut explicat S. Hieron. 2. Ut impleret omnes electorum hominum & Angelorum ſedes, ut S. Anſelm. 3. Ut donis ſuis omnes compleret, ſicut S. Ambr. 4. Ut ubique gloriam ſuam, virtutem, & poteſtatem declararet, ſicut Theophylactus & Oecumenius. Nam, ut dicit S. Bern. ſerm. 2. de Aſcenſ. Aſcendit Chriſtus ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia: jam enim, cùm ſe Dominum univerſorum, quæ ſunt in terra, & in mari, & in inferno, probâſſet, non reſtabat, niſi ut *aëris & cælorum* ſe eſſe Dominum, argumentis ſimilibus, vel certè potioribus approbaret. *Terra* enim cognovit Dominum, quia ad vocem virtutis ejus, cùm clamâſſet magnâ voce: Lazare, veni foras, mortuum reddidit. Cognovit *mare*, quia ſolidum ſe præbuit ſub pedibus ejus: ita ut Apoſtoli eum putarent phantaſma eſſe. Cognovit *infernus*, cujus ipſe portas æreas, & vectes ferreos confregit: ubi & ligavit illum inſatiabilem homicidam, qui vocatur Diabolus & Satanas. Profectò qui mortuos ſuſcitavit, leproſos mundavit, cæcos illuminavit, claudos firmavit, & omnem exſufflavit infirmitatem, Dominus omnium fuit, & eâdem, quâ fecerat, manu, quæ defecerant, reficiebat. Atque poſteà ſubdit: ad claudendam igitur unicam tuam inconſorilem, Domine JEſu, ad perficiendam fidei noſtræ integritatem, reſtat, ut videntibus diſcipulis per medium aëris, ſicut aëris Dominus, aſcendas ſuper omnes cœlos. Ex tunc probabitur, quia *Dominus univerſorum tu es*, quia *omnia in omnibus adimplêſti*, & jam tibi profectò debebitur, ut in nomine tuo omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum; & omnis lingua confiteatur; quia tu es in gloria, & in dextera DEI Patris. Ita Bernardus.

88. *Sextò, Regem ſe Chriſtus oſtendet in die judicii.* Sextò: In judicio extremo Chriſtus poteſtatem ſuam regiam, velut gladium habemus in vagina reconditum, exeret: tunc ante ipſum columnæ ipſæ cœlorum contremiſcent, eúmque venerabuntur omnes homines & Angeli, Hebr. 1. 6. *Cùm iterum introducit Primogenitum in Orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei;* primò, fuit introductus Chriſtus in Orbem per Incarnationem, iterum introducetur in die judicii. S. Matthæus agens de Chriſto judicaturo in fine Mundi, eum Regem vocat, cap. 25. 34. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti, &c.* Cauſam inquirens Abulenſ. q. 357. ait, ſic appellari, cùm eſt mentio judicii: quia ad Regem pertinet magnitudo apparatûs, & magnitudo poteſtatis, & exercitium gubernationis. S. Chryſoſt. hom. 33. de petitione filiorum Zebed. βασιλέως μάλιστα, inquit, τὸ κρίνειν καὶ δικάζειν. Regia eſt maximè, judicare ac diſceptare, honores deferre ac ſupplicio afficere. Chriſtus eſt verus Melchiſedech, id eſt, Rex juſtitiæ, de illo dicitur, Pſal. 44. 7. *Sedes tua Deus* (S. Hier. thronus tuus) *in ſæculum ſæculi*, (S. Aug. in ſæcula ſæculorum) *virga directionis, virga regni tui*. S. Hieron. *Sceptrum æquitatis, ſceptrum regni tui:* ſceptrum ſumitur metonymicè pro exercitio poteſtatis regiæ, cujus ſignum eſt ſceptrum: id eſt, juſtitiam exercebis, juſtè gubernabis, & cum æquitate ac rectitudine. S. Bern. ſerm. 2. de Epiph. *Coronandus*, inquit, *à familia ſua corona juſtitiæ, quando exibunt Angeli, & tollent de regno ejus omnia ſcandala, quando veniet ad judicium cum Senioribus populi ſui, cùm pugnabit pro eo Orbis terræ contra inſenſatos.*

89. *Emblema Chriſti, Regis, Judicis & Vindicis.* Chriſtus Rex, ac Judex, & Vindex depingitur egregio emblemate, Apocal. 19. verſ. 11. Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, *Vocabatur Fidelis, & Verax*, (promiſſa complens fideliter) *& cum juſtitia judicat, & pugnat*, id eſt, juſtiſſimè, & jure æquiſſimo. *Oculi ejus ſicut flamma ignis*, id eſt, flammantes atque fulgurantes propter iram contra ſceleratos, *& in capite ejus diademata multa:* eſt enim Rex regum, & regnorum omnium: diadema porrò, erat faſcia candida, quâ regum capita cingebantur. *Et veſtitus erat veſte aſperſâ ſanguine:* apparebunt enim ſtigmata in ejus corpore: *Et vocatur nomen ejus, Verbum Dei. Et exercitus, qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti albo byſſino, & mundo*, ut denotent: 1. Suam puritatem & innocentiam. 2. Felicitatem, gloriam & triumphum. Nam lætabitur juſtus, cùm viderit vindictam. *Ex ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus*, ſententia dam-

nationis æternæ in animam & corpus: *at in ipſa percutiat Gentes: & ipſe reget eas in virga ferrea, & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.* Hæc dicuntur de Chriſto, Antichriſtum & Antichriſtianos etiam in hac vita punituro: ad judicium extremum etiam maximè ſpectant.

90. *Septimò, per totam æternitatem Rex erit Christus.* Septimò denique, poſt judicium Chriſtus in cœlo erit Rex æternus, & in ſuo regno pacificus. Tunc verum erit, quod ait Joël, cap. 3. 17. *Scietis, quia ego Dominus habitans in Sion monte ſancto meo, & erit Jeruſalem ſancta, & alieni* (alienigenæ, Philiſthæi, Aſſyrii, Chaldæi, &c. id eſt, ſcelerati) *non tranſibunt per eam amplius.* Semel inde dejectus draco, eò ampliùs non penetrat bellum illaturus. Ibi regnabit quietus Salomon, throno ſuo inſidens, & in eo effulgens: de throno Salomonis eburneo, auratoque, atque leonibus ac leunculis cincto, vide lib. 3 Reg. 10. 18. & ſeq. de ferculo ejus ex lignis Libani facto, in quo erant columbæ argenteæ, & reclinatorium aureum, atque aſcenſus purpureus, vide Cant. 3. 9. Ferculum porrò illud, erat ſella regia, quâ per ſolemnem pompam, quaſi in curru triumphali, Regum Orientalium more, à ſuccollantibus lecticariis, Salomon humeris geſtabatur, ut rectè ait Delrio. Sæpè autem Deus dicitur ſedere ſuper Cherubim, in propitiatorio ſcilicet. Dicam tantùm cum eodem Salomone ℣. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion* (animæ contemplativæ extra vos rapimini in cœlum) *Regem Salomonem* (Meſſiam, ut etiam Rabbini explicant in Midras) *in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Mater ejus dicitur cæleſtis Jeruſalem, ut explicat Honorius: dies deſponſationis, eſt dies Aſcenſionis, ſed dies ille non habet occaſum, & illa lætitia & gloria æterna eſt. Senſus eſt Anagogicus: ad literam, agitur de die Incarnationis. Subtiliter Tarentaſius in illum

91. *Quatuor Christi coronæ.* locum Cant. aſſignat quatuor Chriſti coronas. Prima, inquit, *corona* fuit *carnea* in Conceptione,
cujus faber fuit Spiritus ſanctus: fabrica, virgineus
uterus. Cant. 3. Egredimini filiæ Sion, &c. Se-
1. cunda, *corona ſpinea* in Paſſione, cujus fabri fuêre
2. milites: fabrica, Synagoga. Joan. 19. 2. Tertia,
3. fuit *corona gemmea* in Reſurrectione, cujus faber fuit Pater: fabrica gloria. Pſalm. 20. 4. Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo. Quatuor enim dotes corporis ejus fuerunt, quaſi quatuor
4. lapides pretioſi in carne ejus. Quarta, *corona aurea* in Aſcenſione, cujus faber fuit Pater; fabrica cœlum empyreum. Eccl. 1. 45. Corona aurea ſuper caput ejus.

Regnum illud eſt æternum. Angelus Gabriel ait Deiparæ, Luc. 1. 33. *Regni ejus non erit finis:* cauſam dat S. Chryſoſt. in Pſalm. 109. quia Chriſtus à ſe ipſo & in ſe ipſo recondita habet omnia regiæ ſuæ poteſtatis inſignia: itaque eſt Rex, ἀιώνιος καὶ ἀθάνατος, perpetuus & immortalis: alii verò reges poteſtatem ſuam non habent in ſe ipſis; ſed in exercitu, in ſatellitibus, in abundantia divitiarum & murorum ambitu ac munitione, ideò facilè gloria eorum deſinit.

Ferdinandi regis præclara de Christo rege confeſſio. Ab eo Rege æterno omnis regia poteſtas derivatur. Hoc Ferdinandus Magnus, Rex Caſtellæ, egregio facto teſtatus eſt. Ut enim Severanus refert in ſelectis aureis morientium juſtorum, is, cùm mortem propinquam ſentiret, Sacrum fieri juſſit in æde S. Iſidori Hiſpalenſis: in eoque ſacrâ ſe Euchariſtiâ munivit. Die ſequenti vocatis Epiſcopis, Abbatibus, & viris religioſis, ad Eccleſiam diademate coronatum, & regalibus fulgentem veſtibus deportari ſe imperavit, cùmque ad S. Iſidori Sarcophagum veniſſet, coram eo aſtans clamavit ad Dominum clarâ voce: *Tua eſt potentia, tuum eſt regnum, Domine, tu es ſuper omnes reges, tuo imperio omnia ſunt ſubjecta: Quod te donante accepi, reſtituo tibi regnum: tantùm animam in æterna luce jubeas collocari.* His dictis, exutus regalibus ornamentis, pro venia exorabat: & recepta ab Epiſcopis Pœnitentia, & gratia ultimæ unctionis, *indutus cilicio, & conſperſus cinere*, duobus diebus in pœnitentia ſupervixit.

Omnes Chriſti ſervi, ſunt reges. Apocal. 5. 10. in cœlo quatuor animalia (id eſt, quatuor Angeli è ſupremis principibus) & 24. Seniores. id eſt, homines, Sancti, habentes citharas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum, cantant: *Feciſti nos Deo noſtro regnum* (reges) *& ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Habebant in capitibus coronas aureas, cap. 4. verſ. 4. aut potiùs, illas objecerant ante thronum Dei & Agni, verſ. 11. & poſteà ceciderunt in facies ſuas, cap. 5. 14. & adoraverunt viventem in ſæcula ſæculorum, ſcilicet & Deum, & Agnum. Secundò, etiam in terris, reges ſunt Sancti omnes. 1 Petr. 2. 9. *Vos genus electum, regale Sacerdotium.* S. Cypr. illud expendens in Orat. Dom. Adveniat regnum tuum, ſic ait: *Qui renunciavit jam ſæculo, major eſt & honoribus ejus & regno;* & ideò, qui ſe Deo & Chriſto dedicat, non terrena, ſed cœleſtia regna deſiderat.

Vide, ut in te regnet Chriſtus. S. Greg. lib. 20. Mor. c. 7. illa Job verba conſiderans, cùm ſederem quaſi Rex circumſtante exercitu, id Chriſto applicat in hunc modum: *Quaſi Rex Dominus ſedet in corde, quia circumſtrepentes regit animorum motus in noſtra cogitatione. In mente quippe, quam inhabitat, dum torpentia excitat, inquieta frænat, frigida accendit, accenſa moderatur, emollit rigida, ac fluxa reſtringit: Ex ipſa hac diverſitate cogitationum, quaſi quidam illum exercitus circumſtat. Sive certè, qui rex ſedet circumſtante exercitu, quia præſidentem illum mentibus electorum circumſtat turba virtutum.* Et quidem omnes virtutes ibi cum Chriſto regnant, diademate coronatæ, ut ſponſæ magni regis. S. Ambr. lib. 6. de Sacram. cap. 5. *Si Deus*, ait, *in nobis regnat, locum habere adverſarius non poteſt. Culpa non regnat, peccatum non regnat: ſed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat devotio.*

ARTICULUS II.

Christus fuit verus Legiſlator.

POſtquam ſe Regem à Patre conſtitutum eſſe Verſ. 6.
Chriſtus docuit, oſtendit ſe donata poteſtate 2. Pars.
uſum eſſe, & legem novam ſanciviſſe. Verſ. eod. 6. 92.
PRÆDICANS PRÆCEPTUM ejus. Hebr. חק *hok*, ſtatutum, morem, decretum, jus, ceremoniam, legem. Nota primò, contra Lutherum lib. de libertate Chriſtiana & in epiſt. ad Galat. contra Calvinum & Bezam, legem Evangelicam eſſe verè & propriè legem præceptivam. *Lex Evangelica eſt lex præceptiva.* Chriſtus enim Eccleſiam ſuam fundavit, velut regnum aliquod ſpirituale, cujus ipſe eſſet Rex conſtitutus à Patre ſuper Sion montem ſanctum ejus, id eſt, ſuper Eccleſiam, ut vides in Pſalmo noſtro: gentes univerſæ aſſignantur, ut partes & membra illius regni. Poſtula, &c. ideò lex aliqua fuit neceſſaria, quæ omnes in officio contineret. Iſaiæ 2. 3. *De Sion exibit lex* (Evangelica, ſicut Moſaica de Sina: unde Sion Eccleſiam, Sina Synagogam ſignavit, Galat. 4. 24. & 25.) *& verbum Domini de Jeruſalem.* Quod accidit præſertim in Pentecoſte. Joan. 14. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* S. Auguſt. qui habet in memoria, & ſervat in vita. Et cap. 15. 10. *Si præcepta mea* ſervaveritis, manebitis in dilectione mea. Et Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 19. ait: Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, *anathema ſit.* Nota ſecundò: Cùm Chriſtus nec temporale regnum, nec politicam Rempublicam inſtituerit: ſed tantùm Eccleſiam ſuam, quatenus eſt congregatio ad ſpiritualem finem per ſpiritualia media ordinata: ideò per ſe tantùm illas leges tulit, quæ ad hunc finem directè pertinerent. Eam ob rem præcepta dedit moralia & ceremonialia, nulla judicialia: ſed poteſtatem reliquit vicariis ſuis illa ſanciendi. Ita Suar. de legib. lib. 10. cap. 2. illum conſule.

His poſitis: Quæres primò: de quo præcepto 93.
hîc agitur? Primò, aliqui explicant de præcepto *De quo*
pœnitentiæ: ait enim Chriſtus, Matth. 4. 17. *Pœni- præcepto.*

tentiam

Chriſti loquatur David, ſubjicitur.

tentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum: quo Deus per gratiam regnat in corde fidelium, eoſque efficit reges & paſſionum ſuarum domitores, poſteà per gloriam ſecum beaturus & coronaturus in æternum. Hoc autem obtinebunt per pœnitentiam, quæ fuit ſumma, compendium, finis, & ſcopus prædicationis Chriſti, ut per mutationem morum & vitam perfectam regnum cœlorum conſequerentur.

2. Alii de manſuetudine.

Secundò, alii illud præceptum à Chriſto prædicatum, dicunt eſſe præceptum manſuetudinis, Matth. 11. 29. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde;* id eſt, cordis affectu & voluntate, ut ait S. Bern. ſerm. 42. in Cant. S. Auguſt. ſerm. de verbis Domini ſecundùm Matthæum, ſic Chriſtum loquentem facit: Diſcite à me, non Mundum fabricare, non cuncta viſibilia & inviſibilia creare, non in ipſo Mundo mirabilia facere, & mortuos ſuſcitare: ſed, quoniam mitis ſum & humilis corde. Magnus eſſe vis, à minimo incipe. Ita ipſe.

3. Alii de obedientia.

Tertiò, alii præceptum à Chriſto prædicatum cenſent eſſe obedientiæ, quâ ſibi à Patre demandata præſtitit. Joan. 14. 31. *Ut cognoſcat Mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio:* morti me offerens voluntariè, ut Patris mei amori erga me, & ipſius voluntati id mihi imperantis, faciam ſatis.

4. Alii de charitate.

Quartò, alii exponunt de præcepto charitatis, quod Chriſtus ſuum vocat, Joan. 13. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Novum: 1. Id eſt, præſtans, eximium, ait Maldon. 2. Renovans hominem, ut S. Auguſt. 3. Renovatum à Chriſto, & quod anteà explicatiùs traditum, ac novi teſtamenti proprium, quod vocatur lex dilectionis.

5. Alii de conſtitutione ejus in Regem.

Quintò, alii præceptum à Chriſto prædicatum, dicunt eſſe decretum, quo conſtitutus eſt Rex à Deo Patre. Nam חק *hok*, ſignificat etiam decretum & ſtatutum, ut dixi ſuprà. Illud autem decretum promulgavit, Matth. 28. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & terra*, etiam quà homo ſum, ut ait S. Cyrill. & S. Greg. Nyſſ. ac S. Athanaſius.

6. Et ultimò, alii de tota lege Evangelica.

Sextò, meliùs & pleniùs, præceptum illud à Chriſto prædicatum dicimus eſſe totam legem Evangelicam. Cùm enim ſe Regem à Patre conſtitutum dixerit, & conſequenter ſupremum Dominum cœli & terræ, cur præceptum illud ad unum aut alterum mandatum coarctabimus; ac non potiùs ad omnia extendemus? Ejus figura fuit Moſes dans legem populo in deſerto, & omnes Prophetæ mandata Dei populo enunciantes. Unum aut alterum affero. Joël. cap. 1. prophetiæ ſuæ, verſ. 1. *Verbum Domini, quod factum eſt ad Joel filium Phatuel.* Joel ſignificat, *Dominus Deus*, à יה *jah*, Dominus: & אל *el*, Deus;

Phatuel.

Phatuel verò ſignificat, *aperiens Deus:* vel, *ſuaſio Dei*, à פתה *phatah*, aperio: & *el*, Deus. Ut enim ait Paulus Hebr. 1. verſ. 1. *Multifariam* (Græcè πολυμερῶς, per varias partes & vices) *Multiſque modis* (Gr. πολυτρόπως, multiformiter per varias figuras, formas, viſiones & oracula) *olim Deus loquens Patribus in Prophetis: noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula:* magna Orbis felicitas, quòd tam excellentem habuit concionatorem. S. Bern. ſerm. 1. in feſto omnium Sanctorum illud Matth. 5. 2. *Aperiens os ſuum, docebat eos;* contemplans, ait: *Aperuit nunc os ſuum, qui aperuerat ora Prophetarum, &c. Verè apertum eſt os ejus, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt reconditi.* Et quidem ſtatim atque aperuit os, beatitudinem promiſſiones audiuntur.

94.
Jonas Chriſti figura. Filius Amathi.

Chriſti quoque figura fuit Jonas, qui initio ſuæ Prophetiæ ait, cap. 1. verſ. 1. *Et factum eſt verbum Domini ad Jonam filium Amathi:* id eſt, veritatis, hoc enim ſignificat Hebr. *emèth*. Chriſtus itaque, eſt filius Amathi, hoc eſt, veritatis: quia *Deus veritas eſt*, & eam ob rem vera docet: Patri æterno ait ipſe Chriſtus Joan. 17. 17: *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt:* id eſt, doctrina tua per me eis tradita, de Chriſto ait idem S. Joan. 1. 17. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* S. Auguſt. contra Fauſtum id explicans ait: Gratia pertinet ad charitatis plenitudinem: veritas, ad prophetiarum impletionem. Additur Jonæ verſ. 2. *Surge, & vade in Niniven civitatem grandem, & prædica in ea.* Ninive erat Metropolis imperii Aſſyriorum, ſita non ad Euphratem, ut ait Diodor. lib. 2. ſed ad Tigrim fluvium, ut docet Ptolomæus lib. 6. cap. 1. Plin. l. 6. cap. 13. ſignificat, pulchram & ſpecioſam, à rad. *nave*, pulchritudo: unde eſt figura Mundi, in quem venit Chriſtus, legem Dei prædicaturus. S. Hier. in Jonam ſic ait: Chriſtus eſt *Jonas*; hoc eſt *columba*, ſive *dolens:* vel quia Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit, & manſit in eo: vel quia noſtris doluit ipſe vulneribus, & flevit ſuper Jeruſalem, & livore ejus ſanati ſumus. Verè *filius veritatis* mittitur ad Niniven pulchram, id eſt, ad Mundum: quo nihil pulchrius oculis carneis aſpicimus: unde & apud Græcos κόσμος, ab ornatu nomen accepit: ut, quia Iſraël contempſit, totus Gentium Mundus exaudiat: ſic ipſe. Hinc Chriſtus dicitur legatus ad Gentes miſſus, id eſt, ad Mundum tam per ſe, quàm per Apoſtolos ſuos convertendum. Abdiæ 1. verſ. 1. *Auditum audivimus à Domino, & legatum ad gentes miſit*, id de Chriſto ſic exponit Hugo à S. Vict. *Legatus iſte*, ait, *tria ſecum attulit: lucem, unguentum, panem: Lucem expoſuit in monte, panem in cœnaculo, unguentum in Crucis patibulo. Chriſtus namque Mundum illuminavit pulsâ ignorantiâ: ipſe eum ſatiavit ordinatâ concupiſcentiâ: idem ipſum in melius commutavit exterminatâ miſeriâ. Unde ipſe in Evangelio: Ego ſum, ait, via, veritas, & vita: via illuminando, veritas ſanando, vita felicitando: primum contra ignorantiam, ſecundum contra concupiſcentiam, tertium contra miſeriam.* Sic Hugo.

Hunc miſit Pater æternus. Amos 4. 13. *Annuncians homini eloquium ſuum:* id eſt, Chriſtum, qui eſt Verbum ejus, quo omnia dicit, facit, præcipit & gubernat: eſt unicus ejus conceptus. Hebr. שיח *ſiah*, cogitationem, meditationem, conſilium, & opus ſignificat: Sept. verterunt, *annuncians in homines Chriſtum ſuum;* id eſt, Meſſiam & Salvatorem noſtrum. de quo id intellexêre S. Athan. lib. de fid. unit. S. Tim. Baſilius lib. 4. contra Eunom. S. Ambr. lib. 2. de Spir. ſancto. S. Auguſt. lib. 18. de civit. cap. 2. Fortaſſe legerant *meſiho*, aut cognoverant *ma ſiho*, denotare Meſſiam: quia Chriſtus eſt Patris æterni cogitatio, conceptio, dictio, verbum, eloquium, pergit Amos, *faciens matutinam nebulam:* id eſt, vapores & exhalationes per Solem orientem à terra & aqua eductos & elevatos, qui tegunt aërem inſtar nebulæ, id eſt, exiguæ nubis: illa nebula eſt lucida, ſolida & fœcunda. Clarius ſic vertit: *Qui facit auroram ex caligine.* Et Chald. myſticum ſenſum clarè aperit. Qui præparat *lumen juſtis quaſi lumen auroræ*, & præparat tenebras impiis. Pſalm. 18. 8. *Lex Domini immaculata.* (S. Ambr. ſerm. 16. in Pſalm. 118. irreprehenſibilis) *convertens animas*, (ab idolis ad Deum, ait Tertull. de captivitate in libertatem, ad imitandum Deum, ut S. Hieron.) *teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.* Et verſ. 9. *Præceptum Domini lucidum* (longè lucens, ut legit Tert. de pudic. cap. 6. Hebr. *bara*, purum) *illuminans oculos.* Vide ibi dicta, & Pſ. 118. 105. lucerna pedibus meis Verbum tuum, &c.

Quæres ſecundò: An Chriſtus fuerit legis Evangelicæ verus & perfectus legiſlator: An verò tantùm promulgator, ac veluti præco, ſicut fuit Moſes, à Deo latam legem è monte Sina ad populum deſertos, eique explicans? Reſpondeo: Chriſtum propriiſſimè loquendo fuiſſe legiſlatorem legis gratiæ, & habuiſſe poteſtatem juriſdictionis & ſpiritualis & temporalis ad ferendas leges ad libitum, quibus homines obligaret. Probatur ex Iſaia cap. 33. 17. *Regem in decore ſuo videbunt oculi ejus*, &c. regem non Ezechiam exultantem cæſo Sennacherib, ut volunt Rabbini; ſed Chriſtum, ut S. Juſt. in Tryph. Cyprian. lib. 2. contra Judæos, cap. 28. S. Proſper. de Prædict. part. 3. c. 2. 95.

95.
Chriſtus fuit verus Legiſlator, non tantùm legis Promulgator.

deinde poſt enumeratam Eccleſiæ felicitatem ſub tanto Rege, ſubdit cauſam illius verſ. 22. *Dominus enim Judex noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter:* in Pſalmo noſtro vidimus Judicem, verſ. 5. & videbimus verſ. 8. & ſeq. vidimus Regem, verſu præced. nunc Legifer dicitur. Erat homo Deus. S. Cyr. Alex. dialogo 3. de Trinitate: *Decet*, inquit, *ſolam univerſorum regnam naturam* (divinam ſcilicet) *legem ponere, adjicereque & adimere, quæ voluerit. Legem tulit Filius, & antequam alleviavit, ut graviorem legem: novamque immiſit*, id eſt, *Evangelicam: & hoc ſicut Legislator non trepidè & humiliter: ſed in authoritate, quæ Deo congruit.* Habuit etiam illam poteſtatem ut homo, ſicut patet ex allato Iſaiæ loco, & præterea probatur.

96. Primò, quia fuit Filius Dei. Poteſtas ejus legiſlativa ſeptem habuit excellentias. Nam primò Chriſtus, etiam ut homo, fuit Filius
Dei naturalis, ut dicetur art. ſeq. quia ut homo dicit
hypoſtaſim. Hinc poteſtas legislativa fuit in Chri-
ſto cum ſingulari quadam excellentia, cum qua nulli
creaturæ communicata eſt, ut rectè docet Suar. 3. p.
q. 22. diſp. 47. Primò, ob originem poteſtatis illius,
quia hæc poteſtas in Chriſto fuit quodammodo di-
vina: erat enim poteſtas Dei, & à propria dignitate
perſonali manavit. Secundò, ob perfectionem &
excellentiam præceptorum, quæ per hanc poteſta-
tem impoſita ſunt: omnia enim ad internum bonum
1. animæ pertinent, & ad majorem cognitionem Dei,
2. majoremque cum illo conjunctionem. S. Auguſt.
lib. 19. contra Fauſtum cap. 13. *Nobis data ſunt
ſacramenta, ſeu præcepta, virtute majora, utilitate
meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam
juſtitia fieri revelata, & in libertatem vocatis filiis*
3. *Dei.* Tertiò, per hanc poteſtatem potuit abrogari
4. lex vetus. Hebr. 7. 12. Quartò, hæc poteſtas fuit
ampliſſima per univerſum Orbem: in Pſalm. noſtr.
verſ. 8. Dabo tibi gentes. Marci 16. Euntes in Mun-
dum univerſum, prædicate Evangelium omni crea-
5. turæ, id eſt, omni homini. Quintò, ſe extendit ad
6. omnia tempora. Sextò, extenditur ad actus tam
internos, quàm externos, & dat omnium virtutum
materias, & ad omnes effectus ſupremæ poteſtatis,
quales ſunt diſpenſare, abrogare, & ſimiles: eſt
7. enim perfectiſſima poteſtas, & divina. Septimò
denique, dat ſummo Pontifici omnem poteſtatem,
quæ ſufficit ad Eccleſiam gubernandam per totum
Orbem. Jam notavi, Chriſtum noluiſſe uti ſuâ po-
teſtate ad temporales leges ferendas.

97. *Legumlatores vocati deorum filii.* Plato lib. 9. de legibus vocat legum latores, filios deorum. Non agimus, ait, ſicut priſci legum latores, qui, cùm θεῶν παῖδες, *deorum filii* eſſent: heroibus, qui & ipſi ex diis nati dicuntur, leges ferebant: ſed homines hominibus iſta ſancimus. Sic ipſe; hunc autem locum explicans Marſilius Ficinus: Exponendum, inquit, per ea, quæ in Critia & Politico, & ſæpè alibi pertractantur, *deorum filios* hîc intelligi *deos ſub luna*, alios aliis terræ plagis gubernandis accommodatos, quos poſſumus more etiam Platonico Angelos nominare. Per quos ſub Mercurii nomine in Protagora leges genus hominum docet accepiſſe. Per quos in Critia quoque dicit homines primos ex terra natos accepiſſe jura. Ita Marſilius.

Deum ſe finxit Zoroaſtes. A Diis ſe leges accepiſſe veri finxerunt. Legum latores nonnulli Deos ſe eſſe finxerunt, ut Zoroaſtes, qui leges dedit Arianis, ut tradit Diodor. lib. 2. & 3. nonnulli à diis ſe accepiſſe illas finxerunt, ut Menas primus Ægypti legislator, à Mercurio, teſte eod. Diod. lib. 3. Minos in Creta à Jove, per novennium in ſpelunca deliteſcens ad id populo perſuadendum, ut ait Plutarch. eumque vocat δαριστὴν Διὸς, *Jovis Diſcipulum*, Homerus. Ægyptii varias etiam leges ſe habuiſſe ab Iſide gloriabantur, ut tradit Diodor. lib. 1. Plerique populi à Cerere. Ovid. 5. Metam. canit:

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris,
Prima dedit leges, Cereris ſunt omnia munus.

Sertorius fingebat ſe à cerva ſibi à Diana miſſa diſcere ea, quæ eſſet facturus, ut ait Plutarch. in Sertorio. Mahometes columbam ſibi familiarem habuit, quæ ad aurem ei velut aliquid inſuſurrabat, Spiritum ſanctum eſſe populo rudi perſuadebat: pugârim fuiſſe dæmonem familiarem, licèt ad id edoctam naturaliter multi cenſeant. Vide plura Pſalm. 1. ſect. 2. art. 7. *Et in lege Domini, &c.*

Secundò, Chriſtus fuit totius Orbis Legislator, quia propriiſſimè loquendo fuit totius Orbis Rex, 98. Secundò, Chriſtus fuit Legislator, quia erat Rex.
ut art. præced. probavi. Omnis autem Rex ex vi ſui dominii & poteſtatis eſt legislator. Lex & Rex etiam in nomine magnam habent affinitatem. Rex eſt viva lex: lex verò, eſt rex inanimatus, & tamen efficax & potens. Plato in Politico comparat præconem leges intimantem cauponi res aliorum divendenti: Regem autem, proprio rei Domino, res ſuas pro voluntate diſtribuenti. Et dialogo Minois cum Socrate ait, paſtori regem eſſe ſimilem: leges opilionis eſſe ovibus optimas: bubulci, bobus: regis verò, ψυχαῖς τῶν ἀνθρώπων, *animis hominum*. Nota, νομὸν, *paſcuum* ſignificare, ſi accentus in ultima ſyllaba ponatur, νόμον verò, *legem*, ſi in prima. Nota 2. νομὸς, paſcuum, degravat ſyllabam & animum: νόμος lex, ſyllabam & animum in cælum erigit.

Tertiò, Chriſtus eſt verè & propriè Legislator, 99. Tertiò, quia ſupremus Judex.
quia eſt ſupremus Judex. Quando enim quis eſt judex ſummus, habet etiam poteſtatem leges ſanciendi. Supremum eſſe judicem Chriſtum, patet Joan. 5. 22. *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio:* eam poteſtatem ab ipſa Incarnatione accepit. Præcipuè manifeſtandam in die extremi judicii docet S. Chryſoſt. S. Cyrill. Beda, & alii. Hoc apertiùs dicitur à S. Petro docente Cornelium Centurionem, qui ex gentilibus primus Cæſareæ eſt baptizatus, Act. 10. 42. *Præcepit nobis prædicare & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt*, (ὡρισμένος, definitus, deſtinatus, deſignatus) *à Deo Judex vivorum & mortuorum*, id eſt, tum eorum, qui in die judicii reperientur in vivis, ac ſtatim poſt mortem reſurgent: tum eorum, qui anteà erant mortui. Chriſtum eſſe ſimul Judicem & Legislatorem, ait S. Jacobus cap. 4. 12. *Unus legislator & judex, qui poteſt perdere & liberare.*

Quartò denique, quod ſecundo loco poni debuit, 100. Quartò, quia ſummus Pontifex.
Chriſtus eſt Legislator, quia eſt ſummus Pontifex, cujus eſt in Eccleſia leges ſpirituales ferre: & poteſtas regia ſpiritualis Chriſti, non differt à poteſtate ejus, quatenus eſt ſummus Pontifex. De Chriſto dicitur, Pſalm. 109. 4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, qui fuit Rex Salem, id eſt, pacificus & ſacerdos: vide alias analogias ibi. Ælian. lib. 14. var. hiſt. c. 34. ait, apud Ægyptios, judices fuiſſe etiam ſacerdotes. In his principem ſenatûs fuiſſe natu maximum, & in omnes jus ſtatuendi habuiſſe: eum oportuiſſe hominum omnium eſſe δικαιότατον καὶ ἀψευδέστατον, juſtiſſimum & ſyncerissimum, qui circa collum imaginem ex ſapphiro gemma confectam geſtaret, quæ vocaretur veritas. Hoc erant mutuati à ſummo Pontifice Hebræorum, qui in pectore habebat Rationale duodecim gemmis diſtinctum. Exod. 28. 16. In variis nationibus reges fuiſſe etiam ſacerdotes oſtendetur ſuo loco.

Concludat Chriſtus Joan. 14. 15. *Si diligitis me,* 101. Lex Chriſti ſervanda eſt.
mandata mea ſervate: & ego rogabo Patrem, & alium (præter me) *Paracletum* (conſolatorem, ut vertit Syrus) *dabit vobis.* Et ℣. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus:* veniunt per gratiam, & novam operationem in juſtitia, conſervando & augendo, ut S. Chryſoſt. & S. Cyr. exponunt. Veniunt, ait S. Auguſt. ſubveniendo, illuminando, implendo: venimus, obediendo, intuendo, capiendo. Sapienter ait S. Baſil. apud Stob. ſerm. 143. Δεινὴ ἐπαφοῖς, *indigna eſt elatio, nos ſedere*, κριτὰς νομοθέτας, *judices legislatores*, & alias ex legibus approbare, alias verò improbare: Si, θεοῦ ἄνθρωπον, *hominem Dei* perfectum oportet eſſe, omninò neceſſe eſt, per omnia præcepta abſolutum eſſe, ad modum & perfectionem Chriſti. Hæc Baſil. dicebat. Epictetus, legi, & Principi, & ſapientiori cedere decorum eſt. Pudorem

nobis

Zamolxis Philoſophi authoritas apud Getas. nobis Getæ poſſunt incutere. Cùm enim Zamolxis Geta clam ſubterraneum ſpecum ingreſſus eſſet, quarto vix tandem anno emerſit, ab inferis redire ſe ſimulans. Hoc ipſo tantum ſibi authoritatis apud rudem populum comparavit, ut à Rege in ſocietatem Imperii, tanquam Dei ſacerdos & interpres acceptus, eandem ſpecum ſubiens ibi oracula reddiderit, & leges Getis Thracibuſque ſcripſerit, tam conſtanti barbarorum credulitate, ut non mori animas, ſed ad Zamolxim dæmonem migrare ſibi perſuaſerint. Mos hic ad Tiberii Imp. tempora apud Getas perduravit, ut philoſophus aliquis, ceu Deus, regi ipſorum à conſiliis eſſet. Auguſti profectò ætate, qui adverſus Byrebiſcam Getarum regem bella geſſit, Deceneus, ſive Diceneus hac fungebatur authoritate in ſacro monte Cogeono, ut refert Bonfinius l. 1. decad. 1. & Joannes Magnus in hiſtoria Gothorum. Tu diſce à Propheta noſtro Pſal. 1. ℣. 2. Beatum eſſe virum, cùm *in lege Domini voluntas ejus,& in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Ibi fusè egi de legis amore & meditatione.

ARTICULUS III.

Chriſtus fuit verè & propriè Filius Dei, & quanta hinc oriuntur ejus prærogativæ?

Verſ. 7. 102. *Hic de Chriſto ſolo agitur.* TErtium Chriſti elogium à Propheta ponitur, qui eum inducit loquentem, quòd ſit Filius Dei. Verſ. 7. DOMINUS DIXIT AD ME, FILIUS MEUS ES TU: EGO HODIE GENUI TE. Hunc locum vult Lorinus aliquo modo dici de Davide, de Chriſto tamen præcipuè. Sed arbitror hic ad literam nulla ratione agi de Davide, ſed de ſolo Chriſto, licèt per quandam accommodationem omni juſto poſſint, quæ dicuntur, adaptari. Omnis enim vir juſtus eſt filius Dei, & vocatur etiam Deus. Pſ. 81. 6. Intendit autem Propheta Chriſtum ſolum exaltare: de eo explicat Paulus Act. 13. 33. Hebr. 1. 5. Rabbini ipſi in hac expoſitione conveniunt, inter cæteros R. Hunna & R. Joſue, quin etiam in Talmud l. Succa. c. Halelil idem dicitur.

103. *De triplici Chriſti generatione hic eſt ſermo. Primò, de æterna.* De triplici autem generatione poteſt eſſe mentio. De æterna ſcilicet, de temporali per Incarnationem, & de Reſurrectione.

Ac primò de æterna generatione exponunt S. Athan. de decreto Synodi Nicænæ, & orat. 2. contra Arianos. S. Auguſt. in enchir. c. 49. lib. 11. confeſſ. c. 13. S. Baſil. l. 2. contra Eunom. S. Cyr. Jer. catech. 10. S. Cyr. Al. lib. 1. in Joan. c. 4. & de recta fide ad Theodoſium. Et de illa debet intelligi S. Paulus Hebr. 1. ubi probat Chriſtum eſſe Angelis majorem, ex eo quòd Filius Dei ſit, Verſ. 4. *Tantò melior* (Græcè, κρείττων, præſtantior) *Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit Angelorum aliquando: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Hoc de æterna generatione à Paulo dictum volunt. S. Chryſoſt. S. Auguſt. in Pſalm. 2. & in Enchir. cap. 49. Tert. contra Praxeam. cap. 7. aliique.

104. *Nam Verbi à Patre proceſſio eſt vera generatio. Probatur.* Quæres Primò: An Verbi Divini proceſſio ſit vera & propria generatio? Reſpondeo eſſe veriſſimam, idque eſſe de fide. Nota porrò cum S. Thoma 1. part. q. 27. art. 2. generationem dupliciter à Philoſophis uſurpari. Primò, pro omni productione ſubſtantiæ ex præjacente materia, quomodo communis eſt inanimatis & viventibus, & univocæ atque æquivocæ productioni, ſic ferè utitur illa voce Ariſtoteles in libris Phyſicorum, & de generatione, ut advertit Suar. lib. 9. de Deo trino cap. 1. Alio modo generatio ſumitur pro nativitate ſeu conceptione viventium: & ſic generatio definitur: *Proceſſio viventis à vivente conjunctè in ſimilitudinem terra.* Elias Cretenſis in orat. 1. S. Gregor. Nazianz. ſic eam definit: Generatio propria eſt, cùm ex generantis eſſentia id quod gignitur, quantùm ad eſſentiam, genitori ſimile producitur, ita ipſe. Itaque, productio Verbi eſt vera generatio; quia primò Pater æternus eſt vivens: ſecundò, ipſum Verbum etiam eſt perfectiſſimè vivens: tertiò, procedit à principio conjuncto. Nam potentia, ſeu principium, formale producendi eſt ſola divina eſſentia, quæ poſtulat in perſona producente relationem propriam: itaque, Filius eſt Deus de Deo: eſt enim de Patris ſubſtantia genitus, idque per actum immanentem; & illi formaliter communicatur natura divina, ut intellectualis eſt. Quartò, illa productio eſt non ſolùm in ſimilitudinem, ſed etiam in identitatem naturæ, quæ eſt perfectiſſima aſſimilatio. Itaque dici poteſt, Pater generat Filium, Filius à Patre generatur. Actus enim notionales maximè propriè & verè prædicantur de ſingulis perſonis, propriis nominibus ſignificatis in concreto, reſpectivè ſeu diſtributione accommodata, ut *Pater generat, Filius generatur.* Et quidam, ſicut ait S. Anſelmus ad objectiones Arianorum, in ſecunda: *Quis filium dicat, & genitum neſciat? Quis Patrem valeat credere, quem non conſiderat genuiſſe?* Et clarè in Pſalmo noſtro dicitur: Ego hodie genui te.

Iſaiæ etiam 53. 8. dicitur: *Generationem ejus* (nativitatem, Tertull. lib. contra Judæos, cap. 13. *quis enarrabit?* Hoc de humana generatione Chriſti explicant S. Juſtin. q. 67. ad orthodoxos, & S. Athanaſ. lib. de Incarn. Verbi: de divina autem, ipſe S. Juſtin. contra Tryph. S. Clem. epiſt. 1. S. Baſil. lib. 1. contra Eunom. S. Chryſoſt. hom. 1. de incompreh. Dei natura. S. Auguſt. lib. 1. de ſymbolo ad Catech. cap. 3. aliique. Nota Hebr. דור *dor*, ſignificat, non quidem præcisè actum ipſum generandi, aut nativitatem, ſed tempus vitæ & ætatem alicujus, ac ſeriem generationis, quâ quis ex patre aut matre ſuo tempore naſcitur, eique ſuccedit, ut patet Eccl. 1. 4. Deut. 32. 7. Exod. 17. 16. & alibi. Senſus itaque eſt, q. d. Quis explicabit modum generationis illius æternæ, quæ omni caret principio, de qua nunquam verum fuit dicere, incipit: quæque fit in identitatem naturæ: adeò ut Filius ſit Patri æqualis & conſubſtantialis.

Quæres 2. Quare dicitur: Ego hodie *genui te:* 105. *Quid dicitur genui te potiùs quàm gigno.*
non verò, gigno te? Reſp. cum S. Thoma 1. p. q. 42. art. 2. ad 4. ad ſignificandum præſentialitatem & permanentiam æternitatis, poteſt dici quòd Filius *ſemper naſcitur*, ut Origenes dixit. Sed ut S. Gregor. & S. Auguſt. dicunt, meliùs eſt quòd dicatur *ſemper natus*, ut ly, ſemper, deſignet permanentiam æternitatis: & ly, natus, perfectionem geniti. Sic ergo Filius non imperfectus eſt, neque erat quando non erat, ut Arianus dixit.

Quæres tertiò: Quid hîc ſignificet particula *hodie?* 106. *Quid ſignificat hodie.*
Reſpondeo, denotare præſentem durationem, quæ ſemper præſens eſt, indiviſibilis, & immobilis, amplectiturque omne tempus, præteritum, præſens, & futurum, qualis eſt æternitas. Undè, ſicut modò dixi, non Pater æternus ait, ego hodie gigno te, quaſi jam incipiat gignere; ſed, *genui te*, quaſi jam perfecta ſit generatio, & perfectus Filius: utpotè jam antè ab omni æternitate genitus, q. d. ait S. Thomas: Perfectus es, ô Fili! & tamen generatio tua æterna eſt, & ſemper à me generaris: ſicut lumen in aëre perfectum eſt, & ſemper à Sole quaſi gignitur & emanat. *Hodie* ergo, id eſt in & ab æternitate, in qua unum eſt hodie, unum inſtans, unum nunc, ſcilicet unum ſtabile & perenne præſens, ego gigno, & genui, & ſemper gignam te, quaſi Verbum, & Filium meum. Hinc ſequitur primò, generationem hanc non tranſire, fluere & præterire; ſed ſemper eandem numero in Deo permanere, ut ſemper gignat Filium. Eadem eſt ratio de ſpiratione Spiritûs S. Pater enim & Filius ſemper ſpirant Spiritum ſanctum: perinde ac Sol ſemper ſpargit ex ſe & producit lumen: & perinde ac Deus ſemper creat quaſi mundum, hoc ipſo, quòd ſuo continuo influxu eundem à ſe creatum in ſuo eſſe conſervat: conſervatio enim hæc non eſt aliud, quàm continuatio creationis, & continua creatio, quâ omnia in Deo proveniunt ex immenſitate ſimplicitatis, immutabilitatis, fœcunditatis & perfectionis divinæ eſſentiæ: ex hac enim Pater habet vim & actum ſemper generandi Filium, & ſpirandi ſemper cum Filio Spiritum ſanctum. Secundò ſequitur, in divinis idem eſſe gignere & genuiſſe, ſpirare, & ſpiraſſe,

ac viciſſim, generari & generatum eſſe, ſpirari & ſpiratum eſſe; actiones enim Divinæ in inſtanti perficiuntur, & æternitas in uno *hodie*, imò in uno inſtanti perficitur: unde in æternitate idem eſt præſens, præteritum & futurum. Tertiò ſequitur, actiones immanentes, ſcilicet generationem atque ſpirationem, earumque terminos, ſcilicet Filium & Spiritum Sanctum, eſſe DEO Patri coæternos, quia eum hodie æternitatis incipiunt. Ita Cornel. in Epiſt. ad Hebr. Nota præterea, *hodie* denotare illam æternitatem eſſe diem & lucem perfectiſſimam, Chriſtumque habitare *lucem inacceſſibilem*. 1 Timoth. 6. 16. Ut enim ait S. Dionyſ. epiſt. 5. ad Dorotheum: *Caligo divina eſt inacceſſibilis, in qua inhabitare dicitur Deus: hæc eſt inviſibilis propter eximiam claritatem: & inacceſſibilis, propter immenſum luminis copiam.* Hinc Filius eſt, ac dicitur Hebr. 1. ℣. 3. *ſplendor gloriæ* (ἀπαύγασμα, claritas, ſplendor, fulgor, refulgentia) *& figura* (χαρακτὴρ, expreſſa & quaſi exſculpta imago, ſignum & ſimilitudo) *ſubſtantiæ ejus.* Sic Sap. 7. 26. appellatur *Candor lucis æternæ*, ἀπαύγασμα, claritas, ſplendor, lux: unde S. Auguſt. lib. 4 de Trinit. cap. 2. legit: *Lux eſt lucis æternæ.*

Lucem illam intuebatur Michæas Propheta, cùm agens de Meſſia in Bethlehem naſcituro, ait cap. 5. 2. *Egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis*, id eſt, ab omni retrò æternitate, in qua propriè loquendo non ſunt dies. *Æternitas* enim, ut ait Boëtius lib. 5. de conſolatione, proſa ultima, *eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio*: caret enim ſucceſſione, principio & fine. Cùm tamen omnia tempore menſuremus, per catachreſim dantur æternitati dies & anni. Sic Pſ. 76. 6. habetur: Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Nota, Egreſſus Chriſti à diebus æternitatis, eſt emanatio & nativitas ejus æterna, quâ ſemper fuit Dei Filius. Sic exponunt S. Cyrillus hom. 4. in Neſtorium, S. Chryſoſt. in lib. Quòd Chriſtus ſit Deus. Rupertus, Albertus, Dionyſ. aliique: & Vatablus vertit, *emanationes*. Ita egreditur à Patre, ut ſemper ſit in Patre, Joan. 1. ℣. 18. *Unigenitus qui eſt in ſinu* (Syr. in gremio. S. Cyr. in utero. Græc. ἐν κόλπῳ, in ſinu, in pectore & corde) *Patris, ipſe enarravit*, ἐξηγήσατο, declaravit, clarè expoſuit, dilucidè & apertè explicavit diſcipulis varia myſteria. S. Cyrillus, S. Chryſoſt. S. Auguſt. per ſignum denotari volunt ſummam conjunctionem & communicationem, ſecretorúmque cognitionem.

Splendorem illum cum intima unione, & generationis æternitatem Propheta noſter declaravit Pſ. 109. 4. ubi Dominus ait Domino, id eſt, Pater Filio: *Ex utero ante Luciferum genui te*, id eſt, ante auroram, ante omnem lucem, ante cælum & omnia creata, genui te ex utero: hoc eſt, ut interpretatur S. Hier. *De mea ſubſtantia, de mea natura, de meis viſceribus, de medullis divinitatis meæ. Totum quicquid eſt in divinitate, dedi Filio, quem generavi.* Et S. Auguſt. in Pſ. 109. Qui eſt ſinus, inquit, ipſe eſt uterus, & ſinus & uterus pro ſecreto poſitus eſt. Quid eſt ex utero? Ex ſecreto & occulto, de meipſo, de ſubſtantia mea, hoc eſt, ex utero, ita ipſe. Vide illum locum.

107. Quomodo fiat divina generatio, exponitur.

Quæres quartò: Quomodo fiat illa Verbi divini generatio? Reſp. modum denotari in verſu noſtro: Dominus *dixit* ad me, ut vidit S. Thomas in commentario. Verbum enim divinum eſt ipſa Patris æterni intellectio, conceptio, locutio, dictio: unde etiam Verbum vocatur; ad quod nota primò cum Suare lib. 6. de Trin. cap. 1. Actus quo producitur divina Perſona, dupliciter accipi poteſt: ſcilicet, per modum principii quo, vel per modum actualis productionis ſeu viæ. Primo modo ſignificatur nomine intellectionis, aut dilectionis: hi enim actus ſunt principium proximum, quo perſonæ producunt, poſteriori autem modo ſignificantur actus nominibus generationis, *dictionis*, & ſpirationis: tradit etiam hanc diſtinctionem Henric. in ſumm. art. 54. qu. 10. Nota ſecundò, ſicut in productione creaturæ actionem & paſſionem diſtinguimus, ita in DEO diſtingui noſtro modo concipiendi originem activam & paſſivam, quales ſunt generatio, quæ per modum actionis ſignificatur; atque nativitas, quæ ſignificatur per modum paſſionis. De origine ergo paſſiva, quæ eſt proprius actus paſſivus (ut ſic dicam) perſonæ productæ, omnes docent, eſſe in re omninò idem cum relatione ejuſdem perſonæ productæ, ſcilicet nativitatem cum Filiatione, & proceſſionem cum relatione Spiritûs ſancti. Communis quoque eſt Theologorum ſententia, originem activam eſſe idem adæquatè cum relatione perſonæ producentis; generationem videlicet cum Paternitate, productionem Spiritûs Sancti cum ſpiratione. Tenet Magiſt. in 1. diſt. 26. ubi dicit: *Generatio & Nativitas aliis nominibus ſunt Paternitas & Filiatio.* Quæ verba refert, approbat S. Thomas 1. p. qu. 41. art. 1. ad 2. Item S. Bonav. diſt. 26. q. 3. Durand. q. 2. & alii. Nota tertiò, quòd ſicut propriè loquendo, Verbum dicitur perſonaliter in Divinis, & non eſſentialiter: ita & *dicere*. Unde ſicut Verbum non eſt commune Patri & Filio & Spiritui ſancto; ita non eſt verum, quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſint unus dicens. Unde S. Auguſt. ait lib. 7. de Trin. cap. 1. Illo æterno Verbo non ſingulus intellectus intelligitur in divinis, ſed *dici* convenit cuilibet perſonæ. Dicitur enim non ſolùm verbum, ſed res quæ verbo intelligitur, vel ſignificatur. Sic ergo *uni ſoli perſonæ in divinis convenit dici, eo modo, quo dicitur verbum.* Eo autem modo, quo dicitur res ita verbo intellecta, cuilibet perſonæ convenit dici. Pater enim intelligendo ſe & Filium & Spiritum ſanctum, & omnia alia, quæ ejus ſcientiâ continentur, concipit Verbum: ut ſic tota Trinitas verbo dicatur, & etiam omnis creatura. Sicut intellectus hominis verbo, quod concipit, lapidem dicit, ita S. Thomas 1. p. q. 34. art. 1. ubi deinde rectè notat, quod S. Anſelmus non impropriè accepit, *dicere*, pro intelligere; itaque nota quartò, Intelligere importat ſolam habitudinem intelligentis ad rem intellectam. In qua nulla ratio originis importatur; ſed ſolùm informatio quædam in intellectu noſtro, prout intellectus noſter ſit in actu per formam rei intellectæ. In Deo autem importat omnimodam identitatem: quia in Deo eſt omnino idem intellectus & intellectum. Sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum. Nihil enim aliud eſt *dicere*, quàm proferre verbum. Sed mediatè verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifeſtatur intelligenti. Et ſic ſola perſona, quæ profert verbum, eſt dicens in divinis, cùm tamen ſingula perſonarum ſit intelligens & intellecta, & per conſequens verbo dicta. Sic ibi. Verbum porrò procedere ex ſcientia ſimplicis intelligentiæ creaturarum poſſibilium, non verò ex ſcientia viſionis, ut ſic, docet Suarez de Trin. lib. 9 cap. 6.

Quæres ultimò: An Verbum divinum ſit verè & propriè Patris æterni Filius? Reſpondeo eſſe. quia Filius nihil aliud eſt, quàm vivens productum à vivente per propriam generationem. Probavi autem quæſt. 1. Verbi divini productionem eſſe veram & propriè dictam generationem. Itaque, Verbum divinum, & Filius Dei idem ſunt, tam quoad perſonam, quàm quoad naturam. Sic Joan. 1. 14. Et *Verbum* caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi *unigeniti à Patre*. Vides eundem vocari Verbum & Filium unigenitum. In Pſal. noſtro dicitur: *Filius meus es tu*, & apertiùs 1 Joan. 5. 20. vocatur verus Filius & verus Deus: *Ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* S. Athan. orat. in id: *Deus de Deo*, ſic legit, *& ſimus in ipſo vero: nempe in Filio ejus JESU Chriſto*. Sic etiam habet textus Græcus & Syriacus. Sumus autem in Filio per fidem & gratiam, ſicut palmites in vite, & rami in arbore, ut inde ſuccum trahamus. Si de Chriſti divinitate aliquid habere placet, vide Gregorium de Valentia tom. 1. diſp. 2. generali, fusè eam probantem. Cur autem Spiritus ſanctus non ſit Filius, vide apud D. Thom. 1. p. qu. 27. art. 4. & 4. contra Gentes cap. 41. & 19. & apud Suarez de Trin. l. 11. cap. 5.

108. Verbum divinum eſt propriè Patris Filius.

Se-

109. 2. David agit de temporali Chriſti generatione.

Secunda explicatio verborum, quæ expendimus: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, eſt S. Chryſoſt. hom. de fide in Chriſtum, S. Ambr. lib. de fide l. 5. cap. 1. S. Fulgentius contra Arianos ad 3. object. S. Hieron. in cap. 6. Zachar. S. Cyprianus lib. 2. cap. 8. & aliorum, qui de temporali Chriſti generatione illa interpretantur; ita ut ſenſus ſit: Ego in hoc die Incarnationis & Nativitatis genui te generatione humanâ in B. Virgine. Sic Hebr. 13. 8. dicitur, *JEſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula*, ſupple, fuit, eſt, & erit. S. Ambroſ. lib. 5. de fide, cap. 1. *Heri*, inquit, propter æternitatem: *hodie* propter corporis ſuſceptionem: Eſt ergo Chriſtus, & eſt ſemper. Qui enim eſt, ſemper eſt, ita Ambroſius, & *in ſæcula*, id eſt, omni tempore futuro. Itaque ſumit *hodie*, pro tempore præſenti: ita ut declaret, Chriſtum temporis differentiam omnem complecti. Hoc aliter ait S. Joannes Apocal. 1. 4. *Qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* Agit ibi de Deo, & alludit ad Jehova, & ad illud Exod. 3. 14. אהיה אשר אהיה *eie aſer eie*, *Ego ſum qui ſum*: ad verbum redderes, ero qui ero, Hebræi autem futuro utuntur pro præſenti, quando continuatio, aut perduratio & conſtantia rei denotatur. Itaque ibi ſignificat Deus ſtabilem ſuam æternitatem, quæ præſentis, præteriti, & futuri differentias continet. Sed ad rem noſtram ex S. Greg. Nazianzeno paulò aliter Theod. explicat Paulum: *Heri & hodie*, ait, appellat humanam & temporariam Chriſti naturam: æternam autem, cùm dicit, ipſe & *in ſæcula*, vocat divinitatem Chriſti.

Locum quoque Pſal. 109. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te*, de humana Chriſti generatione exponit S. Auguſt. & S. Juſtinus in Tryph. ita ut ſit ſenſus: Ex ſolo utero Virginis, ſine viri ſemine ante Luciferi ortum, poſt mediam noctem genitus & natus eſt Chriſtus. Hebr. Symm. Aquila, V. editio habens: *Ab aurora tibi ros adoleſcentiæ tuæ*, poſſis vertere ex Hebr. *Ex utero auroræ, ros juventutis* (aut adoleſcentiæ) *tuæ*. Nativitas Chriſti, fuit aurora. 1. Quia tenebras noctis denſiſſimæ depulit; unde S. Petrus epiſt. 2. cap. 1. 19. Chriſtum & ejus Evangelium vocat luciferum, qui diem referat. *Cui* (Prophetiæ & Scripturæ) *benefacitis attendentes* (Græcè προσέχοντες, intendentes, ut S. Auguſt. tract. 23. in Joan. legit) *quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco*. ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ, in loco ſqualido, ut uſurpat Luc. in loco ſordido, obſcuro, tenebroſo, horrido: hæc omnia habebat mundus: *Donec dies eluceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Oecumen. Luciferum ait eſſe Chriſti cognitionem & adventum à Prophetis prænunciatum. Eſt enim lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. 2. Nativitas Chriſti fuit aurora, quia cœleſtem rorem terris effudit: dudum Patres dicebant Iſaiæ 45. 8. *Rorate* (Arab. Alex. & Antioch. gratiam præſtate. Syrus, jucundamini) *cœli deſuper, & nubes pluant juſtum.* Arab. Ant. ſpargant juſtitiam. Syr. rorent juſtitiam. Chriſtus eſt juſtitia formalis & cauſalis. Eſt enim fons omnis boni, & ipſe eſt omne bonum.

110. Chriſtus non eſt Filius Dei adoptivus, ſed naturalis.

Quæres primò: An Chriſtus, in quantum homo, ſit Filius Dei naturalis, aut adoptivus? Reſp. eſſe Filium Dei naturalem, & non adoptivum: ita docet S. Thomas 3. p. q. 23. art. 4. Magiſter in 3. diſt. 4. & diſt. 10. Palud. diſt. 4. art. 3. Suar. 3. p. diſp. 49. tom. 1. Adrianus Papa, Concilium Francofordienſe, & alii. Ratio eſt, quia de ratione adoptionis eſt, ut extranea perſona accipiatur liberaliter ad hæreditatem. Sed Chriſtus ut homo non eſt extranea perſona, quia non eſt alia perſona à perſona Filii Dei naturalis. Nam licèt accipiatur Chriſtus, ut eſt perſona compoſita, intrinſecè includit filiationem Dei naturalem, per quam conſtituitur in eſſe hujus perſonæ, ut loquitur Suar. & ideo ſub nulla ratione poteſt dici, neque intelligi, neque in duratione temporis, neque in aliquo ſigno naturæ, quòd ſit perſona aliena, ſeu extranea à divina filiatione: & ideo ex hoc principio non eſt capax adoptionis. Eam ob rem ſimpliciter in Pſalmo noſtro dicitur: *Filius meus es tu*, & Matth. 3. ℣. 17. ab eodem Patre æterno dicitur: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Græcè, ὁ ἀγαπητὸς, *ille dilectus*, hoc eſt, ſummè & unicè dilectus. Syr. *dilectiſſimus*. Idem dicitur cap. 17. Et S. Ambr. apertè ait lib. 1. de fide, cap. 9. *Nos filii per adoptionem, ille per naturam*: & loco cit. Matth. eſt Græce. ὁ υἱός, *ille filius*, hoc eſt, ille ſingularis, ille eximius, & nulli conferendus, ille non ſubſtantialis filius. Unde Joan. 20. 17. ait Magdalenæ poſt Reſurrectionem: *Vade ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum.* Vocat fratres Apoſtolos, & tamen non dicit Patrem noſtrum, ſed veſtrum; ut oſtendat alio modo eſſe Patrem ſuum, & alio modo Patrem Apoſtolorum: *Meum naturâ*, inquit Auguſt. *veſtrum gratiâ*; ut enim ait Apoſtolus, Galat. 4. ℣. 4. *Miſit Deus Filium ſuum, ut adoptionem filiorum reciperimus*, per gratiam ſcilicet. Rom. 8. 15. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis*, (gratiam & charitatem) *in quo clamamus, Abba Pater*, id eſt, Pater, Pater. Nam *abba* eſt vox Syriaca, quæ patrem ſignificat. Syr. *abba abun*, id eſt, Pater, Pater noſter. Repetitio denotat certitudinem, affectum, & fiduciam. Hinc Latina vox Abbas deducitur: videant itaque Prælati, ut ſint patres, & cum amore ſancto filios ſpirituales Deo generent: & velut filios, non ut ſervos ac mancipia, regant.

111. Pater æternus non eſt Chriſti pater ſecundùm humanam ejus naturam.

Quæres ſecundò: An Pater æternus ſit Pater Chriſti ſecundùm Humanitatem, cùm dicat: *Ego hodie genui te?* Reſp. negativè: quia nihil ei tribuit de ſua ſubſtantia, & non generat illum in ſimilitudinem generantis. Nemo autem pater dicitur, niſi qui producit ſibi ſimile in natura viventis ex vi productionis. Pari modo licèt Chriſtus dicatur *conceptus de Spiritu ſancto*, negat tamen S. Chryſoſt. hom. 2. in ſymbol. Apoſtol. tom. 5. S. Auguſt. in Enchirid. cap. 38. & 39. Concil. Tolet. 11. S. Thom. 3. p. q. 32. art. 3. Spiritum ſanctum eſſe dicendum Patrem Chriſti: quia, ut ait S. Thom. Non omne quod in animalibus generatur, filiationis recipit nomen, ſed ſolùm illud quod generatur *in ſimilitudinem generantis*. Unde, ſicut S. Auguſtinus dicit, non dicimus, quòd capillus, qui naſcitur ex homine, ſit filius hominis: nec etiam dicimus, quòd homo qui naſcitur, ſit filius ſeminis: quia nec capillus habet ſimilitudinem hominis, nec homo qui naſcitur ex ſemine, habet ſimilitudinem ſeminis, ſed hominis generantis. Et ſiquidem perfecta ſit ſimilitudo, erit perfecta filiatio, tam in divinis, quàm in humanis. Si autem ſit ſimilitudo imperfecta, erit etiam filiatio imperfecta, ita ibi. Non eſt autem perfecta Humanitatis ſimilitudo cum Deo in ſimilitudinem naturæ. Item in Sanctis eſt imperfecta per gratiam, quâ in filios adoptantur. Alia præterea per creationem, quæ propriè loquendo non eſt filiatio, ſed metaphorica atque lato modo ſumpta, & tribuitur omnibus creaturis. Unde Job. 38. 28. Deus vocatur *pluviæ pater*. Sic enim Deus Jobo de turbine loquens ait: *Quis eſt pluviæ pater? Aut quis genuit ſtillas roris?* Sic ſe Deus patrem & matrem facit pluviæ. Gigno enim ibi pro conſpicio ponitur. Unde Origen. hom. 51. in Levit. *Nomen Patris*, inquit, *grande myſterium eſt: nomen Matris, grandis reverentia eſt.* Valerius Soranus apud S. Auguſt. lib. 7. de Civit. cap. 9. Jovem vocat Genitorem & Genitricem Deorum, atque rerum. Philo lib. de Temulentia, agens de vero Deo, Rerum, ait, opificem, Patrem quoque creaturæ ejus juſtè poſſumus dicere: Matrem autem ſcientiam ipſius, cum qua congreſſus Deus non humano more proſeminavit creaturam. Hæc ipſe verè, ſed per metaphoram.

112. Tertiò, David agit hic de Chriſti reſurr.

Tertia explicatio verborum Pſalmi noſtri: *Filius meus es tu: ego hodie genui te*, eſt Aquilæ in catena, S. Ambroſii lib. 3. de Sacram. S. Hilar. S. Chryſoſtomi, & aliorum, qui de Reſurrectione Chriſti explicant. Senſus itaque eſt: Ego *hodie*, in hoc tempore, in hoc die Paſchatis reſuſcitavi te, ac de novo animam tuam corpori univi, & novo modo produxi te ad vitam immortalem, impaſſibilem, glorioſam, ut appareas alteri mundo, atque in eo domineris Rex hominum & Angelorum. Hic ſenſus eſt hujus loci maximè proprius. Nam priùs dixerat Chriſtus gentes fruſtrà in paſſione infremuiſſe, fruſtrà populos

Digitized by Google

los inania meditatos, &c. 2. Excitaverat Apoſtolos ad dirumpenda eorum vincula & jugum excutiendum: nunc 3. proponit ſuam ipſius reſurgentis gloriam, poteſtatem datam in omnes gentes, & in ipſos reges. Nota, hic Pſalmus à Davide ſcribitur, quaſi à Chriſto dictus in die Paſchatis, ſtatim poſt Reſurrectionem. Tunc enim gaudio triumphans potuit dicere: *Quare fremuerunt*, &c. q. d. quid hoſtibus meis profuit fremitus, quid maligna ſo me machinatio, quid conventicula & omnis furor? Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: *Ego hodie genui te*, illi morte ignominioſâ voluerunt nomen meum extinguere, ego novâ generatione & glorioſâ te Orbis Regem ac Dominum propono adorandum, cùm ſis Filius meus mihi conſubſtantialis.

Ut S. Paulus declaravit. Sic Act. 13. S. Paulus cùm veniſſet Antiochiam Piſidiæ, & die Sabbathorum, id eſt, die Sabbathi, ingreſſus in Synagogam, & rogatus à Principibus ſynagogæ, verba fecit, atque inter cætera dixit, ṽ. 32. & ſeq. *Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt*, (de Chriſti Incarnatione, & mundi redemptione:) *Hanc Deus adimplevit reſuſcitans Jeſum, ſicut & in pſalmo 2. ſcriptum eſt: Filius meus es tu. Ego hodie genui te.* Ubi clarè videtur loqui de Reſurrectione Chriſti, & ſic explicant S. Hilar. S. Chryſoſt. Janſen. Varabl. Flamin. Vatlenus in Pſ. 2. S. Ambroſ. lib. 3. de Sacramentis cap. 1. ubi addit, eam ob rem vocari primogenitum à mortuis, Coloſſ. 1. 18. ait Paulus: *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium*, id eſt, fons, dux, & Author reſurrectionis & reſurgentium ex mortuis, ut S. Ambroſ. S. Chryſoſt. Theodoretus & Theophylactus exponunt: vel principium cum S. Cyrillo ſume pro principe & præcipuo: Græcè enim eſt *ἀρχὴ*: quæ vox & principium ſeu initium, & principatum ſignificat, ſicut Pſalm. 109. 4. Tecum principium (Hebr. *nedabot*, id eſt, principatus) in die virtutis tuæ, addit Paulus, *primogenitus ex mortuis*, id eſt, qui primus ex mortuis reſurrexit ad vitam immortalem: alii enim ab Elia & Eliſæo ipſoque Chriſto ſuſcitati, aut jam erant mortui, aut poſteà erant morituri. Nota, reſurrectionem vocari generationem, aut ſicut Matth. 19. 28. regenerationem: quia verè eſt mutatio ſubſtantialis, quâ id, quod prius extiterat, & corruptum erat, idemmet iterum producitur. Ubi adverte, cùm ſit mutatio, ſemper fieri ex præſuppoſito ſubjecto ſeu materia: creationem autem fieri aa nihilo.

113. Chriſti reſurgentis figura fuit Jonas è ventre ceti prodiens. Figura eximia Chriſti reſurgentis eſt Jonas Propheta, ut ipſe Chriſtus ait Matt. 12. 40. *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus. Sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*, non quòd tres dies integros & noctes in ſepulchro fuerit, ac tantùm reſurrexerit in fine feriæ 2. ut cenſuit Alcuinus lib. de divinis officiis cap. de Cœna Domini: quod eſt erroneum. Non quòd illi tres dies ſint incipiendi à die Jovis, in quo ſub veſperum inſtituens Euchariſtiam, ſeipſum immolavit per ſacrificium incruentum, ut voluit S. Greg. Nyſſen. orat. 1. & 2. de Reſurr. Sed per ſynecdochen pars diei & noctis pro die & nocte ſumitur. Itaque fuit Chriſtus in ſepulchro, reliquo die Veneris quo paſſus eſt, toto ſabbatho, & initio diei Reſurrectionis: item nocte diei Veneris, Sabbathi, & diei Dominicæ, ſed partialiter, quia Romani à media nocte in aliam dies computabant, ut tradit Macrob. lib. 1. Satur. cap. 3. Gellius lib. 3. cap. 2. Plinius lib. 2. cap. 77. & cæteri. De Jona autem dicitur Jon 2. 1. *Erat Jonas in ventre piſcis* ceti, ut vertunt Sept. & habes Matt. 12. 40. cenſent Rodeletius lib. 13. de piſcibus, c. 12. Ulyſſes Aldrovandus lib. 3. de piſcib. c. 32. Pineda lib. 4. de rebus Salom. c. 12. & alii fuiſſe piſcem, qui carcharias, & cania, atque ab Italis, Nicandro, & aliis nuncupatur Lamia. Eſt enim carcharias ſeu canis, galeonum omnium maximus, & in ejus ventre ſolidum hominem reperiſſe ſe aſſeruerunt Rondoletio Nicenſes: & hominem loricatum, Maſſilienſes, *tribus diebus & tribus noctibus*. Ubi nota, fuiſſe miraculum. 1. Quòd calore coctionis non fuerit conſumptus. 2. Quid ibi potuerit reſpirare. 3. Quòd non ſit exanimatus odore intolerabili. 4. Quòd ibi mentis fuerit compos. Theophylactus ſic allegoriam exponit: Jonas eſt Chriſtus: navis, Synagoga Judæorum: navarchus, Moſes: nautæ, Prophetæ: mare, afflictiones noſtris peccatis debitæ: ſors voluntas Patris æterni: venter ceti, ſinus ſecreta mortis, ſepulchri, & inferni, in quibus triduo fuit Chriſtus, & poſt triduum inde reſurgens, Gentibus pœnitentiam & Evangelium ſalutis annunciavit per Apoſtolos: tunc venti, id eſt, inſpirationes & tentationes validiſſimæ dæmonum, ſedati ſunt: procellæ voluptatum maris, id eſt, ſæculi, proſtratæ ſunt: pax & tranquillitas corporibus æquè ac animis fidelium reddita, dicente Chriſto: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Verſu 11. dicit: *Et dixit Dominus piſci, & evomuit Jonam in aridam*: quod in ſtomachum immiſimus, invitè evomimus: hâc itaque voce denotatur, ut ait S. Hier. *quòd ex imis vitalibus mortis victrix vita proceſſerit*. Singula adaptat S. Auguſt. de ſymbolo ad Catechumenos, c. 6. Miſſus Jonas, ait, ad civitatem Niniven, ut ejus finem prædicaret: miſſus eſt Chriſtus à Patre, ut finem mundi omnibus demonſtraret. 2. Fugit Jonas in Tharſis à facie Domini; fuga Jonæ, velox tranſitus Chriſti, de quo dicit Propheta: Exultavit ut gigas ad currendam viam. 3. Aſcendit navem Propheta fugiens: Lignum Chriſtus aſcendit per mare hujus ſæculi tranſiens. 4. Irruit tempeſtas magna in mari; perturbatio maris, perfidia Judæorum. 5. Data eſt ſors, ut Propheta fugitivus in mare mitteretur: ſors data eſt ſuper Chriſti veſtimenta, ut unitas omni mundo prædicaretur. 6. Projectus eſt è navi in mare Jonas: mors Chriſti in cordibus Gentium collocata eſt. 7. Susceptus eſt à beſtia Propheta cuſtodiendus, non comedendus: audi hîc ipſius vocem Chriſti per ſanctum David. Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. 8. In ventre beſtiæ marinæ poſitus oravit Jonas ſanctus: in inferno Chriſtus deſcendens mortuos ſuſcitavit. 9. Tertio die Propheta litori incolumis eſt redditus: die tertio Chriſtus de ſepulchro ſurgens ſuper cælos eſt exaltatus. 10. Ad prædicationem Jonæ Prophetæ per pœnitentiam ſalvata eſt civitas: per Chriſti prædicationem ſancta Jeruſalem redempta eſt civitas.

Comparatur etiam Chriſtus reſurgens vermi matutino hederam Jonæ erodenti. Non enim tantùm à morte ſurrexit, ſed ipſam mortem occidit, 114. 2. Vermis hederam erodens. Jonæ 4. 7. de illo vermiculo habes: *Paravit Deus vermem* (erucam, ut cenſet Theophylactus: teredinem, ut Arias: vermem noſtris mordaciorem & voraciorem, fortioremque, ut breviſſimo tempore hederam eroderet) *aſcenſu diluculi* (Chald. ſub aſcenſum auroræ) *in craſtinum: & percuſſit hederam, & exaruit*: producta fuerat hedera nocte, totâ die texerat Jonam, nocte ſequenti ſub finem eroſa eſt à verme, & Sole oriente exaruit: ſic non toto biduo duravit. Sanctus Auguſt. in illud Pſalm. 21. 7. *Ego ſum vermis, & non homo*, ſic ad allegoriam trahit: *Vermis eſt Chriſtus propter humilitatem carnis, fortaſſis etiam propter Virginis partum. Nam hoc animal plerumque de carne vel de quacunque re terrena ſine ullo concubitu naſcitur. Matutinus eſt, quia diluculo reſurrexit.* Nota titulum Pſal. 21. eſſe *pro ſuſceptione matutina*. S. Hieron. vertit, *pro cerva matutina*, in caput 6. Oleæ vertit, *pro cervo*. Suſceptio eſt illa matutina, cùm Chriſtus à Patre æterno ſuſceptus eſt è Limbis deſcendens & in corpus introiens, & quidem valdè diluculo, ut ait Luc. 24. 1. valdè mane, orto jam Sole, ut Marc. 16. 1. manè, cùm adhuc eſſent tenebræ, ut Joan. 20. 1. veſpere luceſcente in prima Sabbathi, id eſt, hebdomadæ. Matth. 28. 1. Suſceptio, inquam, illa matutina, de reſurrectione explicatur à S. Athan. S. Ambr. S. Baſil. aliiſque Patribus. Tunc Chriſtus ſimilis fuit cervo agili ætatem renovanti, ſerpentium hoſti, ad aquæ fontes currenti, &c. Vide Pſal. 41. ṽ. 1. Alii vocem אילת *aieleth*, reddunt ſtellam. Muiſius vertit, *præcentori ſuper ſtellam matutinam*. Chriſtus autem eſt Lucifer, qui oritur in cordibus noſtris, & in reſurrectione ortus eſt mundo. Vide Pſal. 41. in explicatione tituli.

Itaque

115. 3. Sol reſurgens ex Oceano.

Itaque illuſtriori comparatione Chriſtum reſurgentem confert Soli ex Oceano renaſcenti, & Jonæ hederam areſacienti in ipſo ſuo exortu, id eſt, ſlegia veteris umbras diſcutienti, & lucem veritatis hominibus reddenti. Zachar. 3. 8. *Ecce ego adducam ſervum meum Orientem*, in nativitate: & in ipſa morte glorioſiùs orientem per reſurrectionem. Hebr. eſt צמח *ſemah*, germen, ſurculus quod per metatheſim eſt משיח *maſia*, Meſſias: nam ſade & ſchin ſunt literæ affines, & pro 5. utraque ſæpiſſimè ponitur. Chriſtus in reſurrectione eſt germen, ſed germen ſolare, Sol germinans, & germinare Apoſtolos faciens. Arabs vertit: *Ecce ego aſcendere faciam ſupra ſervum meum illuſtrationes.* Clemens Alex. in Protrept. *Fiunt*, ait, *omnia lux, quæ ſopiri non poteſt: & occaſus credidit Orienti, atque illuſtratus luce fidei, ac ipſe Oriens. Omnia enim obequitat Sol juſtitiæ: Is occaſum traduxit in orientem, fecit æquè ſplendentem, utpote in quo non occiderit lux fidei, imò orta fuerit:* ſic ipſe.

Illuſtris eſt locus Abacuc. 3. 4. *Splendor ejus ut lux erit.* Chald. habet. Splendor ejus ut *ſplendor primigenius* apparuit, de fama Chriſti S. Auguſt. lib. 18. civit. c. 32. exponit: de radiis ejus mentes illuſtrantibus, imò & de corporis fulgore malim explicare. *Cornua in manibus ejus*, Dei dantis legem in Sina, unde Moſes legem illam accipiens factus eſt totus lucidus: de Chriſti cruce cornua illa, id eſt, robur ad dæmones aliosque hoſtes ſuperandos, rectè exponunt S. Hieron. S. Auguſt. Euſeb. lib. 6. demonſtrat. Evang. cap. 15. S. Cypr. lib. 2. contra Judæos c. 21. in manibus crucifixis & clavos & cornua habentibus fuit illa fortitudo; ſed longè magis in manibus reſurgentis, ubi cornua, id eſt, radii lucis in formam cornu è ſtigmatibus ſacris manus erumpentes, emicant. Aptiſſimè ad hoc illuſtrandum affertur Pagnini & Vatabli verſio, *ſplendores de manu ejus fuerunt ei*, & Chald. *Scintilla à quadriga gloriæ ejus prodiérunt.* Quadriga gloriæ Chriſti reſurgentis ſunt quatuor dotes corporis glorioſi: nempe agilitas, ſubtilitas, impaſſibilitas, & ſplendor lucis ſeu claritas. Pergit Abacuc: *Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus.* Tigurina editio habet, *ibi* (in illo ſplendore, in cornibus & manibus) *latibulum fortitudinis ejus*: quod aptè de paſſione dicitur, ubi latuit illa fortitudo, neque eſt ab ipſis Apoſtolis fugientibus agnita, ad reſurrectionem verò facit Vatabli verſio, *ibi fuit revelata & detecta fortitudo ejus, quæ priùs erat abſcondita*: fortitudinem illam interpretatur S. Cyr. in catena, Chriſtum. Sept. vertunt, *poſuit dilectionem robuſtam fortitudinis ſuæ.* Hanc dilectionem Chriſtus declaravit in reſurrectione, quærens oves errantes huc illuc, fratrum appellatione compellans, verbis ſuaviſſimis recreans, fontem amoris aperiens cor ſuum; jubens Thomæ, ut in illud manum ſuam immittat: inde ſcilicet robur tracturus, ſicut etiam in cornua, quæ erant in manibus ejus; & cornua erant lucis ad illuſtrandum bonos operibus ſuis, & cornua roboris ad hoſtes proterendos. Sequitur verſu 5. *Ante faciem ejus ibit mors*, ipſum fugiens. Hebr. eſt דבר *deber*, id eſt, peſtis, & mors inde conſequens. Chriſtus ipſi morti inſultans ait: Oſeæ 13. 14. Ego mors tua, ô mors! Septuag. verò & Theodotio legerant, דבר *dabar*, id eſt, verbum, & verterunt: *Ante faciem ejus erit verbum*, id eſt, prædicatio Evangelica, quâ de morte & dæmone triumphavit, dicit Apoc. 1. 18. *Habeo claves mortis & inferni*, ut inde egrediar ad libitum, & dejiciam illuc, quos cupiam.

114. 2. Vera hedera erodita.

116. 4. Phœnix è ſuis cineribus renaſcens.

Phœnici renaſcenti hæc quoque Chriſti regeneratio in reſurrectione commodè confertur, Jobi 29. 18. *Dixi, in nidulo meo moriar, & ſicut palma* (Tertull. de Reſurr. cap. 13. Sicut Phœnix) *multiplicabo dies.* Et Pſal. 91. 13. ubi legimus: *Juſtus ut palma florebit*, Tertull. etiam legit: *Florebit velut Phœnix.* De illa ave ait Mela lib. 3. cap. 9. *Putreſcentium membrorum tabe concreſcens, ipſa ſe concipit, atque ex ſe rurſus renaſcitur.* Et S. Cyr. Jeroſ. catech. 18. ex S. Clement. Romano lib. 5. c. 6. Narrant, ait, avem quamdam eſſe unigenam, quæ Reſurrectionem optimè demonſtret. Hanc dicunt non maritari, & unicè atque ſolitariè gigni: Phœnicem vocari. Qui etiam narrant quingenteſimo quoque anno in Ægyptum ad aram Solis, quam vocant, cum multo cinnamomo & Caſſia, ac Xylobalſamo volare, & ſtantem ad Orientem Solem, ut aiunt, precari & ſponte incendi, atque in cinerem redigi: ex cinere autem vermem renaſci, atque ex eo tepefacto formari novum Phœnicem, &, cùm factus eſt volucris, ferri in Arabiam. Ita ibi. Adde ex Lactantio, Phœnicem in palma nidum ſibi conſtruere, Solem orientem venerari, cantare, mori, renaſci.

Quòd ſi dixeris allata de Phœnice eſſe fabuloſa, cum nulla talis ſit avis, de palma ipſa textum accipe. In nidulo ſuo Chriſtus eſt mortuus, nempe in cruce: & per reſurrectionem multiplicat dies, *ſicut palma.* Sept. vertunt: *Sicut truncus palmæ, multo vivam tempore*: vivit Chriſtus, & vivet in æternum, & vivet ſicut palma, ſemper Victor, ſemper Triumphator: Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat, ut eſt inſculptum nummis aureis regum noſtrorum. In aliis etiam arboribus, poſt hyemem flores, & folia, ac fructus emittentibus, typus eſt reſurrectionis.

Nota: Fontem & radicem omnium Chriſti privilegiorum eſſe, quia eſt Filius Dei. Vocatur Rex, verſu 6. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo. Hoc habet, (ſive loquaris de regno ſpirituali, id eſt, ſummo Sacerdotio, ſive de temporali) quia eſt Filius Dei. 117. Omnes Chriſti excellentiæ fundantur in eo, quòd ſit Filius Dei. Inde enim eſt: Primò, ſummus Pontifex.

Primò, Chriſtus eſt ſummus Pontifex, quia eſt Filius Dei, Hebr. 5. 4. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem: ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit,* (ἐδόξασε, glorificavit) *ut Pontifex fieret: ſed, qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu.* Ipſe eſt Primogenitus in multis fratribus, Rom. 8. 29. Id eſt, inter omnes fideles, Sanctos, amicos & electos. Dicitur autem Primogenitus: Primò, quia eſt Filius Dei naturalis, cùm cæteri ſint tantùm adoptivi. Secundò, quia ante omnes prædeſtinatus fuit Chriſtus ad hanc filiationem, & unionem cum Verbo, & conſequenter ad omnem ſuam gratiam & gloriam. Tertiò, quia Chriſtus finis, ſcopus, & exemplar fuit, & eſt omnium prædeſtinatorum & electorum, ut docet ex hoc loco aliiſque S. Auguſt. l. de præd. Sanctorum c. 15. Ita Cornelius.

Nota, Pererius in Geneſim octo primogeniti prærogativas afferens, primam recenſet ſacerdotium. In lege naturæ primogeniti in ſingulis familiis erant ſacerdotes; in lege autem Moſaica, pro omnibus primogenitis populi Iſraël, Levitis data eſt dignitas ſacerdotalis. Num. 3. 12. apud eos autem primogeniti parentibus in Pontificatu ſuccedebant, ut patet Num. 20. 28. & docent S. Hieron. S. Eucherius c. 44. Rupertus & Abulenſis. Hinc Hebr. 12. 16. Eſau vocatur profanus, quia vendiderat primogenituram, cui erat annexum ſacerdotium: & ideo ſimoniacum fuiſſe multi putant, negat Cajetanus & Suares. *Primogeniti in lege naturæ erant ſacerdotes.*

De ſacerdotio autem primogenitorum ſic ait S. Hieron. epiſt. 126. ad Evagrium: Tradunt Hebræi, quòd uſque ad ſacerdotium Aaron, *omnes primogeniti* ex ſtirpe Noë, cujus ſeries & ordo deſcribitur in Scriptura, fuerint Sacerdotes, & Deo victimas immolarint: & hæc eſſe primogenita, quæ Eſau vendiderit fratri ſuo Jacob: Ita ibi. In traditionibus autem Hebraicis dicit, illos primogenitos habuiſſe veſtem ſacerdotalem, quâ induti Deo victimas offerebant. S. Eucherius tradit ex Hebræis, hâc veſte Jacob indutum à patre ſuo benedictionem fuiſſe ſuffuratum, Gen. 27. 15. Quomodo autem Chriſtus fuerit Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, dicetur Pſ. 109. 4.

Secundò, Chriſtus Rex fuit, quia Filius Dei. Galat. 4. 7. *Si Filius, & hæres per Deum.* Multi etiam vivente patre reges proclamantur, ut Salomon Davidis juſſu unctus eſt in regem à Sadoc ſacerdote, cùm eſſet annorum viginti expletorum, ut Torniellus, Gordonus, & Salianus docent. Amor paternus maximè enituit in Ptolomæo Lagi filio, pri- 118. Secundò, Rex.

mo

mo Ægypti Rege poſt mortem Alexandri. Cùm enim adhuc proſperâ uteretur valetudine, non ſolùm regno ceſſit minori natu filio, ſed etiam cum illo tanquam ſtipcodia faceret, inter vigiles ejus fuit: majori affectus gaudio, quòd Regis pater, quam quòd ipſe Rex eſſet: item Artaxerxes Darium filium adhuc vivens regem conſtituit contra Perſarum conſuetudinem.

Mirus amor Ariobarzanis erga filium. Illuſtre eſt, quod Valer. Max. l. 5. c. 7. refert de Ariobarzane, qui filio ſuo Cappadociæ regnum ceſſit, in conſpectu Cn. Pompeji: cujus cùm ipſe tribunal conſcendiſſet, invitatúsque ab eo in curuli ſella ſediſſet: poſtquam filium in cornu ſcribæ humiliorem fortuna ſua locum obtinentem conſpexit, *non ſuſtinuit infra ſe collocatum intueri; ſed protinus ſella deſcendit, & diadema in caput ejus tranſtulit: hortarique cœpit, ut eò tranſiret, unde ſurrexerat.* Exciderunt lacrymæ juveni, cohorruit corpus, delapſum diadema eſt: nec quò juſſus erat, progredi potuit: quodque penè fidem veritatis excedit, lætus erat, qui regnum deponebat: triſtis, cui dabatur: nec ullum finem tam egregium certamen habuiſſet, niſi patriæ voluntati authoritas Pompeji affuiſſet. Filium enim & regem appellavit, & diadema ſumere juſſit, & in curuli ſella conſidere coëgit. Hæc ibi.

Epiſcopi cujusdam generoſum & ingenioſum factum. Si tantus in rivulis amor exuberat, quid erit in illo fonte inexhauſto Divinæ charitatis? Cùm ipſe Pater æternus Matth. 17. 5. teſtetur: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Lepidum & utile eſt, quod memorat Sozom. l. 7. hiſt. c. 6. Epiſcopis, qui Conſtantinopoli verſabantur, palatium Theodoſii Imp. ſalutandi gratiâ, ut moris erat frequentantibus: etiam ſenex quidam cum his unà veniſſe dicitur, ignobilis oppidi ſacerdos, ſimplex ac nullo rerum uſu tritus, ſed in divinis apprimè cordatus. Cùm autem cæteri candidè admodum ac religiosè Imperatorem ſalutâſſent, etiam ſacerdos ſenex ipſum ſimiliter ſalutavit: filio autem Imperatoris, qui patri aſſidebat, æqualem honorem non exhibuit, ſed propiùs accedens, veluti puero, *χαῖρε τέκνον, ſalve fili*, ait, ſimúlque caput illi digito demulcebat. Commotus igitur ità Imperator, & quaſi injuriam filio factam indignatus, quem ille non æqualiter honorâſſet cum patre, forâs exturbari cum contumelia ſenem juſſit. Ille verò, cùm raptaretur, converſus clamavit: *Ad hunc modum, Imperator, exiſtima, cæleſtem quoque Patrem excandeſcere in eos, qui Filium cum Patre, ἀναξίως τιμῶντες, non æqualiter honorant, genitore inferiorem nuncupare audent.* Delectatus hoc dicto Imperator, ſenem revocat: & veniam precatus, verè illum locutum eſſe confitetur. Firmior itaque factus, eos qui ab hoc diverſum ſentirent, non admiſit: contentiones etiam & conventiones in foro habere vetuit: &, ut de eſſentia ac natura Dei, more ſolito, diſputare tutum deinde non eſſet, effecit: lata in eam rem lege, & conſtituta pœna.

119. *Tertiò, Chriſtus eſt legiſlator, quia Filius.* Tertiò, legiſlator Chriſtus eſt, quia Filius Dei. Unde cùm David dixiſſet ℣. 6. Prædicans præceptum ejus, ſubtexuit ℣. 7. Filius meus es tu, & Marci 9. ℣. 7. Apoſtolis tribus, nempe Petro, Jacobo, & Joanni, in monte Thabor transfiguratum JEſum contemplantibus, de nube Pater æternus intonat: *Hic eſt Filius meus chariſſimus, audite illum.* Et Matth. 17. 5. ubi noſter interpres vertit: *Hic eſt Filius meus dilectus.* (Syr. habet, dilectiſſimus) additur, *in quo mihi complacui, ipſum audite.* Non Moyſem, cujus lex jam evaneſcit, ſed hunc Filium meum legis gratiæ inſtitutorem, ac verum & perfectum legiſlatorem. Tertullianus, S. Leo, S. Damaſcenus docent hic declarari legis veteris abrogationem, & novæ inſtitutionem. Sed ex Suare & aliis docui, non obligâſſe legem gratiæ niſi in Pentecoſte, cùm ſolemniter & publicè eſt promulgata. Huic tanto Doctori & legiſlatori Chriſto utraque auris mentis, nempe voluntas implendi præcepta, & voluntas ſequendi conſilia, eſt adhibenda, ut perfectè audiatur: item uterque oculus, tum ut ipſum, tum ut leges ejus cognoſcamus: duo etiam pedes, ut nunc ad eum nunc ad proximum curramus: manus quoque ambæ, ad extirpanda vitia, & plantandas virtutes: denique duo labia, ut eum oſculemur, cognoſcendo atque amando veritatem. S. Bern. illud cap. 1. Cant. ℣. 1. Oſculetur me oſculo oris ſui, explicans, ſic ait: *Os Patris, intelligitur Filius. Ex hujus oſculi impreſſione ſuſcipit anima rationalis ab ipſa Sponſa ſua Verbo Dei, cognitionem & amorem veritatis: quæ duo quaſi labia imprimit et ipſa Dei virtus & Dei ſapientia. Siquidem ſapientia cognitionem, virtus confert amorem. Habet & ipſa anima ſimiliter duo labia, quibus oſculatur Sponſum ſuum, id eſt, rationem & voluntatem. Rationis eſt, percipere ſapientiam voluntatis, virtutem. Si ſola ratio percipiat ſapientiæ cognitionem, & voluntas non habet virtutis amorem, non eſt plenum oſculum. Aut ſi ſola voluntas obtineat amorem, & ratio minimè percipiat cognitionem, nihilominus eſt ſemiplenum. Tunc verò plenum & perfectum eſt: quando & ſapientia illuſtrat rationem, & virtus efficit voluntatem.* Legiſlatores terreni legem ſancire poſſunt: ſed neque intellectum ad eam percipiendam illuſtrant, neque voluntatem ad amandam inflammant, neque ad illam opere explendam juvant. Sed legifer noſter Dei Filius abundè hæc præſtat omnia.

Quartò: Chriſtus eſt Judex omnium, quia eſt Filius Dei: unde Propheta noſter, poſtquam dixit, eum eſſe Filium & Hæredem omnium populorum, ſubdit verſu 9. Reges eos in virga ferrea. Joan. 5. 22. dicitur: *Omne judicium dedit Filio.* Eſt ſecundum argumentum, quo Chriſtus probat ſe eſſe Deum, ut ait S. Chryſoſtomus & S. Cyrillus. Data eſt etiam illi, ut homini poteſtas judicandi viſibiliter, Hebr. 10. 42. *Qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum.* Vide dicta Pſal. 71. 2. *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam Filio Regis*, ubi Chald. vertit: *Deus ſententiam judiciorum tuarum da Regi Chriſto, & juſtitiam tuam Filio Davidis Regis:* id eſt, Meſſiæ, qui & David, & Filius Davidis vocatur in Scriptura. Hoc judicium (id eſt, judicandi poteſtatem) datum Chriſto, cùm carnis humanæ ſubſtantiam aſſumpſit, dicit in comm. S. Chryſoſt. & probat ex Pſalmo noſtro: *Poſtula, &c, Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos:* dicitque vaſis confractionem eſſe extremam damnationem. Ibi enim, ait, per judicii ſeveritatem quicunque confringitur, nequaquam ulteriùs per pœnitentiæ remedium reparabitur. 120. Quartò, Judex.

Ex his etiam ſequitur, eſſe miſſum Angelis majorem. Si enim, ait Paulus 1 Cor. 6. 3. *Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus?* Malos judicio condemnationis, ut explicat S. Chryſoſt. & S. Anſel. bonos etiam judicio approbationis & laudis, ut Cornelius. Si id, inquam, Sancti præſtabunt, quid faciet Chriſtus? Hebr. 1. Fusè major Angelis eſſe probatur, præſertim ob nomen Filii, verſ. 4. *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentiùs* (Gr. διαφορώτερον, excellentius, præſtantius à vulgari, appellatione magis diſtans) *præ illis nomen hæreditavit, κεκληρονόμηκεν*, ſortitus eſt, ſorte accepit, id eſt, hæreditate. Per ſortes enim hæreditas dividebatur inter hæredes, ut nunc ſæpe fit, priùs ad æqualitatem partibus omnibus diſtributis. Citat deinde Apoſtolus locum Pſalmi noſtri. S. Chryſoſt. hom. 2. in Epiſt. ad Hebr. *Quia*, inquit, *eſt natura Filius, ideò Angeli illi, ut Domino famuli ſervierunt.* Et quidem concipiendum Mariæ nunciant, natum paſtoribus prædicant, ab Herode quæſitum in Ægypto ſervandum Joſepho ſignificant, victori in deſerto miniſtrant: in paſſione, ſi optaret, innumera multitudine adeſſent, reſurgentem honorant & laudant, aſcendiſſe in cælum Apoſtolis nunciant poſt pompam illi exhibitam: in omnibus ſunt adminiſtratorii ſpiritus, ipſe verò eſt Dominus. Unde Hugo à S. Victore quæſt. 16. in epiſt. ad Hebr. *Angelus*, ait, *nomen eſt officii, ut miles: Chriſtus verò, Filius eſt.* Hoc nomen omnia complectitur. Filius, ἀπὸ τῆς φιλίας, id eſt, ab amore dicitur, amor autem omnia ſua in amatum effundit. Themiſtius lib. de moder. affect. rectè docet, *liberorum amorem ἄνωθεν φύσει ἐνδίδοσθαι, cælitus natura alligatum eſſe*, & planè, χρυσῆς τῇ ἀρρήκτῳ σειρᾶς, ab aurea illa in-

infractaque catena pendere, quam natura perpetuò contexens, & obeuntibus naſcentia conjungens, ne in nihilum relabatur, ſibi cavet. Jam audivimus poſt Baptiſmum Chriſti cœleſtem Patrem apertis cœlis, velut theſauris ſuis, inclamantem, Matth. 3. 17. *Hic eſt Filius meus dilectus.* Hunc amorem perfectum habebat: unde dicebat, Joan. 3. 35. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manibus ejus:* ut ea ſcilicet conſervet, vel abjiciat: arbitrio ejus ac poteſtati tum corporea, tum ſpiritualia ſubdidit, omneque ſuum dominium in creaturas adea, quæ gratiam & naturam ſpectant: idque non tantùm ut Deo, ſed etiam ut homini. Tanquam Deus, ait Euthym. omnia habebat, (omnia ſiquidem per ipſum facta ſunt) hoc tamen etiam dedit ei, tanquam homini. Convenienti autem modo dictum eſt, diligit & dedit: ſicut inter homines dicitur. Solent namque Patres diligere filios: eiſque tradere, quæ ſua ſunt. Ita ipſe. Per ipſum etiam ſumus filii adoptivi, Jacobi 1. 18. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.* Joan. 1. 12. *Dedit poteſtatem filios Dei fieri.* Vide dicta, Pſal. 81. 6. *Ego dixi, Dii eſtis, & filii Excelſi omnes:* ne humi ſerpatis, excelſa eſt veſtra hæreditas: cùm Pater veſter ſit in cœlis, & Altiſſimus ſuper omnem terram, eam calcat: eſt enim ſcabellum pedum ejus, thronus ejus in cœlo eſt, & lucet ſicut Sol & ſicut Luna perfecta: nihil ad illum intrat coinquinatum & lutoſum: luce carentibus dicitur: Neſcio vos, filios tantùm lucis agnoſcit, cùm habeat oculos lucidiores ſuper Solem: non vult in conſpectu ſuo habitare malignum, id eſt, malè ignitum, & fumo tenebroſo circundatum.

ARTICULUS IV.

Chriſto datus eſt univerſus Orbis in hæreditatem: itaque ejus Eccleſia eſt Catholica, id eſt, univerſalis.

VERS. 8.
121. Chriſtus eſt hæres bonorum Patris æterni.

Vidimus primò, Chriſtum eſſe Regem totius Mundi. Secundò, eſſe Legiſlatorem univerſalem legis gratiæ. Tertiò eſſe Filium Dei. Quartò, conſequens eſt, ut Patris bonorum ſit Hæres. Hoc dicit Pater ipſe æternus, & totam hæreditatem offert. Verſ. 8. POSTULA A ME, ET DABO TIBI GENTES HÆREDITATEM TUAM, ET POSSESSIONEM TUAM TERMINOS TERRÆ. Nota, hæreditas ab hærendo dicitur: quia eſt ſtabilis magis quàm alia bona, & in eadem familia perſtat. Vel, quòd, qui hæres eſt, hæret, id eſt, proximus eſt illi, cujus eſt hæres. Alii ab herus deducunt, & per e ſimplex ſcribunt, quòd dominium obtineat bonorum, quæ ad eum veniunt. Feſtus docet, priſcis heredem dici dominium. Unde Juſtinianus dicit tit. de hered. qualit. & differ. Pro herede gerere, eſt pro domino gerere. Poſſeſſio autem derivatur à pos, id eſt, potens: & ſeſſio. Nam poſſidere dicitur is, qui poteſt in aliqua re ſedere, hoc eſt, ſedem atque habitationem conſtituere. Vel à pes & ſeſſio, quòd is poſſideat, qui pedem ſtabilem in aliquo loco poſuit. Nota ſecundò, gentes ac terminos terræ dici hæreditatem & poſſeſſionem Chriſti, quia duplici titulo illos habet. Primò, quia Filius eſt in omnia paterna bona admiſſus ob unionem hypoſtaticam. Secundò, quia laboribus ſuis & obedientia uſque ad mortem illas acquiſivit, expulſo inde diabolo invaſore. Primum, eſt hæreditas. Secundum, eſt poſſeſſio. Nota tertiò, Hebr. נחלה *nahala*, hæreditas, quidam cenſent deduci à *nahal*, torrens: quòd recto curſo deriventur ad filios, ſicut torrens alveo ſuo defertur, neque extra illum egreditur. Sed vide terrenas hæreditates eſſe torrentes, qui, niſi provideatur, mentem rapiant, & citò exſiccentur. Pro *poſſeſſio* autem in Hebr. eſt אחזה *ahuzza*, ſic dicta, quod, qui illam habet, eo teneatur in loco, ut ait Pagninus: vel potiùs, quòd, qui illam habet, eam apprehendat ac teneat. Rad. *ahaz*, apprehendere, tenere. Tene tu poſſeſſiones tuas, & cave, ne ab iis tenearis, & ibi radices agas, ut duo ſocii Luciani à viribus arrepti, quæ à renibus ſurſum erant virgineâ formâ, ut ipſe fingit in vera, id eſt, ficta hiſtoria.

Hæreditas unde dicatur?

122. Quæres primò: Quænam ſint gentes illæ Chriſto promiſſæ? Reſpondeo primò, eſſe Gentiles & Judæos, unde Arabs vertit *populos*, voce autem illa ſæpè Judæi denotantur: atque initio Pſalmi noſtri S. Hier. & S. Athan. dicunt, populos & gentes eſſe ſynonima, in hoc tamen ab illis diſſentio, ut dixi ibi. Reſpondeo ſecundò, præcipuè Gentiles intelligi, ut patet, cùm ſtatim promittantur termini terræ, id eſt, homines habitantes in extremitate totius Orbis. Eſt metonymia. Nam, ut ait ipſe Pater æternus Filio, Iſaiæ 49. 5. *Parum eſt mihi* (Hebr. נקל *nakel*, leve, vile, contemptibile, indecorum, ignominioſum) *ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Jacob*, duas tribus: nempe Juda & Benjamin, *& fæces Iſrael convertendas:* id eſt, regnum Iſraël corruptiſſimum ob permixtionem idololatrarum. Nam Salmanaſar Rex Aſſyriorum abductis Iſraëlitis, id eſt, decem tribubus in captivitatem, & relictis tantùm ibi paucis pauperibus, & viliſſimæ ſortis hominibus, miſit de Babylone, de Cuta, de Avah, de Emath, & de Sepharuaim colonos, qui poſſiderunt Samariam, & habitaverunt in urbibus ejus. 4 Reg. 17. 24. Hi ſunt fæces permixtæ, ſinguli enim habebant ſuum idolum ℣. 29. & ſeq. Si placet inſiſtere voci Hebr. *neſure*, ſignificat relictos & ſuperſtites: tum in illa clade Salmanaſar, tum à clade per Titum & Veſpaſianum illata, poſtquam fuêre hactenus Judæi fæces omnium nationum, à quibus velut Orbis quiſquiliæ & purgamenta contemnuntur. Pergit Deus: *Ecce, dedi te in lucem gentium:* ut ſis lumen ad revelationem, id eſt, illuminationem Gentium, ſicut vidit Simeon Lucæ 2. 32. Statim atque ortus eſt Sol juſtitiæ, quem Zachar. pater S. Jo. Bapt. Luc. 1. 78 ſimpliciter vocat Orientem ex alto; nunquam enim occidit: *ut ſis ſalus mea*, à me data. Sept. ut ſit in ſalutem, *uſque ad extremum terræ:* ut tota terra, & qui in ea ſunt abjectiſſimi & extremi, illa percipiant; priùs paſtores illa lux circumfulſit quàm principes, & ab Oriente remotos reges vocavit, ut & proximos & remotos illuminaturus videretur. S. Hier. in Iſaiam: *Volo*, ait, *ut ſalus mea in univerſum Orbem occupet.*

Gentiles ſunt præcipuè Chriſti hæreditas.

Probatur primò.

Iſaias converſionem gentium prædicaturus, ſilentium poſtulat, ut tanta res benè percipiatur, cap. 41. 1. ſic incipit: *Taceant ad me inſulæ*, id eſt, inſulani per mare diſperſi & remotæ nationes. Hebræi enim vocant inſulas, regiones trans mare poſitas, ut Italiam, Galliam, Hiſpaniam, &c. Licèt ſint terra continens, *& gentes mutent fortitudinem*, &c. Rationem ſubdit verſ. 2. *Quis ſuſcitavit ab Oriente juſtum, vocavit eum, ut ſequeretur ſe?* Juſtum, interpretatur Abrahamum Cornelius poſt S. Thomam, & Sanctium. Sed ſecundò, meliùs de Chriſto exponit S. Hieron S. Cyr. & Procop. Nam 1. Prooemium illud eſt auguſtius, quàm ut dicenda tantùm conveniant Abrahamo. 2. Quæ ſequuntur, illi etiam non ſatis commodè quadrant, præſertim ℣. 5. extrema terræ obſtupuerunt, &c. pergit Iſaias, *dabit in conſpectu ejus Gentes, & reges obtinebit: dabit quaſi pulverem gladio ejus*, verbo Dei contritis cordibus & idolis, *ſicut ſtipulam vento raptam arcui ejus.* Quòd autem hæc victoria Chriſti ſit ſuavis & pacifica, patet ℣. 3. *Perſequetur eos, tranſibit in pace.* Vatablus vertit, tranſibit pax. Chriſtus eſt pax noſtra. Epheſ. 2. 14. Evangelium ejus eſt Evangelium pacis, cap. 6. 15. per illud Orbem pertranſit. *Semita in pedibus ejus non apparebit:* tam facilè & celeriter nationes omnes victoriis ſuis pervadet, ut non ambulâſſe, ſed volâſſe videatur, & Solis inſtar in ipſo exortu ſuo terras omnes ſplendore complevîſſe, ut S. Hier. S. Cyr. & Theodor. exponunt. Hinc nomen ei aſſignat idem Propheta cap. 8. 4. Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari.

Secundò.

Alio ſimili fontis, latè ſubjecta omnia irrigantis, Joël Propheta explicat gratiam factam Gentibus, cap. 3. 18. *Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum*, id eſt, vallem plenam ſpinis, atque arboribus, quæ ſpinæ ſimilitudinem referant. Nam Hebr. *nahal*, ſignificat 1. Vallem anguſtam, in qua eſt alveus, quo, tempore pluviæ raptim torrens defertur. 2. Ipſum quoque alveum, & metonymicè torrentem, qui per eum defertur.

Tertiò.

Septuag. vertunt, *torrentem funiculorum*, quod S. Hier. de Chriſto ſic exponit in apologia ad Pammachium pro lib. in Jovinian. Chriſtus Virgo, ait, Mater virginis noſtri, virgo perpetua, mater & virgo, &c. Hortus concluſus, fons ſignatus, de quo fonte ille fluvius manat juxta Joël, qui irrigat torrentem *vel funium, vel ſpinarum:* funium peccatorum, quibus ante alligabamur; ſpinarum, quæ ſuffocant ſementem patrisfamilias. Hæc ibi. In Joëlem verò, ſpecialiter de ſpinis agens ſic exponit, ut velut fontem de domo Dei exeuntem, eſſe gratiam Spiritûs ſancti, quæ à Deo promanans, ex terra cordis ſpinas vitiorum evellit, & pro eis vitnites quaſi arbores fructiferas inſerit, ut ſpinas noſtras & vitia atque peccata, quæ nullam frugem habuêre juſtitiæ, commutent in Domini novalia, & ariditatem noſtram rigent aquis largiſſimis, *& pro ſpinis & vepribus flores virtutum multiplices germinemus:* & in eo loco, ubi quondam fornicatus eſt Iſraël, & initiatus eſt Beelphegor, *lilia caſtitatis & roſa pudoris ac virginitatis exuberent.* Hactenus Hieron. Erat autem Beelphegor, ſive Phegor, aut Phogor Deus, quem Latini Priapum vocaverunt. Erat Deus præſes & incentor obſcœnitatis: ſignificat vox Hebr. *Deum deſideris*, id eſt, concupiſcentiæ. Vel, Deum *nuditatis*, ſeu apertionis. Rad. פער *phagar*, aperire, nudare. Ob pudendam nuditatem & idoli & Sacerdotum in ejus ſacris. Illud idolum adorârunt Iſraëlitæ à Moabiticis & Madianiticis puellis invitati in valle Settim, quæ eſt trans lacum Aſphaltidem in terra Moab. Num. 25. Ad rem noſtram explicat hunc textum Hugo à S. Victore. *Torrens*, inquit, *ſpinarum eſt impetus, fervor & crudelitas Gentium.* Porrò fons de domo Dei egreſſus torrentem ſpinarum rigavit, quando per Apoſtolos & eorum ſucceſſores, Evangelica doctrina gentilem populum à crudelitate convertit, fide initiavit, & ad Baptiſmi gratiam perduxit. S. Greg. Naz. orat. 40. vertit, *torrent juncorum*, & dicit ſanctum Baptiſma, de quo eſt tota illa oratio, eſſe fontem illum mirabilem. Junci medulla carent, inanes ſunt, ad omnem ventum mobiles, in paludibus & lutoſis locis naſcuntur, ad omnia propè inutiles, tales erant Gentiles ante Baptiſmum: poſteà ſiunt cedri *Settim*, ut eſt in Hebræo, quæ ſpinæ albæ colore & foliis ſunt ſimiles, & ideò noſter interpres vertit ſpinam, ſpinæ tamen non ſunt: ſed ligna imputribilia, pulcherrima, ſoliditate, firmitate & levitate excellentia: ex quibus facta eſt à Moſe area fœderis, altare thymiamatis, tabernaculum, aliaque in eo poſita. Factum eſt per Chriſti fontem in gentes effuſum, ut, *ubi abundavit delictum, ſuperabundet & gratia.* Rom. 5. 20. quod dicit Apoſtolus de Judæis occaſione legis datæ peccantibus: ſed poteſt jure potiori applicari gentilibus in omne nefas ruentibus.

123. Chriſtus orat pro hæreditate obtinenda, ab quatuor cauſas. Quæres ſecundò: Cur Pater æternus velit Chriſtum orare ad habendam illam hæreditatem, quæ ipſi ut Filio debebatur? Reſpondeo cum Suar. 3 parte, quæſt. 21. diſput. 45. eum petiiſſe primò, quia ex divina providentia & ordinatione ita erat prædefinitum, converſionem Gentium dandam ejus precibus, & non aliter: ſicut decretum erat, ut moriendo nos redimeret, & ita intraret in gloriam ſuam.
1. Ideò dicit ipſe peregrinantibus in Emmaus Lucæ 24. ℣. 26. Nonne hæc *oportuit* pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Illam rationem etiam affert ſanctus Thomas.
2. Secundò, oravit Chriſtus petendo Gentilium converſionem aliaque, ut orandi nobis daret exemplum, ſicut ait ſanctus Ambroſius in Lucam, S. Auguſtinus tractatu 104. in Joannem, & epiſtola 121. capite 4. S. Damaſcenus libro
3. 3. capite 24. Tertiò, ut oſtenderet ſe eſſe à Deo Patre, ut ait S. Hilarius libro 10. de Trin. *Ut oſtenderet Patrem ſuum eſſe Auctorem, à quo & æternaliter proceſſit ſecundùm divinam naturam, & ſecundùm naturam ab eo habet, quicquid boni habet.* Sicut loquitur S. Thomas 3 parte, quæſtione 21. articulo 3.
4. Quartò, Pater invitat ad petendum illam Mundi converſionem, ut denotet deſiderium illam concedendi. *Poſtula à me, & dabo.* Sic Rex noſter invitat Berzellai, à quo adjutus fuerat, cùm fugeret Abſalonem, ut quippiam à ſe poſtulet. 2 Regum 19. 38 Salomon matrem ſuam Bethſabee ad ſe accedentem, in throno jubet ſedere, & quicquid velit poſtulare, ſe daturum ſignificans. 3 Regum 2. 20. Artaxerxes, Perſarum Rex, eadem invitatione ad petendum urget Eſdram Scribam. 1 Eſdræ 7. 21. Iſaias Propheta urget Achaz regem Juda, ut petat ſibi ſignum à Deo. Iſaiæ 7. 11. Zacharias impellit nomine Dei populum ad aliquid ab ipſo poſtulandum. Zachariæ 10. 1. Eſtherem Aſſuerus impellit etiam oblata vel dimidia regni parte, ſi poſtulet. Eſth. 5. 3. quod promiſit Herodes Antipas filius Aſcalonitæ ſaltatrici Herodiadi. Matthæi 7. ℣. 7. Et Chriſtus indignans, aut potiùs amicè conquerens & adhortans, ait diſcipulis, Joan. 16. 24. *Uſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum;* cùm ſcilicet ea, quæ petieritis, à Patre & à me impetrabitis, ut Toletus, Janſen, & Ribera explicant.

Nota primò: In Chriſtus fuit virtus religionis. Nam, ut ait Suares, cùm ut homo fuerit non ſolùm ſubjectus, ſed etiam ſervus: atque ad officium ſervi pertineat, cultum & reverentiam Domino exhibere: conſequens neceſſariò fit, Chriſtum ut hominem perfectiſſimè obſervâſſe hoc officium erga Deum: uſque adeò cultum Deo debitum, ſcilicet latriæ & religionis illi exhibuiſſe, unde Matthæi 4. & Lucæ 4. tam de aliis, quàm de ſeipſo generalem ſententiam protulit, dicens: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies; & Joannis 4. Vos adoratis, quod neſcitis, nos adoramus, quod ſcimus. Itaque, non eſt dubium, quin virtus religionis verè & propriè in Chriſtum conveniat. Cùm verò hæc virtus plures actus habeat, duo tamen ſunt præcipui, ad quos cæteri revocantur: nempe oratio & ſacrificium. 124. In Chriſto fuit virtus religionis.

Nota ſecundò: Tribus modis poſtulavit Chriſtus pro nobis, voce, opere, ſuæ humilitatis repræſentatione. Primò, voce, cùm dixit Joannis 17. 9. *Ego pro eis rogo.* Secundò, opere, quando mortem ſuſtinuit. Hebr. 9. 15. *Novi teſtamenti Mediator eſt, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis.* Tertiò, ſuæ humilitatis repræſentatione quotidie interpellat pro nobis, cicatrices Patri oſtendendo. Unde S. Bern. Securum habes acceſſum, ô homo! ad Deum, habes ante Filium Matrem, Filium ante Patrem. Mater oſtendit Filio pectus, & ubera: Filius oſtendit Patri latus & vulnera. Nulla poteſt eſſe repulſa, ubi tot occurrunt charitatis inſignia. Ita Ugo Card. in pſalmum noſtrum. Oremus itaque, ſi aliquid velimus impetrare. Nam, ut ait S. Thom. hic: Sicut in naturalibus formæ infunduntur ſecundùm diſpoſitionem materiæ: ita Deus gratuita dona largitur, Philipp. 2. 13. *Deus eſt, qui operatur in vobis & velle & perficere:* & ideò vult, ut recipiamus dona petendo & orando. Si autem oremus, dabit; dixit enim Matth. 7. ℣. 7. *Petite, & dabitur vobis*, cap. 21. 22. *Omnia, quæcunque petieritis*, &c. Nihil excipit, itaque ſe per illas aliaſque promiſſiones debitorem facit. S. Aug. in pſal. 83. Debitorem, inquit, ipſe ſe fecit; non accipiendo. S. Fulgent. in præf. lib. 21. ad Nonimum: Seipſum, ait, ſuâ largitate dignatus eſt facere debitorem, & S. Bern. tract. de gratia & libero arbitr. *Juſtum eſt, ut roddat Deus, quod debet: debet autem, quod pollicitus eſt.* 125. Chriſtus pro nobis oravit tribus modis. 1. 2. 3.

Quæres tertiò: Quàm ampla fuit hæc Chriſti hæreditas precibus ejus obtenta? Reſpondeat David: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Sic Pſal. 71. 8. ait: *Dominabitur à mari uſque ad mare.* Chald. ab angulo maris magni, uſque ad angulum maris Oceani. Hebræi vocabant mare magnum, mare Mediterraneum, ad diſtinctionem maris mortui, & maris Tiberiadis ſeu lacus Geneſareth. Similis amplitudo regni Chriſti promittitur Amos 7. 12. Michææ 7. 12. Zachariæ 9. 10. *& à flumine*, Jordane, in quo eſt baptizatus, & Filius Dei proclamatus, Matth. 3. *uſque ad terminos Orbis terrarum.* Hoc obtinuit per prædicationem Apoſtolorum, de quibus Pſal. 18. 5. *In omnem terram exivit ſonus eorum.* Hebr. קום *Kauuam*, linea 126. Chriſti hæreditas eſt totus Orbis.

eorum,

eorum, ut exponit R. Abraham, id eſt, ſcriptura, q. d. ſcriptura eorum, nempe cœlorum, ubique legitur. Secundò, extenſio eorum, ut R. Salomon, q. d. cœli extenſi ſunt ſuper univerſam terram. Tertiò, ædificium ipſorum, ut R. David in comment. q. d. opus aut effectus cœlorum ac ſtellarum exivit in Orbem terrarum. Quartò, Aquila vertit *κανών*, & ſignificat regulam, normam, amuſſim, funiculum menſorium, perimetrum, ſtructuram ad lineam confectam, directorium, perpendiculum, ſeriem, q. d. Orbis univerſus videt ac miratur cœlorum ſtructuram admirabilem. Quintò, Felix reddit: Exivit curſus eorum, quod & Apoſtolis Orbem decurrentibus aptè convenit. Sept. legebant *Kolam*, ut putat Dulius Rogerius, Nicolaus Ramus, Lindanus, Marcus Marinus, & alii: unde verterunt, ſonus eorum: vel meliùs, ſenſum expreſſerunt, non verba, addit Propheta: *Et in fines Orbis terræ verba eorum*, quod eſt ſimile Pſalmo noſtro. Vide ibi dicta. Magna eſt hæc hæreditas, & Apoſtolus ampliorem adhuc facit, Hebr. 1. 2. *Quem conſtituit heredem univerſorum*, (Jo. 13. 3. dicitur Sciens JEſus, quia omnia dedit ei Pater in manus) *per quem fecit & ſecula:* id eſt, tempora & omnia temporalia: nempe Mundum & omnia, quæ in Mundo ſunt. Caſſiodorus in Pſ. noſter. Terminos terræ ſic interpretatur: Termini, ait, terræ ſunt, qui tellurem cingunt atque concludunt: ut non ſolum arida, verùm etiam totius aëris circumjecta ſubſtantia, & omnium creaturarum ſignificaretur integritas. Sicut & ipſe in Evangelio ſub brevitate concluſit, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Et Apoſtolus: Ut in nomine JEſu, &c.

127. *Itaque amplitudo ejus longè ſuperat latitudinem regni Salomonis, Babyloniorum, &c.*

Itaque hæreditas & regnum Chriſti, longè ſuperat omnes hæreditates & regna omnium. Tertullianus libro contra Judæos hoc egregiè prædicat: *Salomon*, ait, *regnavit*, *ſed in finibus Judæ tantùm à Dan uſque ad Berſabee. Babylonus & Parthus regnavit Darius, non ultra. Ægyptus Pharao, ſed illis tantùm. Nabuchodonoſor ab India, uſque ad Æthiopiam habuit regni ſui terminum. Alexander Macedo nunquam Aſiam univerſam, & cæteras regiones, poſtquam devicerat, tenuit. Sic Germani, Britanni, Mauri, Romani, imperii ſui habent terminos. Chriſti autem nomen & regnum ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus Judex, omnibus Deus & Dominus eſt.* Ampla fuit quatuor Clodovæi filiorum hæreditas, cùm in eis florentiſſimum Franciæ regnum diviſum eſt, quod jam latè fuſum multos populos numerabat.

Clodovæi filiorum hæreditatem: Ludovici Pii, Et Conſtantini filiorum, ac Noemi.

Amplior quatuor item filiorum Ludovici Pii poſſeſſio, cùm fines imperii Gallici longè latéque Carolus Magnus in omnem partem protendiſſet. Ampliſſima verò trium Conſtantini liberorum, qui Aſiæ, Africæ & Europæ refertiſſimas, hominumque multitudine maximè florentes regiones inter ſe ſortiti ſunt. Sed longè maxima & admirabiliſſima Semi, Japheti & Chami, quando Japheto tota Europa & pars Aſiæ, Chamo Africa cum parte etiam Aſiæ, Semo reliqua Aſia & America obtigerunt. Sed ſi hæc Chriſti imperio & hæreditati conferantur, mapalia inſtar ac tugurioli contemnentur. Nam & omnium hominum omni tempore exiſtentium Rex fuit, & omnium Angelorum, & terræ ac cœlorum omnium Dominus. Orbem Romanum admiratione complevit Pompeius, eique ob facta ingentia Magni nomen adhæſit, de quo Tullius in Piſon. ſectione 29. *Omnes omnium gentium partes tribus triumphis devicerat.* Quantum imperio adjecerit, docet Plinius libro 7. capite 26. Ex Aſia, inquit, Ponto, & Armeniis, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Judæis, Albanis, Iberis, inſula Cretæ, Baſternis, & ſuper hæc de regibus Mithridate atque Tigrane triumphavit. *Summa ſummarum in illo gloria fuit, (ut ipſe in concione dixit, cùm de rebus ſuis diſſereret) Aſiam ultimam provinciam accepiſſe, eandemque mediam patriæ reddidiſſe.* Mediam Colchidam, Meſopotamiam, Phœniciam, Arabiam, & alias gentes addit Plutarchus. Sed quis percenſeat provincias à Chriſto edomitas?

128. Amos 9. Omnes gentes Chriſto ſubdit, ac primò dicit verſu ſexto: *Qui ædificat in cœlo aſcenſionem ſuam*, ſphæras ſuas, ut vertit Pagninus, gradus ſuos, ut Vatablus, quaſi tabernaculum, ut Arabs, Antiochen. majeſtatem gloriæ ſuæ, ut Chaldæus. Id convenit Chriſto in cœlum aſcendenti, eique attribuit R. Haccados apud Galatas libro 7. capite 15. Via, ait, aquilæ in cœlis, eſt Rex Meſſias, qui poſt paſſionem ſuam aſcendet in cœlum, ſicut dictum eſt Amos 9. Qui ædificat, &c. in Hebr. eſt aſcenſiones; & tropologicè, ſunt viri ſancti, quos in Eccleſia ſua poſuit Chriſtus, qui tanquam virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris continuò in cœlum aſcendunt, à Sole juſtitiæ elevati, & ponentes aſcenſiones in corde ſuo: per amorem in cœlo habitantes, & creſcentes de virtute in virtutem, donec videant Deus deorum in Sion: *Et faſciculum ſuum ſuper terram fundavit.* Chald. ad rem noſtram aptiſſimè reddit: Et Eccleſiam ſuam in terra decoravit. Arabs Alexand. pactum. Arab. Antioch. præparationem. Per faſciculum rectè accipies legem, quæ non tantùm dicitur à legendo, quòd omnibus legeretur, ut eſſet nota; ſed etiam à ligando, id eſt, obligando: ad literam Vatablus, Clarius, Lyranus, & Cornelius faſciculum cenſent eſſe colligationem trium elementorum: nempe ignis, aëris & aquæ, quæ in terra quaſi baſi & centro fundata ſunt. Malim dicere, intelligi omnes creaturas in terra exiſtentes, homines ſcilicet, animalia, arbores, plantas, flores, cæteraque à terra ſuſtentata, & in eo radicata, quæ cum terra colligata faciunt faſciculum in odorem ſuavitatis, & globum, quem tribus digitis Deus ſuſtentat. Hebr. אגדה *agudda* ſignificat aggregationem, congregationem, colligationem, faſcem, faſciculum, conglobationem, globum, turbam, turmam. Vox autem Latina faſciculus eſt etiam ideo quod *ὀσφραντήριον*, olfactoriolum, id eſt, faſcis aromatum & florum: ut ſumitur Cant. 1. 12. *Faſciculus myrrha Dilectus meus mihi.* Mundus enim hic totus ob pulchritudinem ſuam, & præcipuè Eccleſia ob virtutum odorem eſt viciſſim Sponſo faſciculus myrrhæ & omnis pulveris pigmentarii. S. Hier. in Amos: Faſciculus, inquit, una Domini religione conſtrictus eſt: unde & ipſa *religio à religando*, & in faſcem Domini vinciendo nomen accepit.

Amplitudinem regni Chriſti declarant Prophetæ. Primò.

Pergit Amos ad rem accommodatius ✝. 11. *In die illa ſuſcitabo tabernaculum David, quod cecidit*, id eſt, regnum Davidis: nempe, domum ejus regiam, palatium & thronum regium *erigam*, ut vertit Syrus: reſuſcitabo, ut Sept. reædificabo, ut S. Jacobus Act. 15. 16. Illud tabernaculum Davidis eſt primò Chriſti corpus quod reſuſcitatum eſt, ut S. Cyr. lib. 4. in Joan. 2. 19. explicat: ſecundò, Eccleſia ejus: *Et reædificabo aperturas murorum ejus*, per tot incurſiones Iſraëlitarum, Syrorum, Philiſthinorum, Ægyptiorum, Idumæorum, Moabitarum, Aſſyriorum, Babyloniorum, & aliorum: *Et ea quæ corruerant, inſtaurabo*, collapſa per hæreſes, ſchiſmata, & varia ſcelera: *Et reædificabo illud ſicut in diebus antiquis:* tempore Davidis atque Salomonis, ante ſchiſma Jeroboami & decem tribuum: *Ut poſſideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eò quod invocatum ſit nomen meum ſuper eos:* id eſt, eò quòd vocentur Chriſti grex, populus, Eccleſia: & Chriſtus vocetur eorum pater, protector, paſtor, rex & gubernator. Nota, Idumæa ponitur ſynecdochicè pro quibuslibet provinciis idololatris, & à Chriſti cultu averſis: unde ſubditur explicationis gratiâ, *& omnes nationes.* Nota ſecundò, Idumæa ſignificat ſanguineam, à rad. דם *dam*, ſanguis: vel terrenam, à rad. אדמה *adama*, terra. Sic eſt commodus typus totius regni diaboli, ubi ſanguis ſanguinem tangit, & terrena cogitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Hoc regnum ſubigit & calcat Jeſus, ac poſſidet. Pſal. 59. 10. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* S. Hier. ad rem noſtram aptè convertit: ſuper Idumæam incedam calceamento meo, ut victor ſcilicet, ac triumphator. Poſſeſſio, ut dixi ſupra, quaſi pedis ſeſſio dicitur: quia tunc res noſtra eſt, quando in illa ſecuri manemus. Calca tu Idumæos ab Eſau prognatos, id eſt, carnales affectus, ne illi te conculcent & proterant, atque in luto defigant, Sis cæleſtis ſtellam ſequens, de qua Balaam ait, Nu-

Secundò.

merorum 24. ℣. 17. *Orietur ſtella ex Jacob*, Chriſtus, qui eſt ſtella ſplendida & matutina. Apocalypſis a. 28. 22. 16. & per ſtellam demonſtratus eſt Magis, cùm natus eſt, *& conſurget virga de Iſrael: & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth*, id eſt, omnes homines, hi enim omnes à Seth nati ſunt: ab eo enim Noë originem traxit, & omnes filii Cain diluvio merſi ſunt. Vaſtabit autem Chriſtus omnes homines, id ab eis auferendo, quod in ſe ipſi poſuerunt, nempe peccata. שׁת *ſeht*, ſignificat *poſitus*: quia repoſitus fuerat pro Abel occiſo. Vaſtatis autem, id eſt, expurgatis à dæmone poſſidente hominibus, Dominus & Rex erit. Chaldæus vertit, dominabitur. *Et erit Idumæa poſſeſſio ejus. Hæreditas Seir*, id eſt, Idumæa, quæ vocatur Seir, quia Eſau, qui illam poſſedit, nuncupatus eſt Seir, hoc eſt, piloſus: ſicut dicta eſt Idumæa, quòd vocaretur Edom, id eſt, rufus: ſive à colore ſibi proprio, ſive à coctione rufa, ob quam vendidit ſua primogenita: *Iſrael verò fortiter aget. De Jacob erit qui dominetur, & perdat reliquias civitatis.* Romæ ethnicæ, ut ait Abulenſ. hæc enim κατ' ἐξοχὴν dicebatur civitas, ut Athenæ ἄστυ: & erat idololatriæ arx, ubi colebantur ad quatuor circiter idolorum millia.

Tertiò. Amplitudo illa regni Chriſti, & occupatio, non tantùm Idumæa, ſed etiam omnium nationum idola colentium, declaratur per Abdiam verſu decimo ſeptimo: *Et in monte Sion erit ſalvatio, & erit ſanctus*, ipſe mons ob templum, & Deum in eo habitantem. Hebraicè, *& erit ſanctitas*. Eccleſia non tantùm eſt ſancta, ſed etiam ſanctos facit. *Et poſſidebit domus Jacob* (duæ tribus à captivitate Babylonica liberatæ) *eos qui ſe poſſederant*. Nempe Idumæos, Syros, Samaritas, qui agros eorum invaſerant tempore captivitatis, ſicque ſuas hæreditates recipient. Verſu decimo octavo, & ſeq. addit: *Et erit domus Jacob ignis* (charitatis à Spiritu ſancto accenſi) *& domus Joſeph* (decem tribus in unam Eccleſiam coaleſcentes) *flamma; & domus Eſau* (Idumæa) *ſtipula: & ſuccendentur in eis, & devorabunt eos: & non erunt reliquiæ domus Eſau, quia Dominus locutus eſt. Et hæreditabunt hi qui ad Auſtrum* (Judæi Auſtrales) *montem Eſau* (Idumæam quæ ipſis eſt meridionalis) *& qui in campeſtribus, Philiſtiim*, &c. Per illas autem ſeptem gentes, omnes intelliguntur, & omnia vitia capitalia. Septenarius enim numerus, eſt numerus univerſitatis ac multitudinis. Verſu vigeſimo primo concludit: *Et aſcendent ſalvatores in montem Sion judicare montem Eſau; & erit Domino regnum*: excinduntur ſervi, qui rebellaverant. Quod autem dicitur verſu decimo octavo: *Et non erunt reliquiæ*, Aquila, Symmachus, Theodotio vertunt, non erit ſuperſtes. Septuaginta, πυροφόρος, id eſt, frumentarius qui frumenta colligit, & curam habet annonæ advehendæ & admittendæ: vel meliùs, lege cum aliis πυρφόρος, id eſt, *ignifer*: nam priùs dixerat domum Jacob fore ignem, & domum Joſeph flammam: contra verò, dicit apud hoſtes eorum, ne remanſurum quidem igniferum, id eſt, primò, ut ait à Caſtro, nullum fore ſuperſtitem, qui poſteris vitæ Lampada tradat: etiam in Scripturis lucerna ſumitur pro poſteritate. 3 Regum 11. ℣. 36. & alibi. Secundò, Luiſius Legionenſis & Delrio adagio 984. cenſent pyrophorum intelligi priſcum anteſignanum & legatum caſtrorum. Apud Græcos enim mos erat, ut quoties procinctæ acies congredi erant paratæ, ante prima ſigna ſtaret vates Laureos ferens ramos & corollas, cui Pyrophoro dixère nomen, quoniam Lampada præferret, quem violare ſummum habebatur nefas, quòd legati munere fungeretur. Cùm igitur clades exercitus maxima dicebatur, utebatur hoc proverbio. Ne ignifer quidem ſuperfuit, ut Pollux & Heſychius teſtantur. Vaſtatæ ſunt pleræque nationes recenſitæ ab Abdia, per Machabæos, ut patet primo Machabæorum quinto, & ſecundo Machabæorum decimo, atque ex Joſeph libro 13. Antiquitat. 17. 18. 23. Hi autem etiam Chriſtum figurabant. Nota porrò, per Sareptam, Abdiæ vigeſ. intelligi Sareptam Sidoniorum: Varablum tamen, Ariam, Clarium, Pagninum, R. Salomonem, & R. David intelligere Franciam, quam etiam Hebræi vocant צרפת *ſarphath*, nec malè, ſi etymon ſpectet. צרף *ſaraph*, etiam ſignificare urere, accendere, conflare, igni excoquere, purificare. Ardore animi ſatis ſe probant Franci, & omnia inſtar ignis pervadunt & excoquunt: videant, ut ſint Galatæ, id eſt, lactei, & puri, & ſeipſos aliuſque cœleſti igne expurgent. Per Chananæos R. David, & alii citati accipiunt Alemannos, quòd in eam regionem ſe receperint à Joſue & Iſraëlitis domiti. Per ספרד *ſepharad*, verò (quod noſter interpres vertit *Boſphorum*, & alii de Thracio, alii de Cimmerio explicant, in quos diſperſi ſunt Judæi in captivitate Aſſyriaca & Babylonica) Mariana, Burgenſis, Chaldæus, Syrus, Arabicus, Alex. & Antioch. R. Salomon, R. David, Joſippus, filius Gorionis, libro tertio hiſtoriarum capite decimo quinto, aliique de Hiſpania exponunt. Hebraica ſeu Aſſyriaca vox *Sepharad* ſignificat terminum. Eſt autem Hiſpania limes & terminus Europæ, & Mundi, Judæis tunc cogniti. Quin etiam in Gallæcia juxta Compoſtellam locus, qui dicuntur *Fines terræ*, quicquid ſit de illis nominibus, vidimus cum gaudio Apoſtolos & Apoſtolicos viros Italiam, Franciam, Germaniam, Hiſpaniam, & inde prodeuntes, novum Orbem ad Chriſti leges adduxiſſe, ejuſque ſceptro ſubdidiſſe.

Quanta felicitate ſub eo Rege vivant, & quàm jucunda fiant Chriſti hæreditas, declarat Oſeas Propheta cap. 14. 6. *Ero quaſi ros Iſrael*, id eſt, Iſraëli, ut vertit Syrus & Arabs. Senſus eſt, ut vult S. Hieronymus & Theodorus: Sicut ros herbas leniter humectat & fœcundat: ita ego lege, doctrina & gratia mea ſuaviter irrorans Iſraëli, eum virtutibus & bonis operibus fœcundabo. Iſraëlem intellige ſpiritualem, id eſt, populum Chriſtianum. Quid inde fiet? Sequitur: *Germinabit ſicut Lilium, & erumpet radix ejus ut Libani. Ibunt rami ejus, & erit quaſi oliva gloria ejus & odor ejus ut Libani. Convertentur ſedentes in umbra ejus; vivent tritico, & germinabunt quaſi vinea: memoriale ejus, ſicut vinum Libani.* Quæ omnia dilatationem Chriſtianorum & felicitatem denotant in lege nova. Expende ſingula: Primò, germinant ut lilium, quod mirificè creſcit & propagatur. *Albis liliis*, ait Plin. lib. 21. 5. nihil eſt fœcundius, unâ radice quinquagenos ſæpè emittente bulbos, hoc aptè quadrabit regibus Chriſt anißimis, qui pro inſigni ſuo lilia gerunt alba, & fidem Chriſtianam mirè propagârunt ſuis armis & pietate, ut patet in Germania converſis Saxonibus & aliis per Carolum Magnum, variis regibus in Saracenos Hiſpaniæ, Syriæ & aliarum regionum pugnantibus, & per diverſas regiones Chriſti præcones juvantibus, ut nunc in America faciunt, & ejus inſulis. Secundò, erumpit radix eorum ut Libani, id eſt, thuris, ut cenſet S. Cyrillus, aut potiùs montis Libani, in quo radix, hoc eſt, germen ex radice, ut explicat Sanctius: aut veriùs, ipſa radix cedrorum, & aliarum arborum odoriferarum, erumpit & dilatatur per varias fibras. Nota, cùm *Lebona* Hebr. thus ſignificet: inde mons thure, cedro, pino, aliiſque arboribus reſinoſis & odoratis abundans dictus eſt Libanus. Tertiò, rami in altum efferuntur, id eſt, filii ſpirituales: unde Chald. vertit, *Iſraelitæ creſcent filiis & filiabus*. Hi promiſſi ſunt Abrahæ inſtar ſtellarum & arenæ maris innumerabiles. Quartò, gloria eorum quaſi oliva erit fœcunda bonorum operum, ſpecioſa ob excellentem charitatem, glorioſa ob ſplendorem variarum virtutum, miſericordiæ præſertim, atque benignitatis & manſuetudinis. Sic Jeremias de Iſraele loquens cap. 11. 16. ait: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocavit Dominus nomen tuum*. Hebr. olivam virentem, &c. Chald. in loco Oſeæ citato vertit: *Splendor eorum ſicut ſplendor candelabri ſanctitatis*: templi ſcilicet, ut ardeat luce virtutum in conſpectu Dei. Quintò, odor eorum ut Libani. Chald. de thure explicat, cùm vertit: *Odor eorum, velut odor incenſi aromatum*. In eadem eſt mente S. Cyr. Sextò, convertuntur ſedentes in umbra ejus, aut Libani, ut vult Arias: aut Iſraelis, ut à Caſtro: aut Chriſti, ut S. Hier. Ruper. & Lyranus. Converſio, ut ait Albertus, eſt converſio ſitus, ut quæ ſiniſtra ſunt, dextra fiant: & contra, ſiniſtra,

129. Magna felicitas ſub Rege Chriſto.

quæ

quæ dextra fuerant: quæ anteriora, poſteriora: quæ ſuperiora, inferiora. Niſi id fecerit pœnitens, non perfectè convertetur ad Deum: itaque divitias quas in dextra poſuerat, abjiciat ad ſiniſtram & hœdis relinquat: honores quibus caput coronabat, abjiciat ad pedes Apoſtolorum & ſuos: ſi divitias habet, illas habeat, non ab illis habeatur & captivetur: non ſit vir divitiarum & à divitiis poſſeſſus, ne in fine vitæ nihil inveniat in manibus ſuis: ſi honores habet, iis Chriſtum coronet, ne ſit ſtella abſynthium dicta, & cadat in flumina, & omnis ejus ſplendor extinguatur, & ſubſtantia deſluat. Septimò, vivent tritico. Leo Hebræus vertit, *reviviſcent, ut frumenta*. Arab. Antioch. *Et vivent & permanebunt ſine peccata*. Arab. Alex. *Et vivent, & ſaturabuntur de tritica*. 1. Verbi Dei, ut explicat Chald. & S. Hieron. 2. Euchariſtiæ, ut Emmanuel Sa. De illo frumento ait noſter Propheta Pſal. 71. 16. *Erit firmamentum in terra*. S. Antonin. 3. p. tit. 14. c. 5. erit panis triticeus. Chald. erit ſubſtantificos panis. S. Hieron. erit memoriale triticum. Burgenſis, placentula frumenti. R. Emmanuel, vola frumenti, id eſt, plena manus frumenti, *in ſummis montium*, R. Jonathan apertè vertit: *Erit placenta tritici in vertice ſacerdotum*. Octavò, germinabit quaſi vinea: & memoriale ejus, ut vinum Libani, id eſt primò, ut vinum aromatibus Libani conditum, ideoque odoratum. Arab. Alex. vertit: *Et erit ſicut incenſum*. Secundò, ut vinum montis Libani, quod etiamnum eſt optimum & generoſiſſimum.

129.

Quartò. Locus eſt pulcherrimus Iſaiæ 2. ℣. 2. *Et erit in noviſſimo dierum* (Chriſti, quia nulla lex & religio erit poſt ejus legem) *mons domus Domini præparatus*. Hebr. נָכוֹן *nacon*, id eſt primò, fundatus, firmatus, ſolidatus. Portæ inferi non prævalebunt adverſus eum. 2. Verus & certus: quia Eccleſia eſt firmamentum & columna veritatis. 1 Timoth. 3. 15. Tertiò, rectus, & erectus, in cælum erigit Eccleſia, & nihil habet incurvum, per vias rectas ambulat. 4. Præparatus, diſpoſitus, atque ordinatus. Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt. 5. Integer, perfectus: ideoque felix. *In vertice montium*, omnes leges & doctrinas ſuperat, *& ſublimis ſuper omnes colles: & fluent ad eum populi*, miraculum eſt aquas in altum exurgere, & homines in terram ab adoleſcentia pronos ad cælum currere, *& properabunt gentes multa*, &c. id eſt omnes: Illæ autem omnes, ſunt multæ. Nec tantùm gentes, ſed etiam Synagoga Judæorum, quæ vocatur claudicans, quia claudicavit ſæpè in utramque partem, ut ait Elias 3 Reg. 18. 21. modò Deum, modò idola colens. Lege totum locum, quem ad literam de Chriſti, Eccleſiæ, & legis Evangelicæ tempore intelligendum eſſe de fide eſt, cùm omnes ſancti Patres ſic interpretentur. Lege etiam cap. 60. 1. & ſeq. *Surge, illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum*, &c.

130. Hinc ſequitur: Eccleſiam Chriſti eſſe catholicam.

Ex his vides: Eccleſiam Chriſti eſſe Catholicam, id eſt, univerſalem. Tert. lib. adverſus Judæos cap. 7. *Chriſti regnum & nomen ubique porrigitur, ubique creditur*. Et S. Auguſt. tom. 2 Epiſt. 162. contra pervicaciam Donatiſtarum, quæ in Africæ angulo coarctati de vera tamen fide gloriabantur, ait: Non chartis veteribus, non archivis publicis, non geſtis forenſibus aut Eccleſiaſticis agimus. *Major liber noſter Orbis terrarum eſt*, In eo lego completum, quod in libro Dei lego promiſſum. Dominus, inquit, dixit ad me: Filius meus es tu, &c. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c. Huic hæreditati qui non communicat, quoslibet libros teneat, ex hæreditatum ſe eſſe cognoſcat. Hanc hæreditatem quiſquis expugnat, alienum ſe eſſe à familia Dei ſatis indicat, &c. ita Auguſtin. Atque hi pro Africa loquuntur. Secundò, Aſia hujus veritatis teſtem offert S. Ignatium Antiochiæ Patriarcham in epiſtola ad Philadelph. qui ait, unam eſſe Eccleſiam, ſicut eſt unus Chriſtus & unus Deus. *Una*, inquit, *eſt caro Domini noſtri Jeſu Chriſti, unus illius ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt, unus item panis omnibus confractus, & unus calix qui omnibus diſtributus eſt, unum altare omni Eccleſiæ, & unus Epiſcopus, &c. Unus eſt ingenitus Deus Pater, & unus unigenitus Filius Deus, Verbum atque Homo; unus Paracletus Spiritus veritatis. Una eſt prædicatio, & fides una, & unum baptiſma, una Eccleſia quam fundaverunt ſancti Apoſtoli à finibus uſque ad fines in ſanguine Chriſti, propriis ſudoribus ac laboribus*. Tertiò Europa, unum nunc proponit S. Irenæum antiquitate venerab. Lugd. Epiſc. qui Eccleſiam uni domui & corpori, atque Soli ſe ſolo Orbem totum illuſtranti comparat, in hunc modum: Hanc, ait, prædicationem cùm acceperit, & hanc fidem Eccleſia, & quidem in univerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi unam domum inhabitans; & ſimiliter credit iis videlicet quaſi *unam animam habens, & unum cor*, & conſonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quaſi *unum poſſidens os*: ita ipſe. Neque enim in Germania, Gallia, Hiſpania, Aſia, Africa, America, & tota Europa diſcors eſt Eccleſiæ opinio. Pergit deinde idem ſanctus Pater: *Sicut Sol creatura Dei, in univerſo mundo unus & idem eſt: ſic & lumen, prædicatio veritatis, ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire*. Eccleſia etiam eſt fons vitæ, è paradiſo Dei profluens, & irrigans univerſam faciem terræ. Amplitudinem ejus miraberis, ſi legas libellum Auberti Miræi de notitia Epiſcopatuum totius Orbis: & alterum, qui inſcribitur Geographia Eccleſiaſtica, in quo alphabetico ordine epiſcopales omnes urbes, quas nôſſe potuit, collocavit. Multos tamen omiſit, ut clarum eſt. Quartò, Americam quoque penè totam fides pervaſit, ut cum gaudio videmus, & quotidie latius in ea diffunditur. Notat autem S. Auguſt. epiſt. 80. ut Eccleſia dicatur Catholica, non eſſe neceſſe in cunctis totius mundi hominibus ejus fidem eſſe, ſed ſufficere, ut provinciis innoteſcat, in quibus ſint aliqui de Eccleſia. Donatiſtæ in Africa ſua ſola contendebant Eccleſiam eſſe: periiſſe autem ex reliquo Orbe, in quo prius fuerat: eos irridet S. Auguſt. lib. toto de Unitate Eccleſiæ, præcipuè cap. 8. & in Pſalm. 81. 101. 122 epiſt. 161. de agone Chriſti cap. 29. Ab Eccleſia ſe dividunt, qui eſſe Catholicam negant. S. Bernard. ſerm. 66. in Cant. arguens hæreticos, qui Apoſtolorum ſe eſſe ſucceſſores jactabant, & nullum ſignum Apoſtolatus ſui edebant, ſed occulti latebant & pauci erant: *Itane*, inquit *lapidem de monte abſciſſum ſine manibus, montem factum, & implendum mundum, veſtris creditis incluſum antris? Habet, & ſemper habebit integram Chriſtus hæreditatem ſuam & poſſeſſionem ſuam terminos terræ*: Eccleſiam ſcilicet, ut locum Pſalmi noſtri exponit S. Auguſt. lib. de Unitate Eccleſ. cap. 8. atque, nullum Chriſtianum dubitâſſe hoc de Chriſto eſſe prædictum, aut hanc hæreditatem aliud eſſe quàm Eccleſiam. Id promiſſum erat Abrahamo Gen. 22. 16. & 17. Per memetipſum juravi, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem (q. d. verba inania non amo) & non pepercisti Filio tuo unigenito propter me. Benedicam tibi, & *multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cali: & velut arenam quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas* (urbes, itaque eſt ſynecdoche) *inimicorum tuorum*. Et apertiùs ℣. 18. *Benedicentur in ſemine tuo* (Chriſto, non enim dixit in ſeminibus, ut notat Apoſtolus Galat. 3. 16.) *omnes Gentes terra*.

Ante Chriſti adventum ros tantùm erat in vellere, hoc eſt in populo Judaico, qui olim divini Sacramenti gratiâ tanquam rore perfundebatur, ſed *in vellere, id eſt in velamine, & quaſi in nube ſecreti*, ut loquitur S. Auguſt. lib. de Unit. Eccleſ. nunc verò ſiccitas eſt in ſolo vellere, & ros in omni terra. Sic etiam explicant S. Ambr. lib. de Viduis, S. Chryſoſtomus in Pſal. 71. Origenes, Procop. Rupertus & alii. Lege ipſum textum Judicum 6. 36. & ſeq. ubi rorem illum poſtulat atque impetrat Gedeon.

Illa Eccleſia Catholica, etiam Romana eſt, ſicque verè dixit S. Leo, imperium ſpirituale Romæ latius ſeſe diffudiſſe, quàm imperium ejus temporale. Sic enim ait ſerm. 1. de Natal. SS. Petri & Pauli: *Iſti ſunt, qui te* (Roma) *ad hanc gloriam provexerunt, ut gens ſancta, populus electus, civitas ſacerdotalis & regia, per ſacram B. Petri ſedem caput Orbis effecta: ut latiùs præſideres religione divina, quàm dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis, jus imperii tui terra marique protuleris: minùs tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubjecit*. Lege illum locum.

ARTICULUS V.

Chriſtus eſt Paſtor omnium fidelium.

Verſ. 9. Pars. 131. Chriſtus regit virgâ ferreâ.

QUintum Chriſto elogium à Propheta noſtro datur, quòd ſit bonus Paſtor, oves ſuas dirigens & protegens. Verſ. 9. REGES EOS, Sept. ποιμανεῖς, paſces, & S. Joan. Græcè eodem eſt uſus verbo, Apocal. 2. & 19. IN VIRGA FERREA, ET TANQUAM VAS FIGULI CONFRINGES EOS.

Quid illa: 1. Sceptrum. 1. *Aſſueri ſceptrum aureum. Jovis & Apollinis.* 2. *Sceptrum ferreum Plutonis.* 3. *Argenteum regum Siculæ.* 4. *In Indos ex ebeno.* 5. *Tarquinii Priſci eburneum.* 6. *Multorum ex oleaſtro.*

Quæres primò: Quid ſit illa virga ferrea? Primò reſponderi poteſt, eſſe Chriſti ſceptrum. Hebr. enim שבט *ſchet* virgam, baculum, ſceptrum, ſignificat. Sic ſceptrum Aſſueri vocatur virga aurea, Eſth. 4. 11. & 5. 2. & 15. 15. Sed neque agitur hîc de Chriſto, ut Rex eſt, ſed ut Paſtor: neque decet dare ſceptrum ferreum Regi cæli & terræ, cùm ethnici dederint aureum Apollini ſuo, & Jovi: vix ulli ferreum, niſi Plutoni. Sceptro utebantur argenteo Siculi Reges, quorum inſigne erat argenteus baculus, & purpurea veſtis cum diademate. Indorum Regibus niſi ex ebeno ſceptra ſumere non licebat, ut ait Solinus cap. 96. Tarquinio etiam Priſco Romæ fuit eburneum ſceptrum, in ſummo figuram habens aquilæ, teſte Dionyſio Halicarn. lib. 3. Olim multis Regibus ſceptra fiebant ex oleaſtro, clementiæ ſymbolo, ut teſtatur Paſchalis lib. 6. de corona, cap. 19.

2. Stimulus.

Secundò: Polydor. Virgil. cenſet, metaphoram eſſe ſumptam à boum dominatoribus, qui ferratâ virgâ illos pungunt. Sed de paſtore hîc agitur.

3. Haſta. *Haſta olim ſceptrum. Thyrſus pro ſceptro.*

Tertiò: Alii haſtam intelligunt eſſe virgam illam ferream. Erant enim haſtæ priſcorum regum ſceptra. Euripides in Hecuba de Polymeſtore ait, λαὸν ἰθύνων δορί, *populum regens haſtâ*. Pauſanias in Bœoticis de Regum Argivorum ſceptro loquens, ait: Venerantur hoc ſceptrum, haſtam nominantes, Antigonus pro ſceptro thyrſum, qui eſt haſta Bacchi, gerebat. Hinc factum eſt, ut apud aliquos populos haſtæ divinis honoribus colerentur, ut docet Juſtinus lib. 43. Per ea adhuc tempora, inquit, Reges *haſtas pro diademate* habebant, quas Græci σκῆπτρα dixêre. Nam & ab origine rerum pro Diis immortalibus veteres, haſtas coluêre: ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum ſimulacris haſtæ adduntur: ita ipſe. Sed nec de Chriſto Rege, ut dixi: nec de eo ut bellatore, ſermo eſt.

4. Gladius.

Quartò, virga illa ferrea meliùs diceretur eſſe Chriſti gladius. Ad quod multum impellit locus Apoc. 19. 15. *Et de ore ejus* (Chriſti) *procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipſo percutiat Gentes, & ipſe reget eas in virga ferrea.* Ubi videtur virga vocari gladius. Sed reſpondeo hoc negando: gladius enim non regit Gentes, ſed percutit.

5. Et optimè pedum paſtorale.

Quintò itaque dico: Virgam illam ferream eſſe pedum paſtorale ferro armatum, ſicque non eſſe virgam ex ferro ſolo conſtantem, ſed ferratam ad terrendas oves ſono, ad terram conjiciendam in errantes, & ad arcendas feras. Nam mentio hîc eſt Chriſti paſtoris deſtinati ad paſcendas Gentes, ut oves errantes, eaſque in rectam viam dirigendas. Nota, alludit ad virgam Moſis, cum qua oves paſcebat in Madian per annos quadraginta, & cum qua miſſus eſt ad oves; id eſt ad populum Iſraël, in Ægypto ſub flagellis & cultris balantes. Virga enim illa miraculorum patratrix, quâ vir ille divinus Hebræos primò eduxit ex Ægypto, ut ex ore luporum, & loco præcipiti: ſecundò, deduxit in via mirabili, per mare rubrum ac deſertum: tertiò, pavit in deſerto & aquam dedit, fuit illa ipſa virga, quâ ſolitus erat oves dirigere ac tutari.

Quæres 2. Ad quid refertur τὸ *eos*, cùm dicitur, reges *eos* in virga ferrea, primò, Pagn. & Felix, qui vertunt, conteres eos, deducendo *theroëm* à רעע *roa*, conterere, de ſolis impiis id accipere coguntur. Secundò tamen meliùs Bellarm. etiam ad regimen totius Eccleſiæ juſtum & potentiſſimum deducit. Itaque τὸ eos, de omnibus fidelibus dicetur: ſeu, ut eſt in verſu præcedenti, de omnibus terminis terræ, quod in idem redit. Termini enim terræ, ut dixi, ponuntur pro habitatoribus, qui in illis ſunt.

Quæres 3. Quid ſymbolicè ſignificet virga ferrea? 132.

Symbol. virga ferrea denotat authoritatem & poteſtatem.

Reſpond. primò, Virgam denotare authoritatem, poteſtatem, ducatum. Hinc videmus Ducibus, Abbatibus, Epiſcopis dati virgas ſeu baculos inſigne poteſtatis: talia erant etiam regum veterum ſceptra, quibus ſe jam ſeniores fulcirent. Diis ſuis dabant virgam pagani, Mercurio quidem mirabilium effectricem, quâ etiam animas orco evocaret, ut ait Maro lib. 4 Æneid. Minerva etiam Odyſſ. 16. multa facit, χρυσείῃ ῥάβδῳ, *virga aurea*, & Neptunus Iliad. 13. σκηπανίῳ baculo ſuo. Hinc fortaſſe Phœnices virgas divinis afficiebant honoribus. Euſebius lib. 1. de præpar. Evang. citat Philonem ex Sanchuniatone Phœnicum hiſtoriographo, teſtantem eos, ῥάβδους αὐτοῖς ἀφιερῶσαι, θεοῖς, καὶ στήλας προσκυνεῖν, *virgas diis conſecraſſe, & columnas adoraſſe.* Hos honores virgis exhibitos puto ortum habere præſertim à virga Moſis, quæ tanta miracula patraverat: hinc dæmonem, qui eſt Dei ſimia, curâſſe ut Diis attribuerentur virgæ, quæ deinde adorarentur. Tranſiverunt poſteà virgæ in ſceptra, quæ etiam adorata ſunt. Nam Cheronei ex omnibus Diis ſceptrum præſertim colebant, quod Vulcanum affabrè feciſſe Homerus ſcribit: datumque Jovi, à quo diu poſt ad Agamemnonem pervenerit. Appellabant autem δόρυ, id eſt haſtam: Templum quidem publicè nullum ei dicatum viſebatur, nihilominus ſingulis diebus res illi fiebat divina, apponebatur & menſa omnifariam carnibus ac bellariis onuſta. Babylonii autem tanto ſtudio ſceptra proſecuti ſunt; ut, ſicut ait Herodot. lib. 1. extra domum ſine ſceptro prodire, aut conſpici nefas ducerent, in quibus diverſas effictas effigies figuraſque habebant: quippe mali, roſæ, velilii, aut aquilæ, alteriusve avis, in ſummo ferebant inſignia. Nota tamen, ante Moſis tempora Jacob veneratus eſt virgam, quam manu tenebat Joſeph. Ubi enim legimus de eo morituro, Gen. 47. 31. *Converſus ad lectuli caput.* Septuag. & ex eis Paulus Hebr. 11. 21. verterunt, *adoravit faſtigium virgæ ejus.* Erat enim in Ægypto princeps, & poſt Pharaonem ſummam habebat authoritatem, ideò ferebat virgam poteſtatis illius inſigne. Jacob itaque tùm ab eo peteret, ut corpus ſuum transferri curaret in terram Chanaan, ad ipſum ſe inclinavit, & ad virgam ejus. Nota, propheticè videbat Jacob ex Ephraim filio Joſephi naſcituros reges, ſicque jam illam regiam authoritatem venerabatur, ut ait S. Chryſoſt. & Theodoret. Secundò, intelligebat in Joſepho, & ejus poteſtate, figurari Chriſtum, quem adorabat jam tum mente præviſum, Sciebat enim naſcituram virgam Jeſſe, quæ regeret populum Iſraël: ſic explicant Sedulius & Procop. in Geneſim. Ideò loco Gen. citato, dicitur: *Adoravit Iſraël Deum, converſus ad lectuli caput.* Nota, diverſitatem verſionum oriri ex eo, quòd Septuag. legerunt מטה *matte*, quod virgam ſignificat: & S. Hieron. מטה *mitta*, quod ſignificat lectulum: legebant enim ſine punctis, quòd necdum erant inventa; ſunt autem eædem conſonantes ſeu literæ in utraque voce: itaque facilè fuit vario modo legere: ſed idem ſenſus, cùm Joſeph eſſet ſitus ad lectuli caput, ut loco honoratiori. Chriſtus vocatur *virga de radice Jeſſe*, Iſaiæ 11. 1. & virga virtutum. Pſ. 109. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* S. Juſtin. Apolog. 2. ex Jeruſalem. Virga porro virtutis, ſeu fortitudinis, ut vertit S. Hieron. eſt lex Chriſti, ut ait S. Auguſt. vel, ejus crux, ut S. Chryſoſt. S. German. Conſt. orat. de Cruce in 3. Dominic. jejun. Gregentius Tephrenſis contra Herbanum. Vel denique, ipſa Humanitas ejus, ut Arnob. & Procopius. Hæc enim eſt virga regia & authoritatem habens in totam terram ob unionem hypoſtaticam cum Verbo divino.

Secundò: Virga in manu Regis, Ducis, Prælati, paſtoris, eſt ſignum vigilantiæ. Hinc Ægyptii, ut Dei providentiam & perfectam notitiam rerum declararent, pingebant ſceptrum, cui oculus eſſet ſuperpoſitus. Macrob. lib. 1. cap. 21. & Plutarch. de 133.

2. Denotat virga vigilantiam.

Iſide

Iſide & Oſir. dicunt, eos pinxiſſe Oſirim Regem veluti ſceptrum, cui eſſet inſculptus oculus, & ejus perſpicacitatem & vigilantiam figurarent. Hoc ſumpſerant à Jeremia Propheta, qui inter ipſos verſatus eſt, in Ægyptum deductus poſt Jeroſolymam everſam: ait autem cap. 1. ℣. 11. *Virgam ego video.* Viegas noſter in cap. 15. Apoc. comment. 1. ſect. 1. virgam vigilantem exponit, oculatam: vel, oculos apertos & vigiles habentem, θεὸς dicitur à θεάομαι, video, aſpicio, contemplor, vide Plat. & Macrob. Deum Mundi Moderatorem repræſentabant Phryges per virgam Sole exornatam.

133. Symbol. virga ferrea demonſtrat authoritatem & poteſtatem.

134. Chriſtus fuit Paſtor vigil.

Nota: Vigilem paſtorem dedit Deus Chriſtum, qui naſcens voluit primò annunciari paſtoribus vigilantibus, & cuſtodientibus vigilias noctis ſuper gregem ſuum, Luc. 2. 8. Secundò, Regibus etiam vigilantibus & ſtellas contemplantibus, Matth. 2. De illo ait Deus ipſe, Ezech. 34. 23. *Suſcitabo* (ecce vigilantem) *ſuper eas* (oves meas) *Paſtorem unum*, (Argus non tantùm centum, ſed infinitorum oculorum ſit oportet, qui unus omnibus omnium ætatum, regionum, conditionum & temporum hominibus ſufficiat) *qui paſcat eas*, (non vigilat in ruinam: ſed vigilat, ut etiam nocte adverſitatis paſcat) *ſervum meum David*, id eſt, Chriſtum. Nam, ut ait S. Ambroſius lib. 7. epiſt. 47. David Rex jam defunctus erat: & ideò verus David, verus humilis, verus manſuetus, verus manu fortis, Dei Filius hoc annunciatur nomine. Sic ipſe Ezech. dixerat cap. 37. 24. *Paſtor unus erit omnium eorum*, ut in veram unitatem fidei & charitatis copulentur; & inter ſe & cum Deo uno ſpretis terrenis idolis. Ac poſteà ad rem noſtram aptius ait Ezech. ſupra citatus cap. 34. 19. *Et ſuſcitabo eis germen nominatum.* Septuag. *plantam pacis.* Hebr. *plantam in nomen.* Virgam ſcilicet Jeſſeam, quæ nomen & famam Iſraëlitici populi, id eſt, fidelium, illuſtret. Sic Zach. 3. 8. Chriſtus appellatur צמח *ſemah:* hoc eſt, *germen*, quod noſter interpres vertit Oriens, qua de re aliàs. S. Antioch. hom. 3. dicit, paſtorem animarum debere eſſe totum *oculum* & mentem. Debet eſſe Sol ſemper oriens, & novam lucem exempli fundens: & virga, ſed illuminata, & illuminans: oculata, & quæ nôrit ſe aſpici.

Jacob fuit ejus figura.

Chriſti Paſtoris vigilantis figura fuit Jacob, qui Geneſis 31. 38. ait Laban ſocero ſuo: *Viginti annis fui tecum: oves tuæ & capræ ſteriles non fuerunt: arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi:* cùm tamen paſtor partem ovis reliquam oſtendens, à noxa eximeretur, nec teneretur eam domino ſolvere, quòd ſine ulla culpa à feris rapta eſſet, *Die noctuque æſtu urebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis.* Sic Pſalm. 120. 4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël.* Ille eſt cuſtos de nocte, id eſt, in adverſitate, de quo Iſaias 21. 11. De nocte vigilat & orat JEſus in monte, id eſt, in cœlo, dum diſcipuli in mari fluctuant naufragio proximi, inde deſcendit auxilio futurus, Marc. 6. 48. *Videns eos laborantes in remigando.* Ex monte remoto, & per medias noctis tenebras lynceis oculis videt laborantem gregem bonus Paſtor; *erat enim contrarius ventus, & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſuper mare.* Qui vigilat, vel ipſum mare turbulentum ſecurus calcat, & tranquillat. In Græco ibi: & Matth. 14. 25. eſt φυλακὴ *cuſtodia.* Chriſtus vigilat, ut cuſtodiat. Non dormit, qui cuſtodit Iſraël. Quatuor habebant noctis vigilias Hebræi & Romani: ternis horis ſingulæ conſtabant. Quartâ vigiliâ apparet JEſus, quia eſt Sol fugans tenebras noctis. Cùm eris in nocte tentationis, hunc expecta. Eccleſia in mediis tenebris ſibi conſtat, Michææ 4. 8. *Et tu turris gregis nebuloſa filiæ Sion uſque ad te veniet:* Chriſtus ſcilicet, de quo mox dixerat fore, ut regnet in monte Sion. Nota, Eccleſia turris eſt, quia ſtat inconcuſſa ſupra petram ſolidam fundata. 2. Eſt turris gregis, ob paſcua pinguia, figurata in turri Eder, id eſt, gregia, quæ erat in agris vicinis Bethlehem, prope quam Jacob pavit greges ſuos, Gen. 36. 21. ut ait S. Hieron. epiſt. 27. Adricum & alii, & prope quam apparuerunt Angeli paſtoribus nato Chriſto, Luc. 2. 8. Erat enim locus paſcuis ubertimis abundans, & Bethlehem nomen habuit à fertilitate tritici, q. d. domus panis dicta eſt etiam Ephrata, id eſt, fructificans, creſcens, fertilis, ab vinearum, pratorum, aliorumque fœcunditate. 3. Eccleſia eſt turris nebuloſa, propter obſcuritatem fidei, & horrorem perſecutionum. 4. Eſt etiam turris filiæ Sion, id eſt, contemplationis, & cœli; in Sione erat porta turribus & propugnaculis munita, quæ vocabatur porta gregis, quòd per eam greges ovium in templo offerendi, inducerentur in urbem & in templum. Nota 2. Jeruſalem, quæ eſt Eccleſiæ typus, metaphoricè ac metonymicè vocari turrim gregia à Michæa: tum propter jam dictam portam gregis, tum propter turrim Ophel, id eſt, nebuloſam, caliginoſam. Nam propter altitudinem ſic vocabatur, quòd nubibus caput inferre videretur. Eccleſia verò, nubes ipſas & cœlum pervadit, ob excellitatem vitæ & doctrinæ.

Paſtor Chriſtus vigil, in medio umbræ mortis, ſecurum gregem ducit, & ad caulas illæſum reducit. Idem Michæas hoc vidit, ubi Paſtor ipſe loquitur, cap. 2. 12. *Congregatione congregabo Jacob totum te*, reducens à captivitate Babylonis per Zorobabelem: ſed longè magis per Chriſtum incarnatum, qui relinquet oves nonaginta novem in deſerto, ut reducat errantem. De Chriſto hoc explicant S. Hieron. Rupertus, Clarius, Ribera, & alii. 135. Chriſtus gregem ſecurum præſtat.

Ponam illum quaſi gregem in ovili. Sept. in tribulatione. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum: legerant בצרה *baſſara*, hoc eſt, in preſſura, afflictione, anguſtia, tribulatione. Chald. ſicut & vulgata habent *in ovili*, & quidem צרה *ſara*, ſignificat etiam ſeptum arctum & anguſtum, in quo greges ovium denſantur & coarctantur. Ex quibus duo collige, primò deſignati fidelium multitudinem, ſecundò, compreſſionem per hoſtes fidei. Nunc habemus in Hebræo, *veluti pecus* בצרה *boſra*, quæ erat Idumææ metropolis ovibus abundans. Et Arias vult in ea Romam denotari, Boſra enim ſignificat munitionem munitam. Roma autem dicitur à Græco ῥώμη, id eſt, robore, unde priſcis temporibus dicebatur Valentia, ut ait Solinus cap. 2. Ad paſtoris verò virgam magis ſpectat, quod ſequitur: *Aſcendet enim pandens iter ante eos*, virga lupos exterrens פורץ *phores*, id eſt, perruptor, ut editio Tigur. habet, fractor, ut Pagn. quod Hebræi apud Galat. lib. 8. de arcan. fidei, cap. 23. explicant etiam de Chriſto limborum portas effringente, & inde captivos in cælum educente.

Tertiò, virga ſymbolum eſt ſeveritatis. Unde S. Paulus illam opponit ſpiritui lenitatis, 1 Cor. 4. 12. *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate*, (cum charitate, circumdatus charitate & amore paterno) *& ſpiritu manſuetudinis?* Ut enim ait S. Greg. Naz. orat. 1. præſul Eccleſiaſticus ſedulum ac diligentem medicum imitetur oportet: qui interdum ignem & ferrum, & aſperiora medicamenta adhibet: aliàs mollitet ac leniter vulnera tractat; ita etiam ille nonnonquam lenitate ac manſuetudine animos demulcet; aliàs reluctantes & refractarios, pœnâ ac ſupplicio coërcet. Veriùs Paulus alludit ad patres, qui filios rebelles caſtigant, bonos amplexibus & oſculis ſtringunt. Deus agens de Salomone, dicit, ſi peccet, paternè puniendum. 2 Regum 7. 14. *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium. Qui ſi iniquè aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum.* Id eſt, primò, ut explicant Abulenſis, Cajet. Lyr. Dionyſ. Sanctius, Hebræi, gladio inimicorum ſuorum. Statim enim atque peccavit Salomon, ſuſcitavit ei Deus adverſarium. Adad Idumæum de ſemine regio, 3 Reg. 11. 14. & Razon filium Eliada, ℣. 23. & Jeroboam filium Nabat, verſ. 26. Secundò, ac meliùs, virga virorum, eſt virga, quâ viri ſolent filios caſtigare, non ut pereant, ſed ut emendentur; unde additur *Miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saul, quem amovi à facie mea.* Illius curam abjiciendo, ut ait Sanctius: ſeu veriùs, ab eo & ejus familia auferendo regiam dignitatem, atque eum

136. 3. Virga notat ſeveritatem.

Digitized by Google

los inania meditatos, &c. 2. Excitaverat Apoſtolos ad dirumpenda eorum vincula & jugum excutiendum: nunc 3. proponit ſuam ipſius reſurgentis gloriam, poteſtatem datam in omnes gentes, & in ipſos reges. Nota, hic Pſalmus à Davide ſcribitur, quaſi à Chriſto dictus in die Paſchatis, ſtatim poſt Reſurrectionem. Tunc enim gaudio triumphans potuit dicere: *Quare fremuerunt*, &c. q. d. quid hoſtibus meis profuit fremitus, quid maligna in me machinatio, quid conventicula & omnis furor? Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: *Ego hodie genui te*, illi morte ignominioſâ voluerunt nomen meum extinguere, ego novâ generatione & glorioſâ te Orbis Regem ac Dominum propono adorandum, cùm ſis Filius meus mihi conſubſtantialis.

Ut S. Paulus declaravit. Sic Act. 13. S. Paulus cùm veniſſet Antiochiam Piſidiæ, & die Sabbathorum, id eſt, die Sabbathi, ingreſſus in Synagogam, & rogatus à Principibus ſynagogæ, verba fecit, atque inter cætera dixit, ℣. 32. & ſeq. *Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt,* (de Chriſti Incarnatione, & mundi redemptione:) *Hanc Deus adimplevit reſuſcitans Jeſum, ſicut & in pſalmo 2. ſcriptum eſt: Filius meus es tu. Ego hodie genui te.* Ubi clarè videtur loqui de Reſurrectione Chriſti, & ſic explicant S. Hilar. S. Chryſoſt. Janſen. Vatabl. Flamin. Vatlenius in Pſ. 2. S. Ambroſ. lib. 3. de Sacramentis cap. 1. ubi addit, eam ob rem vocari primogenitum à mortuis, Coloſſ. 1. 18. ait Paulus; *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium,* id eſt, fons, dux, & Author reſurrectionis & reſurgentium ex mortuis, ut S. Ambroſ. S. Chryſoſt. Theodoretus & Theophylactus exponunt: vel principium cum S. Cyrillo ſume pro principe & præcipuo: Græcè enim eſt ἀρχὴ: quæ vox & principium ſeu initium, & principatum ſignificat, ſicut Pſalm. 109. 4. Tecum principium (Hebr. *nedabot*, id eſt, principatus) in die virtutis tuæ, addit Paulus, *primogenitus ex mortuis*, id eſt, qui primus ex mortuis reſurrexit ad vitam immortalem: alii enim ab Elia & Eliſæo ipſoque Chriſto ſuſcitati, aut jam erant mortui, aut poſteà erant morituri. Nota, reſurrectionem vocari generationem, aut ſicut Matth. 19. 28. regenerationem: quia verè eſt mutatio ſubſtantialis, quâ id, quod prius extiterat, & corruptum erat, idemmet iterùm producitur. Ubi adverte, cùm ſit mutatio, ſemper fieri ex præſuppoſito ſubjecto ſeu materia: creationem autem fieri ex nihilo.

113. Chriſti reſurgentis figura fuit Jonas è ventre ceti prodiens. Figura eximia Chriſti reſurgentis eſt Jonas Propheta, ut ipſe Chriſtus ait Matt. 12. 40. *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus. Sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus,* non quòd tres dies integros & noctes in ſepulchro fuerit, ac tantùm reſurrexerit in fine feriæ 2. ut cenſuit Alcuinus lib. de divinis officiis cap. de Cœna Domini: quod eſt erroneum. Non quòd illi tres dies ſint incipiendi à die Jovis, in quo ſub veſperum inſtituens Euchariſtiam, ſeipſum immolavit per ſacrificium incruentum, ut voluit S. Greg. Nyſſen. orat. 1. & 2. de Reſurr. Sed per ſynecdochen pars diei & noctis pro die & nocte ſumitur. Itaque fuit Chriſtus in ſepulchro, reliquo die Veneris quo paſſus eſt, toto ſabbatho, & initio diei Reſurrectionis: item nocte diei Veneris, Sabbathi, & diei Dominicæ, ſed partialiter, quia Romani à media nocte in aliam dies computabant, ut tradit Macrob. lib. 1. Satur. cap. 3. Gellius lib. 3. cap. 2. Plinius lib. 2. cap. 77. & cæteri. De Jona autem dicitur Jon. 2. 1. *Erat Jonas in ventre piſcis* ceti, ut vertunt Sept. & habes Matt. 12. 40. cenſent Rodeletius lib. 13. de piſcibus, c. 12. Ulyſſes Aldrovandus lib. 3. de piſcib. c. 32. Pineda lib. 4. de rebus Salom. c. 12. & alii fuiſſe piſcem, qui carcharias, & canis, atque ab Italis, Nicandro, & aliis nuncupatur Lamia. Eſt enim carcharias ſeu canis, galeonum omnium maximus, & in ejus ventre ſolidum hominem reperiſſe ſe aſſeruerunt Rondoletio Nicenſes: & hominem loricatum, Maſſilienſes, *tribus diebus & tribus noctibus.* Ubi nota, fuiſſe miraculum. 1. Quòd calore coctionis non fuerit conſumptus. 2. Quid ibi potuerit reſpirare. 3. Quòd non ſit exanimatus odore intolerabili. 4. Quòd ibi mentis fuerit compos. Theophylactus ſic allegoriam exponit: Jonas eſt Chriſtus; navis, Synagoga Judæorum; navarchus, Moſes; nautæ, Prophetæ: mare, afflictiones noſtris peccatis debitæ: ſors voluntas Patris æterni; venter ceti, ſunt ſecreta mortis, ſepulchri, & inferni, in quibus triduo fuit Chriſtus, & poſt triduum inde reſurgens, Gentibus pœnitentiam & Evangelium ſalutis annunciavit per Apoſtolos: tunc venti, id eſt, inſpirationes & tentationes validiſſimæ dæmonum, ſedati ſunt: procellæ voluptatum maris, id eſt, ſæculi, proſtratæ ſunt: pax & tranquillitas corporibus æquè ac animis fidelium reddita, dicente Chriſto: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Verſu 11. dicit: *Et dixit Dominus piſci, & evomuit Jonam in aridam:* quod in ſtomachum immiſimus, inviti evomimus: hâc itaque voce denotatur, ut ait S. Hier. *quod ex imis vitalibus mortis victrix vita proceſſerit.* Singula adaptat S. Auguſt. de ſymbolo ad Catechumenos, c. 6. Miſſus Jonas, ait, ad civitatem Niniven, ut ejus finem prædicaret: miſſus eſt Chriſtus à Patre, ut finem mundi omnibus demonſtraret. 2. Fugit Jonas in Tharſis à facie Domini; fuga Jonæ, velox tranſitus Chriſti, de quo dicit Propheta: Exultavit ut gigas ad currendam viam. 3. Aſcendit navem Propheta fugiens: Lignum Chriſtus aſcendit per mare hujus ſæculi tranſiens. 4. Iruit tempeſtas magna in mari; perturbatio maris, perfidia Judæorum. 5. Data eſt ſors, ut Propheta fugitivus in mare mitteretur: ſors data eſt ſuper Chriſti veſtimenta, ut unitas omni mundo prædicaretur. 6. Projectus eſt è navi in mare Jonas: mors Chriſti in cordibus Gentium collocata eſt. 7. Susceptus eſt à beſtia Propheta cuſtodiendus, non comedendus: audi hîc ipſius vocem Chriſti per ſanctum David. Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. 8. In ventre beſtiæ marinæ poſitus oravit Jonas ſanctus: in inferno Chriſtus deſcendens mortuos ſuſcitavit. 9. Tertio die Propheta litori incolumis eſt redditus: die tertio Chriſtus de ſepulchro ſurgens ſuper cælos eſt exaltatus. 10. Ad prædicationem Jonæ Prophetæ per pœnitentiam ſalvata eſt civitas: per Chriſti prædicationem ſancta Jeruſalem redempta eſt civitas.

Comparatur etiam Chriſtus reſurgens vermi matutino hederam Jonæ erodenti. Non enim tantùm à morte ſurrexit, ſed ipſam mortem occidit, 114. 2. Vermis hederam erodiens.
Jonæ 4. 7. de illo vermiculo habes: *Paravit Deus vermem* (erucam, ut cenſet Theophylactus: teredinem, ut Arias: vermem noſtris mordaciorem & voraciorem, fortioremque, ut breviſſimo tempore hederam eroderet) *aſcenſu diluculi* (Chald. ſub aſcenſum auroræ) *in craſtinum: & percuſſit hederam, & exaruit:* producta fuerat hedera nocte, totâ die texerat Jonam, nocte ſequenti ſub finem eroſa eſt à verme, & Sole oriente exaruit: ſic non toto biduo duravit. Sanctus Auguſt. in illud Pſalm. 21. 7. *Ego ſum vermis, & non homo*, ſic ad allegoriam trahit: *Vermis eſt Chriſtus propter humilitatem carnis, fortaſſis etiam propter Virginis partum. Nam hoc animal plerumque de carne vel de quacunque re terrena ſine ullo concubitu naſcitur. Matutinus eſt, quia diluculo reſurrexit.* Nota titulum Pſal. 21. eſſe *pro ſuſceptione matutina.* S. Hieron. vertit, *pro cerva matutina*, in caput 6. Oleæ vertit, *pro cervo.* Suſceptio eſt illa matutina, cùm Chriſtus à Patre æterno ſuſceptus eſt è Limbis deſcendens & in corpus introiens, & quidem valdè diluculo, ut ait Luc. 24. 1. valdè mane, orto jam Sole, ut Marc. 16. 1. manè, cùm adhuc eſſent tenebræ, ut Joan. 20. 1. veſpere luceſcente in prima Sabbathi, id eſt, hebdomadæ. Matth. 28. 1. Suſceptio, inquam, illa matutina, de reſurrectione explicatur à S. Athan. S. Ambr. S. Baſil. aliiſque Patribus. Tunc Chriſtus ſimilis fuit cervo agili ætatem renovanti, ſerpentium hoſti, ad aquæ fontes currenti, &c. Vide Pſal. 41. ℣. 1. Alii vocem אילת *aieleth*, reddunt ſtellam. Muiſius vertit, *præcentori ſuper ſtellam matutinam.* Chriſtus autem eſt Lucifer, qui oritur in cordibus noſtris, & in reſurrectione ortus eſt mundo. Vide Pſal. 21. in explicatione tituli.

Itaque

115. 3. Sol reſurgens ex Oceano.

Itaque illuſtriori comparatione Chriſtum reſurgentem confert Soli ex Oceano renaſcenti, & Jonæ hederam areſacienti in ipſo ſuo exortu, id eſt, legis veteris umbras diſcutienti, & lucem veritatis hominibus reddenti. Zachar. 3. 8. *Ecce ego adducam ſervum meum Orientem*, in nativitate: & in ipſa morte glorioſiùs orientem per reſurrectionem. Hebr. eſt צמח *ſemah*, germen, ſurculus quod per metatheſim eſt משיח *maſia*, Meſſias: nam ſade & ſchin ſunt literæ affines, & pro ſ. utraque ſæpiſſimè ponitur. Chriſtus in reſurrectione eſt germen, ſed germen ſolare, Sol germinans, & germinare Apoſtolos faciens. Arabs vertit: *Ecce ego aſcendere faciam ſupra ſervum meum illuſtrationes.* Clemens Alex. in Protrept. *Fiunt*, ait, *omnia lux, quæ ſopiri non poteſt: & occaſus credidit Orienti, neque illuſtratus luce fidei, ac ipſe Oriens. Omnia enim obequitat Sol juſtitiæ: Is occaſum traduxit in orientem, fecit æquè ſplendentem, utpote in quo non occiderit lux fidei, imò orta fuerit:* ſic ipſe.

Illuſtris eſt locus Abacuc. 3. 4. *Splendor ejus ut lux erit.* Chald. habet. Splendor ejus ut *ſplendor primogenitus* apparuit, de fama Chriſti S. Auguſt. lib. 18. civit. c. 35. exponit: de radiis ejus mentes illuſtrantibus, imò & de corporis fulgore malim explicare. *Cornua in manibus ejus*, Dei dantis legem in Sina, unde Moſes legem illam accipiens factus eſt totus lucidus: de Chriſti cruce cornua illa, id eſt, robur ad dæmones aliósque hoſtes ſuperandos, rectè exponunt S. Hieron. S. Auguſt. Euſeb. lib. 6. demonſtrat. Evang. cap. 15. S. Cypr. lib. 2. contra Judæos c. 21. in manibus crucifixis & clavos & cornua habentibus fuit illa fortitudo; ſed longè magis in manibus reſurgentis, ubi cornua, id eſt, radii lucis in formam cornu è ſtigmatibus ſacris manus erumpentes, emicant. Aptiſſimè ad hoc illuſtrandum afferetur Pagnini & Vatabli verſio, *ſplendores de manu ejus fuerunt ei*, & Chald. *Scintillæ à quadriga gloriæ ejus prodiêrunt.* Quadriga gloriæ Chriſti reſurgentis ſunt quatuor dotes corporis glorioſi: nempe agilitas, ſubtilitas, impaſſibilitas, & ſplendor lucis ſeu claritas. Pergit Abacuc: *Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus.* Tigurina editio habet, *ibi* (in illo ſplendore, in cornibus & manibus) *latibulum fortitudinis ejus*: quod aptè de paſſione dicitur, ubi latuit illa fortitudo, neque eſt ab ipſis Apoſtolis fugientibus agnita, ad reſurrectionem verò facit Vatabli verſio, *ibi fuit revelata & delecta fortitudo ejus, quæ prius erat abſcondita*: fortitudinem illam interpretatur S. Cyr. in catena, Chriſtum. Sept. vertunt, *poſuit dilectionem robuſtam fortitudinis ſuæ.* Hanc dilectionem Chriſtus declaravit in reſurrectione, quærens oves errantes huc illuc, fratrum appellatione compellans, verbis ſuaviſſimis recreans, fontem amoris aperiens cor ſuum; jubens Thomæ, ut in illud manum ſuam immittat: inde ſcilicet robur tracturus, ſicut etiam in cornua, quæ erant in manibus ejus: & cornua erant lucis ad illuſtrandum bonos operibus ſuis, & cornua roboris ad hoſtes proterendos.

114. [illegible]

Sequitur verſu 5. *Ante faciem ejus ibit mors*, ipſum fugiens. Hebr. eſt דבר *deber*, id eſt, peſtis, & mors inde conſequens. Chriſtus ipſi morti inſultans ait: Oſeæ 13. 14. Ego mors tua, ô mors! Septuag. verò & Theodotio legerant, דבר *dabar*, id eſt, verbum, & verterunt: *Ante faciem ejus erit verbum*, id eſt, prædicatio Evangelica, quâ de morte & dæmone triumphavit, dicens Apoc. 1. 18. *Habeo claves mortis & inferni*, ut inde egrediar ad libitum, & dejiciam illuc, quos cupiam.

116. 4. Phœnix è ſuis cineribus renaſcens.

Phœnici renaſcenti hæc quoque Chriſti regeneratio in reſurrectione commodè confertur, Jobi 29. 18. *Dixi, in nidulo meo moriar, & ſicut palma* (Tertull. de Reſurr. cap. 13. Sicut Phœnix) *multiplicabo dies.* Et Pſal. 91. 13. ubi legimus: *Juſtus ut palma florebit*, Tertull. etiam legit: *Florebit velut Phœnix.* De illa ave ait Mela lib. 3. cap. 9. *Putreſcentium membrorum tabe concreſcens, ipſa ſe concipit, atque ex ſe rurſus renaſcitur.* Et S. Cyr. Jeroſ. catech. 18. ex S. Clement. Romano lib. 5. c. 6. Narrant, ait, avem quamdam eſſe unigenam, quæ Reſurrectionem optimè demonſtrat. Hanc dicunt non maritari, & unicè atque ſolitariè gigni: Phœnicem vocant. Qui etiam narrant quingenteſimo quoque anno in Ægyptum ad aram Solis, quam vocant, cum multo cinnamomo & Caſſia, ac Xylobalſamo volare, & ſtantem ad Orientem Solem, ut ajunt, precari & ſponte incendi, atque in cinerem redigi: ex cinere autem vermem renaſci, atque ex eo tepefacto formari novum Phœnicem, &, cùm factus eſt volucris, ferri in Arabiam. Ita ibi. Adde ex Lactantio, Phœnicem in palma nidum ſibi conſtruere, Solem orientem venerari, cantare, mori, renaſci.

Quòd ſi dixeris allata de Phœnice eſſe fabuloſa, cum nulla talis ſit avis, de palma ipſa textum accipe. In nidulo ſuo Chriſtus eſt mortuus, nempe in cruce: & per reſurrectionem multiplicat dies, *ſicut palma.* Sept. vertunt: *Sicut truncus palmæ, multa vivam tempore*: vivit Chriſtus, & vivet in æternum, & vivet ſicut palma, ſemper Victor, ſemper Triumphator: Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat, ut eſt inſculptum nummis aureis regum noſtrorum. In aliis etiam arboribus, poſt hyemem flores, & folia, ac fructus emittentibus, typus eſt reſurrectionis.

117. Omnes Chriſti excellentiæ fundantur in eo, quòd ſit Filius Dei. Inde enim eſt: Primò, ſummus Pontifex.

Nota: Fontem & radicem omnium Chriſti privilegiorum eſſe, quia eſt Filius Dei. Vocatur Rex, verſu 6. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo. Hoc habet, (ſive loquaris de regno ſpirituali, id eſt, ſummo Sacerdotio, ſive de temporali) quia eſt Filius Dei.

Primò, Chriſtus eſt ſummus Pontifex, quia eſt Filius Dei, Hebr. 5. 4. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem: ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit*, (ἐδόξασε, glorificavit) *ut Pontifex fieret: ſed, qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu.* Ipſe eſt Primogenitus in multis fratribus, Rom. 8. 29. Id eſt, inter omnes fideles, Sanctos, amicos & electos. Dicitur autem Primogenitus: Primò, quia eſt Filius Dei naturalis, cùm cæteri ſint tantùm adoptivi. Secundò, quia ante omnes prædeſtinatus fuit Chriſtus ad hanc filiationem, & unionem cum Verbo, & conſequenter ad omnem ſuam gratiam & gloriam. Tertiò, quia Chriſtus finis, ſcopus, & exemplar fuit, & eſt omnium prædeſtinatorum & electorum, ut docet ex hoc loco aliiſque S. Auguſt. l. de præd. Sanctorum c. 15. Ita Cornelius.

Primogeniti in lege naturæ erant ſacerdotes.

Nota, Pererius in Geneſim octo primogeniti prærogativas afferens, primam recenſet ſacerdotium. In lege naturæ primogeniti in ſingulis familiis erant ſacerdotes; in lege autem Moſaica, pro omnibus primogenitis populi Iſraël, Levitis data eſt dignitas ſacerdotalis. Num. 3. 12. apud eos autem primogeniti parentibus in Pontificatu ſuccedebant, ut patet Num. 20. 28. & docent S. Hieron. S. Eucherius c. 44. Rupertus & Abolenſis. Hinc Hebr. 12. 16. Eſau vocatur profanus, quia vendiderat primogenituram, cui erat annexum ſacerdotium: & ideo ſimoniacum fuiſſe multi putant, negat Cajetanus & Suares.

De ſacerdotio autem primogenitorum ſic ait S. Hieron. epiſt. 126. ad Evagrium: Tradunt Hebræi, quòd uſque ad ſacerdotium Aaron, *omnes primogeniti* ex ſtirpe Noë, cujus ſeries & ordo deſcribitur in Scriptura, fuerint Sacerdotes, & Deo victimas immolarint: & hæc eſſe primogenita, quæ Eſau vendiderit fratri ſuo Jacob: Ita ibi. In traditionibus autem Hebraicis dicit, illos primogenitos habuiſſe veſtem ſacerdotalem, quâ induti Deo victimas offerebant. S. Eucherius tradit ex Hebræis, hâc veſte Jacob indutum à patre ſuo benedictionem fuiſſe ſuffuratum, Gen. 27. 15. Quomodo autem Chriſtus fuerit Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, dicetur Pſ. 109. 4.

118. Secundò, Rex.

Secundò, Chriſtus Rex fuit, quia Filius Dei. Galat. 4. 7. *Si Filius, & hæres per Deum.* Multi etiam vivente patre reges proclamantur, ut Salomon Davidis juſſu unctus eſt in regem à Sadoc ſacerdote, cùm eſſet annorum viginti expletorum, ut Torniellus, Gordonus, & Salianus docent. Amor paternus maximè enituit in Ptolomæo Lagi filio, pri-

mo

mo Ægypti Rege poſt mortem Alexandri. Cùm enim adhuc proſperâ uteretur valetudine, non ſolùm regno ceſſit minori natu filio, ſed etiam cum illo tanquam ſtipendia faceret, inter vigiles ejus fuit: majori affectus gaudio, quòd Regis pater, quàm quòd ipſe Rex eſſet: item Artaxerxes Darium filium adhuc vivens regem conſtituit contra Perſarum conſuetudinem.

Mirus amor Ariobarzanis erga filium.

Illuſtre eſt, quod Valer. Max. l. 5. c. 7. refert de Ariobarzane, qui filio ſuo Cappadociæ regnum ceſſit, in conſpectu Cn. Pompeji: cujus cùm ipſe tribunal conſcendiſſet, invitatúſque ab eo in curuli ſella ſediſſet: poſtquam filium in cornu ſcribæ humiliorem fortuna ſua locum obtinentem conſpexit, *non ſuſtinuit infra ſe collocatum intueri; ſed protinus ſella deſcendit, & diadema in caput ejus tranſtulit: hortarique cepit, ut eò tranſiret, unde ſurrexerat.* Exciderunt lacrymæ juveni, cohorruit corpus, delapſum diadema eſt: nec quò juſſus erat, progredi potuit: quodque penè fidem veritatis excedit, lætus erat, qui regnum deponebat: triſtis, cui dabatur: nec ullum finem tam egregium certamen habuiſſet, niſi patriæ voluntati authoritas Pompeji affuiſſet. Filium enim & regem appellavit, & diadema ſumere juſſit, & in curuli ſella conſidere coëgit. Hæc ibi.

Epiſcopi cujuſdam generoſum & ingenioſum factum.

Si tantus in rivulis amor exuberat, quid erit in illo fonte inexhauſto Divinæ charitatis? Cùm ipſe Pater æternus Matth. 17. 5. teſtetur: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Lepidum & utile eſt, quod memorat Sozom. l. 7. hiſt. c. 6. Epiſcopis, qui Conſtantinopoli verſabantur, palatium Theodoſii Imp. ſalutandi gratiâ, ut moris erat frequentantibus: etiam ſenex quidam cum his unà veniſſe dicitur, ignobilis oppidi ſacerdos, ſimplex ac nullo rerum uſu tritus, ſed in divinis apprimè cordatus. Cùm autem cæteri candidè admodum ac religiosè Imperatorem ſalutâſſent, etiam ſacerdos ſenex ipſum ſimiliter ſalutavit: filio autem Imperatoris, qui patri aſſidebat, æqualem honorem non exhibuit, ſed propiùs accedens, veluti puero, χαῖρε τέκνον, *ſalve fili*, ait, ſimúlque caput illi digito demulcebat. Commotus igitur irâ Imperator, & quaſi injuriam filio factam indignatus, quem ille non æqualiter honorâſſet cum patre, foràs exturbari cum contumelia ſenem juſſit. Ille verò, cùm raptaretur, converſus clamavit: *Ad hunc modum, Imperator, exiſtima, cæleſtem quoque Patrem excandeſcere in eos, qui Filium cum Patre*, ἀνομοίως τιμῶντες, *non æqualiter honorant, genitore inferiorem nuncupare audent.* Delectatus hoc dicto Imperator, ſenem revocat: & veniam precatus, verè illum locutum eſſe confitetur. Firmior itaque factus, eos qui ab hoc diverſum ſentirent, non admiſit: contentiones etiam & conventiones in foro habere vetuit: &, ut de eſſentia ac natura Dei, more ſolito, diſputare tutum deinde non eſſet, effecit: lata in eam rem lege, & conſtituta pœna.

119. Tertiò, Chriſtus eſt legiſlator, quia Filius.

Tertiò, legiſlator Chriſtus eſt, quia Filius Dei. Unde cùm David dixiſſet ℣. 6. Prædicans præceptum ejus, ſubtexuit ℣. 7. Filius meus es tu, & Marci 9. ℣. 7. Apoſtolis tribus, nempe Petro, Jacobo, & Joanni, in monte Thabor transfiguratum JEſum contemplantibus, de nube Pater æternus inſonat: *Hic eſt Filius meus chariſſimus, audite illum.* Et Matth. 17. 5. ubi noſter interpres vertit: *Hic eſt Filius meus dilectus.* (Syr. habet, dilectiſſimus) additur, *in quo mihi complacui, ipſum audite.* Non Moyſem, cujus lex jam evaneſcit, ſed hunc Filium meum legis gratiæ inſtitutorem, ac verum & perfectum legiſlatorem. Tertullianus, S. Leo, S. Damaſcenus docent hic declarari legis veteris abrogationem, & novæ inſtitutionem. Sed ex Suare & aliis docui, non obligâſſe legem gratiæ niſi in Pentecoſte, cùm ſolemniter & publicè eſt promulgata. Huic tanto Doctori & legiſlatori Chriſto utraque auris mentis, nempe voluntas implendi præcepta, & voluntas ſequendi conſilia, eſt adhibenda, ut perfectè audiatur: item uterque oculus, tum ut ipſum, tum ut leges ejus cognoſcamus: duo etiam pedes, ut nunc ad eum nunc ad proximum curramus: manus quoque ambæ, ad extirpanda vitia, & plantandas virtutes: denique duo labia, ut eum oſculemur, cognoſcendo atque amando veritatem. S. Bern. illud cap. 1. Cant. ℣. 1. Oſculetur me oſculo oris ſui, explicans, ſic ait: *Os Patris, intelligitur Filius. Ex hujus oſculi impreſſione ſuſcipit anima rationalis ab ipſo Sponſo ſuo Verbo Dei, cognitionem & amorem veritatis: quæ duo quaſi labia imprimit ei ipſa Dei virtus & Dei ſapientia. Siquidem ſapientia cognitionem, virtus confert amorem. Habet & ipſa anima ſimiliter duo labia, quibus oſculatur Sponſum ſuum, id eſt, rationem & voluntatem. Rationis eſt, percipere ſapientiam voluntatis, virtutem. Si ſola ratio percipiat ſapientiæ cognitionem, & voluntas non habet virtutis amorem, non eſt plenum oſculum. Aut ſi ſola voluntas obtineat amorem, & ratio minimè percipiat cognitionem, nihilominus eſt ſemiplenum. Tunc verò plenum & perfectum eſt: quando & ſapientia illuſtrat rationem, & virtus efficit voluntatem.* Legiſlatores terreni legem ſancire poſſunt: ſed neque intellectum ad eam percipiendam illuſtrant, neque voluntatem ad amandam inflammant, neque ad illam opere explendam juvant. Sed legifer noſter Dei Filius abundè hæc præſtat omnia.

Quartò: Chriſtus eſt Judex omnium, quia eſt Filius Dei: unde Propheta noſter, poſtquam dixit, eum eſſe Filium & Hæredem omnium populorum, ſubdit verſu 9. Reges eos in virga ferrea. Joan. 5. 22. dicitur: *Omne judicium dedit Filio.* Eſt ſecundum argumentum, quo Chriſtus probat ſe eſſe Deum, ut ait S. Chryſoſtomus & S. Cyrillus. Data eſt etiam illi, ut homini poteſtas judicandi viſibiliter, Hebr. 10. 42. *Qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum.* Vide dicta Pſal. 71. 5. *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam Filio Regis*, ubi Chald. vertit: *Deus ſententiam judiciorum tuorum da Regi Chriſto, & juſtitiam tuam Filio Davidis Regis:* id eſt, Meſſiæ, qui & David, & Filius Davidis vocatur in Scriptura. Hoc judicium (id eſt, judicandi poteſtatem) datum Chriſto, cùm carnis humanæ ſubſtantiam aſſumpſit, dicit in comm. S. Chryſoſt. & probat ex Pſalmo noſtro: *Poſtula, &c. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos:* dicitque vaſis confractionem eſſe extremam damnationem. Ibi enim, ait, per judicii ſeveritatem quicunque confringitur, nequaquam ulteriùs per pœnitentiæ remedium reparabitur. 120. Quartò, Judex.

Ex his etiam ſequitur, eſſe miſſum Angelis majorem. Si enim, ait Paulus 1 Cor. 6. 3. *Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus?* Malos judicio condemnationis, ut explicat S. Chryſoſt. & S. Anſel. bonos etiam judicio approbationis & laudis, ut Cornelius. Si id, inquam, Sancti præſtabunt, quid faciet Chriſtus? Hebr. 1. Fusè major Angelis eſſe probatur, præſertim ob nomen Filii, verſ. 4. *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius* (Gr. διαφορώτερον, excellentius, præſtantius à vulgari, appellatione magis diſtans) *præ illis nomen hæreditavit*, κεκληρονόμηκεν, ſortitus eſt, ſorte accepit, id eſt, hæreditate. Per ſortes enim hæreditas dividebatur inter hæredes, ut nunc ſæpe fit, priùs ad æqualitatem partibus omnibus diſtributis. Citat deinde Apoſtolus locum Pſalmi noſtri. S. Chryſoſt. hom. 2. in Epiſt. ad Hebr. *Quia*, inquit, *eſt natura Filius, ideo Angeli illi, ut Domino famuli ſervierunt.* Et quidem concipiendum Mariæ nunciant, natum paſtoribus prædicant, ab Herode quæſitum in Ægypto ſervandum Joſepho ſignificant, victori in deſerto miniſtrant: in paſſione, ſi optaret, innumera multitudine adeſſent, reſurgentem honorant & laudant, aſcendiſſe in cælum Apoſtolis nunciant poſt pompam illi exhibitam: in omnibus ſunt adminiſtratorii ſpiritus, ipſe verò eſt Dominus. Unde Hugo à S. Victore quæſt. 16. in epiſt. ad Hebr. *Angelus*, ait, *nomen eſt officii, ut miles: Chriſtus verò, Filius eſt.* Hoc nomen omnia complectitur. Filius, ἀπὸ τῆς φιλίας, id eſt, ab amore dicitur, amor autem omnia ſua in amatum effundit. Themiſtius lib. de moder. affect. rectè docet, *liberorum amorem* ἄνωθεν φύσει ἐνδίδοσθαι, *cælitus natura alligatum eſſe*, & plane, χρυσῆς καὶ ἀῤῥήκτου σειρᾶς, ab aurea illa

in-

infractaque catena pendere, quam natura perpetuò contexens, & obeuntibus naſcentia conjungens, ne in nihilum relabatur, ſibi ravit. Jam audivimus poſt Baptiſmum Chriſti cœleſtem Patrem apertis cœlis, velut theſauris ſuis, intimantem, Matth. 3. 17. *Hic eſt Filius meus dilectus.* Hunc amorem perfectum habebat: unde dicebat, Joan. 3. 35. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manibus ejus:* ut ea ſcilicet conſervet, vel abjiciat: arbitrio ejus ac poteſtati tum corporea, tum ſpiritualia ſubdidit, omneque ſuum dominium in creaturas ad ea, quæ gratiam & naturam ſpectant: idque non tantùm ut Deo, ſed etiam ut homini. Tanquam Deus, ait Euthym. omnia habebat, (omnia ſiquidem per ipſum facta ſunt) hoc tamen etiam dedit ei, tanquam homini. Convenienti autem modo dictum eſt, diligit & dedit: ſicut inter homines dicitur. Solent namque Patres diligere filios; eiſque tradere, quæ ſua ſunt. Ita ipſe. Per ipſum etiam ſumus filii adoptivi, Jacobi 1. 18. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.* Joan. 1. 12. *Dedit poteſtatem filios Dei fieri.* Vide dicta, Pſal. 81. 6. *Ego dixi, Dii eſtis, & filii Excelſi omnes:* ne humi ſerpatis, excelſa eſt veſtra hæreditas: cùm Pater veſter ſit in cœlis, & Altiſſimus ſuper omnem terram, eam calcat: eſt enim ſcabellum pedum ejus, thronus ejus in cœlo eſt, & lucet ſicut Sol & ſicut Luna perfecta: nihil ad illum intrat coinquinatum & lutoſum: luce carentibus dicitur: Neſcio vos, filios tantùm lucis agnoſcit, cùm habeat oculos lucidiores ſuper Solem: non vult in conſpectu ſuo habitare malignum, id eſt, malè ignitum, & fumo tenebroſo circundatum.

ARTICULUS IV.

Chriſto datus eſt univerſus Orbis in hæreditatem: itaque ejus Eccleſia eſt Catholica, id eſt, univerſalis.

VERS. 8. 121. *Chriſtus eſt hæres bonorum Patris æterni.* — Vidimus primò, Chriſtum eſſe Regem totius Mundi. Secundò, eſſe Legiſlatorem univerſalem legis gratiæ. Tertiò eſſe Filium Dei. Quartò, conſequens eſt, ut Patris bonorum ſit Hæres. Hoc dicit Pater ipſe æternus, & totam hæreditatem offert. Verſ. 8. POSTULA A ME, ET DABO TIBI GENTES HÆREDITATEM TUAM, ET POSSESSIONEM TUAM TERMINOS TERRÆ. Nota, hæreditas ab hærendo dicitur: (*Hæreditas unde dicatur?*) quia eſt ſtabilis magis quàm alia bona, & in eadem familia perſtat. Vel, quòd, qui hæres eſt, hæret, id eſt, proximus eſt illi, cujus eſt hæres. Alii ab herus deducunt, & per e ſimplex ſcribunt, quòd dominium obtineat bonorum, quæ ad eum veniunt. Feſtus docet, priſcis heredem dici dominum. Unde Juſtinianus dicit tit. de hered. qualit. & differ. Pro herede gerere, eſt pro domino gerere. Poſſeſſio autem derivatur à pos, id eſt, potens: & ſeſſio. Nam poſſidere dicitur is, qui poteſt in aliqua re ſedere, hoc eſt, ſedem atque habitationem conſtituere. Vel à pes & ſeſſio, quòd is poſſideat, qui pedem ſtabilem in aliquo loco poſuit. Nota ſecundò, gentes ac terminos terræ dici hæreditatem & poſſeſſionem Chriſti, quia duplici titulo illos habet. Primò, quia Filius eſt in omnia paterna bona admiſſus ob unionem hypoſtaticam. Secundò, quia laboribus ſuis & obedientia uſque ad mortem illos acquiſivit, expulſo inde diabolo invaſore. Primum, eſt hæreditas. Secundum, eſt poſſeſſio. Nota tertiò, Hebr. נחלה *nahala*, hæreditas, quidam cenſent deduci à *nahal*, torrens: quòd recto curſo derivetur ad filios, ſicut torrens alveo ſuo defertur, neque extra illum egreditur. Sed vide terrenas hæreditates eſſe torrentes, qui, niſi provideatur, mentem rapiant, & citò exſiccentur. Pro *poſſeſſio* autem in Hebr. eſt אחזה *ahuzza*, ſic dicta, quòd, qui illam habet, eo teneatur in loco, ut ait Pagninus: vel potiùs, quòd, qui illam habet, eam apprehendat ac teneat. Rad. *ahaz*, apprehendere, tenere. Tene tu poſſeſſiones tuas, & cave, ne ab iis tenearis, & ibi radices agas, ut duo ſocii Luciani à viribus arrepti, quæ à renibus ſurſum erant virgineâ formâ, ut ipſe fingit in vera, id eſt, ficta hiſtoria.

122. Quæres primò: Quænam ſint gentes illæ Chriſto promiſſæ? Reſpondeo primò, eſſe Gentiles & Judæos, unde Arabs vertit *populos*, voce autem illa ſæpè Judæi denotantur: atque initio Pſalmi noſtri S. Hier. & S. Athan. dicunt, populos & gentes eſſe ſynonima, in hoc tamen ab illis diſſentio, ut dixi ibi. Reſpondeo ſecundò, præcipuè Gentiles intelligi, ut patet, cùm ſtatim promittantur termini terræ, id eſt, homines habitantes in extremitate totius Orbis. Eſt metonymia. Nam, ut ait ipſe Pater æternus Filio, Iſaiæ 49. 5. *Parum eſt mihi* (Hebr. נקל *nakel*, leve, vile, contemptibile, indecorum, ignominioſum) *ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Jacob*, duas tribus: nempe Juda & Benjamin, *& fæces Iſrael convertendas:* id eſt, regnum Iſraël corruptiſſimum ob permixtionem idololatrarum. Nam Salmanaſar Rex Aſſyriorum abductis Iſraëlitis, id eſt, decem tribubus in captivitatem, & relictis tantùm ibi paucis pauperibus, & viliſſimæ ſortis hominibus, miſit de Babylone, de Cuta, de Avah, de Emath, & de Sepharuaim colonos, qui poſſiderunt Samariam, & habitaverunt in urbibus ejus. 4 Reg. 17. 24. Hi ſunt fæces permiſtæ, ſinguli enim habebant ſuum idolum ℣. 29. & ſeq. Si placet inſiſtere voci Hebr. *neſure*, ſignificat relictos & ſuperſtites: tum in illa clade Salmanaſar, tum è clade per Titum & Veſpaſianum illata, poſtquam fuêre hactenus Judæi fæces omnium nationum, à quibus velut Orbis quiſquiliæ & purgamenta contemnuntur. Pergit Deus: *Ecce, dedi te in lucem gentium:* ut ſis lumen ad revelationem, id eſt, illuminationem Gentium, ſicut vidit Simeon Lucæ 2. 32. Statim atque ortus eſt Sol juſtitiæ, quem Zachar. pater S. Jo. Bapt. Luc. 1. 78 ſimpliciter vocat Orientem ex alto; nunquam enim occidit: *ut ſit ſalus mea*, à me data. Sept. ut ſit in ſalutem, *uſque ad extremum terræ:* ut tota terra, & qui in ea ſunt abjectiſſimi & extremi, illa percipiant; priùs paſtores illa lux circumfulſit quàm principes, & ab Oriente remotos reges vocavit, ut & proximos & remotos illuminaturus videretur. S. Hier. in Iſaiam: *Volo*, ait, *ut ſalus mea in univerſum Orbem occupet.* (*Gentiles ſunt præcipuè Chriſti hæreditas.* — *Probatur primò.*)

Iſaias converſionem gentium prædicaturus, ſilentium poſtulat, ut tanta res benè percipiatur, cap. 41. 1. ſic incipit: *Taceant ad me inſulæ*, id eſt, inſulani per mare diſperſi & remotæ nationes. Hebræi enim vocant inſulas, regiones trans mare poſitas, ut Italiam, Galliam, Hiſpaniam, &c. Licèt ſint terra continens, *& gentes mutent fortitudinem*, &c. Rationem ſubdit verſ. 2. *Quis ſuſcitavit ab Oriente juſtum, vocavit eum, ut ſequeretur ſe?* Juſtum, interpretatur Abrahamum Cornelius poſt S. Thomam, & Sanctium. Sed ſecundò, meliùs de Chriſto exponit S. Hieron S. Cyr. & Procop. Nam 1. Proœmium illud eſt auguſtius, quàm ut dicenda tantùm conveniant Abrahamo. 2. Quæ ſequuntur, illi etiam non ſatis commodè quadrant, præſertim ℣. 5. extrema terræ obſtupuerunt, &c. pergit Iſaias, *dabit in conſpectu ejus Gentes, & reges obtinebit: dabit quaſi pulverem gladio ejus*, verbo Dei contritis cordibus & idolis, *ſicut ſtipulam vento captam arcui ejus.* Quòd autem hæc victoria Chriſti ſit ſuavis & pacifica, patet ℣. 3. *Perſequetur eos, tranſibit in pace.* Vatablus vertit, tranſibit pax. Chriſtus eſt pax noſtra. Epheſ. 1. 14. Evangelium ejus eſt Evangelium pacis, cap. 6. 15. per illud Orbem pertranſit. *Semita in pedibus ejus non apparebit:* tam facilè & celeriter nationes omnes victoriis ſuis pervadet, ut non ambulâſſe, ſed volâſſe videatur, & Solis inſtar in ipſo exortu ſuo terras omnes ſplendore complevîſſe, ut S. Hier. S. Cyr. & Theodor. exponunt. Hinc nomen ei aſſignat idem Propheta cap. 8. 4. Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari. (*Secundò.*)

Alio ſimili fontis, latè ſubjecta omnia irrigantis, Joël Propheta explicat gratiam factam Gentibus, cap. 13. 18. *Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum*, id eſt, vallem plenam ſpinis, atque arboribus, quæ ſpinæ ſimilitudinem referant. Nam Hebr. *nahal*, ſignificat 1. Vallem anguſtam, in qua eſt alveus, quo, tempore pluviæ raptim torrens defertur. 2. Ipſum quoque alveum, & metonymicè torrentem, qui per eum defertur, (*Tertiò.*)

Septuag. vertunt, *torrentem funiculorum*, quod S. Hier. de Chriſto ſic exponit in apologia ad Pammachium pro lib. in Jovinian. Chriſtus Virgo, ait, Mater virginis noſtri, virgo perpetua, mater & virgo, &c. Hortus concluſus, fons ſignatus, de quo fonte ille fluvius manat juxta Joël, qui irrigat torrentem *vel funium, vel ſpinarum:* funium peccatorum, quibus ante alligabamur; ſpinarum, qui ſuffocant ſementem patrisfamilias. Hæc ibi. In Joëlem verò, ſpeciatim de ſpinis agens ſic exponit, ut velut fontem de domo Dei exeuntem, eſſe gratiam Spiritûs ſancti, quæ à Deo promanans, ex terra cordis ſpinas vitiorum evellit, & pro eis virtutes quaſi arbores fructiferas inſerit, ut ſpinas noſtras & vitia atque peccata, quæ nullam frugem habuêre juſtitiæ, commutent in Domini novalia, & ariditatem noſtram rigent aquis largiſſimis, *& pro ſpinis & vepribus flores virtutum multiplices germinemus:* & in eo loco, ubi quondam fornicatus eſt Iſraël, & initiatus eſt Beelphegor, *lilia caſtitatis & roſa pudoris ac virginitatis exuberent.* Hactenus Hieron. Erat autem Beelphegor, ſive Phegor, aut Phogor Deus, quem Latini Priapum vocaverunt. Erat Deus præſes & incentor obſcœnitatis: ſignificat vox Hebr. *Deum deſiderii*, id eſt, concupiſcentiæ. Vel, Deum *nuditatis*, ſeu apertionis. Rad. פער *phagar*, aperire, nudare. Ob pudendam nuditatem & idoli & Sacerdotum in ejus ſacris. Illud idolum adorârunt Iſraëlitæ à Moabiticis & Madianiticis puellis invitati in valle Settim, quæ eſt trans lacum Aſphaltidem in terra Moab. Num. 25. Ad rem noſtram explicat hunc textum Hugo à S. Victore. *Torrens*, inquit, *ſpinarum eſt impetus, fervor & crudelitas Gentium.* Porrò fons de domo Dei egreſſus torrentem ſpinarum rigavit, quando per Apoſtolos & eorum ſucceſſores, Evangelica doctrina gentilem populum à crudelitate convertit, fide initiavit, & ad Baptiſmi gratiam perduxit. S. Greg. Naz. orat. 40. vertit, *torrens juncorum*, & dicit ſanctum Baptiſma, de quo eſt tota illa oratio, eſſe fontem illum mirabilem. Junci medulla carent, inanes ſunt, ad omnem ventum mobiles, in paludibus & lutoſis locis naſcuntur, ad omnia propè inutiles, tales erant Gentiles ante Baptiſmum: poſteà fiunt cedri *Settim*, ut eſt in Hebræo, quæ ſpinæ albæ colore & foliis ſunt ſimiles, & ideò noſter interpres vertit ſpinam, ſpinæ tamen non ſunt: ſed ligna imputribilia, pulcherrima, ſoliditate, firmitate & levitate excellentia: ex quibus facta eſt à Moſe arca fœderis, altare thymiamatis, tabernaculum, aliaque in eo poſita. Factum eſt per Chriſti fontem in gentes effuſum, ut, *ubi abundavit delictum, ſuperabundet & gratia.* Rom. 5. 20. quod dicit Apoſtolus de Judæis occaſione legis datæ peccantibus: ſed poteſt jure potiori applicari gentilibus in omne nefas ruentibus.

123. Chriſtus orat pro hæreditate obtinenda, ob quatuor cauſas.

Quæres ſecundò: Cur Pater æternus velit Chriſtum orare ad habendam illam hæreditatem, quæ ipſi ut Filio debebatur? Reſpondeo cum Suar. 3 parte, quæſt. 21. diſput. 45. eum petiiſſe primò, quia ex divina providentia & ordinatione ita erat præfinitum, converſionem Gentium dandam ejus precibus, & non aliter: ſicut decretum erat, ut moriendo nos redimeret, & ita intraret in gloriam ſuam.
1. Ideò dicit ipſe peregrinantibus in Emmaus Lucæ 24. ℣. 26. Nonne hæc *oportuit* pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Illam rationem etiam
2. affert ſanctus Thomas. Secundò, oravit Chriſtus petendo Gentilium converſionem aliaque, ut orandi nobis daret exemplum, ſicut ait ſanctus Ambroſius in Lucam, S. Auguſtinus tractatu 104. in Joannem, & epiſtola 121. capite 4. S. Damaſcenus libro
3. 3. capite 24. Tertiò, ut oſtenderet ſe eſſe à Deo Patre, ut ait S. Hilarius libro 10. de Trin. *Ut oſtenderet Patrem ſuum eſſe Auctorem, à quo & æternaliter proceſſit ſecundum divinam naturam, & ſecundùm naturam ab eo habet, quicquid boni habet.* Sicut loquitur S. Thomas 3 parte, quæſtione 21. articulo 3.
4. Quartò, Pater invitat ad petendum illam Mundi converſionem, ut denotet deſiderium illam concedendi. *Poſtula à me, & dabo.* Sic Rex noſter invitat Berzellai, à quo adjutus fuerat, cùm fugeret Abſalonem, ut quippiam à ſe poſtulet. 2 Regum 19. 38. Salomon matrem ſuam Bethſabee ad ſe accedentem, in throno jubet ſedere, & quicquid velit poſtulare, ſe daturum ſignificans. 3 Regum 2. 20. Artaxerxes, Perſarum Rex, eadem invitatione ad petendum urget Eſdram Scribam. 1 Eſdræ 7. 21. Iſaias Propheta urget Achaz regem Juda, ut petat ſibi ſignum à Deo. Iſaiæ 7. 11. Zacharias impellit nomine Dei populum ad aliquid ab ipſo poſtulandum. Zachariæ 10. 1. Eſtherem Aſſuerus impellit etiam oblata vel dimidia regni parte, ſi poſtulet. Eſth. 5. 3. quod promiſit Herodes Antipas filius Aſcalonitæ ſaltatrici Herodiadi. Matthæi 7. ℣. 7. Et Chriſtus indignans, aut potiùs amicè conquerens & adhortans, ait diſcipulis, Joan. 16. 24. *Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum;* cùm ſcilicet ea, quæ petieritis, à Patre & à me impetrabitis, ut Toletus, Janſen. & Ribera explicant.

Nota primò: In Chriſtus fuit virtus religionis. 124. In Chriſto fuit virtus religionis.
Nam, ut ait Suares, cùm ut homo fuerit non ſolùm ſubjectus, ſed etiam ſervus: atque ad officium ſervi pertineat, cultum & reverentiam Domino exhibere; conſequens neceſſariò fit, Chriſtum ut hominem perfectiſſimè obſervâſſe hoc officium erga Deum: atque adeò cultum Deo debitum, ſcilicet latriæ & religionis illi exhibuiſſe, unde Matthæi 4. & Lucæ 4. tam de aliis, quàm de ſeipſo generalem ſententiam protulit, dicens: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies; & Joannis 4. Vos adoratis, quod neſcitis, nos adoramus, quod ſcimus. Itaque, non eſt dubium, quin virtus religionis verè & propriè in Chriſtum conveniat. Cùm verò hæc virtus plures actus habeat, duo tamen ſunt præcipui, ad quos cæteri revocantur: nempe oratio & ſacrificium.

Nota ſecundò: Tribus modis poſtulavit Chriſtus pro nobis, voce, opere, ſuæ humilitatis repræ- 125. Chriſtus pro nobis oravit tribus modis.
ſentatione. Primò, voce, cùm dixit Joannis 17. 9. 1.
Ego pro eis rogo. Secundò, opere, quando mortem ſuſtinuit. Hebr. 9. 15. *Novi teſtamenti Mediator eſt, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis.* 2.
Tertiò, ſuæ humilitatis repræſentatione quotidie interpellat pro nobis, cicatrices Patri oſtendendo. 3.
Unde S. Bern. Securum habes acceſſum, ô homo! ad Deum, habes ante Filium Matrem, Filium ante Patrem. Mater oſtendit Filio pectus, & ubera: Filius oſtendit Patri latus & vulnera. Nulla poteſt eſſe repulſa, ubi tot occurrunt charitatis inſignia. Ita Ugo Card. in pſalmum noſtrum. Oremus itaque, ſi aliquid velimus impetrare. Nam, ut ait S. Thom. hic: Sicut in naturalibus formæ infunduntur ſecundùm diſpoſitionem materiæ: ita Deus gratuita dona largitur, Philipp. 2. 13. *Deus eſt, qui operatur in vobis & velle & perficere:* & ideò vult, ut recipiamus dona petendo & orando. Si autem oremus, dabit; dixit enim Matth. 7. ℣. 7. *Petite, & dabitur vobis*, cap. 21. 22. *Omnia, quæcunque petieritis*, &c. Nihil excipit, itaque ſe per illas aliaſque promiſſiones debitorem facit. S. Aug. in pſal. 83. Debitorem, inquit, ipſe ſe fecit; non accipiendo. S. Fulgent. in præf. lib. 21. ad Nonimum: Seipſum, ait, ſuâ largitate dignatus eſt facere debitorem, & S. Bern. tract. de gratia & libero arbitr. *Juſtum eſt, ut reddat Deus, quod debet: debet autem, quod pollicitus eſt.*

Quæres tertiò: Quàm ampla fuit hæc Chriſti hæ- 126. Chriſti hæreditas eſt totus Orbis.
reditas precibus ejus obtenta? Reſpondeat David: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Sic Pſal. 71. 8. ait: *Dominabitur à mari uſque ad mare.* Chald. ab angulo maris magni, uſque ad angulum maris Oceani. Hebræi vocabant mare magnum, mare Mediterraneum, ad diſtinctionem maris mortui, & maris Tiberiadis ſeu lacus Geneſareth. Similis amplitudo regni Chriſti promittitur Amos 7. 12. Michææ 7. 12. Zachariæ 9. 10. *& à flumine*, Jordane, in quo eſt baptizatus, & Filius Dei proclamatus, Matth. 3. *uſque ad terminos Orbis terrarum.* Hoc obtinuit per prædicationem Apoſtolorum, de quibus Pſal. 18. 5. *In omnem terram exivit ſonus eorum.* Hebr. קום *Kavvam* Linea

eorum,

eorum, ut exponit R. Abraham, id eſt, ſcriptura, q. d. ſcriptura eorum, nempe cœlorum, ubique legitur. Secundò, extenſio eorum, ut R. Salomon, q. d. cœli extenſi ſunt ſuper univerſam terram. Tertiò, ædificium ipſorum, ut R. David in comment. q. d. opus aut effectus cœlorum ac ſtellarum exivit in Orbem terrarum. Quartò, Aquila vertit *κανών*, & ſignificat regulam, normam, amuſſim, funiculum menſorium, perimetrum, ſtructuram ad lineam confectam, directorium, perpendiculum, ſeriem, q. d. Orbis univerſus videt ac miratur cœlorum ſtructuram admirabilem. Quintò, Felix reddit: Exivit curſus eorum, quod & Apoſtolis Orbem decurrentibus aptè convenit. Sept. legebant *Kolam*, ut putat Dulius Rogerius, Nicolaus Ramus, Lindanus, Marcus Marinus, & alii: unde verterunt, ſonus eorum: vel meliùs, ſenſum expreſſerunt, non verba, addit Propheta: *Et in fines Orbis terræ verba eorum*, quod eſt ſimile Pſalmo noſtro. Vide ibi dicta. Magna eſt hæc hæreditas, & Apoſtolus ampliorem adhuc facit, Hebr. 1. 2. *Quem conſtituit heredem univerſorum*, (Jo. 13. 3. dicitur Sciens JEſus, quia omnia dedit ei Pater in manus) *per quem fecit & ſæcula:* id eſt, tempora & omnia temporalia: nempe Mundum & omnia, quæ in Mundo ſunt. Caſſiodorus in Pſ. noſter. Terminos terræ ſic interpretatur: Termini, ait, terræ ſunt, qui tellurem cingunt atque concludunt: ut non ſolum arida, verùm etiam totius aëris circumjecta ſubſtantia, & omnium creaturarum ſignificaretur integritas. Sicut & ipſe in Evangelio ſub brevitate concluſit, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Et Apoſtolus: Ut in nomine JEſu, &c.

127. Itaque hæreditas, & regnum Chriſti, longè ſuperat omnes hæreditates & regna omnium. Tertullianus libro contra Judæos hoc egregiè prædicat: *Salomon, ait, regnavit, ſed in finibus Judæ tantùm à Dan uſque ad Berſabee. Babylonis & Parthis regnavit Darius, non ultra. Ægypti Pharao, ſed illis tantùm. Nabuchodonoſor ab India, uſque ad Æthiopiam habuit regni ſui terminum. Alexander Macedo nunquam Aſiam univerſam, & cæteras regiones, poſtquam devicerat, tenuit. Sic Germani, Britanni, Mauri, Romani, imperia ſua habent terminos. Chriſti autem nomen & regnum ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus Judex, omnibus Deus & Dominus eſt.* Ampla fuit quatuor Clodovæi filiorum hæreditas, cùm in eis florentiſſimum Franciæ regnum diviſum eſt, quod jam latè fuſum multos populos numerabat. Amplior quatuor item filiorum Ludovici Pii poſſeſſio, cùm fines imperii Gallici longè latéque Carolus Magnus in omnem partem protendiſſet. Ampliſſima verò trium Conſtantini liberorum, qui Aſiæ, Africæ & Europæ refertiſſimas, hominumque multitudine maximè florentes regiones inter ſe ſortiti ſunt. Sed longè maxima & admirabiliſſima Semi, Japheti & Chami, quando Japheto tota Europa & pars Aſiæ, Chamo Africa cum parte etiam Aſiæ, Semo reliqua Aſia & America obtigerunt. Sed ſi hæc Chriſti imperio & hæreditati conferantur, mapalis inſtar ac tugurioli contemnentur. Nam & omnium hominum omni tempore exiſtentium Rex fuit, & omnium Angelorum, & terræ ac cœlorum omnium Dominus. Orbem Romanum admiratione complevit Pompeius, eique ob facta ingentia Magni nomen adhæſit, de quo Tullius in Piſon. ſectione 29. *Omnes omnium gentium partes tribus triumphis devicerat*. Quantum imperio adjecerit, docet Plinius libro 7. capite 26. Ex Aſia, inquit, Ponto, & Armenis, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Judæis, Albanis, Iberis, inſula Cretæ, Baſternis, & ſuper hæc de regibus Mithridate atque Tigrane triumphavit. *Summa ſummarum in illo gloria fuit, (ut ipſe in concione dixit, cùm de rebus ſuis diſſereret) Aſiam ultimam provinciam accepiſſe, eandemque mediam patriæ reddidiſſe.* Mediam Colchidem, Meſopotamiam, Phœniciam, Arabiam, & alias gentes addit Plutarchus. Sed quis percenſeat provincias à Chriſto edomitas?

Itaque amplitudo ejus longè ſuperat latitudinem regni Salomonis, Babyloniorum, &c. 1. 2. 3.

Clodovæi filiorum hæreditatem; Ludovici Pii, Et Conſtantini filiorum, ac Noemi.

128. Amos 9. Omnes gentes Chriſto ſubdit, ac primò dicit verſu ſexto: *Qui ædificat in cœlo aſcenſionem ſuam*, ſphæras ſuas, ut vertit Pagninus, gradus ſuos, ut Vatablus, quaſi tabernaculum, ut Arabs, Antiochen. majeſtatem gloriæ ſuæ, ut Chaldæus. Id convenit Chriſto in cœlum aſcendenti, eique attribuit R. Haccados apud Galatas libro 7. capite 15. Via, ait, aquilæ in cœlis, eſt Rex Meſſias, qui poſt paſſionem ſuam aſcendet in cœlum, ſicut dictum eſt Amos 9. Qui ædificat, &c. in Hebr. eſt aſcenſiones; & tropologicè, ſunt viri ſancti, quos in Eccleſia ſua poſuit Chriſtus, qui tanquam virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris continuò in cœlum aſcendunt, à Sole juſtitiæ elevati, & ponentes aſcenſiones in corde ſuo: per amorem in cœlo habitantes, & creſcentes de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion: *Et faſciculum ſuum ſuper terram fundavit*. Chald. ad rem noſtram aptiſſimè reddit: Et Eccleſiam ſuam in terra decoravit. Arabs Alexand. pactum. Arab. Antioch. præparationem. Per faſciculum rectè accipies legem, quæ non tantùm dicitur à legendo, quòd omnibus legeretur, ut eſſet nota; ſed etiam à ligando, id eſt, obligando: ad literam Vatablus, Clarius, Lyranus, & Cornelius faſciculum cenſent eſſe colligationem trium elementorum: nempe ignis, aëris & aquæ, quæ in terra quaſi baſi & centro fundata ſunt. Malim dicere, intelligi omnes creaturas in terra exiſtentes, homines ſcilicet, animalia, arbores, plantas, flores, cæteraque à terra ſuſtentata, & in eo radicata, quæ cum terra colligata faciunt faſciculum in odorem ſuavitatis, & globum, quem tribus digitis Deus ſuſtentat. Hebr. אגודה *agudda* ſignificat aggregationem, congregationem, colligationem, faſcem, faſciculum, conglobationem, globum, turbam, turmam. Vox autem Latina faſciculus eſt etiam idem quod *ὀσφραντήριον*, olfactoriolum, id eſt, faſcis aromatum & florum: ut ſumitur Cant. 1. 12. *Faſciculus myrrha Dilectus meus mihi* Mundus enim hic totus ob pulchritudinem ſuam, & præcipuè Eccleſia ob virtutum odorem eſt viciſſim Sponſo faſciculus myrrhæ & omnis pulveris pigmentarii. S. Hier. in Amos: Faſciculus, inquit, una Domini religione conſtrictus eſt: unde & ipſa *religio à religando*, & in faſcem Domini vinciendo nomen accepit.

Amplitudinem regni Chriſti declarant Prophetæ. Primò.

Pergit Amos ad rem accommodatius ỳ. 11. *In die illa ſuſcitabo tabernaculum David, quod cecidit*, id eſt, regnum Davidis: nempe, domum ejus regiam, palatium & thronum regium *erigam*, ut vertit Syrus: reſuſcitabo, ut Sept. reædificabo, ut S. Jacobus Act. 15. 16. Illud tabernaculum Davidis eſt primò Chriſti corpus quod reſuſcitatum eſt, ut S. Cyr. lib. 4. in Joan. 2. 19. explicat: ſecundò, Eccleſia ejus: *Et reædificabo aperturas murorum ejus*, per tot incurſiones Iſraëlitarum, Syrorum, Philiſthinorum, Ægyptiorum, Idumæorum, Moabitarum, Aſſyriorum, Babyloniorum, & aliorum: *Et ea quæ corruerant, inſtaurabo*, collapſa per hæreſes, ſchiſmata, & varia ſcelera: *Et reædificabo illud ſicut in diebus antiquis:* tempore Davidis atque Salomonis, ante ſchiſma Jeroboami & decem tribuum: *Ut poſſideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eò quod invocatum ſit nomen meum ſuper eos:* id eſt, eò quòd vocentur Chriſti grex, populus, Eccleſia: & Chriſtus vocetur eorum pater, protector, paſtor, rex & gubernator. Nota, Idumæa ponitur ſynecdochicè pro quibuslibet provinciis idololatris, & à Chriſti cultu averſis: unde ſubditur explicationis gratiâ, *& omnes nationes*. Nota ſecundò, Idumæa ſignificat ſanguineam, à rad. דם *dam*, ſanguis: vel terrenam, à rad. אדמה *adama*, terra. Sic eſt commodus typus totius regni diaboli, ubi ſanguis ſanguinem tangit, & terrena cogitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Hoc regnum ſubigit & calcat Jeſus, ac poſſidet. Pſal. 59. 10. *In Idumæam extendam calceamentum meum*. S. Hier. ad rem noſtram aptè convertit: ſuper Idumæam incedam calceamento meo, ut victor ſcilicet, ac triumphator. Poſſeſſio, ut dixi ſupra, quaſi pedis ſeſſio dicitur: quia tunc res noſtra eſt, quando in illa ſecuri manemus. Calca tu Idumæos ab Eſau prognatos, id eſt, carnales affectus, ne illi te conculcent & proterant, atque in luto defigant. Sis cæleſtis ſtellam ſequens, de qua Balaam ait, Nu-

Secundò.

merorum 24. ℣. 17. *Orietur ſtella ex Jacob*, Chriſtus, qui eſt ſtella ſplendida & matutina. Apocalypſis 2. 28. 22. 16. & per ſtellam demonſtratus eſt Magis, cùm natus eſt, *& conſurget virga de Iſrael: & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth*, id eſt, omnes homines, hi enim omnes à Seth nati ſunt: ab eo enim Noë originem traxit, & omnes filii Cain diluvio merſi ſunt. Vaſtabit autem Chriſtus omnes homines, id ab eis auferendo, quod in ſe ipſi poſuerunt, nempe peccata. שׁת *ſeth*, ſignificat *poſitum*: quia repoſitus fuerat pro Abel occiſo. Vaſtatis autem, id eſt, expurgatis à dæmone poſſidente hominibus, Dominus & Rex erit. Chaldæus vertit, dominabitur. *Et erit Idumæa poſſeſſio ejus. Hereditas Seir*, id eſt, Idumæa, quæ vocatur Seir, quia Eſau, qui illam poſſedit, nuncupatus eſt Seir, hoc eſt, piloſus: ſicut dicta eſt Idumæa, quòd vocaretur Edom, id eſt, rufus: ſive à colore ſibi proprio, ſive à coctione rufa, ob quam vendidit ſua primogenita: *Iſrael verò fortiter aget. De Jacob erit qui dominetur, & perdat reliquias civitatis.* Romæ ethnicæ, ut ait Abulenſ. hæc enim κατ' ἐξοχὴν dicebatur civitas, ut Athenæ ἄστυ: & erat idololatriæ arx, ubi colebantur ad quatuor circiter idolorum millia.

Tertiò. Amplitudo illa regni Chriſti, & occupatio, non tantùm Idumæa, ſed etiam omnium nationum idola colentium, declaratur per Abdiam verſu decimo ſeptimo: *Et in monte Sion erit ſalvatio, & erit ſanctus*, ipſe mons ub templum, & Deum in eo habitantem. Hebraicè, *& erit ſanctitas*. Eccleſia non tantùm eſt ſancta, ſed etiam ſanctos facit. *Et poſſidebit domus Jacob* (duæ tribus à captivitate Babylonica liberatæ) *eos qui ſe poſſederant.* Nempe Idumæos, Syros, Samaritas, qui agros earum invaſerant tempore captivitatis, ſicque ſuas hæreditates recipient. Verſu decimo octavo, & ſeq. addit: *Et erit domus Jacob ignis* (charitatis à Spiritu ſancto accenſi) *& domus Joſeph* (decem tribus in unam Eccleſiam coaleſcentes) *flamma; & domus Eſau* (Idumæa) *ſtipula: & ſuccendentur in eis, & devorabunt eos: & non erunt reliquiæ domus Eſau, quia Dominus locutus eſt. Et hæreditabunt hi qui ad Auſtrum* (Judæi Auſtrales) *montem Eſau* (Idumæam quæ ipſis eſt meridionalis) *& qui in campeſtribus, Philiſthiim*, &c. Per illas autem ſeptem gentes, omnes intelliguntur, & omnia vitia capitalia. Septenarius enim numerus, eſt numerus univerſitatis ac multitudinis. Verſu vigeſimo primo concludit: *Et aſcendent ſalvatores in montem Sion judicare montem Eſau; & erit Domino regnum:* excluduntur ſervi, qui rebellaverant. Quod autem dicitur verſu decimo octavo: *Et non erunt reliquiæ*, Aquila, Symmachus, Theodotio vertunt, non erit ſuperſtes. Septuaginta, πυροφόρος, id eſt, frumentarius qui frumenta colligit, & curam habet annonæ advehendæ & admittendæ; vel meliùs, lege cum aliis πυρφόρος, id eſt, *ignifer:* nam priùs dixerat domum Jacob fore ignem, & domum Joſeph flammam: contra verò, dicit apud hoſtes eorum, ne remanſurum quidem igniferum, id eſt, primò, ut ait à Caſtro, nullum fore ſuperſtitem, qui poſteris vitæ Lampada tradat; etiam in Scripturis lucerna ſumitur pro poſteritate. 3 Regum 11. ℣. 36. & alibi. Secundò, Luſius Legionenſis & Delrio adagio 984. cenſent pyrophorum intelligi priſcum anteſignanum & legorum caſtrorum. Apud Græcos enim mos erat, ut quoties procinctæ acies congredi erant paratæ, ante prima ſigna ſtaret vates Laureos ferens ramos & corollas, cui Pyrophoro dixère nomen, quoniam Lampada præferret, quem violare ſummum habebatur nefas, quòd legati munere fungeretur. Cùm igitur clades exercitus maxima dicebatur, utebantur hoc proverbio. Ne ignifer quidem ſuperfuit, ut Pollux & Heſychius teſtantur. Vaſtatæ ſunt pleræque nationes recenſitæ ab Abdia, per Machabæos, ut patet primo Machabæorum quinto, & ſecundo Machabæorum decimo, atque ex Joſeph libro 13. Antiquitat. 17. 18. 23. Hi autem etiam Chriſtum figurabant. Nota porrò, per Sareptam, Abdiæ vigeſ. intelligi Sareptam Sidoniorum: Vatablum tamen, Ariam, Clarium, Pagninum, R. Salomonem, & R. David intelligere Franciam, quam etiam Hebræi vocant צרפת *ſarphath*, nec malè, ſi etymon ſpectes. צרף *ſaraph*, etiam ſignificare urere, accendere, conflare, igni excoquere, purificare. Ardore animi ſatis ſe probant Franci, & omnia inſtar ignis pervadunt & excoquunt: videant, ut ſint Galatæ, id eſt, lactei, & puri, & ſeipſos aliuſque cœleſti igne expurgent. Per Chananæus R. David, & alii citati accipiunt Alemannos, quòd in eam regionem ſe receperint à Joſue & Iſraëlitis domiti. Per ספרד *ſepharad*, verò (quod noſter interpres vertit *Boſphorum*, & alii de Thracio, alii de Cimmerio explicant, in quos diſperſi ſunt Judæi in captivitate Aſſyriaca & Babylonica) Mariana, Burgenſis, Chaldæus, Syrus, Arabicus, Alex. & Antioch. R. Salomon, R. David, Joſippus, filius Gorionis, libro tertio hiſtoriarum capite decimo quinto, aliique de Hiſpania exponunt. Hebraica ſeu Aſſyriaca vox *Sepharad* ſignificat terminum. Eſt autem Hiſpania limes & terminus Europæ, & Mundi, Judæis tunc cogniti. Quin etiam in Gallæcia juxta Compoſtellam locus, qui dicuntur *Fines terræ*, quicquid ſit de illis nominibus, vidimus cum gaudio Apoſtolos & Apoſtolicos viros Italiam, Franciam, Germaniam, Hiſpaniam, & inde prodeuntes, novum Orbem ad Chriſti leges adduxiſſe, ejuſque ſceptro ſubdidiſſe.

Quanta felicitate ſub eo Rege vivant, & quàm jucunda fiant Chriſti hæreditas, declarat Oſeas Propheta cap. 14. 6. *Ero quaſi ros Iſrael*, id eſt, Iſraëli, ut vertit Syrus & Arabs. Senſus eſt, ut vult S. Hieronymus & Theodorus: Sicut ros herbas leniter humectat & fœcundat: ita ego lege, doctrina & gratia mea ſuaviter irrorans Iſraëli, eum virtutibus & bonis operibus fœcundabo. Iſraëlem intellige ſpiritualem, id eſt, populum Chriſtianum. Quid inde fiet? Sequitur: *Germinabit ſicut Lilium, & erumpet radix ejus ut Libani. Ibunt rami ejus, & erit quaſi oliva gloria ejus & odor ejus ut Libani. Convertentur ſedentes in umbra ejus; vivent tritico, & germinabunt quaſi vinea: memoriale ejus, ſicut vinum Libani.* Quæ omnia dilatationem Chriſtianorum & felicitatem denotant in lege nova. Expende ſingula: Primò, germinant ut lilium, quod mirificè creſcit & propagatur. *Albis liliis*, ait Plin. lib. 21. 5. nihil eſt fœcundius, unâ radice quinquagenos ſæpè emittente bulbos, hoc optè quadrabit regibus Chriſtianiſſimis, qui pro inſigni ſuo lilia gerunt alba, & fidem Chriſtianam mirè propagârunt ſuis armis & pietate, ut patet in Germanis converſis Saxonibus & aliis per Carolum Magnum, variis regibus in Saracenos Hiſpaniæ, Syriæ & aliarum regionum pugnantibus, & per diverſas regiones Chriſti præcones juvantibus, ut nunc in America faciunt, & ejus inſulis. Secundò, erumpit radix eorum ut Libani, id eſt, thuris, ut cenſet S. Cyrillus, aut potiùs montis Libani, in quo radix, hoc eſt, germen ex radice, ut explicat Sanctius: aut veriùs, ipſa radix cedrorum, & aliarum arborum odoriferarum, erumpit & dilatatur per varias fibras. Nota, cùm *Lebona* Hebr. thus ſignificet: inde mons thure, cedro, pino, aliiſque arboribus reſinoſis & odoratis abundans dictus eſt Libanus. Tertiò, rami in altum efferuntur, id eſt, filii ſpirituales: unde Chald. vertit, *Iſraelitæ creſcent filiis & filiabus*. Hi promiſſi ſunt Abrahæ inſtar ſtellarum & arenæ maris innumerabiles. Quartò, gloria eorum quaſi oliva erit fœcunda bonorum operum, ſpecioſa ob excellentem charitatem, glorioſa ob ſplendorem variarum virtutum, miſericordiæ præſertim, atque benignitatis & manſuetudinis. Sic Jeremias de Iſraële loquens cap. 11. 16. ait: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocavit Dominus nomen tuum.* Hebr. olivam virentem, &c. Chald. in loco Oſeæ citato vertit: *Splendor eorum ſicut ſplendor candelabri ſanctitatis:* templi ſcilicet, ut ardeat luce virtutum in conſpectu Dei. Quintò, odor eorum ut Libani. Chald. de thure explicat, cùm vertit: *Odor eorum, velut odor incenſi aromatum.* In eadem eſt mente S. Cyr. Sextò, convertuntur ſedentes in umbra ejus, aut Libani, ut vult Arias: aut Iſraëlis, ut à Caſtro: aut Chriſti, ut S. Hier. Ruper. & Lycanus. Converſio, ut ait Albertus, eſt converſio ſitus, ut quæ ſiniſtra ſunt, dextra fiant: & contra, ſiniſtra,

189. Magna felicitas ſub Rege Chriſto.

quæ

quæ dextra fuerant; quæ anteriora, poſteriora: quæ ſuperiora, inferiora. Niſi id fecerit pœnitens, non perfectè convertetur ad Deum: itaque divitias quæ in dextra poſuerat, abjiciat ad ſiniſtram & hœdis relinquat: honores quibus caput coronabat, abjiciat ad pedes Apoſtolorum & ſuos: ſi divitias habet, illas habeat, non ab illis habeatur & captivetur: non ſit vir divitiarum & à divitiis poſſeſſus, ne in fine vitæ nihil inveniat in manibus ſuis: ſi honores habet, iis Chriſtum coronet, ne ſit ſtella abſynthium dicta, & cadat in flumina, & omnis ejus ſplendor extinguatur, & ſubſtantia defluat. Septimò, vivent tritico. Leo Hebræus vertit, *reviviſcent, ut frumenta*. Arab. Antioch. *Et vivent & permanebunt ſine peccato*. Arab. Alex. *Et vivent, & ſaturabuntur de tritico*. 1. Verbi Dei, ut explicat Chald. & S. Hieron. 2. Euchariſtiæ, ut Emmanuel Sa. De illo frumento ait noſter Propheta Pſal. 71. 16. *Erit firmamentum in terra*. S. Antonin. 3. p. tit. 14. c. 5. erit panis triticeus. Chald. erit ſubſtantificos panis. S. Hieron. erit memoriale triticum. Burgenſis, placentula frumenti. R. Emmanuel, vola frumenti, id eſt, plena manus frumenti, *in ſummis montium*, R. Jonathan apertè vertit: *Erit placenta tritici in vertice ſacerdotum*. Octavò, germinabit quaſi vinea: & memoriale ejus, ut vinum Libani, id
129. Magna felicitas sub Rege Christo.
eſt primò, ut vinum aromatibus Libani conditum, ideoque odoratum. Arab. Alex. vertit: *Et erit ſicut incenſum*. Secundò, ut vinum montis Libani, quod etiamnum eſt optimum & generoſiſſimum.

Quartò. Locus eſt pulcherrimus Iſaiæ 2. ℣. 2. *Et erit in noviſſimo dierum* (Chriſti, quia nulla lex & religio erit poſt ejus legem) *mons domus Domini præparatus*. Hebr. נָכוֹן *nacon*, id eſt primò, fundatus, firmatus, ſolidatus. Portæ inferi non prævalebunt adverſus eum. 2. Verus & certus: quia Eccleſia eſt firmamentum & columna veritatis. 1 Timoth. 3. 15. Tertiò, rectus, & erectus, in cælum erigit Eccleſia, & nihil habet incurvum, per vias rectas ambulat. 4. Præparatus, diſpoſitus, atque ordinatus. Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt. 5. Integer, perfectus: ideoque felix. *In vertice montium*, omnes leges & doctrinas ſuperat, *& ſublimis ſuper omnes colles: & fluent ad eum populi*, miraculum eſt aquas in altum exurgere, & homines in terram ab adoleſcentia pronos ad cælum currere. *& properabunt gentes multa*, &c. id eſt omnes: Illæ autem omnes, ſunt multæ. Nec tantùm gentes, ſed etiam Synagoga Judæorum, quæ vocatur claudicans, quia claudicavit ſæpè in utramque partem, ut ait Elias 3 Reg. 18. 21. modò Deum, modò idola colens. Lege totum locum, quem ad literam de Chriſti, Eccleſiæ, & legis Evangelicæ tempore intelligendum eſſe de fide eſt, cùm omnes ſancti Patres ſic interpretentur. Lege etiam cap. 60. 1. & ſeq. *Surge, illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum*, &c.

130. Hinc ſequitur: Eccleſiam Chriſti eſſe catholicam. Ex his vides: Eccleſiam Chriſti eſſe Catholicam, id eſt, univerſalem. Tert. lib. adverſus Judæos cap. 7. *Chriſti regnum & nomen ubique porrigitur, ubique creditur*. Et S. Auguſt. tom. 2 Epiſt. 162. contra pervicaciam Donatiſtarum, qui in Africæ angulo coarctati de vera tamen fide gloriabantur, ait: Non chartis veteribus, non archivis publicis, non geſtis forenſibus aut Eccleſiaſticis agimus. *Major liber noſter Orbis terrarum eſt*, in eo lego completum, quod in libro Dei lego promiſſum. Dominus, inquit, dixit ad me: Filius meus es tu, &c. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c. Huic hæreditati qui non communicat, quoslibet libros teneat, ex hæredatum ſe eſſe cognoſcat. Hanc hæreditatem quiſquis expugnat, alienum ſe eſſe à familia Dei ſatis indicat, &c. ita Auguſtin. Atque hi pro Africa loquuntur. Secundò, Aſia hujus veritatis teſtem offert S. Ignatium Antiochiæ Patriarcham in epiſtola ad Philadelph. qui ait, unam eſſe Eccleſiam, ſicut eſt unus Chriſtus & unus Deus. *Una, inquit, eſt caro Domini noſtri Jeſu Chriſti, unus illius ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt, unus item panis omnibus confractus, & unus calix qui omnibus diſtributus eſt, unum altare omni Eccleſia, & unus Epiſcopus, &c. Unus eſt ingenitus Deus Pater, & unus unigenitus Filius Deus, Verbum atque Homo; unus Paracletus Spiritus veritatis. Una eſt prædicatio, & fides una, & unum baptiſma, una Eccleſia quam fundaverunt ſancti Apoſtoli à finibus uſque ad fines in ſanguine Chriſti, propriis ſudoribus ac laboribus.* Tertiò Europa, unum nunc proponit S. Irenæum antiquitate venerab. Lugd. Epiſc. qui Eccleſiam uni domui & corpori, atque Soli ſe ſolo Orbem totum illuſtranti componit, in hunc modum: Hanc, ait, prædicationem cùm acceperit, & hanc fidem Eccleſia, & quidem in univerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi unam domum inhabitans; & ſimiliter credit iis videlicet quaſi *unam animam habens, & unum cor*, & conſonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quaſi *unum poſſidens os:* ita ipſe. Neque enim in Germania, Gallia, Hiſpania, Aſia, Africa, America, & tota Europa diſcors eſt Eccleſiæ opinio. Pergit deinde idem ſanctus Pater: *Sicut Sol creatura Dei, in univerſo mundo unus & idem eſt: ſic & lumen, prædicatio veritatis, ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.* Eccleſia etiam eſt fons vitæ, è paradiſo Dei profluens, & irrigans univerſam faciem terræ. Amplitudinem ejus miraberis, ſi legas libellum Auberti Miræi de notitia Epiſcopatuum totius Orbis: & alterum, qui inſcribitur Geographia Eccleſiaſtica, in quo alphabetico ordine epiſcopales omnes urbes, quas nôſſe potuit, collocavit. Multos tamen omiſit, ut clarum eſt. Quartò, Americam quoque penè totam fides pervaſit, ut cum gaudio videmus, & quotidie latius in ea diffunditur. Notat autem S. Auguſt. epiſt. 80. ut Eccleſia dicatur Catholica, non eſſe neceſſe in cunctis totius mundi hominibus ejus fidem eſſe, ſed ſufficere, ut provinciis innoteſcat, in quibus ſint aliqui de Eccleſia. Donatiſtæ in Africa ſua ſola contendebant Eccleſiam eſſe: periiſſe autem ex reliquo Orbe, in quo prius fuerat: eos irridet S. Auguſt. lib. toto de Unitate Eccleſiæ, præcipuè cap. 8. & in Pſalm. 81. 101. 125 epiſt. 161. de agone Chriſti cap. 29. Ab Eccleſia ſe dividunt, qui eſſe Catholicam negant. S. Bernard. ſerm. 66. in Cant. arguens hæreticos, qui Apoſtolorum ſe eſſe ſucceſſores jactabant, & nullum ſignum Apoſtolatus ſui edebant, ſed occulti latebant & pauci erant: *Itane*, inquit *lapidem de monte abſciſſum ſine manibus, montem factum, & implendum mundum, veſtris creditis incluſum antris? Habet, & ſemper habebit integram Chriſtus hæreditatem ſuam & poſſeſſionem ſuam terminos terra:* Eccleſiam ſcilicet, ut locum Pſalmi noſtri exponit S. Auguſt. lib. de Unitate Eccleſ. cap. 8. atque, nullum Chriſtianum dubitâſſe hoc de Chriſto eſſe prædictum, aut hanc hæreditatem aliud eſſe quàm Eccleſiam. Id promiſſum erat Abrahamo Gen. 22. 16. & 17. Per memetipſum juravi, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem (q. d. verba inania non amo) & non pepercisti Filio tuo unigenito propter me. Benedicam tibi, & *multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli: & velut arenam quæ eſt in littore maris. poſſidebit ſemen tuum portas* (urbes, itaque eſt ſynecdoche) *inimicorum tuorum*. Et apertiùs ℣. 18. *Benedicentur in ſemine tuo* (Chriſto, non enim dixit in ſeminibus, ut notat Apoſtolus Galat. 3. 16.) *omnes Gentes terræ*.

Ante Chriſti adventum ros tantùm erat in vellere, hoc eſt in populo Judaico, qui olim divini Sacramenti gratiâ tanquam rore perfundebatur, ſed *in vellere, id eſt in velamine, & quaſi in nube ſecreto*, ut loquitur S. Auguſt. lib. de Unit. Eccleſ. nunc verò ſiccitas eſt in ſolo vellere, & ros in omni terra. Sic etiam explicant S. Ambr. lib. de Viduis, S. Chryſoſtomus in Pſal. 71. Origenes, Procop. Rupertus & alii. Lege ipſum textum Judicum 6. 36. & ſeq. ubi rorem illum poſtulat atque impetrat Gedeon.

Illa Eccleſia Catholica, etiam Romana eſt, ſicque verè dixit S. Leo, imperium ſpirituale Romæ latius ſeſe diffudiſſe, quàm imperium ejus temporale. Sic enim ait ſerm. 1. de Natal. SS. Petri & Pauli: *Iſti ſunt, qui te* (Roma) *ad hanc gloriam provexerunt, ut gens ſancta, populus electus, civitas ſacerdotalis & regia, per ſacram B. Petri ſedem caput Orbis effecta: ut latius præſideres religione divina, quàm dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis, jus imperii tui terra marique protuleris: minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubjecit.* Lege illum locum.

Iſide & Oſir. dicunt, eos pinxiſſe Oſirim Regem veloti ſceptrum, cui eſſet inſculptus oculus, & ejus perſpicacitatem & vigilantiam figurarent. Hoc ſumpſerant à Jeremia Propheta, qui inter ipſos verſatus eſt, in Ægyptum deductus poſt Jeroſolymam everſam: ait autem cap. 1. ℣. 11. *Virgam ego video.* Viegas noſter in cap. 15. Apoc. comment. 1. ſect. 1. virgam vigilantem exponit, oculatam: vel, oculos apertos & vigiles habentem, θεὸς dicitur à θεάομαι, video, aſpicio, contemplor, vide Plat. & Macrob. Deum Mundi Moderatorem repræſentabant Phryges per virgam Sole exornatam.

134. Christus fuit Paſtor vigil. Nota 1 Vigilem paſtorem dedit Deus Chriſtum, qui naſcens voluit primò annunciari paſtoribus vigilantibus, & cuſtodientibus vigilias noctis ſuper gregem ſuum, Luc. 2. 8. Secundò, Regibus etiam vigilantibus & ſtellas contemplantibus, Matth. 2. De illo ait Deus ipſe, Ezech. 34. 23. *Suſcitabo* (ecce vigilantem) *ſuper eas* (oves meas) *Paſtorem unum*, (Argus non tantùm centum, ſed infinitorum oculorum ſit oportet, qui unus omnibus omnium ætatum, regionum, conditionum & temporum hominibus ſufficiat) *qui paſcat eas*, (non vigilat in ruinam: ſed vigilat, ut etiam nocte adverſitatis paſcat) *ſervum meum David*, id eſt, Chriſtum. Nam, ut ait S. Ambroſius lib. 7. epiſt. 47. David Rex jam defunctus erat: & ideò verus David, verus humilis, verus manſuetus, verus manu fortis, Dei Filius hoc annunciatur nomine. Sic ipſe Ezech. dixerat cap. 37. 24. *Paſtor unus erit omnium eorum*, ut in veram unitatem fidei & charitatis copulentur; & inter ſe & cum Deo uno ſpretis terrenis idolis. Ac poſteà ad rem noſtram aptius ait Ezech. ſupra citatus cap. 34. 29. *Et ſuſcitabo eis germen nominatum.* Septuag. *plantam pacis.* Hebr. *plantam in nomen.* Virgam ſcilicet Jeſſeam, quæ nomen & famam Iſraelitici populi, id eſt, fidelium, illuſtret. Sic Zach. 3. 8. Chriſtus appellatur צמח *ſemah:* hoc eſt, *germen*, quod noſtri interpretes vertit Oriens, qua de re aliàs. S. Antioch. hom. 3. dicit, paſtorem animarum debere eſſe totum *oculum* & mentem. Debet eſſe Sol ſemper oriens, & novam lucem exempli fundens: & virga, ſed illuminata, & illuminans: oculata, & quæ nôrit ſe aſpici.

Jacob fuit ejus figura. Chriſti Paſtoris vigilantis figura fuit Jacob, qui Geneſis 31. 38. ait Laban ſocero ſuo: *Viginti annis fui tecum: oves tuæ & capræ ſteriles non fuerunt: arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi:* cùm tamen paſtor partem ovis reliquam oſtendens, à noxa eximeretur, nec teneretur eam domino ſolvere, quòd ſine ulla culpa à feris rapta eſſet, *Die noctuque æſtu urebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis.* Sic Pſalm. 120. 4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël.* Ille eſt cuſtos de nocte, id eſt, in adverſitate, de quo Iſaias 21. 11. De nocte vigilat & orat JEſus in monte, id eſt, in cœlo, dum diſcipuli in mari fluctuant naufragio proximi, inde deſcendit auxilio futurus, Marc. 6. 48. *Videns eos laborantes in remigando.* Ex monte remoto, & per medias noctis tenebras lynceis oculis videt laborantem gregem bonus Paſtor; *erat enim contrarius ventus, & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſuper mare.* Qui vigilat, vel ipſum mare turbulentum ſecurus calcat, & tranquillat. In Græco ibi: & Matth. 14. 25. eſt φυλακῇ *cuſtodia.* Chriſtus vigilat, ut cuſtodiat. Non dormit, qui cuſtodit Iſraël. Quatuor habebant noctis vigilias Hebræi & Romani: ternis horis ſingulæ conſtabant. Quartâ vigiliâ apparet JEſus, quia eſt Sol fugans tenebras noctis. Cùm eris in nocte tentationis, hunc expecta. Eccleſia in mediis tenebris ſibi conſtat, Michææ 4. 8. *Et tu turris gregis nebuloſa filiæ Sion uſque ad te veniet:* Chriſtus ſcilicet, de quo mox dixerat fore, ut regnet in monte Sion. Nota, Eccleſia turris eſt, quia ſtat inconcuſſa ſupra petram ſolidam fundata. 2. Eſt turris gregis, ob paſcua pinguia, figurata in turri Eder, id eſt, gregis, quæ erat in agris vicinis Bethlehem, prope quam Jacob pavit greges ſuos, Gen. 36. 21. ut ait S. Hieron. epiſt. 27. Adricum & alii, & prope quam apparuerunt Angeli paſtoribus nato Chriſto, Luc. 2. 8. Erat enim locus paſcuis ubertimis abundans, & Bethlehem nomen habuit à fertilitate tritici, q. d. domus panis dicta eſt etiam Ephrata, id eſt, fructificans, creſcens, fertilis, ab vinearum, pratorum, aliorumque fœcunditate. 3. Eccleſia eſt turris nebuloſa, propter obſcuritatem fidei, & horrorem perſecutionum. 4. Eſt etiam turris filiæ Sion, id eſt, contemplationis, & cœli; in Sione erat porta turribus & propugnaculis munita, quæ vocabatur porta gregis, quòd per eam greges ovium in templo offerendi, inducerentur in urbem & in templum. Nota 2. Jeruſalem, quæ eſt Eccleſiæ typus, metaphoricè ac metonymicè vocari turrim gregis à Michæa: tum propter jam dictam portam gregis, tum propter turrim Ophel, id eſt, nebuloſam, caliginoſam. Nam propter altitudinem ſic vocabatur, quòd nubibus caput inferre videretur. Eccleſia verò, nubes ipſas & cœlum pervadit, ob excellitatem vitæ & doctrinæ.

Paſtor Chriſtus vigil, in medio umbræ mortis, ſecurum gregem ducit, & ad caulas illæſum reducit. Idem Michæas hoc vidit, ubi Paſtor ipſe loquitur, cap. 2. 12. *Congregatione congregabo Jacob totum te*, reducens à captivitate Babylonis per Zorobabelem: ſed longè magis per Chriſtum incarnatum, qui relinquet oves nonaginta novem in deſerto, ut reducat errantem. De Chriſto hoc explicant S. Hieron. Rupertus, Clarius, Ribera, & alii. *Ponam illum quaſi gregem in ovili.* Sept. in tribulatione. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum: legerant בצרה *baſſara*, hoc eſt, in preſſura, afflictione, anguſtia, tribulatione. Chald. ſicut & vulgata habent *in ovili*, & quidem צרה *ſara*, ſignificat etiam ſeptum arctum & anguſtum, in quo greges ovium denſantur & coarctantur. Ex quibus duo collige, primò deſignari fidelium multitudinem, ſecundò, compreſſionem per hoſtes fidei. Nunc habemus in Hebræo, *velut pecus* בצרה *boſra*, quæ erat Idumææ metropolis ovibus abundans. Et Arias vult in ea Romam denotari, Boſra enim ſignificat munitionem munitam. Roma autem dicitur à Græco ῥώμη, id eſt, robore, unde priſcis temporibus dicebatur Valentia, ut ait Solinus cap. 2. Ad paſtoris verò virgam magis ſpectat, quod ſequitur: *Aſcendet enim pandens iter ante eos*, virga lupos exterrens פורץ *phores*, id eſt, perruptor, ut editio Tigur. habet, fractor, ut Pagn. quod Hebræi apud Galat. lib. 8. de arcan. fidei, cap. 23. explicant etiam de Chriſto limborum portas effringente, & inde captivos in cælum educente.

135. Christus gregem ſecurum præſtat.

Tertiò, virga ſymbolum eſt ſeveritatis. Unde S. Paulus illam opponit ſpiritui lenitatis, 1 Cor. 4. 21. *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate*, (cum charitate, circumdatus charitate & amore paterno) *& ſpiritu manſuetudinis?* Ut enim ait S. Greg. Naz. orat. 1. præſul Eccleſiaſticus ſedulum ac diligentem medicum imitetur oportet: qui interdum ignem & ferrum, & aſperiora medicamenta adhibet; aliàs mollitet ac leniter vulnera tractat; ita etiam ille nonnunquam lenitate ac manſuetudine animos demulcet; aliàs reluctantes & refractarios, pœnâ ac ſupplicio coërcet. Veriùs Paulus alludit ad patres, qui filios rebelles caſtigant, bonos amplexibus & oſculis ſtringunt. Deus agens de Salomone, dicit, ſi peccet, paternè puniendum. 2 Regum 7. 14. *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium. Qui ſi iniquè aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum.* Id eſt, primò, ut explicant Abulenſis, Cajet. Lyr. Dionyſ. Sanctius, Hebræi, gladio inimicorum ſuorum. Statim enim atque peccavit Salomon, ſuſcitavit ei Deus adverſarium. Adad Idumæum de ſemine regio, 3 Reg. 11. 14. & Razon filium Eliada, ℣. 23. & Jeroboam filium Nabat, verſ. 26. Secundò, ac meliùs, virga virorum, eſt virga, quâ viri ſolent filios caſtigare, non ut pereant, ſed ut emendentur; unde additur: *Miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saul, quem amovi à facie mea.* Illius curam abjiciendo, ut ait Sanctius: ſeu veriùs, ab eo & ejus familia auferendo regiam dignitatem, atque eum

136. 3. Virga notat ſeveritatem.

hoſtium furori permittendo etiam mortuum, & fortaſſe in æternum reprobando, cum ſe ipſe occidarit. Hinc Burg. colligit, Salom. eſſe ſalvatum. Vide ea de re Pined. de rebus Salomonis.

137. Chriſti ſeveritas eſt amabilis. Ideò dicebat David agens de Chriſto Paſtore, Pſ. 22. 4. *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt:* ſenſi enim me caſtigatione fieri meliorem, & ab aviis & perditione ad caulas & umbram redire. Virgâ punitionem leviorem: baculo, graviorem denotari volunt S. Aug. S. Chryſoſt. S. Hier. S. Tho. Stultitia alligata eſt collo pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam: ideò Sapiens in Prov. ſæpè incitat, ut pueri corrigantur virgâ, præcipuè cap. 13. 24. & 23. 13. ac ſeq. Deus Pater hanc virgam intentat Chriſtianis, Pſ. 88. 31. *Si dereliquerint filii ejus* (Chriſti) *legem meam*, &c. ſubdit ỷ. 33. *Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus* (S. Auguſt. in flagellis) *peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam* (S. Hier. non auferam) *ab eo*, ejus filios deſerendo, q. d. propter ipſum filios ejus non relinquam. Conſulum Romanorum lictoribus faſces implicati erant; quia, ut ait Plutarch. problem. 158. *Cùm vitiorum alia ſint ſanabilia, alia inſanabilia, virgis corrigebantur, qui emendari poterant: ſecuribus amputabantur, immedicabiles.* Ne tamen eſſet ita nimis præceps, faſces erant alligati; ut, quamdiu ſolverentur, poſſet animus miteſcere. *Lydia Regibus erat ſecuris pro ſceptro.* Lydiæ Reges pro ſceptro ſecurim geſtabant, Labradeus etiam Juppiter in Caria pro ſceptro & fulmine habebat ſecurim. Hæc erat virga ferrea.

138. 4 Virga ferrea denotat inflexibilem diſciplinam. Vindictam. Quartò: *Virga ferrea* tria habet. Primò, quòd ſit recta & inflexibilis, ſicque denotat inflexibilem juſtitiæ diſciplinam, ut ait S. Thom. Sic Pſ. 44. 7. *Virga directionis* (Pſalt. Gall. virga recta. Chald. ſegnum rectum. S. Cypr. lib. 2. contra Judæos cap. 29. virga æquitatis) *virga regni tui.* Secundò, virga ferrea habet, quòd dura ſit, & omnia confringat, ſicque & ſymbolum gravioris vindictæ in impios, atque hoc magis declaratur in ſequenti hemiſtychio, & tanquam vas figuli confringes eos, ut dicetur art. ſeq. Tertiò: Virga ferrea paſtoris inſervit
Et robur. ad oves tutandas à lupis, atque aliis feris, & denotat poteſtatem ac vires Chriſti ad protegendam Eccleſiam ac ſingulos fideles, Ezech. 19. 11. *Factæ ſunt ei* (Jeruſalem, quam viti comparat) *virgæ ſolidæ* (Hebr. virgæ עֹז oz, fortitudinis, ut vertit Arias: fortes, ut Pagn.) *in ſceptra dominantium:* Chriſtus habet poteſtatem ſolidam, nihil in ea eſt vacuum, & inane, atque infirmum. Sceptrum ex vite factum notat etiam fœcunditatem, & alacritatem, armatur ferro, ut non deſit ſeveritas, & ſit majus robur.

Quomodo peccator ſit ferreus, & virgâ ferreâ conteratur, dicam art. ſeq.

ARTICULUS VI.

Deus Judex & Vindex peccatores, ut vaſa figuli, conterit.

Verſ. 9. II. Pars. 139. Impios conterit Deus, velut vas figuli. SExtum tandem elogium Chriſti aſſignavimus, quod ſit Judex & Vindex in ſceleratos inſurgens, eosque puniens, verſ. eod. 9. ET TANQUAM VAS FIGULI CONFRINGES EOS. Nota, τὸ, *eos* bis in hoc verſu poſitum, ſumendum eſſe per diſtributionem accommodam. 1. Præſertim de bonis intelligi, cùm dicitur: Reges *eos* in virga ferrea, id eſt, per poteſtatem invictam, conſtantem, fortem in hoſtes. Secundò, cùm additur, & tanquam vas figuli confringes *eos*, de malis accipiendum eſſe.

Quod 1. ſit vile. Quæres primò: Cur impii vaſi teſtaceo & figlino comparentur? Reſp. id fieri ob 4. præſertim rationes. Primò, quia vas illud vile eſt: ſic de Joachin ſeu Jechonia Rege Juda, qui poſt tres regni ſui menſes à Nebuchodonoſore Rege Babylonis in captivitatem eſt abductus, dicitur Jerem. 22. 28. *Numquid vas fictile.* Hebr. pro vas fictile habetur עֶצֶב נִבְזֶה *eſeb nibze*, id eſt, *idolum contemptibile*, ut vertit R. David: *ſculptile contemptibile*, ut Pagn. Idolum vocatur *eſeb*, quòd cauſa ſit doloris, triſtitiæ ac perturbationis. Nam *aſab* ſignificat dolere, turbare. Arias vertit *dolor.* Vatablus, truncus. Symm. purgamentum ſive quiſquiliæ. Ait itaque Jerem. *Numquid vas fictile atque contritum* (Hebr. נָפוּץ *naphus*, minutim diſperſum) *vir iſte Jechonias. Numquid vas abſque omni voluptate?* Nota, Hebr. non Jechoniam vocat, q. d. *Dei præparationem*, ſeu firmamentum; ſed Choniam, id eſt, firmitatem, præparationem. Omnis autem firmitas & omne ſtudium, quod adhibemus ad aliqua nobis paranda, vanitas ſunt ſine Dei ſtabilimento. Poſſis etiam dicere, in voce Jechonias, ex utraque parte Dei mentionem fieri, ſicque ſtabilitatem illam Deo undique ſeptam eſſe firmiſſimam: ſed peccatorem tollere Deum à principio ſpei ſuæ, & in poſtrema rejicere, ut in ſe magis, quàm in illo confidat: & de Jechonia fieri Choniam, qui in ſe ſperans Deum in extremo reperiat, ſed punientem. Adde, per contemptum nomina decurtari: ut vulgò Baſtien pro Sebaſtiano: Toinette & Toinon pro Antonia. Nota 2. Si ob alicujus nomine Deum abſtuleris: ſed longè magis, ſi à corde, eſſe vas abſque omni voluptate: nec enim ſibi, nec Deo, nec proximo eſt delectabilis. Hebr. חֵפֶץ *hephes*, ſignificat voluntatem, complacentiam, ſeu voluntatem complacentem, ſuavem, jucundam. In peccatore ſunt irrationabiles voluntates & anxietatum plenæ. Jechonias porrò deducitur a voce *iah*, id eſt, Deus: & *cun*, id eſt, præparare, firmare, ſtabilire.

Secundò: Vaſi figlino impii comparantur, quia facilè frangitur. Sic Iſaias, ut declararet gravem & repentinam ruinam Judæorum in umbra Ægypti ſperantium, & ſub illa ſpe legem Dei audire nolentium, ut ſe à Chaldæis tuerentur, affert duas comparationes. Primò, muri excelſi corruentis in eos, qui ad ipſius umbram refugerint. Sic enim cap. 30. 13. *Propterea erit vobis iniquitas hæc, ſicut interruptio cadens*, (Pagn. ædificium, Arias, ruptura cadens; id eſt, murus aut paries, qui jam hiabat, & ruinam minabatur) *& requiſita* (Hebr. נִבְעֶה *nibhe*, tumens, ut vertit R. Jonas, Forer. Vatabl. & ſic ruinam minitans. 2. Requiſita, id eſt, reſarcita exteriùs, ſed intùs ruinoſa, ut explicat Ugo. 3. Quam mirantur, & cujus cauſam homines quærunt, cùm accidit, ut Adamus exponit. 4. Et optimè, requiſita, id eſt, quæſita ab hominibus, ut prope eam aut apricentur, aut in umbra ſe recreent, aut lateant) *in muro excelſo*, eò celerior & gravior eſt ruina, unde ſubdit: *Quoniam ſubitò, dum non ſperatur*, (Hebr. *Subito ad momentum.* In puncto ad inferna deſcendunt) *veniet contritio ejus.* Secundò, aptè ad rem noſtram affert comparationem vaſis figlini confracti, verſ. 14. Et comminuetur, &c. 2. Facilè frangitur.

3. In minutas partes dividitur. Tertiò: Vas fictile, non tantùm frangitur, ſed in minutas particulas, & in pulverem nullo negotio reſolvitur, ſicque eſt inutile ad omnem uſum. Hinc notat Caſſiodor. in Pſ. noſt. & vult, vitam lutcam peccatoris denotari. Vide dicta pſal. 1. 4. *Et erit tanquam pulvis, &c.* Iſaias memoratus ait verſu 14. *Et comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli contritione pervalida: & non invenietur de fragmentis ejus teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea.* Itaque & ignis & aqua illis deeſt; id eſt, & gloriæ lux, & ſuavitas delectationum. Nec charitatis ignem habent, quo ardeant: nec pœnitentiæ aquam, ut ſe lavent. David dicit Pſ. 30. 13. *Factus ſum tanquam vas perditum.* Hebr. אֹבֵד *obed*, periens, ut vertit Arias, perdens, res ſcilicet, quas continet, quia eſt fractum, ut ait Lorinus. Sed intranſitivum verbum eſt *abad* in conjugatione Kal, in qua eſt Benoni *obed:* ſignificat itaque, periens, ſeu perditum: hoc eſt, inutile. Chald. vertit, *in vas teſtaceum, quod frangitur.* A Chriſto fit illa contritio. Eſt enim lapillus de monte abſciſſus ſine manibus, & ſtatuam auream Nabuchodonoſor in pulverem redigens, ut aliàs diai. Eſt lapis, quem reprobaverunt ædificantes, quique eos conterit, Luc. 20. 18. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.*

anguli. Omnis, qui ceciderit ſuper illum lapidem, conquaſſabitur: ſuper quem autem ceciderit, comminuet illum. De Chriſto id intelligi patet, & ſic explicant S. Baſilius, S. Auguſt. Caſſiodor. Abul. & omnes Patres. Vide Pſ. 117. 22.

4. Reparari fractum non poteſt.

Quartò: Vaſi figlino contrito aſſimilatur peccator: quia vas illud, ſi ſemel frangatur, reparari & uniri iterum non poteſt. Hac in figura Deus Jeremiæ imperat, ut oſtendat populo extremam Jeroſolymæ cladem. Primò, ut accipiat lagunculam figuli teſteam à Senioribus populi, & a Senioribus Sacerdotum. Secundò, ut cum illis egrediatur ad vallem filiorum Ennom. Septuag. τὸ vallem, vertunt πολυάνδριον, id eſt, cœmeterium, locum ſepulturæ deſtinatum, quo multorum virorum corpora mortua feruntur, ut ait S. Greg. Naz. id autem fiebat extra urbes: & quidem ordinariè Jeroſolymis, in illa valle filiorum Ennom, quæ etiam dicebatur vallis Topheth. Et benè ducuntur peccatores ad cœmiterium, ut ſe pulverem meminerint: Et vallis illa erat juxta introitum *porta fictilis*, ſive quòd per eam evcherentur fragmenta fictilium vaſorum, & urbis ſordes, ut ait R. Salomon: ſive quòd figuli prope illam habitarent, ut ait Lyranus: ſive quòd terra illi portæ vicina eſſet apta ad vaſa figlina conficienda. Tertiò, jubetur Jeremias illis Senioribus exprobrare peccata admiſſa. Quarto, declarare gravitatem extremæ cladis, ita ut vallis illa non vocetur ampliùs Topheth, id eſt, amœna, pulchra, vel vallis *toph*, id eſt, tympani & chorearum: ſcilicet circa ſtatuas, cùm urebantur filii eorum, & luſtrabantur in idolorum honorem: ſed vocetur vallis occiſionis, per Chaldæos multis ibi obtruncatis. Quintò, jubetur frangere laguncuſam teſtaceam in oculis virorum, qui cum ipſo iviſſent, ac dicere, ℣. 11. *Sic conteram populum iſtum, & civitatem iſtam, ſicut conteritur vas figuli, quod non poteſt ultra inſtaurari.* S. Greg. in 4. Pſ. Pœnit. de extrema damnatione hoc exponit: *Vas*, inquit, *figuli, poſtquam ſemel confringitur, nullo modo poſt medum reparatur. Quid ergo per confractionem vaſorum figuli, niſi extrema damnatio deſignatur? Ibi enim per judicii ſeveritatem quicumque confringitur, nequaquam ulteriùs per pœnitentiæ remedium reparabitur.* Ad literam, Jeremias intentabat everſionem Jeruſalem per Nabuchodonoſor Regem Babylonis, qui quater in Judæam immiſit exercitum, bis ſub Joakim Rege, quem primâ incurſione cepit anno Mundi 3428. ante Chriſtum 625. ipſius Nabuchod. primo, Joachim tertio: ſed remiſſum in regnum, deinde eſt aggreſſus anno octavo regni ſui, Joakim autem undecimo & ultimo tunc enim occiſus eſt, & ſepultus ſepulturâ aſini, ut ipſe Jeremias prædixerat cap. 22. 19. Tertiò, poſt tres menſes Joachin ſeu Jechoniam in Babylonem abduxit, ſubrogans ei patruum Sedeciam, qui priùs vocabatur Mathanias. Quartò denique, anno Mundi 3446. ante Chriſtum 607. Romæ regnante jam per annos octo Tarquinio Priſco, ipſius Nabuchodonoſoris 18. Sedeciæ 11. rediit, & miſſo Nabuzardan urbem captam & templum incendit. Tunc fuit lagena confracta, ita ut non potuerit reparari, niſi poſt 70. annos captivitatis, & aliquot poſteà. Hoc ad hoc pleniùs accidit in everſione per Romanos facta, quia nunquam Judæi urbem ſuam reparabunt, ut ibi dominentur.

140. Vaſis figlini confractio in bonam partem ſumitur.

Quæres 2. Quid ſymbolicè ſignificet hæc figlini vaſis contritio? Reſpondent 1. S. Hilar. S. Aug. S. Greg. lib. 7. Mor. cap. 7. Beda & alii, & in bonam partem accipiunt de contritione cordis humiliati, & ſpiritûs contribulati, de qua vates noſter agit Pſ. 50. 19.

Secundò, noſter Martinus de Roa lib. 2. ſingul. cap. 5. & 6. ait, vaſis figlini confractione denotari, maximâ facilitate tractandos à Chriſto ſubditos, & maximè pronâ voluntate obedituros.

Sed meliùs in malam.

Tertiò, & meliùs, alii in malam partem accipiunt, & volunt denotari punitionem à Deo infligendam. Ac primò Bellarminus cenſet, non ſignificari actum, ſed poteſtatem: id eſt, non ſignificari Chriſtum confracturum omnes gentes; ſed ita ſubjectas ei futuras omnes Gentes, ut poſſit eas pro arbitrio confringere, ſive miſericorditer confringendo in eis infidelitatem & peccata, & formando ex vaſis contumeliæ, vaſa honoris: ſive juſtè & ſeverè confringendo eos æternis ſuppliciis propter eorum demerita: ſicque redit ex parte ad ſententias jam dictas. Secundò, Euſeb. in catena & Euth. in comm. explicant de materiali Judæorum, & Gentilium per Romanos punitione & confractione. A Daniele comparatur Romanorum imperium beſtiæ terribili, mirabili, & forti nimis, cap. 7. ℣. 7. *Dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans.* Pedes illi erant ferrei in ſtatua Nabuchodonoſoris, & per illos pedes ac per tibias ferreas S. Hier. & alii Romanum imperium ſumunt, c. 2. 40. *Et regnum quartum erit velut ferreum* (en virgam ferream; audi, quomodo confringat: ſequitur enim) *quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, ſic comminuet & conteret omnia hæc.* Tertio, malim hærere Genebrardo, Vatablo, Emmanueli, Joanni Campenſi, & aliis generalem ſententiam eſſe dicentibus, & contritionem illam ac punitionem ad omnes impios extendentibus. Nam & ipſi Romani, licèt eſſent virga ferrea, tamen erant etiam vaſa figlina. Sequitur enim apud Danielem verſu 41. *Porro, quia vidiſti pedum & digitorum partem teſtæ figuli, & partem ferream: regnum diviſum erit, quod tamen de plantario ferri orietur*, hoc eſt, ex radice pedis ferrei: unde Chald. vertit de plantatione ferri. Nam plantaria apud Maronem lib. 2. Georg. ſunt ipſæ plantæ, quæ è ſemine ortæ, cum radicibus & terra propria transferuntur de loco uno in alium. Vernaculè vocantur *pepinieres*. Illud ferri plantarium apud Romanos, erat eorum robur & fortitudo, ex illis enim orta eſt ambitio & diſcordia inter Marium & Syllam, inter Pompeium & Cæſarem: ex ambitione autem & diſcordia orta eſt imperii illius everſio. Additur itaque verſ. 42. *Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte regnum erit ſolidum, & ex parte contritum.* Ait deinde, ne connubia quidem coaliturам inter eos amicitiam. Ut patuit in connubio Pompeji cum Julia Cæſaris filia, & M. Antonii cum Octavia ſorore Octavii Auguſti, atque in variis aliis. De lapide, id eſt, Chriſto, teſtam, ferrum, & æs, & argentum, & aurum comminuente agit poſteà: & S. Athan. ait, *virgam ferream* eſſe poteſtatem Chriſti, aut Crucem, cujus, licèt materia lignum ſit, ferrea virtus eſt. Chriſtus figurabatur in Jeremia, cui dixit Deus cap. 1. 10. *Ecce, conſtitui te hodie ſuper Gentes, & regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Virga itaque ferrea, id eſt, Romanum imperium, ut ait S. Cyrill. Jeroſ. catech. 12. etiam à Chriſto Rege conteretur, & quidem in minutiſſimum pulverem redigetur. Sept. vertunt in Pſalmo noſtro, συντρίψεις, *comminues*. Hebr. *confractos diſperdes eos*, ut nullâ ratione poſſint ampliùs uniri. Quod in Judæis everſis patet, & prædictum eſt ab Iſaia cap. 27. 9. *Cùm poſuerit* (Deus) *omnes lapides altaris, ſicut lapides cineris alliſos, non ſtabunt luci & delubra*: hoc videmus in Jovis Capitulo Romæ, cui accidit, quod Titus fecit templo Jeroſolymitano: idola enim inde evanuerunt.

Nota 1. Peccator omnis eſt ferreus, ac præſertim qui eſt obſtinatus. De ejus jugo ferreo, vinculis, lecto, & aliis aliqua dixi ſect. 1. 2. 2. hujus Pſalmi. Addc habere cor ferreum, Jerem. 17. 1. *Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtylo ferreo* (Hebr. *Ketuba*, inſculptum, & veluti ſtigmate notatum, inſcriptum) *in ungue adamantino*, id eſt, ungue adamantino. Nam Hebræi inſtrumentum ſæpè ſignificant per Beth, hoc eſt, *in*: itaque in ungue, id eſt, ungue, ſtylo, calamo, cuſpide. Clarè vertit Syr. *Peccatum Juda ſcriptum eſt calamo ferri, & ungue adamantis.* S. Hier. S. Thom. & Rabanus per adamantinum unguem intelligunt tabulam vel lapidem, id eſt, adamantis duritiam: ſed prior explicatio eſt melior. Sequitur, *exaratum eſt ſuper latitudinem cordis eorum*, non tantùm in angulo cordis, ſed per totam ejus latitudinem. Sept. tabulam cordis appellant: cor ferreum eget ſtylo ferreo, & adamantino. Jacobus Treſſius

143. Peccator eſt ferreus.

reno-

renovavit artem ferro ſcribendi in adamante, quæ olim viguerat. Multi lucere volunt, ut adamas: ſed adamante ſunt duriores, & ne ferro quidem incidi ſe patiuntur. Secundò, peccator habet collum ferreum, Iſaiæ 48. 4. *Scivi, quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua*, (propter inobedientiam) *& frons tua ærea*; propter impudentiam. Agit in Judæos. Tertiò: Oſſa & cartilaginem (id eſt, partem illam ſimilarem corporis, quæ neque eſt os, neque caro, ſed quiddam intermedium, ut eſt tota auris, & extremitates oſſium motoriorum) peccator habet ex ære & ferro. Deus agens de Behemoth, id eſt, elephanto, Jobi 40. 13. ait: *Oſſa ejus velut fiſtulæ æris: cartilago illius, quaſi lamina ferrea.* Hebr. גרם *gherem* Pagn. Arias, Tigurina editio, aliique vertunt *os:* ſed noſter interpres nervoſiùs & ſignificantiùs vertit cartilago, quam nos *tendron* vocamus. Nam ſi etiam quod tenerum eſt in aliis, eſt in elephante durum inſtar ferri, quid erunt alia? Nota, per cartilaginem ſynecdochicè intelligere nervos, fibras, arterias, venas, & ipſam carnem. Nota 2. Per Behemoth accipio ordinariè dæmonem, per oſſa verò & cartilaginem Philippus ſumit pertinaciam inflexibilem intùs, & foris, in cogitatione atque opere. S. Greg. verò impios, partim duriores, ut oſſa, partim molliores, ut cartilaginem. 4. Peccator medullam ipſam habet ferream, ut arbor in Java inſula majore, quæ interiorem medullam ferream virgæ modò ab ima parte ad ſummum verticem continet, ut ait Marcus Polus lib. 3. c. 16. Sceleratus miſericordiâ utitur ferreâ, ut animam perdat, ſicut luxurioſus; aut bona externa, ſicut uſurarius, qui argentum mutuum dando, quod miſericordiæ videtur eſſe, pauperes conſumit: unde ferrea illi viſcera SS. Patres tribuunt. Habent certè dentes ferreos, ut beſtia terribilis, Dan. 7. ℣. 7. Et uſura ab Hebræis vocatur *neſech*, id eſt, morſus. Quintò, appetitum inferiorem flammis ardentem iræ, & cupiditatis aliarumque commotionum peccator fovet, ſed ferreum, Deut. 4. 20. *Vos tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea Ægypti.* Nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det. Sextò, totum corpus peccatoris eſt ferreum, Deut. 28. 23. *Sit cælum, quod ſupra te eſt, æneum:* id eſt, anima: ita ut nullos contritionis imbres emittat, *& terra, quam calcas, ferrea:* corpus, quod domari debet, ferreum eſt, cùm non poteſt arari mortificatione. Septimò, peccatori ſunt compedes & manicæ ex ferro, Pſ. 149. 8. *Nobiles eorum in manicis ferreis.* S. Hier. in compedibus: manus & pedes ligat crudelitas pleriſque nobilibus, ne ſint liberales erga pauperes: idem vitium aliis ſæpè divitibus adhæret. S. Hier. vertit, inclytos: Sept. ἐνδόξους. Chald. pretioſus, qui in pretio habentur. Apollinaris reddit, ἐντίμους, valdè pretioſos. Octavò, nobiles illi & divites peccatores curribus utuntur, ſed ferratis; ut inopem conterant, & dejiciant, Joſue 17. 16. filii Joſeph, id eſt, viri tribus Manaſſe & Ephraim, dicunt Joſue: *Non poterimus ad montana conſcendere*, (ad innocentes, vel excelſam virtutem) *cùm ferreis curribus utantur Chananæi*; id eſt, curribus falcatis, qui falcibus & gladiis armati in hoſtium acies immittebantur, & obvia quæque demetebant. Horum curruum authorem facit Cyrum Xenophon l. 6. Cyrop. Vide dicta Pſ. 19. 8. *Hi in curribus, &c.* Nonò, peccator habet loricam ferream, ut locuſtæ, Apoc. 9. ℣. 9. id eſt, obſtinationem omni telo divino & humano impenetrabilem, ut cor dolore nullo tangatur, & amore ſalutis. Decimò denique, dejectos pauperes peccator dives conterit, Amos 1. 3. *Super tribus ſceleribus Damaſci* (Damaſcus eſt ſanguinis ſaccus: nobiles gloriantur in avorum ſanguine) *& ſuper quatuor non convertam eum: eò quòd trituraverint in plauſtris ferreis Galaad.* Sept. in ſerris, Symm. in rotis, Tigur. in raſtris, Vatabl. in tribulis. Hebræi, ut ait S. Hieron. habebant genus plauſtri, quod rotis ſubter ferreis, atque dentatis volvebatur, ut excuſſis frumentis, ſtipulam in area contereret, & comminueret.

Arbor in Java, habens medullam ferream.

141. Nota 2. Deus omnes prorſus peccatores conterit, ut vas figuli, ſed præcipuè ſuperbos, Iſai. 10. 33. *Ecce Dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore*, id eſt, Sennacherib ſuperbum & blaſphemum, cujus exercitum confregit Angelus, cæſis unâ nocte centum octoginta militum millibus. Hebr. פארה *phura*, ſignificat lagenam, lagunculam. Secundo, ramum, unde Arias vertit, *excidit ramum.* Tertiò, gloriam: omnis gloria impii periit cum ipſo.

1. Deus conterit ſuperbos.

Chriſtus ipſe ſuperbos conteret, Iſai. 41. 25. *Suſcitavi ab Aquilone, & veniet ab ortu Solis:* ſive Abrahamus è Meſopotamia, ut explicat Sanctius: ſive Cyrus è Perſide, quæ eſt Septentrionalis & Orientalis Judææ, ut S. Thom. Uterque autem fuit typus Chriſti, de quo exponit S. Hieron. & S. Cyrillus, *vocabit* (id eſt, invocabit) *nomen meum, & adducet* (Forerius, invadet) *magiſtratus.* Hebr. סגנים *ſeganim*, principes, ut vertunt Arias & Pagninus. Principes magnos, ut R. David in lib. radicum. In Miſnah ait *ſagan* eſſe Sacerdotem ſecundum à ſummo Pontifice, & Mercerus docet *ſignata*, Dan. 3. dici de iis, qui eſſent ſecundi à Rege. Quomodo autem illos Magiſtratus Deus ſit puniturus, patet, cùm additur: *Adducet Magiſtratus quaſi lutum, & velut plaſtes* (id eſt, figulus) *conculcans humum.* Chald. vertit: Et veniet, & calcabit poteſtates (aut dominos: vel, præfectos) gentium, ſicut, qui calcat lutum; & ſicut figulus, qui lutum præparat. R. David in Commentario, veniet ſuper Reges gentium, ſicut lutum, & ſicut figulus ſuper lutum, qui calcat illud pedibus ſuis: ut illud ſcilicet præparet ad vaſa facienda. R. Abraham ſenſum reddit, cùm ait: Et ingredietur terras, vel caſtra magnorum principum, & conculcabit eos.

Calcante Deo, quis non conteretur? Iſaias priùs dixerat ℣. 14. *Noli timere vermis Jacob*, id eſt, gens Judæorum ab Aſſyriis afflicta, ait S. Thomas: De Apoſtolis & Chriſtianis etiam ad literam exponit S. Hier. & Adamus. De ipſo Chriſto à Judæis afflicto poſſis exponere: hic eſt enim teneritimus ligni vermiculus, 2 Reg. 23. 8. in Jesbaam figuratur, & Pſ. 21. 7. dicit: Ego ſum vermis, & non homo, ℣. 15. additur: *Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans novum habens roſtra ſerrantia*, dentatis & ſerrantibus rotis aut tribulis inſtructum & armatum ad conterendas ſegetes ac triturandas, id eſt, excutienda grana, *triturabis montes, & comminues, & colles quaſi pulverem pones.* (Dicetur ſuperbo, inſtar montis & collis tumeſcenti: Pulvis eſt, & in pulverem reverteris, Gen. 3. 19. Similis Altiſſimo eſſe voluerat Lucifer, & dejectus eſt: Adam, ſicut Deus eſſe optaverat, & in pulverem ſuum rediit) *Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo diſperget eos.* De Rege Aſſyriorum Sennacherib dicit idem Propheta cap. 16. 4. *Finitus eſt pulvis.* Sic vocatur autem: Primò, ob militum innumeram multitudinem. Secundò, quia levi Angeli flatu & exercitus ille periit, & ipſe fugatus eſt in terram ſuam, ubi periit à filiis occiſus.

Verè ait Rhianus: Qui ſecundam fortunam, & opes à Deo collatas habuerit, & regnum in multos: hic obliviſcitur, quòd, γαῖαν πόσσιν ἐπιστείβει, terram pedibus calcet, & mortales et ſint parentes: ſed arrogans, & animo peccans ἴσα Διὶ βρομέει, *inſtar Jovis ſonat*, & caput ſupra cervicem tollit, quamvis, ἐὰν ὀλίγος, parvus ſit. Sed Ate levibus accurrens pedibus in vertice capitis inſperata, nullique viſa inſiſtit: ita ipſe. Aten finxit Homerus Deam eſſe, quæ homines malis implicat, menteſque ſeducit & perturbat. Eſt Dei vindicta ſceleratos inſequens. Lege cap. 36. & 37. Iſaiæ, & ſuperbiam Sennacherib, & punitionem videbis. Ad eam alludens cap 30. ℣. 30. agit agens de impiis in inferos detrudendis: Auditam faciet Dominus gloriam vocis ſuæ, & terrorem bracchii ſui oſtendet in comminatione furoris, & flamma ignis devorantis: allidet in turbine, & in lapide grandinis. Et ad rem ℣. 31. & 32. *A voce enim Domini pavebit Aſſur* (diabolus, & tyrannus, atque oppreſſor quilibet, ut S. Hier. exponit) *virgâ percuſſus. Et erit tranſitus virgæ fundatus*, id eſt, ut ait Cornelius, virga hæc Dei tranſiens per reprobos, eoſque percutiens, erit fundata: id eſt, fortis, firma, ſtabilis, & perpetua in inferno.

Michææ

Digitized by Google

Michææ c. 3. *Ecce Dominus egredietur de loco ſuo: & deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ*, ſuper optimates Iſraël: *& conſumentur*, נמסו *namaſſu*, liqueſcent, ut vertit Arias, *montes ſubtus eum: & valles ſcindentur ſicut cera à facie ignis, & ſicut aqua, quæ decurrunt in præceps*, Iſaiæ 37. 26. *Factum eſt in eradicationem collium compugnantium.* Id eſt primò civitatum in collibus Judææ ſitarum, & in Aſſyrios ſimul pugnantium. Secundò, S. Hieron. accipit de principibus ſimul inter ſe diſſidentibus. Deus enim ſæpè per mutuas diſcordias ſuperbos deſtruit. De exciſione, contritione, & eradicatione Amorrhæi, ſub ſpecie excelſæ cedri. Vide Amos 2. 9. Hebraicè רמם *ramam* ſignificat exaltavit, excelſus & altus fuit. Hinc oritur רמה *rimma*, id eſt, vermis, nempe ſuperbia. Ut enim ait S. Auguſt. Vermis divitiarum eſt ſuperbia; ſed ex illo alius oritur, de quo Iſai. 14. 11. Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Præterea ex *ramam* deſcendit etiam ירם *jarum*, vermiculabit, Exod. 16. 20. Ad diſtinctionem *ram*, exaltabitur: minima punctuli differentia. In ipſa excelſitate vermis eſt corrodens, & medullam tollens, ita ut ſequatur ruina.

143. 2. Conterit avaros. Secundò: Avaros etiam conteret Deus, ut ſtatuam auream, Dan. 3. 35. *Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta quaſi in favillam æſtivæ areæ*, (Chald. fuerunt quaſi paleæ æſtivarum arearum) *quæ rapta ſunt vento*, (cùm ſegetes in areis excuſſæ agitantur, & ventilantur. Favilla eſt propriè ſcintilla inde deſtituta, ſumitur tamen pro quovis cinere & pulvere) *nulluſque locus inventus eſt eis:* ferrum, teſta, æs, argentum & aurum in cineris redacta, nullo in loco conſiſtebant; ſed ſimul mixta in aëre ludus venti hac illac volvebantur ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum. Idem accidit avaris dejectis ad ima fortunæ. Comparare poſſis idolis, de quibus Ribaden. in vita S. Juliani menſe Januar. die 9. Cùm enim Marciani juſſu in templum idolorum S. Julianus ductus eſſet, oraretque, pluſquàm quinquaginta idola aurea, argentea, & ex variis metallis conflata, corruerunt, & in pulverem redacta ſunt. In aliud poſtea templum ductus eſt, ubi pavimentum erat aureum, & laqueare gemmis collucens: cùm ibi orationem funderet, idola omnia in fumum abiverunt; templum verò ita corruit, ut, ne appareret quidem locus, ubi anteà extitiſſet; circiter mille Idolorum Sacerdotes occiſi ſunt. Avaritia eſt idololatria, Epheſ. 5. ℣. 5. *Avarus, quod eſt idolorum ſervitus.* Ita eſt ſervus, ut ſit ipſemet ſei vitus. Avarum ibi ſumi vult Benedictus Juſtinianus pro eo, qui voluptates avidè conſectatur, eaſque in lucro ponit; quippe qui eas ad Deorum cultum referat. Sed meliùs S. Ambr. S. Chryſoſt. & S. Hier. de Avaritia propriè dicta.

S. Julian. oratione redegit in pulverem idola plurima.

Hæc idola evertit Deus, Amos 9. 1. *Vidi Dominum* (oculis corporis, ut vult Euſeb. l. 1. demonſtr. Evang. c. 18. & Albertus) *ſtantem ſuper altare in* Jeroſalem, ut placet S. Hier. & Lyrano, qui volunt eſſe prophetiam contra duas tribus; vel potiùs in Bethel, ubi Jeroboam vitulos aureos poſuerat adorandos: nam contra decem tribus prophetat, ut ait Rufinus & à Caſtro, *& dixit: Percute cardinem* כפתור *capthor*, quod Arias vertit ſphærulam: R. David pomum, vel quod eſt inſtar pomi rotundum, & capitellum. Tigurina, limen, Sept. propitiatorium. Arab. Alex. rationale Pontificis. Sed noſter meliùs vertit cardinem: ſive, quia factus eſt in modum ſphærulæ: ſive, quia ſua vertebra regitur. Rad. כפר *caphar*, tegere, operire, occludere. *Et commoveantur ſuperliminaria.* Hebr. ספים *ſiſſim* potes, ut vertit R. David, Pagn. & Arias, portæ extrinſecæ, ut Arabs. Nota, Euſeb. lib. 1. demonſtr. c. 18. putat realem fuiſſe terræ motum. Cornelius verò fuiſſe Imaginarium, ſicut & viſionem: utroque modo avarus concutitur: unde ſequitur: *Avaritia enim in capite omnium.* divina verò & Deus, in, & ſub pedibus. Nota, בצע *beſa*, ſignificat 1. Vulnus. 2. Cupiditatem, concupiſcentiam, quæſtum, lucrum, avaritiam, rapinam, oppreſſionem, quæ gladii inſtar vulnus infligunt, ut ait Mercerus. Hinc נשך *naſach*, quod propriè eſt mordere, ad uſuram transfertur. Sept. verterunt, diſſeca in capita eorum. Tigurina, univerſorum capitibus vulnus infige. Arias, conciſio eorum in capite omnium, & caput avari diſſecatur & conciditur per vana & inania deſideria, & per afflictiones ab iis acceptas capita omnium torquentur. Sic avarus torquet alios & ſeipſum, Mich. c. 5. 1. *Nunc vaſtaberis filia latronis*, ad id poteſt applicari. Nam Hebr. *hithgodedi* ſignificat, vaſtabis teipſam. Eſt enim octavæ conjug. quæ vocatur hithpael, in qua eſt idem agens & patiens, & actio denotatur ejuſdem in ſeipſum. Nota, filiam latronis, id eſt, latrociniis dudum deditam, & adhuc latrocinantem, alii cenſent eſſe Jeruſalem, tum ob pauperum oppreſſionem, tum ob Prophetas occiſos, & Chriſtum ipſum, ut dicunt S. Hier. Remig. Rupert. Albertus, Clarius, Vatabl. 2. Alii cenſent eſſe Babylonem, cujus Reges varia regna expilârunt & everterunt: ipſa per Cyrum eſt vaſtata. 3. Alii intelligunt Damaſcum & Syriam, unde latrunculi in terram Iſraël frequenter excurrerunt, expilata eſt per Salmanaſar Regem Aſſyriorum. 4. Alii denique putant eſſe Aſſyriam, & caſtra Sennacherib, quæ ab Angelo vaſtata ſunt. Tropolog. filia latronis, eſt anima latrocinans, quòd ad vanos ſibi gloriam arrogantes transferre poſſis, aut ſimpliciùs ad avaros & filios avarorum. Timeant ſibi, & liberis ſuis avari: in arena fluctuante ædificant.

Poſſis etiam adaptare, quod addit Michæas c. 5. ℣. 5. *Cùm venerit Aſſyrius in terram noſtram, & quando calcaverit in domibus noſtris*, (per avaritiam dona aliena occupando) *ſuſcitabimus ſuper eum ſeptem paſtores*, (Chald. reges) *& octo primates homines.* Septem & octo, id eſt, ingentem multitudinem: ſicut Eccl. 11. 2. Da partem ſeptem, nec non & octo. *Et paſcent terram Aſſur in gladio, & terram Nemrod in lanceis ſuis.* Nota 1. Aſſur ſignificat beatum, felicem. Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt. Secundò, terra Aſſur eſt Niniva, & ſignificat pulchram, ſpecioſam, locum paſcuis amœnum. Tertiò, Nemrod ſignificat rebellem, humiliatum, attenuatum; Qui in Deum rebellat, ut diteſcat, ab eo dejicitur. Vidi impium ſuperexaltatum, &c. Ac Pſ. 48. 16. *Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos*, id eſt, paſcet. S. Auguſt. *Mors paſtor eſt eis.* Sed ut eos depaſcatur, & tamen conſervet: loco velleris dabit eis tineas & vermes rodentes. In hoc etiam Mundo bellis impii atteruntur, Iſai. 25. 2. *Poſuiſti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum*, (Sept. impiorum) *ut non ſit civitas, & in æternum non ædificetur.* Hebr. ארמון *armon*, ſignificat non domum quamlibet, ſed domum ſuperbam potentum & divitum palatium. Domum illam, quæ etiam civitas dicitur, vult Cornelius eſſe Orbem terrarum, quæ majori ſui parte eſt impiorum civitas, qui per vitia alieni à Deo facti ſunt, cùm priùs per creationem, ac præcipuè per regenerationem & ſanctificationem in Baptiſmo, aut in Sacramento eſſent filii Dei.

Tertiò, conteret Deus ut vaſa figuli deditos deliciis & voluptatibus, Eccl. 12. 5. *Excelſa quoque timebunt, & formidabunt in via, florebit amygdalus*, (Hebr. שקד *ſaked*, q. d. vigilans, quòd amygdalus prima omnium arborum floreat, unde ſæpè flos ejus perit ob gelu: eſt ſymbolum fructus præcoces hujus vitæ amantium atque delicias) *impinguabitur locuſta*, cicada, ut Avenar. Buxtorf. & Tigurina habent: figurat ſaltibus & cantibus in voluptatum pratis vitam inutilem terentes) *& diſſipabitur capparis.* (voluptas, ut legit Schirvodus. 2. Voluntas, ut Marinus. 3. Appetitus, ut Avenarius & Campenſis. 4. Aviditas, ut Arias. 5. Concupiſcentia, ut Pagnin. Deduxerunt ab אבה *aba*, velle, concupiſcere, deſiderare. Noſter verò qui vertit *Capparis*, deduxit אב *eb*, arbor, arbuſtum, pomum, fructus, viror. Eſt autem Capparis, ut ait Plinius, firmioris ligni frutex, ſeminis & cibi vulgari Adde, frutex eſt ſenticoſus, & humilis, baccis oleæ; ſed minoribus, quibus fatiſcentibus emicat 144. 3. Conterit voluptuoſos.

flos

floſ roſeus, candidus odoratuſque; qui, poſtquam decidit, glans extuberat oblonga, ſeminia acinoſi plena. Nota, Capparis excitat appetentiam cibi, & voluptatis concupiſcentiam, ut tradit Ruell. de ſtirp. lib. 2. cap. 105. Valeſius de ſacra Philoſophia, cap. 66. Avicenna lib. 2. c. 102. Itaque poteſt eſſe voluptatis ſymbolum. Vernaculè vocamos *cappres*. Plin. lib. 13. cap. 23. agens de cappari monet *cavenda ejus genera peregrina. Siquidem Arabicum peſtilens, Africanum gingivis inimicum, Marmaricum vulvis & omnium inflationibus, Apulum vomitus facit, ſtomachum & alvum movet*. Itaque, probabile eſt in Palæſtina vicina Arabiæ, capparim fuiſſe noxiam, cùm Plinius velit vitari omnia peregrina. Omnis voluptas, quæ extra Deum eſt, aliena & peregrina eſt atque peſtifera, & citò perit. Ubi habemus, & *diſſipabitur capparis*, Cajetanus vertit, *frangetur*. Campenſis, perit. Vatablus, extinguitur. Symmachus, diſſolvitur.

Ad rem noſtram adhuc magis eſt, quod ſequitur: *Quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ*, (eſt periphraſis ſepulchri) *& circuibunt in platea plangentes*; præficæ, quarum officium & domi & foris defunctum, cùm efferebatur, luctu & planctu proſequi, atque cantu lugubri. Additur ℣. 6. *Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea*, (priuſquàm vitæ filum abrumpatur, & illa pulchritudo, quæ in corpore elucet, ac veſtium ille ſplendor, atque opum & honorum radii, evaneſcant: & anima, quæ inſtar diadematis aurei hominem coronat, ad locum ſuum evolet) *& conteratur hydria ſuper fontem, & confringatur rota ſuper ciſternam*: corpus penitus diſſolvatur in mediis deliciis. S. Hier. *Contritia*, ait, *hydria ſuper fontem, & confractio rota ſuper lacum, per metaphoram mortis ænigmata ſunt. Quomodo hydria, quæ conteritur, ceſſat haurire: & rota, per quam de lacu & de puteis levantur aqua, ſi confracta fuerit, ſive (ut alii interpretes voluerunt) in ſuo funiculo convoluta, aqua uſus intercipitur: ita & cùm funiculus argenti, ſi fuerit interruptus, & anima rivus recurrerit ad fontem, interibit homo*. Itaque Deus eſt prima vitæ ſcaturigo. Anima, quâ corpus vivit, rivus eſt aut lacus ex fonte collectus. Vitæ functiones, & uſus vitalis autæ, funiculus argenti. Corpus ſuum, hydria vel rota. Hanc ſi in funiculo convolvas; id eſt, ſi vitæ functiones corpus non poſſit obire, vel ſi hydriam & cadum confringas, vitam ex anima non accipiet fragile & caducum corpus iſtud.

Typus etiam divitis voluptuoſi à Deo contriti eſt vitulus aureus à Moſe combuſtus, contritus, & in aquam disjectus, Exod. 32. 20. *Arripiens* (Moſes) *vitulum, quem fecerant, combuſſit*, in ignem certis herbis adjectis immiſit, ut in maſſam difflueret, & velut in carbonem redigeretur, *& contrivit uſque ad pulverem*, donec in pulverem minutum reſolveretur: *quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſrael*: aurum potabant, ſed in pulverem redactum, diffluens, & mixtum aquâ, aut potius in aqua perditum. Mors vitam continuò rapit, atque divitias diſſipat, & doloribus innumeris immiſcet.

Inclama itaque amatori pietatis, quod dicebat Deus Jerem. cap. 2. *Deſcende in domum figuli*. Conſidera corpus tuum figlinum & luteum. Inclama autem ſceleratis, quod ait Joël cap. 3. 14. *Populi, populi* (id eſt, multi populi) *in valle conciſionis: quia juxta eſt dies Domini* (dies judicii, eſt dies Dei, ſed eſt nox impii: hæc vita eſt dies noſter, in quo, dum lux eſt, licet operari) *in valle conciſionis*: ubi conterentur & concidentur atque cædentur impii. Vertere poſſis, in valle exciſionis aut conſumptionis. Sept. in valle judicii. Arab. Alex. in valle Joſaphat. Chald. in valle diviſionis judicii. In qua ſeparabitur palea à tritico, & agni ab hœdis. Tigurina, in valle excuſſionis. Ubi omnia peccata & virtutes excutientur, ut videatur, quid ibi ſit ſolidum, quid inane, quid leve, quid pulvereum & vanum.

ARTICULUS VII.

Reges Chriſtianos decet ſapientia.

VErſibus præcedentibus, Chriſto à Patre æterno collata ſex vidimus. Primò, quòd ſit Rex totius Verſ. 10. 1. Pars.
Eccleſiæ & Orbis. Secundò, quòd ſit Legiſlator, 145.
legem Evangelicam ſanciens. Tertiò, quòd Filius Sex à ſer-
Dei ab æterno genitus. Quartò, Hæres omnium vis ſuis
Dei bonorum. Quintò, Paſtor virgâ æquitatis gre- Chriſtus
gem Dei regens. Sexto, Judex errantes corrigens. requirit.
Nunc Propheta noſter ſex quoque à ſubditis tanti Regis exigit, ac præſertim à Regibus & Judicibus. 1. Ut intelligant. 2. Ut erudiantur. 3. Ut ſerviant in timore. 4. Ut exultent cum tremore. 5. Ut apprehendant diſciplinam. 6. Ut in eo confidant.

Ac primò, Reges monet, ut intelligant, verſ. 10. 146.
ET (id eſt, igitur) NUNC REGES INTELLIGITE, ERU- Reges
DIMINI, QUI JUDICATIS TERRAM, q. d. Cum ita vult
que videatis Chriſtum eſſe Regem, Dei Filium, intelli-
&c. ac punire & conterere ſceleratos, intelligite. gentes.
Septuag. Syr. & Magnetius, *ſapite*. S. Hieron ut illationem hanc clarius denotaret, vertit: *Nunc ergo*, &c.

Quæres primò: De quibus Regibus ſit ſermo? Quos
Reſpondet primò Eugubinus, hæc ad ſola tempora reges?
Antichriſti pertinere, cùm in fine agatur de judicio. Primò.
Sed id eſt anguſtius, cum omnes gentes paulò antè datæ dicantur Chriſto in hæreditatem ſtatim, atque Rex conſtitutus eſt.

Secundo, de ſolis impiis agi vult Vatablus: Alii Secundò.
magis adhuc reſtringunt ad eos Reges, qui in Chriſtum aſſurgunt.

Tertiò: Origenes ſuſpicatur ad literam Sanctos Tertiò.
intelligi, quia non dicuntur Reges terræ. *Propriè*, inquit, *Rex dicitur, qui novit innocentes imperare, & cui cælorum hæreditas obtingit, & futurus eſt in regno Dei, & ſibi ipſi magno labore imperat, ne amplius vincatur à peccato, quod in noſtro mortali corpore regnare niſitur*. Sanctus etiam Auguſtinus interpretatur de jam contritis & renovatis, volentibus regere, quicquid in eis ſervile ac beſtiale eſt. Bruno vocat Reges dominatores vitiorum. Hi ſunt verè & perfectè reges, qui verò vitiis ſerviunt, ſunt tantùm principes picti. Philo lib. de agricultura, *σοφοὶ μόνοι*, ait, *πρὸς ἀλήθειαν βασιλεῖς εἰσιν Sapientes ſoli, veri reges ſunt*. Et alibi, eam regiam dignitatem à ſapiente auferri poſſe negat. *μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερός τε καὶ ἄρχων, κἂν μυρίους τοῦ σώματος ἔχει δεσπότας, Solus ſapiens liber eſt ac princeps, licèt innumeros corporis dominos habeat*.

Quartò: Cenſeo ad omnes prorſus reges & ſu- Quartò,
premos principes omnium nationum, & omnium & genui-
temporum, verba Prophetæ eſſe extendenda. Nulla nè.
enim eſt ratio, cur ad hos potiùs, quàm ad illos ea coarctemus, & vult Rex Regum omnes ſalvos fieri, & ad omnes miſit legem ſuam & legatos. Petrus Bleſenſis ſerm. 41. quatuor regum genera diſtinguit. Primò, reges gentium. Secundò, reges tenebrarum ſeu dæmones. Tertiò, reges animarum, qui ſunt ſacerdotes. Quartò, reges corporum, quæ ſunt animæ. Ad omnes illos Davidem vult converti, exceptis ſecundis. Sed ad literam de ſolis regibus gentium, à quibus non excludo reges Judæorum, intelligo: Tropol. de animabus id dici poteſt. Accommodatitiè, de ſacerdotibus ſpectando tantùm poteſtatem ſpiritualem.

Quæres ſecundò: Quid debeant intelligere? Re- 147.
ſpondet primò Lorinus, præſertim reges illos mo- Quid
neri, ut Chriſti ſequantur exemplum, tum probos debeant
conſtanter tuendo, tum improbos durè coërcendo. reges in-
Reſpondeo ſecundò, incitari præcipuè ut *nunc*, id telligere.
eſt, tempeſtivè, maturè, quando opportunum eſt, dum pœnitentiæ locus & tempus conceditur, quamdiu licet, vel hoc tempore prædicationis Evangelicæ, *intelligant*, id eſt, ſapiant, prudenter agant, reſipiſcant: Chriſto verò & ſupremo Regum omnium Regi ſponte ſubjiciantur: & quia ordinariè, ex pravo judicio ſequitur pravus affectus, primùm

primùm

mùm hortatur eos, ut erudiant judicium, intelligant veritatem, & agnoſcant, hunc eſſe Regem, ita Genebr. & Bellarm. favet Aquila, cùm vertit, *ſcientiam ſuſcipite*. Quomodo ſapientia, ſcientia & intellectus differant, vide apud S. Thom. 2. 2. q. 57. art. 2. & quæ dixi Pſalmo 110. ℣. 10. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*. Varias ſpecies prudentiæ refert idem S. Doct. art. 6.

148. 1. Reges decet ſapientia, ut Lucani.
Nota, Reges decet ſapientia. Primò, ut ſe & alios illuminent. Reges enim ſunt Soles regnorum: unde Alexander ille nomine & factis Magnus dixit, neque in cœlo duos Soles, neque in uno regno reges duos eſſe poſſe. Innuebat ſcilicet, reges eſſe populorum ſuorum Soles, & quidem apud Perſas Sol erat regum hieroglyphicum: Primus eorum Rex, qui victâ Babylone fuit Aſiæ monarcha, vocabatur Cyrus, id eſt, *Sol* lingua Perſica, ut ait Plutarch. in Artaxerxe Mnemone. Hinc ferunt eum in ſomnia vidiſſe Solem ad pedes ſuos aſtantem, cùmque eum Cyrus vellet capere, Solem aufugiſſe, idque tertiò: rogati divini, quidnam hoc portenderent? Reſponderunt: portendi Cyrum per triginta annos regnaturum.

Sunt reges Soles. Cyri cognomen. Solem vidit ad pedes ſuos ſtantem.

Cùm Nectanebus Ægypti rex in throno ſederet, regiâ veſte effulgens, & capite cidarim gemmeam geſtans, principumque ſuorum flore circumſeptus, ab Æſopo petiit, cui ſe ſuosque ſimiles cenſeret? Tum ille: *Te, Soli verno: hos autem ſpicis pretioſis ſimiles judico*. Quo dicto Rex ſummopere delectatus, eum regiis donis cumulavit. Etiam cùm foras prodit rex, Solis inſtar emicat. Nicetas Choniates lib. 3. de Iſaacio Angelo ait: *Ut ſponſus è thalamo, aut ut Sol ab Oriente, ita ipſe è palatio quotidie prodibat*. Ex regis benevoli vultu radii ſolares & vivifici emicant, Prov. 16. 15. *In hilaritate* (Hebr. Chald. in luce) *vultus regis, vita*. Quantò magis mens ejus debet ſapientiâ lucere? Hæc eſt lux oculorum mentis. Clemens Alex. lib. 1. pædag. cap. 9. νόησις ὄψις ἐςὶ ψυχῆς, *intelligentia animæ oculus*. Eripe oculum corpori, & Mundi Solem, carceres erunt latumiis Siculis funeſtiores: ſapientiam evelle ab anima, infernus eſt caverna tartareis tenebricoſior. Dives & nobilis inſipiens eſt vaſta mole Cyclopes Polyphemus oculo orbatus, in omnes infrendens, omnibus terrorem incutiens, in rupes impingens, ad ſingulos greſſus cæſpitans, & ſibi ſubjectos in exitium trahens. Qui verò ſapientiam habet, eſt ſimilis Patriarchæ Jacob Principi Hebræorum, quem Joſeph vidit per Solem repræſentari, Gen. 37. 9. & omnibus lucem præfert. Hoc vidit Codinus Curopalata de offic. & officialibus aulæ Conſtantinopol. cap. 6. num. 37. *Lampadem*, ait, *praferunt Imperatori propter illud Chriſti: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*. Perſæ id faciebant, quia ignem & Solem adorabant, & ut hoſti terrorem inferrent, quod indicatur, Joël. 2. 3. *Ante faciem ejus ignis vorans*, &c. agit de igne, qui præferebatur regibus Chaldæorum, à quibus ritum illum Perſæ acceperunt.

Nectanebus Soli comparatur.

Intelligentia animæ oculus.

Imperatoribus lampas praiata. Regibus Perſarum. Et Chaldæorum ignis præferebatur.

149. 2. Reges decet ſapientia, ut regna firment.
Secundò, Reges decet ſapientia, ut regna ſua ſtabiliant, Prov. 24. 5. *Vir ſapiens fortis eſt*. (Aben Ezra, robore præditus invenitur) *& vir doctus* (Hebr. vir ſcientiæ) *robuſtus & validus*. Hebr. מְאַמֶּץ *meammes*, fortificans, roborans, erigens, כֹּחַ *ceah*, potentiam, vires, robur, virtutem. Sapientia enim virtutem auget. S. Bern. tract. de vita ſolitaria ad fratres de monte Dei: *Quia eſt virtus, ait, filia rationis, ſed magis gratiæ. Vis enim quædam eſt ex natura: ut autem virtus ſit, habet ex gratia*. Syr. Chald. & Septuaginta rem adhuc adaugent, cùm vertunt, præ robuſto elegerant *me ummis*, Chald. Melior eſt ſapientia robuſto, & vir ſcientiæ magis, quàm qui accinctus eſt fortitudine ſuâ. Syr. & doctus gigante robuſto. Sept. & vir prudentiam habens agricola magno. Hoc viſum eſt in Jacob, qui ſupplantavit Eſau verum agricolam, ad quem hic alludere coarbitror. De his habes, Gen. 25. 27. Factus eſt Eſau vir gnarus venandi, *& homo agricola*. Hebr. *vir agri*. Sept. ἄγροικος, id eſt, ruſticus, qui in agro vivit, apud Ariſtoph. pro imperito, illepido & inurbano uſurpatur à Platone, ſicut apud latinos agreſtis. *Jacob autem vir ſimplex*. Hebr. תָּם *tham*, perfectus, integer, innocens, *habitabat in tabernaculis*, id eſt, domi. Nam domus Patriarcharum erant tabernacula, ſive tentoria. Doctores Hebræorum illa tabernacula interpretantur ſcholas, quas Jacob frequentabat, ad ſapientiam & Dei timorem perdiſcendum. Una, inquiunt, erat ſchola Melchiſedech, ſive Sem. (Sed illis non aſſentior Sem & Melchiſedech confundentibus) Secunda Heber, tertia Abrahæ. Chald. Paraphraſis habet, Jacob erat vir integer, & *miniſter*, ſeu auditor, *domus doctrinæ*. Sed potiùs erat ibi Doctor, quàm diſcipulus, natus jam tum annos ſeptuaginta ſeptem, cùm à patre accepit benedictionem. Monet filium ſuum rex Salomon, Proverbiorum 5. 15. *Bibe aquam de ciſterna tua*. Septuaginta & Arabs, de vaſis tuis. S. Hieronymus Ezechielis 32. de tuis aquis, *& fluenta putei tui*. Syrus, ex fonte tuo. Fons exhauriri non poteſt. S. Ambroſius libro de Iſaac capite 4. per puteum & fontem intelligit ſapientiam & moralem doctrinam. Didymus autem in Catena Græca ait: Divinarum rerum cognitio, & puteus & fons eſt. Illis, qui ad virtutis ſtudium primùm accedunt, puteus eſt: fons verò iis, qui ad illius faſtigium jam pervenerunt. Atque ita Chriſtus Salvator noſter ſuper fontem ſediſſe ſcribitur: Samaritana verò, fontem illum puteum nominabat. Ajebat enim: neque, in quo haurias, habes, & puteus altus eſt: ita ipſe. Dicebat Alphonſus, rex Aragonum, perabſurdum eſt, reges ab aliis regi, & duci, ut ait Panorm. libro 2. de ejus rebus geſtis. Ita ſtudioſus fuit ſcientiæ, ut pedes ad lectionem veniret, licèt ſatis longè diſtaret gymnaſium: & ſcholas, præſertim Theologorum magnificè exornari curavit, ut idem tradit libro 1. & 4. Carolus verò IV. Imperator poſt auditas Philoſophorum diſputationes quatuor horis continentibus in ſchola Pragenſi, inſtantibus Proceribus, & tempus cœnæ eſſe dicentibus, ait: *Mihi minimè tempus eſt: Nam cœna mea hæc eſt*, ut teſtatur Æneas Sylvius, poſteà Pius II. ſummus Pontifex libro 4. comment. Regem Angliæ Henricum II. ſic commonebat ad ſapientiam, & ad propoſitum noſtrum aptiſſimè in ea regni vires ſitas eſſe edocebat, epiſtola ad eum datâ Rothrodus Archiepiſcopus Rothomagenſis, atque ut filium humaniori literaturâ excoleret, hortabatur: *Scites, quòd totius prudentiæ compendium in literis continetur. Si Reſpublica gerenda eſt, ſi prœlia committenda ſunt, ſi caſtra metanda, ſi machinæ erigendæ, ſi renovandi aggeres, ſi propugnacula facienda, denique ſi quies libertatis, ſi juſtitiæ cultus, ſi reverentia legum, ſi finitimarum gentium amicitiæ ſunt firmandæ, libri hæc omnia erudiunt ad perfectum. Rex equidem ſine literis, navis ſine remige, & volucris ſine pennis*.

Carolus Imp. amat ſcientiam.

Prudentiæ compendium in ſcientia.

Hinc Sapiens præfert ſapientiam robori corporis, Sapientiæ 6. 1. *Melior eſt ſapientia, quàm vires, & vir prudens, quàm fortis*. Ubi Robertus Holcoth, finis, inquit, ſapientiæ eſt, hominem reddere dignum ad alios gubernandum & regendum: ita ipſe. Hinc addidit verſu 2. *Audite ergò reges, & intelligite*, (Septuaginta, σύνετε, ſapite) *diſcite judices finium terræ*. Præbete aures vos, qui continetis multitudinem, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, &c. Seneca vires ſapientis amplificat epiſtula 60. *Sapiens ad omnem incurſum invictus & intentus eſt. Non ſi paupertas, non ſi luctus, non ſi ignominia, non ſi dolor impetum faciat, pedem refert: interritus contra illa ibit, & inter illa ſapiens plenus eſt gaudio: hilaris & placidus etiam inconcuſſus cum diis ex pari vivit*.

Leo pervigil, regiæ & ſapientiæ, & fortis eſt ſymbolum. Alexandrum illum Macedonem repræſentabant nummi quidam leonino ſpolio caput indutum: tum quòd ab Hercule originem duceret, tum quòd rex ille animalium ſomni ſit parciſſimi, & ſimul atque natus eſt, cernat, ἀναπεπταμένοις τίκτεται τοῖς ὀφθαλμοῖς, apertis oculis leo naſcitur, ut ait

Leo vigilans regis eſt ſymbolum.

Ælianus libro 5. capite 39. quod illi ſoli accidit inter animalia. Plinius verò libro 37. Ferunt, ait, in Cypria inſula in tumulo regûli Hermiæ, juxta cetarias marmoreo leoni fuiſſe inditos oculos *ex ſmaragdis*, ita radiantibus etiam in gurgitem, ut thynni, exterique piſces terrore afflarentur. Reges acutiſſimi viſus eſſe oportet, ac pluſquam Lynces, ut non parietes tantùm, ſed objectos etiam montes penetrent, & diſſitiſſimos populos circumſpectent, atque modos, quibus eos in officio contineant, intelligant.

150. 3. Sapientia eſt corona regum. Tertiò: Sapientia eſt regum corona, gemmis omnibus fulgidior. Proverbiorum 4. 8. *Arripe illam*, ſapientiam ſcilicet: Chaldæus, dilige. R. Abraham, lauda. Symmachus, porta. Pagninus, exalta. Aquila, ἀνάλαβε, ſuſcipe, tene. Hebr. viam ei ſterne, *& exaltabit te: glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus.* Quænam futura ſit illa exaltatio & gloria, declarat verſ. 5. *Dabit capiti tuo augmenta gratiarum*, Septuaginta, coronam gratiarum. Chald. pulchritudinem gratiæ. Syrus, pulchritudinem charitatis, per coronam illam gratiarum accipit multitudinem virtutum & divinorum chariſmatum author Catenæ Græcorum, *& corona inclyta proteget te.* Septuag. corona deliciarum. Chald. corona decoris. Syrus, corona laudis. Symm. corona gloriæ. Ea omni parte etia glorioſus.

Proverbiorum 14. 24. dicitur: *Corona ſapientium divitiæ eorum*, non divitiæ Mundi. Senſus eſt, ut ait author Catenæ Græcorum: Opes vel gloria ſapientum eſt prudentia. Et quidem dicebat Ariſtoteles libro 11. Rhetor. *Quia regnare res ſuaviſſima eſt, etiam ſapientem videri ſuavem: prudentem enim eſſe ſapientiâ, regnum eſt.* Calanus Gymnoſophiſta ait Alexandro Magno: Rex eris, ſi te rexeris: Rex eris, ſi te ratio rexerit.

Gemmis melior eſt illa lux ſapientiæ. Proverbiorum 8. 11. *Melior eſt ſapientia cunctis pretioſiſſimis*, (Hebr. præ margaritis. R. Salomon, præ gemmis & lapidibus pretioſis. Syrus, auro puriſſimo & gemmis) *& omne deſiderabile ei non poteſt comparari.*

151. 4. Sapientia eſt ſceptrum eorum. Quartò: Sapientia eſt ſceptrum aureum & gemmatum regum. Proverbiorum 8. 15. ait Sapientia: *Per me reges regnant*, &c. ac verſu 16. *Per me principes imperant.* Philo libro de creatione Principis, ſic inducit loquentem bonum Principem: *Cùm illi reges ſceptro utantur pro geſtamine: Mihi pro ſceptro erit hoc legum compendium, hoc inſigni gloriabor, hoc me invictum reddit, & inculpabilem, ſummique Regis imitatorem.* Alludit ad morem Hebræorum regum, quos ſtatim à ſua creatione voluit Deus propria manu Deuteronomium ſibi deſcribere. *Annulus Pyrrhi regis mirabilis.* Pyrrhus manu geſtabat annulum, & in ejus palla Achatem, in quo novem Muſæ cum inſignibus ſuis ſingulæ, atque Apollo tenens citharam videbantur, non impreſſis figuris, ſed ingenitis, ut ait Solinus. Rex manu foveat literatos, & ex ſapientia ſuas actiones dirigat.

152. 5. Eſt eorum purpura. Quintò: Sapientia eſt paludamentum & chlamys regum. Apocalypſis 12. 1. mulier (quæ erat ſtellis coronata, & conſequenter regina, dicitur fuiſſe *amicta Sole*, de ſapientia dicitur Sapientiæ 7. 29. *Eſt enim hæc ſpecioſior Sole, & ſuper omnem ſtellarum diſpoſitionem, luci comparata, invenitur prior. Huic quidem ſuccedit nox. Sapientiam autem non vincit malitia.* Et capite 27. Eccleſiaſtici ℣. 12. *Homo ſanctus in ſapientia manet, ſicut Sol*, in medio cœlo: vel in radiis ſuis, quibus undique & diu noctuque veſtitur, modò hos, modò illos illuminans lucentibus ſuis operibus. Omnia enim lucent in ſapiente & cœleſti homine, per dominium in ſeipſum ſupra nebulas collocato. Eccleſiaſtici 17. 6. de Iſraëlitis; id eſt, viris Dei. Nam Iſraël ſignificat, *virum excelſum Dei*, dicitur: *Creavit illis* (Deus) *ſcientiam ſpiritus* (ſcientiam & notitiam perfectam Dei & rerum ſpiritualium) *ſenſu implevit cor illorum.* Ex corde, ut ſolari fonte, radii quaqua verſus emicant, & lux lucet, ut omnes videant opera bona. Unde ſequitur verſu 16. *Omnia opera eorum, velut Sol, in conſpectu Dei:* quid erunt in conſpectu hominum? Veſtitur radiis ſolaribus, qui ſapientiam æterni Patris habet in corde. Athen. libro 12. ait: Demetrio Regi chlamydem fuiſſe, cui *intextus erat polus*, in quo erant ſtellæ ex auro, ac duodecim ſigna zodiaci. Job Rex dicit, juſtitiam fuiſſe veſtem ſuam & diadema. Vide initio art. ſequentis.

Sextò: Sapientia eſt regum fidelis cuſtodia, vitam eorum ſervans & prorogans. Proverbiorum 3. 16. *Longitudo dierum in dextera ejus, & in ſiniſtra illius divitiæ & gloria.* Quaſi diceret, ait Vatablus, in poteſtate ſapientiæ eſt longa vita, opes & gloria. Et capite 4. 10. ſapientia hortatur omnes ad ſe audiendum, ut multiplicentur anni vitæ. Capite 3. jam dicto verſu 18. ſapientia vocatur arbor vitæ. *Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam*, (S. Auguſtinus in Pſalmum 32. poſſidentibus eam. Septuaginta, complectentibus eam. S. Hieronymus in Ezechielem 47. credentibus in eam, & in Iſaiam 65. omnibus qui accedunt ad eam) *& qui tenuerit eam, beatus*; ad rem noſtram maximè eſt Arabica verſio: *Ipſa eſt lignum vitæ, cuſtodiens omnes, qui ea proſequuntur*, (id eſt, qui ad ejus tutelam fugiunt) *& qui innituntur ei, tanquam ille qui nititur Domino.* Primò, Arboris vitæ fructus ſervabat humidum radicale & calorem naturalem. Secundò, erat ſuaviſſimus. Tertiò, ſervabat à morte: ita & ſapientia. 153. 6. Cuſtodia.

Septimò: Sapientia eſt theſaurus regum. Proverbiorum 3. 13. *Melior eſt acquiſitio ejus negotiatione argenti, & auri primi, & puriſſimi fructus ejus.* Syrus vertit: Auro purgato atque probatiſſimo pretioſiores ſunt fructus ejus. Ad rem noſtram apertè Septuaginta: *Melius eſt illam mercari, quàm auri & argenti theſauros:* pergit Salomon verſu 15. *Pretioſior eſt cunctis opibus*, (gemmis, ut Vatablus vertit) *& omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari.* Plato in Phædro inducit Socratem à Diis petentem, ut ſolam ſapientiam magni æſtimet, atque in ea divitias omnes repoſitas putet. *Date mihi*, ait, *ut pulcher intus efficiar: & quæcunque extrinſecus habeo, intrinſecus ſint amica.* πλούσιον δὲ νομίζοιμι τὸν σοφὸν, *divitem autem ſapientem ſolum exiſtimem.* Ac paucis interjectis dicit, neque equum ſine fræno, neque divitias abſque ſapientia poſſe gubernari. Breviùs & nervoſiùs ait Salomon Proverbiorum 20. 15. *Eſt aurum & multitudo gemmarum: vas autem pretioſum labia ſcientiæ*, q. d. ait Cornelius, aurum eſt pretioſum, & multitudo gemmarum eſt pretioſa: at longè pretioſiora ſunt labia ſcientiæ, præſertim in regibus. Vide dicta Pſalmo 100. 2. *Pſallam & intelligam in via immaculata.* 154. 7. Theſaurus.

Octavò denique: Sapientia eſt exercitus fortiſſimus, & invictos faciens reges. Satis de ea re ſupra, ubi diximus, ſapientia augeri vires. 8. Exercitus.

ARTICULUS VIII.

Judicibus Chriſtianis ſapientia neceſſaria eſt ac virtutes.

REgibus oculata opus eſſe ſapientia vidimus articulo præcedenti, ut ea altiſſima ſpecula deſpectantes ſubjectum populum juvare, eique in omnibus proſpicere poſſint. Optandum quidem eſſet, ut ubique locorum πανόπται illi diverſari poſſent, ſed ob regnorum amplitudinem, curarumque molem, oculorum egent manuumque alienarum: ideo judices ſibi ſubſtituunt, qui vices ſuas ſuppleant: eos autem perſpicaces & innocentes exoptans Propheta, ait Verſu decimo: ERUDIMINI (Pagninus, erudite vos) QUI JUDICATIS TERRAM. Verſ. 10. 2. Pars. 155. Judicibus eſt neceſſaria ſapientia.

Quæres, de quibus judicibus hîc agatur? Reſpondet primò, Beda intelligi eos qui in ſe & in aliis *terrenitatem* judicant & condemnant. Quo ſenſu dixit ſanctus Auguſtinus ſermone nonageſimo quartò, de tempore, *terram judicare, eſt corpus domare.* Sic etiam Salomon Proverbiorum 12. ℣. 5. *Cogitationes juſtorum, judicia.* Ut enim ait ſanctus Gregorius Quibus judicibus? Primò.

gorius libro 19. Moralium cap. 15. Juſti ab omni ſtrepitu ſæculari ad corda ſua redeunt, ibique aſcendunt tribunal mentis, atque ante oculos & proximum ſtatuunt, & deducunt ad mediam regulam teſtamenti, quâ dicitur: Quæ vultis, ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Transferunt in ſe perſonam proximi, & ſollicitè attendunt, quid ſibi, ſi ita eſſent, fieri, vel non fieri, juſtè voluiſſent. Benè ergò dicitur: Cogitationes juſtorum judicia: quia ipſe eorum motus cordis, quaſi quædam libra eſt judiciariæ poteſtatis. Ita Gregorius, qui eodem in loco docet, judicia illa juſtorum à Jobo rectè diademati comparari: quia per magni operis gloriam ad retributionis ducunt coronam. Verba Jobi ſunt capite 29. 14. *Juſtitiâ indutus ſum, & veſtivit me, ſicut veſtimento.* Septuaginta, ſicut diploide: id eſt, veſte ſuffulta: vel, tam ampla, ut duplicari poſſit. Arias, tanquam pallio. Hebr. מעיל *mehil.* Sanctus Hieronymus nunc veſtem, nunc tunicam, nunc pallium vertit. R. Kimhi vult eſſe veſtem extimam, quâ utebantur honoratiores, ut reges & Prophetæ, pallium nos vocamus. Pineda loco citato mavult de tunica explicare, ut ſignificet juſtitiam fuiſſe quaſi veſtem ejus interulam, quæ nunquam ab illo deponebatur, ſed intimè adhærebat: pergit Job, *& diademate judicio meo.* Philo libro de nominum mutatione, dicit intellectum hominis eſſe, δικαστὴν ἢ βασιλέα, *judicem & regem*, ut ſenſus, & alia ipſi ſubjecta principe optimo ducente rectè agant. Sanctus Bernardus libro de interiori domo, capite 14. omnia ſigillatim ad illud judicium facientia perſequitur. *In domo propria*, inquit, *& in propria familia habeo accuſatores, teſtes, judicem & tortores. Accuſat me conſcientia, teſtis eſt memoria, ratio judex, voluptas carcer, timor tortor, oblectamentum tormentum: quotquot enim fuerunt oblectamenta mala, tot erunt tormenta dura in pœna. Nam inde punimur, unde delectamur.* Sed ſenſus hîc eſt myſticus, ut patet.

Secundò. Secundò: Bellarminus per judices hîc vult accipi etiam reges. Hi enim ſunt judices ſupremi populorum: ſicque idem eſſe cenſet, erudimini, qui judicatis terram, atque id, quod priùs dictum eſt, reges intelligite.

Tertiò, Tertiò, meliùs & diſtinctiùs S. Thomas judices à regibus diſtinguit, & utramque vocem ſumit in propria ſignificatione.

156. Eruditio duplex neceſſaria judicibus. Primò, ſpeculativa. Nota porrò: *Eruditio* duplex judicibus eſt neceſſaria. Prima illuſtrat intellectum, eſtque perfecta cognitio rerum, judiciale munus ſpectantium. Ariſtoteles libro 5. ethicorum. Nicomach. ait, judicem debere eſſe, δίκαιον ἔμψυχον, *jus animatum*, ſeu, legem animatam: ejus enim ore lex loquitur. Itaque judex debet eſſe templum ſapientiæ, unde oracula ſua reddat juſtitia, Iſaiæ 28. ℣. 29. *Ut mirabile faceret* (Deus) *conſilium, & magnificaret juſtitiam.* Chaldæus, ſciens juſtitiam & ſapientiam eſſe ſorores à ſe invicem indiviſas, imò & indiviſibiles, vertit, *& ſapientiam magnificaret.* Unde ipſa Sapientia dicit, Proverbiorum 8. verſu 12. *Ego Sapientia habito in conſilio, eruditis interſum cogitationibus.* Hebraicè, Scientiam cogitationum ego invenio: bonas & ſanctas cogitationes. Et ℣. 14. *Meum eſt conſilium, & æquitas.* Hebraicè תושיה *thuſia*, id eſt, 1. Eſſentia, ut vertit Arias. 2. Tutela, ut ſanctus Proſper libro 1. de vocatione Gent. c. 9. reddit. 3. Securitas, ut Septuaginta. 4. Statutum, ut Cajetanus. 5. Cogitatio, ut Chaldæus. 6. Doctrina, ut Syrus. 7. Lex, ut Baynus. 8. ἀσφάλεια, hoc eſt, bona legum inſtitutio, ut Aquila, *mea eſt prudentia.* Hebraicè: *Ego ſum intelligentia.* Et ℣. 15. expreſſiùs adhuc vim ſuam in reges, conſiliarios & judices declarat Sapientia & increata, & creata. *Per me reges regnant, & legum conditores,* &c. (Vatablus, conſiliarii. Arias, conſules: vertere poſſis, legiſperiti. Hebraicè, רוזנים *rozenim*, principes vertit S. Hieronymus, Judicum 5. 3. & Iſaiæ 40. 23. R. David. in lib. rad. vertit, reges. Mercerus ait, proximum à regibus gradum obtinuiſſe, viderique doctos ab intellectûs ſubtilitate in rebus cognoſcendis, & decidendis cauſis, qui leges etiam & jura conderent, & conſultationibus gravioribus præeſſent. Rectè applicabis curiis ſupremis ſeu parlamentis, & regum conſiliariis. Pergit Sapientia verſu decimo ſexto: *Per me principes imperant, & potentes* (Syrus, judices juſti. Chaldæus, judicantes in rectitudine) *decernunt juſtitiam.*

Secunda eruditio judicibus neceſſaria ſpectat voluntatem. Eruditio ſcilicet ac ſcientia practica, id eſt, amor & deſiderium juſtitiæ, correptio & emendatio injuſtitiæ tum in ſe, tum in aliis. Sanctus Cyprianus libro 3. legit, *emendamini.* Hebraicè, הוסרו *hivvaſeru*, erudite vos, & vertit Pagninus, caſtigate vos, ut Arias. Quis enim audeat aliter ſacras purpuras & ſubſellia tangere? Judex ſibi ipſi eſſe lex debet & vindex. Syrus, *ethredau*, dominamini vobis ipſis. Ne turpe putent judices ſe corripere; ſic enim domini & reges fiunt. Quin etiam à Deo pœnas ſibi inflictas tum internas, tum externas grato animo ſuſcipiant, in hoc ſe filios ejus agnoſcentes, qui noxas virgulâ paternâ aut cenſoriâ exeunt. Septuaginta vertunt, παιδεύθητε, corripimini, ut pueri: quod Origenes *intelligit de flagellorum* diſciplina, quam à parentibus τὰ δὲ, pueri compelluntur tolerare. Ea ſuſcipiebat lubens Rex noſter. Pſalmo 37. 18 *In flagella paratus ſum.* Vide eum locum. Michæas Propheta capite 7. verſu 9. ait: *Iram Domini portabo*, (Syrus & Arabs, plagam à Domino inflictam, *quoniam peccavi ei.* Sic Mauritius Imperator videns juſſu Phocæ tyranni ante oculos ſuos quinque filios trucidari, clamabat: *Juſtus es, Domine! & rectum judicium tuum.*

Illuſtri emblemate poſſis judicum intelligentiam ſeu ſapientiam, ac virtutes delineatas intueri in Deo Judice, Apocalypſis 4. 2. & ſeq. atque in ejus aſſeſſoribus viginti quatuor Senioribus, qui ut Senatus cœleſtis Regem ſuum ac Præſidem ambiebant, verſu quarto. Nota, Deus ibi ſedet ut Judex, qui per Angelos ſuos exequatur omnia in libro priùs ſignato, deinde per Agnum aperto, contenta, & in ſeptem ejus ſigillis: partim impios puniendo, partim pios juvando & beando, tum in hac, tum in alia vita, quæ eſt tota materia Apocalyſis. 157. Deus Judex apparet S. Joanni.

Primo itaque: Deus videtur ſedens ſuper thronum in cœlo collocatum, capite quarto, verſu ſecundo. *Et ſtatim fui in ſpiritu*, (hæc non capiunt carnales: in ſpiritu eſſe, eſt in extaſim rapi) *& ecce ſedes poſita erat in cælo. & ſupra ſedem ſedens.* Juſtitia in cœlo habitat, & judicum converſatio in cœlo eſſe debet, ut neminem cognoſcant in terra, non habentes acceptionem perſonarum: atque ut jura, velut oracula à Deo data, ad homines deportent. Primò, in throno.

Secundò, per Deum rectè Judex exprimitur. Non enim ſolùm Orpheus in hymno juſtitiæ, juſtitiam vocat θεὰν, deam: ſed Deus ipſe ait Exodi vigeſimo ſecundo, verſu vigeſimo octavo: *Diis non detrahes.* Pagninus, *judicibus non maledices.* Et Rex noſter Pſalmo 81. verſu 1. *Deus ſtetit in ſynagoga deorum.* Chaldæus, Deus, cujus majeſtas commoratur in congregatione juſtorum, qui potentes ſunt in lege, *in medio autem Deos dijudicat.* Chaldæus: *In medio judicum in veritate judicat.* Vide ſenſum ibi & alia in eam rem. Philo conſiderans Moſem Exodi ſeptimo, verſu primo, conſtitutum à Deo eſſe *Deum Pharaonis*, ait lib. quòd deterius potiori inſidiari ſoleat. σοφὸς, λέγεται, θεὸς τοῦ ἄφρονος. *Sapiens, dicitur Deus inſipientis.* Et ſtatim ſubdit: *Sapiens inſipienti comparatus, Deus cenſebitur imaginatione & exiſtimatione: non veritate atque eſſentia.* Plato id etiam vidit in Phædro: *Sapientis*, ait, *cognomen magnum eſt, Deoque ſoli videtur convenire.* Judices ſine intellectu ſunt idola. Oculos habent, & non vident: cœlum cogitatione & viâ petant, ibi Deum & ab eo radios emiſſos reperient. Pauſanias in Atticis pagina tertia ait: Athenis in curia, quingentorum, qui ſummæ rerum præerant, fuiſſe ſtatuam, βουλαίου Διὸς, Conſiliarii Jovis: ut ſcilicet vel hic aſpectus eos officii commonefaceret, & opis divinæ implorandæ.

Tertiò: Deus in throno ſedens apparebat colore jaſpideo & ſardino. Apocalypſis quarto, verſu 158. Secundò, color
tertio: *Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui* (colori:

throni eſt jaſpideus & ſardinus.

metonymicè ponitur potentia vel actùs pro objecto) *lapidis jaſpidis & ſardinis.* Nota, licèt jaſpides candidi, rubri & cærulei reperiantur, optimus tamen eſt viridis, cui alba linea tranſverſa eſt, qui grammatias vocatur; itaque de eo hic eſt ſermo: ſardius verò eſt coloris rubri. Primò igitur Ribera, Andreas Cæſarienſis, & Aretas cenſent, denotari ſplendorem & pulchritudinem divinitatis per Jaſpidem, quòd ſit gemma firmiſſima, viridis, ac ſæpè pellucens, ut ait Plinius libro 37. capite octavo. Sardio autem, quòd ſanguinei & ignei coloris ſit: atque, ut tradit Aretas, feris terrorem incutiat, figurari, partim igneam, id eſt, ſublimiſſimam & efficaciſſimam Dei naturam: partim ejuſdem juſtitiam, terrorem, & vindictam in impios Antichriſti præcurſores & aſſeclas, de qua agitur in Apocalypſi. Secundò, per Jaſpidis viriditatem, intelligit Richardus à ſancto Victore ſemper virentem Sanctorum gloriam in cœlo: per Sardium verò incendium gehennæ, ad quæ duo noviſſima terminantur omnes hominum actiones. Tertiò, per has duas gemmas repræſentari *juſtitiam* & vindictam in peccatores cenſent Primaſius, Rupertus, Victorinus & Beda; per Jaſpidem quidem, qui coloris eſt aquei, denotari diluvium, quo tempore Noëmi omnes peccatores ſubmerſi ſunt. Per Sardium verò, qui rubicundus eſt, ſignificari ignem conflagrationis mundi, qui peccata & peccatores exuret. Quartò, ad rem præſentem aptiùs Pererius & Virgas his duabus gemmis volunt repræſentari Dei *juſtitiam & miſericordiam.* His enim omnis Reſpublica & totus Mundus à Deo regitur, atque inter ſe ſunt permiſcendæ. Vide dicta Pſalm. 100. 1. *Miſericordiam & judicium cantabo tibi, Domine!* ubi de ea re fusè. Miſericordia porrò rectè figuratur in Jaſpide, quòd, ut ait Dioſcorides lib. 5. cap. 160. omnes jaſpides amulata eſſe tradantur: id eſt, remedium adverſus mala medicamenta, & contra veneficia: ſanctus etiam Hieronymus in caput 54. Iſaiæ dicit: Jaſpis eſt ſmaragdi habens ſimilitudinem, quo *omnia phantaſmata* fugari autumant, vocatur grammatias. Plin. lib. 37. cap. 9. agens de jaſpidum generibus, ſic ſtatim initio ait: *Totus Oriens pro amuletis traditur geſtare eam, quæ ex iis ſmaragdo ſimilis eſt: & tranſverſa linea alba media præcingitur, & grammatias vocatur: quæ pluribus polygrammos.* Ratio Phyſica, cur Jaſpis fuget phantaſmata, eſt, quia, ut ait Galenus lib. 9. Simplicium, confortat ſtomachum: qui autem languent ſtomacho, ſæpè ſibi inania fingunt, & putant, ſe philtris ac veneficiis in eum languorem eſſe adductos. Miſericordia autem eſt in varios terrores malaque omnia amuletum certiſſimum. Juſtitiam figurat Sardius: 1. Ob colorem rubrum, ut dixi. 2. Quòd ſanguinem undecumque fluentem miro modo ſiſtit, ut ait Boëtius gemmarius, tract. de gemmis. 3. Quia vulneribus ferro inflictis & tumoribus medetur, ut ait S. Epiphanius, lib. de gemmis. 4. Feris terrorem incutit, ut dixi ex Areta in cap. 4. Apocal. ſimiliter juſtitia cædes ſiſtit, vulneratis atque injuriâ affectis ſuccurrit, ſceleratos terret. Nota, Pererius cenſet in Dei à S. Joanne conſpecti corpore, hos duos colores (viridem ſcilicet ac rubrum) fuiſſe permixtos: & quidem, ut dicit Albertus Magnus, præſtantiſſimus eſt jaſpis viridis, habens maculas rubras, ſive ſanguineas. Plinius aſſerit, optimum eſſe, qui purpuræ quiddam habeat: ſecundum, qui roſæ, tertium, qui ſmaragdi. Miſcenda eſt ſemper miſericordia judicio. Secundò, Alcazar & Cornel. cenſent hos colores jaſpidis & ſardinis, id eſt, lapidis ſardii (ſic dicti, quòd, ut tradit Boëtius lib. 2. de gemmis cap. 81. laudatiſſimus in Sardinia invenitur) in Dei corpore ſeu veſte non fuiſſe permiſtos, ſed ſeparatos: nempe, Corpus Dei ab imo ad lumbos uſque fuiſſe ſimile jaſpidi; à lumbis verò ſurſum, ſardio. Tertiò, rectiùs dices, potiùs contrarium extitiſſe: ſcilicet, Corpus Dei ab imo ad lumbos uſque fuiſſe ſimile ſardio rubro, indici juſtitiæ: à lumbis verò ſurſum, jaſpidi, quo denotetur ejus miſericordia, quæ eſt ſuper omnia opera ejus, & ſuperexaltat judicio, quæque ſemper in corde judicum regnare debet: qui non niſi inviti deſcendere debent ad ſeveritatem & flammam juſtitiæ. Hinc Ezech. 1. 27. & cap. 8. 2. dicitur de Deo in forma hominis ſedente ſuper thronum illum mirabilem, quem Cherubini quatuor vallabant. Ab aſpectu lumborum ejus, & deorſum, *ignis*: & à lumbis, & ſurſum, ut viſio electri.

159. Tertiò. Iris cingit thronum.

Quartò: Iris thronum Dei ex omni parte cingebat, Apocal. 4. 3. *Et iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ.* Per Iridem, quæ, ut ait Tironius, idem eſt, quod εἰρήνη pax, & fuit ſignum reconciliationis ac fœderis inter Deum & homines poſt diluvium, arbitror cum Pererio denotari Dei miſericordiam, quæ undique thronum ejus circumdat. Vide dicta Pſalm. 35. 6. Domine *in cœlo* miſericordia tua, & veritas tua *uſque ad nubes.* Juſtitia tua ſicut *montes Dei:* judicia tua abyſſus multa. Ubi vides ſolam miſericordiam in cœlo poni, cætera ut à Deo quodammodo aliena, infrà rejicit. Unde, cùm Deus punit, Mich. 1. 3. dicitur, ecce Dominus *egreditur de loco ſuo*, (è throno & cœlo, quòd undequaque vallat miſericordia) *& deſcendet*, (major eſt gloria miſeri) *& calcabit ſuper excelſa terræ.* Putat Alcazar hanc Iridem colore tantùm viridi caruiſſe, adeò ut ſmaragdo ſimilis videretur. Veriùs tamen eſt habuiſſe illam Iridem tres ſuos colores: nempe cæruleum ſeu cœleſtem, quo fides figuratur: viridem, quo ſpes in Dei miſericordia: rubrum, quo charitas erga Jeſum crucifixum & ſuo ſanguine rubentem. Secundò, Ribera per varios Iridis colores vult declarari varietatem, univerſitatem, ac multitudinem creaturarum omnium, quas in ſe Deus continet. Tertiò, meliùs ad rem, ſumemus perfectiſſimam diverſarum ſcientiarum, & legum, ac conſuetudinum notitiam in judice. A qua expoſitione non multum recedit Pererius, cùm docet: tres colores Iridis ſignificare triplicem virtutem: nempe purgandi, illuminandi & perficiendi, quæ eſt in Deo & Angelis, quamque ab eo Doctores participant. Ea enim vis in judicibus eſſe debet, qui ſunt lux regnorum ſupra candelabrum poſita. Quartò: Iride repræſentari varia & florida cœleſtium virtutum & ordinum ornamenta, diverſáque eorum munera & officia, putat Andreas Cæſarienſis. Quintò denique, *de judicio univerſali* exponit Beda, quia Iris habet ſpeciem arcûs, ideóque belli ſignum & inſtrumentum oſtentat: deinde, quia ſmaragdus partim viret, indicat bonorum mercedem: partim ruber, denotat malorum punitionem.

160. Quartò. Iris eſt coloris ſmaragdini.

Quintò itaque: Iris apparet ſimilis ſmaragdo in circuitu throni divini. Iris erat in circuitu ſedis, *ſimilis viſioni ſmaragdinæ*, id eſt, colori ſmaragdi: metonymicè enim actus ponitur pro objecto, ut jam dixi. Itaque, color viridis in illa Iride erat eximius, & præ cæteris apparebat. Smaragdus enim ſuperat herbas ipſas viriditate, atque aërem & res ſibi vicinas illa imbuit. Primò, ut ait Cornelius, ſignificat Dei miſericordiam nunquam ſeneſcentem, ſed ſemper virentem, quaſi novam & recentem, mirè nos conſolari. Virorem enim ſuum ſmaragdus, neque in umbra, neque in Sole, aut coram lucernis, immutat. Tropol. ait, notare virginitatem, quæ ſemper viret, & ſuo virore ſplendeſcit inſtar ſmaragdi. Hæc caſtitatis virtus maximè neceſſaria eſt judicibus & principibus, ut & res clariùs judicent, & non hebetentur, atque ne juſtitiam pervertant. In canonizatione S. Caſimiri regis, qui mori maluit, quàm virginitatem legitimo etiam conjugio perdere, (cùm id valetudini ejus neceſſarium medici aſſererent) Poloni hoc fecerunt anagramma, Caſimirus, *ſum quaſi iris:* Item, *cadis mirus*, moriens ſcilicet pro virginitate. Secundò, in ſmaragdo Dei & creaturarum in ipſo viſionem denotari vult Ribera. Nam, ut ait Plin. lib. 37. cap. 5. Smaragdus ſuo virore *oculos implet, nunquam ſatiat*, & ſubinde pulcherrimi ſpeculi vicem obit. Tertiò, ad rem noſtram dic: Smaragdo indicari cognitionem Dei & creaturarum

in

in ſeipſis neceſſariam judici, ut illa ornatus oculos & mentem civium ſuorum recreet, & luce ſuâ omnibus gratus effulgeat. Hebraicè dicitur ברקת *bareketh*, id eſt, fulgurans, ſive ceraunius: quòd ſmaragdi veterum fulgentiores eſſent noſtris, ac ſpeciem haberent fulguris: unde teſte Plinio, loco citato, cùm in Cypro, ut dixi, in tumulo regis Hermiæ, marmoreus Leo oculos haberet ex ſmaragdis, ita radiabant, ut territi thynni in ipſo mare refugerent: donec piſcatores rem admirantes, gemmas mutaverint. Caveant judices noſtri, ne lux illa priſcorum Gallorum in iis unquam extinguatur, ut toti Orbi, ſicut olim, effulgeant.

161. Quintò, habet ſuos aſſeſſores.

Sextò: Dei Præſidis conſiliarios & aſſeſſores. S. Joannes deſcribit Apocal. eodem 4. capite, ℣. 4. *Et in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor: & ſuper thronos viginti quatuor Seniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Primò, ob prudentiam dicuntur Seniores: unde & ſenatus nomen habet. Putoque à S. Joanne viſos eſſe illos principes Deo aſſidentes in forma ſenili. Decet maximè judicem ſenilis maturitas & prudentia, Eccl. 10. 1. *Judex ſapiens judicabit populum ſuum, & principatus ſenſati ſtabilis erit.* Complut. legunt, τεταμένη, protenſus: Roman. meliùs τεταγμένη, ordinatus, & Tigur. compoſitus. Ad rem noſtram eſt, quòd pro *judicabit*, in græco eſt, παιδεύσει, docebit: ut Syrus habet: Judex enim debet erudire populum, & illuſtrare, ſecundùm leges juſtitiæ & Dei. Nota, Senior ſæpè non ætatis, ſed dignitatis eſt nomen: unde nobiles vocamus *Seigneurs*. Morum maturitate nunc in pleriſque judicibus annos videmus compenſari: & Danieles reperiri, qui ſenes ipſos judicent ſcientiâ & vitâ. Nam, ut habes Sap. 4. 9. *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem ſunt ſenſus hominis.* Græcè: πολιὰ ἐστι φρόνησις ἀνθρώποις: *canities eſt ſapientia hominibus*, q. d. ait Gloſſa: Ille benè ſanus eſt, qui eſt benè ſenſatus, *& ætas ſenectutis, vita immaculata*, q. d. ille verè ſenex eſt, qui caret peccati macula: unde dicunt Danieli annos tantùm circiter 23. nato Dan. 13. 50. *Veni, ſede in medio noſtrûm, & indica nobis: tibi Deus dedit honorem ſenectutis*, id eſt 1. Honorem judicandi. 2. Prudentiam & maturam virtutem. Secundò, illi Dei aſſeſſores & conſiliarii ſunt multi; nempe 24. duodecim ſcilicet Patriarchæ veteris teſtamenti, ac duodecim Apoſtoli legis gratiæ, ut ait Aretas & Hier. Prado in Ezech. ſect. 11. Per illos autem intelliguntur inſigniores Sancti utriuſque teſtamenti. Hoc habemus in Conciliis Oecumenicis, ut Epiſcopi ſibi aſſiſtentem infallibiliter habeant Spiritum ſanctum, Prov. 8. 14. ait Sapientia increata: *Ego Sapientia habuo in conſilia.* In veteribus codicibus legitur, *in concilio*, per c. Multitudo ipſa Senatus dat authoritatem decretis ejus. Unde Tullius lib. 3. de legibus ait: *Senatori tria juſſa ſunt: adſit, nam gravitatem res habet, cùm frequens ordo eſt: ut loco dicat, id eſt, rogatus: ut modo, ne ſit infinitus.* Tertiò, illi Seniores 24. ſunt in circuitu ſedis Dei ſedentes ſuper thronos 24. quod enim habemus ſedilia, Græcè eſt θρόνοι, id eſt, throni ſimiles regum ac principum ſedibus. Seſſio notat mentis tranquillitatem, quæ maximè eſt judicibus neceſſaria: unde ſenes ſunt ad judicandum aptiores, quia habent paſſiones magis moderatas. Thronorum verò collocatio circa Dei thronum, in modum ſemicirculi, deſignat in conſpectu Dei eſſe judicandum, & judices ſibi ſemper proponere debere Deum præſentem, cùm judicant. Liber Evangeliorum ponitur in medio Conciliorum, ut Deus ſit ſemper ob oculos Epiſcoporum, & cogitent, Deum ſibi adeſſe. Dux celebris ſedem unam vacuam in conſiliis ſuis relinquebat Alexandro mortuo, quem ut Deum fingebat adeſſe deliberanti ſibi, eoque commento milites in officio continebat. Quartò, Seniores illi 24. ſunt *circumamicti veſtimentis albis*, quibus vult 1. Alcazar notari eorum ſacerdotium. 2. Cornelius, claritatem, & gloriam beatitudinis. 3. Hic explica de innocentia, quia nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum. Sed non intret etiam in cœlum regnorum, id eſt, in conſilia regum, in curias ſupremas, neque in ullas alias etiam inferiores. Quintò, in capitibus Seniorum illorum, erant *coronæ aureæ*: ad declarandam eorum victoriam, triumphum, & regnum. Judices etiam ſunt reges ſecundarii: unde Rex eorum ore loquitur, imperat, abſolvit, condemnat. Coronam quoque habent in capite, cùm prudenti & modeſta libertate recta judicant, ſine timore potentiorum. Sextò, ante thronum procidunt Seniores, & mittunt coronas ſuas ante eum. 1. Quia pietate excellere debent boni judices, & ſpiritualibus atque eccleſiaſticis civilia ſubmittere. 2. Quia humilitate ſeſe regibus acclinare, & in gloriam omnem per ſubjectionem debent tribuere.

Septimò, verſ. 5. *De throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua*, id eſt, voces tonantes. 162. Sextò, de throno procedunt fulgura & tonitrua.
Eſt enim hendiadys, id eſt, unum per duo. Cum Rex aut Prælatus agit & imperat ex conſilio prudentium, atque ſceleratos damnat, tunc vox ejus eſt fulgur & tonitru, cui nullus poteſt reſiſtere, quodque omnes in admirationem & terrorem rapit.

Octavò denique, ℣. eod. 5. *Erant ſeptem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpiritus* 163. Septimò. Lampades ſunt ante thronum.
Dei; id eſt, Angeli ſeptem primarii, qui Deo adſtant, ut ait Raphaël Tobiæ cap. 12. 15. Judices itaque ſibi præſentes Angelos cogitent, & caveant, ne eis dicat Daniel, quod duobus Senioribus ac judicibus damnationem Suſannæ (quæ lilium ſignificat, & eſt ſymbolum innocentiæ) procurantibus, Dan. 13. 55. *Rectè mentitus es in caput tuum. Ecce enim Angelus Dei accepta ſententia ſcindet te medium.* Et ℣. 59. Rectè mentitus es in caput tuum: manet enim Angelus Domini, *gladium habens*, ut ſecet te medium, & interficiat vos. Per illas ſeptem lampades Rupertus & Ansbertus dona Spiritûs ſancti intelligunt, quæ enumerantur Iſaiæ 11. 2. nempe ſpiritum ſapientiæ & intellectûs, ſpiritum conſilii & pietatis, ſpiritum ſcientiæ & virtutis, ſpiritum timoris Dei. Hi quàm ſint judici neceſſarii, ſatis patet. Item per ſeptem illas Lampades poſſunt accipi omnes ſcientiæ, quæ mirificè judicem illuſtrant: ſeptenarius enim eſt numerus multitudinis. Cætera, ſi placet adaptare, de quatuor animalibus quadriformibus & de mari vitreo, non deerunt ſymbola apta judicibus & populo judicato.

Alterum illuſtre emblema, in quo judicum 164. Symbolum judicis, præſertim eccleſiaſtici eſt ſummus Pontifex Judæorum.
virtutes præſertim Eccleſiaſticorum intueri poſſis, eſt Hebræorum ſummus Pontifex, habens Rationale ſuum in pectore, & in medio Sanhedrim ſedens. Nota primò, erat ſummum Judææ concilium, Sanhedrim, id eſt, συνέδριον, dictum; quod judicabat de rege, lege & Propheta, ad illud appellabatur ab aliis judicibus, ut nunc fit ad Parlamenta ſeu curias ſupremas. Conſtatum erat ex 70. viris, qui partim ex ſacerdotibus, partim ex primariis viris ſingulatum tribuum ſumebantur. Illis autem præerat ſummus Pontifex, non tantùm in rebus ſacris, ſed etiam in civilibus. Sacerdotes enim apud Hebræos etiam de civilibus judicabant, ſicut Cæſar teſtatur lib. 6. de noſtris Gallis & Druidis. Tullius lib. 2. de leg. de Romanis, & ipſorum auguribus. Agathias lib. 2. de Perſis, & eorum Magis. Ælian. lib. 14. de Ægyptiis. Strabo lib. 17. de Æthiopibus. Joſephus lib. 14. de Athenienſibus, & eorum Areopagitis. Et quidem Num. 17. 4. ubi dicitur: *Venies ad ſacerdotes Levitici generis, & ad judicem.* Abulenſis per judicem accipit ſummum Pontificem, quòd poſt auditas aliorum opiniones ipſe ſolus proferret ſententiam, etiam in cauſis criminalibus, ut patet in Caipha, qui ſententiam mortis tulit contra Chriſtum, Joan. 11. 50. in Anania Pontifice præcipiente in concilio Paulum percuti, Act. 2. 32. in Pontifice Anano; qui Jacobum fratrem Domini in concilio mortis reum peregit, ut author eſt Joſephus lib. 20. 8. Nota ſecundo, illud concilium Sanhedrim originem ſumpſit ab electione 70. virorum

Sanhedrim quid. Sacerdotes etiam de civilibus judicabant. 1. Apud Hebræos. 2. Apud Gallos. 3. Perſas. 4. Ægyptios. 5. Æthiopes. 6. Athenienſes.

per Moyſen in deſerto, ut eum in cauſis populi dijudicandis adjuvarent. Ad rem noſtram eſt maximè, quod de illis habetur Num. 11. 16. *Dixit Dominus ad Moyſen: Congrega mihi ſeptuaginta viros de Senioribus Iſraël, quos tu noſti*, non fidat princeps aliorum cognitioni, ſi fieri poſſit, in præcipuis judicibus & conſiliariis: imo ne in ullo quidem) *quod Senes populi ſint ac magiſtri*. Non vult ignaros eligi, ac diſcipulos, ſed magiſtros, qui alios doceant. Hebr. שוטרים *soterim*, vertit Arias, præfectos. Pagn. principes. Melius Noſter, Magiſtros: ſic 2 Paral. 26. 11. ubi eſt eadem vox, S. Hier. vertit: *Sub manu Jehiel ſcribæ, Maaſſiæque doctoris*, Deut. 1. 15. Moſes ait Iſraëlitis: *Tuli de tribubus veſtris viros ſapientes & nobiles; & conſtitui eos principes, tribunos*, &c. ac שוטרים *soterim*, quod vertitur, *qui docerent vos ſingula*. Sept. magiſtros. Nota, arbitror ab illa voce *soter*, princeps, præfectus, dominus, magiſter, doctor, deduci Græcum σωτήρ, ſalvator: hi enim omnes, ſunt populi & ſibi ſubditorum ſalvatores, modò erudiantur & erudiant: illis inclama cum Rege noſtro: *Erudimini, qui judicatis terram*, facite illam cœlum per lucem doctrinæ & virtutis, Pſ. 36. 6. *Educet quaſi lumen juſtitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem*.

165. Sapientia judicum figurari poteſt rationali Pontificis. Primò enim vocabatur rationale judicii.

Lux illa judicum conſiderari poteſt in Rationali ſummi Pontificis, qui, ut mox dixi, erat caput totius ſupremi Parlamenti dicti Sanhedrim, licèt alius infra ipſum vocaretur Princeps Senatûs illius, ut dixi ſect. 1.

Ac primò, appellatur Rationale judicii, Exod. 28. 15. 29. & 30. In judice debet eſſe rationale judicii, ſeu judicium rationis, per quod omnia reddat oracula, ut non aberret, neque alios in errorem ducat. Nota, dicebatur rationale *judicii*, id eſt, ſententiæ divinæ. Nam ſacerdos illo indutus dabat oracula populo, prout Deus inſpirabat. Hoc ipſum facit judex, cujus ore & prudentiâ Deus populos dirigit, & in officio continet.

166. Secundò, factum erat opere polymito, Quod eſt prudentiæ ſymbolum.

Secundò, factum erat illud Rationale Pontificis *opere polymito*, id eſt, multis diverſiſque liciis & filis conſtans, Plin. lib. 8. cap. 48. Plurimis, ait, liciis contexere, quæ polymita appellant, Alexandria inſtituit. Rationale porrò polymitum, eſt ſymbolum prudentiæ, omnigenâ ſcientiâ & cognitione exornatæ. Hebr. *opere* חושב *hoſeb*, *cogitantis*, ut vertit Arias: excogitantis, conſiderantis, ratiocinantis. Omnia facta & decreta judicis fiant opere cogitantis, id eſt, coagitantis, multa inter ſe conferentis atque expendentis legum & jurium ſtatuta. Sic habebis rationale polymitum Aaronis, & tunicam polymitam Joſeph, Geneſ. 37. *Iſraël autem diligebat Joſeph ſuper omnes filios, eò quòd in ſenectute genuiſſet eum*, erat filius prudentiæ: Hebr. eò quòd eſſet filius ſenectutis, poteſt exponi cum Joſepho & Burgenſi, eò quòd eſſet præditus ſenili prudentiâ, modeſtiâ & moribus. Sic Danieli dicitur adhuc adoleſcenti, Dan. 13. 50. tibi Deus dedit honorem ſenectutis: & Chald. de Joſeph vertit: *Quia filius ſapiens erat ei*, additur: *Fecitque ei tunicam polymitam*. Philo lib. de Joſeph, id eſt, de viro civili & politico, docet, polymitam illam tunicam eſſe multiformem principis prudentiam. Alius enim debet eſſe princeps in pace, alius in bello, alius cum hoſtibus, alius cum amicis, &c. Rupertus ait, polymitam tunicam eſſe variegatoriam virtutum. Poſſis perfectam ſcientiarum omnium & rerum arcanarum notitiam interpretari. Sic Joſeph, dum conſtituitur à Pharaone princeps Ægypti, cujus imperio cunctus populus obediat, dicitur c. 41. 38. *Spiritu Dei plenus*, & 39. neminem *ſapientiorem* aut conſimilem ei poſſe reperiri. De Daniele, Anania, Miſaele & Azaria habes, Dan. 1. 20. *Omne verbum ſapientiæ & intellectûs, quod ſciſcitatus eſt ab eis Rex, invenit in eis decuplum ſuper cunctos ariolos & magos, qui erant in univerſo regno ejus*. Daniel paulò pòſt ab ipſo Nabuchodonoſore conſtitutus eſt princeps ſuper omnes provincias Babylonis, & præfectus magiſtratuum ſuper cunctos ſapientes Babylonis. Itaque: *Erudimini, qui judicatis terram*, imitamini Danielem, ne veſtra inſcitia Reipublicæ noceat. Ut enim ait S. Aug. lib. 19. de civit. Dei: *Ignorantia judicis, plerumque eſt calamitas innocentis*.

167. 3. Erat quadratum.

Tertiò: Rationale ſummi Pontificis, qui erat etiam Judex ſupremus, ut dixi, erat quadrangulum, id eſt, quadratum. Nam æquilaterum erat ex omni parte; conſtabat enim palmo ſive ſpithama, id eſt, digitis duodecim in longitudine, totidem in latitudine. Judex ſit inſtar cubi quadratus & conſtans, ſibi ſemper ſimilis & æqualis, in quamcumque partem vertatur.

4. Duplex.

Quartò: Rationale ſummi Pontificis erat *duplex*, id eſt duplicatum, factum eſt ex duplici tela, ut gemmas poſſet ſuſtinere, 28. 16. *Quadrangulum erit, & duplex*. In judice duplex ſit ſcientia: ſacra ſcilicet, ac prophana: ſive ſit judex politicus, ſive Eccleſiaſticus, ut ſit ambidexter pugnans utraque manu: uno oculo orbatus eſt, qui alterutrâ caret ſcientiâ.

168. 5. Menſuram habebat palmi.

Quintò: Rationale ſummi Pontificis *menſuram palmi habebat, tam in longitudine, quàm in latitudine*. Palmo manus menſuratur Rationale: quia judices nihil præcipere debent, quod non poſſit populus facilè exequi, & quod ipſimet non exequantur: ne illis aptetur, quod Chriſtus ait de Scribis, qui erant legis Doctores, ac de Phariſæis, Matt. 23. 4. *Alligant*, Syr. ligant. Græcè δεσμεύουσι, colligunt: velut in cumulos acervant) *onera gravia & importabilia* (δυσβάστακτα, difficulter portabilia) *& imponunt in humeros hominum*. Arab. ſuper colla hominum. Jugum ſcilicet legum grave, *digito autem ſuo nolunt ea movere*. Syr. *tangere*, tantum abeſt, ut movere & ſublevare velint. Contra verò, ut ait S. Chryſoſt. in Matth in optimo principe requiritur, ut adverſus ſeipſum nullâ utatur veniâ, ſed *ſeverum ſe judicem* exhibeat: erga ſubjectos autem mitior, & ad dandam veniam ſit pronior. Ariſteas in hiſt. de 72. interpretibus quæſt. 4. dicit, Ptolemæum Ægypti regem ab Eleazaro, uno ex illis, petiiſſe: Quomodo in negotiis ac *judiciis* delictiſque puniendis famam conſequeretur; eumque reſpondiſſe: id aſſecuturum fore, ſi omnibus ſe æquum præberet, nihil ſuperbè, nihil pro potentiæ ſuæ viribus contra peccantes ageret, ſed *Dei manſuetudinem* ſemper præ oculis haberet.

169. 6 Erat factum ex auro, hyacintho, purpurâ, &c.

Sextò: Rationale ſummi Pontificis erat factum *ex auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta*, id eſt, ex filiis aureis, hyacinthinis, purpureis & coccineis. Stamen itaque erat byſſinum: ſubtegmen verò trium colorum, nempe hyacinthini ſeu cærulei, coccinei, & purpurei, intermixtis aureis filis; & hoc eſt opus polymitum, quod appellatur à Septuag. opus textile variegatoris. In judice, aurum denotabat ſapientiam. Nam dicit Sapientia Prov. 8. 19. *Melior eſt fructus meus auro & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo*. Sicut aurum inter metalla, ita ſapientia inter ſcientias & res terrenas eminet. Hebr. פז *phaz*. Noſter & Sept. rectè verterunt, *lapide pretioſo*, Symmachus reddit, *præ auro Ophaz*. Chald. *præ conflato auro, & obrizo*, id eſt, præſtantiſſimo & puriſſimo. A voce Hebr. *phaz*, quæ aurum etiam ſignificat, ab Arabibus vocata eſt urbs Africæ *fes*, id eſt, aurum: quòd, cùm illius urbis fundamenta ponerentur, auri cumulus repertus ſit, ſicut Joannes Leo dicit in Africæ deſcript. lib. 3. Hinc & totum regnum appellationem habet. Aurum eſt ſapientiæ ſymbolum, ſed aurum obrizum & defæcatum ac purgatum, quod nihil habet adulterinum admixtum. Secundò, color hyacinthinus ac cœleſtis ſublimia omnia & divina repræſentat. Tertiò, purpura charitatem erga Deum figurat, coccus bis tinctus charitatem erga Remp. & ſingulas perſonas: vel, erga pupillos & viduas, quæ præſertim à Deo Judice commendantur: vel, corde & ore, non ſolis verbis: vel, erga divites & pauperes: amicos & inimicos: agreſtes & urbanos. Quartò, byſſus retorta, eſt innocentia ſtabilis ac frangi neſcia. Chryſippus apud Gellium l. 14. cap. 4. *Juſtitia virgo eſt, judicio eam incorruptam*, ſive per munera, ſive per vitia. Philo libro de judice, ſapienter docet, non minus contra rationem

eſſe

eſſe, injuſtum eſſe judicem, quàm ſi ignis eſſet frigidus, aut nix calida. *Abſurdum fuerit*, inquit, *eos in culpa hærere, qui jura præſcribunt aliis: quando quidem ab his potiſſimum exemplum vitæ petendum eſt. Sicut enim ignis, quæcunque admoventur, calefaciens, ipſe primum innatâ ſibi vi calet: nix contrà ſuâpte naturâ frigida, infrigidat & alia. Sic judex ipſe debet eſſe ἀνάπλεως δικαιοσύνης, plenus juſtitiâ, ſi aliis jus adminiſtraturus eſt.*

170. 7. In eo erant duodecim gemmæ.

Septimò: In Rationali ſummi Pontificis erant duodecim gemmæ, ut pectus ejus eſſet fons lucis, id eſt ſcientiæ & ſapientiæ. Reges, principes, judices ſunt fontes publici, cœleſtes & vivifici, Prov. 16. 22. *Fons vitæ.* Hebr. fons vitarum: animæ ſcilicet atque corporis, *eruditio poſſidentis*, ipſam ſcilicet eruditionem Hebr. intelligentia habenti illam. Janſenius legit, poſſidentibus. Pergit ꝟ. 23. *Cor ſapientis erudiet*, (Hebr. 5. ישכיל jaſchil, prudens reddet) *os ejus addet gratiam.* Sept. *in labiis ſuis portabit doctrinam*, ut ſacra apis mel cœleſte. Nam additur, ꝟ. 24. *favus mellis compoſita verba.* Syr. verbum ſapientis Hebr. eloquia נעם noam jucunditatis, ut vertit Arias. Vertere poſſis, elegantiæ, pulchritudinis, decoris. Pagn. *eloquia dulcia.* Fons mellens eſt, judex moderatus: vel, fons aquæ ſalientis in vitam æternam, omneſque reficiens & recreans. Philo l. de Judice: *Ut velut à fonte dulci promanent fluenta potabilia ſitientibus juſtitiam.* Prov. 13. 14. *Lex ſapientis* (Sept. Lex ſapiens) *fons vitæ: ut declinet à ruina mortis.* Ubi R. Levi Lex ſapientis, inquit, eſt fons vitæ, quòd ex illa vitæ immortalitas dimanet, mortiſque ruina evitetur: præterquam quod Deo ſapiens ob illam peculiari eſt curæ: ſic ipſe.

171. 8. In 4. ordines erant diſtributæ gemmæ.

Octavò: In Rationali ſummi Pontificis in 4. ordines erant diſtributæ illæ duodecim gemmæ, ꝟ. 17. *Poneſque in eo quatuor ordines lapidum:* ita ut in ſingulis ordinibus eſſent tres lapides. Primò igitur, illi quatuor ordines gemmarum, ut ait S. Hier. ad Fabiol. ſunt 4. virtutes cardinales, quæ, dum invicem miſcentur, duodecim efficiunt combinationes. Tres autem gemmæ in ſingulis ordinibus, ut docet Beda, denotantes virtutes theologicas: nempe fidem, ſpem & charitatem. Vel declarant judicem debere excellere in virtutibus theologicis, intellectualibus & moralibus. Philo cit. de cardinalibus ait: *Qui aſcendit tribunal ad judicandum, judicari ſe non minùs, quàm judicare cogitet, & una cum poteſtate aſſumat prudentiam, ne decipiatur: juſtitiam, ut ſuum cuique tribuat: fortitudinem, ne flectatur precibus aut miſericordiâ, quò minùs animadvertat in convictos ſceleris. Nam cuicunque virtutes hæ cordi fuerint, benè meritus de Republica exiſtimandus eſt: quippe qui more boni gubernatoris ſedat tempeſtates negotiorum commiſſorum ſua fide, ad ſalutem ſecuritatemque eorum, qui pendent ab ejus arbitrio.* Adde temperantiam à muneribus, de qua agetur Pſalm. 14. 5. & 25. 10. Munera enim vel ipſos ſapientes excæcant: & ut eſt in proverbio, ἐλκύσαι ὁ λαγὼς λέοντα χρυσῷ βρόχῳ, *trahit Lepus Leonem aureo fune*, id eſt, ruſticus aliquis, aut etiam ſceleratus, judicem potentem & illuſtrem. Judex etiam ſibi temperet à nimio potu & voluptatibus. Athen. lib. 4. pag. 148 refert, Caligulam inſtar Bacchi veſtitum & ornatum, in publicum prodiiſſe, & jura reddidiſſe. Sapientiùs Græci, cùm ſacra faciebant Soli, mel libabant; quòd cenſerent, ut explicant Philochorus lib. 12. Solem rerum omnium moderatorem, à vino & ebrietate eſſe alieniſſimum.

172. 9. Erant variarum virtutum typus.

Nonò: In primo verſu, id eſt, ordine lapidum Rationalis erat ſardius, & topazius, & ſmaragdus: in ſecundo, carbunculus, &c. Primus Sardius eſt juſtitiæ ſymbolum, ut dixi ſuprà. Juſtitia autem eſt velut anima judicis, & primum movens, à quo eſt omnis motus ejus. Secundus lapis eſt Topazius: qui, ut ait S. Iſidor. lib. 16. cap. 7. partim cæruleo, partim aureo eſt colore: imò omni colore reſplendet, & cœleſtem judicis animum rebus omnibus terrenis ſuperiorem repræſentat. Pſ. 118. 127. *Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion.* Vide ibi dicta. Tertius lapis Rationalis erat Smaragdus: de illo jam dixi. Quartus Carbunculus, Græcè ἄνθραξ, id eſt, pruna ignita, hanc enim ſpecie ſuâ refert, nam rubet, unde etiam Rubinus appellatur: ignem non ſentit, ideò dicitur apyrotus à Plinio lib. 37. c. 7. de nocte lucet. S. Iſidor. lib. 16. cap. 13. *Carbunculi fulgor nec nocte vincitur: colore igneus ut carbo lucet in tenebris.* Charitas judicum lucet præſertim in nocte afflictionis, & miſeros illuſtrat ac dirigit. Quintus lapis Rationalis eſt ſapphirus, qui cæruleus eſt, & aureis punctis quaſi ſtellis collucet & ſcintillat, cœlique ſpeciem præ ſe fert, ut S. Hier. S. Iſidor. & Plin. aliique dicunt. Abulenſis in Exod. 24. 10. ait à veteribus dictum eſſe, *gemmam gemmarum*, & ſine eo à diis Gentilium non eſſe data oracula. Ruejus de gemmis ait, ſapphirum *ſupremam* olim apud homines auctoritatem habuiſſe. Nunc non eſt in tanto pretio. Veritatis eſt ſymbolum, quæ nunc apud homines jacet, olim apud candidæ fidei majores noſtros prima è virtutibus cenſebatur, aut omninò ex primis. Judicem & principem decet veritas vel maximè, quorum verba ſunt aliorum juramenta. Ægyptii ita eam judicibus commendatam volebant, ut juſſerint à Prætore geſtari in collo ex aurea catena dependens è lapillis pretioſiſſimis ſimulacrum, *cui Veritas nomen:* hoc à judiciorum principe aſſumptum auſpicium diſceptandi erat, ut ait Diodor. lib. 1. Idipſum recitans Ælian. lib. 14. variæ hiſt. cap. 34. ſubtexit: *Ego vero judicem, non veritatem in lapide exſculptam circumferre, ſed ἐν αὐτῇ τῇ ψυχῇ, in ipſo corde, defixam habere velim.* Ritum illum inventum eſſe arbitror ad imitationem Rationalis, quod ſummus Pontifex Hebræorum ferebat. Sextus lapis Rationalis erat Jaſpis, de quo ſatis ſuprà.

Septimus, ligurius ſive hyacinthus, & terrenorum contemptum atque amorem cœleſtium denotat. Octavus, Achates, qui, ut ait S. Iſid. lib. 16. cap. 11. niger eſt, habens circulos nigros & albos, junctos & variatos. Symbolum eſt pœnitentiæ, etiam in vita innocenti & lucida. Nonus lapis Rationalis amethyſtus, qui dicitur ex eo, quòd vini coloram non integrè accipiat. De eo Plin. lib. 37. cap. *Amethyſtus uſque ad vini colorem accedit, ſed in violam deſinit*, & fulgor quidam purpuræ in eo cernitur, non ex toto ignitus, ſed in vini colorem deficiens. Sobrietatem repræſentat: dicitur enim ab α privatio, μεθύσκω, inebrio. Decimus lapis Rationalis eſt Chryſolithus, qui partim aurei, partim marini eſt coloris; unde ab Hebræis appellatus eſt Tharſis; id eſt, marinus. Symbolum eſt tranquillitatis mentis in medio tumultu, ſeditione, aut calamitate publica. Judicem vel in media tempeſtate deret gravitas. Seneca lib. primo de ira, c. 16. *Etſi perverſa induenda magiſtratui veſtis, & convocanda claſſico concio eſt, procedam in tribunal, non furens, nec infeſtus, ſed vultu legis: & illa ſolemnia verba, leni magis graviqne, quàm rabidâ voce concipiam, & lege agi jubebo, non iratus, ſed ſeverus.* Nota cum Mureto, prætextati incedebant Magiſtratus, ſed, cùm civem quempiam capitis damnaturi erant, ponebant prætextam, eamque *perverſam* induebant: id eſt, partem illius floridiorem ac nitidiorem introrſus ad ſe vertebant, mœroris ſignificandi gratiâ. Itaque perverſa veſtis idem eſt, quod inverſa. Seneca pergit paulò poſt: *Eo vultu animoque ero, quo ſerpentes & animalia venenata percutio.* Lege cætera. Undecimus lapis Rationalis eſt Onyx, ſic vocatus ab unguis humani ſimilitudine. Ungues judicum ſint gemmei, innocentes, ac lucidi, non rapaces, ſanguinei, & in occulto mutica quærentes. Non placent mihi Thebanorum judicum imagines ſine manibus: nec Prætoris eorum ſine oculis, nec Jovis Cretenſis ſine auribus. Aures habeant judices, ſed quæ promiſſis non flectantur: oculos habeant, ſed quos auri fulgor non perſtringat: manus habeant, ſed quæ viſco non hæreant. Duodecimus denique lapis Rationalis eſt Beryllus, de quo Anſelmus Boëtius lib. 1. de gemmis cap. 69. Beryllus, inquit, gemma eſt, quæ aquæ marinæ colorem refert ex viridi cæruleum Italis à colore *aqua marina* vocatur. Plinius lib. 37.

cap. 5. varias ſpecies refert, atque politi omnes ſexangula forma artificum ingeniis: quoniam hebeſcunt, ni color ſurdus repercuſſu angulorum excitetur: probatiſſimos eſſe, qui viriditatem puri maris imitantur. Subdit ad rem noſtram aptiſſimè: *Inde miri gaudent longitudine eorum, ſoloſque gemmarum eſſe prædicant, qui carere auro malint.* Maximè lucet judex, cùm auri fulgorem fugit.

173. 10. In illa rationali erant nomina tribuum.

Decimò: In Rationali ſummi Pontificis Hebræorum erant nomina duodecim Patriarcharum, ſeu tribuum, quæ illorum nominibus appellabantur, Exod. 28. 21. *Habebant nomina filiorum Iſrael: duodecim nominibus cælabuntur ſinguli lapides nominibus ſingulorum per duodecim tribus.* Noſter Hier. Pradus in capite 1. Ezechielis, opinatur, in illis duodecim gemmis non fuiſſe inſcripta ipſa nomina Patriarcharum v. g. Ruben, Simeon, &c. ſed ſtemma cujuſque tribus, ſicut nobiles in annulis ſua inſignia & ſtemmata, quæ vocamus *armories*, curant inſculpi. Itaque in Smaragdo non fuiſſe ſcriptum hoc nomen Judas, ſed leonem ſculptum, qui erat ſtemma tribus Juda, quòd moriturus Jacob eum illi comparâſſet. In ſardio non fuiſſe ſcriptum nomen Ruben, ſed ſtemma ejus: nempe caput humanum, quòd Ruben eſſet primogenitus & familiæ caput. In carbunculo exâratam aquilam, quæ unguibus arreptum geſtaret colubrum quia erat ſtemma tribus Dan. In Chryſolito fuiſſe ſtemma tribus Ephraim, ſcilicet caput vituli, & ſic de cæteris. Verius tamen eſt, non ſtemmata ac notas ſpeciales cujuſque tribus, ſed nomina tantùm fuiſſe ſcripta in gemmis Rationalis. Sic etiam bonus judex non advertit notas nobilitatis & arma, ſed nuda litigantium nomina ſuis ornamentis ſpoliata, ſine acceptione perſonarum. S. Baſil. hom. 21. hoc eximiè docet: *Adſunt tibi ob oculos fratrum differentia. Hic pauper eſt, ille dives, alius hoſpes, alius domeſticus, vel te judice judicandi, vel te largitore indigentes. Si judicaveris, ne inæqualia videas. Ne videas divitem ſublimem; pauperem, humilem & abjectum: ne dicas: Hic mihi amicus, hic propinquus: ille mihi utilis, alius peregrinus, ignotus, alienus* ἀνώμαλα βλέπων, ὀυκ ἐλεηθήσῃ, *inæqualia ſi ſpectes, miſericordiam apud Deum non invenies. Natura namque una eſt, homo hic & ille: una neceſſitas, penuria eadem in utroque.* Oſtendit deinde, nobis eſſe cum omnibus ſanguinis communionem. πάντες, ait, συγγενεῖς, πάντες ἀδελφοί, υἱοὶ πατρὸς ἑνὸς πάντες. *Omnes in Chriſto propinqui, omnes fratres, & ex uno patre nati ſumus. Si ſpiritualem quæris, cæleſtis eſt Pater Deus: ſi terrenam quæris, mater terra eſt. Ex eodem luto omnes ſumus conſtructi: Ex quo ſoror eſt natura ſecundùm carnem: ſoror item generatio ſecundùm ſpiritum.* Divites exteriùs fulgent auro, ſæpè lutei intùs, ſimiles idolo Beli, Dan. 14. 6. Quod extrinſecùs ære fulgebat, intrinſecùs luteum erat, ut detexit *Daniel:* id eſt, *judicium Dei:* Homo enim videt in facie, Deus autem intuetur cor. Pauperes verò, ſæpè intùs ſunt aurei, & ferunt theſaurum & lucem in vaſis fictilibus. Itaque oculis divinis animas penetret judex, & innocentiam aut pravitatem ſingulorum: è cortice non capiatur relicta medulla.

174. 11. Jungebatur cum ſuperhumerali catenis aureis.

Undecimò: Rationale ſummi Pontificis Hebræorum jungebatur ejus Ephod ſeu ſuperhumerali catenulis & annulis aureis. Judex luci ſcientiarum addat lucem operum, Matt. 5. ℣. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera*, ad hoc ſit lux, ut, dum eſt, operentur, qui in populo ut cœli eminent; qui ſicut cœli ſemper lucent, ita in continua ſunt actione, & in ſe per motum, & in aëre; in aquis, ac terra, per influxum. Conſtantiam in virtute Judices teneant. Vide, quot vinculis necteretur Superhumerali Rationale, Exod. 28. 22. *Facies in Rationali catenas ſibi invicem cohærentes ex auro puriſſimo. Et duos annulos aureos, quos pones in utraque rationalis ſummitate, catenaſque aureas junges annulis, qui ſunt in marginibus ejus: & ipſarum catenarum extrema duobus copulabis uncinis in utroque latere ſuperhumeralis, quod Rationale reſpicit. Facies & duos annulos aureos, quos pones in ſummitatibus rationalis, in oris, quæ è regione ſuperhumeralis & poſteriora ejus* (id eſt, interiora: pars enim anterior rationalis oculis patebat, & erat exterior: poſterior verò, erat occulta & interna) *aſpiciunt. Nec non & alios duos annulos aureos, qui ponendi ſunt in utroque latere ſuperhumeralis deorſum, quod reſpicit contra faciem juncturæ inferioris, ut aptari poſſit cum ſuperhumerali.* Hebr. apertiùs & venuſtiùs habent, *è regione* juncturæ ejus, ſuper texturam ingenioſam Ephod. Denique ℣. 28. additur: *Et ſtringatur rationale annulis ſuis cum annulis ſuperhumeralis vitta hyacinthina, ut maneat junctura fabrefacta, & à ſe invicem rationale & ſuperhumerale nequeant ſeparari.* Itaque, ut rectè docent Joſephus & S. Hieronymus, rationale alligabatur proximè ad ſuperhumerale quatuor annulis, qui erant in quatuor ejus angulis; quia verò duodecim gemmarum pondus grave erat, additæ ſunt duæ catenulæ, quæ exteriùs rationalis in duobus ejus annulis inſerebantur: idque per occultas fiſtulas, ne apparerent: ita ut una rationalis & ſuperhumeralis textura eſſe videretur. Bona opera, ſcientiæ famam augent, ac perennem faciunt; & niſi virtute ſcientia fulciatur, evaneſcit, aut in lutum cadit, ut docet de priſcis Philoſophis Apoſtolus Rom. 1.

Duodecimò: Illud Rationale, in quo nomina filiorum Iſraël erant inſculpta, ferebat ſummus Pontifex in pectore, ℣. 29. *Portabitque nomina filiorum Iſrael in rationale judicii ſuper pectus ſuum* Hebr. *ſuper cor ſuum.* Judex eſt pater populi, illum amet, & in corde gerat, Deoque ſæpè offerat, *quando ingredietur Sanctuarium* (hæc prælatos & judices Eccleſiaſticos maximè ſpectant: accommodari aliis poteſt) *memoriale coram Domino in æternum*, id eſt, in memoriam vel monumentum, quod coram Domino duodecim tribus in pectore geſtet, & quidem ſemper: quando videlicet, & quoties ingreſſus eſt Sanctuarium, ut explicat Cornelius: Vel potiùs, ferebat nomina filiorum Iſraël in Rationali Pontifex memorialia coram Domino, id eſt, ut & ipſe recordaretur populum Deo offerre in precibus ſuis: & Deus ipſe recordaretur eum eſſe populum ſuum, & ortum ab illis magnis Patriarchis, quorum ipſe nomina Deo oſtendebat. 175. 12. Illa nomina ferebat Pontifex in pectore.

Decimò tertiò denique: In Rationali ſummi Pontificis erant Urim & Thummim, ℣. 30. *Pones autem in rationali judicii doctrinam & veritatem.* (Hebr. Urim & Thummim) *quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: & geſtabit judicium* (id eſt, rationale judicii: eſt enim metonymia) *filiorum Iſrael in pectore ſuo, in conſpectu Domini ſemper.* Nota primò, nomen tribus Levi, apud quam erat ſacerdotium & poteſtas judicandi, non fuiſſe ſcriptum in gemmis Rationalis. De illa enim tribu erat ſummus Pontifex; Prælatus autem, princeps & judex, plus de populo, quàm de ſe debet cogitare. Nota ſecundò: Urim & Thummim, id eſt, ut Noſter explicat, *doctrinam & veritatem*, in rationali poſita, ſpectare ipſum Pontificem & tribum Levi, quæ in ſacerdotalibus & judicialibus functionibus occupata, egebat præ cæteris doctrinâ & veritatis cognitione, tum in politicis, tum in ſacris rebus. Triplicis veritatis, nempe mentis, oris, & operis, jam aliàs memini, omnis erat iis neceſſaria. Nota tertiò: Urim propriè ſignificat illuminationes: Thummim, perfectiones: Lux eſt vana ſcientia, niſi cor amore Dei perficiat, & manum amore proximi. Non benè alios illuminat doctrinâ, & ſtatutis ac præceptis, qui ſibi vita eſt tenebroſus: neque ratio patitur, eum aliorum ſedere correctorem, qui virgulâ cenſoriâ egeat. S. Ambroſ. epiſt. 76. *Quid,* ait, *tam divinum, quàm iſta ſententia, ut ſe peccata puniat, qui peccati exors ſit? Quomodo enim feras alieni ultorem, & proprii criminis defenſorem?* Unde ſic Caſſiod. judicem admonet l. 6. var. *Eſto vita continens, ut poſſis in alios eſſe judex. Prima æquitas eſt, à ſe Præſules inchoare: ut debeant criminoſi metuere, quem nequeunt ſimilem reperire. Nullas in ſe culpas timet reus, quas in ſe habere perſpexerit cognitorem. O quale eſt, liberum tribunalibus inſidere!* Sic ipſe. Nota quartò, Arias cenſet, Urim & Thummim fuiſſe duos lapides luciḋiſſimos, immediatè pro- 176. 13. In eo erant Urim & Thummim.

ductos

ductos à Deo, & ab ipſo datos Moyſi. 2. S. Cyrill. in expoſitione ſymboli Nicæni, ait: Urim & Thummim fuiſſe duos lapides pretioſos in medio duodecim aliorum, in quibus eſſent inſcriptæ illæ duæ voces Urim & Thummim, ſeu, ut ipſe loquitur in iſteus verſioni Septuaginta, manifeſtatio & veritas: verterunt enim δήλωσις καὶ ἀλήθεια. 3. Probabiliùs cum Philonel. 3. de vita Moiſis, S. Auguſt. q. 117. Radulpho lib. 6. in Levit. cap. 1. Victorino, & aliis, videtur has duas voces *Urim & Thummim* fuiſſe opere Phrygionico ex auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, contextas & inſcriptas in medio duodecim gemmarum. Primò, ut indicarent Pontificem hoc Rationali indutum fore à Deo illuminandum, ita ut veritatem diceret ipſum interrogantibus. Itaque, Urim non erat ipſum oraculum, ſed oraculi tantùm index, neque enim Deus reſpondebat, aliquid novum oſtendendo in illis vocibus Urim & Thummim, aut in 12. gemmis: ſed reſpondebat per ſacerdotem habentem rationale, in quo erant illæ voces ſcriptæ, & 12. gemmæ radiantes. Urim aliquando ſumitur metonymicè pro toto rationali, & rationale pro ipſo Pontifice: dicitur enim, quòd Deus per Urim reſponderit, id eſt, per Pontificem ornatum rationali. Secondò: Urim & Thummim erant in medio gemmarum, quæ erant inſcriptæ tribuum omnium nominibus, ut omnes intelligerent lucem ſuam omnem eſſe à Deo: ad quem, ut ad centrum, tendere deberent: & à quo, ut à Sole radii omnes ſpargerentur: eamque lucem ad morum perfectionem eſſe dirigendam.

ARTICULUS IX.

Timor Dei neceſſarius eſt regibus & judicibus.

Verſ. 11. 177. Timor Dei eſt neceſſarius regibus.

ILluminato per ſapientiam intellectu regum atque judicum, opus eſt, ut eorum voluntas Deo cognito ſubjiciatur per verum illi ſoli ſerviendi deſiderium. Ideò addit Rex noſter ℣. 11. SERVITE DOMINO (vos eſtis dominuli, ſi ei vos conferatis: aut veriùs mancipia, ac jumenta apud ipſum) IN TIMORE, ET EXULTATE EI. Chald. צלו *ṣallu*, orate eum: ſit veſtra oratio cum exultatione: acceditis enim ad parentem, & ad fontem inexhauſtum. Arabs, laudate eum. Syr. tenete eum CUM TREMORE. Quis tenens Chriſtum in Euchariſtia non tremat in tremendo myſterio? Sed quis non exultet cum tam amabili animæ Sponſo? Quis non laudet Deum Dominum in ſervi ſtabulo decumbentem?

Senſus eſt: Vos, ô reges! & qui ſedetis judices terræ poſt intelligentiam & eruditionem obtentam, cavete, ne ſuperbiatis: ſed ſcitote, hanc eſſe veram ſapientiam, ut ſerviatis Deo Domino, & Regi ac Judici veſtro, & ſerviatis in timore, ita tamen, ut timor illi charitatem & veram mentis lætitiam non expellat. Idem enim eſt, ut rectè ait Bellarm. ſervite in timore, & exultate cum tremore, ac ſi diceret: *Timete cum amore, & amate cum timore.* Nam illud, *ſervite*, eſt proprium ſervorum timentium, præcipuè ſecundùm vocem Hebræam עבדו *hibdu*. Illud autem, *in timore*, ſignificat propriè reverentiam filialem, ſeu pietatem: nam illa vox *ira*, quæ hic habetur, legitur etiam Iſaiæ 11. ubi dicitur de Chriſto: *Replebit eum ſpiritus timoris Domini.* In Chriſto autem non fuit timor ſervilis: ſed filialis reverentia, quæ & pietas dicitur, & paſſim in Scripturis accipitur pro pietate, ſeu timore filiali. Itaque *ſervite Domino in timore*, ſecundùm vim vocum Hebraicarum ſignificat, ſervite quidem Domino, ſed ſervitute, ut liberali, propria filiorum. Quod verò ſequitur, *& exultate ei cum timore*, idem ſignificat, ſed ordine, & vocibus variatis. Nam in priore parte verſiculi poſuit in verbo timorem ſervilem: in nomine, pietatem filialem: in poſteriori parte, è contrario poſuit in verbo exultationem filii amantis, in nomine autem, tremorem ſervi timentis.

178. Timor

Nota, ſervilis timor ille eſt, qui pœnam timet: filialis, qui culpam. Ut enim ait S. Thom. 2. 2. q. 19. art. 2. Si aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit *timor ſervilis*. Si autem propter timorem culpæ, erit *timor filialis*. Nam filiorum eſt, timere offenſam patris. Stantem propter utrumque, eſt *timor initialis*, qui eſt medius inter utrumque timorem.

Dei alius eſt ſervilis, alius filialis.

Nota ſecundò, timorem ſervilem eſſe bonum, & Deo gratum, ut definivit Concil. Trident. ſeſſ. 6 c. 6. & patet, cùm Chriſtus imperet timere Deum ex motivo pœnæ, Matth. 10. 28. *Timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Arab. *in ignem gehennæ*. Ubi nota, gehennam derivari à גי *ghe*, vallis: eſt הנם hinnom ſeu Ennom, qui erat vir Judæus, q. d. vallis Ennom. Erat autem amœna vallis prope Jeruſalem, quæ etiam dicebatur vallis Topher, id eſt, tympani: quòd cremantes ibi filios ſuos in honorem idoli Moloch, hoc eſt, Saturni, pulſarent tympana, & choreas agerent cantando, nec vagitus puerorum audiretur. Hinc pro inferno ponitur, ubi eſt ignis æternus, & ad quem ducit voluptas. Sed ſi non delinitus tympanorum ſono, crepitantis ignes advertes, timebis, & ſalvaberis igne evitato. S. Chryſoſt. hom. 5. ad populum, ait: *Gehennam continuè timens nunquam in gehennæ ignem decidet, continuò caſtigatus hoc metu*, & alibi hom. 15. Quid gehennâ graviùs? *Sed gehennæ metu, οὐδὲν χρησιμώτερον, nihil eſt utilius:* Timor enim gehennæ, regni nobis affert coronam. Ubi timor eſt, ibi livor non eſt. Ubi timor, pecuniarum amor non vexat. Ubi timor eſt, extinctus furor eſt, cupiditas improba correpta, omnis irrationabilis paſſio exterminata. Ubi timor eſt, ibi & eleemoſynæ ſtudium, & orationis intentio, & lacrymæ ferventes, & continuæ & gemitus multam habentes compunctionem. *Nihil enim tantum, κατεσθίει ἁμαρτήματα peccata conſumit αὔξεσθαι δὲ ἀρετὴν ποιεῖ, virtutum verò creſcere facit & germinare, quantum continuus timoris natura. Propterea, qui non vivit in timore, rectè illum agere eſt impoſſibile ἀδύνατον κατορθοῦσθαι: ſicut viciſſim cum timore viventem, ἀδύνατον διαμαρτεῖν, impoſſibile eſt peccare.* Sic ipſe hom. 15. S. Ignatius, licèt alumnos ſuos maximè hortetur, ut in ſpiritu amoris & cum timore filiali Deo ſerviant, æternarum tamen pœnarum timore etiam ſe juvarent, admonebat: Sic ipſe S. Paulus, licèt ad tertium cœlum raptus vidiſſet ea, quæ non licet homini loqui, tamen adhuc gehennam timebat, 1 Cor. 9. 26. *Sic igitur curro, non quaſi incertum*, ad ſcopum aſpicio, ut explicat S. Chryſoſt. non curro temerè & inconſideratè: *ſic pugno, πυκτεύω*, percutio pugnis, ut legit S. Ambroſ. lib. de parad. cap. 42. pugilor, ut S. Auguſt. in Pſalm. 57. pugilari autem eſt pancratium facere, ut loquitur: ſumere videtur cum Budæo pancratium & pancratiaſtem, ἀπὸ πάντων κρατεῖν, id eſt, ab omnibus viribus: quòd totis viribus certaretur. Meliùs tamen ſumitur, ἀπὸ πάντων κρατεῖν, id eſt à vincendo omnia, & dicitur de eo, qui victor extiterit in quinque certaminibus uſitatis apud Græcos: nempe in curſu, diſco, ſaltu, lucta & pugilatu, in quo pugnis certabant: inde certamen illud Gymnicum dicitur Quinquertium, Pentathlum & Pancratium; dicit itaque Paulus: *Sic pugno, non quaſi aerem verberans:* & addit ℣. 27. *Sed caſtigo corpus meum, ὑπωπιάζω* contundo, percuſſionibus lividum reddo. S. Paulin. epiſt. 58. inter epiſt. ſancti Auguſtini, ad quem ſcribebat, vertit, lividum facio corpus. *& in ſervitutem redigo*, ſerviebat in timore, Gr. δουλαγωγῶ, ago in ſervitutem, velut fugacem ſervum reduco ad officium, & in compedes dejicio, ac flagellis ſapere cogo. Ad rem noſtram ſubtexit: *Ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar, ἀδόκιμος*, non probatus, non acceptus, à Deo rejiciendus, ut moneta adulterina. Origenes enim, S. Chryſoſt. & S. Ambr. ad Deum hanc vocem referunt. Unde infer cum S. Chryſ. Si Paulus hoc timuit, qui tam multos docuit, & timuit, poſtquam prædicavit, *& factus eſt Angelus*, & totius Orbis

terræ defenſionem ſuſcepit, & patrocinium, quid nos dicemus? Clemens Alex. lib. 1. pædagogi cap. 9. ait, 180. Eſt primò radix

179. Timor ſervilis eſt bonus.

amara, ſed ſalutaris.

ait, timorem eſſe radicem amaram, ſed ſalutarem. Verba ejus ſunt: Peccatorum proſerpentes corroſiones ſiſtunt, πικραὶ φόβου ῥίζαι, amaræ metûs radices. Quamobrem ſalutaris eſt metus, licèt amarus, σωτήριος, καὶ πικρός.

2. Lapis excíſus de monte ſtatuam auream conterens.

Secundò, timorem ſervilem confer lapidi de monte exciſo, qui ſtatuam illam, per varia metalla quatuor monarchias repræſentantem, in cineres redigit: conterit enim, aut potiùs atterit, & ad pœnitentiæ cinerem impellit.

3. Eſt manus ſcribens in pariete.

Tertiò, timor ſervilis eſt manus ſcribens in pariete, & Balthaſarem à convivio ſacrilego abſtrahens, in quo cum principibus, uxoribus & concubinis voluptuosè & impiè ſe gerebat, Dan. 5. Manu enim illa emicante *contra candelabrum*, id eſt, è regione candelabri, ut lux oſtenderet ea, quæ fiebant, Balthaſar primò deſtituit à cibo & potu: Secundò, à laudatione deorum aureorum, argenteorum, ferreorum, ligneorum & lapideorum: Tertiò, facies illius commutata eſt, id eſt, in pallorem verſa ſanguine ad cor recurrente: Quartò, variis cogitationibus mens ejus agitari cepit per conſiderationem divinorum judiciorum: Quintò, compages renum ejus ſolvebantur, timor enim omnem luxuriam excutit: Sextò, genua ejus ad ſe invicem collidebantur, timor ſuperbum humiliat, & erectum ſtare non patitur. Septimò, Danielem advocat, ut ſenſum ſcripturæ edifcat, ad concionatores & viros pios ducit timor: Octavò, Danielem honorat, licèt ab eo increpatus ob ſuperbiam & idololatriam: Nonò, fortaſſe conteritur aut atteritur de peccatis, ſed hoc incertum. Itaque, an fuerit ejus timor merè humanus, an ſervilis, an initialis, an poſteà etiam filialis, non eſt noſtrûm definire.

181. *4. Eſt gladius flammeus ante paradiſum terreſtrem.*

Quartò, timorem ſervilem comparat gladio flammeo, quo Cherub arcebat Adamum à paradiſo terreſtri, ne iterum peccaret comedens de fructu ſcientiæ boni & mali, Geneſ. 3. 24. *Collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium.* (Hebr. flammam gladii: ſive fuerit flamma in modum gladii formata, ſive gladius igne candens, fulgurans, & veluti flammas evomens) *atque verſatilem*, qui continuo motu agitari videbatur, quaſi percuſſurus eos, qui acceſſiſſent. Omnia, ut ſonant, videntur ſumenda, & verum Cherubinum ibi, quamdiu paradiſus ſtetit, id eſt, uſque ad diluvium, vibrâſſe illum gladium. Itaque, non eſt credendum Theodoreto cenſenti gladium & Cherubim fuiſſe tantùm ſpectra quædam terribili formâ: nec Abulenſi dicenti, fuiſſe ignem undique paradiſum cingentem, & adhuc minùs Tertulliano in Apol. id de zona torrida explicanti. Timor etiam ſervilis reſecat amicitias periculoſas, & occludit loca, in quibus eſt occaſio peccati, & hortos voluptatis.

182. *5. Eſt Angelus à Deo ad peccatores miſſus.*

Quintò, timor ſervilis adhuè illuſtriùs depingitur ab Angelo Danieli apparente. Timor enim ille eſt nuncius à Deo miſſus. Verba Dan. 10. 5. ſunt: *Levavi oculos meos, & vidi: & ecce vir unus veſtitus lineis*, veſte lineâ & candidâ: timor innocentiam conſervat. 2. *Et renes ejus accincti auro obrizo*, id eſt, zona ex defæcato & puriſſimo auro: timor pellit luxuriam. 3. *Et corpus ejus quaſi chryſolithus.* Hebr. ſicut Tharſis: id eſt, ſicut mare, ut explicant Septuaginta: vel, ſicut cryſtallus, ut R. Salomon & Maldonatus: De gemma Chryſolito malim explicare, quæ aureo colore tranſlucet: eoque ita ardente, ut aurum cum eo collatum albicare videatur, ut dicit Plinius. Addit S. Iſidor. Chryſolitus auro ſimilis eſt, cum marini coloris ſimilitudine. Anſelmus verò Boëtius lib. 2. de gemmis cap. 65. ſic diſtinguit: Chryſoliti orientales puriſſimi auri inſtar rutilant: Europæi cryſtalli inſtar molles, cum aureo colore vel multum vel parum nigricant, &c. Valent contra aſthma & pectoris anguſtias: atque contra puſillanimitatem, melancholiam, moleſtias & timores nocturnos, ſicut Cardanus & Ruejus ſe expertos eſſe teſtantur. Timor inferni fugat nocturnas tentationes, & triſtitiam ob res terrenas & temporales contractam excutit. Abulenſis in cap. 28. Exod. verſ. 20. ait: Chryſolithum valere contra dæmones: quia videlicet valet contra melancholiam, per quam operari & tentare hominem ſolet dæmon. Pergit 4. Daniel: *Et facies ejus velut ſpecies fulguris. 5. Et oculi ejus ut lampas ardens 6. Et brachia ejus, & quæ deorſum ſunt uſque ad pedes:* tibiæ, ut ait R. Salomon, aut pedes: Malim, dixiſſet, tibiæ & pedes: à renibus enim uſque ad imos pedes omnia denotari arbitror, *quaſi ſpecies æris candentis. 7. Et vox ſermonum ejus, ut vox multitudinis*, magna & confuſa, ut ait Maldonatus. Tum verſ. 7. oſtendit, quid in ſociis ſuis acciderit, *terror nimius irruit ſuper eos, & fugerunt in abſconditum:* ſplendore & ſonitu adventantis & loquentis Angeli exterriti: clarè enim vidit ſolus Daniel, qui non fugit quidem, ſed graviſſimo timore correptus eſt ac penè exanimatus: dicit enim verſ. 8. non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt, & emarcui, nec habui quicquam virium. Et verſ. 9. Audivi vocem ſermonum ejus: & audiens jacebam conſternatus ſuper faciem meam, & voltus meus hærebat terræ. Poſteà ab Angelo erigitur in genua, & in articulos manuum: ac tandem jubetur ſtare. Hi ſunt adhuc effectus timoris ſancti, humilitatem & pietatem cauſantis.

Sextò, timor ſervilis eſt ſagitta divina, cor Davidis, aut Salomonis in Pſalm. 118. loquentis tranſverberans: aut clavos, manus, & pedes ac reliquum corpus defigens. Sic enim ait ℣. 120. *Confige timore tuo carnes meas.* S. Auguſt. S. Proſper, confige clavis à timore tuo, id eſt, per timorem. Secuti ſunt Sept. interpretes, ſanctus autem Hier. horripilavit à timore tuo caro mea. Quibus verbis ingens terror denotatur: addit cauſam, *à judiciis enim tuis timui.* S. Hieron. judicia tua timui. Hic autem timor eſt ſervilis, nempe timor pœnæ. 183. *6 Eſt ſagitta cor penetrans.*

Septimò denique, timor ſervilis eſt vox Dei conterens cedros Libani Pſalm. 28. 5. *Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani*, qui mons eſt Judææ tantæ altitudinis, ut ab Hebræis diceretur mons montium. Cedri Libani, ut ait Procop. in cap. 2. Iſaiæ figurant ſuperbos, rebus externis tantum elatos. Timor judicii dejicit ſuperbiam vel potentiſſimorum principum. Judicum 9. 15. *Et in indicio exibit ignis, & devorabit cedros Libani*, ſcintillæ terroris emicant ex conſideratione judicii, atque omnem terrenorum curam & æſtimationem abſumunt. *7. Eſt vox conterens cedros.*

His poſitis, Quæres primò: An timor ſervilis maneat cum charitate, cùm dicatur in Pſalmo noſtro, *exultate cum tremore*, id eſt, amate cum timore, ut explicuimus? Reſpondeo cum S. Thoma 2. 2. q. 19. art. 6. ſubſtantiam ſervilis timoris cum charitate manere poſſe, ſicut amor ſervi manere poteſt cum charitate, ſervilitatem ipſam non manere. Timor, inquit, ſervilis ex amore ſui cauſatur: quia eſt timor pœnæ, quæ eſt detrimentum proprii boni. Unde hoc modo timor pœnæ poteſt ſtare cum charitate, ſicut & amor ſui. Ejuſdem enim rationis eſt, quòd homo cupiat bonum ſuum, & quòd timeat eo privari. Amor autem ſui tripliciter ſe poteſt habere ad charitatem. Uno enim modo contrariatur charitati, ſecundùm quod aliquis in amore proprii boni finem conſtituit. Alio verò modo in charitate includitur, ſecundùm quod homo ſe propter Deum & in Deo diligit. Tertio modo, à charitate quidem diſtinguitur, ſed charitati non contrariatur: putà, cùm aliquis diligit ſeipſum ſecundùm rationem proprii: ita tamen, quòd in hoc proprio bono non conſtituat finem. Sicut etiam & ad proximum poteſt eſſe aliqua alia ſpecialis dilectio præter dilectionem charitatis, quæ fundatur in Deo, dum proximus diligitur ratione commoditatis, conſanguinitatis, vel alicujus alterius conditionis humanæ, quæ tamen referibilis ſit ad charitatem. Sic ergò & timor pœnæ includitur uno modo in charitate. Nam ſeparari à Deo eſt quædam pœna, quam charitas maximè refugit. Unde hoc pertinet ad timorem caſtum. Alio autem modo contrariatur charitati, ſecundùm quod aliquis refugit pœnam contrariam bono ſuo naturali, ſicut principale malum contrarium bono, quod diligitur ut finis: & ſic timor pœnæ non eſt cum charitate. 184. *Timor ſervilis, quatenus manet cum charitate.*

charitate. Alio modo timor pœnæ diſtinguitur quidem ſecundùm ſubſtantiam à timore caſto: quia videlicet homo timet malum pœnale, non ratione ſeparationis à Deo, ſed in quantum eſt nocivum proprii boni: nec tamen in illo bono conſtituitur ejus finis: unde nec illud malum formidatur tanquam principale malum. Et talis timor pœnæ poteſt eſſe cum charitate. Sed iſte timor pœnæ non dicitur eſſe ſervilis: niſi quando pœna formidatur, ſicut principale malum. Et ideo timor in quantum ſervilis, non manet cum charitate. Sed ſubſtantia timoris ſervilis cum charitate manere poteſt, ſicut amor ſervi manere poteſt cum charitate. Ita ſanctus Thomas, qui art. 4. oſtendit, quomodo ſervilis timor bonus ſit, & ipſa ſervilitas mala.

185. Timor filialis manet cum charitate.

Hinc patet, longè potiori jure cum charitate manere timorem caſtum ſeu filialem, qui eſt primum donum Spiritus ſancti. Quin etiam timor ille augetur aucta charitate, ſicut effectus creſcit creſcente cauſa. Ejus autem duo actus ſunt: nempe revereri Deum, ut parentem, timendo ipſius offenſam: & timere ſeparationem ab ipſo. Itaque dicit Propheta noſter, ſervite *Domino*, non vobis: quantò enim quis magis diligit, tantò minus timet pœnam: quia minus attendit ad bonum proprium & magis ad bonum amati: ideo addit, exultate *ei*, ad & ob ejus gloriam. Timor ille filialis, eſt vox procedens de throno Dei, ac tonitru in ipſo cælo, id eſt, in animabus perfectis & in ipſis beatis. Apocalypſis 4. ℣. 5. *De throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua.* Ticonius, Rupertus & Richardus tonitrua explicant de minis gehennæ, judicii, & iræ Dei, & ſic poterit de timore ſervili explicari: ſed cùm in cælo ſit thronus ille atque 24. ſeniores & animalia, id eſt, angeli primarii quatuor, auditis illis vocibus, & tonitruis procidant ante Deum, & ipſum laudent, malim de timore filiali explicare, qui vox dicatur ob diſtinctionem loquelæ & tonitru, ob efficaciam maximam. Et quidem timor ſervilis non manet in beatis, ut docet ſanctus Thomas 1. 2. quæſtione 67. articulo 4. ad 2. & 2. 2. quæſtione 19. articulo 11. manet tamen timor filialis: quia procedit à charitate, quæ *nunquam excidit*. 1. Corinthiorum 13. ℣. 8. & Propheta noſter apertè id docet Pſalmo 18. ℣. 10. *Timor Domini ſanctus*, (Sept. ἁγνὸς, caſtus, ut legit S. Aug. lib. 14. de civit. c. 9. v. l, mundus, ut vertit S. Hier. hîc, & epiſt. 140. c. 21.) *Permanens in ſeculum ſeculi.* Actus illius timoris in cælo eſt revereri Deum: Alter verò, qui eſt timere ſeparationem ab eo, non eſt ibi propriè, quia certi ſunt quòd nunquam ab ipſo ſeparabuntur: quia tamen abſolutè loquendo illa ſeparatio eſſet poſſibilis, aliquo modo ibi eſt illius timor, ſed ſine dolore aut angore, ut in nobis: unde ait ingenioſè S. Aug. l. cit. mox de civit. *Ubi boni adepti amor immutabilis eſt: profectò ſi dici poteſt, mali cavendi ſecurus eſt.* Trepidationem illam in Angelis ipſis expreſſit Job. c. 26. 11. *Columnæ cæli contremiſcunt & pavent ad nutum ejus*, Dei ſcilicet: qui angelos columna cæli effecit, non ut iis illud ſuſtentaret; ſed ut, ſicut ait Philippus, *ornaret regnum ſuum:* ſtabilitatem ergo permanentem in natura Angelorum intelligit nomine columnarum. S. verò Thomas ſic vocari vult, quòd cælos moveant.

186. Cum timore Dei ſtat perfecta lætitia.

Quæres ſecundò: An lætitia poſſit eſſe cum timore, cùm dicatur: *Exultate eum cum tremore?* Reſpondet affirmativè author. Eccl. c. 1. 11. *Timor Domini, gloria & gloriatio, & lætitia & corona exultationis* ex omni parte ſuccingens, & glorioſos ac lætos radios in animam & in vicinos diſpergens. Syr. corona gloriæ. Pergit ℣. 12. *Timor Domini delectabit cor:* non eſt vana & inanis, ſed ſolida & bene radicata & medullæ ac ſucci plena lætitia. *Et dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum.* Arabs, *& eſt lætitia, & exultatio, & vita permanens.* Syr. & vita æterna. Varias deinde timoris Dei utilitates profert.

Solarem lætitiæ coronam, effectum timoris, expreſſiùs oſtentat Propheta Malachias, cùm ait c. 4. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ*, qui nec bona, nec mala, nec virtutes, nec vitia latere patietur, ut ait Gloſſa. *Et ſanitas in pennis ejus*, ut ſanatos per pœnitentiam in humeris ſuis portet, ut eadem Gloſſa exponit: *Et egrediemini*, Tertull. legit, exibitis de ſepulcris: cùm ſcilicet vos Deus reſuſcitabit ad vitam glorioſam: *Et ſalietis, ſicut vituli de armento.* Chald. pingueſcitis, ſicut vituli ſaginati. Sept. ſicut vituli de vinculis relaxati. Vituli porrò de armento, ſeu armenti, ſunt illi, qui paſcuntur juxta matres ſuas, boves multos ac vitulos ſimiles ſibi, cum iiſque lacte pleni in pratis exultant. De beatis in cælo hæc dicuntur propriè, qui illos timoris fructus in ſecuritate percipiunt: transfert tamen etiam ad viros juſtos hîc in Deo ſunt exultantes.

Notabilis eſt loquendi modus Pſ. 85. 11. *Lætetur* 187. Timendum eſt ut lætemur.
cor meum, (S. Hier. unicum fac cor meum. Cor diviſum, dolorem & mortem cum vulnere) *ut timeat nomen tuum:* lætetur, ut timeat: non quærit lætitiam cor ut in ea quieſcat otioſum, ſed ut te unum timeat ac veneretur: ſic viceverſa, timeat te, ut lætetur ſicut filius, non ut trepidet ſicut mancipium. Vide illum Pſalmum, ubi S. Aug. ſic loquitur: *Ergo timor in jucunditate eſt. Et quâ jucunditas, ſi timor? Nonne timor amarus eſſe ſolet? Erit ergo aliquando jucunditas ſine timore, modo jucunditas cum timore. Nondum eſt enim plena ſecuritas, nec perfecta jucunditas.* Et S. Chryſ. hom. 18. de regib. ſpeciatim, quos rex noſter hortatur ſervire Domino in timore, & exultare ei cum tremore, dicit: *Tot regibus, ἀθυμίας ἀνάγκας, triſtitiæ neceſſitates ſunt, ὅσα θαλάττῃ κύματα, quot in mari undæ.* Ac paulò poſt, perfecti gaudii inexhauſtam ſcaturiginem eſſe docet Dei timorem. *Dei timor*, ait, *βέβαιος καὶ ἀκίνητος, ſtabilis eſt immotuſque & tanta βρύει χαρὰν, ſcaturit lætitia quam effundit, ut nullus nos aliorum ſenſus malorum capiat. Deum enim ſicut oportet timens, & in ipſo confidens, ῥίζαν ἐκαρπώσατο ἡδονῆς, radicem voluptatis lucratus eſt, & habet omnem lætitiæ fontem: & ſicut in mare decidens immenſam ſcintilla exigua facilè extinguitur: ſic quantacunque Deum timenti illidantur, velut εἰς πέλαγος εὐφροσύνης ἐμπίπτοντα (sic), in vaſtum lætitiæ pelagus incidentia extinguantur atque perduntur.* Addit alia plurima, ubi nota eum loqui de hac vita, etiam calamitoſa in ſpeciem.

Nota, regem noſtrum poſtulare mixtionem 188. Miſcendus eſt lætitiæ timor.
timoris cum lætitia *exultate eum tremore*, ut moneat utrumque debere eſſe moderatum: cùm hîc needum ſit plena ſecuritas, & aliunde Deum juvantem & coronas oſtendentem habeamus. Prov. 9. 5. *Bibite vinum, quod miſcui vobis*, needum eſt merum ac purum, adhuc aqua miſcetur. Pſ. 74. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus miſto.* In manu Dei eſt vinum meracum, ſed antequam inclinet ex hoc in hoc, illud miſcet. S. Hier. uſque ad plenum mixtus: id eſt, nihil ibi prorſus eſt non mixtum, ne una quidem guttula, *& inclinavit ex hoc in hoc.* S. Aug. *in hunc*, S. Hier. *propinabit ex eo.* Ugo & Rickelius calicem vini meri, explicant de beatitudine cæleſti: *Plenum mixto*, ad ſanctos referunt in hac vita, aut in purgatorio: quia gaudent, ſed in ſpe: & inclinatur, ſeu affunditur ex calice gaudii aliquid in calicem tribulationis. Alludit David ad ſympoſiarcham ſive rectorem convivii, qui vini qualitatem & quantitatem cuique admetiebatur, & aqua diluebat, quam ætas, ſanitas, & vires patiebantur.

Quiſque ſtatum hujus vitæ cum S. Aug. in Pſal. 85. conſideret. *Nondum eſt plena ſecuritas, nec perfecta jucunditas. Si nulla jucunditas, deficimus. Si plena ſecuritas, malè exultamus. Ergo & jucunditatem aſpergat & timorem incutiat: ut de dulcedine jucunditatis perducat nos ad ſedem ſecuritatis. Dando timorem non nos faciat malè exultare, & recedere de via. Ideo ſic dicit Pſalmus: Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Ita ipſe S. Bern. ſerm. 3. in vigilia Nativ. Domini explicans modum, quo anima è ſceleribus emergit. Jam, inquit, reſpirare incipit à tribulatione malorum & dolore, & timoris magnitudinem ſpirituali lætitia temperare, ne ſuorum enormitate ſcelerum, abundantiori triſtitia abſorbeatur, &c. Sic ardens & lucens nondum

in

in domo ſe eſſe confidat, ubi ſine omni timore ventorum accenſum lumen ſoleat deportari, ſed meminerit ſe eſſe ſub dio, & utrâque manu ſtudeat operire, quod portat: nec credat aëri, etiamſi videat eſſe tranquillum. Ita Bern. Triplex enim ventus eſt, qui aut ubique perflat: aut, ſi quieſcit nonnunquam, majores deinde tempeſtates excitat. Hinc dæmon, inde caro, atque his intermixtus Mundus ſerunt prælia, & miſeram mentis naviculam huc illuc fluctuantem agitant & evertunt. Itaque ſapienter monet Michæas Propheta c. 6. 8. Indicabo tibi, ô homo! quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Utique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum (Tigurina, ſubmiſſum) *ambulare cum Deo tuo*, qui primò eſt puriſſimus ac ſanctiſſimus, & omnem iniquitatem odit: Secundò, vel leviſſima peccata eſt puniturus: Tertiò, peccata tua omnia præterita novit ac præſentia: Quartò, infinitæ eſt majeſtatis & excellentiæ, eique collati omnes Angeli, & homines ſunt quaſi gutta cadi & roris antelucani, imò merum nihil, tanquam nihilum ante illum, ut ait Propheta: unde Chal. vertit: *Ut ſis humilis ad ambulandum in timore Dei tui.* Inculcatur ille timor in Deuteron. c. 6. 2. Hæc ſunt præcepta Domini, *ut timeas*, &c. ℣. 13. Dominum Deum *timebis*, & illi ſoli *ſervies*, c. 10. 12. Et nunc Iſraël, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi *ut timeas*, &c. c. 13. 4. Dominum Deum veſtrum ſequimini, & *ipſum timete.* Cum eo tamen timore eſt lætitia. Qui enim cum Deo ambulat, in Deo ambulat: eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem, tenebræ in eo non ſunt ullæ: unde Lactantius l. 3. inſtit. c. 3. jure reprehendit Anaxagoram Philoſophum, qui rogatus, cujus rei causâ natus eſſet? Reſponderit, *cœli ac Solis videndi:* ipſe verò ſubdit: Si quis hominem, qui verè ſapit, interroget, cujus rei gratiâ natus ſit? Reſpondebit intrepidus, ac paratus, colendi ſe Dei gratiâ natum: quia nos ideò generavit, ut illi ſerviamus. Servire autem Deo nihil aliud eſt, quàm bonis operibus tueri & conſervare juſtitiam. Sic ipſe. Dic itaque omnibus cum Joſue c. 24. 14. *Nunc ergò timete Dominum*, (alii omnes ſunt ſervi) *& ſervite ei perfecto corde, atque veriſſimo*, (non labiis tantùm) *& auferte deos, quibus ſervierunt* (velis nolis, ſemper alicui ſervies) *patres veſtri in Ægypto, ac ſervite Domino.* Sin autem malum vobis videtur, ut Domino ſerviatis, optio vobis datur: eligite hodie, quod placet, cui ſervire potiſſimùm debeatis: utrùm diis, quibus ſervièrunt patres veſtri in Meſopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis: *Ego autem & domus mea ſerviemus Domino.* Hactenus Joſue, lege cætera, videbis fervorem populi ſervire Deo exoptantis, & fœdus in eam rem cum Deo ferientis.

189. Timor Dei eſt ſapientia. Quæres tertiò: Quare cum præcedente verſu dixiſſet Propheta, *erudimini*, qui judicatis terram, ſubtexat: Servite Domino in timore? Reſpondeo cum Job. 28. verſu 28. *Ecce timor Domini* (Sept. *cultus Dei:* hic à timore pendet atque oritur) *ipſa eſt ſapientia: & recedere à malo, intelligentia:* cùm enim ad Deum acceditur, ad fontem omnis luminis acceditur, Eccl. 1. ℣. 1. *Omnis ſapientia* à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante ævum, (Gr. εἰς τὸν αἰῶνα, in ſæculum, ſeu in æternum, ſemper cum eo perſeverat. Et verſo 5. *Fons ſapientiæ* (eſt) *verbum Dei in excelſis.* Tigurina, verbum Dei, qui celſiſſimus eſt, lege cætera.

Et fons ſapientiæ. Quòd autem ſcientia & ſapientia à timore Dei procedant, & ab ea conſerventur & perficiantur, idem author Eccl. docet c. 1. ℣. 16. *Initium ſapientiæ* (Hebr. ראשית *reſith*. Vatablus vertit, caput, Palacius, ſumma) *timor Domini.* Sapientiam porrò intellige divinam & practicam, ſeu ethicam ſacram. Verſ. 17. additur: *Timor Domini, ſcientiæ religioſitas.* Vatablus vertit, ſanctitas eſt ſcientiæ, verſ. 20. *Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum*, (Tigurina habet, revereri Deum, ubertima ſapientia eſt) *plenitudo à fructibus illius.* Gr. μεθύσκει, inebriat eos à fructibus ſuis, id eſt, de fructu ſuo, & per fructum ſuum. Syr. *felicitas inebrians* præ multitudine frugum ejus. Ebrietas denotat ubertatem cum delectatione. ℣. 22. Pergit magis adhuc aptè ad reges, quos David in Pſalmo noſtro alloquitur. *Corona ſapientiæ* (i. e. perfecta, glorioſa ac verè regia ſapientia) *timor Domini, replens pacem*, plenam pacem afferens. Gr. ἀναθάλλων, germinans: eſt arbor vitæ & pacis fructus fundens: pax porrò pro omni bono ſumitur apud Hebr. *& ſalutis.* Gr. ὑγιείας, ſanitatis, *fructum.* Ex his conſidera cum Cornelio, timorem Domini vocari coronam ſapientiæ; non quòd ipſe ſapientiam coronet; ſed quòd ſuos, nempe timentes Deum coronet, & ornet coronâ ſapientiæ, ipſa ſcilicet ſapientia, quæ inſtar coronæ hominem condecorat: ideóque timentes Deum facit locupletes & nobiles, imò Reges, juxta illud 1 Petr. 2. 9. Vos genus electum, regale ſacerdotium. Et illud Philoſophi: *Rex eris, ſi ratio te rexerit: Reges multos, ſi ſapientiâ regaris.* Unde Syrus vertit: Multiplicat pacem, & vitam, & ſanitatem. Baculus eſt roboris, & locus recubationis gloriæ, & honor æternus omni, qui ambulat poſt eam, atque Arab. Ex ea ſapientia multiplicatur doctrina, & vita, & ſanitas: & eſt virga utilitatis, & ſuſtentaculum laudis, & honor perpetuus cuilibet illam quærenti. Verſu denique 25. habetur: *Radix ſapientiæ, timere Deum, & rami ejus longævi.* Gr. μακροημέρευσις, longitudo dierum. Tigur. longævæ ætates. Timor Dei eſt cauſa longæ vitæ, vitam diuturnam producit, ſicut radix ramum: id etiam in hac terra verum eſt, ut patet in ſancto Antonio, qui vixit annos 105. in ſancto Paulo eremita, qui 113. quorum 98. degit in ſpelunca per timorem Dei effugiens Mundum, in ſancto Pachomio, qui 118. in S. Simeone Epiſcopo Jeroſ. S. Arſenio Arcadii & Honorii Imp. præceptore aulam fugiente, & in Ægypti eremum ſecedente, in S. Romualdo fundatore Ordinis Camaldulenſis, ac ſummâ auſteritate vivente, qui tres 120. annos vixêre.

Sic ait Salomon Prov. 1. 7. *Principium ſapientiæ, timor Domini*, quod S. Greg. Naz. orat. 28. contemplans ait: *Unam hanc ſapientiam ſcio, quæ in timore Dei ſita eſt. Nam & principium ſapientiæ timor Domini: & finis ſermonis (omnia audi) Deum time. Hæc ſapientiſſimi illius Salomonis verba ſunt.* Et cap. 15. 33. ait idem rex: *Timor Domini, diſciplina ſapientiæ:* Syr. fons vitæ. *Et gloriam præcedit humilitas.* Sept. commodè ad Pſalmum noſtrum vertunt, ſicut habet auctor Catenæ Græcorum: Timor Domini parit diſciplinam & ſapientiam: utraque autem principium eſt gloriæ, quam humilitas antegreditur, & Arabs, *principium nobilitatis* eſt reſponſio ejus, & gloria deambulat ante humiles. Fauſtinus presbyter in Arianos c. 5. *Chriſti ſervum fieri ſummi decoris eſt, & quaſi quadam Mundo ſupereminens nobilitas.*

190. Reges præſertim ſerviant Deo cum timore. Quæres quartò: Cur Rex noſter reges incitat præſertim, ut ſerviant Deo in timore? Reſpondeo primò: Reges ſervire Deo debere. Primò ob accepta majora beneficia ab ipſo. Secundò ob majorem notitiam virtutis, & Dei ipſius. Tertiò, quia Deo eſt glorioſius, ut, qui inter homines emicant, & ſuper aliorum capita elevantur, in pulvere coram ipſo jaceant, & venerabundi ſe ad ejus altaria provolvant. Quartò, quia eorum exemplum plerique in omnem partem ſequuntur. Reſpondeo ſecundò: Reges debere ſervire Deo in timore. Primò ob graviorem punitionem, de qua dicetur cap. ſeq. Secundò ob majorem licentiam faciendi, quicquid placuerit, ideò egent timoris fræno. Tertiò, quia verſantur in loco alto & lubrico, & à multis impelluntur, ideòque ſunt in ſummo peccandi periculo.

191. 1. Timor Dei illis paratas inſidias docet. Timor verò divinus primò oſtendit paratas regibus ab hoſte inſidias. S. Joan. Climac. in grad. 2. anacephal. *Sicut radius Solis per foramen egreſſus, omnia, quæ domi ſunt, colluſtrat: ut vel minutiſſimus conſpiciatur pulvis volitans: ſic & metus Domini, cum judicio in corde hærens, omnia ipſi peccata oſtendit:* ita ipſe. 2. Efficis ut illæ inſidiæ vitentur. Secundò, timor Dei efficit, ut inſidiæ vitentur, in quas reges eo abſente incurrerent. S. Baſil. in Pſalm. 32. *Niſi timor inſtituendæ vitæ noſtræ rudimenta jaciat, impoſſibile fuerit caſtitatem ſanctimo-*

niamque

niamque legitimè obſervari. Hinc Rex noſter dicebat Pſal. 118. 120. ut jam monui: Confige timore tuo *carnes meas:* à planta pedis uſque ad verticem capitis. Pſalt. Rom. habet, infige timore tuo, Ambroſianum, infige clavis à timore tuo. Caſſianus, affige de timore tuo. S. Cypr. lib. 2. cap. 20. confige clavis de metu tuo. Ut ſim martyr caſtitatis, clavis timoris divini confixus in omni parte corporis, ut in nullo ſentiam ſtimulum carnis, & additamentum Leviathan. De confixione martyrum in capite & toto corpore dixi ſuo loco. Pergit verò S. Baſil. *Confige timore carnes meas: Nam ſicut qui corporis membra habent clavis transfixa, ad actionem quamlibet immobilia ea retinent: ſic ii, quorum animam occupavit Dei timor, πᾶσαν ἐκ παθῶν ἁμαρτίας ἐπέλευσιν, omnem prorſus importunam peccati ex perturbationibus occaſionem vitant. Timenti itaque non eſt inopia: hoc eſt, nulla ad complectendam virtutem deeſt facultas, cùm per timorem ab indecora omni & abſurda actione revocetur & impediatur.* Ita S. Doctor, qui alio loco timorem Dei vocat, *καθάρσιον ψυχῆς, animæ expiationem.*

3. Sapientiam oſtendit.

Tertiò: Timor Dei ſapientiam reges edocet, ut quæſt. præcedenti vidimus: adde S. Greg. Naz. Timor Domini initium ſapientiæ, & velut, *πρῶτον σπάργανον primu fœtus illius faſcia eſt.* Tamerlanes commiſſurus prælium, Deum cum maximo tremore diu orabat; ideò omnia illi proſperè cedebant.

4. Facit, ut virtutem colant.

Quartò: Timor Dei efficit, ut reges virtutem colant. S. Cypr. lib. 3. ad Quirinum: *Fundamentum & firmamentum ſpei & fidei eſt timor:* imò, & charitatis. S. Joan. Climac. grad. 30. *Timoris divini incrementum, ἀρχὴ ἀγάπης, principium charitatis. Charitas verò eſt, πηγὴ πυρός, ſcaturigo ignis cœleſtis, qui quantò magis redundat, tantò magis ſitientem aduris & abſumit. Charitas eſt ἀγγέλων στάσις, angelicus ſtatus.* De Jobo, qui fuit Rex in Arabiæ parte, habes Job. 1. ℣. 1. *Vir erat in terra Hus, nomine Job: & erat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum.* Et Rex noſter ſe timere ac timuiſſe Deum & ejus judicia aſſerit, Pſal. 118. 120. *A judiciis tuis timui*, & Pſ. 9. 21. ait: *Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos.* Hebr. pone terrorem: ac Moſes trepidantibus Hebræis prope montem Sinai, quòd viderent, id eſt, audirent voces ac ſonitum buccinæ, ac verè viderent lampades ignemque fumantem, ait, Exodi 30. ℣. 20. *Nolite timere: ut enim probaret vos*, (experiretur veſtram fidem, reverentiam & obedientiam) *venit Deus, & ut terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.*

5. Ut ſalventur.

Quintò denique: Timor Dei efficit, ut reges ſalutem æternam conſequantur, Eccl. 1. 22. *Timor Domini replens pacem, & ſalutis fructum:* ſalus & ſanitas perfecta erit in cœlo. Modum, quo timor ſalvat, aperit Tertull. lib. de cultu fœminarum c. 2. *Timor* inquit, *fundamentum ſalutis eſt, præſumptio impedimentum timoris. Utilius ergo ſi ſperemus nos poſſe delinquere. Sperando enim timebimus, timendo cavebimus, cavendo ſalvi erimus. Contrà, ſi præſumamus, neque timendo, neque cavendo, difficile ſalvi erimus. Qui ſecurus agit, non eſt ſollicitus, non poſſidet tutam & firmam ſecuritatem. At, qui ſollicitus eſt, is verè poterit eſſe ſecurus.* Vide regum pietatem, Pſ. 101. 23.

192. Terret Deus potentes, pauperes recreat.

Nota cum S. Chryſoſt. hom. 5. de pœnitentia, Deum in dignitate potentes & inſignes reges, principes, divites alloqui cum terrore, doctrinæ timorem ſapienter miſcendo: tenues lenius & clementius, eorum ſe patrem appellando. Vide Iſaiæ 37. 29. quàm ſeverè increpet Sennacherib regem Aſſyriorum. *Cùm fureres adverſum me, ſuperbia tua aſcendit in aures meas: ponam ergò circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam veniſti.* Agit veluti cum mulo, aut equo, aut bubalo. Animam verò, & Eccleſiam ſuam afflictam, ſuaviſſimis verbis conſolatur cap. 54. ejuſdem Prophetæ ℣. 11. *Paupercula, tempeſtate convulſa, abſque ulla conſolatione. Ecce, ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris,* &c. Vocatur pater orphanorum, Pſ. 67. 6. ſit refugium pauperi, Pſal. 9. 10. parcit pauperi & inopi, & *animas pauperum* ſalvas facit, Pſal. 71. 13. Dei ſeveritatem contra potentes, & benignitatem erga afflictos videre potes Michææ 5. verſ. 6. ubi agens de ſeptem, imò octo, id eſt, plurimis paſtoribus & primatibus, hoc eſt, principibus, quibus evertent Aſſyrios & Babylonios longè latéque dominantes, ait: *Paſcent terram Aſſur in gladio.* Vocat terram Aſſur Ninivem & Aſſyriam, cui regioni filius Sem, nomine Aſſur, ſuum nomen reliquit. Hebr. Aſſur ſignificat felicem, beatum, fortunatum. Hinc Gallicè *ſeur, aſſeure:* ſecuritatem illam & ſtabilitatem, ac felicitatem Deus gladio commovet, *& terram Nemrod in Lanceis ſuis.* Anno poſt diluvium 276. Mundi 1932. Nemrod, qui & Belus dictus eſt, tyrannidem occupavit Babylone: ideò eam urbem vocat terram Nemrod: ut etiam Deo rebellem oſtendat. Nemrod enim ſignificat rebellantem & rebellionem: ac præterea, ut S. Hieron. tentationem deſcendentem, qui cornua erigit in Deum per ſuperbiam, ſæpè per luxuriam *iniquitate calcanei* circundatur, Pſalm. 48. 6. Contrà verò afflicti & humiliati à Deo eriguntur. Pergit Michæas ℣. 7. *Et erunt reliquiæ Jacob* (Judæi & longè magis Apoſtoli pauperes & abjecti) *in medio populorum multorum, quaſi ros à Domino, & quaſi ſtilla ſuper herbam.* Chald. vertit, ſicut guttæ imbris ſerotini ſuper herbam. Sept. non verba, ſed ſenſum reddentes, aliâ uſi ſunt ſimilitudine, verterunt enim: ſicut agni ſuper gramen. Hinc Matth. 10. 16. Ecce, ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Michæas denique adjicit, eos futuros leones hoſtis ſui victores. Oves fuerunt Apoſtoli, ut tonderi ſe patienter & alacriter ferrent: leones verò, ut rugirent, & prædam raperent.

193. Potentes & divites ſine Dei timore læti eſſe non poſſunt.

Nota ſecundò, potentiſſimos licèt & voluptatibus omnibus affluentes carere lætitia, niſi habeant timorem Dei. De eorum divitiis ait Oſeas cap. 9. verſu 6. *Deſiderabile argentum eorum urtica hereditabit:* Tropol. filii nequam & ſcelerati, qui ſunt inſtar urticarum cor parentum pungentium: ad literam verò Chald. vertit: *In domo deſiderabili argenti eorum, urtica degent,* q. d. evertentur à Salmanaſar rege Aſſyriorum domus Samariæ, & in illis creſcent urticæ. Nota, Samaria ſignificat cuſtodiam, ſive cuſtoditam. Divitiæ tantâ curâ cuſtoditæ gignent etiam in domibus divitum florentibus urticas: id eſt, anxietates & dolores. Addit *lappa in tabernaculis eorum.* Lappa eſt herbæ genus, capita habens leviter hamata, ideóque veſtibus adhærentia. Vocamus *bardane:* Hiſpani verò, yerva, amo del hortulano. Hebr. חוח *hoah*, armilla, ut vertitur Job. 40. 21. carduus, ut Hieron. 4 Reg. 14. 9. ſpina, ut Pagninus, Job. 31. 40. Hinc Septuag. loco allato Oſeæ vertunt, *ſpinæ:* divitiæ à Chriſto comparantur ſpinis, Matth. 13. 22. & Luc. 8. 15. Lappa etiam eſt ſpinoſa, ut docet Dioſcorides lib. 3. cap. 98. dixit Chriſtus Matthæi 7. 16. *Nunquid colligunt de ſpinis uvas,* (de divitiis ſuavitatem) *aut de tribulis ficus?* Voluptatibus fœneo flore fallentibus veram & ſinceri plenam delectationem.

Divitiæ eorum ſunt 1. *Urticæ.* 2. *Lappa.* 3. *Spinæ.* 4. *Tribuli.*

Triplex eſt lappæ genus.

Nota: Triplex eſt lappæ ſpecies, ut dicit Perottus. Prima dicitur canaria, quòd canibus adhæreat, eſt autem exigua. Repræſentat luxurioſos, qui canum inſtar in libidine ſunt impudentes, verbis, geſtu, tactu etiam publicè ſeſe adjungentes mulierculis. Secunda major eſt, & *φιλάνθρωπος* nuncupatur, quòd hominum veſtibus adhæreſcens, eos amare videatur: dicitur etiam aparine. Illa eſt adulatio, ad honores à potentioribus obtinendos: ſed eſt aparine, in ſola apparentia & non in corde eſt amor ille adhærentium, non ipſis hominibus, ſed eorum veſtibus, id eſt, bonis externis. Tertia lappæ ſpecies vocatur perſonata, quòd ob magnitudinem poſſit uſui eſſe pro larva, appellatur etiam à Græcis *προσωπὶς*, id eſt, perſona, larvæ naſcitur inter rivos & flumina. Symbolum eſt divitiarum ſemper fluentium, & fixam atque umbraticam ac perſonatam felicitatem oſtentantium. Seneca vocat perſonatam felicitatem eam, quæ non eſt vera, ſed ſimulata: quæ forinſecùs eſt decora, intùs verò deformata inſtar hiſtrionum, qui inductâ perſonâ ſimulant, & imitantur, quemcunque velint. Græci vocant *ἐπίπλαστον εὐδαιμονίαν.* Mors ſaltem perſonam & larvam detrahet è theatro deſcendentibus, ut Auguſtus ipſi, qui morti proximus, petiit, an rectè perſonam ſuam egiſſet,

Alii ſimili triſtitiam impiorum declaraverat Oſeas, cap. 9. verſu 4. *Non libabunt Domino vinum*, ſed idolis: bibent calicem dæmoniorum, 1 Cor. 10. 20. *Et non placebunt ei.* Hebr. non dulceſcent ei. Non offerent jucunda & dulcia ſacrificia: ſed imperfecta ac ſine vino, aut prorſus nulla. Quid inde ſequitur? *Sacrificia eorum, quaſi panis lugentium*, qui comedi ſolet in funeribus. Græci vocant νεκρόδειπνα, cœnas mortuorum; Latini parentalia, quòd parentibus mortuis immolentur. Chald. vertit, inſtar panis abominabilis, id eſt, polluti: *omnes, qui comedent eum, contaminabuntur.*

Conclude igitur, & dic omnibus: *Servite Domino in timore, & exultate.* Servienti & timenti ſtatim orietur exultatio.

ARTICULUS X.

Magnâ curâ correctioni morum & amori Dei vacare debent reges & principes.

VIdimus cum rege noſtro, reges & judices terræ intellectu debere ornari ſapientiâ, verſu 10. Et nunc reges intelligite, &c. Deinde voluntatem eorum ſubjiciendam ipſi per timorem & lætitiam, verſu 11. Servite Domino in timore, & exultate, &c.
Verſ. 12. I. Pars. Nunc reſtat, ut manus operi admoveatur, id autem, monet David, verſu 12. APPREHENDITE DISCIPLINAM: NEQUANDO IRASCATUR DOMINUS, ET PEREATIS DE VIA JUSTA.
194. Diſciplina eſt apprehendenda. Sept. vertunt, δράξασθε παιδείας, quod reddi poteſt, manu accipite diſciplinam. δράσσω enim eſt manu apprehendo, Iliad. ν. Hinc δράγμα, manipulus, Iliad. λ. & apud S. Chryſoſt. δράξ ſignificat pugillum, id eſt, quantum pugno comprehendi poteſt.

Diſciplina triplex notio. Nota, diſciplina tria ſignificat. 1. Artem & doctrinam, prout à Doctore traditur, inſtitutionem, inſtituendi rationem: & ſic etiam ſumitur παιδεία à Xenoph. & Ariſt. ac ſpeciatim dicitur à Plat. & Herodiano l. 5. inſtitutio, ad bonas artes eruditio. Secundò, diſciplina ſumitur ſæpè pro correptione & caſtigatione, ut videbimus ex Proverbiis, item παιδεία Hebr. 12. Tertiò, diſciplina ſumitur à Tullio lib. 5. Tuſcul. & de clar. orat. pro ſecta Philoſophorum.

Senſus triplex hujus loci. Senſus itaque triplex & bonus ac literalis hujus loci eſſe poteſt. Primò, q. d. recipite doctrinam cœleſtem & divinam vobis à Chriſto Rege & Legiſlatore datam. Secundò, q. d. recipite Chriſti monitiones & increpationes, & ex illis vitam emendate. Tertiò, q. d. profitemini vos eſſe Chriſtianos, & à tanti Regis voluntate & gubernatione, atque legibus & inſtitutis pendere velle. Tres autem ſenſus illi penè coincidunt. De his omnibus verba veri Salomonis Chriſti potes ſumere, Prov. 4. 1. *Audite filii diſciplinam patris, & attendite, ut ſciatis prudentiam.* Hebr. ut ſciatis intelligentiam. Sept. ut faciatis cogitationem. Aquila, intellectum: Ut ſcilicet, quæ prudentia dictat facienda, illa præſtetis. Et cap. 1. ℣. 1. *Parabolæ Salomonis, filii David, regis Iſrael ad ſciendam ſapientiam & diſciplinam.* Chald. & eruditionem. Tigurina, & caſtigationem. Vatablus, & mortificationem carnis. JEſus ſine parabolis non loquebatur eis, Matth. 24. 34. Ænigma verò erat, cùm dicebat, Luc. 14. 27. *Qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus:* diſciplina à diſcipulo deducitur, aut ſaltem eſt diſcipuli. Hoc unum diſce, crucem poſt Chriſtum ferre, in ea una gloriari cum Apoſtolo, illam apprehendere, & eris doctus Chriſti diſcipulus.

195. Quinque modis diſciplina Chriſti accipienda. Nota 2. Quinque modis apprehendi Chriſti diſciplinam, colligi ex variis verſionibus.

1. Cum ardore. Primò, Chriſti diſciplina arripienda eſt cum ardore. Hoc indicat vox Græca δράξασθε. Nam δράσσειν ſeu δράττειν, eſt, plenâ manu capere, quantum pugnus continere poteſt, cum aviditate arripere, amplecti. Origo eſt δράω, facio, ago: unde δραστὴς acer ad agendum, ſtrenuè & acriter ac generosè & ferventer res agens. Cùm itaque Septuag. vertunt, δράξασθε παιδείας, ſenſus eſt, q. d. accipite diſciplinam, doctrinam & legem meam, ambabus eam manibus & ulnis amplectimini, ut opere impleatis, & ex ejus præſcriptis mores conformetis. Recipienda eſt, veluti donum cœleſte, Eccl. 26. 17. *Diſciplina illius* (uxoris bonæ: Alleg. Eccleſiæ) *datum Dei eſt:* ejus Doctor eſt Deus. Doni excellentiam habes, Prov. 8. 33. *Audite diſciplinam, & non pecuniam: doctrinam magis, quàm aurum.* Magnus eſt hic ardor.

Secundò, Chriſti diſciplina eſt ſuſcipienda cum magno innocentiæ, puritatiſque & caſtitatis deſiderio. 2. Cum deſiderio innocentiæ. S. Hieronymus vertit: Hebr. *adorate purè:* Poſſis reddere, *amplectimini puritatem:* Lex Domini immaculata, convertens animas, Pſ. 18. 8. Itaque beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Vide ibi dicta. Puritatem porrò amplecti eſt legem Chriſtianam, quæ eſt puriſſima, ſuſcipere & paſſis brachiis ſtringere: vel ipſum Legiſlatorem Chriſtum, qui paſcitur inter lilia, Cant. 2. 16. Virgo natus de Virgine: in eam rem aptè R. David vertit, *oſculamini Puerum*, ſic Deipara Puerum JESUM B. Stanislao Koſtkæ ægrotanti, quem ille complexus diu & ſuaviſſimè oſculatus eſt. In ſacra Euchariſtia id quotidie fit. Vertere enim licet cum Tyroboſco, *oſculamini frumentum:* aut cum Galatino, *faſciculum ſpicarum.* Hæc enim omnia aliaque ſignificat vox Hebraica בר *bar.* Euchariſtia eſt Zachar. 9. 17. *frumentum electorum* Hebr. *bahurim*, juvenum, ut vertunt Septuag. Syr. Arab. Pagn. & *vinum*, Hebr. תירוש *thiros.* vinum novum. Vinum novum, amicus novus: *germinans virgines.* Septuag. εὐωδιάζον, odoratum ad virgines. Arab. ungens inſtar unguenti. Syr. delectans ac recreans. Pagninus, cantare faciens. Sanctius, ſincere faciens. Tigurin. ſucculentos & vegetos reddens.

Tertiò, Chriſti diſciplina ſeu doctrina eſt ſuſcipienda cum fortitudine. 3. Cum fortitudine. R. Salomon vertit: *Armamini munditia.* Hebr. נשק *naſak* & oſculari, & armare ſignificat. Licèt enim ſit JEſus Salomon, id eſt, pacificus: eſt tamen *Deus fortis*, Iſai. 9. 6. & 10. 21. ac ſervos ſuos vult fortes, cap. 19. 3. ait, *vocavi fortes meos*, eſt *Redemptor fortis*, cap. 49. 26. & 60. 18. *Dominus fortis* & potens, Pſ. 23. 8. *Adjutor fortis*, Pſal. 70. 7. Fortitudo ipſa, Exod. 15. 2. ait Moſes: *Fortitudo mea* & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Ipſa ejus doctrina eſt clypeus adverſus hoſtes, qui non deſunt. Unde Caſſiodorus in Pſalm. noſtr. *Magnificum verbum*, ait, *apprehendite diſciplinam, quaſi munimen clypei contra noxia vitia profuturum.* Vult etiam fortes alumnos, Cant. 7. 1. *Quid videbis in Sulamite*, (id eſt, ſapientia) *niſi choros caſtrorum.*

Quartò, Chriſti diſciplina ſeu doctrina eſt ſuſcipienda cum conſtantia. 4. Cum conſtantia. Id exigunt Arabicæ *Adhærete diſciplinæ.* Et Theodorus explicat ἀσφαλῶς ἔχεσθε, firmiter apprehendite, ac tenete: Euthymius etiam exponit, *pugno conſtanter tenete.* Non facilè effluit, quod pugno, id eſt, manu clauſâ tenetur ac ſtringitur. Sic Chriſti doctrina continenda eſt, ut gemma pretioſa, Prov. 4. 13. *Tene diſciplinam, ne dimittas eam: cuſtodi illam, quia ipſa eſt vita tua.* Hebr. ipſa eſt *vita tua:* tum hìc per gratiam, tum in cœlo per gloriam. Aptè ad Pſalmum noſtrum Arias vertit: *Apprehende* eruditionem, & Syrus ad rem præſentem, *perſevera* in diſciplina. Hebr. חזק *habaz. k.* Verti item poteſt, robuſtus eſto, teipſum robora, indura, fortifica.

Prov. 3. 11. *Diſciplinam Domini, fili mi! ne abjicias.* S. Cypr. lib. de habitu virginum, *ne neglexeris:* ex negligentia fit, ut paulatim aliquid pereat, ac deinde tota abjiciatur diſciplina. Tigurina, *ne averſeris*, ſi eam aſpexeris, ſui miros amores excitabit, ſicque eam conſervabis ut pupillam oculi tui & lumen oculorum tuorum. Vatablus, *ne moleſtè feras*, velut grave jugum, alioquin tandem fatigatus illam à cervicibus excuties, ut ſicut onager vivas tibi in ſolitudine, & liber haurias ventum amorum tuorum: ſed fer doctrinam illam ut jugum ſuave & onus leve, & alia onera allevians, & teipſum portans in cœlum, ut avem portant alæ, licèt aliundè onus ſint, ſed leve atque jucundum. S. Hier. in cap. 20. Ezech. *Fili, ne contriſteris ad diſciplinam.* Triſtitia cor

contrahit,

contrahit, & via mandatorum non curritur, niſi dilatato corde, Pſ. 118. 32.

Prov. 8. 33. ait Sapientia: *Audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abjicere eam.* Date illi vos totos. Primò, cor illi aperite, fiet theſaurus cœleſtis. Sept. vertunt, μὴ ἀποφράξητε, *ne obſtruamini*, ne obturemini, ne vos claudatis, & ſepiatis, ac muniatis, ut doctrina mea non intret in cor veſtrum, ut faciunt ſcioli, argutiis: obſtinati, objecto lapide & habitu obdurato: irriſores, nugis. Secundò, date oculos doctrinæ, & illi ut lampadi præduci intendite. Syrus vertit, *ne erretis ab ea.* Tertiò, faciem totam requirit, in quam radios ſuos immittat, ut ipſa luceat in vobis, ſicut in Moſe legem ferente. Pagn. reddit, *ne poſtponatis eam.* Quartò, manus præſertim poſtulat doctrina Chriſti, ut inſtrumentum inſtrumentorum. Vatablus habet, *ne ſitis ignavi.* Quintò denique, pedes caveant, ne illam proterant. Chald. *ne conculcetis eam:* ne illam terræ ac terrenis miſceatis pede veſtro, id eſt, affectu: eſt enim cœleſtis.

Radicanda eſt in animis noſtris illa ſacra doctrina, ut ſemen cadens in terram bonam & optimam, quod fructum afferat in patientia, Luc. 8. 15. Si hæc ſapientiæ æternæ doctrina in te radices egerit, non facilè evelletur, Sap. 3. 15. *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus: & quæ non concidat* (Græcè ἀδιάπτωτος, quæ non intercidit, nec dilabitur, ne intercipi poteſt) *radix ſapientiæ.* Prov. 12. 3. *Non roborabitur* (Chald. non ſtabilietur) *homo ex impietate: & radix juſtorum non commovebitur.* Sept. radices juſtorum non auferentur. Et verſu 12. Deſiderium impii, munimentum eſt peſſimorum: id eſt, ut peſſimi & ſcelerati muniantur & ſtabiliantur: ſed fruſtrà, unde ſubdit: *Radix autem juſtorum proficiet.* Syrus, germinabit. Tigurina, ferax eſt. Chald. magis commodè ad rem noſtram, *permanebit.*

Contrà verò dicitur, Sap. 4. 3. *Multigena impiorum multitudo non erit utilis, & ſpuria vitulamina* (Græc. μοσχεύματα, ſurculi, qui ex arbore dempti feruntur, ut ait Theophraſtus de cau. plant. lib. 5. cap. 17. Item propagines, apud Philonem de Mundo: ſtolones vertit Robertus Holcoth: poſſis vertere, adulterinæ plantationes) *non dabunt radices altas*, id eſt, profundas & firmas. Plantantur in petroſis: ſic ſemen jactum in petras, Luc. 8. 13. Non agit radices, & Sole exorto areſcit. Cum gaudio ſuſcipiunt verbum, & hi *radices non habent:* qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Habent ſapientiam tantùm ſuperficialem, non verò internam & in mente radicatam. Itaque monet Democritus epiſt. ad Hippocratem: *Non oportet, ô Hippocrates! te ut eſſe comitem, cum uſque verſari, quibus* ἀκρόπολοι καὶ ἀβέβαιος, *mens eſt in ſuperficie, ut ita dicam, navigans ac fluctuans.* Sic ipſe: unde, non eſt mirum, ſi tempeſtatibus jactati naufragium faciant, & aquis hauriantur. Vir probus eſt rupes, Dei grariâ undequaque cincta, & in eam ſe immittens, firmiſque hærens radicibus. Itaque ſtat immobilis, Epheſ. 3. 17. *In charitate radicati & fundati.*

196. 5. Cum amore.

Quintò denique Chriſti diſciplina ſeu doctrina ſuſcipienda eſt cum amore, alacritate, delectatione & ſuavitate. Hæc omnia complectuntur, qui Hebr. *naſſeku bar*, vertunt, *oſculamini Filium*, ut Vatablus, Felix, Pagn. Arias, R. Abraham, Eugubinus, Cajetanus, & alii: vel *oſculamini Electum*, ut Galatinus. Hebr. enim vox בר *bar*, ſeu potiùs Chaldaica, ut putat Mercerus, ſignificat propriè Filium delectum, & præ aliis dilectum. Itaque cum amore & ardore oſculandus eſt & amplexandus, ut in oſculo diutiùs & ſuaviùs hæreas. Campenſis reddit, *amplectimini Filium*, non tantùm Patris æterni, ſed Virginis, qui eum affectatione, aut veriùs eum affectione toties ſe vocat *Filium hominis*, id eſt, Virginis ſolius, non hominum, Matth. 8. 20. & 9. 6. & 10. 23. & 11. 9. & 12. 8. 32. 40. & 13. 37. 41. & 16. 13. 27. 28. & 17. 9. 12. 21. & 18. 11. & 19. 28. & 20. 18. 28. & 24. 30. 37. 39. 44. & 25. 31. & 26. 2. 24. 45. 64. atque ſæpè apud alios Evangeliſtas: appellatus autem & verè à Centurione admirante geſta in paſſione, *Filius Dei*, Matth. 27. 43. à S. Petro *Chriſtus, Filius Dei vivi.* Matth. 16. ℣. 16. ab ipſo Patre æterno, *Filius meus dilectus*, poſt Baptiſmum quidem, Matth. 3. 17. in transfiguratione autem, cap. 17. 5. Ipſe Chriſtus vocat ſervos ſuos pacificos, *filios Dei*, Matth. 5. 9. dat omnibus poteſtatem *filios Dei* fieri, Joan. 1. 12. Apoſtolos ſuos appellat *filios Sponſi*, Matth. 9. 15. jubet, ut dicant cap. 6. 9. *Pater noſter, qui eſt in cælis.* Ipſe verò ſe vocat Filium hominis, primò, ut ſe humiliet, & nos humum noſtram aſpicere doceat. Secundò, ut oſtendat ſe amare homines, à quibus carnem acceperit. Tertiò, ut magis ametur ab hominibus: quia ſimilitudo eſt mater amoris, ut ait Philoſophus. Sit itaque tibi Filius dilectus, & naſcentem oſculare & complectere. Nam tibi donatur & offertur, Iſaiæ 9. 6. *Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis.* Sibi regnat, & mihi militat, ut ait Euſeb. Emiſſenus, aut potiùs S. Eucherius hom. 1. Per Incarnationem oſculatus eſt naturam noſtram, illi ſe uniendo. *Felix oſculum*, ait S. Bernardus ſerm. 2. in Cant. *ac ſtupendâ dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, ſed Deus homini unitur.* Lege cætera. Per Nativitatem verò fit, ut eum cum Magis oſculari poſſimus. Quod, quâ ratione ſit faciendum, videamus.

In oſculi ſymbolo quatuor nobis exhibenda Chriſto indicantur. Primò, amor. 2. Honor. 3. Subjectio. 4. Adoratio. Horum enim omnium ſignum & hieroglyphicum, eſt oſculum. 197. Oſculo 5. denotantur.

Primò itaque: Chriſtus oſculandus eſt cum amore. *Oſculamini bar*, id eſt, *Filium dilectum.* Cajetanus in hoc loco oſculum explicat de ſolo amore. Oſculum apud pleraſque nationes eſt & fuit amoris & benevolentiæ ſignum. Primò de Græcis id teſtatur Orpheus. Secundò de Romanis conſtat ex lege Juſtiniani l. 1. de domeſt. ipſi Imperatores Rom. oſculo amicos ſuos dignabantur, & hoc benevolentiæ indicio Galba Othonem fefellit, eo die, quo illum juſſit occidi, ut tradit Sueton. in Othone c. 6. Oſcula manuum ab Imperatoribus ob amoris ſignum, & quidem perpaucis concedebantur. Tertiò apud Perſas ſalutationis loco occurrentes ſe mutuò oſculabantur, ſi pares eſſent: alter humilior paulò genas oſculabatur: ſi multò inferior, adorabat honoratiorem. Aſſuerus Perſarum Rex, quem Authores profani vocant Artaxerxem Longimanum, ut amorem ſuum Eſtheri teſtaretur, eam oſculabatur, excuſſurus tremorem, Eſth. 15. ℣. 15. Quartò: in Meſopotamia oſculum fuit etiam amoris indicium, cùm Laban iratus Jacobo dicat, Gen. 31. 28. *Non es paſſus, ut oſcularer filios meos & filias.* Quintò: In Ægypto etiam, ubi Joſeph, qui jam ab annis novem erat Princeps totius regni illius poſt Pharaonem, fratres ſuos omnes agnitos oſculatur, ut trepidantibus amorem ſuum declararet, atque acceptæ ab eis injuriæ oblivionem, Gen. 45. 15. Sextò: In Judæa tunc temporis, & anteà, fuiſſe morem eumdem, patet ex Iſaaco oſculante Jacobum filium, antequam illi benediceret, cap. 27. 26. Et in ipſo Jacobo Joſephum exoſculante, cap. 46. 29. Quod fecit irruens ſuper collum ejus, & amplexans, ut oſculum firmiùs figeret ac diuturniùs. Jacob etiam moriturus, oſculatus eſt Ephraim & Manaſſem filios Joſephi, cap. 48. 11. Et Joſeph corpus ipſius mortui, cap. 50. 1. David Abſalonem filium oſculatur, ut oſtendat ſe ex animo deleviſſe iram conceptam ex cæde Ammonis, 2 Reg. 14. 33. Oſculatus Berzellai Galaaditem octogenarium, à quo adjutus erat, cùm eſſet expulſus regno per Abſalonem, ibid. cap. 19. 39. Hic mos etiam durabat Chriſti tempore; undè exprobrat Simoni Phariſæo de Magdalena murmuranti, Luc. 7. 45. *Oſculum mihi non dediſti: hæc autem, ex quo intravit, non ceſſavit oſculari pedes meos.* Solebant Judæi hoſpites & convivas oſculo excipere etiam viros: In occurſu quoque id fieri ſolitum fuiſſe, docet factum Judæ, cui Chriſtus ait, Luc. 22. 48. *Juda! oſculo Filium hominis tradis?* q. d. cùm oſculum ſit amoris ſignum, tu eo uteris ad ſcelus tuum explendum. Ubi S. Hier. ſi tamen author eſt illius comm. ait: *Dans ſignum oſculi, cum veneno doli.* Non reſpuit autem oſculum proditoris amantiſſimus Salvator, ut, ſicut ait S. Ambroſ. *plus afficeret proditorem, cui amoris officia non negaret*, vel, ut loquitur S. Hilarius, ut doceremur inimicos omnes, eoſque, quos ſcimus

1. Chriſtum eſſa amandum.

Oſculum fuit ſignum amoris.

1. Apud Græcos.

2. Apud Romanos.

3. Apud Perſas.

4. Apud Syros.

5. Apud Ægyptios.

6. Apud Judæos.

deſævituros in nos eſſe, diligere, oſculum ejus Dominus non reſpuit. Hæc ipſe. Quin etiam amicum vocat JEſus proditorem, verſu 50. ſed malè periit, laqueo ſe ſuſpendens, aëre indignus, quem ſpirabat, & crepuit medius, atque effuſa ſunt viſcera ejus, qui charitatis ipſius animis charitatem prodidit: ſicut in ipſo altari miſericordiam non reperit Joab, qui oſculans Amaſam Principem, ut amicum, eum occidit, 2 Reg. 20. 9. *Dixit Joab ad Amaſam: Salve, mi frater! Et tenuit manu dexterâ mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum.* Hic erat ritus ſalutationis apud veteres. Antiquis Græcis, ait Plinius lib. 11. cap. 5. in ſupplicando mentum attingere mos erat: apud veteres Gallos id etiam aliquando eſt factitatum, ut patet ex Annalib. *Porrò Amaſa non obſervavit gladium, quem habebat Joab, qui percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina ejus in terram:* fuit Joab proditor, figura Judæ etiam proditoris per oſculum. Nunc in Francia nonnulli etiam viros valdè amicos in occurſu, præſertim ob longam abſentiam oſculantur: paſſim verò fœminas. Sigiſmundus in commentario de rebus Moſcoviticis tradit, hoſpites domum alterius ſubeuntes excipi porrectis & datis manibus mutuo oſculo, & capitum inclinatione crebrâ.

198. *Oſculum ſanctum Chriſtianorum.* S. Paulus monet Chriſtianos, ut ſalutent ſe *in oſculo ſancto.* Romanos quidem, epiſt. ad ipſos cap. 16. ℣. 16. Corinthios verò, 1 Cor. 16. 20. & 2 Cor. 13. 12. Theſſalonicenſes denique, 1. ad eos epiſt. cap. 5. 26. S. Petrus, 1. epiſt. 5. 14. ad idem ſanctum oſculum incitat Chriſtianos Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ minoris & Bithyniæ, ad quos illam ſcribit, cum Galatæ ſint orti ex veteri Gallia, nos etiam ſpectat illud *oſculum ſanctum:* hoc eſt, ut S. Chryſoſtomus & S. Auguſt. ſerm. 83. de diverſis, non gentile, non carnale, non fictum; ſed chriſtianum, & caſtum, ſyncerum, religioſum. Loquitur præſertim de oſculo uſitato ante ſacram Synaxim; tunc enim viros viri, fœminæ fœminas oſculabantur, ut darent communis reconciliationis, atque remiſſæ ex animo omnis injuriæ, ac veræ & ſynceræ charitatis ſymbolum, ſicut ait S. Cyrill. catech. 5. myſtagog. eam ob rem oſculum nominat orationis ſignaculum. Verba ipſius ſunt lib. de orat. c. 14. reprehendens eos, qui ob privatum ſuum jejunium negabant oſculum aliis, ait: *Alia jam conſuetudo invaluit, jejunantes, habitâ oratione cum fratribus, ſubtrahunt oſculum pacis, quod eſt ſignaculum orationis. Quando autem magis conferenda cum fratribus pax eſt, niſi cum oratione commendabilior aſcendit, ut ipſi de noſtra operatione participent, quam auderent de ſua pace fratri tranſigere? Quæ oratio cum divortio ſancti oſculi integra, quem Domino officium facientem impedit pax? Quale ſacrificium eſt, à quo ſine pace receditur?* Poſt preces oſculis ſe mutuis Chriſtianos ſalutâſſe tradit S. Juſtinus, Apolog. 2. & S. Auguſt. libello de Anima, cap. 6. vocat, Catholicæ unionis ſignum: & ſerm. 83. de diverſis: *Poſt ipſam* (orationem Dominicam) *dicitur: Pax vobiſcum, & oſculantur ſe Chriſtiani oſculo ſancto, quod eſt ſignum pacis: ſicut oſtendunt labia, fiat in conſcientia: id eſt, quomodo labia tua ad labia fratris tui accedunt, ſic cor tuum à corde ejus non recedat.* Id etiam S. Chryſoſt. hom. de proditione Judæ eleganter exprimit: *Sanctum,* ait, *oſculum teneamus, quod animos ſociat, reconciliat mentes, & unum corpus oſtendit: quia unum corpus omnes videmur eſſe fereti. Et ideo miſceamus nos uno in corpore, non corporum commiſtione, ſed animâ charitate devincti.* Quia tamen creſcente fidelium numero aliqui furtim ad mulieres, licèt locis diſtinctas atque ſeparatas irrepebant, eaſque oſculabantur, & propter hæreticos illo Pauli & Petri monito prorſus abutentes ad libidinem, ablatum eſt oris oſculum, atque in ejus locum ſubſtitutum eſt oſculum tabellæ, quem vocant.

Dic præſertim Regibus: *Oſculamini Filium,* id eſt, amate JESUM, qui ab æterno eſt Filius Dei, & propter vos fieri voluit Filius hominis, & à Patre datus eſt vobis ob eximiam charitatem, quâ dilexit vos, Joan. 3. 16. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret.* Item, ob accepta dona ſpecialia, ac præſertim, quòd Reges ſint *filii Dei,* ut eos appellat Dio orat. 4. de Regno. 2. *Deo ſimiles,* ſicut Themiſtius: loquens enim Theodoſio Imp. in orat. 17. vocat θεοειδέστατον βασιλέα. 3. Dii terreni, ut S. Greg. Nazianz. eos nuncupat orat. 27. fol. 471. *Orbis univerſus,* inquit, *manui veſtræ ſubjectus eſt, diademate parvo, &,* βραχεῖ ῥακίῳ κοσμούμενος, *exiguo panno retentus. Supera ſolius Dei ſunt: infera autem, veſtra etiam ſunt. Subditis veſtris* θεοὶ ἔσεσθε, *Dii eſtote: liceat enim audaciùs aliquid dicere.*

Secundò. Oſculum eſt honoris & reverentiæ teſtimonium: unde, ut dixi, pro, *apprehendite diſciplinam,* vertit S. Hier. *adorate purè:* & Symmachus, προσκυνήσατε καθαρῶς: & Tyruboſcus, *adorate pactum,* id eſt, legem Evangelicam. Sed nunc dicamus de honore ſimplici ſeparato ab adoratione, Eccl. 29. 5. *Donec accipiant, oſculantur manus dantis* eum demiſsè honorantes. Cum Proæreſius Sophiſta de materia ſibi propoſita ex tempore orationem habuiſſet, & à publicis Notariis exſcribi curâſſet, tum eamdem ne voculâ quidem immutatâ retexuiſſet, honoris causâ illum certatim auditores oſculati ſunt, ut tradit Eunapius, *etiam pectus Sophiſtæ* περιπλεκόμενοι, καθάπερ ἀγάλματι, *circumlabentes, quemadmodum ſimulacri divinitate plene: omnes, qui aderant, partim pedes, partim manus adorabant. Alii Deum vocabant, alii Mercurii ſermonis præſidis ſimulacrum.* Perſarum Reges & Principes oſculo tantùm excipiebant magnates & eos, quos honorare plurimùm volebant, ut refert Xenophon lib. 1. & 5. Cyroped. oſculo aliquem honorari, apertè patet ex mandato Juſtiniani Imp. lib. 1. de domeſt. & protecto lib. 12. Cod. titul. 7. *Domeſtici,* ait, *protectores Principis, oſculandi, cùm ſalutaverint Vicarios tui culminis, habeant poteſtatem. Pœna enim ſacrilegii ſimilis erit, ſi his honorificentia non deferatur, qui contingere noſtram purpuram digni habiti ſunt.*

199. Oſculum eſt ſignum reverentiæ.

Proæreſii memoria mirabilis.

Eum omnes venerantur.

Perſarum Reges.

Reges honorent Deum, ut ipſorum decus ſemper magis ac magis indies augeatur. Si enim virtuti ſe addicant, honoratiores ſemper exiſtent. Baſilius Imp. hoc videbat in exhort. ad Leonem filium: *Sola,* inquit, *virtutis dotatio plus ornamenti affert Regibus, quàm univerſa, quæ Mundus hic habet grata & delectabilia. Nam forma, & decor, aut morbo, aut certe ætate flacceſcunt. Opes, ignaviæ & voluptatum plerumque ſunt fomites. Robur corporis quidem victoris honeſtat, ſed animi luminibus obſtruit. Virtutis autem acquiſitio, quibus contingit, & divitiis, & nobilitate generis eſt potior atque melior: & quæ aliis fieri non poſſe videntur, illa cum Dei auxilio ad faciendum expedita ſubjicit oculis.* Ac paulò pòſt, ſubtexit. Virtus omni principatu, omnique authoritate præſtantior eſt. Ne ſis veluti *ſuppoſititius atque adulterinus dominus,* cùm te alius præſtantior reperiatur; ſed ſis *verus Imperator,* cùm cæteris omnibus virtute antecellas. Ita ipſe. Paradoxum fuit Diogenis, Regem non poſſe eſſe malum, q. d. eum, qui ſceleratus eſſet, non eſſe perfectè Regem, cùm potiùs ipſe à paſſionibus regeretur, Dio Chryſ. orat. 4. de Regno, fol. 62. refert, ab Alexandro Diogenem illum interrogatum: Quomodo quis benè regnare poſſet? Eumque reſpondiſſe: Οὐκ ἔστι βασιλεύειν κακῶς. *Non eſt poſſibile, ut malè quis regnet, non magis, ut quis malè bonus ſit.* Ὁ γὰρ βασιλεὺς ἀνθρώπων ἄριστον ἐστιν. *Rex enim eſt inter homines optimum: cùm ſit fortiſſimus & juſtiſſimus, humaniſſimuſque, & invictus ab omni labore, omnique concupiſcentia. An tu putas eum, qui aurigare non poſſet, aurigam eſſe? Aut inexpertum navis regendæ, nauclerum? Aut mederi neſcientem, medicum eſſe?*

200. Reges Deum honorent.

Regis nomine non ſunt digni impii.

Tertiò: Oſculum eſt ſubjectionis ſignum, ut patet in feudis, de quibus Petrus Gregorius in Syntagmate juris, l. 6. c. 15. Forma, inquit, ex conſuetudine Galliæ duplex, una pro feudo ſimplici, altera pro ligio. In ſimplici feudo, cliens ſeu vaſallus auctoramentum accipit, ſeu hominium facit domino capite aperto, junctis manibus, *eumque oſculatur.* Qui autem hominium ligium debet, manibus junctis ſacroſanctis Evangeliis impoſitis, capite aperto, exarmatus & diſcinctus *dominum oſculatur,* juramento fidelitatis in ore que interpoſito: in conſuet. Turonum tit. de pied. de fiefs & apanages a. 15.

201. Oſculum eſt ſignum ſubjectionis.

Hominium ligium Oſculum vaſalli.

Sic

Sic enim humili ſupplicatione patrono ſe applicat, fidem pollicetur, & recipit à Domino, offerens Domino ſimul & ſemel, & manus auxiliares, & *os fidele*, & ea, quæ ex feudo commoda ei præberi debent ea lege clientelari: Et, ut me explicem, vaſallus vel alius ejus nomine admiſſus nudato capite, ſedente domino, ſi ei videatur, debet cingulum vel zonam, ſi habeat, deponere, ſeponere enſem vel baculum, & geniculatus hæc verba proferre: *Domine vel domina ingredior vel ineo fidem & hominium veſtrum, & me veſtrum profiteor vaſallum, ratione ejus loci vel terræ, &c. quam accepi à te occaſione vel ob cauſam, &c. polliceor & jure, nunc & in poſterum tibi ſervire adverſus omnes, & implere capitula antiqua & nova fidelitatis.*

Oſculum domini. Quæ, ſi dominus voluerit, legentur: dominus autem poſteà reſpondet: *Recipio hominium tuum, ſalvo jure meo & alterius:* hocque dicendo, eum in mala deoſculatur. Forma hæc deſcripta aux couſtumes de marcha tit. des fiefs & droicts art. 129. & 190. Notat tamen Speculator tit. de feudis ff. quoniam verò, verſic. forma, in Gallia ad oſculum à Rege non admitti ignobilem vaſallum, licèt habeat feudum nobile: alia etiam in aliis obſervari in præſtatione, & prælatos recipientes vel dantes fidem, ſtolatos eſſe debere præſentibus ſacroſanctis Evangeliis, ſequendamque conſuetudinem. And. de Iſer. & Chard. Alea in ff. 1. de nova for. fidelit. Hactenus Gregorius: ex quibus vides, oſculo teſtari vaſallum ſe *os fidele* habiturum

Oſcula appreſſa genibus, manibus, pectori Imperatorum. domino ſuo. In Pſ. noſtrum Eugubinus notat, plebem olim oſculari ſolitam *genua* Imperatorum: Senatores autem, *pectus*. Nunc à nobis honorari Principes, oſculando eorum *manus*: Patres purpuratos admitti ad oſculum *pectoris & manus* ſummi Pontif. cæteros verò, tantùm ad *pedis* oſculum. Ad eam ſubjectionem referre potes Magdalenæ oſcula ad Chriſti cœnantis pedes effuſa, de qua ipſe Chriſtus ait Simoni Phariſæo, Luc. 7. 45. *Oſculum mihi non dediſti: hæc autem, ex quo intravit, non ceſſavit oſculari pedes meos.* Manum etiam propriam olim oſculabantur, alium venerantes, ut nunc etiam fit ab aliquibus. Tacitus lib. 16. de Nerone: *Poſtremò genuflexus, & cæteram illam manu veneratus.*

202. *Oſculari pro venerari.* Oſculari pro venerari apertè ſumitur Gen. 41. 40. *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Hebr. *Omnis populus ad os tuum oſculabitur*, id eſt, oris tui præceptum exoſculabitur, & venerabitur: eique ſtatim ſe ſubdet, & libenter obediet. Sic Pſ. 2. 12. pro *Apprehendite diſciplinam*, Hebr. eſt, *oſculamini Filium*, id eſt, Meſſiam Dei Filium veneramini; eumque reverenter, amanter & obedienter excipite, ac ſi illum exoſcularemini. Ita Cor. in Geneſim.

Oſculum Samuelis Saulem ungentis in Regem. Oſculum verò, quo Dominus vaſallum dignatur, eſt ſignum collati honoris. Hoc explicari poteſt per oſculum, quod Samuel dedit Sauli, quem in Regem ungebat, 1 Reg. 10. 1. *Tulit autem Samuel lenticulam* (vaſculum ſive lagunculam & gutturnium figura lentis) *olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus eſt eum.* Abulenſis cenſet, oſculum illud perinde atque unctionem fuiſſe ceremoniam, quâ Saul Rex eſt conſtitutus. Sicut enim, cùm quis creatur Doctor, inter alios ritus ſolet accipere oſculum à Doctore, qui ipſum creat, & quaſi oſculo ſibi æquat, & in cæterorum Doctorum numerum aſciſcit. Sic Samuel Judex & Princeps oſculatur Saulem, quaſi illum ſibi æquans, & inter Principes conſtituens, imò Regem efficiens. Sic Iſaac oſculatus eſt Jacob, conferens ei benedictionem primogenituræ, & delati principatûs. Aliam rationem moralem affert Procopius; atque illo Samuelis oſculo notari gratiæ communicationem, & regalis ac ſacerdotalis officii mutuam concordiam & operam: ſcilicet Reges cum Sacerdotibus & Pontificibus concordes eſſe debere: ac mutuò ſe invicem adjuvare, protegere ac propugnare. Id ad vaſallum & dominum potes transferre, & mutuam eorum concordiam.

203. *Reges ſunt Chriſti vaſalli.* Reges itaque *oſculentur Filium*, id eſt, Chriſto ſe ſubjiciant, ſeque ejus ſervos & vaſallos profiteantur & quidem ex animo ad ejus pedes abjecti in ejus fidem jurent. Profeſſionem fidei in eam rem faciunt Reges Chriſtiani, cùm inaugurantur, lege dicta,

Pſ. 19 & 20. Baſilius Imp. ad eam tuendam & tuandam fidem ſic filium ſuum Leonem ſucceſſorem futurum imperii adhortatur: *Amplectere ſynceram in Chriſto fidem, quæ vitæ totius initium & fundamentum inconcuſſum eſt. Hæc eſt fides bonorum omnium ſumma, hæc virtutum omnium perfectio. Hanc habe penes te quaſi depoſitum, quod nullâ vi tibi eripi ſinas.* Ac paulo pòſt addit: Summo honore proſequere matrem tuam Eccleſiam, quæ te in Spiritu S. lactavit. *Fides eſt vitæ fundamentum.* Syneſius etiam orat. de regno ait, pietatem & veram fidem eſſe regnorum ſtabilimenta: *Religio*, inquit, *& pietas*, κρηπὶς ἀσφαλής, *firma imprimis baſis ſubjiciatur, in qua ſtabile & inconcuſſum Regis ſimulacrum perſtet: neque unquam baſi firmiter inſidens, ulla vis tempeſtatis excutiat.* *Pietas eſt baſis Regum & regnorum.* Fidei deinde cæteræ virtutes addendæ ſunt, ut ipſe proſequitur. Verbo rem diceret Rex noſter: *Servite Domino in timore*, in quod oculos intendens Agapetus in cap. paranet. ad Juſtinianum Cæſarem c. 67. fol. 372. tom. 2. bibl. Græc. *Imperator ut eſt omnium dominus, ita cum omnibus*, δοῦλος θεοῦ, *Dei ſervus exiſtit. Tunc igitur demùm vocabitur dominus, cùm*, αὐτὸς ἑαυτοῦ δεσπόζῃ, *ipſe ſibi dominabitur: neque illicitis voluptatibus famulabitur, tunc adjutricem piam rationem aſſumens*, νικῶσαν αὐτοκράτορα ἀλόγων παθῶν, *invictam imperatricem animi perturbationum rationis expertium, indomitas cupiditates armatura caſtimoniæ debellabit.*

204. 4. *Oſculum eſt ſymb. adorationis.* Quartò denique, oſculum eſt ſignum adorationis, Job. 31. 27. *Si vidi Solem, cùm fulgeret, & Lunam incedentem clare. Et lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum ore meo.* Sic 3 Reg. 19. 18. dicit Deus Eliæ Prophetæ: Derelinquam mihi in Iſraël 7. millia virorum, quorum genua non ſunt curvata ante Baal, *& omne os, quod non adoravit eum, oſculans manus*: tum idoli, ſi poſſent illud contingere; tum proprias, ſi ore non poſſent idolum tangere. *Idololatræ oſculabantur manum ſuam.* Plin. l. 28. c. 2. *Inter adorandum dexteram ad oſculum referimus, totumque corpus circumagimus.* Silius Italicus etiam cecinit: *Et dextram, ac numen, adorant.* Minutius ait in Octavio: Cæcilius ſimulacro Serapidis viſo, ut vulgus ſuperſtitioſum ſolet, manum ori admovens, oſculum labiis impreſſit: ita ipſe. Briſſonius id ſpecialiùs exponit lib. 1. de formulis verborum. *Modus idola adorandi.* In ſalutandis, inquit, & adorandis diis ſtantes, capite operto, corpus ad dexteram, ſive dextroverſum in orbem circumagebant, procumbebant etiam, dextramque ori admoventes, oſculum labiis premebant, tum deinde ſedebant. Singula expendit. Lucianus autem lib. de ſaltatione ait: *Indi, poſtquam manè oraverint Solem, non ut nos* χεῖρα κύσαντες, *manum oſculantes, preces ſuas abſolutas & perfectas putant.*

205. *Crucis ſignum in adoratione uſurpatum.* Notabile eſt, quod advertit Cælius lib. 10. lect. antiq c. 8. Neque ait, illud omiſerim, divinâ, ut equidem reor, agente vi, fuiſſe in adoratione veterum *Crucis figuram* numinè religioſam: quoniam in veneratione ſupplici, dum ori dextram admoverent, indicem ſuper pollicem reſidentem (quod & tempeſtate hâc à pleriſque fit) exoſculabantur. Apuleius lib. 4. Metam. ait, *aliquos adoraſſe admoventes oribus dextram, priore digito in erectum pollicem reſidente.*

Idolum oſculabantur adorantes. Non manum modò ſuam, ſed præcipuè, ſi poſſent, idoli ipſius ſtatuam pagani oſculabantur, vel in pedibus, vel in manibus, vel in ora, Euſtath. 5. Odyſſ. putat προσκυνεῖν adorare, eſſe dictum παρὰ τὸ κύειν, ὅ ἐστι φιλεῖν, id eſt, ab oſculando. Et ipſa vox *adorare* ab aliquibus dicitur eſſe, quaſi ad os ponere: putà, manum vel idolum: alii ab ador, id eſt, frumento ſacrificiis deſtinato, derivant. Nonnunquam ita oſculis idola frequentabantur, ut vel ærea detererentur, quod teſtatur Tullius de Herculis ſimulacro ex ære apud Agrigentinos: *Rictus ejus*, ait, *ac mentum paulo eſt attritius, quod precibus ac gratulationibus non ſolùm id venerari, ſed oſculari ſolent.*

Januas templi oſculabantur Chriſtiani. Superſtitionem in religionem vertit Eccleſia, cùm reliquias Sanctorum, imagines & ſtatuas proponit oſculandas & venerandas. Chriſtiani olim ipſas templorum januas oſculabantur, ex reverentia loci ſacri, ut tradit Baronius.

206. Regibus inclamemus cum Rege noſtro: *Oſculamini*
Magi Chriſtum oſculantur. *Filium*, id eſt, ut ex S. Hier. jam dixi, *adorate*
purè: & ex Symmacho, *προσκυνήσατε καθαρῶς*, &
ex Galatino, *adorate Electum.* Hic eſt enim Dilectus
& Electus ex millibus. Magos imitentur, qui ſtellâ
viſâ dicunt Jeruſolymam ingreſſi, Matth. 2. 2. *Venimus,*
adorare eum: modus declaratur, cùm de
illis ſtabulum ſubeuntibus dicitur, verſ. 11. *Et procidentes*
adoraverunt eum: ut pedes ſcilicet aut manus
Infantuli JESU oſculis peterent, quibus & ipſe
Chriſti oſculandi ſunt: os tactum præbuit. Sponſa dicit Cant. 1. ℣. 1. *Oſculetur*
me oſculo oris ſui. S. Bernard. id myſticè explicans
ſerm. 3. in Cant. Triplex oſculum diſtinguit;
1. Pedes. nempe pedis, manûs & oris: *Non temerè*, ait, *ad os*
ſereniſſimi Sponſi aſſurgat, ſed ad pedes ſeveriſſimi
Domini mecum pavida jaceat, & cum publicano terram
tremens non cœlum aſpiciat, ne confuſa in luminaribus
cœli facies aſſueta tenebris, opprimatur
à gloria, &c. Primò, ad pedes procidimus, & ploramus
coram Domino, qui fecit nos, ea, quæ fecimus
2. Manus. *nos. Secundò, manum quærimus ſublevantis & roborantis*
genua diſſoluta. Poſtremò, cùm iſta multis
precibus & lachrymis obtinemus, tum demùm audemus
3. Os. *forſitan ad os gloriæ caput attollere, (pavens &*
tremens dico) non ſolùm ſpeculandum ſed etiam oſculandum,
quia ſpiritus ante faciem noſtram Chriſtus
Dominus, cui adhærentes in oſculo ſancto, unus ſpiritus
ipſius dignatione efficimur, &c.

Et ſerm. ſeq. In primo, ait, primordia dicantur
noſtræ converſionis: ſecundum autem proficientibus
indulgetur. Porrò, tertium ſola experitur &
rara perfectio, &c. Sunt hi tres animarum affectus,
ſive profectus, expertis dumtaxat ſatis noti & manifeſti:
cùm aut de actis malis indulgentiam, aut de
bonis agendis gratiam, aut ipſius etiam indultoris
& benefactoris ſui præſentiam, eo quidem modo,
quo in carne fragili poſſibile eſt, obtinet intueri, &c.
Invenit profectò apud Deum & verecunda confeſſio,
quo ſe humiliando dejiciat: & prompta devotio,
ubi ſe innovando reficiat: & jucunda contemplatio,
ubi excedendo quieſcat. Ita ipſe.

Pietas Reges decet; eorum eſt Deum adorare.
207. Reges decet pietas. De Regibus Ægypti Diodor. lib. 1. hæc refert: Sub
auroram, experrecto Regi literæ, quæ undequaque
mittebantur, acceptandæ erant: ut omnia rectiùs
regeret, ſi regni negotia cognita haberet. Tum lotus
& regni inſignibus, ac ſplendidâ trabeâ indutus,
ſacrificatum ibat. Adductis tunc ad aram victimis,
Laudabilis mos regum Ægypti. mos erat Principem Sacerdotum Regi aſtantem
magnâ voce in conferta Ægyptiorum corona preces
enunciare, ut Dii ſanitatem cum bonis cæteris
omnibus regi jus & æquum erga inferiora tenenti,
largiantur. Singulæ etiam regis virtutes deprædicandæ
tunc erant: nempe, quòd *πρὸς θεοὺς εὐσεβῶς*,
piam erga Deos affectionem, & mitiſſimam erga homines
gerat, &c. Chriſtianos reges videmus quotidie
Sacro intereſſe, quod Ludovicus XIII. Rex
noſter ita piè præſtabat, ut non ſolùm aſpectu Catholicos
moveret, ſed vel hæreticos ipſos, qui ideò
ad fidem aliquando converſi ſunt, ut memini me
alio loco narrare ex noſtro Rouſſelet in ſacro Lilio:
apud varias nationes Reges ipſi erant Sacerdotes, ut
apud Romanos, apud quos certa ſacrificia non poterant
fieri, niſi à Regibus: ideò illis ejectis creatus
eſt Rex ſacrorum, ſive Rex ſacrificulus, ut eorum
vices ſuppleret.

ARTICULUS XI.

Reges & Principes ſcelerati graviter puniuntur à Deo.

POſtquam Propheta noſter monuit Reges & judices
terræ, ut intelligant, erudiantur, ſerviant
in timore, &c. Pœnam ſub oculos ponit, ſi illa non
Verſ. 12. II. Pars. fecerint, verſ. 12. NE QUANDO IRASCATUR DOMINUS,
ET PEREATIS DE VIA JUSTA: poſteà breve
tempus aſſignat, ut mox videbimus, & remedium
adjicit in fine.

208. Quæres 1. Quænam ſit hæc via juſta? Reſpondet
1. Caſſiodorus, viam illam juſtam Chriſtum. *Via* Via juſta eſt 1. Chriſtus.
eſt, inquit, *rectè ambulantium, ad vitam dux euntium,*
iter ad beatitudinem feſtinantium: ſicut ipſe
in Evangelio dicit: Ego ſum via, veritas & vita. Via
propter Incarnationem, per quam bonis vivendi præbet
exemplum: Veritas propter judicium: Vita propter
Deitatem. S. Eugendus adhuc puer, multorum *Viſio notabilis S. Eugendi.*
religioſorum Abbas, vidit cœlum apertum, & choros
Angelicos varia cantica concinentes audivit; illudque
unum retinuit, quod reciproco cantu Angeli
iterabant: *Ego ſum via, veritas & vita*, ut habetur
in ejus vita.

Secundò, S. Thomas ſubtiliter interpretatur perire 209.
de via, eſſe, perire in æternum. Quando, ait, 2. Virtus.
homo eſt in Mundo, eſt ſicut in via: Nam, ſi cadit,
poteſt reſurgere. Nec dicitur perire, quod reparari
poteſt, etiam quod non cadit *de via*, ſed *in via*. Sed,
ſi perit de via, irreparabilis eſt, Job. 4. Et quia nullus
intelligit, in æternum peribunt: ita ipſe. Sed hæc
ſunt ſubtiliora; Nam 1. perire de via & in via idem
eſt: ſic Nahum 1. 14. *De domo Dei tui* (id eſt, in
domo, ut explicat Corn.) *interficiam ſculptile.* Secundò,
etiam in hac vita, de via juſta perit, qui ab
illa excidit, & fertur in avia, atque periiſſe per horam
vel diem ovis dicitur, cùm per ſylvas aberrat, licèt
per paſtorem poſteà ad caulas inventa reportetur.
Hinc in Evangelio gaudium in cœlo ob converſionem
peccatoris unius comparat Chriſtus gaudio paſtoris,
ovem perditam reportantis domum, & advocantis
amicis dicentis, Luc. 15. 6. *Congratulamini*
mihi, quia inveni ovem, quæ perierat: idem penè
dicitur de drachma perdita & inventa, ℣. 9. Periertat
de via juſta prodigus, cùm relictâ domo paternâ
peregrè profectus eſt. Ibid. ℣. 13. Atabs, peregrinatus
eſt in regionem longinquam. S. Auguſt. lib. 2.
qu. Evang. cap. 33. *Regio*, ait, *longinqua eſt oblivio*
Dei: ibi perit peccator de via juſta: unde addit Lucas,
& ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam. omnia ornamenta
naturæ, ait Euthymius: Inſitam animi lucem,
temperantiam, virtutis notitiam, Dei memoriam,
ut explicat Titus. Sic omnia perdidit, & ipſemet
periit: utrumque complectitur Propheta noſter
Pſ. 72. 27. *Omnes, qui elongant ſe à te*, (Chald.
impii, qui abhorrent à cultu tuo) *peribunt. Perdidiſti*
(Hebr. *hiſmatha*, poſſis vertere, ſuccidiſti; tabeſcere
feciſti) *omnes, qui fornicantur abs te*: colendo
res terrenas, velut idola. *Initium fornicationis*
eſt exquiſitio idolorum, Sap. 14. 12. Idololatria
ſæpiſſimè fornicatio dicitur in Scripturis, quia per
illam anima à Deo ſuo Sponſo recedit, & dæmoni
ſe ſubſternit. Unde plebs Judæorum, quamdiu in
cultu Dei perſtitit, vocata eſt *virgo*, cùm verò idolis
ſe ſubjecit, dicta eſt à Jeremia, cap. 2. 16. conſtuprata,
ait enim: *Conſtupraverunt te uſque ad verticem*;
id eſt, totam te ac principes tuos, filii Mempheos
& Taphnes, id eſt, Ægypti, ad idolorum
cultum traxerunt, eoque te polluerunt. Sept. reddunt,
κατέπαιζόν σου, illuſerunt tibi. Hebr. nunc
legimus, ירעוך *irhuc*, regent, ſeu rexerunt te: paſtores
tui fuerunt: ſed à via juſta abſtrahentes, unde
ſubditur ℣. 17. *Dereliquiſti Dominum Deum tuum*
eo tempore, quo ducebat te per viam: mandatorum
ſuorum, ut exponit Chald. S. Hier. & Rabanus;
illa enim ſola eſt via, cætera ſunt avia & præcipitia.
Unde in Pſ. noſtro, nec Hebr. nec Chald. eſt, ut
pereatis de via juſta, ſed tantùm de via, & S. Hier.
vertit, *amittatis viam*, Syr. *pereatis à via ejus*: rectè
tamen Sept. addiderunt, juſta, explicationis ergò:
Pergit Jeremias ℣. 18. *Et nunc quid tibi vis in via*
Ægypti: & quid tibi cum via Aſſyriorum? Judæi
ad Aſſyrios ſeſe recipiebant: cùm impetebantur ab
Ægyptiis, & contrà: ſed hæc auxilia erant inutilia;
unde addit, *ut bibas aquam turbidam.* Hebr. שיחור
ſihor, nigram: fons divinus eſt fons lucis: fons Mundi
eſt fons tenebrarum, cui præſident principes tenebrarum,
qui dicunt: Hæc omnia tibi dabo, ſi *cadens*
adoraveris me, Matth. 4. 9. Illud eſt perire de via
juſta. Pergit Jerem. ℣. 19. *Arguet te* (Hebr. caſtigabit
te) *malitia tua: & averſio tua increpabit te.*
(averſio à Deo) *Scito, & vide, quia malum & amarum*
eſt, reliquiſſe Dominum Deum tuum. Hoc
experius

expertus eſt Prodigus noſter, qui conſumptâ ſuâ ſubſtantiâ vivendo luxurioſè (Græc. *ἀσώτως*, hoc eſt, prodigaliter, intemperanter, ac libidinoſè) adhæſit velut ſervus uni civium regionis illius à Deo longinquæ, id eſt, uni dæmonum, ut exponit S. Auguſt. lib. 2. quæſt. Evang. quæſt. 33. & S. Ambroſ. ac Gloſſa, qui miſit illum in villam, ut paſceret *porcos*: ut: ſicut ait S. Chryſoſt. in Catena, ſordidas & immundas cogitationes in animo nutriret, & cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, (inanibus folliculis & involucris ſabarum, piſorum, aliorumque leguminum) quas porci manducabant, & nemo illi dabat. S. Chryſoſt. in Catena ait, ſiliquas intelligi res & voluptates carnales, quæ inſtar ſiliquarum appetitum hominis non ſanant, ſed inflant, diſtendunt & cruciant, ut animæ ſint tormina & tormenta. Tandem Prodigus fame maceratus, primò ad ſe redit. 2. Ad viam juſtam eundo ad patrem. 3. In eam recipitur, & convivio excipitur: atque de ipſo pater, Luc. 15. 32. *Epulari & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus eſt.*

210. 3. Cœtus piorum. 4. Doct. Eccleſiæ. Eccleſia eſt via, quæ ducit Bethſames.

Tertiò itaque: Perire de via juſta, eſt, perire de via, id eſt, de cœtu & ſocietate juſtorum, ut exponunt Theodoretus & Nicephorus Blemmida. Vel de bona operatione noſtra, ad peccatum declinando, ut inquit Ugo Card.

Quartò, præſertim pereunt de via juſta, qui ab Eccleſia ad hæreſes aut ſchiſmata deflectunt. Eccleſia enim eſt ſola via, quæ ducit *Bethſames*, id eſt, ad domum Solis, ferens arcam, id eſt, Chriſtum, in quo & à quo eſt lex omnis, 1 Reg. 6. 12. *Ibant in directum* (in Eccleſia nihil obliquum) *vaccæ, per viam, quæ ducit Bethſames*, civitatem ſacerdotalem in tribu Juda, vicinam Philiſthinorum regioni, ut habetur 4 Reg. 14. 11. non in tribu Dan, ut voluit Adrichomius, neque in tribu Benjamin, ut cenſuit S. Hier. in locis Hebraicis, *& itinere uno* (unus Dominus, una fides, unum Baptiſma, Epheſ. 4. 5. Nihil in Eccleſia Catholica eſt diverſum) *pergentes & mugientes*. Homines & jumenta ſalvabis Domine, Pſ. 37. 7. id eſt, peccatores, ut explicat Author Operis imperfecti in Matt. hom. 33. Sia licèt vacca, via perire potes in Eccleſia, ſi in fide non declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram: ſed tandem venies uſque ad terminos Bethſames, id eſt, in cœlum, ubi manet JESUS: id apertè figuratur ℣. 14. *Et plauſtrum venit in agrum Joſue Bethſamitæ:* (hoc eſt, JESU, hominis ſolaris) *& ſtetit ibi:* cùm ad JESUM veneris, ibi firmamentum & ſecuritatem reperies, ſi ad eum arcam cum lege attuleris. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, Matth. 19. 17.

211. 1. Illa via eſt lucida.

Eccleſia eſt via Bethſames. Primò, lucida, Salvian. l. 7. de provid. *Eccleſia Dei quaſi oculus:* & quidem perſpicax, Cant. 1. 15. *Oculi tui columbarum*, ubi Aponius notat, columbam eſſe acutiſſimi viſûs: per oculos autem Eccleſiæ intelligit Sacerdotes, qui corpori reliquo viam præmonſtrant. Sunt præſertim duo oculi, S. Petrus & Paulus, ut eos vocat S. Leo, & Eccleſiam Rom. vocat Victor Uticenſis, caput omnium Eccleſiarum. 2. Eccleſia non eſt tantùm oculus à Sole illuminatus, ſed & fons lucis. Paſchas Rathbertus lib. 3. in Lament. Jerem. *Eccleſia*, ait, *Dei ſponſa duos gerit oculos: moralem & myſticum. Sed myſticus plenius vides, licèt moralis dulcior videatur. Et hæc eſt litera, quæ fons vel oculus interpretatur: ut nec oculus ſine fonte inveniatur, nec fons ſine oculo dilectionis ex nobis & in nobis manare credatur: quatenus pro ſuis exceſſibus fonte reparetur lacrymarum: & fons iſte nutriatur oculo ſanctæ contemplationis.* Ita ipſe. 3. Fons ille lucis in Eccleſia magnus eſt, & cœleſtis. Philo Carpathiorum Epiſc. Cant. 6. ℣. 9. illud contemplans: *Pulchra ut Luna, electa ut Sol;* ait: Lunæ comparatur Eccleſia, propterea, quòd, quicquid habet luminis, id à juſtitiæ Sole immobili atque divino, quamdiu ſeſe illi rectè offert, accipit, &c. Dicitur eadem Soli non abſimilis, ob rectæ fidei ſplendorem, ſummumque decorem ipſius fulgentiſſimi atque optimi juſtitiæ Solis, à quo ſolo, quidquid vitalis ſplendoris atque divinæ lucis, Sponſæ ineſt, & cuique fideli animæ emicat, atque effulget. Ita Philo.

212. 2. Eſt odorifera.

Secundò, Eccleſia eſt via juſta, id eſt, omnibus virtutibus plena, & earum odore ſuaviſſimo flagrans. Nicetas Choniata lib. 5. theſauri orthod. fidei, cap. 3. Eccleſiam vocat *paradiſum alterum:* explicatè Euſeb. Gallicanus ſerm. de S. Laurent. ait: *Paradiſum terreſtrem* fuiſſe Eccleſiæ typum, Cant. 4. 12. *Hortus concluſus eſt ſoror mea.* Et c. 8. 13. *Quæ habitas in hortis, fac me audire vocem tuam.* Iſai. 58. 11. *Eris quaſi hortus irriguus:* Eccleſiam alloquitur. Ibi deambulat verus Aſſuerus, id eſt, beatus & beans JESUS, Eſth. 7. ℣. 7. Tertiò, Eccleſia eſt via ſecura, ex omni parte muris cincta, Pſ. 124. 2. *Montes in circuitu ejus.* Et Euſeb. Gall. ſerm. de Aſſumpt. B. Mariæ: *Eccleſia caſtellum eſt*, & non qualecunque, ſed *forte & inſuperabile:* utpotè ſupra montem poſitum, muro circundatum, turribus munitum & Angelorum exercitu, virtutumque præſidiis armatum. Ita ipſe.

213. 5. Via juſta eſt juſtitia.

Quintò denique: Senſus eſt, q. d. David, *Apprehendite diſciplinam*, id eſt, Chriſti doctrinam, *ne pereatis*, ſive extermінemini *de via* juſtitiæ. Hæc eſt graviſſima pœna Principum, quando Deus ob eorum peccata tradit illos in reprobum ſenſum, ut dicitur Rom. 1. Et permittit, ut decipiantur à malis conſiliariis, & faciant multa mala, ob quæ tandem pereunt in hac vita & futura, ut patet de Pharaone, Achab, & ſimilibus, in quibus peccata graviſſima fuerunt pœnæ aliorum peccatorum, ut diſputat S. Auguſt. l. 5. c. 3. in Julian. hoc enim eſt non aliquantulum declinare à via recta, ſed planè perire, & exterminari omninò à via juſtitiæ, ita Bellarm. Hic ſenſus plenus eſt ac perfectus.

Iraſci & punire in Deo ſunt idem.

Nota 1. Deum iraſci, idem eſſe, quod punire. Non enim perturbatur aliquâ mentis commotione, ſicut nos; ſed iraſci dicitur, cùm punit: ſicut miſereri, cùm benefacit ad ſe redeuntibus. Exardet in viam ut Leo, Amos 3. 4. *Numquid rugiet leo in ſaltu, niſi habuerit prædam? Numquid dabit catulus leonis vocem de cubili ſuo, niſi aliquid apprehenderit?* Ariſtot. & Plinius docent, leonem ſolere bis rugire: Primò, cùm famet, & quærit prædam, atque illam conſpicit: Secundò, cùm eam capit. Deus ibi comparatur leoni irato: populus Iſraël, id eſt, decem tribus, prædæ, quam per Aſſyrios & Salmanaſar eorum Regem Deus capiet: rugitus verò ſunt minæ Prophetarum, q. d. Id, quòd vobis à Deo irato minitor, eveniet. Itaque attende ad verba Nahum Prophetæ, cap. 2. 1. *Aſcendit, qui diſpergat coram te, qui cuſtodiat obſidionem.* Cyaxares Rex Medorum & Nabuchodonoſor Magnus, ſeu junior, Rex Babylonis, qui te, ô Ninive! (obſideat & capiat) *contemplare viam*, (per quam venit) *conforta lumbos, robora virtutem valdè.* Hoc ad mores traducens S. Hier. qui putat agi de obſidione Jeruſalem, ait: Tria præcipiuntur Judæ: Primum, ut contempletur viam, & iter, per quod ambulaturus eſt, diligenter aſpiciat, juxta illud Jerem. 6. *State in viis*, & interrogate ſemitas æternas, & videte, quæ ſit via bona, & ambulate in ea: ut, cùm ſteterimus in viis multis, veniamus ad eam, quæ dicit: Ego ſum via. Deinde dicitur ei, ut teneat lumbum, id eſt, ut poſt electionem vitæ mortificet corpus ſuum, & ſervituti ſubjiciat, ne *quaſi Rex & magiſter* aliis prædicans, ipſe reprobus inveniatur: quòd virtus diaboli vel maximè ſit in lumbis, Job 40. 11. Et quòd Joannes zonâ pelliceâ cingitur, Matth. 3. Et quòd à Salvatore diſcipulis imperatur: Sint lumbi veſtri præcincti, Luc. 12. 35. Et Apoſtolus Epheſ. 6. 14. State ergò ſuccincti lumbos veſtros in veritate: licèt enim *ἐγκράτεια*, plurimum præſtet, & vitæ continentia ſuper mortificatione lumborum: tamen nihil eos ita mortificat, ut cognitio veritatis. Unde dicitur: Accingite lumbos veſtros in veritate. Si enim veritas eſt Chriſtus, qui totâ in Chriſto mente credidit, lumbos ſuos mortificavit in Chriſto. Tertiò præcipitur: Conforta virtute nimis. *Elegiſti*, inquit, *viam*, tenuiſti lumbum: aſſume virtutem, ut poſſis pugnare cum hoſtibus. Ita S. Hier.

214. *Deus ſeverius punit principes, quàm privatas perſonas.*

Nota ſecundò: Severiùs & citiùs à Deo puniri principes & divites, quàm privatos & pauperes, Sap. 6. ℣. 6. Horrende φρικτῶς, id eſt, horribili modo, *& citò apparebit vobis.* Veniet, inquit Holcoth, vobis malis judicibus. Primò, potenter cum incuſſione timoris, quia *horrende:* Secundò, repentè cum excluſione torporis, quia *cito.* Tertiò, evidenter cum declaratione vigoris, quia *apparebit vobis.* Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Hebr. 10. 31. Nunc ei dici poteſt, verè tu es Deus abſconditus, Iſai. 45. 15. Tunc verò Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non filebit, Pſ. 49. 3. Videntes turbabuntur *timore horribili,* Sap. 5. 2. Dicit Propheta Abacuc 2. 3. Veniens veniet, & non tardabit. Et ipſe Apoc. 22. 12. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt: Pergit Sapiens, *quoniam judicium duriſſimum* (κρίσις ἀπότομος, id eſt, judicium incidens, dividens uſque ad intima, ſeverum, inexorabile) *his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Hoc explicare poſſis ſymbolo ab Iſaia allato, c. 28. 27. *Non in ferris triturabitur*

Gith. *Gith*, Ruellius credit Gith eſſe ſemen illud, quod ruſtici in Gallia ſuâ linguâ vocant Poyuretum, quaſi minutum piper: eò quòd tenuiores hoc ſemine cibos condire ſoleant vice piperis: ex Græcis alii Melanthion, alii melanſpermon vocant, ut ait Plin. l. 20. c. 17. Genus eſt ſeminis calidi & nigri, aliqui Nigellam Romanam in officinis nuncupant, *nec rota plauſtri ſuper cyminum circuibit.* Cyminum ſive cu-

Cyminum. minum eſt herbæ genus cum ſemine ejuſdem nominis: folio non diſſimile fœniculo, radice ſubrotunda, ſemen ferens copioſum & canaliculatum: vernaculè *du comin.* De plauſtris ferreis ad triturandа frumenta adhiberi ſolitis in Palæſtina, jam dixi: *ſed in virga excutietur Gith, & cyminum in baculo. Panis autem* (id eſt, frumentum, ex quo fit panis) *comminuetur*, dentibus trahæ ſeu tribulæ, & rota plauſtri ferrati. S. Hier. id ad rem noſtram explicat. Gith ad cyminum, id eſt, populus rudis leniter baculo corripietur: at frumentum, id eſt, Sacerdotes & ſapientes dura rota plauſtri calcabuntur, atque potentes potenter tormenta patientur 4 Reg. 13. 7. *Interfecerat eos Rex Syriæ,* (Azaël Iſraëlitas) *& redegerat quaſi pulverem in trituram areæ:* plauſtris illis ferreis conterendo: & Deus ait Amos 1. 5. *Conteram vectem Damaſci*, id eſt, robuſtos, qui inſtar vectis & repaguli portas ejus muniebant) *& diſperdam habitatorem de campo idoli, & tenentem ſceptrum de domo voluptatis.*

215. *Oſee Rex Iſraël ſpumæ confertur.*

Spumæ in aqua fluitanti, & in præceps defluenti Regem Iſraëlitarum Oſee, in quo deſiit regnum illud decem tribuum everſum per Salmanaſar, comparat Deus apud Oſee Prophetam, c. 10. 7. *Tranſire fecit Samaria* (regni illius Metropolis) *regem ſuum quaſi ſpumam.* Arab. Antioch. quaſi herbam: nempe algam, aut quid ſimile. 2. Syr. velut paleam. 3. Sept. velut φρύγανον, id eſt, cremium, virgultum aridum: ſeu omne ſarmentoſum lignum, aridum & crematu facile, apud Theophr. hiſt. plant. l. 1. c. 5. Poſſis etiam 4. cum Symmacho vertere, ἐπίζεμα, id eſt, ut ait S. Hieron. ferventis ollæ ſuperiores aquas, & in ſpumam bullaſque ſurgentes, quas Græci πομφόλυγας vocant. Addit Oſeas *ſuper faciem aquæ*, ut videatur velocior tranſitus: pro, *tranſire fecit*, in Hebræo eſt *nidme*, quod Sept. vertunt, *abjecit*, Vatabl. verò, *excinderetur.* Et cap. 13. 11. ejuſdem Prophetæ, ait Deus Iſraëlitis: *Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.* Primò, S. Hier. id explicat de Saule dato in Regem, cùm populus murmuraret in Samuelem, ab eo Regem poſtulans: & de Sedecia Rege ultimo in regno Juda, qui captâ & everſâ Jeroſolymâ in Babylonem eſt tranſlatus. Secundò & veriùs, intelligitur de Jeroboam Rege decem tribuum, dato ob peccata Salomonis & Roboami Regum Juda: & de Oſee Rege eorum ultimo, quem Aſſyriorum Rex Salmanaſar vicit & occidit, regnumque funditus evertit. Et cap. 9. 15. *Percuſſus eſt Ephraim, radix eorum exſiccata eſt, fructum nequaquam facient.* Per radicem intelligit Ruffinus fœcunditatem illi

Imperatores ſine liberis.

populo à Deo inditam. 2. Theodoret. & Theophylactus dicunt radicem populi eſſe regiam poteſtatem, ſive Reges & Principes. Hi excisi & exſiccati ſunt cum prole. Similiter Auguſtus, Tiberius, Caligula, Nero, Domitianus, Trajanus, Adrianus, ac ferè cæteri omnes Romani Imperatores ethnici, ob libidines & faſtum ſobole caruerunt, neque ullum ex ſe tanti imperii hæredem reliquerunt.

216. *Rex malus eſt Sol tenebreſcens in die luminis.*

Si principes ut Soles Mundi fulgeant, & vitiis tenebreſcant, Deus lumen illud etiam maximum ſubtrahet, Amos 8. 9. *Occidet Sol in meridie*, id eſt, in ſumma proſperitate, ut explicat Rupert. & S. Greg. l. 5. Mor. c. 1. *Et tenebreſcere faciam terram* (omnis homo humus eſt) *in die luminis.* Sæpè Deus non patitur ſceleratos venire uſque ad meridiem, ſed in ipſa aurora eos obſcurat & dejicit è cœlo in cœnum, Oſee 11. ℣. 1. *Sicut mane tranſiit*, id eſt, ſicut aurora (*pertranſiit Rex Iſrael.* Oſee ultimus Rex Iſraëlitarum, qui in ſpem melioris fortunæ eos erexerat, & libertatis recuperandæ per auxilium Regis Ægypti, ſed ſtatim omnia evanuerunt rege exciſo, & regno, ut S. Hier. exponit, & S. Cyrillus; in Hebræo eſt, *in aurora plane exciſus eſt Rex Iſrael,* anno ſcilicet regni 11 Apoc. 16. 8. *Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in Solem*, Iſai 24. 21. *In illa die viſitabit Dominus ſuper militiam cœli in excelſo, & ſuper reges terræ.*

217. *Punitur Julianus Imp.* *2. Zeno.* *3. Baſiliſc.* *4. Michael Stratioticus.* *5. Iſaacius Comnenus.* *6. Roman. Diogenes.* *7. Iſaacius Ang.* *8. Valens.*

Quid dicemus de Juliano Apoſtata, qui vix degustato imperio in Perſas movens, & Orientem totum ſpe devorans, S. Mercurii haſtâ confoſſus miſerè interiit? Quid de Zenone hæretico Imp. qui ab Ariadna uxore vivus ſepultus eſt? Quid de Baſiliſco, unà cum liberis trucidato? De Anaſtaſio, fulmine icto & ambuſto? De Michaële Stratiotico, qui imperium deponere coactus eſt? De Iſaacio Comneno, poſt ipſum imperante, cui idem contigit? De Romano Diogene, qui non imperio tantùm, ſed etiam oculis eſt privatus, quod etiam accidit Iſaacio Angelo? Vide plures, Pſal. 33. 22. in illud: *Mors peccatorum peſſima.*

Magis propriè ad rem noſtram eſt Valentis Imp. interitus, cùm enim *de via juſta* periiſſet, bellum in Gothos hoſtes Imperii movit: euntem manu ejectâ fræno equi retinuit Iſaacius monachus magni vir nominis & ſanctitatis: victoriam pollicitus eſt, ſi ad veram fidem converteretur, ac fideles quietos eſſe pateretur: contrà verò: exitium prædixit, ſi eos perſequi pergeret: ſed bonum monitum impius irriſit, in hoſtem perrexit, à quo victus & fugatus eſt, atque in domuncula quadam, in quam ſeſe abdiderat concrematus: τὸν τῆς ἀληθείας ἀντίπαλον κατετέφρωσαν, *veritatis hoſtem in cineres redegerunt*, ut ait Niceph. l. 11. c. 50. En vas figlinum confractum, & paleam Dei igne concrematam, cùm *exarſit ira ejus.* Egregia eſt ſententia Trajani Ducis victi à Gothis: cùm enim Valens hoc in ejus timiditatem & ignaviam rejiceret, ait, ut idem Author tradit

Trajani Ducis aurea ſententia.

cap. 49. *Non ego, ô Imperator! victus ſum; ſed tu ipſe*, νικῆν ἐκβάλλεις σαυτῷ, *victoriam a te ipſo rejicis, qui* ἀντιδιαμαχόμενος Θεῷ, *cum Deo bellum geris: auxilium, quod ab eo provenit, in hoſtes repellens, ad eos potiùs tranſmittis:* νικᾷ δὲ Θεὸς ἀεὶ, *Deus autem ſemper vincit. Et victoria illis favere ſolet, qui auſpicium ductumque ejus ſequuntur. Is nunc ab adverſariorum partibus ſtat, quòd eum tu bello perſequeris. Non enim prorſus neſcius es, quibus viris ex Eccleſiis ejectis, quos in eorum locum ſubſtitueris.* Hæc ita ſe habere non Trajanus tantùm, ſed etiam Terentius, & Arinthens, & Victor Duces affirmârunt.

Vers 13. I. Pars. 218 Celeriter impii punientur.

Quæres 2. Quo tempore hæc punitio eventura ſit impiis? Reſp. Propheta verſu ult. CUM EXARSERIT IN BREVI IRA EJUS, BEATI OMNES, QUI CONFIDUNT IN EO. τὸ, *in brevi*, vertit Felix, vel minimum: Meliùs S. Hier. *poſt paululum.* Et S. Cypr. citò S. Aug. explicat, *ex improviſo.* Sept. ἐν τάχει, in celeritate, celeriter: & Hebr. *chimhat*, id ſignificat. Nota 1. Dei iram eſſe ardentem, Deut. 4. 24. *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt:* ſive ut rubiginem peccati tollat, cùm tempus eſt miſericordiæ: ſive ut illud puniat, cùm tempus erit juſtitiæ. Nota 2. cum Theodoreto hic, malitia hominum velut mate-

tiam

Io die judicii erit ignis divinæ vindictæ.

riam quamdam eſſe, quæ ardere facilè poſſit, & inſtar ignis divinam accendat iram; & dum ſenſim major fit, magisque diſponitur materia, puncto temporis inflammatur. Nota 3. de punitione etiam in hac vita hîc agi, ſed præſertim de die judicii, in quo ignis ille iræ divinæ ſine ullo diſcrimine omnes peccatores devorabit, Pſ. 96. 3. *Ignis ante ipſum præcedet*, (S. Hieron. ante faciem ejus ibit) *& inflammabit* (S Hier. exuret. Tertull. cremabit) *in circuitu inimicos ejus.* Vide illum Pſalmum: Illius ignis ardorem nemo ferre poterit, ut declarat Iſaias, cap. 30. 27. *Ecce nomen* (majeſtas & potentia) *Domini venit de longinquo*, (è cœlo: aut, ut ait Corn. longo poſt tempore) *ardens furor ejus, & gravis ad portandum, labia ejus repleta ſunt indignatione, & lingua ejus quaſi ignis devorans.* S. Cyrill. & S. Thomas hæc explicant de clade Babyloniorum per Cyrum, quæ poſt duccotos circiter annos ab hac prophetia erat eventura. Sed S. Hier. & idem S. Thomas ac Lyranus de die exponunt judicii, in quo lingua Chriſti erit ignis, & torrentem igneum per ſententiam extremam evomet in ſceleratos, quo involuti in inferos concident ſemper concremandi; unde ſubditur verſu 28. *Spiritus ejus* (id eſt, habitus ex ejus ore procedens) *velut torrens inundans uſque ad medium colli* (imò & ſupra caput; ſed caput liberum relinquit Iſaias, ut videant judicem iratum, inſultantes bonos & malos, homines & Angelos) *ad perdendas gentes in nihilum.* Arias, ad agitandum. R. David ac Vatablus, ad cribrandas gentes cribro vanitatis: hoc eſt inutili concuſſione, non ad purgandum, ſed ad torquendum: *& frænum erroris, quod erat in maxillis populorum*, quoque à dæmone equite in omnem partem movebantur. Et verſu 30. pergit: Auditam faciet Dominus gloriam vocis ſuæ, & terrorem brachii ſui oſtendet in comminatione furoris, *& flamma ignis devorantis*: allidet in turbine, & in lapide grandinis. A voce enim Domini pavebit Aſſur virgâ percuſſus, (id eſt, diabolus & impius) & erit tranſitus virgæ fundatus. *Præparata eſt enim ab heri Topheth*, id eſt, dudum, à longo tempore, à Mundi exordio præparatus eſt infernus, qui per Topheth, id eſt, vallem filiorum Ennom ſignatur, quòd ibi Judæi liberos ſuos cremarent idolo Moloch, ſive ille fuerit Jupiter, ut aliqui volunt; ſive potiùs Saturnus, *a rege præparata, profunda & dilatata. Nutrimenta ejus, ignis & ligna multa: flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam:* pro Topheth vertit Chald. gehenna. Sept. vallis profunda. Erat illa vallis prope Jeruſalem, ubi fiet judicium. Dicitur תֹּף *toph*, tympanum, quòd ibi ad tympanum ſaltarent, & canerent circa ſtatuas idolorum. Cùm ibi tympana & voluptates obſtrepent, ignem æternum cogita: ex illis ſequitur.

Probatur 1. Ex Davide. 2. Ex Iſaia.

3. Ex Amos.

Nota: Diem judicii Prophetæ omnes ignitum faciunt, Amos 7. 4. *Ecce vocabit judicium ad ignem Dominus Deus.* Arab. Vocavit in juſtitia ignem. Syr. Vocavit ad judicandum in igne. *Et devoravit abyſſum multam*, pagorum, urbium, ſylvarum, hominum, animalium. S. Greg. 33. Mor. cap. 6. id ad rem noſtram aptiſſimè expendit, *Judicium*, ait, *ad ignem vocatur, cùm juſtitia ſententia ad pœnam jam æternæ concremationis oſtenditur. Et multam abyſſum devorat, quia iniquas atque incomprehenſibiles hominum mentes concremat, quæ nunc ſe hominibus etiam ſub ſignorum miraculis occultant. Pars autem domus Domini comeditur: quia illos quoque gehenna devorat, qui nunc quaſi in ſanctis actibus de electorum numero ſe eſſe gloriantur.* Joël. 3. 2. Congregabo omnes Gentes, & deducam eas in vallem Joſaphat. Ibi adverte, ab Ezechia & Joſia piis regibus idololatras cum idolis eſſe combuſtos: idem accidet impiis in fine Mundi per Chriſtum, de quo Pſalm. 49. *Ignis in conſpectu ejus exardeſcet*, (S. Hiero. coram eo vorabit) *& in circuitu ejus tempeſtas valida.* S. Cypr. de bono patientiæ legit, procella nimia. Aquila, ἐλαιλαπίσθη, exciratus eſt turbo, vide illum locum & Iſaiæ ult. 16. Joël. 2. 3. Daniel 7. 9. & 2 Theſſal. 1. 7. Apocal. 1. 14. Ezech. 5. 27. Malach. 4. 1.

4. Ex Michæa.

Itaque, jure dixit Michæas cap 6. 10. *Ignis in domo impii in ipſis ejus penetralibus*: ideò conſumetur, Nahum. 1. verſu 10. *Sicut ſpina ſe invicem complectuntur, ſic convivium eorum pariter potantium: conſumentur quaſi ſtipula ariditate plena*, per ignem judicii id fiet. Pro, ſic convivium, &c. Sept. vertunt, quaſi *ſmilax* planta implicata comedentur. Smilax autem eſt herba ſpinoſa, denſis geniculata caulibus, fruticoſa, ramis, folio hederaceo, flore candido olente lilium, infauſta omnibus Sacris & coronis, dicitur à Græcis σμίλαξ τραχεῖα, etiam à Gallis vocatur Smilax aſpera. Eſt etiam ſmilax levis, quam vocamus *liſet*. Itali, voluchio maggiore, id eſt, convolvulus major, foliis hederæ non diſſimilibus, ſed mollioribus, levioribus & tenuioribus, nullis horrens ſpinis. Circumvolvitur arboribus. Smilax repræſentat corymbos & coronas, quibus delicioſi convivæ ſe coronabant, & amicitiam peccatorum ad vanos honores & delicias umbratiles quærendas.

De Nabochodonoſore evertente Niniven dicit Nahum Propheta 2. 3. *Clypeus fortium* (Tigurina, heroum: Syr. & Arab. gigantum) *ejus ignitus, viri exercitus in coccineis*, (Pagn. induti veſtibus vermiculatis: id eſt, vermiculo purpuratis) *ignea habena currus in die præparationis ejus*, &c. *Aſpectus eorum quaſi lampades, quaſi fulgura diſcurrentia.* Quid erit in dæmonibus impios cingentibus in die judicii, & in eos ut certam prædam irruentibus? Chriſtus quoque apparebit ibi tinctis veſtibus de Boſra. Dicit enim Michææ 5. 14. *Faciam in furore & in indignatione ultionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt.* Chald. quæ non receperunt doctrinam legis. Et Iſaiæ 31. 9. *Dixit Dominus, cujus ignis eſt in Sión, & caminus ejus in Jeruſalem.* Ibi erit dies judicii: ſeveriùs punier fideles, qui ſunt Jeruſalem, in qua notus eſt Deus, & in qua ignem amoris ſui tamdiu reliquit in altari holocauſtorum, atque ignem perpetuum eſſe optat, quem è cœlo venit mittere in terram, ut de terra faciat cœlum lucens & ignitum.

5. Ex Nahum.

Nota 2 Brevi erit interitus impiorum, Apocal. 17. 12. *Decem cornua, quæ vidiſti, decem reges ſunt: qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam una hora accipient poſt beſtiam*, cum Antichriſto, cui adhærebunt ac ſervient: ſed cum eo tranſibunt unâ hora, id eſt, breviſſimo tempore. Nam ipſa beſtia, id eſt, Antichriſtus, dominabitur tantùm per tempus & tempora & dimidium temporis: id eſt, per annum & duos annos & dimidium annum: hoc eſt, per tres annos cum dimidio. Itaque, non ſibi fidat peccator, ſcelera addens ſceleribus. Legat attentè c. 1. Amos. ℣. 3. & ſeqq. *Hæc dicit Dominus: Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum*, &c. Fusè idem dicit eodem capite de Philiſthæis, Tyriis, Idumæis & Ammonitis, & c. 2. de Moabitis, regno Juda & regno Iſraël. Sive ſis fidelis, ſive hæreticus, ſive ethnicus, time iterationem peccatorum. Timeant præſertim reges, quos Pſalmus noſter admonet. Artabanus ait Xerxi teſte Herodoto l. 7. *Vides, ut animalia prægrandia fulmine ferit, neque cogitationibus inſoleſcere ſinit Deus; quæ vero parvula ſunt, ne tantillum quidem vellicat. Vides, ut in maxima ædificia & arbores ejuſmodi ſemper tela contorqueat? Amat enim Deus incidere omnia, quæ eminent. Neminem enim ſinit magni quippiam de ſe ſentire præter ſeipſum.* Quandonam ſit futurus dies judicii, dicetur ſtatim, ſed ut res ſit clarior.

Unâ horâ tranſit impius.

Fulminantur excelſa.

Adverte, remedium adverſus Dei iram oſtendit à Propheta, cùm Pſalmum concludit, verſu eod. 13. BEATI OMNES, QUI CONFIDUNT IN EO. Qui in Deo, ut in portu tutiſſimo, figit anchoram, non timet tempeſtatem. Sanctus Chryſoſt. hic: *Fieri non poteſt, ut is à propoſito fine excidat, qui totâ mente in Deo ſpem habet, & omnia ſua illi offert.* Si enim verè dixit Plutarchus: Stabiles ſunt ſapientum ſpes, utpote ἐν λιμένι τῷ λογισμῷ, *in rationis portu* quieſcentes: Quantò veriùs dicemus cum Propheta noſtro, 30. 1. *In te Domine ſperavi.* Hebr. חָסִיתִי *haſithi*, tectus ſum & occultatus, latibulum & hoſpitium quæſivi, præſidium, tegmen, aſylum, munimentum

Verſ. 13. 2. Pars.

119.

Spes in Deum ſervat ab ejus vindicta.

ſperavi,

ſperavi, *non confundar in æternum.* Spes non confundit, ut ait Paulus Rom. 5. verſ. 5. quia, ut ait S. Bern. ſerm. 37. in Cant. Infundit certitudinem. Per hanc enim ipſe ſpiritus teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quòd ſumus Filii Dei. Ita ipſe. Generale hoc eſſe docet Author Eccl. 2. 11. *Nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt.* Et hortatur, ut ad hoc cognoſcendum reſpiciantur nationes hominum. Græcè, ἀρχαίας γενεάς, antiquæ generationes, ut etiam S. Ephrem. habet paræn. 30.

Spes in terrenis eſt fallax.

Contra verò: Spes in terrenis poſita omnes confundit: quia multa & certa promittit, ac citò mentitur, Iſaiæ 1. 29. *Confundentur ab idolis*, (propter idola, ut explicant Corn. vel potiùs, per ipſa idola fallentia) *quibus ſacrificaverunt: & erubeſcetis* (eſt perſonæ enallage) *ſuper hortis, quos elegeratis*, ad colendum Beelphegor ſeu Priapum, & vacandum voluptati. *Cùm fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus abſque aqua:* ne gutta quidem datur diviti in inferis ardenti: *Et erit fortitudo veſtra ut favilla ſtupæ*, (Hebr. ut ſtupa, vel, ut vertit Arias, in ſtupam) *& opus veſtrum quaſi ſcintilla*, (Arias in favillam) *& ſuccendetur utrumque ſimul, & non erit, qui extinguat:* mittentur enim in ignem æternum, Matth. 18. 8. & 25. 41. Et quod terribilius eſt, in ſupplicium æternum, ibid. 46. S. Auguſt. legit, *in ambuſtionem æternam:* circumuret, ex omni parte uret ignis ille in tota æternitate.

Citò defluit.

Spem in temporalibus poſitam cum illis defluere docet S. Greg. Naz. orat. 16. *Cætera omnia*, ῥευστὰ καὶ ὑπόσαθρα, *fluxa & fragilia ſunt, & quemadmodum*, ἐν παιδιᾷ ψήφων: *in calculorum ludo, ad hos illoſque ſubinde jactantur & transferuntur: Hæc vera* ἑστῶτα καὶ μένοντα, *certa & fixa ſunt, nec unquam recedunt ac dilabuntur: nec ſpes eorum, qui in his fiduciam ſuam collocârunt, fruſtrantur. In rebus*, ἐν τοῖς μένουσιν, *unum eſt permanens ſpes, quæ in Deo habetur: cætera omnia naturâ non ſunt, ſed eſſe putantur.*

220.
Fides ad ſalutem non ſufficit. Sed ſpes & charitas requiruntur.

Notent hæretici fidem non ſufficere ad ſalutem, ſed ſaltem ſpem eſſe habendam, & opera adjungenda. Ut enim ait hoc loco Beda: Confidere *in Domino* dicuntur, qui talia jam fecerunt, aut adhuc facient, propter quæ æquum ſit eos remunerari à Domino. Origenes trium ſororum, id eſt, fidei, ſpei & charitatis nexum ad ſalutem neceſſarium ſic declarat, in cap. 4. ad Rom. *Puto*, ait, *quòd prima ſalutis initia & ipſa fundamenta fides eſt: Profectus vero & augmenta ædificii ſpes. Perfectio autem & culmen ædificii charitas:* Et S. Auguſt. ſerm. 16. de verbis Apoſtoli: *A fide*, inquit, *incipit homo: ſed quia & dæmones credunt, neceſſe eſt addere ſpem & charitatem.* Nota, τὸ, neceſſe eſt. Et ſerm. 22. *Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.* Theodoretus neceſſitatem illarum virtutum cum ſpe docet in expoſitione hujus Pſalmi. Beati enim, qui confidunt in eo.

Funiculus triplex virtutum.

Funiculus ille triplex difficile rumpitur. S. Joan. Climacus gradu 30. ſpem in Deum vocat, κράτος ἀγάπης, *fortitudinem charitatis*, & ἀναμφίβολον πρὸ θησαυροῦ θησαυρόν, *indubitatum theſaurum, ante theſaurum:* ſcilicet cœleſtem, ac poſtea ſubteait: *Hæc eſt laborum requies*, ἀγάπης θύρα, *charitatis janua, deſperationis extinctio, abſentium bonorum imago, & repræſentatio.* Caſſiodor. hic Confidere de illo, jam præmium eſt.

Ignis in Tolum urbem æviens.

Ignem vindictæ divinæ in Tulanos peccatores ardentem, & per ſpem in Deum mirabiliter extinctum, erit utile contemplari apud Nicolaum Orlandinum lib. 12. hiſt. Soc. JEſu. Qui, ait, Mauricas Inſulas incolebant, quorum ingens in oppido Tolo numerus erat, B. Xaverii, patrumque inſtitutionis obliti, ab Eccleſia Chriſtoque defecerant, templum ſolo æquârant, ſacras cruces & Sanctorum effigies commiouerant, Geilolliique tyranno ſe dedetant. Cujus tantæ perfidiæ impietatiſque celeres dedêre pœnas.

Vindicta Dei terribilis.

Primùm ager totius regionis anteà feraciſſimus, priſtinæ ſuæ ubertatis oblitus repentè exaruit. Conditæ in horrea fruges tabe ſunt carieque peresæ: aquæ ſalubres ac dulces noxiæ & amari ſaporis inventæ, fame denique ac peſtilentiâ mortales multi cujuſque ordinis & ætatis abſumpti. Nec tamen reliquos tam dura cœleſtis iræ experimenta moverunt: ſed in impietate nihilominus obſtinati, cùm compertum jam haberent, novum ſibi bellum à Luſitania inſtare, omni arte ſeſe ad reſiſtendum comparârunt: collocârunt pro locorum opportunitate præſidia: cunctos aditus obſtruxerunt, & quacunque tranſeundum Luſitanis erat, præacutas taleas ſtimuloſque, in quos ſe induerent, defoderunt. Sic armatis atque munitis Luſitani pauci numero ſuperveniunt, & priuſquam bellum inferant, blando per nuncios ac benigno ſermone deſertores ac perduelles interrogant: malintne ſine ferro & ſanguine ad Chriſti cultum, & Luſitani regis amicitiam ſcelus ſuum deteſtati redire, an experiri vim ſuam, & divini humanique violati fœderis pœnas dare? Cùm illi ſuperbiſſimè reſpondiſſent, ſe neque Chriſtianos ullo modo futuros, neque diutiùs externi regis dominationem laturos, exercitum in eos ducunt, continuòque in amentes vindicta quoque cœleſtis apparuit. *Circa meridiem Sol repente ſubductus: & è vicini montis vertice crebris cum tonitribus & horrendo mugitu toto triduo terram arupit incendium: ac tanta cinerum, pumicum lapidumque egeſtu vis, ut non modo inſidias ſolo ſparſas obrueret: verùm etiam propugnacula & muri coronas æquaret.* Acceſſit terrarum ingens motus, quo & arbores evulſæ radicitùs, & tecta omnia diruta præter unum puſillum templo nuper everſo contiguum, quod fuerat Societatis patribus diverſorium. Locus etiam propinquus paſſuum millia ferè duodecim latè reſtagnante palude, multis cum incolis & domiciliis obrutus. Ita defenſoribus exitio ſublatis, terroreve dilapſis, egreſſi è navibus Luſitani potiti ſunt arce, Geilolliique tyrannum, unà cum oppido totaque regione, vivum in ſuam poteſtatem ſine certamine redegerunt. Hæc Orland. quæ, ut in ſcelerum pœnam illis obtigiſſe liquido conſtet, adverte, quid ſubjeceat. His, ait, rebus cognitis Joannes Beira, qui in eis jam populis deſudaverat, illuc confeſtim ab Ternate tranſmiſit: ſuavique oratione diſperſos in unum locum congregatos admonuit, quàm nefario ſe ſcelere per eam defectionem aſtrinxiſſent, ſolennique ritu per confeſſionem expiatos Eccleſiæ ſacroſanctæ reſtituit. Inde nova rerum facies: *Simul ac omnibus recta mens, ſuus quoque ſapor aquis atque dulcedo ſua campis agriſque fœcunditas rediit;* & inaudito miraculo noxii mures, qui ſata per id tempus in ultionem illius gentis eroſerant, aſperſione aquæ ſacræ repentè fugati, ethnicorum migrârunt in arva, jam infeſtâ populatione frugum, tanto barbarorum damno, ut cum Chriſtianis vulgò quererentur injuriam. Ita ipſe: ex quibus vim virtutis ex una parte conſpicis, ex altera vitii perniciem. Hoc novo prodigio barbari catervatim ad Beiram Baptiſmi gratiâ concurrebant, adeò ut uno eodemque die quina hominum millia, interdumque ſpatio hebdomadæ quindena confluerent.

Anno 1565. Idem propemodum contigit in Moluccis inſulis, ubi quatuor reges Mahometani ad ſectam ſuam Chriſtianos aliquot revocârant, ut conſtat ex epiſt. Molucc. illius anni.

ARTICULUS XII.

Quandonam eſt futurus dies judicii?

Reſpondeo primò cum Propheta noſtro, futurum diem illum brevi. *Cùm exarſerit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo.* τό. *In brevi* 221.
exponit primò S. Thomas de breviſſimo tempore, quo duraturus eſt dies judicii, de quo dixi aliàs. Secundò, & meliùs, alii explicant de brevi tempore, quod à tempore Davidis, aut potiùs Chriſti (qui in Pſalmo loquitur) erat futurum uſque ad diem illum terribilem. Itaque, ut jam monui. Sept. vertunt ἐν τάχει, in brevi, & S. Hier. apertiùs, poſt paululum. Arabs, paulò pòſt. Petavius, ſtatim. Nam, ut ait David Pſalm. 89. 4. *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna*, (S. Iſidor. de vocatione Gentium,

Dies judicii erit brevi.

tium, cap. 15. tanquam dies una) *quæ præterit*, & *cuſtodia* (vetus Pſalm. & ſicut vigilia. S. Ambr. in cap. 15. Lucæ, & hora) *in nocte*. Totum tempus hujus Mundi eſt dies una, aut potiùs una nox denſis tenebris erroris ac vitiorum obſita, una hora nocturna plena doloris & anxietatis atque inſidiarum, ſed citiſſimè prætervolans. Hinc totum tempus à Chriſto uſque ad finem Mundi vocatur hora. 1 Joan. 2. 18. *Filioli, noviſſima hora eſt*, id eſt, tempus. Ideò concludo cum S. Paulo 1 Cor. 9. 29. *Tempus breve eſt*. Græce, καιρὸς συνεσταλμένος, tempus eſt contractum. Tertull. legit, tempus in collecto eſt: *Reliquum eſt, ut qui utantur hoc Mundo, tanquam non utantur*. Syr. præter æquum uſum non utantur. Græcè, ὡς μὴ καταχρώμενοι, tanquam non abutentes. Qui nimis utitur, aut in malum finem utitur, aut iis, quæ non debet, utitur, aut quomodo non debet, abutitur. *Præterit enim* (παράγει, id eſt, transverſum agit, decipit incautum) *figura hujus Mundi*. Græc. σχῆμα, id eſt, ut S. Ambroſius & S. Anſelmus exponunt, habitus, ſpecies ac ſtatus Mundi fallax. Unde S. Anſelm. egregiè concludit: *Nolite conſtanter Mundum diligere, quando ipſe, quem diligitis, non poteſt conſtare. Incaſſum cor, quaſi manenti figitis, dum fugit ipſe, quem amatis*. Ne figuram aſpicias, ſed rem. Chaldæi *horam* vocant שעה *ſaa*, q. d. aſpectus, viſio, contemplatio, à rad. שעה *ſaa*, reſpexit, contemplatus eſt. Horam poſſis deducere ab אור *or*, lux. Singulæ tibi horæ novos radios afferant, quibus terræ hujus vanitatem & cœli pulchritudinem videas: ſcias te contemnere, & Deum magnificare atque amare.

222. Tempus tamen eſt incertum. Reſpondeo ſecundo: Diem judicii extremi eſſe prorſus incertum. Hoc ipſe Chriſtus aſſerit, Matth. 24. 36. *De die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum, niſi ſolus Pater*. Richard. Soto in 4. diſt. 43. Suares in 3. p. diſput. 53. ſect. ult. dicunt, nec Angelos, nec Sanctos illos, exceptâ fortaſſe Deiparâ, diem judicii cognoſcere etiam in Verbo. Difficile eſt, quod S. Marcus ait, cap. 13. 32. *Neque Filius*. Quis enim audeat dicere, Chriſto non fuiſſe perſpectum diem judicii. Priorò S. Cyrill. lib. 9. Theſauri cap. 4. S. Athan. ſerm. 4. contra Arianos. S. Greg. Naz. orat. 4. de Theol. S. Ambr. lib. 5. de fide, cap. 8. dicunt, Chriſtum non cognoviſſe determinatum extremi judicii tempus, ut homo eſt: ſed ut homo Deus. Sive, ut loquitur Suares, non cognovit illud tempus ſcientiâ naturali, ſed beatâ & infuſâ. Secundò, S. Chryſoſt. S. Hieronym. S. Aug. lib. 83. quæſt. 61. reſpondent, non cognoviſſe ut legatum ad homines miſſum: non enim ſciviſſe, ut hominibus manifeſtaret. Legatus autem regis, qui de ejus ſecretis interrogatur, poteſt reſpondere ſe illa neſcire, licèt probè habeat cognita, illa enim neſcit ut legatus, nam ut legatus ea tantùm dicit, quæ ipſi revelanda commiſſa ſunt. Hinc dies ille Matth. cap. citato ℣. 27. comparatur fulguri ab Oriente in Occidentem apparenti: ex improviſo enim effulget, & Chriſtus furi verſu 33. Apocal. etiam 16. 15. ait: *Ecce venio ſicut fur*: à furvo, id eſt, atro, fur derivatur, quòd per obſcuras & atras noctes furetur, ut cenſet Varro. Unde rectè concludit Chriſtus Matth. 24. 44. *Ideo & vos eſtote parati, quia, quâ neſcitis horâ, Filius hominis veniet*. Lege totum illud caput. Salutis hoc monitum dabat Abbas Ammon, ut refertur in vitis Patrum libro 5. libello 3. de compunctione, num. 2. Cogita, ſicut faciunt iniqui, qui ſunt in carcere. Illi enim interrogant homines: *Ubi eſt Judex, & quando veniet?* Et in ipſa expectatione pœnarum ſuarum plorant. Ita & monachus debet ſemper ſuſpectus eſſe, & animam ſuam objurgare, dicendo: *Væ mihi! quomodo habeo adſtare ante tribunal Chriſti, & quomodo habeo ei actuum meorum reddere rationem?* Si ſemper ſic meditatus fueris, poteris ſalvus eſſe: ita ipſe. Plura ibi reperies. Multi, ut in diebus Noë, incauti intercipiuntur, ac pereunt.

Zachar. 14. 5. *Et veniet Dominus Deus meus, omneſque Sancti cum eo*. Id etiam ad literam S. Hieron. S. Cyrill. & Sanctius exponunt de die judicii: tunc enim veniet Dominus facere judicium contra Gentes *in Sanctis millibus ſuis*, ut ait S. Judas in epiſt. verſu 14. *Cum virtute multa & majeſtate*. Syr. & Arabs, gloria, ut ipſe Chriſtus monet Matth. 24. 30. *In majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo*, cap. 25. 31. Probabile cenſet Suar. in 3. p. diſp. 57. Angelos aſſumpturos corpora ex aëre condenſato, in iiſque ſplendidis glorioſè apparituros. Tunc videbunt JESUS eſſe Deus Sabaoth, id eſt, exercituum: Id figuratum in curru Cherubico Ezech. 1. Sed ad rem noſtram pergit Zacharias verſu 6. *Et in die illa non erit lux, ſed frigus & gelu*. Pagninus vertit, non erit lux pretioſa, ſed nix coagulata: id eſt, lux diei illius non erit ſerena & clara, ſed frigidis nebulis concreta, & veluti congelata: id eſt, dies illa erit triſtiſſima & moleſtiſſima impiis trepidantibus, & præ terrore omni vitali calore deſtitutis, ac verſu 7. *Et erit dies una, quæ nota eſt Domino, non dies, neque nox*: id eſt, erit quid medium inter diem & noctem: erit dies, ſed obſcurus, caliginoſus & triſtis: *Et in tempore veſperi erit lux*, pro Sanctis in æternum. Hebr. veſpere erit lux. Sponſa dicebat Cant. 2. 17. *Dilectus meus mihi, & ego illi*, (ſum & ero) *qui paſcitur* (Sept. ὁ ποιμαίνων, qui paſcit) *inter lilia*, (Symm. inter flores) *donec aſpiret dies*, æternitatis, in quo Sol juſtitiæ eſt Chriſtus, ut explicat Honorius) *& inclinentur umbræ*. Sept. κινηθῶσι, amoveantur. Hæc vita eſt umbra, ac dies noſtri ſicut umbra declinant, Pſal. 101. 12. Et umbra mortis Pſal. 22. 4. Si præſertim miſerabilis peccati ſtatus accedat, cùm quis latet ab amoris divini notitia in oblivione, ut S. Gregor. 4. Mor. 17. & S. Bern. in declar. ad Guill. Abb. exponunt illam umbram mortis. Et quidem S. Gregor. illud Job. 3. ℣. 3. Pereat dies, in qua natus ſum, ſic elucidat: Pereat dies mortalitatis, & lux immortalitatis accedat.

Nota, ex illa certitudine, quòd brevi ſit futurus dies judicii, & ex incertitudine certi ac determinati temporis, quo ſit eventurus, plurimi etiam ſanctiſſimi & eruditiſſimi viri ſuo ſæculo futurum crediderunt. Primo quidem ſæculo non pauci Neronem pro ipſo Antichriſto ſumpſerunt. Ubi verò eo regnante finem Mundi non accidiſſe perſpexerunt, finxere illum non eſſe mortuum, ſed fore Antichriſti adjutorem, quam opinionem poſteà S. Martino Severus attingit, lib. 2. dialog. in fine: alii putârunt fore ipſum Antichriſtum, ut refert S. Auguſt. 20. de civit. 19. 223. 1. Futurum diem judicii primo Chriſti ſæculo aliqui putaverunt. Secundo ſæculo Judas quidam de ſeptuaginta apud Danielem hebdomadibus pleniſſimè diſputavit, & chronologiam ſuperiorum temporum uſque ad decimum Severi Imp. perduxit annum. In qua erroris arguitur, quòd adventum Chriſti circa ſua tempora futurum dixerit. Sed hoc ideò fecit, quia magnitudo perſecutionum præſentem Mundi minitabatur occaſum, ut ait Euſebius lib. 6. cap. 6. 2. Alii ſecundo ſæculo. Tertio ſæculo S. Cypr. epiſt. 56. hortatur Thibaritanos ad patientiam ac martyrii deſiderium Galli & Voluſiani perſecutione ſæviente anno à Chriſti Nativitate 255. Scire debetis, inquit, & pro certo credere ac tenere, preſſuræ diem ſuper caput eſſe cepiſſe, & *occaſum ſæculi*, atque Antichriſti tempus appropinquâſſe, ut parati omnes ad prælium ſtemus, nec quicquam, niſi gloriam vitæ æternæ & coronam confeſſionis Dominicæ cogitemus: ita ipſe. 3. Alii tertio. Anno Chriſti 259. Valeriano Imp. in Chriſtianos graſſante Dionyſius Alex. vivebat, qui tunc finem Mundi inſtare credidit, & Antichriſti tempora adveniſſe. Quarto ſæculo S. Ephrem. qui circa annum 370. floruit, in eadem opinione fuiſſe videtur tract. de conſumm. ſæculi, & de Antichr. ubi vocat Antichriſtum impudentiſſimum ac ſæviſſimum draconem, qui turbaturus adveniet omnem ſub cœlo regionem: & fortaſſe S. Greg. Naz. qui floruit circa annum 380. ait enim orat. 14. vereri ſe, ne præſens rerum ſtatus eſſet *fumus ignis* illius in expectatione poſiti, & ne Antichriſtus ſuperveniret, & lapſus ac morbos hominum ſui temporis in principatûs ſui occaſionem arriperet. 4. Alii quarto ſæculo. Quinto ſæculo S. Hier. epiſt. 11. ait, fines ſæculorum jam decurriſſe. Sexto ſæculo S. Greg. Papa lib. 9. epiſt. 60. ad Aldibertum, regem Anglorum, ait: *Præſentis Mundi jam terminus juxta eſt*. 5. Alii quinto ſæculo.

Sed

6. Alii circa annum milleſimum.

Sed ne ſim longior, ad annum milleſimum tranſeamus: eo enim præcipuè tempore finis Mundi futurus credebatur. Abbo Floriacenſis in ſuo Apologetico ad Hogonem & Robertum Reges Franciæ: De fine Mundi, ait, coram populo ſermonem in Eccleſia Pariſiorum adoleſcentulus audivi, quòd ſtatim finito mille annorum numero Antichriſtus adveniret, & non longo poſt tempore univerſale judicium ſuccederet. Cui prædicationi ex Evangelio & Apocalypſi, & libro Danielis, quâ potui virtute reſtiti. Denique & errorem, qui de fine Mundi inolevit, Abbas meus beatæ memoriæ Richardus ſagaci animo protulit, poſtquam literas à Lotharienſibus accepit, quibus me reſpondere juſſit. Nam fama *totum Orbem* impleverat, quòd, quando Annunciatio Domini in Paraſceve contigiſſet, abſque ullo ſcrupulo finis ſæculi eſſet: ita ipſe.

7. Alii anno 1001.

Annum à Chriſto 1001. nonnullorum vanâ aſſertione prænunciatum Mundi poſtremum, per ipſi propinquum refert Baronius. Hanc opinionem augere poterant ea, quæ acciderunt. Nam, ut ait Sigebertus, anno milleſimo multa prodigia viſa ſunt, terræ motus factus eſt permaximus, cometes apparuit, Kal. Januar. circa horam nonam aperto cœlo, quaſi facula ardens cum longo tractu, fulguris inſtar illabitur terris tanto ſplendore, ut non modò, qui in agris erant, ſed etiam, qui in tectis, irrupto lumine ferirentur. Quâ cœli ſciſſurâ ſenſim evaneſcente, interim viſa eſt figura quaſi ſerpentis, capite quidem creſcere cum cæruleis pedibus. Erant præterea, ait Baronius anno 1001. ad hæc credenda de fine Mundi, & adventu proximo Antichriſti, Romanæ Eccleſiæ tot ſæpè iterata naufragia, ex quibus Gerbertus æquè adventare Antichriſti tempora jactitabat. Sed & corruptio morum, quam magnam valdè fuiſſe in hominibus, præſertim Eccleſiaſticis, Glaber ea videns ſcriptis deplorat, lib. 2. cap. 6. Idipſum poterat ſuadere. Inſuper & quòd ferreum hoc ſæculum ob malorum excreſcentiam, authore Ditmaro, diceretur, utique & eſſe pariter ultimum crederetur.

8. Alii circa annum 1106.

9. Impoſtor futurum dicebat judicium ſuperiori ſæculo.

Circa annum 1106. rumor increbuit brevi Antichriſtum venturum. Fuitque opinio non vulgarium virorum, atque inter cæteros S. Norberti, viri hujus temporis famâ celeberrimi, ut refert S. Bern. epiſt. 56. ubi eum vocat cœleſtem fiſtulam. Ne ſingula decurram ſæcula, ſuperiori ſæculo Campanus quidam Miniſter in ducatu Clivienſi ruſticis judicium ad certum diem prædixit certò eventurum, illiſque, ut ſecum genio indulgerent, perſuaſit: ubi dies dicta adfuit, clam ipſe in Campaniam ſuam fugit, ut narrat Lindan. lib. 1. cap. 9. Et Gazæus noſter eleganter expreſſit in piis Hilar. Ubi nota, ſancti Patres, cùm judicium brevi eventurum prædicarent, omnes ad virtutem & pœnitentiam hortabantur: hæreticis verò ſolitum eſt, inde potandi & helluandi occaſionem ſumere, ut de alio refert Florim. Ræmondus in tract. de orto & progreſſ. hæreſis.

224.

10. Alius anno 1654.

Quæres porrò: Quandonam futurum judicii diem conjectare poſſimus? Reſpondeo primò, anno 1644. quemdam Metis concionatorum eſſe, diem judicii fore anno 1654. Sed ipſe in Deum, Virginem & Sanctos blaſphemans mortuus eſt, cùm priùs ſe quatuor aut quinque cultri ictibus ad mortem vulneráſſet, de ſalute deſperans.

11. Alius anno 1666.

2. Alius hallucinator ſcripſit diem judicii futurum anno 1666. Antichriſtum naſciturum anno 1626. ſed falſo principio nititur, quòd cenſeat annum 1666. eſſe Mundi 6666. at neque ſciri poteſt, utrùm Mundi annos 6666. ſit futurus ultimus.

12. Alii anno 1697.

3. Aliqui cenſuerunt anno poſt Chriſtum natum milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo extremum diem judicii fore, quòd Sibylla libro primo Deum ita loquentem indixerit:

Sunt elementa novem mihi, ſum tetraſyllabus autem.
Percipe me, prima tres ſyllaba efficiuntur.
Ex binis omnes elementis: Cætera reſtant.
In reliquis, quorum ſunt non vocalia quinque.
Totius numeri bis ſunt hecatontades octo.
Et ter tres decades, &c.

13. Alius anno 1700.

4. Cuſanus Cardinalis tractato de hac re cenſet, tot annorum Jubilæos in Chriſti corpore myſtico, id eſt, in Eccleſia, futuros, quot ipſe vixit annos: nempe 34. qui multiplicari per 50. (hic eſt enim Jubilæi numerus) faciunt annos 1700.

14. Conjectura authoris.

5. Si licet etiam nobis divinare, putaverim Chriſtum inſtar Imperatoris in medio exercitûs ſui, veniſſe in medio temporum, ut tot anni præceſſerint, quot ſecuturi ſunt. Sic Solis inſtar in medio cœlo, & Regis in medio regno reſplenduit. Juvat Abacuc 3. 2. *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud.* Duraret itaque Mundus per octo circiter annorum millia. Et ſic nonnulli hunc locum Abacuc explicârunt, ut refert S. Vincentius Ferrerius epiſt. ad Benedictum, & Adianus Finus libro quinto, Flagelli, capite octavo.

225.

15. Plurimi putant diem judicii futurum anno Mundi 6000.

6. Denique, longè plures opinati ſunt Mundum per ſex annorum millia duraturum. Ita S. Hieron. S. Cyrill. S. Chryſoſt. S. Juſtin. quæſt. 71. ad Genter. S. Iren. lib. 5. cap. ult. Lactantius lib. 7. cap. 14. S. Hilar. can. 17. in Matthæum, & alii multi.

Prima convenientia.

Convenientia maximè plauſibilis eſt illa, quam affert R. Elias in Thalmud. tom. 4. tract. 4. qui inſcribitur Sanhedrim, id eſt, judicium. *Sex millia*, inquit, *annorum erit Mundus, & iterum deſtruetur: duo millia fuerunt inanitatis*, (id eſt, legis naturæ) *duo millia legis Moſaicæ, duo millia erunt dierum Meſſiæ.* Hoc ejus etenim quaſi oraculum quoddam ibi celebratur.

Secunda convenientia.

Secunda convenientia eſt, quòd Mundus ſex diebus conditus eſt: dicit autem Propheta noſter Pſal. 89. 4. *Mille anni ante oculos tuos, ſicut dies heſterna, quæ præteriit.* Quem locum explicans S. Hieronymus in epiſt. ad Cyprianum: *Ego*, inquit, *arbitror ex hoc loco mille annos pro una die ſolitos appellari: ut ſcilicet, quia Mundus in ſex diebus eſt fabricatus, ſex millibus tantum annorum credatur ſubſiſtere, & poſtea venire ſeptenarium & octonarium numerum, in quo verus exerceatur ſabbatiſmus: unde & octo beatitudinibus bonorum operum præmia proponuntur.* Et notabile eſt, quod Deus Apocal. 20. conſignans ætatem & finem Mundi, ſexies nominat mille annos, quaſi innuens ſex millibus annorum duraturum Mundum. Primò enim ait verſu 2. ligavit eum (Satanam) per annos mille. Secundò, verſu tertio: Donec conſummentur mille anni. Tertiò, verſu quarto: Regnaverunt cum Chriſto mille annis. Quartò, verſu quinto: Donec conſummentur mille anni: Quintò, verſu ſexto: Regnabunt cum illo mille annis. Sextò denique, verſu ſeptimò: Cùm conſummati fuerint mille anni. Sed hæc aliaque non multum probant. Dicamus itaque cum Chriſto Matthæi vigeſimo quarto verſu trigeſimo ſexto: *De die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorum.*

226.

Omne tempus æternitati comparatum breve eſt.

Concludamus cum ſancto Petro ſecunda Epiſtola capite tertio, verſu octavo: *Unum hoc non lateat vos chariſſimi*, (cætera, licèt ignoretis, non magnum ſequetur incommodum) *quia unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus:* id eſt, ut explicat Gagneius, apud Deum mille anni ſunt quaſi dies una, & viciſſim dies una quaſi mille anni: quia apud Deum nulla, vel exigua eſt diſtantia inter diem unum & mille annos; mille enim anni apud eum, utpore immenſum & æternum, adeò ſunt exigui, ut videantur eſſe quaſi dies una: nam mille anni diſtant ab æternitate Dei quaſi tantum, quantum diſtat dies una, putà in infinitum. Sanctus Hieronymus in Pſalmum octuageſimum nonum: *Quid*, ait, *prodeſt grande eſſe, quod finem habet?* Et Seneca libro ſeptimo natural. quæſt. capite trigeſimo ſecundò: *Fluit tempus, & avidiſſimos ſui deſerit. Nec, quod futurum eſt, meum eſt, nec quod fuit, in puncto fugientis temporis pendeo.* Addit S. Petrus verſu decimo: *Adveniet dies Domini ut fur:* Græca, & S. Paulus prima Theſſalonicenſ. quinto, verſu ſecundo habent, ſicut fur in nocte, *(in quo cœli magno impetu tranſient)* ῥοιζηδὸν, cum ſtridore, impetuosè, ſtridenter & cum ſibilo, qualis ab igne flagranti edi ſolet. 2. Cum ſtridore, qualis eſt à ſagitta excuſſa, ſic ῥοῖζημα, à ῥοῖζ, ſumitur. 3. Cum ſtridore & impetu, velut à ventis vehementibus

nibus

tibus & procelloſis: Hinc Tigurina reddit: *In morem procellæ*, additur, *elementa verò calore ſolventur*, 6τ. καυσέμενα, id eſt, æſtuantia: ob ignem ſcilicet, qui aërem & aquam purgabit: *Terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.* Hinc optimè concludit ſanctus Petrus verſu undecimo: *Cùm igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum diei Domini?* Noſter
217. *Ridicula conſuetudo Mexicanorum.* Joſephus Acoſta libro ſexto hiſtoriarum novi Orbis, capite ſecundo refert: Mexicanos opinari, ſæculum annis duobus & quinquaginta definiri, & annos ſingulos in unius rotæ ambitu vario colore depingere, quibus evolutis, poſtremo ſæculi die, primis intendentibus ſe tenebris, omnem ſuam ſupellectilem ſolo affligere, comminuere, ac diſſipare, quaſi hora Mundi decretoria, Sole in perpetuum occidente, rebus ad exitium vergentibus, ſupellectile non ſint ampliùs uſuri: ignem quoque extinguere ſolitos fuiſſe, & pervigiles eâ nocte excubare, ut adverterent, utrùm Sol eſſet rediturus, visâ Auroræ primâ luce plurima tympana pulſare, & buccinis, tibiis, aliiſque inſtrumentis perſtrepere: quòd ad unum ſæculum tempus prorogatum crederent: tum novum ignem à ſupremo inter ipſos Sacerdotes petebant, & ſupplicatione ſolemni gratias agebant diis ob lucis reditum. Sic ibi. Tu, cave ſis tuam ſupellectilem aliaque confringas, ſed eam vel pecuniam eroga pauperibus. Audi monentem Chriſtum Lucæ decimo ſexto, verſu nono: *Ego vobis dico*, (alia dicentem Mundum ſpernite) *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis*, (omnis dives, aut iniquus, aut iniqui hæres Hoc dictum refert ſanctus Hieronymus epiſtolâ centeſimâ ſexageſimâ ad Hedibiam) *ut cùm defeceritis*, (Syrus, *cùm defecerit*: veſtra ſcilicet pecunia, quæ vos in neceſſitate deſeret ad judicium euntes) *recipiant vos in æterna tabernacula.* Felix permutatio, ait Theophylactus, cùm temporalia permutantur æternis, & ſanctus Chryſoſtomus in Catena: *Ars artium peritiſſima eſt eleemoſyna; non enim nobis domos fabricat luteas, ſed vitam æternam* impendit. Ita ipſe. Dives avarus ad Lazarum pauperem confugit, ut quid ab Abrahamo obtineat, Lucæ decimo ſexto, verſu vigeſimo quarto, ſed tardiùs; aditum ſibi comparare poterat per micas, *quæ cadebant* de menſa ſua, ſed cùm eas petituras Lazaro denegâſſet, ab Abrahamo nihil obtinuit. Itaque ſapienter ſanctus Gregorius homiliâ trigeſimâ ſextâ in Evangelia, dicit: *Sint res temporales in uſu, æternæ in deſiderio: illa in itinere, hæc in perventione.* Et libro ſexto, epiſtolâ vigeſimâ ſextâ incitans Andream ad Mundi contemptum, ait: *Cur, magnifice fili! non conſideras, quia Mundus in fine eſt? Omnia urgentur quotidie, ad reddendas rationes æterno & tremendo Judici ducimur:* 228. *Mundus cito deſiturus eſt contemnendus.*
Quid ergò aliud, niſi de adventu illius cogitare debemus? Vita enim noſtra naviganti eſt ſimilis. Is namque, qui navigat, ſtat, ſedet, jacet, vadit: quia impulſu navis ducitur. Ita ergò & nos ſumus, qui, ſive vigilantes, ſive dormientes, ſive tacentes, ſive loquentes, ſive ambulantes, ſive volentes, ſive nolentes per momenta temporum, quotidie ad finem tendimus. Cùm igitur finis noſtri dies advenerit, ubi nobis erit omne, quod modò cum tanta cura quæritur, & cum ſollicitudine congregatur? Hæc ſanctus Doctor, unde infert: Non ergò honor, non divitiæ quærendæ ſunt, quæ dimittuntur. Sed ſi bona quærimus, illa diligamus, quæ ſine fine habebimus. Si autem mala pertimeſcimus, illa timeamus, quæ à reprobis ſine fine tolerantur. Sic ipſe.

PSALMUS TERTIUS.

Pſalmus David, cùm fugeret à facie Abſalom filii ſui.

1. DOmine! quid multiplicati ſunt, qui tribulant me? Multi inſurgunt adverſum me.
2. Multi dicunt animæ meæ: non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.
3. Tu autem Domine Suſceptor meus es: Gloria mea, & exaltans caput meum.
4. Voce meâ ad Dominum clamavi: & exaudivit me de monte ſancto ſuo.
5. Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exurrexi: quia Dominus ſuſcepit me.
6. Non timebo millia populi circundantis me: exurge Domine, ſalvum me fac Deus meus.
7. Quoniam tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi ſine cauſa: dentes peccatorum contriviſti.
8. Domine eſt ſalus: & ſuper populum tuum benedictio tua.

PSALMI TERTII ANALYSIS.

David à filio ſuo Abſalone ejectus regno proponit.
- Hoſtes ſuos multos. 1. qui
  - Actionibus, illum proterant. 1.
  - Voluntate, in eum inſiliant. 1.
  - Locutione, ad deſperationem incitent. 2.
- Deum, adjutorem unicum. 3. qui
  - Suſcipiat fugientem. 3.
  - Juvet pugnantem. 3.
  - Coronet victorem. 3.
  - Audiat in oratione. 4.
  - Securum præſtet
    - In quiete. 5.
    - In actione. 5.
  - Salvet in diſcrimine. 6.
  - Hoſtes oppoſitos proſternat. 7.
  - Detractores malevolos confundat. 7.
  - Populum ſibi ſubjectum benedicat. 8.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. *Pſalmus David, cùm fugeret à facie Abſalom filii ſui.*

1. *Argumentum Pſalmi.* EX Titulo, qui in omnibus libris Hebraicis, Græcis & Latinis idem habetur, clarum eſt Pſalmi hujus argumentum. Eſt enim oratio Davidis à Deo opem depoſcentis contra Abſalonem rebellem filium, qui regnum invaſerat, & contra omnes ejus aſſeclas & fautores. Itaque, Pſalmus hic eſt de Davide. Alleg. de Chriſto, qui vocatur David, Jerem. 30. 9. Ezech. 34. 23. Oſeæ 3. 5. Et hic ſenſus eſt præcipuè intentus à Spiritu ſancto. Nota, nomen David in titulo poſitum non eſt caſûs genitivi, ſed dativi: nam in Hebræo eſt articulus, ל le, qui ordinariè dativo inſervit. Aliquando tamen genitivo

ſed Sept. ſemper verterunt τῷ, qui eſt articulus ſo-
lius dativi, & prudentiſſimè hoc fecerunt, ut ſigni-
ficarent authorem Pſalmorum præcipuè non eſſe
Davidem, ſed Deum. Itaque ſenſus eſt: Pſalmus
David, id eſt, Pſalmus inſpiratus à Deo ipſi Davidi.
Ita Bellarm. Eſt igitur author Pſalmi hujus David
noſter, ſicut & cæterorum.

1\. *Filii Davidis nati in Hebron.* Quæres primò: Quis & qualis fuerit Abſalom?
Reſp. Fuiſſe tertium Davidis Filium, ex Mascha
filia Tholmæi regis Geſſur. 2 Reg. 3. verſu 3. Pri-
mus enim Davidis filius fuit Amnon, quem genuit
de Achinoam Jezraëlitide. Secundus verò ejus filius
fuit Cheleab, quem ſuſcepit de Abigail uxore Na-
bal Carmeli. Tertius Abſalom. Quartus Adonias,
filius Haggith. Quintus Saphathia, filius Abital.
Sextus Jethraam, de Egla genitus. Hi nati ſunt
Davidi in Hebron, ubi regnavit per annos ſeptem.
Abſalonis mores. 2 Reg. 3. 2. & ſeqq. Si mores Abſalonis inquiris,
fuit primò vafer & ſubdolus, ea, quæ animo coque-
bat, diſſimulans. Cùm enim Thamar ſoror ejus
etiam uterina fuiſſet conſtuprata à fratre Amnone,
ejus clamores compreſſit, & ne apud Davidem qui-
dem eſt queſtus, remque tacitus animo verſavit toto
biennio, donec ultionis occaſionem commodam
reperiret. Nam Thamar eſt violata ab Amnone
anno regni Davidis 21. & conſequenter ætatis 51.
Nam anno 30. expleto creatus eſt rex in Hebron:
anno ante Chriſtum 1073. Mundi 2980. Cædes
verò Amnonis contigit anno regni Davidis 23. Se-
cundò, Abſalom fuit crudelis, & vindictæ cupidus.
Nam, cùm curaret oves ſuas tonderi in villa ſua
Baalhaſor, quæ erat juxta Ephraim ſive Ephron
urbem in tribu Juda ſitam, invitavit ad convivium
omnes filios regis, & in eo Amnonem temulentum
occidi curavit, animam perdens cum corpore, ut
S. Chryſoſt. lib. 3. de Provid. Lyranus & Angelo-
mus videntur ſentire, & ſpeciatim præceperat Abſa-
lom, ut occiderent, cùm eſſet temulentus. 2 Reg.
13. 28. Tertiò, Abſalom fuit ambitioſus, cùm enim
per quinquennium ob cædem patratam ab aula
paterna excluſus eſſet, in eam ope Joabi admiſſus
cepit animos populi contra patrem ſuum & regem
ſollicitare. 2 Reg. 15. Quartò, fuit parricida, regno
enim patrem expulit, & vitâ privare voluit. Quintò,
turpiſſimo inceſtu ſe polluit concubinas decem
patris conſpurcans, cap. 16. 22. Secundò, impu-
dentiſſimus fuit, qui id fecit in oculis totius orbis
regiæ, ibid.

2\. *Tempus, quo fugit David à facie Abſalonis.* Quæres ſecundò: Quandonam illa fuga Davidis
evenerit, & qualis fuerit? Reſp. fugam Davidis
è Jeroſolyma, ne incideret in manus Abſalonis,
contigiſſe anno quadrageſimo à prima ejus inun-
ctione in domo paterna per Samuelem Prophetam,
trigeſimo autem anno ab unctione publica in He-
bron, ubi rex acceptatus eſt à tribu Juda: inunctus
eſt autem ibi per Abiathar ſummum Pontificem,
aut per Gad aliumve Prophetam. Nam Salomon
Fuga illa Davidi fuit moleſtiſſima. ejus filius poſteà inunctus eſt à Sadoch Pontifice, &
à Nathan Propheta. Reſpondeo ſecundò, fugam
illam Davidis à facie Abſalonis fuiſſe luctuoſiſſi-
mam. Primò, quia pater fugiebat ante filium re-
bellem. Secundò, quia pater ſexagenarius. Tertiò,
1\. quia inopinata illa clades advenerat. Nam jam per
2\. biennium in aula patris abblandiens Abſalom ver-
3\. ſatus erat, ejus filiorum tunc natu maximus; Amnon
enim erat occiſus: & Cheleab, qui etiam Daniel
vocabatur, videtur Lyrano & Dionyſio fuiſſe mor-
tuus, cùm Scriptura ejus non meminerit ampliùs:
deinde Abſalom iverat in Hebron ſub religionis
prætextu vota ibi ſoluturus, quæ exul in terra
Geſſur voverat.

4\. Quartò, fuga illa Davidi erat moleſtiſſima, quia
ſubita, nec poterat ſecum deferre ea, quæ ſibi eſſent
neceſſaria, ſed omnia cogebatur arbitrio furentis
juvenis permittere, atque ipſas decem concubinas
5\. ſuas. Quintò, quia fugiebat regno ſpoliatus. Nam
Abſalom fuerat proclamatus & inunctus rex in He-
6\. bron. Corn. Sextò, quia ab omnibus propè deſertus
fugiebat, ſecundo Regum decimo quinto, verſu
decimo tertio, ait nuncius: *Toto corde univerſus*
7\. *Iſrael ſequitur Abſalom.* Septimò, quia, quo ſe
reciperet, neſciebat: unde ait Ethai Gethæo, ibi-
dem verſu vigeſimo: *Ego vadam, quò iturus ſum:* id
eſt, ad locum, neſcio quem, ut exponunt Abulen- 8.
ſis & Vatablus. Octavò, quia Deum peccatorum
ſuorum ultorem ſentiebat: ideò flens, & nudis pe-
dibus incedens, atque operto capite aſcendebat
clivum montis olivarum. Nonò, quia omnis popu- 9.
lus, qui cum eo erat, aperto capite eundem montem
aſcendebat plorans: relictam ſcilicet urbem, domos,
familiam, ſupellectilem, opes omnes contemplans,
& regis ſui calamitatem. Decimò, quia audivit Da- 10.
vid Achitophelem, conſiliarium vaferrimum, à par-
tibus Abſalonis ſtare. Undecimò, quia Achimaas
filius Sadoc, & Jonathas filius Abiathar monue- 11.
runt, Davidem ipſum ad necem quæri, & Achito-
phelem obtuliſſe ſe, ut duodecim millia virorum
ad hoc exequendum duceret, capite decimo
ſeptimo, ibid. Duodecimò, quia Semei in eum 12.
fugientem maledicta congeſſit, & lapidibus
appetiit, cap. 16.

Nota primò, Davidem dici fugere à facie Abſa- *Fugere à facie Abſalonis quid.*
lonis: id eſt primò, ab Abſalone. Secundò, ab ira
Abſalonis. Tertiò, ab aſpectu ejus, quem rebellem
videre horruiſſet. Quartò, hæc locutio denotat fu-
gam fuiſſe præcipitem, ac penè præſentem fuiſſe
Abſalonem, cùm David aufugit: vias enim occlu-
ſerat rebellis, ne ejus defectio cognoſceretur. Hic
modus explicandi, & primus maximè probantur.
Nota ſecundò, S. Hieronymus ait, fugam illam
Davidis per ſex menſes duràſſe. Mihi ſatis difficile
videtur præcisè determinare, quot menſium illa
fuga fuerit, eodem certè anno bellum terminatum
eſt, occiſo Abſalone & viginti millibus hominum
de ejus exercitu, & initio anni ſequentis David ſolio
regio & urbi Jeroſolymæ redditus eſt.

Nota tertiò, Abſalonem figuram fuiſſe, primò
dæmonis Eccleſiam perſequentis & Judæ prodito-
ris, ut dicunt Melito, Origenes & alii. Secundò,
omnium Eccleſiæ perſecutorum, ac præſertim Ju-
dæorum Chriſto inſultantium, de quibus ait Pſal-
mo 17. 46. *Filii alieni mentiti ſunt mihi, filii alieni*
inveterati ſunt. Tertiò, præcipuè eſt typus filiorum
matrem Eccleſiam perſequentium, ut ait S. Auguſt.
epiſt. 50.

Nota quartò, Abſalom ſignificat *patris pax*, pa- 4. *Abſalonis etymon.*
tris conſummatio ſeu retributio: fructus pacis,
deſiderium pacis. Sed contrarium fuit, ut diſcant
parentes in Deo, non in filiis ſuam pacem & felici-
tatem ponere. Pax porrò apud Hebræos pro omni
bono ponitur. Ad illud Abſalonis etymon alludit
David Pſalmo quadrageſimo, verſu decimo: *Homo*
pacis meæ, (S. Hieronymus, homo pacificus meus,
quaſi diceret: Abſalom, per quem ego ſenex ſexa-
genarius pacem habere debebam, qui natus circiter
viginti novem annos, bella pro me gerere debebat)
in quo ſperavi, (ut natu maximo filiorum meorum)
qui edebat panes, (Hebr. panem meum, q. d. qui
mecum in menſa mea comedebat. Ad menſam enim
regum Judææ admiſſos eorum filios patet in Saule,
cum quo Jonathas filius & David gener ſedebant
in menſa, 1 Reg. 20. 5. & ſeqq.) *magnificavit ſuper*
me ſupplantationem. S. Hieronymus, levavit contra
me plantam. S. Auguſtinus, ampliavit ſuper me
calcaneum, de Juda hæc aptiſſimè dicuntur, qui
tamdiu Chriſto convixerat, & Euchariſtiam ipſam
ab eo perceperat, ut docent S. Dionyſ. Eccl. Hier.
c. 13. S. Chryſoſt. hom. 82. in Matth. & hom. 2. de
Juda proditore. S. Hieron. in Pſalm. 54. S. Auguſt.
tract. 62. in Joan. S. Cyrill. Jeroſol. catech. 13.
S. Cyrill. Alex. libro 9. in Joan. cap. 19. S. Ambr.
de Apolog. David, & alii.

Nota quintò, licèt dicatur in titulo: *Pſalmus*
David, cùm fugeret à facie Abſalom filii ſui, non
eſſe certum, an Pſalmum illum ſcripſerit in ipſa
fuga, an cùm domi quietus eſſet, poſt victoriam
& poſt recuperatum regnum: tunc enim ſibi in me-
moriam revocans varia pericula, in quibus fuerat,
& affectus varios, quos tunc habuerat, Pſalmos com-
ponebat: non eſt enim credibile, omnes tunc com-
poſitos, cùm à Saule, Abſalone, aliiſque acerrimè
urgeretur. Hunc tamen per otium potuit ſcribere

tempore

tempore fugæ ſuæ, quæ duravit plures menſes, ac penè annum totum.

5\. In Pſalmis non ſervatur ordo rerum & temporum.

Ex his collige, non ſervari in Pſalmis ordinem rerum geſtarum & temporum: quia Abſalonis rebellio contigit poſt alia multa, de quibus agitur in Pſalmis: ſcilicet poſt omnes Saulis perſecutiones, poſt adeptum regnum, poſt varias de Philiſthæis aliiſque hoſtibus reportatas victorias, poſt adulterium cum Bethſabee commiſſum, aliaque Davidis geſta. Nota, diſtributionem & ordinationem Pſalmorum tribuunt primò S. Hilarius & Beda, Septuaginta Interpretibus. Secundò, Remigius & Petrus Lombardus tribuunt Eſdræ. Tertiò, S. Hieronymus ipſi Davidi: res in incerto eſt, certum eſt tamen quod S. Hilar. S. Auguſt. S. Greg. Nyſſ. annotant, in eo Pſalmorum ordine divinum conſilium & myſterium latere. Sic enim ſanctus Greg. Nyſſenus tract. 2. in Pſalmos cap. 11. *Spiritus ſancto animorum noſtrorum inſtitutori πάρεργα τὰ ἄλλα πάντα, omnia alia parerga, & ad rem non pertinentia videntur, in id unum incumbenti, ut conſervet eos, qui in hac vita vanitate oberrant, & ad veram vitam adducat.* Quâ ratione autem id ordo Pſalmorum præſtet, docet fuſiſſimè multis capitibus. Primum Pſalmum ait abducere hominem à cognatione, quam cum malo contraxit. Secundum oſtendere, cui ſit adhærendum, eùm ob oculos ponit Chriſti in carne manifeſtationem. Tertium denique hunc imminentem ab hoſte tentationem præmonſtrare.

DIVISIO TOTIUS PSALMI.

Duo continet. Primò, David ait ſe à multis hoſtibus impeti Verſ. 1. & 2. Secundò, ſe illos Deo auxilium præſtante non timere. Verſ. 3. uſque ad finem.

PARAPHRASIS.

1. Domine, quid multiplicati ſunt, qui tribulant me? Multi inſurgunt adverſum me.

1\. Cùm Abſaloni filio meo Achitophell conſiliario mihi familiari & amico, omnibus Iſraëlitis, aliiſque nulla in te fuerim injurius, quid eſt cauſæ, cur tam numeroſo agmine certatim in me irruere moliantur, ut me obruant? Cur continuatis inſultibus, & indies magis ac magis augeſcentibus, novas in me copias immittunt?

2. Multi dicunt animæ meæ: non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.

2\. Multorum voces & iriſiones auribus meis inſonant, ita ut animam penetrent, & cor gravi dolore exulcerent, dum dicunt: Me fruſtrà in te ſpem meam poſuiſſe, nihil mihi inde ſperandum eſſe præſidii.

3. Tu autem Domine Suſceptor meus es: Gloria mea & exaltans caput meum.

3\. Tu tamen ab omnibus penè ejectum, & in fuga vix ullum certum aſylum reperientem ſuſcipis ac foves, tu victoriam mihi de hoſtibus concedis, & coronam capiti reſtituis.

4. Voce meâ ad Dominum clamavi: & exaudivit me de monte ſancto ſuo.

4\. Summis in anguſtiis ad te cœli terræque Dominum confugi, teque ex intimo mentis ſinu contentâ voce inclamavi: atque ex cœleſti tuo palatio gemitus meos exaudiſti, ac voti reum feciſti.

5. Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exurrexi: quia Dominus ſuſcepit me.

5\. Quamobrem circumſtrepentibus licèt hoſtibus ſomno me dedi, quietaſque noctes traduxi, & ſecurus nullis turbatus inſomniis lætam fauſtamque mihi auroram aſpexi, & ſurrexi: quia Deus rerum omnium Dominus me lapſantem firmavit, ruentemque paterno ſinu excepit.

6. Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, ſalvum me fac, Deus meus.

6\. Te Duce & comite confirmatus, non verebor innumeras infeſtarum cohortium turmas longâ me indagine obſidentes: tu tantùm in auxilium meum advola, & ab eorum me inſidiis expedi.

7. Quoniam tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi ſine cauſa: dentes peccatorum contriviſti.

7\. Quid eſt porrò, cur timeam, cùm telis tuis perculſos ſtratoſque hoſtes meos videam? Os impiorum obſtruxiſti, eorumque pervicaciam contudiſti, ut ne hiſcere quidem audeant.

8. Domini eſt ſalus: & ſuper populum tuum benedictio tua.

8\. Tui unius eſt, Domine! ſalutem dare, & populo tuo benedictionem impertiri, eumque bonis omnibus cumulare.

QUÆSTIO UNICA.

Quam certum & ſecurum jucundumque perfugium Deus in extrema clade?

CUm inopinato quaſſatus turbine Rex noſter, ex omni parte hoſtibus ſe ſuccinctum cerneret, neque in hominibus ſpem ullam præſidii ſtabilem cerneret, ad Deum voce, oculis, corde confugit.

6\. Chriſti hoſtes.

Ac primò, ei hoſtes ſuos oſtendit. Primò, multos, licèt à ſe non læſos, verſ. 1. *Domine! quid multiplicati ſunt?* Secundò, crudeles & impudentes, qui regiæ majeſtatis rationem nullam habeant, ſed ſine cauſa ſæviant, ibid. *Qui tribulant me.* Tertiò, obſtinatos ad nocendum, & novo ſemper ardore irruentes, ibid. *Multi inſurgunt adverſum me.* Quartò, petulantes, qui dicteriis impetant, & Deum ipſum ut impotentem rideant, verſ. 2. *Multi dicunt animæ meæ: non eſt ſalus in Deo ejus.*

Dei auxilium.

Secundò, gratolatur idem ſibi Rex noſter, quòd in Deo auxilium optatum repererit. Primò, in fuga ſua, eum paterno & amico ſinu excipiendo, verſ. 3. *Tu autem Domine Suſceptor meus es.* Secundò, in bello, ipſum datâ victoriâ glorificando, ibid. *Gloria mea.* Tertiò, in pace, coronam amiſſam reddendo, ibid. *Et exaltans caput meum.*

Triplici tempore datum.

Tertiò, tria illa ſua tempora, fugæ ſcilicet, belli ac pacis reſumens, declarat, quomodo in illis Deus fuerit Suſceptor, Gloria & Exaltatio.

Primò enim, in fuga dicit duo ſibi à Deo eſſe conceſſa. Primò, exauditionem orationis, verſu 4. *Voce meâ ad Dominum clamavi: & exaudivit me de monte ſancto ſuo.* Secundò, ſecuritatem datam in medio tumultu, verſ. 5. *Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exurrexi: quia Dominus ſuſcepit me.*

Secundò, belli tempore duo quoque ſibi conceſſa dicit à Deo, Primò, mentis fortitudinem ac perfectam ſecuritatem in mediis hoſtium telis, ℣. 6. *Non timebo millia populi circumdantis me: exurge, Domine! ſalvum me fac Deus meus.* Secundò, contritionem hoſtium per ſuos Duces ac milites, Deo ipſos corroborante, verſu 7. *Quoniam tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi ſine cauſa: dentes peccatorum contriviſti.*

Tertiò, pacis denique tempore duo etiam ſibi à Deo conceſſa dicit. Primò, protectionem ſpecialem à novis inſidiis, verſu 8. *Domini eſt ſalus.* Secundò, bonorum affluentiam generalem, ibid. *Et ſuper populum tuum benedictio tua.*

ARTICULUS I.

Multis calumniatoribus & tentationibus homo, præſertim luxurioſus, ſubjacet in hac vita.

NE Hercules contra Deos: ideò David, qui in gigantem Goliath penè inermis magnâ cum alacritate concurrerat, viſâ hoſtium multitudine
Verſ. 1. timet, atque exclamat, verſ. 1. DOMINE! QUID MULTIPLICATI SUNT, QUI TRIBULANT ME? Nota, Salmeron. tom. 1. Prolegom. 16. negat, τὸ *quid* eſſe admirantis: neque enim David admirari poterat, quòd puniretur, cùm ſciret ſe peccâſſe. Veriùs tamen S. Auguſt. Caſſiodorus, Nicephorus Blemmida & alii agnoſcunt ibi admirationem. Nam, etſi non miraretur David ſe puniri: mirabatur tamen & deplorabat, quòd in ſe Filius rebellaret, quòd Achitophel, cui maximè confidebat, eſſet fax & incentor ſeditionis, quòd toto corde univerſus Iſraël eos ſequeretur, quòd primores urbis regiæ illis ſe adjungerent, neque ullo in loco ſecurum ſibi perfugium cerneret.

Quæres: Quid cauſæ fuit, cur tam citò tanta multitudo à Davide ad Abſalonem tranſiverit? Reſpond. 1. Cauſam naturalem & phyſicam fuiſſe, quòd plures Solem orientem, quàm occidentem adorant. Tunc autem, ut dixi, David jam erat ſexagenarius, variis bellis & calamitatibus ita fractus, ut poſt decennium ne calefieri quidem poſſet: Abſalom verò erat natus annos circiter viginti novem, genitus enim fuit ſub initium regni Davidis in Hebron, à quo tempore anni fluxerant triginta. Si animam autem Abſalonis ſpectes, erat acer, vividus, audax, populo tamen & tenuiſſimis hominibus affabilis, juſtitiæ in ſpeciem tenax, juvandi omnes cupidus, ſubdolus & vafer. Si corpus conſideres, de eo dicitur, 2 Reg. 14. 25. Porrò ſicut Abſalom, vir non erat pulcher in omni Iſraël, & decorus nimis: à veſtigio pedis uſque ad verticem non erat in eo ulla macula. Reſpond. ſecundò, cauſam moralem & præcipuam defectionis illius fuiſſe peccata Davidis, quæ Deus puniebat.

8. Punita eſt in Davide. 1. Nimia indulgentia. 1. *Erga Abſalonem.*

Quæres igitur 2. Quænam erant illa peccata, quæ Deus in Davide tam graviter inſequebatur. Reſpondeo 1. S. Petrus Damiani, punitam, ait, tunc fuiſſe nimiam Davidis indulgentiam in puniendo Abſalone ob Amnonem fratrem occiſum. Sic enim ipſe loquitur lib. 1. epiſt. 2. ad Cadaloum Antipapam: *Qui non corripit puerum ova furantem, magnum poſteà latronem patitur, equorum ſtabula perfringentem. Si à Corymbis* (id eſt, aucillis) *ſuis matrona potens negligit arcere petulcum: quid mirum, ſi in eam quoque ille poſteà veſania ſua porrigat appetitum? Utque de Scripturis aliquid afferam: David Rex, qui in Abſolom fratricidium non ulciſcitur, ab ipſo deinceps ejectus, regalis ſolii dignitate privatur. Adoniam filium Aggith, dum in ſuperbia faſtum proterviæ erigitur, dum connivente patre, paratis equis & curribus regnum ſibimet pollicetur, ad hoc quandoque progreditur, ut Abiſag Sunamitem in conjugium quærat, ac paternos inceſtare thalamos concupiſcat.* Sed ſatis ſeverus videtur fuiſſe David in Abſalonem: poſt cædem enim factam fugere coactus eſt Abſalom ad Tholmai filium Ammiud Regem Geſſur, quæ regio erat alienigenarum in Syria, in terminis ſeptentrionalibus dimidiæ tribûs Manaſſe trans Jordanem, ex qua priſtini habitatores nunquam expulſi fuerint. Tholmai porrò, ut ait S. Hier. in Tradit. pater fuit Maacha matris Abſalom: quam dicunt Hebræi in prælio captam, & cæſarie & unguibus præciſis ſecundùm legem, Davidem ſibi uxorem ſociâſſe, & ex eâ generâſſe Thamar & Abſalom. Ita S. Hier. Apud illum Tholmai avum ſuum maternum toto triennio manſit Abſalom à patria, uxore ac liberis ſemotus, & vix artificio Joabi ac mulieris Thecuitis eſt revocatus, eâ tamen lege, ut faciem patris non videret, & ad aulam non veniret, quæ pœna duos annos tenuit, & diutiùs durâſſet, niſi Joab ab ipſo iterum Regi ſupplex fuiſſet. Veriùs poteſt argui indulgentiæ nimiæ erga Amnonem poſt admiſſum ſtuprum & pollutam ſororem ſuam Thamar: inde enim fons malorum exiit. Itaque Abulenſis quæſt. 9. in cap. 13. 2 Reg. docet, à Davide puniri debuiſſe hoc crimen inceſti, quia juri publico nocebat, cujus ipſe judex eſſet ac vindex, licèt Thamar læſa jus ſuum non proſequeretur, & cedere juri ſuo videretur: ſatis enim erat publicè conqueſta, ut judex rem ad ſe pertinere exiſtimare deberet: quæſtione autem 10. confert Davidis culpam cum Heli Sacerdotis nimis in filios ſuos indulgentia: imò Davidem majoris culpæ reum facit, quòd Heli filios corripuerit, licèt verbis mollioribus: de Davide autem habeamus: *Noluit contriſtare ſpiritum Amnon filii ſui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei:* quæ verba quidem non ſunt in textu Hebraico, ſed leguntur in Græcis, Romanis, Aldinis, Baſileenſibus, & in Latinis codicibus, atque apud Joſephum lib. 7. cap. 7. ſub finem. Cajetanus tamen ac Lyranus Davidem excuſant, quòd illi res non innotuerit ut judici, ſed ut patri: & Dionyſius ac Salianus, ipſeque Lyranus jure cenſent adhibitam loco ac tempore commodo correctionem paternam, etſi hoc non exprimatur in Scriptura.

Reſpondeo ſecundò, præcipuam & radicalem 9.
hujus belli ab Abſalone geſti cauſam fuiſſe adulterium Davidis cum Bethſabæa, quod contigit anno regni ejus 19. & conſequenter anno ætatis 49. Secundam deinde cauſam ſubſecutam, nempe cædem Uriæ mariti Bethſabææ, ut crimen crimine celaretur, & poſſet Bethſabæa duci in uxorem: ſed ſtatim ſequenti anno, poſt pueri nativitatem ex illo adulterio concepti, mittitur Nathan Propheta, qui varias clades Davidi intentet, ac præſertim dicat 2 Reg. 12. ℣. 9. Uriam Hethæum percuſſiſti gladio, & uxorem illius accepiſti in uxorem tibi, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon: *Quamobrem non recedet gladius de domo tua uſque in ſempiternum*, id eſt, diutiſſimè. Hinc primò, occiſus eſt Ammon ab Abſalone: Secundò, Abſalom à Joab: Tertiò, Adonias à Salomone; tres filii Davidis erant. In eodem quoque ſolario, id eſt, domus tecto plano, ex quo aſpexerat Bethſabæam ſe lavantem, Abſalom polluit decem concubinas ejus in oculis Solis, quod amplificat Salvianus lib. 2. de providentia, & jure vocat feraliſſimum crimen.

Et crudelitas.

Nota, gravia hæc duo crimina adulterii & homi- 10.
cidii Davidis graviter à Deo punita ſunt in hoc bello Modus
Abſalonis. Primò, iteratio adulteriorum per aliquot puniti-
dies, aut ſaltem continuatio in eodem ſine contri- onis.
tione, punitur hoſtium multitudine: *Domine, quid* *Multi. id*
multiplicati ſunt, qui tribulant me? Multi inſurgunt *eſt, magni*
adverſum me. Ubi adverte τὸ *multi*, 1. Sumi poſſe *ſeu ma-*
pro magnis ſeu magnatibus ac primoribus populi: *gnates.*
ita ut ſit enallage quantitatis diſcretæ pro continua, id eſt, ut multi ponantur pro magnis, & hoc in voce Hebraica facilius dici poteſt: nam *rabbim* & multos & principes ac magiſtros ſignificat: unde Hebræi ſuos Doctores vocant Rabbinos. 2. *Multi* uſurpan- *2. Multi,*
tur pro malis, & S. Hier. in cap. 66. Iſaiæ ait, quòd *id eſt,*
hic numerus *multi* ſemper in vitio eſt: affert locum *mali.*
Gen. 6. 1. *Poſtquam cœperunt homines multiplicari ſuper terram;* ſive, ut ibi legit, *multi* (id eſt, mali) *fieri ſuper terram.* Nonius Marcellus: *Veterum*, ait, *memorabilis ſcientia, paucorum numerum pro bonis ponebat: multos contra malos.* Et Mamertinus in gratiarum actione, ait: *Cùm boni, rari ſint: improborum vulgus immenſum: in campo autem numerus & turba præpollent, ſine dubio intelligitur eum populi ſuffragiis magiſtratum capere, quem plures, id eſt, pejores probârunt.* 3. Denique meliùs & ſimpliciùs *multos* ſumemus in propria ſignificatione, plurimi enim ſequebantur Abſalonem, ut patet 2 Reg. 15. Cùmque immolaret Abſalom victimas in Hebron, facta eſt conjuratio valida, populuſque concurrens augebatur cum Abſalom, unde nuntius veniens ad David, ait ℣. 13. *Toto corde univerſus Iſrael ſequitur Abſalom.* Et cap. 17. 11. Chuſai dicit eidem Abſaloni: *Congregetur ad te univerſus Iſrael, à Dan uſque Berſabee.* Hi erant fines ac termini

mini Judææ, Dan à Septentrione, Berſabee verò à meridie: itaque, cùm Hebræi dicebant, à Dan uſque Berſabee, totam Judæam intelligebant: *Quaſi arena maris innumerabilis, & tu eris in medio eorum*, &c. Hoc conſilium ei placuit, ſcienti à ſuis partibus prope omnes ſtare. Ubi adverte, Chuſai mentem non fuiſſe, ut David tanto numero obrueretur, ſed ut in ea mora poſſet in tutum locum fugere. Non enim tantùm fugiebat, ad Deum placandum, ſicut cenſuit Abulenſis quæſt. 20. in caput 15. lib. 2. Reg. ſed quòd verè timeret, ne eſſet impar hoſtibus. Sic enim ait David, ibid. ℣. 14. *Surgite, fugiamus: neque enim erit nobis effugium à facie Abſalom; feſtinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impellat ſuper nos ruinam, & percutiat civitatem* (Jeruſalem, quæ antonomaſticè civitas vocabatur ab Hebræis) *in ore gladii*. Quod deplorans Salvianus lib. 2. de providentia ſic loquitur: *Quale illud fuit, cùm tantus Rex, tanti nominis, cunctis Regibus altior, Mundo major, omnes admodum ſuos cum pauciſſimis ſuis fugeret*; Sed cauſam aſſignat S. Chryſoſtomus in Pſal. noſtr. Fugiebat, inquit, David Filium ſuum, quoniam caſtitatem fugerat: fugiebat filium, quoniam matrimonium pudicum violaverat. Fugiebat filium, quoniam legem Dei, quæ dicit: Non occides, non adulterabis, fugerat, quoniam alienam agnam in domum ſuam introduxerat, & ejus paſtorem interfecerat: qui erat è domo ſua agnus, paſtorem cornu petebat. Alienæ domui bellum intulit, ſed ex domo ſua in ipſum bellum incitatur, &c. Annota tamen cum noſtro Saliano anno Mundi 3009. regni Davidis 30. numero 12. in ea fuga quatuor Davidis virtutes. Primò, amorem boni principis erga populum ſuum, cujus ſalutem & incolumitatem honori proprio antetulit, dum elegit exprobrabilem fugam, qui in Sione, & in civitate David cum Cerethæis & Pheletæis, & lectiſſima ſexcentorum militum manu ad multos annos obſidionem ferre potuiſſet. Secundò, timorem Dei, Vindicis peccatorum ejus, quem non dubitavit hoc contra ſe flagellum quatere ac vibrare, & tyranno contra ſe victoriam largiturum, quibuscumque tandem copiis domi foriſve cinctus eſſet. Tertiò, eximiam demiſſionem animi, hanc pœnam & confuſionem humiliter acceptantis, imò & augentis, ut qui pedes cum omnibus ſuis, imò & nudis pedibus abiret. Quartò, ſingularem patientiam & manſuetudinem verè Davidicam: qui in tam repentina perturbatione atque confuſione rerum, in tam nefario filii ſcelere, in tam atroci injuria ſua, nullam impatientiæ vocem effudit: nullam contra ingratiſſimum, omnibuſque ſuppliciis digniſſimum filium querelam. Itaque notat Theodoretus quæſt. 39. in 2 Reg. 19. Filium non vocari à Davide parricidam aut fratricidam, ſed Regem.

Secundò, in hoc Abſalonis bello Deus punivit crudelitatem Davidis in cæde Uriæ mariti Bethſabææ & delectationem in adulterio, per gravitatem calamitatis: unde dicit, Domine! quid multiplicati ſunt, *qui tribulant me!* Hebr. צרי *ſarai*, id eſt, anguſtiatores, compreſſores, coarctatores mei, in anguſtias redigentes me, obſeſſores mei. Rad. *ſar*, obſidere, arctare, in anguſtias redigere. Syr. *aluſai*, *oppreſſores mei*. S. Hier. *hoſtes mei*. Arab. *qui me contriſtant*. Sept. θλίβοντές με prementes, ſtringentes, elidentes me. Hinc uvæ apud Heſychium dicuntur θλίβεσθαι, comprimi in torcular & elidi: item Matth. 7. 63. τεθλιμμένη ὁδὸς, eſt via ſtricta. Vox autem latina *tribulo* dicitur à tribulis, id eſt, carduis, ut ait S. Thomas, quòd aculeatis & mordentibus punctionibus atque urentibus ab hoſtibus David vellicaretur. 2. A ſtimulo ferreo, formæ tetragonæ, qui, quamcunque in partem incubuerit, aculeum ſemper infeſtum protendit. 3. Et meliùs, à tribulo inſtrumento ruſtico, quo frumenta olim terebantur. Varro lib. 1. cap. 55. *Tribulum fit è tabula lapidis, aut ferro aſperata, quod impoſito auriga, aut pondere grandi trahitur jumentis junctis, ut diſcutiat è ſpica grana*. Et S. Iſidorus lib. 20. cap. 14. Tribula genus vehiculi, unde teruntur frumenta, ob hoc ita vocatur, & Columella lib. 2. cap. 21. ait:

Et ſi pauca juga ſunt, adjicere tribulam & traham poſſis, quæ res utraque culmos faciliimè comminuit. Nota, tribulum ipſum ſive tribula ab aliquibus cenſetur ob tria latera ſic appellari: ſed meliùs à græco verbo τρίβω, quod apud Demoſthenem ac Dioſcoridem ſignificat terere, conterere, comminuere, contundere: ſicque Ariſtoteles dicit, ἄλευρον τρίβειν, qui farinam ſubigit, ac pugno tundit, & Iliad. V. ad rem magis ait, boves τρίβειν, id eſt, triturare fruges. Sicut etiam tribulo per metaphoram ponitur pro affligo, vexo, dolore afficio & labore, ita quoque τρίβω ſumitur à Thucidide lib. 8. ac Plutarcho.

12. Luxuria penè omnia regna evertit. 1. Imperium Aſſyriorum.

Moraliter nota 1. Omnia penè imperia atque regna ob luxuriam eſſe everſa. Hoc patet in imperio Aſſyrio, Babylonico, Perſico, Græco, & Romano.

Primum imperiorum omnium & antiquiſſimum fuit imperium Aſſyriorum, quod incepit anno Mundi 1932. Poſt diluvium 276. Ante Chriſtum 2151. Duravit uſque ad Sardanapalum, quem ethnici ſcriptores ultimum ejus Regem ponunt, annos 1304. Nam Sardanapalus vivebat tempore Oziæ Regis Juda, & Jeroboami XI. Regis Iſraël. Dejectus eſt ſolio per Arbacem, Medorum Præfectum, qui alios ad defectionem incitavit, repræſentata ipſis vita ejus effœminata. Rem ſic narrat Juſtinus lib. 1. *Poſtremus apud Aſſyrios regnavit Sardanapalus, vir muliere corruptior. Ad hunc videndum (quod nemini ante eum permiſſum fuerat) præfectus ipſius Medis præpoſitus, nomine Arbactus, cùm admitti magna ambitione ægrè obtinuiſſet, invenit eum inter ſcortorum greges purpuram colo nentem: & muliebri habitu cùm mollitia corporis & oculorum laſcivia omnes fœminas anteiret, penſa inter virgines partientem. Quibus viſis indignatus tali fœminæ tantum virorum ſubjectum: tractantique lanam, arma portantes parere, progreſſus ad ſocios ſuos, quid viderit, refert. Negat ſe ei parere poſſe, qui ſe fœminam malit eſſe, quàm virum. Fit igitur conjuratio, bellum Sardanapalo infertur: quo ille audito non ut vir regnum defenſurus, ſed ut metu mortis mulieres ſolent, primò latebras circumſpicit: mox deinde cum paucis & incompoſitis in bellum progreditur. Victus in regiam ſe recipit, & extructâ pyrâ ſe & divitias in incendium mittit, hoc ſolo imitatus virum*. Alii dicunt per regium ducem ter prælio fractos rebelles, ſed adjuncto ſibi Bactrianorum exercitu victores tandem extitiſſe. Nota autem ex Scripturis, certum eſſe, Ninivem non prorſus eſſe deſtructam illo bello; ſed in ea regnâſſe Phul tempore Oziæ Regis Juda, & illi Manahem Regem Iſraël fuiſſe vectigalem. 2. Theglath Phalaſar, tempore Joathan filii Oziæ ibi imperâſſe, & tribum Ruben, Gad, & dimidiam tribum Manaſſe, tribum Nephtali, Aſer atque Zabulon in Aſſyrios tranſtuliſſe. 3. Salmanaſar, tempore Ezechiæ filii Achaz, qui Samariam ſedem Regum Iſraël evertit, & totius regni incolas in captivitatem Aſſyriacam deduxit. 4. Sennacherib, qui anno 16. Ezechiæ amiſit unâ nocte in Judæa 185. militum millia. 5. Aſarhaddon, filium Sennacherib, in quo funditùs periit illud imperium, quod duravit annos 1405. Nota 2. Dici tamen ab aliquibus in Sardanapalo periiſſe imperium Aſſyriorum, quia gloria ejus intercidit. Nam Arbaces ſummo jure obtinuit Mediam, Beleſus Babyloniam, Phul Aſſyriam: ipſe enim etiam, ut probabile eſt, in Sardanapalum rebellaverat, atque, ut erat magni vir animi, cadens imperium erexit.

13. 2. Imperium Babyloniorum.

Secundum imperium fuit imperium Babyloniorum, quod cepit anno Mundi 3333. Ezechiæ Regis Juda 25. Romuli & Urbis conditæ 32. Ante Chriſtum 720. Ejus primus Imperator fuit Merodach, qui Aſarhaddonem acie victum regno & vitâ privavit, & ſedem imperii Babylonem tranſtulit. Cùm illud imperium magno ſplendore in Aſia penè tota viguiſſet annos 183. Luxuria Balthaſaris interiit. De Balthaſare jam 55. annos regnante habetur Dan. 5. Eum in convivio optimatum mille & concubinarum ſuarum ſententiam mortis in ſe

 decretam

decretam vidiſſe, cùm temulentus in vaſis aureis & argenteis templi Jeroſolymitani vinum concubinis ſuis propinaret. De verbis, Mane, Thecel, Phares viſis in pariete, & à Daniele explicatis, vide v. 25. & ſeqq. Modum, quo Babylon capta eſt, a Cyro & Dario, refert Herodotus in Clio: *Revocato*, ait, *flumine Euphrate, alveum ejus priſtinum vado tranſibilem reddidit, &c. Ex inopinato Babyloniis Perſæ aſtiterunt, & cùm capti eſſent, quia media urbis incolebant Babylonii, propter eius magnitudinem non ſentiebatur, ut fertur ab iis, qui circa extrema habitabant. Sed quod fortè dies feſtus illis eſſet, exercendis choreis atque oblectationibus operam dabant, donec planè captam urbem reſciverunt.*

13. 3. Imperium Perſicum. Tertium fuit imperium Perſicum, quod incepit anno Mundi 3516. Urbis conditæ 215. Ante Chriſtum 537. Ejus primus Imperator fuit Cyrus, qui Solem ſignificat: licèt enim capta Babylone imperium præcipuum reliquerit Dario Medo ſocero ſuo & ſeni ſexagenario: quia tamen Babylone ipſe ſubſtitit, Darius in Mediam abiit, ibique eodem anno eſt mortuus, & Cyrus erat in Perſide natus, primus Rex ordinariè dicitur illius imperii. Tunc maxima erat Perſarum frugalitas & continentia, ut videre licet apud Xenophontem. Per luxuriam verò everſum eſt. De ultimo eorum Rege Dario Arſami filio, qui priùs dicebatur Codomanus, ut placet Juſtino, & fuit frater Artaxerxis, ut cenſet Diodorus, pudet referre, quæ habet Athenæus ex epiſtola Parmenionis: ait enim inventas ejus pellices pſaltrias trecentas viginti novem. Curtius lib. 3. cap. 7. *Cultus*, inquit, *Darii Regis luxuria notabatur.* Purpureæ tunicæ medium album intertextum erat, pallam auro diſtinctam aurei accipitres velut roſtris inter ſe corruerent, adornabant, & zonâ aureâ muliebriter cinctus acinacem ſuſpenderat, cui ex gemma erat vagina, &c. Luxuria in veſtibus inducit luxuriam in corpus, eſt tinea illud exedens, de impuritate portentoſa ſubditorum Darii habes, Curt. l. 5. c. 5. ubi agit de conviviis Babyloniorum. Devicti autem ſunt à caſtiſſimo Alexandro, ut ruinæ cauſa meliùs videretur. Plutarch. in vita ejus: *Pulcherrimum*, ait, *& maximè rege dignum beneficium ejus in fœminas generoſas captivas & caſtas extitit, quòd nihil neque audirent, neque ſupplicarentur, neque expectarent turpe: ſed quaſi non in hoſtium caſtris, sed,* ἐν ἱεροῖς καὶ ἁγίοις παρθενῶσι, *in ſacris & ſanctis Veſtæ templis ſervatæ, in abdito extra aliorum oculos agerent.* Et quidem perhibetur Darii conjux omnium reginarum fuiſſe venuſtiſſima, ut virorum ille pulcherrimus & eminentiſſimus: filiæ autem fuiſſe ſimiles parentum. Sed Alexander profectò, τῷ νικᾶν πολεμίους, τὸ κρατεῖν ἑαυτοῦ βασιλικώτερον ἡγούμενος, *temperare ſibi, quàm hoſtes vincere magis regium ducens, has non attigit.* Et paulò pòſt ſubdit: Cæteras captivas, ut vidit Alexander, ſpecie & ſtaturâ eximias, dixit joco, quàm magni, ἀλγηδόνες ὀμμάτων, dolores oculorum ſunt fœminæ Perſicæ. Ad æmulationem verò illarum formæ, nitorem oſtentans ſuæ continentiæ & moderationis, ὥσπερ ἀψύχους εἰκόνας ἀγαλμάτων, *ſicut inanimatas ſignorum imagines eas tranſmittebat.* Vide alia ibi. Duravit illud imperium annos 208. à pauciſſimis copiis eſt everſum: nam in ultimo prælio ad Arbelam, cenſet Arrianus Alexandro tantùm fuiſſe ſeptem equitum millia & peditum millia quadraginta: Dario autem aſſignat, quadraginta equitum millia, peditum decies centena millia, currus falcatos ducentos & Indicos elephantos quindecim.

14. 4. Imperium Græcorum. Quartum imperium fuit Græcorum, quod incepit anno Mundi 3724. Olympiadis 112. Anno 3. Urbis conditæ 425. Ante Chriſtum 329. Primus ejus Imperator fuit Alexander, qui caſtitate imperium obtentum, luxuria perdidit, & quidem citiſſimè: mortuus eſt enim ſeptimo imperii ſui anno: ætatis 32. expleto & 33. inchoato, de eo Curtius lib. 6. cap. 2. Ut primum, ait, inſtantibus curis laxatus eſt animus, militarium rerum quàm quietis otiique patientior, *excepêre eum voluptates, & quem arma Perſarum non fregerant, vitia fregerant.* Intempeſtiva convivia & perpotandi pervigilandique inſana dulcedo, ludique, & greges pellicum, omnia in externum lapſa morem; quem æmulatus quaſi potiorem ſuo, ita popularium animos oculoſque pariter offendit, ut à pleriſque amicorum pro hoſte haberetur. Tenaces quippe diſciplinæ ſuæ, ſolitoſque parco ac parabili victu ad implenda naturæ deſideria defungi, in peregrina & victarum gentium mala impulerat. Hinc ſæpiùs comparatæ in caput ejus inſidiæ, ſeceſſio militum, & liberior inter mutuas querelas dolor. Ipſius deinde nunc ira, nunc ſuſpiciones, quas excitabat inconſultus pavor. Ita Curtius.

Omitto Antiochi mollitiem, qui Aſiæ partem perdidit à Scipione Aſiatico victus. Perſei ultimi regis Macedonum, à Paulo Æmilio devicti, & in triumphum ducti, effœminatum animum ac ſcelera.

Ultima omnium, qui ab Alexandri ducibus ortum habuerunt, & regnaverunt, fuit Cleopatra Ptolomæi Auletis filia, Ægypti regina: hæc ita ſeſe libidini dedit, ut ex C. Julio Cæſare furtivè ſuſceperit Cæſarionem, ex Antonio autem duos alios liberos. Antonius illius blanditiis ineſcatus bellum Parthicum malè geſſit. Nam cùm, ut ait Appianus in Parthicis, in exercitu haberet ſexaginta peditum millia, ex aliis verò gentibus auxiliarium triginta millia, connumeratis equitibus, & levis armaturæ milite, præmaturo tempore movit, & victus eſt, *quod mente ſuâ alienatus, atque* ὑπὸ φαρμάκων τινῶν ἢ γοητείας, *ex medicamentis & præſtigiis,* illam perpetuò reſpectans, plùs ad maturiùs revertendum, quàm ad ſuperandos intentus eſſet hoſtes. Euntem Antonium illius ipſius Cleopatræ inſanus amor in Actiaca pugna de ſana mente dimovit. Nam, ut ait Plutarch. in Antonio, nondum decreto, ſed communi adhuc Marte, repentè ſexaginta Cleopatræ naves conſpectæ vela ad diſceſſum dare, ac per medios fugam arripere pugnantes. Nam magnis navibus à tergo locatæ fuerant, perrumpenteſque impetum ciêrunt. Hoſtes obſtupefacti viderunt eos petentes ſecundo vento Peloponneſum. Antonius nec ducis, nec viri, nec ſuo ductus conſilio, ſed (quod ludens quidam dixit, amantis animam in alieno corpore vivere) (*raptus à fœmina eſt,* ὥσπερ συμπεφυκὼς καὶ συμμεταφερόμενος, *tanquam ei conglutinatus foret, & unà cum illa moveretur.* Nam ſimul atque navem contemplatus eſt, illius vela facientem, omnium oblitus, proditus & deſertis illis, qui pro ipſo certabant, atque animam profundebant, conſcendit quinqueremem. Alexandro Syro & Scellio ſolis comitibus, & ſecutus eſt, ἀπολωλεκυῖαν καὶ συναπολοῦσαν, *perditam, & perdentem ipſum.* De iis poſſis dicere cum Sophonia, cap. 1. 17. *Tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt, & effundetur ſanguis eorum ſicut humus,* (Tigurina ut pulvis) *& corpora eorum ſicut ſtercora.* Dan. 8. 5. Alexander vocatur hircus caprarum, id eſt, hircus juvenis: ſolent enim Hebræi expreſſo matris nomine in genitivo animalia juvenilia exprimere. Danielis verba ſunt: *Ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente ſuper faciem totius terræ, & non tangebat terram: porrò hircus habebat cornu inſigne inter oculos ſuos.* Primò, hircus dicitur Alexander ob libidinem Græcorum, ut ait Rupertus: ſucceſſorum ejus ſcilicet. Secundò, hircus caprarum vocatur, quia incepit regnare juvenis, viginti annos natus: & quia eâ ætate major eſt vis concupiſcentiæ. Tertiò, venit ab Occidente, id eſt, à corpore morituro, ut perdat animam immortalem. Quartò, currit ſuper faciem totius terræ, luxuria enim eſt inſatiabilis, & faciem tantùm ac ſuperficiem ſpectat, internam putredinem non intuetur. Quintò, non tangit terram, quia nihil habet ſolidi. Sextò, habet cornu inter oculos, quia luxurioſus præſertim percutit & percutitur aſpectu. *Oculi ſunt in amore duces.* Antonius, ut dixi, videns Cleopatram, ab ea divelli non potuit, & Actiacam illam pugnam amiſit, poſtquam Auguſtus ſolus pacatus Romanum imperium poſſedit. Duravit autem Græcorum imperium annos 289. Occidit

Olym-

Olympiadis 174. Anno 1. Urbis conditæ 669. Ante Chriſtum 83. Nota, imperio Alexandri aſſignari annos 19. licèt ipſe tantùm regnârit 7, ſed id fieri, quia familia Alexandri in Aridæo Rege Macedoniæ ejus fratre, & in matre Olympiade aliquo modo ſtabat. Nota ſecundò, regnum ſeu imperium Græcorum inchoari anno Mundi 3743. Olymp. 117. Anno 2. Urbis conditæ 442. Ante Chriſtum 310. Cùm Seleucus recuperatâ Babylone dominari cepit, & neminem ſuperiorem agnoſcere: itaque idem eſt initium æræ Seleucidarum & Imperii Græcorum, quod ſic duravit annis 228. id eſt, annis viginti pluſquam Perſicum: ſi ab Alexandro initium ſumas, duravit annis 247. deſiit in Philippo, ſicut Macedonum gloria inceperat ſub Philippo patre Alexandri: & Romanum, quod cepit ſub Auguſto, deſiit in Auguſtulo: à Cajo quidem Cæſare incipere potes Rom. Imp. ſed dictator tantùm, non imperator fuit appellatus.

15. 5. Imperium Romanorum. Quintum denique eſt Romanum imperium, quod virtus amplificavit, luxuria perdidit, ac barbaris tradidit, ut fusè probat Salvian. l. 7. de providentia, ubi oſtendit Hiſpan. Romanos, Gallos, Afros fuiſſe impuriſſimos, cùm traditi ſunt hoſtibus: Notabilius eſt ad rem noſtram, quod notat Vandalos non viribus ſuis, ſed caſtitate Hiſpanias occupâſſe. *Quid, ait, Hiſpanias nonne vel eadem, vel majora forſitan vitia perdiderunt? Quas quidem cæleſtis ira, etiamſi aliis quibuslibet barbaris tradidiſſet, digna flagitiorum tormenta toleraverant puritatis inimici. Sed acceſſit huc ad manifeſtandam illic impudicitiæ damnationem, ut Vandalis potiſſimum, id eſt, pudicis barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hiſpanorum captivitate Deus oſtendere voluit, quantum & odiſſet carnis libidinem, & diligeret caſtitatem: cùm & Vandalos ob ſolam maxime pudicitiam illis ſuperponeret, & Hiſpanos ob ſolam vel maxime impudicitiam ſubjugaret. Quid enim? Numquid non erant in omni Orbe terrarum barbari fortiores, quibus Hiſpania traderentur?*

16. Reges ob luxuriam puniti. Mitto in Francia Childericum ob impudicitiam regno à ſuis ſubditis expulſum: in Hiſpania Theudericum, ſive Theodoricum ultimum regem Gothorum ob Cavam Juliani Comitis filiam violatam, à Juliano proditum, à Mauris victum & ſolio detruſum atque occiſum. Mitto reliquorum regnorum innumeras clades, ab hac luxuriæ furia importatas. Satis ſit de imperiis nunc egiſſe: de illa fuſiùs agam, Pſ. 37.

17. Vita eſt certamen. Nota 2. Vitam hanc eſſe continuum certamen in tentatione, quæ ex omni parte in hominem inruerunt, Pſ. 55. 3. *Conculcaverunt me inimici mei* (S. Hieron. inſidiatores mei: Felix, abſorbuerunt me tribulantes me) *totâ die, quoniam multi bellantes adverſum me*. S. Hier. vertit, multi, qui pugnant contra me, Altiſſimè: ad rem noſtram magis eſt Symmachi verſio οἱ πολεμοῦντές μου ὑψηλότεροι, qui impugnant me, ſunt altiores, ſeu ſuperiores me. Junxerunt verſum ſequentem huic, ſequitur enim ℣. 14. *Ab altitudine diei timebo*, id eſt, vel in ipſa luce meridiana & cœleſti timebo, ne Sol occidat in meridie: & ipſa lux nimia oculos excæcet, atque in ſuperbiam elatum in foveam præcipitet.

Origenes quoque, S. Auguſt. Euthymius & alii Pſalmum, quem verſamus, exponunt de quovis, variis tentationibus jactato, poteſt enim dicere: *Domine, quid multiplicati ſunt, qui tribulant me? Multi inſurgunt adverſum me.* Cæſarius quoque refert, dæmones ita hunc Pſalmum eſſe execratos, ut illum canentes ferre non poſſent, ſed canentium choros perturbarent, ne concordes & conſoni illum perficerent: itaque de ſe hæc homines tentantibus intelligi arbitrantur. Eos conferre poſſis exercitui Chaldæorum, (Hebr. Chaldæi vocantur כשדים *caſdim*, id eſt, quaſi dæmones) de quo Joël 1. 6. *Gens enim aſcendit ſuper terram meam, fortis & innumerabilis: dentes ejus ut dentes leonis: & molares ejus ut catuli leonis.* Hunc exercitum prius comparaverat locuſtis: unde in metaphora pergens, ſubdit ℣. 7. *Poſuit vineam meam in deſertum, & ficum meam decorticavit:* locuſtæ arrodunt arborum cortices, qui ſuccum caloremque arborum quaſi veſtes fovent & continent, additur: *Nudans ſpoliavit eam, & projecit, albi facti ſunt rami ejus*, ſicque areſcunt.

Cùm autem tentatio tentationem ſequitur; exclama cum eodem Propheta Joël cap. 1. 4. *Reſiduum erucæ* (Hebr. גזם *gazam*, ſucciſoris, toſoris, vernaculè *chenille*: Sept. κάμπη) *comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus*, (Hebr. ילק *comeſtor*, ut vertit Aquila cap. 3. Nahum: eſt parva locuſta inſtar vermis; itaque, cùm alis careat, omnia depaſcitur uſque ad radicem) *& reſiduum bruchi comedit rubigo*, ſive robigo, ærugo, ſeu aurugo: eſt vitium ſegetum ex corrupto aëre, & quaſi earum morbus regius, quo videlicet culmi palleſcunt in modum auri vel æris, ſicque paulatim areſcunt atque evaneſcunt. S. Hier. ad rem noſtram aptè, erucam, locuſtam, bruchum, rubiginem, ait eſſe quatuor paſſiones, nempe gaudium, triſtitiam, ſpem & metum, quibus continuò mens hominis agitatur. Sic enim ait: *Cavendum eſt, ne ægritudo quaſi eruca nos comedat. 2. Ne locuſta vaſtet in gaudio, hùc illùcque volitantes, & geſtiens lætitiâ per diverſa ſe jactant. 3. Ne bruchus, id eſt, pavor & futurorum metus radices ſapientiæ devoret. 4. Ne rubigo & deſiderium futurorum res inutiles concupiſcat, & nos perferat ad ruinam: ſed ut in omnibus quatuor quadrigas, & quatuor cornua, & quatuor equos, rufos, & varios, & albos, & nigros: id eſt, vel adverſa, vel proſpera, vel ex utroque ſociata frænis ſapientiæ gubernemus.* Ac poſteà ſubtexit: Ego reor erucam eſſe incipientem in animo paſſionem, quæ tarda eſt, & diſcurrere non poteſt: & mora ipſa ac pertinacia ebibit & exugit omnem vigorem: quam ſi non occiderimus, in nobis creſcit, & avolat, & nunc devorat, quicquid attigerit, nunc ſemeſa dimittens, pergit ad alia, revertensque ad priſtinam ſedem bruchus efficitur; ut non ſolùm fruges, & folia, & cortices, ſed & ipſam medullam devoret tarditate. Ita S. Hier. Secundò, erucam, locuſtam, bruchum & rubiginem, ait S. Gregor. lib. 33. Mor. cap. 27. eſſe luxuriam, inanem gloriam, gulam & iram, quæ continuatis eroſionibus animam corrumpere moliuntur. *Quid, ait, per erucam, quæ tota corpore in terra repit, niſi luxuria deſignatur: quæ cor, quod tenet, ita polluit, ut in ſuperiorem munditiam ſurgere amorem non poſſit? Quid per locuſtam, quæ ſaltibus evolat, niſi inanis gloria exprimitur, quæ ſe vanis præſumptionibus exaltat? Quid per bruchum, cujus pene totum corpus in ventrem colligitur, niſi edendi ingluvies figuratur? Quid per rubiginem, quæ, dum tangit, incendit, niſi ira innuitur? Reſiduum ergo erucæ locuſta comedit: quia ſæpè, cùm luxuriæ vitium à mente receſſerit, inanis gloria ſuccedit. Nam, quia jam per amorem carnis non ſternitur, quaſi ſanctam ſe ex caſtitate gloriatur. Et reſiduum locuſtæ bruchus comedit: quia ſæpè cum inanis gloria, quæ quaſi ex ſanctitate veniebat, reſiſtitur, vel ventri, vel quibuslibet ambitionis deſideriis immoderatiùs indulgetur. Mens enim Dei neſcia, tantò atrociùs ad quemlibet ambitum ducitur, quanto nullo vel humanæ laudis amore refrænatur. Reſiduum bruchi rubigo conſumit: quia ſæpe, dum ventris ingluvies per abſtinentiam reſtringitur, ira impatientiæ acriùs dominatur, quæ more rubiginis quaſi exurendo meſſem comedit: quia virtutum fructus impatientiæ flamma tabeſcit. Cùm ergò vitia vitiis ſuccedunt, agrum mentis alia peſtis devorat, dum alia relinquit.*

2. Multitudinem quoque tentationum poſſis conferre locuſtis Ægypti, ranis, ciniphibus & cœnomiæ, id eſt, muſcæ omnis generis, de quibus agitur Pſ. 77. & 104. & quidem Pſ. 104. 34. *Dixit, & venit locuſta & bruchus, cujus non erat numerus*, Exod. 10. 14. Dicuntur locuſtæ fuiſſe innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec poſteà futuræ erant: addit David verſu 35. effectum tentationum non expulſarum. *Et comedit omne fœnum* (Hebr. עשב *eſeb*, herbam virentem) *in terra eorum: & comedit omnem fructum terræ eorum.* Theodotio, κατέφαγε, devoravit. Herba virens, eſt bonum deſiderium; fructus, eſt bonum opus: utrumque tollere nititur dæmon aut caro per tentationem. De luxuria poſſis interpretari, quæ

18. Tentationes ſibi ſemper ſuccedunt.

1. Sunt eruca, locuſta, bruchi, rubigo.

2. Locuſta Ægypti, rana, &c.

carnem exedit & corrumpit. Omnis autem caro fœnum, Iſa. cap. 40. 6.

3. Apes furentes. 3. Tentationum multitudo, acerbitas, & fucata dulcedinis ſpecies aptè exprimetur apum ſymbolo furentium, & undique hominem impetentium, Pſ. 117. 12. *Circumdederunt me ſicut apes*, aculeum paratum, mel inde tibi compara. Vide illum locum: *Et exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* S. Hier. *exſtincta ſunt, quaſi ignis ſpinarum:* qui tentare te volunt, in te ut in ſpinam incidant, & citò deſinent tibi moleſti eſſe, monet Author Eccl. 28. ℣. 28. *Sepi aures tuas ſpinis*, Græca habent, *vide, ſepi poſſeſſionem tuam ſpinis.* Vide locum, quo ſingularis ferus in vineam tuam irrumpit, & illum obſtrue ſpinis. S. Hilarius in Pſalm. 140. legit: *Ecce circumvalla* (id ſonat περίφραξον) *poſſeſſionem tuam ſpinis*, id eſt, corpus tuum cilicio & continua mortificatione: ſic bonam poſſidebis poſſeſſionem. Circumdant nos dolores mortis, id eſt mortiferi, Pſ. 17. 5. Circumdant mala, quorum non eſt numerus, Pſal. 39. 13. teipſum circumda, & murum hoſti objice. Michæas & Elias non timent 450. Pſeudo-Prophetas Baal, neque Eliſæus innumeros milites Benadad Regis Syriæ obſidentis eum in Dothan, & terrentes Giezi adhuc puerum: vir eſto, non timebis: ſed videbis pro te ſtantem Dei exercitum igneum, id eſt charitatem Dei & Angelorum.

4. Venti concutientes domum filiorum Job. 4. Venti ex omni parte concutientes domum filiorum Jobi, Sabæi, boves & aſinas deprædantes, ignis oves conſumens, Chaldæi camelos invadentes; denotant & figurant tentationes & calamitates, alias ex aliis naſcentes, & quietis nullam partem relinquentes. Ac primò, Sabæi qui irruerunt in terram Hus, ubi regnabat Job, & acceperunt ejus boves & aſinas, erant ex Arabia felici: eos enim ſolitos excurrere in Syriam & Arabiam petræam tradit Strabo lib. 16. Nota, Saba modò ſcribitur per ש *ſchin*, & ſignificat Arabiam Felicem, ut vult Janſenius, aut Æthiopiam Abyſſinorum, ut Genebrardus, modò verò per ס *ſamech*, & ſignificat Æthiopiam, ut placet Janſenio: aut Arabiam Felicem, ut Genebrardo, ſeu potiùs quocumque modo ſcribatur nunc pro Æthiopia, nunc pro Arabia ponitur: ſchin enim & ſamech ſunt literæ permutabiles. Nota ſecundò: Tropologicè, ſi Sabæi per ſchin ſcribantur, ſignificant captivantes, captivum abducentes, & ſunt ſymbolum mundi divitiis ornati, aromatibus ſuave fragrantis, & ad ſe allicientis, atque Arabiam ſuam eſſe Felicem oſtentantis, Matth. 4. 9. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me:* ſed ſi trahit imaginaria felicitas, cognoſce illam eſſe in Arabia, quæ ſignificat: 1. Amœnitatem, ſuavitatem, dulcedinem. 2. Veſperam, tenebras, obſcuritatem. 3. Solitudinem, deſertum. Mundus amœnus eſt, ac lucidus, ſed in tenebris exiſtenti & in rebus tenebroſis; lignum eſt lucens, ſed in caligine & ob putredinem. Tota mundi amœnitas, citò fiet deſertum & ariditas. Itaque noſtrum Regem audi Pſal. 4. 3. *Filii hominum uſquequò diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Nota tertiò, *Sabæi*, ſi per ſamech ſcribas, ſignificant bibaces, ebrios, inebriantes, & ſunt, ut vult Mercerus, Pagn. & jam nominatus Janſenius, Æthiopes. Hi ſunt ſymbolum carnis, delicias gulæ quærentis; & ſunt Æthiopes, id eſt ardenti & combuſta facie: Amos 9. 7. ab αἴθω, uro, & ὤψ, facies, vultus, aſpectus, oculus. Bacchi larvas jure diceris ebriorum facies. Nota quartò, Sabæis illis etiam dæmones tentantes figurari. Nam tradit Origenes, & eſt valdè probabile, hos non fuiſſe Arabes, ſed dæmones formam eorum & habitum mentitos. Nota quintò, ignis oves in cinerem redigens, eſt caro per luxuriam perdens innocentiam; cadit ignis ille de nubibus, id eſt de aqueis humoribus: eſt ignis græcus, in aqua ardens, Pſal. 148. 8. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum*, (id eſt procelloſus. S. Hier. vertit, ventos, turbo) *quæ faciunt verbum ejus:* hæc Deum laudant; ſed ignis ſulphureus Sodomæ, malè olet, & animam perdit. Pſal. 10. 7. *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum:* bibunt iniquitatem ſicut aquam, ſed poſteà tempeſtates & naufragia patiuntur. Nota ſextò, Chaldæorum tres turmæ, quæ camelos furantur, ſunt dæmones, qui in principio, medio, & fine actionis expectant & rapiunt prædam. Chaldæi Hebræis dicuntur כשדים *chaſdim*, id eſt prædatores, vaſtatores, direptores, ſpoliatores, deſtructores: hæc ſunt diaboli officia. In ſacris Literis Babylonii & Chaldæi pro iiſdem accipiuntur, ut patet Ezech. 12. 13. *Adducam eum in Babylonem, in terram Chaldæorum.* Ratio eſt, quia, ut ait Plinius lib. 6. cap. 26. Babylon erat Chaldaicarum gentium caput. Dæmones ſunt etiam Babylonii, id eſt confundentes & confuſi. Tres eorum turmæ poſſunt dici tentationes tres generales, ſub quibus aliæ continentur, 1 Joan. 2. 16. *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Nota ſeptimò, Ventus vehemens irruens à regione deſerti, & concutiens quatuor angulos domus, eſt tentatio continua, quæ cuique magis eſt propria & naturalis, ac durat intrà vitâ, agitans quatuor vitæ partes: nempe adoleſcentiam, juventutem, virilem ætatem, & ſenectutem, vel, totum diem ac noctem: eas enim Hebræi & Romani dividebant in 4. partes. Job ipſe ait cap. 30. 17. *Nocte os meum perforatur doloribus.* (Nicetas vertit, oſſa exuſta. S. Aug. contuſa. Sept. confracta, *& qui me comedunt, non dormiunt.*

Nota 3. Si tentationibus reſiſtis, de illis noli triſtari; ſunt exercitium & cos virtutis, & ſignum amoris divini, ut in Paulo accidit, 2 Cor. 12. 7. Ventus eſt neceſſarius, ut portum teneas, malacia ſæpè eſt pejor ipsâ tempeſtate: non tentari eſt quædam reprobatio, &, velut ignavi, neglectus. Sophon. 2. 1. *Convenite, congregamini gens non amabilis.* Arab. Antioch. *gens quæ non probatur*, id eſt, ut explicat Corn. gens quæ tentatione non examinatur. Syr. *gens non correpta.* Hinc enim fit 1. ut ad divina contemplanda, & modos belli gerendi, mentem non advertat. Sept. vertunt, *gens ineruditα.* Arab. Alex. *gens inſipiens:* Secundò, ut ſecuram ſe videns ad Deum non aſpicet, neque ex hac vita in cælum pergere optet. Tigurina reddit, *gens non deſiderans.* Tertiò, ab hoſte ſe urgeri anima non ſentiens, cum tanta celeritate viam mandatorum Dei non decurrit. Chald. habet: *Generatio nolens converti ad legem.* Non priùs David fit gener Regis, quàm illi ſe oppoſuerit Goliath gigas, nec tanto ardore ad Deum recurriſſet, niſi eum Saul, Abſalon, aliique eſſent perſecuti; cecidit cùm deambulabat hoſtium victor ſupra ſolarium in meridie, id eſt in magna & ſumma rerum ſuarum proſperitate ac ſplendore. JEſus ipſe tentari voluit, priuſquam miracula faceret, & mundum converteret, ut tentatio videretur eſſe radix mirabilium operum ac virtutum, Matth. 4. 1. *Tunc JEſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo* Nota 1. Tempus quo ivit, *tunc*, id eſt ſtatim à Baptiſmo, ut eodem die 6. Januar. ut intelligas etiam puriſſimos à diabolo tentari. Nota 2. Modum quo ivit *ductus eſt*, ut non dubites te habere comitem qui adjuvet: Græcè ἀνήχθη, ſubductus eſt, à turba ſcilicet populi; ut diſcas fugere poſt laudes & res illuſtres, ſicut Chriſto in Baptiſmo contigerant. S. Marc. 1. 12. *Statim Spiritus expulit eum*, ut vim, efficaciam gratiæ, & promptitudinem atque alacritatem Chriſti videas. Nota tertiò, eum qui ducit, *à Spiritu* ſancto ſcilicet: vox enim Spiritus, cùm abſolutè ponitur, ſignificat Spiritum ſanctum, ut Didymus, & S. Hier. notant. Syrus vertit, *à Spiritu ſanctitatis*, hoc eſt ſanctiſſimo. Nota quartò, locum, in quem ducitur, *in deſertum*, quod Quarentana dicitur, ut Bredembachius, Salignacus & Adrichomius dicunt, ut ſcias ſicut in cælo tentari ſunt Angeli, in paradiſo Eva, ita te tentari poſſe vel in remotiſſimo deſerto; imò S. Antonium plures vidiſſe dæmones, ſed triſtes, in monaſterio quàm in urbibus, quia plus eſt reſiſtentiæ. Nota quintò, finem ob quem ducitur, *ut tentaretur à diabolo*, id eſt à Lucifero, qui tunc ſolutus eſt è vinculis, ut ſolvetur tempore Antichriſti. *Diabolus* pro dæmonum principe Lucifero ponitur,

19. Tentationes ſunt utiles, ſicut ventus, ut portum teneamus. Non tentari eſt quædam reprobatio, & occaſio torporis.

JEſus tentatur eſt.

Matt.

Matt. 25. 41. Apoc. 12. 9. Sed adverte τὸ *ut tentaretur*, non denotare tentationem directè eſſe intentam à Spiritu S. ſed tantùm permiſſam, & directè intentam eſſe victoriam Chriſti. S. Thomas 3. p. q. 41. a. 1. cauſas affert illius permiſſionis. Primò, ut nobis contra tentationes opem ferret; unde S. Gregorius hom. 16. in Evang. dicit: Non erat indignum Redemptori noſtro quòd tentari voluit, qui venerat occidi. Juſtum quippe erat, ut ſic tentationes noſtras ſuis tentationibus vinceret, ſicut mortem noſtram venerat ſuâ morte ſuperare. Secundò, propter noſtram cautelam, ut nullus quantumque ſanctus, ſe æſtimet ſecurum, & immunem à tentatione. Unde & poſt Baptiſmum tentari voluit: quia ſicut ait S. Hilar. ſuper Matthæum can. 3. *In ſanctificatis nobis maximè diaboli tentamenta graſſantur:* quia victoria magis eſt ei exoptata de Sanctis. Unde, & Eccli. 2. 1. dicitur: *Fili, accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & time, & præpara animam tuam ad tentationem.* Tertiò, propter exemplum: ut ſcilicet nos inſtrueret qualiter diaboli tentationes vincamus. Quartò, ut nobis fiduciam de ſua miſericordia largiretur. Hæc & alia S. Thomas. Advertit autem Auctor Operis imperfecti hom. 5. in Matth. quòd non ſolùm Chriſtus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ſed omnes filii Dei habentes Spiritum S. Non enim ſunt contenti ſedere otioſi, ſed Spiritus ſanctus urget eos aliquod magnum apprehendere opus.

Si tentationes frequentes ſentis, cave conſentias:
20. Multitudo tentationum eſt timenda. omnis multitudo timenda eſt. Quid tenuius arenulâ? Multæ navem mergunt. Quid minus timendum aquæ guttulâ? Multæ omnia diruunt. Vel à moſcis, muribus, cuniculis pulſos ſedibus populos ſcimus. Dæmon, cui nomen eſt legio, (id eſt, cùm ſunt in homine multa dæmonia) manet multis temporibus in loco quem occupavit, & veſtes omnes abripit, nec patitur poſſeſſum in domo manere, ſed in fœtore ſepulcrorum, Luc. 8. 27. Multitudinem dæmonum & vitiorum in anima poſſis deſcribere emblemate Sophoniæ Prophetæ, qui agens de Ninive, quæ ſpecioſam ſignificat, deſtructione, ait cap. 2. 14. *Accubabunt in medio ejus greges, omnes beſtiæ Gentium*, id eſt ad literam, ut S. Hier. exponit, greges & pecora vicinarum nationum. 2. Sed myſticè, gentes hoſtiles & ſævæ, ut Clarius explicat. 3. Dæmones & peccata in anima peccatrice. *Et onocrotalus*, dæmon pigritiæ: nam onocrotalus, qui eſt avis cygno ſimilis, ruditum edit inſtar aſini: ὄνος enim, aſinus: κρόταλον, crepitaculum, ſonitus, κροτᾶν, ſonare: multi divitiis, honoribus, cultu exteriore ſunt cygno ſimiles: & putantur benè cantaturi & eſſe moribus candidis; ſed cùm loquuntur, apparent aſini, ut ille aſinus in fabulis, qui Leonis pellem induerat. 2. Onocrotalus, ſi Hebræa ſpectes, eſt dæmonis gulæ hieroglyphicum: apud Hebræos enim dicitur קאה *Kaa*, id eſt vomens; quia habet in faucibus ingluviem & ſinum inſtar uteri, quo piſciculos cum aqua excipit: ſed aquam removens piſcibus veſcitur. Vide Plin. lib. 10. cap. 47. Addit Sophonias, *& ericius in liminibus ejus morabuntur:* Ericius ſive herinaceus, luxuriam denotat, cùm vocetur Porcellus hortenſis. 2. Iram, cùm ſpinis horreat. 3. Avaritiam, cùm ſit pomorum, quæ ſpinis inſerat, furunculus. Lege Plin. lib. 8. cap. 37. *Vox cantantis in feneſtra*, id eſt, corvus canet in feneſtra domorum Ninives deſertæ, ut quidam explicant: vel meliùs, ut Chald. & Vatablus exponunt, aliæ avicolæ: nam de corvo ſtatim poſteà dicitur, *corvus in ſuperliminari*, id eſt ſupra portam. Corvus eſt ſymbolum invidiæ: aliæ aves cantillantes, vanæ gloriæ, jactantiæ & ſuperbiæ. Pro *corvo* Aquila reddit *gladius*, legerat *horeb*, id eſt gladius: nunc eſt Hebr. חרב *horeb*, quod Chald. Arias, aliique vertunt deſolatio, vaſtitas, æſtus, ſiccitas. Hæc ab invidia oriuntur. S. Hier. de hæreticis & ſchiſmaticis hunc locum Sophoniæ exponit. In hac vita trepidi, & ſemper de ſalute æterna ſolliciti, inclamemus cum Davide noſtro: *Domine! quid multiplicati ſunt, qui tribulant me? Multi inſurgunt adverſum me.* Et Pſ. 24. *Unicus & pauper ſum ego: Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt; de neceſſitatibus meis erue me.*

ARTICULUS II.

Ad deſperationem impellit dæmon, ſed qui ſpem ſuam in Chriſtum conjecerit, ſecurus eſt.

Cum Davidem ſolio dejectum, urbe regia expulſum, terrenis prope auxiliis deſtitutum hoſtes cernerent, à cæleſti quoque ſpe & ope abſtrahere nitebantur, eum ad deſperationem incitantes, Verſ. 2. Verſ. 3. MULTI DICUNT ANIMÆ MEÆ (id eſt mihi, ſed ita, ut animæ intimas medullas penetrent) NON EST SALUS IPSI IN DEO EJUS. S. Hier. non eſt ei redemptio in Deo *in æternum*. Sic vertit vocem Sela, quæ additur in textu Hebraico, & de qua dicitur infrà.

Quæres: Quinam id dicebant? Reſp. cum Ori- 21.
gene & Euthymio, ipſum Abſalonem & miniſtros Quis ibi
ejus hoc omnibus inculcare conatos eſſe, fruſtrà loquitur?
Davidem à Deo auxilia petiturum, à quo ob peccata derelictus eſſet, ut ex tam unanimi totius populi ab ipſo ſeceſſione conſtabat, quæ, niſi auctore Deo, contingere non potuiſſet. Secundò, præſertim arbitror Davidem alludere ad Semei & comites *Semei*
ejus: de illo enim dicitur 2 Reg. 16. 5. *Venit Rex* *graviter*
David uſque Bahurim, oppidum & caſtrum in *Davidi*
monte ſitum in tribu Benjamin, ut ait Adricho- *fuit injurius.*
mius, unius ferè horæ itinere ultra Bethaniam, Jordanem verſus. *Et ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera*, cùm eſſet Saulis Regis conſanguineus, non erat ſine magno comitatu: & quidem redeunti Jeroſolymam Davidi venit in ejus occurſum cum mille viris de tribu Benjamin, ea qua erat ſicut Saul, & eos illi obtulit, ſicque veniam impetravit. Primò autem, tunc maledicebat Davidi. Secundò, mittebat lapides contra ipſum & univerſos ſervos ejus. Tertiò, vocabat virum ſanguinum, id eſt homicidam, Uriæ ſcilicet interfectorem. Quartò, dicebat eſſe virum Belial, id eſt, divinæ legis contemptorem, exlegem, filium diaboli, hominem inutilem & abjiciendum, hominem nihili: alludit ad peccatum cum Bethſabæa commiſſum, Deut. 13. ℣. 13. *Egreſſi ſunt filii Belial*, (Septuag. παράνομοι, exleges) *& averterunt habitatores urbis ſuæ*, à Dei cultu ad idola, Proverb. 6. 12. *Apoſtata homo Belial*, ut eſt in Hebraico. S. Hieronymus vertit, *inutilis:* ſumpſit à *beli*, ſine: *iaal*, utilitate: ſed meliùs deriva à *beli*, ſine: & *ol*, jugum. q. d. ſine jugo. Quintò, exprobrat, quòd regnum Saulis occupârit. Sextò, inſultat, quòd ejectus ſit à filio Abſalone, & premitur malis. Doctores Hebræorum tradunt à Semei quinque graviſſima maledicta & convitia in Davidem eſſe conjecta. 1. Quòd eſſet adulter. 2. Moabita. 3. Homicida. 4. Leproſus. 5. Abominabilis. Sed hæc non ſunt certa. Nota, Semei Semei
ſignificat audientem. 2. Congregantem. 3. Prædi- etymon.
cantem ſeu perſonantem. Rad. שמע *ſama*, quod Kal ſignificat audire, in Piel, congregare, in Hiphil, audire, facere, proclamare, prædicare. Qui detractores audit, viſa aliena in animo ſuo congregat, quæ deinde aliis diffundat. *Semei* propriè ſonat, auditio mea, fama mea, rumor meus. Erat filius Gera, id eſt primò ruminantis, ſeu ruminationis; à Rad. גר *gar*, ruminavit, & גרה *gera*, ruminatio. Nam quòd vir ille Gera ſcribatur per Aleph, & hoc nomen per He, nihil eſt: illæ enim duæ literæ gutturales ſæpè inter ſe commutantur. Secundò, Gera ſignificat ſucciſorem, exciſorem. Rad. גרר *garar*, excidere, ſuccidere. Tertiò, Gera ſignificat litigioſum, contentioſum, lites miſcentem. Rad. גרה *gara*, miſcere litem, contendere, litigare, inde vox Gallica, *guerre*, id eſt bellum, deducitur. Semei itaque, id eſt rumores captans, & apud ſe congregans, atque apud varios diſſipans eſt filius Gera, id eſt litium, contentionum, bellorum & exciſionis: nec filius tantùm, ſed pater: ſed dicitur

filius

filius litium, id eſt litigioſus: ſicut impii dicuntur filii perditionis, id eſt perditi. Semei ut malediceret Davidi, egrediebatur *de Bahurim*, id eſt de electis: hoc enim illa vox ſignificat. Non enim vult inter oves ſuas numerare convitiatores JEſus, qui mitis eſt & humilis corde. 2. Bahurim ſignificat juvenes: eſt enim juvenilis animi ac præcipitis in maledicta & contumelias prorumpere.

Nota 2. In Pſalmo noſtro cùm dicatur: Multi dicunt *anima mea:* non eſt ſalus *ipſi*. τὸ *ipſi* Hebraicè poni in genere maſculino, לו *lo*, quia ibi anima pro toto homine ponitur, per ſynecdochen adde, נפש *nephes*, id eſt animam, reperiri aliquando in genere maſculino, ut Num. 31. 28. & Geneſ. 46. 27.

Allegor. Dicebant Judæi Chriſto, non eſt ſalus ipſi in Deo ejus, cùm inclamabant Matth. 27. 42. *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere: ſi Rex Iſraël eſt* (id eſt Meſſias: Iſraël ſignificat, dominans Deo) *deſcendat nunc de cruce, credimus ei:* id eſt, credemus eum eſſe Regem Iſraël. *Confidit in Deo, liberet nunc ſi vult eum* (Arab. ſi diligebat eum) *dixit enim, quia Filius Dei ſum*. Sic Pſ. 21. 8. *Omnes videntes me, deriſerunt me.* (S. Hier. ſubſannant. Tertull. 4. contra Marcion. cap. 42. naſo irridebant. Græcè ἐμυκτήριζον, *locuti ſunt labiis*, ea diſſolvendo, balbutiem ſimulando, quod eſt ſubſannationis genus. S. Hier. vertit, dimittunt labium, *& moverunt caput*. Et verſu 9. *Speravit in Domino*. S. Hier. confugit ad Dominum, *eripiat eum: ſalvum faciat eum, quoniam vult eum*, id eſt amat eum, ſibi in eo complacet, ut ipſe jactitat. Vide Sap. 2. 16. verba illorum impiorum.

22. Deſperatio eſt cavenda.
Tropol. Cavenda eſt deſperatio de Dei auxilio, ad quam nos inducere nititur dæmon, qui, ut ait Melitus Aſianus, hic in Abſalone ſignatur. Hic, ut dicit S. Greg. Nyſſen. tract. 2. in Pſalmos cap. 11. οἱ χρισθέντα εἰς βασιλείαν διὰ πίστεως, *te tam unctum in Regem per fidem, & τῷ ἀληθινῷ χριστῷ συμβασιλεύοντα, cum Chriſto vere Rege uncto ſimul regnantem dejicere conatur de tanta dignitatis faſtigio, non foris, ſed ex teipſo exiſtens: non enim aliunde vim contra nos habet hoſtis*. q. d. ſicut Abſalom Davidem è throno expulit, ita dæmon tibi regiam dignitatem auferre conatur: & ſpeciatim S. Cyrillus in catena monet, eum primùm inſului caſtra mentis irrumpere, ac poſteà per ſuos ſatellites, homines ſcilicet impios, deſperationem animæ inferre.

23. Dæmon ad deſperationem incitans ſimilis eſt 1. uxori Job.
Comparare præterea dæmonem poſſis uxori Jobi, eum ad deſperationem his verbis incitanti, Job 2. 9. *Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua?* Id eſt in tua ſtupiditate & ſtoliditate, in tua ſuperſtitioſa & ſimplici pietate: *Benedic Deo, & morere.* q. d. blaſphema, ut Deus citò te interficiat, & tamdiu non trahas miſeram vitam, ut explicat S. Gaudentius Brixiæ Epiſc. 2. q. d. eſto inconſtans in fide & religione, eſto in Deum injurius, ut exponunt S. Thomas, & Lyranus. 3. q. d. Laceſſe Deum, ut te interimat: mortem ſibi celerem deſperantium impiorum more acceſſe, ſicut S. Chryſoſt. & S. Baſil. interpretantur.

2. Cognatis Tobiæ.
Tertiò: Dæmonem ad deſperationem incitantem compara parentibus Tobiæ, & ejus cognatis, irridentibus cæcatum ſtercore hirundinum in oculos cadente, cùm fatigatus in ſepeliendis mortuis jactâſſet ſe juxta parietem & obdormiſſet, dicunt enim Tob. 2. 16. *Ubi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas & ſepulturas faciebas?* Idem penè dixit Anna uxor ejus, cùm vir innocens præcepiſſet, ut hœdum captatum, id eſt parvulum, quem domi audiebat, non retineret ſi furtivus eſſet.

3. Rabſaci.
Quartò: Adhuc commodiùs, dæmonem ad deſperationem incitantem compara Rabſaci, cum valido comitatu ſeſe ad Jeroſolymæ muros applicanti, & in Deum blaſphemanti, ſpemque in ejus ope irridenti, atque tollere ſtudenti, 4 Reg. 18. 32. *Nolite audire Ezechiam* (Regem veſtrum, Jeroſolymitæ) *qui vos decipit, dicens: Dominus liberabit nos. Numquid liberaverunt dii Gentium terram ſuam de manu regis Aſſyriorum? Ubi eſt Deus Emath & Arphad? Ubi eſt Deus Sepharvaim, Ana & Ava? Numquid liberaverunt Samariam de manu mea?*

24. Deſperationis varia mala.
Mala deſperationis contemplare. Primò eſt vehemens telum diaboli, μέγα ὅπλον διαβόλου, ut eam vocat S. Chryſoſt. hom. 10. de pœnit. Secundò, *mors eſt animæ*, ut ait S. Ambroſius lib. 2. in Lucam. 1.
Tertiò, auget peccata, ut loquitur S. Auguſt. lib. de utilitate pœnit. 2.
Quartò, *facit omnem malitiæ vindictam conſummationem*, ut loquitur S. Bern. hom. 37. in Cant. 3.
Quintò, æternæ civitatis januas claudit, ut docet S. Chryſoſt. parænesi prima ad Theodorum. 4.
Contrà verò, ut ait ibid. *Spes veluti ἰσχυρὰ catena eſt aurea & firma, quæ de cœlo protenſa ſubducimus animas noſtras: quæ brevi ſurſum in illud ſummum faſtigium retracta, eos qui ipſam fortiter manibus ſervant, evellit, & rapit ſupra fluctus præſentis vitæ, omnium longè periculoſiſſimos*. 5. Spes eſt catena aurea.
Sextò, deſperatio in inferos demergit. S. Iſidorus lib. 2. de ſummo bono. Deſperare, ait, eſt in infernum deſcendere. Itaque notat S. Laurentius Juſtin. lib. de diſciplina & perfect. monaſt. conversat. cap. 16. etiam in minimis cavendam eſſe deſperationem, ea perculſum à venia alienum eſſe, per eam delinqui, obſtrui aditum accedendi ad Deum, & exorandi: ſagaci mente fraudes hoſtis videndas, qui transformans ſe in Angelum lucis, ſub virtutis obtentu rudiores movet, ut ſcelera ſua in memoriam revocent, illa plangant, atque inde ſalubri triſtitia conterantur: ſed ſcorpionis venenum delitescere in cauda, & in deſperationis foveam incautos agere præcipites: quare puſillanimi & triſti valdè pernicioſam eſſe propriam conſiderationem, & frequentes lapſus.

25. Chriſti poteſtas ſpem tuam excitet.
Audiendus eſt S. Auguſt. qui ſerm. 43. de Verbis Domini, cap. 2. advertit etiam Lazarum quatriduanum à Chriſto ſuſcitati. *Jam*, ait, *ſupra ſe habet conſuetudinis pondus, moles eum terrena multum premit. Multum enim exercitus eſt in flagitiis, conſuetudine ſua nimium prægravatur. Clamat & Chriſtus, Lazare! veni foras.* Itaque non ſolùm excitat filiam Jairi archiſynagogi, quæ in domo erat mortua, neque ſolùm filium viduæ Naim in urbis porta: ſed etiam Lazarum dudum in ſepulchro jacentem & fœtentem. Hinc conclude cum eodem S. Doctore in alio ſermone: *Nemo diffidat, nemo veterum conſcius peccatorum præmia divina deſperet, novit dominus mutare ſententiam, ſi tu noveris emendare delictum.* Et S. Petrus Damiani opuſc. 7. cap. 23. poſtquam monuit, cavendum eſſe *deſperationis barathrum*, & non eſſe peccatorum deſperare, ſed impiorum, ſubjexit: *Si enim tantum diabolus potuit, ut te in hujus vitæ profunda ſubmergeret: quantò magis te virtus Chriſti poterit ad eum, de quo lapſus es, verticem revocare?*

26. Sela quid.
Nota denique, poſt hæc Davidis verba: *Multi dicunt animæ meæ: non eſt ſalus ipſi in Deo ejus*, eſſe in texto hebraico vocem סלה *ſelah*, de qua quid ſignificet, non levis eſt controverſia, neque à nobis omittenda, cùm ſemel & ſeptuagies in Pſalmis reperiatur, quibus omnibus in locis Septuaginta interpretes ſemper verterunt διάψαλμα, quod, ut docet Suidas, ſignificat melodiæ, & cantus modulationiſque commutationem: in eadem eſt opinione S. Chryſoſt. & Hippolytus, & hoc verum arbitror: ſive denotet mutationem chori totius, ut Agellius præfat. in Pſalm. putat, cùm cantorum Præfectus in medio Pſalmi, partem reliquam alteri choro canendam tradit: ſive muſici carminis, aut rythmi, vel ſententiæ mutationem, ſicut cenſet S. Chryſoſt. præf. in Pſalmos: ſive geminationem cantus, cùm etiam alteri choro datur idem verſiculus canendus, ut cenſet Lorinus: ſive potius, ut R. David. Marinus, Pagninus, Mercerus, aliique docent, elevationem & exultationem vocis. Rad. eſt סלל *ſalal*, elevare, extollere. Itaque in Pſalmo noſtro duo primi verſus, nempe, Domine, quid multiplicati ſunt, &c. cùm materiam triſtem contineant, triſti & demiſſa voce erant cantandi: ſequentes verò ſpei in Deum pleni & opem paratam oſtendentes. Tu autem Domine, &c. voce erectiori & alacri. Secundò, probabilem puta eſſe opinionem S. Greg. Nyſſ. & Genebardi: quorum ille & alii cenſent, *ſelah*, indicare inſignem aliquem affectum quo David in Pſalmo aliquo afficeretur: qui cùm Primò ſecundum S. Chryſoſtom. Secundò, ex S. Gregorio Nyſſeno.

non

non ſit in poteſtate hominis, ideò non poteſt videri ratio, cur in hoc vel illo loco ponatur, ſed confusè interſeritur: aut ſaltem cauſam ſæpè aſſequi non poſſumus. Genebrardus autem ait, *ſelah* non tantùm eſſe ſignum concentus muſici, ſed etiam exclamationis & attentionis: ut mens & cogitatio excitetur ad id quod canitur perpendendum &

Tertiò, ex S. Hieron. ponderandum. Dices, S. Hieron. Chald. Aquila, R. Emmanuel, V. editio vocem *ſelah* vertunt, *ſemper*. Verba S. Hieronymi ſunt epiſt. 138. *Quidam diapſalma, commutationem metri, alii pauſationem ſpiritus, nonnulli alterius ſenſus exordium, ſunt, qui rythmi diſtinctionem: & quia Pſalmi tunc temporis juncta voce ad organum canebantur, cujuſdam muſica varietatis exiſtiment ſilentium.* Tum nihil ſe horum probare aſſerit, ac ſubdit: *Ex quo animadvertimus hoc verbum ſuperiora pariter inferioraque connectere, aut certè docere, ſempiterna eſſe, quæ dicta ſunt.* Reſp. 1. vocem *ſelah*, à noſtro Interprete, & ab interprete Syr. & Arabico prorſus omitti: quod fieri non debuiſſet, ſi ſignificaret *ſemper*. Deinde Sept. Theodotio, & Symmachus reddunt, διάψαλμα, id eſt, ut dixi, cantus mutatio. Reſp. 2. neque ipſum S. Hier. velle vocem illam *ſelah*, ubique ſignificare *ſemper*, ut patet ex ejus verbis. Hebræi quidem in epitaphiis ſuis defunctis benè precantur his aut ſimilibus vocibus: *Sit anima ejus in paradiſo. Amen,*

Quartò, & optimè. *amen. ſelah*: quod aliqui explicant, *ſemper*, aut in omnem æternitatem: Probabilius mihi eſt notam eſſe ſilentii, admirationis, meditationis, ſicut in plerisque Pſalmis multi eſſe volunt. Sic deduces à סלה *ſala*, æſtimare, comparare, æquiparare: q. d. æſtima quàm vana & fluxa ſint terrena, & cœleſtibus atque æternis illa compara, & ad Deum alacri & celeri curſu contende. Hæc ſatis, de re valdè incerta, & in qua penè cuique licet abundare in ſuo ſenſu. Hebræi etiam in fine librorum ſuorum ponebant, vel אמן *amen*: vel שלום *ſalom*: pax, vel *ſelah*: ut indicarent à Deo poſtulare ſe voti ſui expletionem, nempe ut liber ſcriptus aliis prodeſſet & placeret: item optare ſe nullum lædi eo libro, ſed pacem cum omnibus habere: denique, quæ ſcripta eſſent, egere diligenti meditatione & ſpeculatione.

Verſ. 3. Remedium contra deſperationem eſt conſideratio potentiæ & bonitatis Dei nos tueri exoptantis, unde ait David, afflictus à filio Abſalone, ac penè ab omnibus relictus, verſ. 3. TU AUTEM, DOMINE SUSCEPTOR MEUS ES, GLORIA MEA ET EXALTANS CAPUT MEUM; q. d. Fruſtra hoſtes mei multiplicantur & inſurgunt in me: fruſtra dicunt, non eſſe mihi ſalutem in te. Nam me fugientem ſuſcipis, ſuſceptum glorificas & exaltas, regio throno reſtituens & corona circumdans.

27. Nota primò: Deus eſt ſuſceptor quinque modis:

Deus nos ſuſcipit quinque modis. nempe ut redemptor, ut protector, ut adjutor, ut advocatus, ut pater. Primò enim hoſtium globo circumſeptum, & ſupplices manus tendentem,

Primò, ut redemptor. Deus redemptor, è periculo eripit. Septuag. vertunt, ἀντιλήπτωρ μου, ſuſceptor meus, ἀντιλαμβάνεσθαι autem eſt veluti manu porrecta retinere, ac prehendere aliquem collapſurum: opitulari, auxiliari. Sic David Pſalm. 117. 13. ait: *Impulſus everſus ſum, ut caderem* (S. Auguſt. S. Proſper & Caſſiod. legunt, tanquam *cumulus arenæ* verſatus ſum; id eſt, agitatus; ad rem noſtram explicat Chald. impulſione impulit me peccatum meum, ut caderem) *& Dominus ſuſcepit me.* S. Hieron. *ſuſtentavit me.* Ac Pſ. 143. ℣. 2. *Liberator meus.* S. Hier. ſalvator meus mihi, id eſt, ad utilitatem & ſecuritatem meam.

Secundò, ut protector. Secundò, ſuſcipit Deus protector ſervos ſuos, ut illos tegat: 1. ut clypeus. S. Hieron. vertit; *clypeus meus circa me.* Hebr. מגן *magen*, clypeus. בעדי *baadi*, pro me, ad mei munitionem. Chald. *ſcutum ſuper me.* q. d. Deus me cælo tegit, hoſtes verò ſunt in terra & de terra, ideò non nocebunt. Sed ſuavius eſt, quòd dicatur Deus eſſe circa nos; omnia enim ſic in tuto ſunt, infra, ſupra, à dextris & à ſiniſtris, ante & retrò. Pſalm. 90. 5. *Scuto circumdabit te veritas ejus*, q. d. veritas ejus, ſeu veracitas & fidelitas, qua tibi auxilium Deus promiſit, te circumdabit & proteget; id eſt, Deus ideo te conſervabit, quia id ſe facturum aſſeruit. S. Hieron. ſcutum & protectio veritas ejus. Eam ob rem eris ſine timore diu noctuque; unde additur: *Non timebis à timore nocturno.* Chald. à timore dæmonum. & ℣. 6. *A ſagitta volante in die.* Chald. à ſagitta angeli mortis, quam emittit interdiu: *à negotio perambulante in tenebris.* S. Hier. à peſte in tenebris ambulante: *Ab incurſu, & dæmonio meridiano.* Chald. à caterva dæmonum, qui graſſantur meridie. Vide illum locum. 2. Deus tegit, ut arx munita. Pſalm. 143. 2. *Miſericordia mea, & refugium meum.* Chald *arx fortitudinis mea*: in ipſa arce, quæ per ſe ſecura eſt, atque extra teli jactum & ſcalas hoſtium non timet iis altior, Deus tamen dat clypeum: ideò pergit David, *ſuſceptor meus, & liberator* (S. Hieronymus, auxiliator) *meus, protector meus,* (S. Hieronymus, ſcutum meum) *& in ipſo ſperavi.* Græcè, ἐλπιῶ, ſperabo. Ita in illo ſperavi, ut adhuc ſperem & ſperaturus ſim, *qui ſubdit populum meum ſub me.* S. Hieronymus: Qui ſubjecit populos mihi. Populus noſter, ſunt ſenſus ac membra corporis, paſſiones & facultates animæ: Dei eſt, hæc omnia nobis ſubjicere: ſine ipſo rebellant & vincunt.

Tertiò, ut adjutor. Tertiò, non tantùm Deus ab hoſte nos protegit, cùm appetimur: ſed juvat etiam cùm illum aggredimur. Syrus & Arabs vertunt: *Sed tu Domine, adjutor meus.* In manu Dei ſuſcipientis ad ſe fugientes robur eſt: cùm aliquem tangit, robuſtum facit. Sic ait Abacuc. 3. ℣. 3. *Cornua in manibus ejus.* Id eſt, primò, radii lucis quos afflavit Deus Moſi legem accipienti, ut explicat Mariana, & Janſenius. 2. Cornua ſunt radii lucis, qui à Deo ipſo, & tabulis legis radiabant. Chaldæus vertit, Scintillæ à quadriga gloriæ ejus prodierunt: & Pagninus, ſplendores de manu ejus fuerunt ei. 3. Cornua, id eſt, robur, vires, & arma Dei: quaſi diceret, Deus in manu ſua habet cornua: id eſt, robur atque potentiam, quibus hoſtes confodiat & proſternat. Arias ad verbum ex Hebræo vertit: Cornua *de manu* ejus ei. Quaſi diceret, non tantùm ſunt illa cornua in ejus manu, ut ſe ſuosque tueatur, ſed inde etiam erumpunt & exiliunt, ut incautos penetret atque configat. Deuteronomii 33. 17. Moſes benedicens Joſepho, qui erat typus Chriſti, tribui ejus, quæ erat typus Eccleſiæ, ait: *Cornua rhinocerotis cornua illius, in ipſis ventilabit gentes uſque ad terminos terræ.* Eſt etiam Jeſus Benjamin, id eſt, filius dexteræ.

Quartò, ut advocatus. Quartò, cùm quid controverſiæ incidit, ſuſcipit Chriſtus cauſam noſtram, ut advocatus. Remig. in Pſalm. noſtr. ſic ſumit ſuſceptorem, cùm ſit: Suſceptor dicitur, qui cauſam alterius ſuſcipit ad defendendum. 1 Joannis 2. ℣. 1. *Filioli mei, ſi quis peccaverit, advocatum habemus.* Græcè, παράκλητον, patronum, mediatorem, interceſſorem: 1. Voce interpretativa, ſe ſuasque plagas pro nobis Patri oſtendendo, ſic Aſconius Pedianus patronum ob advocato ſeparat. Qui, ait, defendit in judicio, aut *patronus* dicitur, ſi orator eſt: aut *advocatus*, ſi jus ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico: ita ipſe. 2. Chriſtus eſt advocatus, voce propriè dicta pro nobis Patri loquendo, & ſic eſt patronus ſtrictè ſumptus. Hæ tamen duæ voces patronus & advocatus ſæpè confunduntur, quis & qualis ſit & quàm efficax hic Mediator, exprimitur in ſequentibus: *JEſum Chriſtum juſtum.* Eſt JEſus, id eſt, Salvator: eſt Chriſtus, id eſt, Meſſias à Patre æterno unctus unione hypoſtatica, & omni gratia; eſt juſtus, id eſt, innocens & ſanctus; unde quæ petit, evincit. verſu 2. *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* S. Cyprianus libro 4. epiſtola 2. vel 52. legit, deprecatio. Totus Chriſtus à capite uſque ad pedes oratio eſt pro nobis, ſe pro nobis paſſum oſtendens; Sanctus Auguſtinus libro de fide & opere legit, *exoratio*, ita orat, ut exoret. Ipſe orat, ipſe eſt etiam propitiator, & exauditor.

Quintò, ut pater. Quintò denique, Chriſtus ut pater miſericors etiam poſt lapſum redeuntes prodigos apertis brachiis ſuſcipit. Lucæ decimo quinto, verſu vigeſimo: *Cùm adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt,* (ἐσπλαγχνίσθη, intimis viſceribus commotus eſt) *& accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt*

tum,

eum. Cadere ſuper collum, eſt humiliari in amplexum, ut ait S. Auguſtinus libro 2. quæſtione Evang. Samſoni capillos radere potuerunt Philiſthæi, ſed non evellere, ita inquit S. Pet. Damiani opuſc. 7. capite 23. Iniqui ſpiritus, licèt à ſe chariſmata ſancti Spiritûs ad tempus excluſerint, nequaquam tamen prævalent divinæ reconciliationis remedium irrecuperabiliter abnegare.

28. Gloria Chriſtiani eſt Chriſtus. Nota ſecundò, τὸ *gloria mea*, ſumitur activè, q. d. Deus, qui me glorificat, ſeu glorioſum reddit. Sic Pſalmo 117. verſu 14. *Fortitudo mea & laus mea Dominus*, (qui me reddit laudabilem) *& factus eſt mihi in ſalutem.* Chaldæus, in Redemptorem. Ab eo eſt omnis noſtra redemptio, Roman. 7. 25. *Gratia Dei per JEſum Chriſtum.* 1 Corinth. 15. 10. *Gratiâ Dei ſum id, quod ſum.* Epheſ. 2. 8. *Gratiâ enim eſtis ſalvati per fidem*, (quæ per charitatem operatur, Galat. 5. 6.) *& hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* S. Auguſtinus epiſtolâ 143. & libro 14. de civit. cap. ult. verba Pſalmi noſtri uſurpat contra Pelagianos, qui divinam gratiam negant, & in ſuis viribus gloriantur, & non in Domino. S. Hieronymus epiſtolâ 22. inde quoque Euſtochium ad humilitatem hortatur. Et in capite 3. Abacuc verſu 19. illud explanans: *Deus Dominus fortitudo mea*, ait, *nullam aliam, niſi in Chriſto, habebo virtutem, & cunctas legis juſtitias quiſquilias computabo.* In Hebræo eſt: *Jehova noſter Elohim*, id eſt, ut ait Cornelius, noſter Proviſor, Gubernator & Rector eſt. חילי *heli*, hoc eſt, virtus mea, ſtrenuitas mea, vigor meus, exercitus meus, vires meæ, robur meum. Itaque, ſicut dicebat Apoſtolus 1 Cor. 1. 29. *Non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. Ex ipſo autem* (per Dei gratiam vocati eſtis ad fidem, & Chriſto creditis, ut explicat S. Anſelmus) *vos eſtis in Chriſto JEſu: qui factus eſt vobis ſapientia à Deo*, (1. Exemplariter. 2. Efficienter. 3. Finaliter) *& juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Ut, quemadmodum ſcriptum eſt*, (Jeremiæ 9. verſu 23. citat tantùm ſenſum) *qui gloriatur, in Domino glorietur*, illi attribuendo omnem ſapientiam, juſtitiam, ſanctitatem & ſalutem noſtram. Ut enim ait S. Anſelmus in eum Pauli locum: *Ille in ſolo Domino gloriatur, qui cognoſcit non ſuum, ſed illius eſſe, non ſolùm ut ſit, ſed etiam, ut non niſi ab illo benè ſit ſibi, à quo habet, ut ſit.* Dicebat Moſes populo Iſraël Deuteronomii 8. ℣. 17. cauſam afflictionum à Deo immiſſarum fuiſſe, ne in ſe gloriaretur. Verba ejus ſunt: *Ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea, & robur manûs meæ, hæc mihi omnia præſtiterunt: ſed recorderis Domini Dei tui, quod ipſe vires tibi præbuerit.* Philippenſ. 2. 13. *Deus eſt, qui operatur in vobis velle & perficere.* Jacobi 1. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Serapionis apud Caſſianum Collat. 5. cap. 4. dictum eſt notabile: *Impoſſibile eſt*, ait, *de qualibet paſſione triumphum quempiam promereri, priuſquam intellexerit, induſtria vel labore proprio victoriam certaminis ſemet obtinere non poſſe.* Et ſanctus Baſilius in inſtitut. de vita perfecta docet, ſervos Dei à dæmone variis tentationibus agitari: ſed eos vinci, qui plus æquo ſibi confidunt. His applica prædictionem Sophoniæ ſuperbos Jeroſolymitas increpantis, & perituros monentis capite 1. verſu 13. *Erit fortitudo eorum* (Pagninus, ſubſtantia) *in direptionem.* Chaldæus, eorum divitiæ erunt in ſpolium, *& domus eorum in deſertum.* Chaldæus, in deſolationem. Cùm ſcilicet gratiâ atque virtutibus nudabuntur, & capite 2. 4. *Gaza deſtructa erit.* Gaza ſignificat fortitudinem, robur, vires: qui innititur calamo quaſſato, & eum franget, & ab eo lædetur.

29. Exaltare caput. Nota tertiò, *exaltare caput*, eſt lætum erectumque vultum ob partam victoriam *habere*, qui triſtibus & victis concidere ſolet, Geneſis 4. 6. Sic etiam levare capita jubentur, Lucæ 21. verſu 28. Hi, qui benè ſperare, bonóque animo eſſe admonentur. Et Chriſtus, poſtquam Pſalm. 109. verſu ultim. de torrente in via bibit, patiendo, & inclinato capite tradidi ſpiritum, Joan 19. 30. exaltavit caput, vires redintegrando atque reſurgendo, aſcendendo, nominis celebritatem obtinendo, & David Pſalmo 26. verſu 5. ait: *Nunc exaltavit caput meum ſuper inimicos meos.* Iis Lorinus. Secundò, præſertim à Davide arbitror per exaltationem capitis intelligi redditionem amiſſæ coronæ regiæ, q. d. Deus me iterum regio ſublimem ſolio coronatum effulgere fecit. Evilmerodach libro 4 Reg. capite ult. Joachin Regem Juda captivum in Babylone honorans, dicitur ejus caput ſublevare, & ponere thronum ejus ſuper thronum regum, qui erant cum eo in Babylone. Tropologicè. Nota, cum Origene & Didymo, qui adhæret Deo, caput ac mentem altè ſublatam habet, magnóque & excelſo animo eſt. Non habet homines impoſitos ſuper caput ſuum, ſed ſolum Chriſtum, qui eſt viri caput; & Deum, qui eſt caput Chriſti. 1 Cor. 11. 3.

Nota quartò: Alleg. Hæc omnia Chriſtus ut homo dicit Patri æterno, ut S. Aug. S. Thomas, Burgenſis & alii adverterunt.

Nota quintò: Hiſtoricè hæc Deus præſtitit Davidi ejecto per Abſalonem. Nam primò incitavit 30. Deus Davidem juvit in bello contra Abſalonem.
domeſticos ejus, ut ſeſe offerrent ad fugiendum cum ipſo. 2 Reg. 15. dicunt: *Omnia, quæcunque præceperit Dominus noſter Rex, libenter exequemur ſervi tui:* Itaque, egreſſus eſt cum legionibus Cerethi & Phelethi, qui erant, ut ait Joſephus libro 7. antiquitat. capite 11. corporis regii cuſtodes. Græci 1,
eos, quibus cuſtodia regum credebatur, vocabant σωματοφύλακας, latini Prætorianos. David vocavit partim Cerethi, id eſt, exciſores, interfectores, à rad. כרת *carath*, incidere, ſuccidere: ut denotaret eorum vim, robur, & alacritatem ad hoſtem invadendum: partim vocavit Phelethi, quaſi diceret, liberatores, erutores, ereptores. Rad. פלט *phalat*, eripere, eruere, evadere: ut denotaret eorum dexteritatem, vigilantiam & induſtriam ad liberandum regem, alios, & ſeipſos à periculis, vel q. d. mirabiles ob virtutem ſcilicet bellicam. Rad. פלא *phala*, fuit mirabilis. Vel potiùs, Cerethim erant populi terræ Philiſthiim Meridionalis, inde dicti ſunt Cerethi: Phelethi verò, quia erant Philiſthini, quos David ſecum adduxit ex Geth, quando fugit ad Achis, & ſibi fidiſſimos expertus eſt. R. David Kimhi putat eos fuiſſe Iſraëlitas: ſed ad Davidem redeamus. Secundò, eum ſecuti ſunt omnes Gethæi ſex- 2.
centi viri, qui ſecuti eum fuerant de Geth. Erant illi Judæi, qui Davidem in omni perſecutione fuerant ſecuti: eos Abulenſis ait dictos eſſe Gethæos, qui cum Davide iverant ad Achis regem Geth, & inde rediverant cum ipſo in Judæam. Tertiò, ad eum 3.
venit Ethai. Quartò, venerunt Sadoc & Abiathar, 4.
qui erant ſummi Pontifices ſimul, ut putat Abulenſis in 1 Paralipomenon 6. vel meliùs, Abiathar erat ſummus Pontifex, & Sadoc tunc ſacerdos maximæ authoritatis, qui toto Salomonis tempore, id eſt, per annos quadraginta tenuit ſummum Pontificatum. Quintò, Levitæ univerſi iis ſeſe junxerant. Sextò, 5.
Deus ipſe quodammodo egreſſus eſt è civitate Jero- 6.
ſolyma, ut comitem ſe adderet Davidi fugienti. 2 Regum decimo quinto: *Venit & Sadoc Sacerdos, & univerſi Levitæ cum eo, portantes arcam fœderis Dei, & depoſuerunt arcam Dei: & aſcendit Abiathar*, in locum ſublimem, ubi arcam poſuerant Levitæ, ut conſuleret Deum, qui nihil reſpondit, ut ajunt Abulenſis, Cajetanus, Dionyſius, Lyranus & Angelomus: vel potiùs, aſcendit in urbem, ut ſuâ authoritate eos ad exitum animaret, qui poſſent afflicto regi ſuccurrere, ſicut exponit Sanctius: *Donec expletus eſſet omnis populus, qui egreſſus fuerat de civitate:* ſed illos & arcam David remiſit in urbem, ne quid arcæ accideret, ſicut tempore Heli, quando capta eſt à Philiſthæis. Vide cætera capite decimo quinto & ſeqq. Poterat itaque David dicere: *Tu autem, Domine! Suſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Sic fugit Moſes in ſolitudinem Madian à facie Pharaonis, Exodi ſecundo, verſu decimo quinto, fugit Jacob à facie Eſau fratris ſui, Geneſis 28. 5. Et perrexit in Meſopotamiam; fugit Elias Jezabelem, 3 Reg. 9. Et abiit in montem Dei Oreb: ſed Deus Moſem ſuſcipit, ei apparet in rubo, eumque exaltat: apparet Jacob in ſcala, & opem pollicetur: apparet Eliæ in vento

tenui,

tenui, & eum replet. Deus eſt charitas, ſervis ſuis nonquam deeſt. Abacuc 3. ℣. 3: *Deus ab Auſtro veniet*, id eſt, à calore charitatis, *& Sanctus de monte Pharan*. Vox *Pharan* ſignificat os aſpicientis. Deus oculos ſuos ad Sanctos ſemper vertit, & eos luce ſuâ recreat. *Operuit cœlos* (viros cœleſtes) *gloria ejus, & laudis ejus plena eſt terra*, id eſt, anima humilis. *Splendor ejus ut lux erit: cornua in manibus ejus: ibi abſcondita eſt fortitudo ejus.*

ARTICULUS III.

Oratio obtinet Dei auxilium in afflictione, utilis eſt etiam externâ voce prolatâ.

31\. DAvid fugiens Abſalonem duo ſe conſiderâſſe dixit ſuprà: Primò, multos in ſe inſurgere. Secundò, oculos ſe conjeciſſe in Dei potentiam & bonitate. Nunc addit ſe ad Deum confugiſſe per orationem, verſu 4.

Verſ. 4.

VOCE MEA AD DOMINUM CLAMAVI, ET EXAUDIVIT ME DE MONTE SANCTO SUO. Nota primò, 2 Reg. 15. 30. de Davide ſecedente ex urbe regia ob inopinatum de Abſalonis rebellione nuntium, dicitur: *Porrò David aſcendebat clivum olivarum* (id, montis Oliveti) *ſcandens & flens, nudis pedibus incedens, operto capite:* ſicut ſolebant Judæi in luctu, ut patet poſteà c. 19. 4. cùm David ipſe auditâ morte Abſalonis operuit caput, & exclamavit: Fili mi Abſalom! Abſalom fili mi! In lætitia autem & ordinariè nudo capite incedebant, quaſi liberi & expediti. Exod. 14. 8. At illi egreſſi erant in manu excelſa: Chald. vertit, capite diſcooperto. Additur prætereà de Davide verſ. 32.

Nudo capite incedebant Judæi.

Cumque aſcenderet David ſummitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, &c. Ubi nota, adorat in monte olivarum, ut ſe in Dei unius miſericordia, non in propriis meritis notet confidere. 2. Quia ſciebat ibi oraturum Chriſtum, & inde aſcenſurum in cœlum. Ibi dixit ea, quæ in Pſalmo 54. habentur: Elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine. Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique: Tu verò homo unanimis, &c. id eſt, Achitophel, ejus conſiliarius, cujus auditâ proditione priùs oraverat, 2 Reg. 15. 31. *Infatua, quæſo, Domine conſilium Achitophel.*

Nota ſecundò: Quatuor denotari in oratione Davidis. Primò, quòd voce facta eſt. Secundò, quòd cum clamore. Tertiò, ad Dominum. Quartò, quòd fuerit exaudita.

32\.

David orat vocali oratione. Utilis eſt hæc oratio.

Ac primò, voce etiam externâ factam orationem contra Achitophel, vix poteſt dubitari, cùm ait: *Infatua*, &c. S. Thomas 2. 2. quæſt. 83. artic. 12. tres affert rationes, ob quas oratione vocali eſt utendum.

Primò.

Primò, ad excitandum interiorem devotionem, quâ mens orantis elevetur in Deum: quia per exteriora ſigna, ſive vocum, ſive etiam aliquorum factorum, movetur mens hominis & ſecundum apprehenſionem, & per conſequens ſecundùm affectionem. Unde S. Auguſtinus epiſtolâ 121. capite 9. dicit ad Probam: quòd verbis & aliis ſignis ad augendum deſiderium ſanctum, nos ipſos acriùs excitamus. Et ideò in ſingulari oratione tantum eſt vocibus & hujuſmodi ſignis utendum, quantum proficit ad excitandum interiùs mentem. Si verò mens per hoc diſtrahatur, vel qualitercunque impediatur, eſt à talibus ceſſandum. Quod præcipuè contingit in his, quorum mens ſine hujuſmodi ſignis eſt ſufficienter ad devotionem parata. Unde Pſalmo vigeſimo nono dicebat: Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea. Et de Anna legitur 1 Regum 1. quòd loquebatur in corde ſuo.

Secundò.

Secundò, adjungitur vocalis oratio quaſi *ad redditionem debiti*, ut ſcilicet homo Deo ſerviat ſecundùm illud totum, quod ex Deo habet: id eſt, non ſolùm mente, ſed etiam corpore. Quod præcipuè competit orationi, ſecundum quod eſt ſatisfactoria. Unde dicitur Oſeæ ultimo: Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, *& reddemus vitulos labiorum noſtrorum*.

Tertiò.

Tertiò, adjungitur vocalis oratio ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione, ſecundùm illud Pſal. 12. Lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea. Ita S. Thomas.

33\.

Oratio vocalis convenit primò, incipientibus.

Oratio vocalis eſt gradus ad mentalem. Primò itaque, decet eos, qui, ut ait S. Climacus grade decimo quinto, nondum puritatem cordis obtinent: quibus dicit etiam convenire manuum extenſionem, tunſionem pectoris, gemitus ſingultuſque, jugem in cœlos proſpectum, perpetem genuum curvationem. *Tunc*, inquit, *experieris Altiſſimi virtutem, atque inviſibiliter inviſibiles hoſtes per inviſibile perſequeris auxilium.*

Secundò, mœſtis.

Secundò, vocalis oratio eſt utilis mœſto. S. Diadochus Epiſcopus Photices in centum capitibus, de perfectione ſpirituali cap. 73. *Cùm, ait, multâ mœſtitia gravamur, oportet nos grandiori voce Pſalmos canere, edentes ſones animæ, lætitiâ ſpei donec gravis illa caligo aura concentus diſcutiatur.* David noſt. voce orat, quia erat triſtis fugiens rebellem filium.

Tertiò, etiam perfectis.

Tertiò, etiam perfectis & lætis convenit oratio vocalis. Canticorum 2. verſu 14. Sponſam ad eam orationem invitat: *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora:* quæ Soli juſtitiæ expoſita in contemplatione lucet. *Oratio*, ut ait Bruno in Pſalmum 85. *dicitur quaſi oris ratio.* In Pſalmo autem noſtro adverte eſſe emphaſim in pronomine *mea:* cùm dicitur, *voce meâ ad Dominum clamavi.* Primò, Caſſiodorus vult denotari puritatem orationis. Secundò, Hugo à ſancto Victore intentionem Deo, non aliis, placendi per ſe. Tertiò, clariùs Cajetanus vult indicari proprium conatum, non alienas tantùm preces. Clama ad Dominum, ſed voce tuâ, non tui vicarii: tu magis es vicarius Domini, quàm ille tuus.

34\.

Orationi clamor eſt addendus triplex. 1. Cordis.

Secundò, orationi clamor additur, ut alacriùs & efficaciùs cœlos petat. Voce meâ ad Dominum *clamavi*. Nota, triplex eſt clamor. Primò, cordis. Secundò, oris. Tertiò, operis. Primò, de cordis clamore locum Pſalmi noſtri explicat ſanctus Auguſtinus & Patres Græci. Origenes: *Ingens ſanè*, ait, *ac vehemens clamor eſt, qui mente percipitur.* Heſychius: *Secundum*, inquit, *quod precationis vox, eſt ipſa precantis compunctio.* Theodoretus clamorem hunc ſumit pro animi alacritate, qualem Moſes exhibens dicitur clamare ob ſedulam mentis precationem, cùm corporis vocem non ederet. Sanctus Gregorius Nyſſenus hanc vocem mentis vocat ἐντυχὴν, ſonoram.

2. Oris.

Secundò, & meliùs, ſanctus Thomas, Euthymius, Caſſiodorus, & alii de clamore externo hîc agi volunt. Vis illius explicari poteſt per clamorem totius exercitûs Joſue, cùm per ſeptem dies in ſupplicatione orationem fudiſſet, arca ante omnes deportata. Clamoris illius efficaciam in obſidione Jericho aperit Joſue capite ſexto Joſ. verſu 5. *Cùm inſonuerit vox tubæ longior atque conciſior, & in auribus veſtris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione magnâ, & muri funditùs corruent civitatis, ingredienturque ſinguli per locum, contra quem ſteterint:* & hoc eveniſſe refertur verſu vigeſimo.

Muri urbis cadunt Roberto Rege Franciæ orante.

Sic, cùm Franciæ Rex Robertus Pſalmos cum ſacerdotibus decantaret, urbis Avellonis, vernaculè *Avalon*, quam obſidebat, muri ceciderunt, & cives dedêre ſe coacti ſunt, ut referunt Annales Franc. Cùm cantaretur ex hymno S. Spiritûs, *Hoſtem repellas longiùs*, in eadem Francia victi ſunt Albigenſes hæretici, ut narrat hiſtoria Simonis Montisfortii: in Anglia autem, cùm S. Germanus Epiſcopus Altiſſiodoreō miſſus à Cæleſtino Pontifice, anno Chriſti 429. juſſiſſet exercitui Chriſtiano, ut cantaret Alleluja, hoſtes in fugam verſi ſunt, & magnâ clade proſtrati. Leo Imperator in Tacticis capite vigeſimo, num. 204. ait: Ut robur exercitui afferas, præcipe, ut ſi hoſtes cum clamore contra tuos veniant, tui ſtatim cum ſilentio & taciturnitate præcedant: ſin illi ſilentes ac taciti ambulaverint, tum clamore ac ſtridore armorum tui illos invadant. Ita ipſe. Nota porrò, non benè clamari voce externâ, niſi cordis clamor adjungatur. Beda in Pſalmum 76. *Ille voce ſuâ clamat ad Dominum, cujus vox conſona cordi eſt: ſcilicet, ſi & quod deſiderandum eſt, deſiderat, & voce rogat.* Sanctus Iſidorus Hiſpal.

libro 3. de ſummo bono capite 7. Bonum eſt, ait, corde ſemper orare, bonum etiam & ſono vocis Deum ſpiritualibus hymnis glorificare. Nihil eſt ſolâ voce canere, bonum etiam & ſono vocis Deum ſpiritualibus hymnis glorificare. Nihil eſt ſolâ voce canere ſine cordis intentione. Sed ſicut ait Apoſtolus Coloſſenſ. 3. verſu 16. *Cantantes in cordibus veſtris:* hoc eſt, non ſolùm voce, ſed & corde pſallentes. Unde & alibi 1 Corinthiorum 14. 15. *Pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Ita Iſidorus: pſallere autem ſpiritu, eſt pſallere voce corporeâ & halitu: pſallere mente, eſt pſallere intelligentiâ & animo. Nota ſecundò, cordi & ori clamorem operum eſſe adjungendum. Remig. In Pſal. noſtr. *Clamavi,* inquit, *id eſt, irremiſsè bona operatus ſum.* S. Baſilius, *honeſtarum actionum præſentia, μεγάλη φωνή ἐστι*
§. Operis. *παρὰ θεῷ, magna vox eſt apud Deum.* Vox eſt ac grunitus ſuum, clamor impiorum apud Deum; & ſatiùs eſſet, eos vocem continere, quàm clamore iram Dei Vindicem excitare. Diogenes Laërtius libro 1. de vita philoſoph. refert in Biante, cum navigâſſe cum ſceleratis, coortaque procella, cùm illi querulis vocibus & clamoribus preces ad Deos jacerent: *Silete,* inquit, *ne Dii vos hic navigare ſentiant.* Nota tertiò, Hebr. eſſe אקרא *ekra, clamabo,* & ſic vertit S. Hieronymus. Septuaginta interpretes verterunt *clamavi,* in præterito: & ſæpè mutant futura in præterita: Primò, propter certitudinem Prophetiæ: Secundò, quia Propheta poſt viſionem faciebat Pſalmum, ideòque referebat ad viſionem de præterito: Tertiò, quia Sept. præviderunt Spiritu, qualiter iſti Pſalmi erant à fidelibus frequentandi in Eccleſia poſt adventum & paſſionem Chriſti, & poſt impletam Prophetiam: & ſic pronunciamus omnia de præterito, quia jam ſunt completa per Chriſtum. Ita Jacobus de Valentia, ſed iſta tertia ratio non ita arridet, duæ primæ bonæ ſunt. Adde, Hebræos, ut dixi, ſæpè uſurpare futurum pro præterito, & vice verſâ præteritum pro futuro.

35. Sanctos orare bonum eſt.

Tertiò, oratio ad Deum eſt dirigenda. Voce meâ *ad Dominum* clamavi. Nota primò, per actum virtutis obſervantiæ erga homines dignitate aut virtute præſtantes poſſumus petere opem interceſſionis apud Deum. Hanc petiêrunt Judæi Jeroſolymitani à Jeremia Propheta. Jeremiæ 42. 2. Judæi, qui erant in Babylone à Jeroſolymitanis. Baruch 1. 13. Ipſe Apoſtolus Chriſtianis Romanis, capite 15. 30. Coloſſenſibus capite 4. verſu 3. Theſſalonicenſibus, 1. epiſtola 5. 25. & 2. capite 3. verſu 1. Hebræis, capite 13. verſu 18. Nota ſecundò, per actum virtutis obſervantiæ erga Angelos & homines ſanctos in cœlo glorioſos, licet ab ipſis petere, ut Deum orent pro nobis. Ratio eſt, quia poſſunt efficaciter, & benignè volunt, apud Deum pro nobis intercedere. De Angelis id patet, Tobiæ 12. verſu 12. ubi Raphaël ait Tobiæ ſeniori: *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Deo.* Zachar. 1. verſu 12. Michaël totius populi Iſraël cuſtos & protector, videns interturbari è Cambyſe ædificationem templi Jeroſolymitani, poſt reditum à captivitate, ait: *Domine exercituum, uſquequò tu non miſereberis Jeruſalem, & urbium Juda, quibus iratus es? Iſte jam ſeptuageſimus annus eſt,* deſolationis ſcilicet, cujus anni incipiunt anno undecimo & ultimo regis Sedeciæ, quo everſa eſt Jeruſalem cum templo: & hi ſeptuaginta anni deſolationis finiuntur anno ſecundo Darii Hyſtaſpis, quo Angelus Michaël hæc petit à Deo: anni enim ſeptuaginta captivitatis, de quibus meminit Jeremias, incipiunt anno undecimo Joachim regis, quo occiſus eſt à Nabuchodonoſore, poſt tres menſes ejus filio Joachin, ſive Jechonia etiam rege in captivitatem ducto, & terminantur in anno, quo capta eſt Babylon à Cyro, & Judæi in patriam remiſſi. Secundò, homines etiam ſanctos in cœlo orare pro nobis, patet 2 Machabæorum decimo quinto, verſu decimo quarto: *Hic eſt, qui multum orat pro populo & univerſa ſancta civitate Jeruſalem, Propheta Dei:* agit de Jeremia dudum mortuo: ſi in limbis nondum aperto cœlo orabant Sancti pro ſuo populo, quid fiet nunc in cœlo? Apocalypſis quinto, verſu octavo: *Quatuor animalia & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas,* id eſt, pectora caſta cum plectro linguæ laudes Dei perſonantia, ut ait Rupertus: vel potiùs, varia muſica inſtrumenta: cithara enim ſynecdochicè pro aliis inſtrumentis ponitur: *& phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt* (Symbolicè & figurativè) *orationes Sanctorum:* oratio enim comparatur incenſo, & odoramentis ſacris, ac thymiamati, ut dicam Pſalmo 140. 2. ſatis fusè. Animalia porrò ibi intelligunt quatuor Evangeliſtas, S. Auguſtinus tractatu 36. in Evang. S. Hier. S. Greg. in cap. 1. Ezech. S. Ambroſ. & alii.

36. Propriè tamen ſolus Deus eſt orandus velut cauſa principalis donorum.

His poſitis; Dico tamen primò, ſolus Deus eſt orandus, tanquam Auctor & principalis Cauſa ſupernaturalium donorum gratiæ & gloriæ, quæ per orationem inprimis petimus. Nam ſolus Deus dat gratiam & gloriam. Dico ſecundò, ſolus Deus (atque adeò etiam Chriſtus Dominus, qui eſt verus Deus) eſt orandus per talem orationem, quæ ſit verè ac propriè actus Religionis: quo nimirum ei, qui invocatur, exhibeatur divinus cultus, petendo ab eo opem, tanquam à ſummo bonorum omnium Auctore, &c. Nam ſic orare aliquem alium præter Deum, manifeſta eſſet idololatria: ita noſter Gregorius de Valentia in 22. quæſtione octuageſimâ tertiâ, diſputatione ſextâ, quæſtione ſecundâ, puncto ſeptimo.

37. Oratio obtinet ea, quæ poſtulat.

Quartò, oratio obtinet à Deo ea, quæ petit. *Et exaudivit me de monte ſancto ſuo:* id eſt, de monte Sione, in quo erat templum, & in templo Deus ſedens in propitiatorio, & orationes ſervorum ſuorum exaudiens. Mons itaque pro templo ponitur per metonymiam. Secundò, de monte ſancto Deus exaudit, id eſt, cœlo: ſic erit catachreſis: cœlum enim abuſivè mons dicitur, de efficacia orationis ſæpè dicetur, hæc eſt ſcaturigo ſanctitatis. Vide Pſalmo quarto, verſu primo: *Cùm invocarem exaudivit me Deus juſtitiæ meæ.* Sanctus Chryſoſtomus legit, *audivit Deus juſtitiam meam:* audit etiam peccatores, & juſtos facit, ut patet in prodigo orante & ſuſcepto, & annulo ac ſtolâ exornato: in tot cæcis, ſurdis, leproſis, & ægrotis aliis ſanatis. Aggæi ſecundo, verſu vigeſimo quarto: *In die illa* (luce gratiæ oriente) *dicit Dominus exercituum, aſſumam te Zorobabel fili Salathiel, ſerve meus, & ponam te quaſi ſignaculum,* (id eſt, annulum ſignatorium) *quia te elegi.* Zorobabel eſt vir juſtus, quaſi diceret, *diſpergens ſeu diſſipans Babylonem* ſeu confuſionem. Salathiel verò ſignificat *petitionem Dei,* ſeu orationem divinam. Nemo naſcitur Zorobabel, niſi habeat patrem Salathiel: oratio generat Deo filios per gratiam, quam obtinet: & vice verſâ virtus ditat parentem, nempe orationem, & eam ſibi gratam facit. Ut enim ait S. Chryſoſt. auditur oratio, cùm ex puris labiis prodit.

38. Mons ſanctus eſt cor orantis.

Tropologicè: Mons ſanctus, unde exaudit Deus, eſt orantis cor, quod oportet ſanctum eſſe, ut explicat Heſychius: & velut in valle humilitatis ſub Deo, ut ait Hugo à ſancto Victore de clauſtro animæ capite vigeſimo ſecundo. Cor viri juſti eſt primò *mons,* propter altitudinem virtutum ſupernaturalium & ſtabilitatem habituum; atque ob altitudinem charitatis, quâ uſque ad Deum pertingit: & ob ſtabilitatem humilitatis, quâ ſe ſub terram dejicit. Secundò, eſt *mons ſanctus,* ob theſaurum gratiæ ſanctificantis & habitualis: atque ob actus virtutum & dona Spiritûs ſancti, quibus ſtillat dulcedinem, & fluit lacte & melle. Joël 3. verſu 18. *Et erit in die illa: ſtillabunt montes dulcedinem,* (vinum dulce) *& colles fluent lacte, & per omnes rivos Judæ ibunt aquæ;* Ubi Hugo à S. Victore: *Montes,* ait, *ſunt contemplationum ſublimia: colles, innocentia opera: rivi, pœnitentiæ exercitia: dulcedo eſt perfecta dilectio: lac eſt ſancta devotio: aqua, devota compunctio. In illa ergò die, hoc eſt, in illa unionis felicitate, ſponſa per gaudium contemplationis, dulcedinem accipit perfectæ dilectionis: à qua deſcendens, & ad ſe ipſam rediens, affluit lacte devotionis: unde ſeſe præ amore ſupernorum crucians, immergitur*

aquæ

aquis compunctionis, indeque egrediens, per pœnitentiam exercetur aſperam. Poſt hac, ad innocentiæ trahitur opera: demum ad contemplationis avolat faſtigia, dicens: Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?

Alleg. totus hic locus eſt de Chriſto, ut S. Thomas, Caſſiodorus, Euthymius, Haymo, Lyranus exponunt. Hebr. 5. 7. *In diebus carnis ſuæ*, id eſt, ut ait S. Thomas, dum in carne hac mortali & fragili inter homines viveret, *preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Græcè, ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, pro reverentia: tum activa, quâ ipſe reveritus eſt Patrem, erga illum reverenter & obedienter ſe gerendo: tum paſſiva, quâ Pater viciſſim reveritus eſt Filium, cum precibus offerentem ſanguinem infiniti valoris. Agit enim Apoſtolus & de oratione Chriſti in horto, ut ſanctus Thomas, Theodoretus & Oecum. exponunt: & de oratione in cruce, ubi ait: Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me! & prætereà, Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum, ut interpretatur ſanctus Ambroſius. Hoc enim ultimum dixit *clamans voce* magna, ut teſtatur S. Lucas 23. 46.

39. Mons ſanctus eſt Chriſti humanitas. — Montem ſanctum Remigius ait eſſe humanitatem Chriſti, *qui mons eſt propter eminentiam virtutum & ſtabilitatem fidei: ſanctus, id eſt, ſanguine unctus.* Vel mons ille eſt cognitio Dei, quâ ad cœleſtia divinaque evehimur, ut ait Didymus. Vel potiùs eſt divinitatis excellentiſſima ſummitas, ut explicat Caſſiodorus. Ut inde te Deus exaudiat, ad eum unum clama. Beda in Pſalmum noſtrum: *Ego clamabo, non ad aurum, non ad argentum, ſed ad te Domine: ut à te ſuſcipiar, & te præmium habeam:* quod voce cordis meliùs, quàm oris obtineri docet, ac ſubiexit: *Hâc voce clamat, qui corde clauſo ab omni affectione terrena, tota mentis affectione, non ad aliquid terrenum, ſed ad Deum aſpirat, ut ipſum præmium recipiat. Ille vero non hac voce clamat, qui magis terrena, quam Deum deſiderat.* Ita ipſe. Solebant ſe Judæi orantes ad montem Sionem convertere, ut Daniel etiam in Babylone exiſtens, Danielis ſexto, verſu decimo. & David hoc loco, ubi indicat ſe auditum à Deo in Sione ſedente, ut denotet ab eo non approbari conſilia Abſalonis, & ſequacium, licèt Jeroſolymam tenerent. Tu ad cœlum oculos erige, hic eſt verus mons *Sion*, & nos *ſpeculans*, & à nobis *ſpeculandus:* & civitas Dei viventis, Jeruſalem cœleſtis. Hebræorum duodecimo, verſu vigeſimo ſecundo. Inde exaudit Deus Pſalmo decimo nono, verſu ſeptimo: *Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo: in potentatibus* (S. Hier. in fortitudinibus) *ſalus dexteræ ejus.* In potentatibus, id eſt, in robore & viribus: De Chriſto Rege eſt ille Pſalmus.

Verſ. 5. 40. Securos facit Deus ſervos ſuos orantes. — Securos Deus facit ſervos ſuos orantes. Hoc ſibi accidiſſe David ait verſu quinto: EGO DORMIVI, ET SOPORATUS SUM, ET EXURREXI, (Pſalt. Ambr. ſurrexi. S. Hieronymus, evigilavi. Septuaginta, ἐξηγέρθην) QUIA DOMINUS SUSCEPIT ME. Hebt. יסמכני *iiſmecheni*, fulciet me. S. Hieron. ſuſtentabit me. Arabs, Adjutor meus. Petav. ἐμοὶ ἀντιταρροθός ἐστι, *mihi Auxiliator eſt*. Omni tempore juvat Deus: unde Hebr. futurum notant. Petav. Arabs præſens ponunt. Interpres noſter, Chald. Pſalt. Æthiopicum præteritum, *ſuſcepit me.* Sic etiam eſſe in textu Arabico dicit Lorinus, ſed *naceri*, ut habeo in verſione, quâ utor, quamque excudi curavit Gabriel Sionita Edenienſis, & Victorinus Scialac Accutenſis, ſignificat adjutorem: fortaſſe aliam habuit verſionem. Nota, *dormire & ſoporari*, ſeu ſomnum capere, ſumi pro eodem, ut ait S. Auguſt.

41. Senſus triplex. Primò. — Senſus autem triplex eſſe poteſt. Primò, q. d. incidi in ſomnum peccati, ſed per emendationem ſurrexi. Ita S. Athanaſius, S. Cyrillus, S. Thomas, Origenes, Nicephorus. *Dormivi ſocordia*, ait Theodoretus, *exurrexi pœnitentiâ.* Pſalmo 75. 6. *Turbati ſunt* (S. Hieron. ſpoliati ſunt) *omnes inſipientes corde*, (S. Hieron. *ſuperbi corde:* humilitas eſt vera ſapientia: quia creaturæ nihil ſunt Deo collatæ) *Dormierunt ſomnum ſuum*, (S. Hieron. dormitaverunt ſomnum ſuum: peccatum non eſt ſecurus ſomnus & quietus, ſed ſomnium & inſomnium) *& nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis;* qui in capite multa verſabant. Nota, peccatum eſt ſomnus: Primò, quia ſenſus interiores mentis ligat. Secundò, curam ſalutis tollit, & notitiam periculorum. Proverbiorum 23. 34. de ebrio dicitur: *Eris ſicut dormiens in medio mari, & ſicut ſopitus gubernator amiſſo clavo.* R. Salomon in vertice clavi: id eſt, gubernaculi navis. Arias, in capite rudentis. Pagninus in capite, id eſt, in vertice mali navis, nempe in Carcheſio, ſeu Gabia, ex qua excubitor hoſtes, ſcopulos, aliaque proſpectat: Interpres noſter, Septuaginta, Chaldæus, Syrus meliùs, amiſſo clavo, q. d. in ſummo eris periculo, & de eo non cogitabis, & tempore ſocordiæ tuæ ac ſomni tollentur à te omnia præſidia & ſtultates, quibus ſibi poteras providere, ut etiam, cùm volueris periculum avertere, non poſſis. Tertiò, ſomnia multa occurrunt, & phantaſiam conturbant, & peccatorem decipiunt. Eccl. 34. 1. *Vana ſpes, & mendacium viro inſenſato, & ſomnia extollunt* (Græcè, ἀναπτεροῦσι, volare faciunt, ut Roman. habent) *imprudentes.* Alii vertunt, *ſomnia pennas addunt amentibus:* facilè ſibi perſuadent ſe obtenturos divitias, honores, delicias, de quibus ſomniaverunt. Syr. *ſomnium lætitia vana:* delectat, ſed vanos & vanè. Philo ex Platone ait, ſpes mortalium ſunt ſomnia vigilantium. Quartò, excitatus à ſomno cognoſcit ſe nec cibis, nec potu, nec auro, argento, gemmis, viſis & guſtatis eſſe ſatiatum aut ditatum: nihil invenit in manibus ſuis. Contrà verò otiſa ſunt in manibus mulieris, id eſt, animæ fortis, quæ eſt vigilans. Proverbiorum 31. 18. *Guſtavit, & vidit*, (non priùs videt, quàm guſtet, andiverat: Guſtate & videte) *quoniam bona eſt negotiatio ejus*, (circuitio ejus, ut vertit Arias) *non extinguetur in nocte lucerna ejus.* Verſu 16. *Manum ſuam* (Septuaginta, cubitos ſuos: toto brachio laborat) *miſit ad fortia* (Septuaginta; ad utilia jungit honeſto utile: non curat dulcia. Theodotio, Aquila & Symm. ad virilia) *& digiti ejus apprehenderunt fuſum.* Inde additur verſu 21. *Non timebit domui ſuæ à frigoribus nivis:* (Chaldæus, non timebunt filii domûs ejus à nive) *omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus.* Caſſianus collat. 14. capite 8. legit *dupliciter*, ſinguli enim non tantùm habent unam veſtem æſtivam, alteram hyemalem, ſed prætereà in hyeme duplicem, aut unam ſed ſuffultam alio adhuc panno. Nota ſecundò, per dormitionem poſſis intelligere lapſum in peccatum: per ſoporationem verò, diuturnam in eo moram. Cave, ne ſit ſopor lethargicus. Nota tertiò, peccator, dum vivit, dormit, excitari poteſt: poſt hanc vitam verò mortuus eſt, nec vita gratiæ illi redditur. In ipſa tempeſtate aliquando peccator dormit, ut Jonas cap. 1. 5. *Dormiebat ſopore gravi.*

Secundò: Senſus eſt, q. d. in calamitate mea, & afflictione dormivi, & ſomnum cepi tot malis degravatus & oppreſſus: ſed per recuperationem priſtinæ dignitatis & lætitiæ exurrexi, atque à Deo ſuſceptus ſum. Ita ſanctus Hieronymus & Euthymius. Sic de Jacobo Patriarcha audiente Joſephum filium ſibi chariſſimum in Ægypto vivere & dominari, dicitur Geneſis 45. 26. *Quo audito Jacob, quaſi de gravi ſomno evigilans, tamen non credebat eis.* Afflictio eſt ſomnus, & ſomnus gravis & degravans, verſu 27. *Cùmque vidiſſet plauſtra & univerſa, quæ miſerat, revixit ſpiritus ejus.* Afflictio eſt mors, & ſæpè mors animæ: exurgendum eſt, & tunc Spiritus ſanctus vivet in nobis: in pace enim & lætitia eſt locus ejus. Chald. vertit: *Quievit Spiritus ſanctus ſuper Jacob patrem ipſorum.* Sanctus Chryſoſtomus ait, Jacobi animum revixiſſe inſtar ignis lucernæ, qui oleo deficiente emoriens infuſo oleo reviviſcit. — Secundò.

Tertiò, & meliùs: Senſus eſt, q. d. cùm clamaviſſem ad Deum, & me exauditum ſenſiſſem, tantam animi quietem percepi, ut ob circumſtantes hoſtes non angerer, ſed crederem, fore, ut res proſperè cederent atque illud, quod ſpectaveram, contigit, Deo me — Tertiò, & genuinè.

me ſuſcipiente & extollente. Ita S. Hieronymus, Arias, Genebr. Clarius, Eugubinus, & alii. Et quidem pro, *ſoporatus ſum*, legit S. Iſidorus in cap. 3. Geneſ. & Pſalterium Ambroſ. *quievi*. S. Ambroſius, *requievi*. Proverbiorum 3. 24. Sapientia pollicetur ſecurum ſomnum ſervanti legem ſuam & conſilium. *Si dormieris*, ait, *non timebis: quieſces, & ſuavis erit ſomnus tuus.* Vatablus vertit, jucundus. Hebr. *areba*, aliqui vertunt, *oppignoratus erit*, q. d. in pignus futuræ mortis tranquillæ, & beatæ reſurrectionis, dabitur tibi ſomnus tranquillus, qui velut arrha erit beatitudinis. Eccleſiaſt. 5. 11. *Dulcis eſt ſomnus operanti.* Shirwodus, *negotianti*, (in nundinis & mercatu ſumus: Hebr. & Arab. ſervi) *ſive parum, ſive multum comedat: Saturitas autem* (Brylinger translatio *impletio ditati*: Arab. aviditas in divitiis) *non ſinit eum dormire*: ſemper enim timet, ne aliquid in theſauris, in ſupellectile, in villis, in vinetis, in ſylvis, in agris, aliiſque pereat.

42.
Chriſtus dormivit in paſſione, excitatus eſt in reſurrectione.

Alleg. locum hunc de Chriſto exponunt S. Auguſt. S. Cypr. S. Iſidor. Origenes, & alii penè omnes. Non conſentio tamen Lenni à Caſtro, qui alios ſenſus de Davide rejicit. Primò igitur, dormitio Chriſti paſſionem, ſopor mortem, ſurrectio & ſuſceptio reſurrectionem ac divinam virtutem, quâ de ſepulchro exiliit, denotant, ita S. Thomas Beda, Remigius. Secundò, dormitio & ſopor figurant Chriſti mortem, ſurrectio ejus reſurrectionem: unde Pſalterium Romanum habet, *reſurrexi*: ſuſceptio denique elevationem Chriſti ad regnum, quando in cœlum aſcendit, & ſedet ad dexteram Patris. Nota primò cum Origene & ſancto Chryſoſtomo hom. 67. in Joan. ſæpè in Scripturis paſſionem & reſurrectionem ſimul poni: Dominus enim *mortificat & vivificat: deducit ad inferos, & reducit*, ut ait Anna mater Samuelis. Chaldæus vertit: ab inferis deducit ad vitas æternitatis, quod de animabus à Chriſtus ereptis è Limbo exponit Theodoretus, de ipſo Chriſto etiam dici poteſt. Nota ſecundò, mors Chriſti vocatur ſomnus, ut intelligas 1. Sedatam & ſecuram fuiſſe ejus mortem atque paſſionem. 2. Brevi ſurrecturum eſſe: ita Caſſiodorus. 3. Ligatam quidem quodammodo fuiſſe ejus potentiam, cùm paſſus eſt; illam enim tunc non exeruit, ut ſe liberaret: in ſepulchro tamen placidè & ſine tumultu jacuiſſe. Ita Haym. 3. Propriâ virtute ſeſe excitatorum, quod facit, qui dormit: mortuus verò ab alio debet excitari, ut Lazarus, Joannis 11. verſu 43. Chald. in Pſalmo noſtro vertit, אתערית *ithearith*, *me ipſum ſuſcitavi*, & Syrus, *ethteireth*, *evigilare me feci*. Utrumque enim eſt in conjugatione Ethpaël, ubi actio denotatur in ſeipſum, S. Hieronymus, *evigilavi*. Poteſtatem illam ſuam declarat Chriſtus ipſe Joannis 10. 17. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam*, (hinc confuta Apollinarem negantem in Chriſto fuiſſe animam) *ut iterùm ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo: & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterùm ſumendi eam.* Ut homo, ponit animam; ut Deus, illam reſumit, ut ait S. Cyrillus Alexandrinus. Hoc figuratur in leone à ſomno excitante. Geneſis 49. ℣. 9. Jacob benedicens Judam, & ex eo naſciturum prævidens Chriſtum, ait: *Catulus leonis Juda: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti ut leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum?* q. d. nemo: ſed quamdiu volet, dormiet: deinde verò evigilabit. Ad prædam aſcendit Chriſtus, animas dæmoni eripiendo: unde vocatur Iſaiæ 8. ℣. 3. Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari; in morte accubuit & requievit, ſed ut leo: mortem morte occidendo, & dæmonem triumphando in ſemetipſo: ſeipſe excitat à morte, cùm ſit Deus. Nota tamen tertiò, & à Patre etiam Chriſtum fuiſſe ſoporatum: quia præceptum fuiſſe ſoporatum: quia præceptum acceperat moriendi: & à Patre eſſe ſuſcitatum: unde in Græco eſt ἐξηγέρθην *ſum ſuſcitatus*. Hoc figuratum eſt in ſomno Adami, Geneſis ſecundo, verſu vigeſimo primo: *Immiſit ergò Dominus Deus ſoporem* (Hebr. תרדמה *thardema*, ſomnum profundum, gravem & fortem, ut ait R. David) *in Adam: cùmque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea: & ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Hoc contemplans ſanctus Auguſtinus in ſentent. 328. *Dormit*, inquit, *Adam, ut fiat Eva; moritur Chriſtus, ut fiat Eccleſia. Dormiente Adam fit Eva de latere: mortuo Chriſto lancea perforatur latus, ut profluant Sacramenta, quibus formetur Eccleſia.* Chriſti ſuſcitatio per Patrem in leone notari poteſt. Phyſici enim docent, ut refert ſanctus Eucherius, catulum leonis, cùm natus eſt, triduum dormire, tertio die fremitu patris tremefacto cubili excitari: ita Chriſtus tertio die per ſuam & Patris potentiam, quâ ſimul terræ motum induxit, reſurrexit.

Tropologicè. Primò, ſomnus ſeu dormitio denotat contemplationem, quâ cor à rebus omnibus terrenis abſtrahitur, & Deo ſoli vigilat. Canticorum 5. 2. Secundò, ſopor deſignat profundiorem contemplationem, & à qua mens vix avelli poſſit: talis eſt in extaſi, raptu, animæ volatu, de quibus fusè dixi, Pſalm. 115. 11. Sponſus jubet Canticorum 5. 5. *Adjuro vos filiæ Jeruſalem per capreas cervoſque camporum*, (Sept. in virtutibus & viribus agri) *ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* Pſal. 4. 9. Anima ſancta dicit: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* Vide ibi dicta. Tertiò, exurgit, qui animo ſupra ſe erigitur. Thren. 3. 28. *Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia levavit ſuper ſe.* Rupertus & Rabanus legunt, *levavit ſe ſuper ſe*: à terra ſcilicet ac terræ deſideriis & amore ad cœlum & cœleſtium, Deique ipſius amorem. Ibi fit anima excelſior & fortior ſeipsâ, Pſalmo 67. 28. *Ibi Benjamin adoleſcentulus* (S. Hieronymus, parvulus: ſis Benjamin, id eſt, filius dexteræ: ſed parvus in oculis tuis per humilitatem: ea enim ſola ſublevat) *in mentis exceſſu.* S. Auguſtinus, in ecſtaſi. Hanc humilitatem extollentem, & oculos in contemplatione aperientem vidit Propheta Sophonias capite primo, verſu primo: *Verbum Domini, quod factum eſt ad Sophoniam filium Chuſi, filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Ezechiæ, in diebus Joſiæ filii Amon regis Juda.* Sophonias ſignificat ſpeculatorem Domini: item, abſconditum Domini. Qui benè vult divina contemplari, ſe ſuaque abſcondat, & clauſo oſtio orat Patrem in abſcondito. Eſt filius Chuſi, id eſt, humilitatis: ſic enim S. Hieronymus in comment. interpretatur: *Sophonias*, inquit, qui erat in ſpecula, & *in ſublimibus conſtitutus, & noverat ſublimia Domini, filius erat Chuſi, qui interpretatur humilitas. Habebat quoque avum Godoliam, qui dicitur magnitudo Domini, & proavum Amariam, qui & ipſe vertitur in ſermonem Domini: & atavum Ezechiam, qui ſonat fortitudo Domini. De fortitudine itaque Domini natus eſt ſermo Domini, & de ſermone Domini nata eſt magnitudo Domini, & de magnitudine nata eſt humilitas, ut, cùm pervenerit aliquis ad perfectum, dicat: Quia non ſum dignus vocari Apoſtolus. Et illud in Pſalmis: Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.* Hæc Hieronymus.

43.
Somnus animæ eſt contemplatio.

ARTICULUS IV.

Etiam innumeros hoſtes ſuperat, qui Deo ſervit, eoque innititur: Deus enim omnes conterit.

NOn in fuga tantùm David Deum Suſceptorem experitur, in cujus ulnis ſecurè dormiat, ſed etiam in bello Protectorem & Victorem videt, qui undique affluentes hoſtes diſſipet, ℣. 6. NON TIMEBO MILLIA POPULI CIRCUMDANTIS ME. Hebræus & Syrus, decem millia: hoc enim ſignificat, *ribeboth*. Felix vertit, *prælia*: Chaldæus apud Nebienſem, *litem*. Legerant *riboth*: nam ריב *rib*, ſignificat litem, contentionem, prælium. Arabs, *pluries decem millia*: ſeu, multæ myriades: ſecutus eſt Septuag. qui habent μυριάδων: myrias autem ſumitur pro decem millibus: ſicut chilias, pro mille. Chaldæus etiam in bibliis regiis habet רבון *ribavan*, id eſt, myriades. Opem petit David, cùm ſubdit: *Exurge Domine, ſalvum me fac Deus meus*,

Verſ. 6.
1. Para.
44.
Deus Davidem protegit.

mens, eſt catachreſis. Deus enim nec ſedet, nec jacet, nec ſurgit, nec ſtat, nec ambulat. Eſt enim immenſus, & omnem locum occupat, nullo concluſus loco: Dormire verò dicitur, cùm non juvat ſenſibiliter ſervos ſuos: Exurgere, cùm incipit auxilio ſuo adeſſe. Ideò ſæpè rogatur à Rege noſtro afflicto, ut exurgat. Pſalmo quadrageſimo tertio verſu vigeſimo tertio. *Exurge, quare obdormis Domine?* (Chaldæus: *Quare ſicut obdormiens es Domine?*) *exurge, & ne repellas in finem.* S. Hieronymus vertit: Evigila: quare projicies in ſempiternum? Et verſ. 26. cauſam addit, cur velit eum ſurgere. *Exurge Domine, adjuva nos: & redime nos propter nomen tuum.* S. Hier. propter miſericordiam tuam. Ubi nota, Dei nomen eſt miſericordia: vocatur enim JEſus, id eſt, Salvator: & Chriſtus, id eſt, unctus, oleo ſcilicet miſericordiæ, quod à capite deſcendit in barbam, id eſt, in Prælatos, & in veſtem, hoc eſt, in totam Eccleſiam & congregationem fidelium. Vide Pſal. 67. 1. & ſeqq.

45. Multi Abſalonem ſecuti ſunt. Nota, multa millia, imò & myriades populi, cum Abſalone rebellantis, circumſiſtebant Davidem: unde initio exclamavit: *Domine! quid multiplicati ſunt, qui tribulant me? Multi inſurgunt adverſum me.* Vide illum locum, dixit nuncius, conjurationem in Hebron factam referens 2 Regum 15. verſu 13. *Toto corde* univerſus Iſraël ſequitur Abſalom, quod Chald. in verſu, quem enodamus, ſignanter expreſſit, cùm vertit: *Non timebo à myriadibus populorum, qui,* חזור הזור *hazor, hazor, circuncirca coadunati ſunt contra me.* 2. Ardorem & robur illorum hoſtium declarat Arabs. Non timebo myriadas gentium circumdantium me, & *inſurgentium in me.* 3. Arrogantiam & jactantiam velut jam victorum, atque crudelitatem ut jacentem obterentium indicant Septuaginta, cùm reddunt, *κύκλῳ συνεπιτιθεμένων μοι, in circuitu ſuperpoſitorum mihi:* ut ſolent canes venatici in cervum, aut in leonem, aliamve prædam multitudine proſtratam irruere, in eam inſilire, pedibus illam calcare, dentibus proſcindere: unde poſteà dicit, dentes hoſtium ſuorum à Deo contritos eſſe. Itaque, hìc videtur alludere ad eam canum multitudinem, quæ prædam ſuam circuncidat, ne evadat: & dejectum devorat. Aliis comparationibus multitudinem illam Abſalonis partibus ſtudentium exponit Chuſai amicus Davidis, ut impediat eum, ne ſtatim patrem perſequatur, ei oſtentans exercitum immenſum, quem citiſſimè poſſet comparare, ſicque Davidem securè aggredi & vincere. Hoc autem dicebat Chuſai, ut daret tempus Davidi ad tranſeundum Jordanem, & fugiendum, ſicut accidit: ſed Abſalom ſciens affectum totius populi erga ſe, credidit monenti his verbis, ſecundo Regum decimo ſeptimo, verſu undecimo: *Congregetur ad te univerſus Iſraël, à Dan uſque Berſabee* (à termino Judææ Septentrionali uſque ad meridionalem: id eſt, ex tota Judæa, pro qua ibi ſumitur Iſraël) *quaſi arena maris innumerabilis, & tu eris in medio eorum*, eos regens, & tuâ præſentia animans. Hebræus: Facies tua vadat in bellum, ut Pagninus vertit, vel facies tuæ euntes in conflictu, ut Arias, quaſi diceret, tibi eundum eſt ad bellum, ut in medio exercitu collocatus videas, quid in omni loco geratur, & facies lucem det omnibus, & ardorem pugnantibus. Oculi regis ſunt fulgetræ, hoſtes perſtringentes: & ſuaves radii, ejus ducibus ac militibus. 2. Similitudinem petit Chuſai ab innumeris roris guttis, verſu duodecimo: *Et irruemus ſuper eum, in quocumque loco inventus fuerit: & operiemus eum, ſicut cadere ſolet ros ſuper herbam*, (ſic Maro Æneid. 7. vocat nimbum peditum. Silius libro duodecimo telorum nimbum. Claudianus, belli nubem) *& non relinquemus de viris, qui cum eo ſunt, ne unum quidem*, qui illo rore & pluvia non obruatur & demergatur, ſi in apertis campis ſe nobis opponant. 3. Subdit Chuſai verſu decimo tertio: *Quòd ſi urbem aliquam fuerit ingreſſus, circumdabit omnis Iſraël civitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, ut non reperiatur ne calculus quidem ex ea:* eſt hyperbolica & proverbialis locutio, quaſi diceret, illum ibi facilè concludemus, ita ut evadere non poſſit, & urbem facili negotio & brevi tempore ob multitudinem exercitûs noſtri funditùs evertemus: ſimile hyperbole ait Chriſtus de Jeruſalem & ejus templo, Matthæi vigeſimo quarto, verſu ſecundo: *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur:* Joſephus tamen ait libro ſeptimo de bello Judaico, capite decimo octavo, relictas turres, quæ magis eminebant, nempe Phaſaelum, Hippicum & Mariamnem, & muri tantum, quantum civitatem ab Occidente cingebat. Sic de Tyro dicit Deus Ezechielis 26. 4. *Radam pulverem ejus de ea, & dabo eam in limpidiſſimam petram:* i. e. in rupem, ſupra quam erat extructa civitas. Hebr. צור *tor*, unde fortaſſe turris derivatur, petram ſignificat, rupem, munitionem, propugnaculum: data eſt in petram limpidiſſimam: ſeu, ut vertunt Septuaginta, nitidiſſimam, cùm omnia ejus ædificia ſunt everſa, & ſolo æquata.

Alleg. Chriſtum circumdederunt hoſtes multi in horto Gethſemani, Matth. 26. 47. Ecce unus de duodecim venit, & cum eo *turba multa cum gladiis & fuſtibus.* Joan. 18. 3. vocat cohortem: erat autem cohors decima pars legionis, continens ut plurimùm milites 500. Chriſtus autem non timuit millia populi circumdantis ſe, ſed animo imperterrito obviam proceſſit, & ait: *Quem quæritis?* Seque ipſe hoſtibus furentibus manifeſtavit. De toto tempore Paſſionis poteſt etiam locus hic intelligi. Vide verſum 1. *Domine! quid multiplicati ſunt, &c.* non placet Valentia, qui explicat de tempore prædicationis Chriſti, & adhuc minùs Dion. Carthuſ. qui de tempore Reſurrectionis ejus.

Tropolog. Deo juvante non eſt timendum: 1. In bello corporali. 2. In bello ſpirituali.

Ac primò: In bello etiam corporeo juvat Deus, 46.
eſt enim Deus Sabaoth, id eſt, exercituum, non In bello
modò cœleſtium, ſed etiam terrenorum; & ſæpè corporeo
dat victoriam, vel uni, vel paucis in multos. De Deus
Davide id oſtendemus verſu ſeq. de amico ejus Jona- adjuvat.
tha filio Saulis, habes 1 Reg. 14. Samſon unus nu- Uni vel
meroſa Philiſthinorum agmina fudit, fugavitque, paucis
Judic. 4. & ſeqq. dat aliquando

Unus Scævola ſcopulum Britanniæ proximum, victo-
acerrimè pugnans diu ſervavit in plurimos hoſtes, riam, ut
& loco cedere coactus, natatu ad Cæſarem evaſit. Samſoni.
Valer. lib. 3. cap. 2. qui aliàs meminit Scævæ militis 1. *Scævola*
caſtellum propugnantis, cujus clypeus fuit perfoſſus *virtus.*
centum & viginti ictibus. 2. *Scæva.*

Titus ſolus ex mediis hoſtibus ſe explicat in obſi- 3. *Titus.*
dione Jeroſolymæ, ut refert Joſephus lib. 6. cap. 2. & 3. belli Judaici. Simon Saulis filius in eodem bello 4. *Simeon.*
frequenter integros Romanorum cuneos fudit, *ita ut totius aciei munimentum ſolus exiſteret*, ut ait idem author lib. 2. c. 19.

Hetruſcos duce Porſenâ Rege Romam invadentes ſolus Horatius Cocles in ponte ſuſtinuit, 5. *Horatii.*
donec extrema pars pontis frangeretur, ut ait Florus lib. 1. cap. 10. Achillinus Beliſarii miles, ſolus 6. *Achillinus.*
impetum Gothorum Romæ ad portam Pincianam repreſſit, teſte Procopio. De Diogene ejuſdem Beliſarii equite vide eundem Procop. lib. 3. de bello Vandal. Andreas Baumkircher ſolus etiam Romæ 7. *Baumkircheri.*
impetum Auſtriacorum pro mœnibus in ponte ſuſtinuit, cùm Fridericus II. Imp. coronam imperatoriam peteret, & rebelles Novam civitatem occupare vellent, ut tradit Bonfin. lib. 7. decad. 3. quam fortiter ſe geſſerit olim Cynægirus, docebit te 8. *Cynægiri.*
Juſtinus lib. 2. de Mellita, vide Sabel. lib. 3. Ennead. 11. de Sigiſmundo, Æneam Sylv. lib. 3. comm. de rebus Alphonſi, de Siccio, Sabell. lib. 4. Enn. 3. de Catone juniore, Plut. in vita.

Pauci ſæpè in bello multos vincunt, ut Deus de- 47. Pauci ſæpè multos vincunt.
noret, ſe eſſe Datorem victoriæ, Deut. 32. 30. *Quomodo perſequatur unus mille*, (unus hoſtis, unus miles ex hoſtili acie mille Iſraëlitas peccatores) *& duo fugent decem millia?* q. d. quomodo id fieret, niſi quia, cùm ſit gens abſque conſilio & prudentia, Deus eos reliquit; unde ſequitur: *Nonne ideò, quia Deus ſuus vendidit vos, & Dominus concluſit illos?* Contrà verò, cùm Iſraëlitæ Deo ſerviebant, vel

numeen pauciſſimi penè innumeros fugabant, ut patuit in ingreſſu terræ promiſſæ, Joſue 6. & ſeqq.

1. Patuit in Gedeone. In Gedeone poſteà, qui com trecentis tubss unâ manu, & lagenas fictiles alterâ tenentibus vicit Madianitarum exercitum, qui erat ot minimum centum & triginta quinque millium, ex quibus primo impetu cæſa ſunt 150. millia, reliqua quindecim millia fugientia com Zebee & Salmana regibus ſuis cæſa deinde ſunt ab eodem Gedeone, eos cum ſuis 300. militibus perſequente trans Jordanem, cap. ſeq.

2. In Juda Machab. ✠. 10. & ſeq. Itaque jure dicebat Judss Mschabæos, 1. r. c. 3. 18. *Facile eſt concludi multos in manu paucorum: & non eſt differentia in conſpectu Dei cœli, liberare in multis & in paucis.* Vide ejus victorias variis in locis cum psuciſſimis copiis.

3. In Gallis equitibus. Triginta equites Galli, qui cum Cajo Jolio Cæſare erant in Africa, duo Maurorum millia ſuo impetu averterant, ut refert Sabellicus lib. 7. Enn. 6. Cùm Mahomete Turcarum Imperatore Rhodum obſidente jam plurimi Turcæ per ruinas conſcendiſſent muros,

4. In Pet. Daubeſſon. Petrus Daobeſſon Gsllus, Rhodiæ religionis magiſter, eum duobus ſuis nepotibus, & quatuor aliis militibus, eos ab ingreſſu in urbem prohibuit, ut tradit Fulgoſus lib. 3. & urbem liberavit.

5. In Netira & Philippo. Joſephos lib. 4. de bello Jud. cap. 9. duorum fratrum Netiræ & Philippi fortitudinem mirabilem refert. Cùm enim Jotapats à Veſpaſiano obſideretur, ſuper milites decimæ legionis proſilierunt tanto impetu, ut & aciem Romanorum perrumperent, quique adverſum ierant, omnes in fugam verterent.

Magni exercitus à parvis victi. A parvis exercitibus fuſos maximos in toto Orbe probavi in illud Pſ. 32. 16. *Non ſalvatur Rex per multam virtutem*; id eſt, per numeroſos exercitus.

48. In bello ſpiritus vir fortis innumeros hoſtes vincit. *Jonathas fuit ejus ſymbolum.* *1. Fide armatus erat.*

Secundò, in bello præſertim ſpirituali & unus dæmon fugat, & ſternit decem millia languidorum, & unus vir fortis mille millia dæmoniorum, ut Abraham muſcas è ſacrificio diſſipat, & Moſes ranas innumeras, muſcas, ſciniphes, locuſtas unâ prece occidit, aut ab Ægypto ejicit. Hoc in uno Jonatha figuratum intuere, lib. 1 Reg. 14. qui ſolus cum armigero ſuo integrum exercitum Philiſthinorum dat in fugam. Primò, nota Jonathæ fidem, qui audet ſolus ad tot hoſtes tranſire: ait enim armigero, ✠. 1. *Veni, & tranſeamus ad ſtationem Philiſthinorum, quæ eſt trans locum illum.* S. Bernardus ſerm. ad milites templi, cap. 4. ait: Imminente bello *fide intus, foris ferro, non auro muniuntur*, quatenus armati, & non ornati, hoſtibus metum incutiant non provocent avaritiam: Ita ibi. Monet S. Petrus 1. epiſt. 5. 9. dæmonem inſtar leonis circuire, & quærere, quem devoret; ac ſubdit: *Cui reſiſtite fortes in fide.* De ſanctis Patribus ait Paulus Hebr. 11. 34. Fortes facti ſunt in bello.

2. Charitate. Secundò, non fide tantùm, ſed charitate armatus proceſſit Jonathas, ut populo Dei ſuccurreret, eumque in libertatem aſſereret, verſu 2. *Saul morabatur in extrema parte Gabaa ſub malogranato*; inde egreſſus erat Jonathas, qui ſignificat domum Dei. Malogranatum autem figurat charitatem, præſertim in Regibus & Principibus erga populum. Ut enim ait Franciſcus de Mendoza malogranatum in ſuo flore elegantem habet purpuream coronam: in pomo autem, purpuram in granis, coronam in vertice: hæc autem reginæ virtutum in principe ſunt ſymbola, & quidem Theodoretus dicit lib. 3. in Cant. *Malogranatum ſignificat animorum charitatem, quam Reges ſuo in regno maximè curare & conſervare debent:* ait quoque deſignare prudentiam gubernatricem, quæ ſubditos in officio continent. S. Hier. lib. 1. contra Jovinianum, vult figurare concentum omnium virtutum. S. Ambroſ. lib. 3. Hexaëm. cap. 13. docet ſignificare multitudinem negotiorum & conſiliorum, quæ à Regibus fido ſilentio occultantur. Transfer ad patresfamilias & ad Chriſtianos omnes, quos virtus ſpirituales Reges facit.

3. Spe. Tertiò, ſpem ſuam erigit Jonathas, nec deſperat ob difficultates objectas, verſu 4. *Erant inter aſcenſus, per quos nitebatur Jonathas tranſire ad ſtationem Philiſthinorum, eminentes petra ex utraque parte, & quaſi in modum dentium ſcopuli hinc inde prærupti: nomen uni Boſes, & nomen alteri Sene.* Hebr. בוצץ *boſes* ſignificat, *in eo flos*: q. d. בו *bo*, in eo: ציץ *ſis*, flos. Vel. *lutoſus*, à Rad. *baſas*, unde בוץ *bes*, lutum, cœnum. *Sene* autem ſignificat rubum, deſertum, terram aridam & ſiccam. Impeditur curſus noſter florente Mundi formâ, quia flores ponit in luto, ideò malè olent: impeditur etiam adverſitate, quia mentem curis pungit, & aridam facit. *Non minùs*, ait Beda, *florente quàm adverſante & pungente Mundo, Sanctorum aſcenſus impeditur: & ut vel corpore, vel corde deficiat, ab infatigabili hoſte pulſatur.* Ecce difficultatem, vide ſpem Deo fidentem, verſ. 6. *Dixit autem Jonathas ad adoleſcentem armigerum ſuum: Veni, & tranſeamus ad ſtationem incircumciſorum horum*, (hoſtis eſt contemnendus) *ſi fortè faciat Dominus pro nobis: quia non eſt Domino difficile ſalvare vel in multis, vel in paucis.*

4. Prudentiâ. *5. Conſtantiâ.* *6. Fortitudine.* *7. Felicitatem Deus dedit.* Quartò, prudentiam vide verſ. 8. & ſeqq. Quintò, conſtantiam & perſeverantiam, verſ. 13. Sextò, fortitudinem, quâ omnes obvios ſternebat. Septimò denique, felicitatem facto in caſtris miraculo, terræ motu orto, & hoſtibus in fugam verſis, verſ. 15.

49. Circumdamur hoſtibus. 1 Mundo figurato in Roman Jeroſol. cingentibus.

Circondant nos hoſtes. Mundus quidem figuratus in Romanis Jeroſolymam obſidentibus: de ea Chriſtus Luc. 19. 43. *Venient dies in te*, (id eſt, tibi) *& circumdabunt te inimici tui valle, & circumdabunt te.* Bis circumdabunt, id eſt, vallo duplici 1. Corpus. 2. Animam: utrumque terrâ & terrenis cingent. Vallum enim eſt munimentum caſtrorum, quod fit ex vallis, id eſt, palis, aggeſta ſimul *terra*, ceſpitis & lapidum copia: unde & agger dicitur. Illâ aggeſtione variorum actuum terrenorum fit malus habitus, animam totam ambiens & circundans. Titus & Romani circa Jeruſalem tres aggeres erexerunt. 1. Eſt Mundi agger. 2. Carnis. 3. Dæmonis, deinde Titus & Romani per triduum muro totam orbem cinxerunt: hoc faciunt hoſtes 1. Per cogitationem. 2. Per locutionem. 3. Per operationem: quatenus in luce tota vita hominum decurrit, additur: *Et coanguſtabunt te undique*, (cor arctando doloribus & curis) *& ad terram proſternent te*, dicent: Iſai. 51. 23. *Incurvare, ut tranſeamus.*

2. Carne, figurata in Sodomitis domum Loth vallantibus. Secundò, Caro mentem circundat, ut Sodomitæ domum Loth, ſed retine intùs Angelos & angelicas cogitationes, & te liberabunt, Geneſ. 19 4. *Priùs autem, quàm irent cubitum*, (ſunt tenebroſæ imagines) *viri civitatis vallaverunt domum à puero uſque ad ſenem, omnis populus ſimul:* à pueritia uſque ad ſenectutem non ſis ſecurus, David puer & adoleſcens fuit caſtus, adulterium commiſit natus annos 49. licèt plures haberet uxores, quibus licitè uti poſſet. 3 Reg. 11. 4. *Cùm Salomon jam eſſet ſenex depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos.* Itaque verè idola eum coluiſſe docent S. Irenæus lib. 4. cap. 45. S. Juſtin. contra Tryphonem. S. Baſilius epiſt. ad Chelid. S. Anguſt. lib. 14. de Civit. Dei cap. 11. Inter cætera idola recenſentur loco citato 3 Reg. Aſtarthe Dea Sidoniorum, id eſt, Venus. 2. Moloch, ſive Melchom idolam Ammonitarum, quod alii Jovem, alii melius Saturnum fuiſſe dicunt. 3. Chamos idolum Moabitarum, id eſt, Bacchum: hinc κῶμος, temolentia, deducitur. Sed ſi vis hæc evitare, noli domo egredi, noli contendere & colloqui cum carnalibus, patere te ab Angelis intra mentis tuæ domum claudi, occlude oſtium ſuper te, cæcitate percuſſos deplora, effuge ad montem, id eſt, religionem, ſi Angeli incitant, & ibi ſalva animam tuam com filiabus, id eſt, facultatibus ejus.

3. Dæmonibus. Tertiò, dæmones armati circunſtant, Job. 16. 11. *Concluſit me Deus apud iniquum: & manibus impiorum me tradidit:* Et ✠. 14. *Circumdedit me lanceis ſuis, convulneravit lumbos meos, &c.* Id de illuſionibus lumborum per carnem commodè dicitur. S. Greg. tamen de diabolo exponit lib. 13. Mor. cap. 6. *Antiquus*, ait, *hoſtis tentationis ſua vulnere ab omni parte nos impetit. Sæpè enim, dum gula reſtringitur, ut libido ſubigatur, inanis gloria aculeus mentem pulſat. Si autem corpus abſtinentia afflictione non atteritur,*

contra

contra mentem libidinis flammæ ſe excitat. Sæpè dum ſervare parſimoniam nitimur, ad tenaciam labimur: & ſæpè dum poſſeſſa effusè tribuimus, ad avaritiam ducimur. Quodque eſt periculoſius, aliquando aſſultu generali dæmones undique invadunt, ut penè nulla ſpes evadendi relinquatur. Euthym. id declarat in Pſal. noſtr. *Dæmones*, ait, ab anteriori parte *inſidias ponunt, ſpes nimirùm proſperi exitus ſuggerentes. 2. Et à tergo invadunt, quando antiquorum vitiorum memoria animam coinquinant. 3. Et à dextris, quando ad virtutem nobis opem ferunt, ut ad inanem nos gloriam impellant. 4. Et à ſiniſtris, quando omni abjecto velamine manifeſtum nobis vim inferunt.* Hugo in cap. 3. Zachariæ, ubi dicitur Satan ſtetiſſe à dextris Jeſu ſummi Pontificis & filii Joſedec, ait: diabolum eſſe à ſiniſtris, iis quos perſequitur in temporalibus: à dextris, quos in ſpiritualibus: ante faciem, qui verſutias ejus cavent: à tergo, qui non prævident: ſupra, quos conculcat: infra & ſub pedibus, qui eum conculcant.

Ab omni parte vallantibus.

50. Hoſtes illi non ſunt timendi, quia Deus eſt nobis 1. Clype.

Timendum tamen non eſt, Deo nos adjuvante & cingente, Pſ. 90. 5. *Scuto circumdabit te veritas ejus*, id eſt veracitas, quâ auxilium promiſit, Prov. 30. 5. *Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt ſperantibus in ſe.* Et ſermo Dei ignitus eſt, & murus ac clypeus ignis eſt in circuitu timentium eum. Ideò effectus additur: *Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die*, &c. Vide illum locum. S. Bern. ſerm. 33. in Cant. ait: Hæc ſunt quatuor tentationes, quibus undique circumdati, neceſſe habemus circumdari ſcuto Domini, ut ſit nobis à dextris, & ſiniſtris, ante, & retrò. Hunc auxiliatorem habens S. Antonius non timebat integros dæmonum frementium exercitus: dicebat enim teſte S. Athan. in vita: σφραγὶς ἡμῖν ϰ̀ τεῖχος εἰς ἀσφάλειαν, ἡ εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν πίστις. *Sigillum nobis, & murus ſecuritatis, eſt fides in Dominum noſtrum.* Athletæ fortiſſimo ſuppar S. Hilarion, dignus tanti palæſtritæ diſcipulatu: vel integras hoſtium ſtygiorum acies intrepidus ridebat. S. Hier. in vita: Attenuatus, inquit, & in tantum exeſo corpore, ut oſſibus vix hæreret, quadam nocte cepit infantum audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctum quaſi mulierum, Leonum rugitus, murmur exercitus, & prorſus variarum portenta vocum: ut ante ſonitu, quàm aſpectu territus cederet: intellexit dæmonum ludibria, & provolutus genibus, Chriſti crucem ſignavit in

2. Lorica.

fronte, talique armatus caſſide, & *lorica fidei circumdatus*, jacens fortiùs præliabatur, amodò videre deſiderans, quos horrebat audire, & ſollicitis oculis huc illuc circumſpiciens: cùm interim ex improviſo, ſplendente Lunâ, cernit rhedam ferventibus equis ſuper ſe irruere: cùmque inclamâſſet JEſum, ante oculos ejus repentino terræ hiatu, pompa omnis abſorpta eſt. Tunc ille ait: Equum & aſcenſorem dejecit in mare, Exod. 14. Et: Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri magnificabimur, Pſalm. 19. Ita Hieron. S. Datium Epiſc. Mediolan. rugitibus Leonum, &c. dæmones terrere nitebantur, ſed irriti recedebant, ut S. Gregor. habet lib. 3. dialog. cap. 4. idem S. Sulpitio Bitur. Epiſc. accidit, ut refert Marullus lib. 2. S. Theodoræ Alexandrinæ, ut Ribad. in vita. S. Xaverio in Indiis, ut Turſell.

Conclude cum Sophonia Propheta cap. 3. 15. *Abſtulit Dominus judicium tuum* (peccata quibus condemnationem & pœnam merebaris; vel pœnam ipſam) *avertit inimicos tuos*, dæmones & vitia, Chald. exirpavit. Pagn. evacuavit. Vel ſi fuerit in te legio, dejecta eſt in mare: Tigurina, averruncavit, id eſt, avertit aruncâ, quæ erat inſtrumentum vinitorum, quo vitium ſarmenta amputant. Deus eſt agricola & vinitor purgans palmites vineæ ſuæ, id eſt Eccleſiæ. *Rex Iſrael Dominus in medio tui, non timebis malum ultrà. In die illa dicetur Jeruſalem:* (animæ pacatæ) *Noli timere Sion, non diſſolvantur manus tuæ:* ob tribulationes & perſecutiones, ſive internas, ſive externas. *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipſe ſalvabit: gaudebit ſuper te in lætitia, ſilebit in dilectione ſua.* Chald. abſcondet delicta tua in miſericordia ſua. In corde ſuo aperto claudet miſericors. Sept. reddunt, *innovabit te in charitate ſua;* injectum in fornacem illam amoris. *Exultabit ſuper te in laude.* Tigurina vertit, geſtiet de te cum jubilo, id eſt de tuis præliis & victoriis, ac faciet te triumphare in tubis & canticis. Vatabl. exultabit ſuper te cum cantico: Ut pater de triumpho filii. Dic itaque cum Rege noſtro Pſal. 22. 4. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Vide ibi dicta.

ARTICULUS V.

Dentes peccatorum, ac præſertim detractorum, conterit Deus.

Verſ. 7. I. Pars. Hoſtes Davidis attriti ſunt à Deo.

NOn tantùm conſervat ſervos ſuos Deus ſine timore in medio hoſtium, ſed tandem hoſtes eorum interimit, ut ſit perfecta ſecuritas, Verſ. 7. QUONIAM TU PERCUSSISTI OMNES ADVERSANTES MIHI SINE CAUSA: DENTES PECCATORUM CONTRIVISTI. Hoc verè David dicit de ſuis inimicis. Nam omnes perierunt. Primò, Nabal qui in monte Carmelo morabatur, eique maledixerat, percuſſus eſt à Deo, & periit morte ſubita, 1 Reg. 25. 38. *Percuſſit Dominus Nabal, & mortuus eſt.* Nabal ſignificat ſtultum: eſt ſtultus, qui detrahit Sanctis, eoſque perſequitur. Omnes opes Nabal ceſſerunt Davidi, & ipſa ejus uxor Abigail, quæ ſignificat, *patris mei exultatio*, à Rad. *ab*, pater, atque גיל *gul*, exultare, lætari. Lætabitur juſtus, cùm viderit vindictam. Si ſumas à radice גאל *gaal*, redimere, matrimonio jungere, ſonabit, *patris mei redemptio*, vel, *per patrem matrimonio juncta.* Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua. Secundò, Saul hoſtis infeſtiſſimus & obſtinatiſſimus Davidis, ſine ulla cauſa eum perſequens, & circumdans ſæpè in montibus latentem, ſubita Philiſthæorum irruptione revocatur, & ab illis vincitur, atque occiditur, & ignominiosè ſuſpenditur cum filiis in muro Bethſan, ejus caput præciſum per totam Philiſthæam circumducitur illudendum. Nonne illud eſt percuti in maxilla, & conteri? Ut dicetur infrà, 1 Reg. 31. 1. & ſeq. Tertiò, Abner Dux exercitus Iboſethi, qui toto ſeptennio in Davidem pro regno pugnaverat, occiſus eſt à Joab proditoriè in eum irruente, 2 Reg. 3. 27. *Percuſſit* illum ibi in inguine. Ubi nota, eum percuti in inguine, qui concubinam Saulis polluerat. Quartò, ipſe Iboſeth, qui ſignificat *vir confuſionis*, & regnum retinuerat decem tribuum per annos ſeptem, occiditur à Baana & Rechab filiis Remmon Berothitæ, qui erant Principes latronum, *cùm* ipſe *dormiret ſuper ſtratum ſuum meridie.* Chald. dormiens ſomnum regum. Cave tibi à dæmonio meridiano; ne ab eo peremptus, ſis vir confuſionis, & tradat de paſſionibus ignominiæ. Quintò, de ſtrage Philiſthæorum, Moabitarum, Syrorum, vide cap. 8. de ſtrage Ammonitarum cap. 10. de aliis alibi: de Goliath ſuo loco dicetur.

1. Nabal.

2. Saul.

3. Abner.

4. Iboſeth.

5. Philiſthæi, &c.

Sextò: ac præcipuè, in hoc ipſo bello ab Abſalone excitato, de quo eſt totus Pſalmus, hoſtes Davidis percuſſi ſunt à Deo. Primò, Achitophel videns quòd non fuiſſet factum ſuum conſilium, de perſequendo ſtatim Davide cum 12. millibus armatorum, ſtravit aſinum ſuum, ſurrexitque & abiit in domum ſuam, & in civitatem ſuam: & diſpoſita domo ſua, *ſuſpendio interiit*, cap. 17. 23. ut fauces quibus conſilium nefarium dederat, punirentur, Chald. Vatabl. Lyran. & Abulenſis, vertunt, *ſtrangulavit ſe:* non poterat nequiorem invenire carnificem. Secundò, viginti millia eorum, qui Abſalonem in pugna juverant, cæſa ſunt, cap. 18. 7. & multò plures erant quos ſaltus conſumpſerat, quàm hi quos voraverat gladius in die illa, ut additur ℣. 8. Itaque non placet Sanctius, qui per abſumptos in ſaltu, intelligit ferro hoſtili cæſos in fuga, & extra campum certaminis; ſed magis arrident S. Hier. & Cajet qui per ſaltum intelligunt

6. Achitophel.

7. Abſalonis milites.

feras ſaltus: putà tigrides, Leones, urſos, lupos, qui intrepidos & fatigatos irruerint: & Abulenſis, Vatablus, aliique, qui interpretantur de præcipitiis & foſſis occultis, in quas fugientes corruerunt: fortaſſe Deo ulciſcente rebelles, aliquis terræ motus ortus eſt, qui jam trepidantes in præcipitia devolvit.

8 Ipſe Abſalom. Tertiò, ipſe Abſalom pendens de quercu, tribus lanceis à Joab eſt confoſſus, & poſteà à decem ejus armigeris, qui cap. 18. 15. *Percutientes interfecerunt eum.*

52. *Maxillæ percuſſio ignominioſa.* Nota, pro *percuſſiſti ſine cauſa*, nunc in textu Hebraico eſſe, percuſſiſti לחי *lehi*, id eſt, in maxillas ponitur enim *lehi*, pro *ballehi*. Symm. vertit, κατὰ σιαγόνος, *ſuper maxillam.* R. Abraham, *percuſſione maxillæ.* Chald. *percuſſiſti omnes auctores inimicitiæ meæ ſuper genas eorum:* utramque maxillam denotat, ut in nullam partem poſſint ſe convertere ſine rubore & confuſione. Nota ſecundò, לחי *lehi*, probabiliter ſumptum hîc eſſe pro *lehinnam*, id eſt temerè, gratis, immeritò, ſine cauſa: ideò Sept. verterunt ματαίως, temerè, ſine cauſa: quod non refertur ad *percuſſiſti*, ut malè cenſuit Eugubinus; ſed ad, *adverſantes:* id enim faciebant à Davide non læſi. Sept. ſecutus eſt noſter Interpres, & Ambs, more ſuo. Itaque temerè Franciſcus Georgius Venetus problem. in Pſal. ſect. 1. in 122. verſionem noſtram hic vocat mendoſam. Satius enim eſt ſequi Sept. interpretes, linguæ ſuæ peritiſſimos, quàm illos alios, ipſumque Hier. qui linguâ Hebraicâ jam dudum corruptâ floruit. Nota tertiò, percuſſionem in maxillam fuiſſe apud Judæos alioſque ignominioſam: unde R. Salomon hic vertit, *percuſſione contemptibili.* Hinc Job querebatur c. 16. 11. *Aperuerunt ſuper me ora ſua, exprobrantes percuſſerunt maxillam meam.* Quo dolore Carolus Borbonius ob acceptam à Franciſco I. Rege alapam tactus fuerit, docuit ejus ad hoſtes tranſitio: quanti Galliæ ſteterit: oſtendit ejuſdem Regis captivitas in Papienſi pugna, 2 Cor. 20. *Suſtinetis ſi quis in faciem vos cædit*, non alapis, ſed contumeliis, ut ait Cornel. Itaque in faciem cædere, ibi ſumitur pro contemnere: unde ſtatim ſubditur: *Secundùm ignobilitatem dico.* q. d. non dico quòd verè vobis alapas infringant; ſed quòd vos ignominioſè tractent, probris & convitiis onerando. Sic Jerem. 18. ℣. 18. ſcelerati ſeſe excitant in Jerem. ſeu potiùs in Chriſtum. *Venite, percutiamus eum linguâ.* Et Thren. 3. 30. *Dabit percutienti ſe maxillam*, ſtatim additur, *ſaturabitur opprobriis:* ut indicet percuſſionem in maxilla eſſe plenam confuſionis & opprobrii. In domo Annæ percuſſus eſt JEſus alapâ à milite, ut refertur Joan. 18. 22. quod admirans S. Chryſoſtomus hom. 83. in Joan. ait: *Quid hoc impudentius* φρῖξον οὐρανέ, ἐκπλάγηθι, *exhorreat cælum, contremiſcat terra, de Chriſti patientia, & ſervorum impudentia.* Et S. Ephrem ſerm. de Paſſione Salvatoris: *Contremuerunt cæli*, inquit, *inhorruerunt fundamenta Orbis terrarum. Angeli & Archangeli omnes obſtupuerunt, Gabriel & Michael vultum ſuum alis contexerunt. Cherubim in throno ſub rota ſe abſconderunt, Seraphim in ſe mutuò alas in illa hora concuſſerunt, quando ille impietatis ac tenebrarum miniſter alapam dedit Domino majeſtatis & gloriæ.*

Verſ. 7. II. Pars. 53. Maledicorum dentes conterit Deus. Quàm gravis fuerit percuſſio in maxilla, denotat excuſſio dentium & comminutio. Deus non tangit molli brachio. Ideò additur verſ. eodem 7. DENTES PECCATORUM CONTRIVISTI; id eſt, maledicentiam illorum & opprobria confudiſti, mendaces eos oſtendiſti, ita ut ne mutire quidem audeant; eſt forma loquendi proverbialis, dicebant: Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus, tu verò me ſalvâſti, & eos attriviſti. Ita S. Auguſt. S. Hier. Remigius, Dionyſ. Carthuſ. & alii, ſic eſt metonymia: dens enim pro morſu ponitur, cauſa pro effectu, morſus verò ponitur pro maledicto & convitio metaphoricè. Secundò, Theodoretus ſumit dentes peccatorum pro eorum viribus ſumptâ metaphorâ à feris, quæ maximè fortes ſunt & terribiles dentibus: iis verò privatæ, ſunt imbecillæ, & facilè expugnabiles. ἀνακαίφρονητα καὶ εὐκαταγώνιστα. Tertiò, Origenes ait, dentes peccatorum eſſe ipſorum cogitationes, quibus perniciem machinantur. Quartò, S. Hier. cenſet, dentes peccatorum eſſe principes Judæorum, vel hæreticos: Sed hoc eſt myſticum. Primus & ſecundus ſenſus placent, ſed præſertim primus.

Nota, detractio & detractor denti comparantur. 54. Detractor denti comparatur. Primò, quia albedinem dentes oſtendunt, & detractor innocentiam & amicitiam ſimulat, ut ad ſui amorem alliciat. Secundò, dentes cibos & carnem comminuunt, & detractor famam proximi. 1. Dens, ut placet Caſſiodoro, *à demendo*, id eſt tollendo deducitur: *Et ideo*, inquit, *pulchrè nimis lingua detrahentium dentes vocantur, quia ſicut illi ciborum partes demunt; ita & iſti opinionem hominum additâ detractione corrodunt.* Unde Job 19. 22. ait: Quare perſequimini me: *Et carnibus meis ſaturamini?* Ubi Nicetas, Probroſi, inquit ſermones ad depaſcendos artus ſatis per ſeipſi valent. S. Paulus Galat. 5. 15. apertè loquitur: *Si invicem mordetis & comeditis*, (S. Ambroſ. legit, *criminatis*, pro comeditis) *videte ne ab invicem conſumamini.* Et Propheta noſter Pſ. 26. 2. *Dum appropiant ſuper me* (ut canes rabidi ſuper jacentem prædam) *nocentes* (S. Hier. maligni) *ut edant carnes meas.* Vide ibi dicta Pſalm. 51. 6. Ait de Doëg eum apud Saulem Regem calumniante: *Dilexiſti omnia verba præcipitationis* (S. Hier. ad devorandum. Chald. voracitatis. S. Auguſt. ſubmerſionis. Felix, depreſſionis) *lingua doloſa.* S. Greg. illam detractorum voracitatem declarat lib. 14. Moral. cap. 24. *Sciendum eſt, quia hi etiam, qui aliena vita detractione paſcuntur, alienis proculdubio carnibus ſaturantur. Unde per Salomonem dicitur, Prov. 23. 20. Noli eſſe in conviviis potatorum, neque comedas cum eis, qui carnes ad veſcendum conferunt. Carnes quippe ad veſcendum conferre, eſt in collocutione derogationis viciſſim proximorum vitia dicere. De quorum illic pœna mox ſubditur: quia vacantes potibus, & dantes ſymbolum conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio. Potibus vacant, qui de opprobrio aliena vita ſe inebriant. Symbolum verò dare, eſt, ſicut* Tertiò. *unuſquiſque ſolet pro parte ſua cibos ad veſcendum, ita in confabulatione detractoris verba conferre.* Tertiò, dentes nec delectationem ex cibis commolitis percipiunt; carent enim ſenſu guſtûs: nec quicquam ſibi inde retinent, aut in ipſis putreſcit & fœtet, oriſque halitum corrumpit. Ita detractio tantum dolorem & fœtorem affert detractori.

Nota 2. Dentes detrahentium ſunt dentes leonum, 55. Detractoris dentes ſunt dentes leonis. Joël. 1. 6. *Gens enim aſcendit ſuper terram meam fortis & innumerabilis: dentes ejus ut dentes leonis: & molares* (eſt ſubſtantivum: id eſt dentes maxillares, *dens maſcheliers:* mola pro maxilla, quia cibos molit) *ejus, ut catuli Leonis.* Hebr. לביא *labi* ſignificat leonem juvenem, &, ut Sept. & Chald. intelligunt, grandiorem jam & provectum, cujus dentes ſunt acutiores & firmiores. Quantum noceant, ſubditur ℣. 7. *Poſuit vineam meam in deſertum, & ficum meam decorticavit: nudans ſpoliavit eam & projecit: albi facti ſunt rami ejus.* Ubi nota, vineam illam & ficum eſſe Judæam, ſeu Eccleſiam, & animam fructu virtutum onuſtam, lætitiâ cæleſti & ſuavitate plenam. 2. Gentem illam, ut ait S. Hier. eſſe agmen locuſtarum, quibus Joël viderat figuratos Chaldæos Jeroſolymam & totam regionem vaſtaturos: detractor eſt locuſta habens dentes leonis, ut locuſtæ Apoc. 9. 8. egredientes de puteo abyſſi. 3. Locuſtæ illæ vineam racemis ſpoliant, ficum cortice: cùm & domeſticas actiones vellicant, & publicas reprehendunt, & famam ac bonum nomen tollunt, Eccl. 21. 3. de peccato quolibet dicitur: *Dentes Leonis dentes ejus, interficientes animas hominum:* id veriùs eſt de detractione, quæ tres interficit uno ictu, ut ait S. Bernard. Juvat nos verſio Syriaca; *Sicut dentes leonis eſt mendacium, & corrumpit animas hominum.* 2. Dentes urſi. Secundò, dentes detractoris compara dentibus urſi, Dan. 7. 5. *Ecce beſtia ſimilis urſo in parte ſtetit*, (in unum latus, nempe in Chaldæos irruit; urſo enim notatur Perſarum imperium) *& tres ordines* (non carnium, ut vult Cornelius; ſed dentium) *erant in ore ejus*, (Theodor. legit,

legit, *tres alæ:* præceps eſt detractio) *& in dentibus ejus, & ſic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas.*

3. Sunt dentes beſtiæ terribilis.

Tertiò, dentes detractoris aſſueti detrahere, confer dentibus ferreis quartæ beſtiæ viſæ à Daniele, ibidem ℣. 7. *Aſpiciebam in viſione noctis* (in hac vita tenebroſa) *& ecce beſtia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans.* Tria facit detractor. Primò, comedit, ut ex alterius damno repleatur. 2. Comminuit, ut alterius malo lætetur. 3. Reliqua pedibus culcat, ut ex ruina aliorum creſcat, & major appareat. Beſtia illa eſt terribilis, Job 41. 5. de Leviathan habetur: *Per gyrum dentium ejus formido.* Et Pſalm. 56. 5. *Filii hominum dentes eorum* (Hebraiſmus: id eſt, dentes filiorum hominum) *arma & ſagitta:* ut cominus feriant per maledicta & contumeliam: & eminus, per detractionem ac ſuſurrationem: de quibus vide S. Thom. 2. 2. q. 73. 74. S. Ephrem tract. de virtutibus & vitiis ait, detractores eſſe *fratricidas*, crudeles atque immites; & S. Chryſoſtom. homil. 3. ad popul. Antioch. *detrahens ἀδελφικὰς σάρκας, fraternas carnes comedit.* Eſt igitur funeſtior anthropophagis, qui alienigenarum tantùm corporibus ſatiantur: detractor enim, ut plurimùm in cives ſuos, vicinos, domeſticos, conſanguineos, parentes, ſuperiores deſævit. Vide Pſalm. 13. 3. Venenum aſpidum ſub labiis eorum. Pſal. 57. 21. Exacuerunt *ut gladium* linguas ſuas.

56. Detractores punit Deus.

Ultor tandem exurgit Deus, & detractores punit. *Dentes peccatorum contrivisti.* Hoc declaratur expreſſiùs Pſal. 57. 7. *Deus conteret*, (S. Auguſt. contrivit. S. Hier. excute) *dentes eorum in ore ipſorum*, (eos percuſſâ maxillâ frangendo, & inde excutiendo) *molas leonum* (Apollinaris γναθμοὺς, *maxillas:* Suidas, molares dentes ait eſſe μύλας, & meliùs, & cùm addatur) *confringet Dominus*, non enim malæ ſeu maxillæ, ſed dentes confringuntur: de detractoribus hoc explicat Ugo. Eodem ſimili uſus eſt Job, cùm ait cap. 4. 10. *Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti ſunt.* Hebr. נִתָּעוּ *nittahu*, evulſi ſunt, ut vertit Pagnin. & Arias. Nolim autem cum Pagnino deducere vocem illam Hebraicam à לָתַע, *Lata*, ad quid enim *Lamed* excideret? Sed à נָתַע, *nata*, quod ſicut נָתַץ, *natas*, ſignificet confringere, conterere. Videmus ſæpè affines voces apud Hebræos eſſe ejuſdem ſignificationis.

57. Tribus modis eos punit, Primò, per ipſos detractores.

Punit autem detractores Deus: Primò, per illos ipſos. Secundò, per alios homines. Tertiò, per ſeipſum.

Ac primò, detractor ſeipſe conterit, Apocal. 16. 10. *Et quintus Angelus effudit phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ.* (ſuper thronum & regnum Antichriſti) *Et factum eſt regnum ejus tenebroſum* (infelix, & calamitoſum) *& commanducaverunt linguas ſuas præ dolore.* Eſt hyperbole, id eſt, maximè doluerunt: eſt etiam catachreſis, qua manducare pro mordere ſumitur, de detractore ait S. Chryſoſt. homil. 3. ad popul. *Detrahens continenter anxius eſt, ſuſpicatur,*

Eos torquendo anxietate & timore.

& timet, pœnitentiam agit, & linguam ſuam mandit, κατεσθίει ἑαυτοῦ ſὴν γλῶτταν, timens, & tremiſcens, ne fortè alius enunciatum verbum magnum ſibi periculum afferat, & ſuperfluam atque inutilem immoderationem his qui dixêre, operetur: Et S. Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 2. *Verberamur vocis noſtræ verbere, cùm loquimur ea, quorum ſonu caditur animus noſter, & mens convulneratur.* Terribile exemplum refert Thomas Cantipratenſis lib. 2. apum. Hujus

Linguam ſuam detractor quidam laniavit.

rei, ait, vindictam horribilem valdè, & mirabilem vidi. Novi ordine, non re, nomine, non actibus Sacerdotem, qui in tantum vitio linguæ deditus erat, ut potius de ſe peſſima mentiretur, quàm non ſocios vel cohabitantes ſibi criminibus infamaret. Hic ante mortem *raptus in furiam, tantâ in ſe debacchatus eſt rabie, ut propriis dentibus linguam maledicam laniaret:* Et palam cunctis oſtenderet, quòd linguâ ſuâ dolosè egerat: Et venenum ſub labiis ejus, quaſi ſepulchrum patens guttur illius fœtorem teterrimum anhelaret. Et per quæ peccaverat, per eadem torqueretur. Ita Cantipr. Vi-

Sunt viperæ ſe devorantes.

peræ potius ſeipſam devoranti detractorem conferre. Ut enim habes Eccl. 10. 11. *Si mordeat ſerpens in ſilentio*, (Syr. in latebris. Arab. in abſcondito, id eſt, non edito ſibilo, ut explicat Ugo Card. & Gloſſa, morſu furtivo & clandeſtino, ut S. Greg. Neocæſ. occultè venenum infundendo, ut S. Bonaventura) *nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Vel confer detractorem viperæ limam rodenti, & rodendo dentes ſuos conterenti, quod iis præſertim evenit, qui de Principibus, Magiſtratibus, & ditioribus malè loquuntur. Viperam illam ſic depingit Poëta quidam:

In officinam fabri venit vipera,
Hæc cùm tentaret, ſi qua res eſſet cibi,
Limam momordit, illa contrà contumax:
Quid me, inquit, ſtulta dente captas lædere,
Omne aſſuevi ferrum quæ corrodere?

Manilius ait detractorem & calumniatorem naſci ſub canicula, & in ejus horoſcopo dicit dentes illi conridere cùm loquitur. Verba ejus ſunt:

Morſibus & crebris dentes in ore relinquit.

Sunt canes rabidi.

Detractores ſunt canes rabioſi in obvia quæque irruentes, & in petram Chriſtum impingentes, Pſal. 21. 17. *Circumdederunt me canes multi*, id eſt, calumniatores: à Deo ejiciuntur à cæleſti convivio, Apocal. 22. 15. *Foris canes.* Itaque, dentibus ſuis frendent & tabeſcunt, Pſal. 111. 10. Et famem patientur ut canes, Pſal. 58. 7. & 15.

Sunt ligna & ferra ſe cædentes.

Confer etiam detractorem ipſi limæ ſeu ſerræ, cum multo labore duriſſima & ſeipſas conterentibus. Sympoſius Poëta ægnimaticus ſerram, *ut ne ſcio*, ſic loquentem inducit:

Dentibus innumeris ſum toto corpore plena,
Frondicomam ſobolem morſu depaſcor acuto,
Mando tamen fruſtrà, quia reſpuo præmia dentis.

Quæ enim per ſerræ dentes ligno eripiuntur, in terram defluunt, neque in ſerra remanent: ſed ipſa ſe tandem ſecando obtundit, conſumit, & frangit, & modò hunc, modò illum dentem amittit. Ita detractor ſe & alios abſumit. Eam ob rem monet Salomon Prov. 24. 21. *Cum detractoribus* (Chald. *ſtultis:* eſt ſtultis ipſis ſtultior, qui ut alios vellicet & pungat, ſeipſum excoriat & transfodit) *ne commiſcearis: quoniam repentè conſurget perditio eorum.* Chald. interitus eorum.

58. Secundò, conteritur detractor ab aliis hominibus.

Secundò: Deus conterit detractorem per alios homines, Prov. 24. 9. *Cogitatio ſtulti peccatum eſt: & abominatio hominum detractor.* Chald. aſtutia ſtulti peccatum eſt: abominatio viri ſapientis, deriſor: id eſt, irriſor, cavillator, contumelioſus, detractor, qui aliorum facta & dicta carpit, ridet, aliiſque deridenda proponit. Nec mirum ſi illuſor ille eſt toti populo abominabilis, ſeu potiùs ipſa abominatio: eſt enim totus ex malitia, ut ex felle & veneno conflatus; unde Syrus vertit: Improbitas ſtulti peccatum eſt, *& iniquos malitia reget:* Ideò David ait, beatum eſſe virum qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, *& in cathedra peſtilentiæ* (Hebr. לֵצִים, *lezim*, deriſorum, ut S. Hieron. vertit) *non ſedit.* Vide ibi dicta: & ſibi ita fuiſſe abominabiles detractores ait idem Rex, ut eos malè mulctaret, atque ab aula ſua ejiceret, Pſalm. 100. 5. *Detrahentem ſecretò* (S. Orieſis, ſive Orieſieſis, ſive Orienſis de inſtit. monaſt. legit, detrahentem in abſconſo. Chald. *loquentem linguâ triplici:* triplex vulnus infligit lingua detractoris, ut ait S. Bern. ſe lædit, audientem, & eum de quo eſt ſermo: itaque ait eſſe pejorem lanceâ, quæ Chriſti corpus mortuum fodit, hæc enim vivum occidit: & linguâ trifidâ & triſulcâ ſerpentis) *proximo ſuo, hunc perſequebar.* S. Anacletus epiſt. 2. legit, hunc interficiam. Vide ibi dicta.

Detractor eſt peſtifer.

Detractor eſt communis peſtis ac lues, aërem corruptum exhalans, & accedentes ad ſe putrefaciens, Pſ. 5. 11. *Sepulchrum patens* (& conſequenter fœtorem emittens) *eſt guttur eorum, linguis ſuis dolosè agebant.* Felix & Vatablus, linguâ ſuâ blandiuntur. S. Hier. linguam ſuam lenificant. Ut ſcilicet plagam occultiùs & profundiùs infigant: de detractore id ibi exponetur. Eccl. 11. 32. *Sicut eructant præcordia fœtentium, & ſicut perdix inducitur*

in

Fœtentia halet e ſpiritu.

in caveam, ut & caprea in laqueum: ſic eſt cor ſuperborum: ſupple, eructat fœtorem: nempè verba ſuperba, injurioſa, injuſta, & maledica, ait Cornelius: ſed mercedem ſtatim accipit, in caveam & in laqueum contruſum & ſtrangulatum.

Canis eſt rabidus omnibus petendus.

Comparat etiam detractorem cani rabido, quem certatim omnes lapidibus, fuſtibus, ferratis, contis, vectibus & fuſcinis cum clamore perſequuntur & confodiunt, ſicut contigit Zoilo Amphipolitano, qui, ut ait Ælianus lib. 11. variæ hiſt. cap. 10. ſtylum in Homerum, Platonem, aliosque ſtrinxit, & dictus eſt, κύων ῥητορικὸς, *canis rhetoricus:* tandem enim à Ptolomæo Philadelpho rege Ægypti cruci ſuffixus eſt: alii Smyrnæ vivum exuſtum volunt: alii in Olympia ad Scytonias petras præcipitatum aſſerunt, ut ait Gyraldus in hiſt. poet. Ejus malignam naturam ſic Ælian. deſcribit, & ridiculos mores. Barbam, ait, ſubmiſſam alebat, caput uſque ad cutem radebat, pallium ei ſupra genua pendebat: *Studioſus malè loquendi*, ſerendis litibus operam ſedulò dabat, καὶ ψογερὸς ὢν ὁ κακοδαίμων, contumelioſus denique, & ad reprehenſiones proclivis erat miſer ille. Nervolius vertenit κακοδαίμων, malus ille dæmon: διάβολος eſt dictus hoſtis hominum, id eſt, calumniator: viciſſim calumniatores ſunt diaboli, & eorum officio funguntur: pergit author citatus: Cùm rogaret ab eo quidam eruditus vir: Quamobrem de omnibus malè loqueretur? *Quoniam*, ait, ποιῆσαι κακῶς βουλόμενος οὐ δύναμαι, *male facere, cum velim, non poſſum.* Nonne hæc eſt dæmonis natura? De quo Apocal. 12. 10. Audivi vocem magnam in cœlo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus: *Quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum.* Græcè, κατήγορος, detractor, oblocutor, calumniator. Ejice calumniatorem, & tunc domus tua, & palatium erit cœlum: & dicere poteris: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri. Tunc eſt regnum Diaboli, cùm viget detractio in Regum aulis: & regnum eſt Dei & poteſtas Chriſti, cùm

Detractor eſt ſuccus loliginis.

exulat. Detractor omnes ſuâ nigredine inficit. Hinc Horatius *ſuccum loliginis* vocat hominem invidum, parum candidum & detrahentem aliis. Sic enim 1. Serm. ſat. 4. *Hic nigræ ſuccus loliginis, hæc eſt ærugo mera.* Ubi Porphyr. ait: Ex loliginis ſucco livorem mentis vult intelligi: ex ærugine venenum. Loligo autem eſt genus piſcis, quòd vernaculè vocamus *callemar*, aut, *tante.* Hiſpani, el calamar. Itali peſce calamaio. De illo Plin. l. 32. c. 2. *Trebius niger loligines evolare ex aqua tradit tantâ multitudine, ut navigia demergant:* in aquis voluptatum & agitationum detractor naſcitur & degit; inde evolat, ut alium in aquam ſe immergat, & felici fortunæ vento portum petentes demergat: quòd, ſi id ſolus non poteſt, id præſtat allectis ſibi ſociis. 2. Loligines *coëunt linguis*, quemadmodum & ſepiæ, componentes inter ſe brachia, & in contrarium nantes: pariunt autem ore. Hæc in detractore longè veriora: ore enim concipiunt dolorem, & pariunt iniquitatem. 3. Loligines habent duo oſſicula, quorum alterum calami, alterum *gladioli* perſpicui, pellucidique imaginem refert. Detractor ſemper in ore & dentibus gladium, aut potius pro dentibus gladios habet, Prov. 30. 14. *Generatio quæ pro dentibus gladios habet*, generatio, id eſt, genus hominum, *& commandit molaribus ſuis.* Plin. l. 7. c. 16. ait tricenos binos dentes viris ſingulis attribui, exceptâ Turdulorum gente, quibus plures fuêre, longiora promitti vitæ ſpatia putant. Fœminis minor numerus. Quis ferat uno impetu tot in ſe gladios irruentes? Fœminæ dentes in detrahendo habent plures, & ſæpè acutiores; ſed vitam decurtant potiùs, quàm augent, ut vidimus. 4 Loligines piſces cruorem habent nigrum atramenti ſimilitudine. De peccatoribus Nahum 2. 10. *Facies omnium eorum ſicut nigredo ollæ.* Ubi Rupertus: Olla atra, inquit, eſt diabolus, & omnes, qui in eo ſpem reponunt: qui tandem ſimiles fient illi quem coluerunt, dum in ollam Vulcaniam, putà in gehennam detrudentur,

Japonii dentes

fientque aterrimi tam corpore, quàm mente. Japonios ferunt gaudere nigris dentibus, & apud eos videri dentes pulchriores, quò ſunt nigriores & ad hoc faciendum certo artificio uti: detractor Æthiops eſt, & alios denigrat quantum poteſt: & Æthiope tetrior eſt, quia eſt niger in ipſis dentibus, quos illi ſolos albos habent: de illis uſurpa illud Sophoniæ 3. 12. *Sed & vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis.*

ſuos nigredine inficiunt.

59. *Tertiò. Deus ipſe conterit detractores.*

Tertiò enim: Deus per ſeipſum detractores conterit. *Dentes peccatorum contrivisti:* detractores ſunt *peccatores* antonomaſticè, & nigri præ cæteris, & gravibus pœnis obnoxii, & cauſæ innumerabilium peccatorum: undè S. Paulus Rom. 1. 30. ait: *Detractores Deo odibiles.* Gr. θεοστυγεῖς, duo ſignificat. 1. Qui Deum oderunt, Deo exoſi. 2. Quos Deus odit, Deo exoſi, Deo odioſi, & in hoc ſecundo ſenſu uſurpare Euripides. In primo etiam poſſis uſurpare: Deum enim detractor contemnit, Jac. 4. 11. *Nolite detrahere alterutrum: qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem ſuum, detrahit legi, & judicat legem.* S. Thomas 2. 2. q. 75. art. 2. ad 3. ait, legi detrahere detractorem, quia eam contemnit: ſicut qui legem ſervat, illam honorat. 2. Salmeron, Caſſian. collat. 16. c. 16. Dionyſ. & Catharinus dicunt, detractorem legi detrahere, non in actu ſignato, ſed in actu exercito: quia practicè id eſſe faciendum dicit, quod lex vetat: vult enim detrahere, licèt ſciat hoc prohiberi: quod longè verius eſt in deriſoribus, qui actus virtutum ſecundùm legem factos irrident & malè interpretantur; ignavum eum vocantes, qui inimicis parcit: hypocritam, qui pietati & Sacramentorum frequentationi ſtudet, & ſic de aliis.

Eos quos odit, & quibus eſt odio, conterit Deus, Pſ. 71. 4. *Judicabit pauperes populi.* Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 14. & Plalt. Æthiop. In juſtitia judicabit mendicos: *Et ſalvos faciet filios pauperum, & humiliabit* (S. Hier. confringet) *calumniatorem.* Apollinaris, ψευδολόγον, falſiloquum.

60. *Et quidem eos punit Primò ignibus. Ut detrahentes à Ignat. & S. Arnulpho. Secundò, leprâ, ut Mariam ſororem Moſis.*

Variis modis punivit Deus alienæ famæ prædones. Primò: Ignibus, ut qui S. Ignatium Soc. JEſu Fundatorem mendicantem igne dignum temerè effutiit, eodem enim die exuſtus eſt igne ſubito, pulverem tormentarium ab eo in turri paratum præter expectationem corripiente, ut refert Ribadeneira in vita: ſic qui S. Arnulphum Epiſc. Metenſem dicere auſi ſunt libidini deditum, ſunt igne divino concremati, ut docet Baron. tom. 8. anno 615. & Jonas Abbas in vita. Secundò, detractores puniuntur leprâ, ut Maria ſoror Moſis & Propheteſſa, Num. 12. 8. illi dixit & Aaroni: *Quare non timuiſtis detrahere ſervo meo Moyſi?* Additur ℣. 9. & 10. Deum iratum abiiſſe, & nubem, quæ erat ſuper tabernaculum, receſſiſſe: *Et ecce Maria apparuit candens leprâ quaſi nix:* quàm ſæva autem fuerit lepra, patet ex verbis Aaronis ad Moſem clamantis ℣. 11. Obſecro Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum quod ſtultè commiſimus: & ℣. 12. *Ne fiat hæc quaſi mortua, & quaſi abortivum quod projicitur de vulva matris ſuæ: ecce jam medium carnis ejus devoratum eſt à lepra.* Hoc Deus permiſit accidere Propheteſſæ & amici ſui Moſis ſorori, ut intelligeret quàm fœda mentis lepra ſit detractio. S. Ephrem. ſerm. de morbo linguæ: Ex teterrima, ait, Mariæ Propheteſſæ lepra docemur, quàm grave ac deteſtabile vitium ſit obtrectatio. Corpus, quod leprâ infectum cernebatur, *velut ſpeculum quoddam fuit animæ*, quæ non perſpiciebatur, cujus indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione patefactum eſt, quomodo hominis detractoris corrumpatur animus. Nam ſicut illa defecerat à fratre ſuo: ita & ab ipſa proprium corpus defecit, ut ex ſemetipſa charitatem addiſceret. Ita S. Ephrem. Tertiò, detractorem lingua putreſcit. S. Bern. in vita S. Malachiæ ait, neſcio quem maledicentem & detrahentem ſancto viro ſic eſſe punitum. *Intumuit, & computruit lingua maledica, vermibus ex ea ſcatentibus & diffluentibus toto ore blaſphemo: quos per ſeptem fermè dies inceſſanter vomens tandem cum illis miſeram exſpuit animam.* Quartò, detractores Deus punit inſaniâ, ut idem S. Bern. ait accidiſſe alteri, qui eidem S. Malachiæ erat injurius: Quintò, detractores punit Deus per dæmonis poſſeſſionem, ut oblocutores contra S. Martinum, qui præſtigiis miracula ejus tribuebant,

Tertiò, linguam eorum putrefacit.

Quartò, reddit inſanos.

Quintò, torquet per dæmonem.

ſicut

ſicut habet Surius, in vita 15. Januarii. Detractio ipſa eſt dæmon animam poſſidens. S. Chryſoſt. in illud Pſ. 100. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar*, ait: *Grave malum eſt detractio, ἀκατάστατον δαιμόνιον, turbulentus dæmon, nec unquam pacatum hominem reddens. Ex ea odia pullulant, jurgia conſtantur, diſſidia ortum trahunt, ſuſpiciones malæ procreantur: ſine ulla cauſa hoſtem reddit, qui paulò antè amicus erat, univerſas domos ſubvertit, & paratas urbes ad bellum excitat: pulchra pacis vincula diſſolvit, magna charitatis nodum infringit. Qui detractioni ſtudet*, &c. *utpote qui calumniæ opera exequatur. Quare detractor tanquam mendax & fur eſt propellendus.*

Sextò, punit morte ſubitâ.

Sextò denique, detractores Deus punit ſubitâ morte, ut de Donato in S. Ambroſium vana jactante & falſa, refert Paulinus apud Baron. an. 347. Detractio ipſa eſt mors. Tullius in Officiis: *Detrahere alteri*, ait, *& hominis incommodo ſuum incommodum augere, magis eſt contra naturam, quàm mors, quam dolor, quàm cætera, quæ poſſunt corpori accidere, aut rebus externis; Nam tollunt convictum hominum & ſocietatem.*

ARTICULUS VI. ET ULT.

Omnis gratia, tum interna, dum externa, à Deo eſt, & ſine illa nihil poſſumus.

REx noſter expoſitâ, initio Pſalmi, multitudine hoſtium ſuorum; in decurſu ope Dei declaratâ: nunc gratias agit, ei omnem victoriæ gloriam cum gaudio & tribulatione tribuens, verſ. ult.

Verſ. 8.

DOMINI EST SALUS, ET SUPER POPULUM TUUM BENEDICTIO TUA. Supple, ſit: nam S. Auguſt. S. Athan. Caſſiod. & Theodorus cenſent hanc poſtremam partem eſſe deprecatoriam. 2. Commodiùs ſupple, *eſt*; nervoſius enim & concinnius eſt, ut ſub eodem verbo tota ſententia contineatur, cùm in priori membro exprimatur, & ſit exultatio & gratulatio victoris, & gratias agentis, ut ſolet David facere in pleriſque Pſalmis, ubi initia ſunt triſtia, finis lætus, & plenus gratiarum actionis.

61. Bona omnia Deo aſcribenda ſunt.

Hinc nota 1. maximè cordi nobis eſſe debere, ut Deo bona noſtra aſcribamus: ſic Paulus dicebat 1 Cor. 15. *Non ego, ſed gratia Dei mecum*. Græc. οὐκ ἐγὼ ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί: quod ad verbum vertit S. Hier. *Non ego, ſed gratia Dei, quæ mecum eſt*. Et ſenſus eſt, q.d. non ego ſolus abundantius omnibus laboravi, ſed id conſecutus ſum à gratia Dei, quæ mihi vires ad laborandum dedit: unde priùs dixerat in eodem verſ. *Gratia Dei ſum id, quod ſum*, nempe Apoſtolus & Doctor Gentium. Sic David noſter priùs dixit in Pſ. noſtro ℣. 3. *Tu autem, Domine! Susceptor meus es, Gloria mea, & exaltans caput meum*. Vide ibi dicta. Addo Heſychium, Suſceptor meus, ait, ſuſcepit enim eos, qui tentationibus afflictantur, ſi utique ſe dignos præbeant, ut ſuſcipiantur. 2. *Gloria mea*, quoniam poſt afflictiones gloriâ ornat eos, qui exerciti illis fuerint. 3. Exaltans caput meum: nam eos, qui tentati fuerint, excelſiores tentationibus poſteà oſtendit. Ita ipſe. Si Deus eſt gloria tua, id eſt, te glorificans: ſit & gloria tua, id eſt, à te glorificetur. Origenes in Catena: *Alii*, inquit, *aliud ſibi quod gloriam putant, genus, formam, divitias, vires, artes, quorum ſæpè gloria illorum eſt ignominia, ait Apoſtolus Philipp. 3. ſed Sanctorum gloria Deus eſt*. Et Clem. Alex. l. 2. pædag.

62. *Chriſtus eſt corona Eccleſiæ.*

Mulieris, ait, *corona vir eſt exiſtimandus: viri autem, matrimonium: matrimonii autem flores, amborum liberi, quos quidem carnalium pratorum divinus colligit Agricola. Senum autem corona ſunt filiorum filii: filiis autem gloria, inquit, ſunt patres. Nobis autem Pater univerſorum, συμπάσης ἐκκλησίας στέφανος ὁ χριστὸς, & univerſa Eccleſiæ corona Chriſtus eſt*. Tertull. l. de corona militis, ait eum, qui

Mithram Perſæ coronam ſuam vocabant.

in Mithræ ſacris initiatur, coronam interpoſito gladio ſibi oblatam dejicere, & dicere: *Mithram eſſe coronam ſuam*: atque ab eo tempore nunquam coronari, dicitque nobis idem eſſe pro Chriſto faciendum. Mithra erat primus ac præcipuus Perſarum Deus, ut docet Heſych. eoque nomine Solem appellabant, ut Strabo aſſerit l. 15. Chriſtus eſt Sol juſtitiæ. Zachar. 6. 12. *Ecce vir oriens* (id eſt, Sol oriens, qui nunquam occidit) *nomen ejus*. Et Malachias 4. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ*, tum propriè dictæ, tum naturalis & ſymbolicæ; id eſt, ſalutis, gloriæ & felicitatis, ut ait Cornel. *Et ſanitas in pennis ejus*. Hebr. in alis, id eſt, in protectione: eſt enim miſericors, ac ſuâ luce miſericorditer tegit ab hoſte tenebroſo & principibus tenebrarum, Pſ. 83. 12. *Miſericordiam & veritatem diligit Deus*. Hebr. ad verbum eſt: *Sol & ſcutum Dominus Deus*, atque S. Hier. & Aquila ſic vertêrunt. Additur ad explicationem, *gratiam & gloriam dabit Dominus*, fons eſt jugiter manans, & aquas ſemper fundens ſalientes in vitam æternam, *non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia*. S. Hier. in perfectione, hoc ſignificat Hebr. תמים *thamim*, ac præterea ſinceritatem, integritatem, ſimplicitatem, completionem, conſummationem. Dicebat Paulus 1 Cor. 1. 31. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Philipp. 3. ℣. 3. *Gloriamur in Chriſto JEſu, & non in carne fiduciam habemus*. Galat. 6. 14. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri JEſu Chriſti*: id eſt, in fide, gratâ memoriâ, meditatione, deprædicatione beneficii crucis. 2. In cruce, id eſt, in ipſo bajulatione crucis, in doloribus perpeſſis in cruce. Mithræ milites multa patiebantur, priuſquam initiarentur, ut docet S. Greg. Nazianz. orat. 1. contra Julianum, & Nicetas aſſignat duodecim genera ſuppliciorum, per quæ illis erat tranſeundum. Nonnus quoque in ſuis ad Gregorium notis ejus rei mentionem facit. Rex noſter dixit in principio Pſalmi, multiplicatos eſſe hoſtes ſuos, nec manſiſſe otioſos, ſed contra ſe inſurrexiſſe: deinde Suſceptorem ſuum & Gloriam fuiſſe Deum ad extremum partâ victoriâ exclamat: *Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua.*

63. A Deo eſt noſtra ſalus.

Nota ſecundò, pro *Domini eſt ſalus*, in Hebræo eſt *ladonai ha jeſua*, quod verti poteſt, *à Domino ſalus*. Chald. reddit, *à facie Domini redemptio*: cùm enim apparet, ſtatim hoſtes fugiunt, & trepidi animos ſumunt, ut inſtent fugientibus. S. Hieron. habet, *Domino ſalus*, ſupple, debetur. Ut enim ait S. Auguſt. tract. 30. in Joan. Quis alios ſalvos fecit, quàm *ipſa ſalus*: qui illam ſalutem, quam dedit huic homini, dat & jumentis? Agit de paralytico, quem Chriſtus ſanaverat die Sabbathi.

Eliſeus fuit Chriſti typus.

JESUS fuit nobis figuratus in Eliſeo, qui ſignificat *Dei ſalus*; vel, Deus meus ſalvans. אלי *eli*, Deus meus, & ישע *jaſa*, ſalvavit: inde fit אלישע *eliſa*, Eliſeus: hinc etiam JEſus, id eſt, Salvator, deducitur. S. Iſidor. Hiſp. in 4 Reg. 3. *Ipſe*, ait, *Eliſeus figuram Chriſti geſſit.*

Ejus Etymon.

Denique vocabulum ipſum ſalus Dei interpretatur. Salus autem Dei, quis eſt alius, niſi & Filius ejus, qui & Salvator utique vocatur? Eliſeus ita erat ſalus regni Iſraël, detegendo inſidias Benadad Regis Syriæ, qui non putavit quicquam ſibi proceſſurum feliciter, niſi eo trucidato: quare eum obſedit in Dothan, ſed fruſtrà 4 Reg. 6. Secundò, fuit ſalus etiam hoſtium ſuorum, qui excæcati intraverant Samariam, jugulandi à Rege Iſraëlitarum Joram, niſi ipſe vetuiſſet, verſ. 21. Tertiò, liberavit eandem urbem regiam obſidione cinctam ab eodem Benadad, & jam ad tantam famem redactam, ut venumdaretur caput aſini *octoginta argenteis*, ſupple ſiclis: id eſt, 80. libris: & quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis. Cabus autem ſive chœnix erat menſura victûs diurni, continens quatuor libras & quinque uncias: quarta igitur pars cabi erat libra cum uncia: conſequenter qui uno die voluiſſet veſci ſtercore columbino, impendiſſet ad hoc viginti ſiclos argenteos: id eſt, viginti libras Gallicas ſeu Turonicas. Deinde mulier proprio filio jugulato & devorato dicebat ℣. 26. *Salva me Domine mi Rex*. Qui ait: Non ſalvat Dominus: *unde te poſſum ſalvare? De area, vel de torculari?* Id eſt, nec frumentum habeo in horreo, nec vinum in torculari. Quanta calamitas! orante Eliſeo ſoluta tamen eſt obſidio, & modius ſimilæ

uno

uno ſtatere emptus eſt die ſequenti, & duo modii hordei ſtatere uno: id eſt, ſiclo uno: hoc eſt, viliſſimo pretio. Quartò, Reges tres: nempe Joſaphat regem Juda, Joram regem Iſraël, & regem vel Proregem Idumææ ſiti pereuntes in bello Moabitico contra Meſa regem Moab Eliſeus ſervaverat anteà cum eorum exercitibus, cap. 3. Quintò, moriens victoriam triplicem contra Syros Regi Iſraël Joas idem Eliſeus promittit, cap. 13. Plura vide variis locis lib. 4. JESUS & Judæos, & Gentes ſalvavit: & moriens triplicem offert de carne, Mundo ac dæmone victoriam, ſi velimus.

64. Benedictio dari ſolita à Sacerdotibus Moſaicis.

Nota tertiò, David illis verbis, *Et ſuper populum benedictio tua*, alludit ad benedictionem datam ſibi ac militibus ſuis ab Abiathar ſummo Pontifice, cùm in fuga ea urbe regia ad eum attuliſſet arcam, quam præ modeſtia, & peccatorum ſuorum conſcientia remiſit, veritus, ne quid arcæ accideret, ſicut olim tempore Heli. Secundò, alludit ad benedictionem dari ſolitam à Sacerdotibus ante prælium: ſicut etiam nunc fit à Sacerdotibus noſtris, & efficaciùs, datâ abſolutione de peccatis, quod illi facere non poterant.

Benedictionis forma.

Formula benedictionis generalis præſcribitur à Deo dicente Moſi, Num. 6. 23. *Loquere Aaron, & filiis ejus:* (Eleazar & Ithamar; id eſt, ſummo Pontifici & Sacerdotibus) *Sic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus*, (id eſt, bonis te cumulet) *& cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Convertat Dominus vultum ſuum ad te*, (ut te illuminet, conſoletur, & adjuvet) *& det tibi pacem.* Quænam verba eſſent ſpecialia ante prælium benedicentis, non ſatis conſtat. Efficacem fore eam benedictionem, Deus pollicetur, cùm ait verſ. 27. *Et ego benedicam eis.* Rupertus notat: in hac Sacerdotum benedictione tripliciter formata, tertiò inditum, & repetitum eſt nomen Domini, ut ſancta Trinitas, ex qua, per quam, & in qua ſunt omnia bona, ſignificetur: unde in lege gratiæ per invocationem Trinitatis datur ſolemnis benedictio his verbis: Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Deus ipſe ſervis ſuis benedictionem impertit, ut verè dicatur: *Et ſuper populum tuum benedictio tua.*

Chriſtus in Miſſa benedicit S. Eduardum.

S. Eduardus, Anglorum Rex, vidit JEſum in ara conſiſtentem, *ſacrâ dexterâ ſuper ipſum extensâ, ſignum ſanctæ crucis eum benedicendo depingentem.* Hoc ipſum vidit Leofricus Comes, qui, cùm Regem tantæ viſionis vellet facere participem, Rex accurrenti ait: Sta Leofrice! ſta: quod vides, video & ipſe. Sacrificio expleto Rex Leofrico imperavit, ne rem in publicum proferret, vitandæ elationis causâ. Hoc refert Aëlredus Rhievallus in ejus vita. Quantæ autem eſſet efficaciæ illa benedictio, patet ex eo, quod alias refert eidem Eduardo accidiſſe idem author. Cùm enim Danorum Rex exercitum navalem inſtruxiſſet, ut ferro flammâque Angliam, quæ ſervitutis jugum excuſſerat, vaſtaret, eamque ſibi ſubderet: jamque plenis velis naves è portu ſolverent, Deus Eduardo ſuo ſubvenit. Nam Rex ille Daniæ è ſcapha in navem tranſcendens, *pede lapſo inter utramque in mare corruit: & ſtatim abyſſus vallavit eum, & pelagus cooperuit caput ejus.* Rege undis extincto in ventos omnis ille apparatus recidit. Quod ut à paterna Dei manu Eduardum ſuum protegente manare cerneretur, *horâ elevationis Corporis Chriſti*, hæc illi in ſacrificio oſtenſa ſunt, dum gererentur: unde & modeſto riſu, præter morem, lætitiam ſuam Rex teſtatus eſt. Dicere poterat: *Domini eſt ſalus*, ab hoſte liberatus: *Et ſuper populum tuum benedictio tua*, benedictione à Chriſto perceptâ.

Nota quartò, dicitur: *Et ſuper populum tuum benedictio tua*, ut nemo excludatur. Theodoretus, *Κήδομαι καὶ αὐτῶν πολεμούντων, de ipſorum etiam hoſtium* ſalute ſum ſollicitus; etenim ille quoque tuus populus dicitur. Da igitur his & illis benedictionem. Ita ipſe. Per benedictionem autem intelligitur bonorum omnium abundantia. S. Chryſoſt. hom. 1. de Davide eum vocat, manſuetudinis, *ἀρχέτυπον εἰκόνα*, & laudat *ἀποστολικὴν φιλοσοφίαν.*

Nota quintò, in fine Pſalmi eſt vox סלה *ſelah.* S. Hieron. vertit, *ſemper.* Syr. & Chald. *in ſæculum.* Vide dicta verſu tertio.

Nota ſextò, divinæ eſt gratiæ: Primò, à peccatis præſervare. Secundò, ad acquiſitionem virtutum juvare. Chriſtus enim ait Joan. 15. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* 65. Gratiæ effectus duplex.

Primum dicitur primâ parte verſûs: *Domini eſt ſalus.* Itaque jure dicunt Apoſtoli jactati tempeſtate. Matth. 8. 25. *Domine, ſalva nos, perimus*, q. d. omnia remedia humana adhibuimus ad evitandum naufragium, vela contraximus, aquam exhaurire conati ſumus, onera varia in mare abjecimus, anchoram ſacram jecimus; ſed nihil prodeſt, tu ſuccurre, aut perimus pro certo. Arab. vertit: *Domine libera nos, profectò perimus.* David hoc ſciebat, cùm dicebat Pſalm. 68. 1. *Salvum me fac Deus*, (Chald. redime) *quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam*, (per tentationes, ut explicat S. Auguſtinus) *infixus ſum in limo profundi.* Chald. in captivitatem, velut in profundum lutum. Symm. *εἰς ἀπεράντους καταδύσεις, in infinitas voragines:* peccati malitia eſt infinita, & quidem ſimpliciter, ut docet Hurtadus, *& non eſt ſubſtantia.* Chald. neque eſt conſiſtendi locus. Symm. nec poſſum conſiſtere: id eſt, magis ac magis in dies & horas infigor; neque mihi eſt vis ſufficiens, ut inde me extraham, aut ab adverſariis impulſus poſſim novis tentationibus, quibus magis dejicior, reſiſtere. Vide ibi dicta.

Alio belli ſimili rem explicat Pſalm. 32. 16. *Non ſalvatur Rex per multam virtutem.* S. Hieron. in multitudine exercitûs, *& gigas non ſalvabitur in multitudine virtutis ſuæ*, id eſt, roboris: etiam acquiſitæ virtutes ſunt imbecillæ, niſi Deus actuali gratiæ auxilio ſuccurrat, verſ. 17. *Fallax* (S. Aug. mendax) *equus ad ſalutem*, promittit victoriam, & non præſtat: *in abundantia autem virtutis ſuæ non ſalvabitur.* S. Hier. in multitudine roboris ſui. Vide illum locum.

Deus autem dat ſalutem Regibus. Pſal. 143. 10. 66. Deus dat ſalutem Regibus.
Qui das ſalutem Regibus, & populis. Iſaiæ 46. 13. *Dabo in Sion ſalutem.* Eſt Deus ſalutis. Pſalm. 17. 47. *Exaltetur Deus ſalutis meæ.* 2 Reg. 22. 47. Exaltabitur *Deus fortis* ſalutis meæ. Homo eſt ſalus imbecilla. Pſalm. 59. 13. *Vana ſalus hominis*, ideò eam Deus ſuſcipit, ut conſolidet. Pſalm. 88. 27. *Pater meus es tu, Deus meus & Suſceptor* (S. Hieron. fortitudo) *ſalutis meæ.* Sic Pſ. 139. 8. ait: *Domine, Domine virtus* (S. Hieron. fortitudo) *ſalutis meæ: obumbraſti* (S. Hieron. protexiſti) *ſuper caput meum in die belli:* facit etiam, ut fortiter hoſtem aggrediamur. Pſ. 17. 3. *Dominus firmamentum* (S. Hieron. petra. Chald. fortitudo) *meum, & refugium* (Hieron. robur) *meum, & Liberator* (Hieron. Salvator) *meus. Deus meus Adjutor* (Hieron. fortis) *meus, & ſperabo in eum: Protector meus* (Hieronym. Scutum meum) *& cornu ſalutis meæ.* Cornu ſalutis, ductâ ſimilitudine à beſtia cornupeta, denotat robur, vires, arma, quibus hoſtes ventilentur, diſſipentur, ſternantur, frangantur. Chald. vertit: Quoniam à præſentia ejus data eſt mihi fortitudo, & ſalus ſuper auctores inimicitiæ meæ. Habe Deum præſentem, & nihil time. Venit ad nos, ut ſalvet nos; unde Zacharias de Chriſto nato ait, Luc. 1. 69. Erexit *cornu ſalutis* nobis in domo David pueri ſui. Deuteron. 33. 17. illi aſſignantur cornua rhinocerotis.

Militem ſuum Deus ex omni parte circundat ſalute, eâque ipſum veſtit. Iſaiæ 61. 10. *Induit me veſtimentis ſalutis*, q. d. ut ait Sanctius, induit me veſtibus triumphalibus aut nuptialibus: vel, ut ait S. Hieron. ipſo Salvatore me veſtivit, ibi enim eum per ſalutem intelligit. Sic ait S. Paulus Galat. 3. 27. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, id eſt, 1. Abundantem ejus gratiam, dona, & virtutes. 2. Eum ipſum, ut eo velut animentur, qui ſunt baptizati, ut Chriſti ſpiritus ſit quaſi forma & anima eorum: & conſequenter ad unam cum Chriſto cognationem, compoſitionem, & filiationem reducantur: ut ſicut Chriſtus eſt Filius Dei per naturam, ita ſint filii Dei per gratiam, ut S. Chryſoſtomus, Theophylactus, & Cornelius exponunt. 67. Milites ſuos veſtit armis ſalutaribus.

1. Ga-

1. Galea. 1. Galeam affert Epheſiis Apoſtolus cap. 6. 17. *Galeam ſalutis aſſumite*, id eſt, galeam ſalutarem, quæ caput muniat, conſervet, ac ſalvet, ut Theophyl. & Vatablus interpretantur. Græcè, περικεφαλαίαν σωτηρίου, id eſt, galeam ſalutaria, nempe Salvatoris JEſu, ut explicat S. Hieron. q. d. JESUS ſit vobis in galeam, JEſum pro galea aſſumite, eum in capite veſtro ad munimen ponite; de eo uno cogitate, & ſecuri eritis. Clarius galeam ſalutis, ſpem ſalutis ait eſſe ipſe Apoſtolus 1 Theſſal. 5. 8. *Nos qui diei ſumus* (filii lucis, non filii tenebrarum) *ſobrii ſimus, induti loricam fidei, & charitatis, & galeam ſpem ſalutis:* hæc ſunt arma lucis. Spes, ait Cornelius, in epiſt. ad Epheſios, quaſi galea caput noſtrum ſymbolicum, puta finem & intentionem, armat & communit. Primò, quia facit ut ultimus noſter finis & intentio, ſit Deus, fruitio Dei, ſalus, & beatitudo æterna, eòque refert omnes alios noſtros fines & intentiones, ac conſequenter reliqua omnia cogitata, dicta, & facta noſtra. Secundò, quia facit ut homo cogitans bona illa immenſa, quæ conſecuturum ſe ſperat, alias omnes cogitationes à diabolo ſuggeſtas repellat, hâcque cogitatione & ſpe, ardua quævis aggrediatur, & animosè cum hoſte confligat, proponens ſibi gloriam illam ſperatam, quæ victorem manet.

2. Clypeo. 2. Clypeum ſalutarem dat Deus ſervis ſuis. David hoc de ſe teſtatur 2 Reg. 22. 36. *Dediſti mihi clypeum ſalutis tuæ.* Hic eſt clypeus, quem Joſue, id eſt, JEſus, erectum tenens, vincit cives Hai, qui eo clypeo abſente exercitum Dei in fugam verterant. Dicamus illi quod Ægyptii fame pereuntes dixerunt Joſepho. Geneſ. 47. 26. *Salus noſtra in manu tua eſt:* reſpiciat nos tantum dominus, & læti ſerviemus regi. Cætera arma vide Epheſ. 6. ad hoſtes ſuſtinendos.

3. Gladio. 3. Gladium etiam ſalutis dat Deus ſervis ſuis ad hoſtes cominùs aggrediendos, & ſagittam ad illos eminus impetendos. De gladio habes Pſ. 19. 7. & 8. *Salvum fecit Dominus Chriſtum ſuum:* (Regem Davidem à ſe unctum) *Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo: in potentatibus* (S. Hieron. in fortitudinibus) *ſalus dexteræ ejus*, Dei ſcilicet, ut explicat S. Hieron. & Lorinus, à cujus forti dextera eſt ſalus. q. d. Deus dexterâ ſuâ ſalvante aderit Regi. 2. Et meliùs ad rem noſtram, τὸ *ejus*, refer ad Regem, qui dexterâ ſuâ ſalvat ſe & populum ſuum; ſed in potentatu & fortitudine divina ope ſibi à Deo datâ: & meliùs videtur convenire cum præcedentibus: *exaudiet illum*, &c.

4. Sagitta. 4. Sagittam denique ſalutis dat Deus ſervis ſuis, ut hoſtes etiam remotos ſuo fervore & ardore appetant & ſternant. Hoc figuratum eſt in ſagitta intorta à rege Joas verſus Syriam. Nam ut habetur 4 Reg. 13. 14. Eliſeus ægrotabat infirmitate, quâ & mortuus eſt: deſcenditque ad eum Joas rex Iſraël, & flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, currus Iſraël, & auriga ejus, q. d. qui eras totum Iſraëlis robur. Chald. clarè: qui melior eras Iſraëli oratione tuâ curribus & equitibus. Et ait illi Eliſeus: *Affer arcum & ſagittas*, vult Deus cooperationem noſtram. Cùmque attuliſſet ad eum arcum & ſagittas, dixit ad regem Iſraël: *Pone manum tuam ſuper arcum*, principes laborent pro populo. Et cùm poſuiſſet ille manum ſuam, *ſuperpoſuit Eliſeus manus ſuas manibus regis:* Prælati & omnes Eccleſiaſtici juvent reges ſuos. Et jecit, & ait Eliſeus ℣. 17. *Sagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam: percutieſque Syriam in Aphec, donec conſumas eam.* Nota, olim ſolebant bellum hoſtibus denunciantes ſagittam aut haſtam in agros hoſtiles injicere. Haſtam à Romanis ſolitam jaci tradit Servius lib. 9. Æn. Alexander ſtatim ut ad Perſarum fines venit, jaculum in eorum agros intorſit, ut ait Juſtinus lib. 2. pugnæ initium face injecta denotari ait Euripid. in Phœniſſis. Et Statius lib. 4. jungit haſtam cum face: nam ferro & flammis hoſtes nocent. Ad eum morem alluſit Eliſeus. Nota ſecundò, Eliſeus ſignificat *Deus ſalvans*, & eſt typus Chriſti, ut jam dixi. 2. Joas ſignificat, *Dei ignis*, & eſt ſymbolum charitatis ferventis. 3. Syria, quæ *Aram* dicitur, id eſt *excelſa*, denotat potentes, ſuperbos, arrogantes, dæmones ipſos. Vincuntur ſagitta ſalutis, id eſt oratione, directa à JEſu: quia quod petimus in nomine ejus, obtinemus, & ipſe promiſit Joan. 14. 13. Vincuntur denique *in Aphec:* id eſt *in valle*, humilitatis ſcilicet: aut, in decurſu vehementi aquæ: ſeu, *in rivo*, contritionis: denique, in forti mortificatione. Rad. אפק *aphac*, vim ſibi facere, ſe continere, ſe reprimere & coërcere, ſe impellere ad aliquid vel omittendum, vel præſtandum, vel, אפיק *aphic*, fortis, vehemens, vaſtis, rivus cum impetu decurrens. Illa ſalutis ſagitta, eſt ſagitta ſalutis Domini, id eſt datæ per Dominum ſervis. Ut enim ait S. Bern. lib. de amore Dei cap. 6. *Tu verè ſolus es Dominus, cujus dominari ſuper nos, hoc eſt ſalvare nos: noſtrum verò ſervire tibi, nihil eſt aliud quam à te ſalvari.* Quantumcunque perfectus ſis, tibi non confidas, cecidit Salomon, Judas, Tertullianus, Hoſius, Adam, Angelus, Pſal. 36. 39. *Salus autem juſtorum à Domino.* Iſaiæ 45. 17. *Iſraël ſalvatus eſt in Domino ſalute æterna.* Rom. 8. 1. *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JEſu:* ab eo juſtificati, eique per fidem, ſpem, & charitatem in Baptiſmo inſiti. Projice te intra JEſum & ejus vulnera, ac ſecurus eris. Contra verò Mich. 1. 11. *Planctum Domus vicina accipiet ex vobis, quæ ſtetit ſibimet*, ſuis nixa viribus: Bethaeſel, ut eſt in Hebræo, erat urbs vicina urbi Saanan, & ſignificat *Domus vicina*.

Omnes objectas ab hoſte difficultates ſuperat Chriſtus. Zach. 4. 7. *Quis tu mons magne*, Sanaballat & Samaritæ impedientes fabricam templi, ut ait Mariana. 2. Reges Perſarum: nempe Cambyſes & Magi, qui eam vetuerant, ut Chald. & Clarius. 3. Dæmon, ut S. Hieron. & Remig. *coram Zorobabele?* Populi Judaici principe, qui eum ſub Cyro è Babylone reduxerat, & ſub Dario Hyſtaſpis templum extruebat. Chald. vertit: *Quid tu reputaris regnum ſtolidum coram Zorobabele? Nonne quaſi vallis?* Zorobabel Typus erat Chriſti, qui tollit difficultates omnes. Cant. 2. 8. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Symm. Aſcendens contra montes, proſiliens contra valles: id eſt obices omnes ſibi ſuiſque objectos perrumpens: addit Zachar. *Et educet lapidem primarium.* Hebr. lapidem capitis: id eſt culminis, qui perfecta fabrica ponitur quaſi clavis vel ornamentum fornicis aut ædificii. Sept. lapidem hæreditatis, id eſt, qui terminat agrum Eccleſiæ & ſeparat à gentilibus: quod clarè de Chriſto Chald. exponit. Emerget Meſſias, cujus ab æterno nomen dictum, qui potietur imperio regnorum omnium: ſic explicat quod adjungitur, *& exæquabit gratiam gratiæ ejus*, q. d. gratiam tunc factam Judæis exæquabit Deus gratiæ olim factæ Patribus eorum, ut ait S. Hieron. & Rupertus. 2. Gratia & felicitas perfecti templi ex æquo reſpondet gratiæ & felicitati qua cœptum eſt, ut ait Chriſtophor. à Caſtro. 3. Templum Zorobabelis exæquabit, imò ſuperabit gloria & ſplendore templum Salomonis, ob Chriſtum qui in eo verſabitur, ut explicat Gaſpar Sanctius. Nam Chriſtus ſua lege gratiæ longè poſt ſe Salomonem & Moſem ipſum reliquit. Ut enim dicit S. Joan. cap. 1. 17. *De plenitudine ejus* (ut de jugi fonte, ait S. Cyrill. Alex.) *omnes nos accepimus: & gratiam pro gratia.* Id eſt. 1. In Chriſti gratia nos omnes ſumus gratiam conſecuti, & per eum grati facti Deo, ut ait Zacharias Chryſopolitanus. 2. Per Chriſtum omnes gratiam accepimus, ſed unus unam, alius aliam, ut ait Maldonatus. 3. Pro gratia Chriſti nos quaſi ejus ſucceſſores & filii, vicariam & ſimilem illi gratiam accepimus, ut exponit S. Chryſoſt. & S. Cyrillus. 4. Per, vel propter gratiam Chriſti, quaſi fontem & originem, nos gratiam accepimus, ut Franciſcus Lucas, Vatablus & Cornel. exponunt. 5. Gratiam vitæ æternæ, id eſt, gloriam accepimus pro gratia vitæ, ut S. Auguſt. 6. Legem Evangelicam Chriſti accepimus pro lege veteri Moſis: utraque enim fuit gratia, quia gratis data, ut S. Cyrill. 68. Chriſtus tollit omnes difficultates.

Digitized by Google

S. Chryſoſt. Theophylactus, Leontius, aliique explicant, & hic ſenſus mihi maximè appoſitus videtur: unde explicationis gratiâ addicit, *quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per JEſum Chriſtum facta eſt.* Gratia, ut ait S. Auguſt. lib. 27. contra Fauſtum cap. 6. pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad prophetiarum impletionem. Ita ipſe: accede ad fontem, & gratiam ſalutaris accipe, Prov. 8. 35. *Hauriet ſalutem a Domino.*

69. Nulla tentatio ſuperari poteſt ſine Dei gratia. Quæres, an ita ſalus noſtra, in hoſtili incurſu, ſit a Deo, ut ſine gratia ejus nullam prorſus vincere tentationem poſſimus? Reſpondet 1. Gregorius, Franc. Romæus, Gaſpar Caſſal. Catharinus, Anton. Panthus, Capreolus, aliique, qui nullum opus bonum fieri poſſe dicunt ſine auxilio gratiæ propriè dictæ, non poſſe ullam vel leviſſimam tentationem ſuperari ſine eadem gratia. Clarè loquitur Theophylactus in 1 ad Corinthios: *Quævis tentatio vires noſtras exuperat, niſi Deus auxilietur nobis.* Atque Oecumenius: *Quævis tentatio vos everteret, niſi Chriſtus auxiliaretur.* S. Ambr. in Pſalm. 43. illud expendens: Quoniam humiliâſti nos in loco afflictionis, ait: *Quis eſt tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur, niſi Dominus ei adjutor aſſiſtat?* Cæleſtinus Papa in ſua epiſt. cap. 9. *Superbum eſt*, inquit, *ut quidquam ſibi humana natura præſumat*, quod de victoria tentationum eum intelligere patet ex teſtim. Pauli, quod affert Rom. 7. Sentio aliam legem in membris meis. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Gratia Dei per JEſum Chriſtum.* Innocentius 1. in epiſt. 25. ad Concil. Carthag. & 26. ad Milevitan. ait: *Parare nos ad reſiſtendum, non liberum arbitrium, ſed Deus ſolum facere poteſt auxilium.* Et poſteà: *Neceſſe eſt, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Concilium Arauſicanum cap. 4. ait: *Divini eſt muneris, quoties pedes noſtros à falſitate & injuſtitia tenemus.* Et cap. 14. addit: *Nullus miſer de quacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia prævenitur.* Dicit Apoſtolus nihil excipiens Epheſ. 6. 16. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei.* Vult enim, ut ait S. Hieron. nos in omni tentatione & opere geſtare clypeum fidei, eoque venientes diaboli ſagittas & ſuggeſtiones excipere & retundere; unde addit: *In quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Ipſe Chriſtus monet Apoſtolos in horto dormitantes, Matth. 26. 41. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Ne, ut ibi ait S. Hieron. tentatio nos ſuperet, & peccato irretitos intra caſſes ſuos teneat: atque ad rem præſentem ait: *Si libertas arbitrii ſatis eſſet ad vincendam tentationem, non fuiſſe Chriſtum dicturum,*
Præſertim ſi ſit gravis. *vigilate, & orate.* Ita contra Pelag. dialog. 2. Reſpondeo 2. hoc eſſe longè veriùs in gravioribus tentationibus, Sap. 8. 21. *Scivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens* (pudicus, caſtus, frænum voluptatibus injiciens) *niſi Deus det.* Jacobi 3. 8. *Linguam autem nullus hominum domare poteſt.* S. Auguſtinus ſerm. 4. de verbis Domini ſecundùm Matth. Homo, ait, domat feram, non domat linguam: domat leonem, & non refrænat ſermonem, *inquietum malum*, Græcè, ἀκατάσχετον, incoërcibile, ut explicat Vatablus: quod impediri non poteſt, ut Syrus: incontinens, id eſt, quod contineri non poteſt, ut S. Hieronym. lib. 2. contra Pelag. *Plena veneno mortifero.* Vide Suares tomo de gratia lib. 1. cap. 24. David ſuperavit Goliath, ſed in nomine Domini, 1 Reg. 17. 45. *Dixit autem David ad Philiſthæum: Tu venis ad me cum gladio, haſta & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* Joſephus lib. 6. Antiq. cap. 10. ſic eum loquentem inducit: Tu me invadis haſta tua confiſus, & thorace & gladio: *Mihi verò pro armatura Deus eſt*, qui te ac tuum exercitum hodie noſtris manibus deleturus eſt, & S. Chryſoſtomus hom. de Davide & Goliath: *David dixit ad eum: Tu venis ad me fidens in gladio, ego in Deo: tu terrenis dimicas, ego cæleſtibus pugno: tu in lancea, ego in fide: tu in clypeo, ego in pace: tu venis ad me in armorum virtute, ego in potentiſſimo Genitore. Denique in te tua arma vertentur: in te tuus gladius exeretur. Dei eſt enim hæc pugna, Dei erit & ipſa victoria.* Nos longè magis pugnamus in Dei noſtri nomine, nempe in nomine JEſu. Actor. 4. 12. ait S. Petrus coram principibus Judæorum, & Senioribus, & Scribis in Jeruſalem, & Anna principe ſacerdotum, & Caipha, & Joanne, & Alexandro, & quotquot erant de genere ſacerdotali: *Non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Patri æterno dicebat Abacuc Propheta cap. 3. 13. *Egreſſus eſt in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo*, Moſe, ut educeres ex Ægypto: Cyro, ut liberares è Babylone: ſed longè magis, JEſu Domino, ut ab inferis redimeres. Sexta editio apertè loquitur: *Egreſſus es, ut ſalvares populum per JEſum Chriſtum tuum*, de quo locum illum S. Hier. exponit, S. Auguſt. l. 18. civit. cap. 32. & ipſi Rabbini.

Quæres ſecundò: De qua benedictione loquatur David, cùm ait: *Et ſuper populum tuum bene-* 70. Chriſtus eſt cauſa omnis benedictionis.
dictio tua. Reſp. loqui de omni, Judæis quidem præſertim, de pace & tranquillitate, & conſequenter terrenorum bonorum ubertate & copia, data victoria de Abſolone. Chriſtianis verò, de omni gratia per Chriſtum. Nicephor. Blemmida hoc loco: *Benedictio, ait, in homines à Deo, gratia eſt: Benedictio ab hominibus in Deum, laus & gloria: Benedictio ab hominibus in homines, pro illis oratio.* Remig. Benedictio, ait, eſt multiplicatio virtutum & bonorum operum. S. Hieronymus breviùs dicit: Benedictio eſt conſummatio perfectionis.

Omnis per Chriſtum habetur benedictio. Epheſ. 1. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, qui benedixit nos*, id eſt, qui benefecit nobis, copioſè cumulavit nos ſuis bonis & beneficiis; Dei enim dicere non eſt aulicum, ſed ſimplex eſt, ſyncerum & efficax, ait Cornelius, *omni benedictione*, omni bono, beneficio, & dono, *ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto*; id eſt, per Chriſtum, cujus gratiâ habemus dona cœleſtia. De Nephthali, qui ſignificat luctantem, luctatorem, dicitur, Deut. 33. 23. *Nephthali abundantia perfruetur*, opum ſcilicet ac frugum. Hebr. *Satur erit voluntate*, ut Pagn. & Arias vertunt; id eſt, habebit quicquid volet, additur ad explicationem, *plenus erit benedictionibus Domini, mare & meridiem poſſidebit*: ſive in tribulationis tempeſtate, ſive in luce & ardore proſperitatis benedicetur, & prævalebit. Agit ibi de tota tribu Moſes: ſis bonus luctator, & eris Nephthali benedictus. Nec laborabis, ut illas habeas benedictiones, tibi fluent è cælis ſine labore: de Chriſti alumnis ait Ezechiel cap. 34. 26. *Ponam eos in circuitu collis mei* (Chald. ſanctuarii) *benedictionem*, (non erunt tantùm benedicti, ſed ipſa benedictio, eam in alios derivantes) *& deducam imbrem in tempore ſuo: pluviæ benedictionis erunt*: non guttula tantùm, ſed maxima abundantia, & data gratis: erit fertilitas & fœcunditas doctrinæ, virtutum, gratiæ, donorum Spiritus ſancti, lætitiæ ſpiritualis in lege Chriſti, Zach. 8. 13. *Sicut eratis maledictio in Gentibus: ſic ſalvabo vos, & eritis benedictio.*

Tu viciſſim eum benedic; ut enim ait S. Valerianus hom. 11. *Omnem modum ſacrilegæ ſuperſtitionis exceſſit, qui in laboribus juſtis partem Deo ſubtrahit.* Et infra, unam eſſe ait ſpem ſalutis noſtræ, ut Deo bona noſtra aſcribamus; ac poſtea:

Stultitia genus eſt, ut, cùm alii debeas
vita beneficium, tibi aſcribas ornamenta virtutum.

PSALMUS QUARTUS.

1. *In finem in carminibus, Pſalmus David.*

2. CUm invocarem, exandivit me Deus juſtitiæ meæ: in tribulatione dilatâſti mihi.
3. Miſerere mei: & exaudi orationem meam.
4. Filii hominum, uſquequò gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?
5. Et ſcitote, quoniam mirificavit Dominus Sanctum ſuum: Dominus exaudiet me, cùm clamavero ad eum.
6. Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.
7. Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino: multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?
8. Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine: dediſti lætitiam in corde meo.
9. A fructu frumenti, vini & olei ſui: multiplicati ſunt.
10. In pace in idipſum: dormiam & requieſcam.
11. Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe: conſtituiſti me.

PSALMI QUARTI ANALYSIS.

David in deſerto Maon à Saule rege obſeſſus, ita ut evaſurus non putaretur, ſive

- Deum ſibi ob innocentiam eſſe auxiliatorem. 1.
  - In afflictione præſenti.
    - Exandiendo preces. 1.
    - Et ex anguſtiis educendo. 1.
  - In miſeriis futuris, faciles quoque aures præbendo. 2.
- Hoſtes ſuos hortatur ad virtutem. 3. ut ſcilicet
  - Voluntate. 3.
    - Terrenis rebus futilibus non hæreant. 3.
    - Et bona fallacia non quærant. 3.
  - Intellectu. 4
    - Cognoſcant ſe à Deo in regem conſecratum exaltari. 4.
    - Et preces ſuas exaudiri. 4.
  - Appetitu. 5
    - Iraſcibili, in peccata abripi ſe non ſinant. 5.
    - Concupiſcibili, de admiſſis doleant. 5.
  - Opere. 6.
    - Sacrificent ſacrificium juſtitiæ. 6.
    - Et bona inde oritura expectent. 6.
- Sua & ſociorum bona oſtendit. 7.
  - Favorem divinum. 7.
  - Lætitiam cordis. 7.
  - Hoſtibus ſuis tantùm eſſe opes externas. 8. ſibi verò
    - Pacem ſuavem. 9.
    - Quietem. 9.
    - Et ſpem ſecuram. 10.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. *In finem in carminibus; Pſalmus David.*

1. Argumentum Pſalmi. ARgumentum Pſalmi varium à variis aſſignatur. Primò, Petrus Lumbardus putat Pſalmum hunc ſcriptum eſſe contra idololatras.
1. Secundò, Dionyſius, Titelmannus, Eugubinus
2. & Ludolphus arbitrantur eſſe moralem inſtitutionem abſtinendi à malis & vanis, amandi virtutem & æterna bona, implorandi Deum in tribulatione cum ſpe de Dei auxilio. Tertiò, Euſebius, Aſterius,
3. Euthym. Ugo Cardin. & alii, quos ſuppreſſo nomine refert Theodoretus, cenſent Pſalmum hunc eſſe *ἐπινίκιον*, ſeu carmen victoriale, ob victoriam perfectam de rebelli Abſalone obtentam. Quartò,
4. probabilius eſt, ut cenſet Cajetanus, agi de perſecutionibus Saulis & liberatione ab illis. Nolim tamen cum Valentia arctare ad conjurationem Doëg Idumæi, qui Saulem incitavit in Davidem, & occidit Achimelech ſummum Pontificem & plurimos ſacerdotes in Nobe, eò quòd dati eſſent panes Propoſitionum ipſi fugienti. 1 Reg. 22. Sed potiùs cen-
5. Et melius. ſeo jactum eſſe Pſalmum, cum David à Ziphæis proditus lateret in deſerto Maon, & Saul ac viri ejus in modum coronæ eum cingerent, ut eum caperent ac milites ejus: porrò *David deſperabat ſe poſſe evadere à facie Saul*, viribus ſcilicet humanis, 1 Reg. 23. 26. liberatus itaque præter omnem ſpem Liberatori ſuo Deo gratias agit: Ita ſentit Lyranus, & rectè. Nam primò, tunc poterat dicere, exandivit me Deus *juſtitiæ meæ*, cùm adhuc eſſet innocens, in bello autem contra Abſalonem id ita commodè non uſurpâſſet, jam reus adulterii & homicidii. Secundò, in bello Abſalonis non fuit arctatus à rebellibus, ſed ſtatim eos fugit: à Saule autem in arctum compulſus, & ex illa arctatione ereptus canit: *In tribulatione dilatâſti mihi.* Tertiò, alludit ad timorem Saulis, ne David ei regnum eriperet, verſ. 3. Filii hominum, &c. *Ut quid diligitis vanitatem?* Quartò, regnaturum ſe prævidet, verſ. 4. *Mirificavit Dominus Sanctum ſuum*, id eſt, à ſe ſanctificatum & conſecratum in regem. Quintò, furorem Saulis contra ſe reprehendit. verſ. 5. *Iraſcimini, & nolite peccare.* Sextò, felicitatem regni ſui prædicit. Septimò, ea omnia aſſerit ſe ab uno Deo ſperare, verſ. ult. *Singulariter in ſpe conſtituiſti me.*

Alleg. de Christo eſt hic Pſalmus, quo prænunciat ſui nominis exaltationem per Paſſionem, & dicit Eccleſiam ſuam omnibus bonis gratiæ & virtutum abundaturam, ſeque in æterna pace cum Sanctis ſuis quieturum. Senſus eſt tantùm accommodatitius Ruperti de gloria Trinitatis cap. 13. qui Pſalmum totum applicat miſſioni Spiritûs ſancti in Pentecoſte, dum orarent Diſcipuli, Actor. 1. & 2. nam dilatatum eſt cor eorum, exanditi ſunt donis acceptis, reprehenderunt interfectores Chriſti, hunc prædicaverunt à Deo glorificatum; illos pœnitere juſſerunt, convicerunt de mendacio, quòd ſepultum Diſcipuli furati eſſent. 2. Allegorice. Christus prædicat exaltationem ſuam per paſſionem.

3. In finem ſignificat Primò. Secundò. Nota primò, τὸ *in finem*, ad literam ſignificare primò, quòd *μακροῖς ὕστερον χρόνοις*, longis poſt ſæculis, quæ prædicit, perficientur, ut ait Theodoret. Secundò, quòd hic Pſalmus eſt canendus, in finem, id eſt, perpetuò, ſive frequentiſſimè: quod eſt ſignum, Pſalmum eſſe unum ex melioribus, ut loquitur Bellarminus. Tertiò. Tertiò, denotat felicem exitum vitæ David poſt peccatum, ut explicat Aſterius in Catena. Quartò. Quartò, *in finem*, alii volunt denotare, quòd Pſalmus hic ſit cantandus in fine ſacrificii, aut feſti, ut nunc in Eccleſia uſurpatur in fine diei, nempe in completorio: ut oratione, humilitate, contemptu rerum terrenarum occidentium, cognitione excellentiæ Chriſti, tranquillitate paſſionum, examinatione & compunctione peccatorum, oblatione noſtri corporis & animæ in hoſtiam acceptabilem, & emundatam, ſpe in Deum, expectatione cœleſtium præmiorum, ad ſomnum tranquillum & ſanctum, nos præparet, atque in hoſtes muniat. Quintò. Quintò, *in finem*, q. d. cantandum Pſalmum perfectâ de Abſalone victoriâ, ut placet Euſebio, Euthymio, Ugoni, & ipſi Aſterio. Sextò, & optimè. Sextò denique, *in finem*, denotat cantandum hunc Pſalmum poſt liberationem ab obſidione Saulis in deſerto Maon, unde ſe evadere David ſuis viribus deſperabat, ut dixi ſuprà: ad alias rationes adde, quòd tunc verè dicere potuerit, *dediſti lætitiam in corde meo*, cum in morte Abſalonis victoriam ſibi lugubrem maximè cenſuerit, inclamans: *Abſalom fili mi! fili mi Abſalom! quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te?* 2 Reg. 18. 33.

4. Alleg. Chriſtus eſt finis legis. Allegoricè verò, *in finem*, id eſt, in Chriſtum, ut explicat S. Thomas: ut enim ait S. Paulus Rom. 10. 4. *Finis legis Chriſtus: ad juſtitiam omni credenti.* Eſt finis legis, id eſt: 1. Perfectio legis, quæ ſine Chriſto perfici non potuit, atque compleri, ut ait S. Anſelmus. 2. *Finis*, id eſt, conſummatio, quia lex non poterat hominem facere juſtum, & hoc fecit Chriſtus, ut exponit S. Chryſoſt. 3. *Finis* eſt legis Chriſtus, quia legem terminavit, & ceſſare fecit, umbras mutans in veritatem, & S. Auguſt. in explicat. lib. 2. contra adverſar. legis & prophet. cap. 7. *Finis, non qui conſumit, ſed qui perficit*, ait S. Gregor. hom. 16. in Ezech. *Tunc etenim legem perfecit, cùm, ſicut lex prædixerat, incarnatus apparuit. Erit & novi teſtamenti finis, cùm & quæ de ſe promiſit, compleverit. Finietur verò teſtamentum novum, quia perficietur.* 4. 4. Chriſtus fuit *finis* legis, quia fuit ejus ſcopus: ad eum enim tota lex, velut ad finem, terminum & ſcopum ſuum refertur, tendit, ducit, & vocat. Ita Theodoret. Sunt etiam, qui *in finem* explicent de tempore gratiæ, quod ab Apoſtolo dicitur *finis ſeculorum*, 1 Cor. 10. 11. Hæc autem omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem (Græc. *νουθεσίαν*, admonitionem) *noſtram, in quos fines ſeculorum* (ultima Mundi ætas) *devenerunt*. S. Joan. 1. epiſt. 2. 18. *Filioli! noviſſima hora eſt.* id eſt, tempus ultimum: per ſynecdochen enim hora ſumitur pro quovis tempore.

5. Tropol. Tropolog. *in finem*, id eſt, ad perfectionem vitæ juſtæ & virtutibus ornatæ, ut vult S. Auguſtinus. Anagogicè. Anagogicè denique, *in finem*, id eſt, ad reſurrectionem & beatitudinem vitæ æternæ, ut S. Hilar. S. Gregor. Nyſſ. Didymus, Euthymius, aliique interpretantur. S. Gregor. Nyſſ. verba ſunt tract. 2. in Pſal. cap. 2. *Cùm omnis certaminis victoria ſit finis ad quem, qui certamen ingrediuntur, omnia ſua referunt, eáque fretì pugnare incipiunt, mihi planè perſuadeo, finis nomine, velut brevi quadam commotione excitari omnes illos, qui in hujus vitæ ſtadio per virtutis exercitationem decertant, ut finem reſpicientes ſpe coronæ obtinendæ, certaminum laborem levent, & minuant.* Corona enim præmonſtrata iis, qui in palæſtris congreſſuri, manuſque conſerturi ſunt, multum roboris addit: & diligentiam ad victoriam obtinendam acuit, moleſtiis illis, quæ in conflictu ſubeundæ ſunt, ſperata gloria, multum extenuatis. Ergò cùm omnibus ad certamen ſtadium apertum ſit, *στάδιον δὲ ὁ κοινὸς ἀνθρώπων βίος ἐστὶν*, *ſtadium autem eſt communis hominum vita*, &c. Ita Nyſſenus.

6. Ob victoriam Pſalmus eſt Deo canendus. Nota ſecundò, Sept. legerant in titulo Pſalmi noſtri לנצח *la neſah*, unde verterunt *in finem*, ſicut Pſalm. 12. 1. Nunc legitur למנצח *lamnaſſeah*, & ſic legiſſe videtur S. Hieron. qui vertit, *victori*. Felix, *vincenti*. Aquila, *νικοποιῷ*, effectori victoriæ. Theodotio, *εἰς τὸ νῖκος*, ad victoriam. Symmachus *ἐπινίκιον*, victoriale. Nota, item τὸ לנצח *la neſa* poſſet verti, *ad vincendum*, ita ut ſit gerundium. Nam *naſa* ſignificat vincere: unde forſaſſe *νίκη*, *victoria*, deducitur. Senſus porrò eſt primò, q. d. *victori*, id eſt, cantorum præfectò dandus Pſalmus, ut volunt Titelmanus, Joan. Renchlinus in Pſalm. pœnit. & de rudim. Hebr. Cajet. Vatabl. Eugubin. Janſen. Arias, Genebr. Secundò, *victori*, q. d. Pſalmum hunc dari cantandum à Levitis cum quodam conatu ad ſuperandum chorum alterum, ut idem Titelm. Clarius, Stapulenſis, & Lyranus ac R. Salomon exponunt. Tertiò, *victori*, q. d. Pſalmum eſſe cantandum prapoſito præmio ei, qui vocem magis contenderet: vel abſolutè totum cantaret ſupremis tonis ac vocibus, ita Arias. Quartò denique congruentiùs, *victori* Pſalmus inſcribitur, quia eſt Pſalmus victorialis, non cantandus ob victoriam de Abſalone obtentam, ut cenſuit Ugo Card. ſed ob liberationem de manibus Saulis cum exercitu eum vallantis, ut jam dixi. Sicque *in finem* & *victori* idem ſignificant quoad rem. Indicatur enim utrâque locutione, Pſalmum eſſe concinnendum in ſine liberationis de manibus Saulis, velut victoria de ejus invidia obtenta.

Alleg. Chriſtus eſt & *finis legis* ac ſcopus, & finiens ac finitor, id eſt, exterminator peccati, & *victor* ac triumphator, cui Abacuc canit cap. 3. Deus Dominus fortitudo mea: & ponet pedes meos quaſi cervorum: *ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem:* ibi eſt vox eadem, quæ in Pſalmo noſtro, nempe *Lamnaſſeach:* unde S. Hier. vertit *victori*, & ſic legendum cenſent Ribera, Janſenius, & alii multi: tamen eſt inſiſtendum Vulgatæ, & *lamed* ibi ponitur, & nota nominativi: hi enim articuli Hebræorum miro modo variant & pro diverſis caſibus ponuntur.

Anag. Victori Chriſto hymnos cantaturi ſunt Sancti in cœlis, ut vidit S. Joan. Apoc. 5. 12. Remig. in cap. 3. Abacuc: *Deducet me*, ait, *ſuper excelſa mea. Ipſe autem deducet me, quia hæc non mea virtus efficiet, ſed ejus gratia. Deducet autem canentem victori: id eſt, Chriſto Triumphatori mortis & diaboli. Deducet ergò me ſuper excelſa, hoc eſt, ad beatam ſupernæ civitatis frequentiam, quæ ex Angelis & ſanctis hominibus conſtat, ut illis admixtus atque conjunctus canam victori cum Angelis: Gloria in excelſis Deo.*

Nota tertiò, pro *in carminibus*, alii habent *in hymnis*, *ἐν ὕμνοις*, ut Theodotio: alii ut 70. in 7. Neghina quid. editione emendata, & Aquila, *in Pſalmis:* Symm. *διὰ ψαλτηρίων*, *per pſalteria*, id eſt, inſtrumenta muſica. Hebræa vox נגינות *neghinoth*, ſignificat, ut Hebræi docent, *pulſatrices fœminas*, vel ipſa *inſtrumenta*. Lyranus & Valentia *organa* exponunt, diſtinctum quoddam muſicorum inſtrumentorum genus: Cajetanus ait, eſſe incertum, an ſint inſtrumenta, an ſpecialis modus muſicæ: ideóque in genere meliùs verti, *in modulationibus:* Eugubinus vocat lyrica inſtrumenta: Felta, vel chorum, vel canticum cum inſtrumento muſico. Titelmanus, & alii, inſtrumenta: nonnulli, cujuſdam carminis initium eo tempore noti, ad cujus ſimilitudinem hoc modo inſcripti Pſalmi decantarentur, aut componerentur. Eſt נגן *nagan*, *pulſare inſtrumentum muſicum:* quod etiam per *pſallere* nonnunquam vertitur, Pſalm. 32. 3. ſicut & נגינה *neghina*, per *canticum*. Thren. 3. 14. Job. 30. 9 Sept. per *citharam*. Ibid. in Job. Sic Lorinus in Pſalmo noſtro. Septuaginta vertunt *in hymnis*, *ἐν ὕμνοις*. Et Pſal. 61. etiam in titulo habent: *In finem, in hymnis David.* Ibi eſt vox *neghinath*, quam R. Abraham vult eſſe in regimine. R. David in libro rad. & in commentario cenſet poni pro *neghina*. S. Hieron. vertit, *ſuper organum*. Chald. *ſuper laudem*. R. Abraham cenſet eſſe inſtrumentum muſicum,

Arbi-

Digitized by Google

Arbitror ego *nephina* eſſe tam inſtrumentum muſicum, quàm ipſam ejus melodiam, atque præſertim carmen illo inſtrumento ſuaviter ſonante decantatum. Unde variè variis locis redditur. Thren. 5. 14. S. Hieron. Pagn. Arias vertunt *canticum*. Alii reddunt, *pulſatio*: alii, *inſtrumentum muſicum*.

Senſus itaque tertius tituli eſt, q. d. Pſalmus David inter hymnos & cantica concinendus in fine liberationis de manibus Saulis, me concludentis in deſerto Maon.

8. Canticum, hymnus, & Pſalmus, an differant.

Nota quartò: Canticum, hymnus & Pſalmus ſæpè confunduntur, & pro eodem ſumuntur: in propria verò ſignificatione ſic diſtinguit, & rectè, S. Greg. Nyſſ. tract. 2. in Pſalmos cap. 3. *Pſalmus eſt modulatio per inſtrumentum muſicum: canticum eſt prolatio cantûs cum verbis ore facta. Hymnus eſt benedictio reddita Deo ob bona nobis præſtita.* In eadem ſunt mente S. Auguſt. Beda, Caſſiod. & alii. Nonnunquam dicitur *canticum Pſalmi*, ut Pſal. 65. 1. & 82. 1. & 87. 1. nonnunquam verò, *Pſalmus cantici*, Pſalm. 47. 1. & 66. 1. ac 67. 1. item 74. 1. ac 91. 1. Nam, ut ait S. Thom. *in aliquibus Pſalmus cantabatur ſine voce humana, & ad pſalterium. Sed in aliquibus incipiebat unus vel multi voce humana ſine inſtrumento, & unus reſpondebat cum pſalterio, & hi intitulantur, canticum Pſalmi. In aliquibus verò unus cantabat Pſalmum cum pſalterio, & alii reſpondebant ſine pſalterio, & hi intitulantur, Pſalmus cantici.* Ubi adverte, Pſalmum hunc noſtrum, in quo ponitur *in carminibus Pſalmus*, ſive, *in hymnis Pſalmus*, cùm ſit maximæ lætitiæ ob ſummum diſcrimen evitatum, videri cantatum eſſe partim voce, partim organo ſeu inſtrumento muſico, ut David oſtenderet, omnia ſe ſua (nempe cor, manus & os) in gratiarum actionem laudem Dei ſervatoris effundere.

DIVISIO TOTIUS PSALMI.

Tria complectitur. Primò, David ait orationem ſuam à Deo eſſe exauditam. Verſ. 1. & 2. Secundò, monet hoſtes ſuos, ut reſipiſcant. Verſ. 3. ad 6. Tertiò, explicat dilucidiùs, quid à Deo ſit conſecutus: nempe lucem, lætitiam, & ſecuram pacem. Verſ. 6. ad finem.

SECTIO PRIMA.

Duo continet. Primò, David prædicat ſe per orationem liberatum eſſe à ſumma arctatione, quâ concluſus tenebatur à rege Saule. Verſ. 1. & 2. Secundò, ait hoſtes ſuos omnes vana quærere, ſe eorum manus evaſurum, iram ab iis eſſe cohibendam, & ſacrificium juſtitiæ immolandum Deo. Verſ. 3. 6.

PARAPHRASIS.

1. Cùm invocarem, exaudivit me Deus juſtitiæ meæ: in tribulatione dilatâſti mihi.

1. Deus Author & Fons omnis meæ juſtitiæ, quique me in Saulem nihil peccâſſe cognoſcis, exaudiviſti me ad te ſuſpirantem, & revocatis hoſtibus per adventum Philiſthinorum, me ex anguſtiis rupibus deſerti Maon, in quibus propè de vita deſperans latebam, in apertos campos liberum dimiſiſti.

2. Miſerere mei, & exaudi orationem meam.

2. Miſer tamen adhuc ſum & infortunatus, rege meo necdum mihi placato, & ſtatim contra me redituro: ſed tu Deus miſerere ſortis meæ, atque orationem me perfectè exaudi, redditâ tranquillitate & pace.

3. Filii hominum uſquequò gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

3. Vos verò fortunæ meæ invidi, quamdiu humanis tantùm affectibus credentes gravati & in terram prono corde eritis? Quid eſt cauſæ, cur vanis & mendacibus Mundi honoribus ac divitiis inhærentes vana & mendacia confingatis, ut de mea ruina creſcatis?

4. Et ſcitote: quoniam mirificavit Dominus Sanctum ſuum: Dominus exaudiet me, cùm clamavero ad eum.

4. Hoc pro certo cognoſcite: veniet tempus, cùm me jam per Samuelem Prophetam in regem conſecratum & inauguratum, donis ſuis Deus locupletabit, exaltabit, atque mirabilem faciet: ſcio fore, ut me exaudiat, quoties ardenti ad eum oratione confugero.

5. Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.

5. Hactenus injuſtâ in me ira efferbuiſtis: nunc verò iraſcimini, ſed vitiis veſtris & inordinato furori, ut non peccetis ampliùs in me & in Deum: conſilia de me perdendo, quæ mente agitatis, aliaque omnia interna ſcelera, quæ concipitis, à vobis diſpellite: &, cùm ab aulæ tumultu liberi, in veſtra vos cubilia recipitis, verâ contritione eluite & expurgate.

6. Sacrificate ſacrificium juſtitiæ: & ſperate in Domino,

6. Bonis operibus vos ipſos Deo juge ſacrificium exhibite, mactatis omnibus cupiditatibus, & orationis oblato libamine igneque charitatis; hoc enim juſtum eſt præſtare vitæ veſtræ, & diviniarum, bonorum, cæterorumque omnium Authori. Tunc erit, cur in eo ſperare poſſitis, atque ab ejus liberalitate dona expectare, quæ deſiderium veſtrum explebunt.

QUÆSTIO UNICA.

Quàm liberali animo omnes animi corporiſque vires ac facultates Deo ſunt conſecrandæ.

10. Rerum terrenarum vanitas totos nos ad Deum debet ducere.

David necdum Rex, ſed tantùm gener regis Saulis, & profugus in deſerto Maon, ut dixi, cinctuſque undequaque ab exercitu ejus, os ſuum aperuerat Deo, verſ. 1. *Cùm invocarem*: Nec ſine fructu, *exaudivit me Deus juſtitiæ meæ.* Totum itaque ſe illi volens rependit.

Primò, iterum os illi ſupplex aperit, & miſeriam ſuam fatetur, verſ. 2. *Miſerere mei, & exaudi orationem meam.*

Secundò, ſibi aliiſque rerum omnium vanitatem proponens, docet: Cor, id eſt, voluntatem, à terra ad Deum erigendum, verſ. 3. *Filii hominum uſquequò gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Tertiò: Intellectum ait eſſe intendendum in bona ingentia, quæ Deus ſervis ſuis ſibique ipſi impertitur: & de illis habendam ſcientiam, verſ. 4. *Et ſcitote, quoniam mirificavit Dominus Sanctum ſuum: Dominus exaudiet me, cùm clamavero ad eum.*

Quartò: Appetitum ſenſitivum à peccatis, in quæ inclinatur, docet eſſe removendum. Primò quidem, appetitum iraſcibilem, qui præterita peccata puniat, & ſeſe intrudentia removeat, verſ. 5: *Iraſcimini, & nolite peccare.* Secundò autem, appetitum concupiſcibilem, qui triſtitiam quàm intenſiſſimam concipiat de peccatis commiſſis, vel ſola cogitatione, ibid. *Quæ dicitis in cordibus veſtris, compungimini.*

Quintò: Senſus omnes & actus noſtros Deo in odorem ſuavitatis offerendos dicit, verſ. 6. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ.* Inde aſſerit oritura bona omnia, Deo abundè ea, quæ voluerimus, ſuppeditante, ibid. *Et ſperate in Domino.*

ARTICULUS I.

Quanta vis orationis juſtorum?

Vers. I. 11. Tres orationis effectus.

TRes effectus orationis proponit Propheta. Primò, quòd exaudiatur à Deo, verſ. 1. *Cùm invocarem, exaudivit me Deus juſtitiæ meæ.* Secundò, quòd tribulationes Deus minuet, ac penitùs tollat, atque in conſolationes vertat, ibid. *In tribulatione dilataſti mihi.* Tertiò, quòd miſericordiam Dei ipſa impetret, verſ. 2. *Miſerere mei, & exaudi orationem meam.*

Oratio-nes Deus exaudit.

Ac primò: Auditum ſe David prædicat, verſ. 1. CUM INVOCAREM, EXAUDIVIT ME DEUS JUSTITIÆ MEÆ. Nota, Deum alloquitur, ut patet, cùm ſubdat, in tribulatione dilataſti mihi. Sæpè autem illi loquitur in tertia perſona, honoris ac majoris reverentiæ causâ, ut nos nunc regibus ac principibus. S. Hieronymus vertit, *exaudiſti me.* Dum itaque dicitur: Cùm invocarem, exaudivit me Deus juſtitiæ meæ, ſenſus eſt primò, q. d. Tu Domine exaudiſti *juſtitiam meam*, id eſt, ut ait Theodoretus, *δικαίαν μου αἴτησιν, juſtam petitionem meam.*

12. Deus justitiæ, cur dicatur?

Secundò, ſenſus eſt, q. d. Tu Deus miſerationis meæ, qui mei miſereri ſoles in calamitatibus & periculis, exaudiſti orationem meam. Ita Eugubin. qui *juſtitiam* ſumit pro miſericordia. Non nego Hebr. צדק *ſedech*, quod hìc ponitur, & pro juſtitia, & aliquando pro miſericordia ſumi, ut Pſal. 23. 5. Hic accipiet benedictionem à Domino, *& miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.* Hebr. *à Deo juſtitia ſua.* Et Pſalm. 111. 9. Diſperſit, dedit pauperibus, *juſtitia ejus* manet in ſæculum ſæculi. Ubi clarè juſtitia etiam miſericordiam poteſt ſignificare: ſed noſtro in Pſalmo plus dici arbitror, cùm præſertim poſteà fiat miſericordiæ mentio, verſ. 2. Miſerere mei, &c. ut partim ex juſtitia, partim ex miſericordia exauditus videatur.

Tertiò, ſenſus eſt, q. d. Tu Domine exaudiſti me, quia coram te juſtus ſum, quia habeo gratiam ſanctificantem, quæ me coram oculis tuis ſanctum & juſtum efficit. Ita S. Chryſoſt. Origen. & Heſych. Nota, nos non eſſe juſtos juſtitiâ, quæ ſit in Deo vel in Chriſto, ſed quæ nobis inhæreat. Ut enim dicitur in Trident. Concil. ſeſſ. 6. cap. 7. *Juſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſſio: ſed & ſanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum: unde homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ. Hujus juſtificationis cauſæ ſunt, finalis quidem, gloria Dei & Chriſti, ac vita æterna: efficiens verò, miſericors Deus, qui gratuitò abluit & ſanctificat, ſignans & ungens Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ: meritoria autem, dilectiſſimus Unigenitus ſuus Dominus noſter JESUS Chriſtus, qui, cùm eſſemus inimici, propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, ſanctiſſimâ Paſſione in ligno crucis nobis juſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit: inſtrumentalis item, Sacramentum Baptiſmi, quod eſt Sacramentum fidei, ſine qua nulli unquam contigit juſtificatio: demùm unica formalis cauſa eſt, juſtitia Dei, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit, quâ videlicet ab eo donati, renovamur ſpiritu mentis noſtræ: & non modò reputamur, ſed verè juſti nominamur, & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes, unuſquiſque ſuam, ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem & operationem.* Ita Trident. Itaque in Pſalmo noſtro dicitur, *Deus juſtitiæ meæ*, ſupple, author, fons, efficiens, effector.

Quartò, & commodiſſimè, q. d. Tu Deus exaudiſti me, cùm videas *juſtitiam meam*, id eſt, innocentiam meam erga hoſtes meos, à quibus ſum ſine cauſa laceſſitus, cùm eos nullâ injuriâ affecerim. Ita R. Kimhi, R. Abraham, Genebr. Jovita Rapicius, Gagneius, Campenſis, Eugubinus, aliique. Et quidem Abſalonem non læſerat David, qui hunc Pſalmum cecinit, cùm ab eo impeteretur, ut putavit Theodoretus: neque Sauli quicquam damni intulerat, quo perſequente, & Deo eum juvante, David hæc dixit, ut oſtendi in prooemio. S. Chryſoſtom. in Pſalm. 7. legit: *Si audivit Deus juſtitiam meam.* Non malè etiam Genebr. *Deus juſtitiæ meæ*, id eſt, juris mei & cauſæ meæ Defenſor & Tutor, Deus, qui me juſtificat, abſolvit & vindicat ab hoſtibus. 4. Et optimè.

Myſticum eſt, quod primò Origen. & Euthym. explicant *Deus juſtitiæ meæ*, q. d. David, Deus Domini mei Chriſti: ait enim Apoſtolus, 1 Cor. 1. 30. 13. 5. Myſticè.
Ex ipſo (ipſius Dei dono) *vos eſtis in Chriſto JESU*, (ei in baptiſmo inſiti & incorporati) *qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Eo modo eſt juſtitia noſtra, quo ſapientia: atqui ſapientia inhæret, ergò & juſtitia, quam in nobis producit. Dicitur itaque eſſe Chriſtus Juſtitia noſtra, id eſt, Author & Cauſa noſtræ juſtitiæ & ſanctitatis, ut eſt cauſa redemptionis & ſapientiæ. Ita S. Thom. S. Chryſoſt. S. Ambr. & S. Anſelmus. Secundò, myſticum eſt, quod Aſterius & Euſebius per *juſtitiam* in Pſalmo noſtro pœnitentiam intelligunt. Ubi nota, tunc Deus nos exaudit & parcit, cùm nos ipſos judicamus, & per pœnitentiam punimus, 1 Corinth. 11. 31. *Si noſmetipſos dijudicaremus*, id eſt, ut ait Cajetanus, Gagneius, Vatabl. Juſtinian. 1. Probaremus, examinaremus, diſcuteremus, ut quid ſit in nobis peccati, videremus, & illud contritione & confeſſione expiaremus. 2. Condemnaremus, ut ſeveri judices. 3. Puniremus, ut vindices; *non utique judicaremur*, à Deo ſcilicet.

Nota primò, tres orationis conditiones, ut à Deo exaudiatur, hoc loco advertere poſſumus: nempe, ut ſit fervens, ut à viro juſto, ut humilis. 14. Tres orationis bonæ conditiones.

Ac primò: Orationis fervorem Hebraica oſtendunt. Ubi enim habemus: *Cùm invocarem*, eſt קראי Primò, ut ſit fervens.
ב *be Kori, cùm clamarem.* Clamor autem eſt ſignum fervoris. Vide dicta Pſalm. 3. ℣. 5. *Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me.* Ubi eſt eadem vox Hebræa. Adverte etiam vim vocis Latinæ: Nam *invocare* eſt *intùs vocare*, hoc eſt intimo cordis affectu, & pro internis præſertim bonis, ut mediantur Rufinus, Rudolphus, Richardus Pampol. Titelmanus, Dionyſ. & alii: ſic Pſal. 129. 1. ait David: *De profundis* (Symm. ἐκ βαθυτάτων, de profundiſſimis) *clamavi*, (Aquila vertit aptè ad Pſalm. noſtr. ἐπεκαλεσάμην, invocavi) *Domine exaudi orationem meam*, de profundis clamare, eſt ex animi penetralibus clamare, ut explicat noſter Joannes Crucius: Pſalmum porrò noſtrum S. Auguſtinus ignitis divini amoris flammis ſuccenſos proferebat, ut ſcintillis ardentiora verba evolarent, & candens facies interiorem ardorem loqueretur. Verba ejus ſunt lib. 9. Confeſſ. cap. 4. *Quas tibi voces dabam in Pſalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex eis, & accendebar, eos recitare ſi poſſem, toto Orbe terrarum, adverſus typhum humani generis? Et tamen toto Orbe cantantur, & non eſt, qui ſe abſcondat à calore tuo. Quàm vehementi & acri dolore indignabar Manichæis, & miſerabar eos rurſus, quod illa Sacramenta, illa medicamenta* (nempe Pſalmos) *neſcirent, & inſani eſſent adverſus antidotum, quo ſani eſſe potuiſſent? Vellem, ut alicubi juxtà eſſent tunc igno-*

rante

rante me, utrùm audirent, & me neſciente, quòd ibi eſſent, intuerentur faciem meam, & audirent voces meas, quando legi quartum Pſalmum, in illo tunc otio, quid de me fecerit ille Pſalmus: Cùm invocarem te, &c. Hactenus Auguſtinus.

Quòd autem ardens, flammaſque divinas concipiens oratio aſtris ſeſe igneis citò inſerat, divinumque cor occupet, atque ex illo theſauro novas flammas, & cœleſtes divitias ac delicias reportet, votique compos efficiatur, docet S. Bern. ſerm. 4. in Quadrageſ. qui eſt de oratione & jejunio. *Tertium*, ait, *periculum eſt, ſi ſit oratio tepida, & non ex vivâ affectione procedens: Timida quidem oratio cœlum non penetrat, quia reſtringit animum timor immoderatus, ut oratio, non dicam non aſcendere, ſed nec procedere queat. Tepida verò in aſcenſu langueſcit & deficit, eò quòd non habeat vigorem: Nam temeraria aſcendit, ſed reſilit; reſiſtitur enim ei: nec tantùm non obtinet gratiam, ſed & meretur offenſam. Quæ verò fidelis, & humilis, & fervens oratio fuerit, cœlum ſine dubio penetrabit: unde certum eſt, quòd vacua redire non poterit.* Ita Bernardus.

15\. *2. Ut ſit à juſto viro.* Secunda orationis conditio hîc declarata eſt, ut ſit à viro juſto. *Cùm invocarem, exaudivit me Deus juſtitiæ meæ.* Petav. *Cui cura eſt noſtra juſtitia.* Syr. *Vindex juſtitiæ meæ.* Magnet. Juſtitiæ teſtem, præſidiumque meæ. Per juſtitiam hîc S. Chryſoſt. intelligit virtutum omnium complexionem: quo ſenſu ait Chriſtus S. Joan. Baptiſtæ, eum in Jordane baptizare recuſanti, Matth. 3. 15. *Sine modò*, (id eſt, permitte me nunc à te baptizari) *ſic enim decet nos* (& me ſuſcipiendo, & te dando Baptiſmum) *implere omnem juſtitiam.* Syrus vertit, *omnem rectitudinem.*

Origenes dicit, ſolos juſtos abſolutè dicendos *Dei invocatores*: hoc enim nomine peculiariter appellatum Samuëlem & Aaronem, Moſemque, quòd cuſtodirent teſtimonia & præcepta Dei, Pſal. 98. 6. *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus, & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus*, id eſt, ipſum: de Moſis & Samuëlis ſacerdotio & virtute ibi dicetur. De vi in voce *invoco*, facienda, diffuſius ſic ait Beda, diſcrimen ponens inter vocare Deum, & invocare Deum. *Ille*, inquit, *Deum invocat, qui ipſum Deum in ſe vocat: propter ſe eum, & non propter aliud, & qui adimplet, quæ præcipiuntur. Ille verò vocat, qui dicit: Domine, Domine, & non facit, quæ præcipiuntur: & Deum non propter Deum, ſed propter aliud vocat*: atque Origenes illud Joëlis 2. 32. *Quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*, hoc loco contemplans, illatione neceſſariâ concludit, eos, qui non ſalvantur, non invocare, licèt magnis clamoribus perſtrepant: *Siquidem*, ait, *invocatio non in voce, ſed in recto mentis affectu & fidei firmitate poſita eſt.* Quare ſapienter David dixit, non Deus *orationes meæ*; ſed *juſtitiæ meæ*: ut videas, ſicut ait Heſychius, *mores precantium precationem facere, & opera ſupplicantium pro verbis haberi.*

Levanda ſunt manus cum corde. Monet omnes Propheta Jeremias, Thren. 3. 41. *Levemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cœlos*, aërem tantùm verberat inanis oratio & bonis operibus vacua, & huc illuc fluctuans citò in terram recidit; quæ verò virtute, ceu animâ vivificatur, in cœlos intimos penetrat. S. Chryſoſt. in Pſal. noſtr. Angelis annumerat juſtum orantem: *Homo*, ait, *qui cum Deo loqui didicit, ut par eſt*, ἄγγελος ἔσται λοιπὸν, *erit deinceps Angelus, ita liberatur animus à vinculis corporis, ita et* (*Vir pius eſt Angelus in cœlum volans.*) *rectio* μετεωρίζεται πρὸς οὐρανὸν, *in cœlum tollitur, & in eo habitat: ita, quæ ad hanc vitam pertinent, deſpicit: ita*, παρ᾽ αὐτὸν ἵσταται τὸν θρόνον βασιλικὸν, *apud ipſum thronum regium ſiſtitur: etiamſi ſit pauper, ſit famulus, privatus & indoctus.* Sic virtus orationem ducit in cœlum, & oratio virtuti in eo domum ſtabilem reperit, & efficit, ut deinde in terram tantùm deſcendat, & eam plantis conculcet. S. Iſidor. illud Jeremiæ: *Levemus*, &c. meditans lib. 3. de ſummo bono, ait: *Cor cum manibus levat, qui orationem cum opere ſublevat*, ut Eliam in curru igneo: & S. Greg. lib. 18. Moral. 3. *Corda cum manibus levat, qui orationem ſuam operibus roborat. Nam, quiſquis orat, ſed operari diſſimulat, cor levat, & manus non levat: quiſquis verò operatur, & non orat, manus levat, & cor non levat.*

Invocandus Deus in veritate. Quòd autem exaudiatur juſti oratio, docet Propheta noſter, Pſ. 144. 18. *Prope eſt Dominus* (S. Hier. juxtà) *omnibus invocantibus eum in veritate.* id eſt, primò, ſine fuco & hypocriſi: cùm, ſicut ait R. Kimhi, labia & cor ſunt æqualia. Secundò, *in veritate*, id eſt, in vera fide, ut explicat Rickelius. Tertiò, *in veritate*, id eſt, verè, ſincerè, perfectè, cum intenſa affectione, ut Bruno, & alii. Quartò, in veritate invocare, eſt petere ad ſalutem pertinentia, ſicut dicit Lyranus. Quintò, in veritate, id eſt, in Chriſto & ejus nomine, ut ait Arnobius. Sextò, præponendo Deum omnibus aliis bonis. Septimò, denique, ad rem noſtram aptiùs, *invocare in veritate*, eſt invocare in veritate vitæ, ſeu in converſatione, quæ placeat æquitati divinæ, quia peccatores Deus non audit, ut exponit etiam Rickelius. De Moſe, Aarone & Samuële dicitur, Pſalmo 98. 6. *Invocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos.* Exod. 33. 17. ait Deus Moſi: *Verbum, quod locutus es, faciam: invenisti enim gratiam coram me, & teipſum novi ex nomine.* Sept. novi te præter omnes, id eſt, præ cæteris elegi, & amavi.

Locus ille illuſtris Iſaiæ, ad probandum ablato peccato preces exaudiri. Sic enim cap. 58. 6. *Diſſolve colligationes impietatis*, (Sept. Diſſolve obligationes violentarum cautionum, id eſt, obligationes & pacta uſuraria. S. Cypr. ad Quirinum cap. 1. latiùs legit, ſolve omnem nodum injuſtitiæ) *ſolve faſciculos deprimentes.* (Sept. omnem ſcripturam iniquam conſcinde. S. Cypr. cit. reſolve ſuffocationes impotentium commerciorum, id eſt, chirographa obligationum de uſuris perſolvendis) *Frange eſurienti panem tuum*, &c. deinde addit ver. 8. *Tunc erumpet quaſi mane* (Hebr. ſicut aurora) *lumen tuum: & ſanitas tua*, Sept. ἰάματα, medicamenta tua) *citiùs orietur: & anteibit faciem tuam juſtitia tua, & gloria Domini colliget te.* Sept. circumdabit te gloria, id eſt, glorioſa liberatio è periculo. Et ad rem ſignatiùs verſ. 9. *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adſum.* Lege cætera.

Pinguis eſt juſti victima. Eccl. 35. 8. *Oblatio juſti impinguat altare*: id eſt, victimam pinguem & excellentem, atque eam ob rem Deo gratam efficit *juſtitia*, & ſanctitas, indeque devotio offerentis, ait Cornelius. *& odor ſuavitatis eſt in conſpectu Altiſſimi.* Clemens Alex. lib. 3. pædag. cap. 12. legit: *Odor ſuavitatis Deo eſt cor, quod glorificat eum*: & attexit. Hæ ſunt coronæ, & ſacrificia, & aromata, & flores Dei. Ita Clem. Totum verſum ſic exprimit Syrus: *Oblationes juſtorum oratio oris eorum, & opera eorum cœlum effodiunt*, id eſt, magnâ vi penetrant, ut ſacrum theſaurum, unde diteſcant, effodiant. Pergit Eccl. ℣ 9. *Sacrificium juſti acceptum eſt*, (Tigur. commendabile) *& memoriam ejus non obliviſcetur Dominus*, id eſt, illius oblati ſacrificii ſemper recordabitur Deus, ut eum donis continuis cumulet. S. Ambr. ſerm. 93. vim precum virtuti junctarum his verbis aperit: *Oratio, quæ caſtitatis, juſtitiæ, eleemoſynarum operibus adjuvatur, excedit Mundum, penetrat paradiſum, evolat uſque ad ipſum ſummæ majeſtatis Angelo conferente conſpectum.*

Tertia conditio bonæ & efficacis orationis in Pſalmo noſtro eſt, ut ſit humilis, Deo bona omnia ſua tribuens. Cùm invocarem, exaudivit me *Deus juſtitiæ meæ*, id eſt, cùm acceptam refero omnem meam juſtitiam, virtutem, & innocentiam. Beda ait, hoc eſſe dictum ſapienter à Propheta noſtro, *ad retundendam ſuperbiam noſtram, qui à nobis præſumimus.* 16. *Tertiò, oratio ſit humilis.*

Quàm accepta ſit Deo humiliantis ſe oratio, docet David noſter Pſalm. 101. 18. *Reſpexit in orationem* (una ſufficit) *humilium.* S. Hier. *vacui*: qui non eſt plenus opinione ſui ipſius. Pagn. *myricæ*, quæ non extollit comas ſuas in altum, ſicut cedrus in Libano: alii vertunt, *orationem erecta*, (humilis,

benè & ſuaviter cantat) *& non ſprevit precem eorum*. Hoc probat S. Auguſt. hom. 50. exemplo Publicani, qui Luc. 18. 13. à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori! deſcenditque *juſtificatus* in domum ſuam, verſ. 14. Publicanorum erat vectigalia exigere, ideò erant abominabiles Judæis, qui liberi eſſe volebant: Deo autem ille placuit ſe humilians: *Deus* enim, ut ait ibi Auguſtinus, *cùm ſit omnium Excellentiſſimus non elatione, ſed humilitate contingitur*, quod fit ob duas rationes. Primò, quia Deus ſe ad humilem acclinat, Pſalm. 137. 6. *Excelſus Dominus & humilia reſpicit*, (Græcè ἐφορᾷ, *introſpicit*: omnibus etiam occultis providens) *& alta à longè cognoſcit*. Chald. vertit, *de cœlis procul dejicit*. Secundò, quia, qui ſe humiliat, exaltatur, & ſic Deo ad ſe venienti occurrit: eum amplexatur, ab eo conſolationem percipit, & illuſtrationem, Eccl. 35. 21. *Oratio humiliantes ſe nubes penetrabit*, (Syr. ſuper nubes aſcendit) *& donec propinquet, non conſolabitur*. (Græca Rom. correcta: Non revocabitur) *& non diſcedet, donec aſpiciat Altiſſimum*: hoc epithetum eſt notandum: humilis aſcendit ad Altiſſimum. S. Chryſoſtomus in Pſalm. 9. ℣. 13. *Non eſt oblitus clamorem pauperum*, conſiderans, ait: *Orationis vehiculum eſt humilitas*. Superbus Lucifer voluit aſcendere ad Altiſſimum, & cecidit: humilis verò infra omnes ſe dejiciens, erigitur. Proverb. 30. 28. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regum*. Stellio eſt parvum animal ſimile lacertæ, multò tamen minùs tergum habens lucentibus quibuſdam guttis depictum ad modum ſtellarum. Symbolum eſt humilis, qui in ſuî æſtimatione eſt inter minima terræ, ſtellis tamen lucet: in cœlum, ac ſummi Regis domum manibus, id eſt, bonis operibus, ſeſe inferens. Nota: Stellio dicitur Hebr. שממית *ſemamith*, à rad. שמם *ſamam*, admirari, obſtupeſcere, quòd hominem ſtellulis ſuis & geſtibus in admirationem rapiat: ab eadem radice שמים *ſamaim, cœli*, deducuntur, q. d. admirabiles. Ad eos oratio humilis penetrat, & ſtellis ſeſe inferens tota collucet virtutibus, ac ſalutem impetrat. Zachar. 10. 6. *Confortabo domum Juda*, (Juda ſignificat laudantem & gratias agentem, quod eſt proprium humiliantis ſe) *& domum Joſeph ſalvabo*. Joſeph ſignificat auctum, ſive augmentum: & eſt typus eorum, qui donis Dei ac virtutibus ſuis ſemper augentur, donec veniant ad perfectum diem, & ad plenitudinem Chriſti.

Superbi oratio rejicitur. Contrà autem, oratio ſuperbi rejicitur, ut patuit in Pharisæo ſe laudante, & cæteros contemnente, Luc. 18. Hoc illuſtri emblemate expreſſum eſt, Zach. 11. 1. *Aperi Libane* (Chald. *templum*: quia ex cædris Libani erat factum) *portas tuas: & comedat ignis cedros tuas*. Libanus mons eſt ſymbolum: 1. Superbi, quia excelſiſſimus in Judæa. 2. Hypocritæ, quia nivibus candicat, unde nomen accepit: hypocrita lucet, ſed frigidus eſt. 3. Aperit portam ſuam ſuperbus & hypocrita, cùm os Deo aperit, ſed nihil obtinet, niſi pœnam, ut ſuperbus Antiochus. 1 Machab. 9. 13. Pergit Zacharias, ℣. 2. *Ulula abies: quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vaſtati ſunt: ululate quercus Baſan*, (Chald. ſatrapæ Provinciarum) *quoniam ſucciſus eſt ſaltus munitus*, id eſt, Jeruſalem, quæ eſt ſaltus & ſylva plena feris, & munitionibus ſuis nimis confidit. Nota: Cedri appellantur ſummi Pontifices & Principes. 2. Abietes dicuntur Præpoſiti, Senatores, Conſules & Præfecti minores. 3. Quercus ſunt divites & fortes viribus, duces ac milites. Videant illi omnes, ut in oratione ſua ſint humiles, & veſtitu, & geſtu, motuque & conformatione corporis, ne oratio ipſorum ſit ululatus luporum, qui pauperes ut oves diripiant, & eorum ſpoliis onuſti Deo ſiſtere ſe audeant, eique loqui, verſ. 3. *Vox ululatus paſtorum, quia vaſtata eſt magnificentia eorum*, (Jeroſolyma, & templum, & familiæ ſplendidæ, ac nobiles) *vox rugitus leonum, quoniam vaſtata eſt ſuperbia Jordanis*, id eſt, ſiccati ſunt honores, deliciæ ac divitiæ. Chald. *Siccata eſt propter eos elatio Jordanis*: ad literam, quaſi diceret: everſa ſunt magnifica eorum palatia, & villæ, ac poſſeſſiones, quas habebant juxta ripam Jordanis ad majorem proventum & delectationem.

Nota ſecundò: Orationem his tribus conditio- 17.
nibus dictis, nempe fervoris, innocentiæ ſeu juſtitiæ Deus
& humilitatis inſtructam & ornatam à Deo ſtatim citò exaudit
audiri, & poſtulata impetrare. Hoc declarat Pro- benè
pheta noſter: *Cùm invocarem*, exaudivit me Deus orantem.
juſtitiæ meæ, q. d. Non diu miſericordiam ſuam Deus diſtulit: ſed cùm adhuc orarem, nec verba omnia protuliſſem; cùm adhuc loquerer, me voti compotem fecit. Hebr. בקראי *be Kori*, verti poteſt, cùm invocarem, cùm invocem, cùm invocabo, cùm invoco: ita ut tempus præteritum, præſens, & futurum involvat. De prodigo ad patrem poſt tot ſcelera & diſſipatam ſubſtantiam habes, Luc. 15. 20. *Cùm autem adhuc longè eſſet*, (à patre) *vidit illum pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt*, (ἐσπλαγχνίσθη, intimis viſceribus commotus eſt) *& accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum*. Cùm autem filius invocaret, & diceret: Pater, peccavi in cœlum, & coram te; jam non ſum dignus vocari filius tuus: Pater amoris ſancta & benigna impatientia abrupit orationem, quam facere filius ſtatuerat, ut patet ℣. 19. & ſervis ſuis ſtatim juſſit, ℣. 22. citò proferte ſtolam primam, & induite illum, &c. Si hæc fiunt prodigo, quid continget juſtis? Hoc Deus ipſe declarat Iſaiæ 65. 23. *Electi mei non laborabunt fruſtrà, neque generabunt in conturbatione*, (Sept. in maledictionem. Hebr. בהלה *behala*, ſignificat terrorem ſubitum & præcipitationem, agitationem, commotionem) *quia ſemen Benedictorum Domini eſt, & nepotes eorum cum eis*, (cum illis vivent nepotes, id eſt, filii filiorum, & erunt benedicti. Tropol. opera Sanctorum, ſunt filii eorum) *eritque: antequam clament, ego exaudiam*, (viſâ eorum neceſſitate ſuccurram) *adhuc illis loquentibus exaudiam*.

Quæres primò: An omnis juſtorum oratio exaudiatur? S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 15. ad 2. ait: *Ponuntur quatuor conditiones, quibus concurrentibus ſemper aliquis impetrat, quod petit: ut ſcilicet 1. Pro ſe petat. 2. Neceſſaria ad ſalutem. 3. Piè. 4. Perſeveranter*.

Prima conditio, ut certò quis impetret, debet 18.
petere pro ſe, Matth. 6. 7. *Petite, & dabitur vobis*. Quatuor
Eccl. 2. 11. *Reſpicite, filii, nationes hominum*, (Gr. conditio-
ἀρχαίας γενεὰς, *antiquas generationes*, ut S. Ephrem nes ora-
legit paræn. 30.) *& ſcitote*, (ſcientia oritur ex certis tionis.
& infallibilibus principiis) *quia nullus ſperavit in* ut certò
Domino, & confuſus eſt. Et ℣. 12. rationem ad rem exaudia-
noſtram aptam reddit: *Quis enim permanſit in man-* tur.
datis ejus? (Græc. ἐνέμεινε φόβῳ αὐτοῦ, manſit in ejus 1. Ut
timore) *& derelictus eſt? Aut, quis invocavit eum*, petat
(intùs ad ſe vocavit) *& deſpexit illum*. Chriſtus ait pro ſe.
Joan. 16. 23. *Amen, amen dico vobis*, (veriſſimè, certiſſimè, In veritate vobis amicis meis aſſero ego, qui ſum prima veritas) *ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. S. Auguſt. qui Amen cenſet eſſe juramentum, unde videtur adhuc magis certitudo promiſſionis) tract 102. in Joan. ſic ait: *Sanè intelligendum eſt, quod ait: Dabit vobis: ut ea beneficia ſignificata intelligantur his verbis, quæ ad eos, qui petunt, propriè pertinent. Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro ſeipſis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis ſuis, vel quibuslibet aliis. Quia non, utcumque dictum eſt, dabit: ſed, dabit vobis*. S. Baſil. in regulis brevioribus Reg. 261. putat eam promiſſionem fieri certam, ſive pro nobis, ſive pro amicis, aut inimicis oremus: unde S. Stephanus pro Saulo orans exauditus eſt. Et S. Greg. hom. 27. in Evang. ait: *Virtus veræ orationis eſt celſitudo charitatis. Et tunc quiſque, quod rectè petit, adipiſcitur, cùm ejus animus in petitione nec inimici odio fuſcatur. Sed plerumque reluctantem animum vincimus, ſi etiam pro inimicis oramus*. Cùm itaque ſit major ibi charitas, non erit minor efficacia, niſi ſit reſiſtentia ex parte ejus, pro quo oratur. Sed quia frequenter accidit, ut ait Gregor. de Valent. in 2. 2. diſp. 6. q. 2. puncto 4. ut is, pro quo petitur, ſit indiſpoſitus, dicitur à S. Auguſt. ad efficacitatem orationis oportere,

tere, ut quis pro ſe petat; ac ſi diceretur: oportere, ut is, pro quo petitur, ſit ad accipiendum diſpoſitus.

19. 2. Ut petat neceſſaria ad ſalutem. Secunda conditio, ut certò quis impetret à Deo ea, quæ poſtulat, eſt, petere neceſſaria ad ſalutem, Joan. 16. 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Primò dicitur: Si quid petieritis; nihil petit, qui vana, terrena & caduca petit: ſi præſertim cum æternis, cœleſtibus, ac divinis bonis conferantur. Vide verſ. 3. Pſ. noſtri. *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem*, (Hebr. און *aven*, laborem, fatigationem, mendacium, luctum, idolum, nihil) *& quæritis* (ſive à Deo, ſive ab hominibus) *mendacium?* Secundò dicitur: Si petieritis in nomine meo, id eſt, 1. ad literam, q. d. Si petatis per me & mea merita, ut virtutes gratiarum, dignitatem, auctoritatem. Hæc enim nomen etiam ſignificat. Ita S. Chryſoſt. Theophylact. Toletus & Cornel. 2. Ad rem præſentem, in nomine JEſu petit, qui petit ad ſalutem neceſſaria. S. Greg. hom. 27. in Evang. *Nomen Filii JEſus eſt, JEſus autem Salvator, vel etiam Salutaris dicitur. Ille ergò in nomine Salvatoris petit, qui illud petit, quod ad veram ſalutem pertinet. Nam ſi id, quod non expedit, petitur, non in nomine JEſu petitur Pater. Unde & iiſdem Apoſtolis adhuc infirmantibus Dominus dicit: Uſque modò non petiſtis quicquam in nomine meo; ac ſi apertè diceretur: Non petiſtis in nomine Salvatoris, quia neſcitis quærere æternam ſalutem. Hinc eſt, quod & Paulus non exauditur, quia, ſi liberaretur à tentatione, ei non prodeſſet ad ſalutem.* Et S. Auguſtinus tract. 102. in Joan. *Non petitur in nomine Salvatoris, quicquid petitur contra rationem ſalutis.*

S. Jacobus cauſam, cur non audiamur, aſſignat cap. 4. 3. *Petitis, & non accipitis, eò quod malè petatis, ut in concupiſcentiis* (Græcè ἡδοναῖς, voluptatibus) *veſtris inſumatis.* Sic, ut eas alatis Caſſianus rectè expendit, in ea petitione fieri injuriam liberalitati Dei. Sic enim Collat. 9. cap. 25. *Nihil caducum vult a ſe, nihil vile, nihil temporale æternitatum conditor implorari. Itaque magnificentiæ ejus & munificentiæ maximam irrogabit injuriam, quiſque ſempiternis petitionibus prætermiſſis tranſitorium aliquid & caducum ab eo maluerit poſtulare, & offenſam potius, quam propitiationem judicis ſui, vilitate orationis incurret.* Ita Caſſianus.

20. 3. Ut piè poſtulet. Tertia conditio, ut certò quis impetret à Deo id, quod poſtulat, requiritur, ut *piè* poſtulet, id eſt, cum fide, ſpe & charitate actuali vel virtuali. Primò de fide habes, Matth. 21. 22. *Omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* S. Jacobus fidem orantis commendat, cap. 1. 16. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans*, μηδὲν διακρινόμενος, nihil dijudicans, nihil diſceptans, nihil ambigens, nihil dubitans, nihil diſputans, an ſit, vel non ſit obtenturus, quæ petit, cùm ſciat Deum omnia valentem, promiſiſſe. Fides ibi poteſt ſumi in propria ſignificatione, quâ credimus Deum promittentem nec falli poſſe, nec fallere. Sic Marci 11. 22. habetur: *Omnia, quæcumque* (nihil excipitur) *orantes petitis, credite, quia accipietis, & fient vobis.* Caſſian. Collat. 9. 31. *Tantum quis exaudiri atque obtinere merebitur, quantum vel inſpici ſe à Deo vel Deum crediderit poſſe præſtare.* Et S. Auguſt. ſer. 36. de verbis Domini: *Si fides deficit, oratio perit. Unde & Apoſtolus, cùm ad orandum exhortaretur, ait: Omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit: ut oſtenderet fidem eſſe fontem orationis, nec poſſe ire rivum, ubi caput aquæ ſiccaretur, adjunxit: Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Fidem petit à cæcis, quos erat ſanaturus JESUS, Matth. 9. 28. Tu ergò oraturus fidem tuam excita. Secundò, ut piè oremus, ſpes requiritur. S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 15. ad 3. *Oratio efficaciam merendi habet à charitate: at verò efficaciam impetrandi à fide & fiducia.* Hanc fiduciam poſtulavit Chriſtus ab Hæmorrhoiſſa, Matth. 9. 22. *Confide filia! fides tua te ſalvam fecit.* Vim ſpei ipſe Chriſtus aperit, Pſ. 21. 5. *In te ſperaverunt Patres noſtri: ſperaverunt, & liberaſti eos*, &c. Sic Noë cum ſua familia liberatus eſt ab aquis diluvii, Gen. 7. Abraham de Ur Chaldæorum, Gen. 11. 31. id eſt, de igne ſeu flamma fornacis in Chaldæa, ut Doctores Hebræi volunt non improbabiliter; vel, de urbe, quæ *Ur*, id eſt, ignis vocaretur, quòd in ea ſacer ignis ſervaretur, quem velut Deum adorabant Chaldæi, Perſæ, Aſſyrii. Iſaac liberatus eſt de gladio patris, cap. 22. 12. Jacob de manu fratris ſui Eſau, cap. 33. Joſeph, de manu dominæ & Domini ſui in carcerem conjicientis, c. 41. 14. Populus Iſraël de poteſtate regis Pharaonis, Exod. 13. & 14. David de gladio & haſta gigantis Goliath ſingulari in eum certamine dimicantis, 1 Reg. 17. 49. Jonas de ventre ceti, Jon. 2. 11. pueri tres de fornace Babylonica juſſu Nabuchodonoſoris ſuccenſa, Dan. 3. 49. Daniel de unguibus & dentibus leonum, Dan. 6. & 14. Jeremias de lacu, in quo non erat aqua, ſed lutum, Jer. 38. 6. Tobias de piſce in Tigri fluvio, Tob. 6. 3. & de dæmone, c. 8. 3. per Raphaëlem ligato in deſerto. Ezechias Rex Juda de inſtante morte, vita per 15. annos producta, Iſa. 38. 5. & de rege Aſſyriorum Sennacherib volente obſidere Jeruſalem. Suſanna de ſupplicio, Dan. 13. 50. Machabæi de tot exercitibus, Mach. l. 1. & 2. ibi ait Mathathias eorum pater, lib. 1. 2. 61. *Cogitate per generationem & generationem*, (id eſt, per omnes generationes) *quia omnes, qui ſperant in eum, non infirmantur.* S. Bernardus ſerm. 15. in Pſal. 90. ait, ſpem noſtram eſſe pedem noſtrum, & eò nos progredi, quò ſpes noſtra ſeſe extenderit. *Sperate*, ait, *in eo omnis congregatio populi. Quemcunque enim locum occupaverit pes veſter, veſter erit. Pes veſter, utique ſpes veſtra eſt, & quantumcumque illa proceſſerit, obtinebit: ſi tamen in Deum tota figatur, ut firma ſit, & non titubet. Quid timeat aſpidem aut baſiliſcum? Quid leonis rugitus, aut draconis ſibilos expaveſcat? Quoniam in me ſperavit, liberabo eum.* Vide dicta toto penè illo Pſalmo. Tertio denique, ut *piè* quis poſtulet, debet habere charitatem aut actualem, aut virtualem, Joan. 15. 7. *Si manſeritis in me*, (id eſt, ſi perſeveretis in gratia mea & amore) & verba *mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Verba Dei in nobis manent. Primò, in memoria, eorum recordando. 2. In voluntate, ea diligendo. 3. In actione, ea exequendo. 1 Joan. 3. 21. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos* (καταγινώσκῃ, condemnaverit, ut habet Oecumenius) *fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus: & ea, quæ ſunt placita coram eo, facimus*, Pſal. 118. 6. *Tunc non confundar, cùm perſpexero in omnibus mandatis tuis.* Vetus Pſalterium, & S. Aug. dum inſpicio in omnia mandata tua: velut in ſpeculum ſcilicet actionum mearum. 1. Iſidor. Hiſp. lib. 3. de ſummo bono, ſecurè ait: *Si id, quod præcipit Deus, facimus, id, quod petimus, ſine dubio obtinemus.* Varii à variis periculis per orationem liberati.

Contrà verò, oratio peccatoris à Deo rejicitur, Prov. 28. 9. *Qui declinat* (obturat) *aures ſuas, ne audiat legem, oratio ejus fiet execrabilis.* Aquila, abominatio. Sept. nervoſius: *Ipſa orationem ſuam abominabilem fecit:* ut patuit in oratione Antiochi Epiphanis, 2 Mach. 9. 13. Ut enim ait S. Greg. lib. 9. epiſt. 45. *Inanis fit oratio, ubi prava eſt actio.* Oratio Judæ, quomodo facta ſit ei in peccatum, vide Pſal. 108. 7. S. Ambr. l. 1. de interpell. cap. 8. orantem & peccantem Caino comparat: *Sancti oratio nubes penetrat: peccatoris orationem, ſicut à Deo Cain dictum eſt parricida, aperiens os ſuum terra in ſanguine carnis abſcondit.* S. Baſilius in comment. ſuper Iſaiam cap. 1. *Veluti*, ait, *ſi quiſpiam filium alicujus unicè dilectum tradiderit*, (qui peccat, iterum crucifigit Filium Dei) *iſque manus ſanguine filii cruentatas ſupplex porrigat ad patrem: An non reſponderemus, filii ſanguinem in manibus interfectoris filii acriùs exacerbare patrem, tali injuria affectum!* Quomodo oratio peccatoris aliquando impetret poſtulata, vide 2. 2. q. 8. art. 16. apud S. Thomam.

Ultima conditio, ut certò petita obtineat, qui orat, eſt perſeverantis, Matth. 7. v. 7. ait Chriſtus: *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate,* 21. 4. Ut perſeveranter oret.

&

& aperietur vobis. Hæc tria : petire , quærite, pulſate, ait S. Aug. l. 1. Retract. c. 19. denotare inſtantiſſimam petitionem. S. Bern. in Scala clauſtr. Quærite , ait , lectione : invenietis, meditatione: pulſate, oratione: & aperietur vobis, contemplatione. Remig. magis ad rem meam : *Petimus orando , quærimus rectè vivendo, pulſamus perſeverando.* Præmium illius perſeverantiæ additur ℣. 8. *Omnis enim, qui petit , accipit : & qui quærit , invenit : & pulſanti aperietur.* Vim orationis perſeverantis familiari parabolâ exponit Chriſtus , Luc. 11. Amici mediâ nocte tres panes ab amico poſtulantis, licèt enim initio recuſet nolens ſurgere, tamen urgenti concedit , ℣. 8. *Et ſi ille perſeveraverit pulſans: dico vobis , etſi non dabit illi ſurgens , eò quòd amicus ejus ſit , propter improbitatem* (Arab. importunitatem, Gr. ἀναίδειαν , inverecondiam & impudentiam) *ſurget , & dabit illi , quotquot habet neceſſarios.* Hoc S. Auguſt. ſerm. 5. de verbis Domini conſiderans, ait : Quid eſt propter improbitatem ? Quia pulſare non deſtitit. Et lib. de ſalutar. monitis, (ſi tamen eſt libri author) c. 28. *Oratio juſti , clavis eſt cœli: aſcendit precatio , & deſcendit Dei miſeratio.* Hinc monet Apoſtolus Rom. 12. ℣. 12. *Orationi inſtantes* , προσευχῇ προσκαρτεροῦντες , in oratione perſeverantes , & in ea aſſiduè perdurantes , 1 Theſſ. 5. 17. *Sine intermiſſione orate.* S. Ephrem. tract. de oratione. *Nulla eſt alia in tota vita humana pretioſior oratione poſſeſſio.* Sed ſit oportet perſeverans, ut vim ſuam obtineat , Jac. 5. 16. *Multum valet deprecatio* , (δέησις , precatio in afflictione & indigentia facta) *juſti aſſidua* , ἐνεργουμένη , id eſt , ἐν ἔργῳ οὖσα, operi intenta , ſollicita , continua, donec ſuum opus perficiat, atque efficax reddatur. Talis fuit oratio Jacob Patriarchæ , cùm ait Angelo poſtulanti , ut ſe dimitteret , quòd jam aurora aſcenderet , ait , Gen. 32. 26. *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Non curat juſtus vanam ſpem , & lucem Mundi , ac promiſſa , à Deo vult in oratione benedici, nec priùs diſcedit, quam id obtineat, ne ab irato Eſao , id eſt , dæmone , impetatur. Si Joas rex Iſraël perſeveràſſet jaculo terram percutere, hoſtes omnes fregiſſet , 4 Reg. 13. 19. ait illi Eliſæus Propheta : *Si percuſſiſſes quinquies , aut ſexies, ſive ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem : nunc autem tribus vicibus percuties eam :* ter ſcilicet terram percuſſerat. Perſeverantiam orationis diſce à Chriſto in horto, Matth. 26. in monte totâ nocte , Luc. 6. 12. ab Apoſtolis in cœnaculo expectantibus Spiritûs ſancti adventum , Act. 1. 14. à Chriſtianis orantibus pro liberatione S. Petri in carcerem conjecti ab Herode , Act. 12. 5.

21. Orationi perfectæ omnia obediunt. Primò, terra.

His informata virtutibus oratio victrix omnia permeat , illique velut reginæ ſuæ & imperatrici ſingula ſeſe acclinant. Primò : Terra vel in ima ſua viſcera depreſſos montes diſpellit ad ejus nutum, ſicut S. Greg. Neocæſareæ Epiſcopo orante , ut aream templo exædificando parem haberet , ſicut ait S. Greg. Nyſſ. in vita, & Euſeb. l. 7. c. 25. Chriſtus id futurum dixerat, Matth. 17. 19. *Dicetis monti huic* , (Thabor , ex quo poſt transfigurationem deſcendebat , ut ait Abulenſis) *tranſi hinc illuc, & tranſibit* , additque promiſſum admirabile, *& nihil impoſſibile erit vobis.*

Secundò, mare.

Secundò : Mare ſe orationi præbet calcabile , & currum triumphalem ei exhibet in S. Franc. de Paola & S. Raimundo : fluctus ſuos frænat ad vocem S. Hilarionis ; cùm enim exundans urbi Epidauro minaretur , ſanctus vir tria crucis ſigna pinxit in ſabulo , manuſque contrà tendens oravit, & mare diu fremens , & quaſi ad obicem indignans, paulatim in ſemetipſum relapſum eſt , ut tradit S. Hieron. in vita. Mare ſcinditur ad orationem Moſis , Exod. 14. 21.

Tertiò, aër.

Tertiò : Aër oranti Samueli obedit, & cùm ſerenus eſſet, dedit in eo Dominus voces & pluvias, 1 Reg. 12. 18. clauditur cœlum , id eſt , aër , ad vocem Eliæ per tres annos, quibus non modò pluviam , ſed ne rorem quidem dedit, 3 Reg. 17. 1. aperitur verò ipſo orante, cap. 18. 45. Sic S. Scholaſtica momento nimbum impetravit tantùm , ut S. Benedictus ejus frater cum ea de rebus ſpiritualibus loquens totâ nocte diſcedere non potuerit.

Quartò, ignis.

Quartò : Ignis è cœlo cadit in holocauſtum Eliæ orantis in monte Carmelo, 3 Reg. 18. & in quinquagenarios duos , ac milites eorum. 4 Reg. 1. 10. & ſeq.

Quintò, Sol, Luna, aſtra.

Quintò: Sol, & Luna, & omnes cœlorum Orbes ſtant orante Joſue : ubi notabile eſt , quòd ſimul orat Deum , & Soli ac Lunæ imperat, quaſi pro certo habens ad quælibet orationem eſſe efficacem , Joſue 10. 12. *Tunc locutus eſt Joſue Domino*, (Chald. *laudavit Dominum*, ob victoriam, & ſimul orando petiit Solem ſiſti) *in die , quâ tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael : dixitque coram eis : Sol contra Gabaon , ne movearis.* Hebr. *Sol tace.* Quod R. Salomon nugatoriè exponit de Pythagoræ muſica in cœlo, q. d. Sol ne canas, ſed tace , ac audi vocem meam, ac gradum ſiſte. Senſus eſt , Sol quieſce, id eſt, noli moveri. *Et Luna contra vallem Aialon* , quæ erat urbs vicina urbi Gabaon , valle inter utramque civitatem interjacente, in qua factum erat prælium, q. d. Sol & Luna ſtate ex adverſo urbium Gabaon & Aialon. Nota, ſimul omnes cœli ſteterunt : ne conſtitutus à Deo inter illos ordo turbaretur , ſicut docet Abulenſis & Maſius. Hoc etiam contigit , cùm Iſaias, ut certum Ezechiam Regem Juda faceret obtentæ vitæ per 15. annos , imperavit Soli , ut decem lineis , id eſt , quinque horis, retrocederet in horologio Achaz Regis, patris ejuſdem Ezechiæ , Iſai. 38. 8. Sed ad efficaciam infallibilem orationis eſt vel maximè, quod additur , ℣. 14. *Obediente Domino voci hominis , & pugnante pro Iſraël.* Vide dicta Pſ. 144. 19. *Voluntatem timentium ſe faciet , & deprecationem* (S. Hier. clamorem. S. Proſper , *orationem.* Non expectat ſemper clamorem , ſed præparationem cordis eorum audit. Caſſiod. Pſalt. Rom. & Ambroſ. *orationes* , non unam tantùm , ſed omnes) *eorum exaudiet.* S. Ambroſ. ait lib. 1. Offic. cap. 40. Jeſus Nave magnitudine mentis & fidei clamavit, & Sol ſtetit. S. Bern. ait , eum non tam oràſſe, quàm imperàſſe ; & precibus meritum eſſe tam Solis obedientiam , quàm de hoſte proſtrato victoriam.

6. Animalia.

Sextò , animalibus ad nutum utitur oratio. Ut omittam ranas , ſciniphes ac muſcas Ægyptias Moſis , urſos Eliſei efferatos , leones Danielis mitigatos, Niſibim tibi civitatem ob oculos propone , & affuſum undequaque Saporis Perſarum Regis exercitum , qui bellicis machinis omni ex parte diſpoſitis, vallo in magnam altitudinem excitato, omni genere baliſtarum , telorum miſſilium & arietum , cives impetit , ac muros extundit. Sed hæc omnia in irritum cadunt : oratione armatus ſtat magnus ille S. Jacobus orbis illius Epiſcopus , qui jacturam omnem ſarciat. Sapor irâ doloréque exæſtuans fluvium Mygdonium diu intumentibus undis per aggeres detentum , repentino impetu in muros immiſit , qui eos diruit. Sed oratione ſanctus vir obtinuit , ut divinâ virtute labes ea ſtatim repararetur ſine ulla humana induſtria. Ad primam auroram , ubi muros integros vidit , Rex ille iratus , hoc Conſtantii Imp. præſentiâ fieri putavit : ſed miraculum edoctus in rabiem penè actus eſt , teláque in aërem excuſſit , velut Deum impetiturus. Tum precibus iterum exoratus Deus ſciniphes & culices in Perſarum exercitum immiſit , qui in elephantorum proboſcides, in equorum & jumentorum aures ac nares ſe denſatim inſinuantes , in effuſam fugam omnes Regemque ipſum conjecerunt , atque inglorium in patriam compulerunt. Hæc fusè proſequitur Nicephor. l. 19. c. 28.

7. Angeli.

Septimò , oratione , Angeli in auxilium evocantur , Matth. 26. 53. ait Petro Chriſtus : *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum , & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum.* Legio nomen eſt militiæ Romanorum , qui tempore Chriſti dominabantur Judææ & Judæis. Continebat autem ſex millia militum , ait S. Hieron. hîc, & Vegetius lib. 2. de re milit. cap. 2. ſic duodecim legiones facerent 72. millia Angelorum. Alii cenſent legionem continuiſſe 12. millia & quingentos. Legio enim , inquiunt , continebat decem cohortes , cohors 50. manipulos, manipulus 25. milites : hoc computo duodecim legiones facerent

eantum

centum & quinquaginta millia Angelorum, ita Corn. Jacob in oratione prævalet contra Angelum, Gen. 32. 28. ait illi Angelus: *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis?* Iſraël deducitur à שרה *ſara*, dominatus eſt, & אל *el*, Deus, q. d. dominans Deo, id eſt, Angelo vices Dei tenenti. Quantum poſſit in malos Angelos oratio, docet S. Macarius hom. 43. *Si fuerint*, ait, *dæmones fortes, robore montibus haud diſſimiles, ab oratione comburuntur, velut cera ab igne.*

8. Deus ipſe. Octavò, Deus ipſe oratione vinci ſe patitur, Exod. 32. 10. Deus oranti Moſi ait: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos*; q. d. Licèt populus adoraverit vitulum aureum, & dignus ſit gravi pœna, tamen non poſſum illum punire, niſi permittas. Et quod notatu eſt dignius, cùm Moſes conſtans in ſua oratione fuiſſet, Deus placatus eſt, ne puniret, ut erat comminatus.

ARTICULUS II.

Mentis latitudinem dat ipſa tribulatio.

CUm David dixiſſet orationem ſuam eſſe exauditam, oſtendit, quàm perfectè id factum ſit, verſ. eod. 1. IN TRIBULATIONE DILATASTI MIHI. Verſ. 2. II. Pars. 23. Hebræi ab una perſona ad aliam tranſeunt in eadem oratione. Græcè, ἐπλάτυνάς με; *dilataſti me*, ut habet Vaticanum Pſalterium. Nota, dixerat David, cùm invocarem, *exaudivit me Deus juſtitiæ meæ:* nunc à tertia perſona tranſit ad ſecundam, & ait, *Dilataſti mihi:* quam enallagen S. Auguſt. ait, aut *varietatis ac ſuavitatis cauſa* factam eſſe, aut quia cum hominibus audiendum ſe aperuiſſet, ſtatim exauditorem ſuum compellare voluit, ut oſtenderet, quid ſit corde dilatari, id eſt, *jam in corde habere infuſum Deum, cum quo intrinſecùs colloquatur.* Secundò, S. Thomas innuit id fieri metri causâ: deinde cum S. Auguſt. conſentit id accidiſſe, quòd præ magno animi affectu non valeret continere ſeipſum, quin pro tam benigna exauditione gratias ageret. Tertiò, ut monui art. præced. id factum eſt, quia Hebræi Deum alloquentes ſæpè utuntur tertiâ perſonâ, honoris causâ: & deinde in continuatione ſermonis ad ſecundam perſonam redeunt, ut meliùs ſe explicent. Hinc fit, ut in verſione S. Hier. Syr. Chald. Arab. totus verſus ſit in ſecunda perſona. Syrus plurium tribulationum facit mentionem: reddit enim, *in tribulationibus meis dilataſti mihi.* Nota 2. R. Kimhi ſumit præteritum pro futuro, q. d. David ſpei plenus: Tu me Deus dilatabis, cùm jam exauditum me ſentiam. Sed non eſt neceſſe recurrere ad futurum.

24. Quid eſt in tribulatione dilatari? Primò. Senſus eſt ergò primò: *In tribulatione dilataſti mihi*, q. d. in tribulatione latitudinem cordis & donum magnanimitatis mihi dediſti. Ita S. Chryſoſt. Euthym. & Didymus. Sic dicebat Apoſtolus, 2 Cor. 4. 8. *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur.* Græcè, ἀ στενοχωρούμενοι, non in anguſtum & arctum redacti, non anxii & conſtricti cordis effecti, Syr. *premimur, ſed non ſuffocamur.* Aperimus os, & attrahimus ſpiritum.

Secundò. Secundò: *In tribulatione dilataſti mihi*, q. d. cor triſtitiâ coarctatum, & in anguſtias contractum, lætitiâ infusâ amplificâſti, & latum effeciſti. Ut enim rectè notat Lorinus, phyſicè loquendo, triſtibus comprimitur cor, & in anguſtum contrahitur, et obruitur noxio humore: lætis ſpargitur ſanguis, ac laxantur quodam modo ſpatia cordi, quod indicat rubedo totius oris in ridentibus: & in affectia contraria perturbatione pallor, ſanguine ad cor ſeſe cogente.

Tertiò. Tertiò: *In tribulatione dilataſti mihi*, id eſt, ampliorem poteſtatem dediſti, ut explicat S. Thomas, ſic dicitur Geneſ. 9. 27. *Dilatet Deus Japheth.* S Aug. *lætificet.* Eugubinus & Cajetanus vertunt, *condecoret.* Senſus eſt, q. d. poſteri Japheth occupent ampliſſimas & pulcherrimas regiones, quod accidit poſſeſsâ ab illis totâ Europâ, & parte Aſiæ Septentrionali ad occaſum vergente, à Tauro & Amano monte uſque ad Tanaim: Japheth deducitur à rad. פתה *phata*, quod in Hiphil, dilatare ſignificat. Unde in Hebræo eſt pulchra paronomaſia ſeu annominatio, q. d. *Dilatet Deus dilatatum:* habenti dabitur, & abundabit: qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet: non patitur ſe Deus à nobis ſuperari.

Quartò, & convenientiùs: *In tribulatione* (Hebr. in צר *ſar*, anguſtia, arctatione, conſtrictione, compreſſione, concluſione, obſidione) *dilataſti mihi.* q. d. Etiam in deſerto Maon, exercitu Saulis undequaque concluſus, & penè jam captus, cùm tu Deus mirabiliter me inde eduxiſti. Nota, regni Saulis anno 14. David evadens è Ceila ſe recepit in deſertum Ziph, hoc reſcientes Ziphæi Saulem admonent, qui re comperta advolat, interim David ſe receperat in deſertum Maon, quod malè aliqui ponunt in Arabia: Abulenſis qu. 28. in cap. 23. 1 Reg. ait: deſertum Maon eſſe partem deſerti Ziph, meliùs Adrichomius ab eo illud dividit in tabella tribus Juda. S. Hier. in locis Hebraicis dicit: Maon fuiſſe civitatem in tribu Juda, ſitam in campeſtribus ad dexteram Jeſimon, contra Solis ortum Daromæ juxta urbem deſertum fuiſſe nemoroſum, & cavernis plenum, in quo delituit David. Confine eſt deſerto Carmeli & deſerto Pharan. 1 Reg. 23. 26. dicitur: *Ibat Saul ad latus montis ex parte una; David autem & viri ejus erant in latere montis ex parte altera.* Ut enim Salianus notat, veniebat Saul è Septentrione meridiem verſus, & habebat à fronte montem, qui etiam vocatur, petra, id eſt, rupes dividens: David autem eum habebat à tergo, fugiebat enim Saulem. Ubi enim habemus: *David deſperabat ſe poſſe evadere à facie Saul*, in Hebræo eſt, feſtinavit David ire à facie Saul, ut Pagn. vertit vel, feſtinavit David præcipitanter, ut effugeret ante Saul, ut habet Vatablus. Additur verò: *Itaque Saul & viri ejus in modum coronæ cingebant David*, (cingere parabant, & jam ex parte cinxerant) *& viros ejus, ut caperent eos.* Toti in eo erant, ut obliquando includerent eos: hoc eſt enim περιπλαγιάζειν, ut habent Sept. Complut. & Regiæ vel quòd alia, περιέβαλλον, id eſt, ſeſe interjiciebant: ut ſcilicet eis exitum obſtruerent. Illi feſtinabant includere, iſti feſtinabant prævenire fugiendo clauſuros. Nota 2. Sequitur modus liberationis. ℣. 27. *Et nuntius venit ad Saul, dicens: Feſtina, & veni, quoniam infuderunt ſe Philiſthiim ſuper terram.* Satiùs itaque judicavit Saul, ut loquitur Joſephus, hos perpetuos ac germanos hoſtes ulciſci, agriſque ſuis, quò minùs vaſtarentur, opem afferre, quàm ſtudio capiendi inimici, regionem illis populandam præbere. Ita ipſe. Sive Saul putaret jam Davidem evaſiſſe, ſive neſciret extremum ejus periculum, ſive potiùs hoc fieret Dei ſingulari providentiâ. Unde id conſiderans S. Chryſoſt. hom. 46. in Geneſim ait: *Maxima ſecuritas & inexpugnabilis murus eſt gratia Dei. Videamus, quomodo David de loco in locum tranſiens, & quaſi erraticus vagans, manu ſupernâ munitus fuerit: Saul autem, cùm eſſet in mediis civitatibus, & tantum ſecum duceret exercitum: & ſatellites habens & armigeros, quotidie timebat & tremebat inimicorum inſidias. Et ille quidem, qui ſolus erat, non indigebat humano præſidio: hic verò coronatus & purpurâ indutus, illius auxilio indigebat.* David ipſe cantabat Pſ. 117. 5. *De tribulatione* (Hebr. מצר *meſar*, anguſtia, arctatione) *invocavi Dominum: & exaudivit me in latitudine Dominus;* id eſt, ex loco anguſto me in latè patentem regionem, vernaculè, *il ma laiſſé la campagne libre.*

Alleg. In tribulatione dilatatus eſt Chriſtus. Primò, quia habuit in omni afflictione conſtantiam, & animi magnitudinem ac latitudinem: tum fortiter ferendo adverſa, tum hoſtes ſuos in corde retinendo, & pro eis orando cum ardenti charitate. Secundò, quia in tribulatione orans ſemper eſt exauditus. Hebr. 5. 7. *Qui in diebus carnis ſuæ* (cùm his in terris viveret paſſibilis & mortalis) *preces ſupplicationéſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus eſt pro ſua reverentia.* In horto & in cruce 25. Allegor. In tribulatione dilatatus eſt Chriſtus. 1. 2.

exauditus

Digitized by Google

exauditus eſt, petens efficaciter & abſolutè reſurrectionem ſuam à morte, & nobis ſalutem animæ, & corporis reſurrectionem ac ſalutem.

Tropol. Tribulatio mentem dilatat. 1. Tollendo vincula paſſionum.

26. Tropol. Nota: Tribulatio mentem juſtorum dilatat. Primò, per mortificationem, abſtrahendo eos à paſſionum vinculis & rerum terrenarum, quæ proſperitas injicit, ut iis captivos detineat. S. Chryſoſt. in Pſ. noſter. Poteſt, ait, accipi dilatatio, quando anima à tentationibus oppreſſa liberatur à perturbationibus, & multis ægritudinibus: tunc enim *maximè libero & aperto campo* fruitur. Multi enim, quamdiu manent in rebus ſecundis, graviſſimis ac turpiſſimis tenentur amoribus (qui affligunt eorum animam) pecuniarum, corporum, & ejuſmodi aliorum, quæ ſunt abſurda & valdè aliena. *Sed, poſtquam in afflictionum inciderunt, liberantur ab illis omnibus,* καὶ ὡσπερ ἐν εὐρυχωρίᾳ, *& in liberum atque apertum campum invadunt.* Ita ipſe. Illuſtrat ſimili ab ægroto petito, qui febri laborans, ſi voluptatibus ſe dedat, graviùs laborat: ſi ſibi imperet, ſanatur, οὐδὲν οὕτω ποιεῖν ἄνεσιν, εἴωθεν ὡς θλίψις, τῶν βιωτικῶν ἀπαλλάττουσα πάντων, *nihil æquè relaxare, conſuevit, ut afflictio, quæ abducit ab omnibus, quæ ad hanc vitam pertinent.* Judæi afflicti ſapiebant, & in proſperis recalcitrabant: David ipſe in tribulatione viam mandatorum currit; hoſtium victor, poſt prandium amore capitur & ſtringitur. S. Ambr. ſerm. 6. in Pſal. 118. generatim loquitur: *Qui ſecundùm mandata anguſtam & arctam graditur viam, ambulat in latitudine.* Hoc probat noſtro verſiculo, & Pſalm. 117. 5. ac pergit: *Sapiens in corde ſui ambulat innocentia, & de ejus fonte ſuperfluunt aquæ ſuper ejus plateas, qui mentem ſuam non intra corporalia & terrena concludit, ſed dirigit ad cæleſtia, ut converſatio ejus in cœlo ſit, &c. Improbus in ſeipſo coarctatur, malitia ſua laqueis ſtrangulatus.* Exemplo id avari omnia undequaque corrodentis, & more fluvii præcipitis vicinas ripas admordentis & abſumentis, explicat: *Conſtitue mihi,* ait, *avarum villarum quotidie terminos proferentem, excludentem vicinos: utrùm is tibi dilatari, an coangustari videtur, quem terra ipſa non capit? Quantacumque ſpatia domûs ſuæ porrexerit, clauditur anguſtiis opinionis ſuæ finibus, cui quod habet, non eſt ſatis.* Hoc patet Luc. 12. 17. *Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos.* Erat ſcilicet dives ille coarctatus corde & horreis, quæ majora facere ſtatuit. Nova ſemper regna Alexander & Pyrrhus quæſiverunt, & brevi omnia amiſerunt.

2. Mentem elevando per orationem.

27. Secundò: Tribulatio mentem dilatat compellendo ad curſum in via mandatorum, & ad auxilium Dei petendum, qui in latos & amœnos campos educit per orationem, atque in ea inſtruit, Iſai. 26. 16. *Domine in anguſtia requiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Hebr. מוסר muſar, quod ponitur hoc loco, & doctrinam: &, ut vertit, Pagn. & Arias, correctionem ſignificat; alia vox, ſed hîc non poſita, מלמד malmad, doctrinam ſignificat & ſtimulum. Impii, ut calcitrantes boves, ſtimulo docentur & aguntur. Sept. *In parva tribulatione doctrina tua nobis.* Si autem, ut ait S. Hier. parva tribulatio docet, & emendat, & corrigit; quantò magis magna, cùm admonemur conditionis noſtræ, & Dei potentiæ recordamur? Oratio mentem in tribulatione dilatat; quò enim magis cor comprimitur in terra, eò magis ſe dilatat in cœlum, Pſ. 91. 13. Vir juſtus palmæ comparatur; illa in inferiore parte anguſtior eſt, ac magis nuda, ſupernè verò latior. A terra excluſus, in cœlis ſpatiatur, & dicit Pſ. 30. 9. *Non concluſiſti me in manibus inimici, ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos:* terra cœlis collata punctum eſt, & puncto minor, Pſ. 17. 20. *Prævenerunt me in die afflictionis meæ,* (in hac vita ærumnoſa) *& factus eſt Dominus protector meus,* (S. Hier. firmamentum meum) *& eduxit me in latitudinem.* Arctabat Pharao populum Dei, ille à tergo inſtans cum valido exercitu, à dextris & à ſiniſtris erant rupes, ante oculos mare rubrum viam negabat, ſed Deus facit latitudinem, Exod. 14. 21. *Cùmque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare,* (invocato priùs Deo, ait Joſephus) *abſtulit illud Dominus flante vento vehementi & urente totâ nocte, & vertit in ſiccum.* Ubi nota, primò mare non dividitur, niſi percuſſum virgâ Moſis, afflictio dat latitudinem. Secundò, fundum maris ſiccat ventus vehemens, ut ſit iter facile. Tertiò, in nocte ſit iter. Hebræi enim ſtatim à media nocte ingreſſi ſunt mare, & in prima aurora jam pervenerant ad aliud littus: cùm tamen mare illud ſex leucas habet in latitudine: tribulatio dat alas à tergo inſequens, ut Pharao faciebat. Quartò, Ægyptii inſequentes pereunt in aurora, plures perdit felicitas.

Bethulia ab obſidione liberata per orationem.

In Bethuliæ obſeſſæ & liberatæ typo idem poſſis intueri; eam arctabat Holofernes cum centum viginti millibus peditum, & viginti duobus millibus equitum, præter eos, qui ex ſubactis provinciis adducti fuerant: jam commeatus & aqua ipſa deerat, ſed oratio Judithæ vim animo & brachio ejus addens, cives educit in latitudinem. Nam, antequam generoſum illud conſilium perdendi Holofernis ſuſciperet, induens ſe cilicio, poſuit cinerem ſuper caput ſuum, & proſternens ſe Domino, clamavit ad Dominum, cap. 9. 1. è civitate exiens orabat, cap. 10. ℣. 10. in caſtris hoſtium orabat de nocte, id eſt, in ſumma tribulatione, cap. 12. 5. prope fontem Bethuliæ, ℣. 6. id eſt, in fletu & contritione ſervante puritatem cordis. Bethulia ſignificat virginem ſeu virginitatem: deliciæ eam arctant & fœdant: afflictio lavat, & in apertos campos educit fontem ablatis canalibus ſubterraneis ab ipſo hoſte. Quanta fuerit latitudo civibus, & quanta præda, fuſis Aſſyriis, vide cap. 15. & 16.

Et Aurelia.

Notabile eſt, quod contingit Aureliæ ab Attila obſeſſæ, ſed S. Aniano, ejus urbis Epiſcopo, eam orationibus ſuis protegente & liberante. Sic rem narrat S. Gregor. Turon. lib. 2. hiſt. Franc. cap. 7. Attila, inquit, Chunorum Rex à Metenſi urbe egrediens, cùm multas Galliarum civitates opprimeret, Aureliam aggreditur, eamque maximo arietum impulſu nititur expugnare. Erat autem eo tempore beatiſſimus Anianus in ſuprà dicta urbe Epiſcopus, vir eximiæ prudentiæ ac laudabilis ſanctitatis, cujus virtutum geſta nobiſcum fideliter retinentur. Cùmque incluſi populi ſuo Pontifici, quid agerent, acclamarent, ille fiſus in Deo, monet omnes in orationem proſterni, & cum lacrymis præſens ſemper in neceſſitatibus Domini auxilium implorare. Denique his ut præceperat deprecantibus, ait Sacerdos: Aſpicite de muro civitatis, ſi Dei miſeratio jam ſuccurrat. Suſpicabatur enim per Domini miſericordiam Aëtium advenire, ad quem & Arelatem abierat, prius ſuſpectus futuri. Aſpicientes autem de muro, neminem viderunt. Et ille: Orate, inquit, fideliter, Dominus enim liberabit vos hodie. Orantibus autem illis, ait: Aſpicite iterùm. Et cùm aſpexiſſent, neminem viderunt, qui ferret auxilium. Ait eis tertiò: *Si fideliter petitis, Dominus velociter adeſt.* At illi cum fletu & ejulatu magno, Domini miſericordiam implorabant. Exactâ quoque oratione, tertiò jam juxta ſenis imperium aſpicientes de muro, viderunt à longè quaſi nebulam de terra conſurgere. Quod renunciantibus ait Sacerdos: *Domini auxilium eſt.* Intereà jam trementibus ab impetu arietum muris, jamque ruituris, ecce Aëtius & Theudo Gothorum Rex, ac Thoriſmodus filius ejus cum exercitibus ſuis ad civitatem accurrunt, verſumque hoſtem ejiciunt repelluntque. Tum ad certamen deſcendentem fundunt, & ex Gallis fugant. Alii meliùs Regem Gothorum vocant Theodoricum, & filium ejus Thoriſmundum, atque Hunnos, hoſtes. Narrat deinde Greg. Aëtium fuiſſe ſervatum divinitùs oratione uxoris ejus. Tu ad orationem fuge in arcto poſitus, & dilatabaris cum Davide noſtro, qui ait: *Cùm invocarem, exaudivit me Deus:* qualis fuerit exauditio, aperit, *in tribulatione dilatâſti mihi.* Sic poſteà orans Eliſeus in Dothain & in Samariæ dilatatus eſt, ut dixi aliàs.

Tribulatio per patientiam dilatat animum.

28. Tertiò: Tribulatio dilatat per patientiam. Sancti ſunt gemmæ: in afflictione inſculpuntur, & inſculpendo aperiuntur, ac dilatantur, ut magis luceant, Zach. 3. 9. agens de Chriſto, ait: *Ecce lapis,*

quem

quem dedi coram Jeſu, (filio Joſedec) *ſuper lapidem unum ſeptem oculi ſunt: ecce ego cælabo ſculpturam ejus.* Hebr. *Ecce ego aperiam aperturam ejus.* Pagn. vertit, cæli cælaturam: Arias, aperiens apertionem: Cælatura & afflictio, eſt apertio & latitudo. Nota, lapis ille eſt Chriſtus, qui mittitur in Sion, & vocatur Iſai. 28. 16. *Lapis probatus* (oportuit Chriſtum pati: tentatus eſt per omnia abſque peccato) *angularis, pretioſus in fundamento fundatus:* fert patienter omnes ſibi impoſitos & in ſe ſtabilitos. 2. Lapis ille cælatur, ſive per cælaturas intelligas ipſos oculos; nam tribulatio illuminat, ut virga Jonathæ: ſive potiùs cælaturæ ſint Chriſti vulnera & ſtigmata, quæ cor ejus & manus pedeſque aperuêre latiſſimâ charitate. Syr. & Arab. Antioch. *Ecce ego aperiam portas ejus.* Cor Chriſti ante paſſionem erat clauſum, & ipſum cœlum.

Sancti ſunt arcus Dei per tribulationem extenſi.

Alii ſimili expone vim tribulationis mentem in ſpeciem vincientis, ſed reapsè extendentis & roborantis, inſtar arcûs diſtenti, & ſagittis completi. Zach. 9. 12. *Convertimini ad munitionem,* ad legem gratiæ, quæ eſt arx munita, ut ait S. Cyrillus, vel ad Chriſtum, & Eccleſiam, ut Cornelius, *vincti ſpei,* id eſt, in Babylone captivi, ſed ſperantes liberationem. 2. Et meliùs, ſpei vincti dicuntur, per ſpem ipſam Chriſto colligati, ut toti ab illo pendeant, ut Arias & Clarius explicant: *hodie quoque annuncians duplicia reddam tibi:* duplicia, id eſt, multiplicia. Si granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum affert. 2 Duplicia, id eſt, duplo majora, ut dicit S. Hier. 3. Vitam & libertatem, ut Theodoretus. 4. In anima & corpore gloriam cœleſtem, ut Lyranus. 5. In hac vita & in alia. *Quoniam extendi* (Hebr. דרכתי *darachthi,* calcavi; unde *derech,* via calcata: extenditur arcus magnus pedibus eum calcando, ut nervus poſſit adduci; & juſtus per tribulationem, ut ſit aptus mittendis orationibus in cœlum, & virtutibus ac monitis ad homines) *mihi Judam, quaſi arcum.* Hoc contigit in Apoſtolis, de quibus hæc S. Cyrillus & Theodoretus exponunt; & in Chriſto, de quo Remig. & Lyran. viſum eſt. Sept. vertunt: *Tetendi te Juda mihi arcum.* Pergit Zach. *Implevi Ephraim,* id eſt, Ephraimitas, nempe Apoſtolos, qui penè omnes erant ex Ephraim, hoc eſt, ex decem tribubus: ex tribu ſcilicet Zabulon & Nephthalim. Impleti autem ſunt arcu, pharetra & ſagittis, ut ait Mariana: vel potiùs tantùm ſagittis; nam ipſi comparantur arcui: iidem enim vocantur Juda & Ephraim. Juda, quia Dei laudes prædicabant, Ephraim, quia erant fructificantes, 2 Cor. 12. 9. *Virtus* (Græc. δύναμις: fortitudo, robur, potentia) *in infirmitate perficitur.* S. Gregor. Naz. orat. ad cives Nazianzenos: *Anima,* inquit, *morbo affectâ, Deo propinqua eſt.* Vide S. Bern. epiſt. 254. S. Chryſoſt. hom. 26. Apoſtolus de ſeipſo ait, verſu 10. *Cùm infirmor,* (per afflictiones) *tunc potens ſum,* per Dei auxilium, quo corroboror, ut ait S. Chryſoſtomus.

Martyres carcer non arctabat.

Vincti ſpei erant ſancti Martyres & Confeſſores in carceribus, qui ibi inſtar arcûs à Deo extendebantur, ut hoſtes omnes vincerent. Tertull. lib. ad Martyres, cap. 2. hoc eximiè deſcribit. Eos enim ad conſtantiam animans docet, in arcto quidem poſitos, ſi corpus ſpectes: mente autem, cum Deo ac Cœlitibus latè ſpatiari, alioſque ipſis comparatos vitiis ſuis jacere concatenatos. Verba ejus ſunt: *Segregati eſtis à Mundo. Si enim recogitemus ipſum magis Mundum carcerem eſſe, magis exiſſe vos de carcere, quàm in carcerem introiſſe intelligemus. Majores tenebras habet Mundus, quæ hominum præcordia excæcant. Graviores catenas induit Mundus, quæ ipſas animas hominum conſtringunt. Pejores immunditias expirat Mundus, libidines hominum. Plures profectò Mundus reos continet, ſcilicet univerſum hominum genus. Judicia denique non Proconſulis, ſed Dei ſuſtinet. Quo vos benedicti de carcere in cuſtodiarium, ſi forte tranſlatos exiſtimetis. Habet tenebras, ſed lumen eſtis ipſi. Habet vincula, ſed vos ſoluti Deo eſtis. Triſte illic expirat, ſed vos eſtis ſuavitatis. Judex expectatur de judicibus, ſed vos eſtis de judicibus ipſis judicaturi. Contriſtetur illic, qui fructum ſæculi ſuſpirat. Chriſtianus etiam extra carcerem ſæculo renunciavit, in carcere autem etiam carceri. Nihil intereſt, ubi ſitis in ſæculo, extra ſæculum eſtis. Et ſi aliqua amiſiſtis vitæ gaudia, negotiatio eſt aliquid amittere, ut majora lucreris!* Et infrà, magis ad rem noſtram, liberos illos in ipſis manicis pedicisque eſſe oſtendit: *Auferamus,* ait, *carceris nomen, ſeceſſum vocemus. Etſi corpus includitur, etſi caro detinetur, omnia ſpiritui patent. Vagare ſpiritu, ſpatiare ſpiritu, & non ſtadia opaca, aut porticus longas proponens tibi, ſed illam viam, quæ ad Deum ducit. Quoties eam ſpiritu deambulaveris, toties in carcere non eris. Nihil crus ſentit in ligno, cùm animus in cœlo eſt, &c.* Lege S. Cyprianum epiſt. 81. ad Rogatianum juniorem & cæteros Confeſſores in carcere conſtitutos.

Adriani Papæ ſymbolum.

Auro confer Sanctos afflictos, nullum eſt metallum pretioſius, nullum quod in plures laminas diſtendatur, ac dilatetur. Illis da ſymbolum Adriani Pontificis, qui variis ærumnis exercitatus, illud ſibi ſumpſit: *In malleo & incude dilatâſti me.* Non fluit metallum, niſi in fornace. Tota Eccleſia perſecutionibus eſt dilatata, Caſſiod. in Pſ. noſtr. *Tribulatio eſt, quæ ſemper dilatat Eccleſiam: quando eodem tempore Confeſſores fiunt, Martyres coronantur: totáque turba juſtorum contritionibus ſemper augetur.* Herbæ ſunt quædam, quæ pedibus calcatæ magis dilatantur, & meliùs creſcunt.

29. 4. Charitas in tribulatione mentem dilatat.

Quartò: Tribulatio mentem dilatat per charitatem: cùm enim nobis amaram terram reddit, ab ea amorem noſtrum abſtrahit, quo carere cùm non poſſimus, in Deum illum transfert. Latitudinem charitatis pone primò, ut diligas etiam inimicos, quod docere nos ſolet tribulatio, à qua nonniſi hâc conditione Deus liberat. Ita Haymo & Remigius. Secundò, ut cum fervore & ardore id facias, Pſ. 118. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâſti cor meum.* Ubi S. Ambroſ. ſerm. 12. *O homo!* inquit, *quàm latus es, ſi ad amplitudinem præceptorum cœleſtium ſinum mentis tuæ expandis? Quàm latum mandatum eſt charitas! Diligite, inquit, inimicos veſtros. Omnes utique affectu charitatis incluſit, qui non excluſit inimicos. Quis enim videtur exceptus, cùm recipiatur inimicus?* Vide illum Pſalmum. In ea latitudine ſibi placet Deus, Prov. 1. 20. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat* (Syr. exaltat) *vocem ſuam.* Sept. παῤῥησίαν ἄγει, cum libertate agit, ut vertunt Romana. In anguſto loco trepida eſt ſapientia, & dat vocem exilem, aut potiùs arctata ſilet: in plateis verò, id eſt, in corde amplo, & igne cœleſti dilatato loquitur, & clamat, atque dominatur: ibi deambulat, ſuaque dona diſpergit, Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Charitas Dei, id eſt, quæ eſt in ipſo Deo increata, in nobis diffunditur per productionem gratiæ, charitatis, donorum & virtutum, ut ſanctus Chryſoſt. S. Ambroſ. & Toletus exponunt. 2. *Charitas Dei,* id eſt, quam Deus in nobis produxit, quæ diffunditur extendendo ſe ad omnes motus & actus animæ perficiendos, ut S. Anſelmus, S. Thom. S. Auguſt. de Spiritu & Litera cap. 32. & Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. explicant. 3. S. Thomas, Origen. & Oecumenius de utraque charitate locum Apoſtoli intelligi cenſent, ac jure quidem. Una ex altera oritur, Cant. 1. 2. *Oleum effuſum nomen tuum,* (id eſt, tu: es enim Chriſtus ſeu Meſſias) *ideò adoleſcentulæ dilexerunt te:* animæ ferventes, quæ ſemper ſunt in flore & vigore virtutis.

30. 5. Lætitia etiam ſpiritualis.

Quintò: Tribulatio dilatat mentem per lætitiam ſpiritualem, Rom. 5. 3. *Gloriamur in tribulationibus,* (propter Chriſtum perpeſſis) *ſcientes, quòd tribulatio ſapientiam operatur,* ut occaſio, objectum & excitamentum patientiæ, ait Cornelius: item ob gratiæ ubertatem in ea dari ſolitam, *patientia autem probationem,* id eſt, terminum probationis & experimentum: nempe ut innoteſcat, quanti Deum faciat is, qui tribulatur, ut explicat Toletus & Cajetanus: *probatio verò ſpem,* id eſt, ut dicunt S. Chryſoſtomus, & S. Anſelm. ſpei robur & vigorem:

ſpes autem non confundit: infundit enim certitudinem, quòd ſimus filii Dei, & mentem lætitiâ cumulat, ob immenſa bona, quæ oſtendit ex tribulatione nitiura. S. Chryſoſtomus in eum locum: *Vidiſti, ἀμηχανίαν εὐφασίν, ineffabilem latitudinem? Vidiſti, λιμένα εὐφροσύνης, portum lætitiæ? Quid enim homine fortiſſimo, & qui omnia facilè ferre poteſt, patientius? Quid probato autem fuerit fortius? Quid autem conferri poteſt cum ea, quæ hinc oritur, delectatione? Dicit enim nobis tres voluptates, quæ hinc oriuntur: nempe patientiam, probationem, & ſpem futurorum bonorum.*

In dolore gaudet fortis. Gaudent in mediis doloribus animæ generoſæ. Saræ prædicunt partum Angeli, & ridet. Geneſ. 18. 10. Ut enim ait Philo libro 2. allegoriarum legis, *inſipiens moleſtè videt, audit, guſtat, olfacit, & quocunque ſenſu utitur. E diverſo virtutem invenimus, μετὰ χαρᾶς ὑπερβαλλούσης καὶ κυοφοροῦσαν, cum ingenti gaudio etiam uterum geſtantem ac parturientem: & bonum partum cum riſu atque animi tranquillitate parientem, & fœtum hunc utrique parenti hilaritatem afferentem.* *Sara gignit riſum. Joanna regina pariens cantat.* Sara genuit Iſaac, id eſt, riſum: hoc enim ſignificat. Notabile eſt, quod refert Fauynus in hiſtoria Navarræ. Cùm, inquit, Joanna regina Navarræ, Henricum IV. poſteà Franciæ regem ederet, in ipſis partûs doloribus, etiam hæretica, hymnum in Deiparæ honorem cecinit: ut ſibi promiſſo, ſi id faceret, à patre teſtamento gauderet. Quantum erit igitur gaudium poſt dolores partûs præteritos? Joan. 16. 21. *Mulier, cùm peperit puerum, jam non meminit preſſuræ* (angoris, doloris, cruciatûs tolerati) *propter gaudium, quia natus eſt homo in Mundum.* Vide gandium Annæ, quæ gratiam ſignificat, nato Samuële & oblato in templo, 1 Reg. 2. 1. *Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo, dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos: quia lætata ſum in Salutari meo.* In Deo & Chriſto Salvatore lætitiam ſuam ſtatue, & nunquam variabit. Samuel ſignificat poſtulatum à Deo: quæ à Deo petieris, illa gaudium tibi parient, noli vanas delectationes à creaturis emendicare. *Dulcis & rectus Dominus.* Pſalm. 24. 8. *Nihil dulcius, quàm reſpicere in mandatis Domini*, id eſt, in mandata, ut in Solem lucidum: vel reſpicere omnia, quæ evenient, intra Dei voluntatem, velut intra theſaurum, unde prodeunt.

Crux amara ſacit dulcia. Cùm filii Iſraël veniſſent in Mara, nec poſſent bibere aquas de Mara, eò quòd eſſent amaræ: unde & Moſes congruum loco nomen impoſuit, vocans illum, *Mara, id eſt, amaritudinem*, Exodi 15. 23. Deus oſtendit Moſi lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, *in dulcedinem verſæ ſunt*, ℣. 25. Eliſæus aquas amaras Jerico ſanat, ac dulces efficit injecto in eas ſale, 4 Reg. 2. 21. Vir fortis in tribulatione ſeſe Dei causâ immittens, ipſas dulces efficit, & tribulatio in ejus animam ingrediens, amaritudinem ſuam perdit. Solitum eſt, ut aquæ amarorem aut ſuavitatem contrahant colatione per terras ſalſuginoſas vel grati ſaporis. *Lapis mirabilis in Scotia.* Hector Boëthius in mirabilibus Scotiæ refert, in quadam Scotiæ rupe inventum fuiſſe lapidem potuſum in formam ſpongiæ altera ex parte concavum, cui ſi marina infundatur aqua, *ea percolata dulcis potuique commoda effluat.* Cæterùm communicatione amicorum, ut ferunt, per multas manus tandem ad Faſt caſtellum, ubi & hodie eſſe ajunt, delatum eſſe. Talis eſt vir fortis, in ſeipſo conſiſtens, & omnia infuſa concoquens & ſuâ dulcedine afficiens.

Torrens ſpinarum. Joël. 3. 18. *Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum*, id eſt, vallem, ut vertit Symmachus. Vallis ſpinarum, eſt pauper & humilis afflictus, hunc rigat fons gratiæ cœleſtis, & recreat.

Aqua maris. Ezech. 47. 8. *Aquæ iſtæ, quæ egrediuntur ad tumulos ſabuli Orientalis*, (quæ è templo exeunt in partem Orientalem, & ibi convolvunt tumulos arenæ) *& deſcendunt ad plana deſerti, intrabunt mare, & exibunt, & ſanabuntur aquæ*, id eſt, dulceſſent aquæ maris mortui, quod eſt mare Orientale Judææ, infuſis in illud aquis torrentis è templo fluentis. Tropol. Torrens ille eſt Dei gratia: afflictos recreat, qui ſunt 1. Arenæ ob exiguitatem & ſiccitatem. 2. Plana deſerti, quia bonis terræ carent, & ab omnibus deſeruntur. 3. Sunt mare mortuum, quia pleni ſunt amaritudine, ac nihil in eis vivit. Nota, alludit Ezechiel ad aquas Jordanis, qui ingreditur unâ parte mare mortuum: aliâ verò ex eo egreditur, & ejus aquas aliquatenus minùs amaras reddit. Jordanis porrò ſignificat fluvium judicii. hic, cùm in animam viri juſti incidit, lætitiam affert, quia oſtendit futuram mercedem: ideò areſcentibus hominibus præ timore ob ea, quæ evenient ante judicium, ait Chriſtus Apoſtolis & Sanctis, Lucæ 21. verſu 28. *His autem fieri incipientibus, reſpicite, & levate capita veſtra*, (ut ſecuri & læti) *quoniam appropinquat redemptio veſtra.*

Puteus aquæ dulcis in medio aquarum ſalſarum. Himeræum flumen amarum & dulce. Proverbiorum 21. 22. *Fons vitæ eruditio poſſidentis*, (ſapientiam) *doctrina ſtultorum fatuitas*: eſt aqua amara, & ſterilem terram reddens, per quam fluit, ut aqua Jerico, 4 Regum 2. 19. Jericho Lunaticum ſignificat. Sapiens verò eſt ſimilis fonti, qui eſt in urbe Brielioſis, ut ait Georgius Bruin, aquam dulcem ſemper habet, licèt circa ipſum omnes putei & foſſæ ſalſam habeant. Notabile etiam eſt, quod habet Solinus paginâ trigeſimâ ſextâ, fluvium Himeræum, cùm in Aquilonem fluit, eſſe amarum: cùm verò in meridiem, eſſe dulcem. Doctrina, ſi in animum ſapientem inciderit, ſuavis eſt: ſi in mentem ſtulti, amara. Item recta vel prava intentio res vel ſuaves vel moleſtas facit.

Afflictio coarctat initio per triſtitiam: ſed in progreſſu dilatat per gaudium. Iſaiæ trigeſimo tertio, verſu vigeſimo primo: *Locus fluviorum rivi latiſſimi & patentes: non tranſibit per eum navis remigum:* in cœlo non erit percuſſio, ſed perfecta & quieta latitudo: in terris fit dilatatio etiam in ipſa agitatione. *Lacus in Sicilia miro modo ſe dilatans.* Polycritus, qui res Sicolas ſcripſit, ait, loco mediterraneo in Sicilia ſtagnum eſſe, ambitu ſuo ſcutum non excedens, aqua reſplendente quidem, ſed turbulentiore nonnihil: in quem ſi lavandi gratiâ quis ingrediatur, *αὔξεσθαι εἰς εὖρος, in latum extendi; quod ſi ſteret, μᾶλλον πλατύνεσθαι, ampliùs dilatari*, ut refert Ariſtoteles de mirabilib. auſcultationibus.

ARTICULUS III.

Terrena omnia ſunt vanitas & mendacium.

POſtquam David primo verſu gratias egit Deo de præteritis calamitatibus & periculis evitatis, & in ſecundo ſe munivit ad futuras clades declinandas aut cum fructu perferendas: nunc ad hoſtes ſuos convertitur, ℣. 3. FILII HOMINUM, USQUEQUO GRAVI CORDE? UT QUID DILIGITIS VANITATEM, ET QUÆRITIS MENDACIUM? Verſ. 3. I Pars.

Quæres: Qui filii hominum intelligantur? Primò, amicos, affines, conſanguineos & adjutores Davidis, qui an eum juvandum præſidiis terrenis & caducis nitantur, intelligunt Euthym. Cajetan. & alii. *Filii hominum qui?* 1. Sed gravior videtur hæc reprehenſio, quàm ut amicis fiat. Secundò, accipiendus Abſalonis fautores & Achitophelis inſana conſilia exquirentes, cenſent Aſterius, & aliqui Hebræorum Doctores. 2. Tertiò, & meliùs, Lyranus ait ſermonem dirigi ad eos, qui Sauli præſto erant contra Davidem, Dei auxilio fretum. De perſecutione enim regis Saulis eſſe hunc pſalmum, oſtendi in procœmio. 3. Et genuinè.

Senſus. Senſus itaque eſt, q. d. Cur vos, ô homines! humanis & incertis commodi rationibus, quæritis incaſſum me obterere: & vana atque mendacia Ziphæorum aliorumque capere me ſperantium conſilia creditis, & magis ac magis me quæritis? Sic, & benè, in filiis hominum ipſe Saul includetur. Secundò: Senſus eſt, q. d. Quid vos aulici, & milites, voſque Ziphæi & omnes hoſtes mei vanis promiſſis Saulis aures præbetis, eaque amatis & magni facitis, atque mendacio mentem paſcitis? Nihil enim eorum, quæ obtruduntur, poteritis conſequi. Nota, *filii hominum*, id eſt, homines, ut filia Babylonis, id eſt, Babylon: & apud *Homerum ſæpè υἷες ἀχαιῶν, filii Achivorum*, id eſt, Achivi.

Tropo-

32\. Tropologicè.

Tropolog. Senſus eſt: *Filii hominum uſquequò gravi corde?* Id eſt, quamdiu cor habebis lapideum, durum, ad terram inclinatum, non cogitantes niſi bona terrena? Corda enim, ex ſententia Domini, gravantur crapulâ, & ebrietate, & curis hujus Mundi; & quia corda dura non recipiunt ſupernas cogitationes, ſed ſolùm terrenas & tranſitorias: ideò non diligunt, niſi terrena & tranſitoria: & quoniam ea ſola quærimus diligenter, quæ ardenter diligimus, ideò ſubjungit Propheta, *ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Dicuntur autem bona terrena, vana & falſa: quia nec ſolida ſunt, nec ſtabilia, quamvis talia eſſe videantur: & propterea meritò falſa & fallacia dici poſſunt, præſertim ſi comparentur ad æterna. Additur in Hebræo, *ſela*, id eſt, ſemper, quod rectè ponitur hoc loco: id enim valdè mirum eſt, quod homines non tantùm initio Mundi, nec ſolùm initio vitæ, ſed in omni ſæculo, & in omni ætate poſt tam longam experientiam, res humanas & fallaces tanto ſtudio conſectentur. Ita Bellarm. qui hunc vult ſenſum eſſe litteralem, ſed veriùs ad literam David alloquitur Saulem & ejus aſſeclas, ut dixi. Secundò, *filios hominum* intelligunt Idololatras Burgenſis, Titelmannus, Caſſiod. Remig. & Haymo. Hunc verſum vocat Clemens Alex. in Protreptico, *ῥυθμὸν ἐμβατήριον*, carmen introductorium in navem Eccleſiæ extra quam non eſt ſalus.

33\. Homines vocantur filii hominum. Primò, ut videant vilitatem ſuam ob peccata.

Nota primò, homines vocantur *filii hominum:* Primò, ut vilitatem & abjectionem ſuam ob peccata videant. Sic enim ordinariè in malam partem ſumitur in Scriptura, cùm ponitur ſine adjecto. S. Chryſoſt. hîc *filios hominum* cenſet vocari eos, qui vivunt in improbitate, & proclives ſunt ad vitium. Ideò nos non eſſe vocandos filios hominum. Licèt enim naturâ id ſimus, gratiâ tamen ſumus filii Dei, cujus ſi imaginem portemus, erit, *ἀνάφαιρον δῶρον*, perpetuum donum & integrum: eam imaginem perdiderant, qui ante diluvium luxuriæ ſe dederant, Geneſ. 6. 2. *Videntes autem filii Dei* (Sethi poſteri priùs colentes Deum) *filias hominum*, (puellas impias de Caini poſteritate) *quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Statim poſteà Deus dicit: *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum*, (per longum tempus) *quia caro eſt*, id eſt, carnalis, & in carnis vitia proclivis, ut S. Chryſoſt. ibi explicat. In eadem mente erat Beda in Pſalm. noſtr. O vos filii! ait, non unius hominis, id eſt, Chriſti, quem imitari debetis: ſed qui hactenus fuiſtis filii hominum, vel terranorum parentum, portando ſcilicet imaginem illorum, & faciendo mala opera eorum.

Secundò, vilitatem ob ſuam originem.

Secundò, homines vocantur *filii hominum*, ut cogitent vilitatem ſuam & abjectionem ob originem terrenam & luteam. Ab humo enim homo ortum trahit; unde primus homo vocatus eſt Adam, id eſt, terrenus. Hoc notat Haliigarius, Epiſcopus Cameracenſis, in tract. de vitiis & virtut. l. 1. cap. 14. ubi ſubdit: *Omnis homo per peccatum naſcitur, per laborem vivit, per dolorem moritur.* Nicolaus notarius S. Bernardi epiſt. 49. O conditio! inquit, abjecta naſcendi, vivendi dura, miſera moriendi. Homo natus de muliere: quid enim abjectius? Brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis: quid durius? Qui quaſi flos egreditur & conteritur: quid miſerius? Vides homo triplicem, ſed infelicem funiculum, quo ſtringitur & cingitur omnis humana propago; qui non modò difficilis, ſed etiam impoſſibilis ſit ad rumpendum. Vis oculata fide videre, quia nihil eſt homine naſcente abjectius? Omnium certè animalium & avium corpora multiplici naturæ vallantur præſidio, & eis quaſi quodam patentiſſimo ſinu pietatis occurrit. Denique bovi feram, volucri plumam, & dentes, & ungues, & cornua conceſſit, ut habeant, unde vim vel inferant, vel repellant. Sola hominis membra videas abjecta eſſe, non edita: quibus illa benigniſſima rerum nutrix quaſi quodam indignationis oculo novercatur. Adde, quòd profundiſſimis ignorantiæ tenebris homo & obvolutus veniat in locum hunc tormentorum, *ubi infeliciter naſcitur, infeliciùs vivit, infeliciſſimè moritur.* Ita ipſe.

Tertiò, quia ſæpè decipiuntur in amore terrenorum.

Tertiò, homines in Pſalmo noſtro vocantur *filii hominum*, quia fit mentio deceptionis, quâ in rerum terrenarum amore & æſtimatione falluntur. Id autem, quàm ſæpè homini accidat, docet ſanctus Edmundus, Cantuarienſ. Archiepiſcopus, in ſpeculo Eccleſiæ: *Intellige benè*, inquit, *qualis es modò, quantum ad animam: quomodo habes modicum boni in te, modicum ſenſum, modicam poteſtatem: nam ſemper die ac nocte deſideras illa, quæ tibi non proſunt. Quàm ſæpe fuiſti deceptus, modò per dolorem nimium, modò per amorem inordinatum, modò per vanam gloriam modò per indiſcretionem & intemperantiam? Modò vexaris timore, modò elevaris falsâ ſpe: Ex alia parte, quod tu es tam mutabilis, quod illud, quod vis hodie, non vis cras: & ſæpè es languidus propter plura, & cruciaris ſæpè, ſi illa non habeas, & poſtquam habueris illa ad tuam voluntatem, tunc es de iiſdem multipliciter anguſtians & tædio affectus.*

Nota ſecundò, pro *filii hominum* eſſe in Hebræo בני איש *bene is*, *filii viri*, ut ad verbum vertit ſanctus Hieronymus hîc: qui etiam in cap. 16. Matthæi notat in verſu noſtro non eſſe Hebraicè *filii Adam*, ſed *is*, id eſt, *viri*. Nam *is* ſignificat quidem aliquando ſimpliciter hominem; ſæpè tamen, ſicut apud Latinos *vir*, denotat ejus robur & vires tum animi, tum corporis. Sunt, qui ab אש *es*, *ignis*, deducant, q. d. igneum, ignitum; vigore igneo, ardenti & excelſo pollentem. De eo etiam *is* dicitur, qui authoritate, dignitate, gloriâ atque exiſtimatione antecellit, & inter honoratiores connumeratur, ut Latinè vir, ſicut docet Mercerus: & Græci ἴς, id eſt, robur, vis, inde mihi videntur derivâſſe. 34.

Sumus filii Primò, Abrahami.

Quæres: Cujus viri filios eſſe nos David intelligit? Primò, Abrahamum, cujus filios ſe eſſe Judæi gloriabantur, accipiunt Felix & Lyranus. Secundò, & pleniùs, *filii viri*, id eſt, filii virorum, ut ſit enallage numeri Hebræis ſolita. In ea mente videntur fuiſſe ſanctus Chryſoſtomus, ſanctus Thomas, Alcuinus & Bruno, qui filios viri interpretantur eſſe eos, qui ratione uti deberent. *Filii hominum dicuntur hîc, non beſtiarum*, ait ſanctus Thomas. Contra verò, *Homo cùm in honore eſſet*, (Chaldæus, homo ſceleratus in tempore, quo ſubſiſtit) *non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Chaldæus, *& redigetur in nihilum.* Vide illum locum, ubi peccatores brutis aſſimilari oſtenditur. Nunc ſufficiat Iſaias Abbas in præceptis ad fratres, qui cum ipſo vivebant, oratione vigeſimâ quintâ ſub finem: *Qui*, ait, *brutorum inſtar ſunt rationis expertes, aut ſibi viciſſim aliquid ſurripientes ferarum avaritiam imitantur, aut volucrum inconſtantiam, aut venenum ſerpentum: horum anima ſponſa Chriſti eſſe non poſſunt, quoniam illi ſunt actione diſſimiles.*

Non ſumus filii beſtiarum.

Secundò, Chriſti.

Tertiò, in ſenſu Alleg. dicuntur homines *filii viri*, id eſt, filii Chriſti per gratiam, quâ ab ipſo adoptantur, Pſalmo 81. ℣. 6. *Ego dixi: Dii eſtis, & filii Excelſi* (Hebraicè, עליון *elion*, Altiſſimi) *omnes.* S. Gregorius libro 4. in 1 Regum capite 4. ſpecialim ait, nos eſſe Chriſti ipſius filios. *Redemptor*, ait, *generis humani quotquot fide ſua & doctrina ſacramentis inſtituit ad immarceſcibilem æternæ hæreditatis gloriam tot filios facit.* Hinc ab eo Chriſtiani appellamur Joannis 1. ℣. 12. *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri:* ſic ſunt fratres Chriſti, & imaginem Dei repurgatam oſtentant. Sanctus Theodorus Studita, in Catacheſi ad diſcipulos in ſactum Paſcha, catecheſi vigeſimâ: *Deus noſter*, ait, *purus cùm ſit, ſeu potiùs Lux ſuprema, etiam puros aſciſcit: animoque nobis puro indito, purum eum quoque à nobis exiget. Nam ad imaginem divinam & effigiem creantur, dubium non eſt, quin, qui ſimulacrum ſit divinæ pulchritudinis, prædixus ſit & ipſe pulchritudine. Atque id intelligens Pſaltes, ait Pſ. 29. 8. Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem: hoc eſt, animi mei decori, ne ad fœdas peccati libidines pronus deformis redditus, Deo ac premiis excidat divinis.* Ergò explorate cognito talem nos animum tenere, pulchrum & formoſum, quaſique *depoſitum Deo reddituros* in ſuprema reſurrectionis die, hortor & admoneo, ſervemus hanc pulchritudinem, hanc for-

moſitatem tueamur, nequaquam ad hujus ſæculi bella & carnis atque ſanguinis venuſtates convenuſi. Neque enim ſunt venuſtates, *ſed venuſtatem ſimulacra:* ſeu, ut veriùs dicam, corruptela ac mutabilitas. Atque id rerum nos exitus docebit. Nam, qui hodie lepidus eſt & elegans, cras in ſepulcrum conjectus, fœtidus atque omnibus diruus eſt. Adeò pulchrum eſt atque amabile nihil, ſolaque venerabilis virtus. Ita S. Theod. Vide S. Auguſtinum tractatu 2, in Joan. & ſermone 141. de tempore. Deus optat à nobis Pater vocari, Jeremiæ 3. 4. *Pater meus, Dux virginitatis meæ tu es.*

35. Verſionum varietas. Nota tertiò: *Filii hominum* aliquando cum laude homines dicuntur, ſi aliquod adjunctum ſit, cui hæc appellatio opponatur. Sic Pſalmo 48. 3. ubi ad audiendum excitantur: *Quique terrigenæ & filii hominum.* S. Hieronymus vertit: *Tam filii Adam, quàm filii viri.* Chald. *Tam filii Adam antiqui, quàm filii Jacob*, ſumpſit Adam ut nomen proprium: meliùs ſuma, ut appellativum, q. d. filii hominis terreni: Itaque filii Adam vocantur homines, ut ſuæ terræ recordentur, & ſe humilient.

Nota quartò, pro *gravi corde*, ut habet noſter interpres: & Arabs, graves cordibus, *ac τὸ βαρυκάρδιοι*: nunc in Hebræo eſt: *Uſquequò gloria mea (eſt) in ignominiam?* Chaldæus: Uſquequò honor meus ad vituperium? S. Hieronymus: *Uſquequò inclyti mei, ignominioſè?* Syrus: Quouſque gloriam meam celatis. Hæc varietas oritur à varietate punctationis. Nunc habemus כבודי *chebodi*, id eſt, gloria mea. Sanctus Hieronymus legiſſe videtur כבודי *chebodai*, in plurali cum affixo primæ perſonæ, ideò vertit: *inclyti mei.* Septuaginta, quibus magis, quàm aliis omnibus credendum eſt ob maximam linguæ ſuæ peritiam, & codices emendatiſſimos, quos habuerunt, legerant כבודי *chebude*, graves, aggravati: eſt enim Paul. in Kal. Rurſum nunc legimus לכלמה *liclimma*, hoc eſt, in ignominiam. Lamed enim eſt ibi ſervile: & vox *chelimma* ſignificat confuſionem, probrum, vituperium, ignominiam. Septuaginta legerant לבלמה *leb lamma*, id eſt, *corde: ut quid*, &c. Et quidem maxima eſt affinitas ſcriptionis inter caph & beth. Senſus autem longè eſt clarior ſecundùm eos & noſtram Vulgatam: *Filii hominum uſquequò gravi corde?* Aliæ verſiones habent ſenſum difficilem, aut veriùs non ita facilem. Nam, cùm dicitur: *Uſquequò gloria mea in ignominiam*, non eſt certum, de qua gloria ſit ſermo. Potuit, ait Lorinus, honorem gloriamque ſuam David intelligere, vel vitæ innocentiam, vel regiam dignitatem, vel Deum ipſum. Arbitror intelligi de dignitate, quam habebat apud regem Saul; erat enim ejus gener, ſed præſertim de inauguratione in regem futurum; ſed enim, licèt Dei juſſis per Samuëlem Prophetam factum irridebatur ab aulicis Saulis, qui cum ipſo fugientem & latitantem Davidem perſequebantur.

36. Gravi corde ſunt 1. Increduli. 2. Tardi & ſegnes. 3. Et meliùs, omnes peccatores. Quæres primò: Quinam ſint gravi corde? Primò, Hypatius *graves corde* ait eſſe incredulos, qui nolint in Deum reſpicere, neque divinas diſpenſationes conſiderare. Secundò, alii dicunt, *graves corde* eſſe eos, qui obtuſiori ſunt ingenio, & ad Dei verbum ſegnes & tardi. Vel qui in tentationibus & afflictionibus commoventur & perturbantur, & quidvis potiùs agunt, quàm divinum auxilium implorent. Tertiò, & optimè ſanctus Chryſoſtomus accipit locum hunc de omnibus peccatoribus. *Graves corde*, inquit, *ſunt*, παχυκάρδιοι, σαρκικοί, τῇ γῇ προσηλωμένοι, *qui ſunt craſſo corde, carnales, affixi terræ, vitium perſequentes, improbitatem exercentes, libidine & voluptate corrupti ac marcidi.* Ait autem, illum affectum & inclinationem ad terrena ac delicias, eſſe, πηγὴν ἀσεβείας, *fontem impietatis.*

Cor eſt vas amplum. Adverte, cor eſt vas, & quidem amplum, in quo cœlum aut terram poſſis ponere: Deum aut terrena: & conſequenter potes illud grave vel leve efficere. Sanctus Mac. ſenior homiliâ quadrageſimâ tertiâ oculi ſimilitudine pulcherrima ſapientis id explicat: *Sicut oculus*, ait, *omnium corporis partium eſt minimus, & ipſa pupilla oculi, cùm ſit exigua, tamen eſt vas ingens, quoniam intuetur unà cœlum, aſtra, lunam, urbes & alias creaturas: & eodem modo, quæ in illa parva oculi pupilla cernuntur, ſimul & eodem modo momento formantur & effinguntur. Hoc pacto ſe mens habet in corde, ipſumque cor eſt quoddam VAS MAGNUM. Ibi ſunt dracones, ibi leones, beſtiæ venenoſæ, ibi vitiorum cuncti theſauri, ibi aſpera & ſalebroſa via, ibi præcipitia. Contrà verò, ibi Deus eſt, ibi etiam Angeli, ibi vita & regnum, ibi lumen & Apoſtoli, ibi cæleſtes urbes, ibi theſauri gratiæ, ibi ſunt omnia.*

Cor leve Deus efficit, atque ejus præcepta. Imponit ſervis ſuis jugum ſuave, & *onus leve.* Matthæi undecimo, verſu vigeſimo nono. Cor grave efficiunt primò terrena omnia etiam licita. Ut enim ait ſanctus Gregorius: *Terrena ponderis ſunt, non ſubſidium.* Secundò peccata omnia. Sanctus Bernardus ſermone de quinque negot. *Omnis animi perturbatio ponderis eſt.* Tertiò, multitudo præſertim peccatorum degravat cor. Iſaiæ primo, verſu quarto: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate!* qui, ut ait Cornelius, ſcelerum pondere & multitudine degravatur & incurvatur quaſi in terram. Ibi vide quinque gradus impietatis ab Iſaia aſſignatos. Vel arenulæ navem demergunt, ſi ſint nimis multæ. Unde ſanctus Chryſoſtomus ait: Ne faciamus cor grave: *Ne, ſicut navigia, quæ nimiam habent ſaburram, demergatur.* In noſtra hoc poteſtate ſitum eſt. Non eſt enim talis natura, ſed levis & ſurſum tendens facta eſt: nos autem ipſam vim inferentes, gravem efficimus. Ita Chr. Quartò, præſertim ea peccata degravant, quæ radices egerunt in anima per habitum. Illud eſt onus grave, de quo David noſter Pſalmo 37. verſu 5. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum*, (à longo tempore creſcentes) *& ſicut onus grave* (S. Auguſtinus, *ſicut faſcis gravis*) *gravatæ ſunt ſuper me*, id eſt, pluſquàm vires meæ ferre poſſunt, itaque vel inviĉtiſſimum dejiciunt. Hi ſunt faſciculi deprimentes, quos Deus diſſolvi jubet, Iſaiæ 58. ℣. 6. *Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes, & omne onus dirumpe.* S. Clemens libro 2. Conſtit. Apoſt. capite 53. Chriſtianus eſſe vis, ait, ſequere legem Domini: Diſſolve omne vinculum iniquitatis. Sic vocat inimicitias & deſiderium vindictæ ſanctus hic Pater. Cùm cor Pharaonis eſſet *induratum*, Exodi 7. ℣. 13. fuit etiam *ingravatum*, ℣. 14. per frequentatos actus ipſe *ingravavit cor ſuum*, ideò dejectus eſt in profundum maris. Exodi 15. ℣. 10. *Flavit ſpiritus tuus, & operuit eos mare: ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.* Si totum te plumbeum videas, ne tamen deſpera, liqueſcet illud plumbum divinæ charitatis igne. Sacchin. libro 5. hiſt. Soc. JEſu, num. 65. Ægidius, ait, Montanus, dum vigilat, videt cubiculum in quo jacebat totum magno jucundoque complexum lumine: dein videri ſibi viſus cubiculi tecto patefacto, ita ut cœlum pateret, in altum ſuſtolli, & quaſi *plumbeâ circumdatum veſte*, quæ tanquam colliqueſcente ſenſim & *delabente plumbo*, quò ipſe altiùs attollebatur, eò fiebat levior. Cùmque evectus tandem uſque ad ſolium Dei eſſet, nec auderet oculos ad ejus conſpectum erigere, conſcientia cujuſdam peccati (quod fuiſſe creditum, eſt illam ex monte Politiano fugam) juſſum à Deo bono animo eſſe, ſeque intueri; jam condonatam noxam, cujus puderet. Cùm igitur animo ex iis verbis ſumpto, fixiſſet in Deum oculos, & eo ſpectaculo fruitus aliquando fuiſſet, cognoviſſe die Annuntiationis Deiparæ, horâ diei ſupremâ ſibi moriendum. Ita ibi. Parandum itaque eſt Deo domicilium in corde noſtro, ut illud ad ſe trahat, atque in eo habitet. S. Mac. homiliâ 15. paulò poſt medium: *Cùm cor*, ait, βάθος ἔχει ἀπέραντον, *ſit infinitæ profunditatis, ibi ſunt triclinia, cubicula, fores, veſtibula, miniſteria multa & exitus: ibi eſt officina tum juſtitiæ, tum iniquitatis: ibi eſt mors & vita, ibi bona negotiatio & contraria. Quemadmodum ſi palatium magnificum fuerit, quod deſeratur, & omnis generis fœtore repleatur, & cadaveribus multis, ſic cor, quod erat* παλάτιον Χριστοῦ, *palatium Chriſti, omnimoda impuritate refertum eſt, ac turbis plurimis pravorum ſpirituum.*

37. Cor grave efficiunt 1. Terrena 2. Peccata. 3. Eorum multitudo. 4. Habitus peccaminoſi. Faſciculi deprimentes. Ægidii Montani veſtis plumbea. Cor eſt ampla domus.

virtutum. Ideò reſtaurandum illud ac reædificandum, ſuntque præparanda promptuaria & cubicula: Nam Rex Chriſtus cum Angelis & ſanctis ſpiritibus venit illuc, ut ibi requieſcat, habitet, inambulet, regnumque ſuum collocet. Itaque, quemadmodum, ſi navis apparatu multo fuerit munita, in qua ſit gubernator, qui regat omnes, & moderetur, quibuſdam timorem incutiens, alios verò dirigens: ejuſmodi eſt cor, habens mentem pro moderatore, conſcientiam arguentem, cogitationes accuſantes ac defendentes. Contrà verò, ſicut ait S. Chryſoſtomus in Pſalmum noſtr. Quando eſt gubernator ebrius, & fluctuum ac ventorum imitatur inconſtantiam ac perturbationem, quomodo fieri poteſt, ut navis ſervetur?

38. Cor gravat, 1. Superbia. Speciatim cor grave reddit: Primò, ſuperbia. Hoc eſt *onus vallis viſionis.* Iſaiæ 22. verſu 1. de quo ſic ait S. Bern. tract. de undecim oneribus, ſerm. 9. *Viſio refertur ad contemplationem, vallis ad humilitatem vel dejectionem. Eſt enim quorundam contemplatio humilis, quorundam dejecta. Humilis Sanctorum, abjecta peccatorum. Sancti autem, quo magis proficiunt, eò majori onere vanitatis fatigantur: & ſic ad altiora ſe erigunt, ut quandoque inviti & ad inferiora trahantur. Si enim virim proficit, ſervatur humilitas: ſi onera, vanitas eſt. Scitis, fratres, qualem neceſſe eſt, ut ſuſtineat pugnam mens proficientis, ne favor humanus ſubrepat, ne diſſolvat adulatio, ne cor ambitio intumeſcat.* Ad literam vallis viſionis, id eſt, prophetiæ, eſt Jeruſalem parens & nutrix prophetarum & ſacerdotum in templo lucem à Deo recipientium. Vallis dicitur, quòd, ut vallis è monte imbres, ita ipſa divinas è templo & Deo ibi reſidente viſiones & prophetias reciperet. δαίμων dicitur quaſi δαήμων, id eſt, doctus & eruditus, ait Plato in Cratylo. *Scientia inflat.* 1 Cor. 8. 1. Græcè φυσιοῖ, tumet, ac turget inſtar follis vento pleni: & niſi caveas, dejicit *in paſſiones ignominiæ.* Rom. 1. 26. ut ſuperbos illos Philoſophos. Dignitates ſunt onus degravans. Moſes ait num. 11. ℣. 11. *Cur impoſuiſti pondus univerſi populi hujus ſuper me?* Vocamus vulgò *charge* ipſas dignitates. Alphonſus Rex Aragonum in cœna importuniùs quodam inſtante ait: *Aſinos regibus beatiores eſſe: Illis enim, dum comedunt, clitellas auferunt agaſones, mihi verò ſenex iſte cœnanti imponit.*

Alphonſi regis acroama.

39. 2. Avaritia. Secundò: Avaritia cor gravat, illud enim implet metallis & denſo luto, Abacuc 2. ℣. 6. *Va ei! qui multiplicat non ſua: uſquequo & aggravat contra ſe denſum lutum.* Chaldæus: Uſquequò aggregaturus es in te gravitatem peccati. De avaritia explicat S. Gregorius 3 parte Paſtor. capite 21. *Avaro, contra ſe denſum lutum aggravare, eſt terrena lucra cum pondere peccati cumulare.* Vide illum libro 34. Mor. 13. Quid ſunt aurum & argentum, ait S. Bern. ſerm. 4. de Adventu, nonne terra rubra & alba, quam ſolus hominum error facit, aut potiùs reputat, pretioſam? Quid ſunt gemmæ, niſi lapides terræ? Et Remig. Opes ſunt denſum lutum, quia ſinceritatem mentis confundunt, & graviſſimo pondere iniquitatis mentem premunt. Eodem ſimili utitur Zacharias capite 9. 3. *Ædificavit Tyrus munitionem ſuam,* (eſt paronomaſia inter צור *tor*, Tyrus: & מצור *mator*, arx, rupes, propugnaculum, munitio, q. d. extruxit Tyrus Tyrum, arx arcem, rupes rupem. Tropol. ſuperbus & terrenus in terra ſibi ſtatuit præſidium) *& coacervavit argentum quaſi humum, & aurum ut lutum platearum,* id eſt, ut ob copiam non pluris eſſet, quàm lutum. Tropol. ita ut inficeret, ac pollueret inſtar luti. *Ecce Dominus poſſidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem ejus.* Chal. Projiciet divitias ejus in mare.

Quid ſit talentum plumbi. Idem Propheta Zachar. capite 5. 7. Avaritiam, ut cenſet S. Gregorius, plumbeam facit. *Et ecce talentum plumbi* (id eſt, maſſa plumbea ingens & maximi ponderis) *portabatur, & ecce mulier una, ſedens in medio amphoræ.* Talentum erat unicum apud Hebræos, continebat tria millia ſiclorum, uncias mille quingentas, duodecim millia drachmarum, mnas Hebræas 60 atticas 120. Romanas libras 125. *Et dixit: Hæc eſt impietas, & projecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os ejus:* amphoræ ſcilicet, ut rectè ait S. Hieronym. & Albertus: vel mulieris, ut Theodoretus & Vatablus. Tropolog. avari habent in ore plumbum & aurum grave, ſemper de divitiis loquentes: habent in corde, ſemper de iis cogitantes. S. Greg. 14. Mor. cap. 26. *Deus per ſimilitudinem amphoræ quaſi patens os avaritiæ deſignavit. Avaritia quippe velut amphora eſt, quæ os cordis in ambitu apertum tenet. Et dixit: Hæc eſt oculus eorum in univerſa terra. Multos obtuſi ſenſus homines cernimus, & tamen eos in malis actibus aſtutos videmus, &c. Quid eſt talentum plumbi, niſi ex eadem avaritia pondus peccati? Et ecce mulier una ſedens in medio amphoræ. Quam mulierem, ne forſaſſis, quæ eſſet, dubitare poſſimus, illico Angelus innotuit. Nam illic mox ſequitur: Et dixit: Hæc eſt impietas. Et projecit eam in medio amphoræ. Impietas in medio amphoræ projicitur: quia nimirum in avaritia ſemper impietas tenetur. Et miſit maſſam plumbi in os ejus. Maſſa plumbi in os mulieris mittitur: quia ſcilicet impietas avaritiæ, peccati ſui pondere gravatur. Si enim ad ea, quæ deorſum ſunt, non ambiret, erga Deum ac proximos impia nequaquam exiſteret.* Licinius Craſſus apud Suetonium in Cn. Domitium Ænobarbum eſt jocatus, cùm ait: Non eſſe mirandum, quòd æneam barbam haberet, cui eſſet os ferreum, cor plumbeum. Idem dic de avaro.

Tertiò: Luxuria cor degravat, eſt enim abjecta & in imis conſiſtit, Pſalm. 48. 6. *Cur timebo in die mala?* (S. Hieron. in diebus malis: ſcilicet, in diebus mortis & judicii) *Iniquitas calcanei mei* (Symm. veſtigiorum meorum) *circumdabit me.* Hæc calcanei iniquitas eſt adulterium Davidis: quia, ut medici tradunt, à pedis planta inchoat vena, quæ concitat libidinem: ita ut ea de cauſa hieroglyphicè aut ſymbolicè dixerint, in ſolo calcaneo vulnerari Achillem potuiſſe, & Orpheo teſte princeps libidinis locus talus eſt. Ita ibi Lorinus: Id expendemus, cùm ad illa venerimus. De Holoferne dicitur Judith 16. 11. *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus,* (in terram flectit oculos, & in lutum, luxuria) *pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus.* Hinc reſciſſo capite cadaver ejus in ſuo ſanguine tabefactum *jacebat ſuper terram,* cap. 14. verſu 14. *Nihil facit adeò grave cor, ut libido,* ait S. Chryſoſt. in Pſalm. noſtr. *Et ad ea, quæ pertinent ad hanc vitam affectio, & terra affixum eſſe. Quod tale eſt, non erraverit, qui dixerit, πηλίνην καρδίαν, eſſe cor luteum:* ait deinde, debere nos, *πτερῶν σάρκα, καὶ μετάρσιον ἐργάζεσθαι,* carnem alatam & ſe in altum erigentem efficere. 40. 3. Luxuria. Quæ eſt iniquitas calcanei. Et facit cor luteum.

Quartò: Ira cor gravat. Prov. 27. 3. *Grave eſt ſaxum, & onerosa arena, & ira ſtulti utroque gravior,* id eſt, intolerabilior. Dionyſ. Carth. id explicans Tropol. ait: Grave eſt ſaxum, ut lapis molaris, quodcunque mortale peccatum, quod ſuo mox pondere trahit ad aliud, & impœnitentem præcipitat in gehennam. Et oneroſa arena, conglutinata ſeu multiplicata eſt venialium multitudo; ſed ira ſtulti, id eſt, hominis vitioſi, utroque eſt gravior ad portandum hominibus, niſi ſapientibus ac perfectis. Multis enim mortalibus peccatis, non omnibus, ira eſt gravior coram Deo atque hominibus. Ita ipſe. 41. 4. Ira. Quæ eſt gravior 1. Saxo. 2. Multâ arenâ. 3. Plumbo.

Sibi ipſe eſt gravis, iracundus. De eo præſertim dic, quod habetur Eccli. 22. 17. *Super plumbum quid gravabitur? Et quod illi aliud nomen, quàm fatuus?* Ira furor brevis eſt, ac ℣. 18. *Arenam, & ſalem, & maſſam ferri faciliùs eſt ferre, quàm hominem imprudentem, & fatuum, & impium.* Mundi prudentia eſt arena ſterilis & mobilis. Sal eſt prudentia carnis, de ſpuma maris formatur: maſſa ferri eſt robur diaboli.

Quintò: Invidia cor gravat. Eſt onus Ægypti. Iſaiæ 19. 1. *Onus Ægypti. Cor Ægypti tabeſcet in medio ejus.* Ac verſu 3. *Dirumpetur ſpiritus Ægypti in viſceribus ejus.* 5. Invidia. Quæ eſt onus Ægypti.

Sextò: Gula cor gravat. Unde monet Apoſtolos alioſque Chriſtus Lucæ 21. ℣. 34. *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate.* Crapula eſt, cùm ex vinolentia vel ebrietate caput tremit, vertigine agitatur, gravatur, luctatur, fluctuat, dolet, ructat, vomit, &c. Omnia enim vini potùſque damna ſignificat crapula. Unde 6. Gula.

κραιπά-λη. Galenus in Aphoriſmis ſcribit, omnem noxam à vino factam, à Græcis vocati κραιπάλην, id eſt, crapulam, παρὰ τὸ κάρηνον, id eſt, caput; πάλλεσθαι, id eſt, concuti. Propriè autem crapula dicitur de gravedine, & noxis jam dictis, ex heſterna ebrietate. Unde Plato in Sympoſio, Crapulam ſentiens, ait, ex potatione heſterna. Hinc Arabicus pro *crapula* vertit *ſatietate*. Ita Cornelius.

7. Pigritia. Septimò denique: Pigritia cor gravat. Cor naturâ calidum ſuperna debet petere, pigritia illud frigefacit ac dejicit. Zoroaſtres animum vocabat alatum, ſed alis cadentibus præcipitem, dicebat ferri ad corpus. Pigritia alas abripit, Proverbiorum 26. 15. *Abſcondit piger manum ſub aſella ſua*, (Syrus, in ſinu ſuo) *& laborat ſi ad os ſuum eam converteret*: adeò gravia eſt pigritia torpens. Cor, niſi levetur in cœlum, putreſcit in terra, ut ait ſanctus Auguſtinus in Pſalmum 148. & ſermone 50. de tempore. De impiis ait Iſaias 14. verſu 19. *Deſcenderunt ad fundamenta laci, quaſi cadaver putridum*: & cum illis dicitur deſcendiſſe ſegnis Balthaſar, dum regia ejus civitas obſidetur & capitur. *Piger monachus à cœlo rejicitur.* Moſchus in prato ſpirituali ait, monachum quemdam, cùm paradiſum videret, in eumque vellet ingredi, audiviſſe ab Angelo: *Nemo piger huc ingreditur. Ite, certate, contemnite vanitates ſæculi.* Non aſcendit piger, caret alis & calore ſancto. Contra verò, ut ait Zach. 9. 16. *Lapides ſancti elevabuntur*, ut iis ædificetur Jeruſalem cœleſtis.

42. *Terrena bona ſunt vana. Primò, quia non ſolida.* Quæres ſecundò: Cur bona terrena vocentur vanitas? Ait enim David: *Filii hominum, ut quid* (quare) *diligitis vanitatem!* Id eſt, bona terrena, ut explicat Bellarminus.

Primò, terrena ſunt vana, quia non ſunt ſolida bona, ſed inania & vacua, quæ plus habent tumoris, quàm ſucci & medullæ. Hoc enim propriè ſignificat vanum: nempe quod eſt inane & vacuum. Sic ait Maro libro 1. Georg. *Sed illos expectata ſeges vanis eluſit ariſtis.* S. Thomas in Pſalmum noſtrum: *Temporalia vana ſunt*, inquit, *quia non continent ſolidum bonum.* In Hebræo eſt: Uſquequò diligitis ריק *rich*, inanitatem, vacuitatem, vanitatem. Chaldæus, inania. Rectè à *rich* deduces *richeſſe*. S. Ambroſius libro 1. Off. capite 49. *Quid eſt congregare opes, niſi vanum? Quia caduca quærere, vanum eſt ſatis.* Et infrà concludit: *Quid vanè araneum texis, quæ inanis & ſine fructu eſt, & tanquam caſſes ſuſpendis inutiles divitiarum copias, quæ, etſi fluunt, nihil proſunt, imò exuunt te imaginem Dei, & induunt terreni imaginem?* Alludit ad Iſaiam cap. 59. 4. de ſceleratis dicentem: *Confidunt in nihilo*, (in rebus vanis & nihili: ut ait S. Thomas & Haymo) *& loquuntur vanitates, conceperunt laborem*, (peccatum homicidii & violentiæ in proximum, ut explicat S. Thom. & S. Cyr. vel quodlibet ſcelus: nullum eſt enim, quod doloris non ſit cauſa, ut Hugo) *& pepererunt iniquitatem.* Et magis ad rem ℣. 5. *Ova aſpidum* (viperarum, ſi Aquilæ credimus) *ruperunt, & telas araneæ texuerunt. Telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis: opera eorum opera inutilia.* Idem S. Ambroſius libro de fuga ſæculi, multa hominum opera enumerat, & vana atque inutilia eſſe pronuntiat. *Vanitas circus eſt*, ait, *quia nihil prodeſt. Vanitas eſt equorum velocitas, quia mendax eſt ad ſalutem. Vanitas theatrum eſt, vanitas ludus omnis. Omnia vanitas, inquit Eccleſiaſtes, quæ in hoc ſæculo ſunt. Denique, qui ſalvus eſſe vult, ſupra Mundum aſcendat, &c.* Omnibus cum Salomone dicendum eſt, Prov. 1. 22. *Uſquequò parvuli diligitis infantiam?* Res infantiles, parvas, nugatorias. R. Levi & Aben Ezra: Uſquequò ſimplices ſeducti ab impoſtoribus diligitis infantiam? Chald. & Syrus. Quouſque inſipientes diligitis inſipientiam? In Pſalmo noſtro Euſebius vanitatem interpretatur inſaniam. Et verò, quis ſanæ mentis præferat lutum cœlo, quiſquilias Deo! Et tamen verè dicitur à Jona in ventre piſcis orante, Jon. 2. ℣. 9. *Qui cuſtodiunt vanitates fruſtrà*, (alii vertunt, funes vanitatis) *miſericordiam ſuam derelinquunt*: id eſt, Deum ſuum, qui eſt Fons miſericordiæ & pietatis, ut S. Hieronymus, Rupertus & Vatablus exponunt. Idola ſibi inutilia ponunt pro Deo vanitates illas, ſed audiant Abacuc cap. 2. 18. *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus: conflatile, & imaginem falſam?* (Sept. imaginationem falſam. Non ſunt bona realia, ſed imaginaria) *quia ſperavit in figmento fictor ejus, ut faceret ſimulachra*, (Sept. εἴδωλα, idola) *muta*, quæ ne verbulo quidem poſſunt conſolari. Verſ. 19. additur: *Væ! qui dicit ligno: Expergiſcere. Surge, lapidi tacenti: numquid ipſe docere poterit? Ecce iſte coopertus eſt auro & argento? Et omnis ſpiritus non eſt in viſceribus ejus.* Nihil eſt in idolo intrinſecum, præter lignum putridum & carioſum, intra quod ſunt vermes rodentes: in ſuperficie extima eſt ſplendor ac pretium: Facilè pereunt hæc extrinſeca. *Idola argentea, intus putrida.* Sophon. 1. 11. *Diſperierunt omnes involuti argento*, divites, nobiles, avari. *Involuti argento pereunt.* Nahum 1. 9. *Diripite argentum, diripite aurum*, eſt vox Prophetæ hortantis Chaldæos & Medos ad direptionem Ninives, quam cepit & vaſtavit Nabuchodonoſor: *Et non eſt finis divitiarum ex omnibus vaſis deſiderabilibus.* Sept. ad Pſalmum noſtrum aptè reddunt: *Aggravata ſunt ſuper omnia vaſa concupiſcentiæ ſuæ.* Erant ſcilicet graves corde. Tigurina vertit: Onuſta eſt rebus quibuſque chariſſimis. Ut enim ibi rectè ait S. Hieron. Tantò magis ipſa aggravabatur, quæ gravia diligebat. Ac ℣. 10. *Diſſipata eſt, & ſciſſa, & dilacerata*, ad rem præſentem faciunt Hebraica, in quibus eſt inſignis annominatio: *buka, mebuka, mebulaka*, id eſt, *vacuitas, & evacuatio, & laceratio.* Hoſtis nihil relinquit in penetralibus, intima quæque diripit atque ſpoliat: unde additur, *cor tabeſcens.* (Chald. & Vatablus, *cor liquefactum*, diffluit ad exteriora, ſit tanquam cera liqueſcens) *& diſſolutio geniculorum.* Tigurina, tremor genuum, Pagninus, colliſio genuum. Extrinſeca non ſubſiſtunt, cùm interiora enervantur & evacuantur.

43. *Terrena nihil ſunt.* Terrena omnia nihil ſunt, & ad nihilum amatores ſuos redigunt, Iſaiæ 41. 24. *Ecce vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo, quod non eſt*: id, quod facitis, nihil eſt, nullius eſt valoris aut momenti. Hebr. מאפע *me apha*, ex nihilo, ut Pagninus & Arias vertunt. 2. Minùs ſibilo, ſeu *præ ſibilo*, ut Furſterus & Forerius. 3. *Opus veſtrum opus eſt ſerpentum, qui lædunt proximos ſibi*: ut vertit R. Moſes, qui cenſet *ephe* ſeu *apha* eſſe genus ſerpentis: & quidem אפעה *ephe* eſt genus ſerpentis. S. Hieronymus transfert viperam & regulum. Itaque, qui ſectantur vanitates, nihil ſunt boni, ſed ſunt pleni veneno, & ſibi & aliis peſtifero. Addit Iſaias verſ. 29. *Ecce omnes injuſti, & vana opera eorum*, (ex vano corde oritur vanum opus) *ventus & inane* (תהו *tohu*, res informis, ut reddit Vatablus: deſolatio, ut R. David in libro radicum) *ſimulachra eorum.* Pagninus totum verſum ſic reddit: *En omnes ipſi*, און *aven, vanitas ſunt* אפס *ephes, nihil operis eorum: ventus & inane conflatilia eorum.* Idola ſunt, non res, ſimulachra & apparentia tantùm, non veritas conflata ex fluxis, non exſtantibus bonis. Itaque peccatores increpat Amos 6. 14. *Lætamini in nihilo.* Pagn. vertit, *in non aliquid*, id eſt, in eo, quod non eſt aliquid. Arias, *in non verbo*, id eſt, in non re, ſecundùm phraſim Hebraicam. Sumunt enim *dabar*, verbum, pro re, idque ſæpiſſimè. Symm. *lætamini*, ἀλόγως, *irrationabiliter.* Quid enim magis rationi contrarium, quàm pro terra rubra Deum relinquere? Oſee nos admonet cap. 4. 15. *Nolite ingredi in Galgala, & ne aſcenderitis in Bethaven*, id eſt, in Bethel, ubi Jeroboam Rex Iſraël poſuerat vitulum aureum adorandum, ut cenſent S. Hieron. S. Cyrill. Theophyl. Haymo & Lyranus. Nota, Bethel ſignificat domum Dei, ſic dicta eſt à Jacob ob viſam ſcalam è terra in cœlum pertingentem, in qua erat Deus & Angeli: Bethaven autem ſignificat *domum idoli, domum vanitatis*: ob idola. Mundus hic eſt domus Dei, in qua providentiæ ſuæ ſcalam erigit, ut per eam Sanctos ſuos in cœlum deducat: ſed fit Bethaven, per amorem terrenorum idolorum, ac præſertim aureorum.

44. *2 Terrena vana ſunt, quia citò tranſeunt.* Secundò: Terrena bona ſunt vana & ipſa vanitas, quia citiſſimè illa ipſa ſpecies, quam oſtentant tranſit atque evaneſcit. Beda in Pſalmum noſtrum:

Terrena,

Terrena, inquit, *dicuntur vana, quia tranſitoria & labilia, velut umbra.* Jonæ 4. 5. *Egreſſus eſt Jonas de civitate* (de civium unitate: Jonas ſignificat dolens: qui è corde ſuo ad exteriora egreditur, anxiatur) *& ſedit contra Orientem civitatis*, (id eſt, Ninives: oſculatur avarus & ambitioſus manum ſuam, & adorat Solem orientem & ejus lucem: אור *or* lucem ſignificat: auri ſplendorem omnes aſpiciunt atque venerantur) *& fecit ſibimet* (hic eſt amor proprius) *umbraculum ibi: & ſedebat ſubter illud in umbra, donec videret, quid accideret civitati*, quam everti cupiebat, ne videretur mendax. Alios non curant avari & ſuperbi, modò ſint in umbra; & quia ſunt in umbra, non in veritate. Sed citò illæ umbratica diſparent, licèt multiplicentur. Verſu quidem 6. nova umbra conceditur Jonæ. *Et præparavit Dominus Deus hederam*, (Syr. & Arabs, cucurbitam) *& aſcendit ſuper caput Jonæ*, (avaris divitiæ, non divitiis avari dominantur) *ut eſſet umbra ſuper caput ejus*, (ſic lumen Solis eripit) *& lætatus eſt Jonas ſuper hedera lætitia magna.* Sed verme matutino intus rodente, hedera ſeu cucurbita, id eſt, vana mundi gloria & voluptas, exareſcit: & ventus calidus & urens, id eſt, dolor vehemens, Jonam ita affligit: ut mortem optet. Deus optimam rationem areſactionis reddit verſu decimo: *Sub una nocte nata eſt, & ſub una nocte periit.* Hebr. filia noctis erat, & filia noctis periit. Hoc de voluptatibus commodè dicetur: filii lucis amant lucem, filii tenebrarum eam fugiunt, & mœrorem reperiunt, nec viam habent evadendi. De ſingulis mundi bonis, & de eorum vanitate, pauca dicamus.

45. Primò, divitiæ ſunt fluxæ, inſtar aquæ.

1. Divitiæ fluxæ ſunt, ut aqua. Nahum. 3. ℣. 8. Niniven alloquens ait: *Numquid melior es Alexandria populorum*, (hoc eſt, populoſa) *quæ habitat in fluminibus?* Juxta Canopicum Nili oſtium ſita ab ortu & occaſu cingitur Nilo, qui in varios ſectus rivos urbem interluit, atque in illa multas inſulas efficit. Strabo lib. 14. vocat urbem potentem & populoſam, *aquæ in circuitu ejus: cujus divitiæ, mare*, (Tigurina, cujus propugnaculum, Pagn. antemurale, Chald. murus eſt mare) *aquæ muri ejus.* Solinus cap. 35. Alexandria, inquit, inſidioſo acceſſu aditur, fallacibus vadis, cæco mari, tribusque tantùm canalibus admittit navigantes. Ita ipſe: pergit Nahum ℣. 9. *Æthiopia fortitudo ejus, & Ægyptus*: à nigredine & caligine ſibi vires quærit avarus: per fas & nefas lucrum captat. S. Bern. epiſt. 103. *Væ, væ, ait, vapor eſt ad modicum parens, quod æternæ felicitatis aditum intercludit, quod perennis luminis incircumſcriptam claritatem abſcondit.* Ægyptum aliqui tenebras interpretantur.

46. Secundò, honor eſt aquæ bulla citò deſidens.

2. Honor quoque, eſt aqua tranſiens. Oſeæ 10. verſu 7. *Tranſire fecit Samaria regem ſuum, quaſi ſpumam* (Symm. ἐπίζεμα, ebullitio, fervefactio, ferventis ollæ ſuperiores aquæ, bullæ ſurgentes in aqua bullienti: elatæ ſunt, ſed bulliunt, & citò cadunt, & aliquando in ignem & cineres aut in fumum abeunt) *ſuper faciem aquæ.* Rex ille Samariæ fuit Oſee, qui à Salmanaſar victus eſt anno regni ſui nono, quo totum regnum Iſraël funditus extinctum eſt. Arabs Antioch. vertit, deſpexit Samaria regem ſuum, quaſi herbam ſuper aquas: id eſt, ut algam in aquis fluitantem & ſpuma plenam: Syrus, quaſi paleam. Vento ſcilicet agitatam. Vide Pſalm. 1. ℣. 4. Idem Propheta Oſeas capite nono, pſeudoprophetas vanitatem ſectantes vocat viros venti. Ubi enim habemus verſu ſeptimo: *Scitote Iſraël ſtultum Prophetam, inſanum virum ſpiritualem.* Hebraicè eſt, *virum venti*, id eſt, ventoſum, & vanum, dicimus *un vanteur*, qui ſe ſuaque jactitat, ut laudetur. Syrus: *Virum qui amictus eſt ſpiritu ſtoliditatis.* Jactantia ſtultitiam ac levitatem mentis notat. Arabs, ſicut homo indutus ſpiritu malo. Hypocrita eſt dæmon cornua occultans & ſe transfigurans in Angelum lucis.

Job. 20. ℣. 5. *Laus* (Septuaginta, lætitiæ) *impiorum brevis eſt, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Sept. gaudium iniquorum perditio. *Si aſcenderit uſque ad cœlum ſuperbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit. Quaſi ſterquilinium* (Arias, velut ſtercus) *in fine perdetur.* (Pſalmo 82. 11. facti ſunt ut ſtercus terræ) *Velut ſomnium avolans non invenietur: tranſiet ſicut viſio nocturna.*

47. Eruditi & vani ſunt: 1. Cymbalum tinniens.

Doctos & vanos vocat Apoſtolus *æs ſonans aut cymbalum tinniens.* 1 Corinthiorum 13. ἀλαλάζον, clamans alala, clamorem tollit ſuperbus cum animi alacritate & exultatione ſibi gratulans, id propriè eſt ἀλαλάζειν apud Plutarchum in Publicola. Iſaias nuncupat cymbalum alatum, id eſt, alatum, in aëre & vanitate volans, ventis ſubvectum & ſonans, capite 18. 1. *Væ terra* (animæ terrenæ) *cymbalo alarum* (Hebr. צלצל *ſilſel*, Pagninus vertit, umbram: *ſel* enim umbram ſignificat: *ſilſel* itaque erit velut umbra geminata: Noſter vertit cymbalum. Sept. reddunt, *væ terra navium alarum*, id eſt, alatarum: R. David in commentario vertit, *ô terra inumbrans alis.* Ob multitudinem enim navium, in quibus velut obumbrantia tenduntur, cùm ambulant, ſimilis erat terra avibus volantibus ſuis alis. Chaldæus vertit: *Væ terra ad quam veniunt cum navibus è terra longinqua, & vela ſua extendunt, ut aquila volans alis ſuis.* De ultima Æthiopum terra agi patet) pergit enim Iſaias, *quæ eſt trans flumina Æthiopiæ.* Superbus non eſt in aquis Jordanis, id eſt, fluvii judicii cum Chriſto & ſancto Joanne, ideò non baptizatur & lavatur, nec videt cœlos apertos, neque columbam deſcendentem: ſed cum Æthiopibus nigredinem contrahit, quæ lavari non poteſt. *Qui mittit in mare legatos & in vaſis papyri* (in navibus ex frutice papyro factis) *ſuper aquam.* Itaque omnia ibi fragilia ſunt.

2. Cymbalum alatum.

48. Tertiò, voluptas citò tranſit. Naves poma portantes.

3. Voluptates quoque vanæ ſunt, quia citò tranſeunt. Jobi 9. ℣. 26. *Dies mei pertranſierunt, quaſi naves poma portantes.* Hebraicè, *quaſi naves* אבה *ebe, voluntatis*: id eſt, voluntariæ, ultro & ſponte currentes ac navigantes. Pagninus in Theſauro, *cum navibus concupiſcentiæ*: id eſt, concupiſcibilibus. Corpora noſtra ſunt naves & concupiſcibiles & concupiſcentes, ferunt poma, id eſt, fragilia bona, robur, pulchritudinem, agilitatem, aliaque citò tranſeuntia cum tranſeuntibus. Sym. vertit, *quaſi naves feſtinantes.* Pagn. in ſua verſione, *cum navibus rapidiſſimi fluminis*; putavit etiam R. Salomon: *Ebe* eſſe nomen fluvii velociſſimi, per quem naves celeriter currunt. R. Mithridates reddit, *naves piratarum.* Concupiſcentia oculorum & carnis eſt pirata pernicioſiſſimus. Alii vertunt, naves inimicitiarum, id eſt, inimicorum ſeu hoſtium: Alii, naves deſiderii, id eſt, portum deſiderantes. Naves illæ poſſunt aſſignari quinque,

49. Quintuplex in homine vanitas. 1. Cordis.

ob quinque ſenſus corporis, aut ob quinque vanitates. Prima eſt vanitas cordis, ut ait Ugo Pſalmo 2. 1. *Populi meditati ſunt inania.* Pſalmo 93. *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* S. Cyprianus de bono patientiæ, legit, cognovit Dominus *cogitationes ſapientium, quia ſunt ſtultæ.* S. Proſper ad Demetr. quoniam vanæ ſunt. Tertull. lib. 5. contra Marcionem cap. 6. quòd ſint ſupervacuæ. Si id verum eſt de cogitationibus ſapientium, quid erunt cogitationes aliorum? Ne ſis ſapiens apud temetipſum, & eris ſolide Deo plenus, non vento inani & exinaniente. Secunda vanitas eſt oris. Pſalmo 11. 2. *Vana* (S. Hier. fruſtra) *locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum.* Tertia eſt vanitas operis. Iſaiæ 47. 14. *Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit eos.* Quarta eſt vanitas eſſentiæ. Job. 14. 2. *Qui quaſi flos egreditur & conteritur.* Sept. tanquam flos efflorеſcens decidit. Quinta denique eſt vanitas cupiditatis temporalium. Eccle. 1. 2. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Arabs, univerſitas rerum vana. Jerem. 2. 5. *Ambulaverunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt.*

2. Oris.

3. Operis.

4. Eſſentiæ.

5. Cupiditatis.

Peccatum eſt vanitas.

Peccatum, ut ait S. Thomas ibi, dicitur vanitas. Primò, quia phantaſticum eſt in eligendo. Pſalmo 39. 5. Beatus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus: & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas. 1.
Secundò, quia tranſitorium eſt in permanendo. 2.
Pſalmo 77. 33. Defecerunt in vanitate dies eorum.

Digitized by Google

3. Tertiò, quia fallax eſt in expectando. Eccli. 34. 1. Vana ſpes & mendacium viro inſenſato: & ſomnia
4. extollunt imprudentes. Quartò, quia infructuoſum eſt in conſequendo, ut rectè uſurpent illud Iſaiæ 49. 4. In vacuum laboravi, ſine cauſa, & vanè fortitudinem meam conſumpſi.

50. Triplex eſt mendacium.

Quæres tertiò: Cur terrena bona dicuntur mendacium? Reſpondeo, triplex eſſe mendacium: 1. Materiale, cùm falſum quis profert. 2. Formale, cùm habet voluntatem proferendi. 3. Effectivum, cùm habet voluntatem falſitatem, quam dicit, alteri perſuadendi. Terrena autem, triplex illud mendacium habent.

Illud habent terrena.

1. Nam primò, promittunt *quod non habent*. Secundò, *volunt falſum promittere*.
2. Tertiò, falſitatem illam nituntur perſuadere aſſeclis ſuis. Pſalmo 61. ℣. 10. *Vani filii ho-*
3. *minum* (S. Hieronymus, *vanitas filii Adam*. Sic Pſalmo 38. 6. dicitur univerſa vanitas omnis homo vivens. Vide ibi dicta) *mendaces filii hominum, decipiant ipſi de vanitate in idipſum*. S. Hier. *in ſtateris doloſis fraudulenter agunt ſimul*. Terrena non habent tantùm formale mendacium, ſed etiam effectivum; ſed in hoc vana ſunt. Chald. vertit, Si acceperint homines ſtateram ponderantes fata ſua, illi quidem *ipſamet vanitate erunt leviores*. Itaque ait Jeſus filius Sirach Eccli. 34. 1. *Vana ſpes, & mendacium viro inſenſato, & ſomnia extollunt* (Græcè, ἀναπτεροῦσι alatos faciunt, ſed alis Icari) *imprudentes. Quaſi qui apprehendit umbram, & perſequitur ventum*, (Syr. *& volare facit avem*, vento & aëre elatam) *ſic & qui attendit ad viſa* (Græce, ἐνύπνια, ad inſomnia) *mendacia*.

51. Mundus eſt civitas mendacii.

Mundus eſt *civitas Aczib*, id eſt, civitas mendacii, ubi omnes exponunt venales merces mendaces, ait enim David Pſalmo 11. 2. *Ego dixi in exceſſu meo*, (Pſalt. Rom. Caſſiod. S. Gregorius, S. Petrus Damiani legunt, in exceſſu mentis meæ, id eſt, in extaſi mea, ut habet Pſalterium vetus, S. Auguſtinus & S. Proſper) *omnis homo mendax*. Aquila vertit, διάψευσμα, *mendacium*, ut etiam reddit S. Hieronymus. Homo eſt ipſum mendacium, & ex eo totus eſt conflatus in corde, ore & opere: eſt vanitas vanitatum, id eſt vaniſſima. Habitat orbem mendacii, nempe Mundum mendacem & vanum. Michææ 1. ℣. 14. *Propterea dabit emiſſarios ſuper hæreditatem Geth*, (Hebraicè, *ad Mareſa Geth*. Mareſa fuit urbs Gethæis ſubjecta, & ſignificat hæreditatem) *domus mendacii* (Hebraicè, Aczib) *in deceptionem regibus Iſraël*: quaſi diceret, urbs Lachis mittet, emiſſarios, id eſt, legatos, ad Mareſa urbem ſibi propinquam, quæ eſt hæreditas Gethæorum, ut ab ea auxilium petat contra Sennacherib: ſed erit ipſi Aczib, id eſt, mendacium: promiſſa enim non præſtabit. Alludit Propheta ad urbem Aczib, quæ erat in tribu Juda. Joſue decimo quinto, verſo quadrageſimo quarto: *Et Ceila, & Aczib, & Mareſa*. Unde in Michæa vertit Arabs: *Domus deceptionis* factæ ſunt deceptio regibus Iſraël. Syr. verò: *Domus vanitatis* factæ ſunt in vanitatem regibus Iſraël. Tropol. reges Iſraël ſunt ii, qui cupiditatibus ſuis dominantur, & ſunt viri Deum videntes: qui tum actione, tum contemplatione excellunt: illis ipſis, niſi aquilarum oculis & columbarum res terreas intueantur, domus vanitatis fit domus deceptionis. Ibi *fallacia divitiarum* ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur. Matth. 13. 22. In ea urbe manent, & concionantur Pſeudo Prophetæ, de quibus Deus, Ezech. 13. 9. Erit manus mea ſuper Prophetas, *qui vident vana, & divinant mendacium*: unum ex altero ſequitur: loquuntur enim id, quod vident. Agit de iis, qui decipiebant populum Iſraël in captivitate Babylonica. Hîc nos in exilio Babylonis, id eſt, confuſionis, vivimus.

In ea urbe mendacii varia ſunt mendacia.

In ea urbe mendacii varii varia proponunt mendacia. Alii diverſis fallaciis oculos faſcinant, alii auribus illudunt, alii guſtum fallunt, alii tactum, alii odoratum. Hi ſuavitatem, alii robur, ſcientiam illi, illi ſtabilitatem, alii alia, ſed omnes felicitatem pollicentur, nulli veritatem loquuntur, aut præſtant.

52. 1. Delectatio promittitur ab amaris rebus.

Primò, delectationem & ſuavitatem in magicis quibuſdam phialis oſtentant, ad quas omnes bibituri advolant, ſed vertigine ſtatim laborantes pro ſuavitate amaritudinem percipiunt. Proverbiorum vigeſimo tertio verſu trigeſimo primo: *Ne intuearis vinum, quando flaveſcit, cùm ſplenduerit in vitro color ejus*, (Chald. ſplendor ejus. Hebr. *oculus ejus*, quo tibi blandè arridet, te intuetur, ut te decipiat, & tu illum) *ingreditur blandè. Sed in noviſſimo mordebit ut coluber: & ſicut regulus* (Syrus, velut coluber. Chald. aſpis. Sept. ceraſtes) *venena diffundet*. Verſum integrum ſic explicat Syrus, cogita mœſtitias: quia finis vini eſt ſicut plaga colubri, & ſicut regulus, qui volat. Joan. 2. 10. dicit Architriclinus (id eſt, menſarum atque convivii præfectus, qui modimperator apud Gentiles vocabatur) in Cana Galilææ: Omnis homo *primùm bonum vinum* ponit & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt. Sed Mundus ne primùm quidem vinum bonum ponit: ſed vel offert poculum aureum meretricia Babylonicæ, *plenum abominatione & immunditià*. Apocal. 17. 4. vel vappam acidam. Oſeæ 3. 1. *Ipſi reſpiciunt ad deos alienos*, (non tantùm audiunt, ſed quærunt mendacium) *& diligunt vinacea uvarum*. Vinacia ſunt folliculi ſeu pelliculæ uvarum, quæ in torculari expreſſa uva vinoque defluente remanent. De illis Plinius libro 14. verſu 10. *Non poſſunt jure dici vina, quæ Græci deuterias appellant, Cato & nos loram, maceratis aqua vinaceis: ſed tamen inter vina operaria numerantur*. Joël. 1. 5. Monet ſeverè, expergiſcimini ebrii, & flete, &c.

53. 2. Stabilitas à fugacibus.

Secundò, bona terrena, & illa venditantes, promittunt ſtabilitatem, & ſunt fugaciſſima. Oſeæ 12. verſu 1. *Ephraim paſcit ventum*, (& vento ac ventoſis paſcitur. Ephraim, id eſt, fructificans, eſt avarus dives) *& ſequitur æſtum; totà die mendacium & vaſtitatem multiplicat*. Ad literam. Ephraim, id eſt, decem tribus Iſraël, paſcit ventum, hoc eſt, pendit tributa Salmanaſar regi Aſſyriorum, à quo ut vento vehementi conturbatur, & non recreatur. 2. Sequitur æſtum, id eſt, fugit in Ægyptum, ſitam in parte meridionali & calidiori, ut aliquam conſolationem & opem reperiat in Sua rege Ægypti mita pollicente. 3. Mendacium multiplicat, mentiendo Aſſyriis initio ſuſpicantibus eum quærere opem in Ægypto, & moliri defectionem: deinde prorſus eos deſerendo contra fidem datam. 4 Multiplicat vaſtitatem, qui jam attritus à Phul & Teglathphalaſar regibus Aſſyriis, funditùs deletus eſt à Salmanaſar. Hunc ſenſum aperit Oſeas, cùm ſubdit: *Fœdus cum Aſſyriis iniit, & oleum in Ægyptum ferebat*: ut ſcilicet donis ſuis ad ſe Ægyptios alliceret. Per oleum ſynecdochicè alia dona intellige: olei autem fit mentio, quia eo carebat Ægyptus, abundabat Samaria urbs regia decem tribuum, & quidem optimo. Tropologicè autem paſcit ventum, qui ambitioſa ſectatur: idem dicimus, reti aureo ventos venari, id eſt maximo labore & ſumptu inania ſectari. 5. Sequitur æſtum luxurioſus. Septuaginta vertunt: *Spiritus malus* (id eſt, voluntas mala, ait Theod.) *perſecutus eſt καύσωνα*: hoc eſt, æſtum, ardorem nimium; καύσων enim 1. Significat apud Dioſcoridem, ardorem, æſtum, calorem nimium. 2. Apud Hippocr. & alios, febrem ardentem, καύσων, ait, Ariſtoteles, morbus eſt, quo pars extima corporis levicula febri calet, intima tamen ferventiſſimo calore æſtuant. Febris noſtra, ait ſanctus Ambroſius, luxuria eſt. Vaſtitas ex his ſequitur; unde tot naufragia & ruinas divitum vidimus: tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant. Seneca ſapienter monet Epiſtolà octuageſimâ quartâ: *Præteri iſtos gradus divitum, & magno aggeſtu ſuſpenſa veſtibula; non in prærupto tantùm iſtic ſtabis, ſed in lubrico*. S. Antonius ſermone ultimo de vanitate Mundi: Multi potentium, inquit, ante præfinitum tempus, *more canum* in infernum detruſi ſunt, & judices ab infimis judicati ſunt, & divites eguerunt, & ſapientes in ſtultitiam devoluti ſunt. Potens invalidus effectus eſt: & qui incolumis erat, infirmatus eſt. Qui cantabat, lamentatur & plangit; & qui principatum obtinebat, eo privatus eſt; *nihilque firmum manet ac ſtabile*, quia nihil boni reperitur in Mundo, ita S. Antonius. Quatuor ſimilitudines affert S. Barlaam,

laam, ut Juſaphato Regis filio vanitatem & inſtabilitatem bonorum Mundi declaret; *Non ſecùs ac pulvis à turbine, ad alios atque alios ſubinde perflantur, & viciſſim jactantur. 2. Aut fumi inſtar defluunt. 3. Ac velut inſomnium homines ludificantur. 4. Atque ut umbra retineri nequeunt: ac denique ita naturâ comparata ſunt, ut nec, cùm adſunt, ea ſe habituros homines deſperent; nec, cùm adſunt, poſſidentibus certa & ſtabilia ſint.* Ita S. Damaſc. in eorum vita, cap. 15. Pereunt tandem omnia, Job. 20. 15. *Divitias, quas devoravit,* (Sept. divitias iniquè congregatas) *evomet.*

54.
3. Quies à turbulentis.

Tertiò, bona terrena promittunt requiem, & ſingulis diebus, quò magis creſcunt, augent laborem: tum ut retineantur, tum ut augeantur, Oſeæ 12. 7. *Chanaan, in manu ejus ſtatera doloſa, calumniam dilexit*, id eſt, mendacium & oppreſſionem. Sept. καταδυναστεύειν ἠγάπησε, opprimere per potentiam amavit. Arabs, pro ſtatera doloſa habet, *ſtatera oppreſſionum* eſt in manu Chanaan, Id eſt, Ephraim ſeu Iſraël & decem tribuum, quæ ab Oſea vocantur Chanaan ob impietatem, ut Ezech. 16. 3. Tropol. Chanaan ſunt ſcelerati mercatores: unde Sept. reddunt: *Ne ſitis ſicut mercatores, in quorum manibus ſunt balances doloſæ, rapinæ ſtudentes.* Sicut ergò ſervi vocantur Phryges, fures, Lacones, guloſi & delicioſi, Sybaritæ, infames, Ambrones: ita Impii & injuſti mercatores vocantur Chananæi, ait Cornelius: & quidem Hebr. כנעני *chenaani*, mercatorem ſignificat. Terribile eſt, quod dicit Author Operis imperfecti hom. 38. in Matth. *Ejiciens Dominus vendentes & ementes de templo, ſignificavit, quod mercator nunquam poteſt Deo placere: & ideò nullus Chriſtianus debet eſſe mercator.* Hoc eget benignâ interpretatione. Lege S. Thomam 2. 2. quæſt. 77. ubi docet, quomodo liceat negotiationem exercere, & locum illum, quem S. Chryſoſtomo tribuit, explicat: ſed non arbitror S. Chryſoſtomum ſcripſiſſe Opus illud imperfectum in Matth.

Inducit deinde Oſeas avarum loquentem, & ſibi ob lucra applaudentem, ℣. 8. *Et dixit Ephraim: Verumtamen dives effectus ſum, inveni idolum mihi.* Hebr. reperi און *on*, 1. Pagn. vertit, *divitias.* 2. Arias, *robur.* 3. Sept. *requiem.* 4. Chald. *rapinam*, dives aut iniquus eſt, aut iniqui hæres, ut eſt in parœmia, quod intellige ordinariè, non ſemper. 5. Inde etiam ipſe ſibi dolorem affert. Ex Chald. poſſis vertere, *vim*, quam ſcilicet ſuo domino divitiæ inferunt. Nam, ut ait S. Gregor. Naz. orat. 14 χρυσὸς ἀφανὴς τύραννος: *Aurum eſt occultus tyrannus, per quem multa ſurſum deorſumque,* μεταρριπτεῖται καὶ πεττεύεται, *velut in talorum ludo jactantur.* Hinc, ut teſtatur Solinus cap. 36. A Suſis Babytace oppidum centum triginta quinque millibus paſſuum diſtat, in quo mortales univerſi *odio auri* coëmunt hoc genus metalli, *& abjiciunt in terrarum profunda*, ne polluti ejus uſu, avaritiâ corrumpant æquitatem. Ita ibi. Lege Plin. lib. 6. cap. 27. lib. 33. cap. 1. & 3.

Aurum eſt tyrannus.

Quærunt tamen homines illud mendacium tanto ardore, ut Philoſophus ille rogatus: cur palleret aurum? Acutè reſponderit: Ex metu, quia omnes ei inſidiantur. Facetè quidam diabolum pinxit argenteum, ad quem plurimi arcu intento tela dirigerent, & vernaculè inſcripſit: *Tout tirent à ce diable d'argent*, ſed verè aurum & argentum eſt diabulus plurimos tentans, attrahens, & perdens.

Pergit Oſeas in perſona populi Iſraël: *Omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem, quam peccavi.* Hebr. עון *avon*, iniquitatem. Lyranus vertit, expiationem iniquitatis, q. d. multum laborabo, nec tamen potero expiare ſcelera, ſed ob illa puniar, Chald. reddit aptiſſimè ad Pſalmum noſtrum: *Omnes divitiæ veſtræ non permanebunt vobis in die retributionis peccatorum.* Et Sept. omnes labores ejus non invenientur ei propter iniquitates, quibus peccavit: ſicut David ait Pſ. 75. 6. *Nihil invenerunt omnes viri divitiarum* (à divitiis poſſeſſi, non eas poſſidentes) *in manibus ſuis.* Vide illum locum.

Addit idem Propheta Oſeas, verſ. 11. *Si Galaad idolum, ergò fruſtrà erant in Galgal bobus immolantes.* Nota, Galaad erat urbs & regio trans Jordanem, quæ ad decem tribus pertinebat, & data fuerat à Moyſe tribui Ruben & Gad, ac dimidiæ tribui Manaſſe, eam ſibi depoſcentibus. Ibi poſuerant Iſraëlitæ idola, immemores beneficiorum Dei: ideò ab Aſſyriis, quibus erant viciniores, primi in captivitatem abducti ſunt. 4 Reg. 15. 29. devicti à Teglatphalaſar, Rege Aſſyriorum, qui fuit filius Phul; unde dictus eſt Phul-Aſſar: vel, Tegbu Phul-Aſſar, & ſignificat Hebr. ut ait Pagn. in nomine Hebr. *captivitas mirabilis legationis.* Aſſyriorum autem & Chaldæorum lingua ab Hebraica ducit originem, & eſt illi affinis. Galgal ſeu Galgala erat urbs cis Jordanem, & pertinebat ad tribum Juda, ut ait S. Hier. ibi quoque idola collocata ſunt, quòd locus eſſet celebris. Nam ibi facta erat circumciſio generalis à Joſue in ingreſſu terræ promiſſæ. Nota, pro *idolum* eſt Hebr. און *aven*, quod ſignificat vanitatem, mendacium, laborem, fatigationem; unde Vatab. vertit: *Si in Galaad iniquitas vel vanitas fuit, utique vani facti ſunt, qui in Galgal bobus ſacrificârunt.* Nota etiam paronomaſiam inter *on*, quo uſus eſt in verſu 9. & *avon*, & avem, quæ tria ſignificant, & peccatum, & pœnam peccati. Denique Oſeas habet verſ. eod. 11. *Et* (id eſt, idcircò) *altaria eorum quaſi acervi ſuper ſulcos agri*, q. d. eorum altaria diruentur, & erunt inſtar acervi lapidum in agro. Judæi, cùm haberent terram ſaxoſam, lapides ex agris tollebant, ut arare poſſent: atque ex illis lapidibus acervos faciebant prope agros ſuos; & hoc vocant agricolæ exoſſare agros: quia lapides idem ſunt in agris, quod oſſa in hominibus. Symbolicè lapis in corde peccatoris eſt gravitas obſtinationis, & pondus doloris. Ut non recedas ab aratore & ejus labore. Iſaias dicit cap. 5. 18. *Væ! qui trahitis iniquitatem in vinculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Et Oſeas cap. 10. 11. *Ephraim vitula docta diligere trituram*, id eſt, grana excuſſa per triturationem. *Et ego tranſivi ſuper pulchritudinem colli ejus:* tomentes cervicum toros jugo impoſito edomans, ut ait Hier. Et verſ. 13. addour: *Araſtis impietatem*, (Hebr. חרשׁ *aras*, ſignificat propriè arare: metaphoricè verò, tacitè & in ſilentio machinari, fabricari, cogitare. Itaque arare impietatem, eſt illam parare, verſare mente, ſemen illius ſuſcipere, retinere, germinare facere) *iniquitatem meſſuiſtis*, id eſt, pœnam iniquitatis, ut ait Theophylactus. 2. Iniquitatem in Deum & proximum feciſtis, ut explicat S. Hieron. de peccato foras ad opus prodeunte hoc dicitur: *Comedìſtis frugem mendacii*, hoc eſt, mendacem & fallacem, quæ plus promittebat in germine, quàm dedit in meſſe: S. Greg. hom. 36. in Evang. hanc dat differentiam deliciarum corporalium & ſpiritalium. In illis, ait, appetitus placet, experientia diſplicet: in iſtis appetitus vilis eſt, & experientia magis placet. In illis appetitus ſaturitatem, ſaturitas faſtidium generat. In iſtis autem appetitus ſaturitatem, ſaturitas appetitum parit. Hæc Greg.

Quartò denique, bona terrena felicitatem pollicentur, & qui illa quærunt, ſe felicitatem quærere inclamant, & reperiſſe cùm illa invenerint, Pſ. 143. 15. *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt.* Vide ibi dicta. Sed quærunt & reperiunt mendacium, ut piè S. Auguſt. meditatur ſerm. 141. de Tempore, ubi aſſerit, nullum eſſe hominem etiam latronem, ſceleratum, fornicatorem, maleficum, ſacrilegum, omnibus vitiis inquinatum, omnibus flagitiis ſeu facinoribus obrutum, qui non velit beatè vivere. Tum ad Auditores ſuos converſus, ait: *Scio, omnes vultis beatè vivere; ſed unde homo beatè vivat, hoc non vultis quærere. Quæris aurum: quia putas te de auro beatum futurum, ſed aurum te non facit beatum. Quare quæris mendacium? Quare vis in iſto ſæculo eſſe ſublimatus? Quia honor hominum & pompa ſæculi non te fecit beatum. Quare quæris mendacium? Et quicquid hic aliud quæris, cùm ſæculariter quæris, cùm amando terram quæris, cùm lingendo terram quæris; proptereà quæris, ut ſis beatus. Sed nulla res terrena te facit beatum. Quare non ceſſas quærendo mendacium?* Et poſteà ſubtexit: *Bonam rem quæris, ſed terra iſta non eſt regio ejus rei,*

55.
4. Terrena promittunt felicitatem, quam non habent.

quam

quam quæris. Quid quæris? Beatam vitam: ſed non eſt hic. Aurum ſi quæreres in illo loco, ubi non eſt; ille qui noviſſet, quia ibi non eſt, nonne diceret tibi: Quid fodis? Quid terram ſollicitas? Foſſam fodis qua deſcendas, non ubi aliquid invenias. Quid ei reſponſurus admonenti te? Aurum quæro. Et ille: non dico tibi: Nihil eſt quod quæris: Sed non eſt ibi quod quæris. Sic & tu quando dicis: Beatus eſſe volo, bonam rem quæris, ſed non eſt hic, &c.

Hinc meditationem vanitatis mendacis rerum terrenarum utilem eſſe ita cenſebat S. Auguſt. ut lib. 9. Confeſſ. cap. 4. dicat, optare, ſe Pſalmum noſtrum ac ſimiles recitare toto Orbe terrarum adverſus typhum, id eſt ſuperbiam generis humani. Et S. Chryſoſtom. hic ait: *Equidem vellem invenire, σκοπιὰν ὑψηλὴν, ſublimem quamdam ſpeculam, quæ omnia mihi hominum genera ſubjecta monſtraret, Vellem etiam dari mihi vocem ejuſmodi, quæ ab ultimis uſque totius Orbis terrarum finibus exaudiri, πάντη περιηχοῦσαν τὴν γῆν, & ad omnium qui vivunt aures, pervenire poſſet: ut & gemens ac vociferans Davidicum illud ſumma contentione vocis ederem. Filii hominum uſquequò gravi corde: ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* S. Petrus Damiani multus eſt paſſim in hac hominum deplorandа cæcitate, ac præſertim opuſculo 31. contra phylarg. & munerum cupiditatem.

ARTICULUS IV.

Deus Sanctos ſuos mirabiles per miſericordiam efficit.

Verſ. 4. 56. Deus Davidem mirabilem effecit. HOſtes ſuos David monuit præcedenti verſu, fruſtrà eos vana in ſe agitare conſilia, cauſam affert, quia à Deo honoratur & exaltatur, Verſ. 4. ET SCITOTE QUONIAM MIRIFICAVIT DOMINUS (S. Auguſtin. magnificavit, S. Hieron. mirabilem reddidit) SANCTUM SUUM: DOMINUS EXAUDIET ME, CUM CLAMAVERO AD EUM. q. d. Tantum abeſt, ut me poſſitis deprimere, intercipere, in manus Saulis mactandum tradere: quin potiùs ſcire debetis me à Deo hactenus fuiſſe mirabiliter adjutum & exaltatum.
1. 1. Ob donum prophetiæ mihi datum. 2. Ob
2. unctionem per manus Samuelis Prophetæ. 3. Quòd
3. ſim factus gener Regis propter Michol mihi datam
4. in uxorem. 4. Ob varias pugnas feliciter in Phi-
5. liſthæos geſtas. 5. Ob amorem Jonathæ primogeniti
6. Regis. 6. Ob varias evaſiones mirabiles ab ira Saulis
per providentiam ſpecialem, quam Deus conſtanter tenebit, donec ad ſceptrum perveniam. Nota primò, loquitur hic David de ſe in tertia perſona, quod ſæpè efficit, cùm præſertim aliquid ad laudem affert: id autem eſt animi modeſti & inanem gloriam fugientis. Nota ſecundò, *ſanctum* ſe vocat, id eſt Deo ſingulariter in unctione ad regnum per Samuelem ſanctificatum & conſecratum. Tunc enim mirabilis effectus eſt, & admirationem omnibus excitavit, quòd Primò eum eſſet inter fratres ſuos adhuc viventes octavus, parvulus corpore præ illis, natus tantùm annos viginti, illis prælatus ſit abſens

Eum Deus fecit mirabilem. 1. Præ ſeptem fratribus. & ſervans oves. 1. Frater erat Eliab. 2. Abinadab. 3. Samma, ſive Semmaa, Samaa, Simaa, ſic enim variè ſcribitur. 4. Nathanaël. 5. Raddai. 6. Aſom. 7. Nomen neſcitur. 8. Fuit David. De ſeptem primis illis Iſai filiis ait Samuel 1 Reg. 16. 10. *Non elegit Dominus ex iſtis:* ſtatim verò intrante Davide dixit Deus Samueli, ℣. 12. *Surge, unge eum, ipſe eſt enim.* Sicque Deus Sanctum ſuum *mirificavit:* vel ut Chald. vertit, *ſegregavit*, 1. à gregibus eum ad coronam evocando. 2. à cæteris fratribus ad altiora provehendo. Syr. reddit: *Segregavit ſibi Dominus electum ſuum cum admiratione.* Arabs, *Elegit iam electum ſuum cum admiratione.*

2. Præ Saule. Secundò, mirificavit Dominus Davidem in illa unctione regia non ſolùm præ fratribus ejus, ſed etiam præ ipſo Saule. 1. Quia illum eligebat virum ſecundùm cor ſuum: Saulem reprobabat brevi percutiendum Philiſthæorum manu. 2. Quia pleno cornu oleum fundendo in ejus caput, eum Samuel conſecravit: cùm verò Saulem unxit, dicitur 1 Reg. 10. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus.* Lenticula erat vas parvum ſive laguncula lenticulari figura, ſive inſtar lentis. Idem vaſculum appellatur à Feſto & Varrone guttur ſive gutturnium, eò quod propter colli anguſtiam liquor ex eo guttatim effluat. Hoc conſiderans S. Greg. lib. 4. in 1 Reg. ait: *Lenticula eſt parvum vas: quid ergo eſt quòd lenticulâ ungitur; niſi quia in fine reprobatur? Velut enim lenticula, olei parum habuit, qui ſpiritualem gratiam projiciendus accepit.* Et poſteà de Davide ſubjicit: *Econtra autem, cùm electus Rex David, ungi præcipitur, eidem Prophetæ Dominus ait: Imple cornu tuum oleo.* 1 Reg. 16. 1. Penè eadem habet Rupert. lib. 2. in Joan. cap. 1. Unctus porrò eſt David in Regem anno 8. regni Saul, regnaturus tamen tantùm poſt ejus mortem; qui, ut Salianus

Præ regibus eum ſecuturis. cenſet, regnavit annis 18. Tertiò, mirificavit Deus Davidem non tantùm præ Saule, ſed etiam præ omnibus futuris Regibus Juda & Iſraël, & fortaſſe omnibus unquam regnaturis. Dicitur enim 1 Reg. 16. 13. *Et directus eſt ſpiritus Domini à die illa in David, & deinceps.*

57. Multiplex Dei ſpiritus in Davidem dirigitur. Spiritus ille Domini fuit multiplex. 1. Spiritus prophetiæ, poëticæ, & muſicæ:
1. ante illud tempus David multos Pſalmos ſcripſerat.
2. 2. Spiritus fortitudinis: unde ex ea die urſos & leones in gregem inſilientes dejecit & ſuffocavit atque diſcerpſit.
3. 3. Ac præcipuè, ſpiritus regius ac principalis, quo aptus regno gubernando & amplificando eſſet. Vide dicta Pſ. 50. ubi de Spiritu ſancto, recto & principali.

Spiritus illi datus eſt, 1. Cum efficacia. 2. Cum abundantia. 3. Cum felicitate. 4. Cum perſeverantia. 1. Abundantiam doni illius declarant Sept. cùm vertunt, *inſiluit in eum Spiritus Domini.* 2. Efficaciam denotat Vatablus, quia reddit: *Agitare eum cœpit Spiritus Domini.* 3. Felicitatem vox Hebraica oſtendit, ותצלח *tiſlah* enim ſignificat proſperavit, fortunavit, ad felicem effectum direxit. 4 Perſeverantiam Chaldaica notant: *Manſit ſpiritus fortitudinis à Deo ſuper David.* Ubi adverte,

Davidis etymon. David ſignificat, *manu fortis*, manu ſufficiens. à יד *iad*, manus, & די *dai*, ſufficit, ſufficiens. Contrà verò, illo ipſo momento quo David per unctionem eſt à Deo mirificatus, eodem *Spiritus Domini receſſit à Saul:* nempe Spiritus fortitudinis, magnanimitatis, prudentiæ, animi regii: & in priorem imprudentiam, puſillanimitatem ac vilitatem recidit: ex quo factum eſt, ut nihil præclari ab eo tempore

Spiritus malus Saulis. geſſerit: quin etiam eum ſpiritus malus agitârit, id eſt atra bilis, ſive melancholia & mania, ut Joſephus, Delrio, Genebr. & Cajet. cenſent. 2. Et verius, ſpiritus malus ille, fuit dæmon, qui Saulem poſſedit, atque horrendis phantaſmatis, anxietatibus ac triſtitiis torſit, ut idem Joſephus, Theodoretus, S. Greg. 2. Mor. 6. S. Iſidor. S. Eucher. Abulenſis, & alii docent.

Nota tertiò, Hebr. חסיד *haſid*, ſignificare: 58. חסיד
1. Miſericordiam. 2. Pium. 3. Beneficum. 4. Probum, ſanctum, ab *haſid* græca vox ὅσιος, id eſt,

Eſſeni. *Aſidæi.* ſanctus, clarè ducitur: inde etiam Eſſæi, aut Oſſæi, vel Eſſeni dicti ſunt: atque Aſidæi, de quibus 1 Machab. 2. 42. & 17. 13. item lib. 2. 14. verſ. 16. Erant viri ſanctiſſimi, atque ob ſingularem virtutem magnæ apud Judæos auctoritatis: Abulenſis in Matt. putat eos acquieviſſe Chriſti doctrinæ, cùm eos numquam Chriſtus legatur reprehendiſſe. Ut ut ſit: miſericordiâ illuſtris fuit David.

Miſericordes Deus amat. Chald. vertit: *Segregavit Dominus miſericordiam ſibi:* crudeles Deus rejicit, eſt Pater pius & miſericors, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. R. David reddit: *Segregavit ſibi Dominus David miſericordem ab omni Iſraël, ut eſſet Rex.* Unguntur Reges, ut meminerint miſericordiæ: aliis ſupernatant ſua dignitate, ſicut oleum quod aliis eminet liquoribus, & eorum miſericordia defluat à capite in barbam, id eſt in Magiſtratus, atque in veſtem, id eſt in populum, ut faciant regnum miſericordiæ perfectum.

David fuit miſericors. De miſericordia David dicetur Pſ. 131. 1. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.*
1. 1. Erga Saulem, in ſpelunca & campo, cùm dormientem occidere potuit. 2. Erga
2. Abſalonem, cui parci juſſerat. 3. Erga Semei ma-
3. ledicum, quem occidi vetuit ab Abiſai, & quem
4. poſteà in gratiam recepit. 4. Erga Miphiboſeth,

alios-

alióſque: nunc ſufficiat S. Bernad. lib. de modo benè vivendi ad ſororem cap. 16. ubi eam hortatur, ut ad imitandum ſibi proponat, atque à Deo petat humilitatem Chriſti, devotionem Petri, charitatem Joannis, obedientiam Abrahæ, patientiam Iſaac, tolerantiam Jacob, caſtitatem Joſeph, manſuetudinem Moyſi, conſtantiam Joſue, benignitatem Samuelis, *miſericordiam David*, abſtinentiam Danielis, & cætera facta piorum Sanctorum.

Nota quartò: *Et ſcitote*, τὸ *&*, Primò, cùm eſt principium ſententiæ ut hîc, continuat ea quæ dicuntur aut ſcribuntur, iis quæ Propheta mente volvebat, ut cenſent S. Thom. S. Auguſt. S. Gregor. & alii; unde Exodus, Leviticus, Numeri, Joſue, libri Judicum, Ruth, omnes libri Regum ab illa particula in textu Hebr. incipiunt. 2. Et meliùs: *Vau* Hebraicum, & conſequenter τὸ, & illi correſpondens ſæpè redundat in Scriptura, ut S. Aug. Orig. Euth. Oecumen. & alii viderunt: ponitur etiam ornatus gratiâ, ac ferè pro omnibus particulis, in Pſ. noſtro eſt encliticum & emphaticum; vim enim & energiam addit orationi, *& ſcitote*, q. d. uſquequò diligitis vanitatem, &c. Quin potiùs, quin imò ſcitote, quoniam mirificavit Dominus Sanctum ſuum.

59. Allegat. Christus à Patre ſanctiſſimus mirificatus eſt. — Allegor. Sanctus à Patre æterno mirificatus & clarificatus, eſt Chriſtus JEſus, eſt enim *Sanctus Sanctorum*, id eſt ſanctiſſimus, Dan. 9. 24. ipſum dæmonium immundum ait Luc. 4. 34. *Scio te quis ſis, Sanctus Dei*: Cæteri collati ſunt tanquam pannus menſtruatæ: à Malachia 4. 2. vocatur *Sol juſtitiæ*, id eſt omnis virtutis. Chald. vertit: *Sol puritatis*, id eſt puriſſimus, ſanctiſſimus, juſtiſſimus. 1. Per unionem hypoſtaticam. — Itaque eſt à Patre mirificatus primò per unctionem unionis hypoſtaticæ & omnis gratiæ, doni ac virtutis, de qua loquitur Dan. 9. 24. *Septuaginta hebdomades* (annorum, id eſt, anni 490.) *abbreviatæ ſunt* (Sept. conciſæ, id eſt præciſæ ac definitæ: hoc enim eſt Hebr. *nechtac*; ſed breves fuerunt ob preces Danielis, & aliorum Prophetarum, cùm Deus potuiſſet decernere tempus longius) *ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur* (deleatur, aboleatur) *prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna*, (id eſt, Evangelium, quod docet omnem juſtitiam, ait Pintus: vel, noſtra juſtificatio & juſtitia per Chriſtum accepta, ait Cornelius: vel denique ipſe Chriſtus, ut dicunt Doctores Hebræi: Ipſe enim eſt *juſtitia ſeculorum*, ut habent Hebraica, id eſt Sol juſtitiæ omnibus ſeculis lucens, *& impleatur viſio & Prophetia*, id eſt, omnes viſiones Prophetarum: hæ impletæ ſunt in nativitate ac morte Chriſti) *& ungatur Sanctus Sanctorum*. Aquila vertit, ſanctificatus ſanctificatorum. Hebr. ſignificantiùs habent *ſanctitas ſanctitatum*, ut Pagn. & Arias reddunt: non enim Chriſtus tantùm ſanctificatur, ſed etiam alios ſanctificat. Alii vertunt, *ſanctuarium ſanctuariorum*, hoc enim etiam ſignificat *Kodes Kodaſim*: & R. Barnahaman ait illud ſanctuarium non eſſe aliud quàm Meſſiam, & R. Moſes Gerundenſis dicit: *Meſſias vocatur ſanctuarium ſanctuariorum: quia futurum erat, ut in eo ſecundùm humanitatem, omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei requieſcerent, eratque ipſe ſuper omnem creaturam oleo gratiæ, ac beneplacito Dei ungendus*. Chriſtus ipſe dicit Judæis, Joan. 2. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: ipſe autem dicebat de templo corporis ſui, ut ait idem S. Joannes ỳ. 21. Itaque, Chriſtus id dicens manum ad pectus admovebat, ſed hoc rudes & perverſi aut non advertebant, aut ignorare volebant, ut calumniæ occaſionem haberent. Templum autem vocabat corpus ſuum, *quia in ipſo*, ut dicitur Coloſſ. 2. 9. *Inhabitat omnis plenitudo divinitatis* (id eſt plena & tota divinitas, ut S. Ambr. S. Chryſoſt. S. Thom. & alii exponunt) *corporaliter*: erat enim etiam corpori divinitas unita, ut docet S. Thom. 3. p. q. 5. & 6. S. Auguſt. & alii omnes Patres, & eſt de fide. Quomodo Chriſtus ſit unctus in Sacerdotem, Regem, Prophetam, Doctorem, Legiſlatorem ac Redemptorem Orbis, dicetur Pſ. 44. & aliis locis. Secundò, mirificavit Pater æternus Sanctum ſuum per Reſurrectionem, Aſcenſionem, exaltationem nominis, aliáque. Hoc ipſi pollicetur Joan. 12. 28. *Venit vox de cælo: & clarificavi* (per tot miracula) *& iterùm clarificabo*, in Morte, Reſurrectione, Aſcenſione, miſſione Spiritûs S. Apoſtolorum prædicatione ac miraculis, per quæ agnoſceretur Deus per totum mundum, ut S. Chryſ. S. Cyrill. Leontius, Euthymius, aliíque explicant. Clarificatus etiam erat à Patre per communicationem propriæ eſſentiæ ac divinitatis ab æterno, ut ait S. Auguſt. & in mundi creatione, & aliorum omnium, ut Rupertus. Nam Gen. 1. 1. *In principio* (id eſt in Filio, ut S. Baſil. & Ambr. in Hexaëm. & ſanctus Auguſt. 1. de Geneſi ad literam cap. 1. explicant) *creavit Deus cælum & terram*. — 2. Per reſurrectionem Aſcenſ. coron.

Moraliter nota: Deus mirificat & clarificat Sanctos ſuos, Pſ. 67. 36. *Mirabilis* (Hebr. נורא *nora*, terribilis; cum quodam ſacro horrore & veneratione admirabilis) *Deus in Sanctis ſuis*: in cælo Beatis, ut ait S. Hilar. 2. Etiam in terra pugnantibus, ut S. Bern. ſerm. 1. de Dedicatione Eccleſiæ. Sancti ſunt mirabile illud templum Salomonis in Sion, id eſt in contemplatione fundatum, & in fide: erectum per ſpem, auro lucens ac gemmis per charitatem ac virtutes omnes. Hebr. *m*, *mikſadecha*, *ſanctuariis ſuis*. Vide ibi dicta. *Ipſe dabit virtutem*. Hebr. עז *oz*, δύναμιν: *robur, vires, potentiam, præſidium & fortitudinem*. Sept. κραταίωσιν, confirmationem, robur; ut patuit in Abrahamo contra quatuor Reges, Gen. 14. in Moſe, contra Pharaonem, cujus Deus conſtituitur, eum ſæpiùs ſuperaturos, Exod. 7. ac ſeqq. in Joſue, contra Cananæos, Joſue toto libro: in Davide, contra Goliath, 1 Reg. 17. 49. & contra tot hoſtes, 1 Reg. & 2. in Machabæis, contra Antiochum & alios. — 60. Sanctos ſuos Deus mirabiles efficit.

Hoc in uno Simone filio Oniæ ſymbolicè expreſſum habes, Eccli. 50. ubi gloria ejus mirabilis deſcribitur, atque inſtar Atlantis conſtituitur ad ſuſtentandum templum Dei. 2. Ut ſtella matutina. 3. Ut Luna. 4. Sol. 5. Iris. 6. Roſa. 7. Lilium. 8. Thus. 9. Ignis. 10. Vas aureum. 11. Oliva. 12. Cypreſſus. Ac primò ỳ. 1. dicitur: *Simon Oniæ filius* (id eſt, obediens filius afflictionis, vel mortificationis, aut humiliationis divinæ, à Deo immiſſæ) *Sacerdos magnus, qui in vita ſua* (virtute Prælato digna) *ſuffulcit domum, & in diebus ſuis* (in luce virtutum) *corroboravit templum*, ædificando templi ſubſtructiones, quibus extrema ſuſtentabatur templi area, à Chaldæis diſſipatas, & à Zorobabele prætermiſſas, ſive properante, ſive regiis parcente ſumptibus, ne Regis Darii Hyſtaſpis liberalitate abuti videretur, ut ait Salianus noſter in Ann. veteris Teſtam. an. 3765. Agitur portò de Simone ſeniore, qui cognominatus eſt juſtus ob virtutes ſuas inſignes, & fuit filius Oniæ primi, atque mortuus eſt anno mundi 3765. ante Chriſtum 288. Sextæ ætatis 249. Imperii Græc. & Seleuci l. 24. Olympiade 122. Urbis Cond. 464. vocatur hic à Syriaco interprete corona populi, id eſt gloria & decus. Sic enim vertit: *Major fratrum ſuorum*, *& corona populi ſui, Simon filius Nathaniæ* (Oniæ debuit dicere) *Sacerdos magnus, in cujus diebus ædificata eſt domus*, & (id eſt) *crevit opus templi*. Secundò, Simon ille vocatur Lucifer ſeu Heſperus, quæ eſt ſtella diem revehens, & velut Solis prodromus, ỳ. 6. *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ*, du brouillart: Nebula enim eſt vapor è terra atque aquis ſurgens, ſive ſtatim evaneſcat, ſive in altum ſublevatus convertatur in nubem. Simon veluti poſt tenebras noctis, gratiſſimus fuit, effulgens poſt caliginem captivitatis Babylonicæ ſub Regibus Chaldæis, & Ægyptiacæ ſub Ptolomæo Lagi, qui Judæos multos graviter afflixit. Sancti effulgent ut ſtellæ matutinæ in medio nebulæ, id eſt populi per infidelitatem & vitia tenebroſi, eum illuminando. Tertiò additur verſu eod. 6. *Et quaſi Luna plena in diebus ſuis lucet*, noctem perfectè illuminans, ita ut ambulare & operari in ea homines poſſint. Dant Sancti lucem proficientibus, qui necdum ita calent ardore virtutum, & ob præterita peccata ſunt adhuc nox.

Eorum typus eſt Simon, Oniæ filius, qui 1. *Fulcit Dei domum*. 2. *Eſt ſtella matut.* 3. *Eſt Luna.*

Quartò,

4. Eſt Sol. Quartò, Sol vocatur Simon ℣. 7. *Et quaſi Sol refulgens, ſic ille refulſit in templo Dei:* tunc eſt dies perfectus in civitate, cùm in ea ſunt tales Sancti: & ſicut Abrahamus *in convalle Mambre*, hoc eſt in humilitate, ob viſionem macularum ſuarum (nam etiam Sol ſuas habet maculas viſibiles) *ſedens in oſtio tabernaculi ſui in ipſo fervore diei*, quem ipſe efficiebat luce & ardore virtutum. Erat enim Sol, generans filios & ſtellas faciens, Gen. 15. 5. jam ut Sol ex Oriente emicabat exiens ex *Ur*, id eſt ex igne & flamma Chaldæorum; & relictâ patriâ factus Hebræus, id eſt tranſitor, à terrenis ad cœleſtia. Idem promittitur Gen. 22. 17. Cùm Sol eſſet meridianus in monte Moria, id eſt viſionis Dei, cælo propior: aut cælum ipſum, luce Dei cinctus; & cælo major, cùm Angelum ad ſe rapiat, admirantem oblatum Deo Iſaacum. Iſaac etiam ipſe per eam obedientiam factus eſt Sol, unde & filios habuit ſtellas circa ſe lucentes, Geneſ. 26. 4. Sancti omnes, ſunt Soles divini & conſtantes ac neſcientes occaſum, Eccli. 27. 12. *Homo ſanctus in ſapientia* (in Christo) *manet ſicut Sol*, in quo rurſus Chriſtus ponit tabernaculum ſuum, tanquam ſponſus in thalamo ſuo, & ibi exultat ut gigas ad currendam viam: ſic ſanctus eſt in Chriſto, & Chriſtus in ſancto ſuo, ut in arca aut curru Cherubico: ſunt enim penetrativè, ac dicunt: Vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Chriſtus; in me lucet, in me urit & accendit. Tigurina vertit: *Narratio pii ut Sol perpetua eſt ſapientia:* eſt enim in Verbo, & Verbum in eo; itaque loquitur quaſi ſermones Dei.

5. Eſt Iris. Quintò, Simon ille ſummus Pontifex, erat in templo Dei, ℣. 8. *Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ*, id eſt, inſtar Iridis fulgentis in nubibus glorioſis ac ſplendidis.

6. Roſa. Sextò, Simon erat roſæ ſimilis pulchritudine & odore virtutum, ibid. *Et quaſi flos roſarum* (vernaculè reddes aptè, *comme un bouton de roſes*) *in diebus vernis*. Anacreon carmine de roſa, eam vocat honorem decuſque florum ἔαρος μέλημα, *veris curam*, cælitum voluptatum. Apud Achillem Tatium lib. 2. de Leucippe & Clitophonte, invenitur roſæ encomium, quod exiſtimatur eſſe oda Sapphus. Eſt autem hujuſmodi: *Si floribus vellet Jupiter regem imponere*, ῥόδον ἀνθέων ἐβασίλευε, *roſa inter flores regnum obtineret:* γῆς ἐστι κόσμος, φυτῶν ἀγλάισμα, ὀφθαλμὸς ἀνθέων, λειμῶνος ἐρύθημα, κάλλος ἀστράπτον. *Terra eſt ornamentum, plantarum decus, oculus florum, prati rubor, pulchritudo coruſcans. Amorem ſpirat, Veneris eſt conciliatrix, formoſis foliis comata eſt, nobilibus frondibus luxuriat, calyx Zephyro ridet.*

7. Lilium. Septimò, Simeon Lilio confertur, verſ. eod. 8. *Et quaſi lilia, quæ ſunt in tranſitu aquæ.* Cùm enim lilia ſint calida & ſicca, aquis delectantur. Et cap. 39. 19. habetur: *Florete flores quaſi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate canticum.* Syr. vertit, Sicut radix *lilii regis* attollite vocem, & laudate ſimul. Hoc adapta virginibus, in Francia præſertim, Dei laudes canentibus, additur enim: *Et benedicite Dominum in operibus ſuis:* Et naturæ, & præcipuè gratiæ. Rabanus in roſis martyrium, in liliis caſtitatem figurari putat. Lilium eſt hieroglyphicum ſtolæ candidæ, quæ ſingulis Beatis dabitur in reſurrectione, & dotis claritatis, Apoc. 7. 9. *Amicti ſtolis albis.*

8. Thus. Octavò, Simon eſt arbor thuris, verſ. eod. 8. *Et quaſi thus* ἐν ταῖς βλαστὸς λιβάνου, ut germen aut ſurculus thuris, id eſt thurifer, *in diebus æſtatis*, cùm ob ardorem Solis eſt fragrantius, cap. 24. 21. ait Sapientia, id eſt Chriſtus: & B. Virgo: *Et quaſi Libanus* (λίβανος, thuris arbor) *non inciſus* (ſed ſpontè ſudans, & primam guttam diſtillans atque optimam) *vaporavi habitationem meam.* Locum in quo ſum, replevi vapore odorifero. Alumnis verò ſuis ait eadem Sapientia, cap. 39. 18. *Obaudite me divini fructus, quaſi Libanus odorem ſuavitatis habete.* Tigurina habet, odore ſuavi in mundo thuris fragrate.

9. Ignis & fumus odoratus. Nonò, Simon igni comparatur & fumo odorato, verſ. 9. *Quaſi ignis effulgens, & thus ardens in igne.* Græca jungunt ignem cum thure, & vertunt: Quaſi ignis & thus in focolo. Syr. quaſi odor thuris ſuper thuribula. Non ſumitur ibi thus pro arbore, ſed pro aromate, oratio repræſentatur thure.

Decimò, Simon confertur vaſi aureo & gemmeo, ob charitatem & varias virtutes, ℣. 10. *Quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo.* Vatabl. omnigenâ gloriâ decoratum. Syr. quaſi torques aureus, variegatus optimè, & ornatus lapidibus pretioſis. Rabanus ait, in auro, ſplendorem ſapientiæ, in lapidibus pretioſis virtutum decorem exprimi. 10. Vas aureum & gemmeum.

Undecimò, Simon confertur oleæ ob miſericordiam, ℣. 11. *Quaſi oliva pullulans.* Vide Pſ. 51. 10. *Ego autem ſicut oliva fructifera* (S. Hieron. *virens:* ob ſpem & alacritatem) *in domo Dei.* S. Gregorius Nyſſen. *Dei mei*, cui me totum debeo.

Duodecimò denique, Simon comparatur cypreſſo, ob mentis excelſitatem & ſublimitatem perfectionis, *& cypreſſus in altitudinem ſe extollens.* Gr. & quaſi cupreſſus exaltata in nubibus. 12. Cypreſſus.

In his omnibus ſymbolis duo conſidera: 1. Simonis virtutes. 2. Deum ſervi ſui gloriam augentem, ſive luce, ſive pulchritudine, ſive famæ boni odore, ſive fœcunditate, ſive elevatione conceſsâ: Unde additur, *in accipiendo ipſum ſtolam gloriæ*, id eſt, glorioſam: nempe veſtem hyacinthinam, quæ erat pulcherrimus ornatus Pontificis: ubi Ephod, rationale, malogranata, tintinnabula, aliaque: *& veſtiri eum in conſummationem virtutis*, hoc eſt, cùm indueretur perfectum & conſummatum ornatum Pontificis poteſtatis & authoritatis indicem: nempe Ephod & Rationale, & Cidarim, in qua lamina, ubi erat ſcriptum nomen Jehova, quod eſt *Kodes, Kodaſim*, id eſt, ſanctitas ſanctitatum, ſeu ſanctiſſimum. Ac verſ. 12. *In aſcenſu altaris ſancti, gloriam dedit ſanctitatis amictum*, id eſt, ſplendidus, & ornatus fuit amictu ſanctitatis, tum interno in mente, tum externo in corpore. Hinc Vatablus vertit: *Inſignis erat ſanctitatis amictu.*

61. In variis ſanctis Deus mirabilis. Mirabilem Dei erga ſervos ſuos providentiam oſtendit Poiræus tract. de ſcientia Sanctorum; ubi Tract. 3. part. 2. cap. 9 Quiſquis, ait, oculos mentis adverterit, cernet in Abrahamo ductu providentiam Dei magnificam: in Iſaaco, paternam: in Jacobo, fortem & efficacem: in Joſepho, tenerrimam: in Noë, fidelem: in Moſe, potentem: in Joſue & Samſone, mirabilem: in Jobo, occultam: in Heli, ſeveram: in Davide, regiam: in Salomone, adorabilem: in Tobia, maternam: in Enocho & Elia, ſtupendam: in Machabæis, bellicoſam: in variis, multiplicem: Honores S. Danielis Stylitæ, S. Flaviano Patriarchæ Conſtant. & S. Chryſoſtomo ab omnibus delatos ſuſiſſimè amplificat. Vide Pallad. Niceph. Zonar. Cedren. & Baron. de illis agentes. S. Bern. ſerm. 68. in Cant. *Providentiam aliis creaturis non negamus, curam ſponſa vendicat ſibi.* S. Auguſt. medit. cap. 38. *Scio, & certus ſum, quòd vita noſtra non temerariis motibus agitur, ſed à te Domino noſtro diſponitur & gubernatur. Unde cura tibi eſt de omnibus, præcipuè de ſervis tuis, qui totam ſpem ſuam poſuerunt in ſola miſericordia tua.* Et quo quis eſt in virtute provectior, eò vigilantiori curâ ei providet Deus. S. Ambroſ. lib. 4. in Luc. Dominus dormit tepidis vigilat perfectis.

62. Miſericordia ſanctos facit. Nota ſecundò, miſericordiæ eſt Sanctos efficere, conſervare, & ad ſummam perfectionem perducere. Hebr. vox חסיד *haſid*, quâ uſus eſt David in Pſalmo noſtro, ſignificat propriè ac primariò miſericordem: à rad. חסד *heſed*, *miſericordia:* conſequenter pro ſancto ſæpiùs ponitur: unde interpres vertit: *Mirificavit Dominus Sanctum ſuum.* Cum miſericordia verò avolat virtus, Mich. 7. 2. *Periit* (haſid.) *Sanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt.* Chald. periit miſericors.

1. Dat initium virtuti. Primò: Initium virtutis ducitur à miſericordia, ut patuit in S. Franciſco & in Jobo, qui ait cap. 31. 18. *Ab infantia crevit mecum miſeratio*, (Hebr. pro *miſeratio* poſſunt verti, *tanquam pater.* Miſericordia eſt pater & mater Sanctorum) *& de utero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Arias vertit: Deduxi illam. Et ducit, & ducitur miſericordiâ. Oſtiorum primæ partis templi, quæ vocabatur Sanctum, poſtes

poſtes erant ex olea in templo Salomonis. Per miſericordiam ad Deum eundum eſt. Hinc pauperes ad valvas Eccleſiarum ſtant, qui illarum, ſicut cæli ſunt janitores, ut audiantur noſtræ orationes, 3 Reg. 6. 33. *Fecit in introitu templi* (Sancti) *poſtes de lignis olivarum quadrangulares. Et duo oſtia de lignis abiegnis altrinſecus.* Ita ſcilicet ut unum oſtium eſſet ex uno latere, alterum ab altero, priori reſpondens & obverſum: *Et utrumque oſtium duplex erat, & ſe invicem tenens aperiebatur.* q. d. Utrumque oſtium erat plicatile, & habebat vertebras, quibus una pars tenebat aliam, erantque in eis quaſi duæ plicaturæ, ut vertunt Sept. Hebr. *Erant duo* גלילים *gelilim*, id eſt, *valvæ volubiles ſive convolubiles.* Ita Cornel. oſtium illud duplex, eſt ſymbolum charitatis mutuæ, & hominum ſe mutuò ad pietatem juvantium: tu das pauperi nummum, ne furans aut deſperans à templo ac Deo recedat: ille tibi preces, ne te divitiæ ad luſtra & ſcelera rapiant. Cornelio Centurioni eleëmoſynæ aperuerunt oſtium Eccleſiæ, Act. 10. 4. S. Laurentius, Epiſcopus Novarienſis, vocat preces pauperum, Baptiſma alterum; & eleëmoſynam, radicem virtutum. Sic enim hom. de Eleemoſ. *Radix malorum omnium quid eſt? Avaritia. Radix omnium bonorum eſt eleemoſyna: os pauperum porrigitur tibi in Baptiſma.* Si quid infirmitatis humanæ accidat, illud ſanat miſericordia. Pergit idem ſanctus Pater: *Nulla eſt tam efficax, tam valida & velox noſtrorum vulnerum medicina, quàm præceptum eleemoſyna.* Et S. Cæſarius Epiſc. Arelatenſis hom. de miſericordia divina & humana, ait: *Miſeria pauperum medicamentum eſt divitum.* Et S. Gaudentius Epiſc. Brixianus tract. 13. de Natali Domini, contra avaritiam Judæ: *Eleemoſynarum,* ait, *fluvio omnis ille coacervatus poſt acceptam fidem peccatorum ignis extinguitur.*

63. *2. Dat progreſſum.* Secundò: Progreſſus virtutis petitur à miſericordia. 1. Lapſum impedit & peccata, Pſ. 15. 10. *Non dabis Sanctum tuum* (חסיד *haſid*, miſericordem) *videre corruptionem.* Hebr. שחת *ſahath* foveam. 2. Illuminat, & aditum aperit ad ſanctitatem perfectam. In Sancto Sanctorum non tantùm poſtes oſtii, ut in Sancto, ſed & oſtia, & oſtiola erant ex olea: ut nullos prorſus arcam poſſet videre ac propitiatorium, niſi intrans in miſericordiam. 3 Reg 6. 31. *Et in ingreſſu oraculi* (id eſt Sancti Sanctorum, ubi Deus ſua reddebat oracula) *fecit Salomon oſtiola de lignis olivarum, poſteſque angulorum quinque.* (Oſtiola pentagona, hoc eſt quinque angulos & totidem poſtes habentia, ſunt quinque Chriſti vulnera, per quæ in Sanctum Sanctorum, nempe in cælum ſanctiſſimum, intratur.) *Et duo oſtia de lignis olivarum. & ſculpſit in eis picturam Cherubinorum & palmarum ſpecies, & anaglypha valde prominentia.* Anaglypha, ſunt vaſa, aliave opera, ſculpturis aſpera; quæ ſcilicet ita exſculpta ſunt, ut in eis imagines emineant: vocantur à Martiali lib. 1. Anaglypta, & Plin. lib. 33. cap. 11. ait: *Nunc anaglypta, in aſperitatemque inciſa, circa linearum picturas quærimus.* Vulgò vocamus, *choſes taillées ou relevées en boſſe.* Ab ἀνὰ ſurſum vel ſupra & γλύφω, ſculpo. Tropol. poſtes, oſtia, & oſtiola, ſunt opera, verba & cogitationes: vel, oſtia, ſunt præcepta, quæ neceſſariò tranſeunda ſunt, ut ſalventur: oſtia, ſunt conſilia, quæ non eſt neceſſe omnibus aperire: poſteà, ſunt conſtantia & perſeverantia tam in præceptis, quàm in conſiliis ſuſceptis. Hæc omnia ex miſericordia conſtent oportet, cùm Deus dixerit, Matth. 9. 13. *Euntes autem* (à me recedentes: non enim poſſum vos Phariſæos ampliùs tolerare, qui non vultis me cum publicanis & peccatoribus verſari) *diſcite, quid eſt, miſericordiam volo, & non ſacrificium,* id eſt malo miſericordiam quàm ſacrificium: quamvis per ſe loquendo ſacrificium, cùm ſit actus religionis, ſit nobilius & excellentius miſericordiâ. Verba ſunt Oſeæ cap. 6. ℣. 6. ubi Deus loquitur Ephraim, id eſt decem tribubus: & Judæ, id eſt duobus tribubus. Itaque omnibus ſervis ſuis vult eſſe acceptiorem miſericordiam quàm ſacrificia. Omnibus enim neceſſaria eſt miſericordia. S. Laurentius Epiſc. Novar. hom. de Eleemoſ. *Si juſtum invenerit miſericordia, cumulat eum meritis: ſi peccatorem, abſolvit à peccatis: ſi ægrotum, ſublevat à doloribus.* Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Quis autem eſt ſine miſeria?

64. *3. Dat perfectionem.* Tertiò denique, conſummatio virtutis per miſericordiam obtinetur, Pſ. 36. 28. *Dominus non derelinquet Sanctos ſuos,* (Hebr. *haſidau*, miſericordes ſuos) *in æternum conſervabuntur.* Hoc, ait Lorinus, potiſſimùm de prædeſtinatis eſt verum, quos nemo de manu Dei poteſt rapere, Joan. 10. 29. quorum vita abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, Coloſſ. 3. 3. & anima cuſtodita, quaſi in faſciculo viventium apud Dominum Deum, 1 Reg. 26. 29. quaſi Deus habeat eam ligatam in faſciculo cum aliis viventibus, (exprimit Chaldæa paraphraſis, in vita æterna) cùm è contrario anima inimicorum Dei, rotetur quaſi impetu, & in circulo fundæ, omnibus expoſita periculis. S. Bern. ſerm. 40. ad ſororem: *Sicut avaritia mergit hominem in infernum, ita omnino largitas eleemoſynarum levat ad cælum.* Et S. Laurentius Novar. hom. de Eleemoſ. *O commutatio! Panem dediſti eſurienti, & percepiſti regnum! Quantam pecuniam profundit homo in hoc mundo, ut aut mancipia, aut prædam comparet? Regnum ſupernum tibi vendit Chriſtus tam viliſſimo pretio, & comparare diſſimulas.* Hæc Sanctorum dicta fundantur in Chriſti extrema ſententia, Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, &c.* Vide Pſal. 40. 1. & ſeqq. Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus, Pſ. 149. 5. *Exultabunt Sancti* (חסידים *haſidim* miſericordes) *in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis.* S. Hier. & S. Aug. in ſpeculo, *laudabunt.* Deus enim ſibi complacet in laude miſericordiam. Ibid. ℣. 1. *Laus ejus in Eccleſia Sanctorum.* Hebr. *haſidim*, id eſt miſericordiam.

Complementum virtutis dat miſericordia. Lactantius lib. 1. de Opificio Dei, cap. 7. *Innocentia proxima eſt miſericordia; illa enim malum non facit, & hæc bonum operatur; illa inchoat juſtitiam, hæc complet.*

65. *Miſericordia duabus alis cælum petit.* Alas illi duas dat S. Cæſar. Areſ. quibus in cælum evolet: nempe pauperes juvare, & inimicis veniam impertiri. Verba ejus ſunt hom. 14. *Iſta duo eleemoſynarum genera nobis quaſi ſpiritualium alarum remedia præparemus, ut ad principalem patriam, & illam cæleſtem Jeruſalem omnibus terrenarum cupiditatum ſpretis, hîcque expeditis ac liberis virentium pennis fulti, ac tanquam ſpirituales columbæ volare feliciter ac venire poſſimus.*

66. *Miſericordes ſunt duo Cherubini oleagini Salomonis.* Aptiſſimè miſericordes ad ſumma virtutum evectos, & orationibus aliiſque operibus ſanctis Deo proximos comparabis cum duobus Cherubinis ex oleo factis à Salomone, & poſitis in Sancto Sanctorum, ut ſtarent prope arcam, eamque alis ſuis inumbrarent, 3 Reg. 6. ℣. 23. *Et fecit in oraculo* (in Sancto Sanctorum, quod poſteà vocatur templum interius) *duos Cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum* (id eſt quindecim pedum; cubitus enim continet pedem cum dimidio) *altitudinis. Quinque cubitorum ala Cherub una, & quinque cubitorum ala Cherub altera: id eſt decem cubitus habentes, à ſummitate* (ab extremitate) *alæ unius uſque ad alæ alterius ſummitatem. Decem quoque cubitorum erat Cherub ſecundus: in menſura pari, & opus unum erat in duobus Cherubim, id eſt altitudinem habebat unus Cherub, decem cubitorum, & ſimiliter Cherub ſecundus. Poſuitque Cherubim in medio templi interioris,* (id eſt Sancti Sanctorum) *extendebant autem alas ſuas Cherubim, & tangebat ala una parietem, & ala Cherub ſecundi tangebat parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi ſe invicem contingebant, texit quoque Cherubim auro,* id eſt laminis aureis. Tropol. Cherubini ex olea, ſunt viri miſericordes, qui replentur ſcientiâ Dei. Secundò, ſunt decem cubitorum altitudinis, & ſinguli habent alas duas decem cubitorum: quia, ut ait Apoſtolus, Rom. 13. 8. *Qui diligit proximum, legem implevit,* id eſt, decalogum integrum.

Deum enim amet, oportet, qui propter illum amat proximum. Græc. τὸν ἕτερον, *alterum*. Tertiò, erant Cherubini in medio Sancti Sanctorum; quia ad cor uſque Dei penetrat miſericordia. Quartò, alis tegebant arcam: quia dicit Chriſtus Matth. 25. 40. *Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Veſtem à ſancto Martino datam pauperi Chriſtus oſtentat, eam induitus, & ait verſ. 36. *Nudus eram, & cooperuiſtis me.* Quintò denique, Cherubini erant recti antrorſum: quia miſericordia facienda eſt non ex ſola compaſſione naturali, ſed propter Deum, ſi vis eſſe Cherub extentus & Deo proximus, atque audire ejus oracula, ac vultum intueri.

ARTICULUS V.

Ira frænanda eſt, ne nos in graviſſima peccata impellat.

DAvid hoſtes ſuos ſuprà reprehenderat, quòd diligerent vanitatem & mendacium: nempe ſe poſſe eum atterere, licèt à Deo juvaretur, & mirabiliter honoratus eſſet: Videns autem illos infremeotes, quòd deſiderio ſuo fruſtrari ſe animadverterent, ait verſ. 5. IRASCIMINI, ET NOLITE PECCARE: QUÆ DICITIS IN CORDIBUS VESTRIS, IN CUBI-

Verſ. 5. I. Pars.

67. LIBUS VESTRIS COMPUNGIMINI. Nota 1. *Iraſcimini* poteſt eſſe primò, indicativi modi, q. d. *Iraſcimini, &* (id eſt, ſed) *nolite peccare*, ita ut ſit ſenſus: Video vos iraſci, ſed videte, ut non peccetis. Ita S. Ambr. Orig. Heſychius & Theodoretus. Secundò, & meliùs, τὸ *iraſcimini* eſt imperativi ſeu permiſſivi modi, q. d. Per me licet, ut iraſcamini, ſed cavete, ne peccetis. Hoc patet ex verbo Hebr. *rigzu*, & Chald. *zuhu*, quod eſt tantùm imperativus, non indicativus. Nota 2. Vocem Hebraicam רגזו *rigzu* ſignificare 1. Tremere, contremiſcere. 2. Subitâ irâ commoveri. Item Chald זוהו *zuhu*, contremiſcite, turbamini. Aquila etiam vertit κλονεῖσθε tumultuosè concutimini, q. d. tolerandum eſt, quòd vos ſubita turbatio concuſſerit: ſed videte, ut ratio modum adhibeat paſſioni, ut non peccetis.

Senſus eſt 1.
Secundò, & melius.

68. Quæres: Quoſnam David hîc alloquatur? Primò, Burgenſis cenſet eum loqui Philoſophis Gentilium, hortarique eos, ut acriter & efficaciter indignentur contra idololatras, Deo vero debitum cultum auferentes, & animalibus vilibúſque creaturis contra jus omne ac rationem tribuentes. Secundò, Dionyſ. Carth. & Jacobus de Valentia ſermonem volunt dirigi ad Judæos Chriſtum perſequentes; monerique, ut effrænatam & injuſtam iram comprimant, atque à malignis machinationibus reſiliant: aut ſaltem poſt ejus mortem de tanto ſcelere pœnitentiam agant. Sed clarum eſt, hos duos ſenſus eſſe myſticos.

Quos hîc alloquitur?
1.
2.

Tertiò: Alii volunt Davidem loqui omnibus hominibus, quos priùs vocavit filios hominum. Ac primò quidem, Heſychius in Catena Græcorum ait, moneri omnes, ut iraſcantur voluptati. Secundò, Theophylactus, ut iraſcantur ſibi ipſis, peccatis & vitiis ſuis, ea per pœnitentiam puniendo. Tertiò, Bellarminus vult eos incitari, ut ſanctâ quâdam iracundiâ exardeſcant, & reſiſtant pravis deſideriis, & eo modo peccatum vitent. Quòd, ſi peccaverint, continuò doleant & compungantur: neque contenti ſint declinare à malo, ſed etiam ſacrificent ſacrificium juſtitiæ faciendo bonum. *Iraſcimini*, inquit, *& nolite peccare:* id eſt, cùm ſurgunt pravi & rebelles motus, qui ſunt initia & radices omnium peccatorum, iraſcimini naturæ veſtræ corruptæ, & reſiſtite, ut non peccetis. Ad hoc enim nobis data eſt ira à Deo, (ut docet S. Baſil. oratione de ira) ut ſit cos virtutis. Vox Hebræa, *rigzu*, ſignificat etiam pavere, contremiſcere; quod etiam rectè quadrat in hunc locum. Debemus enim ſtatim tremere & pavere, cùm apparet caput ſerpentis, id eſt, mala ſuggeſtio. Ita ipſe. Hic ſenſus pius eſt, ſed eſt tropologicus, & potiùs David videtur iram velle comprimere, quàm excitare, cùm in eum hoſtes furerent.

3.
Iraſci debemus,
1. *Voluptati.*
2. *Nobis ob peccata præterita.*
3.

69. Quartò aptiùs, & literæ conformiùs, Euſebius in Catena Græca putat verba hæc à Davide dirigi ad eos, qui pro ipſo ſtabant contra Abſalonem, q. d. Vos quidem commilitones mei, & honorati mei, juſtè commoti indignatione ad bellum concitamini. Ego vos moneo, etiamſi ira veſtra ratione non careat, quòd non decet noſtræ nos patientiæ in ferendis calamitatibus oblivisci: neque ampliùs incendi, ut in peccato prolabamur. Hæc ipſe. 2. Theodoretus eoſdem moneri vult, ut iraſcantur quidem & indignentur, videntes eos, qui injuſtè inſurgunt, felices eſſe; ſed nolint malum malo cumulare, tentantes aliis perſuadere, ὡς ἄτακτα πάντα καὶ ἀπρονόητα φέρονται, quòd omnia ſine ordine atque fortuitò ferantur. 3. Lorinus generaliùs loquitur, & ſenſum adhuc affert duplicem. Cùm, ait, tantis me decoratum à Deo muneribus non ignoretis, ô ſocii! indeque conjecturam facere valeatis, imò vobis perſuadere, me licèt hoſtes premant, ejuſdem opem impetraturum: deſinite vehementiùs commoveri, ſubitaneo iracundiæ furori patere, mihique ſuccenſere, quòd derelictus à Deo propter peccata, vos etiam in eandem calamitatem pertraxerim. Vel, ne tam anxii ſitis de belli exitu: retractate præcipites cogitationes, conſilia temeraria, ſermones clandeſtinos adverſus providentiam atque benignitatem Dei: & cum otio ſinguli apud vos ipſos in intimis penetralibus damnate inſipientiam veſtram, mendacium, vanitatem, & pœnitemini. Sed oſtendi initio agi in Pſalmo noſtro de perſecutione Saulis, tunc autem non erat reus David gravium peccatorum.

4. *David ſuos commilitones monet, ut moderentur ira etiam juſta potens.*

70. Quintò itaque ſimpliciùs & veriùs: David ad Saulem & alios ei adjunctos hoſtes ſuos convertitur, monetque, ut furentem & injuſtam crudelemque, ne ſanguinis ſitientem iram contineant, ne peccent, q. d. Si forté ex imbecillitate naturæ aut calumniatorum mendaciis irâ ſubitâ excandeſcatis, illam cohibete, ut non peccetis in me à Deo unctum & deſtinatum Regem, ſicut ex ira præcipites advolatis, ut peccetis me occidendo. Nota: Ex eo tempore, quo conſecratus eſt à Samuele David in domo patris ſui Iſai in medio ſeptem fratrum ſuorum, Spiritus Domini in eum directus eſt, ut explicui articulo præcedenti, & ſpiritus malus in Saul: quod contigit anno octavo regni Saul, poſt quod tempus regnavit decem annis, ſed infortunatus, & à Deo derelictus irâ ſæpè in rabiem ac furorem agebatur. Spiritum illum nequam, quo exagitabatur, cenſent Hebræi, Joſephus Cajet. Genebr. in chronico anno Mundi 3066. Delrio lib. 3. Mag cap. 4. fuiſſe atram bilem, ſive melancholiam & Maniam, quæ Sauli triſtes creabat imagines, ſuſpiciones, invidias, mœrores, anxietates, deſperationes, furores, deliria, amentias: Hæc enim concepit, ex eo, quòd vidit ſe à Deo rejectum, & à Samuele regno privatum. Primò probatur, quia Sept. vertunt: *Suffocabat eum ſpiritus malus.* Chald. *terrebat eum.* Secundò, quia à Joſepho ſpiritus hic vocatur perturbatio & morbus à dæmone inflictus, qui ſuffocationes & ſtrangulationes illi creabat. Tertiò, quia hoc ſpiritu agitatus invidit Davidi ſucceſſionem in regnum: ideòque eum voluit occidere, cap. 18. 19. Quartò, quia morbus hic Saulis levabatur per muſicam Davidis pulſantis citharam; quia ſcilicet muſica exhilarat, itaque fugat triſtitiam. Ita Cornel. in 3 Regum 16. ubi rectè addit, hoc verum quidem eſſe, ſed non ſufficere: & ſpiritum illum nequam eſſe diabolum, qui non tantùm exteriùs vexavit Saulem, ut vexavit S. Job; ſed etiam interiùs eum poſſedit, eumque diris phantaſmatibus, triſtitiis, mœroribus, anxietatibus, doloribus afflixit, & per vices agitavit. Hic enim propriè eſt, & vocatur *ſpiritus nequam:* ab eo ergò poſſeſſus fuit Saul, factúſque energumenus & dæmoniacus; ita ut per vices ab eo agitatus deliraret, inſaniret. Ita cenſent Joſephus, Rupertus, S. Iſidor. S. Eucherius, Lyran. Hugo, Abulenſis, Dion. Vatabl. Scrarius, Sanctius, & S. Greg. lib. 2. Mor. 6. ac Theodoretus q. 38. in 1 Reg. *Cùm*, ait, *divinus receſſiſſet Spiritus locum eſt ſortitus malignus ſpiritus: ſic, cum Apoſtolica gratia Judam reliquiſſet, in eum ingreſſus eſt diabolus.* Nota 2. Davidem hîc alludere ad furorem illum Saulis, cujus tam funeſta jam habebat experimenta. Primò in ſe, quem conatus fuerat haſtâ transfigere anno 11. regni,

5. *Alloquitur ſuos hoſtes iram eorum deprimens.*

Spiritus malus Saulis fuit.

Atra bilis & mania.

regni, cùm victo Goliatho & occiſo anno 10. invidiâ æſtuans iterùm poſſeſſus eſſet à dæmone, quem David citharam pulſans expulerat anno 9. ſed ictum effugerat his, cap. 18. 11. & cap. 19. 10. Secundò in Jonatham filium ſuum Davidi faventem, in quem lanceam arripuit, ut percuteret eum, cap. 20. 33. hoc accidit anno 12. regni, cùm David fugiſſet noctu percutiendus, niſi Michol uxor ingenioſo ſtratagemate ei ſuccurriſſet. Tertiò in Achimelech ſummum Pontificem, & in omnes Sacerdotes ac Levitas in Nobe commorantes, quos omnes occidi juſſit per Doëgum, & cum iis cives omnes ac jumenta & pecora ipſa, 22. 18. & ſeq. quod anno 13. regni Saulis ponit Salianus. Mitto alias omnes molitiones furoris in Davidem & fautores ejus, reliquo vitæ tempore, ex quibus patet, quàm diabolicum malum ſit invidia & ira præceps, quæ ſpiritum nequam in animam inducit, & Spiritum ſanctum effugat. Guerricus Abbas Igniacenſis ſer. de Purif. ait, iram gradatim ducere ad gehennæ puteum, & Hermas diſcipulus S. Pauli lib. 2. Paſtoris, mandato 5. *Si*, ait, *iracundia aliqua ſupervenerit, continuò Spiritus ſanctus, qui in te eſt, anguſtiabitur, & quæret diſcedere. Suffocatur enim aſpectu nequiſſimo, & non habet locum apparendi Domino, ſicut vult. Tribulatur enim ab iracundia*, ait deinde, æquanimitatem, in qua nidum ſibi conſtituit Spiritus ſanctus, melle eſſe dulciorem.

75. Ira eſt tonitru & fulmen.

Quæres 2. An tantum ſit periculum peccandi per iram, ut neceſſe ſit, cùm dixerit David, *iraſcimini*, ſtatim velut frænum addere hoc monitum, *& nolite peccare?* Reſpondeo id colligi poſſe ex loco pſalmi noſtri, ubi verbum Hebr. eſt רִגְזוּ *rigzu*, tremite, contremiſcite, iraſcimini, quod tribuitur etiam ſono tonitrui ac terræ motûs, ut ait R. Jonas. Iram verò fulmini ac procellæ comparat Seneca lib. 3. de ira, cap. 1. quod præcipuè verum eſt in Rege, qualis erat Saul. Quale fulmen ira Cambyſis Regis, qui, ut ait idem Author, filium Præxaſpis unius ex intimis amicis ſuis ſagitta confodit, cap. 14. Quale Aſtyagis, qui Harpago filium epulandum dedit, cap. 15. Quale Darii, qui in Scythas movens, rogatus à Cebazo ſene, ut ex tribus liberis unum in ſolatium patri relinqueret, duorum opera uteretur: pluſquam rogabatur pollicitus, omnes ſe illi dixit remiſſurum, & occiſos in conſpectu parentis abjecit, cap. 16. Quale Xerxis, qui Pythio quinque filiorum patri, unius vacationem petenti, quem vellet eligere, permiſit: deinde, quem elegerat, in duas partes diſtractum ab utroque viæ latere poſuit, & hâc victimâ luſtravit exercitum, cap. 17. Quale Alexandri, qui Clitum cariſſimum ſibi & una educatum, inter epulas transfodit; & manu quidem ſuâ, parum adulantem, & pigrè ex Macedone ac libero in Perſicam ſervitutem tranſeuntem. Nam Lyſimachum æquè familiarem ſibi leoni objecit. Numquid ergò hic Lyſimachus, felicitate quâdam dentibus leonis elapſus, ob hoc, cùm ipſe regnaret, mitior fuit? Teleſphorum Rhodium amicum ſuum undique decurtatum, cùm aures illi naſúmque abſcidiſſet, in cavea velut novum animal aliquod & inuſitatum diu pavit, cùm oris detruncati mutilatique deformitas humanam faciem perdidiſſet. Accedebat fames, & ſqualor, & illuvies corporis in ſtercore ſuo deſtituti, calloſis ſuper hæc genibus manibúſque, quas in uſum pedum anguſtiæ loci cogebant: lateribus verò attritu exulceratis, non minùs fœda, quàm terribilis erat forma ejus viſentibus, factúſque pœnâ ſuâ monſtrum, miſericordiam quoque amiſerat: tamen, cùm diſſimillimus eſſet homini, qui illa patiebatur: diſſimilior erat, qui faciebat. Vide plura de Roman. c. 18. & ſeq. Sed ut à comparatione tonitrui & fulminis non recedamus, ac procellæ iis adjunctæ & inſonantis, iram illis comparemus.

1. Cambyſis ira furioſa.

2. Darii.

3. Xerxis.

4. Alexandri.

76. Ira habet 1. Suos vapores.

Primò, ut excitetur tonitru aut fulmen, *vapores & exhalationes* ex aquis & terra elevantur in aerem, atque ibi condenſantur. Ira, ut ait S. Joannes Damaſcenus lib. 2. cap. 16. componitur *ex triſtitia & deſiderio*: quod explicans S. Thom. 1. 2. qu. 46. art. 3. ait: quòd ira dicitur componi ex triſtitia & deſiderio: non ſicut ex partibus, ſed ſicut ex cauſis. Et 3. p. q. 15. 9. ait iram componi ex triſtitia & appetitu vindictæ. Triſtitia eſt velut vapor obſcurus: exhalatio verò eſt deſiderium ſeu appetitus ardens vindictæ. Exhalationes enim ſunt tenues ſpiritus, qui per æſtum maximum terrâ diffuſâ exhalantur, & ſurſum in aëra feruntur. Vapor ex aquis præſertim educitur. Ariſtoteles quoque lib. 2. Rhetor. dicit: iram eſſe cum triſtitia, & cum ſpe, & cum delectatione, ſed eodem modo dic, non continere multas paſſiones, ſicut genus ſpecies, nec ſicut cauſa ſuos effectus, ſed ſicut effectus ſuas cauſas.

Secundò, excitatis vaporibus & exhalationibus nubes condenſatur, & fiunt tenebræ. Cùm iræ curſum permiſeris, innumera menti objicit, ut opacas nebulas & fumos, qui rationis, ſapientiæ, veritatis, virtutum omnium, ac Dei ipſius Solem tollant. S. Greg. lib. 5. Moral. cap. 30. in illud Jobi 5. 2. *Vere ſtultum* (Hebr. אויל *evil*, audacem, temerarium, imprudentem, affectu immoderato, inſaniâ, impatientiâ aut irâ affectum, & multa temerè per furorem effutientem) *interficit iracundia, & parvulum occidit invidia*. (Ubi S. Thomas & Cajet. per iram & invidiam, quæ ſunt quaſi extremæ paſſiones atque vitia, omnia alia vitia, quæ media ſunt, accipi volunt.) Sanctus inquam Gregor. ait: *Quanta ſit iracundiæ culpa, penſemus, per quam, dum manſuetudo amittitur ſupernæ imaginis ſimilitudo vitiatur. Per iram ſapientia perditur: ut quid, quove ordine agendum ſit, omninò neſciatur, ſicut ſcriptum eſt, Eccle. 7. 10. Ira in ſinu ſtulti requieſcit, quia nimirum intelligentiæ lucem ſubtrahit, cùm mentem permovendo confundit. Per iram vita amittitur; & ſi ſapientia teneri videatur, ſicut ſcriptum eſt: Ira perdit etiam prudentes. quia ſcilicet confuſum animus nequaquam explet, etiamſi quid intelligere prudenter valet. Per iram juſtitia relinquitur, ſicut ſcriptum eſt, Ira viri juſtitiam Dei non operatur: quia, dum perturbata mens judicium ſuæ rationis exaſperat, omne, quod furor ſuggerit, rectum putat. Per iram lux veritatis amittitur, ſicut ſcriptum, Eph. 4. 26. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram: quia, cùm menti iracundia confuſionis tenebras incutit, huic Deus radium ſuæ cognitionis abſcondit. Per iram ſancti Spiritûs ſplendor excluditur, quo contra, juxta vetuſtam tranſlationem ſcriptum eſt, Iſa. 66. Super quem requieſcit Spiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos? Cùm enim humilem diceret, quietum protinùs adjunxit. Si ergo ira quietem mentis ſubtrahit, ſuam ſancto Spiritui habitationem claudit, cujus receſſione animus vacuus, ad apertam mox inſaniam ducitur, & uſque ad ſuperficiem ab intimo cogitationum fundamento diſſipatur. Nam iræ ſuæ ſtimulis accenſum cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies ignescit, exaſperantur oculi, & nequaquam recognoſcuntur noti. Ore quidem clamorem format, ſed ſenſus, quid loquatur, ignorat.* Siequa iræ eſt cauſa vitiorum omnium per accidens, ſcilicet removendo prohibens, id eſt, impediendo judicium rationis, per quod homo retrahitur à malis, ut docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 158. art. 6. ad 3. Guerricus Abb. ſer. de Purif. Ira, inquit, ſtultorum oculos extinguit, ſapientum oculos nonnunquam turbat. S. Chryſ. in pſal. noſtr. vocat illam ῥίζαν καὶ πηγὴν τῶν κακῶν, *radicem & fontem omnis mali*. S. Ambr. in Pſal. 36. *Ira gravis eſt magiſter à peccato*: ea proportione docet peccatum, quâ lucem tollit rationis.

73. 2. Nubes.

Tertiò, nube denſatâ vaporibus *frigidis* & exhalatione *calidâ* inter ſe pugnantibus ignis accenditur. Ira, ut ait S. Thom. 1. 2. quæſt. 46. articulo 2. in corp. reſpicit unum objectum ſecundùm rationem boni, ſcilicet vindictam, quam appetit: & aliud ſecundùm rationem mali, ſcilicet hominem nocivum, de quo vult vindicari: & ideò eſt paſſio quodammodò *compoſita ex contrariis paſſionibus*. Ignem verò in ira dominari oſtendit, quæſtione 48. articulo 2. Motus, inquit, appetitivus iræ cauſatur ex aliqua injuria illata, ſicut ex quodam contrario injacente. & ideò appetitus potiſſimè tendit ad repellendum injuriam per appetitum vindictæ: & ex hoc ſequitur magna vehementia & impetuoſitas in motu iræ. Et quia motus iræ non eſt per modum *retractionis*, cui proportionatur *frigus*, ſed per modum *inſecutionis*, cui proportionatur *calor*, conſequenter fit motus iræ *cauſativus cujuſdam fervoris ſanguinis & ſpirituum circa cor*, quod eſt inſtrumentum paſſionum animæ: & exinde eſt, quòd propter magnam perturbationem cordis, quæ eſt in ira, maximè apparent in iratis indicia quædam in exterioribus membris. S. Greg. mox cit. *Iræ ſuæ ſtimulis accenſum cor palpitat, facies ignescit*, &c.

74. Tertiò, ignis.

Quartò ignis tandem in nube victor emicat, atque eam dividit, ut viam ſibi faciat, & ad nocendum præceps cadat. Sic iræ flamma domos, urbes, provincias dividit unione charitatis diſruptâ, ut ſtrages faciat. Proverb. 15. ℣. 18. *Vir iracundus ſuſcitat rixas*. Hebraicè, *vir*, חֵמָה *hema*, excandeſcentiæ, ut vertit Arias: vir caloris, ardoris, æſtûs, id eſt, præceps, & flammas citò per iram concipiens. 2. Pro *ſuſcitat* eſt Hebraicè יָגְרֶה *iegare*, miſcebit, ruminabit, attrahet: quaſi diceret, innumeris dolis, fraudibus, mendaciis, negotia intricabit, & velut in prælio miſcebit lites, quas ruminando & acceptam injuriam concoquendo attrahet, non contentus iis, quibus neceſſitas ac juſtitia ipſum implicabit. 3. Pro *rixas* Hebraicè eſt מָדוֹן *madon*, contentionem, ut vertit Arias: lites, ut Pagninus. Sumi etiam

75. Quartò diſciſſiones.

poteſt activè pro reprehenſione. Rixa eſt lis, contentio, pugna, deducitur à ringendo, quod eſt propriè canum, eſt enim ringere, os torquere, quod canes faciunt, cùm latraturi ſunt, vel cùm ex ira in rugas deducunt os. Metaphoricè ſumitur à Terentio in Phorm. pro iraſci. Poſſis ringo derivare à græca voce ῥὶν naris, quaſi ſit narem ago, id eſt, torqueo. Ad rem noſtram aptè Feſtus: Rictus, inquit, rixæ, rixosè, ringitur, dici videntur, quia in diverſum rumpantur, contrariaque ſint recto. Ardore autem excitari rixas habes Proverbiorum 26. ꝟ. 21. *Sicut carbones ad prunas* (incendendas valent) *& ligna ad ignem, ſic homo iracundus* (Septuaginta, λοίδορος, conviciator. Aquila, ſuſurro. Theodotio, murmurator. Symmachus, doloſus. Hebr. vir contentionum, id eſt, contentioſus) *excitat rixas.* Theodotio, *ad ſuccendendam litem,* eſt enim ignis & carbo omnis ira. Ignis autem ille diviſionem affert, tollendo charitatem. Sanctus Gregorius 5. Moralium 30. *Per iram gratia vitæ ſocialis amittitur, ſicut ſcriptum eſt* Proverbiorum 22. ꝟ. 24. *Noli eſſe aſſiduus cum homine iracundo, ne diſcas ſemitas ejus, & ſumas ſcandalum animæ tuæ.* Et idem 18. ꝟ. 14. *Quis poterit habitare cum homine, cujus ſpiritus facilis eſt ad iraſcendum? Quia, qui ſe ex humana ratione non temperat, neceſſe eſt, ut beſtialiter ſolus vivat. Per iram concordia rumpitur, ſicut ſcriptum eſt Proverbiorum* 15. 18. *Vir animoſus parit rixas, & vir iracundus effundit peccata, iracundus quippe peccata effundit, quia etiam malos, quos incautè ad diſcordiam provocat, pejores facit.* Rixam ex ira oriri docet S. Th. 2. 2. q. 41. 2.

76. Quintò, ſonum. Quintò: Nube diſtractâ ſonus tonitrui auditur. Ira non expletur, niſi inſonet, præſertim in mulierculis. Vociferatio eſt filia iræ. Ut enim ait ſanctus Doctor 2. 2. quæſt. 158. articulo 7. Ira poteſt tripliciter conſiderari. Uno modo, ſecundùm quod eſt in corde: & ſic ex ira naſcuntur duo vitia. Unum quidem, ex parte ejus, contra quem homo iraſcitur, quem reputat indignum, ut ſibi tale quid fecerit. Et ſic ponitur indignatio. Aliud autem vitium eſt ex parte ſui ipſius, in quantum ſcilicet excogitat diverſas vias vindictæ, & talibus cogitationibus animum ſuum replet, ſecundum illud Jobi decimo quinto, verſu ſecundo: *Numquid ſapiens implebit ardore ſtomachum ſuum?* Et ſic ponitur tumor mentis. Alio modo conſideratur ira, ſecundùm quod eſt in ore. Et ſic ex ira duplex inordinatio procedit. Una quidem, ſecundùm hoc, quòd homo in modo loquendi iram ſuam demonſtrat, ſicut dictum eſt de eo, qui dicit fratri ſuo, racha. Et ſic ponitur *clamor*, per quem intelligitur inordinata & confuſa locutio. Alia etiam eſt inordinatio, ſecundùm quod aliquis prorumpit in verba injurioſa, quæ quidem, ſi ſint contra Deum, erit blaſphemia; ſi autem contra proximum, contumelia. Tertio modo conſideratur ira, ſecundùm quod procedit uſque ad factum. Et ſic ex ira oriuntur rixæ, per quas intelliguntur omnia nocumenta, quæ facto proximis inferuntur ex ira. Iræ vox in rege vocatur fremitus leonis Proverbiorum 19. verſu 12.

77. Sextò, celerem impetum. Sextò: Fulmen decidit maximo impetu, & ſtrages edita videtur. Iræ impetus eſt fulmineus; 1. Quia celerrimus. 2. Quia efficaciſſimus. 3. Quia illi reſiſti ſæpè non poteſt. Seneca in Proverbiis: *Fulmen eſt, ubi cum poteſtate habitat iracundia.* Hoc fusè declarat libro tertio de ira capite primo: *Cæteri, ait, affectus dilationem recipiunt, & curari tardius poſſunt: hujus incitata, & ſe ipſa rapiens violentia, non paulatim procedit, ſed, dum incipit, tota eſt. Nec aliorum more vitiorum ſollicitat animos, ſed abducit: & impotentes ſui cupidosque vel communis mali exagitat: nec in ea tantum, in quæ deſtinavit, ſed in occurrentia obiter furit. Cætera vitia impellunt animos, ira præcipitat. Cæteris etiamſi reſiſtere contra affectus ſuos non licet, at certè affectibus ipſis licet ſtare: hæc non ſecus quàm fulmina procellæque, & ſi qua alia irrevocabilia ſunt, quia non eunt, ſed cadunt, vim ſuam magis ac magis tendit. Alia vitia à ratione, hæc à ſanitate deſciſcit: alia acceſſus leves habent, & incrementa fallentia: in iram dejectus animorum eſt. Nulla itaque res urget magis attonita, & in vires ſuas prona, &, ſive ſucceſſit, ſuperba: ſive fruſtratur, inſana: ne repulſa quidem in tædium acta, ubi adverſarium fortuna ſubduxit, in ſeipſam morſus ſuos vertit: nec refert, quantum ſit, ex quo ſurrexit. Ex leviſſimis enim in maximo evadit. Nullam tranſit ætatem, nullum hominum genus excipit. Quædam gentes beneficio egeſtatis non novêre luxuriam: quædam, quia exercitæ & vagæ ſunt, effugere pigritiam, quibus incultus mos, agreſtis vita eſt, circumſcriptio ignota eſt & fraus, & quodcunque in foro malum naſcitur: nulla gens eſt, quam non ira inſtiget, tam inter Græcos, quàm barbaros potens: non minus pernicioſa leges metuentibus, quàm quibus jura diſtinguit modus virium. Denique cætera ſingulos corripiunt: hic unus affectus eſt, qui interdum publicè concipitur. Nunquam univerſus populus unius fœminæ amore flagravit: nec in pecuniam aut lucrum tota civitas ſpem ſuam miſit: ambitio viritim ſingulos occupat. Impotentia non eſt malum publicum: ſæpè in iram uno agmine itum eſt: viri, fœminæ, ſenes, pueri, principes, vulgusque conſenſêre: & tota multitudo paucíſſimis verbis concitata, ipſum concitatorem anteceſſit. Ad arma protinus ignesque diſcurſum eſt, & indicta finitimis bella, aut geſta cum civibus. Tota cum ſtirpe omni cremata domus.* Hæc Seneca, &c. Quòd fulmen tot ignes excitavit, quot ira? Sanctus Bernardus ſermone duodecimo in Pſalmum nonageſimum eam vocat draconem, qui flatu igneo, quicquid attigerit, necat: non modò beſtias terræ, ſed & volucres cœli. Sanctus Cyrillus libro ſexto contra Julianum nuncupat peſſimum animæ morbum. S. Thom. 2. 2. quæſtione 158. articulo 4. inquirens, an ira ſit graviſſimum omnium peccatorum? fatetur quidem, ſi ira ſpectatur ſecundum indebitum appetibile, eam non eſſe maximum peccatum, cùm appetat malum pœnæ alterius ſub ratione boni, nempe juſtæ vindictæ; ſed quantum ad inordinationem, quæ eſt ſecundùm modum iraſcendi, iram habere quamdam excellentiam propter vehementiam & velocitatem ſui motûs, ſecundùm illud Proverbiorum 27. ꝟ. 4. *Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit?* S. Joannes Damaſcenus libro 2. de fide capite 16. aſſignat tres ſpecies iræ, ſcilicet fel, maniam & furorem; quod explicans S. Thomas 1. 2. quæſtione 46. articulo 8. Tres ſpecies iræ ſumuntur ſecundùm ea, quæ dant iræ aliquod augmentum, quod quidem contingit tripliciter. Uno modo ex facultate ipſius motûs, & talem iram vocat *fel*, quia citò accenditur. Alio modo ex parte triſtitiæ cauſantis iram, quæ diu in memoria manet, & hæc pertinet ad maniam, quæ à manendo dicitur. Tertiò, ex parte ejus, quod iratus appetit, ſcilicet vindictæ, & hæc pertinet ad furorem, qui nunquam quieſcit, donec puniat. Unde Philoſophus lib. 4. eth. c. 5. quoſdam iraſcentium vocat acutos, quia citò iraſcuntur; quoſdam amaros, quia diu retinent iram; quoſdam difficiles, quia nunquam quieſcunt, niſi puniant. S. Chryſ. ſer. de manſuetudine to. 5. *Ira,* inquit, *eſt quaſi fulmen & tempeſtas magna in anima, ferventemque ſibi amentem reddit.*

Septimò, ſæpè fulmini immiſcetur dæmon, & iracundiæ. Proverbiorum 16. 14. *Indignatio regis nuncii mortis.* R. Salomon vertit, *velut nuncius mortem afferens.* Chaldæus, *Angeli mortis ſunt.* Aben Ezra: Regis ira eſt velut angelorum mortis indignatio, qui impios interneciomi dedunt. Septuaginta: *Ira regis eſt Angelus mortis.* Angelus autem mortis, ait Cornelius, in Scriptura dæmonem ſignificat, qui ſolet mortis eſſe nuncius, imò carnifex, q. d. *Ira regis eſt Angelus mortis*, id eſt, ira in rege dæmon quidam eſt voluntarius, illum ad ſævitiam & crudelitatem impellens. Et ſanè multi locum illum 1 Regum 19. *Et factus eſt ſpiritus Domini malus in Saul*, de iracundia interpretantur, quæ Saulem tam vehementer concitabat, ut ſimilis arreptitio cuidam fureret. Rurſum S. Baſilius homiliâ de ira: *Neque enim enſis acies, neque horrendum aliquid animum ita iraſcentem ſatis compeſcere valebit,* ὡ μᾶλλον, ἢ τὰς ὑπὸ δαιμόνων κατασχεθέντας, *non magis, quàm à dæmonibus detentos, à quibus irati nec forma, nec animi affectu differunt.* Et rurſus iram vocat voluntarium dæmonem. Abbas Iſaac in Lyco civitate Thebaidis in Ægypto habitans vidit diabolum, qui aſſeruit ſe præſidere iræ & memoriæ injuriarum, ſibi dicentem: *Propter lenticulam iratus es vicino tuo, & ego ſum, qui præſum iræ & memoriæ injuriarum,* ἀπ' ἄρτι ἐμός εἶ, *ex amodo meus.* His auditis, mox egreſſus cellulam, abiit ad fratrem, & proſtratus ab illo veniam petiit, & illi reconciliatus eſt. Tu damna iræ atque ſævam ejus tyrannidem advertens fac ſimiliter, ne te dæmon poſſideat, ut aliàs accidiſſe nolentibus iram mitigare, & hoſtibus parcere oſtendi. 78. Septimò, dæmonem.

79. Licitum eſt aliquando iraſci. Quæres ſecundò: An aliquando licitum ſit iraſci, cùm dicat David, *iraſcimini.* Reſpondeo affirmativè cum S. Thoma, qui ait 2. 2. articulo primo, quæſtione 158. tunc cùm quis iraſcitur ſecundùm rationem rectam, tunc iraſci eſſe laudabile, & argumenta in contrarium objecta confutat, & ait, iram per zelum eſſe bonam; iram verò per vitium eſſe malam. Quinimò articulo 8. toto docet, defectum iræ conſequentis judicium rationis, vitioſum eſſe. Tenemur enim aliquando iraſci, ad propulſanda mala vel nobis vel proximo impendentia, & ad juſtam vindictam de aliis ſumendam ob impietatem.

Primò enim ira paſſiones reprimit. 1. Eſt miles fortis. 2. Seditione compeſcit. 3. Stipator eſt rationis. 4. Eſt Phinees zelo ardens.

Primò enim, ira ſæpè neceſſaria eſt ad paſſiones reprimendas ac vitia. S. Baſil. ſer. de ira ait, eam eſſe militem fortem, qui in hoſtem inſilit ad vocem regis ſui. *Ira,* inquit, *veluti,* στρατιώτης παρὰ στρατηγῷ τὰ ὅπλα θέμενος, *miles apud ducem arma ſumens paratus eſt ejus juſſu auxilium præbere, & ſubſidio venire adverſus vitia.* Plato lib. 4. de Republica aſſerit, iram, ἐν ψυχῆς στάσει τίθεσθαι τὰ ὅπλα πρὸς λογιστικῷ, *in ſeditione animæ pro ratione arma capere.* S. Iſidorus Peluſ. lib. 3. epiſtolâ 338. ad Orionem monet, voluptates præſtigiis animam illicere, ac rationem è principatu diſturbare, ſed *ſi ira*, καθάπερ ὑπασπιστὴς βασιλεῖ ἀκούσεια, ῥᾳδίως ἐκείνας καταγωνισθήσονται, *tanquam ſtipator regi obedientem ſe præbeat, facilè urgente illa opprimuntur.* Ira per zelum eſt ardens Phinees ſtricto pugione in lupanar ingrediens, & occidens Zambri filium Salu, ducem de cognatione & tribu Simeonis, & Cozbi

filiam

filiam Sur, principis nobiliſſimi Madianitarum, Numer. 25. 8. & ſeq. ideò ceſſavit plaga divina à filiis Iſraël, quia jam viginti quatuor millia perierant ob fornicationem cum filiabus Moab & Madian: & ipſi ac poſteris ejus promittitur ſacerdotium ſempiternum, *quia zelatus eſt pro Deo ſuo, & expiavit ſcelus filiorum Iſrael*; ſanguine eorum duorum ſimul peccantium. Sanctus Petrus Damiani epiſtolâ duodecima: vel, ut alii diſtinguunt 11. capite 2. ad Nicolaum II. Papam, putat in præmium tam præclari facinoris Phinees non eſſe mortuum, ſed eſſe eumdem cum Elia, qui tranſlatus eſt in cœlum igneis equis, & in fine Mundi pugnabit cum Antichriſto: nititur promiſſo ſacerdotii ſempiterni. Sed hoc eſt improbabile.

1. Eſt Elias igneus. Ira ſancta eſt Elias igneus & fulmineus, ſtrictum gladium tenens in medio Iſraëlitarum omnium in monte Carmelo, diſtrictis etiam gladiis in 450. Pſeudo-Prophetas Baal irruentium, & omnes occidentium in oculis ipſius Achab. Ex ejus ore hæc epigraphe egreditur: *Apprehendite Prophetas Baal, & ne unus quidem effugiet ex eis*, 3 Regum. 18. ℣. 40. rectè de eo ait S. Bernardus libro 4. de conſid. ad Eugenium Papam: *Elias forma juſtitiæ, ſanctitatis ſpeculum, pietatis exemplar, aſſertor veritatis, fidei defenſor, doctor Iſraëlis, magiſter inſipientium, refugium oppreſſorum, pauperum advocatus, judex viduarum, oculus cæcorum, lingua mutorum, ultor ſcelerum, malorum metus, bonorum gloria, virga potentium, malleus tyrannorum, regum pater, ſal terræ, Orbis lumen, propheta Altiſſimi, præcurſor Chriſti, Chriſtus Domini, Deus Achab, Baalitarum terror, idololatrarum fulmen.* Si ira fulmen eſt, decidat in caput impiorum militum Ochoziæ, 4 Reg. 1.

80. *Secundò, ira juvat ad virtutes acquirendas.* Secundò: Ira neceſſaria eſt ad acquiſitionem virtutum, præſertim difficilium: removet enim hoſtem ſeſe opponentem, ut lictor Conſulem præcedens ſecuri armatus ac virgis, aut armiger ac ſatelles regem armatus adjuvans. Ab Ariſtotele vocatur cos virtutis, à S. Baſilio cos fortitudinis, à S. Iſidoro Peluſ. libro 1. epiſtolâ 180 βοηθὸς ψυχῆς ἀλλ... καὶ χαυνότητος, νευρῶν σώματος, animæ opitulatrix, ut corporis ignaviam ac mollitiem corroboret. *2. Eſt cos virtutis. 2. Animæ adjutrix.* Sanctus Chryſoſtomus in Pſalmum noſtrum nuncupat ὄργανον χρήσιμον, utile inſtrumentum, ἵνα τὸ ὑπνηλὸν ἡμῶν διεγείρῃ, ut noſtram excitet ſomnolentiam & animum noſtrum incendat, viresque & robur addat. *3. Inſtrumentum utile.* 2. Ira virtutum acquiſitarum eſt fortis & vigil cuſtos. Iſaias Abbas orat. 2. eam vocat *virtutum cuſtodem, ſine qua caſtitas homini non conſtat.* *4. Cuſtos ſtrenuus.* Judithsm noſtræ Campaniæ ira ſervavit, quæ, ut caſtitatem ſuam ſervaret, duci Campaniæ vim inferre volenti, id fecit, quod Judith Holoferni, ut ſuum honorem, & ſuæ *Bethuliæ*, quæ ſignificat *virginitatem*, tueretur. *Chriſtiana Judithæ factum generoſum.* Quod factum ipſe Dux approbavit lethaliter ſaucius, eamque tutam & illæſam ſervavit, animo verè generoſo & Chriſtiano, ut eſt in Annal. Franc. Denique 3. ira virtutes conſervatas auget, vocat illam, φιλοσοφίαν καὶ κηδεμονίαν, *Philoſophiam & curam*. *5. Virtutes auget.* Id ſumpſerat à S. Chryſoſtomo in Pſalm. noſtr. qui nuncupat, φιλοσοφίαν, κηδεμονίαν, καὶ οἰκονομίαν, ſi quis morbus animæ accidat, ſtatim medetur: Ideò ibi etiam appellatur, παθῶν φάρμακον, *perturbationum remedium*. *6. Pharmacum mentis.* Sed cave, ne medicamentum in venenum vertas, & clavum, quo navem gubernare debes, in cautes ac ſcopulos immittas.

Tertiò, ira alios juvat & protegit. Tertiò: Ira neceſſaria eſt, ut incitemur ad ſubveniendum injuſtè oppreſſis & afflictis: quod præſertim verum eſt in Prælatis ac Principibus. Hic aculeus erat in S. Malachia, Hiberniæ Epiſcopo, de quo S. Bernardus in vita ſic ait: *De quacumque tribulatione clamaretur ad eum, propriam reputabat, niſi quod in ſua patiens, in aliena compatiens erat, plerumque & impatiens.* Hoc tamen ita præſtabat, ut iræ ipſe dominaretur, non ſubjiceretur, unde ſubnectit: *Nam ira illi, ſed ipſe animo dominabatur. Erat ſui motor potis. Sanè victor ſui irâ ſuperari non poterat. Ira ejus in manu ejus. Vocata veniebat: exiens, non erumpens: nutu, non impetu ferebatur: non utebatur illâ, ſed utebatur.* Iiſdem propè verbis moderationem ſancti Wilhelmi Eremitæ commendat Theobaldus Epiſcopus in ejus vita, cap. 24. *Ira ejus in manu ejus, juſſa, non excuſſa, progrediebatur, movebatur ea, non turbabatur. Interioribus animi motibus præſidebat ut Dominus; nullis ſubjacebat, ut mancipium.* Audi S. Ambroſium ſapienter monentem l. 10. epiſt. 82. *Et ſi iraſcimur, affectus noſter motum recipiat ſecundùm naturam. Quis enim feras, ſi ipſe gubernare nequeat, qui alios gubernandos receperit?* Iratus eſt Chriſtus, Matthæi 15. 7. & 22. 18. & 23. 7. Joannis 2. 17. S. Petrus, Actorum 5. 4. & 8. 20. Paulus Actorum 13. 10. & 23. 3. Moſes 32. 26. eos cæterόſque Sanctos imitemur.

ARTICULUS V.

Sub veſperam examen conſcientiæ eſt inſtituendum, præſertim de iis, quæ per iracundiam admiſſa ſunt.

MOnuit hoſtes David, ut ſi de die iraſcerentur, illi modum ita imponerent, ut non peccarent, Nunc etiam hortatur, ut quæ de nocte cogitaverint, excutiant, & de iis dolentes emendent, verſu eod. 5. QUÆ DICITIS (*cogitatis*) IN CORDIBUS VESTRIS, IN CUBILIBUS VESTRIS (*de iis*) COMPUNGIMINI. Verſ. 5. 2. Pars.

81. *Cogitationes noſtræ ſunt excutiendæ.* Nota primò, pro *quæ dicitis*, in Hebræo eſt אמרו *imru, dicite*: ut S. Cypr. de orat. Domin. & S. Aug. libro de Magiſtro capite 1. legunt. *Loquimini*, ut S. Hieronymus, quaſi diceret, ſi in corde dixeritis, ut ait Genebrardus: ſicut priùs dixerat: *Iraſcimini*, id eſt, iraſcamini, &c. Nec verum eſt, quod ait Lorinus, poſſe legi *ameru*, & ſubaudito *aſer* exponi, *quæ dixiſtis*, vel *dicitis*. Nam *ameru* eſt tertiæ perſonæ pluralis, & ſignificat *dixerunt*: non verò, dicitis, aut dixiſtis. Nota ſecundò: Cubilia ſumi poſſunt: 1. Pro cordibus, & ſic ſumit S. Auguſtinus & Alcuinus. 2. Pro locis deſertis & ſaltibus, ut facit Lyranus: ita vocamus cubilia ferarum loca, in quibus feræ degunt. Tullius 2. de natura deorum: Delireſcunt, inquit, cubilibus beſtiæ. Et Quintilianus libro 2. capite 16. moliri cubilia ferarum. 3. Cubilia propriè ſunt lecti, quòd in eis cubetur: & optimè vocem Hebraicam משכב *miſchab*, exprimit: à rad. *ſacab*, cubare, decumbere, dormire, requieſcere: & hæc acceptio eſt optima hoc loco. Nota tertiò, pro *compungimini* in Hebræo eſt דמו *dommu, tacete*, ut S. Hieronymus, Pagnin. & Arias reddunt. Aquila ἡσυχάσατε, *quieſcite, expectate, tacete*. Itaque agitur de compunctione & contritione interna cordis, quæ faciliùs habetur cum ſilentio in nocte, remoto omni curarum & hominum tumultu. Additur vox *ſela* in Hebræo, quam S. Hieron. vertit *ſemper*: ſed de vi ejus vocis dixi, Pſal. 3. verſ. 3.

82. *Senſus hujus loci. 1.* His poſitis: Primus ſenſus eſt, q. d. Quæ dicitis in cordibus veſtris, quæ corda ſunt cubilia veſtra, quorum clauſis oſtiis orandus eſt Deus, Mat. 6. 6. compungimini de illis per voluntariam punitionem peccatorum veſtrorum, & excitationem tanquam ſtimulis ad videndam lucem Chriſti. Ita S. Aug. S. Thomas, Alcuinus, Gloſſa, aliique.

Secundus ſenſus eſt Lyrani, q. d. De cogitationibus, quas habetis in cordibus veſtris: & de ſermonibus in tentoriis, ac deſertis locis, contra me compungimini.

3. Et optimus. Tertius ſenſus, & genuinus eſt, q. d. Quæ de nocte in corde verſatis ſuper lectum veſtrum, machinantes contra me, & varios dolos in me excogitantes, abjicite, de illis dolete, ac pœnitentiam agite. Ira veſtra diurna in me apparuit, quam videns, monui, ut non peccaretis: nunc ſciens etiam nocturnas invidias, rancores, amaritudines, malas nocendi mihi voluntates, moneo, ut ab illis deſiſtatis, & qui me vultis configere, cor veſtrum vero & ſancto dolore configatis, ut omnis malitia & malevolentia inde exeat, & Deo reconciliemini ab omni ſorde emundati. Alludit David ad nocturnum

Digitized by Google

num ſuum periculum: cùm enim Saul anno regni ſui undecimo filiam ſuam Michol dediſſet ipſi in uxorem, ſtatim anno inſequenti ejus invidia hactenus recta foras erupit, & quem non potuit occultè perdere Philiſthæis objectum, quos ſemper debellabat, conatus eſt per Jonatham filium ſuum conficere: qui rem diſſuaſit ſapienter atque generosè, natus tunc circiter annos 40. ut docet Salianus. Sed poſt iterum debellatos à Davide Philiſthæos, iterum Saul invidiâ rumpitur, à dæmone poſſidetur, lanceam torquet in Davidem citharâ pſallentem, ut dæmonem fugaret, aut dolorem leniret: curat fugientem domi ſuæ noctu obſideri, ut manè captus in ſuo conſpectu occidatur, ne ampliùs regnum ſibi ab eo eripiendum eſſe metuat: ſed Michol eum per feneſtram dimiſit, ſtatuam in lecto poſuit oppoſitâ pelle villoſa caprarum ad caput ejus, quæ hominis jacentis cæſariem repræſentaret, & operuit eam veſtimentis: ſicque David fugit ad Samuelem in Naioth in Ramatha. Adrichomius dicit Najoth locum fuiſſe juxta urbem Ramatha ſeu Rama, tribus Benjamin, ſex milliaribus diſtantem ab Jeruſalem verſus Bethel, ubi David & Samuel manſerunt, ac poſteà Saul ipſe prophetavit. Tropologicè. Si vis ſalvari à Mundi periculis, & eſſe David, id eſt, *amabilis*, fuge in *Naioth*. Chaldæus vertit, *domum doctrinæ*. Ibi enim erat Eccleſia, ut dicit Joſephus: hoc eſt collegium Prophetarum: virorum ſcilicet religioſorum Deo vacantium. David primò fugit in Rama, ubi tunc erat Samuel. *Rama* ſignificat excelſum, ſublimem, eminentem: talis eſt domus religioſa & contemplatio; eſt civitas ſupra montem poſita. Ex Rama iverunt Samuel & David in *Naioth*, quod ſignificat extenſionem, expanſionem, dilatationem. Religioſi veri & perfecti converſatio in cœlis eſt, non clauditur ejus animus anguſti Mundi terminis, intrat amplam Dei domum ac Deum ipſum immenſum, in eoque & cum eo inambulat ac dilatatur corde, fitque *Samuel*, id eſt, audiens Deum, obediens Deo: ac prophetat, toto corde & ore intentus Dei laudibus, 1 Reg. 19.

Tropologicè: Senſus Pſalmi noſtri eſt. Tempore nocturno, cùm ſoli eſtis in lectis veſtris, ab omnibus aliis curis liberi: tunc in cordibus veſtris errata omnia expendite, & de illis dolete. Ita Orig. Theodoret. S. Chryſoſt. Bellarm. & alii, qui putant hunc ſenſum eſſe literalem; ſed veriùs eſt tropologicus, cùm hîc de Saulis perſecutione agatur. Itaque primariò David illum & ſatellites ejus monet, ut à concepto in ipſum facinore deſiſtant. Pia tamen atque utilis eſt hæc expoſitio. Alleg. agitur de conſiliis contra Chriſtum, de quibus Valentia Pſalmum explicat.

83. Conſcientiæ examen eſt inſtituendum. Conſcientiæ examen ſerotinum commendant Patres omnes. Ejus materiam, judicem, tempus, locum, modum cum Propheta noſtro videamus.

1. Ejus judex aſſignatur. Primò: Judices ſui ipſorum vult omnes eſſe. *Quæ dicitis in cordibus veſtris*, (in illud aditum nemo præter vos penetrat) *in cubilibus veſtris compungimini*. Apoſtolus monet 1 Corinthiorum 11. ℣. 31. *Si noſmetipſos dijudicaremus*, *&c*. Id eſt, ut Gagneius & Cajetanus explicant, examinaremus, excuteremus: ut ſi quid errati reperiamus, illud ſedulò & ferventi contritione & confeſſione expiemus. Hoc ſignificat διακρίνειν apud Demoſthenem & Platonem. Seneca tradit Sextium conſummato die, cùm ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogâſſe animum ſuum: *Quod hodie malum tuum ſanâſti? Cui vitio obſtitiſti? Quâ parte melior es?* &c. Laërtius refert Pyrrhonem Elienſem, qui ſolus ſecum loquebatur, ac vitæ à ſe repoſcebat rationem, cùm rogaretur: quid ageret? Dixiſſe: *Meditor bonus ut ſim*. Sanctus Chryſoſtomus hoc inculcat in Pſalmum noſtrum. Poſt cœnam, ait, quando is dormitum, quando es decubiturus, & nullo præſente multa quies & ſilentium, ac nemine interturbante profunda tranquillitas, τὸ δικαστήριον ἔγειρον τοῦ συνειδότος, *excita judicium tuæ conſcientiæ*, ab ipſa rationem exige, & quæ interdiu mala cepiſti conſilia, vel dolos conſtruens, vel propinquum circumveniens, vel prava deſideria ſuſcipiens: ea cùm in medium adduxeris, & improbis illis cogitationibus *conſcientiam judicem dederis*, *eas fodica & lancina*, &c. Ita ipſe. Judex ille non fallitur, cùm ſit etiam teſtis: nec parcit, cùm ſit continuus carnifex, præſertim de nocte. Job in perſona peccatoris dicit capite 30. verſu 17. *Nocte os meum perforatur doloribus*. Nicetas vertit, oſſa exuſta ut ſit tuentium cruciatuum. Sept. oſſa confracta. S. Auguſtin. oſſa contuſa. Per oſſa autem Nicetas intelligit animi nervos. *Et qui me comedunt, non dormiunt*. Complut. habent, fugientes mei, id eſt, perſecutores & hoſtes mei, ut explicat Algarbienſis Epiſcopus & Philippus, qui tam de hominibus, quàm de dæmonibus accipit. 2. Et propriè, *qui me comedunt*, id eſt, vermes, qui depaſcuntur membra mea, ut S. Gregorius, S. Thomas, Philippus, aliique exponunt. 3. Vermes conſcientiæ longè ſunt diriores in peccatores, qui ſunt vermes diluculi percutientes Jonæ hederam, id eſt, vanitatem ſæculi, & in media luce honoris non ſinentes ſincerum & purum gaudium haberi, ſunt autem vermes nocturni, acriùs mordentes in putredine voluptatum.

Secundò, examinis materia non ſunt tantùm dicta & facta, ſed etiam cogitata. *Quæ dicitis in cordibus veſtris*. S. Fulgentius libro 3. ad Monim. capite quarto advertit, hoc loco & aliis *dicendi* verbum idem valere, quod cogitandi. Arabs clarè vertit: *Ejus quod cogitatis in cordibus veſtris, pœniteat vos in cubilibus veſtris*. Cogitatio mala eſt ignis animam devorans, niſi citò excutiatur. Iſaiæ 33. verſu 11. *Concipietis ardorem, parietis ſtipulam, ſpiritus veſter ut ignis vorabit vos*. Id eſt primò, vos Aſſyrii concipitis animo incendium Jeroſolymæ, ſed cum Sennacherib veſtro peribitis: vos enim eſtis ſtipulæ incendio deſtinatæ. Ita Foreriuſ, Delrio adag. 758. & Sanctius. Cogitatio prava eſt bitumen: polluit, & accendit. Eſther decimo quarto, verſu decimo ſexto, cogitationes ambitioſas pannum menſtruatæ reputabat, atque omnem oſtentationem mundanam capiti, quod eſt mentis ſymbolum, impoſitam. *Tu ſcis* (dicebat Deo) *neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentii mei*. Tempus ſilentii noſtri eſt nox: unde Hebr. habent in verſu noſtro: *Dicite* (cogitate) *in cordibus veſtris ſuper cubilia veſtra: & tacete*: numquam tacet avarus, aut ambitioſus, aut delicias amans, ſed in ipſa nocte, dicit ſe horrea ampliora facturum, nullum pratum fore, quod non pertranſeat luxuria ſua, coronas è roſis & gemmis quærendas. Sed Rex noſter poſito diademate ſordes abluebat, Pſal. 6. 7. *Lavabo* (S. Hieron. *natare faciam*: ob ubertatem fletûs) *per ſingulas noctes* (quia ſingulis diebus pulverem contrahimus) *lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo*. Illis aquis ignis concupiſcentiæ extinguitur, & ſordes abluuntur, Iſa. 16. *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis*, &c. Additur ℣ 18. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum* (S. Baſil. legit, *ut phœnicium*, & putat peccatum comparari lepræ: quòd hic morbus vocetur etiam Græcè φοινική, quòd ſit colore rufo inſtar palmæ, quæ φοῖνιξ dicitur, ait Galenus: ſed vox Hebr. שני *chani*, non lepram, ſed *coccinum* tantùm ſignificat) *quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra ſicut vermiculus, quaſi lana alba erunt*. Apuleius lib. 1. Florid. memorat ab Gymnoſophiſtis, id eſt, Philoſophis Indorum, ſolitos eſſe interrogari diſcipulos ſub veſperam: Quod factum à lucis ortu ad illud diei, bonum fecerint? Laërtius in Pythagora ait, eum inclinante die voluiſſe hæc à ſingulis auditoribus ſuis exciri: πῆ παρέβην, τί δ' ἔρεξα, τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη, *Quid prætergreſſus? Quid geſtum in tempore? Quid non?* Indi facta volebant expendi. Pythagoras etiam omiſſa, Tullius etiam dicta & audita. Sic enim lib. de Senectute: *Quid quoquo die feceris, audiveris, dixeris, veſpere commemorandum*: ſed ad cogitationum arcem, ad cordis aditum non penetrant, *Dominus autem intuetur cor*. Sept. vidi bie

84. 2. Materia.

in

in cor: id eſt, in cordis intima, deſcendit in profundum abyſſi. Hebr. eſt: *Homo videt* (& videndo judicat) *ſecundùm oculos*, (oculorum apparentiam) *Deus autem videt ſecundùm cor*, cætera pro nihilo ducit, niſi à corde ut radice & fonte procedant. Cùm itaque mundi ſint oculi ejus, ut non videant, id eſt, approbent, malum, cor eſt quotidie emundandum, ne ab eo oculos & radios avertat.

85. Tertiò, examinis conſcientiæ locus aſſignatur, *in cubilibus veſtris*. Hebr. אל *al*, *ſuper*, *juxta* cubile veſtrum: q. Non in ipſo lecto, ſed propè lectum genuflexus examen breve inſtitue: ſi totum diem cum hominibus tanto ſtudio, dexteritate, civili prudentiâ, honeſtate ac decentiâ egiſti, cum Deo ne ages eo habitu & corporis ſitu, quo ne mediocris quidem conditionis hominem velles alloqui? Joël invitans ad pœnitentiam ait, cap. 2. 16. *Egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo*, ut Deo ſe ſiſtant, & pœnitentiæ ac lacrymis vacent. In ipſo cubili utilis eſt contritio de peccatis, & affectus emendationis ac propoſitum: ait meretrix Prov. 7. 17. *Aſperſi cubile meum myrrhâ, & aloë, & cinnamomo. Veni, inebriemur uberibus.* Tu myrrhâ tantùm aſperge ac lacrymis. Invidus, & inimicorum oſor aſpergit cubile ſuum veneno, Iſa. 34. 13. *Orientur in omnibus ejus* (Idumææ, id eſt, ſanguinariæ, q. d. animæ ſitientis ſanguinem) *ſpinæ, & urticæ, & paliurus* (genus ſpinæ aſperæ, quod agri folium dicitur) *in munitionibus ejus: & erit cubile draconum.* Avarus conſpergit lectum ſuum oſſibus mortuorum, & fit leonum cubile, Jerem. 4. 7. agens de Nabuchodonoſore, ait: *Aſcendit leo de cubili ſuo, & prædo* (Hebr. משחית *maschith*, interfector) *ſe levavit.* Voluptuarii aſpergunt lectum ſuum lacte, & floribus, atque, ut modo dixi, odoriferis unguentis, & fit cubile Babylonis, id eſt, confuſionis: in prole, conjugio, & mente, ac tota vicinia, atque ipſo corpore, Ezech. 23. 17. *Cùmque veniſſent ad eam* (Jeruſalem: animam priùs videntem pacem) *filii Babylonis ad cubile mammarum*, (Hebr. דודים *dodim*, amorum, ſeu mammarum: cubile ergò amatorium indicat, ait Vatablus) *polluerunt eam ſtupris ſuis, & polluta eſt ab eis, & ſaturata* (uſque ad nauſeam & faſtidium ſatiata) *anima ejus ab illis.* Ut enim rectè S. Hieronymus: Voluptas non eſt perpetua, ſed citò ſatiat. Tu lectum tuum aſperge lacrymis: lavant enim, & animam roris inſtar divini refrigerant, recreant, fœcundant. Vide Pſalm. 6. verſ. 7. Orationem præmitte, quæ lectum componat. Chald. *Dicite orationem veſtram in ore veſtro, & petitionem veſtram in corde veſtro, & orate ſuper cubile veſtrum, & mementote diei mortis ſemper:* ſic reddunt verſum, quem conſideremus. Lectus eſt inſtar ſepulchri: in eo ſepultus, cogita de operimento vermium in inferis, de pulvere in morte, de tremore in die judicii.

86. *4. Tempus.* Quartò, examinis conſcientiæ tempus aptiſſimum eſt nocturnum. In Areopago judicabant de nocte: ne reorum aſpectus in alterutram partem animos inflecteret. Sis, oportet, ſeverus tui ipſius cenſor & judex. Secundò, tunc, ut ait S. Chryſoſtomus: *Neque amicus interturbat, nec famulus irritat, nec turba negotiorum urget.* Tertiò, luce corporis ſubductâ lux mentis eſt vehementior, ſenſibus magis collectis, & imaginatione. S. Athanaſius: *Nocte conſilia purgatiora ſunt.* Vulgò dicitur, nox dabit conſilium. Vide dicta Pſalm. 1. 2. *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* S. Hieronymus epiſt. 99. ad Aſellam agens de S. Paula, ait: lugens atque jejunans, ſquallens ſordibus fletibus penè cæcata, quam continuis noctibus miſericordiam Domini deprecantem Sol ſæpè deprehendit.

87. *5. Utilitas. Eſt animæ medicina.* Quintò, examen illud nocturnum vocat hic S. Chryſoſtomus medicinam vulnerum diurnorum. *Hîc*, inquit, *utamur medicinâ, quæ nihil habet difficultatis.* Secundò, amuletum contra futura peccata; pergit enim: *Sin autem non ſuſtinet anima meminiſſe peccatorum, erubeſcens, & pudore ſuffuſa, dic illi: Nihil lucrifacis, ſi non memineris, tunc ante omnium oculos tua ſtatuentur peccata. Sin autem nunc ea ſupputaveris, & ab illis citò liberaberis, & in alia non facilè incides. Anima enim heſternum veritæ judicium, ne eandem rurſum ſubeat ſententiam, ſi torqueatur, & flagelletur, reddetur ad peccatum tardior.* Tertiò, examen illud ait eſſe medium efficaciſſimum ad conſecutionem perfectionis. *Ex ea re tantum erit emolumentum, quòd ſi id uno ſolo menſe fecerimus, in perfecto virtutis habitu nos ipſos conſtituemus*, ἐν ἐξειλοιπὸν ἀρετῆς ἑαυτοὺς καταστήσομεν. Quartò, examen illud impedit, ne à Deo judicemur & condemnemur: *Ne tantum itaque bonum neglexerimus. Qui enim hoc judicium hic ſtatuerit, acerbas illic pœnas non dabit. Si enim nos ipſos judicaremus, non utique judicaremur. A Domino autem judicati erudimur, inquit, ne cum mundo condemnemur. Ne ergo condemnemur, hoc faciamus.* Hactenus Chryſoſtomus. Habitum virtutis ſtabilem eâ ratione acquirendum docet Origenes: Si hoc, ait, accuratè ac ſedulò fiat, nos in ſtatu collocabit, ut ab honeſtis nunquam abduci aut delabi poſſimus.

88. *Ira ante Solis occaſum extinguenda.* Quamvis porrò de ſingulis vitiis diurnis ſit habenda compunctio, cùm hoc in verſiculo mentionem iræ faciat Propheta, videtur id maximè præcipere, ut ſi quid per iram præcipitem acciderit, hoc defleamus: ſi quid ſit odii contractum, hoc ex animo funditùs eradamus ante noctem. Sanctus Paulus hoc præcipit Epheſ. 4. 26. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Ira eſt paſſio indifferens, & modò bona, modò mala ſecundùm actus ſuos; iracundia verò eſt exceſſus iræ, & propriè opponitur manſuetudini, ut ait S. Thomas 2. 2. quæſt. 157. artic. 1. ad 3. Græca vox παροργισμὸς, hæc declarat, ad iram concitatio præter rationem. Sol autem non debet occidere ſuper iracundiam, id eſt: Primò, iracundia reprimenda eſt, quàm citiſſimè fieri poterit: eſt enim forma proverbialis, q. d. Si non poteſtis reprimere omnem iracundiam, ſed aliquo motu ſubitò ſinitis vos abripi, ſaltem cùm mens erit ſibi reddita, hoc præſtare. Secundò, ſi toto die ira veſtra & indignatio duraverit, illam prorſus extinguite ante noctem. Et hic ſenſus magis convenit Pſalmo noſtro, in quo ſic S. Chryſoſtomus ad id omnes impellit; & Homil. 14. in epiſt. ad Epheſ. ait, cavendum eſſe, ne, ſi vapor & exhalatio ignea per noctem duraverit, cogantur in nubem fulmineam: *Reconciliare*, ait, *ante noctem, & recens malum extingue. Nam ſi nox apprehenderit, non poterit dies ſequens malum noctu quoque coactum & congregatum extinguere. Sed & ſi majorem partem reſecuerit, totum autem non poſſit, dat rurſus ſequenti nocte ex eo, quod relictum eſt, majorem rogum faciendum: & quomodo Sol, ſi quod eſt aeris in nubem coactum & condenſatum per noctem, non poterit calore diurno mollire & diſpergere, occaſionem præbet tempeſtatis, dum nox reliquas apprehenderit, & eas rurſus aliis vaporibus aluerit: ita etiam in ira, &c.* Hoc S. Iſidorus Peluſiota dilatat lib. 2. epiſt. 189. Quoniam cum iracundia, ἡνίας ἡνιοχοῦντος λογισμοῦ, rationis, quæ aurigæ munere fungitur, habenas infregit, hominis mentem extra naturæ terminos plerumque transverſam agit: idcircò Paulus hujuſmodi lapſui excogitata, non modò optima, ſed etiam ταχίστην ἴασιν, celerrima medicina, his verbis uſus eſt: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*, hoc eſt, antequam Sol in occaſum vergat, naturam agnoſcite, furorem extinguite, arrogantiam comprimite, cognationem ac propinquitatem, quæ etiam feris dominatur, complectimini. *Ne nox interjecta*, ἀνίατον ἐργάσηται τὸ πάθος, *morbum immedicabilem efficiat. Nam tum diabolus idoneum tempus nactus, ea, quæ contigerunt, magis inflammat, ad ultionem irritat, ad inimicitiam ſtimulat, ad accuſationes excitat, injuriarum memoriam parit, atque innumera hinc mala procreat.* Id moniti ſymbolicè tradidit Plutarchus: *Ubi ollam à cinere ſuſtuleris, turbandum eſt veſtigium.* Hoc eſt, cùm primùm deferbuerit & reſederit primus iræ impetus, mali præteriti & damni accepti recordatio ex animo delenda eſt, atque vel leviſſimum iracundiæ veſtigium eſt auferendum.

Felix ille Joannes Abbas monaſterii in Scythia,

Joannis Abbatis mira manſuetudo.

qui, cùm ad Peſium Anachoretam viſendum veniſſet, ab eoque inquiſiviſſet: quantum in ſolitudine per quadraginta annos profeciſſet; Idque reſponſi ab eo accepiſſet: Sol omnia luſtrans nunquam me aſpexit manducantem, ſtatim ſubjerit, neque me iratum. Felix S. Joannes Patr. Alexandr. cognomento Eleemoſynarius,

S. Joannis Patriarchæ monitum ſalutare.

qui non tantum iram propriam, ſed etiam alienam ſedare contendebat ante Solis occaſum: Cùm quâdam die contra Nicetam Patricium, irâ, licèt juſtâ commotus fuiſſet, ut ſe ante veſperam ei reconciliaret, ad eum miſit Presbyterum ſuum, qui ei diceret: *Sol jam eſt in occaſu, vir maximè venerande!* quo ſtimulo compunctus Nicetas ad S. Joannem accurrit, & uterque ante Solis occaſum in mutuos ruerunt amplexus, ut ait Leontius in ejus vita.

89. Modus duplex iram & alias paſſiones coërcendi in examine.

Modus denique iram de die contractam, aliáſque infirmitates tollendi per nocturnum examen, duplex hoc loco indicatur. Primus eſt, fervens ſeveritas. Secundus, prudens conſideratio. Græca & Interpres noſter primum remedium offerunt. Nam *compungimini*, ſeu *transfungimini*, ut legit S. Cyprianus, & κατανύγητε, id eſt, pungendo penetramini, compunctione cordis lancinamini, ut ſumitur Act. 2. denotat ſtimulis agendum, ut reſtitantem animalo in viam vitæ adigamus. Anima, quæ de die peccavit, eſt: 1. Vellicanda. Origen. in Pſal. noſtr. *David edocet*, ait, *cubitum euntes rationem a ſeipſis repetere de perpetratis malis, & animam ſuam juſtis vellere increpationibus.* 2. Si non moveatur anima vellicatione, verborum eſt mordenda punitione. Nicephor. *Quæ*, inquit, *in animis veſtris male cogitatis, hac decubitûs & quietis tempore mordete*, hoc eſt, plectite. 3. Si necdum anima peccatrix ad ſe redit, eſt enim ipſo corpore fodienda. S. Athanaſ. *Eſt compunctio ſenſûs quidam velut animæ ſtimulus & aculeus.* Et S. Chryſoſtom. ſignificantiùs & nervoſiùs dicit: *Eas cogitationes improbas fodica & dilania, & de eis pœnam ſume, torque cogitationem, qua peccavit. Id enim ſibi vult*, κατανύγητε, *compungite: pro eo, quod eſt, pungite, ſtimulate, quæ in cordibus veſtris dixiſtis interdiu. Cogitationem, qua peccavit, condemna*, ἀνάρτησον ὡς ἐπὶ ξύλου, καὶ βασάνισον. *velut in eculeo ſuſpende & torque: & jube, ne ampliùs ea aggrediatur.* Sic Sol juſtitiæ Chriſtus, atque Sol rationis non occides ſuper iracundiam tuam. Secundus modus iram reprimendi, & nubes omnes excutiendi, eſt prudens in ſilentio nocturno conſideratio. Hebr. ut dixi, eſt דמו *dommu*, id eſt, ſilete. Hinc Felix vertit: *Cogitate in corde veſtro ſuper cubili veſtro, & ſilete, Sela.* Et S. Hieronymus: *Loquimini in cordibus veſtris ſuper cubilia veſtra, & tacete. Semper*, tacete hominibus, loquimini Deo. Qui rivum cordis ad os & in teſtam defluentem claudit, illud erigi cogit, Thren. 3. 28. *Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia levavit ſe ſuper ſe.* Sibi factus ſuperior & judex, & velut in tribunali ſedens ſeipſum reum exiſtimans: vel, ut explicant Rupertus, Rabanus ac Lyranus: *Levavit ſe ſuper ſe*, id eſt, à terrenis ad cœleſtia. Ut enim ait S. Petrus Damiani epiſt. 130. *Solitarius planè, dum tacet, ſe elevat ſuper ſe: quia mens humana, dum intra ſilentii clauſtra undique circumcluditur, in ſuperiora ſublimis erigitur, ad Deum per cœleſte deſiderium rapitur, & in amore ejus per ardorem ſpiritûs inflammatur, & tanquam fons vivus, dum per verborum circulos fluere hinc inde non ſinitur, undis excreſcentibus in altiora cumulatur: templum ergò tui pectoris nunc per ſilentium creſcat, virtutum ſtructura conſurgat, ut ſupernus ille Sponſus, quem totis viſceribus diligis, velut, in thalamo ſuo delectabiliter requieſcat, in cubili & cubiculo nuptiali.*

ARTICULUS VI.

Actionum omnium perfectum Deo ſacrificium eſt faciendum.

NOn ſatis eſt recedere à malo, ſed bonum etiam faciendum eſt: Ideò poſt admonitionem ad paſſiones frænandas & terrena bona contemnenda, admonet David eſſe offerendum Deo ſacrificium,

vecſ. 6. SACRIFICATE SACRIFICIUM JUSTITIÆ, ET SPERATE IN DOMINO. Verſ. 6.

Nota: Juſtitia propriè dicta eſt una ſpecialis virtus, quæ attendit perfectam rationem debiti, quod ſecundùm æquivalentiam poteſt reſtitui, ut docet S. Thomas 1. 2. quæſt. 6. art. 3. ad 1. Nota ſecundò, ut idem docet in reſp. art. Omnes virtutes morales, quæ ſunt circa operationes, conveniunt in quadam generali ratione juſtitiæ, quæ attenditur ſecundùm diverſas ſpeciales rationes: cujus ratio eſt, quia in operationibus exterioribus ordo rationis inſtituitur: non ſecundùm proportionem & affectionem hominis, ſed ſecundùm ipſam convenientiam rei in ſeipſa, ſecundùm quam convenientiam accipitur ratio debiti, ex quo conſtituitur ratio juſtitiæ. Ad juſtitiam enim pertinere videtur, ut quis debitum reddat: unde omnes hujuſmodi virtutes, quæ ſunt circa operationes, habent aliquo modo rationem juſtitiæ: ſed debitum non eſt unius rationis in omnibus: aliter enim debetur aliquid æquali, aliter ſuperiori, aliter minori, & aliter ex pacto, vel ex promiſſo, vel ex beneficio ſuſcepto: & ſecundùm has diverſas rationes debiti ſumuntur diverſæ virtutes: purà, religio eſt, per quam redditur debitum Deo: pietas eſt, per quam redditur debitum parentibus, vel patriæ: gratia eſt, per quam redditur debitum benefactoribus, & ſic de aliis.

90. Juſtitiæ duplex acceptio.

His poſitis: *Sacrificium juſtitiæ* duplex eſſe poteſt. Primò, ſacrificium juſtitiæ eſt omne opus virtutis, ita S. Chryſoſtomus, Euth. Bellarminus hìc explicant. Specialem hoc accipit de eleemoſyna Origenes. 2. De mortificatione paſſionum Chaldæus. 3. De pœnitentia S. Auguſtinus, & Alcuinus, ac Remigius. Juvat Hebr. *ſacrificate*, זבחו *zibhu*, *ſacrificia juſtitiæ*, q. d. multa ſunt ſacrificia, quæ Deo offerre poſſitis, cur ad eum non advolatis plenis manibus? Tunc enim beneficentiam ac liberalitatem expectare poteritis. Sed hic ſenſus eſt tropologicus, de quo infrà fuſiùs.

91. Sacrificium juſtitiæ duplex.

Secundò, preſſiùs & ſignantiùs juſtitiam hîc David ſtrictè ſumit: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino*, q. d. iraſcimini, & multa cogitatis in cordibus veſtris contra me, ô Saul! & duces ac milites: ſed fruſtrà, cùm erga me innocentem ſitis injuſti, perſequendo & quærendo ad mortem. Juſtitiam exercete, mihi ablatum honorem, familiam, quietem, cæteraque reſtituite, hoc ſacrificium in odorem ſuavitatis acceptabit Deus, & quæ ab ipſo petetis, obtinebitis. Alludere mihi videtur à Doëg Idumæum, qui erat potentiſſimus paſtorum Saul, id eſt: 1. Potentiſſimus judicum, & Præpoſitorum populo, ut vult Lyranus. 2. Princeps inter ſapientes vel interpretes Saulis, ut alii apud Abulenſem. 3. Et meliùs erat præpoſitus regiis paſtoribus, qui regia armenta aut pecora ſervabant: Reges enim Hebræorum greges aluerunt, & plures ſub ſe magiſtros pecorum habuerunt. De Ozia id habes 2 Paral. 26. 10. de Ezechia cap. 32. 29. de Joſia cap. 35. 7. Septuag. & Joſephus habent, *paſcens mulas Saulis.* Hic porrò Doëg erat in tabernaculo, quando fugiens David furentem Saulem venit ad Achimelech ſummum Pontificem, à quo panes propoſitionis accepit in cibum, & gladium Goliathi, quem ibi David Deo conſecraverat, id eſt, dono dederat, & in loco ſacro appendi curaverat, ad ſui conſervationem. Quod ille advertens renunciavit Sauli, & eo jubente occidit Achimelech, & octoginta quinque Sacerdotes, ac Nobe civitatem Sacerdotum percuſſit in ore gladii: viros & mulieres, & parvulos, & lactentes, bovemque & aſinum, & ovem in ore gladii. Hæc autem ſumma fuit injuſtitia, & hæc innocentium mactatio, ac deſiderium idem faciendi Davidi innoxio, erat veluti ſacrificium injuſtitiæ Sauli, Doëgo, aliiſque ſatellitibus, ideò res eorum omnes in deterius labebantur: monet igitur eos, ut ad ſanam mentem redeuntes, irâ cohibitâ ne peccent, & compunctione ex iratâ eorum, quæ dixerant in cordibus, & fecerant, ſacrificent ſacrificium juſtitiæ, reparando damna ſibi & aliis: ſic

fore,

fore ut Deus liberalem ſe illis præſtet. Nota, non prius ait: *Sperate:* Ac poſteà, *ſacrificate:* ſed primò ſacrificate; deinde, ſperate. Ut enim Origenes dicit: *Non cuiquam fas eſt cum oratione ſperare, priuſquam juſte faciat: juſtè porrò facientem confidere licet, & Domini bona expectare. Spes enim eſt προσδοκία ἀγαθῶν, expectatio bonorum,* Pſalm. 113. 11. *Qui timent*, (id eſt, reverentur & colunt) *Dominum, ſperaverunt in Domino, Adjutor eorum eſt:* ſive ſint Gentiles extra populum Hebræum, ut exponit Lyranus, & Cajetanus: ſive Proſelyti, id eſt, gentiles, ſed ad Judaiſmum converſi, de quibus explicant S. Chryſoſtomus, & S. Baſilius; ſive Judæi populares, & Sacerdotes, ut Origen. in cap. 7. Ezech. & Caſſiodorus. Offert Deus liberalitatem ſuam iis, qui fuerint erga ſe liberales. Malach. 3. 10. *Inferte omnem decimam in horreum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus*, (ſaltem proba, & experire) *ſi non aperuero vobis cataractas cæli*, (& aperiuntur cæli, cùm pluit: clauduntur, cùm non pluit: ſed aperiuntur cataractæ eorum, cùm magna copia & ubertate effunditur pluvia, velut rupto omni obice. Sunt enim cataractæ in fluviis obices & repagula, quibus aquæ retinentur, quæ ſi removeantur, aquæ ex alto ruunt cum impetu, ac fragore, magnáque abundantia) *& effudero* (Pagnin. *evacuavero*, uſque ad fundum, q. d. nihil reſervabo, ubertim fundam) *vobis benedictionem* (imbrem copioſum) *uſque ad abundantiam.* Sept. uſque dum ſufficiat. Chald. adeò ut dicatis, ſatis eſt. Hebr. ſupra ſufficientiam daturum Deum denotant. Nam בליךי, *beludai, præter ſufficientiam*, poteſt ſignificare. Hinc vertit Arias: *ultra ſufficiens:* exundabit, redundabit Dei erga liberales magnificentia & liberalitas. Vocatur Saddai, non tantùm quia eſt αὐτάρκης, id eſt, *ſibi ſufficiens:* ſed etiam, ut ait R. Saadias, eò quòd ipſe abundet adeò, ut ſuâ abundantiâ omnes omnium creaturarum defectus expleat. Aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione: quid fiet ſi utramque expandat, ſi os aperiat, oculus, cor. Pergit verſ. 11. Deus: *Et increpabo pro vobis devorantem* (locuſtam, bruchum, erucam, &c. in ſegetes graſſantem cohibebo) *& non corrumpet fructum terræ veſtræ: nec erit ſterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes: eritis enim vos terra deſiderabilis.* Tigurina vertit, *terra optata*, q. d. omnes optabunt manere in terra veſtra, ob ejus fertilitatem. 2. Sept. reddunt, ſicut terra *voluntaria:* id eſt, ſponte profundens pinguem & opimam meſſem. 3. Hebr. habent, *terra*, חפץ, *hephes, voluntatis*, deſiderii, complacentiæ. q. d. Deus complacebit ſibi in vobis, & vos bonis omnibus cumulabit: ſicut ſibi placet in terra bona & fructus fundente, eamque exultantibus aquis irriget. Chald. vertit: *Habitabitis in terra domus majeſtatis meæ, & fiet in ea voluntas mea, dicit Dominus:* fiet in ea voluntas mea, tum à vobis in me ſperantibus, & me amantibus & orantibus; tum ab iis creaturis, quibus imperabo ut vos adjuvent & recreent: Nonnulli in Pſalmo noſtro, cùm dicitur: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino*, cenſent τὸ &, eſſe exegeticum, hoc eſt, explicatorium, ita ut ſignificet, *id eſt*, atque idem ſit, ſperate in Domino, & ſacrificate ſacrificium juſtitiæ: iis tamen non aſſentior; ſed fructus & effectus ferventis ſacrificii, & cum virtute facti ponitur ſpes: aut potiùs monet David ſpem fervori jungendam, & tunc fore efficacem. Eſt autem in Deo ponenda: quia, ut ait S. Chryſoſtomus: *Terrena omnia ſimilia ſunt ἐνυπνίοις καὶ σκιαῖς, ſomniis & umbris, & illis imbecilliora: ſpes autem in Deum, eſt ἀθάνατος, ἄτρεπτος, ἀκίνητος, immortalis, immutabilis, immobilis.*

92. Alleg. Sacrificium crucis eſt ſacrificium juſtitiæ.

Alleg. Sacrificium juſtitiæ, eſt ſacrificium, quod Chriſtus obtulit in cruce. Eſt enim ipſe juſtitia noſtra, & obtulit illud ſacrificium, quod ſatisfecit ad æqualitatem, imò ad ſuperabundantiam; eſt enim infiniti valoris: & ſi mundus & homines per totam æternitatem durarent, ut nunc pro omnibus ſufficiens pretium obtuliſſet. Illud autem ſacrificium ſacrificamus in Euchariſtia, quæ eſt idem cum ſacrificio crucis; ab eo ſolùm differens, quòd unum eſt incruentum, alterum cruentum. S. Thomas 3. p. q. 22. art. 3. ad 2. *Sacrificium quod quotidie in Eccleſia offertur, non eſt aliud à ſacrificio, quod ipſe Chriſtus obtulit, ſed ejus commemoratio.* Unde S. Auguſtin. dicit lib. 10. de civit. cap. 20. *Sacerdos ipſe Chriſtus offerens, ipſe & oblatio: cujus rei ſacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium.* Euchariſtia, eſt ſacrificium juſtitiæ: quia Et ſacrificium Euchariſtiæ. Primò continet Chriſtum omnis juſtitiæ fontem. Secundò, quia non debet percipi niſi à juſtis: eſt enim ſacramentum vivorum. Tertiò, quia auget juſtitiam benè diſpoſitorum, & per accidens aliquando dat primam gratiam. Illud ſacrificium Deus Pater ſuſcipit in odorem ſuavitatis à Noë juſto, id eſt, Chriſto, oblatum, Pſalm. 50. 21. *Tunc acceptabis* (S. Hieron. ſuſcipies) *ſacrificium juſtitiæ, oblationes, & holocauſta.* Ibi S. Ambroſius, Mazarinus diſcurſu 99. In eum Pſalmum, Salmeron tom. 9. tract. 30. Petrus Vega, Paulus Burgenſis, Genebr. & alii, ſacrificium juſtitiæ exponunt de Euchariſtia. Illam & nos offerre debemus in juſtitia, ut ſit nobis hoſtia juſtificans. Jacobus de Valentia cenſet in Pſalmo noſtro moneri Judæos, ut rejectis jam inutilibus ſacrificiis, amplectantur ſacrificium Euchariſtiæ, in quo Chriſtus offertur, qui juſtè pro omnibus ſatisfecit. Arbitror potiùs ad Gentes ſermonem dirigi, aut potiùs ad omnes; nam dicit Deus Malach. 1. 11. *Ab ortu Solis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus*, (q. d. in anguſtis Judææ finibus eſt parvum) *& in omni loco ſacrificatur & offertur* (loquitur propheticè: id eſt, ſacrificabitur & offeretur) *nomini meo oblatio munda.* Sept. *Sacrificium mundum*, & alios mundans. Non oblatio myſtica: id eſt, cultus Dei per fidem, ſpem, charitatem, orationem, invocationem, & laudem, atque operæ pia, præſertim charitatis & eleëmoſynæ, aut converſionis animarum, ut Calvinus & hæretici exponunt, & Clarius ac Vatablus. Non oblationes & victimæ, quas in toto Orbe homines tunc Deo vero cœlorum motori, & Orbis rectori offerebant, ut putavit Arias. Non oblatio, quam Proſelyti offerebant Deo in Jeruſalem, ut voluit Hugo: ſed oblatio illa munda eſt Euchariſtia, & de ea locum hunc Malachiæ eſſe intelligendum eſt de fide, & ſic explicat Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. S. Hieronymus, S. Chryſoſt. in Pſalm. 95. S. Cyprianus lib. 1. contra Judæos, cap. 16. S. Auguſt. lib. 18. de civitat. cap. 35. & omnes Patres ac Doctores. Mundat Deus ſervos ſuos, ut ſacrificent ſacrificium in juſtitia. Unde idem Propheta cap. 3. 2. *Ipſe enim quaſi ignis conflans.* Tigurina vertit, ignis excoquens. Chriſtus eſt ignis conſumens, & in manu ejus ignea lex, ſed in corde longè ardentior: ideò in Euchariſtia ſe in cor noſtrum, aut potiùs, in ſe cor noſtrum ut in fornacem, immittens: illud 1. Emollit, tollens obſtinationem. 2. Liquefacit, diſſolvens in amoris lacrymas. 3. Ab terrenis ac fæce ſecernit. 4. Expurgat, & ſplendidum reddit. 5. Accendit. 6. Format in quam vult figuram, *& quaſi herba fullonum.* Syr. quaſi ſulphur dealbans. Arabic. Alex. quaſi ſulphur exardeſcet, Hebr. *Sicut borith lavantium*, id eſt, fullonum pannos abluentium. Borith eſt herba ſaponaria ad eluendas ſordes & maculas è pannis. Chriſtus in Euchariſtia tollit cicatrices vulnerum, quæ ſunt animæ maculæ. *Herba Borith.* Additur ℣. 3. *Et ſedebit conflans & emundans argentum*, fideles, qui ſunt per veram fidem & innocentiam argentei: 1. Quia candidi. 2. Quia pretioſi. 3. Quia reſonantes ejus laudes. Sedebit conflans & emundans: id eſt, ſeparans veras virtutes à fictis, quaſi diſcretor & judex, idque per otium ſeriò & accuratè, non curſim & perfunctoriè. Qui enim manducat indigne, judicium ſibi manducat & bibit. *Et purgabit filios Levi*, Sacerdotes novi teſtamenti, qui ſucceſſerunt ſacerdotio filiis Levi ſucceſſoribus Aaronis, ut ait S. Hieronymus, Rupert. & Remigius. Euchariſtia eſt calculus,

id

id eſt, carbunculus ignitus, quem forcipe tollit de altari Seraph, ut tangat os & labia Iſaiæ, auferat iniquitatem, ac peccatum mundet: *Et colabit eos quaſi aurum.* Pagn. conflabit. Chald. expurgabit. Sept. effundet. Colare eſt propriè per linteolum aut vas anguſtum liquorem aliquem transfundere, ut quod eſt purum, tranſeat, fæces verò non tranſeant, ſed remaneant ut abjiciantur. Colat Deus Sacerdotes: 1. Per afflictiones. 2. Per confeſſionem præviam. 3. Per intentatas interiùs minas: *Et quaſi argentum: & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia;* juſtè, purè, ſanctè, ut ait Cornelius, juxta illud Zachariæ Luc. 1. 74. Serviamus illi in ſanctitate & juſtitia *coram ipſo*, omnibus diebus noſtris. *Et placebit* (Hebr. ערבה *areba*, dulceſcet, ut Pagn. & Arias reddunt, ſuſcipietur voluntariè, ut Chald.) *Domino ſacrificium Juda & Jeruſalem*, (id eſt, Eccleſiæ & animæ Deum laudantis, atque in eo pacem reperientis) *ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui*, id eſt, ſicut ſacrificia Abelis, Noëmi, Melchiſedeci, Abraham, Moſis, Aaronis, Salomonis, Ezechiæ, Joſiæ, & aliorum. Dies ſeculi ſunt dies præcedentium ſeculorum: in iis erat tantùm aurora: Dies verò Evangelii, eſt perfecta dies Sole aſcendente ad ſummum cœlorum, & nemine occultante ſe à calore ejus.

93. Tropologicè. Sacrificium juſtitiæ eſt omnis virtus. Tropol. Sacrificat ſacrificium juſtitiæ, qui aliquod opus virtutis exercet: eo enim ſe ſuaque offert Deo, quæ oblatio excellentior eſt ove, agno, bove ac cæteris, quæ erant ſignum oblationis hujus interioris & à Deo expetitæ præ omnibus aliis, ut patet Iſaiæ 1. 11. & ſeqq. Michææ 6. 7. & 8. ubi ſacrificia externa deſpicit præ cordis munditia, miſericordia, juſtitia & aliis virtutibus, quarum opera vocantur ſacrificia Pſalm. 46. 14. 23. Pſalm. 50. 19. Pſalm. 115. 15. Oſeæ 14. 3. 9. Eccli. 35. 2. & alibi. Generatim S. Thomas ait 3. p. q. 22. art. 2. *Omne illud quod Deo exhibetur; ad hoc quòd ſpiritus hominis feratur in Deum, poteſt dici ſacrificium.* Et 2. 2. q. 85. art. 2. ait, ſacrificium exterius ſignificare ſacrificium interius, quo anima ſeipſam offert Deo, ſecundùm illud Pſalmiſtæ: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Quia actus exteriores religionis ad interiores ordinantur. Anima autem ſe offert Deo in ſacrificium: *Sicut principio ſuæ creationis, & ſicut fini ſuæ beatificationis.* Illud perfectum ſacrificium omnes virtutes conjunctæ offerunt.

Singularum virtutum officium in ſacrificio Dei oblato. Sacras & cœleſtes virgines videamus in templum intrantes, & vultu modeſto totaque corporis compoſitione pietatem ſpirantes. Fides altare erigit, ſpes ligna componit, ignem injicit charitas, victimam offert liberalitas, eam pelle nudat mortificatio: in fruſta dividit diſcretio, ut quæ ſint Dei, quæ ſacerdotis, quæ offerentis, cognoſcatur: lavat illam contritio: in altare erigit fortitudo, ſimilam dat caſtitas, oleum miſericordia, vinum temperantia, ſalem prudentia, thus denique oratio, thuribulum religio, in cineres hoſtiam redigit humilitas. Sed de his infra.

1. Fides in Enos figurata. Primò: Divinis radiis effulgens & totum templum luce complens fides ingreditur. Iſte eſt Enos, *qui cœpit invocare nomen Domini*, publicè ſcilicet, per ſacrificia, alioſque ritus ſacros. Videtur enim iſte filius Seth cœtus hominum inſtituiſſe, & in Eccleſiam congregâſſe ad preces publicas, conciones & catecheſes. Caſſiodorus in Pſalm. noſtro vult moneri Gentiles, ut ſacrificent ſacrificium juſtitiæ, id eſt, ceſſent à profanis ſacrificiis, ſeque ipſos Deo ſacrificium offerant, cùm pro nobis immolatus ſit Chriſtus, 1 Cor. 5. Hoc autem fecerunt per fidem, de qua S. Ambroſius lib. de fuga ſeculi, cap. 8. *Bona eſt hoſtia fides.*

2. Spes in Noëmo. Secundò: Spes vultu modeſtè erecto & explicato, oculiſque ridentibus, velut poſt naufragii pericula ad portum contendens, ad matrem manus ſinumque expandentem filia, ad Deum advolat, ſuumque munus votivum offert. Iſte eſt Noë poſt diluvium meliori ſpe concepta ſacrificans, Gen. 8. 20. *Tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare:* (hoc eſt primum altare quod in Scriptura erectum legamus, licèt certum ſit alia prius fuiſſe erecta: ſed certum eſt, niſi ſpes adſit, nihil gratum Deo fieri; ſi adſit, omnia placere: unde ſequitur) *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis*, id eſt, ut ait R. Abraham: Suſcepit holocauſtum & placuit in oculis ejus, ſicut homo qui odoratur odorem bonum ac ſuavem. Novatianus lib. 5. de Trinitate legit: *Odorem bonæ fragrantiæ:* ſacrificium enim eſt quaſi Dei cibus, cujus odore veluti delectetur: ſic Plato & Homerus inducunt deos gentium nidore carnium oblatarum gaudentes. Ad rem noſtram dicit S. Chryſoſt. in Geneſ. γνώμῃ τῇ προταξάντος, κἀκεῖνα κνίσσαν, πολλῆς τῆς εὐωδίας ἐνέπλησε. *Juſti Noemi virtus fumum & nidorem victimæ, Deo fecit odorem fragrantiæ.* Et Theodoretus in Pſalmo noſtro, πάσης ἑκατόμβης καὶ χιλιόμβης τῆς δικαιοσύνης ἡ κτῆσις θυμηρεστέρα τῷ Θεῷ, συνημμένης αὐτῇ δηλονότι τῆς εἰς αὐτὸν ἐλπίδος. *Omni vel centum vel mille boum ſacrificio, juſtitiæ poſſeſſio gratior eſt Deo: ſi tamen cum illa ſpes in Deum conjuncta ſit.*

Tertiò: Charitas ornatu regio effulgurans ad altare accedit, & victimam ejus ſtatim ignis è cœlo lapſus conſumit. Hoc eſt ſacrificium Salomonis, id eſt pacifici, qui etiam appellatus eſt *Idida*, ſive *Jedida*, hoc eſt *amabilis Domino:* unde S. Hier. initio commentarii in Eccleſiaſten, ait: *Pacificus & dilectus Domini, ab eo quod in regno ejus pax fuerit, & eum Dominus dilexerit, appellatus eſt.* Cùm autem Salomon innumeras victimas paravisſet in dedicatione templi, & arca illata eſſet in locum ſuum, in oraculum templi, id eſt in Sanctum ſanctorum, ſubter alas Cherubim, *nebula implevit domum Domini.* 3 Reg. 8. hoc eſt, ut explicat Abulenſis, totam aulam ſanctam, & veſtibulum, & atrium ſacerdotum: poſt orationem verò regis, ignis cecidit in victimas, 2 Paral. 7. 1. *Cùm compleſſet Salomon fundens preces, ignis deſcendit de cælo, & devoravit holocauſta, & victimas, & majeſtas Domini* (id eſt ſplendida nubes alia priore denſior atque ſplendidior) *implevit domum.* Hic autem ignis tam hoſtias, quæ erant in altari, quàm quæ in atrio circumfuſæ jacebant, inflammavit atque conſumpſit, ut rectè ait Salianus, Anno mundi 3030. Salom. regis 11. 3. Charitas in Salomone.

94. Charitatem ſequuntur aliæ virtutes. Reginam charitatem ſequitur reliquus virtutum comitatus, dona ſua deferens: ſingulas deducit ad altare Religio, cujus officium eſt reddere debitum honorem Deo, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 60. 3. & 2. 2. q. 80. ac q. 81. 2. habet actus proprios & immediatos, quos elicit, per quos homo ordinatur ad ſolum Deum, ſicut ſacrificare, adorare, & alia hujuſmodi, 2. 2. q. 81. 1. ad 1. præeminet inter alias virtutes morales, quia magis de propinquo accedit ad Deum, in quantum operatur ea, quæ directè & immediatè ordinantur in honorem divinum, cap. 6. Aliquos actus habet, quos producit mediantibus virtutibus: *Quibus imperat ordinans eos ad divinam reverentiam:* quia ſcilicet virtus, ad quam pertinet finis, imperat virtutibus, ad quas pertinent ea, quæ ſunt ad finem. Et ſecundùm hoc, actus religionis per modum imperii, ponitur eſſe, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, quod eſt actus illicitus à miſericordia. Immaculatum autem ſe cuſtodire ab hoc ſeculo, imperativè quidem eſt religionis, elicitivè autem temperantiæ, vel alicujus hujuſmodi virtutis.

Primò, juſtitia. 1. Juſtitia prima procedit, quæ propriiſſimè ſacrificat *ſacrificium juſtitiæ*, unicuique ſuum reddendo. Licèt enim in his quæ ſunt ad nos ipſos, primo aſpecto ſui Dominus quiſque appareat, & quilibet poſſit facere ea quæ ipſi placent: in iis tamen quæ ſunt ad alterum, obligatur unicuique reddere quod debet. Ideo, ait S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 1. præcepta decalogi oportuit ad juſtitiam pertinere. Unde tria prima præcepta ſunt de actibus religionis, quæ eſt *potiſſima pars juſtitiæ.* Quartum autem præceptum eſt de actibus pietatis, quæ eſt pars juſtitiæ ſecunda. Alia verò ſex dantur de actibus juſtitiæ communiter dictæ, quæ inter æquales attenditur.

ditur. Ita Tullius etiam, qui ponit ſex virtutes adjunctas juſtitiæ, primam ponit *religionem*, deinde pietatem, gratiam, vindicationem, obſervantiam & veritatem. Macrobius ſeptem aſſignat: nempe, *religionem*, pietatem, innocentiam, amicitiam, concordiam, affectum, & humanitatem. Sed hæc examinare non eſt hujus loci, tantùm dico cum Nicephoro in pſalmo noſtro: *Tanquam hoſtiam Deo facite juſtitiam, & ab eo auxilium ſuſcipite.* Hoc eſt ſacrificium Abrahami, cùm Anno mundi 2119. Abrahami anno 81. ante Chriſtum 1934. promiſſa Chananitide, & filiis inſtar ſtellarum, Geneſ. 15. 6. *Credidit Abram Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Id eſt, ad majorem ſanctitatem & gratiæ augmentum: in eo etiam juſtus fuit, quia reddidit Deo quod debuit: nempe ſubmiſſionem intellectus ſui per fidem. Imperat autem illi Deus petenti, unde ſcire poſſet, quòd poſſeſſurus eſſet terram promiſſam, verſ. 9. *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam,* (id eſt triennem) *& arietem annorum trium,* (quia Trinitatem adoras cogitatione, locutione, opere) *turturem quoque & columbam,* (& unitatem eſſentiæ agnoſcis) *Qui tollens univerſa hæc, diviſit ea per medium,* (gladio juſtitiæ, dando cuique ſuum) *& utraſque partes contra ſe* (è regione ſibi ſingulas reſpondentes) *altrinſecus poſuit,* id eſt ex utraque parte, ita ut ſpatium eſſet intermedium, per quod lampas ignis tranſiret, hoc eſt ardor charitatis: *Aves autem non diviſit.* Quia licèt Deo te ac negotia dividas, tota mens tamen ad Deum debet evolare, & tota illi ſoli unita divino igne concremari, ſicut fecit hæc lampas ignis (id eſt fax ſeu titio ardens) à Deo immiſſa, Deumque repræſentans.

95. Secundò, miſericordia. 2. Juſtitiam ſequitur miſericordia, quam ſacrificio præfert Chriſtus, Matth. 9. 13. dicens Phariſæis: *Euntes diſcite:* (per vicos & domus quærentes afflictos & pauperes) *Miſericordiam volo, & non ſacrificium,* id eſt præ ſacrificio, pluſquam ſacrificium agnorum ſcilicet, arietum, boum, & ſimilium, quæ per ſe inefficacia erant: de operibus verò miſericordiæ ait Paulus Hebr. ult. 16. *Beneficentiæ & communionis* (Syr. *communicationis* bonorum ſcilicet) *nolite oblivisci: talibus enim hoſtiis promeretur* (εὐαρεστεῖται, conciliatur & placatur, ut explicat S. Chryſoſtomus, Theophylactus & Eraſmus) *Deus,* Syr. שפר *ſephar,* pulchreſcit Deus: ſe nobis jucundum & delectabilem, ac vultu ſereno Deus oſtendit. S. Auguſt. lib. 10. de civit. 5. *Miſericordia verum ſacrificium eſt. Talibus ſacrificiis placatur Deus.* Michæas Propheta cap. 6. ℣. 6. inquirit: *Quid dignum offeram Domino?* (Chald. in quo ſerviam coram Domino?) *Curvabo genu Deo excelſo? Numquid offeram ei holocauſtomata, & vitulos anniculos? Numquid placari poteſt Dominus in millibus arietum, aut millibus hircorum pinguium?* (Hebr. nonc eſt, *in myriadibus,* נחלי שמן *nahale ſamen, torrentium olei,* ut Chald. & Arias vertunt) *Numquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo?* (ſicut faciunt idolo Moloch, id eſt Saturno, ejus cultores) *Fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Tunc reſpondet ſibi, & ad populum convertitur: *Indicabo tibi, ò homo! quid ſit bonum, & quid Dominus requirat a te: Utique facere judicium,* id eſt. 1. Satisfactionem pœnitentiæ, ut vult Rupertus. 2. Diſcretionem & prudentiam, ut S. Hier. & Remigius. 3. Juſtitiam ſtrictè ſumptam, ut Theodoretus & Arias. 4. Omne debitum virtutis, ut ait Cornelius: id eſt, quicquid debemus proximo, nobis, & Deo: ſive id debeamus ex juſtitia, ſive ex pœnitentia, ſive ex religione, ſive ex gratitudine, ſive ex charitate, ſive ex qua alia virtute: *Et diligere miſericordiam.* Per judicium & miſericordiam Scriptura complectitur omne virtutis officium, & omne bonum: omne enim vel debitum eſt, vel indebitum: ſi debitum, eſt judicium: ſi indebitum, eſt miſericordia. Ita Pſal. 100. Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Quòd autem hæc ſint ſacrificium, docet S. Thom. 2. 2. q. 188. art. 2. *Sicut,* ait, *ex charitate diligitur proximus propter Deum, ita etiam obſequium delatum in proximos redundat in Deum, ſecundùm illud Matth. 25. Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Unde & hujuſmodi obſequia proximis facta, in quantum ad Deum referuntur, dicuntur eſſe ſacrificia quædam.*

3. Obedientia animam offert in ſacrificium, ſicut miſericordia bona fortunæ. 1 Reg. 15. 22. ait Samuel regi Sauli redeunti ex pugna contra Amalecitas, quos non funditùs deleverat, ut Deus juſſerat: *Numquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini?* (id eſt ſuæ voci) *Melior eſt enim obedientia quàm victimæ: & auſcultare magis quàm afferre adipem arietum.* Id eſt, arietes pinguiſſimos & ſelectiſſimos: primò, quia obedientia animam offert Deo: *Inter virtutes autem morales,* ait S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 3. *Tantò aliqua potior eſt, quantò aliquis majus aliquid contemnit, ut Deo inhæreat. Sunt autem tria genera bonorum humanorum, quæ homo poteſt contemnere propter Deum, quorum infimum ſunt exteriora bona, medium autem ſunt bona corporis, ſupremum autem ſunt bona animæ. Inter quæ quodammodo præcipuum eſt voluntas, in quantum ſcilicet per voluntatem homo omnibus aliis bonis utitur. Et ideò, per ſe loquendo, laudabilior eſt obedientiæ virtus, quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem, quam aliæ virtutes morales, quæ propter Deum aliqua bona contemnunt.* Hinc S. Greg. dicit lib. ult. Moral. cap. 12. quòd obedientia victimis jure præponitur: quia *per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur.* Hoc diffuſiùs conſiderat S. Aug. lib. 10. de Civitate Dei cap. 6. *Ipſe homo, Dei nomine conſecratus ac devotus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, ſacrificium eſt, corpus etiam noſtrum cum temperantia caſtigamus, ſi hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma juſtitiæ Deo, ſacrificium eſt. Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo vel inſtrumento utitur anima, cùm ejus bonus & rectus uſus ad Dominum refertur, ſacrificium eſt: Quantò magis anima ipſa cùm ſe refert in Deum, ut igne amoris ejus accenſa, formam concupiſcentiæ ſæcularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ ſubdita reformetur: hinc ei placens, quòd ex ejus pulchritudine acceperit, fit ſacrificium.* Sic Auguſtinus.

Hoc ſymbolicè vult expreſſum S. Greg. in oblata inaure Jobo ab amicis ejus. Job. 42. *Et dederunt ei unuſquiſque ovem unam, & inaurem auream unam.* Sic enim ait lib. 35. Moral. 11. Quid per ovem niſi innocentia, quid per inaurem niſi obedientia deſignatur? Per ovem quippe ſimplex animus: per inaurem verò, ornatus humilitatis gratiâ auditus exprimitur. Et cap. 12. oſtendit, obedientiam eſſe meliorem victimis, atque inter cætera, ait: Tantò quiſque Deum citiùs placat, quantò ante ejus oculos repreſſa arbitrii ſui ſuperbia, gladio præcepti ſe immolat. Ita ipſe. Notabile eſt, eos qui conflaverunt vitulum aureum in deſerto, ut eum adorarent, abjeciſſe inaures ſuas, & ex iis illum conflari curâſſe. Qui obedientiam abjicit, eſt idololatra. Exod. 32. 2. *Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas, de uxorum filiorumque & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me.* Hoc cùm feciſſent, ex illis formavit opere fuſorio, & fecit vitulum conflatilem: id eſt Apim bovem, qui ab Ægyptiis adorari conſueverat, alio nomine dictus eſt Serapis. S. Cypr. lib. de bono patientiæ vocat *bubulum caput,* inde aliqui Serapim dici à *ſor,* bos & *appaim* ſive *appim,* facies: q. d. bovis facies. Qui eſt inobediens, adorat vituli caput: nempe ſuum, & proprium judicium vitulinum & vitulari coplens. Alii volunt, non caput tantùm, ſed totum corpus vituli formatum eſſe. Quod pertinet autem ad idololatriam protervi, ait Samuel Sauli, 1 Reg. 15. 23. *Quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.* Pagn. vertit. *Idolum & Theraphim tranſgredi* הפצר haphſar, rebellare, ut vertit Chald. tranſgredi,

96. Tertiò, obedientia.

Inauris data Jobo ab amicis.

ſupple

ſupple, voluntatem Dei, ut R. David. Alii, cogere, compellere, vim facere, abrumpere, vi avellere: inobediens eſt os calcitrans, & jugum excutiens, & ut tollatur, cogens, ne diſtringat. S. Greg. in eum locum: *Nolle acquieſcere, idololatriæ ſceleri ſimile dicitur, quia nimirum in inobedientiæ ſua obſtinatione nemo perſiſteret, ſi propoſiti ſui figmentum, quaſi idolum non geſtaret. Dum enim agenda in corde concipit, quaſi idolum facit. Et dum conceptum mentis propoſitum ſe acturum deliberat, quaſi ad adorandum ſimulacrum ſe inclinat. Quaſi ergo ſcelus idololatriæ eſt, nolle acquieſcere: quia, quiſquis in propria deliberatione obſtinatus eſt, ideircò ſerus in majorem contemptum erigitur: quia intùs eis, quæ fingendo ſtatuit, propoſiti ſui ſimulachris inſervatur.* Hæc Gregorius.

97. Quartò, caſtitas. 4. Caſtitas corpus innocens offert in ſacrificium, ſicut agnum Abel, qui fuit virgo, ut docent S. Baſil. S. Ambroſ. S. Hier. & alii, quibus temerè contradicit Calvinus. Virginitatis & caſtitatis victimam commendat Paulus Rom. 12. 1. *Obſecro itaque vos fratres, per miſericordiam Dei, διὰ τῶν οἰκτιρμῶν,* per miſerationes, per viſcera miſericordiæ, per commiſerationem ex intimis viſceribus, *ut exhibeatis* (παραστῆσαι, ſiſtere & offerre: vult Deus voluntariè tibi ſacrificari) *corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam* (id eſt, puram & illibatam) *Deo placentem.* Hoſtia ſancta, ait Corn. eſt corpus impollutum & incontaminatum, ipſaque corporis caſtitas, puritas, integritas. Sic virgo dicitur ſancta, id eſt, pura & corpore & ſpiritu, 1 Cor. 7. 34. Illam hoſtiam ſtatim poſt Martyrum oblationem ponit Origenes. Prima, inquit, poſt Apoſtolos hoſtia eſt Martyrum: ſecunda, Virginum: tertia, continentium: quarta, conjugatorum. S. Iſidor. Peluſ. lib. 3. epiſt. 75. ſacrificii illius ſacerdotem aſſignat. Ἕκαστος, ait, τοῦ ἰδίου σώματος ἱερεὺς κεχειροτόνηται, *Unuſquiſque corporis ſui ſacerdos eſt creatus: non ut citra ordinationem & inſtitutionem ſubditorum imperium arripiat: ſed ut vitiis imperans corpus ſuum,* τέμενος ἢ ἱερὸν ἁγνείας κατασκευάσῃ, *caſtitatis delubrum aut templum efficiat.*

98. Quintò, mortificatio. 5. Mortificatio corpus in officio continens, & paſſiones Deo mactans, ſenſuſque omnes offerens, ſacrificium eſt. Chald. verſio Pſal. noſtri: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ,* ſic reddit: *Domate concupiſcentias veſtras, & reputabitur vobis ſicut ſacrificium juſtitia.* Hoc eſt ſacrificium Abrahami in monte Moria, id eſt, in monte, Dominus videt, in quo arietem è ſpinis ereptum ſacrificat loco Iſraël, Gen. 22. 13. *Levavit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres* (Hebr. in implexu veprium) *hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio:* aries ereptus è medio ſpinarum eſt corpus extractum à tentationibus, & ſpinis atque aculeis voluptatum & paſſionum, quæ aliquando implexæ ſibi invicem fortiùs ſtringunt, atque vix avelli à ſe captivum ſuum ſinunt. Origen. In epiſt. ad Roman. *Si,* ait, *ſuperbiam corporis tui vincas & reſeces, immolas Deo vitulum: ſi iracundiam, arietem: ſi libidinem, hircum: ſi vagos & lubricos cogitationum volatus, columbam & turturem.* Et in Pſal. noſtr. generatim ait: *Sacrificium juſtitia, eſt rationabilis anima ab affectibus ſolutio.*

99. Sextò, pœnitentia. 6. Pœnitentia aquam victimis affundit, ut puriores oculis offerantur, Pſal. 50. 19. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Hebr, *niſbera,* contritus, confractus. Hoc de frequenti tribulatione exponit Caſſiodorus. 2. Et meliùs, S. Greg. S. Thom. & Aiguan. de mœrore interno, concepto ob peccata omnia. S. Thom. in Pſal. noſtrum: Sacrificium juſtitiæ, eſt ſacrificium ſatisfactionis & pœnitentiæ. S. Bern. in ſentent. *Tria,* inquit, *ſunt ſacrificia: 1. Pia contritio, habens butyrum humilitatis, & abſynthium indignationis. 2. Digna operatio, habens oleum diſcretionis, & acetum confuſionis. 3. Gratiarum actio, habens balſamum devotionis, & vinum gratitudinis.* Placet Deo illud ſacrificium, & illud ſemper acceptat. Unde Pſal. 50. cit. additur: *Cor contritum & humiliatam Deus non deſpicies.* Sept. οὐκ ἐξουθενώσει, non ſpernet, ut S. Auguſtinus 20. de civit. 5. legit: propriè, non pro nihilo ducet, non parvi pendet, magni faciet. S. Auguſtinus ibi: *Non vult Deus ſacrificium trucidati pecoris, ſed vult ſacrificium contriti cordis.* Hoc eſt ſacrificium Eliæ in monte Carmelo cum populo peccatori, & dudum adoranti idolum Baal, ſymbolicè oſtenſurus victimas noſtras pœnitentiæ lacrymis lavandas eſſe, ait, 3 Reg. 18. 34. *Implete quatuor hydrias aqua,* (voluntatem ac memoriam intùs: & duos oculos foris) *& fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna:* quod cùm ſecundò ac tertiò juſſi feciſſent, currebant aquæ circum altare, & foſſa aquæductûs repleta eſt, atque ad Eliæ orationem ignis è cælo delapſus *voravit holocauſtum, & ligna, & lapides, & pulverem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.* Etſi lapis ſis, per diuturnum habitum & obſtinationem: Etſi pulvis, per nimium affectum ad terrena, ſi aquâ contritionis aſpergaris, igne Domini accenderis cum omnium admiratione & ſtupore.

100. Septimò, oratio. 7. Oratio dona virtutum omnium protenſis in cœlum manibus, ut ſacerdotes Aaronici victimas populi & ſuas offert. Ad eam invitat Propheta. Pſal. 49. 14. *Immola* (Tert. contra Judæos cap. 5. ſacrifica) *Deo ſacrificium laudis,* (S. Hier. laudem: laus eſt ſacrificium) *& redde* (ſi retines, furaris) *Altiſſimo vota tua.* S. Aug. preces tuas, Pſal. 55. 12. *In me ſunt* (Chald. *in me recep.* Treverus, concepi in corde) *Deus vota tua: quæ reddam laudationes tibi.* Caſſiod. laudes tibi. Chald. ad rem noſtram aptiùs vertit, *ſacrificia confeſſionum,* Jonas 2. 10. pollicetur ſe in vocis laudis immolaturum Deo, Oſeas 14. 3. ait: *Reddemus vitulos labiorum.* Chald. reddit, fructus labiorum. Et S. Paulus Hebr. 13. 15. *Per ipſum* (Chriſtum) *offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* S. Ambr. lib. 5. epiſt. 28. Simplex oratio, ait, ſacrificium eſt. S Greg. lib. 4. 1 Reg. *Sacrificium populi eſt devotio electa plebis.* Hoc eſt ſacrificium Nehemiæ, qui ſignificat conſolationem, 2 Mach. 1. 21. *Utque hoc factum eſt, & tempus affuit, quo Sol* (divina illuſtratio) *refulſit, qui priùs erat in nubilo,* (ob mentis obſcuritatem & agitationem) *accenſus eſt ignis magnus,* (ferworis) *ita ut omnes mirarentur. Orationem autem faciebant omnes ſacerdotes, dum conſummaretur ſacrificium,* (uſque ad finem vitæ) *Jonathâ* (Dei donum ſignificat) *inchoante, cæteris autem reſpondentibus.* Nehemiæ deinde oratio attexitur.

101. Octavò denique, omnis virtus. 8. Ne te diutiùs morer, cœleſtem hunc virtutum chorum ad altare accedentium contemplantem, verbo concludam, virtus omnis ſacrificium eſt. S. Baſil. epiſt 80. Θυσία πολυτελὴς ἡ εὐσεβὴς καὶ δικαία γνώμη, *Sacrificium pretioſum & acceptum Deo eſt, pius ac juſtus animus:* tunc eſt juſtitiæ ſacrificium, quod Deo placet. S. Iſidor. Peluſ. lib. 3. epiſt. 75. Θῦμα κάλλιστον, τὸ τὴν διάνοιαν ἔχειν εὐαγῆ, καὶ τὴν σάρκα ἁγνήν. *Pulcherrima eſt victima piam mentem & caſtam carnem habere.* Et S. Bern. ſerm. 3. de Purific. *Duo,* ait, *minuta habeo, Domine, corpus & animam dico: Utinam hæc tibi perfectè poſſim in ſacrificium laudis offerre.* Alludit ad pauperem viduam, quæ in Gazophylacium, id eſt, in arcam, in quam conjiciebantur donaria populi in atrio templi, *miſit duo minuta, quod eſt quadrans.* Marc. 12. 42. Eſt autem quadrans, quarta pars aſſis, hoc eſt, unciæ tres: vocatur etiam à Plinio triuncis, triunx, à tribus unciis. Conclude generaliter cum S. Hilario in Pſal. 133. *Non in tauris & hircis, ſed in operibus bonis Deo hoſtia eſt.*

102. In eo juſtitiæ ſacrificio Ut perfectiùs illud ſacrificium juſtitiæ ſacrifices, conſidera: 1. Quis & qualis ſacerdos eſſe debeat. 2. Quale templum. 3. Et altare. 4. Qualis victima. 5. Ritus. 6. Locus. 7. Tempus.

1. Chriſtianus quilibet eſt ſacerdos. Ac primò, in hac immolatione quilibet Chriſtianus ſacerdos eſt. S. Chryſoſt. ſeu potiùs alius Author Operis imperfecti in Matth. hom. 43. ait: *Omnis Sanctus, eſt ſacerdos.* Et S. Petrus eo anno, quo Romam appulit, atque eò urbe Antiochia Pontificiam cathedram tranſtulit, id eſt, ſub annum Chriſti 45 ſcribens electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ & Bithyniæ, 1 epiſt 2. 5.

coi

eos vocat *Sacerdotium ſanctum*, (Syr. eſtote ſacerdotes ſancti) *offerre* (ad offerendum) *ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per JEſum Chriſtum*, qui tùm ſit Redemptor noſter, & pretium pro nobis ſolverit: eſt etiam noſter Mediator, per quem omnia offeramus, ut placeant Deo, & ſint meritoria & impetratoria. Et verſ. 9. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium.* Syr. vertit: *Vos eſtis ſacerdotium ad regnum.* Moſes Judæorum ſynagogam nuncupat regnum ſacerdotale, Exod. 19. 6. In Hebræo eſt, *regnum ſacerdotum*. Hic autem S. Petrus regale ſacerdotium vocat advenas diſperſionis Ponti, &c. Id eſt, Proſelytos, ut vult Lyranus. 2. Gentiles, ut Maldon. 3. Judæos ad Chriſti fidem converſos, ut S. Hieron. S. Athan. Dydimus. 4. Et meliùs, Judæos Chriſtianos è Judæa diſperſos in varias provincias ob perſecutionem excitatam poſt mortem S. Stephani, Act. 8. 1. Omnes in hoc Mundo ſunt exules, non ei hæreant, ſed ab eo diſpergantur non habentes manentem civitatem, & erunt ſacerdotes, unctione Spiritûs ſancti in amore cœleſtium conſecrati. S. Leo ſerm. 3. in anniverſ. die aſſumpt. ſuæ ad ſummi Pontificis dignitatem: *Omnes*, ait, *in Chriſto regeneratos Crucis ſignum efficit reges: ſancti verò Spiritûs unctio conſecrat ſacerdotes. Quid enim tam regium, quàm ſubditum Deo animum corporis ſui eſſe rectorem? Et quid tam ſacerdotale, quam vovere Domino conſcientiam puram, & immaculatas pietatis hoſtias de altari cordis offerre?* S. Ambr. lib. 4. de ſacram. cap. 1. Unuſquiſque, ait, ungitur in ſacerdotium, ungitur in regnum. Sed ſpirituale regnum eſt ſacerdotium ſpirituale. Vide Lact. lib. 6. inſtit. c. 24. & 25. Unde oriatur illud myſticum ſacerdotium, docet S. Th. 3. p. q. 82. art. 1. ad 2. Laicus juſtus, inquit, unitus eſt Chriſto unione ſpirituali per fidem & charitatem, non autem per ſacramentalem poteſtatem. Et ideò habet ſpirituale ſacerdotium ad offerendum ſpirituales hoſtias, de quibus Pſal. 50. 19. Et Rom. 12. 1. & 1 Pet. 2. 5. Ita ipſe. Sacerdos à Deo ſpecialiter conſecratus, ſit etiam ſacerdos myſticus, ſi vult Deo placere, Pſal. 98. 6. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus, & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus. Invocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos*, non ſemel tantùm, ſed ſæpiùs. Eſt enim tempus imperfectum, denotans continuationem actionis. Chald. *Et ipſe reſpondebat eis*, prout illis placebat interrogare, oraculum ſemper habebant in promptu. Symm. Theodotio, & Aquila, *exaudiet*, non laſſatur Dei bonitas oratione juſtorum, & donorum in eos effuſione. Sis 1. In vita purgativa *Moſes*, id eſt, extractus: ab aquis Nili fluvii turbidi trajicientis Ægyptum, id eſt, Mundi turbulenti & caliginoſi. 2. In vita ſeu via illuminativa ſis *Aaron*, hoc eſt, *montanus*: carnis ot vallis Sodomæ, ubi ſunt putei bituminis, cœno altior; & cum Lotho, ad Angeli monitum, ſalvans te in monte: ſed in eo monte ſis Aaron, non Loth, qui ibi peccavit, quia in montem non ad vocem Angeli, ſed ob trepidationem inanem aſcendit. In montem Sinai aſcende cum Aarone, in comitatu Seniorum, Exod. 24. 9. *Et videbis Deum Iſrael: & ſub pedibus ejus quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cœlum, cùm ſerenum eſt.* Verſ. 10. Loth aſcendit cum filiabus juvenibus, & non potuit ibi videre, niſi favillam de terra aſcendentem quaſi fornacis fumum, Sodomâ & Gomorrhâ aliiſque urbibus ſuccenſis, Gen. 19. Itaque ibi lapſus eſt. Nulla tibi celſitudo virtutis det ſecuritatem in ſocietatem fœminarum. 3. Sis in via unitiva *Samuel*, id eſt, *audiens Deum*, & ad vocem tuam Dominus dabit voces inſpirationum, & pluvias gratiarum, 1 Reg. 12. 19. *Et timuit* (reveritus eſt ac veneratus) *omnis populus nimis Dominum, & Samuelem*: & propriè loquendo, timuit audito tonitru. 4. In omni vita ſis præſertim *Melchiſedech*, id eſt, *Rex juſtitiæ*, ut ſacrifices ſacrificium juſtitiæ. In vita purgativa reddeos ibi, quod debes, nempe punitionem ob peccata. In vita illuminativa, proximo benevolentiam & auxilium, ob naturæ & gratiæ commotionem. In vita denique unitiva, amorem Deo propter infinitam ejus bonitatem & excellentiam, & propter innumera dona tibi ab eo conceſſa. Corpus tuum fræna, & deprime ad tuam utilitatem, bona temporalia proximo effunde ad ejus neceſſitatem, animam in Deum eleva ad ejus voluntatem, ut fias ſacerdos Angelicus & divinus, id eſt, purus & immaculatus. S. Iſidor. Peluſ. lib. 3. epiſt. 75. *Qui*, ait, *divino ſacerdotio redimiti ſunt, ac præfecturam dignè conſecuti, ſi corporis quoque caſtitatem cuſtodiant*, ὄντως ἱερῶν εἰσιν ἱερώτεροι, *vere ſunt pluſquam ſacroſancti.* Contrà verò ait, ſceleratos ſacerdotes quodammodò è gradu ſuo ſeipſos dejicere. Ut enim priùs ratiocinatur: Si caſtitas & pudicitia laicos facit eſſe ſacerdotes: libido procul dubio ac laſcivia ſacerdotibus dignitatem abrogat, ἱερέας ἀποχειροτονεῖ, atque hoc quidem Eccleſiaſtica inſtituta ſanciunt. Ita ipſe: varii enim Canones præcipiunt, ut ab officio & aliquando à beneficio ſacerdotes ſuſpendantur, atque aliis modis puniantur: non quòd non ſint ſacerdotes, ſed quòd ſint indigni, qui tam ſanctum munus exerceant.

Secundò: Templum, in quo ſacrificium juſtitiæ faciendum eſt, mens eſt hominis Deo conſecrata. 103. 2. Templum eſt mens juſti.
S. Aug. tom. 1. lib. de Magiſtro cap. 1. *Ubi putas ſacrificium juſtitia ſacrificari, niſi in templo mentis, & in cubilibus cordis?* Eſt templum Salomonis, ob tranquillitatem: & Zorobabelis, ob fortitudinem. *Zorobabel* enim ſignificat diſperſorem Babylonis, id eſt, peccati confuſionem adducentis. Rad. זרה *zar*, diſpergere, ventilare, frangere, comprimere, conſtringere: & *Babel*, id eſt, Babylon, ſeu confuſio, 1 Petr. 2. 5. *Et ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini* (Beda ait quoſdam legere *ſurſum ædificamini*: Surſum corda. S. Ambroſ. in cap. 3. Luc. vocat lapides vivos, viros robore formatos) *domus ſpiritualis.* S. Aug. in Pſal. 86, & alii legunt, *in domum ſpiritualem.* 1 Cor. 3. 16. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?* Vide S. Bern. de dedicatione Eccleſiæ. S. Ambr. cap. 12. in Luc. ſic ait: libidinum volutabrum commutatur in Dei templum, diverſoriumque vitiorum ſacrarium incipit eſſe virtutum. Ita ipſe. Tu eſto Judas, id eſt, laudans: Deum ſcilicet, & templo ac civitate receptâ, aras, quas alienigenæ per plateas extruxerant, ac delubra demolieris, & *purgato templo*, altare extrues: & de ignitis lapidibus igne concepto ſacrificio offeres, & incenſum, & lucernas, & panes propoſitionis pones, 2 Mach. 10. 1. & ſequent. S. Auguſt. tom. 5. lib. 10. de civit. 4. *Dei templum ſumus omnes, & ſinguli templa ſumus: quia & omnium concordiam, & ſingulos inhabitare dignatur: non in omnibus, quàm in ſingulis major, quoniam nec mole diſtenditur, nec partitione minuitur.*

Tertiò: altare eſt cor noſtrum, in quo ſacrificium 104. 3. Altare eſt cor ejus.
juſtitiæ ſacrificator, Exod. 20. 24. *Altare de terra* (de corde humili: ſuper quem enim requieſcit Spiritus Dei, niſi ſuper humilem?) *facietis mihi, & offeretis ſuper eo holocauſta & pacifica veſtra*, id eſt, ſacrificia pro pace, incolumitate, ſalute, conſervatione & amplificatione Reip. familiæ, domûs, propriæ perſonæ: & pro gratiarum actione de iiſdem. Factus eſt in pace locus ejus. Quamdiu in mortificatione paſſionum verſaris, & jugulas animalia, id eſt, paſſiones brutas, ſit altare tuum de terra. Si verò accedis ad Sanctum Sanctorum, interjecto tantùm velo mortalitatis, tunc fac altare de lignis Setim, Exod. 27. 1. Ait Deus Moyſi: *Facies & altare de lignis Setim*, (ſic dictis à loco ejus nominis: erant autem incorruptibilia ea ligna) *quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, id eſt, quadrum*, ut conſtanter ad quinque ſenſus & eorum objecta extendatur. Et altare holocauſtorum, ubi victima in atrio ſub dio offerebatur: & altare thymiamatis, ubi in Sancto, id eſt, in prima parte templi, incenſum adolebatur, cor juſti repræſentat. Utrumque attigit S. Aug. lib. 10. de civit. 3. *Cùm ad illum ſurſum eſt, ejus eſt altare cor noſtrum, ejus unigenito Sacerdote*

eum placamus: ei cruentas victimas cædimus, quando uſque ad ſanguinem pro ejus veritate certamus: ei ſuaviſſimum adolemus incenſum, cùm in ejus conſpectu, pio ſanctóque amore flagramus. Ita Auguſtinus.

Itaque, numquam carere poſſumus altari, in quo immolemus Deo, ſi volumus. S. Greg. Naz. orat. in Maximum, qui eum ſede ſuâ Conſtantinop. extrudere moliebatur, ait: *Quid poſtea? Ab altaribus arcebunt. Sed altare ſcio, cujus figura non ſunt ea, quæ nunc oculis cernimus: ſuper quod nec ſcis, nec manus aſcendit, nec ferrum, nec ullum artificum inſtrumentum auditum eſt. Sed mentis ſolius eſt totum opus hoc, eoque per contemplationem ſubvehimur. Huic altari aſſiſtar, in hoc victimas Deo gratas & acceptas immolabo, ſacrificium, & oblationem, & holocauſta: tanto iis, quæ nunc efferuntur meliora, ὅσῳ κρεῖττον σκιᾶς ἀλήθεια, quanto veritas umbram dignitate antecellit.*

S. Lucianus ſuo pectore utitur pro altari. Hoc ſciebat S. Lucianus Martyr, qui, cùm in carcere deſiderio faciendi ſacrificii æſtuaret, nec altare aut menſa ulla adeſſet, pro altari uſus eſt pectore ſuo: *Menſa*, inquit, *erit vobis hoc pectus meum, non, ut arbitror, minus honeſta futura ea, quæ fit ex inanima materia. Templum autem ſanctum vos mihi eritis, me omni ex parte circumdantes.*

105. 4. Victimæ ſunt affectus noſtri. Quartò: Victima Deo grata eſt affectus noſter, & actiones. In corde, ut altari, piæ affectiones Deo ſunt offerendæ, ut Iſaac, id eſt, riſus, ab Abrahamo, Geneſ. 22. 2. *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis*, (ad lumen fidei & gratiæ, ut ſupra naturam videas) *atque ibi offeres eum in holocauſtum* (ut nihil ex eo reſerves) *ſuper unum montium*, (aſcendendum eſt ſupra teipſum) *quem monſtravero tibi.* Author tract. de quatuor virtut. Charitatis tom. 9. apud S. Auguſt. hoc ad rem noſtram applicat: *Quid a te Deus expetit? Quod Abraham illi dictum eſt. Da mihi unicum dilectum filium tuum, tibi dicit Sapientia: Da mihi fili cor tuum, Prov. 23. 26. Ipſe eſt dilectus unicus. Quid metuis offerre cor tuum, offer ſacrificium, contritionem cordis Domino Deo tuo, & dic ei cum Propheta, Pſal. 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Nihil metuas tali ſacrificio oblato: & tibi acceptum erit, & quod obtuleris, integrum permanebit.* Excellentiam illius oblationis extollit S. Greg. Naz. ad Vitalianum: *Præſtat*, inquit, *Deo cum exiguo munere victimam cordis offerre, quàm cum impuro ac ſordido animo ſacrificiis omnibus eum honorare.* Et poſteà: *Solius animi purum eſt ſacrificium*, vult nunc Deus adoratores in ſpiritu, non amat ſacrificia mortua. Vivens viveos ipſe confitebitur ei.

106. Adeps eſt devotio. Adeps victimæ eſt devotio, Pſal. 62. 6. *Sicut adipe & pinguedine* (id eſt, adipe pinguiſſimo) *repleatur anima mea:* anima, non corpus. Nam corpus arutoâ diſteotum, eſt Agag pinguiſſimos, qui mactandus eſt juſtitiæ Dei, ut pereat, 1 Reg. 15. 32. Anima verò pinguis, eſt ſacrificium & holocauſtum medullatum ac ſuaviſſimum Deo, ut accidit in Abelis victimis, Gen. 4. 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis, & de adipibus eorum*, id eſt, ſelectiſſima & pinguiſſima pecorum: quia ingenti fide, reverentiâ & amore proſequebatur Deum, ut ait S. Ambr. lib. 1. de Cain & Abel, cap. 7. *Et reſpexit* (Symmachus, ἐτέρφθη *delectatus eſt*. Aquila, *conſolationem accepit*. (Chald. *cum beneplacito ſuſcepit*) *ad Abel & ad munera ejus*, id eſt, ad ejus interiorem devotionem & orationem, atque ad ejus victimas exteriores. S. Greg. lib. 6. in 1 Reg. cap. 15. *Quid eſt*, ait, *adeps arietum, niſi pinguis & interna devotio? Adipem ergò arietum offert, qui in ſtudio ſecretæ converſationis devotæ orationis affectum habet.*

107. 5 Gladius eſt fervor. Quintò, gladius victimam Deo immolans, eſt fervor, Geneſ. 22. 6. *Tulit quoque Abraham ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum: ipſe verò portabat in manibus* (in operibus) *ignem & gladium.* Qui gloriam Deo dat eum laudans, cum fervore facit opus Dei, & non negligenter, Pſal. 149. 6. *Exaltationes* (Chald. Felix, Campenſis, Laudes) *Dei in gutture eorum: & gladii ancipites* (Pſalt. vetus, & S. Aug. frameæ bis acutæ) *in manibus eorum:* ſecant à dextris & à ſiniſtris: in adverſis & proſperis. Licèt triſtes juſti cum Chriſto, orant tamen cum fervore in Gethſemani, id eſt, in torculari olei, torqueri ſciunt ſe à Patre miſericordi, & ad uberiores gratias exprimendas.

Sextò, ritus ſacrificii ſpectandus eſt: 1. In excoriatione victimæ. 2. In diviſione. 3. In ablutione. 4. In oblatione & elevatione coram Deo manibus ſacerdotum. 5. In libamine. 6. In concrematione. Aliqua tangit S. Greg. lib. 9. Mor. cap. 31. in illud 10. 14. Job. *Si peccavi, & ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me eſſe non pateris?* Sic autem loquitur: *Membra hoſtiæ per fruſta conciſa ſuper ignem ponimus, cùm vitæ noſtræ opera virtutibus diſtinguentes immolamus. Caput, atque ea, quæ juxta jecur continentur, incendimus, cùm in ſenſu noſtro, quo omne corpus regitur, atque in occultis deſideriis flamma divini amoris ardemus. Et tamen præcipitur, ut pedes atque inteſtina hoſtiæ laventur. Pedibus enim terra tangitur, inteſtinis verò ſtercora geſtantur: quia plerumque jam ex deſiderio in æternitatem ſuccendimur: jam tota devotionis ſenſu ad appetitum noſtræ mortificationis inhiamus: ſed quia adhuc terrenum præ infirmitate aliquid agimus, nonnulla etiam, quæ jam ſubegimus, illicita in corde toleramus. Cùmque cogitationes noſtras immunda tentatio inquinat, quid aliud, quàm inteſtina noſtra hoſtiæ, ſtercus portant? Sed ut comburi debeant, laveatur, quia nimirum neceſſe eſt, ut immundas cogitationes timoris fletus diluat, quas in acceptione ſacrificii ſupernus amor incendat.* Hæc Gregor. 108. 6. Ritus ſacrificii.

De Libamine, quod conſiſtit in ſimila, vino & oleo, dicetur aliàs: ſatis ad hunc locum applicare poteris ex verſ. 8. hujus Pſalmi: *A fructu frumenti, vini & olei ſui multiplicati ſunt.* 109. 7. Libamen.

Ignis eſt charitas, quæ ſemper ardere debet, Levit. 6. 12. *Ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos, ſubjiciens ligna manè per ſingulos dies, & impoſito holocauſto, deſuper adolebit adipes pacificorum.* (victimæ pacificæ, id eſt, oblatæ, ad aliquid obtinendum, vel ob aliquid obtentum) *Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Ignis ille è cœlo deſcendit poſteà, Levit. 9. 24. A cœlo noſtrum expectare debemus. S. Ambroſ. 3. Off. 14. poſt expoſitum Eliæ holocauſtum, igne è cœlis deciduo perfectum, ait: *Hoſtia illa tu es, conſidera tacitus ſingula: In te deſcendit vapor Spiritûs ſancti: te videtur exurere, cùm tua peccata conſumit.* 8. Ignis eſt charitas.

Sal quoque in omni ſacrificio adhibebatur. Sacrificium enim erat veluti convivium, in quo caro, panis, vinum, oleum & ſal, Marc. 9. 48. *Omnis victima ſale ſalietur.* Levit. 2. 13. *Quicquid obtuleris ſacrificii, ſale condies, nec auferes ſal fœderis*, (id eſt, hujus legis particularis, quam tibi de ſale ponendo in ſacrificiis conſtituo: lex enim ſæpè vocatur fœdus) *Dei tui in ſacrificio tuo. In omni oblatione tua* (in ſacrificio farreo, quod mincha dicebatur, ſicut in cruento) *offeres ſal:* illud ſal eſt cœleſtis ſapientia, ſine qua nec Deo, nec offerenti eſt ſapida oblatio. S. Chromatius, Epiſc. Aquileiæ, conc. 2. in cap. 5. Matth. *Omne*, ait, *ſacrificium offerendum Deo, ſale ſaliebatur, quod ipſum Evangeliſta Marcus commemoravit, dicendo: Omne ſacrificium ſale ſalietur. Oſtendens eum hominem dignum verè ſacrificium Deo fieri, qui cœleſtis Sapientiæ virtute eſſet infuſus.* 110. 9. Sal eſt prudentia.

Thus quoque in omni ſacrificio adhibebatur, excepto ſacrificio pro peccato. Symbolum eſt orationis, ſicut etiam thymiama oblatum in altari aureo, quod erat in Sancto, & vocabatur altare thymiamatis. Unde dicitur Pſal. 140. 2. *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Vide ibi dicta. S. Ambr. lib. de Abraham: *In Apocalypſi legimus*, ait, *quòd aſcendit fumus incenſorum ex orationibus Sanctorum, cap. 8. 4. Quæ incenſa referuntur per Angelum: Sanctorum orationes ſcilicet ſuper altare illud aureum, quod eſt ante ſedem: & tanquam piæ precationes fragrat, unguentum:* 111. 10. Thus eſt oratio.

quia

quia de æternorum & inviſibilium, non de corporalium petitione compoſitum eſt. Præcipuè tamen myrrham redolet & thus, eò quòd peccatis mortua ſit, & Deo vivat.

112. 11. Locus ſacrificii. Septimò, locus omnis ad illod ſacrificium eſt accommodatus. S. Chryſoſt. in Pſal. noſtr. *Et nec paupertas obſtaculum, nec mendicitas impedimentum, non locus, nec aliquid ejuſmodi: ſed ubicumque fueris, id offerre poteris: αὐτὸς καὶ ὁ ἱερεὺς, καὶ θυσιαστήριον, καὶ μάχαιρα, καὶ ἱερεῖον γινόμενος, cùm ipſe ſis & ſacerdos, & altare, & gladius, & hoſtia.*

12. Tempus. Octavò denique, tempus oblationis apud Judæos erat matutinum & veſpertinum: tunc enim agnus anniculus & immaculatus Deo offerebatur in holocauſtum, Exod. 29. 38. Nunc verò in hoc ſacrificio myſtico & ſpirituali, omnis dies & hora tempus aptum eſt. S. Dorotheus doctrinâ 22. *Sancti viri,* ait, *dum primitias viventes ſeipſos offerunt, quotidie Domino ſacrificant.* Et Propheta noſter ait Pſal. 43. 22. *Propter te mortificamur totâ die*, id eſt, totâ vitâ, ut explicant Caſſiodor. & Rufinus; cenſent enim hîc agi non de occiſione ac momentanea morte, ſed de mortificatione paſſionum, quæ ex amore Dei oritur. S. Antiochus ait, voluntatem propriam exſcindere, perinde eſſe, ac ſi proprium fundas ſanguinem, atque imputari pro victima. Caſſian. Collat. 29. cap. 8. dicit, Monachi finem eſſe mortificare & crucifigere omnes ſuas voluntates, *æſtimati ſumus, ſicut oves occiſionis.* S. Cypr. de exhort. Martyr. cap. 6. *Ut oves victima.*

Quàm gratum ſit Deo hoc mentis ſacrificium, habes Pſal. 49. 14. & 50. 19. Nunc unus loquatur Oſeas, qui verba Dei refert: *Miſericordiam volui,* (volo: utuntur Hebræi ſæpè præterito pro præſenti, quo carent) *& non ſacrificium: & ſcientiam Dei pluſquam holocauſta.* Et ſacrificio pacifico, & ipſo holocauſto gratius eſt ſacrificium mentis humanæ. S. Chryſoſt. in Pſal. noſtr. *Hoc eſt, μέγιστον θεῷ δῶρον, maximum Deo donum, hoc eſt, acceptum ſacrificium.*

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

113. *Duo continet. Primò, ait David ſe lætari in mediis calamitatibus, quòd ſciat Deum ſibi favere. Verſ. 6. ad 8. Secundò, ſe tandem bello hoc feliciter terminato in pace quieturum ob ſpem, quam in uno Deo collocavit. Verſ. 8. ad finem.*

PARAPHRASIS.

6. Multi dicunt: quis oſtendit nobis bona?

6. Plorimi tum ex hoſtibus meis, tum ex militibus mihi adhærentibus importunè identidem obtrudunt. Quis tibi, ò David! & amicis tuis opem afferet, teque ex tot periculis explicatum bonis cumulabit?

7. Signatum eſt ſuper nos lumen vultùs tui Domine: dediſti lætitiam in corde meo.

7. His ergo reſpondeo: Deus benigno vultu nos intuetur, ac nobis favet, quod variis ſignis declaravit: mihique afflicto licèt, lætitiam interiorem affudit, quæ nubes illas omnes excutiat.

8. A fructu frumenti, vini & olei ſui multiplicati ſunt.

8. Hoſtes mei frumento, vino, oleo, rebuſque omnibus terrenis, quibus adhærent, & quæ magno ardore expetunt, abundant, ideòque feliciores me eſſe ſeſe jactitant.

9. In pace in idipſum: dormiam & requieſcam.

9. Ego verò pacem & tranquillitatem brevi obtinebo, & in ea ſimul cum ſociis meis laborum conſortibus, ſecurum ſomnum & quietem capiam.

10. Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

10. Deus enim animo meo hanc ſpem indidit; in qua velut in arce tutiſſima collocatus, tempus liberationi & exaltationi meæ præfixo expecto.

QUÆSTIO UNICA.

Quantam lætitiam animo Sanctorum ingenerat cognitio divinæ providentiæ, & ſpes in illam.

124. PRæcedenti ſectione David exauditum quidem ſe eſſe dixerat, & hoſtes monuerat, ut irâ poſitâ ſacrificarent ſacrificium juſtitiæ: ſed cùm necdum hæc Dei promiſſio ipſi facta effectum ſuum ſortita eſſet, non deſinebant illi moleſti eſſe, tum adverſarii, tum aliqui puſillanimes & impatientes, qui cum eo affligebantur. Verba itaque eorum refert, verſ. 6. *Multi dicunt: quis oſtendit nobis bona?*

Reſpondet huic objectioni primò, certis ſe ſignis cognoviſſe favorem Dei erga ſe ac ſuos, verſ. 7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultùs tui Domine.* Secundò, jam ſe in animo lætitiam, ut futurorum bonorum artham, ſentire, ibid. *Dediſti lætitiam in corde meo.* Tertiò, bona hoſtium ſuorum eſſe extrinſeca & bona fortunæ, verſ. 8. *A fructu frumenti, vini & olei ſui multiplicati ſunt.* Quartò, ſibi verò promiſſa bona quietem & pacem allatura, verſ. 9. *In pace in idipſum, dormiam & requieſcam.* Quintò denique, vel in mediis periculis ſpe in Deum ſecurum ſe vivere, verſ. 10. *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.*

ARTICULUS I.

Singulari amore Sanctis ſuis providet Deus, eoſque illuminat.

SAnctos ſuos amat Deus, iiſque favorem ſuum impertitur: neque hoc tantum, ſed etiam id illis oſtendit, ut majori lætitiâ afficiantur, verſ. 7. SIGNATUM EST SUPER NOS LUMEN VULTUS TUI DOMINE: DEDISTI LÆTITIAM IN CORDE MEO. Verſ. 7. 1. Pars.

Quæres: Quodnam ſit illud lumen vultûs Dei, & quomodo ſignetur in nobis? Ad reſolutionem nota, pro, *ſignatum eſt*, in Hebræo nunc eſſe נסה *neſa*, id eſt, ſigna, vexillum aut ſignum eleva. Itaque, licèt vox latina *ſigna* aut *ſignatum*, poſſit ſumi pro impreſſo ſeu inſculpto, probabiliùs tamen hoc loco ſumitur pro oſtenſo, declarato, ſignificato. Et quidem Tertull. lib. 5. in Marcion. cap. 11. vertit: *ſignificatum eſt.* Sept. ἐσημειώθη, *ſignificatum eſt.* Symmach. ἐπίσημον ποίησον, *inſigne fac.* Arab. *illuxit.* Syr. *extende.* 125.

Dico autem, lumen illud vultûs Dei, eſſe favorem ejus erga Davidem: qui favor, fuit veluti radius emanans ab oculis & facie Dei, id eſt, à cognitione ipſius & affectu, illum recreans, & aliis illuſtrem faciens, atque ab eo in ſocios ejus & adjutores ſeſe diffundens, q. d. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui*, id eſt, ſpeciali nos providentiâ protegis, & juvas ex alto, efficiſque 126. Lumen vultûs Dei eſt favor erga Davidem.

ut & nos illam paternam curam & opem ac benevolentiam videamus, amemus, amplexemur, ob eam gaudeamus, atque in mediis cladibus exultemus: hoſteſque noſtri illam agnoſcant, admirentur, conatus ſuos inanes futuros advertant. Cernunt enim nos ſub Dei vexillis & ſignis militare. Nota, alludit ad columnam lucis, quæ reſplenduit ſuper caſtra populi Iſraël ex Ægypto, quæ & eum illuſtravit, ac lætitiâ complevit, & à Pharaone inſequente ac penè aſſequente protexit. Nam hæc columna fuit veluti vexillum Dei, ſub quo militabant ei omnes, qui in eum populum coaleſcebant. 2. Erat vexillum luminoſum. 3. Lumen illud egrediebatur è vultu Dei, id eſt, Angeli Vicarii ejus. Gloria enim Dei, id eſt, lux magna ibi emicabat ob præſentiam Angeli. 4. Erat in aëre elevatum illud vexillum. Itaque poterant dicere: Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine, Exod. 14. 19. *Tollens ſe Angelus Dei*, (in nube lucide delitescens) *qui præcedebat caſtra Iſraël*, (ut dux) *abiit poſt eos*, (in caſtrorum extremitate, velut murus ſe interponens inter eos & Ægyptios) *& erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem*, (Chald. erat nubes, & obſcuritas Ægyptiis: Iſraëli autem erat lux totâ nocte) *ita ut ad ſe invicem toto noctis tempore accedere non valerent*. Nota ſecundò, fortaſſe etiam alludit ad ſplendorem, qui emicuerat ex Rationali Abiathar pro Davide Deum conſulentis. Cùm enim anno regni Saulis duodecimo, ut computat Salianus, David fugiſſet noctu obſeſſis domi ſuæ, ut dixi, & adjutus eſſet ab Achimelech ſummo Pontifice rei inſcio: Saul Achimelechum cum 85. ſacerdotibus & civibus omnibus urbis Nobe trucidari præcepit. Abiathar autem, filius Achimelech, fugit ad Davidem, & jure naturæ ac legis ſucceſſit patri in Pontificatu. Ut enim ait Abulenſis q. 31. in cap. 22. 1 Reg. *Juvenis Abiathar, quia erat filius ſummi ſacerdotis, de jure pertinebat ad eum ſummum ſacerdotium; nunc autem, quia perierant omnes de urbe Nobe, ſive fuiſſet major inter filios Achimelech, vel minor, habiturus erat ſacerdotium, eò quòd nullus alius manſerat, ad quem de jure pertineret. Et ſic accepit iſtum David pro ſummo ſacerdote.* Fugiens autem tulerat ſecum Ephod, in quo erat Rationale. Hoc docet idem Abulenſis quæſt. 11. in cap. 23. *Abiathar tulit ſecum Ephod ſpecialiter, ut ex hoc ſignificaretur ipſum eſſe ſummum ſacerdotem. Nam mortuo Achimelech, patre Abiathar, ſuccedebat ipſe in ſacerdotio, cùm nullus eſſet major inter filios ejus, quia omnes mortui erant: veſtes pontificales pertinebant ad ſolum ſummum ſacerdotem, qui debebat conſecrari in eis, & in illis. Abiathar ergò tuliſſet ſecum omnes veſtes ſacerdotales, ſi potuiſſet; quia tamen velociter fugiebat, tulit eam, quæ præcipua erat inter pontificales veſtes, &c.* Illo Ephod uſus eſt Abiathar ad conſulendum Deum, & quidem ſtatim penè atque ad eum venit in urbem Ceilam: tunc enim ait ei David, 1 Reg. 23. 9. *Applica Ephod*, q. d. aſſume Ephod, hoc eſt ſuperhumerale, ut illud indutus reſpondeas mihi, an Saul ſit venturus in hanc urbem, ut me capiat: deinde, an eo veniente Ceilani me ſint ipſi tradituri. Quòd cùm feciſſet *Abiathar*, qui ſignificat *patris explorationis*, vel contemplationis, utrumque eventurum didicit, ſi maneret. Denique, in hac obſidione in deſerto Maon Davidem, & antequam adveniret Saul cum exercitu, & poſtquam accedentem intuitus eſt, conſuluiſſe Dominum in Urim & Tummim, hoc eſt per Ephod, in quo erat rationale, ubi hæ voces erant ſcriptæ, quis dubitet? Probabile autem eſt tunc ex gemmis rationalis ſplendorem emicuiſſe, qui felicem rei exitum præſagiret, & lumen vultûs Dei in Davidem ejuſque ſocios ſpargeret. Joſephus enim lib. 3. antiq. cap. 9. ait, duodecim gemmas Rationalis tempore belli ſolere fulgere, & fulgore ſuo prænuntiare victoriam Hebræorum: ideòque *Eſſen*, id eſt, Rationale, à Græcis appellatum eſſe λόγιον, hoc eſt, oraculum, eò quòd contineret has gemmas ſuo fulgore victoriam prænuntiantes: Joſepho aſſentiuntur Abulenſis, Ribera, Lyranus, Lipomanus, aliique non pauci. Hoc, ſi verum eſt, jure David potuit dicere: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine.* Sic orat etiam David Pſalm. 30. 17. *Illuſtra faciem tuam* (Pſalt. Rom. & Ambroſianum, illumina) *ſuper ſervum tuum, ſalvum me fac in miſericordia tua.* Pſ. 79. 8. *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus*, (Hebr. eſt האר haer, illumina. Pſal. 33. 6. *Accedite ad eum.* S. Hieron. reſpicite ad eum) *& illuminamini: & facies veſtræ non confundentur.* S. Auguſt. vultus veſtri non erubeſcent. Vel hæc dicuntur per catachreſin: Deo velut homini vultum attribuendo, ſic Daniel cap. 2. 18. oravit Ananiam, Miſaëlem, & Azariam ſocios ſuos, *ut quærerent miſericordiam à facie Dei cœli ſuper Sacramento iſto:* id eſt, ſuper ſomnio regis Nabuchodonoſor, qui viderat in ſomnis ſtatuam illam mirabilem ex auro, argento, ære, ferro & luto conflatam, & oblitus ſomnii curabat interfici ſapientes Babylonis, quòd illud ſibi indicare non poſſent.

Moraliter diſce: Providentiam Dei inſtar Solis 117. Deus eſt Sol animorum.
conſulere ſervis ſuis, eoſque illuſtrare. Qui itaque cum hoſtibus Davidis, aut cum amicis ejus trepidis dicunt: *Quis oſtendet nobis bona?* Perinde faciunt, atque ſi in luce media Solem quærerent. S. Chryſoſt. verba ſunt hîc: *Perinde faciunt, ac ſi quis in ardentiſſimo & clariſſimo meridie*, ἥλιον ἰδεῖν ἐπιζητοίη, *quærat Solem videre, & dubitet de luce.* Dei oculi ſunt lyncei, & omnia permeant, Eccli. 23. 28. *Oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper Solem*, (Syr. majores ſunt decies millies Sole) *circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* Iſaias cap. 60. 19. Deum nuncupat Eccleſiæ ac fidelium lucem & Solem. Et Cant. 5. 14. dicitur: *Venter ejus eburneus, diſtinctus ſapphiris.* Alii vertunt: *Sicut circulus medius, in quo ſunt ſimilitudines ſiderum.* S. Auguſtinus in Soliloq. cap. 14. *Totus tu*, inquit, *in toto tempore, ſine tempore, totum me ſimul ſemperque conſideras, ac ſi nihil aliud conſiderare habeas. Sic igitur ſuper cuſtodiam meam ſtas, ſicut omnium oblitus ſis, & mihi ſoli intendere velis: ſemper quippe te præſentem exhibes, ſemper te paratum offers, ſi me paratum inveneris. Quocumque iero, tu me Domine non deſeris, niſi prior ego te deſeram. Ubicumque fuero, non recedis, quoniam ubique es, & quocunque iero, inveniam te, per quem poſſim eſſe, ne peream ſine te, cùm ſine te eſſe non poſſim. Fateor quidem, quia, quicquid facio, & quæcumque facio, ante te facio: & illud quicquid eſt, quod facio, meliùs tu vides, quàm ego, qui facio. Quicquid enim ſemper operor, tu pariter ſemper præſens aſſiſtis: utpote perpetuus inſpector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, & omnium operationum mearum.* Omnia enim ſubſunt divinæ providentiæ, ut docet S. Thomas 1. p. q. 8. artic. 3. & 2. 2. q. 2. artic. 3. ac quæſt. 23. artic. 1. & quæſt. 104. artic. 5. Sed rationalis creatura ſpeciali modo illi ſubeſt, ut idem ſanctus Doctor ait 1. p. quæſt. 22. art. 2. ad 4. & quæſt. 103. art. 5. ad 2. & 1. 2. quæſt. 91. art. 2. boni quidem propter ſe ei ſubſunt: mali verò, propter alios tantùm, ut bruta, 1. p. quæſt. 22. art. 2. ad 4. & quæſt. 23. art. 7. Omnibus Deum providere, eaque regere, ſic docet S. Auguſtinus in ſpeculo cap. 4. Deum ipſum deſcribens his verbis: *Immutabilis mutans omnia, immortalis, illocalis, interminatus, incircumſcriptus, nuſquam finiens, ineffabilis, ineſtimabilis, indicibilis, inſcrutabilis, immotus, tangens omnia, inveſtigabilis, metuendus atque terribilis, venerandus atque verendus, honorandus atque horrendus, numquam novus, nunquam vetus, omnia innovans, in vetuſtatem perducens ſuperbos, & neſciunt: ſemper agens, ſemper quietus, colligens & non egens, omnia portans ſine onere, omnia implens ſine incluſione, omnia creans & protegens, nutriens, & perficiens.* Atque poſteà ſubjicit: *Qui ubique præſens es, & inveniri vix potes, quem ſtantem ſequimur, & apprehendere non valeamus. Qui tenes omnia, imples omnia,*

omnia, circumplecteris omnia, ſuperexcellis omnia, ſuſtines omnia. Quis eſt, qui ſe abſcondat à calore & lumine ejus.

118. Providentia eſt lux. Notat Providentia illa lux jure dicitur, aut potiùs *Lumen*, id eſt, fons lucis: *& Lumen vultûs Dei*, id eſt, divini intellectûs, qui eſt velut oculus ac vultus Dei. Nam, ut ait S. Thomas 1. p. quæſt. 22. artic. 1. ad 3. *Providentia eſt in intellectu, ſed præſupponit voluntatem finis. Nullus enim præcipit de agendis propter finem, niſi velit finem.* Et in corpore ejuſdem articuli dicit: Cùm Deus ſit Cauſa rerum, *per ſuum intellectum*: & ſic cujuslibet ſui effectûs, oportet rationem in ipſo præexiſtere, neceſſe eſt, quòd ratio ordinis in finem, *in mente* divina præexiſtat. *Ratio autem ordinandorum in finem propriè providentia eſt. Eſt enim principalis pars prudentiæ, ad quam aliæ duæ partes ordinantur; ſcilicet memoria præteritarum, & intelligentia præſentium:* prout ex præteritis memoratis, & præſentibus intellectis conjectamur de futuris providendis. Prudentiæ autem proprium eſt ſecundùm Philoſophum in 6. Ethic. ordinare alia in finem: ſive reſpectu ſui ipſius, ſicut dicitur homo prudens, qui benè ordinat actus ſuos ad finem vitæ ſuæ; ſive reſpectu aliorum ſibi ſubjectorum in familia, vel civitate, vel regno: ſecundùm quem modum dicitur Matthæi 24. Fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Secundùm quem modum prudentia, vel providentia Deo convenire poteſt. Nam in ipſo Deo nihil eſt in finem ordinabile, cùm ipſe ſit finis ultimus. Ipſa igitur ratio ordinis rerum in finem, providentia in Deo nominatur. Unde Boëtius lib. 4. de conſol. proſâ 6. dicit, quòd providentia eſt *ipſa divina ratio in ſummo omnium Principe conſtituta, quæ cuncta diſponit.* Diſpoſitio autem poteſt dici, tam ratio ordinis rerum in finem, quàm ratio ordinis partium in toto.

119. Tropolog. Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs Dei: Primò, quia divinam erga nos providentiam cernimus. Tropologicè: Signatum eſt ſuper nos lumen Dei. Primò, quia lumine naturali innoteſcit nobis illa Dei providentia, quæ inſtar Solis omnes aſpicit, & radiis ſuis manifeſtam ſe facit. S. Chryſoſtomus in Pſalm. noſtr. ſic explicat: *Quemadmodum* φῶς σεσημειωμένον: τυπίσε, κτίλυπωμένον, καὶ ἐγκεχαραγμένον ἐν προσώπῳ, *lux ſignata, hoc eſt, impreſſa & inſculpta, eſt manifeſta omnibus: ita etiam providentia tuæ benignitatis.* Ac Beda idem dicit: Vultus Dei, ait, expreſsè eſt in anima noſtra, ſicut in aliqua ſtatua eſt alicujus vultûs imago. Nam, ut docet S. Thomas 1. p. quæſt. 12. artic. 12. Ex ſenſibilium quidem cognitione non poteſt tota Dei virtus cognoſci: & per conſequens nec ejus eſſentia videri. Sed quia ſunt ejus effectus à cauſa dependentes, ex eis in hoc perduci poſſumus, ut cognoſcamus de Deo, an eſt: & ut cognoſcamus de ipſo ea, quæ neceſſe eſt ei convenire: ſecundùm quod eſt prima omnium cauſa excedens omnia cauſata. Unde cognoſcimus de ipſo habitudinem ipſius ad creaturas, quòd ſcilicet ipſa non eſt aliquid eorum, quæ ab eo cauſantur: & quòd hæc non removentur ab eo propter ejus defectum, ſed quia ſuperexcedit. Ita ipſe: & S. Baſilius explicatiùs de ipſa Dei providentia agens, & de donis ab illa acceptis aut promiſſis, homil. de gratiis agendis dicit: *Conſideremus parumper, quòd, cùm nihil quandoque eſſemus, homines facti ſumus ad imaginem Dei, mente ac ratione præditi; per quam & Deum cognoſcimus, & creationis pulchritudinem artificioſum apprehendimus, ac velut,* διὰ γραμμάτων τινῶν, *per literas quaſdam maximam Dei circa omnia providentiam ac ſapientiam legimus.* Literæ illæ ipſis ſtellarum radiis ſcribuntur. Propheta noſter, poſtquam Pſalm. 18. dixit, cœlos enarrare gloriam Dei, diem diei eructare verbum, neque eſſe ullas nationes, quæ non audiant voces eorum, ſubdit verſ. 5. *In omnem terram exivit ſonus eorum.* Hebr. קוּם *Kavvam*, linea eorum, ut vertit R. Emmanuel, id eſt, primò, ædificium eorum, ſeu ſtructura mirabilis, & ordinatio atque compoſitio ſphærarum ac ſtellarum tum errantium, tum fixarum, ut R. David exponit. Secundò, *linea eorum*, id eſt, *ſcriptura ipſorum*, ut ait R. Abraham: quia cœlorum ſcriptura ubique legitur. Sic linea eorum ſeu regula, norma, directorium, ad quod ſunt ædificati cœli, ita literas ſingulas ordinavit, ut cæcus ſit oportet, qui eas legere non poſſit. Ad bruta ablegat S. Ambroſius lib. 1. Offic. eos, qui negant providentiam; ait enim eos *beſtiarum habendos numero.* Quis enim nauclerus navem facit, quam undis ac ventis permittat, nec ductu ſuo & vigili curâ dignetur? Quis parens filios gignit, quos oculis fugiat, & hoſtium furori objiciat? Quæ nutrix pupulum alendum ſuſcipiat, ubi eum in terram abjiciat, aut ſtruthionis inſtar in arena relinquat? Et tu Deum, cujus natura bonitas, cujus opus potentia, id facturum arbitraris?

Secundò: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs Dei*, quia lumine naturæ prima principia practica ſunt per ſe nota, & conſequenter ſunt omni homini, ſive Græco, ſive Scythæ, ſive aliis quibuslibet nota. Hunc ſenſum aſſignat Bellarmin. ut litteralem. Verba ejus ſunt: Reſpondet Propheta viam juſtitiæ nobis à Deo demonſtratam eſſe, & nos habere magiſtrum intra nos, qui nos doceat verum bonum, lumen videlicet rationis naturalis. Hoc enim lumen ſignatum eſt, & impreſſum indelebiliter ſuper nos, id eſt, in ſuprema parte hominis. Habemus enim partem inferiorem, corpus: partem ſuperiorem, animam: & in ipſa anima partem inferiorem, quâ vivimus, & ſentimus: & ſuperiorem, quâ ratiocinamur & ſapimus. In hac igitur ſuprema parte eſt lumen, quo diſtinguimur à beſtiis: eſtque hoc lumen derivatum à vultu Dei, quia id nos facit eſſe ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Et ex hoc lumine poſſumus intelligere primùm viam juſtitiæ. Lex enim naturalis ſcripta in corde, quam ne ipſa quidem delet iniquitas, docet non faciendum alteri, quod nobis ab illis fieri nolumus: proinde non furandum, non mœchandum, &c. Ita Bellarm. Idem eſt ſenſus S. Aug. 3. de Gen. ad literam, & Valentiæ hoc loco. In ſpeculativis primum principium omnibus notum eſt: non contingit idem ſimul eſſe & non eſſe. Omne totum eſt majus ſuâ parte. Quæ uni & eidem ſunt æqualia, ſibi invicem ſunt æqualia. In practicis autem eſt: Bonum eſt proſequendum, malum verò eſt fugiendum. S. Thomas 1. 2. quæſt. 94. art. 2. & 2. 2. quæſt. 1. art. 7. Item 2. 2. q. 47. art. 6. ait: *Sicut in ratione ſpeculativa ſunt quædam ut naturaliter nota, quorum eſt intellectus: & quædam, quæ per illa innoteſcunt, ſcilicet concluſiones, quarum eſt ſcientia: ita in ratione practica præexiſtunt quædam ut principia naturaliter nota. Et hujuſmodi ſunt fines virtutum moralium: quia finis ſe habet in operabilibus, ſicut principium in ſpeculativis.* Et quædam ſunt in ratione practica, ut concluſiones. Et hujuſmodi ſunt ea, quæ ſunt ad finem, in quæ pervenimus ex ipſis finibus. Et horum eſt prudentia, applicans univerſalia principia ad particulares concluſiones operabilium. 120. Secundò, quia natura docet nos prima principia practica.

Tertiò: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs Dei*, per gratiam, quâ renaſcendo recuperatur ratio imaginis per Baptiſmum, qui vocabatur φῶς, lumen, ſeu φωτισμός, illuminatio: peccatum enim obſcuraverat ſuâ caligine illam imaginem, lux cœleſtis gratiæ eam reſtituit. Ita S. Auguſtinus hîc, qui ait, nos fieri inſtar denarii ſignati Regis imagine, S. Bonav. in cap. 20. Lucæ, Alcuinus, Gloſſa. Gratia eſt, primò, ſignum Thau impreſſum in frontibus Sanctorum, ut liberè Deo ſerviant, Ezech. 9. 4. *Signa Thau ſuper frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus.* Hebræi, teſte S. Hieronymo, autumant, quia lex apud eos appellatur תורה *thora*, quæ hâc literâ in principio nominis ſui ſcribitur, id eſt, Thau, quod illi accepêre ſignaculum, quæ legis præcepta compleverant. Signum hoc imprimit Spiritus ſanctus, Apocal. 7. 2. *Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis habentem ſignum Dei vivi.* S. Ambr. id exponit de Chriſto, qui crucem ſuam oſtentat. Alcazar ad rem præſentem aptiùs putat Angelo illo ſignari Spiritum ſanctum, qui ſignat ſe ipſo ſuâque gratiâ electos. Quicquid ſit de illo Joan. loco, ait Paulus Epheſ. 1. 13. *Signati eſtis* (Gr. ἐσφραγίσθητε, id eſt, ſigillo obſignati eſtis) *Spiritu promiſſionis* (id eſt, 121. Tertiò, quia gratia ſignat in nobis Dei imaginem.

promiſſo, Ezech. 36. 26. Joël 2. 28. & apud alios Prophetas) *ſancto, qui eſt pignus,* (ἀῤῥαβὼν, *arrha,* quæ datur in contractu vendentis & ementis) *hereditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitionis,* (ut redempti regnum cœleſte acquiramus) *in laudem gloriæ ipſius.* Sic ſumetur *ſignatum* pro impreſſo & inſculpto. Secundò, ſi nobiſcum ſumis ſignatum pro vexillato, & oſtenſo ac ſplendente, gratia illa rectè ſignabitur in luce ex facie Moſis emicante, Exod. 34. 29. *Cùmque deſcenderet Moyſes de monte Sinai,* (humilibus dat Deus gratiam) *tenebat duas tabulas teſtimonii,* (id eſt, legis; ſi vis, ut facies tua coram hominibus luceat, tene legem, & quidem utramque, id eſt, Deum & proximum ſpectantem, manibus) *& ignorabat,* (qui verè lucet, ad hoc non advertit animum) *quod cornuta eſſet facies ſua* (in juſtorum luce eſt robur) *ex conſortio ſermonis Domini.* Sancti ad Deum ſemper oculos ac vultum levant, neque in terram dejiciunt, Job. 29. 24. *Lux vultûs mei non cadebat in terram.* Quod S. Greg. lib. 20. Mor. cap. 4. ſic explicat, *Scriptum eſt Prov. 17. 24. Oculi ſtultorum in finibus terræ. Rurſumque per eundem Salomonem dicitur, Eccl. 2. 14. Oculi ſapientis in capite ejus. Paulus quoque ait: Caput viri Chriſtus. Oculi ergò ſapientis in capite ejus ſunt, dum Redemptoris ſui ſemper opera, quæ imitari debeat, contemplatur. Lux ergo vultus ejus in terram non cecidit: quia ea, quæ terrena ſunt, per concupiſcentiam non aſpexit.* Tertiò, ſi tibi non ſufficit ſignari in fronte & facie, gratia Dei præveniens & cooperans eſt ſignaculum cordis & brachii ſponſæ, Cant. 8. 6. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum:* pro ſignaculo Willeramus reddit, *ſigillum.* S. Ambr. lib. de Iſaac cap. 8. id ſic exponit: *Signaculum Chriſtus in fronte, ſignaculum in corde, ſignaculum in brachio. In fronte, ut ſemper confiteamur: in corde, ut ſemper diligamus: in brachio, ut ſemper operemur.* Et Honorius in Cantica ait: Chriſtum ponit ſuper cor ſuum ut ſignaculum, quia ejus doctrinam & vitam in corde ita ſervat, quaſi eum præſentem ſemper videat. Super brachium ponit eum, ut ſignaculum: dum exempla operum Chriſti ſemper inſpicit, & ea imitari cupit. In tali homine fortis eſt ut mors dilectio: quia, ſicut mors corpus interimit, & inſenſibile reddit; ita vera dilectio animam concupiſcentiis Mundi perimit, & ad cuncta deſideranda inſenſibilem facit. Et in ea dura eſt, ſicut infernus æmulatio: quia, ſicut infernus duriter, quos abſorbuerit, tenet; ita anima imitationem virtutum, quam cœpit, fortiter tenet, nec propter aliqua dura Mundi eam deſerit. Hæc anima eſt *lampas charitatis,* in qua ardet ignis divini amoris, & foris lucet flamma boni operis.

S. Venceſlaus apparet cruce ſignatus. Ita ipſe. Æneas Sylvius in hiſt. Bohem. cap. 14 refert, S. Veneeſlaum, Bohemiæ regem & martyrem, cùm adoleſcens in aula Othonis Imp. vitam ageret angelicam, ideóque à Principibus cæteris deſpiceretur: *Cruce aureâ divinitùs ſignatum,* ab Angelis in conſpectum Imp. adductum eſſe: quo viſo commotus et aſſurgens Otho in conſeſſum ſuum amanter recepit, & S. Viti brachio, magniſque muneribus donavit. Quamdiu putas in corde illud ſignum latuiſſe, antequam foras erumperet? Deus vult in juſtorum eſſe cordibus, & ipſos viciſſim ſibi aſſumit in ſignaculum cordis, aut manûs: ſicut dicit de Zorobabele, Aggæi 2. 24. *In die illa* (in luce virtutum tuarum) *dicit Dominus exercituum, aſſumam te Zorobabel fili Salathiel ſerve meus, dicit Dominus: & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.* Ter promiſſio Dei ut Domini repetitur, ut opus hoc totius Trinitatis intelligatur, & gaudeat ſervus, quòd non tantùm oculos habeat in manibus Domini ſui, ſed totus ab eo portetur ad ornatum & decus: aut aſſumit Deus juſtum in ſignaculum cordis, ut S. Joannem qui requievit in pectore JEſu ſuper cor ejus, Joan. 13. 23. *Erat recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu JEſu, quem diligebat JEſus:* in ipſum cor penetraverat, & in eo impreſſus & inſculptus erat.

122. Alleg. Allegoricè: *Signatum lumen vultûs Dei,* eſt, primò, Chriſtus, qui, ut ait Paulus Hebr. 1. 3. *Eſt ſplendor gloriæ, & figura* (χαρακτὴρ, character, ſignum, ſigillum, impreſſa, & expreſſa, exſculptaque imago) *ſubſtantiæ ejus,* id eſt, Patris æterni, à cujus vultu, id eſt, intellectu procedit. Sapient. 7. 26. dicitur: *Candor lucis æternæ.* Pater eſt Sol, Filius eſt radius & Soli conſubſtantialis: ſignatur ille radius, quia imprimitur ſuper noſtram naturam, aſſumptâ Chriſti humanitate, quæ per eum ſubſiſtit. S. Athanaſius Pſ. noſtrum de Chriſto explicat, qui eſt Lumen Mundi, & Joan. 1. 9. dicit: *Lux vera,* (aliæ ſunt imaginariæ) *quæ illuminat* (ecce cœleſtem ad ſignationem per gratiam!) *omnem hominem venientem in hunc Mundum.* Et S. Cyrillus: *Quis,* ait, *eſt vultus Dei Patris, cujus lumen ſignatum eſt ſuper nos, niſi immutabilis imago Filius Dei? Propterea dicit Joan. 14. 9. Qui videt me, videt & Patrem. Nos autem illo inſignivit, cùm nos ipſe ſibi conformes effecit, & ſui Spiritus ſplendorem tanquam imaginem nobis in eum credentibus impreſſit.* Signum illud datum eſt regi Achaz, Iſa. 7. 11. & ſeq. *1. Chriſtus eſt lumen vultûs Dei.*

Secundò: *Signatum lumen vultûs Dei,* eſt Spiritus ſanctus. Vultus enim & imago Patris eſt Filius, à quo etiam ſicut à Patre procedit Spiritus ſanctus, ut radius ardens amoris, qui radius ſignatur in cordibus Sanctorum in juſtificatione: tunc enim realiter & phyſicè illis unitur, ſed unione accidentali. Pſalmi noſtri locum applicat ad donum Spiritûs ſancti in Pentecoſte Rupertus, de gloria Trinit. cap. 14. Eodem modo ait S. Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto, cap. 17. *Quod eſt lumen ſignatum, niſi illius ſignaculi ſpiritalis, in quo credentes ſignati ſunt?* Sic Paulus ait Epheſ. 1. 13. *In quo* (Chriſto) *& credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto,* ut explicui ſuprà. Sic cor innovatur, & de carnali fit ſpiritual i, Ezech. 36. 26. *Dabo vobis cor* (mentem & voluntatem) *novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri.* *2. Spiritus ſanctus.*

Anagogicè: *Signatum lumen vultûs Dei* ſuper juſtos, eſt lumen gloriæ in cœlo, quo elevatur intellectus Beatorum ad Deum videndum, ad quod non poteſt pertingere viribus naturæ. Ita videntur explicare S. Auguſtinus tract. 40. in Joan. & S. Hieron. in cap. 2. Nahum. Et quidem, cùm in homine ſit triplex lumen, quod non participant bruta: ſcilicet lumen naturæ, gratiæ & gloriæ, ut docet S. Thomas 1. p. q. 12. art. 2. cùm lumen naturæ atque gratiæ poſſit dici lumen ſignatum vultûs Dei, cur non idem diceretur de lumine gloriæ? Signatum eſt, quia, ut ibi dicit ſanctus Doctor: *Ad videndum Dei eſſentiam requiritur aliqua ſimilitudo ex parte viſivæ potentiæ: ſcilicet lumen divinæ gloriæ confortans intellectum ad videndum Deum: de quo dicitur in Pſalm. 35. 10. In lumine tuo videbimus lumen.* Signatum lumen illud eſt ſuper nos, id eſt, ſuper vires totius naturæ, ibid. artic. 5. ad 3. *Lumen gloriæ,* inquit, *non poteſt eſſe naturale creaturæ, niſi creatura eſſet naturæ divinæ, quod eſt impoſſibile. Per hoc enim lumen fit creatura rationalis deiformis.* 123. *Anagogicè. Lumen vultûs Dei eſt lumen gloriæ.*

Symbolicè: Signatum ſuper nos lumen vultûs Dei, eſt crux Chriſti, ut explicat Caſſiodorus, & Heſychius, qui ait: *Vultus Patris, Chriſtus eſt: quem qui videt, Patrem videt. Lumen autem Chriſti, crux eſt, per quam Orbem illuminavit, qui nos in fronte ſignavit.* Regis imaginem fert ejus nummus: characterem paſtoris, ovis. Characterem Chriſti, nempe crucem, in qua impreſſus eſt, Chriſtianus. De cruce Chriſti & ejus ſanguine exponunt S. Iſidor. in Exod. c. 15. Hugo à S. Vict. Inſtit. lib. 1. Beda lib. 3. cap. 2. in Samuël. Rabanus. 124. *Symbolicè Lumen Chriſti eſt crux.*

Secundò: Signatum illud lumen vultûs Dei ſuper juſtos, eſt eorum notabilis modeſtia, quâ dignoſcantur ab impiis, quorum in frontibus imprimitur impudentia, ut ait Aretas in Apoc. c. 65. Vide, ne hunc characterem Antichriſti ſuſcipias, ſed per modeſtiam ambula dignè Deo, & induere JEſum Chriſtum, & luceat lux tua coram hominibus. Paulus dicit Philippenſibus, cap. 4. 5. *Modeſtia veſtra nota ſit* (non poteſt abſcondi lux ſub modio) *omnibus hominibus.* Modeſtiæ eſt moderari exteriorem hominis vitam in inceſſu, habitu, & hujuſmodi, 2. 2. q. 120. *2. Lumen vultûs Dei eſt modeſtia piorum.*

q. 180. art. 2. ad 3. Ad rem noſtram eſt vel maximè, quod de S. Bernardi modeſtia refert Gaufridus ejus Notarius lib. 3. vitæ cap. 1. *Apparebat in carne ejus gratia quædam ſpiritalis: in vultu claritas præfulgebat, non terrena, ſed cœleſtis: in oculis Angelica quædam puritas, & columbina ſimplicitas radiabat. Tanta erat interioris ejus hominis pulchritudo, ut evidentibus quibuſdam indiciis foras erumperet, & de cumulo internæ puritatis & gratiæ copiosè perfuſus homo quoque exterior videretur.* Modeſtia non faciem tantùm, ſed totum exteriorem hominem condecorat. In eam rem aliquo modo conveniet verſio aut lectio Tertulliani lib. 5. contra Marcionem cap. 12. ubi pro *lumen vultûs* habet *lumen perſonæ tuæ.* Lumen Dei primò juvenibus affulgens, vocat S. Diadochus cap. 67. *Theologiæ chariſma, & gratiæ Dei fœtum matutinum:* ad omnes virtutes ducit lux illa, ſed præcipuè modeſtiæ radios effundit, hi ſunt maximus ſplendor juventutis. Tunc dicent, ut eſt in textu Arabico: *Jam illuxit nobis lumen vultûs tui, ò Domine mi!* id eſt, lumen Chriſti, qui modeſtiâ ſuâ vel milites furentes compeſcebat, & omnes in admirationem rapiebat.

ARTICULUS II.

Juſti à Deo illuminati lætitiâ complentur.

NOn lucem tantùm intellectui communicat Deus, qui eſt Sol infinitæ claritatis & virtutis; ſed etiam calorem ingenerat, quo dilatata mens in
Verſ. 7. lætitiæ cantus erumpat, verſ. eodem 7. DEDISTI LÆTITIAM IN CORDE MEO. Ubi duo dicuntur. Primò, quòd Deus det lætitiam. Secundò, quòd det illam in corde, id eſt, in voluntate.

125. Lætitia oritur ex lumine de vultu Dei emicante.

Ac primò, lætitia cœleſtis oritur à lumine emicante ex Dei vultu, ſive per lumen intelligas favorem totius Trinitatis: ſive Chriſtum ipſum, aut Spiritum ſanctum: ſive gratiam in hac vita, aut gloriam in alia: ſive ipſam Chriſti crucem: ſive lumen rationis.

Primò, lux providentiæ & favor Dei dat lætitiam.

Primò, lux providentiæ ſpecialis & favor divinus dat gaudium, nec poteſt dux aut miles Regis ſui faciem amicam, & faventes arridentesque oculos ſine lætitia intueri, Prov. 16. 15. *In hilaritate vultûs* (Hebr. in luce faciei eum) *Regis, vita:* ſupple, eſt, q. d. Rex læto vultu ſubditos ſuos aſpiciens eos recreat, reficit, ac vivificat. Baynus cenſet ſumi comparationem ab aurora, quæ tenebras noctis diſcutiens lætificat homines. Salazar meliùs ab ipſo ſole vult eam ſimilitudinem peti. Sol enim ſereno die explicans vultum ſuum pulchritudine ac luce oculos recreat, & calore corpus vivificat. Rex eſt Reipub. Sol, ut ait Plutarchus in moral. lib. ad princip. indoct. *Quemadmodum Deus in cœlo*, περικαλλὲς εἴδωλον ἑαυτοῦ ἱδρύσας, *pulcherrimum ac jucundiſſimum ſui ſimulacrum conſtituit Solem; ſic in Republica Principem, qui prudentiâ, juſtitiâ, benignitate ſe erga omnes repræſentet. Diem ſerenum efficiat, ac nubes diſſipet, ut delectet ac proſit.* Seneca lib. de clementia: *Utrùm*, ait, *Mundi ſtatus gratior oculis pulchriorque ſit ſereno & puro die: an cum fragoribus crebris cuncta quatiuntur, & ignes hinc atque illinc micant? Atqui non alia facies eſt clementis ac moderati imperii, quàm ſereni cœli atque nitentis.* De Deo ait Propheta noſter, Pſal. 144. 8. *Miſerator* (S. Hieron. clemens) *& miſericors* (Hebr. רחום rahum, q. d. viſceraliter miſericors) *Dominus; patiens, & multùm miſericors.* Et verſ. 9. *Suavis* (S. Hier. bonus) *Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Miſericordia Dei eſt Sol, juſtitia eſt tonitru & fulgur: itaque miſericordia eminet, & oritur ſuper bonos & malos, ſed præſertim bonos lætitiâ complet: his enim blandiùs arridet, & lætiùs ac blandiùs lucet. Unde Origenes in Pſalmo noſtro ait: *Quid aliud eſt lumen vultûs tui, Domine! quàm cor lætitiâ plenum?*

126. 2. Chriſtus eſt vera lux nos recreans.

Secundò, Chriſtus vera lux cœleſtem Jeruſalem illuſtrat & recreat: ait enim Joannes Apoc. 21. 23. *Lucerna ejus eſt Agnus:* unde fit, ut neque Solis, neque lunæ lumine egeat. Lucet etiam hoc in Mundo, idem Joannes Evangelii cap. 1. 5. *Lux in tenebris lucet.* Et lux vera & perfecta juſtos læto ſplendore illuſtrans, Pſalm. 109. 3. *Tecum principium* ἀρχή, principatus) *in die virtutis* (S. Hieron. fortitudinis) *tuæ: in ſplendoribus ſanctorum* (Chald. ſplendoribus ſanctitatis) *ex utero ante Luciferum genui te.* S. Hieron. ex Hebr. de vulva orietur tibi ros adoleſcentiæ tuæ. Chald. apud Nebienſem, miſericordiæ Dei præſto erunt tibi, tanquam ros ſedebunt confidenter nati tui. Aquila; à vulva, ab aurora tibi oriente ros pueritiæ tuæ. R. Salomon cenſet, aurorâ & rore defluente denotari mentis vultûſque Chriſti ſuavitatem, hilaritatem & dulcedinem. De eo poſſis explicare illud Proverb. 16. 15. *In hilaritate vultûs Regis, vita.* Sept. in eam rem aptè vertunt: *In luce filii Regis, vita.* De Chriſto habet Joan. 1. 4. *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* Et 1 epiſt. 5. ult. *Ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Et Pſal. 35. 10. *Apud te eſt fons vitæ*, (Hebr. *vitarum:* temporalis & ſempiternæ) *& in lumine tuo videbimus lumen*, id eſt, in Filio; & per Filium, teipſum. Unde ait Philippo, Joan. 14. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*, in tot & tantis luminibus, cui poterit deeſſe lætitia?

127. 3. Spiritus S.

Tertiò, Spiritus ſanctus in animam infuſus ſuo lumine eam ſignat, & ſignando lætificat, Galat. 5. 22. *Fructus autem* (actus & opera) *Spiritus eſt charitas, gaudium, pax.* S. Chryſoſt. ſerm. de Pentecoſte: *Spiritus ſanctus*, inquit, *noſtræ imaginis eſt reformatio, mentis perfectio, ſpiritalis mentalium oculorum noſtrorum Sol, interni noſtri hominis lumen, lucifer in pectoris cœlo, &c. Spiritus ſanctus eſt copula unionis noſtræ in Chriſto, animarum exultatio, cordis tripudium, ignis, fons ruſulentus.* Hæc Chryſoſtomus.

4.

Quartò, lumen rationis naturalis, & lumen gratiæ, quo à vitiis retrahimur, lætitiæ fons eſt uberrimus. Ut enim ait S. Cyprianus lib. de diſciplina, & bono pudicitiæ: *Voluptatem*, ait, *viciſſe voluptas eſt maxima.* Prov. 15. 15. *Secura mens* (Hebr. bonus corde) *quaſi juge convivium* Hebr. *juge convivium*, non ponitur *quaſi:* imò eſt pluſquam convivium perpetuum. Ut enim ait S. Chryſoſtom. 50. in Matth. *Cùm nullis ſtimulis conſcientiæ animus pungitur, magno ſemper fruitur gaudio, adeò ut nemo id ratione poſſit exponere. Quid enim ſibi videtur in præſenti vita jucundum atque ſuave? Menſæ delicioſæ? Sed hæc illi voluptati, quæ virtutem conſequitur, collata, amara, & triſtitiâ plena videtur.* Convivæ illius convivii, ut ait Ugo, ſunt virtutes, quæ omnes propriis ferculis reficiuntur. Plutarchus lib. περὶ εὐθυμίας, id eſt, de tranquillit. animi, ait: ἀνὴρ ἀγαθὸς πᾶσαν ἡμέραν, ἑορτὴν ἡγεῖται, *vir bonus omnem diem feſtum arbitratur.*

128. 5. Lumen gloriæ.

Quintò, lumen gloriæ, præſertim fontem lætitiæ inexhauſtum aperit, Pſalm. 35. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domûs Dei*, (Sic ait Jeremias cap. 23. 9. Factus ſum quaſi vir ebrius, & quaſi homo madidus à vino à facie Domini) *& torrente voluptatis tuæ potabis eos:* ſimpliciter gaudium vocatur paradiſus & viſio Dei, Matth. 25. 21. ubi ſervo bono & fideli, qui talenta ſua ſtudio & labore multiplicaverat, ait: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca* (talenta quinque, id eſt, ſexaginta aureorum millia, pro nihilo reputat) *fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Per laborem ad gaudia pervenitur, oleum de ſaxo, & mel de petra eſt eliciendum. S. Bernardus ſerm. 4. in Epiph. *Studeamus, obſecro, fratres, adimplere omnem juſtitiam. Ipſa eſt enim via, per quam ad lætitiam venitur. Nam præmium eſt, juſtitia verò meritum & materia. Nam de ipſa juſtitia noſtra erit lætitia noſtra quando Chriſtus apparebit vita noſtra, & nos apparebimus cum ipſo in gloria. Quoniam ipſe eſt, qui factus eſt nobis à Deo Patre juſtitia. Beati verò, qui etiam nunc de juſtitia lætantur, & exhilarantur in conſcientiis ſuis, ſugentes mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo*, Chriſto crucifixo, & ab ipſa cruce.

130. Crux Christi. Sextò enim: Ipſa crux, quæ eſt lumen Chriſti, parit lætitiam, & tollit amaritudinem, aquæ Mara, Exod. 15. 25. *Dominus oſtendit ei* (Moiſi) *lignum: quod cùm miſiſſet, in dulcedinem verſa ſunt.* Vi partim naturali ligni, ut indicant Eccli. 38. 4. partim ſupernaturali, ut citiſſimè ageret, atque in majorem quantitatem aquæ, quàm potuiſſet ſolâ vi naturali. Crucem figurabat illud, ut S. Ambroſius lib. de iis, qui myſteriis initiantur, cap. 3. S. Cyprianus lib. de zelo & livore, aliique explicant. Crocem vocat Caſſiodorus in Pſal. noſtro, vitam juſtorum. Rabanus de laude Crucis, eam appellat deſperatorum ſecuritatem, infortunatorum felicitatem. S. Chryſoſt. Lignum vitæ æternæ, arborem reſurrectionis. S. Damaſcenus lib. 4. de fide, cap. 12. *Crux*, inquit, *ſalus animæ & corporis, omnium malorum averſio, bonorum omnium datrix.* In mediis doloribus & martyrio Deus dat gaudium interius, Dan. 3. 50. *Angelus Domini fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem.* Ipſa flamma in rorem convertitur, ut aliàs oſtendi: & afflictio in lætitiam. S. Baſil. homil. de gratiis agendis: *Quomodo mediis in flammis agant, qui Deo conjuncti ſunt, ſicut tres pueri apud Babylonem. Et ſi cum leonibus fuerint incluſi, & à cete monſtriſque marinis devorati: fas eſt à nobis*, μακαρίζεσθαι, καὶ αὐτοὺς ἐν χαρᾷ διάγειν, *felices ac beatos eſſe iudicari, & in perpetua lætitia agere, non quidem præſentibus turbatos malis, ſed eorum quæ continuò ſperant expectatione lætos.* Si enim Pindarus ait, eos qui vitam piè & juſtè traducunt, habere ſpem dulcem eis καρδίαν ἀτάλλοισαν γηροτρόφον, *cor alentem, & ſenectutis altricem:* quid erit in Chriſtiano Dei promiſſis freto? Euripid. epiſt. ad Archelaum dicit, conſcientiam rectè factorum, neque parvam eſſe poſſeſſionem, neque parvum fructum, ſed valentem, ἐν δυσπραγίαις ἡδονὰς παρέχειν, in mediis adverſitatibus voluptates exhibere.

131. Lætitia divina cor penetrat. Secundò: Lætitia cœleſtis à Deo ad juſtum demiſſa non manet in oculorum aut vultûs ſuperficie, vel in labiorum, primorumque dentium ac linguæ extremitate, ſed ad intima penetrat, & ipſas animi medullas pervadit, verſ. eodem 7. *Dediſti lætitiam in corde meo.* Græcè εἰς τὴν καρδίαν μου; *in cor meum.* Infunditur enim 1. In cor. 2. Ubi eſt in corde, augetur ac dilatatur ob amoris fervorem. Arabs, dediſti lætitiam *cordi meo*, ut eâ ad libitum utatur & fruatur tanquam Dominus, & aliis dividat pro arbitrio. Nota, cor hìc ſumi commodè poteſt pro voluntate: in ea enim eſt lætitia, ſicut omnes aliæ affectiones: lumen vultûs Dei ſignatur in intellectu per illuſtrationem, reflectitur ad voluntatem, & illam accendit, & calore ſuo vivificat ac recreat. S. Chryſoſt. in Pſal. noſtr. jure præfert illud internum gaudium aliis, atque: *Dediſti lætitiam in corde meo: non eſſe in rebus externis, nec in auro, nec in argento, nec in veſtibus: non in lauta & opipara menſa, non in potentia magnitudine, non in domûs laxitate. Hæc enim lætitia non eſt cordis*, ἀλλ᾽ ὀφθαλμῶν μόνων, *ſed tantùm oculorum.* Lucernæ, quæ erant in templo coram altari thymiamatis, ut lucerent coram Deo, habebant occultos canales, per quos reciperent oleum è vaſe ſuperiori lampadis, Zachar. 4. 2. *Et dixit ad me Angelus: Quid tu vides Zacharia? Et dixi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas ejus ſuper caput ipſius*, (Hebr. גֻּלָּה, *gulla*, vas concavum & ſphæricum ad capiendum oleum, vas rotundum inſtar globi, & ovale ad modum lenticulæ. Tigurina vertit, diſcus rotundus. Pagnin. & Arias, lenticula. In medio illius conchæ olei, erat etiam vera lampas, ut ait Ribera, Sanctius, & Fernandius) *& ſeptem lucernæ ejus ſuper illud: & ſeptem infuſoria* (calami concavi) *lucernis, quæ erant ſuper caput ejus:* id eſt, juxta caput candelabri in circulum diſpoſitæ, ac veluti illud coronantes. Lucerna primaria, quæ erat ſuper ipſum haſtila candelabri, erat typus Chriſti, ex quo omne oleum, id eſt, omnis gratia, & omnis lætitia atque ſuavitas in omnes Sanctos derivatur. Vel etiam poteſt eſſe ſymbolum voluntatis, quæ ſuam lætitiam interiorem in alias potentias diffundit.

Candelabri aurei canales occulti.

Anima potest hortus. Anima ſancta hortus eſt odore virtutum ſuave fragrans, ſed clauſus, ne flores ventus excutiat, aut odorem minuat, Cant. 4. 12. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.* Quem locum de interna mentis lætitia ſic exponit S. Greg. in commentario: *Unaquæque, ait, anima ſancta etiam hortus concluſus eſſe intelligitur: quia dum virtutes nutrit, flores gignit: & dum virtutum exhilaratione ſe reficit, fructus, quos genuerat, eoſdem cuſtodit. Concluſus enim hortus eſſe dicitur, quia dum bona ſua intentione vitæ æternæ abſcondit, dum humanas laudes omninò contemnit, ipſa bona intentione ſe circumſepit, ne ad interiora rapienda hoſtis antiquus irrumpere poſſit. Fons etiam dicitur: quia dum cœleſtia aſſiduè cogitat, dum ſcientiam ſcripturarum in ventrem memoriæ congregat, quaſi aquas viventes mens in ſe gignere non ceſſat, quas ſitientibus proximis præbere, ut reficiantur, valeat.*

Impii ſunt mons Ætnæ. Contrà verò, impius eſt ſimilis Ætnæ monti, variis in locis vernat floribus, & odores ſuaves ſpargit, quibus attraharis, ſed intùs ardet atque ab ſumine, ac fœtet ſulphure & bitumine. S. Chryſoſt. in Pſal. noſtr. de divitiis atque deliciis agens, dicit: *Multi eorum qui hæc poſſident*, ἀβίωτον βίον εἶναι νομίζουσι, *vitam non eſſe vitalem exiſtimant, &* κάμινον ἀθυμίας, *angoris fornacem in animo circumferunt, à curarum multitudine exhauſti, & continuis timoribus oppreſſi.* Mercurius Triſmegiſtus hos ſceleratorum cruciatus conſiderans, exclamat: *Quis major eſſe poteſt animæ cruciatus, ô fili! quàm impietas? Quis ignis tantam flammam habet, quantam impietas? Quæ fera bellua tantas corpori clades & laniatus afferre poſſit, quantas animæ impietas? An non vides quot mala mens impia patiatur exclamans & ejulans, ardeo, uror. Quid dicam, quid faciam, neſcio, dilanior infelix à malis quæ circumſtant, neque video, neque audio*, &c.

ARTICULUS III.

Juſti neglectis terrenis bonis, quæ tamen Deus illis deeſſe non patitur, in pace & quiete mentis ſibi gratulantur.

Verſ. 8. 133. CUm quæſtioni hoſtium ſuorum: *Quis oſtendit nobis bona?* Primò David reſponderit: SIGNATUM EST SUPER NOS LUMEN (id eſt, favor) VULTUS TUI DOMINE: DEDISTI LÆTITIAM IN CORDE MEO. Secundò adjicit, hoſtibus ſuis tantùm eſſe data bona externa, ſibi verò pacem: verſ. 8. A FRUCTU FRUMENTI, VINI, ET OLEI SUI MULTIPLICATI SUNT. Verſ. 9. In pace in idipſum dormiam & requieſcam.

Nota Primò: Per frumentum, vinum, & oleum, ſynecdochicè cætera bona externa intelligi. Unde ſæpè in Scriptura hæc ſimul junguntur, ut Num. 18. 12. cùm Aaroni ait Deus: *Omnem medullam* (Hebr. pinguedinem) *olei, & vini, & frumenti tibi dedi.* Et ſpecialiùs, rerum omnium abundantiam promittens populo Iſraël, ait Deuteron. 11. 13. & 14. *Si diligatis Dominum Deum veſtrum, & ſerviatis ei toto corde veſtro, & in tota anima veſtra, dabit pluviam terræ veſtræ temporaneam* (id eſt in autumno menſe Octobri, ſtatim jacto ſemine in terram: quæ pluvia etiam dicitur matutina) *& ſerotinam*, (in vere menſe Aprili, cùm maturescunt ſegetes, ut augeantur) *ut colligatis frumentum, & vinum, & oleum:* ſub his alia omnia comprehendit. Et cap. 12. 17. & 14. 23. & 18. 4. ac 2 Paral. 31. 5. & 32. 28. Jerem. 31. 12. Oſeæ 2. 8. Joël. 2. 19. & 24.

Nota Secundò: In Hebræo nunc non fieri olei mentionem: ſive exciderit illud nomen, ſive ſub frumento & vino per ſynecdochen intellectum

Septuag.

Septuag. interpretes expreſſerint, quòd ſæpè hæc tria jungantur. Non ineptè ſuſcipiatur Richardus Cenomanus, olim fuiſſe in Hebræo חרוש שמן, *thiros ſamen*, nunc verò legi חרושם, *thiroſam*, uno ſchin perdito, & literâ nun. Hoc tamen eſt incertum.

Nota tertiò: Pro *à fructu*, id eſt, fructus vel, ob fructum, nunc in Hebræo eſſe, *in tempore*. Pſalt. Rom. & Amb. S. Auguſt. S. Ambr. Caſſiodorus habent, *à tempore*. Sed in idem redit, q. d. fructus tempore commodo illis ortus eſt.

Nota quartò: Pro *multiplicati ſunt*, nunc in Hebræo eſſe, ut S. Hieronymus vertit, *multiplicata ſunt*. Sic enim habet: In tempore frumentum eorum, & vinum eorum multiplicata ſunt. Quæ verba denotant eos commodo & opportuno tempore meſſem oberem feciſſe vini, olei, frumenti, & aliarum rerum.

134. Senſus hujus loci.

Senſus verſionis noſtræ, cui magis hærendum, eſt: q. d. Hoſtes mei ſunt multiplicati, id eſt, aucti, & magnificati, ob fructum, quem in tritic ea meſſe, & vindemia, atque olivatione perceperunt. Secundò, numero etiam aucti ſunt, quòd viderent eos, qui mihi obſiſterent in terrenis bonis, felices eſſe, partim ex eorum agris provenientibus, partim datis aut promiſſis à Saule, ut bello me aceſſerent: ego autem in pace, iis invitis, conquieſcam. Tertiò, Trevetus, Gagneius, Arias, Vatablus, Eugubinus cenſent Davidem denotare, ſe Dei ope fretum, ex rebus proſperis hoſtium ſuorum nihil doloris cepiſſe, ſed potiùs ſperare eos inde capturos occaſionem converſionis. Quartò, alii dicunt, multiplicatos aſſeri hoſtes Davidis à fructu, id eſt, præ fructu frumenti, vini, & olei, q. d. plures eſſe quàm ſint ſpicæ in meſſe, aut uvæ in vitibus, aut olivæ in oleis. Sed prima explicatio magis arridet. Vide paraphraſim meam.

Davidi neceſſaria providit Deus.

Quintò: Aſterius cenſet Davidem de ſe ac ſociis ſuis loqui, & apertiùs declarare, quod in Pſalmi principio poſuerat: *In tribulatione dilatâſti mihi*. Nam ut patet 2 Reg. 16. 1. cùm David fugiens Abſalonem tranſiiſſet paululùm montis Oliveti verticem, Siba ſervus & curator Miphiboſeth filii Jonathæ, attulit ducentos panes, & centum alligaturas uvæ paſſæ, id eſt, quæ in ſiccando paſſa eſt Solem: & centum maſſas palatharum, id eſt caricarum, ſive ficuum aridarum, & utrem vini. Et cap. 17. ℣. 27. dicitur: *Cùm veniſſet David in caſtra, Sobi filius Naas de Rabbam filiorum Ammon, & Machir filius Ammihel de Lodabar, & Berzellai Galaadites de Rogelim, obtulerant ei ſtratoria, & tapetia, & vaſa fictilia, frumentum, & hordeum, & farinam, & polentam*, (id eſt, farinam hordei ad ignem ſiccati & toſti) *& fabam, & lentem, & frixum cicer, & mel, & butyrum, oves, & pingues vitulos, dederuntque David, & populo qui cum eo erat, ad veſcendum: ſuſpicati enim ſunt, populum fame & ſiti fatigari in deſerto.* Sic Deus providet Sanctis ſuis in neceſſitate. Ducenti farinæ modii ante fores cellæ S. Benedicti inventi ſunt, cùm domi nihil frumenti ſupereſſet, ut refert S. Gregor. lib. 2. dialog. cap. 21. S. Sanctulus presbyter provinciæ Nurſiæ, pane unico per miraculum reperto, decem diebus plures opifices abundè refecit, ut ait idem lib. 3. cap. 37. tunc autem S. Laurentii martyris Eccleſiam à Longobardis incenſam reparabat. Cùm S. Homobonus plurimos panes egenis diſtribuiſſet, non eſt imminutus eorum numerus, ſed tot reperti ſunt, quot erant priùs. In ejus vita 13. Novembris. Cùm S. Germanus Abbas, ac poſteà Pariſiorum Epiſcopus, omnia pauperibus diſtribuiſſet, & Religioſi murmurarent, duo plauſtra cibis onuſta divinitùs advecta ſunt, ut eſſet quo ſe reficerent, ut tradit Ribadeneira in vita.

Deus S. Benedicto & aliis ſuccurrit mirabiliter.

Vinum Deus dat S. Bonifacii precibus.

Vinum etiam ſervis ſuis mirabiliter Deus ſuppeditavit. S. Bonifacius, qui adhuc puer oratione ſuâ horreum tritico compleverat, jam grandior benedictione ſuâ effecit, ut è Gothorum duorum vaſculo, longo tempore vinum non deficeret, ut docet S. Gregorius lib. 1. dialog. cap. 8. Contrà autem vinum in lagena furis in ſerpentem vertitur, ut habet lib. 3. cap. 18. S. Homobonus, cùm vinum, quod foſſoribus ferebat, egenis in via occurrentibus diſtribuiſſet, lagenas aquâ implevit: & benedictione factâ foſſoribus diſtribuit, qui vinum ſuavius ſe guſtâſſe nunquam, exclamârunt, ut Cremonæ Canonici teſtantur in ejus vita, quam ſcripſerunt.

Et S. Homoboni oberrant.

Oleum dat Deus per Eliam viduæ.

Oleum quoque dedit Deus ſervis ſuis petentibus, & in eorum gratiam multiplicavit, ut accidit viduæ Sareptæ Sidoniorum (erat hæc urbs ſita inter Tyrum & Sidonem) Eliam Prophetam nutrienti in fame publica, de ea dicitur 3 Reg. 17. 16. *Hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus:* quod rectè Abulenſis docet factum eſſe, non per rarefactionem, ſed per additionem novæ farinæ, & olei continuam: ita ut inde ſuſtentaretur Elias, & vidua, ac filius ejus. S. Eucherius id conſiderans, ait: *Facta eſt igitur manus viduæ perenne torcular, & mola jugiter fundens. Ecquid dico mulieris manum? In verbo Prophetæ tota domus viduæ piorum cellarium facta eſt. Non ibi ros, non pluvia, non verna aura, non calidi Soles, non imbribus neceſſarius, non aratrum, non agricola, non colonus: ſed omnia, & in omnibus ſermo Prophetæ affatim viduæ miniſtrabat.* Eliſæus oleum egentis viduæ multiplicat, ut debita exolvat, 4 Reg. 4. 1. & ſeq. Nonnoſus oleum multiplicat, ita ut per annum monaſterio ſufficiat, ut ait S. Gregorius lib. 1. dialog. cap. 7. S. Benedictus cùm petenti oleum omne monaſterii dari curaviſſet, oratione fusâ oleo dolium totum implevit. Ibidem lib. 2. cap. 29.

Et per Eliſæum.

135. Mirabilia eſt in agris quotidiana multiplicatio frumenti.

Hæc miramur, & multiplicationem annuam frumenti, vini, & olei, aliarumque rerum copiam, ex villi ligno, ac terra productam non miramur, quam jure S. Chryſoſtomus vocat πέλαγος τῦ Θεῦ προνοίας, *pelagus providentiæ Dei*: miracula pro particularibus perſonis ſunt rivi aut fontes illius beneficæ providentiæ: ſed juge illud miraculum, quo tot hominum milliones aluntur, & ſine quo annuatim renovato perirent, eſt inexhauſtus bonitatis, ſapientiæ, ac potentiæ oceanus, jure ſuo perennem gratiarum actionem exigens. Cùm Chriſtus quinque virorum millia, exceptis mulieribus & parvulis, aluiſſet quinque hordeaceis panibus, & duobus piſcibus, volebant rapere eum, ut Regem facerent, Joan. 6. 15. nos Regem nobis eum non eligemus tot bona quotidie largientem? Vide S. Baſilium homil. 5. hexaëm. Dei ſapientiam & potentiam in frumenti productione admirantem, ubi ait, unam herbam poſſe occupare, διάνοιαν ἐν πᾶσαν, *omnem mentem tuam*, ad ejus artis rationes perſpiciendas, ex qua prodiit. S. Ambroſius lib. 3. hexaëm. agens de prima terræ germinatione in creatione, dicit: *Miramur quod tam citò terra germinaverit: quantò majora miracula ſunt, ſi ſpectes ſingula, quemadmodum vel jacta in terram ſemina reſolvantur, ac niſi mortua fuerint, nullum fructum afferant: ſi vero fuerint quâdam ſui morte reſoluta, in uberiores fructus reſurgant. Suſcipit igitur granum tritici putris gleba, & ſparſum cohibet occatio, ac velut materno terra gremio fovet & comprimit. Inde cùm ſe granum illud reſolverit, herbam germinat*, &c. fusè. In vitibus quoque mirabilem Deum oſtendit S. Baſil. ibid. & S. Ambr. lib. 3. cap. 12. ac Tullius lib. de ſenectute, num. 51. De oleo vide Plin. lib. 15. octo primis capitibus.

Caveamus, ne verum ſit, quod ait S. Ambroſius cap. 17. *Surdiora corda hominum ſunt, quam dura ſaxorum. Terra indebitos fructus nobis miniſtrat, dum obſecundat authori: nos debitum munus negamus, dum non veneramur authorem. Vide in parvis, quaſi providentia Dei*, &c. Quis ferat ſceleratos Dei donis abuti? atque, ut loquitur S. Chryſoſtomus, πλοῦτον πονηρίας εἶναι ὑπηρέτην, divitias eſſe miniſtras iniquitatis, quod tamen accidere videmus & lugemus: cùm è contrario paupertas ſit, φιλοσοφίας μήτηρ, philoſophiæ mater.

Non,

Nota, à voce דגן, *dagan*, quod frumentum ſignificat, aliqui deducunt Dagon idoli nomen, ut vult Euſebius lib. 1. de præpar. Evang. cap. 7. dicitque creditum ab Ethnicis, frumenti & aratri
Dagon an Jupiter Aratrius. inventorem, atque ideò Jovem Aratrium nuncupatum. Idolo Dagon arcam Dei ſubjiciunt, cùm terrenis divina poſthabent. Sed Deus caput, pedes, manuſque idoli conterit, atque comminuit, cùm grandine, litibus, bellis, aliiſque cladibus bona eorum diripit. Alii Dagon dictum volunt à דג, *dag*, *piſcis*, quòd pars inferior idoli in piſcem desineret, ut quibuſdam placet. Alii putant fuiſſe Deum piſcium, qui ventris causâ, aut ad fœcunditatem impetrandam coleretur, ad quos alludit Paulus Philipp. 3. 19. *Quorum Deus venter eſt.* Hoc plerumque accidit iis, qui vino, aliiſque abundant; ſed idolum evertitur, cùm morbis corpus propter intemperantiam cruciatur. S. Auguſtinus advertit in Pſalmo noſtro non dici ſimpliciter, à fructu frumenti, vini, & olei multiplicati ſunt, ſed à fructu frumenti, vini, & olei *ſui*: ut denotaretur deficere ab eo, quod eſt Dei & Chriſti, qui eſt *panis de cælo deſcendens*, Joan. 6. 41. *Et granum frumenti*, Joan. 12. 24. de quo habemus Pſal. 35. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ.* Et Pſalm. 22. 5. *Impinguâſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus eſt!* Vide ibi dicta fusè, videbis Chriſtum in Euchariſtia eſſe cibum, potum, & oleum.

136. *Alleg. Euchariſtia eſt frumentum electorum.* Allegoricè. Primò Caſſiodorus etiam in Pſalmo noſtro, per frumentum intelligit Euchariſtiam ſub ſpecie panis: per vinum, eandem ſub ſpecie vini: per oleum, gratiam. Secundò, Beda accipit in frumento, Euchariſtiam: in vino, calicem paſſionis: in oleo, ſpiritualia dona. Tertiò, Genebrardus frumento & vino vult notari Euchariſtiam; oleo autem, Chriſma, cujus uſus eſt maximus in Sacramentis, ex Dionyſio Areopagita in Eccl. Hierarchia, & ex Arnobio. Non aſſentior Burgenſi cenſenti ad literam agi de Euchariſtia, & Davidem gratias agere, quòd Eccleſia creverit de fructu frumenti & vini conſecrati.

137. *Tropolog. Oleum eſt ſymbolum. 1. Conſolationis. 2. Miſericordiæ. 3. Gratiæ. 4. Adulationis.* Tropologicè; Dionyſius Carthuſianus dicit, oleo figurari ſpiritualem conſolationem. 2. Lyranus, opera miſericordiæ. 3. Remigius, gratiam Spiritûs ſancti. 4. Richardus Pampolitanus, favorem adulantium, & honoris mundi. Morale quoque eſt quod S. Auguſtinus, Alcuinus, Lombardus, Gloſſa, Caſſiodorus notant, *multiplicati ſunt*, non ſignificare ubertatem, ſed pernicioſam in multa diſtractionem. Tu contrà unias omnia in Deo, & ad Deum, ejuſque gloriam omnia revoces, ſicut ipſe ad utilitatem tuam atque delectationem unit omnes creaturas: ait enim Oſeæ 2. 21. *Et erit in die illa*, (cùm è Babylone rediverint Judæi captivi) *exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos*, (qui appetitu naturali ſuis influentiis, nubibus, & pluviâ optant terram fœcundare) *& illi exaudient terram*, (ſinum aridum expandentem ad pluvias ſuſcipiendas) *& terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum*, (ſuccum ad alimentum exigentia) *& hæc exaudient Jezrahel*, id eſt Iſraël, in cujus regno erat inſignis urbs Jezrahel, quæ ſignificat ſemen Dei. Vota autem populi Dei ſunt, habere bonorum terrenorum ſufficientiam, & ſpiritualium abundantiam. Omnes creaturæ Deo ſervientes jucundam melodiam efficiunt: unde ait Sapiens Sapient. 19. 17. *Sicut in organo omnia ſunum ſonum cuſtodiunt*: Et Deus ipſe ex amore infinito tibi ſuccurrens carmen concinit. In Hebræo pro *exaudiam*, eſt אענה, *ehene*, reſpondebo, cantabo. Itaque verti poteſt: *Illis præcinentibus ſuccinam.* Ne ſolus tuis moribus diſcordes.

Declaratis hoſtium ſuorum bonis terrenis & externis, ſua majora apperit David, verſ. 9. IN PACE IN
Verſ. 9. 138. IDIPSUM DORMIAM ET REQUIESCAM. Nota, pro *in idipſum*, in Hebræo eſt, יחדו, *iahdau*, & ſignificat *ſimul*, ut vertit S. Hieron. Felix, Syr. & Eugubinus. *Pariter*, ut Pagn. & Arias: deducunt à יחד, *iahad*, unire. Græcè, *unà pariter*, ut explicant Euthymius. Qui uniti non ſunt charitate, in pace eſſe non poſſunt.

In idipſum. Senſus eſt Primò: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* q. d. Una & dormiam & requieſcam: utrumque faciam: non tantùm dormiam, ſed etiam requieſcam. Ita Euthymius.

Secundò, & meliùs, *in idipſum* refertur non ad res uniendas ſimul, nempe ſomnum & quietem, ſed ad perſonas. q. d. David: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam*: id eſt, ut ait Genebrardus, securè, ſine metu, & quaſi in utramque aurem in idipſum, hoc eſt, ſimul cum eis, quantumvis hoſtibus, pacificè & quietè dormiam inter eos quamvis impios & atheos, maléque de providentia ſentientes, ſecurus Dei defenſione cubabo & dormiam.

Tertiò adhuc accommodatiùs, *in idipſum*, non ad hoſtes Davidis, ſed ad ejus ſocios & periculorum participes refer. q. d. *In pace in idipſum dormiam & requieſcam*: id eſt, illi hoſtes mei ob fructum & ubertatem frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt, & multitudine ſuâ ſecuros ſeſe eſſe putaverunt: ego quoque in ſocietate amicorum meorum dormiam & requieſcam: non in bello ac tumultu, ut illi: ſed in pace, quam Deus mihi & amicis meis dabit, ut certò ſcio. Et quidem dicitur 2 Reg. 7. 2. *Factum eſt, cùm ſediſſet Rex* (David) *in domo ſua, & Dominus dediſſet ei requiem undique ab univerſis inimicis ſuis*: pax illa generalis accidit anno regni Davidis undecimo, ante Chriſtum 1063. poſtquam Saule mortuo, & geſto cum Isboſeth filio ejus bello ſeptennali, fuit Rex non tantùm tribus Juda & Benjamin, ſed etiam aliarum decem, ac poſteà devicit Jebuſæos, ereptâ eis Sionis arce, & Philiſthæos variis præliis, ita ut terrore cæteris injecto pacificè regnaret. Non eſt tamen neceſſe, pacem, de qua agitur in Pſalmo noſtro, tamdiu differre: debet enim accipi ſtatim à Saulis morte, cùm factus eſt Rex in Hebron: nam licèt tunc bellum gereret cum Isboſeth, perſecutio tamen ceſſârat, cum qua collatum bellum illud ludus putabatur, præſertim Davidi: habes enim 2 Reg. 3. 1. *Facta eſt longa concertatio inter domum Saul* (cum Isboſeth) *& inter domum David: David proficiſcens, & ſemper ſeipſo robuſtior, domus autem Saul decreſcens quotidie.* Porrò poſt periculum in deſerto Maon aditum à Davide, uſque ad Saulis mortem fluxerunt quatuor anni circiter: contigit enim anno 14. regni Saulis: regnavit autem annos octodecim.

Allegoricè. S. Iſidorus de reſurr. Dom. cap. 53. 139. *Allegoricè.*
explicat de Chriſti morte, ſepultura, & reſurrectione: tunc enim dicere potuit Chriſtus: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam*: ac præterea verſum qui ſequitur: *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me*; ſolus enim ita requievit, ut ſtatim poſt mortem reſurgeret. Idem ſentit Dionyſius Carthuſianus, qui rectè monet, cùm Chriſtus viveret, animam ejus vidiſſe ſemper faciem Patris, atque in ſumma ſemper & tranquilliſſima pace verſatam abſque diſtractione & inquietudine.

Anagogicè. *In pace in idipſum dormiam & re-* 140. *Anagogicè.*
quieſcam. q. d. Quietâ morte defungar, non violentâ: & expectans reſurrectionem, timore omni abjecto, etiam in hac vita conquieſcam. Ita Euthym. & Theodoret. qui ait, ἐπ᾽ ἐλπίδι ἀναστάσεως θάνατον δέξομαι, *in ſpe reſurrectionis expectabo mortem.* De ipſa beatitudine pacem exponit S. Auguſtinus hîc & lib. 9. confeſſ. cap. 4. tunc enim erit perfecta pax & quies, Apocal. 14. 13. *Audivi vocem de cælo dicentem mihi: Scribe, beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò* (ex nunc & uſque in æternum) *jam dicit Spiritus* (id eſt, 1. Angelus, ut vult Pannonius. 2. Sanctiſſima Trinitas, ut Ansbertus. 3. Spiritus ſanctus, ut Cornelius) *ut requieſcant à laboribus ſuis.* Vox ad quietem è cælo eſt expectanda: in his terris voces plenæ ſunt tumultûs, & bellum ſpirant. S. Bernardus eam juſtorum quietem conſiderans, ac pacem æternam, ſic illos alloquitur ſerm. 2. in feſto omnium Sanctorum: *Quanta*, inquit, *eſt felicitas eorum, quàm immenſa lætitia, qui mirum triplici gaudio, de*

recor-

recordatione tranſactæ virtutis, de exhibitione præſentis quietis, de certa delectatione futura conſummationis exultant! Dicunt enim ſingulæ animæ, quibus jam datum eſt ad hanc requiem pervenire: In pace in idipſum dormiam & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Et ex Pſal. 114. 7. *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam à morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu. Hoc eſt ſuaviſſimum animæ ſtratum, quòd nullus jam lavet aut riget lacrymis, quando abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ejus.* Et epiſt. 105. ad Romanum: O quàm beati mortui! ait, qui in Domino moriuntur, audientes à Spiritu, ut requieſcant à laboribus ſuis. Non ſolum autem, ſed & ſuccedit jucunditas de novitate, ac de æternitate ſecuritas. Bona proinde mors juſti propter requiem, melior propter novitatem, optima propter ſecuritatem. Econtrà mors peccatorum peſſima. Et audi, unde peſſima. Mala ſiquidem eſt in Mundi amiſſione, pejor in carnis ſeparatione, peſſima in vermis igniſque duplici contritione. Ita Bern. Hîc autem agi de cœleſti beatitudine, probat S. Auguſtinus ea ipſis verbis, quæ futuri ſunt temporis. Non enim dictum eſt, aut obdormivi, & ſomnum cepi: aut obdormio, & ſomnum capio: ſed obdormiam, & ſomnum capiam. Tunc incorruptibile hoc induetur incorruptione, & mortale hoc induetur immortalitate. Tunc abſorbebitur mors in victoriam. De Sanctis habetur Sap. 3. 2. *Viſi ſunt oculis inſipientium mori: & æſtimata eſt afflictio exitus illorum: & quod à nobis eſt iter, exterminium: illi autem ſunt in pace.* Pax perfecta non habetur, niſi in cœlo, ut ait S. Th. 2. 2. q. 29. art. 2. ad 4. Pſ. 147. 3. *Qui poſuit fines tuos* (Hier. terminum tuum) *pacem.*

141. Tropolog. In Deo eſt quieſcendum.

Tropolog. ait David: *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam*, q. d. Quicquid ſit de aliis, quos ad amicitiam cum Deo exhortatus ſum, ego omninò in Deo confidere, ac penitùs conquieſcere volo. Ego in pace, id eſt, cum tranquillitate animi, *in idipſum*, hoc eſt, conjunctim, pariter, ſimul, dormiam & requieſcam, id eſt, ſecurus cubabo ad dormiendum, & re ipſâ quietiſſimè dormiam. Ita Bellarm. qui hunc ſenſum putat eſſe literalem, nec multum contradico; magis literalem tamen cenſeo, quem ſuprà attuli de quiete habenda poſt Saulis mortem. S. Bern. ſerm. 51. in Cant. hunc Pſalmi locum tropolog. exponit de maxima quadam præſentis vitæ pace, quando charitas propter perfectionem excludit timorem. Tunc dormit anima, & requieſcit *in idipſum*, id eſt, *in Deum* ſeſe conjiciens, & abſtrahens à terrorum tumultu. S. Aug. in Pſ. 121. 3. *Jeruſalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus* (τὸ ejus, per Hebraiſmum redundat) *in idipſum*, per illam dictionem, *idipſum*, vult Deum, ſive Chriſtum, ac nomen Dei eſſentiale, ego ſum, qui ſum, intelligi: *Quid eſt ergo idipſum*, ait, *niſi quod eſt? Quid eſt, quod eſt? Quod æternum eſt. Nam quod ſemper aliter atque aliter eſt, non eſt: quia non manet. Non omnino non eſt, ſed non ſummè eſt. Et quid eſt, quod eſt, niſi ille, qui, quando mittebat Moyſen, dixit illi: Ego ſum, qui ſum?*

142. Pax mentis eſt in quiete appetitûs.

Quæres: In quo conſiſtat illa pax mentis? Reſpondet S. Thomas 2. 2. q. 29. art. 2. ad 3. conſiſtere *in quietatione & unione appetitûs*. Et art. 1. in corp. hoc diffuſiùs explicat, aſſignans differentiam, quæ eſt inter pacem & concordiam, ubi definit concordiam propriè ſumptam eſſe ad alterum, pacem verò eſſe diverſorum appetituum unionem in eodem homine: *Contingit*, ait, *unius hominis cor tendere in diverſa. Et hoc dupliciter: Uno quidem modo ſecundùm diverſas potentias appetitivas, ſicut appetitus ſenſitivus plerumque tendit in contrarium rationalis appetitûs, ſecundùm illud ad Galat. 5. 17. Caro concupiſcit adverſus ſpiritum. Alio modo, in quantum una & eadem vis appetitiva in diverſa appetibilia tendit, quæ ſimul aſſequi non poteſt. Unde neceſſe eſt, eſſe repugnantiam motuum appetitûs. Unio autem horum motuum eſt quidem de ratione pacis. Non enim homo habet pacatum cor, quamdiu non habet id, quod vult. Et ſi habeat aliquid, quod vult, tamen adhuc reſtat ei aliquid volendum, quod ſimul habere non poteſt. Hæc autem unio non eſt de ratione concordiæ. Unde concordia importat unionem appetituum diverſorum appetentium. Pax autem ſupra hanc unionem importat etiam appetituum unius appetentis unionem.*

Pax eſt tantùm in appetitu veri boni.

Ex his apparet, veram pacem non poſſe eſſe, niſi circa appetitum veri boni: impiorum autem pacem nihil eſſe præter larvam & ſpeciem falſam pacis, Iſa. 48. 22. *Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* Et cap. 59. 8. *Viam pacis neſciérunt.* Jerem. 6. 14. *Dicentes: pax, pax, & non erat pax.* Sapient. 14. 22. *In magno viventes inſcientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.* Deus autem ſervis ſuis dat pacem, Aggæi 2. 10. *Magna erit gloria domûs iſtius noviſſimæ,* (templi Zorobabelis) *quam primæ,* (templi Salomonis) *dicit Dominus exercituum.* Major illa gloria fuit, quòd Chriſtus ſuâ præſentiâ & concionibus honoravit ſecundùm illud templum: nam in cæteris longè erat Salomonico inferius. Etenim agens de materia à ſe præparata ad extruendum primum templum, ait David ſub regni ſui anno 38. lib. 1. Paral. 22. 14. *Ecce ego in paupertate mea præparavi impenſas domûs Domini auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris verò & ferri non eſt pondus: vincitur enim numerus magnitudine.* Adjungit prætereà c. 29. tria millia talenta auri, & ſeptem millia talentorum argenti. Quæ duæ ſummæ efficiunt, bis mille ſexcentos ſeptuaginta duos milliones, centum & viginti quinque millia nummorum aureorum. His adjice ſeptuaginta duos milliones, nongenta & viginti ſex millia, ſexcentos & ſexaginta ſex aureos, qui à populo dati ſunt, invenies in univerſum ad templi fabricam aſſignatos bis mille ſeptingentos quadraginta quinque milliones, quinquaginta & unum millia, ſexcentos & ſexaginta ſex aureos. Vix in tota Europa tantam pecuniæ ſummam reperies.

Sumptus ad ædificandum templum Salomonis.

Prætereà Salomon in templi ſtructura habuit ſeptuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte, id eſt, lapicidarum, qui exciderent lapides ex monte. Hi non erant Iſraëlitæ, ſed Proſelyti. In ſumma, tam onera portantium, quàm latomorum erant centum quinquaginta millia. His adde primarios operarios & artifices, aut præfectos operum ad triginta millia, efficies ſummam 180. millium. Id certum eſt. 3 Reg. 5. 13. & ſeq. Adjunge Tyrios & Sidonios, atque Ægyptios, facilè reperies ducenta millia. Eupolemus apud Euſeb. lib. 9. de præpar. ait, fuiſſe trecenta quadraginta millia: ab Hiramo enim rege Tyri & Sidonis miſſa 80. millia, à Pharaone rege Ægypti ob uxorem Salomonis ſuam filiam, parem numerum datum. Zorobabel verò in ſumma paupertate populi è Babylonica captivitate redeuntis templum extruxit, itaque ſenes, qui Salomonicum viderant, ob ejus tenuitatem & abjectionem flebant. Sed Meſſias fuit ejus gloria: unde addit Aggæus: *Et in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Alleg. Sanctus Cyrillus Alexandrinus putat Aggæum loqui de templis Chriſtianorum, in quibus eſt pax noſtra: nempe Chriſtus in Euchariſtia. Infert eam in animam, intrat poſt pœnitentiam per confeſſionem factam: ſic eſt major gloria domûs ſecundæ, id eſt, animæ pœnitentis: quàm primæ, id eſt, quàm animæ innocentis. Cùm venit in Mundum, dicitur ab Angelis, Luc. 2. 14. *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax.* Cùm intrat in animam, eam pace cumulat ſuperante omnem ſenſum, Philip. 4. 7. *Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat* (φρουρήσει inſtar cuſtodiæ militaris tuebitur) *corda veſtra & intelligentias veſtras*, id eſt, intellectus & voluntates. Pax Dei, ut explicat ſanctus Ambroſius, eſt illa, quam habet anima cum Deo, id eſt, tranquillitas conſcientiæ. 2. Ea, quâ Deus in ſeipſo pacatus & quietiſſimus eſt, ut ait ſanctus Anſelmus. 3. Eſt reconciliatio, quam fecit Deus cum hominibus, cùm per Chriſtum eis eſt placatus: addit enim Apoſtolus, *in Chriſto Jeſu*, id eſt: 1. Per Chriſtum, ut placet Oecumenio. 2. In fide & gratia Chriſti, ut Cornelio. 3. Intra ipſum

Templum Zorobabelis ex majus ob Meſſiæ præſentiam. Et ob pacem.

Chri-

Chriſtum, qui eſt inſtar arcis & ducis regentis in Euchariſtia, qui ſenſus eſt accommodatitius.

Septuaginta interpretes amplificant id, quod Aggæus dixit: *Dabo pacem*, & ad rem noſtram aptiſſimè, ſic enim vertunt: *Dabo pacem, dicit Dominus omnipotens, & pacem animæ in acquiſitionem omni credenti, ut ſuſcitet templum iſtud.* Hujus pacis animæ excellentiam oſtendit S. Ambroſius, dum ait: eam eſſe gloriam illius. Sic enim ſcribit in hanc Aggæi ſententiam tom. 2. in fine: *Pax & tranquillitas animæ ſuper omnem domûs gloriam eſt, quia pax ſuperat omnem ſenſum, Philip. 4. Hæc eſt pax ſuper pacem, quæ dabitur poſt tertiam commotionem cæli, maris, terræ, deſerti, quando deſtruet omnes poteſtates & principatus:* in die ſcilicet judicii. *Et ſic erit pax per omnia, ut nullis obſiſtentibus corporis paſſionibus, aut incredula mentis impedimentis, fiat in omnibus omnia Chriſtus ſubdita Patri exhibens corda univerſorum. Unde & ad ipſum ſolùm myſticè dicitur: Aſſumam te Zorobabel, & ponam te ſicut ſignaculum, quia te elegi. Etenim cùm fuerit anima noſtra pacifica, tunc accipies in ſe ſicut ſignaculum Chriſtum, id eſt, imaginem Dei, ut ſit ad imaginem. Quoniam qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Et oportet nos portare imaginem cæleſtis, id eſt, pacem.* S. Thom. 2. 2. quæſt. 29. articul. 3. ad 1. definit, ſine gratia gratum faciente non poſſe eſſe pacem animæ veram: quia alioqui appetitus ejus non inhæret principaliter vero finali bono. Sanctus Iſidorus Peluſ. lib. 1. epiſtol. 85. ait, pacem eſſe, εἰρηνικὴν ϗ θεῷ πλησιάζουσαν, *divinam, & Deo vicinam.* Sanctus Auguſtinus de civitate Dei ait, tale eſſe bonum, ut in rebus creatis nil gratioſius ſoleat audiri, nil delectabilius concupiſci, & nihil utilius poſſideri; quod præſertim verum eſt de pace interna mentis, de qua idem S. Doctor. ſerm. de verbis Apoſtoli, cap. 158. *Pax eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, vinculum amoris, conſortium charitatis.* Sanctus Thomas loco citato art. 3. & 4. probat, pacem eſſe proprium effectum charitatis, Pſal. 118. 165. *Pax multa diligentibus legem tuam.*

143. *Pacis ſymbolum eſt in hoc loco triplex.* Triplici ſymbolo hanc mentis pacem poſſis ex hoc Pſalmi noſtri loco exprimere. Primò, eſt fructus frumenti, vini & olei melior eo, quem etiam impiis David attribuerat, de quibus dixerat: *A fructu frumenti, vini & olei ſui multiplicati ſunt,* cui opponit pacem ſibi datam à Deo, q. d. ſed ego fructum habeo meliorem & ſuaviorem: non diſperſum per res externas & bello expoſitum, ſed interiorem & unitum. Secundò, pax illa interna eſt animæ ſomnus: *Dormiam.* Tertiò, eſt animæ quies, *& requieſcam.*

1. Oliva. Primò: Oliva eſt pacis hieroglyphicum, & Spiritus ſanctus eſt columba, *portans ramum olivæ* in arcam, id eſt, pacem in animam piam, Geneſ. 8. 11. De illa anima poſſis dicere cum Oſee Propheta 14. 7. *Ibunt rami ejus, & erit quaſi oliva gloria ejus, & odor ejus ut Libani,* id eſt, thuris. Chald. vertit: *Splendor eorum ſicut ſplendor candelabri ſanctitatis, & odor eorum velut odor incenſi aromatum.* De frumenti & vini abundantia, ut effectu & ſymbolo pacis, habes Zachar. 8. 12. *Semen pacis erit: vinea dabit fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum, & cæli dabunt rorem ſuum:* Semen pacis poſſis vertere, *ſemen perfectionis:* nam שלום *ſalom* pacem & perfectionem ſignificat. Rad. *ſalam*, perficere. Hinc reddit Vatablus, ſemen plenum & perfectum erit: itaque cenſet ſemen pacis dici fruges copioſas & ſecuras; quales in pace perfecta proveniunt. Hoc, *Ac frumenti & vini ubertas.* animæ accidit, cùm ſuos omnes appetitus unit Deo tunc enim eſt plena pax, & rerum omnium abundantia, Pſal. 121. 7. *Fiat pax in virtute tua.* Hebr. *in* חילך *belech muris tuis,* ut vertit ſanctus Hieronymus. 2. In exercitu tuo. 3. In populo tuo. 4. In poſſeſſione, ſubſtantiis & divitiis tuis. 5. In munitione tua. 6. In vallo & foſſa tua. 7. In antemurali tuo, ut alii vertunt: *Hail* enim hæc & alia ſignificat, *& abundantia in turribus tuis.* Muri & turres Jeruſalem, id eſt, animæ pacificæ, ſunt ejus potentiæ Deo atque ejus divitiis plenæ. Ut enim ait ſanctus Cyprianus tract. de orat. Domin. *Cùm Dei ſint omnia, habenti Deum nihil deerit, ſi Deo ipſe non deſit.* Vel Deo uno contenta eſt mens pacata, ardens charitate. S. Auguſt. in Soliloq. cap. 19. *Minus te Domine amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Qui autem omnia in Deo amat, omnia in ipſo unit: ſic nulla eſt diviſio, & nullum bellum.

144. 2. Somnus. Secundò: Pax interna mentis, eſt ſomnus ejus. *In pace in idipſum dormiam.* Cant. 5. 2. Sponſa ait: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Pax illa eſt mentis tranquillitas. Hugo à S. Victore lib. 3. de clauſtro an. cap. 9. *Poteſt mentis tranquillitas vita dormientium per ſimilitudinem nuncupari: in qua ponitur lectus conſcientiæ, ſubſternitur fænum carnis, carpitur pacis ſomnus. In hoc ſiquidem dormit anima, dormit & quieſcit.* Huic lecto partes ſingulas accuratiùs aſſignat ſanctus Bernardus ſerm. 2. in feſto omnium Sanctorum: *Hæc eſt animæ ſuaviſſima & ſaluberrima requies, conſcientia munda, quieta & ſecura: Sit ergo beatæ animæ culcitra, conſcientiæ ſua puritas: ſit capitale, tranquillitas: ſit opertorium ejus, ſecuritas: ut in hoc interim ſtrato dormiat delectabiliter, feliciter requieſcat.* Etiam in mediis periculis dormit anima ſancta, & virtutibus cæleſtibus exornatur, Pſal. 67. 14. *Si dormiatis inter medios cleros* (ſanctus Ambroſius in Pſal. 118. Octon. 14. legit, inter cleros medii, id eſt, in medio periculorum: κλῆρος enim ſortem ſignificat, dormit autem in periculis, qui in Deo confidit, ut mox dicetur) *pennæ columbæ deargentatæ,* (vobis erunt per innocentiam & fidem) *& poſteriora dorſi ejus in pallore auri,* id eſt, inſtar auri pallidi: quia charitas hujus Mundi necdum eſt penitùs defæcata & ſecura; ſed adhuc pallet, atque aliquid adulterinum habet.

Huſtem ſidet, qui in ſinu JEſu cum *Joanne*, id eſt, *gratioſo ſeu gratiam habente* dormit, Joan. 13. 23. *Erat recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu JEſu, quem diligebat JEſus.* 1. Amore amicitiæ humanæ, quòd eſſet ætate minimus, ut placet Toleto. 2. Et meliùs, amore charitatis teneriori, ob virginitatem & morum ſuavitatem, ut ſanctus Cyrillus & ſanctus Chryſoſtomus. Cùm Sandrocottus fugiens Alexandri ſævitiam per vaſtas ſolitudines curis & inſomniis fatigatus jaceret, ſoluſque obdormiſceret, leo horribilis ſudorem dormienti linguâ ſuâ abſterſit: & nos in ſinu Chriſti timebimus! Is poſteà Indorum rex fuit: nos cælorum regnum expectat. *Sandrocotto dormienti ſudorem leo abſtergit.*

145. 3. Quies animi. Tertiò: Pax interna, eſt quies mentis: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* Etiam cùm ſomnus abiit, manet quies: & quietus optatur ſomnus nullis turbatus inſomniis, Joſue 11. 23. *Quievit terra* (anima humilis & conſtans) *à præliis.* Sanctus Chryſoſtomus in Pſal. noſtr. hanc animæ pacatæ quietem amplificat, his verbis: *Qui, ait, hanc pacem habet, non ſolùm barbarum & hoſtem, ſed ne ipſum quidem diabolum extimeſcit: ſed univerſam,* καταγελᾷ δαιμόνων φάλαγγος, *ridet dæmonum phalangem, & eſt,* πάντων ἀνθρώπων εὐθυμότερος, *omnibus hominibus tranquillior & animo alacrior; ut qui non paupertate prematur, non morbo & malâ valetudine gravetur, non aliquo eorum, quæ humanitùs inopinatè accidunt, perturbetur: propterea quòd animam habet,* ἐῤῥωμένην ϗ ὑγιαίνουσαν, *valentem & ſanam, quo hæc poteſt præclarè & faciliimè adminiſtrare.* Contrà verò, deſcribit miſeriam illius animæ, quæ pacis bono careat. Si quis, inquit, hâc pace non fruatur, etſi nullus enim hoſtis invadat, omnium eſt, qui in terra vivunt, miſerrimus. Neque enim Scythæ, nec Thraces, nec Sarmatæ, nec Indi, nec Mauri, nec quæcumque gentes efferatæ tam atrox bellum gerunt, quàm improba & nefaria cogitatio, quæ verſatur in penetralibus animi, & quæ non caſtigatur intemperans libido, & amor pecuniæ, & potentiæ vehemens deſiderium, & in res, quæ ad hanc vitam pertinent, affectio. Ita Chryſoſtomus.

Deus ait Abrahamo, Geneſ. 26. 2. *Quieſce in terra, quam dixero tibi.* Impius & turbulentus in mari eſt, & quidem agitato, Iſaiæ 58. 20. *Impii* *Abraham quieſcit in terra.*

autem

Impii ſunt in mari agitato. *Impii autem quaſi mare fervens* (נגרש *migrat*, impulſum) *quod quieſcere non poteſt: & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum.* Vatablus reddit: Impii inſtar Euripi fremunt, qui neſcit quieſcere, cum ejus limo & luto turbantur: id eſt ut explicat, cujus aquæ propellunt ad littora cœnum & lutum. In deliciis eſt turbatio: 1. *Quia aquæ ſunt mobiles.* 2. Quia ibi eſt cœnum. In littore ſtat JESUS, & ad illud Apoſtolos Petrum, Thomam, Jacobum & Joannem, alioſque diſcipulos invitat. Joan. 21. 4. ibique eis prandium parat. Sanctus Chryſoſtomus: *Qui*, ait, *liber eſt a perturbationibus, in tranquillo portu ſedet, ſe ſtudiis ſapientiæ voluptatibus explens.* Donec ad portum veneris, agitaris & remigas: in portu verò, ceſſas ab opere & ſecurus es, quod optâſti conſecutus. Sanctus Thomas 1. p. quæſt. 73. articul. 2. ait requiem dupliciter accipi, uno modo pro ceſſatione ab opere, alio modo pro impletione deſiderii. Tunc itaque perfecta quies habetur, cùm non ſunt in multis actus noſtri huc illuc fluctuantes, ſed in uno Deo, animæ vero portu ſolidamur & manemus. Sanctus Ambroſius lib. 2. de Jacob & vita beata, cap. 6. *Perfecta virtus*, ait, *habet quietis tranquillitatem & ſtabilitatem. Perfectorum eſt enim non facilè mundanis moveri, non turbari metu, non agitari ſuſpicione, non terrore concuti, non dolore vexari: ſed quaſi in littore tutiſſimo adverſum inſurgentes fluctus ſecularium procellarum mentem immobilem fida ſtatione placidare. Hoc firmamentum Chriſtianis mentibus Chriſtus invexit, pacem internam invehens animis probatorum, ut non turbetur cor noſtrum, neque exagitetur animus.* Ita Ambroſius.

Jacob in quiete videt Angelus. Geneſ. 28. 12. *Vidit Jacob in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram*, (ibi habet ſomnum & quietem) *& cacumen illius tangens cælum*, (ſi tua intentio & contemplatio tangit cœlum, ſtat actio in terra, non titubat nec cadit. Sept. vertunt *ſcalam firmatam*) *Angelus quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam.* Animam pacificam tutantur Angeli. Sanctus Auguſtinus lib. de ſalutaribus documentis, cap. 22. *Homo pacificus*, ait, *ſecuram poſſidet mentem: totus eſt ab Angelorum agmine munitus, & fructu jucunditatis repletus, gaudens & delectans in Domino, omnia ejus in pace verſantur. Diſcordiam fugat, ſecreta mentis illuminat, conſortium Angelorum merebitur, & regnum æternæ beatitudinis perpetualiter obtinebit.*

Et Deum ipſum. Non Angelos tantùm habet vir pacificus, ſed Dominum Angelorum, quem in ſe retinet, nec dimittit. Geneſ. 28. 13. additur: *Et Dominum innixum ſcala:* non tantùm eam firmat Deus, ſed ille quodammodo firmatur: id eſt ſtabiliter in ea anima retinetur, Pſalm. 75. 3. *Factus eſt in pace locus ejus.* Sanctus Auguſtinus mox citatus: *Qui*, ait, *amplectitur pacem, in mentis ſuæ hoſpitio manſionem præparat Chriſto, quia Chriſtus pax eſt, & in pace requieſcere vult.* Zachar. 9. 10. ait: *Diſperdam quadrigam ex Ephraim:* ab anima fructificante in operibus virtutum. Ephraim enim ſignificat fructificationem. Sit in anima tua radix pacis, & bonos fructus virtutum feres: ſit radix pax, & virtutes atque gaudium habebis. S. Cæſarius Arelat. hom. 12. *Verum gaudium non poſſidetur, niſi pax & juſtitia teneatur. Prima eſt quaſi radix juſtitia, ſecunda pax, tertia gaudium. De juſtitia naſcitur pax, de pace gaudium generatur. Juſtitia & pax quaſi bona opera eſſe videntur. Gaudium verò fructus eſſe bonorum operum intelligitur.* S. Thomas 1. 2. quæſt. 70. articul. 3. in corpor. agens de fructibus Spiritus ſancti docet, ſequelam charitatis eſſe gaudium: perfectionem autem gaudii eſſe pacem, quantum ad duo. Primò quidem, quantum *ad quietem* ab exterioribus conturbantibus: non enim poteſt perfectè gaudere de bono amato, qui in ejus fruitione ab aliis perturbatur: & iterum, qui perfectè cor habet *in uno pacatum*, à nullo alio moleſtari poteſt, cùm alia quaſi nihil reputet: unde dicitur in Pſalm. 118. pax multa, diligentibus legem tuam; & non eſt illis ſcandalum: quia ſcilicet ab exterioribus non perturbantur, quia Deo fruantur. Secundò quantum ad ſedationem deſiderii fluctuantis: non enim perfectè gaudet de aliquo, cui non ſufficit id, de quo gaudet. Hæc enim duo importat pax: ſcilicet, ut neque ab exterioribus perturbemur: & ut *deſideria noſtra conquieſcant in uno:* unde poſt charitatem & gaudium tertiò ponitur pax, Galat. 5. 22. Ita ſanctus Doctor, qui 2. 2. quæſt. 29. 3. ad 3. & quæſt. 180. 2. ad 2. docet, pacem cauſari ex juſtitia, ſubtrahendo occaſiones litigiorum & tumultuum; tamen 2. 2. quæſt. 29. art. 3. & 4. tradit, pacem non eſſe virtutem, ſed effectum virtutis, nempè charitatis.

Ne tamen nimis confidas paci & quieti hujus vitæ, memento eſſe ſomnum citò avolantem, niſi caveas, ne quis excitet dilectam & diligentem. Jerem. 31. 26. *Quaſi de ſomno* (pacis & contemplationis) *ſuſcitatus ſum: & vidi, & ſomnus meus dulcis mihi*, ſupple erat. Hugo à S. Victore lib. 3. de clauſtro animæ, cap. 9. clarè loquitur: *Pax ipſa ſicut ſomnus ab oculis, ita evaneſcit ab intuitu mentis. Quatuor igitur ſunt attendenda, quæ ſolent inquietare pacis ſomnum, videlicet: 1. Hoſtis. 2. Servus. 3. Uxor. 4. Et vicinus. Hoſtis, eſt diabolus: ſervus, mundus: uxor, caro: vicinus quilibet proximus diligitur. Quid aliud agitur, niſi quod pax ex omni parte ſtabilitur.*

Verſ. 10. 146. Lectus quoque inveniendus eſt, in quo ſomnum pacis & quietem anima capiat, hunc David aſſignat, ſpem in Deum. Verſ. 10. QUONIAM TU DOMINE SINGULARITER IN SPE CONSTITUISTI ME. Nota primò, Euthymius putat, vocem *quoniam* hîc redundare, ut ſæpè fit apud Hebræos: ut idem ſignificare quod, *verè*, ac poni pro adverbio confirmandi. Sed licèt non diffiteat, Hebr. כי *chi*, id eſt quia, quoniam ſæpè Hebræis eſſe encliticum & èmphaticum, & tantùm ad orationis ornatum poſitum, tamen in hoc loco eſt cauſale, atque in propria ſignificatione ponitur: q. d. In pace dormiam & requieſcam: & illius ſomni & quietis cauſa eſt: *Quoniam*, &c. Nota ſecundò, pro *ſingulariter*, eſſe in Hebræo לבדד *lebadad*, quod aliqui ſumunt ut nomen, & volunt poni pro בדד *badad*, ſolus, ſic reddit hoc loco Pagn. & Arias. 2. Ut ſit adverbium, & ſignificet ſolitariè, ſeorſum, ſic 70. reddunt κατὰ μόνας, *ſeorſum*, ut Syneſius ſumit epiſt. 135. & alii. 3. Hieron. vertit, *ſpecialiter*. 4. Petavius, ἐξοχῇ, *excellenter*. Alii, *ſolummodo*, ſic κατὰ μόνας accipit Thucydides lib. 2. R. David 5. ſumit *lebadad*, pro, *in ſolitudine* ſeu ad ſolitudinem: ita ut *badad*, non ſit Toar, id eſt adjectivum, ſed nomen ſubſtantivum. Hæc autem omnia Davidi in deſerto Maon à Saule obſeſſo & in Deum ſperanti conveniunt.

147. *Quid eſt in ſpe conſtitui ſingulariter.*
Senſus enim eſſe poteſt. Primò, q. d. *Tu Domine ſingulariter*, id eſt ſolus, omnibus aliis me deſerentibus, *in ſpe conſtituiſti me.* Secundò, q. d. Etiam me ſolitarium & in ſolitudine errantem, ſecurum per ſpem in te poſitam effeciſti. Tertiò,
q. d. Me ſpecialiter & præ cæteris protexiſti, ob 1.
ſpem, quam in te habeo, & tranquillitatem men- 2.
tis cum ſecuritate dediſti. Nam Hebr. לבטח *labetah*, quod Sept. vertunt ἐπ' ἐλπίδι, id eſt *in ſpe*, 3.
ut noſter reddit, propriè eſt adverbium, & ſignificat confidenter, fiducialiter, ut patet Levit. 25. 18. & Jerem. 23. 6. Hinc S. Hieron. habet, *ſecurum habitare feciſti me.* Cajetanus, *in ſecuritate habitare facies me.* Ubi adverte Hebr. תושיבני *thoſibeni*, eſſe futurum in Hiphil cum affixo, itaque ſignificare *conſtitues me*, habitare facies me: vel, ut habet Felix, *in ſpe collocabis me.* Rectè tamen à Sept. redditur, κατῴκισάς *conſtituiſti me:* Tum quia Prophetæ res futuras ob certitudinem futuritionis, atque ut jam geri viſas, in extaſi ſua, velut jam præteritas efferunt; tum quod ſæpe Hebræi futurum pro præterito & præſenti uſurpant. Vatablus vertit *in tuto collocas me.*

T Alle-

148. Allegoricè. Allegoricè. Sanctus Iſidorus de reſurr. Dom. cap. 53. ait, Chriſtum ſingulariter in ſpe conſtitutum, quia modo quodam ſingulari poſt tridui dormitionem reſurrexit, quam reſurrectionem non corpus exanime, ſed ejus anima ſperabat. Ut enim docet S. Thom. 3. p. quæſt. 7. articul. 4. *Chriſtus habuit ſpem reſpectu aliquorum, quæ nondum erat adeptus*, licèt non habuerit fidem reſpectu quorumcunque: quia licèt plenè cognoſceret omnia, per quod totaliter fides excludebatur ab eo: non tamen adhuc plenè habebat omnia, quæ ad ejus perfectionem pertinebant, putà immortalitatem & gloriam corporis, quam poterat ſperare. Ita ipſe, & benè. Nam licèt proprium ac principale objectum ſpei ſit beatitudo æterna, ſecundarium tamen ſunt etiam alia bona, 2. 2. quæſt. 17. articul. 2. ad 4. & q. 18. 2. ad 3. *Singulariter* porrò, id eſt, ſingulari prorſus modo Chriſtus in ſepulchro jacuit, de quo S. Auguſt. ſerm. 133. de tempore: *Ut quid illi tumulus in terris, cujus ſedes manebat in cælis? Ut quid illi ſepultura, qui triduo tantùm temporis ſpatio non tam in ſepulchro mortuus jacuit, quàm velut in lecto conquievit?* Prophetia Iſaiæ impleta eſt, quia ait cap. 11. 10. *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum*. Hebr. *Et erit requies ejus gloria*, quod maximè ad Pſalmum noſtrum facit, ubi habemus: In pace in idipſum dormiam & requieſcam, &c. Sept. vertunt: *Et erit requies ejus honor*. Chald. *Et erit locus manſionis ejus in gloria*. In ſepulchro enim Chriſtus reſurrexit: unde locus ille à S. Helena & omnibus Chriſtianis adeò eſt honoratus. Sic Pater æternus omnes Chriſti labores & humiliationes illuſtravit, atque ipſi glorioſas, nobis utiles effecit. S. Ambroſ. lib. de fide cap. 2. id notat: *Fatigatur*, inquit, *ex itinere JEſus, ut reficiat fatigatos: petit bibere, ſitientibus potum ſpiritalem daturus: eſurit, cibum ſalutis eſurientibus traditurus: moritur, vivificaturus: ſepelitur, reſurrecturus: tremulo pendet in ligno, confirmaturus trementes: cælum caligine obducit, ut illuminet: terras tremefacit, ut ſolidet: maria conturbat, ut mitiget: reſerat tumulos mortuorum, ut oſtendat domicilia eſſe vivorum. Creatur ex Virgine, ut ex Deo natus eſſe credatur: neſcire ſe ſimulat, ut ſcire faciat neſcientes: adorare quaſi Judæus dicitur, ut quaſi verus Dei Filius adoretur.* Secundò etiam Allegoricè Heſychius, in ſpe conſtitui ſingulariter ait eſſe in ſolo etiam Chriſto ſperare, de quo Iſaias ait cap. 35. 4. *Dicite puſillanimis*: id eſt Apoſtoli Gentibus, ait Cornelius: *Confortamini, & nolite timere: ecce Deus veſter ultionem adducet retributionis*, (qua Chriſtus diabolo, qui vos oppreſſit, par pari referet illum opprimens) *Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos.* Hunc etiam David deſiderabat, & venturum ex ſe certò ſperabat.

Anagogicè: Juſti in ſpe collocati expectant gloriam animæ ſuæ & corporis. Ut enim ait S. Thom. 2. 2. q. 17. art. 5. ad 1. & q. 18. art. 2. ad 4. Objectum principale ſpei, eſt gloria animæ; ſecundarium verò, eſt gloria corporis.

149. Tropol. Spes divini auxilii facit animam ſecuram. Tropol. In pace in idipſum dormiam & requieſcam; *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe, conſtituiſti me.* q. d. Quia me ſecurum per ſpem in te poſitam effeciſti, nihil timentem, cùm ſciam te mihi eſſe auxiliatorem. Nam ſpes habet duplex objectum: nempe primò, bonum expectatum: ſecundò, auxilium Dei. Unum ſicut *objectum quod*, alterum ſicut *objectum quo*. Ut enim ait S. Thom. 1. 2. q. 40. art. 7. Quia bonum ſperatum eſt *arduum poſſibile*, aliquando autem fit aliquod arduum poſſibile nobis, non per nos, ſed per alios; ideò ſpes etiam reſpicit illud, per quod fit nobis aliquid poſſibile. Illud autem eſt auxilium Dei: ut enim ait Chriſtus Joan. 15. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.*

In illa ſpe auxilii Dei & gratiæ ac gloriæ habendæ ſecura quieſcit anima & gaudet. Cant. 3. 1. *In lectulo meo per noctes quæſivi, quem diligit anima mea*: quem locum explicans Gillebertus ſerm. 2. in Cant. ſpem in Deum, ait, eſſe illum lectulum, in quo habetur quies & gaudium. *Utrumque*, inquit, *complectitur ſpei nomen & lectulum & gaudium: quia in ſpe gaudemus, & in ſpe requieſcimus. Sed unde ſpes, niſi de ſecuritate conſcientiæ? Jure lectulum dixerim mentem ſecuram & liberam. Securam, propter conſcientiæ bonum. Liberam autem à tentatione, liberam ab exteriore occupatione, liberam à levi cogitatione.* Sed rectè poſtea annotat, jure hanc quietem ſpei dici lectulum, non lectum: quia non multum durat, ſubdit enim: *Quanta tamen eſſe poteſt in hoc corpore quies & libertas mentis? Brevis & exigua. & lectulo ſimilis anguſto. Multum enim decerpit reficiendi neceſſitas corporis, multum conquirendi quæ neceſſaria ſunt cura &c.* Eſt adhuc anima inter medios hoſtes & interturbatores. S. Bernardus ſerm. 51. in cantica dicit, ſpem hujus vitæ, eſſe columbam illam deargentatam & deauratam, de qua Pſal. 67. 14. *Eſt locus*, ait, *inter timorem & ſecuritatem, tanquam inter lævam & dexteram, media videlicet ſpes, in qua mens & conſcientia, molli nimirum ſuppoſito charitatis ſtrato ſuaviſſimè requieſcit.* Epictetus altere. cum Adriano, vocat ſpem, vigilantis ſomnium. Pindarus verò Ode 8. Pyth. ait, homines quidem eſſe σκιᾶς ὄναρ, *umbræ ſomnium*, ſed cùm lux à Jove conceſſa effulſerit, eſſe λαμπρὸν φέγγος ἀνδρῶν καὶ μείλιχον αἰῶνα, *ſplendidum lumen hominum, & ſuavem vitam.* Appian. lib. 2. de bello civili: *Nihil*, ait, *eſt efficacius, ſpe, ad ſublevandam hominum laſſitudinem.* Unde ait Sapiens Prov. 16. 20. *Qui ſperat in Domino, beatus eſt.* Et author. Eccli. 2. 8. *Qui timetis Dominum, ſperate in illum*, (Græcè, *ſperate in bona*, & in bono: quia nemo bonus, niſi ſolus Deus) *& in oblectationem veniet vobis miſericordia*: id eſt, res quam ſperatis vos habituros per miſericordiam Dei. Sic erit metonymia, cùm ponatur potentia pro objecto. 2. Ipſa Dei miſericordia vos delectabit, etiam antequam obtineatis quod deſideratis; quia ſpes certitudinem rei futuræ ex voto veſtro oſtendet. Arabs in Pſal. noſtro vertit: *Quia tu quieſcere facies ſuper ſpe tantum.*

Nota, S. Chryſoſtomus, ut pax perfecta & ſpes habeatur, ſecedendum eſſe *ſingulariter*, id eſt ſeorſum ab improbis: ſunt enim peſtilentes. Hinc dixit David Pſal. 1. ℣. 1. *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Vide ibi dicta. Syr. in Pſal. noſtr. vertit: *Me ſolum in quiete habitare facies.* Et Petavius, *excellenter magnam in ſpem feciſti me illæſum*: non eris illæſus, ſi in aëre peſtilenti commoreris. S. Chryſoſt. *Quemadmodum corpora ſæpè à corrupti aëris lue infecta pereant: ita anima ſæpè damnum accipit ex malorum congreſſione: & quemadmodum ſanus oculus, quando laborantem aſpexerit, afficitur: & qui ſcabie refertus eſt, ut etiam qui ſani ſunt, eam imperit: ita etiam ſæpè contingit conſuetudine improborum hominum.* Οὐ γὰρ οὕτω θηρία πλήττειν εἰώθεν, ὡς πονηρία ἀνθρώπων: *neque enim feræ ita pungunt, ut hominum improbitas. Illæ enim venenum apertè præ ſe ferunt: hi autem inſenſibiliter, & abſque ullo ſtrepitu virus quotidie immittunt, de animi robore quotidie paulatim detrahentes.* 150. Ad habendam pacem ſeccedendum eſt ab improbis. 1. Nam in mundo eſt peſtilentia.

Secundò, in mundo non eſt tantùm peſtilentia, ſed etiam bellum. Draco non tantùm virus aſpirare tentat, ſed etiam indicit bellum mulieri Sole veſtitæ & ſtellis coronatæ, ac lunæ inſiſtenti, id eſt animæ ſanctæ: & ejus proli, id eſt operibus bonis. Apocal. 12. 4. *Draco ſtetit ante mulierem quæ erat paritura, & cùm peperiſſet, filium ejus devoraret.* Cùm autem peperiſſet filium maſculum, id eſt actus generoſus, fugit in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo; vocat enim eam & ducit Spiritus ſanctus in ſolitudinem, ut loquatur ad cor ejus. Additur verſ. 14. *Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum.* Alas duas. Primò, vult eſſe vitam activam & contemplativam. Rich. à ſancto Victore. Secundò, prædicatores veritatis & ſapientiæ, ut Victorinus & Ticonius. Tertiò, duo teſtamenta ſacræ Scripturæ, nempe vetus & novum, Primaſius. Malim ad rem noſtram explicare de cognitione ſeu contemplatione Dei, & ejus amore, ut Intellectus & voluntas illis alis in Deum ferantur. Vel, 151. 2. In mundo eſt bellum & turbatio. *Draco ante mulierem.*

eſſe

Digitized by Google

eſſocognitionem ſui & cognitionem Dei: hæc enim ſunt duæ alæ, quæ nos à mundi tumultu abſtrahunt, & in deſertum rapiunt: ut non rapiamur per flumen emiſſum à dracone, ſed torrente voluptatis potemur à Deo nos conſolante. Philo lib. quòd Deus ſit immutabilis: *Totus*, inquit, *Orbis habitabilis nonne ſuo deque turbatus & concuſſus, ὥσπερ ναῦς θαλαττεύουσα, ut navis jactata marinis fluctibus, nunc ſecundis ventis, nunc adverſis utitur.* Sed ſemper in agitatione eſt. Si mundus terra eſt, plenam puta omni ferarum genere & quidem truculentiſſimarum, adeò ut ipſe Phalaris epiſt. 34. ad Pollucem: *Cum omnia miſeriarum plena videam, ἀοίκητον ἐρημίαν ἐν Λιβύῃ, deſertam Lybiæ ſolitudinem, & feris patentes Numidarum habitationes conſuetudinis vitaque anteponendas cenſeo. Minori enim periculo inter leones, omneque ſerpentum genus, quam cum hujus ſeculi mortalibus habitare, ſomnumque capere poſſem.* Etſi nullus ſceleratum aggrediatur, ipſe in ſe armatur. S. Chryſoſt. in Pſal noſtr. *Ipſe*, inquit,

Impius ſecum pugnat.

ἑαυτῷ πολεμεῖ, cum ſeipſo bellum gerit, παντὸς ξίφους ὀξύτερος, quovis enſe penetratiores in ſe cogitationes acuens, in omnibus quæ videntur offendens: & in ſingulis qui occurrunt hominibus ſeipſum ſaucians, in nullum benevolo & grato animo præditus, ſed omnes illos tanquam hoſtes metuens, &c. æſtus deinde pugnaſque avarorum oſtendit, quos ait *ſibi conflare, μυρίους πολέμους, innumerabilia bella, pugnas, & ſeditiones in ſuam animam.* Avarus enim & ambitioſus nunquam quieſcunt, quòd explicari poteſt aviditate Pyrrhi regis in acquirendis regnis, & facilitate in perdendis: quod Themiſtius conſiderans in oratione de pace ad Valentem, concludit: *Nullus terminus ſtabiles facit, & continet eos qui majora ſemper appetunt: nullus limes, licèt mare Atlanticum dixeris; qui enim in animo ſuo nullum finem habent, ne in terra quidem habere ullum queunt.*

Tertiò, in mundo fames eſt cum bello & peſte. 152.
Geneſis quadrageſimo ſeptimo, verſu decimo tertio: *In toto Orbe panis deerat, & oppreſſerat fames terram, maxime Ægypti & Chanaan.* In deſerto autem filii Iſraël abundaverunt, & quidem pane cæleſti. Pſalmo centeſimo quarto, verſu quadrageſimo: *Pane cæli* (id eſt, manna) *ſaturavit eos.* Et Pſalmo ſeptuageſimo ſeptimo, verſu vigeſimo quinto: *Panem Angelorum* (Sanctus Hieronymus, *fortium:* qui ſe à ſeculi laqueis expedit, fortis eſt) *manducavit homo, cibaria* (Hebraicè צידה *ſeda, cibum venatione partum:* vigilantibus jura ſubveniunt) *miſit eis in abundantia.*

3. Fames eſt in mundo.

Conclude itaque cum Propheta noſtro: In pace in idipſum dormiam & requieſcam: quoniam tu Domine, *ſingulariter*, id eſt, ſeorſum ab improbis, in ſpe conſtituiſti me.

PSALMUS QUINTUS.

1. *In finem, pro ea quæ hæreditatem conſequitur, Pſalmus David.*

2. VErba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum.
3. Intende voci orationis meæ: Rex meus & Deus meus.
4. Quoniam ad te orabo Domine: manè exaudies vocem meam.
5. Manè aſtabo tibi & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.
6. Neque habitabit juxta te malignus: neque permanebunt injuſti ante oculos tuos.
7. Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.
8. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus: ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ.
9. Introibo in domum tuam: adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.
10. Domine deduc me in juſtitia tua: propter inimicos meos dirige in conſpectu tuo viam meam.
11. Quoniam non eſt in ore eorum veritas: cor eorum vanum eſt.
12. Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſè agebant, judica illos Deus.
13. Decidant à cogitationibus ſuis, ſecundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritaverunt te Domine.
14. Et lætentur omnes qui ſperant in te: in æternum exultabunt & habitabis in eis.
15. Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices juſto.
16. Domine ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ: coronâſti nos.

PSALMI QUINTI ANALYSIS.

David in deſerto Maon à Saulis exercitu circumcinctus ac penè captus, petit à Deo.

- Liberationem à periculo. 2. ob
  - Orationem ſuam
    - Multiplicem. *Verba mea.* 2.
    - Fiduciæ plenam. *Auribus percipe, intellige, intende.* 2.
    - Humilem. *Domine.* 2.
    - Ferventem. *Intellige clamorem meum.* 2.
    - Devotam. *Intende Rex meus & Deus meus.* 3.
    - Intentione recta factam. *Ad te.* 4.
    - Perſeverantem. *Orabo.* 4.
    - Efficacem. *Exaudiat vocem meam.* 4.
    - Vigilem. *Mane aſtabo tibi.* 5.
    - Illuminatam. *Et videbo.* 5.
  - Dei juſtitiam. 4. qua
    - Impios affectu deteſtatur. 5.
    - Corpore averſatur. 6.
    - Oculis fugit. 6.
      - Sive peccent opere. 7.
      - Sive locutione. 7.
      - Sive cogitatione doloſa. 8.
  - Pietatem ſuam. 4. qua
    - In Dei miſericordia confidat. 8.
    - Domum ejus frequentet. 8.
    - Majeſtatem adoret. 8.
    - Mandata obſervet. 8.
      - A Deo juſto ductus. 9.
      - A Deo ſapiente illuſtratus.
  - Hoſtium ſuorum ſcelera. 10. qui
    - Ore mendaces. 10.
    - Corde vani. 10.
    - Gutture fœtidi. 11.
    - Lingua doloſi. 11.
- Et illam prædicit. 11.
  - Impiis
    - Judicatis à Deo. 11.
    - Cauſa cadentibus. 11.
    - Expulſis ob ſcelera. 11.
  - Juſtis
    - Animo, lætantibus. 12.
    - Corpore, exultantibus. 12.
    - Corde, Deum recipientibus. 12.
    - Ore, in eo gloriantibus. 13.
    - In bonis cæteris, à Deo benedictis. 13.
    - Protectione cæleſti vallatis. 13.
    - Corona gloriæ micantibus. 13.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. *In finem, pro ea quæ hæreditatem conſequitur, Pſalmus David.*

1. Nehiloth. DIxi Pſalmo præcedente quid ſignificet, *in finem.* Nota, in Hebræo pro τὸ *pro ea quæ hæreditatem conſequitur*, eſt, אל הנחילות *el hannehiloth*, quod ad verbum reddit primò Arias, & R. Salomon, *ſuper exercitus.* Secundò, Chald. *ſuper choros.* Tertiò, Pagninus, *ſuper hannechiloth:* qua verſione indicat ſentire ſe *nehiloth*, ſeu ut ipſe legit, *nechiloth*, eſſe nomen inſtrumenti muſici: in ea opinione fuit R. David, R. Emmanuel, & aliqui alii. Et R. Hai derivat hanc vocem à *nehil*, quod ſignificat apum ſibilum, eò quòd ſonus illius inſtrumenti eſſet ſimilis apum ſibilo. Sed rectè monet Bellarminus ſic interpretantes eſſe omninò à Catholicis rejiciendos. Quartò, Septuaginta vertunt *el hannehiloth*, ὑπὲρ τῆς κληρονομούσης, id eſt, *pro hærede:* ſeu, *pro ea quæ hæreditatem conſequitur:* Quintò denique, S. Hieron. R. Iſſachar, R. Simeon, R. Joſue filius Levi, R. Samuel, reddunt, *ſuper hæreditatibus.*

2. Senſus tituli. Senſus tituli eſt primò, carmen cantandum ſumma voce alternatim, per diſtributos Levitarum choros, qui vices ſuas peragant, & tanquam hæreditatum partes colant. Ita Arias. Hæc explicatio
1. videtur violenta, & parùm apta.

2. Secundò, tituli ſenſus eſt: *Pro hæreditatibus*, id eſt, pro duodecim tribubus Iſraël, quibus terra Chanaan in hæreditatem à Deo data eſt atque finibus diſtributa. Ita R. Salomon. Sic erit metonymia, ponendo poſſeſſionem pro poſſeſſore; hæreditatem pro hærede. Sed neque hæc explicatio placet.

3. Tertiò, Senſus eſt, Pſalmus David pro recuperanda hæreditate & regno integro. Cùm enim victus eſt Abſalon, & David à tribu Juda reductus in urbem regiam Jeruſalem, decem tribus honorem illum reducendi regis ſibi ablatum moleſtè tulerunt. Hac occaſione arrepta vir Belial, nomine Seba, filius Bochri, vir Jeminæus, arma ſumpſit in Davidem, & tribus illas ad defectionem concitavit. Sed à Joab obſeſſus eſt in Abela, id eſt, in Betmaacha, (urbs enim illa duplex nomen habuit) & caput ejus ad ipſum ex muro projectum eſt, ſicque ſeditio ceſſavit, ſecundo Regum vigeſimo. Sicut igitur præcedens Pſalmus ſcriptus fuit, ait ſanctus Thomas pro victoria contra Abſalonem: ita hic pro extinctione defectionis ortæ ad inſtigationem Seba. Sed oſtendi Pſalmum præcedentem non de Abſalonis perſecutione, ſed de Saulis obſeſſione in deſerto Maon & Davidis liberationis agere.

Quartò, itaque probabilius, hîc agitur de eadem obſidione Davidis in deſerto Maon, cùm Saul & viri ejus in modum coronæ cingebant David & viros ejus, ut caperent eos. 1 Regum 23. 26. Sed illam circumſeſſionem Saulis evaſit, quòd à Deo undique cingeretur. Hinc Pſalmum concludit: *Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronâſti nos.* Petit etiam viam ſuam dirigi, cùm fugeret inſequentem Saulem cum exercitu. 4. Et optimè.

Senſus itaque tituli, & argumentum Pſalmi eſt: Pſalmus Davidis *pro hæreditatibus*, id eſt, pro hæreditate, tum ſua, tum fratrum, affinium & amicorum ſuorum, qui ſecum in montibus ac deſertis errabant, recuperanda. Nota, ipſe jam erat gener regis Saulis, & à Samuele fuerat ſacrâ unctione dudum in regem deſignatus. Ab annis ſex ſcilicet: unctus enim eſt anno 8. regni Saulis: factus eſt ejus gener anno 11. erat in deſerto Maon anno 14. ab anno octavo ad 14. anni ſex ſunt. Janſenius ait, Pſalmum hunc eſſe orationem, cùm ſe David moleſtè ferret non poſſe cum piis colere Deum, quòd exul ab hæreditate Dei exagitaretur à Saul, & ab ejus adulatoribus gravia expectaret. Solari ſe divinâ

pro-

providentia, deſcribendo hoſtium dolos & vim, quæ certus eſſet Deum everſurum. Conqueritur David 1 Regum 26. verſu 19. quòd ſit ejectus, ut non habitet in hæreditate Domini.

3. Allegoricè. Allegoricè: Pſalmus hic compoſitus eſt in perſona Eccleſiæ, quæ hæreditatem ſalutis æternæ quotidie in ſuis membris conſequitur, & in fine Mundi tota conſequetur. Quia verò Eccleſia pro meliore ſuî parte ſimilis eſt columbæ, quæ perpetuò gemit, & innocentiam cuſtodit: ideò in hoc Pſalmo columbæ officium exercens, partim orat, partim peccatum deteſtatur. Quod ipſum facere debent omnes, qui pertineot ad columbam: ſic enim onimur Deo, in quo conſiſtit hæreditas, ſi orationæ trahimus Deum ad nos, & puritate vitæ propinquamus ad Deum. Ita Bellarminus, qui putat hunc ſenſum eſſe literalem, ſed veriùs ait allegoricus, præcipuè tamen intentus à Spiritu ſancto, ut ſæpè contingit in Pſalmis, qui licè: ſcripti ſint occaſione alicujus afflictionis aut proſperitatis Davidis, & regni ejus, præſertim tamen Chriſtum reſpiciunt & ejus Eccleſiam. Septnaginta hoc nobis declarare videntur, cum Pſalmum inſcribunt, *pro ea, quæ hæreditatem conſequitur*, ut noſter interpres vertit, id eſt, pro Eccleſia, cujus eſt hæreditas; cùm ſit filia libera, & Sara, hoc eſt, princeps ac domina, cum Sponſo regnatura, Galatas 4. verſu 26. *Illa autem quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra:* ait Jeruſalem, quia in ea lata eſt lex nova, & ibi cepit eſſe Eccleſia Chriſtiana, atque inde per omnes gentes diſſeminata, ubi eſt mater fœcunda ex omnibus populis multos pariens Chriſto filios ſpirituales. Hebraicus etiam textus, *pro*, vel, *ſuper hæreditatibus*, explicari poteſt de Synagoga Judæorum, quæ fuit prima Dei hæreditas, & ipſius Chriſti. Judæi enim etiam ipſius regnum conſtabunt & erunt de Eccleſia, quæ eſt ejus perfecta & conſummata hæreditas ad finem Mundi duratura.

4. Anagogicè. Anagogicè: Pſalmus hic ſpectat hæreditatem cœleſtem, quam quilibet juſtus poſſidebit in gloria: de illa S. Petrus 1 epiſt. 1. verſu 3. & 4. *Regeneravit nos* (per gratiam à peccatis ſuſcitans) *in ſpem vivam*, (S. Hier. lib. 1. in Jovinian.) *in ſpem vitæ:* alii apud S. Aug. lib. 1. de peccat. merit. cap. 21. *In ſpem vitæ æternæ*, id eſt, in, ſeu ad *vitam æternam ſperandam*, & per ſpem conſequendam, *per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis*, q. d. regenerati ſumus ad vitam æternam poſſidendam per Chriſti reſurrectionem, quæ fuit etiam cauſa exemplaris & effectiva reſurrectionis noſtræ tam quoad corpora, quàm quoad animas per gratiam, tamen virtute principalis cauſæ, ſcilicet juſtitiæ, ut docet S. Thomas 3. p. qu. 54. art. 2. & q. 56. 1. 2. ac q. 59. art. 2. & q. 62. 5 ad 1. *in hæreditatem* (regeneravit) *incorruptibilem & incontaminatum* (Græcè, ἀμίαντον, impollutam. Pagn. & Tigurina vertunt, incontaminabilem) *immarceſcibilem*, (Græc. ἀμάραντον, quæ nequit marceſcere. S. Aug. lib. 1. de peccat. meritis cap. 27. legit florentem) *conſervatam in cœlis in vobis* (Græcè, εἰς ὑμᾶς) *in vos*. Syr. clarè, quæ parata eſt vobis. Quibus autem ſit parata, explicat verſu 5. *Qui in virtute* (δυνάμει, potentiâ & robore) *Dei, cuſtodimini per fidem in ſalutem:* Græcè φρουρούμενοι, veluti præſidiariis militibus cuſtoditi, φρούριον, enim eſt præſidium, ſeu locus, arx & munitio, cui milites ad cuſtodiam apponuntur, apud Thucydidem: & φρουρὸς eſt miles præſidiarius, apud Xenoph. in Cyrop. Anima itaque juſtorum inſtar arcis eſt, circa quam Deus milites ſuos ſtationarios & cuſtodes ponit, id eſt, ſanctos Angelos, Pſal. 33. 8. *Immittet* (S. Hier. & Eutychianus Papa epiſt. 2. ad Epiſcop. Siciliæ, circumdat. Hebr. חֹנֶה *hone*, caſtra metans) *Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*, ut patuit in Eliſæo, obſeſſo juſſu Benadab regis Syriæ in Dothain, 4 Reg. 6. 17. mons enim apparuit plenus equorum & curruum igneorum, id eſt, Angelorum ad ejus defenſionem paratorum. Deus ipſe ſuos ſervos cuſtodit armatus, Pſal. eod. 33. 21. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur*. Et apertiùs Pſal. 9. 5. *Scuto circumdabit te veritas ejus*, (S. Hierón. ſcutum & protectio veritas ejus) *non timebis à timore nocturno*. Chald. à timore dæmonum, qui ambulant in nocte. Nota cum Aſterio, non tam nunc abſolutè nominandi ſumus hæredes, quàm *hæreditatem conſequi*, ſicut habetur in titulo. Hæredes erimus in cœlo, cùm dicetur, Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum.*

Tropol. Anima ſancta eſt ea, quæ conſequitur hæreditatem novi Teſtamenti, id eſt, gratiam per Chriſtum datam, Pſalmo 60. 6. *Dediſti hæreditatem* (id eſt, terram promiſſionis, quæ erat typus Eccleſiæ & bonorum in ea exiſtentium) *timentibus nomen tuum*, timore hæredis ac filii, ut ait Lorinus in eum Pſalmum. 5. Tropologicè.

DIVISIO TOTIUS PSALMI.

Duo facit. Primò media oſtendit, quibus ſperat ſe à Deo opem obtenturum, ut ex anguſtiis liberatus ipſi ſerviat in tabernaculo. Verſ. 2. ad 9. Secundò, poſtulat objecta ſibi ab hoſtibus impedimenta tolli, ut in Deo Liberatore ſuo gaudere poſſit. Verſ. 9. in finem.

SECTIO PRIMA.

Quatuor proponit. Primò, orationis ſuæ qualitatem. Verſ. 2. & 3. Secundò, tempus illius. Verſ. 4. & 5. Tertiò, perſonæ oraturæ conditiones. Verſ. 6. 7. & 8. Quartò, locum aptiſſimum ad orationem faciendam. Verſ. 8.

PARAPHRASIS.

2. Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum.

2. Frequentem orationem meam, pro me mihique adjunctis ſociis fuſam ne rejice, ſed faventi aure ac benevolentia ſuſcipe: doloris acerbitas & extremum periculum à pectore clamorem expreſſerunt, tu eum conſidera & ſuſcipe.

3. Intende voci orationis meæ: Rex meus & Deus meus.

3. Cùm ſis Rex meus & Deus meus, tui eſt unius preces meas attendere, exaudire.

4. Quoniam ad te orabo Domine: manè exaudies vocem meam.

4. Et quidem de pietate tua confido, fore, ut me quàm citiſſimè exaudias; quoniam ad te unum vota mea dirigam, tibi uni ſupplex accidam, in quo certum mihi firmúmque aſylum ſtatui.

5. Manè aſtabo tibi, & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

5. Summo diluculo tibi me in oratione ſiſtam, ubi ſtatim intelligam impios tibi non placere. Nam motus precibus meis ſceleratos hoſtes meos exſcindes.

6. Neque habitabit juxta te malignus: neque permanebunt injuſti ante oculos tuos.

6. Neque Doëg Idumæus, qui cùm eſſet in tabernaculo in Nobe, & mihi panes datos ac gladium vidiſſet, me accuſavit apud Saulem, diu incolumis coram te perſtabit, neque Saul aliique Sacerdotum & aliorum injuſtè fuſo ſanguine polluti, & me meoſque ad necem perſequentes, diu manebunt in terra tua, in qua dignaris morari, & tabernaculum habere.

7. Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

7. Eâ ſanctitate es, ut & iniqui omnes, & eorum iniquitas, tibi odio ſint maximo. Eosque omnes in idem exitium trahis, quo innoxios mendacijs ſuis perdere moliebantur.

8. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus; ego autem in multitudine miſericordia tua.

8. Doëg præſertim cum ſatellitibus ſuis ſummi Pontificis Achimelech, Sacerdotum octoginta, & civium omnium Nobe interfector, & dolis nefariis me atque alios innoxios circumvenire moliens, abominabilis erit coram te Deo meo, & à tuo tabernaculo ejicietur non exauditus. Ego autem per miſericordiam tuam liberatus ex hac perſecutione.

9. Introibo in domum tuam: adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.

9. In hanc domum tuam, ubi arcæ & propitiatorio inſidens morari dignaris, ingrediar: & in atrio ſancto tuo victimas offeram, internoque cultu te adorabo ut Deum meum, corpuſque etiam incurvabo te reveritus.

QUÆSTIO UNICA.

Qualis oratio debeat eſſe, ut à Deo exaudiatur.

QUatuor ex hoc loco Prophetæ noſtri reperiri poſſunt in perfecta, & numeris omnibus abſoluta oratione.

Primò, illius qualitas: ſcilicet, ut ſit fiduciæ plena, &c. verſu 2. *Verba mea auribus percipe Domine*, &c.

Secundò, illius tempus: matutinum ſcilicet, tunc enim faciliùs Deus exaudit, verſu 4. *Manè exaudies vocem meam:* & qui orat, magis illuſtratur, verſ. 5. *Manè aſtabo tibi, & videbo.*

Tertiò, perſonam impollutam ad Deum accedere oportet: quare impietas ex corde removenda eſt, cùm ore ſupplices Deo ſumus, verſ. 5. *Et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, &c.

Quartò, locus orationis maximè idoneus, eſt templum Dei, verſ. 8. *Ego autem in multitudine miſericordia tua. Introibo in domum tuam: adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.*

ARTICULUS I.

Octo proprietates orationis bonæ ad Deum fuſæ.

6. Octo bonæ orationis proprietates.

QUalitates orationis octo, duobus aut tribus ex verſibus Prophetæ noſtri eruere poſſumus. Primò, fiduciam. 2. Reverentiam. 3. Multiplicitatem. 4. Attentionem. 5. Devotionem. 6. Fervorem. 7. Perſeverantiam. Octavo, efficaciam.

1. Sit plena ſpei, ut filii ad parentem.

Primò: Fiduciæ plena ſit oratio, neceſſe eſt, ut filii ad parentem. Quam autem fiduciam in precatione majorem prodere, quis poſſit, quàm David his verbis, verſ. 2. VERBA MEA AURIBUS PERCIPE DOMINE, INTELLIGE CLAMOREM MEUM, INTENDE VOCI ORATIONIS MEÆ. Velut totum Deum ſibi depoſcit: 1. Aures ejus, ut audiat. 2. Intellectum, ut intelligat. 3. Voluntatem & omnipotentiam, ut intendat voci orationis ſuæ. Eſt autem Catachreſis, neque enim Deo ſunt aures. Sed mira eſt libertas à Deo petere, ut verba noſtra percipiat, intelligat, iiſque intendat, quod vix ab ullo homine alicujus authoritatis petere poſſemus. Unde Aſterius in Pſalm. noſtr. exclamat: *O ingentem Prophetæ libertatem! ô miram Dei benignitatem! Cùm prudentem virum alloquimur, non audemus dicere, intellige, quæ dico, ne ille tanquam hebes & craſſus mente reputetur. Deo autem, qui cogitationes etiam inſpicit, antequam poſtulet Propheta, dicit, intellige.* Hac in petitione advertit Bellarminus, Prophetam miro artificio poſtulare, ut detur ei ſic orare, ſicut opus eſt, ad hoc, ut Deus non repellat orationem, ſed percipiat ſonum, intelligat clamorem, & intendat orationi: Deus enim, ait, orationem contemnit, ac ſi *non percipiat* ſonum verborum, quando is, qui orat, ita diſtrahitur, ut nec ipſe verba ſua percipiat: vel ita frigidè orat, ut oratio ſurſum aſcendere non poſſit. Tunc verò Deus ita ſe habet, ut ſi *non intelligeret*, quod petatur, quando is, qui orat, neſcit, quid petat, petens ea, quæ ſibi non ſunt utilia, etſi attentè ac ferventer oret, atque adeò clamet. Tunc denique Deus ſimilis eſt *non attendenti*, quando orans non eſt dignus, qui audiatur; vel quòd ſine debita humilitate, fiducia, aliiſque circumſtantiis oret, vel quòd ſit peccator, & de pœnitentia nondum cogitare inceperit.

Fiducia quoque orantis juvatur, quòd ad Regem, Deum ac Dominum ferantur ejus voces. Nam Regis eſt ſapientia: Dei bonitas, Domini poteſtas. S. Thomas hoc loco ait: *Regis eſt gubernare, Deus Finis eſt voluntatum noſtrarum & Conſervator.* Itaque Regis eſt ac Dei audire ſupplicum preces. Arabs apertè habet: *Auſculta vocem ſupplicationis meæ, quia tu es Rex meus, & Deus meus.* Ubi particula cauſalis oſtendit, proprium eſſe Regis ac Dei, orationibus intendere. Hinc Eſther Regina orans pro Judæis neci deſtinatis, ſic incipit orationem ſuam, Eſth. 14. 3. *Domine mi, qui Rex noſter es ſolus, adjuva me ſolitariam.* Judith verò in obſeſſa ac penè capta ſua Bethulia ſupplex, ab aliis verbis incipit, Jud. 9. 2. *Domine Deus patris mei Simeon*, &c. *Subveni quæſo te Domine Deus meus mihi viduæ.* — Motiva ſpem augentia.

7. Fiat cum reverentia, ſervi ad Dominum.

Secunda orationis bonæ conditio eſt, ut fiat cum reverentia, ſicut ſervi ad Dominum, verſ. eod. 2. *Verba mea auribus percipe Domine.* Nota, in hac voce Domini ſibi complacere Rex noſter videtur, ut ſervum ſe declaret. Nam pluſquam ſeptingenties & quadragies Deum vocat Dominum, in centum & quinquaginta Pſalmis. Itaque ſi per ſingulos Pſalmos id diſtribueretur, pluſquam quinquies in ſingulis Deus vocaretur Dominus; Domino autem debetur timor, id eſt, cultus ac reverentia. Ugo Card. hîc: *Domino debetur timor, Regi honor, Deo amor. Ad timorem Domini pertinet vocalis laudatio, Pſal 21. 24. Qui timetis Dominum, laudate eum. Ad honorem Regis ſpectat intellectûs applicatio. Ad amorem Dei pertinet affectio.* Servum ſe Dei ſæpè etiam vocat David, Pſ. 35. 1. titulum hunc ponit: *In finem ſervo Domini ipſi David*, ſupple, hic Pſalmus eſt inſpiratus, qui uſque in finem ſæculorum ſit canendus, & ad Chriſtum pertinet, qui eſt legis & Prophetarum finis, Pſ. 115. 7. *O Domine! quia ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Magna humilitas, ait S. Hier. magna ſimul dignitas, ſervum Deum nominari, & eſſe, & non ſervum peccati. Et S. Laurentius Juſtinianus de Diſcipl. monaſt. cap. 5. *Chriſti ſervitus vera ingenuitas eſſe probatur.*

8. 3. Sit multiplex pauperis ad divitem.

Tertia orationis bonæ conditio eſt, ut ſit multiplex, ſicut pauperis ad divitem. Non ſis contentus uno verbulo, & jaculatâ in cœlum imploratione, ſed horas præſtitutas priùs exple, quàm à Deo diſcedas, verſ. eod. 2. *Verba mea auribus percipe Domine.* Pagn. *eloquia mea.* Sis eloquens coram Deo: id facit amor, cor torrentis inſtar effundens, ut dolor in calamitatis fluctibus, quibus, cùm ſæpè tundimur & jactemur, ſæpiùs ad Deum eſt recurrendum.

dum. Theodoretus hoc conſiderat in Pſal. noſtr. πολλαῖς καὶ παντόθεν βαλλομένη τρικυμίαις, *multis undique & maximis fluctibus Dei Eccleſia agitata, atque etiam unaquaque anima, quæ piam vitam amplectitur, ſuperior evadit*, & κλυδώνος ὑπερνήχεται, *tempeſtati ſupernatat*, θείαν ἐπικουρίαν καλοῦσα διηνεκῶς, *divinam opem continuè implorans*, Pſ. 41. 9. *Abyſſus abyſſum invocat*, (abyſſus miſeriæ ad opem vocat abyſſum miſericordiæ) *in voce cataractarum ſuarum*: id eſt, cùm audit è cataractis, id eſt, è portis nubium aut fluminum Dei, afflictiones ut aquarum montes ac torrentes decurrentes. Symm. à ſono aquæductuum tuorum. Aliâ ſimilitudine frequentis orationis neceſſitatem explicare poſſis, hominis ſcilicet ex omni parte haſtatis & irruentibus militibus cincti, in omnem enim ſe partem convertens, opem viatorum imploret. S. Paulus mediis in carnis ſtimulis ad Deum ſæpè ſe ſupplex convertit, 2 Cor. 12. 7. *Datus eſt mihi ſtimulus*. Græcè σκόλοψ palus, ſtipes, aculeus, ſpiculum, ſtimulus. Tertull. lib. de Fuga in perſecut. cap. 2. habet, ſudes, *carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet*: id eſt velut infringat colaphus, ruborem ac dolorem incutiendo. Angelus ſatanæ vocatur per metonymiam, motus concupiſcentiæ carnalis, & tentationes libidinis, quæ à dæmone excitantur, commovendo humores ac ſanguinem & ſpiritus generationi ſervientes, atque imaginationem phantaſmatis turpibus implendo. Addit verò ad rem noſtram Paulus verſ. 8. *Propter quod ter* (id eſt ſæpè & frequenter: multitudinis enim ſymbolum eſt numerus ternarius) *Dominum rogavi, ut diſcederet à me*.

9. 4. Fervens velut rei ad judicem. Quarta orationis bonæ conditio eſt, ut ſit fervens, tanquam Rei ad judicem: ſalutis enim ac vitæ periculum eſt, ſi cauſa noſtra cadamus: nervi mentis intendendi ſunt, rationes ut omnes congeramus, acrique & erecto animo omnia proponamus, quæ ad miſericordiam concitandam faciant. Fervorem ſuum declarat David, cùm ait, verſ. eod. 2. *Intellige clamorem meum*. Hebr. הגיגי *hagigi*, id

Hagig ſignificat. eſt, primò, *meditationem meam*, ut vertit Arias

1. & Syrus. Sed in ea ardens ſis oportet, ſicut David Pſ. 38. 4. *Concaluit* (Chald. ebullit) *cor meum intra me: & in meditatione mea exardeſcit ignis*. Pſalt. Roman. & Ambroſianum, Haimo, Remigius, *exardeſcit*: ſtatim flammam emittit. S. Hier.

2. *incenſus ſum igni*. Secundò, *hagigi*, reddit Pagn. *locutionem meam*. Sit quoque ardens, Eccli. 48. *Surrexit Elias Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat*. Græcè, ſicut λαμπάς lampas, fax, candelabrum. Syrus *quaſi clibanus ſuccenſus*. Ardorem illum orationis explicat S. Bern. hom. de duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus, illa verba Luc. 24. 32. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via*, ruminans: ait enim in die afflictionis & tentationis revocandum ad memoriam, quid aliquando in oratione ſenſerimus, quid in meditatione guſtaverimus, ac ſubdit: *O dulcis ardor, dulcis ſplendor, dulcis amor! Ardor confortans, ſplendor illuminans, amor inebrians! Quam dulciter ardes, quàm mirabiliter ſplendes, quam ſufficienter totum cor hominis imples! Quis poterit habitare de nobis cum igne devorante?* Cum JESU ſcilicet, qui eſt ardor, ſplendor, & amor, & in orantem immittit linguas igneas, ſicut Spiritus

3. S. Act. 2. 3. Tertiò, *hagigi*, Sept. vertunt κραυγήν, id eſt clamorem, vociferationem: à κράζω clamo, quod Euſtachius ait eſſe propriè corvorum crocitantium: ad homines transfert Ariſtophanes. Clamemus ad Deum, ut pulli corvorum, de quibus Pſ. 146. 9. *Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum*. S. Hier. vertit, filiis corvi *clamantibus*. In Pſalmo noſtro viciſſim ubi noſter habet *clamorem*, Arabs reddit, *invocatio-*

4. *nem*. Quartò, *hagigi*, Pagninus vertit, *rugitum meum*: & ſi fortis ſis ut Leo, tamen Deum invoca, & quidem rugitu magno, ut te adjuvet: rugit Leo, cùm videt prædam ſuam, velut à Deo illam depoſcens, Pſ. 103. 21. *Catuli leonum rugientes, ut rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi*; ſic Job de ſe ait cap. 3. 24. *Antequam comedam ſuſpiro: & tanquam inundantes aquæ, ſic rugitus meus*. Hebr. rugitus mei. Iteranda eſt oratio, & ſemper ardenter facienda. Quintò, *hagigi* Chaldæus reddit, 5.

deſiderium meum. Hic eſt fons ardoris: ſicut enim deſideria occidunt pigrum, Prov. 21. 25. ita deſideria vivificant & animant diligentem & amantem. Sic nutitur Gabriel, id eſt fortitudo Dei, ad Danielem, quia *vir deſideriorum* erat, ut ipſe Angelus ait Dan. 6. 23. & David noſter ait, Pſ. 20. 3. *Deſiderium cordis mei tribuiſti ei*: viro pio, & orationem cum ardore fundenti.

Nota, quàm accurata debet eſſe oratio noſtra; ad quam petimus Dei intellectum omniſcium & perſpicaciſſimum applicari, cùm dicimus, *intellige* (intùs lege, ne reſpicias corticem) *clamorem meum*. Hoc advertit Origenes hîc, Conſiderate, inquit, nos oportet, qualem habere neceſſe ſit intellectualis vocis magnitudinem, quâ Dei attentionem & intelligentiam advocemus, ut hujuſmodi verba auribus Domini conveniant. Ita ipſe. Singula verba, velut judex juſtitiæ ſuæ libra expendit ac trutinat. Hoc priùs ab eo petimus, cùm diximus; *Verba mea* האזינה *haazina, auribus percipe*, ponderanda ſcilicet atque examinanda. Nam *azan* ſignificat primò auſcultavit, audiendo perpendit. Secundò, ponderavit, libravit. Itaque *ozen*, auris, eſt veluti quædam libra ponderans, quæ accipit in vaſe ſuo: & utraque auris eſt inſtar bilancis: unde dicimus, accuſato ſemper aurem unam eſſe reſervandam, ut ſcilicet pondere oppoſito poſſit ad æquilibrium rem totam revocare. David verba ſua à Deo ſic expendi cupiebat, & ponderari cum verbis & objectionibus Saulis & hoſtium ſuorum, quos vana atque mendacia ſciebat contrà proferre.

Quinta orationis bonæ conditio eſt, ut ſit devota & amans, ſicut oratio Sponſæ Reginæ ad 10. 5. Amoris plena, velut Sponſæ ad ſponſum.

ſponſum Regem, verſ. 3. *Intende voci orationis meæ*. Hebr. Syr. clamoris mei. *Rex meus & Deus meus*. Nota, Eccleſia & anima ſancta eſt Regina; de qua Pſ. 44. 10. *Aſtitit Regina à dextris tuis*, (in loco honoratiſſimo) *in veſtitu deaurato*, (S. Hier. *in diademate aureo*: virtutum ſcilicet omnium charitate fulgentium) *circumdata varietate*. S. Cypr. lib. 2. cap. 29. S. Iſidor. in 3 Reg. cap. 5. S. Ambroſ. lib. 1. de Virgin. legunt, circumamicta varietate, id eſt, multiplici virtute ac donis gratiæ. Primò illius Sponſæ aſpectu Rex cœleſtis delectatur, longè magis, quàm Aſſuerus ſuæ Eſtheris, Eſth. 5. 2. *Cùmque vidiſſet Eſther Reginam ſtantem, placuit oculis ejus, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu*. erat induta regalibus veſtimentis; ne accedas ad Deum ſine veſte nuptiali, ne Deo oculos in te conjicienti non placeas, & ejiciaris in tenebras exteriores & interiores. Secundò, vocem quoque illius Reginæ libenter audit Deus. Dicebat Eſtheri Aſſuerus, id eſt Artaxerxes Longimanus Rex Perſarum, Eſth. 5. 3. *Quid vis Eſther Regina?* (Anima quæ paſſionibus tuis dominaris) *Quæ eſt petitio tua? Etiamſi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi*: Deus dat non dimidiam partem regni, ſed totum regnum, & quidem cæleſte ac ſeipſum orantibus, ſi prius ut Eſther oſculentur ſummitatem virgæ ejus: id eſt adorent ejus juſtitiam ac providentiam erga ſe & alios, eique ſe ſubmittant, tunc obtinebunt miſericordiam. Chriſtus animarum ſanctarum Sponſus invitat Sponſam ad loquendum ſibi, & apparendum coram ſe, Cant. 2. 13. *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora*, Cant. 8. 13. ait: *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant: fac me audire vocem tuam*, audiens exaudit, ut ſe expertum ait David Pſ. 65. 19.

Nota 2. Non ſimpliciter vocat regem, ſed *Regem meum*, ut amorem ſuum & fiduciam Sponſa declaret: rege enim ſuo effecto, ac ſui quodam-

modo juris, facilè eſt credere omnia quoque ſua cum eo obtenturam. S. Chryſoſt. *Non dixit, Rex abſolutè: ſed Rex meus & Deus meus, ἐμφαίνων τὴν οἰκείωσιν αὐτοῦ, amorem ſuum indicans.* S. Hier. Non eſt venter meus, Deus meus, non aurum, non libido, Exod. 3. 15. ait Deus ipſe: *Dices, Deus Abraham, Iſaac & Jacob miſit me ad vos.* Ut enim ait Theophylactus in cap. 11. ad Hebr. Deos ob eximiam quorundam ſanctitatem tanti eos facit, ut cùm ſit Mundi totius Dominus ac Deus, & viſibilis, & inviſibilis, non erubeſcat peculiariter vocari eorum Deus: perinde quaſi ipſi omnibus creaturis ſint æquiparandi. Hebr. 11. 15. ait Apoſtolus: *Non confunditur Deus vocari Deus eorum*, egerat de Abel, Henoch, Noë, Abraham, Sara, & eorum poſteris.

Nota 3. David dicens: *Rex meus & Deus meus*, alloquitur Deitatem, non advertens primariò ad diverſitatem perſonarum: 1. Regem vocat, adorans ejus providentiam. 2. Deum, implorans bonitatem & liberalitatem: Deus à dando dicitur. Cajetanus notat in voce *Rex*, agi de iis, quæ ſpectant ad proprium regnum, & hoſtium dejectionem: in voce *Deus*, agi de pertinentibus ad cultum ejus ſacrum.

Nota tamen quartò, S. Cypr. lib. 2. cap. 29. in Orat. Domin. duo hæc, *Rex meus, Deus meus*, tribuere Chriſto. Cùm autem in præcedenti verſu vocem *Domine* inſtupaverit, in his tribus, *Dominus, Rex & Deus*, Trinitatem ſanctam conſiderant Patres: Et Regem de Filio, Deum de Patre, Dominum de Spiritu ſancto exponunt, S. Auguſt. Caſſiod. Gloſſa ordinaria, Haymo, Remig. & alii. Sed, ut dixi ſuprà, hæc omnia David Deo uni dicit, non attendens hoc loco perſonarum diſtinctionem.

Nota quintò, advertit S. Chryſoſtomus hoc loco non προσευχὴν, quæ *ſimplex oratio eſt, ſed δέησιν* poſitam, quæ ſupplicationem ac ſupplicem precationem deſignat, q. d. τοῦ δέοντος, id eſt, ejus, qui ſe agnoſcat egentem, & qui ſimul pavens petat, & Deum timeat: quem nonnulli, inter quos hoc in verſu Remigius è Græco δέος, *timor*, deducunt: ita ut Θεὸς dicatur quaſi timendus: ſic Jacob loquens Laban ſocero ſuo vocat Deum *timorem patris ſui Iſaac*, Geneſ. 31. 42. Paulus enumerans diſtinctè orationem, cum gratiarum actione & petitionibus, Philipp. 4. 6. primam Græcè vocat προσευχὴν: ſecundam δέησιν. Ubi putant, primam ad bonorum petitionem, ſecundam ſpectare ad deprecationem malorum. Legit in iſto Pſalmo S. Auguſt. *Intende voci obſecrationis meæ.* S. Hier. *Adverte ad vocem clamoris mei.* Hebr. vox ישוע *ſeva*, propriè clamorem ſignificat. Hinc fit, ut orationem quoque ſignificet, quæ cum clamore, gemitu & vociferatione eſt, ad opem implorandam. Hæc fermè Lorinus.

Sexta orationis bonæ conditio eſt, ut fiat rectâ intentione, unum Deum ſpectans, & ad idola ſe non convertens, ſicut decet creaturam ſe convertere

Verſ. 4. I. Pars. 11. 6. Oratio fiat cum bona intentione, ut creaturæ ad Creatorem.

ad Creatorem, verſ. 4. QUONIAM AD TE ORABO DOMINE. Ubi Beda: *Ego orabo non ad aurum, non ad argentum, non ad aliquid obtinendum, ſed ad te ſolum: ut te hæreditate habeam.* Ideò mortuus eſt Ochoſias Rex Iſraël filius Achab, quòd cùm cecidiſſet per cancellos cœnaculi ſui, (id eſt, per feneſtras cancellatas & reticulatas tabulati, ut ait Vatablus, aut per murum ſeu peribolum reticulatum & cancellatum ſolarii ſeu tecti, ut cenſet Sanctius) quod habebat in Samaria urbe regia, miſit nuntios ad Beelzebub Deum Accaron, quæ erat urbs Philiſthinorum, ad conſulendum, an eſſet convaliturus de illa infirmitate: ideò Eliam miſit Deus, qui occurrens illis nuntiis dixit, verſ. 3. *Numquid non eſt Deus in Iſraël, ut eatis ad conſulendum Beelzebub deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris*, ſicut accidit. Nota, omnes mundani in auro, argento, deliciis, honoribus ſpem ſuam reponentes conſulunt *Beelzebub*, id eſt, *Deum muſcam:* diligunt vanitatem, & quærunt mendacium: dicunt cum Ochozia: Ite, conſulite Beelzebub Deum Accaron, utrum vivere queam *de infirmitate mea hac:* per ipſam infirmitatem, & in infirmitate vires quærunt, ideò pereunt. Sept. vertunt: *Conſulite Baal muſcam.* Joſephus dicit, idolum illud vocatum eſſe Myodem: μυῖα enim ſignificat muſcam. Baal verò, Beel ac Bel, dominum ſeu Deum. S. Gregor. Nazianz. lib. 2. in Julian. ait, illud idolum efformatum fuiſſe inſtar muſcæ. Marius de Calaſio tom. 4. ait, eumdem dictum fuiſſe Beelphegor ſeu Priapum. Serarius ait, fuiſſe libidinie deum. Muſcarum aculeus, & importuna impudentia, carnis ſtimulum & importunam tentationem, etiam vel ipſo Abrahamo & Paulo muſcas in ſacrificio ſui ipſorum abigentibus, denotare poteſt. Philaſtrius hæreticis annumerat *Myolatras*, id eſt, *muſcæ adoratores:* ſed time, ne ſicut olim, Luciano teſte, lib. de ſacrificiis, *dæmones victimarum ſanguini muſcarum inſtar incubabant*, ita tuum exugant, & exſanguem te atque enervem perdant.

Chriſtus ad ſe nos trahat, ut magnes ferrum, & dicamus illi: *Ad te orabo Domine*, tu unus in omnes ſufficis, ait Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos:* ferro eſt & durior & gravior, qui has amoris voces non audit, iiſque ſe rapi non patitur. Salvian. lib. 4. de providentia: *Sicut illæ*, inquit, *naturæ admirabilis gemmæ ferunt, quæ ferro propius admotæ durissimum licèt chalybem affectu quaſi ſpirante ſuſpendunt: Ita etiam ille, ſumma & clariſſima regnorum cœleſtium gemma, hoc ſcilicet voluit, ut, dum ſcilicet duriſſimis nobis deſcendens è cœlo propius adjungeret, affectu ſuo nos quaſi amoris ſui manibus admoveret.* Nunc eſt exaltatus, omnia ad ſe ſurſum trahit.

Septima orationis bonæ conditio eſt, ut ſit perſe- 12. Sit perſeverans, velut clientis ad patronum
verans, ſicut clientis ad patronum. Quoniam ad te (Chald. coram te) *orabo* Domine. In verbo futuri temporis poſt orationem præcedentem, illius perſeverantia denotatur, ut S. Auguſt. & S. Thom. advertunt. Oratio perſeverans, & vis orationis perſeverantis optimè in Chananæa conſpicitur, Matt. 15. 22. & ſeq. Nam primò à finibus ſuis egreditur, & clamat: Miſerere mei Domine Fili David. Chriſtus verò non reſpondet ei verbum. Secundò, ad Apoſtolos accedit, & clamat poſt eos. Apoſtolis pro ea orantibus, ait Chriſtus: miſſum ſe eſſe ad oves tantùm, quæ perierunt, domûs Iſraël. Tertiò, nec ſic in via rejecta deſiſtit, ſed intrat domum cum Chriſto, & ad ejus pedes procidit opem implorans, ut Marcus notat, cap. 7. 2. ab eo ſpernitur, & canis vocatur. Quartò, non deſinit orare, ſed in numero canum ſe reponens, hanc gratiam pro filiæ ſanitate poſtulat, ut micam det de menſa Domini cadentem. Victus tandem Chriſtus exclamat, Matth. 15. ℣. 28. *O mulier! magna eſt fides tua, fiat tibi, ſicut vis:* nihil determinat, ad nihil reſtringit, in ejus voluntate ſuam omnipotentiam ponit. S. Chryſoſt. dicit, eam repulſam fuiſſe à Chriſto, *ut fulgente coronâ mulierum ornaret.* Decem virtutes in Chananææ oratione advertit Cornelius: 1. Humilitatem, quòd ſe canem agnoſcat. 2. Fidem, quòd Chriſtum vocet Filium David, id eſt, Meſſiam. 3. Modeſtiam, quòd jus canum & ſuam miſeriam proponit Chriſto, non tamen ex eo concluſionem inſerat, ut Chriſtus ſanet filiam, ſed hoc Chriſto faciendum relinquat. 4. Prudentiam, quâ Chriſtum verbis ſuis comprehendit, ex canum ſimili ab eo velut Domino poſtulata expectans. 5. Reverentiam, quòd genu flectit. 6 Reſignationem, quâ non dicit, ſana filiam, ſed tantùm *adjuva me*, eo ſcilicet modo, quo tibi placuerit. 7. Fiduciam, quâ Gentilis licèt, nempe Syrophœniſſa, ut ait Marcus, certò ſperavit, ſe à Chriſto exauditum iri. 8. Ardorem, quo clamavit ad Chriſtum. 9. Charitatem, quâ pro filia quaſi pro ſe ipſa ſollicita interceſſit, dicens: *Miſerere mei.* 10. Conſtantiam & perſeverantiam, quâ, licèt à Chriſto repulſa perſtitit, & vehementiùs orando inſtitit.

Octava denique orationis conditio eſt, ut ſit effi- Verſ. 4. II. Pars. 13. 8. Sit efficax.
cax. Si enim benè petat, procertò obtinebit, quod petit, aut aliquid melius, ſicut dixi Pſalmo præcedente. Unde addit hic David verſ. eod. 4. MANE EXAUDIES VOCEM MEAM. Hebr. Chald. Hier.

Domine manè audies vocem meam. Manè, id eſt, citò, ſicut explicat Dionyſius Carthuſ. vel manè, id eſt, matutino tempore, ſed in idem redit ſenſus, q.d. cùm orabo manè, non expectabis uſque ad meridiem, aut veſperam, ut me exaudias, ſed ſtatim ipſo tempore matutino id facies, Pſ. 45. 6. *Deus in in medio ejus* (civitatis Dei, id eſt, animæ ſanctæ, in qua eſt Deus Rex, & civium unitas) *non commovebitur, adjuvabit eam Deus manè diluculo.* Symm. circa diluculum. S. Hier. in ortu matutino. Græcè, in multis codicibus, τὸ πρὸς πρωὶ πρωὶ *ad mane mane.* Id eſt, valdè manè, valdè citò, quamprimùm, & ſic habet codex, quo utor. Alterius verſionis Græcæ meminit S. Ambr. S. Thom. S. Aug. S. Cyrill. & alii, *adjuvabit eam Deus,* τῷ προσώπῳ σου, *vultu ſuo.* Figura hujus rei ſunt mulieres *valde mane una ſabbathorum,* id eſt, primâ die Sabbathi ſeu hebdomadæ, nempè Dominicâ venientes ad monumentum, ut venientes ungerent JEſum, Marci 16. Et eum à mortuis ſuſcitatum ac fulgentem videntes, Matth. 28. 5. diebus feſtis ac dominicis oratio tua matutina Chriſtum in Euchariſtia adoret, ſe illi aperiet glorioſum. Tunc canent omnes tuæ potentiæ, Pſ. 89. 14. *Repleti ſumus* (Chald. ſatia nos) *manè miſericordia tuâ,* (ipsâ Euchariſtiâ & oleo inde fluente) *exultavimus, & delectati ſumus omnibus diebus noſtris:* Et cum Iſaia 33. 2. *Eſto brachium noſtrum in mane.* Hebr. in matutinis, id eſt, ſingulis diebus manè. Non brachium tantùm & robur erit oranti JEſus, ſed oculus & lux. Locum Pſal. 45. modò allatum, adjuvabit eam Deus manè diluculo, Apollinaris ſic reddit in paraphraſi: Ἐξ ἠοῦς ἐπίκουρον ἔχεις παντεπίσκοπον ὄμμα. *Ex aurora auxiliarem habes providum oculum.* Eſt Sol oriens & oculus Mundi, cui dicamus Pſ. 79. 4. *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.* Chald. *Splendeſcere fac Splendorem aſpectus jucunditatis tuæ ſuper nos, & redimemur:* eſt Redemptor noſter, luce ſuâ hoſtes tenebroſos, qui nos vinciunt, fugabit, & liberi erimus.

14. Tropol. Gratia eſt, matutinum tempus. Tropologicè. Manè exaudit Deus voces noſtras, id eſt, per illuſtrationem gratiæ, quæ eſt manè propter novem rationes. Primò, quia, ſicut manè latrones fugiunt, ſic in infuſione gratiæ fugiunt dæmones, Exod. 14. 24. *Jamque advenerat vigilia matutina,* (ultima noctis vigilia, cùm aurora incipit)
1. *Et ecce reſpiciens Dominus* (Angelus Dei vicarius) *ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum,* (partem exercitûs dejectis fulminibus & lapidibus ignitis) *& ſubvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Ægyptii:* (dæmones caliginoſi) *Fugiamus Iſraelem. Dominus enim pugnat pro eis contra nos.*

2. Secundò, quia manè ſe abſcondunt feræ, id eſt, cogitationes pravæ, Pſ. 103. 22. *Ortus eſt Sol, & congregati ſunt.* (S. Hier. oriente Sole recedent) *Et in cubilibus ſuis collocabuntur.* S. Hier. in ſpeluncis ſuis cubabunt.

3. Tertiò, ſicut manè alleviantur infirmitates; ſic in ortu gratiæ tentationes mitigantur, Job. 8. 5. *Si diluculo conſurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus. Si mundus & rectus inceſſeris, ſtatim evigilabit ad te.* Sept. exaudiet deprecationem tuam, *& pacatum reddet habitaculum juſtitiæ tuæ,* fugato bello nocturno, & dæmonio ambulante in tenebris.

4. Quartò, manè cantant aves, ita in ortu gratiæ anima ſanctificata. Deus ait Job. 38. 7. *Ubi eras cùm me laudarent ſimul* (unico conſenſu & concentu) *aſtra matutina,* ſtellæ matutinæ, ut vertit Pagn. & Arias. Stella matutina eſt, qui à nocte peccati tranſit ad lucem Chriſti.

5. Quintò, manè excitantur homines à ſomno corporis, Rom. 13. 11. *Hora eſt* (legis & gratiæ Chriſti) *jam nos de ſomno ſurgere.* Græcè ἐγερθῆναι, excitari de ſomno ſcilicet peccati. Ut enim ait S. Chryſoſt. hom. 62. ad populum Antioch. *Nemo dormit Solem cernens.* Et S. Auguſt. illud Pſal. 62. 1. explicans, *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo,* ſic loquitur: Illuminat animas Chriſtus, & facit eas vigilare. Unde Apoſtolus verſ. 12. addit: Nox præceſſit, &c.

Sextò, manè ſe accingunt homines operari, 6.
Cant. 7. 12. *Manè ſurgamus ad vineas, videamus, ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt.* Quod expendens Philo Carpathiorum Epiſc. ait: Dilucolum ſeu manè interpretatur beneficium Dei, quo anima à tenebris ignorantiæ Dei & cæcitate mentis, & à nocte delictorum, vocatur in admirabile lumen religionis & pietatis. Et tunc vult florere vineam, quando ex odore ſanctitatis, veræ fidei præbet argumenta, quæ quidem opera ſunt honeſta, juſta & ſancta. Fidelis enim Chriſtianus omnis ex operibus juſtitiæ, qualis ſit, agnoſcitur. Nam fides ſine operibus mortua eſt, ut corpus ſine anima: Ita Philo. Angelus excitavit Eliam dormientem, ut iter cœptum proſequeretur uſque ad montem Dei, 3 Reg. 19.

Septimò, manè homines egrediuntur è lectulis, 7.
id eſt, à carnalibus deſideriis, Cant. 3. 1. *In lectulo meo per noctem quæſivi, quem diligit anima mea: quæſivi illum, & non inveni. Surgam.* Philo mox citatus, ibi ait: eos, qui gravantur peccatis in anima, velut in lectulo dormire: idque in noctibus, hoc eſt, ſceleribus & tenebroſis deſideriis corporis & voluptatum: hos ſponſum quærere, & non invenire: quia tunc peccata dividunt inter Deum & hominem. Sed qui vult quærendo invenire, & inveniendo poſſidere, & poſſidendo frui, eum debere abſtrahere ſe ab omni cupiditate rerum humanarum: nihil niſi neceſſarium vitæ, idque bono modo & juſto, appetere, honores fugere, divitias aſpernari, curioſitates evitare, & quoad fieri poteſt, in meditatione futuræ vitæ & deſpectione præſentis commorari.

Octavò, manè gratiæ fugat tenebras ignorantiæ, 8.
Job. 17. 12. *Noctem verterunt in diem, & rurſus poſt tenebras ſpero lucem.*

Nonò, manè incipiunt homines præparare ne- 9.
ceſſaria ad prandium, Exod. 16. 21. *Colligebant autem manè ſinguli,* (ex manna è nubibus deciduo) *quantum ſufficere poterat ad veſcendum,* (gomor, ſeu chœnicem, id eſt, menſuram capientem id, quod ſufficit ad cibum unius diei) *cùmque incaluiſſet Sol, liqueſiebat.* Vigiles amat, & juvat Deus, ſomnolentos deſerit.

ARTICULUS II.

Matutina oratio eſt Deo acceptiſſima.

ORationis ſuæ qualitate expoſitâ, tempus illius aſſignat Propheta noſter, verſ. 5. MANE ASTA- Verſ. 5. I. Pars.
BO TIBI, ET VIDEBO, QUONIAM (quod) NON DEUS VOLENS INIQUITATEM TU ES.

Nota primò, pro *aſtabo*, Hebr. eſt אערך *eheroch*, id eſt, ordinabo, ſuo ordine diſponam. Unde Chald. vertit, *ordinabo coram te.* 2. Arias, diſponam tibi. 3. S. Hieron. Præparabor ad te, & Pagnin. Præparabo tibi: ſupple, me vel meam orationem: atque Vatablus, accommodo me tibi, vel ordino me ad te. 4. S. Cypr. de Orat. Domin. & lib. 2. cap. 29. aſſiſtam tibi: & Arabs, ut adſtem coram te in matutino, & videas me.

Nota 2. Manè aſtandum eſt Deo: Primò, ut 15. Manè aſtandum Deo:
Liberatori, & multarum gratiarum Donatori. Sic faciebat hoc loco David noſter, tum ut gratias ageret de obtentis beneficiis, tum ut nova poſtularet. 1. Velut gratiæ Datori.
Secundò, aſtabat Deo David ut amico, fiduciam capiens ex ſua innocentia & hoſtium ſe perſequentium crudelitate. Ita S. Hier. Dydimus & alii. Sic 2. Velut Amico.
Elias ait, 3 Reg. 17. 1. loquens Achab Regi Iſraël impio: *Vivit Dominus* (id eſt, juro per vitam Dei) *Deus Iſrael, in cujus conſpectu ſto.* Sept. coram quo aſtiti. Chald. ante quem miniſtro, *ſi erit annis his ros & pluvia* (ſi ponitur pro *non*) *niſi juxta oris mei verba.* Unde vides viri juſti fiduciam & poteſtatem, cùm Deo ſe præſentem ſiſtit, eumque intuetur.
Tertiò, aſtabat Deo David, ut litigans judici: hinc 3. Velut Judici.
Arias deduci vult ſimilitudinem, quòd qui in judiciis primum locum occupat, primus etiam auditur, maximè, ſi intento in judicem vultu, habitu & geſtu

hoc

hoc agit, quod cenſet denotari illis verbis, *& videbo*, ut Judicis oculos ac mentem ad ſe convertat.

4. Velut Regi.

Quartò, aſtabat Deo David, velut ſervus Domino, & ſubditus Regi, ad omne obſequium præparatus, Theodoretus, *excuſſo*, ait, *à palpebris ſomno*, ὡς βασιλεῖ καὶ δεσπότῃ, *tanquam Regi ac Domino adſto, deprecationem tibi offerens.* Hunc ſequuntur Remig. Lyranus & alii.

5. Velut Duci exercitûs.

Quintò denique, David aſtabat Deo, velut miles ſuo Imperatori, ejus ductu in hoſtes impetum facturus, & ejus prudentiâ ac fortitudine ab ipſorum multitudine & dolis ac furore liberandus. Et quidem Hebr. ערך *arach* eſt vox militaris, ac ſignificat ordinare aciem, militum ordines ad pugnam diſponere, militare. Sic Job. 6. 4. dicit: *Terrores Domini militant contra me*, id eſt, inſtar aciei ad prælium ordinatæ ſeſe mihi oſtentant, & in me irruunt. Ibi eſt verbum *arach:* ſicut Pſ. 49. 21. *Exiſtimâſti iniquè*, (Caſſiodorus, iniquitatem) *quòd ero tui ſimilis, arguam te, & ſtatuam* (teipſum peccatorem) *contra faciem tuam.* Pſalt. Ambroſian. ſive Gallicanum habet: *Statuam contra faciem tuam peccata tua*, velut aciem monſtrorum terrificam, omni telorum genere inſtructam, flammantes faces tenet luxuria, haſtam ira contorquet, arcum doloſum tenet ſeſe occultans Invidia, & ſic de aliis. Vide prudentiam in bello virtutum & vitiorum. Ab *arach* deducitur מערכה *maaracha*, acies, locus prælii atque ejus ordinatio, ut patet 1 Reg. 4. 2. ac ℣. 12. Vox Græca παραστῆναι, eſt etiam militaris, unde παραστάται dicuntur, qui latus alicujus cingunt armati ad eum protegendum & tutandum apud Herodotum & Xen. Item in prælio, ut ait Hermolaus, paraſtata nomen eſt officii, quoniam adjuncti ſunt proſtatis, hoc eſt, iis, qui præſunt cornibus: ſicut epiſtatæ, qui tertium in regendis his locum tenent. Vox etiam latina *adſtabo* eſt militaris: Unde *adſtites* dicti ſunt auxiliares milites ad pugnandum & defendendum.

Armatus itaque David ſummo manu in oratione ſe Deo ſiſtebat, Pſ. 100. 8. *In matutino* (S. Auguſt. Caſſiod. in matutinis. S. Hier. manè) *interficiebam omnes peccatores terræ*, motus omnes terrenæ concupiſcentiæ. Vide ibi dicta. Apoſtolus Rom. 13. 12.

Arma lucis ſumenda.

ait: *Nox præceſſit, dies autem* (legis gratiæ) *appropinquavit. Abjiciamus ergò opera tenebrarum, & induamur arma lucis*; id eſt, opera fidei, gratiæ & virtutum, quibus veluti armis contra hoſtes tres, Mundum, carnem, dæmonem bello tam offenſivo, quàm defenſivo depugnamus. ut ait Cornelius. Cenſet etiam Clemens Alex. lib. 4. Stromat. ſplendidiſſima & pulcherrima Dei præcepta vocari à Paulo arma lucis: cùm vellet, inquit, ſignificare nos, καθαροὺς καὶ λαμπροὺς *mundos & ſplendidos ad ſacrificia & precationes ire debere.* Hoc denotat ignis, qui in altaribus noſtris lucet, cùm ſacrificamus. Ephod ſeu Superhumerale Pontificis Judæorum non erat abſimile loricæ. S. Auguſt. hom. 42. nos exhortatur, ut ſymbolum Apoſtolorum quotidie dicamus, cùm ſurgimus, illudque vocat *veſtem animæ, quæ & tunica ſit, & lorica: 1. Tunica, contra confuſionem. 2. Lorica, contra adverſitatem.* Qui his orationis armis munitus egreditur domo, victoriam de

S. Simeonis factum notabile.

ſuis paſſionibus toto die obtinebit. S. Simeon Sales ſapienter ſtultus, ſæpè totâ nocte in matutinum uſque tempus perſeverabat in oratione, humum lacrymis rigans: & manè egrediebatur, ſecabatque vel frondes oleæ, vel herbas, & coronam ſibi texebat, eamque geſtabat, manu quoque tenebat ramum unum, & clamabat: *Victoriam Imperatori & civitati.* Dicebat autem civitatem, animam: Imperatorem, rationem, quæ mentis perturbationibus dominatur, ita Metaph. in vita. Toto die reliquo armatus incede per orationes jaculatorias, ut imparatus non invadaris ab hoſte. Seneca epiſt. 12. *Sic*, inquit, *ordinandus eſt dies omnis, tanquam cogat agmen, & conſummet atque expleat vitam.*

16. Aſtare Deo denotat

Symbolicè, vox *aſtandi* quatuor denotat, primò munditiem. 2. Erectionem. 3. Perſeverantiam. 4. Fiduciam & amorem.

1. Munditiem mentis.

Nam primò, qui ſtat, non jacet in terra, non volvitur in ejus luto ac pulvere, ſed pedibus terram premens toto corpore ab ea extat, ac veſtium munditiem ſervat, liberamque & puram auram captat. S. Auguſt. in Pſ. noſtr. *Aſtare*, inquit, *eſt non jacere, non terræ affigi, non terrenis voluptatibus incubare.* Sic ſtabant coram Deo Seraphini, Iſai. 6. 2. *Seraphim ſtabant ſuper illud:* nempe ſuper ſolium Dei excelſum & elevatum. *Seraphim* dicuntur, ait Cornelius, quaſi ardentes & incendentes, ob ſubſtantiam eorum: 1. *Puriſſimam* & maculæ omnis expertem. 2. Pervigilem. 3. Mirè excitatam. 4. Agilliſmam. 5. Vi atque efficaciâ ſingulari præditam. 6. Splendentem inſtar ignis. 7. Et maximè, ob charitatis ardorem. Hæc eſt calculus, quo tangunt labia Iſaiæ atque fidelium orantium, ut mundentur.

Secundò, qui ſtat, erectus eſt, ac ſitu erecto cœlum contemplatur, terram deſpicit, ad facienda ardua paratus & expeditus eſt, oculos habens in manibus Domini, ut, quò placuerit, evolet. Sic Cherubini Ezechielis ſtabant coram Deo, ejus ad

2. Contemplationem cœleſtium.

nutum ſtantes & volantes, cap. 1. 25. *Cùm fieret vox ſuper firmamentum*, (id eſt, cœlum ſphæricum, expanſum coloris aërei, diaphanum atque effulgens inſtar cryſtalli, quod ſuper currum Dei & capita Cherubinorum apparebat, & cui Dei thronus inſidebat, & Deus in throno) *quod erat ſuper caput eorum, ſtabant, & ſubmittebant alas:* extentas tamen retinendo & paratas ad volandum, ut patet verſu 11. ſed ſubmittunt, obedientiam ſuam teſtantes. S. Chryſoſt. *Aſtabo tibi, non loco, ſed factis, Quæ enim eſt ejuſmodi, ut prope Deum eſſe poteſt. Ut enim propè ſimus, vel procul, ex eo evenit: Deus enim eſt ubique.* Sic Sancti ſtant ante Deum in cœlo, Apoc. 7. 9 *Stantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis*, (corporibus mundis) *& palmæ in manibus eorum*, ob virtutum opera, quibus erecti ſtetêre victores tentationum. Sponſus ſponſæ ſuæ ait: Cant. 7. ℣. 7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ:* pro *ſtatura* Hebr. eſt קומה *Kuma*, id eſt, altitudo ſeu ſtatura erecta & excelſa. Statura porrò Sponſæ, id eſt, animæ Deo gratæ eſt, ut ait Honorius in Cant. *Perfectio virtutum*, quæ à primis fidei rudimentis cepit, & proficiendo creſcit in virum perfectum, id eſt, in omnimodam & abſolutam perfectionem.

Tertiò, ſitus ſtandi perſeverantiæ eſt ſymbolum: Aſtare, inquit Caſſiod. hîc, eſt ſemper aſſiſtere.

3. Perſeverantiam.

Per hoc autem verbum *devotionis continuitas* indicatur. Ille enim benè dicitur Deo aſtare, qui dignus poteſt ejus conſpectibus apparere. Ita ipſe. Sic ſtabat ille Angelus, Apoc. 10. 1. *Facies ejus erat ut Sol, & pedes ejus tanquam columna ignis.* Quàm firmæ eſſent illæ ac ſtabiles columnæ, ſubdit verſ. 2. *Et poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare*, (calcans adverſa, & immotus in tentatione ut tempeſtate) *ſiniſtrum autem ſuper terram*, calcans omnes delicias & proſperitates terrenas.

Quartò, qui ſtat coram aliquo conſtanter & perſeveranter aliquid petens, aut amat, aut ſperat. Sic

4. Spem & charitatem.

ſtabat Abraham coram Deo orans pro Sodoma & tota Pentapoli, cujus inſtans exitium audiverat, Geneſ. 18. 22. *Abraham verò adhuc ſtabat coram Domino*, in oratione, ut addit Chald. & patet ex toto reliquo capite, ubi iterata Abrahæ pro petentis oratio ponitur. Sic ſtetit Moyſes cum Deo in monte Sinai, Exod. 34. 5. *Cùmque deſcendiſſet* (in eum montem) *Dominus per nubem, ſtetit Moyſes cum eo, invocans nomen Domini:* id eſt, Dominum, quo tranſeunte dixit, ℣. 6. Dominator Domine, Deus miſericors, &c. Neque enim placet Cornelius, qui ea vult dicta ab ipſo Domino, id eſt, Angelo ejus vices tenente.

Tropol. Manè aſtat Deo, qui vitæ probitatem 17.

17. Tropol. Juvenes primi manè aſtant Deo.

ſectatur, & abſtrahit ſe à terrenis rebus in prima juventute. Ideò JEſus intuitus juvenem, qui dicebat ſe præcepta omnia obſervâſſe à juventute ſua, Marc. 10. 21. *dilexit eum*, & hortatus eſt eum, ut ſe venditis omnibus ſequeretur; ſed qui ſteterat, ſequi noluit: ſunt enim conſilia difficiliora præceptis. Saltem ita ſta, ut non jaceas in luto, S. Auguſt. in Pſ. noſtr. *Aſtabo, quid eſt, niſi non jacebo? Quid eſt autem aliud jacere, niſi in terra quieſcere, quod eſt*

eſt in terrenis voluptatibus beatitudinem quærere? Aſtabo, inquit, & videbo. Non eſt ergò inhærendum terrenis, ſi volumus Deum videre, qui mundo corde conſpicitur.

18. Anagog. Manè perpetuum eſt æternitas beata.

Anagogicè. *Manè aſtat Deo*, qui ei in æternitate aſtat, eum videns facie ad faciem: ibi enim eſt manè perpetuum, die non inclinante in veſperam. Ita S. Thomas & Remigius. Sol Jeruſalem cœleſtia, nempe Chriſtus, ſemper ſtat, Apoc. 21. 23. *Civitas non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminat eam, & lucerna ejus eſt Agnus, & ambulabunt gentes in lumine ejus.*

19. Matutin. oratio eſt utilis ob 6. rationes.

1. Ad gratias agendas de nocte tranſacta.

Moraliter nota, utiliſſimam eſſe orationem matutinam, propter ſex rationes. Primò, quia nocte exactâ gratiæ ſunt Deo referendæ de bonis acceptis & incommodis evitatis, atque quòd Deus diem nobis concedat ad operandum, Pſ. 58. ℣. 17. *Exultabo manè* (exultans laudabo) *miſericordiam tuam.* S. Hilar. Pſalter. Gallican. & Caſſiodor. *Exaltabo.* Hebr. ארנן *arannen*, clarâ voce & cum jubilatione laudabo. S. Ambroſius ſerm. 43. id dat præcepti. Cùm, ait, diluculo ſurgimus, debemus, priuſquam procedamus è cubiculo, gratias agere Salvatori, & ante omnes actus ſæculi, actus habere pietatis, qui nos quieſcentes & dormientes in lectulis cuſtodivit. Quis enim niſi Deus dormientem cuſtodit hominem? Qui ita reſolutus in ſomnum, & oblitus ſui vigoris humani, à ſe alienus efficitur, ut neſciat, quid ipſe ſit, ubinam demoretur, adeſſe ſibi ipſe certè non poſſit. Ita ipſe.

2. Ad peccata, ſi quæ acciderunt, expianda.

Secundò: Matutina oratio prodeſt ad expiandas illuſiones nocturnas, ad fuganda è memoria & imaginatione inſomnia, & labes contractas eluendas, tenebraſque mentis effugandas, Amos 5. 8. *Quærite Dominum convertentem in manè tenebras:* tum corporeas, tum ſpiritales. Pagnin. vertit: *Qui convertit in manè umbram mortis.* Eſt JEſus Sol oriens, Zachar. 3. 8. *Ecce ego adducam ſervum meum orientem.* Hebr. צמח *ſemach*, germen, ſolare ſcilicet. Huic fac, quod veteres Ethnici Soli, ut refert Sophoclis interpres: *Mos*, ait, *veteribus, ut viſo aliquo gravi inſomnio, ſtatim ſummo manè illud Soli narrent: ut is, qui contrarius eſt nocti, ἀποτρέπῃ ἐργάσηται τοῦτο*, infortunium averruncaret.

3. Ut bona opera totâ die fiant.

Tertiò: Matutina oratio eſt optima ſementis, ut toto die opera bona feliciter germinent, Ecclæ. 11. 6. *Manè ſemina ſemen tuum.* 2. Matutina oratio poteſt dici cum ſancto Chryſoſtomo reliquorum diurnorum operum, *καλὸν θεμέλιον*, bonum fundamentum. 3. Eſt omen proſperum frequentium actionum. Appian. lib. 5. bellorum refert: cùm exercitui Romano exeunti è caſtris Æthiops occurriſſet, ſubitò à militibus fuiſſe interfectum, velut *οἰώνισμα φαῦλον, inauſpicatum prodigium.* Nobis primò manè ſemper occurrat Deus, hunc Solem primum intueamur. Tyrius quidam ſervus, Stratonis heri ſui induſtriâ orientem Solem primus intuitus eſt, ac Rex acclamatus. Viciſſim ſervi ſui commento Darius Rex Perſarum eſt renunciatus, quòd equus ejus ad aſpectum Solis, quem pro Deo colebant, primus adhinniſſet.

Stratonis induſtria dat regnum ſervo ſuo.

4. Ut muniat contra tentationes diurnas.

Quartò: Matutina oratio fugat peccata totius diei, lucem invehens, Cant. 6. 9. de Anima proficiente in virtutibus dicitur: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur* (de virtute in virtutem: Pagn. quæ videtur) *quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol.* Aurora eſt initium lucis, Luna eſt quoddam ejus incrementum: Sol verò eſt lucis plenitudo. Sanctus Greg. in Cant. Sunt, ait, nonnulli, qui, dum ſe peccaſſe cognoſcunt, & per hoc ire ad tormenta pertimeſcunt, ſubitò tenebras iniquitatis derelinquunt, & luce juſtitiæ accendi concupiſcunt: mox ad ſanctam operationem conſurgunt, & per bona, quæ faciunt, clarere quibuſque proximis incipiunt. Hi procul dubio velut aurora conſurgentes progrediuntur, quia ſubitò noctem peccati evacuantes, ad lucem magis ac magis dilatantur. Sic anima, quæ priùs erat in tenebris, nunc ſplendens apparet, & quæ etiam in ſemetipſa obſcurabatur, nunc aliis lumine ſanctæ operationis reſplendet. Ita Greg. Quæ deinde ait, eam animam fieri Lunam, dum exemplum boni operis præbet peccatoribus: Solem verò, cùm in juſtitia creſcens ipſis Sanctis lucet, eoſque ſuis virtutibus permovet.

Quòd autem ad hoc juvet oratio manè facta, docet S. Ephrem. ſerm. de orando Deo: *Si*, inquit, *orationem operi præmiſeris, & ſurgens è lecto primorum motuum tuorum initia ab oratione duxeris, aditus peccato in animam non patebit.* Hoc deinde declarat inductione, & per orationem virtutes acquiri & conſervari oſtendit, ait enim: *Oratio temperantiæ eſt cuſtodia, iracundiæ frænum, animi elati repreſſio, & ad modeſtiam revocatio, odii ob acceptas injurias medicina, invidiæ deſtructio, impietatis correctio. Oratio corporum robur, rei familiaris adminiſtratio, recta juris legumque conſtitutio, regni potentia, trophæum atque vexillum belli, tutela pacis. Oratio virginitatis ſigillum eſt, fides nuptiarum, &c.* Si vel hoſtes irruant, tutabitur nos oratio matutina ſuppeditans arma. S. Chryſoſt. hom. 41. ad popul. Antioch. *Armis*, inquit, *nobis opus eſt: Magna verò armatura oratio; opus eſt ventis a puppi, opus omnia diſcere, ut diei ſpatium abſque naufragiis & vulneribus tranſigamus. Multi namque per dies ſingulos ſcopuli, & frequenter illiditur ſcapha, atque ſubmergitur: propterea nobis opus eſt oratione, matutina præſertim & nocturna.* Hæc Chryſoſtomus.

Quintò: Oratio matutina eſt oblatio primitiarum totius diei Deo gratiſſima, Exod. 35. 5. *Separate apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino: aurum & argentum, & æs, hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum, &c.* Agit de iis, quæ erant offerenda ad fabricationem & ornatum tabernaculi: per hæc autem ſignari poſſunt variæ virtutes, quibus templum animæ eſt decorandum in oratione. S. Franciſci ſocius B. Ægidius dicebat: Si gratiam in precibus ſentis, ora, ut augeatur: ſi non ſentis, ne ceſſes idcircò à precibus: gratos enim habuit Deus etiam caprarum pilos, qui ei juxta præceptum legis offerebantur. Ita ipſe. Exod. autem 23. 19. præcipitur. *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui.* Hoc adapta Miſſæ quotidie audiendæ.

20. 5. Eſt oblatio primitiarum.

B. Ægidii prudens admonitio.

Non tantùm primitiæ frugum, ſed etiam animalium primogenita Deo offerebantur, Exod. 13. 12. *Separabis* (Hebr. *haabarta*, hoc eſt, tranſire facies ad Deum ſcilicet, illi offerendo) *omne, quod aperit vulvam, Domino, & quod primitivum eſt in pecoribus* (capris, ovibus, & bobus. Hebr. enim *behema*, hæc omnia includit) *tuis.* Gloſſa ibi exponit, eſſe offerenda Deo primordia bonorum operum. Et S. Ambr. lib. 3. de Virgin. ait: *Primitias vigiliarum tuarum Chriſto dicato, primitias actuum tuorum Chriſto immola.* Et in Pſ. 118. ſerm. 19. Grave eſt, inquit, ſi te otioſum in ſtratis radius Solis orientis inverecundo pudore conveniat, & lux clara feriat oculos ſomnolento adhuc torpore depreſſos. Arguit nos tanti temporis ſpatium, ſine ullius devotionis munere, ac ſacrificii ſpiritalis oblatione feriata tranſmiſſum. An neſcis, ô homo! quòd primitias tui cordis ac vocis quotidie Deo debeas? Quotidiana tibi meſſis, quotidianus eſt fructus. Occurre ergò ad Solis ortus, ut te oriens inveniat jam paratum. Ita Ambroſius.

Propheta noſter ait Pſalm. 87. 14. *Manè oratio mea præveniet te*, id eſt, præcedet omnia dona, quæ mihi toto die daturus es, q. d. ſummo manè orabo te, ut bonis tuis me in diei decurſu cumules, Sap. 16. 28. *Oportet prævenire Solem ad benedictionem tuam. Et ad ortum lucis te adorare.* S. Nilus hanc eſſe perfectam orationem docet de Oratione, c. 121. *Hic orat, qui primordia cogitationum & notitiarum mentis ſuæ Deo dedicat.* Ab illa oratione benedictionem Dei oriri tradit S. Gregorius Nyſſenus orat. de ſcopo Chriſtiani: ait enim in memoriam revocandum eſſe, Abrahamum benedictione Melchiſedecis lætum & mirabiliùs excitatum fuiſſe, quod non conſecutus eſſet, niſi priùs *ἀπαρχὰς καὶ τὰ ἐξαίρετα, primitias & præcipua Dei*, Sacerdoti obtuliſſet, *ἐξαίρετα* autem ait dici, *ἀκροθίνια τῶν ὑπαρχόντων*, *primitias*

tias manubiarum, hoc eſt, inquit, *animam ipſam atque mentem:* ſicque nobis figurari & præcipi, non anguſtè nec ſordidè, ſed ultro & copioſè, laudationes atque preces ſummo manè Deo ſacrificare.

5. *A holocauſtum.* Oblationem hanc matutinam holocauſtum vocat Caſſianus, collat. 21. cap. 26. Cùm, inquit, expergefacti à ſomno, & quaſi redivivâ poſt ſoporem alacritate ſurgentes, priuſquam motum ſenſûs ullius corde concipiant, vel memoriam aut curam rei familiaris admittant, *cogitationum ſuarum ortus atque principia divinis conſecrant holocauſtis: quid niſi primitias fructuum ſuorum, per ſummum Sacerdotem JESUM Chriſtum, pro uſu vitæ hujus, & imagine quotidianæ reſurrectionis exolvunt?* Singulas deinde holocauſti partes expendit, ac primùm in lingua. Qui, inquit, à ſomno excitati *hoſtiam jubilationis ſuæ* Deo ſimiliter offerentes, primo linguæ ſuæ moto ipſum invocant, ipſius nomen laudeſque concelebrant, atque ad canendos ei hymnos, primò labiorum clauſtra reſerantes, *immolant Deo ſui oris officia.* Secundò, oblationem manuum & pedum declarat. Cui, ait, etiam pari deferunt modo, *prima manuum greſſuumque Libamina*, cùm è cubilibus conſurgentes, in oratione conſiſtunt, & priuſquam in propriis cauſis membrorum ſuorum fungantur officio, nihil ſibi de miniſterio eorum antè decerpunt, ſed ad ipſius honorem promovent greſſum, atque in ejus laudatione defigunt, & ita *cunctorum motuum ſuorum primitias* protenſione manuum, incurvatione genuum, & totius corporis proſtratione perſolvunt. Concludit deinde paucis interpoſitis: *Idcircò ſi placitas & acceptabiles Deo primitias ex fructibus noſtræ mentis optamus offerre, non mediocrem ſollicitudinem debemus impendere, ut omnes noſtri corporis ſenſus, matutinis præcipuè horis, tanquam ſacroſancta Domini holocauſta, ut omnibus illibata atque intacta ſervemus.* Docet quoque, dæmones primitias illas diei ambire. Suggeſtiones, ait, ſubtiliſſimas inimicus nobis adhuc quieſcentibus, ac ſopore demerſis, per phantaſias inanium ſomniorum auferre conatur, quibus nos mox evigilaturos occupet & involvat, ut *primitiarum noſtra opima deflorans primus ipſe decerpat.* Hactenus Caſſianus.

21. 6. *Optata obtinet oratio matutina.* Sextò denique, ut jam art. præced. vidimus, oratio matutina exauditur: *Manè exaudies vocem meam.* Vide ibi dicta, in fine. Adde, textus Arab. cauſam exauditionis oſtendit eſſe, quòd manè fiat: *Quia ad te orabo in matutinis meis, audi, ô Domine mi! orationem meam.* Manè Deus dabat manna Iſraëlitis in deſerto, Exod. 16. 13. *Manè ros jacuit per circuitum caſtrorum.* Ros vocatur manna, quòd rori & cryſtallinæ guttæ in Coriandri ſeminis formam conglobatæ eſſet ſimile, ut docet Philo, Joſephus & S. Gregorius Nyſſenus. Id autem manè cecidiſſe ait Salomon, Sap. 16. 28. *Ut notum omnibus eſſet, quoniam oportet prævenire Solem ad benedictionem tuam*, (activè, id eſt, ut te laudemus. Græc. ἐπ' εὐχαριστίαν σου, id eſt, in agendis gratiis tibi, ut vertit Holkot. 2. Paſſivè, ut à te benedicamur, *& ad ortum lucis te adorare.* Græce ἐντυγχάνειν σοι, *occurrere tibi*, ut idem reddit. Statim, ut evigilamus, Deus venit ad nos, & gratiam ſuam offert, venienti occurrendum eſt. Noſter etiam interpres rectè habet, *adorare te.* Nam ἐντυγχάνω cum dativo perſonæ ſignificat adire, convenire, colloqui, & ſic uſurpat Plato, & ipſe Paulus Rom. 11. 2. *Elias interpellat Deum*, ἐντυγχάνει τῷ Θεῷ.

Eas igitur ob cauſas Rex noſter ait: *Manè aſtabo tibi.* Et Pſal. 118. 147. *Prævent in maturitate, & clamavi.* Hebr. נשף *neſeph*, id eſt: 1. *In crepuſculo*, ut Pagn. & Arias vertunt. Crepuſculum autem matutinum eſt lux dubia, quæ fit ante Solis ortum, cùm aurora incipit tenebras fugare. 2. S. Hier. *in tenebris*. Id eſt, antequam ſit lux perfecta, Pſalt. vetus, *intempeſtâ nocte.* Septuag. ἐν ἀωρίᾳ, id eſt, ante horas, ante tempus, ut S. Ambroſius exponit, q. d. ante tempus, quo homines laborare, & ad opera ſua diſcurrere ſolent. S. Auguſt. *in immaturitate*, q. d. cùm necdum tempus eſt maturum ad omnia, præveni & clamavi: præveni omnes homines & res, quibus animus occupari poſſet. 2. Præveni etiam tentationes dæmonis. 3. Præveni ipſa Dei beneficia, indignum cenſens ipſis frui ante orationem. 4. Præveni præſertim Solem & ejus lucem. Notabile eſt, quod refert de Carolo V. Imp. Surius in commentario, 1558. Carolus V. quotidiè, ait, ſuas *manè horas canonicas*, ut vocant, legebat, *Carolus V. diu orabat.* eaſque ita extendebat, ut bis tantum ferè, quantum Presbyteri, ſemper manè legerit. A cœna ſemper redibat ad longiſſimas preces ſuas, quæ duarum plerumque erant horarum, ſicut & matutinæ. Et hinc tanta illi in rebus gerendis felicitas, inſignes victoriæ: adeò ut ob multa fortiſſimè geſta, Galli eum Herculi, Germani Carolo Magno, Itali Davidi, Siculi Africano, Hiſpani Alexandro Magno, Turcæ Julio Cæſari, Afri Hannibali compararent. Plurimi de eo dicebant, Carolus ſæpiùs cum Deo, quàm cum hominibus loquitur. In ſingulas bellorum expeditiones, novas ſibi preces ipſe & componebat, & ſuâ manu conſcribebat, quæ prolixitate ferè æquarent ſeptem illos Pſalmos uſitatiſſimos, eaſque priùs examinandas dabat ſuis confeſſariis, & ab eis approbatas quotidie etiam in agmine & acie dicebat: & nonnunquam ab agmine ſecedebat, ut prolixiùs & ferventiùs oraret: Ita Surius. De pietate Regum noſtrorum dicam fuſiùs ex inſtituto Pſ. 19. & 20. ac 21. Veteres Chriſtiani matutinas *Chriſtianorum primorum preces matutinæ.* Deo orationes fundebant. Tertull. in Apolog. cap. 2. *Plinius Secundus*, inquit, *cùm provinciam regeret damnatis quibuſdam Chriſtianis, quibuſdam gradu pulſis, ipsâ tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, conſuluit tunc Trajanum Imper. Allegans præter obſtinationem non ſacrificandi, nihil aliud ſe de ſacris eorum comperiſſe, quam cœtus antelucanos ad canendum Chriſto & Deo ad confœderandam diſciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera ſcelera prohibentes.* Trajanus tunc vetuit illos quæri. Judæis præceperat Deus ſacrificium matutinum, Exod. 29. 38. & 39. *Hoc eſt, quod facies in altari: Agnos anniculos duos per ſingulos dies jugiter. Unum agnum manè, & alterum veſpere.* Perſæ Solem orientem quotidie adorabant. Procopius lib. 1. de bello Perſico narrat Peroſam eorum Regem, Euthalitarum inſidiis circumventum fuiſſe: eique capto has ſalutis expediendæ, & libertatis adipiſcendæ leges Regem Euthalitarum tuliſſe, ut ſe tanquam Dominum adoraret, fidemque jurejurando ſolemni daret, Perſas non ampliùs eum bello perſecuturos. Qua de re Magos, quos in comitatu habebat, conſuluit. Illi autem ei reſponderunt: quòd ad jusjurandum attineret, liberum ei eſſe facere, quod vellet; at, quòd adorationem ſpectaret, aſtu dolóque fallendum hoſtem; *eſſe enim Perſis legem*, τὰς ἡλίου ἀνατολὰς προσκυνεῖν, *Solem orientem ſingulis diebus venerari.* Eam ob rem tempus hac in re obſervandum eſſe, ut manè Regem Euthalitarum conveniret, ac tum ad Solem orientem converſos eum adoraret: atque hoc modo more ſervato, facti ignominiam eum vitaturum: ſicque hâc fallaciâ evaſit Peroſas.

Monet nos ad manè orandum, præter utilitatem noſtram, primò galli vigilantia Deum ſuo cantu in aurora prima adorantis. Job ideò vocat gallum intelligentem, cap. 38. 36. *Quis dedit gallo intelligentiam?* Plin. lib. 10. c. 21. vocat gallos vigiles nocturnos, qui quartâ caſtrenſi vigiliâ ad curas laboreſque revocant, nec Solis ortum incautis patiuntur obrepere. S. Chryſologus eam nobis vigilantiam ob oculos ponit, ſerm. 21. *Vigila homo*, inquit, *vigila, habes exemplum, ut, quod tibi gallus impendit hoſpiti, tu tuo exhibeas Creatori, præſertim cùm tibi ille inſonat profuturus, cùm te ad opus ſuſcitat, cùm diem nuntiat jam vicinum: quantò magis hymnis cœleſtibus te Deum de ſuperna ſede tuam ſuſcitare convenit in ſalutem.* 22. *Ad matutinam orationem incitamur: 1. Galli vigilantiâ & cantu.*

Secundò: Stellarum adhuc in primo crepuſculo lucentium nos ad Deum laudandum hortatur chorus. Deus à Jobo petit, cap. 38. 7. *Ubi eras, cùm me laudarent aſtra matutina?* Id eſt, initio Mundi facta: A te verò poſtulat, ubi es, cùm me quotidie *2. Stellarum luce.*

laudant

laudant aſtra matutina? Ubi eſt? In lecto, in deliciis, in otio & torpore. S. Chryſoſt. hom. 42. ad popul. *Vide, ait, ſtellarum choream, altum ſilentium, multam quietem, Domino tui diſpenſationem admirare. Anima tunc eſt purior, levior, & ſubtilior, magis ſublimis & agilis. Ipſæ tenebræ, multumque ſilentium ad compunctionem inducere poſſunt. Si vero cælum reſpexeris, ſideribus tanquam innumeris oculis diſtinctum: ſi cogitaveris, quod interdiu clamantes, ridentes, laſcivientes, ſalientes, inferentes injuriam, opprimentes, minantes, intentantes innumera mala, nunc hi nihil à mortuis differunt, omnem humanam damnabis inſolentiam.* Stellæ tuæ ſunt oculi tui, tum corporis, tum animi. Dic cum Propheta & vidente noſtro Pſ. 118. 148. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* S. Hieron. præveniebant oculi mei vigilias, artificum ſcilicet, qui ſummo manè ſurgunt ad ſua opera. Sic Demoſthenes eos præveniebat ad ſtudendum: Accedit Deus ad vigiles, Job 8. 6. & 7. Si diluculo conſurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus, *ſtatim evigilabit ad te*, (Sept. deprecationem exaudiet tuam) *& pacatam reddet habitaculum juſtitiæ tuæ*, id eſt habitaculum tuum juſtum, domum tuam ſanctam, & piam faciet pacatam, eam pace, felicitate, & bonis omnibus cumulabit.

3. Solis orientis fulgore. Tertiò denique Solis orientis radii terris infuſi te ad Dei laudem excitant, Eccli. 43. 2. *Sol in aſpectu* (in ortu ſuo, cùm terras aſpicere incipit) *annuncians in exitu* (in egreſſu ex alio hemiſphærio, in ſua aurora) *vas admirabile opus excelſi*: annunciat autem Sol oriens hominibus, ut Deum laudent. Unde Arabicus textus habet: *Creavit Solem, ut eo illuminentur, & glorificent eum patres: admiratio (eſt) ars Excelſi.* Memnonis ſtatua ſtatim atque Solis radio tangebatur, voces edebat: Dionyſius Thrax lib. 3. diæreſ. *Antiquorum, ait, templa.* ἥλιον ὑπερευχόμενα ἐυθὺς ὑποδέχεσθαι ἐιώθεισαν, *ſtatim orientem Solem ſolebant excipere, & ſtatim orto lumine feneſtris ac foribus patefactis repleri, ubi ſacrificia fiebant.* Apollonii interpres lib. 1. Argonaut. *Diis*, inquit, *manibus ſacra fiunt, Sole obeunte:* ὀυρανίοις ὑπὸ τὴν ἕω ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου: *Cæleſtibus mane Sole oriente.* Populi præſertim qui ſub polis habitant, quòd longiores habeant dies, & noctes, magna feſtivitate adventum Solis celebrant.

Conclude igitur cum Rege noſtro: *Mane aſtabo tibi, & videbo.* Tunc Sol mentis & corporis oritur. Sap. 6. 15. de ſapientia dicitur: *Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit* (ad eam requirendam) *aſſidentem enim illam foribus ſuis inveniet:* ut ſcilicet venientes excipiat, iiſque ſe tradat. Et ipſa dicit Prov. 8. 17. *Ego diligentes me diligo: & qui manè vigilant ad me, invenient me.* Complut. invenient gratiam. S. Ignatius in epiſt. ad Mariam Caſſabolitem, *invenient pacem:* id eſt, felicitatem, proſperitatem, perfectionem, bona omnia. Contrà verò, qui ad eam non vigilaverint, invenient bellum & miſerias. Nimius ſomnus bella inteſtina, & gravia commovet. De ſurrectione & oratione matutina lege noſtrum Joan. Suffren. tom. 1. part. 2. cap. 1.

ARTICULUS III.

Oratio detegit odium Dei in omnes peccatores, præſertim in mendaces ac doloſos.

Verſ. 5. 1. Para. PRimo articulo qualitates varias bonæ orationis vidimus; in ſecundo, tempus ejus commodiſſimum. Nunc ejus cauſam efficientem videamus: nempe contemplationem divinæ ſanctitatis, omne peccatum, & peccatorem averſantis. Verſ. 5. ET VIDEBO, QUONIAM (quòd) NON DEUS VOLENS INIQUITATEM TU ES.

23. Contemplatio Dei ſit attenta & ſedula. Nota primò, *pro videbo*, Hebraicè eſt אצפה *aſaſſe*, ſpeculabor, ut vertit Pagn. Arias, Varabl. Cajet. Muiſius, & alii. Aquila, σκοπεύσω, id eſt, ſpeculabor, diſpiciam, intuebor. Sept. ἐπόψομαι, *introſpiciam*, denotat ſpeculationem attentam, penetrantem, intima quædam pervadentem, myſteria altiſſima cognoſcentem, ac Dei ipſius naturam, eſſentiam, & attributa. S. Auguſt. tract. 34. in Joan. & 1. de Trinit. cap 8. S. Cyprian. de orat. Domin. & lib. 2. cap. 29. S. Hieron. hic vertunt: *Contemplabor.* Pſalterium Æthiopicum: *Contemplabor te.* Contemplatio autem, eſt conſideratio ſeu meditatio rerum occultiorum, ut ait Tullius 4. de finibus, ſed perfectiſſima eſt illa quæ in Deo conſiderando & inſpiciendo occupatur. S. Thom. 2. 2. quæſt. 180. art. 4. Principaliter ad vitam contemplativam pertinet contemplatio divinæ veritatis: quia hujuſmodi contemplatio eſt finis totius humanæ vitæ. Unde S. Auguſt. dicit in primo de Trinit. cap. 8 circa med. tom 3. quòd contemplatio Dei promittitur nobis, ut actionum omnium finis atque æterna perfectio gaudiorum: quæ quidem in futura vita erit perfecta, quando videbimus Deum facie ad faciem, unde & perfectè beatos faciet. Nunc autem contemplatio divinæ veritatis competit nobis imperfectè, videlicet per ſpeculum & in ænigmate. Unde per eam fit nobis quædam inchoatio beatitudinis, quæ hic incipit, ut in futuro continuetur. Unde & Philoſophus in lib. 10. Ethic. cap. 6. 7. & 8. tom. 5. in contemplatione optimi intelligibilis ponit ultimam felicitatem hominis. Sed quia per divinos effectus in Dei contemplationem manuducimur, ſecundùm illud ad Rom. 1. Invisibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: inde eſt quòd etiam contemplatio divinorum effectuum ſecundariò ad vitam contemplativam pertinet, prout ſcilicet ex hoc manuducitur homo in Dei cognitionem. Unde S. Auguſt. dicit in lib. de vera relig. cap. 29. parum à princip. tom. 1. quòd in creaturarum conſideratione non vana & peritura curioſitas eſt exercenda, ſed gradus ad immortalia & ſemper permanentia faciendus. Richardus à S. Victore lib. 1. de contempl. cap. 6. ſex ſpecies contemplationum diſtinguit. Quarum prima eſt ſecundum ſolam imaginationem, dum attendimus res corporales. Secunda autem eſt in imaginatione ſecundùm rationem, prout ſcilicet ſenſibilium ordinem & diſpoſitionem conſideramus. Tertia eſt in ratione ſecundùm imaginationem, quando ſcilicet per inſpectionem rerum viſibilium ad inviſibilia ſublevamur. Quarta autem eſt in ratione ſecundùm rationem, quando ſcilicet animus intendit inviſibilibus, quæ imaginatio non novit. Quinta autem eſt ſupra rationem, quando ex divina revelatione cognoſcimus ea, quæ humanâ ratione comprehendi non poſſunt. Sexta autem eſt ſupra rationem, & præter rationem: quando ſcilicet ex divina illuminatione cognoſcimus ea, quæ humanæ rationi repugnare videntur: ſicut ea, quæ dicuntur de myſterio Trinitatis. Vide dicta Pſal. 115. 2. *Ego dixi in exceſſu meo*, (Pſalterium vetus, S. Auguſt. S. Proſper, *in extaſi mea.* Sept. ἐν τῇ ἐκστάσει μου) *omnis homo mendax.* Ibi non pauca & de contemplatione & de variis nominibus ejus reperies.

Nota ſecundò: S. Baſil. Theodoretus, Euthymius, Complut. Regia, & varii codices Græci, habent, ἐπόψει με, id eſt, videbis me: ut ſcilicet me in tribulatione poſitum, & à Saule ad necem ſine ulla cauſa quæſitum, juves. q. d. Mane aſtabo tibi, tuque faciem à me non avertes, ſed ridentibus oculis & faventi benignoque vultu me aſpicies, radiis tuis collectum tot ærumnis dolorem abſtergens, & opem appromittens. Sed melius emendati codices habent ἐπόψομαι, aſpiciam, intuebor, contemplabor, intrò & intima aſpiciam: cor ipſum divinum, & amorem, propter quem affligi me patitur, & quo me liberabit, videbo.

Quæres: Quænam manè aſtans Deo videbat David? Primò, Valentia, cùm dicitur: *Manè aſtabo tibi, & videbo*, putat agi de viſione myſteriorum novæ legis. Secondò, S. Hier. S. Aug. S. Greg. lib. 16. mor. cap. 27. & lib. 23. cap. 21. putant mentionem fieri viſionis & contemplationis beatitudinis. *Non eſt adhærendum torrentis*, ait S. Auguſt. *Si volumus Deum videre, qui mundo corde conſpicitur.* 24. David manè aſtans Deo, videbat Primò, myſteria legis gratiæ.

Tertiò: Gajetanus vult denotari perſpicacem notitiam rerum agendarum, quibus Deo ſervitur

2. Suavitatem beatitudinis. 3. Rerum agendarum vaticinationem.

cum cauta quadam cura & exercitatione, qualis eſt illius, qui de ſpecula proſpectat. Et quidem Hebr. צפה ſapha, ſeu ſapa, unde & ſpeculor deducitur, ſignificat non tantùm ſpeculari, intueri, contemplari, aſpicere, proſpicere: ſed etiam expectare & ſperare. Sic Michæas Propheta dicit cap. 7. 7. *Ego autem ad Dominum aſpiciam.* (Hebr. *aſaffe*, in Domino ſpeculabor, ut vertit Arias: Dominum expectabo, ut Pagn.) Unde magis explicans, ſubdit: *Expectabo Deum Salvatorem meum*, id eſt, qui me à captivitate Babylonica liberet: loquitur enim in perſona Jeruſalem, ut ait S. Hieron. & Rupertus. 2. Alleg. Salvatorem intelligit, JEſum.

4. Efficaciam orationis. 5. Et germinè, Dei ſummum odium in peccata.

Quartò, *videbo*, id eſt, certò ſperabo meam orationem eſſe exaudiendam, & hoſtes meos puniendos eſſe: ita R. Salomon & Lyranus.

Quintò denique, & optimè, Cajetan. Bellarm. Titelm. Dionyſ. Carthuſ. & alii: *Videbo*, id quod ſequitur: nempe, quòd non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit juxta te malignus, &c. Unde vidit, & ſibi eſſe vacandum pietati, & hoſtes ſuos injuſtos à Deo eſſe proterendos.

Materia itaque contemplationis Prophetæ noſtri fuit Dei ſumma ſanctitas & bonitas, quâ deteſtatur omne vitium & vitioſos, verſ. eod. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

Verſ. 5. 3. Pars.

25. Deus non vult peccata, quomodo?

Nota, non dicitur, quòd Deus ſit nolens iniquitatem: quia, cùm ſit omnipotens, ſi efficaciter nollet eſſe ullum peccatum, nullum eſſet: non dicitur etiam, quòd ſit volens iniquitatem, quia, cùm ſit ipſa prima & eſſentialis Bonitas, hoc eſt prorſus impoſſibile: ſed dicitur, quòd ſit non volens iniquitatem, quod eſt negativum, non poſitivum: vult tamen poſitivo actu voluntatis ſuæ permittere peccata, permiſſio enim illa bona eſt: itaque ad eam poteſt terminari actus divinæ voluntatis.

Dices: Mala fieri & non fieri, ſunt contradictoriè oppoſita: ſed Deus non vult mala non fieri, quia, cùm mala quædam fiant, non ſemper voluntas Dei impleretur. Ergò Deus vult mala fieri. Reſp. cum S. Thoma 1. p. quæſt. 19. art. 9. ad 3. quòd, licèt mala fieri & mala non fieri contradictoriè opponantur: tamen velle mala fieri, & velle mala non fieri, non opponuntur contradictoriè, cùm utrumque ſit affirmativum. Deus igitur neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, ſed vult permittere mala fieri. Et hoc eſt bonum.

Quòd autem Deus non poſſit velle iniquitatem, patet: quia voluntas omnis non eſt, niſi boni. Ut enim ait S. Thom. 1. 2. q. 8. art. 1. Voluntas eſt appetitus quidam rationalis: omnis autem appetitus non eſt, niſi boni. Cujus ratio eſt, quia appetitus nihil eſt aliud, quàm quædam inclinatio appetentis in aliquid. Nihil autem inclinatur, niſi in aliquid ſimile & conveniens. Cùm enim omnes res, in quantum ſunt ens & ſubſtantia, ſint quoddam bonum, neceſſe eſt, ut omnis inclinatio ſit in bonum, & inde eſt, quod philoſophus dicit lib. 1. Ethic. in prin. lib. tom. 5. quòd bonum eſt, quod omnia appetunt. Sed conſiderandum eſt, quòd, cùm omnis inclinatio conſequatur aliquam formam, appetitus naturalis conſequitur formam in natura exiſtentem: appetitus autem ſenſitivus vel etiam intellectualis ſeu rationalis, qui dicitur voluntas, ſequitur formam apprehenſam: ſicut igitur id, in quod tendit appetitus naturalis, eſt bonum exiſtens in re: ita id, in quod tendit appetitus animalis vel voluntarius, eſt bonum apprehenſum. Ad hoc igitur, quòd voluntas in aliquid tendat, non requiritur, quòd ſit bonum in rei veritate, ſed quod apprehendatur in ratione boni: & propter hoc Philoſophus dicit in libro 2. Phyſ. text. 34. tom. 2. quòd finis eſt bonum, vel apparens bonum. Deus autem videt res, ut ſunt, nec fallitur apparentia: itaque non poteſt velle malum culpæ, cum in eo nulla ſit ratio veri boni. S. Dionyſ. Areop. lib. de divinis nominibus ait, Dei ſanctimoniam eſſe, παντὸς ἄγους ἐλευθέραν καὶ παντελῆ, *omnis labis expertem, & numeris omnibus abſolutiſſimam.* Et S. Greg. Naz. ſerm. in Annunciat. Deum vocat, ἁγιασμοῦ κύριον, *ſanctificationis Dominum.* Itaque omnes horruerunt Marcionem aſſerentem duos eſſe Deos: malum unum, qui hæc viſibilia creaverit: & bonum alterum, nempe Chriſtum, qui inviſibilia produxerit. De eo ſic Tertull. lib. 1. in ipſum: *Nihil tam barbarum ac triſte apud Pontum, quam quod illic Marcion natus eſt, Scythâ tetrior, Hamaxobio inſtabilior, Maſſagetâ inhumanior, Amazonâ audacior, nubilo obſcurior, hyeme frigidior, gelu fragilior, Iſtro fallacior, Caucaſo abruptior. Quidni? Penes quem verus Prometheus Deus omnipotens blaſphemiis lancinatur.*

Nota ſecundò: Cùm dicit David: *Non Deus volens iniquitatem tu es*, alludere ad idola, eaque perſtringere, q. d. Non es Deus idolis ſimilis, quæ delectantur iniquitate, modò homines ad crudelitatem, modò ad luxuriam, modò ad alia incitando, & vitiorum cultores, inventores ac fautores amando ac fovendo. Nicephorus in Pſal. noſtr. illam alluſionem vidit ad Deos gentium, quos, ut ait, idololatræ erroris miniſtri colunt omni improbitate lætantes. Nota, ſunt Jovis, Veneris, Martis & aliorum Deorum ſcelera. Terentianus juvenis ad fœda ſe excitat exemplo Jovis ſui. S. Auguſt. id ob oculos ponit lib. 1. Confeſſ. cap. 16. *Nonne legis tonantem Jovem & adulterantem? Et utique non poſſet hæc duo, ſed actum ut haberet authoritatem ad imitandum verum adulterium, lenocinante falſo tonitruo. Quis penulatorum magiſtrorum audiat aure ſobriâ, ex eodem pulvere hominem clamantem, & dicentem: Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat: divina mallem ad nos. Sed verius dicitur, quòd fingebat hæc quidem, ſed hominibus flagitioſis divina tribuendo, ne flagitia flagitia putarentur: & ut quiſquis ea feciſſet, non homines perditos, ſed cæleſtes Deos videretur imitatus.* In libris de civitate Dei ſæpè id inculcat. Et lib. 2. cap. 10. illa portentoſa de Diis mendacia nuncupat *retia*, quibus homines induerent, & ad prædeſtinatum ſupplicium ſecum traherent. S. Catharina Alexandrina hoc Imperatori Maximino exprobrat, & Philoſophis. Hoc Tertull. omnibus idololatris, Apolog. ad Gent. *Quid damnatis*, inquit, *quorum collegas adoratis?* Multi id paſſim Martyres uſurpârunt. Unum propono S. Alexandrum, qui, ut refert Metaphr. 13. Maii, ait Tyberiano Præſidi: Jovem Deum nominâſti: at ille talis eſt, quales & cæteri, qui dæmones ſunt valdè fallaces, cùm eos, à quibus coluntur, circumvenire, atque omninò perdere ſoliti ſint: quemadmodum & vos aſſeritis illum ipſum Jovem mulierem appetiviſſe, & cùm illam juxta mare inveniſſet, ipſam deceptam corrupiſſe. Tum ſanctus Martyr, quàm hæc ſint abſurda, & à veritatis ſpecie abhorrentia, declarat: *Quis, ait, veſtrûm unquam vidit, aut aliquando audivit, Deum impuris facinoribus labefactari? Noſter Deus corporeis oculis non cernitur, qui cœli & terræ Effector eſt: neque is indiget ſacrificiis, quæ vos impuris dæmonibus offerre conſuevìſtis: ſed ſacrificium poſtulat purum, & ſine ſanguine.*

26. Idola amant & cauſant peccata.

Nota tertiò, preſſiùs, & ſignatiùs, cùm dicit David: *Non Deus volens iniquitatem tu es*, alludit ad Doëgum Idumæum, qui erat in Nobe civitate ſacerdotali, & quidem in tabernaculo Dei: cùm Saülem fugiens David panes propoſitionis & gladium Goliathi accepit à ſummo Pontifice Achimelech, 1 Reg. 21. Et poſteà proditus eſt ab illo ſcelerato Doëg, qui eam ob rem Saule jubente irruit in Sacerdotes, & trucidavit in die illa octoginta quinque viros veſtitos Ephod lineo, id eſt, Sacerdotes, qui jus habebant ferendi Ephod; vel certè, etiam tum veſtitos cùm trucidarentur, quòd audito ſceleratorum adventu fugiſſent in tabernaculum, ut fieri ſolet captâ urbe, & ad ſiſtendum furorem ſacras veſtes ſumpſiſſent. Nobe præterea civitatem Sacerdotum percuſſit in ore gladii, viros & mulieres, & parvulos, & lactentes, bovemque, & aſinum, & ovem in ore gladii, cap. 22. Senſus itaque eſt: *Videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, q. d. quòd non delectaris illâ Doëgi proditione, & crudelitate: non eſt enim ſimilis Diis idololatrarum, qui hæc ſæpè permittunt, & nonnunquam imperant, ad vindictam, & alia ſcelera cultores ſuos incitantes.

27. Doëgi impietas

Nota

28. Summo odio Deus averſatur peccata.

Nota quartò: Quanta ſit Dei averſio ab iniquitate, & quomodo totus ab illis abhorreat, optimè hîc oſtendit David. Primò, mente illos averſando: *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Secundò, contubernium eorum fugiendo: *Neque habitabit juxta te malignus.* Tertiò, ne aſpectu quidem ipſos dignando: *Neque permanebunt injuſti ante oculos tuos.* Hoc autem facit, ſive opere peccent: *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem:* Sive locutione: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium:* Sive ſola cogitatione fraudulenta: *Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus.* Jam vidimus Deum non velle iniquitatem, nunc videamus iniquos à ſe repellere.

Verſ. 6. 29. Malignus hîc intelligitur: 1. Diabolus.

Hoc teſtatur Propheta noſter verſu 6. NEQUE HABITABIT JUXTA TE MALIGNUS, NEQUE PERMANEBUNT INJUSTI ANTE OCULOS TUOS. Quæres primò, De quo maligno hîc agatur? Primò, Remigius intelligit diabolum. Hic enim antonomaſticè eſt malus, malitiæ fons, author & promotor, ac dux & anteſignanus, eſt malignus, id eſt, malè ignitus, igne invidiæ & furoris contra homines, qui ignis eſt funeſtior & terrior ipſis inferni flammis. 2. Idololatra. Secundò, S. Chryſoſt. & Euthym. malignum volunt intelligi idololatram. Nam cultus idolorum ac veri Dei abnegatio eſt apex malitiæ. S. Thom. 1. 2. qu. 102. art. 3. ad 11. & 2. 2. q. 94. art. 3. docet, eam eſſe graviſſimum peccatorum. 3. Judæus. Tertiò, Remigius & Bruno malignum hîc ſumunt Judæum. Chriſtus Judæos vocat *genimina viperarum*, Matth. 23. 33. & S. Joannes Baptiſta cap. 7. 5. *Progenies viperarum:* venenum enim à parentibus hauſerunt, & illud retinebant. 4. Doëg. Quartò, ſpeciatim hunc malignum arbitror accipi Doëgum Idumæum, qui obvius factus Davidi in Nobe urbe in tabernaculo Dei, eum, ut dixi, Sauli prodidit & cives Nobe cum ſacerdotibus trucidavit. 5. Et propriè, omnis impius. Quintò, licèt hunc Doëgum maximè intelligi putem, ſententiam tamen generalem eſſe arbitror de omnibus ſceleratis, quibus jure amicitiæ non propinquat Deus, ut ait Bellarm. ſed præcipuè fugit malevolos contra proximum, de quibus hunc locum explicant Gloſſa Interlin. Alcuinus & Haymo. Et quidem malignus, ut ait Nonius, ille dicitur, qui malo eſt & depravato animo & conſuetudine malevolos, parum gratus & memor in referenda gratiâ. Malignus etiam, & vernaculè *malin* ſumitur pro eo, qui malitiam habet occultam, atque contra id quod verbis aut ſpecie externa promiſit, agit, ac nocet. Sic maligna lux à Marone Æn. 6. vocatur, quæ eſt ſubobſcura.

30. Senſus hujus loci.

Senſus itaque eſt, q. d. nullus iniquus ac præſertim malignè & malevolè mihi nocens, tecum ô Deus meus! manebit tibi amicus, neque Doëg, Saul, & alii hoſtes mei à te in hac terra ſancta diu tolerabuntur, ſed citò peribunt.

Nota, pro *habitabit*, in Hebræo eſt יגרך *iagur*, id eſt, converſabitur, commorabitur, habitabit, incolet, hoſpitabitur, peregrinabitur. Cùm igitur David ait: *Non habitabit juxta te malignus:* Senſus eſt, q. d. Ne in modum quidem hoſpitis & peregrini apud & juxta manebit: ut ſtatim velut hoſpitem ad te venientem effugabis. Sept. οὐ παροικήσει, non erit accola, non juxta incolet. E cælo ejectus eſt lucifer, & quia peccator manſit, in profundum laci dejectus eſt. Ex paradiſo terreſtri ejectus eſt Adam: ſed quia converſus eſt ad Deum, ideò ut accola, ſi non incola, habitavit è regione Eden, id eſt, voluptatis & deliciarum: horti ſcilicet illius pulcherrimi & jucundiſſimi. Ubi enim habemus Gen. 3. 23. *Emiſit eum* (Hebr. *teſallchehu*, expulit ſeu ejecit ipſum) *Dominus Deus de paradiſo voluptatis.* Sept. addunt, & collocavit eum è regione ἀπέναντι, ex oppoſito, in conſpectu paradiſi: ut illo aſpectu ſe ad cœleſtem paradiſum virtute comparandum excitaret, & terreſtrem peccato perditum doleret. Aquila in Pſalmo noſtro vertit, οὐ προσηλυτεύσει σοι, id eſt, *non habitabit tecum velut proſelytus:* quæ verſio juvat explicationem noſtram de Doëg Idumæo, qui malignè Davidem accuſaverat Sauli, & in crimen traxerat hoſpitalitatem Achimelech ei exhibitam. Proſelyti enim dicebantur, qui è Gentilibus ad Judaiſmum accedebant, & circumciſionem ac eorum ſacra ſuſcipiebant. Vox eſt Græca, q. d. advenæ, adventitii, à verbo προσέρχομαι, id eſt, accedo, advenio, adjungor fit προσήλυτος, id eſt, advena. Cùm igitur Doëgus eſſet natione Idumæus, erat proſelytus apud Judæos: nam in tabernaculo Dei erat, cùm ad illud venit David in Nobe, & erat princeps paſtorum Saul: quod non potuiſſet fieri, ſi adhuc in idololatria perſtitiſſet. Non poterant enim Hebræi ſervos habere, qui idola colerent.

31. Injuſti hîc intelliguntur: 1. Gentiles.

Quæres ſecundò, de quibus injuſtis agat David, cùm ait: *Non permanebunt injuſti ante oculos tuos,* Primò Gentiles hîc intelligi vult Lyranus; ſunt enim injuſti, quòd debitum Deo verum cultum negent, & ad ligna, & lapides, hominesque vitioſos ac dæmones transferant. Non permanebunt autem in terra promiſſionis, *quam*, ut dicitur Deut. 11. 12. *Dominus Deus ſemper inviſit, & oculi illius in ea ſunt à principio anni uſque ad finem.* Ammonitas enim, Moabitas aliosque idololatras impedivit David, ne in ea terra pedem figerent, & ab illa exterminavit Jebulæos capta Sione, Philiſthæos variis præliis, & alios Chananæos. Sed de illis non eſt hic Pſalmus.

2. Judæi. Secundò, *injuſtos*, hîc accipit Judæos S. Auguſt. Hi non permanebunt ante oculos Dei: quia, ut loquitur, oculi eorum, id eſt, mens eorum reverberatur luce veritatis propter tenebras peccatorum, quorum conſuetudine fulgorem rectæ intelligentiæ ſuſtinere non poſſunt. Ergo, & qui vident aliquando, id eſt, qui verum intelligunt, tamen adhuc injuſti ſunt: *Non ibi permanent, amando ea quæ avertunt à vero.* Gerunt enim ſecum ſuam noctem, id eſt, non ſolùm conſuetudinem, ſed etiam amorem peccandi. Quæ nox ſi tranſierit, id eſt, ſi peccare deſtiterint, ipſe amor atque conſuetudo fugata fuerit, fit manè: ita ut non ſolùm intelligant, ſed etiam inhæreant veritati. Ita ipſe. Sed hoc eſt myſticum, ut patet. S. Hieron. ait, eos permanſiſſe injuſtos, dum expectabantur ad pœnitentiam: ſed quia permanſerunt injuſti, non permanſuros ante oculos Dei, quia damnabuntur. Sed hoc eſt anagogicum.

3. Omnes peccatores. Tertiò itaque meliùs Treverus ait, injuſtos quoslibet tollendos de medio vel in ſeipſis, vel in ſuis poſteris.

4. Speciatim Doëg, Saul, & ejus ſatellites. Quartò: licèt non negem hanc propoſitionem: *Non permanebunt injuſti ante oculos tuos*, eſſe generalem; ſpecialiùs tamen à Davide cenſeo innui, tum Doëgum, quem malignum appellaverat, tum Saulem & omnes fautores atque incentores injuſtæ iræ contra ſe innocentem ſuſceptæ. Non permanſuros autem ait *ante oculos Dei*, id eſt, non eſſe aſpiciendos ab eo oculis benignis & faventibus, Deum ab iis ut hoſtibus ſuja faciem averſurum, & conſequenter ipſos miſerè & brevì perituros, quod accidit poſt annos quatuor. Hunc enim Pſalmum ſcripſit David anno 14. regni Saulis, in deſerto Maon ab ejus manibus fugiens, anno autem 18. Saul cum exercitu ſuo victus eſt à Philiſthæis in monte Gelboë, ab armigero ſuo occiſus, & ab hoſtibus ſuſpenſus in muro urbis Bethſan, capite præciſo & per totam eorum ditionem ad ludibrium circumlato. 1 Reg. ult.

32. Moraliter. Ad Deum accedens teipſum ſanctifica.

Moraliter nota: Omnes cum puritate & ſanctitate in oratione, in templis, in altaribus præſertim ſe ſiſtant. Hoc enim jubet Deus Levit. 11. 44. *Sancti* (id eſt, mundi) *eſtote, quia ego ſanctus ſum*, (mundus & purus & amans puritatem) *ne polluatis animas veſtras* (omnes Judæos alloquitur) *in omni reptili, quod movetur ſuper terram*, (illud comedendo. Tropol. reptile ſunt res omnes terrenæ, quæ humi repunt & ibi animam detinent) *Ego enim ſum Dominus* (Jehova, prima eſſentia, per ſe exiſtens: priùs dixerat: *Ego ſum* Jehova Elohim) *Deus veſter: Jehova* dicit Dei eſſentiam ab omnibus independentem, & in ſe infinitam: *Elohim* verò, ejus providentiam & gubernationem.

Deut. 23. 14. ait Moſes populo eidem Hebræorum: *Dominus Deus tuus ambulat in medio caſtrorum, ut eruat te, & tradat tibi inimicos tuos. ſint*

caſtra tua ſancta, id eſt, pura & munda, cùm Deus fons puritatis fugiat omnes ſordes: unde addit: *Et nihil in eis appareat fœditatis*, (peccata præſertim ſcandaloſa ſunt fugienda) *ne derelinquat te*, ut facere voluit poſt varias murmurationes & ſcelera. Sic poſt reprehenſionem Aaron & Mariæ ſororis Moyſi, quòd in Moyſen murmuràſſent propter uxorem ejus Æthiopiſſam, nempe Sephoram, quæ erat ex regione Madian. (Madianitæ autem dicuntur Æthiopes 2 Paral. 14. 10. & 12. Abacuc 3. 7. Volebat ſcilicet illa, utpote uxor Moſis totius populi ductoris, & Prophetæ Deo chariſſimi ſe Mariæ præferre, Maria verò & Aaron ab ea ſuſcitatus non ſolùm Sephoræ, verùm etiam Moſi ſe exæquare moliebantur.) Poſt reprehenſionem, inquam, eorum: *Iratus Dominus contra eos, abiit. Nubes quoque receſſit, quæ erat ſuper tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens lepra, quaſi nix* Num. 12. 9. & 10. Non potuit Deus puriſſimus, id eſt, Angelus ejus legatus, manere cum leproſa: quin etiam juſſit eam ejici è caſtris, donec ſanaretur, nunquam fortaſſe ſananda, niſi Moſes oraviſſet pro ea. Aaron verò non eſt lepra percuſſus, quia & minus peccaverat à ſorore incitatus, & quia erat Pontifex, qui ad Deum accedere debebat in tabernaculo: itaque, decebat eum ſumma mentis & corporis munditia. Unde habebat in fronte laminam auream, in qua ſcriptum erat: *Kodes ladonai*, ſanctitas Domino: ſive, ſanctum Domino. q. d. Sum totus Deo dedicatus & conſecratus. Clemens Alex. lib. 7. Strom. dicit, animum ejus, qui Dei conſortio uti velit, debere eſſe, ἄχραντον καὶ ἀμίαντον, purum & impollutum. Ut enim ait S. Paulus 2 Cor. 6. 14. *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio*, τίς συμφώνησις, *quæ conſonantia*, (quæ concordia: hoc aptè dicetur de iis, qui in choro, aut etiam privatim horas canonicas recitant, & de accedentibus ad Euchariſtiam) *Chriſti ad Belial?* Id eſt, diabolum? Qui eſt Belial, hoc eſt ſine jugo, & ſine utilitate. Vocatur etiam Belial, impius, rebellis & inobediens: imò & impietas de ipſa, rebellio & inobedientia. De Deo habes Pſalmo octuageſimo quarto, verſu decimo: *Veruntamen* (Chald. certè, profectò) *propè timentes eum ſalutare* (Hebraic. ישע ieſa, ſalus, & Salvator, JEſus: eſt enim etiam ſalus ipſa) *ipſius. Ut inhabitet gloria* (Euchariſtia) *in terra noſtra*, in noſtro corde & corpore. Contra verò, ut habes Pſalmo 118. 155. *Longè à peccatoribus* (S. Hier. ab impiis. Hebr. *reſaim*, inquietos, rebelles, contumaces, & omnes peccatores includit) *ſalus*. (Hebraicè, *ieſua*, ſalus, Jeſus) *quia juſtificationes tuas non exquiſierunt*. Non reperitur rex ſine ſuo comitatu: JEſu comitatus eſt juſtitia & omnis virtus, ideò, *non permanebunt injuſti ante oculos ejus*. Stultum eſt eum juſto velle manere injuſtos. Unde Hebr. eſt: Non permanebunt, ſive *non ſtabunt*, eſt enim *nebiaſſebu*, id eſt, non conſiſtent, non perſtabunt, הוללים *holelim*, id eſt: 1. Iniqui, ut vertit S. Hier. 2. παραν́ομοι, legum prævaricatores, exleges, legis jugum excutientes: Sicut Sept. 3. ἀτάσθαλοι, id eſt, injuſti, magnorum damnorum authores, ut Petavius, quod aptiſſimè Doëgo & aſſeclis convenit Nobe civitatem ferro flammaque vaſtantibus: hæc vox ducitur ab ἀτῶ, id eſt, lædo, noceo: vel ab ἄτη, noxa, damnum, ac θάλλω, pullulo, ſcateo. q. d. Noxis ſcatentes: vel etiam, per illata aliis damna virere ac florere contendentes. 4. Propriè *holelim* ſignificat *veſani*, ut vertit Arias: ſeu *ſtulti*, ut Pagninus: ſeu, *inſipientes*, ut Felix: ſive, *illuſores & inſanientes*, ut Chaldæus. 5. Alii vertunt, gloriabundi, jactabundi, de malitia ſcilicet ſua, quales fuiſſe Doëgum Idumæum & amicos inſanæ Saulis iræ adblandientes, & in Davidem inſanientes, non eſt dubium. De eodem Doëg habes Pſal. 51. 3. *Quid gloriaris in malitia*, (Chald. in lingua iniqua: vel, lingua iniquitatis: vel lingua perverſa) *qui potens es in iniquitate?* Chald. ſpecialiùs ejus ſcelus aperit, cùm vertit, *potens ad effundendum ſanguinem juſtum*, id eſt, innocentium ſacerdotum & aliorum.

38

Exempla ſi poſcis, quibus probes ad Deum cum munditia accedendum eſſe, vide Primò Exodi 3. Moſem cum grege aſcendentem ad interiora deſerti & penetrantem uſque ad montem Dei Horeb, ibi apparet ei Dominus, (Hebraic. angelus Domini: id eſt, Filius Dei, ut vult Theodoretus: ſeu potius, verus angelus Dei legatus, ut docet S. Dionyſ. cœl. Hier. cap. 4) *In flamma ignis* (nihil impurum ſecum eſſe patitur ignis) *de medio rubi*, verſu 2. Cùmque Moſes exultabundus diceret: vadam & videbo viſionem hanc magnam; jamque accurreret, ait Angelus verſ. 5. *Ne appropies huc, ſolve calceamentum de pedibus tuis*, ut veluti ſervus nudis pedibus ambulans cum humilitate & reverentia ad Deum accedas, ut explicant Cajetan. Hugo à S. Vict. ac Rupertus, & Euſebius. Hinc ſacerdotes in tabernaculo nudis pedibus miniſtrabant, ut cogitationes & affectiones terrenas ad Deum accedenti Moſes ſciret eſſe abjiciendas. Ratio redditur, *locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt*.

1. Moſes ad Deum appropinquans monetur, ut tollat calceos è pedibus.

Secundò, Judicum 5. 13. & ſeq. dicitur: Cùm eſſet Joſue in agro urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, id eſt, è regione & ex adverſo ſui, evaginatum tenentem gladium, ut paratum ad pergendum in hoſtes ejus ſe oſtenderet, ac futurum ubique auxiliatorem. Cùm verò ad eum Joſue ſtricto etiam gladio accurriſſet, ut videret, quis eſſet, ait ℣. 14. *Sum princeps exercitus Domini*, id eſt, dux, præſes ac princeps ſynagogæ & totius exercitus populi Dei, tam in cælo quàm in terra, ut exponunt Abulenſis, Theodoretus & Lyran. Sic S. Michaelem dici Principem gentis Judæorum Dan. 10. 21. cenſet Suares tract. de angelis lib 6. cap. 19. num. 22. Ad rem autem noſtram dixit S. Michaël Joſue ℣. 16. *Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt*. Hebr. *Kodes hu*, ſanctitas ipſe, ſupple eſt: hoc eſt, ob Dei præſentiam, tibi in me ſuo legato apparentis, eſt ſanctiſſimus.

2. Ex Joſue in terra promiſſionis.

Tertiò, Exodi 19. 20. Deſcendit Dominus ſuper montem Sinai in ipſo montis vertice, & vocavit Moyſen in cacumen ejus. Monet deinde populum, ne tranſcendat terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eo plurima multitudo. Tum addit ℣. 22. *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos*. Cajetanus & Lipoman. rectè advertunt, ſacerdotes hic accipi eos qui jure naturæ erant ſacerdotes, nempe primogenitos familiarum. Nam Aaron & filii ejus necdum erant conſecrati in ſacerdotes. Jubet autem Deus, ut accedentes ad Deum, qui orent & ſacrificent pro populo, ſe ab omni macula mentis & corporis cuſtodiant, ne pereant. Et quod eſt magis notandum, cùm eſſet deſcenſurus Deus, id eſt, Angelus vice Dei, in montem Sinai, juſſus eſt populus per tres dies ſanctificari: 1. Abſtinendo ab uxoribus. 2. Lavando corpora & veſtes. 3. Purgando caſtra. 4. Cum reverentia Deum venturum expectando, & pœnâ lapidationis propoſitâ populus montem aſcendere eſt veritus aut fines ejus tangere.

3. Sacerdotes ad Deum accedentes jubentur ſanctificari.

Quartò, Cùm ducibus Core, Dathan, & Abiron ducenti quinquaginta proceres populi cum thuribulis in tabernaculum veniſſent, & ex altari holocauſtorum prunas caperent, quibus thymiama imponerent, atque offerrent in altari thymiamatis, igne ex illo altari holocauſtorum egreſſo occiſi ſunt, antequam ingrederentur Sanctuarium, ut vult Cornelius; vel potius, cùm jam illud eſſent ingreſſi & incenſum offerrent. Dicitur enim Num. 16. 35. *Ignis egreſſus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum*. Cum malignitate & injuſtitia accedebant ad Deum invidiâ in Aaronem tumentes, eique datum à Deo honorem eripere molientes. Dic itaque Deo: *Non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injuſti ante oculos tuos*.

4. Puniuntur 250 Proceres ſuperbè ad altare properantes.

Quintò, Levit. 10. 1. mors funeſta duorum filiorum Aaronis ponitur his verbis: Arreptis Nadab & Abiu filii Aaron thuribulis, poſuerunt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino: *Ignem alienum, quod eis præceptum non erat*.

5. Duo filii Aaronis occiduntur, quòd

Ignis

ignem alienum acciperent.

Ignis alienus ille erat ignis profanus & communis, qui erat in atrio tabernaculi ad coquendas carnes hoſtiæ pacificæ & hoſtiæ pro peccato, ut eas comederent in atrio ſacerdotes & offerentes laici: debebant autem ad Incenſum uti igne ſacro è cœlis delapſo, qui fovebatur in altari holocauſtorum, ut ſerviret ad cremandas oblatas victimas, & ad incenſum adolendum. Verſ. 2. addit: *Egreſſuſque ignis à Domino devoravit eos, & mortui ſunt coram Domino;* extincti igne egreſſo ex altari holocauſtorum.

6. Ophni & Phinees ob peccata in ſuo miniſterio facta mactantur.

Sextò, 1 Reg. 2. Ophni & Phinees filiorum Heli peccata recenſentur, quibus indigni ad altare accedebant. Pœna ponitur capite quarto, primò, cæſo populi numeroſo exercitu, deſideratis triginta quatuor millibus militum in duplici prælio: ſecundò, Ophni & Phinee pereuntibus. 3. Arca capta. 4. Heli ſummo Pontifice cadente de ſella ſua retrorſum, & fractis cervicibus mortuo. 6. Uxore Phinees mortua in partu.

7. Dagon dejicitur ob vicinitatem arcæ.

Septimò, primò Regum quinto, verſu ſecundo. Tulerunt Philiſthiim arcam Dei, intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam juxta Dagon, cùmque ſurrexiſſent diluculo Azotii altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini: & tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum. Rurſumque manè die altera conſurgentes invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terra coram arca Domini, caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen. Porrò Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo. Vide plagam Betſamitarum cap. 6. Ozæ mortem arcam tangentis. 2 Reg. 6. Heliodori caſtigationem in templum temerè intrantis. 2 Machab. 3.

8. Maria Ægyptiaca peccatrix à templi aditu prohibetur.

Octavò, Notabile eſt, quod de S. Maria Ægyptiaca ſcribitur in ejus hiſtoria. Cùm enim adoratura Crucem templum Jeroſolymitanum vellet ingredi, ter quaterve à manu inviſibili repulſa eſt aliis facilè intrantibus. Nec priùs illi patuit aditus, quàm corde compuncta, & meliorem vitam pollicita, opem Deiparæ imploraret.

Concludc cum Davide: *Non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injuſti* (Arabs, inobedientes. Syr. ſuperbi) *ante oculos tuos?*

Verſ. 7. 2. Pars.

Cauſam affert David, cur coram Deo maligni & injuſti non ſint permanſuri: quia ſcilicet illos odit. Verſ. 7. ODISTI OMNES, QUI OPERANTUR INIQUITATEM: PERDES OMNES, QUI LOQUUNTUR MENDACIUM.

34. Odium quid.

Nota, Odium eſt inveterata ira, & eſt mala voluntas ex ira proficiſcens, ut definit Albertus Magnus in topicis.
1. Vel odium eſt alienatio & rejectio, dum videmus vel audimus rem, quæ nobis
2. eſt odio, vel quocunque modo in eam incidimus,
3. ut Euſtratius 2. Ethicorum capite 1. Vel potius, Odium eſt diſſonantia appetitus animalis, vel appetitus rationalis ad apprehenſum ut diſconveniens: ſicut amor eſt conſonantia ejus ad conveniens, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 29. art. 1.

Deus peccatores odit.

Deus igitur odit peccatorem: Primò, quia videt in eo malitiam peccati, & ſuæ, & naturæ hominis diſconvenientem, eamque averſatur & deteſtatur, atque ex conſequenti ipſum hominem, in quo eſt, & qui eam malitiam liberè conſervat. Sap. 14. 9. *Similiter* (Græcè ἐν ἴσῳ, æqualiter) *odio ſunt Deo, impius & impietas ejus.* Prov. 15. 9. *Abominatio eſt Domino via impii,* (plena eſt ſerpentibus) *qui ſequitur* (Hebr. מרדף perſequens, id eſt, ardenter & ſtudiosè ſequens) *juſtitiam, diligitur ab eo.* Abac. 1. verſu 13. *Mundi ſunt oculi tui* (ſunt lucidiores ſuper Solem) *ne videas malum* (id eſt, ut non approbes) *& reſpicere ad iniquitatem non poteris:* eſt lepra è caſtris tuis ejicienda, & horrorem aſpectu ingenerans. S. Thomas 1. p. q. 20. art. 2. quærit, utrùm Deus amet omnia, ait autem in corpore articuli Deum omnia exiſtentia amare: quia ipſum eſſe cujuslibet rei quoddam bonum eſt, & ſimiliter quælibet perfectio ipſius; in reſp. verò ad 4. oſtendit qua ratione peccatorem tamen Deus oderit. Nihil, ait, prohibet unum & idem ſecundùm aliquid amari, & ſecundùm aliquid odio haberi. Deus autem peccatores, in quantum ſunt naturæ quædam, amat. Sic enim & ſunt, & ab ipſo ſunt. In quantum verò peccatores ſunt, non ſunt, ſed ab eſſe deficiunt. Et hoc in eis à Deo non eſt. Unde ſecundùm hoc, ab ipſo odio habentur. Hoc ipſum dixerat S. Auguſt. in Joan. Quia iniquitas noſtra, inquit, opus Dei non omni ex parte conſumpſerat, noverat ſimul in unoquoque noſtrum & odiſſe quod feceramus, & amare quod fecerat. Secundò, ex illo odio Dei interno, quo proſequitur peccatorem, ſequitur ut eum reprobet, atque illi non velit vitam æternam. Unde S. Thomas 1. p. q. 23. art. 3. ubi inquirit, utrùm Deus aliquem reprobet, ait in reſp. ad 1. In quantum Deus quibuſdam non vult hoc bonum quod eſt vita æterna, dicitur eos *odio habere,* vel reprobare. Hæc eſt plaga inimici, qua percutit impios per totam æternitatem. Jeremiæ 30. 14. *Plaga inimici percuſſi te caſtigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta ſunt,* (Hebr. עצמו *aſemu*, invaluerunt, ut vertit Arias. 2. Multiplicata ſunt, ut Pagn. 3. Conſolidata, compacta, roborata, obfirmata: per obſtinationem. 4. Clauſa: tempore gratiæ præterito, & obſtructo putei ſulphurei ore. 5. Gravia & incurabilia) *peccata tua. Quid clamas* (ut dives epulo Luc. 15. 24) *ſuper contritione tua? Inſanabilis eſt dolor tuus.*

Ex his infertur: Deum non eſſe authorem peccati, nihil enim odit eorum, quæ facit. Sap. 11. 25. *Diligis enim omnia quæ ſunt* (peccatum eſt nihil, & illud nihil ſine Deo factum eſt) *& nihil odiſti eorum quæ feciſti:* videt enim Deus quòd erant valdè bona. οὐδὲν βδελύσσῃ nihil abominaris. Cùm igitur hoc in verſu dicat Propheta: *Odiſti omnes* (ſive ſit rex, ſive ſervus, ſive Scytha, ſive Græcus) *qui operantur* (& ſi ante fuerint juſti) *iniquitatem:* & poſtea dicat, quòd abominatur virum ſanguinum & doloſum, patet eum non eſſe peccati authorem. 35. Deus non eſt author peccati. Tu porrò trepida, Deum tibi ſciens eſſe inimicum: &, ſi in eo ſtatu, in quo es, ſi peccator es, moriaris, velle tibi pœnam æternam. Reprobat enim Deus omnem ſceleratum. Reprobatio autem non eſt cauſa ejus quod eſt in præſenti, ſcilicet culpæ: ſed eſt cauſa derelictionis Dei, & ejus quod redditur in futuro, nempe pœnæ æternæ. Culpa autem provenit ex libero arbitrio ejus qui reprobatur, & à gratia deſeritur. Atque cum S. Chryſ. in Pſal. noſtr. animo tuo infige: *Grave, &, δεινὸς χεῖρον, gehenna deterius eſt, odio haberi à Deo.*

Verſ. 7. 2. Pars.

Ad peccata ſpecialia deſcendens Propheta: Primò malorum fontem & arcem aggreditur mendacium. Verſ. 7. PERDES (Hebr. תאבד *theabbed*, in Piel ſignificat, perire facies. Sept. ἀπολεῖς) OMNES, QUI LOQUUNTUR MENDACIUM.

36. Mendaces ſunt. 1. Peccatores omnes.

Quæres: Quinam hîc dicantur loqui mendacium? Primò, Mendaces intelligit omnes peccatores Valentia, quia violant promiſſionem factam in baptiſmo, in quo abrenunciant mundo, carni & dæmoni. Sed hoc promiſſum eſt valdè generale, neque de illo hîc agitur. S. Chryſ. mendaces, ait eſſe omnes peccatores, quia res vanas & fallaces amant, ſequuntur & amplectuntur, iiſque ſe rapi ſinunt. Vide dicta Pſal. 4. 3. *Filii hominum uſquequò diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

2. Idololatræ.

Secundò, loquentes mendacium hic ſumit idololatras Trevetus. Nam mendaciter adſcribunt idolis ea quæ Dei ſunt.

3. Hæretici.

Tertiò, de hæreticis mentionem fieri volunt S. Hieron. Origen. Euſeb. Caſſiod. & alii: hi enim pravis opinionibus à veritate deſciverunt, & falſa docent. Sed hæ explicationes ſunt myſticæ.

4. Et propriè, qui contra mentem loquuntur.

Quartò ad literam, cenſeo eſſe generalem ſententiam contra omnes mendaces propriè dictos: id eſt, qui mendacio formali volunt falſum dicere, ac præſertim tamen deſignari Doëgum, & illi ſimiles aulicos, qui calumniis & mendaciis odioſum Davidem Sauli regi, toti aulæ ac populo reddere moliebantur. Unde poſtquàm in ſpelunca Engaddi, Sauli, quem in poteſtate habuerat, pepercit, ait 1 Reg. 24. 10. *Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adverſum te?*

37. *Mendacium triplex.* Nota, Mendacium triplex eſt. Primò, officioſum, quo intenditur alicujus adjumentum, aut remotio nocumenti. Secundò, jocoſum, per quod quæritur bonum delectabile. Tertiò, perniciosum, quo intenditur alterius nocumentum.

Nunquam licet mentiri, & cur. Nota ſecundò, Non tantum David ait perdendos eſſe loquentes mendacium, ſed *omnes.* Primò, quia Deus nullam habet rationem perſonarum, cùm totus Orbis ante illum ſit tanquam ſtilla cadi & merum nihil. Secundò, ac præſertim, quia omne mendacium per ſe & ex genere ſuo ſemper peccatum eſt, etiamſi ſit jocoſum & officioſum, ut docet hic S. Auguſt. & libro de mendacio capit. 5. & libro contra mendacium cap. 1. in enchiridio atque aliàs ſæpè. In enchiridio quidem cap. 22. oſtendit, non eſſe licitum mentiri propter emerſuram inde commoditatem. Nam & ex furto & ex adulterio percipi aliquæ utilitates poſſent, & tamen nunquam ſunt licita. Ariſtot. 4. Ethicorum 7. dicit, mendacium eſſe per ſe malum & fugiendum. Unde infert S. Thomas 2. 2. quæſt. 110. articulo 3. omne mendacium eſſe peccatum. Quod enim, ait, eſt ſecundùm ſe malum ex genere, nullo modo poteſt eſſe bonum, & licitum: quia ad hoc quòd aliquid ſit bonum, requiritur quòd omnia rectè concurrant. Bonum enim eſt ex integra cauſa, malum verò eſt ex ſingularibus defectibus, ut Dionyſius dicit 4. cap. de divinis nominibus. Mendacium autem eſt malum ex genere. Eſt enim actus cadens ſuper indebitam materiam. Cùm enim voces naturaliter ſunt ſigna intellectuum, innaturale eſt & indebitum quòd aliquis voce ſignificet id quod non habet in mente. S. Gregorius omne mendacium ait eſſe peccatum, quia ſemper repugnat virtuti veritatis. Sic enim libro 18. Mor. 4. *Omne*, ait, *mendacium iniquitas eſt, & omnis iniquitas mendacium: quia profectò ab æquitate diſcrepat, quicquid à veritate diſcordat.*

Eſt ex diabolo. S. Baſilius ex eo quòd mendacium *ex diabolo* eſſe dicitur, generatim concludit in regul. breviorib. quæſt. 76. nunquam licitum alicujus utilitatis prætextu mentiri. Verba Chriſti ad Judæos ſunt Joannis 8. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis* (imitando, non naſcendo, ait S. Aug.) *& deſideria patris veſtri vultis perficere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit.* (In veritate cordis, oris, operis.) *quia non eſt veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex propriis* (ex propria inventione, cùm ſit inventor mendacii, & ſit illi proprium & ſolitum mentiri: mendacium enim eſt vitium diabolicum) *loquitur: quia mendax eſt, & pater ejus*, mendacii ſcilicet: quod primum invenit, ac quotidie gignit: tum ad illud alios incitando, tum penè ſemper mendacia effutiendo. Idem S. Baſilius epiſtola 79. ad Euſtathium Sebaſtenum vocat mendacium, γέννημα διαβόλου, *fœtum diaboli.* Et in procem. tractatu de Spiritu ſancto, ait: Κράτιστον ἀγαθῶν, *potentiſſimum bonorum omnium eſt veritas: &*, ἔσχατος ὅρος πονηρίας, *ultimus malitiæ terminus eſt mendacium.*

Eſt dæmon alter. Non tantùm diaboli fœtus eſt mendacium, ſed eſt ipſe dæmon, qui animam poſſideat. Sanctus Cæſarius Arelat. hom. 16. *Omnis*, ait, *qui ſuperbiam diligit, diabolo plenus eſt. Et ſi cum ſuperbia invidiam habere voluerit, duobus dæmonibus ſubditus erit. Et ſi cum invidia, etiam adulterium fecerit, à tribus dæmonibus poſſidetur. Et ſi cum his mendacium amare voluerit, ab integra quadriga dæmonum ſubjugatur & premitur. Nam quot vitia habuerit homo, tot habet dæmones.* Sed nota auxeſim, ſuperbia primo loco ponitur, deinde invidia, poſtea adulterium, ad extremum denique mendacium, quod eſt quodammodo omnia vitia, eorum tegmen, & arx, atque propugnaculum, omnibus inſerviens, tum ad aggrediendum, tum ad protegendum. Unde S. Baſil. ep. 8. ad Euſtathium vocat mendacium, πονηρὸν ὅπλον, *peſſimam armaturam.* S. Climacus grad. 12. ait, eſſe charitatis exterminationem. Hoc fieri tripliciter docet S. Thom. 2. 2. q. 110. art. ult. & oſtendit quando ſit peccatum mortale. Dicitur Sap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* Apoc. 21. 8. *Omnibus mendacibus, pars illorum* (τὸ *illorum* redundat per pleonaſmum Hebraicum) *erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure: quod eſt mors ſecunda.*

Moraliter hinc diſce, quam ſtudioſè ſit vitandum 38. *Vitandum eſt ſtudioſè mendacium.*
mendacium omne. Eccli. 7. 13. *Noli arare* (aliqui malè corrigunt, amare) *mendacium adverſus fratrem tuum: neque in amicum ſimiliter facias.* Hebr. חרש *aras*, ſignificat arare & fabricare, machinari, moliri, concinnare: itaque arare mendacium eſt, illud adornare & componere. Hinc Sept. vertunt: *Ne fabrices.* Vatabl. *Ne machineris, ne coquas.* Pergit author ℣. 14. *Noli velle mentiri omne mendacium: aſſiduitas enim illius non eſt bona:* hoc eſt, valde eſt mala. Syr. quia finis ejus non eſt bonus. Arabum proverbium eſt Centor. 1. num. 72. *Veritas magnificentia eſt, mendacium vilitas: veritas ſanitas eſt, mendacium infirmitas.* *Kennethi ſeveritas in mendaces.* Kennethus, Scotiæ Rex, gladii jure, ut infames, privabat mendaces, teſte Hectore Boëthio libro 10. hiſtor. Scotiæ, ubi ejus legem hanc refert: *Qui mendacii in proximi perniciem fuerit convictus, et gladium adimito, ejuſque congreſſus exinde devitato:* ne ſcilicet peſtis illa te inficiat, ſi prope ſteteris. Salomon à Deo poſtulat Proverbiorum 38. *Vanitatem & verba mendacii longè fac à me.* Per vanitatem intelligit Chaldæus detractionem. Eſt hic fons peſtifer mendaciorum venenatorum. 2. Pagninus, verbum otioſum. 3. Author Catenæ Græcæ, verbum ſtultum, id eſt, ſtultiloquium. Ex eo enim, ut percuſſo ſilice, mendacia, iræ, contentiones, vindictæ oriuntur. Climacus gradu 12. *Ex lapide*, inquit, *ac ferro excutitur ignis; ex loquacitate autem ac jocis mendacium naſcitur. Mendacium eſt charitatis exterminatio; perjurium verò, Dei abnegatio. Nullus rectè ſentientium parvum eſſe mendacii peccatum exiſtimet. Quippe contra nullum vitium terribiliori ſententia Spiritus ſanctus uſus eſt; ſicut ait David ad Deum: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Vide dicta Pſal. 118. 29.

S. Carilephi monitum. S. Carilephus presbyter & monachus fratres ſuos monuit morti proximus, ut eſt in ejus Actis apud Surium 1 Julii: *Omnis ſermo mendax non proficiſcatur ab ore veſtro, ne forte ſententia illa prophetica feriamini; Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

Mendaces Deo ſunt contrarii. Perdit Deus mendaces, quia eos deteſtatur, ut ſibi contrarios. Proverbiorum 12. 22. *Abominatio eſt Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei.* Hebr. factores veritatis. Tigurina, qui veritati ſtudent. Ut enim ait S. Joannes 1. epiſt. 5. 6. *Chriſtus eſt veritas.* Græcè, πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια, ſpiritus eſt veritas: & ſic habet Syrus. Sed melius Noſter, nam de Chriſto agitur, qui etiam ait Joannis 14. 6. *Ego ſum via, veritas & vita.* De tota Trinitate dicitur Deuteronomii 32. 4. *Deus fidelis* (Hebraicè, *el emuna*, Deus veritas) *& abſque ulla iniquitate juſtus & rectus.* Eam veritatem effudit Deus in Chriſtum, ut in theſaurum bonorum omnium. Epheſ. 4. 21. *Sicut eſt veritas in JEſu.* Quem locum S. Hier. interpretans ait in templo corporis Chriſti habitaviſſe veritatem. Mendacium autem, ut docet S. Th. 2. 2. quæſt. 110. art. 1. *Directè & formaliter opponitur virtuti veritatis:* Et conſequenter Deo & Chriſto, qui ſunt veritas. *Perſæ maximè oderant mendacium.* Cùm Perſarum ſapientes Oroſmadem deorum ſuorum ſupremum figurarent, dicebant corpore quidem eſſe luci perſimilem: animâ autem, veritati: itaque mendacium in maximis peccatis ponebant.

Erravit itaque Plato lib. 3. de Rep. cùm ait: men- 40. *Mendacium licitum eſſe cenſuit 1. Plato. 2. Xenophon. 3. Alii, ſed errant.*
dacium utile nonnunquam eſſe inſtar medicinæ. Revera, inquit, diis quidem eſt inutile mendacium: utile autem eſt hominibus, ὡς ἐν φαρμάκου εἴδει, *tanquam aliqua medicina.* Erravit etiam gravius Xenophon lib. 4. memorabil. Socratis, ubi ſic loquitur: Quid igitur, ô Socrates! ſi quis belli-dux videns exercitum animo concidiſſe, mentiens dicat auxiliares accedere, & hoc mendacio deſperationem militibus excutiat, ad utrum hujuſmodi fraudem referemus? δοκεῖ μοι, ἔφη πρὸς δικαιοσύνην, *ad juſtitiam, ut arbitror, inquit Euthydemus.* Licitum eſſe aliquando mendacium cenſent Orig. libro 6. ſtrom. Clemens Alex. lib. 7. Strom. Beda in 1 Regum 21.

Dices.

De mendacio obſtetricum Ægyptiarum. Dices: Mentitæ ſunt obſtetrices Ægyptiæ, cùm juſſæ Hebræorum mares occidere, idque non facientes, dixerunt furenti Pharaoni, Exod. 1. 19. *Non ſunt Hebrææ ſicut Ægyptiæ mulieres: ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam: priuſquam veniamus ad eas, pariunt.* Targum Jeroſolymitanum habet: Quoniam vivificant ipſæ, antequam veniat ad eas obſtetrix: orant coram Patre ſuo cœleſti, & exaudit eas, atque ita pariunt. Ibi mentiri eas clarum eſt, quia mares conſervabant ipſæ, ut patet ꝟ. 17. Et tamen additur verſu vigeſimo: *Bene ergò fecit Deus obſtetricibus. Et quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos*, id eſt, auxit eis rem familiarem, dedit eis divitias, & copiam rerum ad vitam hanc cum honore & jucunditate tranſigendam, ut S. Auguſt. & Theodoretus explicant. Vel, *fecit eis domos*, id eſt, dedit eis prolem & progeniem numeroſam, honoratam, inſignem, longævam & diuturnam, ut ait Cornelius. Ex hac Dei remuneratione & ex motivo charitatis obſtetricum infert Rupertus, hoc mendacium fuiſſe licitum. Sed rectè S. Auguſtinus lib. contra mendacium, cap. 10. & ſeq. docet, hoc præmium eis datum eſſe, non quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in eis remunerata fallacia, ſed benevolentia: benignitas mentis non iniquitas mentientis: & propter illud bonum Deus etiam huic malo ignovit. Charitas porrò nunquam movet ad ullum peccatum. Itaque errat Abulenſis in caput ſecundum Joſue, quæſtione trigeſimâ, cùm ait: Rahab à Deo motam eſſe ad mendacium officioſum, quòd eſſet peccatum veniale. Deum enim poſſe movere hominem ad peccandum venialiter, propter magnum bonum, quod inde ſequitur, & ne in majora peccata incidat. Sed, ut dixi, eſt error; Nam non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Neque Deus eſt ullius peccati Author. Non nego Rahab eſſe mentitam. Cùm enim duo exploratores à Joſue miſſi ejus domum intrâſſent, & quærerentur à civibus Jericho, ubi ipſa manebat, ait Joſue 2. ꝟ. 4. *Fateor, venerunt ad me*, (erat enim meretrix, id eſt, cauponaria hoſpita. Hebraicè, *Zona*, utrumque ſignificat) *ſed neſciebam, unde eſſent. Cùmque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt.* Hæc autem omnia ſciebat eſſe falſa, domi enim ſuæ eos occultaverat. Laudatur autem Hebr. 11. 31. Jacobi 2. 25. non ob mendacium, ſed ob fidem & charitatem hoſpitibus exhibitam. S. Ambroſ. lib. 3. epiſt. 25. *Hoſpitalitatem, ait, dilige, per quam S. Abraham invenit gratiam, Chriſtum hoſpitio excepit, filium Sara meruit effœtâ jam ſenectute, Loth quoque Sodomitani excidii evaſit ignem: & tu potes ſuſcipere Angelos, ſi advenientibus hoſpitium tuum offeras. Quid de Rahab dicam, quæ hoc munere invenit ſalutem?*

An mentitus ſit Jacob benedictionem petens. Dices: Origenes, Caſſian. & S. Chryſ. putant, Jacob licitè mentitum eſſe, ac ſine peccato, cùm natus annos 77. à patre ſuo Iſaac nato 140. benedictionem obtenturus, Gen. 27. 19. Ego ſum primogenitus tuus Eſau. ℞. S. Aug. lib. contra mendacium cap. 10. non eſſe mendacium, ſed figuratam locutionem. Nam ſicut Raphaël Archangelus dicit ſe eſſe *Azariam*, id eſt, *adjutorem Dei*, filium *Ananiæ*, id eſt, *gratia Dei*. Tob. 5. 18. & S. Joan. Baptiſta vocatur Elias, non quoad perſonam, ſed quoad ſpiritum, Matth. 11. 14. Ita Jacob dicit ſe eſſe Eſau, non quoad nomen & perſonam, ſed quoad jus & primogenituram à Deo ſibi datam cap. 25. 23. Reſp. 2. Abulenſis, Cajetan. Peter. Lipom. fuiſſe mendacium, ſed veniale: quia nemini faciebat injuriam. Adde, fortaſſe ignorantia invincibilis eum excuſavit, quod cenſeret in illis circumſtantiis licitum eſſe mendacium.

41. *Verſ. 7. 3. Pars. Verſiones variæ.* Poſt mendaces ſeu calumniatores conſtituit David crudeles & fallaces, verſ. eod. 7. VIRUM SANGUINUM ET DOLOSUM ABOMINABITUR DOMINUS. Syr. aſpernabitur. Arabs, contemnit. Sed noſter vulgatus noſter extulit, *abominabitur*, id eſt, execrabitur, abhorrebit, tanquam rem mali ominis & exitioſam fugiet ac deteſtabitur. Petavius benè expreſſit, ἀποβδελυσσόμενος, id eſt, ex animo deteſtans. Græcè, βδελύσσεται, id eſt, propriè, averſabitur ob fœtorem, exhorrebit ut rem impuram, execrabitur, nam βδέω, eſt, flatum ventris emitto, fœteo. Chald. vertit, ירחק *ierabek*, longè fugiet. Hebr. יתעב *ietbaheb*, id eſt, ut ait Mercerus, averſari, dedignari viſu aut alio ſenſu. Nota, vocem latinam, *abominabitur* aptam eſſe dicit S. Auguſt. quia ſolent *abominati* dici *exhæredati*: hic autem Pſalmus pro ea eſt, quæ hæreditatem accipit. Caſſiodorus idem innuit, docens ſignificari reddendos extraneos à regno Dei: & Remigius, quòd exhæredabuntur. Haymo vim in etymologia faciens, explicat à bono omine removendos: vel, ſcribendo ſcilicet abhominor cum aſpiratione, à conſortio rationalium, nempe hominum. Quod S. Aug. tradit, non ita diſertè apud alios invenio: ſed *abominatum* pro ſacris interdicto, & excommunicato dici obſervavit Alciatus L. Pecuniam 36. ff. Si certum petatur: & pro abdicato à magna matre. L. Reddentes. Pro extorri ab Eccleſia, Budæus in Forenſibus: ita Lorinus. Rectè S. Thom. ait, denotari odium irreconciliabile Dei in ſanguinarios & doloſos.

Quæres: Quis intelligatur hic vir ſanguinum? 42. *Vir ſanguinum eſt:*
Primò, S. Aug. & qui eum ſequi ſolent, cenſent virum ſanguinum ſumi pro peccatore, & idem eſſe cum eo, quem priùs David vocavit operantem iniquitatem. Et quidem ſæpè pro peccato *ſanguis* ſumitur in Scriptura, Pſal. 50. 16. *Libera me* (S. Aug. *erue me*, velut lapſum in lutum aut voraginem) *de ſanguinibus*, ab omni corruptione culpæ & pœnæ, ut explicat S. Auguſt. & Lombardus. 2. A fomite peccati, ſeu concupiſcentia, ut Alphonſus à Caſtro hom. 20. 3. A peccato homicidii & adulterii, ut alii. Sic clarè ſanguinem pro peccato ſumit Oſeas 4. 2. *Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit*: id eſt, peccata adjecta ſunt peccatis, ut exponunt S. Hier. S. Cyrill. Chald. & Haymo, ac S. Greg. qui ſit hom. 11. in Ezech. *Sanguis ſanguinem tangit, quando peccatum peccato additur, ut ante Dei oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur.* Chaldæus vertit, aggregant peccata peccatis. *1. Omnis peccator.*

Secundò & meliùs, *vir ſanguinum* eſt vir ſanguinarius, qui eſt homicida, *effuſor ſanguinis innocentis*, ut reddit Chaldæus, licèt generalis ſit ſententia, quâ abominationi eſſe Deo homicidas declarat David, tamen ſpeciatim cum Cajetano arbitror intelligi Saulem, qui tot juſſit occidi ſacerdotes, 1 Reg. 22. 16. Adde Doëgum *Idumæum*, id eſt, ſanguineum, ſeu ſanguinarium, & ſocios, qui cædem illam patraverunt. Maledictionem intentat Nahum Ninivitis, ob cædes in variis gentibus factas. Sic enim ait cap. 3. 1. *Væ civitas ſanguinum!* ſeu, ut Chald. reddit, væ civitati ſanguinum! id eſt, plenæ homicidiis: vel quæ per cædes & ſtrages ubique editas crevit divitiis & potentiis. Sanguis enim metonymicè ponitur pro homicidio: quia objectum ponitur pro actu: nempe ſanguis pro ejus effuſione. Eandem maledictionem interminatur Babyloniis, Abacuc 2. 12. *Qui ædificat civitatem in ſanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.* Hebr. pro *præparat* eſt כונן *conen*, id eſt, conſtituens, ut vertit Arias: qui ſtabilivit, ut Pagninus: citò cadit murus ſanguine, ut cæmento firmatus. *2. Et propriè homicida.*

Myſticè, *virum ſanguinum*, ſeu viros ſanguinum ſumit: Primò, pro Judæorum hoſtibus Lyranus. 43. *Myſticè.* 1.
Secundò, pro perſecutoribus Eccleſiæ Theodoretus; 2.
ſed eam ſuperare non valentibus, ſecundùm ipſius Dei & Salvatoris noſtri promiſſum, Matthæi 16. Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Hos perſecutores peculiariter putat Lyranus eſſe Mahumetanos, quorum ſecta à gladio cepit, per gladium tenetur, per eundem terminabitur. Remigius verò illos perſecutores Eccleſiæ ait eſſe hæreticos, qui fundunt ſanguinem animarum, id eſt, fidem, quâ vivunt animæ juſtorum, Abacuc 2. 4. *Juſtus in fide ſua vivet*: id eſt, incipit vivere per fidem, ut radicem juſtificationis: & perfectè per illam vivit, & in vita conſervatur, ſi ſit charitate formata & vivificata: atque ut loquitur S. Paulus Galat. 5. 6. *Per charitatem*

3. *tatem operetur*. Tertiò, *viri ſanguinum*, ut exponit Didymus, ſunt ii, qui legem tranſgrediendo,
4. aliis ſunt authores mortis. Quartò, *viri ſanguinum* ſunt dæmones, ut ait Clemens Alex. lib. 1. pædag. capite 1. ſunt enim crudeles & in crudelitate conſummati, ut viri per frequentatos actus, Joan. 8. 44. de diabolo ait Chriſtus: *Ille homicida* (Græcè ἀνθρωποκτόνος, Arabs, occiſor hominum) *fuit ab initio*. Adamum impellendo ad peccatum, per quod mors intravit in Mundum: Cainō ſuadendo cædem Abelis fratris, in Joſephum, fratres exacerbando, & ſic de aliis, ut S. Auguſt. libro 2. contra literas Petiliani cap. 13. & Euthymius interpretantur.

44. Verſ. 7. 4. Pars. Denique odio & execrationi doloſum eſſe Deo dicit Propheta, verſ. eod. 7. ET DOLOSUM ABOMINABITUR DOMINUS.

Nota, ad aſtutiam pertinet aſſumere vias non veras, ſed ſimulatas & apparentes ad aliquem finem proſequendum, vel bonum, vel malum. Aſſumptio autem harum viarum poteſt dupliciter conſiderari. Uno quidem modo, in ipſa excogitatione viarum hujuſmodi, & hoc propriè pertinet ad aſtutiam, ſicut etiam excogitatio rectarum viarum ad debitum finem pertinet ad prudentiam. Alio modo poteſt conſiderari talium viarum aſſumptio ſecundùm executionem operis, & ſecundùm hoc pertinet ad dolum. Et ideò *dolus importat quamdam executionem aſtutiæ*. Ita S. Thomas 2. 2. q. 55. art. 4. In articulo autem quinto ponit differentiam doli & fraudis. Sicut dolus, ait, conſiſtit in executione aſtutiæ, ita etiam & fraus. Sed in hoc differre videntur, quòd dolus pertinet univerſaliter ad executionem aſtutiæ, ſive fiat per verba, ſive per facta. Fraus autem magis propriè pertinet ad executionem aſtutiæ, ſecundùm quod fit per facta.

45. Doloſi ſunt rejiciendi. Nota ſecundò, in hoc Pſalmo *doloſum* non diſtingui à fraudulento: quia per doloſum David intelligit Saulem, qui variis dolis conatus eſt ipſum Davidem occidere, modò gladiis Philiſthinorum, modò lanceâ ter in eum conjectâ, modò integris exercitibus, & fortim immiſſis ſicariis & populis in ipſum excitatis. Hebr. eſt, *virum* מרמה *mirma*, id eſt, *doli*, ut vertit Arias: *fraudulentum*, ut Pagninus, *abominabitur Dominus*. Ubi obiter adverte, *rama*, unde deducitur *mirma*, ſignificare, projicere, & fraudare, ſeu doloſè agere, q. d. virum dignum ob fraudes, qui ejiciatur ac repellatur, abominabitur Dominus, & abominando rejiciet ac reprobabit. Quòd autem dolus ad facta extendatur, patet Pſal. 104. 25. *Et dolum facerent in ſervos ejus*, & ad cogitationes atque affectiones, Eccli. 19. 23. *Eſt, qui nequiter humiliat ſe, & interiora ejus plena ſunt dolo*. Græcè, *in interioribus ſuis plenus dolo igneo*, δόλου πυρώδους, id eſt, igneo, inflammante torrente. Qui enim dolum animo verſat, ut hoſti noceat, velut ignem in corde agitat: unde tota fornax flammis impleatur, quas deinde ex improviſo in incautos ejaculetur: ſic flammis dolus furit, ferro etiam graſſatur. Hinc dicit David Pſal. 51. 4. Doëgum ipſum alloquens: *Totâ die injuſtitiam cogitavit* (coagitavit, meditata eſt) *lingua tua: ſicut novacula* (culter raſorius ſeu tonſorius: ſynecdochicè pro quovis cultro: & per catachreſim pro pugione, ſica & gladio) *acuta feciſti dolum*. Et Pſal. 65. 5. Lingua impiorum apertè gladius nuncupatur. *Filii hominum dentes eorum arma & ſagittæ*, id eſt, filiorum hominum dentes ſunt arma & ſagittæ, *& lingua eorum gladius acutus*. Non tantùm propè gladio feriunt doloſi, ſed procul ſagittis impetunt, Oſeæ 7. 16. *Reverſi ſunt, ut eſſent abſque jugo*, id eſt, ut eſſent filii Belial & exleges. Chald. averſi ſunt, ut deficerent à lege: *facti ſunt quaſi arcus doloſus*: qui cùm videatur emiſſurus ſagittas in unum locum, in alium detorquet. Hoc de omni peccatore, hypocrita præſertim ac fraudulento dici poteſt: ſicut illud Pſalm. 77. 57. *Converſi ſunt in arcum pravum*. Sept. στρεβλόν, id eſt, tortuoſum, obliquum, flexuoſum, ut Homerus & Ariſtot. uſurpant. Suidas exponit metaph. perverſum, callidum, verſutum. S. Gregor. lib. 27. Mor. cap. 27. reddit, *in arcum perverſum*. Pſalt. Illyricum, converterunt ſe *in arcum inverſum*. Arabs, *ut arcus tortuoſus*. Pſal. 10. 3. Paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Vide ibi dicta.

Vir doloſus eſt monſtrum, habet enim duplex cor, Pſal. 11. 3. *Vana* (Hebr. שוא *ſau*, mendacium, ut Pagn. & Arias vertunt. Hoc etiam ſignificat Chaldæus שקרא *ſikra*) *locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum, labia doloſa* (Chald. adulationes: ponitur enim labium pro ipſo verbo per labium prolato, per metonymiam) *in corde & corde* (Symm. in corde alio & alio) *locuti ſunt*, hoc eſt, locuti ſunt duplici corde, velut corde diviſo, unum proferente, & aliud occultante. Paphlagoniæ perdices cor duplex habere tradunt Plin. Ælian. Gellius, ſecuti Theophraſtum. Unum cor hominis doloſi eſt cor hominis: & cor ejus alterum, eſt cor lupi: primo blanditur, altero devorat. S. Chryſ. in Pſal. noſtr. *Doloſus eſt, qui aliud habet in ore, aliud in pectore: qui manſuetudinis quidem & comitatis perſonam induit*, τὰ δὲ λύκον ἐπιδεικνύμενος, *ſed de factis lupum oſtendit*. 46. Doloſus eſt monſtrum, quod habet duplex cor. *Perdices habent cor duplex in Paphlag.*

Nota, rectè David ſanguinario & mendaci ſubjecit doloſum, cùm ait: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus*. Hæc enim ſibi maximè connexa ſunt: qui enim malè agit, odit lucem, & dolos ſuos tegit mendaciis, & mendacia dolis, ut, ſicut dicitur Pſal. 10. 3. *Sagittet in obſcuro* (Græcè, ἐν σκοτομήνῃ, in obſcura Luna: Symm. ἐν ζόφῳ, in caligine) *rectos corde*. Habet in ſe incluſum fontem mendaciorum doloſus. S. Auguſt. tract. 7. in Joan. Quando, ait, aliquis aliquid in corde tegit, & aliud loquitur, dolus eſt, & *tanquam duo corda habet*. Unum quaſi ſinum cordis habet, ubi videt veritatem: & alterum ſinum, *ubi concipit mendacium*. Dolum verò ſanguinarium ſymbolicè tibi repræſenta in Joab duce exercitûs Davidis ſiccam occultante, quâ trajicit Abnerem non cogitantem, 2 Reg. 3. 27. *Cùmque rediiſſet Abner in Hebron, ſeorſum adduxit eum Joab ad medium portæ, ut loqueretur ei in dolo: & percuſſit illum ibi in inguine*, (Tropol. poſſet traduci ad eos, qui doloſè ad turpia inducunt) *& mortuus eſt in ultionem ſanguinis Aſaël fratris ejus*, quem Joab occiderat in prælio, ſed invitus ut vitam ſuam tueretur. De cæde Amaſæ per eundem Joab facta, vide ibi cap. 20. 19. ubi eum fratrem appellat, oſculum offert, & doloſè occidit, Joab ſignificat concupiſcentem, deſiderantem. Radix omnium malorum eſt cupiditas. 47. Doloſus & ſanguinarius fratres ſunt.

Nunc in Joab conſidera, quomodo Deus abominetur doloſum ſanguinarium. Statim atque cognovit David Abnerem eo modo eſſe transfoſſum, propheticè mala ob id eventura prædicit, velut imprecans, 2 Reg. 3. 29. *Nec deficiat de domo Joab fluxum ſeminis ſuſtinens*, (& conſequenter ſterilis) *& leproſus, & tenens fuſum*, (id eſt, effœminatus, & ad officia muliebria dejectus: Græcè, σκυτάλης, id eſt, flagrum loreum ſeu coriaceum, flagellum, ſcuticam ut habent bubulci & agaſones: vel ſaccum coriaceum, quo utuntur mendici, vel denique virgam & baculum, quo ſe ſuſtentant cæci & podagrici) *& cadens gladio: & indigens pane*. Morti proximus David ob hanc Abneris cædem & aliàs, juſſit Salomoni, ut occideret Joabum, 3 Reg. 2. 55. *Joab dolo occidens Abnerem maledicitur.*

S. Anaſtaſius Epiſc. Nicænus q. 73. ait, doloſos eſſe Deo odioſos & hominibus inimicos. Et jure quidem, cùm ſint humani generis peſtis, præſertim quando cum dolo accedit crudelitas. Hoc exprime Fenellæ invento, quod refert Cardanus de rerum varietate, lib. 12. cap. 56. Cùm enim illa ſtatuam mirâ arte fabricari juſſiſſet, in cujus manu pomum aureum gemmis refertum erat, quod, quicumque tetigiſſet, ſtatim multis jaculis confodiebatur; eò regem nihil ſuſpicantem in Feſticarii oppido occidit. Mendacem verò & doloſum, qui ſanguinem, id eſt, pecuniam aliorum exugat, efforma in Tauromenienſi trapezita, de quo Conon apud Photium. Hic enim excavatæ arundini depoſitum ſuæ fidei aurum impoſuit, quâ pro baculo utebatur: *Fenellæ dolus crudelis.*

&

Fallax & ingenioſum Trapezitæ cujuſdam juramentum.

& apud judicem vocatus ab adverſario, repentè baculum, in quo latebat aurum, tantiſper eidem committit, donec ſublatis manibus juraſſet ſe depoſitum reddidiſſe, quod fecerat: mox baculum ſimul cum auro incluſo recipit. Sed ſimilibus Reipub. peſtibus, dic cum Alcuino tract. de virtut. & vitiis ad Comitem Vuidonem: *Dic cupide, dic avare, dic ſcelerate, quid acquiſiviſti? Fortè dicet, aurum, acquiſivi, & verum dicis. Ecce aurum acquiſiviſti per fraudem, & fidem perdidiſti injuſtitia. Si in mercato fidem invenires venalem, ſi bonus eſſes, quomodo comparares eam? Quare non times eam perdere, quam Deus voluit habere in corde? Aurum habes & argentum, vel aliquid pretioſum in arca, ſed damnum in corde. His omnibus meliores divitias perdidiſti, fidem & juſtitiam, & dilectionem Dei, & proximi.* Ita Alcuinus.

Impoſtor ſe Alphonſum regem mentiens ſuſpenditur. Impoſtores alii puniti.

Adde, fraudulentos ac doloſos ſæpè ſuis laqueis capi. Impoſtor quidam Alphonſum ſe Hiſpaniæ Regem dicebat poſt 28. annos à victoria, poſtquam viſus ampliùs non fuerat: cùm Petronilla de regno contendit, ſed publicè ſuſpenſus eſt, ut ait Favynus, lib. 4. hiſt. Navarræ. Alter ſe Conſtantinum Ducæ filium mentiebatur, multos decepit, capto præciſa eſt manus: æream ſibi manum cùm aſſumpſiſſet, ac defectionem feciſſet, iterum datus eſt in vincula, atque concrematus, ut refert Zonoras in Romano. Manuëlis filium fingebat ſe Pſeudo-Alexius, ad Sultanum fugit, octo Turcarum millia in fines Romanos immiſit, ſed occiſus eſt, ut ait Nicephorus lib. 5. Non abſimilem necem ſortiti ſunt Pſeudo-Perſei, Pſeudo-Nerones, Pſeudo-Alexandri, Pſeudo-Antonini, Pſeudo-Balduini, aliique, Pſal. 11. 4. *Diſperdat* (Hebr. diſperdet. S. Baſil. exterminabit) *Dominus univerſa labia doloſa.* Id eſt, omnis labiis doloſis utentes. Eſt enim metonymia, Prov. 29. 6. *Peccantem virum iniquum involvet laqueus.* Sept. vertunt, peccanti viro magnus laqueus. Peccatorem ibi ſumit Salazar pro deſperante. 2. R. Aben Ezra, rebellem accipit. 3. R. Levi, ſcandoloſum. 4. Ad rem noſtram aptè Baynus intelligit fraudulentum & doloſum.

ARTICULUS IV.

Templa adeunda ſunt cum timore & reverentia.

48. ORationis qualitatatem, tempus, ac perſonas ad illam idoneas, cum Davide noſtro vidimus:
Verſ. 8. nunc locum ejus aptiſſimum videamus, verſ. 8. EGO AUTEM IN MULTITUDINE MISERICORDIÆ TUÆ INTROIBO IN DOMUM TUAM, ADORABO AD TEMPLUM SANCTUM TUUM IN TIMORE TUO.

Nota primò, David in deſerto Maon profugus opponit ſe hoſtibus ſuis, ac ſpeciatim Sauli & Doëg, qui ſacerdotes occiderant, tabernaculum ſanguine eorum polluerant, ac civitatem Nobe, in qua erat, everterant, ita ut neceſſe eſſet transferre in Gabaonem. Contrà verò pollicetur ſe cum timore tabernaculum illud intraturum: &, ſicut putat Cajetanus, declarat voluntatem, quam jam conceperat templi extruendi, regno adepto ac dilatato, quàm clariùs manifeſtavit Nathan Prophetæ, 2 Reg. 7. 1. anno regni ſui 11. Mundi 2990. cùm dediſſet ei Dominus requiem undique ab univerſis inimicis ſuis Hoſtem autem: 1. Vocaverat *virum ſanguinum*, ſe miſericordem fore pollicetur: *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ.* 2. Dixerat: *Non habitabit juxta te malignus.* De ſe ait: *Introibo in domum tuam.* 3. Dixerat: *Neque permanebunt injuſti ante oculos tuos.* De ſe ait: *Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* Melior etiam erit antitheſis in primo parellelo, ſi dicamus Davidem poſuiſſe: Perdes omnes, &c. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus: quæ ad juſtitiam pertinent Dei. Se autem ad ejus miſericordiam recurrere, eamque invenire; Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo, &c.

49. *Miſericordia hic quadrupliciter ſumpta.*

Nota 2. Quadrupliciter ibi ſumi poteſt miſericordia: Primò, ea quam Deus menti Davidis infuderat: *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam.* Ita ut ſit ſenſus, q. d. tu Saulem crudelem & virum ſanguinum à te & à regno abjeciſti, me autem ſuſcepiſti, & in tabernaculum tuum introduxiſti, infuſà mihi manſuetudinis & benignitatis virtute etiam erga hoſtes meos. Et eam mihi gratiam è periculis evadendi, atque ad te accedendi dediſti ob manſuetudinem, quam erga Saulem alioſque exercui. Secundò, & meliùs, miſericordia ipſius Dei hic ſumitur, quæ in Deo ipſo eſt, & ſeſe patefacit per varios miſerationis actus. Sic accipi poteſt primò, miſericordia ſeu potiùs miſeratio præterita, quâ ex tot periculis eductus David fuerat, q. d. introibo in domum tuam innumeris à te cumulatus beneficiis, iiſque ex omni parte ſuccinctus, ut de iis tibi gratias agam. Secundò ſumi poteſt miſericordia, quam tum poſcebat in deſerto Maon, q. d. ſi nunc liberer ab iſto viro ſanguinum & doloſo, ſiſtam me tibi, ut meo Liberatori, cujus unius ope ſalvus poſſum evadere. Hic ſenſus mihi maximè placet. Tertiò, poteſt intelligi miſericordia futura, quâ tunc Deus liberatum ad ſe accedere patietur in templum tantæ majeſtatis conſpectu & colloquio indignum, q. d. Miſer quidem ſum, & ab omnibus deſertus in montibus errare cogor Saule me dolis & furore invadente, ſed eo rejecto me Deus ſuſcipiet, & in domum ſuam introducet exaudiendum, ungendum & coronandum in Regem. Tropol. intrant templa in multitudine miſericordiæ, qui in ingreſſu templi multis pauperibus ſe cingentibus dant eleemoſynam: ſi pauperum eſt introducere in æterna tabernacula, longè magis ſunt janitores templorum terrenorum, & aperiunt fontes miſericordiæ peccatoribus, qui eleemoſynis redimunt peccata, Luc. 16. 9. *Et ego dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,* (id eſt, de divitiis ac theſauris ad iniqua moventibus) *ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Hoc conſiderans Theophylactus, ait: Felix permutatio, cùm temporalia permutantur æternis. Et S. Chryſoſt. in Catena: Ars artium peritiſſima, inquit, eſt eleemoſyna: non enim nobis domos fabricat luteas, ſed vitam æternam impendit.

Nota 3. Tempore Saulis non erat ullum templum 50.
veri Dei in Judæa, ſed Deus in tabernaculo Mo-

Tabernaculi Moſis variæ manſiones.

ſaico colebatur, & ibi victimæ offerebantur. Cùm autem David agitabatur à Saule, erat illud tabernaculum Moſaicum non in Silo, ut vult hîc Lorinus, ſed in Gabaone. Nam tabernaculum illud in Galgalis urbe diſtante 50. ſtadiis à Jordane, & decem à Jericho, conſtitutum eſt à Joſue anno primo tranſitûs in terram promiſſionis, in primo ingreſſu: fuit enim primus hic caſtrorum locus, ubi facta eſt generalis circuncisio in deſerto per annos 40. Erat autem hic annus Mundi 2584. In Galgalis autem illud Sanctuarium per ſeptem annos manſit: inde ab eodem Joſue tranſlatum eſt in Silo anno Mundi 2590. Joſue principatus 7. Ante Chriſtum 1463. Hoc autem fecit Joſue, quòd Silo eſſet in tribu Ephraim, ex qua ipſe erat: locus munitus in monte & amœnus: Maſius ait, trium horarum ſpatio Hieroſolymis abfuiſſe. In Silo manſit tabernaculum & arca per 350. annos uſque ad mortem Heli Pontificis, & cæſum à Philiſthæis Hebræorum exercitum, atque arcam captam. Translatum eſt autem à Samuele in Nobe urbem, ne, ſi relinqueretur in Silo, arca velut ſuo præſidio nudatum, à Philiſthæis victoribus raperetur, aut profanaretur. Manſit autem in Nobe toto tempore Samuelis, & uſque ad annum 13. Saulis, quo urbs illa everſa eſt à Doëgo ejus juſſu. Inde tranſtulit tabernaculum in Gabaonem Saul, civitatem Benjamin tribûs ſuæ, ibique manſit uſque ad tempora Salomonis. Unde 3 Reg. 3. 4. dicitur: *Abiit Salomon in Gabaon, ut immolaret ibi, illud quippe erat excelſum maximum.* Majus ſcilicet, quàm excelſum Cariathiarim, ut ait Salianus, quàm Ramathæum, quàm quod in Bethel, in Maſpha, in Galgala, quàm in Gabaa Benjamin, & Silo, & Hebron, & omnibus religioſis locis, in quibus hactenus ſacrificatum fuerat Deo. Eò quòd ſcilicet ibi eſſet tunc tabernaculum Moſis. Ibi mille

hoſtias

Digitized by Google

hoſtias ſacrificavit Salomon, & ſapientiam petiit à Deo, atque obtinuit.

51. Tabernaculum Moſis & Davidis aliquando templum vocatur.

Nota 4. Tabernaculum illud Moſaicum, & tabernaculum ipſum, quod David in Hebrone excitavit cum altari per ſeptennium, quod ibi fuit Rex Juda, vocatur templum, *adorabo ad templum ſanctum tuum*, latè ſumendo vocem templi, pro loco ad ſacrificia offerenda ac preces publicas deſtinato & conſervato. Vox Hebraica היכל *hecal*, quâ Rex noſter utitur, ædem, palatium, aulam ſignificat. Deus enim in tabernaculo fœderis tanquam Rex ac Dns populi Iſraël ſedem ſibi ſpecialem fixerat, ubi reſponſa ſua & oracula redderet, ac mandata intimaret. Sunt, qui *hecal*, ut ait Mercerus, propter jod reducant ad radicem יכל *iacol*, potuit, quòd hoc nomine Baſilica ſeu Regia Aula, Atrium, Palatium ſignificetur, ubi Rex aut Dominus aliquis prævalet, potenter regnat aut dominatur. Hinc & tabernaculum fœderis ſeu Conventûs, & poſteà templum Salomonis hoc nomine dictum eſt, quòd ibi tanquam in Aula peculiarem Deus Majeſtatis ſuæ præſentiam & potentiam exhiberet & declararet. Hinc etiam templa noſtra Baſilicæ, id eſt, domus regiæ, dicuntur, & S. Hieron. inter monſtra numerat Vigilantium, qui templa Martyrum negabat adeunda. Sic enim epiſt. ad ipſum ait: *Multa in Orbe monſtra generata ſunt: Centauros & Sirenas, ululas & onocrotalos in Eſaia legimus. Job Leviathan & Behemoth myſtico ſermone deſcribit. Cerberum & Stymphalidas, aprumque Erymanthium, & Leonem Nemæum, Chimæram atque Hydram multorum capitum narrant fabulæ Poëtarum. Cacum deſcribit Virgilius, triformem Geryonem Hiſpania prodiderunt. Sola Gallia monſtra non habuit, ſed viris ſemper fortiſſimis & eloquentiſſimis abundavit. Exortus eſt ſubitò Vigilantius, ſeu veriùs Dormitantius, qui immundo ſpiritu pugnet contra Chriſti ſpiritum, & Martyrum neget ſepulchra veneranda.* Quid dicas noſtris Calviniſtis, qui tot templa everterunt? Concilium Gangrenſe Can. 5. ait: *Si quis docet domum Dei contemptibilem eſſe, & conventus, qui in ea celebrantur, anathema ſit.* S. Chryſoſt. hom. 2. vocat templa ἰατρεῖον πνευματικὸν, ſpiritalem animæ portum. Euſebius lib. 1. de Vita Conſtantini, cap. 46. vocat illa, σεμνὸν τῆς ἀρετῆς διδασκαλεῖον, auguſtam virtutum ſcholam: & S. Cyrillus in Joan. num. 14. ait, templum adire, eſſe, τριπόθητον, καὶ πολύευκτον ἀληθῶς, verè ſtudio incredibili & amore optandum, & expetendum multis votis. Hinc tanto ardore & pietate Reges ac Principes Chriſtiani Deo templa erexerunt, ut Mariana lib. 4. hiſt. cap. 2. dicat, à Jacobo Rege Aragonum duo templorum millia aut de novo extructa, aut reparata: Paulus Diaconus ait, prædictum fuiſſe Conſtanti Imp. non poſſe ejici Longobardos ab Italia, quòd S. Joanni templum erexiſſent: cùm autem à Carolo Magno poſteà victi ſunt, templum illud viris indignis datum erat. Ipſis feris ſua templa voluit Deus aſyla eſſe. Sanctius enim Rex Hiſpaniæ aprum in ſylvia uſque ad aram templi diruti ſequens, cùm eum perfodere vellet, manum obriguiſſe ſenſit: S. Antonini opem implorans ſanatus eſt, templum reparavit, & urbem Palentiam de novo excitavit, ut narrat Mariana lib. 8. Hiſt. Hiſpan. cap. 8. & Fauynus lib. 3. hiſt. Navarræ, fol. 131.

52. David Rex non ingrediebatur Sanctum, nec atrium Sacerdotum, ſed tantùm atrium mundorum.

Nota 5. Licèt dicat David: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum*, non intrabat tamen etiam Rex factus Sanctum ſeu Sanctuarium; ſed tantùm atrium mundorum, id eſt, populi Iſraël, qui nullâ labe aut immunditiâ legali arcebatur ab ingreſſu tabernaculi. Itaque per domum & templum ſanctum intelligitur illud atrium: ſic Chriſtus in templo Salomonis bis ex eo atrio, aut potiùs ex atrio gentium, ejecit vendentes boves, oves & colombas, & nummularios, id eſt, trapezitas, ut Syrus vertit; collybiſtas, ut habetur Græcè, hoc eſt, qui ex pecuniæ permutatione quæſtum faciunt: & propriè, qui argenteos aut æreos nummos permutant minutis, quales ſunt oboli ac teruntii, ut ait Pollux ex Lyſia. Eſt enim κόλλυβος Heſychio, ſpecies nummiſmatis, ſeu aureus nummulus, cui bovis imago impreſſa erat, & Polluci ipſi eſt permutatio illius nummuli. Hoc porrò accidit primùm initio prædicationis Chriſti, ut refert Joan. 2. 14. & paulò ante paſſionem, ut Matth. 21. 12. ait autem ibi verſu 13. *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Arabs, ſpeluncam latronibus; quia ibi uſuris, venditione & variis modis fraudulentis Sacerdotes ipſi peregrinos & pauperes expilabant. Sic à Davide hîc atrium tabernaculi fœderis vocatur domus Dei, & templum ſanctum. Nam in Sanctum Sanctorum, id eſt, in Sanctuarium ſanctiſſimum, ac velut in chorum tabernaculi illius, & poſteà templi Salomonis non intrabat niſi ſummus Sacerdos, & quidem ordinariè ſemel in anno: nempe in die expiationis, Levit. 16. 12. in Sanctum, id eſt, in primam tabernaculi partem, velut in ejus navem, non intrabant niſi Sacerdotes, ut panes ponerent ſupra menſam auream panum propoſitionis, ut accenderent lucernas in aureo candelabro, ut adolerent incenſum in altari aureo manè & veſperi tempore immolationis agni in holocauſtum. In atrium Levitarum, quod erat ſub dio ob altare holocauſtorum in ejus medio poſitum, non intrabant niſi Sacerdotes, & Levitæ, velut eorum Diaconi, id eſt, miniſtri. Erat autem illud atrium proximum tabernaculi veſtibulo. Propè illud atrium Levitarum erat ſedes regia, ſed in atrio populi loco honoratiſſimo & Sacerdotibus proximo, ut faciliùs videret omnia, quæ gerebantur in altari holocauſtorum, & in ipſo tabernaculo. Hæc declarantur Ezech. 46. *Hæc dicit Dominus Deus: Porta atrii interioris, quæ reſpicit ad Orientem*, (id eſt, porta atrii Levitarum, quod erat prope tabernaculum in parte Orientali) *erit clauſa ſex diebus, in quibus opus fit: die autem Sabbathi aperietur, ſed & in die Calendarum* (primo ſcilicet die menſis, erat enim feſtum Neomeniæ, id eſt, novæ Lunæ) *aperietur. Et intrabit Princeps per viam veſtibuli portæ de foris, & ſtabit in limine portæ, & facient*, (offerent, ſacrificabunt) *Sacerdotes holocauſtum ejus, & pacifica ejus*, (hoſtias pacificas ab eo oblatas) *& adorabit ſuper limen portæ, & egredietur: porta autem non claudetur uſque ad veſperam. Et adorabit populus terræ* (foris poſt principem) *ad oſtium portæ illius in Sabbathis, & in Calendis coram Domino.* Sedes regia prope atrium Levitarum poſita, vocabatur Muſach Sabbathi, de quo 4 Regum 16. 18. *Muſach quoque Sabbathi, quod ædificaverat in templo, & ingreſſum Regis exterius, convertit* (Achaz Rex) *in templum Domini, propter Regem Aſſyriorum.* Muſach Hebraicè ſignificat operimentum, ut vertit Arias: velum, ut Pagnin. opertorium, tectum, tentorium, conopæum, ut alii. Rad. נסך *naſach*, tegere, operire. Muſach ergò Sabbathi erat ſolium opertum ſeu tentorium conopæo ſplendido coopertum, quod erat juxta atrium Sacerdotum, ſed extra illud, in quo Rex in Sabbathis & feſtis orabat, & ſacrificia ſpectabat, & Sacerdotes ac Levitas cantantes audiebat. In hoc ſolio poſitus eſt Joas à Joiada Pontifice, cùm creatus eſt Rex Juda, 4 Regum 11. 14. Achaz autem illud Muſach *convertit in templum Domini*, id eſt, intulit in ipſum atrium Sacerdotum & Levitarum, ut gratificaretur Regi Aſſyriorum, & contra legem omnem eum induceret aut principes ab eo miſſos in atrium illud ad ſpectanda ſacrificia tum in altari holocauſtorum, tum in Sancto: vel potiùs, ut à vulgo magis ſeparatus & inter Sacerdotes ſedens auguſtior appareret Regibus Aſſyriis, & majori in honore haberetur.

Regis Judæorum locus in templo.

Nota 6. Tres virtutes eſſe neceſſarias templum ingredienti. Primò, ſpem in Dei miſericordia: *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam.* Secundò, humilitatem: *Adorabo ad templum ſanctum tuum.* Tertiò, timorem: *In timore tuo.* 53.

53. 3. Virtutes neceſſariæ templum ingredienti. 1. Spes. 2. Humilitas. *Adoratio interior & exterior.*

Ac primò, quomodo ſit explicanda illa Dei miſericordia, dixi ſuprà notando ſecundo, illa eſt noſtræ ſpei baſis, & radix, & fons.

Secundò: Humilitas externa, & interna declaratur in voce *adorabo*. Ut enim ait S. Thomas 2. 2. quæſt. 84. art. 2. ad 3. Adoratio Dei duplex eſt, ſcilicet

licet interior devotio mentis, & exterior humiliatio corporis. Prima eſt principalior, ad quam & propter quam ſecunda fit. Eſt actus latriæ, ibid. art. 1. ad 3. quæ latria debetur Deo propter proprium & ſingularem rationem dominii: ratione item principii, creationis & gubernationis. Ubi nota, adorationem in Scriptura ſumi tripliciter: Primò, genericè, pro quacunque veneratione, quæ alteri exhibeatur, ob præſtantiam aliquam dignitatis; ſive is ſit Deus, ſive Angelus, ſive homo, Geneſ. 18. 2. de Abrahamo in convallo Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in fervore diei, id eſt, ſub meridiem & tempus prandii, dicitur: *Cùmque aperuiſſet oculos, apparuerunt ei tres viri* (tres Angeli ſpecie virorum: nempe, ut volunt Hebræi, Michaël, Gabriël & Raphaël; ſed id non eſt certum) *ſtantes prope eum: quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi, & adoravit in terram.* Id eſt, adoravit pronus in terram, ut dicitur de Loth duos ex illis Sodomæ adorante, cap. 19. 1. Secundò, adoratio etiam genericè ſumpta ſumitur pro quocunque actu religionis interno vel externo, quo divinus honor Deo defeatur. Sic ſumitur Exod. 23. 14. *Non adorabis Deos eorum*, (Chananæorum) *nec coles eos.* Sic etiam Deum Angeli adorant, Pſ. 96. 7. *Adorate eum omnes Angeli ejus.* S. Hier. vertit: *omnes Dii.* Sunt enim & filii excelſi, & Dii per participationem ſicut homines. Ille actus adorationis eſt actus latriæ ſeu ſervitutis debitæ ſoli Deo, tanquam certum omnium Domino. Tertiò, ſpecialim, & propriè, adoratio eſt actus externus religionis, quo per convenientem aliquem corporis geſtum proteſtamur noſtram ſubjectionem erga Deum, ſicut erga ſummum omnium Dominum, atque adeò tribuimus ei divinum honorem. Cùm enim corpore conſtemus, & animo, par eſt ratio, ut utrumque Deo ſubjiciamus, & utroque eum honoremus: deinde illa exterior veneratio pietatem auget ac devotionem. S. Auguſt. lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 5. *Neſcio*, inquit, *quo pacto cùm hi motus corporis non poſſint niſi motu animi præcedente fieri, eiſdem exteriùs viſibiliter factis, ille interior inviſibilis, qui eos fecit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui, ut fierent iſta, præceſſit: quia facta ſunt, creſcit.* Sic Magi intrantes domum, invenerunt Puerum JEſum cum Maria Matre ejus, *& procidentes adoraverunt eum*, Matth. 2. 11. Arabicus textus habet, procidetunt eum adorando. Deum eſſe eum cognoverunt, ut tradunt S. Iren. lib. 3. cap. 10. S. Leo ſerm. 1. de Epiphania. Unde Græci diem illius adorationis vocant non tantùm Epiphaniam, ſed etiam Theophaniam. In Pſalmo noſtro vox Hebraica אשתחוה *eſthahave*, propriè ſignificat, incurvabo me, humiliabo me totius corporis incurvatione & proſtratione, quæ reverentiæ causâ etiam fiebat hominibus, maximè principibus aut magnis viris apud Orientales: Hinc pro adoratione Deo debita ſumitur. Rad. שחה *ſaha*, Incurvatus eſt, humiliatus eſt, incurvavit, & humiliavit ſeipſum. Græcum *προσκυνεῖν* eſt, venerabundè ſalutare, venerando oſculari, à *κύω* oſculor. Sic *adoro* ſignificat ad os pono, oſculo exhibeo venerationem, oſculando veneror & honoro. Solebant enim ſtatuas Deorum ſuorum oſculari Ethnici, vel ſi eſſet ſtatua remotior, manum ſuam oſculabantur, deinde illa ſtatuam tangebant, vel contrà. Aliquando ne idolum quidem manu tangebant, ſed illam tantùm oſculabantur, & ad illud converſi ſignum venerationis exhibebant. S Hier. in Rufinum: *Qui*, ait, *adorant, ſolent deoſculari manum, & capita ſummittere.* Sic Solem & Lunam venerabantur, ut patet Job 31. 27. *Si vidi Solem, cùm fulgeret, & Lunam incedentem clare, & oſculatus ſum manum meam, quæ eſt iniquitas maxima.* Vide dicta Pſ. 2. 12. Apprehendite diſciplinam, ubi Hebr. eſt, *oſculamini Filium:* S. Hier. vertit, *adorate purè.*

Adoratio exterior juvat interiorem.

Corporis eam incurvationem, & exteriorem reverentiam docens nos in templo cœleſti Seniores, id eſt, principes, viſi à S. Joanne circa thronum Dei, circumamicti veſtimentis albis, & coronis aureis illuſtres. Cùm enim 4. animalia, id eſt, 4. Angeli darent gloriam, & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum, & viventi in ſæcula ſæculorum, additur verſ. 10. *Procidebant viginti quatuor Seniores ante ſedentem in throno, & adorabant viventem in ſæcula ſæculorum, & mittebant* (Arab. dimittebant, relinquebant. Syr. abjiciebant) *coronas ſuas ante thronum.* Adorationem illam explicat Alcazar de ſacrificio Miſſæ: ait enim Seniores illos eſſe Sacerdotes Eccleſiæ, qui per mare vitreum, id eſt, per pœnitentiam, ſe parant ad hoc ſacrificium, quod præſtantiſſimam Dei adorationem & ſanctiſſimæ Trinitatis glorificationem continet, ob victimam pretioſiſſimam & Deo gratiſſimam, quæ ibi offertur. Sed hoc eſt myſticum. Angelos ipſos venerabundos eſſe viſos ante altaria refert S. Chryſoſtomus. Et S. Chryſolog. ſerm. 5. ait: *Pavent Angeli, poteſtates metuunt, in faciem provuunt cœli Seniores.* S. Juſtin. in Tryph. ait Deum *μειλίσσεσθαι*, demulceri oratione, quæ funditur, *τῇ ἐν πρηνεῖ κατακλίσει, καὶ ἐγκλίσει*, *ſubmiſſo in terram vultu, & flexis humi genibus.*

Sancti Deum adorantes viſi à S. Joanne.

Theodoſii ſenioris Imp. illuſtris ad exemplum eſt animi dimiſſio. Cùm enim ob cædem Theſſalonicæ à militibus ejus factam, excluſus à templo fuiſſet, ac poſt menſes octo aditum obtinuiſſet à S. Ambroſio, ut narrat Nicephorus lib. 12. c. 12. *Non ſtans ille, neque genibus flexis rerum univerſarum Dominum placavit*, ſed, *πρηνὴς ἐπ' ἐδάφους ἐῤῥιμμένος*, *pronus in ſolum abjectus*, miſerabilem illam Davidis emiſit *vocem:* (Pſal. 118. 25.) *Adhæſit pavimento anima mea, vivifica me ſecundùm verbum tuum, τίλλων τρίχας, καὶ μέτωπον, τύπτων, & comam inſuper vellens, caputque diverberans, & ſolum lacrymis madefaciens, delicti veniam ad eum modum petiit.*

Theodoſii Imp. ſen. pœnitentis humilitas.

Quâ modeſtiâ Theodoſius junior Imp. ſenioris nepos in templo verſaretur, ipſe teſtatur in Concilio Epheſ. cap. 21. & refert Baronius tomo 5. an. 398. *Nos*, ait, *qui legitimis imperii armis nunquam non circundamur, quoſque ſine armatis ſtipatoribus eſſe non convenit, Dei templum ingreſſuri foris arma relinquimus, & ipſum etiam diadema regiæ majeſtatis inſigne humiliter deponimus, & ſacra altaria munerum tantùm offerendorum causâ accedimus, quibus quoque oblatis ad exterium communeque atrium mox nos recipimus, nec quicquam ex propinqua divinitate nobis arrogamus.* Turcæ in templorum aditu calceos ponunt ad majorem reverentiam. Ethnicos id quoque præſtitiſſe docet S. Juſtinus Apol. 2. pro Chriſtianis ad Antonin. Imp. Fana, inquit, ingredientes, calceos deponunt, & cultores eorundem idem facere Sacerdotes jubent. Nudis pedibus etiam Sacerdotes Hebræi ſolebant ſacrificia offerre in altari holocauſtorum: unde lavabant pedes, ut Sanctum, id eſt, primam tabernaculi, ſeu templi partem, intrarent. Totius corporis modeſtam compoſitionem declarat Seneca lib. 7. natural. quæſt. *Intramus templa compoſiti, ad ſacrificium acceſſuri vultum ſubmittimus, togam adducimus, in omne argumentum modeſtiæ fingimur.*

Theodoſii junioris pietas.

Tertiò, templum ingredienti neceſſarius eſt Dei timor: ideò David ait: Adorabo ad templum (Pagninus, in templo) ſanctum tuum *in timore tuo:* id eſt, tui, q. d. adorabo te timens, te venerans & reverens, hoc eſt, cum pietate & devotione, ſed tremens velut filius coram patre, & ſubditus coram rege, & reus coram judice. Petav. ſignatè expreſſit, *τεῷ ὑπὸ κάρτεϊ τρομέων*, *tuo ſub robore tremens.* Arab. optimè, *indutus timore tuo.* Hanc veſtem hyacinthinam ad talos uſque demiſſam ferant Sacerdotes ad altare, ut ſint Sancti Domino, & ferant Rationale in pectore, ſintque oracula viva populorum, habeant in extremitate veſtis illius tintinnabula, quæ ut S. Hier. tubam illam judicii extremi ſemper in memoriam revocent, Exodi 28. 33. *Deorſum verò ad pedes ejuſdem tunicæ per circuitum quaſi mala punica facies, ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis. Ut audiatur ſonus, quando ingreditur & egreditur Sanctuarium in conſpectu Domini, & non moriatur.*

54.

3. Timor templi adeunti eſt neceſſarius.

Tintinnabula in veſte Pontificis.

S. Thom.

Digitized by Google

S. Thom. 1. 2. quæſt. 102. art. 5. ad 10. explicans, quid ſymbolicè veſtes Pontificis Judæorum ſignificent, ait per tunicam hyacinthinam denotari converſationem cœleſtem per opera perfectionis. Unde & tunicæ hyacinthinæ adjunguntur in extremitate tintinnabula aurea: per quæ ſignificatur doctrina divinorum, quæ debet conjungi cœleſti converſationi Pontificis. Adjunguntur etiam mala Punica, per quæ ſignificatur unitas fidei & concordia in bonis moribus: quia ſic conjuncta debet eſſe ejus doctrina, ut per eam fidei & pacis unitas non rumpatur. Ad rem noſtram aptè S. Greg. Nyſſ. per hæc tintinnabula videtur intelligere novißimam tubam Archangeli, quâ intonabit: Surgite mortui, venite ad judicium, ait enim: *Per hac ſua tintinnabula monetur ſacerdos, ut corpus habeat leve & aereum ex cibi potuſque tenuitate, ut exiliat ad noviſſimam tubam, feraturque ſublimis per aera obviam Chriſto venturo ad judicium.* Origenes quoque hom. 9 ait, Pontificem habere hæc tintinnabula in extremitate veſtis, ut de extremis temporibus & fine Mundi nunquam ſileat: ſed inde ſemper ſonet, inde loquatur, inde diſputet, ſecundùm eum, qui dixit: Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.

Sic timor tuus filialis. Sit tamen timor tuus filialis, cùm templa ingrederis. *Adorabo* ad templum ſanctum tuum *in timore tuo.* Quod Beda verſans ait: *Adorabo, non in elatione, ſed in timore: non ſervili, ſed tuo, id eſt, filiali, pertinente feliciter ad cuſtodiam ſanctitatis.* De eo timore vide S. Thom. 2. 2. quæſt. 19. art. 2. & 8. ac ſeq. Caſtus etiam hic timor vocatur art. 2. ad 3. Sic Caſſiodor. in Pſalm. noſtr. dixit: *Tunc fides ſolida eſt, quando amore caſto formido divinitatis adhibetur.* Non repugnat charitati ipſi, imò ea aucta augetur, & imminuta minuitur, 2. 2. q. 19. art. 10.

Effectum illius timoris & orationis in templo cum eo factæ declarat hic S. Chryſoſt. *Adorabo,* ait, *ad templum ſanctum tuum in timore tuo: non ſicut multi, qui orant fricantes, hiantes, torpeſcentes: ſed cum metu & tremore. Qui enim ſic orat,* πᾶσαν κακίαν ἀποτίθεται, πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν χειραγωγεῖται, *omne vitium deponit, ad omnem virtutem veluti manu ducitur, Deum ſibi reddit propitium.*

55. Trepidant in templo: 1. Sancti. Ipſi Sancti in templorum aditu trepidant. Sanct. Hieronym. in epiſtola contra Vigilantium: *Ego,* ait, *confiteor timorem meum, ne forſitan de ſuperſtitione deſcendat. Quando iratus fuero, & aliquid mali in animo meo cogitavero, & me nocturnum phantaſma deluſerit, baſilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus & corpore & animo pertimeſco.*

2. Angeli. S. Gregorius Nyſſenus oration. de occurſu, docet, Angelos ipſos Chriſto in templis, δουλικῶς αὐχένα ὑποκλίνειν, humillimè more famulorum cervicem flectere.

3. Pagani ipſi. Ethnici ipſi mirâ veneratione templa ſua ingrediebantur. In Azoto quidem, ſuoi Dagonis limen *non calcant Sacerdotes* ejus, nec omnes, qui ingrediuntur templum ejus, quòd Arca Dei prope Dagon poſita, die alterâ manè invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terra coram Arca Domini: caput autem Dagon & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen, 1 Reg. 5. 4. & 5.

56. Templa ſunt adeunda religiosè. Motiva trium illarum virtutum neceſſariarum in templorum aditu: nempe ſpei in Dei miſericordia. 2. Humilitatis externæ & internæ. 3. Timoris filialis, ex Propheta noſtro eruere potes. Primò, quòd templum ſit domus Dei: *Introibo in domum tuam.* Secundò, quòd ſit domus ſancta & conſecrata: *Adorabo ad templum ſanctum tuum.*

1. Quia ſunt domus Dei. Ac primò, templa ſunt Dei domus & alterum cœlum, in quo Angeli illi ſerviunt. S. Thom. 2. 2. qu. 85. art. 2. ad 3. docet: Templa & altaria ſoli Deo dedicari, licèt nominentur in honore Sanctorum. S. Chryſoſtomus hom. 36. in primam ad Corinthios, ex eo, quòd Eccleſia ſit Dei domus, inde rectè concludit cum tremore ad illam accedendum:

Non tonſtrina, aut unguentaria taberna cœlum terrenum. *Non tonſtrina,* inquit, *aut unguentaria taberna Eccleſia eſt, aut officina forenſis: ſed* τόπος ἀγγέλων, τόπος ἀρχαγγέλων, βασιλεία θεοῦ, αὐτὸς ὁ οὐρανός. *Locus Angelorum, locus Archangelorum, regia Dei aula, cælum ipſum.* Cauſam deinde ſciſcitatur, cur menſa altaris ponatur, atque id fieri ad Chriſtum recipiendum. Quare ſi in ſolio regi conſidenti aſſurgimus, longè potiori jure id præſtandum eſt Regi omnium Dominatori. Ex quo refert: *Et tu igitur ante illud tempus,* φρῖξον, διαναστῆθι, *animo tremiſce, animo commovere, priuſquam vela reducta, & chorum Angelorum progreſſum vides, in ipſum ultrò cœlum aſcende. Sed iſta profanus ignoras, &c.* Digniſſimus eſt locus, qui legatur, fusè invehitur in eos, qui nugacitate Eccleſias profanant ac polluunt.

Finge tibi animo, ſciſſum cœlum patere, vela illa Divinitati objecta eſſe reſerata, tum autem ductante Angelorum choro, cœleſtem te aulam hanc ſubire, undique affuſos cœlites videre, voces Deum laudantium audire, oculis Chriſtum ipſum ac Deiparam, Sanctoſque omnes & Angelos intueri: quid tibi nunc eſſet animi? Quis ardor mentis? Quis contemptus terræ ac terrenorum? Idem mente reputa, cùm Eccleſiam ſubis, Pſal. 65. 13. ait David: *Introibo in domum tuam in* (cum: beth enim ſæpè ſignificat, cum) *holocauſtis: reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt* (S. Hiero promiſerunt) *labia mea.* Ubi S. Baſilius ait: *Qui eſt in templo Dei, non vana, ſcurrilia aut probroſa loquetur verba, ſed in templo ejus omnes dicent gloriam. Aſſiſtunt* ἀποσημειούμενοι ῥήματα ἅγιοι ἄγγελοι, *verba deſcribentes ſancti Angeli, adeſt & Dominus,* διαθέσεις ἐποπτεύων εἰσιόντων, *affectus intrantium contemplans.*

Si Romæ in foro boario ædes Herculis rotunda fuit, ad quam nec canes nec muſcas ingredi opinio eſſet, ſi nec in ædem Achillis ante Boryſthenem ullam avem, ut ait Plinius lib. 10. cap. 29. quid facies in Dei veri templis? De templo cœleſti dicitur, Apoc. 22. 15. *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis, qui amat & facit mendacium.* In templis etiam materialibus purus ſit animus. Seneca epiſt. 94 *Pythagoras ait alium animum fieri intrantibus templum, Deorumque ſimulacra ex vicino cernentibus, & alicujus oraculi operientibus vocem.* *In æde Herculis nec canes, nec muſcæ intrabant.*

Secundò, templa ob ſuam ſanctitatem requirunt reverentiam & pietatem: *Adorabo ad templum ſanctum tuum.* Nota, tabernaculum fœderis ſeu Moſaicum, & templum Salomonis duabus partibus propriè conſtabant. Prima & maxima auguſta vocabatur Sanctum Sanctorum, id eſt, ſanctiſſimum. Secunda dicebatur Sanctum, ut jam dixi: Tertia enim pars, nempe atrium, erat ſub dio. 57. 2. Templa ſunt ſancta.

Nota ſecundò, templa ſunt ſancta: Primò, quia ſunt divino cultui applicata, ut ait S. Thom. 2. 2. qu. 81. art. ult. ſanctum enim eſt, quod eſt ab uſu communi & profano ſegregatum. Secundò, templa ſancta ſunt, quia puritatis ſunt domicilium, & eam dant ſæpè accedentibus. Tertiò, quia adverſus injuriam & vim religione quâdam muniuntur, & ut ait Donatus, ſancta loca ſunt, quæ omni obſecratione inviolata ſunt. Sanctum propriè dicitur, ut Marcianus de rerum diviſione loquitur, quod ab injuria hominum defenſum atque munitum eſt. Quartò, templa ſancta ſunt, quia in iis ſpecialiter habitat Deus, qui eſt Sanctus Sanctorum, id eſt. Sanctiſſimus. S. Ambroſius lib. 3 Hexaëm. cap. 1. *Templum,* ait, *ſacrarium Trinitatis, ſanctitatis domicilium, Eccleſia ſancta, in qua refulgent aulæ cœleſtia.* Ob 4. rationes: 1. 2. 3. 4.

Sacerdotes itaque, præſertim templum intrantes, ſibi dictum putent illud Levit. 21. 6. *Sancti erunt Deo ſuo,* (remoti ab omni immunditia & contaminatione, ac profanis & turpibus ceremoniis ac moribus) *& non polluent nomen ejus,* (famam & decus ſacerdotale & Dei, cujus ſunt miniſtri) *incenſum enim Domini,* (in altari thymiſmatis in Sancto poſito) *& panes Dei ſui offerunt,* (in menſa panum propoſitionis) *Et ideò ſancti erunt.* Et verſ. 8. *Sint ergò ſancti, quia & ego Sanctus ſum, Dominus qui ſanctifico eos:* id eſt, ſanctos eſſe jubeo, & in Sacerdotes conſecro, oleo ſancto eos perfundendo, & à profanis ipſos ſegregando.

Hinc lineas veſtes Sacerdotes & Levitæ in templum ad res ſacras peragendas ferre jubebantur. De ſummo Pontifice habes, Exod. 28. 4. *Hæc erunt veſti-* *In veſte Linea Moſaica.*

Sacerdotes miniſtrabant.

veſtimenta, quæ facient: Rationale, Superhumerale, tunicam & lineam ſtrictam, &c. Per tunicam intelligitur tunica hyacinthina, quæ ob excellentiam tunica abſolutè appellatur: Linea ſtricta, id eſt, tunica linea inſtar interulæ, corpus ſtringebat, & inde nomen habuit: eandem Lineam ſtrictam habebant etiam alii Sacerdotes, verſ. 40. ac fœminalia etiam Linea, verſ. 42. & 43. Cauſam Philo affert lib. 1. de monarchia: *Pontifex*, ait, *jubetur veſtem lineam ſumere, quando adyta ſubit, quia Linea non conficiuntur a mortali materia, ſicut veſtes laneæ, quæ a pecoribus capiuntur.* Et fuſiùs S. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 45. ait: Aaronem ac filios ejus Sacerdotes, juſſos eſſe lineis, non laneis uti in templo, ut diſcerent, τῶν ἔξωθεν θορύβων ἐπιλησομένους, *externos tumultus de memoria deponendos. Nam qui rei ſacra causâ ad Deum accedit, nihil alienum, nec ullam rerum ex materia conſtantium ſarcinam ſecum afferre debet. Quamobrem ſi poſt ejuſmodi ſigna, temeritate ductus veritati vim afferre conaris, confuſiones ac nugas templis, quibus omne ſilentium debetur, & colloquia turpia & prapoſtera, nefariaſque manuum impoſitiones: hoc perſuaſum habe, quod* εἰς ἔσχατον κατακρίσεως κίνδυνον, *in extremum condemnationis & exitii periculum, te ipſum impelleo.* Excluſio veſtium lanearum tam pro Sacerdotibus, quàm pro Levitis expreſsè habetur, Ezech. 44. 17. *Cùmque ingredientur portas atrii interioris*, (id eſt, atrii Levitici, in quo erat altare holocauſtorum) *veſtibus lineis induentur: nec aſcendet ſuper eos quidquam laneum, quando miniſtrant in portis atrii interioris, & intrinſecus:* Id eſt, in Sancto.

Cur non in laneis.

18. Tropol. Tropol. Innocentius III. ſerm. de Dedicat. templi, etiam templum ſumit pro anima juſti. Itaque adorate Deum ad templum ſanctum eſt, adorare illum in mente ſua, ibi victimas immolando, & incenſum offerendo, lucernas accendendo, panes propoſitionis ponendo, primitias & oblationes dando, & alia præſtando. Origenes in Pſal. noſtr. *Præclara*, inquit, *virtutis conditio & ſancta vita, Domus Dei eſt, quam quidem virtutem qui poſſident, cum fiducia & libertate magna loquuntur. Chriſtus verò, tanquam Filius, venit in templum ſuum, cujus templum ſumus nos, iis, qui nobis ſimiles ſunt, dicentes: Templum ſanctum eſtis, & corpora veſtra templum ſunt Spiritûs ſancti.* S. Ephrem. ſerm. de Virginitate ſæpiùs appellat virgines templum Dei, & oſtendit, per bona opera templum nos poſſe Dei effici. Cupis, ait, eſſe caſtum & immaculatum templum Dei? Imaginem ejus in corde tuo ſemper habeto: Imaginem, inquam, non colorum varietate in ligno, aliâve materiâ deformatam, verùm illam, quæ per bona opera, ut jejunia, vigilias, honeſtas actiones, continentiam & orationes, mirabili quodam modo, purè jugiterque depingitur in anima: colores verò imaginis illius cæleſtis Domini rectè facta ſunt & cogitationes mundæ, ac terrenarum rerum nuditas cum lenitate ac vita ſancta omni tempore.

Anima juſti eſt Domus Dei.

De S. Zacharia patre S. Joannis Baptiſtæ ait S. Chryſologus ſerm. 87. *Ipſe erat Deo familiarius templum, portans in ſui pectoris puritate tota legis arcana: & apponens non tam thuris, quam puræ ſupplicationis incenſum. Gratiùs namque Deus in ſuo, quàm in hominis opere requieſcit: & non tam libenter odoratur Arabica arboris guttam, quàm ſinceri cordis & pectoris ſanctitatem.*

Illuſtre eſt effatum S. Gregorii Thaumaturgi Neocæſareæ Epiſcopi, qui, cùm Neocæſaream ingreſſus, domum, ad quam diverteret, non reperiret, ob Paganorum mores efferatos: ejuſque domeſtici tumultuarentur, eos blandis vocibus in hunc modum affatus eſt: *Quid hic dubitatis, tanquam ſitis extra Dei tegumentum, ubinam membra veſtra quieti daturi ſitis? Vobiſne parva domus videtur eſſe Deus: ſiquidem in ipſo vivimus, movemur, & ſumus? An anguſtum dicitis cæli tegumentum, & ab eo quæritis aliud diverſorium? Sit vobis ſtudio una domus, nempe ſua unicuique vita, quæ per virtutes ædificatur, & in altum erigitur. Hoc ſolùm vobis ſit cura, ne tale habitaculum ſit nobis imparatum. Terreſtrium enim murorum ambitus non affe- runt lucrum iis, qui vivunt in virtute: potiùs autem ab iis, qui vitio inquinantur, parietum uſus futura requiratur, quoniam occultorum probrorum domus ſæpe eſt operculum. Qui autem ex virtute vitam gerunt, non habent parietes, quod domo occultent.*

S. Gregor. Thaum. generoſus animus.

Deus eſt domus Sanctorum.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

Duo à Deo poſtulat David. Primò, in ipſo periculo deduci & dirigi, ob malitiam hoſtium ſuorum, quam deſcribit. Secundò, extra periculum petit, pro ſe ſuiſque, lætitiam ſecuram & gloriam, eamque dandam prævidet.

P A R A P H R A S I S.

9. *Domine deduc me in juſtitia tua propter inimicos meos: dirige in conſpectu tuo viam meam.*

9. Domine in his montibus errantem me ac penè perditum, & à toto Saulis exercitu vallatum, ex tanto diſcrimine extrahe, atque ſecurum in locum deduc propter juſtitiam tuam, quâ innocentes tueris. Incertum, quò me recipiam, dirige, & tuâ luce illuſtrato fave, ut eam viam ineam, in qua ſervari poſſim.

10. *Quoniam non eſt in ore eorum veritas: cor eorum vanum eſt.*

10. Hoſtes enim mei calumniis me ſuis apud Saulem Regem in dies ſingulos majoribus onerant, & vaultantibus intenti me ex aula ejicere moliuntur, ut inanibus honoribus me depreſſo fulgeant.

11. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſe agebant: judica illos Deus.*

11. Fauces eorum purulentæ, ſepulchri inſtar fœtentis, teterrimam mendaciorum, calumniarum & blaſphemiarum mephitim inhalant: ſermonibus ſuis fraudulentis dolos nectunt, ut incautum me ſtringant: ſed tu Judex & Vindex eorum aſtutiam elude, atque ulciſcere.

12. *Decidant à cogitationibus ſuis, ſecundùm multitudinẽ impietatum eorum expelle eos: quoniã irritaverunt te Domine.*

12. Spe præconceptâ excidant, atque à via tua & conſpectu ejiciantur, ut ſceleribus ſuis ſunt meriti: quia te Deum meum ad iram concitaverunt ſcelerati.

13. *Et lætentur omnes, qui ſperant in te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis.*

13. Contrà verò, facilem lætamque decurrant viæ hujus vitam, qui ſpem in te ſuam ſtabiliunt. Cùm felicem viæ terminum attigerint, in te per omnem æternitatem exultabunt, atque eorum in medio Rex bonitatis triumphabis, eoſque omni gaudio cumulabis.

14. *Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices juſto.*

14. Et omnes, qui amore tui inardeſcunt, in te clarè viſi gloriabuntur in cœlis, tuamque unius gloriam in terra perquirent, teque Duce ac Protectore lætis ſucceſſibus exultabunt. Nam benedictionem tuam pietati deditis impertieris.

15. *Domine ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ: coronâſti nos.*

15. Domine Deus, nos ſervulos tuos telis undequaque impetitos, benevolentiâ tuâ, veluti clypeo impenetrabili, omni ex parte ſuccingis, ne lædi ulla ratione poſſimus.

caſtra tua ſancta, id eſt, pura & munda, cùm Deus fons puritatis fugiat omnes ſordes: unde addit: *Et nihil in eis appareat fœditatis*, (peccata præſertim ſcandaloſa ſunt fugienda) *ne derelinquat te*, ut facere voluit poſt varias murmurationes & ſcelera. Sic poſt reprehenſionem Aaron & Mariæ ſororis Moyſi, quòd in Moyſen murmuraſſent propter uxorem ejus Æthiopiſſam, nempe Sephoram, quæ erat ex regione Madian. (Madianitæ autem dicuntur Æthiopes 2 Paral. 14. 10. & 12. Abacuc 3. 7. Volebat ſcilicet illa, utpote uxor Moſis totius populi ductoris, & Prophetæ Deo chariſſimi ſe Mariæ præferre, Maria verò & Aaron ab ea ſuſcitatus non ſolùm Sephoræ, verùm etiam Moſi ſe exæquare moliebantur.) Poſt reprehenſionem, inquam, eorum: *Iratus Dominus contra eos, abiit. Nubes quoque receſſit, quæ erat ſuper tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens lepra, quaſi nix*. Num. 12. 9. & 10. Non potuit Deus puriſſimus, id eſt, Angelus ejus legatus, manere cum leproſa: quin etiam juſſit eam ejici è caſtris, donec ſanaretur, nunquam fortaſſe ſananda, niſi Moſes oraviſſet pro ea. Aaron verò non eſt lepra percuſſus, quia & minus peccaverat à ſorore incitatus, & quia erat Pontifex, qui ad Deum accedere debebat in tabernaculo: itaque, decebat eum ſumma mentis & corporis munditia. Unde habebat in fronte laminam auream, in qua ſcriptum erat: *Kodes ladonai*, ſanctitas Domino: ſive, ſanctum Domino, q. d. Sum totus Deo dedicatus & conſecratus. Clemens Alex. lib. 7. Strom. dicit, animum ejus, qui Dei conſortio uti velit, debere eſſe, ἄχραντον ϗ ἀμίαντον, purum & impollutum. Ut enim ait S. Paulus 2 Cor. 6. 14. *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio*, τίς συμφώνησις, *quæ conſonantia*, (quæ concordia: hoc aptè dicetur de iis, qui in choro, aut etiam privatim horas canonicas recitant, & de accedentibus ad Eucharistiam) *Chriſti ad Belial?* Id eſt, diabolum? Qui eſt Belial, hoc eſt ſine jugo, & ſine utilitate. Vocatur etiam Belial, impius, rebellis & inobediens: imò & impietas de ipſa, rebellio & inobedientia. De Deo habes Pſalmo octuageſimo quarto, verſu decimo: *Veruntamen* (Chald. certè, profectò) *propè timentes eum ſalutare* (Hebraic. ישעו ieſa, ſalus, & Salvator, JEſus: eſt enim etiam ſalus ipſa) *ipſius. Ut inhabitet gloria* (Euchariſtia) *in terra noſtra*, in noſtro corde & corpore. Contra verò, ut habes Pſalmo 118. 155. *Longè à peccatoribus* (S. Hier. ab impiis. Hebr. *reſaim*, inquietos, rebelles, contumaces, & omnes peccatores includit) *ſalus*. (Hebraicè, *jeſua*, ſalus, Jeſus) *quia juſtificationes tuas non exquiſierunt*. Non reperitur rex ſine ſuo comitatu: JEſu comitatus eſt juſtitia & omnis virtus, ideò, *non permanebunt injuſti ante oculos ejus*. Stultum eſt, cum juſto velle manere injuſtos. Unde Hebr. eſt: Non permanebunt, ſive *non ſtabunt*, eſt enim *uthiaſſebu*, id eſt, non conſiſtent, non perſtabunt, הוללים *holelim*, id eſt: 1. Iniqui, ut vertit S. Hier. 2. παράνομοι, legum prævaricatores, exleges, legis jugum excutientes: Sicut Sept. 3. ἀτάσθαλοι, id eſt, injuſti, magnorum damnorum authores, ut Petavius, quod aptiſſimè Doëgo & aſſeclis convenit Nobe civitatem ferro flammaque vaſtantibus: hæc vox ducitur ab ἀτῶ, id eſt, lædo, noceo: vel ab ἄτη, noxa, damnum, ac θάλλω, pullulo, ſcateo. q. d. Noxis ſcatentes: vel etiam, per illata aliis damna virere ac florere contendentes. 4. Propriè *holelim* ſignificat *veſanos*, ut vertit Arias: ſeu *ſtultos*, ut Pagninus: ſeu, *inſipientes*, ut Felix: ſive, *illuſores & inſanientes*, ut Chaldæus. 5. Alii vertunt, gloriabundi, jactabundi, de malitia ſcilicet ſua, quales fuiſſe Doëgum Idumæum & aulicos inſanæ Saulis iræ adblandientes, & in Davidem inſanientes, non eſt dubium. De eodem Doëg habes Pſal. 51. 3. *Quid gloriaris in malitia*, (Chald. in lingua iniqua: vel, lingua iniquitatis: vel lingua perverſa) *qui potens es in iniquitate?* Chald. ſpecialiùs ejus ſcelus aperit, cùm vertit, *potens ad effundendum ſanguinem juſtum*, id eſt, innocentium ſacerdotum & aliorum.

Exempla ſi poſcis, quibus probes ad Deum cum munditia accedendum eſſe, vide Primò Exodi 3. Moſem cum grege aſcendentem ad interiora deſerti & penetrantem uſque ad montem Dei Horeb, ibi apparet ei Dominus, (Hebraic. angelus Domini: id eſt, Filius Dei, ut vult Theodoretus: ſeu potius, verus angelus Dei legatus, ut docet S. Dionyſ. cœl. Hier. cap. 4) *In flamma ignis* (nihil impurum ſecum eſſe patitur ignis) *de medio rubi*, verſu 2. Cùmque Moſes exultabundus diceret: vadam & videbo viſionem hanc magnam, jamque accurreret, ait Angelus verſ. 5. *Ne appropies huc, ſolve calceamentum de pedibus tuis*, ut veluti ſervus nudis pedibus ambulans cum humilitate & reverentia ad Deum accedas, ut explicant Cajetan. Hugo à S. Vict. ac Rupertus, & Euſebius. Hinc ſacerdotes in tabernaculo nudis pedibus miniſtrabant, ut cogitationes & affectiones terrenas ad Deum accedenti Moſes ſciret eſſe abjiciendas. Ratio redditur, *locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt*.

33. 1. Moſes ad Deum appropinquans monetur, ut tollat calceos è pedibus.

Secundò, Judicum 5. 13. & ſeq. dicitur: Cùm eſſet Joſue in agro urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, id eſt, è regione & ex adverſo ſui, evaginatum tenentem gladium, ut paratum ad pergendum in hoſtes ejus ſe oſtenderet, ac futurum ubique auxiliatorem. Cùm verò ad eum Joſue ſtricto etiam gladio accurriſſet, ut videret, quis eſſet, ait ℣. 14. *Sum princeps exercitus Domini*, id eſt, dux, præſes ac princeps ſynagogæ & totius exercitus populi Dei, tam in cœlo quàm in terra, ut exponunt Abulenſis, Theodoretus & Lyran. Sic S. Michaelem dici Principem gentis Judæorum Dan. 10. 21. cenſet Suares tract. de angelis lib. 6. cap. 19. num. 22. Ad rem autem noſtram dixit S. Michaël Joſue ℣. 16. *Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt*. Hebr. *Kodes hu*, ſanctitas ipſe, ſupple eſt: hoc eſt, ob Dei præſentiam, tibi in me ſuo legato apparentis, eſt ſanctiſſimus.

2. Et Joſue in terra promiſſionis.

Tertiò, Exodi 19. 20. Deſcendit Dominus ſuper montem Sinai in ipſo montis vertice, & vocavit Moyſen in cacumen ejus. Monet deinde populum, ne tranſcendat terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eo plurima multitudo. Tum addit ℣. 22. *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos*. Cajetanus & Lipoman. rectè advertunt, ſacerdotes hic accipi eos qui jure naturæ erant ſacerdotes, nempe primogenitos familiarum. Nam Aaron & filii ejus necdum erant conſecrati in ſacerdotes. Jubet autem Deus, ut accedentes ad Deum, qui orent & ſacrificent pro populo, ſe ab omni macula mentis & corporis cuſtodiant, ne pereant. Et quod eſt magis notandum, cùm eſſet deſcenſurus Deus, id eſt, Angelus vice Dei, in montem Sinai, juſſus eſt populus per tres dies ſanctificari: 1. Abſtinendo ab uxoribus. 2. Lavando corpora & veſtes. 3. Purgando caſtra. 4. Cum reverentia Deum venturum expectando, & pœnâ lapidationis propoſitâ populus montem aſcendere eſt vetitus aut fines ejus tangere.

3. Sacerdotes ad Deum accedentes jubentur ſanctificari.

Quartò, Cùm ducibus Core, Dathan, & Abiron ducenti quinquaginta proceres populi cum thuribulis in tabernaculum veniſſent, & ex altari holocauſtorum prunas caperent, quibus thymiama imponerent, atque offerrent in altari thymiamatis, igne ex illo altari holocauſtorum egreſſo occiſi ſunt, antequam ingrederentur Sanctuarium, ut vult Cornelius, vel potius, cùm jam illud eſſent ingreſſi & incenſum offerrent. Dicitur enim Num. 16. 35. *Ignis egreſſus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum*. Cum malignitate & injuſtitia accedebant ad Deum invidiâ in Aaronem tumentes, eique datum à Deo honorem eripere molientes. Dic itaque Deo: *Non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injuſti ante oculos tuos*.

4. Puniuntur 250 Proceres ſuperbè ad altare properantes.

Quintò, Levit. 10. 1. mors funeſta duorum filiorum Aaronis ponitur his verbis: Arreptis Nadab & Abiu filii Aaron thuribulis, poſuerunt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino: *Ignem alienum, quod eis præceptum non erat*.

5. Duo filii Aaronis occiduntur, quòd

Ignis

ignem alienum acciperent.

Ignis alienus ille erat ignis profanus & communis, qui erat in atrio tabernaculi ad coquendas carnes hoſtiæ pacificæ & hoſtiæ pro peccato, ut eas comederent in atrio ſacerdotes & offerentes laici: debebant autem ad Incenſum uti igne ſacro è cœlis delapſo, qui fovebatur in altari holocauſtorum, ut ſerviret ad cremandas oblatas victimas, & ad incenſum adolendum. Verſ. 2. additur: *Egreſſuſque ignis à Domino devoravit eos, & mortui ſunt coram Domino;* extincti igne egreſſo ex altari holocauſtorum.

6. Ophni & Phinees ob peccata in ſuo miniſterio facta mactantur.

Sextò, 1 Reg. 2. Ophni & Phinees filiorum Heli peccata recenſentur, quibus indigni ad altare accedebant. Pœna ponitur capite quarto, primò, cæſo populi numeroſo exercitu, deſideratis triginta quatuor millibus militum in duplici prælio: ſecundò, Ophni & Phinee pereuntibus. 3. Arca capta. 4. Heli ſummo Pontifice cadente de ſella ſua retroſſum, & fractis cervicibus mortuo. 6. Uxore Phinees mortua in partu.

7. Dagon dejicitur ob vicinitatem arcæ.

Septimò, primò Regum quinto, verſu ſecundo. Tulerunt Philiſthiim arcam Dei, intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam juxta Dagon, cùmque ſurrexiſſent diluculo Azotii altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini: & tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum. Rurſumque manè die altera conſurgentes invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terra coram arca Domini, caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen. Porrò Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo. Vide plagam Berſamitarum cap. 6. Ozæ mortem arcam tangentis. 2 Reg. 6. Heliodori caſtigationem in templum temerè irrumpentis. 2 Machab. 3.

8. Maria Ægyptiaca peccatrix à templi aditu prohibetur.

Octavò, Notabile eſt, quod de S. Maria Ægyptiaca ſcribitur in ejus hiſtoria. Cùm enim adoratura Crucem templum Jeroſolymitanum vellet ingredi, ter quaterve à manu inviſibili repulſa eſt aliis facilè intrantibus. Nec priùs illi patuit aditus, quàm corde compuncta, & meliorem vitam pollicita, opem Deiparæ imploraret.

Conclude cum Davide: *Non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injuſti* (Arabs, inobedientes. Syr. ſuperbi) *ante oculos tuos!*

Verſ. 7. 1. Pars.

Cauſam affert David, cur coram Deo maligni & injuſti non ſint permanſuri: quia ſcilicet illos odit. Verſ. 7. ODISTI OMNES, QUI OPERANTUR INIQUITATEM: PERDES OMNES, QUI LOQUUNTUR MENDACIUM.

34. Odium quid.

Nota. Odium eſt inveterata ira, & eſt mala voluntas ex ira proficiſcens, ut definit Albertus Magnus in topicis.
1. Vel odium eſt alienatio & rejectio, dum videmus vel audimus rem, quæ nobis
2. eſt odio, vel quocunque modo in eam incidimus,
3. ut Euſtratius 2. Ethicorum capite 1. Vel potius, Odium eſt diſſonantia appetitus animalis, vel appetitus rationalis ad apprehenſum ut diſconveniens: ſicut amor eſt conſonantia ejus ad conveniens, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 29. art. 1.

Deus peccatores odit.

Deus igitur odit peccatorem: Primò, quia videt in eo malitiam peccati, & ſuæ, & naturæ hominis diſconvenientem, eamque averſatur & deteſtatur, atque ex conſequenti ipſum hominem, in quo eſt, & qui eam malitiam liberè conſervat. Sap. 14. 9. *Similiter* (Græcè ἐν ἴσῳ, æqualiter) *odio ſunt Deo, impius & impietas ejus.* Prov. 15. 9. *Abominatio eſt Domino via impii,* (plena eſt ſerpentibus) *qui ſequitur* (Hebr. מרדף perſequens, id eſt, ardenter & ſtudiosè ſequens) *juſtitiam, diligitur ab eo.* Abac. 1. verſu 13. *Mundi ſunt oculi tui* (ſunt lucidiores ſuper Solem) *ne videas malum* (id eſt, ut non approbes) *& reſpicere ad iniquitatem non poteris:* eſt lepra è caſtris tuis ejicienda, & horrorem aſpectu ingenerans. S. Thomas 1. p. q. 20. art. 2. quærit, utrùm Deus amet omnia, ait autem in corpore articuli Deum omnia exiſtentia amare: quia ipſum eſſe cujuslibet rei quoddam bonum eſt, & ſimiliter quælibet perfectio ipſius: in reſp. verò ad 4. oſtendit qua ratione peccatorem tamen Deus oderit. Nihil, ait, prohibet unum & idem ſecundùm aliquid amari, & ſecundùm aliquid odio haberi. Deus autem peccatores, in quantum ſunt naturæ quædam, amat. Sic enim & ſunt, & ab ipſo ſunt. In quantum verò peccatores ſunt, non ſunt, ſed ab eſſe deficiunt. Et hoc in eis à Deo non eſt. Unde ſecundùm hoc, ab ipſo odio habentur. Hoc ipſum dixerat S. Auguſt. in Joan. Quia iniquitas noſtra, inquit, opus Dei non omni ex parte conſumpſerat, noverat ſimul in unoquoque noſtrum & odiſſe quod feceramus, & amare quod fecerat. Secundò, ex illo odio Dei interno, quo proſequitur peccatorem, ſequitur ut eum reprobet, atque illi non velit vitam æternam. Unde S. Thomas 1. p. q. 23. art. 3. ubi inquirit, utrùm Deus aliquem reprobet, ait in reſp. ad 1. In quantum Deus quibuſdam non vult hoc bonum quod eſt vita æterna, dicitur eos *odio habere,* vel reprobare. Hæc eſt plaga inimici, qua percutit impios per totam æternitatem. Jeremiæ 30. 14. *Plaga inimici percuſſi te caſtigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta ſunt,* (Hebr. עצמו *aſemu,* invaluerunt, ut vertit Arias. 2. Multiplicata ſunt, ut Pagn. 3. Conſolidata, compacta, roborata, obfirmata: per obſtinationem. 4. Clauſa: tempore gratiæ præterito, & obſtructo putei ſulphurei ore. 5. Gravia & incurabilia) *peccata tua. Quid clamas* (ut dives epulo Luc. 15. 24) *ſuper contritione tua? Inſanabilis eſt dolor tuus.*

Ex his infertur: Deum non eſſe authorem peccati, nihil enim odit eorum, quæ facit. Sap. 11. 25. 35. Deus non eſt author peccati.
Diligis enim omnia quæ ſunt (peccatum eſt nihil, & illud nihil ſine Deo factum eſt) *& nihil odiſti eorum quæ feciſti:* vidit enim Deus quòd erant valdè bona. οὐδὲν βδελύσσῃ, nihil abominaris. Cùm igitur hoc in verſu dicat Propheta: *Odiſti omnes* (ſive ſit rex, ſive ſervus, ſive Scytha, ſive Græcus) *qui operantur* (& ſi ante fuerint juſti) *iniquitatem:* & poſtea dicat, quòd abominatur virum ſanguinum & doloſum, patet eum non eſſe peccati authorem. Tu porrò trepida, Deum tibi ſciens eſſe inimicum: &, ſi in eo ſtatu, in quo es, ſi peccator es, moriaris, vide tibi pœnam æternam. Reprobat enim Deus omnem ſceleratum. Reprobatio autem non eſt cauſa ejus quod eſt in præſenti, ſcilicet culpæ: ſed eſt cauſa derelictionis Dei, & ejus quod redditur in futuro, nempe pœnæ æternæ. Culpa autem provenit ex libero arbitrio ejus qui reprobatur, & à gratia deſeritur. Atque cum S. Chryſ. in Pſal. noſtr. animo tuo infige: *Grave, &,* ſίντως χεῖρον, *gehenna deterius eſt, odio haberi à Deo.*

Ad peccata ſpecialia deſcendens Propheta: Primò malorum fontem & arcem aggreditur mendacium. Verſ. 7. 2. Pars.
Verſ. 7. PERDES (Hebr. תאבד *theabbed,* in Piel ſignificat, perire facies. Sept. ἀπολεῖς) OMNES, QUI LOQUUNTUR MENDACIUM.

Quæres: Quinam hic dicantur loqui mendacium? 36. Mendaces ſunt.
Primò, Mendaces intelligit omnes peccatores Valentia, quia violant promiſſionem factam in baptiſmo, in quo abrenunciant mundo, carni & dæmoni. 1. Peccatores omnes.
Sed hoc promiſſum eſt valdè generale, neque de illo hic agitur. S. Chryſ. mendaces, ait eſſe omnes peccatores, quia res vanas & fallaces amant, ſequuntur & amplectuntur, iiſque ſe rapi ſinunt. Vide dicta Pſal. 4. 3. *Filii hominum uſquequò diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Secundò, loquentes mendacium hic ſumit idololatras Trevetus. Nam mendaciter adſcribunt idolis ea quæ Dei ſunt. 2. Idololatræ.

Tertiò, de hæreticis mentionem fieri volunt S. Hieron. Origen. Euſeb. Caſſiod. & alii: hi enim pravis opinionibus à veritate deſciverunt, & falſa docent. Sed hæ explicationes ſunt myſticæ. 3. Hæretici.

Quartò ad literam, cenſeo eſſe generalem ſententiam contra omnes mendaces propriè dictos: id eſt, qui mendacio formali volunt falſum dicere, ac præſertim tamen deſignari Doëgum, & illi ſimiles aulicos, qui calumniis & mendaciis odioſum Davidem Sauli regi, toti aulæ ac populo reddere moliebantur. Unde poſtquàm in ſpelunca Engaddi, Sauli, quem in poteſtate habuerat, pepercit, ait 1 Reg. 24. 10. *Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adverſum te?* 4. Et propriè, qui contra mentem loquuntur.

Digitized by Google

37. *Mendacium triplex.*

Nota, Mendacium triplex eſt. Primò, officioſum, quo intenditur alicujus adjumentum, aut remotio nocumenti. Secundò, jocoſum, per quod quæritur bonum delectabile. Tertiò, pernicioſum, quo intenditur alterius nocumentum.

Nunquam licet mentiri, & cur.

Nota ſecundò, Non tantum David ait perdendos eſſe loquentes mendacium, ſed *omnes*. Primò, quia Deus nullam habet rationem perſonarum, cùm totus Orbis ante illum ſit tanquam ſtilla cadi & merum nihil. Secundò, ac præſertim, quia omne mendacium per ſe & ex genere ſuo ſemper peccatum eſt, etiamſi ſit jocoſum & officioſum, ut docet hîc S. Auguſt. & libro de mendacio capit. 5. & libro contra mendacium cap. 1. in enchiridio atque aliis ſæpè. In enchiridio quidem cap. 22. oſtendit, non eſſe licitum mentiri propter emerſuram inde commoditatem. Nam & ex furto & ex adulterio percipi aliquæ utilitates poſſent, & tamen nunquam ſunt licita. Ariſtot. 4. Ethicorum 7. dicit, mendacium eſſe per ſe malum & fugiendum. Unde infert S. Thomas 2. 2. quæſt. 110. articulo 3. omne mendacium eſſe peccatum. Quod enim, ait, eſt ſecundùm ſe malum ex genere, nullo modo poteſt eſſe bonum, & licitum: quia ad hoc quòd aliquid ſit bonum, requiritur quòd omnia rectè concurrant. Bonum enim eſt ex integra cauſa, malum verò eſt ex ſingularibus defectibus, ut Dionyſius dicit 4. cap. de divinis nominibus. Mendacium autem eſt malum ex genere. Eſt enim actus cadens ſuper indebitam materiam. Cùm enim voces naturaliter ſint ſigna intellectuum, innaturale eſt & indebitum quòd aliquis voce ſignificet id quod non habet in mente. S. Gregorius omne mendacium ait eſſe peccatum, quia ſemper repugnat virtuti veritatis. Sic enim libro 18. Mor. 4. *Omne*, ait, *mendacium iniquitas eſt, & omnis iniquitas mendacium: quia profectò ab æquitate diſcrepat, quicquid à veritate diſcordat.*

Eſt ex diabolo.

S. Baſilius ex eo quòd mendacium *ex diabolo* eſſe dicitur, generatim concludit in regul. breviorib. quæſt. 76. nunquam licitum alicujus utilitatis prætextu mentiri. Verba Chriſti ad Judæos ſunt Joannis 8. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis* (imitando, non naſcendo, ait S. Aug.) *& deſideria patris veſtri vultis perficere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit.* (In veritate cordis, oris, operis,) *quia non eſt veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex propriis* (ex propria inventione, cùm ſit inventor mendacii, & ſit illi proprium & ſolitum mentiri: mendacium enim eſt vitium diabolicum) *loquitur: quia mendax eſt, & pater ejus*, mendacii ſcilicet: quod primum invenit, ac quotidie gignit: tum ad illud alios incitando, tum penè ſemper mendacia effutiendo. Idem S. Baſilius epiſtola 79. ad Euſtathium Sebaſtenum vocat mendacium, γέννημα διαβόλου, *fœtum diaboli.* Et in procem. tractatu de Spiritu ſancto, ait: Κράτιστον ἀγαθῶν, *potentiſſimum bonorum omnium eſt veritas: &*, ἔσχατος ὅρος πονηρίας, *ultimus malitiæ terminus eſt mendacium.*

Et dæmon alter.

Non tantùm diaboli fœtus eſt mendacium, ſed eſt ipſe dæmon, qui animam poſſideat. Sanctus Cæſarius Arelat. hom. 16. *Omnis*, ait, *qui ſuperbiam diligit, diabolo plenus eſt. Et ſi cum ſuperbia invidiam habere voluerit, duobus dæmonibus ſubditus erit. Et ſi cum invidia, etiam adulterium fecerit, à tribus dæmonibus poſſidetur. Et ſi cum his mendacium amare voluerit, ab integra quadriga dæmonum ſubjugatur & premitur. Nam quot vitia habuerit homo, tot habet dæmones.* Sed nota auxeſim, ſuperbia primo loco ponitur, deinde invidia, poſtea adulterium, ad extremum denique mendacium, quod eſt quodammodo omnia vitia, eorum tegmen, & arx, atque propugnaculum, omnibus inſerviens, tum ad aggrediendum, tum ad protegendum. Unde S. Baſil. ep. 8. ad Euſtathium vocat mendacium, πονηρὸν ὅπλον, *peſſimam armaturam.* S. Climacus grad. 12. ait, eſſe charitatis exterminationem. Hoc fieri tripliciter docet S. Thom. 2. 2. q. 110. art. ult. & oſtendit quando ſit peccatum mortale. Dicitur Sap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* Apoc. 21. 8. *Omnibus mendacibus, pars illorum* (τὸ *illorum* redundat per pleonaſmum Hebraicum) *erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure: quod eſt mors ſecunda.*

Moraliter hinc diſce, quam ſtudioſè ſit vitandum mendacium omne. Eccli. 7. 13. *Noli arare* (aliqui malè corrigunt, amare) *mendacium adverſus fratrem tuum: neque in amicum ſimiliter facias.* Hebr. חרש *aras*, ſignificat arare & fabricare, machinari, moliri, concinnare: itaque arare mendacium eſt, illud adornare & componere. Hinc Sept. vertunt: *Ne fabrices.* Vatabl. *Ne machineris, ne coquas.* Pergit author ℣. 14. *Noli velle mentiri omne mendacium: aſſiduitas enim illius non eſt bona:* hoc eſt, valde eſt mala. Syr. quia finis ejus non eſt bonus. Arabum proverbium eſt Centur. 1. num. 72. *Veritas magnificentia eſt, mendacium vilitas: veritas ſanitas eſt, mendacium infirmitas.* Kennethus, Scotiæ Rex, gladii jure, ut infames, privabat mendaces, teſte Hectore Boëthio libro 10. hiſtor. Scotiæ, ubi ejus legem hanc refert: *Qui mendacii in proximi perniciem fuerit convictus, ei gladium adimito, ejuſque congreſſus exinde devitato:* ne ſcilicet peſtis illa te inficiat, ſi prope ſteteris. Salomon à Deo poſtulat Proverbiorum 38. *Vanitatem & verba mendacii longè fac à me.* Per vanitatem intelligit Chaldæus detractionem. Eſt hic fons peſtifer mendaciorum venenatorum. 2. Pagninus, verbum otioſum. 3. Author Catenæ Græcæ, verbum ſtultum, id eſt, ſtultiloquium. Ex eo enim, ut percuſſo ſilice, mendacia, iræ, contentiones, vindictæ oriuntur. Climacus gradu 12. *Ex lapide*, inquit, *ac ferro excutitur ignis: ex loquacitate autem ac jocis mendacium naſcitur. Mendacium eſt charitatis exterminatio: perjurium verò, Dei abnegatio. Nullus rectè ſentientium parvum eſſe mendacii peccatum exiſtimet. Quippe contra nullum vitium terribiliori ſententia Spiritus ſanctus uſus eſt; ſicut ait David ad Deum: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Vide dicta Pſal. 118. 29.

38. *Vitandum eſt ſtudioſè mendacium.*

Kennethi ſeveritas in mendaces.

S. Carilephi monitum.

S. Carilephus presbyter & monachus fratres ſuos monuit morti proximus, ut eſt in ejus Actis apud Surium 1 Julii: *Omnis ſermo mendax non proficiſcatur ab ore veſtro, ne forte ſententia illa prophetica feriamini; Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

Mendaces Deo ſunt contrarii.

Perdit Deus mendaces, quia eos deteſtatur, ut ſibi contrarios. Proverbiorum 12. 22. *Abominatio eſt Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei.* Hebr. factores veritatis. Tigurina, qui veritati ſtudent. Ut enim ait S. Joannes 1. epiſt. 5. 6. *Chriſtus eſt veritas.* Græcè, πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια, ſpiritus eſt veritas: & ſic habet Syrus. Sed melius Noſter, nam de Chriſto agitur, qui etiam ait Joannis 14. 6. *Ego ſum via, veritas & vita.* De tota Trinitate dicitur Deuteronomii 32. 4. *Deus fidelis* (Hebraicè, el emuna, Deus veritas) *& abſque ulla iniquitate juſtus & rectus.* Eam veritatem effudit Deus in Chriſtum, ut in theſaurum bonorum omnium. Epheſ. 4. 21. *Sicut eſt veritas in Jeſu.* Quem locum S. Hier. interpretans ait in templo corporis Chriſti habitaviſſe veritatem. Mendacium autem, ut docet S. Th. 2. 2. quæſt. 110. art. 1. *Directè & formaliter opponitur virtuti veritatis:* Et conſequenter Deo & Chriſto, qui ſunt veritas. Cùm Perſarum ſapientes Oroſmadem deorum ſuorum ſupremum figurarent, dicebant corpore quidem eſſe luci perſimilem: animâ autem, veritati: itaque mendacium in maximis peccatis ponebant.

Perſæ maximè oderant mendacium.

40. *Mendacium licitum eſſe cenſuit 1. Plato. 2. Xenophon. 3. Alii, ſed errant.*

Erravit itaque Plato lib. 3. de Rep. cùm ait: mendacium utile nonnunquam eſſe inſtar medicinæ. Revera, inquit, diis quidem eſt inutile mendacium: utile autem eſt hominibus, ὡς ἐν φαρμάκου εἴδει, *tanquam aliqua medicina.* Erravit etiam gravius Xenophon lib. 4. memorabil. Socratis, ubi ſic loquitur: Quid igitur, ô Socrates! ſi quis belli dux videns exercitum animo concidiſſe, mentiens dicat auxiliares accedere, & hoc mendacio deſperationem militibus excutiat, ad utrum hujuſmodi fraudem referemus? δοκεῖ μοι, ἔφη πρὸς δικαιοσύνην, *ad juſtitiam, ut arbitror, inquit Euthydemus.* Licitum eſſe aliquando mendacium cenſent Orig. libro 6. ſtrom. Clemens Alex. lib. 7. Strom. Beda in 1 Regum 21.

Dices.

De mendacio obſtetricum Ægyptiarum.

Dices: Mentitæ ſunt obſtetrices Ægyptiæ, cùm juſſæ Hebræorum mares occidere, idque non facientes, dixerunt ſutenti Pharaoni, Exod. 1. 19. *Non ſunt Hebrææ ſicut Ægyptiæ mulieres: ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam: priuſquam veniamus ad eas, pariunt.* Targum Jeroſolymitanum habet: Quoniam vivificant ipſæ, antequam veniat ad eas obſtetrix: orant coram Patre ſuo cœleſti, & exaudit eas, atque ita pariunt. Ibi mentiti eas clarum eſt, quia mares conſervabant ipſæ, ut patet ℣. 17. Et tamen additur verſu vigeſimo: *Bene ergò fecit Deus obſtetricibus. Et quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos*, id eſt, auxit eis rem familiarem, dedit eis divitias, & copiam rerum ad vitam hanc cum honore & jucunditate tranſigendam, ut S. Auguſt. & Theodoretus explicant. Vel, *fecit eis domos*, id eſt, dedit eis prolem & progeniem numeroſam, honoratam, inſignem, longævam & diuturnam, ut ait Cornelius. Ex hac Dei remuneratione & ex motivo charitatis obſtetricum infert Rupertus, hoc mendacium fuiſſe licitum. Sed rectè S. Auguſtinus lib. contra mendacium, cap. 10. & ſeq. docet, hoc præmium eis datum eſſe, non quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in eis remunerata fallacia, ſed benevolentia: benignitas mentis non iniquitas mentientis: & propter illud bonum Deus etiam huic malo ignovit. Charitas porrò nunquam movet ad ullum peccatum. Itaque errat Abulenſis in caput ſecundum Joſue, quæſtione trigeſimâ, cùm ait: Rahab à Deo motam eſſe ad mendacium officioſum, quòd eſſet peccatum veniale. Deum enim poſſe movere hominem ad peccandum venialiter, propter magnum bonum, quod inde ſequitur, & ne in majora peccata incidat. Sed, ut dixi, eſt error. Nam non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Neque Deus eſt ullius peccati Author. Non nego Rahab eſſe mentitam. Cùm enim duo exploratores à Joſue miſſi ejus domum intrâſſent, & quærerentur à civibus Jericho, ubi ipſa manebat, ait Joſue 2. ℣. 4. *Fateor, venerunt ad me*, (erat enim meretrix, id eſt, cauponaria hoſpita. Hebraicè, *Zona*, utrumque ſignificat) *ſed neſciebam, unde eſſent. Cùmque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt.* Hæc autem omnia ſciebat eſſe falſa, domi enim ſuæ eos occultaverat. Laudatur autem Hebr. 11. 31. Jacobi 2. 25. non ob mendacium, ſed ob fidem & charitatem hoſpitibus exhibitam. S. Ambroſ. lib. 3. epiſt. 25. *Hoſpitalitatem*, ait, *diligite, per quam S. Abraham invenit gratiam, Chriſtum hoſpitio excepit, filium Sara meruit effœtâ jam ſenectute. Loth quoque Sodomitani excidii evaſit ignem: & tu potes ſuſcipere Angelos, ſi advenientibus hoſpitium tuum offeras. Quid de Rahab dicam, quæ hoc munere invenit ſalutem?*

An mentitus ſit Jacob benedictionem petens.

Dices: Origenes, Caſſian. & S. Chryſ. putant, Jacob licitè mentitum eſſe, ac ſine peccato, cùm natus annos 77. à patre ſuo Iſaac nato 140. benedictionem obtenturus, Gen. 37. 19. Ego ſum primogenitus tuus Eſau. ℟. S. Aug. lib. contra mendacium cap. 10. non eſſe mendacium, ſed figuratam locutionem. Nam ſicut Raphaël Archangelus dicit ſe eſſe *Azariam*, id eſt, *adjutorem Dei*, filium *Ananiæ*, id eſt, *gratia Dei*. Tob. 5. 18. & S. Joan. Baptiſta vocatur Elias, non quoad perſonam, ſed quoad ſpiritum, Matth. 11. 14. Ita Jacob dicit ſe eſſe Eſau, non quoad nomen & perſonam, ſed quoad jura & primogenituram à Deo ſibi datam cap. 25. 23. Reſp. 2. Abulenſis, Cajetan. Perer. Lipom. fuiſſe mendacium, ſed veniale: quia nemini faciebat injuriam. Adde, fortaſſe ignorantia invincibilis eum excuſavit, quod cenſeret in illis circumſtantiis licitum eſſe mendacium.

41. Verſ. 7. 3. Pars. Verſiones variæ.

Poſt mendaces ſeu calumniatores conſtituit David crudeles & fallaces, verſ. eod. 7. VIRUM SANGUINUM ET DOLOSUM ABOMINABITUR DOMINUS. Syr. aſpernabitur. Arabs, contemnit. Sed nervoſius noſter extulit, *abominabitur*, id eſt, execrabitur, abhorrebit, tanquam rem mali ominis & exitioſam fugiet ac deteſtabitur. Petavius benè expreſſit, ἀποστυγῶν, id eſt, ex animo deteſtans. Græcè, βδελύσσεται, id eſt, propriè, averſabitur ob fœtorem, exhorrebit ut rem impuram, execrabitur, nam βδέω, eſt, flatum ventris emitto, fœteo. Chald. vertit, ירחק *serahek*, longè fugiet. Hebr. יתעב *jethaheb*, id eſt, ut ait Mercerus, averſari, dedignari viſu aut alio ſenſu. Nota, vocem latinam, *abominabitur* aptam eſſe dicit S. Auguſt. quia ſolent *abominati* dici *exhæredati*: hic autem Pſalmus pro ea eſt, quæ hæreditatem accipit. Caſſiodorus idem innuit, docens ſignificari reddendos extraneos à regno Dei: & Remigius, quòd exhæredabuntur. Haymo vim in etymologia faciens, explicat à bono omine removendos: vel, ſcribendo ſcilicet abhominor cum aſpiratione, à conſortio rationalium, nempe hominum. Quod S. Aug. tradit, non ita diſertè apud alios invenio: ſed *abominatum* pro ſacris interdicto, & excommunicato dici obſervavit Alciatus L. Pecuniam 36. ff. Si certum petatur: & pro abdicato à magna matre. L. Reddentes. Pro extorri ab Eccleſia, Budæus in Forenſibus: ita Lorinus. Rectè S. Thom. ait, denotari odium irreconciliabile Dei in ſanguinarios & doloſos.

Quæres: Quis intelligatur hic vir ſanguinum? 42. Vir ſanguinum eſt:
Primò, S. Aug. & qui eum ſequi ſolent, cenſent virum ſanguinum ſumi pro peccatore, & idem eſſe cum eo, quem priùs David vocavit operantem iniquitatem. 1. Omnis peccator. Et quidem ſæpè pro peccato *ſanguis* ſumitur in Scriptura, Pſal. 50. 16. *Libera me* (S. Aug. *erue me*, velut lapſum in lutum aut voraginem) *de ſanguinibus*, ab omni corruptione culpæ & pœnæ, ut explicat S. Auguſt. & Lombardus. 2. A fomite peccati, ſeu concupiſcentia, ut Alphonſus à Caſtro hom. 20. 3. A peccato homicidii & adulterii, ut alii. Sic clarè ſanguinem pro peccato ſumit Oſeas 4. 2. *Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit:* id eſt, peccata adjecta, ſunt peccatis, ut exponunt S. Hier. S. Cyrill. Chald. & Haymo, ac S. Greg. qui ait hom. 11. in Ezech. *Sanguis ſanguinem tangit, quando peccatum peccato additur, ut ante Dei oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur.* Chaldæus vertit, aggregant peccata peccatis.

Secundò & meliùs, *vir ſanguinum* eſt vir ſanguinarius, qui eſt homicida, *effuſor ſanguinis innocentis*, ut reddit Chaldæus, licèt generalis ſit ſententia, 2. Et propriè homicida. quâ abominationi eſſe Deo homicidas declarat David, tamen ſpeciatim cum Cajetano arbitror intelligi Saulem, qui tot juſſit occidi ſacerdotes, 1 Reg. 22. 16. Adde Doëgum *Idumæum*, id eſt, ſanguineum, ſeu ſanguinarium, & ſocios, qui cædem illam patraverunt. Maledictionem intentat Nahum Ninivitis, ob cædes in variis gentibus factas. Sic enim ait cap. 3. 1. *Væ civitas ſanguinum!* ſeu, ut Chald. reddit, væ civitati ſanguinum! id eſt, plenæ homicidiis: vel quæ per cædes & ſtrages ubique editas crevit divitiis & potentiis. Sanguis enim metonymicè ponitur pro homicidio: quia objectum ponitur pro actu: nempe ſanguis pro ejus effuſione. Eandem maledictionem interminatur Babyloniis, Abacuc 2. 12. *Qui ædificat civitatem in ſanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.* Hebr. pro *præparat* eſt כונן *conen*, id eſt, conſtituens, ut vertit Arias: qui ſtabilivit, ut Pagninus: citò cadit murus ſanguine, ut cæmento firmatus.

Myſticè, *virum ſanguinum*, ſeu viros ſanguinum ſumit: 43. Myſticè.
1. Primò, pro Judæorum hoſtibus Lyranus.
2. Secundò, pro perſecutoribus Eccleſiæ Theodoretus; ſed eam ſuperare non valentibus, ſecundùm ipſius Dei & Salvatoris noſtri promiſſum, Matthæi 16. Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Hos perſecutores peculiariter putat Lyranus eſſe Mahumetanos, quorum ſecta à gladio cepit, per gladium tenetur, per eundem terminabitur. Remigius verò illos perſecutores Eccleſiæ ait eſſe hæreticos, qui fundunt ſanguinem animarum, id eſt, fidem, quâ vivunt animæ juſtorum, Abacuc 2. 4. *Juſtus in fide ſua vivet:* id eſt, incipit vivere per fidem, ut radicem juſtificationis: & perfectè per illam vivit, & in vita conſervatur, ſi ſit charitate formata & vivificata: atque ut loquitur S. Paulus Galat. 5. 6. *Per charitatem*

3. *tatem operetur.* Tertiò, *viri ſanguinum*, ut expo-
nit Didymus, ſunt ii, qui legem tranſgrediendo,
4. aliis ſunt authores mortis. Quartò, *viri ſanguinum*
ſunt dæmones, ut ait Clemens Alex. lib. 1. pædag.
capite 1. ſunt enim crudeles & in crudelitate con-
ſummati, ut viri per frequentatos actus, Joan. 8. 44.
de diabolo ait Chriſtus: *Ille homicida* (Græcè
ἀνθρωποκτόνος, Arabs, occiſor hominum) *fuit ab
initio.* Adamum impellendo ad peccatum, per
quod mors intravit in Mundum: Caino ſuadendo
cædem Abelis fratris, in Joſephum, fratres exacer-
bando, & ſic de aliis, ut S. Auguſt. libro 2. contra
literas Pelitiani cap. 13. & Euthymius interpre-
tantur.

44. Verſ. 7. 4. Pars. Denique odio & execrationi doloſum eſſe Deo
dicit Propheta, verſ. eod. 7. ET DOLOSUM ABO-
MINABITUR DOMINUS.

Nota, ad aſtutiam pertinet aſſumere vias non
veras, ſed ſimulatas & apparentes ad aliquem finem
proſequendum, vel bonum, vel malum. Aſſumptio
autem harum viarum poteſt dupliciter conſiderari.
Uno quidem modo, in ipſa excogitatione viarum
hujuſmodi, & hoc propriè pertinet ad aſtutiam, ſi-
cut etiam excogitatio rectarum viarum ad debitum
finem pertinet ad prudentiam. Alio modo poteſt
conſiderari talium viarum aſſumptio ſecundùm
executionem operis, & ſecundùm hoc pertinet ad
dolum. Et ideò *dolus importat quamdam executio-
nem aſtutiæ.* Ita S. Thomas 2. 2. q. 55. art. 4. In
articulo autem quinto ponit differentiam doli &
fraudis. Sicut dolus, ait, conſiſtit in executione
aſtutiæ, ita etiam & fraus. Sed in hoc differre vi-
dentur, quòd dolus pertinet univerſaliter ad execu-
tionem aſtutiæ, ſive fiat per verba, ſive per facta.
Fraus autem magis propriè pertinet ad executionem
aſtutiæ, ſecundùm quod fit per facta.

45. Doloſi ſunt rejiciendi. Nota ſecundò, in hoc Pſalmo *doloſum* non diſtin-
gui à fraudulento: quia per doloſum David intelli-
git Saulem, qui variis dolis conatus eſt ipſum Davi-
dem occidere, modò gladiis Philiſthinorum, modò
lanceâ ter in eum conjectâ, modò integris exerci-
tibus, & furtim immiſſis ſicariis & populis in ipſum
excitatis. Hebr. eſt, *virum* מרמה *mirma*, id eſt,
doli, ut vertit Arias: *fraudulentum*, ut Pagninus,
abominabitur Dominus. Ubi obiter adverte, *rama*,
unde deducitur *mirma*, ſignificare, projicere, &
fraudare, ſeu doloſè agere, q. d. virum dignum ob
fraudes, qui ejiciatur ac repellatur, abominabitur
Dominus, & abominando rejiciet ac reprobabit.
Quòd autem dolus ad facta extendatur, patet
Pſal. 104. 25. *Et dolum facerent in ſervos ejus*, & ad
cogitationes atque affectiones, Eccli. 19. 23. *Eſt,
qui nequiter humiliat ſe, & interiora ejus plena ſunt
dolo.* Græcè, *in interioribus ſuis plenus dolo igneo*,
δόλου πυρώδους, id eſt, igneo, inflammante torrente.
Qui enim dolum animo verſat, ut hoſti noceat, velut
ignem in corde agitat: unde tota fornax flammis
impleatur, quas deinde ex improviſo in incautos
ejaculetur: ſic flammis dolus furit, ferro etiam
graſſatur. Hinc dicit David Pſal. 51. 4. Doëgum
ipſum alloquens: *Totâ die injuſtitiam cogitavit*
(coagitavit, meditata eſt) *lingua tua: ſicut nova-
cula* (culter raſorius ſeu tonſorius: ſynecdochicè pro
quovis cultro: & per catachreſim pro pugione, ſica
& gladio) *acuta feciſti dolum.* Et Pſal. 65. 5. Lingua
impiorum apertè gladius nuncupatur. *Filii homi-
num dentes eorum arma & ſagittæ*, id eſt, filiorum
hominum dentes ſunt arma & ſagittæ, *& lingua
eorum gladius acutus.* Non tantùm propè gladio
feriunt doloſi, ſed procul ſagittis impetunt, Oſeæ 7.
16. *Reverſi ſunt, ut eſſent abſque jugo*, id eſt, ut
eſſent filii Belial & exleges. Chald. averſi ſunt, ut
deficerent à lege: *facti ſunt quaſi arcus doloſus:* qui
cùm videatur emiſſurus ſagittas in unum locum, in
alium detorquet. Hoc de omni peccatore, hypocrita
præſertim ac fraudulento dici poteſt: ſicut illud
Pſalm. 77. 57. *Converſi ſunt in arcum pravum.* Sept.
στρεβλόν, id eſt, tortuoſum, obliquum, flexuoſum,
ut Homerus & Ariſtot. uſurpant. Suidas exponit
metaph. perverſum, callidum, verſutum. S. Gre-
gor. lib. 27. Mor. cap. 27. reddit, *in arcum perver-
ſum.* Pſalt. Illyricum, converterunt ſe *in arcum
inverſum.* Arabs, *ut arcus tortuoſus.* Pſal. 10. 3.
Paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in
obſcuro rectos corde. Vide ibi dicta.

Vir doloſus eſt monſtrum, habet enim duplex 46. Doloſus eſt monſtrum, quod habet duplex cor.
cor, Pſal. 11. 3. *Vana* (Hebr. שוא *ſau*, mendacium,
ut Pagn. & Arias vertunt. Hoc etiam ſignificat
Chaldæus שקרא *ſikra*) *locuti ſunt unuſquiſque ad
proximum ſuum, labia doloſa* (Chald. adulationes:
ponitur enim labium pro ipſo verbo per labium
prolato, per metonymiam) *in corde & corde* (Symm.
in corde alio & alio) *locuti ſunt*, hoc eſt, locuti ſunt
duplici corde, velut corde diviſo, unum proferente,
& aliud occultante. Paphlagoniæ perdices cor du- *Perdices habent cor duplex in Paphlag.*
plex habere tradunt Plin. Ælian. Gellius, ſecuti
Theophraſtum. Unum cor hominis doloſi eſt cor
hominis: & cor ejus alterum, eſt cor lupi: primo
blanditur, altero devorat. S. Chryſ. in Pſal. noſt.
*Doloſus eſt, qui aliud habet in ore, aliud in pectore:
qui manſuetudinis quidem & comitatis perſonam in-
duit, τὰ δὲ λύκον ἐπιδεικνύμενος, ſed de factis
lupum oſtendit.*

Nota, rectè David ſanguinario & mendaci ſub- 47. Doloſus & ſanguinarius fratres ſunt.
jecit doloſum, cùm ait: *Perdes omnes, qui loquun-
tur mendacium. Virum ſanguinum & doloſum abo-
minabitur Dominus.* Hæc enim ſibi maximè con-
nexa ſunt: qui enim malè agit, odit lucem, & do-
los ſuos tegit mendaciis, & mendacia dolis, ut,
ſicut dicitur Pſal. 10. 3. *Sagittet in obſcuro* (Græcè,
ἐν σκοτομήνῃ, in obſcura Luna: Symm. ἐν ζόφῳ,
in caligine) *rectos corde.* Habet in ſe incluſum fon-
tem mendaciorum doloſus. S. Auguſt. tract. 7. in
Joan. Quando, ait, aliquis aliquid in corde tegit,
& aliud loquitur, dolus eſt, *& tanquam duo corda
habet.* Unum quaſi ſinum cordis habet, ubi videt
veritatem: & alterum ſinum, *ubi concipit menda-
cium.* Dolum verò ſanguinarium ſymbolicè tibi
repræſenta in Joab duce exercitûs Davidis ſiccam
occultante, quâ trajicit Abnerem non cogitantem,
2 Reg. 3. 27. *Cumque rediſſet Abner in Hebron,
ſeorſum adduxit eum Joab ad medium portæ, ut lo-
queretur ei in dolo: & percuſſit illum ibi in inguine*,
(Tropol. poſſet traduci ad eos, qui doloſè ad turpia
inducunt) *& mortuus eſt in ultionem ſanguinis Aſael
fratris ejus*, quem Joab occiderat in prælio, ſed
invitus ut vitam ſuam tueretur. De cæde Amaſæ
per eundem Joab facta, vide ibi cap. 20. 19. ubi
eum fratrem appellat, oſculum offert, & doloſè
occidit. Joab ſignificat concupiſcentem, deſide-
rantem. Radix omnium malorum eſt cupiditas.

Nunc in Joab conſidera, quomodo Deus abomi- *Joab dolo occidens Abnerem maledicitur.*
netur doloſum ſanguinarium. Statim atque cogno-
vit David Abnerem eo modo eſſe transfoſſum, pro-
pheticè mala ob id eventura prædicit, velut impre-
cans, 2 Reg. 3. 29. *Nec deficiat de domo Joab flu-
xum ſeminis ſuſtinens*, (& conſequenter ſterilis)
& leproſus, & tenens fuſum, (id eſt, effœminatus,
& ad officia muliebria dejectus: Græcè, σκυτάλην,
id eſt, flagrum loreum ſeu coriaceum, flagellum,
ſcuticam ut habent bubulci & agaſones: vel ſac-
cum coriaceum, quo utuntur mendici, vel denique
virgam & baculum, quo ſe ſuſtentant cæci
& podagrici) *& cadens gladio: & indigens pane.*
Morti proximus David ob hanc Abneris cædem
& alias, juſſit Salomoni, ut occideret Joabum,
3 Reg. 2. 55.

S. Anaſtaſius Epiſc. Nicænus q. 73. ait, doloſos
eſſe Deo odioſos & hominibus inimicos. Et jure
quidem, cùm ſint humani generis peſtis, præſertim
quando cum dolo accedit crudelitas. Hoc exprime
Fenellæ invento, quod refert Cardanus de rerum
varietate, lib. 12. cap. 56. Cùm enim illa ſtatuam *Fenellæ dolus crudelis.*
mirâ arte fabricari juſſiſſet, in cujus manu pomum
aureum gemmis refertum erat, quod, quicunque
tetigiſſet, ſtatim multis jaculis confodiebatur: eò
regem nihil ſuſpicantem in Feſticarii oppido occi-
dit. Mendacem verò & doloſum, qui ſanguinem,
id eſt, pecuniam aliorum exugat, efforma in Tau-
romenienſi trapezita, de quo Conon apud Pho-
tium. Hic enim excavatæ arundini depoſitum ſuæ
fidei aurum impoſuit, quâ pro baculo utebatur:

&

Fallax & sagacissimum trapezitæ cujusdam juramentum.

& apud judicem vocatus ab adverſario, repentè baculum, in quo latebat aurum, tantiſper eidem commiſit, donec ſiblans manibus juraſſet ſe depoſitum reddidiſſe, quod ſecerat: mox baculum ſimul cum auro incluſo recipit. Sed ſimilibus Reipub. peſtibus, dic cum Alcuino tract. de virtut. & vitiis ad Comitem Vuidonem: *Dic cupide, dic avare, dic ſcelerate, quid acquiſiviſti? Fortè dices, aurum, acquiſivi, & verum dicis. Ecce aurum acquiſiviſti per fraudem, & fidem perdidiſti injuſtitia. Si in mercato fidem invenires venalem, ſi bonus eſſes, quomodo comparares eam? Quare non times eam perdere, quam Deus voluit habere in corde? Aurum habes & argentum, vel aliquid pretioſum in arca, ſed damnum in corde. His omnibus meliores divitias perdidiſti, fidem & juſtitiam, & dilectionem Dei, & proximi.* Ita Alcuinus.

Impoſtor ſe Alphonſum regem mentiens ſuſpenditur. Impoſtores alii puniti.

Adde, fraudulentos ac doloſos ſæpè ſuis laqueis capi. Impoſtor quidam Alphonſum ſe Hiſpaniæ Regem dicebat poſt 28 annos à victoria, poſtquam viſus ampliùs non fuerat: cùm Petronilla de regno contendit, ſed publicè ſuſpenſus eſt, ut ait Favynus, lib. 4. hiſt. Navarræ. Alter ſe Conſtantinum Ducæ filium mentiebatur, multos decepit, capto præciſa eſt manus: æream ſibi manum cùm aſſumpſiſſet, ac defectionem feciſſet, iterum datus eſt in vincula, atque concrematus, ut refert Zonoras in Romano. Manuëlis filium fingebat ſe Pſeudo-Alexius, ad Sultanum fugit, octo Turcarum millia in fines Romanos immiſit, ſed occiſus eſt, ut ait Nicephorus lib. 5. Non abſimilem necem ſortiti ſunt Pſeudo-Perſei, Pſeudo-Nerones, Pſeudo-Alexandri, Pſeudo-Antonini, Pſeudo-Balduini, aliique, Pſal. 11. 4. *Diſperdat* (Hebr. diſperdet. S. Baſil. exterminabit) *Dominus univerſa labia doloſa.* Id eſt, omnis labiis doloſis utentes. Eſt enim metonymia, Prov. 29. 6. *Peccantem virum iniquum involvit laqueus.* Sept. vertunt, peccanti viro magnus laqueus. Peccatorem ibi ſumit Salazar pro deſperante. 2. R. Aben Ezra, rebellem accipit. 3. R. Levi, ſcandoloſum. 4. Ad rem noſtram aptè Baynus intelligit fraudulentum & doloſum.

ARTICULUS IV.

Templa adeunda ſunt cum timore & reverentia.

48. ORationis qualitatatem, tempus, ac perſonas ad illam idoneas, cum Davide noſtro vidimus:
Verſ. 8. nunc locum ejus aptiſſimum videamus, verſ. 8. EGO AUTEM IN MULTITUDINE MISERICORDIÆ TUÆ INTROIBO IN DOMUM TUAM, ADORABO AD TEMPLUM SANCTUM TUUM IN TIMORE TUO.

Nota primò, David in deſerto Maon profugus opponit ſe hoſtibus ſuis, ac ſpeciatim Sauli & Doëg, qui ſacerdotes occiderant, tabernaculum ſanguine eorum polluerant, ac civitatem Nobe, in qua erat, everterant, ita ut neceſſe eſſet transferre in Gabaonem. Contrà verò pollicetur ſe cum timore tabernaculum illud intraturum: &, ſicut putat Cajetanus, declarat voluntatem, quam jam conceperat templi extruendi, regno adepto ac dilatato, quàm clariùs manifeſtavit Nathan Prophetæ, 2 Reg. 7. 1. anno regni ſui 11. Mundi 2990. cùm dediſſet ei Dominus requiem undique ab univerſis inimicis ſuis Hoſtem antem: 1. Vocaverat *virum ſanguinum*, ſe miſericordem fore pollicetur: *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ.* 2. Dixerat: *Non habitabit juxta te malignus.* De ſe ait: *Introibo in domum tuam.* 3. Dixerat: *Neque permanebunt injuſti ante oculos tuos.* De ſe ait: *Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* Melior etiam erit antitheſis in primo parallelo, ſi dicamus Davidem poſuiſſe: Perdes omnes, &c. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus: quæ ad juſtitiam pertinent Dei. Se autem ad ejus miſericordiam recurrere, eamque invenire; Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo, &c.

49. *Miſericordia hic quadruplicìter ſumpta.*

Nota 2. Quadrupliciter ibi ſumi poteſt miſericordia: Primò, ea quam Deus menti Davidis infuderat: *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam.* Ita ut ſit ſenſus, q. d. tu Saulem crudelem & virum ſanguinum à te & à regno abjeciſti, me autem ſuſcepiſti, & in tabernaculum tuum introduxiſti, infuſâ mihi manſuetudinis & benignitatis virtute etiam erga hoſtes meos. Et eam mihi gratiam è periculis evadendi, atque ad te accedendi dediſti ob manſuetudinem, quam erga Saulem alioſque exercui. Secundò, & meliùs, miſericordia ipſius Dei hic ſumitur, quæ in Deo ipſo eſt, & ſeſe patefacit per varios miſerationis actus. Sic accipi poteſt primò, miſericordia ſeu potiùs miſeratio præterita, quâ ex tot periculis eductus David fuerat, q. d. introibo in domum tuam innumeris à te cumulatus beneficiis, iiſque ex omni parte ſuccinctus, ut de iis tibi gratias agam. Secundò ſumi poteſt miſericordia, quam tum poſcebat in deſerto Maon, q. d. ſi nunc liberer ab iſto viro ſanguinum & doloſo, ſiſtam me tibi, ut meo Liberatori, cujus unius ope ſalvus poſſum evadere. Hic ſenſus mihi maximè placet. Tertiò, poteſt intelligi miſericordia futura, quâ tunc Deus liberatum ad ſe accedere patietur in templum tantæ majeſtatis conſpectu & colloquio indignum, q. d. Miſer quidem ſum, & ab omnibus deſertus in montibus errare cogor Saule me dolis & furore invadente, ſed eo rejecto me Deus ſuſcipiet, & in domum ſuam introducet exaudiendum, ungendum & coronandum in Regem. Tropol. intrant templa in multitudine miſericordiæ, qui in ingreſſu templi multis pauperibus ſe cingentibus dant eleemoſynam: ſi pauperum eſt introducere in æterna tabernacula, longè magis ſunt janitores templorum terreſtrium, & aperiunt fontes miſericordiæ peccatoribus, qui eleemoſynis rediment peccata, Luc. 16. 9. *Et ego dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,* (id eſt, de divitiis ac theſauris ad iniqua moventibus) *ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Hoc conſiderans Theophylactus, ait: Felix permutatio, cùm temporalia permutantur æternis. Et S. Chryſoſt. in Catena: Ars artium peritiſſima, inquit, eſt eleemoſyna: non enim nobis domos fabricat luteas, ſed vitam æternam impendit.

Nota 3. Tempore Saulis non erat ullum templum veri Dei in Judæa, ſed Deus in tabernaculo Moſaico colebatur, & ibi victimæ offerebantur. Cùm autem David agitabatur à Saule, erat illud tabernaculum Moſaicum non in Silo, ut vult hic Lorinus, ſed in Gabaone. Nam tabernaculum illud in Galgalis urbe diſtante 50. ſtadiis à Jordane, & decem à Jericho, conſtitutum eſt à Juſue anno primo tranſitûs in terram promiſſionis, in primo ingreſſu: fuit enim primus hic caſtrorum locus, ubi facta eſt generalis circuncſio in deſerto per annos 40. Erat autem hic annus Mundi 1584. In Galgalis autem illud Sanctuarium per ſeptem annos manſit: Inde ab eodem Joſue translatum eſt in Silo anno Mundi 2590. Juſue principatus 7. Ante Chriſtum 1463. Hoc autem fecit Joſue, quòd Silo eſſet in tribu Ephraim, ex qua ipſe erat: locus munitus in monte & amœnus: Maſius ait, trium horarum ſpatio Hieroſolymis abfuiſſe. In Silo manſit tabernaculum & arca per 350. annos uſque ad mortem Heli Pontificis, & cæſum à Philiſthæis Hebræorum exercitum, atque arcam captam. Translatum eſt autem à Samuele in Nobe urbem, ne, ſi relinqueretur in Silo, arca velut ſuo præſidio nudatum, à Philiſthæis victoribus raperetur, aut profanaretur. Manſit autem in Nobe toto tempore Samuelis, & uſque ad annum 13. Saulis, quo urbs illa everſa eſt à Doëgo ejus juſſu. Inde tranſtulit tabernaculum in Gabaonem Saul, civitatem Benjamin tribûs ſuæ, ibique manſit uſque ad tempora Salomonis. Unde 3 Reg. 3. 4. dicitur: *Abiit Salomon in Gabaon, ut immolaret ibi, illud quippe erat excelſum maximum.* Majus ſcilicet, quàm excelſum Cariathiarim, ut ait Salianus, quàm Ramathæum, quàm quod in Bethel, in Maſpha, in Galgala, quàm in Gabaa Benjamin, & Silo, & Hebron, & omnibus religioſis locis, in quibus hactenus ſacrificatum fuerat Deo. Eò quòd ſcilicet ibi eſſet tunc tabernaculum Moſis. Ibi mille

50. *Tabernaculi Moſis variæ manſiones.*

hoſtias

Digitized by Google

hoſtias ſacrificavit Salomon, & ſapientiam petiit à Deo, atque obtinuit.

51. Tabernaculum Moſis & Davidis aliquando templum vocatur.

Nota 4. Tabernaculum illud Moſaicum, & tabernaculum ipſum, quod David in Hebrone excitavit cum altari per ſeptennium, quod ibi fuit Rex Juda, vocatur templum, *adorabo ad templum ſanctum tuum*, latè ſumendo vocem templi, pro loco ad ſacrificia offerenda ac preces publicas deſtinato & conſervato. Vox Hebraica הֵיכָל *hecal*, quâ Rex noſter utitur, ædem, palatium, aulam ſignificat. Deus enim in tabernaculo fœderis tanquam Rex ac Dux populi Iſraël ſedem ſibi ſpecialem fiecerat, ubi reſponſa ſua & oracula redderet, ac mandata intimaret. Sunt, qui *hecal*, ut ait Mercerus, propter jod reducant ad radicem יָכֹל *iacol*, potuit, quòd hoc nomine Baſilica ſeu Regia Aula, Atrium, Palatium ſignificetur, ubi Rex aut Dominus aliquis prævalet, potenter regnat aut dominatur. Hinc & tabernaculum fœderis ſeu Conventûs, & poſteà templum Salomonis hoc nomine dictum eſt, quòd ibi tanquam in Aula peculiarem Deus Majeſtatis ſuæ præſentiam & potentiam exhiberet & declararet. Hinc etiam templa noſtra Baſilicæ, id eſt, domus regiæ, dicuntur, & S. Hieron. inter monſtra numerat Vigilantium, qui templa Martyrum negabat adeunda. Sic enim epiſt. ad ipſum ait: *Multa in Orbe monſtra generata ſunt: Centauros & Sirenas, ululas & onocrotalos in Eſaia legimus. Job Leviathan & Behemoth myſtico ſermone deſcribit. Cerberum & Stymphalidas, aprumque Erymanthium, & Leonem Nemæum, Chimæram atque Hydram multorum capitum narrant fabulæ Poëtarum. Cacum deſcribit Virgilius, triformem Geryonem Hiſpania prodiderunt. Sola Gallia monſtra non habuit, ſed viris ſemper fortiſſimis & eloquentiſſimis abundavit. Exortus eſt ſubitò Vigilantius, ſeu veriùs Dormitantius, qui immundo ſpiritu pugnet contra Chriſti ſpiritum, & Martyrum neget ſepulchra veneranda.* Quid dicas noſtris Calviniſtis, qui tot templa everterunt? Concilium Gangrenſe Can. 5. ait: *Si quis docet domum Dei contemptibilem eſſe, & conventus, qui in ea celebrantur, anathema ſit.* S. Chryſoſt. hom. 2. vocat templa λιμένα πνευματικόν, ſpiritalem animæ portum. Euſebius lib. 1. de Vita Conſtantini, cap. 46. vocat illa, σεμνὸν τῆς ἀρετῆς διδασκαλεῖον, auguſtam virtutum ſcholam: & S. Cyrillus in Joan. num. 14. ait, templum adire, eſſe, τριπόθητον, καὶ πολύευκτον ἀληθῶς, verè ſtudio incredibili & amore optandum, & expetendum multis votis. Hinc tanto ardore & pietate Reges ac Principes Chriſtiani Deo templa erexerunt, ut Mariana lib. 4. hiſt. cap. 2. dicat, à Jacobo Rege Aragonum duo templorum millia aut de novo extructa, aut reparata: Paulus Diaconus ait, prædictum fuiſſe Conſtanti Imp. non poſſe ejici Longobardos ab Italia, quòd S. Joanni templum erexiſſent: cùm autem à Carolo Magno poſteà victi ſunt, templum illud viris indignis datum erat. Ipſis feris ſua templa voluit Deus aſyla eſſe. Sanctius enim Rex Hiſpaniæ aprum in ſylvis uſque ad aram templi diruti ſequens, cùm eum perfodere vellet, manum obriguiſſe ſenſit: S. Antonini opem implorans ſanatus eſt, templum reparavit, & urbem Palentiam de novo excitavit, ut narrat Mariana lib. 8. Hiſt. Hiſpan. cap. 8. & Fauynus lib. 3. hiſt. Navarræ, fol. 132.

52. David Rex non ingrediebatur Sanctum, nec atrium Sacerdotum, ſed tantùm atrium mundorum.

Nota 5. Licèt dicat David: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum*, non intrabat tamen etiam Rex factus Sanctum ſeu Sanctuarium; ſed tantùm atrium mundorum, id eſt, populi Iſraël, qui nullâ labe aut immunditiâ legali arcebatur ab ingreſſu tabernaculi. Itaque per domum & templum ſanctum intelligitur illud atrium: ſic Chriſtus in templo Salomonis bis ex eo atrio, aut potiùs ex atrio gentium, ejecit vendentes boves, oves & columbas, & nummularios, id eſt, trapezitas, ut Syrus vertit; collybiſtas, ut habetur Græcè, hoc eſt, qui ex pecuniæ permutatione quæſtum faciunt, & propriè, qui argenteos aureoſve nummos permutant minoris, quales ſunt oboli ac teruntii, ut ait Pollux ex Lyſia. Eſt enim κόλλυβος Heſychio, ſpecies numiſmatis, ſeu aureus numulus, cui bovis imago impreſſa erat, & Polluci ipſi eſt permutatio illius numuli. Hoc porrò accidit primùm initio prædicationis Chriſti, ut refert Joan. 2. 14. & paulò ante paſſionem, ut Matth. 21. 12. ait autem ibi verſu 13. *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Arabs, ſpeluncam latronibus; quia ibi uſuris, venditione & variis modis fraudulentis Sacerdotes ipſi peregrinos & pauperes expilabant. Sic à Davide hîc atrium tabernaculi fœderis vocatur domus Dei, & templum ſanctum. Nam in Sanctum Sanctorum, id eſt, in Sanctuarium ſanctiſſimum, ac velut in chorum tabernaculi illius, & poſteà templi Salomonis non intrabat niſi ſummus Sacerdos, & quidem ordinariè ſemel in anno: nempe in die expiationis, Levit. 16. 12. in Sanctum, id eſt, in primam tabernaculi partem, velut in ejus navem, non intrabant niſi Sacerdotes, ut panes ponerent ſupra menſam auream panum propoſitionis, ut accenderent lucernas in aureo candelabro, ut adolerent incenſum in altari aureo manè & veſperi tempore immolationis agni in holocauſtum. In atrium Levitarum, quod erat ſub dio ob altare holocauſtorum in ejus medio poſitum, non intrabant niſi Sacerdotes, & Levitæ, velut eorum Diaconi, id eſt, miniſtri. Erat autem illud atrium proximum tabernaculi veſtibulo. Propè illud atrium Levitarum erat ſedes regia, ſed in atrio populi loco honoratiſſimo & Sacerdotibus proximo, ut faciliùs videret omnia, quæ gerebantur in altari holocauſtorum, & in ipſo tabernaculo. Hæc declarantur Ezech. 46. *Hæc dicit Dominus Deus: Porta atrii interioris, quæ reſpicit ad Orientem*, (id eſt, porta atrii Levitarum, quod erat prope tabernaculum in parte Orientali) *erit clauſa ſex diebus, in quibus opus fit: die autem Sabbathi aperietur, ſed & in die Calendarum* (primo ſcilicet die menſis. erat enim feſtum Neomeniæ, id eſt, novæ Lunæ) *aperietur. Et intrabit Princeps per viam veſtibuli portæ de foris, & ſtabit in limine portæ, & facient*, (offerent, ſacrificabunt) *Sacerdotes holocauſtum ejus, & pacifica ejus*, (hoſtias pacificas ab eo oblatas) *& adorabit ſuper limen portæ, & egredietur: porta autem non claudetur uſque ad veſperam. Et adorabit populus terræ* (foris poſt principem) *ad oſtium portæ illius in Sabbathis, & in Calendis coram Domino.* Sedes regia prope atrium Levitarum poſita, vocabatur Muſach Sabbathi, de quo 4 Regum 16. 18. *Muſach quoque Sabbathi, quod ædificaverat in templo, & ingreſſum Regis exterius, convertit* (Achaz Rex) *in templum Domini, propter Regem Aſſyriorum.* Muſach Hebraicè ſignificat operimentum, ut vertit Arias: velum, ut Pagnin. opertorium, tectum, tentorium, conopæum, ut alii. Rad. סָכַךְ *ſaſach*. tegere, operire. Muſach ergò Sabbathi erat ſolium opertum ſeu tentorium conopæo ſplendido coopertum, quod erat juxta atrium Sacerdotum, ſed extra illud, in quo Rex in Sabbathis & feſtis orabat, & ſacrificia ſpectabat, & Sacerdotes ac Levitas cantantes audiebat. In hoc ſolio poſitus eſt Joas à Joiada Pontifice, cùm creatus eſt Rex Juda, 4 Regum 11. 14. Achaz autem illud Muſach *convertit in templum Domini*, id eſt, intulit in ipſum atrium Sacerdotum & Levitarum, ut gratificaretur Regi Aſſyriorum, & contra legem omnem eum induceret aut principes ab eo miſſos in atrium illud ad ſpectanda ſacrificia tum in altari holocauſtorum, tum in Sancto: vel potiùs, ut à vulgo magis ſeparatus & inter Sacerdotes ſedens auguſtior appareret Regibus Aſſyriis, & majori in honore haberetur.

Regis Judæorum locus in templo.

53. 3. Virtutes neceſſariæ templum ingredienti.

Nota 6. Tres virtutes eſſe neceſſarias templum ingredienti. Primò, ſpem in Dei miſericordia: *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam.* Secundò, humilitatem: *Adorabo ad templum ſanctum tuum.* Tertiò, timorem: *In timore tuo.*

1. Spes.

Ac primò, quomodo ſit explicanda illa Dei miſericordia, dixi ſuprà notando ſecundo, illa eſt noſtræ ſpei baſis, & radix, & fons.

2. Humilitas. *Adoratio interior & exterior.*

Secundò: Humilitas externa, & interna declaratur in voce *adorabo*. Ut enim ait S. Thomas 2. 2. quæſt. 84. art. 2. ad 3. Adoratio Dei duplex eſt, ſcilicet

licet interior devotio mentis, & exterior humiliatio corporis. Prima eſt principalior, ad quam & propter quam ſecunda fit. Eſt actus latriæ, ibid. art. 1. ad 3. quæ latria debetur Deo propter propriam & ſingularem rationem dominii: ratione item principii, creationis & gubernationis. Ubi nota, adorationem in Scriptura ſumi tripliciter: Primò, genericè pro quacunque veneratione, quæ alteri exhibeatur, ob præſtantiam aliquam dignitatis; ſive is ſit Deus, ſive Angelus, ſive homo, Geneſ. 18. 2. de Abrahamo in convallo Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in fervore diei, id eſt, ſub meridiem & tempus prandii, dicitur: *Cùmque aperuiſſet oculos, apparuerunt ei tres viri* (tres Angeli ſpecie virorum: nempe, ut volunt Hebræi, Michaël, Gabriël & Raphaël; ſed id non eſt certum) *ſtantes prope eum: quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi, & adoravit in terram.* id eſt, adoravit pronus in terram, ut dicitur de Loth duos ex illis Sodomæ adorante, cap. 19. 1. Secundò, adoratio etiam genericè ſumpta ſumitur pro quocunque actu religionis interno vel externo, quo divinus honor Deo defertur. Sic ſumitur Exod. 23. 24. *Non adorabis Deos eorum*, (Chananæorum) *nec coles eos.* Sic etiam Deum Angeli adorant, Pſ. 96. 7. *Adorate eum omnes Angeli ejus.* S. Hier. vertit: *omnes Dii.* Sunt enim & filii excelſi, & Dii per participationem ſicut homines. Ille actus adorationis eſt actus latriæ ſeu ſervitutis debitæ ſoli Deo, tanquam rerum omnium Domino. Tertiò, ſpecialiter, & propriè, adoratio eſt actus externus religionis, quo per convenientem aliquem corporis geſtum proteſtamur noſtram ſubjectionem erga Deum, ſicut erga ſummum omnium Dominum, atque adeò tribuimus ei divinum honorem. Cùm enim corpore conſtemus, & animo, par eſt ratio, ut utrumque Deo ſubjiciamus, & utroque eum honoremus: deinde illa exterior veneratio pietatem auget ac devotionem. S. Auguſt. lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 5. *Neſcio*, inquit, *quo pacto cùm hi motus corporis non poſſint niſi motu animi præcedente fieri, eiſdem exteriùs viſibiliter factis, ille interior inviſibilis, qui eos fecit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui, ut fierent iſta, præceſſit: quia facta ſunt, creſcit.* Sic Magi intrantes domum, invenerunt Puerum JEſum cum Maria Matre ejus, *& procidentes adoraverunt eum*, Matth. 2. 11. Arabicus textus habet, prociderunt eum adorando. Deum eſſe eum cognoverunt, ut tradunt S. Iren. lib. 3. cap. 10. S. Leo ſerm. 1. de Epiphania. Unde Græci diem illius adorationis vocant non tantùm Epiphaniam, ſed etiam Theophaniam. In Pſalmo noſtro vox Hebraica אשתחוה *eſthabane*, propriè ſignificat, incurvabo me, humiliabo me totius corporis incurvatione & proſtratione, quæ reverentiæ causâ etiam fiebat hominibus, maximè principibus aut magnis viris apud Orientales. Hine pro adoratione Deo debita ſumitur. Rad. שחה *ſaha*, incurvatus eſt, humiliatus eſt, incurvavit, & humiliavit ſeipſum. Græcum *προσκυνεῖν* eſt, venerabundè ſalutare, venerando oſculari, à *κύω* oſculor. Sic *adoro* ſignificat ad os pono, oſculo exhibeo venerationem, oſculando veneror & honoro. Solebant enim ſtatuas Deorum ſuorum oſculari Ethnici, vel ſi eſſet ſtatua remotior, manum ſuam oſculabantur, deinde illa ſtatuam tangebant, vel contrà. Aliquando ne idolum quidem manu tangebant, ſed illam tantùm oſculabantur, & ad illud converſi ſignum venerationis exhibebant. S. Hier. in Rufinum: *Qui*, ait, *adorant, ſolent deoſculari manum, & caput ſummittere.* Sic Solem & Lunam venerabantur, ut patet Job 31. 27. *Si vidi Solem, cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & oſculatus ſum manum meam, quæ eſt iniquitas maxima.* Vide dicta Pſ. 2. 12. Apprehendite diſciplinam, ubi Hebr. eſt, *oſculamini Filium:* S. Hier. vertit, *adorate purè.*

Adoratio exterior juvat interiorem.

Corporis eam incurvationem, & exteriorem reverentiam docens nos in templo cœleſti Seniores, id eſt, principes, viſi à S. Joanne circa thronum Dei, circumamicti veſtimentis albis, & coronis aureis illuſtres. Cùm enim 4. animalia, id eſt, 4. Angeli darent gloriam, & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum, & viventi in ſæcula ſæculorum, additur verſ. 10. *Procidebant viginti quatuor Seniores ante ſedentem in throno, & adorabant viventem in ſæcula ſæculorum, & mittebant* (Arab. dimittebant, relinquebant. Syr. abjiciebant) *coronas ſuas ante thronum.* Adorationem illam explicat Alcazar de ſacrificio Miſſæ: ait enim Seniores illos eſſe Sacerdotes Eccleſiæ, qui per mare vitreum, id eſt, per pœnitentiam, ſe parant ad hoc ſacrificium, quod præſtantiſſimam Dei adorationem & ſanctiſſimæ Trinitatis glorificationem continet, ob victimam pretioſiſſimam & Deo gratiſſimam, quæ ibi offertur. Sed hoc eſt myſticum. Angelos ipſos venerabundos eſſe viſos ante altaria refert S. Chryſoſtomus. Et S. Chryſolog. ſerm. 5. ait: *Pavent Angeli, poteſtates metuunt, in faciem proruunt cœli Seniores.* S. Juſtin. in Tryph. ait Deum *μειλίσσεσθαι*, demulceri oratione, quæ funditur, *τῇ ἐν πρηνεῖ καταχλίσει, καὶ ἐγκλίσει*, *ſubmiſſo in terram vultu, & flexu humi genibus.*

Sancti Deum adorantes viſi à S. Joanne.

Theodoſii ſenioris imp. illuſtris ad exemplum eſt animi dimiſſio. Cùm enim ob cædem Theſſalonicæ à militibus ejus factam, excluſus à templo fuiſſet, ac poſt menſes octo aditum obtinuiſſet à S. Ambroſio, ut narrat Nicephorus lib. 12. c. 12. *Non ſtans ille, neque genibus flexis rerum univerſarum Dominum placavit*, ſed, *πρηνὴς ἐπ' ἐδάφους ἐῤῥιμμένος*, *pronus in ſolum abjectus*, miſerabilem illam Davidis emiſit vocem: (Pſal. 118. 25.) *Adhæſit pavimento anima mea, vivifica me ſecundùm verbum tuum, τίλλων τρίχας, καὶ μέτωπον, τύπτων, & comam inſuper vellens, caputque diverberans, & ſolum lacrymis madefaciens, delicti veniam ad eum modum petiit.*

Theodoſii Imp. ſen. pœnitentis humilitas.

Quâ modeſtiâ Theodoſius junior imp. ſenioris nepos in templo verſaretur, ipſe teſtatur in Concilio Epheſ. cap. 21. & refert Baronius tomo 5. an. 398. *Nos*, ait, *qui legitimis imperii armis nunquam non circundamur, quoſque ſine armatis ſtipatoribus eſſe non convenit, Dei templum ingreſſuri foris arma relinquimus, & ipſum etiam diadema regiæ majeſtatis inſigne humiliter deponimus, & ſacra altaria munerum tantùm offerendorum causâ accedimus, quibus quoque oblatis ad extimum commune atrium mox nos recipimus, nec quicquam ex propinqua divinitate nobis arrogamus.* Turcæ in templorum aditu calceos ponunt ad majorem reverentiam. Ethnicos id quoque præſtitiſſe docet S. Juſtinus Apol. 2. pro Chriſtianis ad Antonin. Imp. Fana, inquit, ingredientes, calceos deponunt, & cultores eorundem idem facere Sacerdotes jubent. Nudis pedibus etiam Sacerdotes Hebræi ſolebant ſacrificia offerre in altari holocauſtorum: unde lavabant pedes, ut Sanctum, id eſt, primam tabernaculi, ſeu templi partem, intrarent. Totius corporis modeſtam compoſitionem declarat Seneca lib. 7. natural. quæſt. *Intramus templa compoſiti, ad ſacrificium acceſſuri vultum ſubmittimus, togam adducimus, in omne argumentum modeſtiæ fingimur.*

Theodoſii junioris pietas.

Tertiò, templum ingredienti neceſſarius eſt Dei timor: ideò David ait: Adorabo ad templum (Pagninus, in templo) ſanctum tuum *in timore tuo:* id eſt, tui, q. d. adorabo te timens, te venerans & reverens, hoc eſt, cum pietate & devotione, ſed tremens velut filius coram patre, & ſubditus coram rege, & reus coram judice. Petav. ſignatè expreſſit, *τεῷ ὑπὸ κάρτεϊ πτώσσων*, *tuo ſub robore tremens.* Arab. optimè, *indutus timore tuo.* Hanc veſtem hyacinthinam ad talos uſque demiſſam ferant Sacerdotes ad altare, ut ſint Sancti Domino, & ferant Rationale in pectore, ſintque oracula viva populorum, habeant in extremitate veſtis illius tintinnabula, quæ ut S. Hier. tubam illam judicii extremi ſemper in memoriam revocent, Exodi 28. 33. *Deorſum verò ad pedes ejuſdem tunicæ per circuitum quaſi mala punica facies, ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis. Ut audiatur ſonus, quando ingreditur & egreditur Sanctuarium in conſpectu Domini, & non moriatur.*

54. 3. Timor templi adeunti eſt neceſſarius.

Tintinnabula in veſte Pontificis.

S. Thom.

Sacerdotes miniſtrabant. *veſtimenta, quæ facient: Rationale, Superhumerale, tunicam & lineam ſtrictam, &c.* Per tunicam intelligitur tunica hyacinthina, quæ ob excellentiam tunica abſolutè appellatur: Linea ſtricta, id eſt, tunica linea inſtar interulæ, corpus ſtringebat, & inde nomen habuit: eandem Lineam ſtrictam habebant etiam alii Sacerdotes, verſ. 40. ac fœminalia etiam Linea, verſ. 42. & 43. Cauſam Philo affert lib. 1. de monarchia: *Pontifex*, ait, *jubetur veſtem lineam ſumere, quando adyta ſubit, quia Linea non conficitur a mortali materia, ſicut veſtes laneæ, quæ a pecoribus capiuntur.* Et fuſiùs S. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 45. ait: Aaronem ac filios ejus Sacerdotes, juſſos eſſe lineis, non laneis uti in templo, ut diſcerent, τῶν ἐξωθορύβων ἐπιλησμονεῖν, *externos tumultus de memoria deponendos. Nam qui rei ſacra causâ ad Deum accedit, nihil alienum, nec ullam rerum ex materia conſtantium ſarcinam ſecum afferre debet. Quamobrem ſi poſt ejuſmodi ſigna, temeritate ductus veritati vim afferre conaris, confuſiones ac nugas templis, quibus omne ſilentium debetur, & colloquia turpia & prapoſtera, nefariaſque manuum impoſitiones: hoc perſuaſum habe, quod* εἰς ἔσχατον κατακρίσεως κίνδυνον, *in extremum condemnationis & exitus periculum, te ipſum impelles.* *Cur non ex laneis.* Excluſio veſtium lanearum tam pro Sacerdotibus, quàm pro Levitis expreſsè habetur, Ezech. 44. 17. *Cùmque ingredientur portas atrii interioris*, (id eſt, atrii Levitici, in quo erat altare holocauſtorum) *veſtibus lineis induentur: nec aſcendet ſuper eos quidquam laneum, quando miniſtrant in portis atrii interioris, & intrinſecus:* Id eſt, in Sancto.

18. Tropol. Tropol. Innocentius III. ſerm. de Dedicat. templi, etiam templum ſumit pro anima juſti. Itaque adorate Deum ad templum ſanctum eſt, adorare illum in mente ſua, ibi victimas immolando, & incenſum offerendo, lucernas accendendo, panes propoſitionis ponendo, primitias & oblationes dando, & alia præſtando. Origenes in Pſal. noſtr. *Praclara*, inquit, *virtutes conditio & ſancta vita, Domus Dei eſt, quam quidem virtutem qui poſſident, cum fiducia & libertate magna loquuntur. Chriſtus verò, tanquam Filius, venit in templum ſuum, cujus templum ſumus nos, iis, qui nobis ſimiles ſunt, dicentes: Templum ſanctum eſtis, & corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti.* *Anima juſti eſt Domus Dei.* S. Ephrem. ſerm. de Virginitate ſæpiùs appellat virgines templum Dei, & oſtendit, per bona opera templum nos poſſe Dei effici. Cupis, ait, eſſe caſtum & immaculatum templum Dei? Imaginem ejus in corde tuo ſemper habeto: Imaginem, inquam, non colorum varietate in ligno, aliâve materiâ deformatam, verùm illam, quæ per bona opera, uti jejunia, vigilias, honeſtas actiones, continentiam & orationes, mirabili quodam modo, purè jugiterque depingitur in anima; colores verò imaginis illius cæleſtis Domini rectè facta ſunt & cogitationes mundæ, ac terrenarum rerum nuditas cum lenitate ac vita ſanctâ omni tempore.

De S. Zacharia patre S. Joannis Baptiſtæ ait S. Chryſologus ſerm. 87. *Ipſe erat Deo familiarius templum, portans in ſui pectoris puritate tota legis arcana: & apponens non tam thuris, quam pura ſupplicationis incenſum. Gratiùs namque Deus in ſuo, quàm in hominis opere requieſcit: & non tam libenter odoratur Arabica arboris guttam, quàm ſinceri cordis & pectoris ſanctitatem.*

Illuſtre eſt effatum S. Gregorii Thaumaturgi Neocæſareæ Epiſcopi, qui, cùm Neocæſaream ingreſſus, domum, ad quam diverteret, non reperiret, ob Paganorum mores efferatos: ejuſque domeſtici tumultuarentur, eos blandis vocibus in hunc modum affatus eſt: *Quid hic dubitatis, tanquam ſitis extra Dei tegumentum, ubinam membra veſtra quieti daturi ſitis? Vobiſne parva domus videtur eſſe Deus: ſiquidem in ipſo vivimus, movemur, & ſumus? An anguſtum dicitis cæli tegumentum, & ab eo quæritis aliud diverſorium? Sit vobis ſtudio una domus, nempe ſua unicuique vita, quæ per virtutes ædificatur, & in altum erigitur. Hoc ſolùm vobis ſit cura, ne tale habitaculum ſit nobis imparatum. Terreſtrium enim murorum ambitus non offerunt lucrum iis, qui vivunt in virtute: potiùs autem ab iis, qui vitio inquinantur, parietum uſus jure requiratur, quoniam occultorum probrorum domus ſæpè eſt operculum. Qui autem ex virtute vitam gerunt, non habent parietes, quid domi occultent.* *S. Gregor. Thaum. generoſus animus.* *Deus eſt domus Sanctorum.*

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

Duo à Deo poſtulat David. Primò, in ipſo periculo deduci & dirigi, ob malitiam hoſtium ſuorum, quam deſcribit. Secundò, extra periculum petit, pro ſe ſuiſque, lætitiam ſecuram & gloriam, eamque dandam prævidet.

PARAPHRASIS.

9. *Domine deduc me in juſtitia tua propter inimicos meos: dirige in conſpectu tuo viam meam.*

9. Domine in his montibus errantem me ac penè perditum, & à toto Saulis exercitu vallatum, ex tanto diſcrimine extrahe, atque ſecurum in locum deduc propter juſtitiam tuam, quâ innocentes tueris. Incertum, quò me recipiam, dirige, & tuâ luce illuſtrato fave, ut eam viam ineam, in qua ſervari poſſim.

10. *Quoniam non eſt in ore eorum veritas: cor eorum vanum eſt.*

10. Hoſtes enim mei calumniis me ſuis apud Saulem Regem in dies ſingulos majoribus onerant, & vanitatibus intenti me ex aula ejicere moliuntur, ut inanibus honoribus me depreſſo fulgeant.

11. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſe agebant: judica illos Deus.*

11. Fauces eorum purulentæ, ſepulchri inſtar fœtentis, teterrimam mendaciorum, calumniarum & blaſphemiarum mephitim inhalant: ſermonibus ſuis fraudulentis dolos nectunt, ut incautum me ſtringant: ſed tu Judex & Vindex eorum aſtutiam elude, atque ulciſcere.

12. *Decidant à cogitationibus ſuis, ſecundùm multitudinē impietatum eorum expelle eos: quoniā irritaverunt te Domine.*

12. Spe præconceptâ excidant, atque à via tua & conſpectu ejiciantur, ut ſceleribus ſuis ſunt meriti: quia te Deum meum ad iram concitaverunt ſcelerati.

13. *Et lætentur omnes, qui ſperant in te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis.*

13. Contrà verò, facilem lætamque decurrant viæ hujus viam, qui ſpem in te ſuam ſtabiliunt. Cùm felicem viæ terminum attigerint, in te per omnem æternitatem exultabunt, atque eorum in medio Rex bonitatis triumphabis, eoſque omni gaudio cumulabis.

14. *Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices juſto.*

14. Et omnes, qui amore tui inardeſcunt, in te clarè viſo gloriabuntur in cœlis, tuamque unius gloriam in terra perquirent, teque Duce ac Protectore lætis ſucceſſibus exultabunt. Nam benedictionem tuam pietati deditis impertieris.

15. *Domine ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ: coronâſti nos.*

15. Domine Deus, nos ſervulos tuos telis undequaque impetitos, benevolentiâ tuâ, veluti clypeo impenetrabili, omni ex parte ſucingis, ne lædi ulla ratione poſſimus.

Digitized by Google

QUÆSTIO UNICA.

Quàm utile eſt juſtis divinæ ſe providentiæ ducendos committere.

SUperiori ſectione exaudiri ſe poſtulaverat, & oſtenderat, quanto ſtudio & ardore oraret. Nunc exponit, quid petat, & eventurum illud prædicit.

59. Deus Dux eſt neceſſarius. Ac primò, duo poſtulat. Primò, ducatum ſecurum, verſ. 9. *Domine deduc me in juſtitia tua propter inimicos meos.* Secundò, directionem certam, ibid. *Dirige in conſpectu tuo viam meam.* Neceſſitatem utriuſque oſtendit, ob hoſtiles machinationes, quas everti petit, ibid. *Decidant à cogitationibus ſuis.* Nequitiam eorum omnimodam ponit, cùm ſint: 1. Ore mendaces, verſ. 10. *Quoniam non eſt in ore eorum veritas.* 2. Corde vani, ibid. *Cor eorum vanum eſt.* 3. Gutture fœtidi, verſ. 11. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* 4. Linguâ doloſi, ibid. *Linguis ſuis doloſè agebant.* 5. Opere impii, verſ. 12. *Decidant à cogitationibus ſuis, ſecundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos.* 6. Omni modo injurii Deo ipſi, ibid. *Quoniam irritaverunt te Domine.*

Secundò: Evitato periculo felicitatem ſuam ac ſociorum ſuorum, & Sanctorum in iis figuratorum oſtendit: quòd 1. Animo lætentur, verſ. 13. *Et lætentur omnes, qui ſperant in te.* 2. Corpore caveant, ibid. *In æternum exultabunt.* 3. Corde Deum recipiant. *Et habitabis in eis.* 4. Ore in Eo uno glorientur, verſ. 14. *Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.* 5. in bonis cæteris benedictione cumulentur, ibid. *Quoniam tu benedices juſto.* 6. Protectione cœleſti circumcingantur, verſ. 15. *Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronâſti nos.*

ARTICULUS I.

Deus eſt Dux neceſſarius in vita ſpirituali.

Verſ. 9. 60. Senſus hujus loci. DAvid in deſerto Maon Saulem fugiens, Ducem ſibi depoſcit Deum, verſ. 9. DOMINE DEDUC ME IN JUSTITIA TUA. Id eſt, propter juſtitiam tuam. Primò, quâ in te juſtus es, & juſtitiam exerces, puniens ſceleratos, favens innocentibus, q. d. Scis Saulem eſſe injuſtum aggreſſorem, à me nullâ injuriâ laceſſitum furere, & in rabiem inſanam agi, me verò modis omnibus eniti, ut ipſum mitigem: itaque ſecundùm tuam juſtitiam ſolitam me tuere, & in loca ſecura perductum conſerva, & hic ſenſus eſt optimus. Secundò tamen ſenſus eſſe poteſt, q.d. deduc me ob juſtitiam tuam, id eſt, ob juſtitiam, quam in me poſuiſti, & quâ me juſtum effeciſti: honora in me tua dona. Juſtitiam autem illam habitualem in Davidis anima fulgentem, & actualem, exteriùs radios vibrantem, intellige vel cum S. Chryſoſtomo, omnem virtutem, latè ſumpto juſtitiæ nomine, ut fieri patet Matth. 3. 15. & docet S. Thomas 1. 2. q. 60. art. 3. & qu. 113. art. 1. vel cum S. Auguſt. accipe juſtitiam, quâ ſe in hoſtes quidem tueri poſſit, ſed non animo vindictæ; vel intellige juſtitiam ſtrictè ſumptam, quâ unicuique reddat, quod ſuum eſt: Deo ſcilicet, Regi, ſociis ſuis, & aliis omnibus. Tertiò, non malè etiam ſumetur hîc Hebr. צדקה *ſedaka*, pro miſericordia: & vox ipſa latina, *juſtitia*, ſic aliquando ſumitur, Pſalm. 30. 1. *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum, in juſtitia tua*, (Symmachus, ἐν τῇ ἐλεημοσύνῃ σου in tua miſericordia) *libera me*, Pſalm. 34. 24. *Judica me ſecundùm juſtitiam tuam.* Caſſiodorus legit, ſecundùm miſericordiam tuam, Pſalm. 70. 2. *In juſtitia tua* (Bruno de miſericordia explicat) *libera me, & eripe me.* Pſal. 142. 1. *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua juſtitia.* Theodotio reddit, ἐν πάσῃ ἐλεημοσύνῃ σου, in omni miſericordia tua. Et in editione ipſa vulgata, Pſal. 23. 5. *Hic accipiet benedictionem à Domino & miſericordiam* (Hebr. eſt ſedaka, id eſt, juſtitiam,) *à Deo Salutari ſuo*, qui vocatur Malach. 4. 2. *Sol juſtitiæ.* Chald. Sol puritatis, id eſt, qui puriſſimis radiis ſuis miſericorditer & liberaliter effuſis omnia expurgat. Quæres: cur juſtitia dicatur miſericordia? Ratio eſt, quia Deus miſericordiam illam promiſit, eſt igitur fidelitatis & juſtitiæ eam exhibere, ſi præſertim ex parte noſtra ea facimus, quæ Deus à nobis exigit.

Nota, cùm David Pſalmum hunc dicebat, erat in deſerto Maon ita concluſus ab exercitu Saulis, ut *deſperaret ſe poſſe evadere à facie Saul*, 1 Reg. 23. 26. viribus ſcilicet ſuis & ſuorum. Deinde, licèt potuiſſet inde exire, neſciebat, quò ſe reciperet, ut tutus eſſet. Nam fugiens priùs ad Achis Regem Geth, apud eum proditus & accuſatus inſaniam ſimulaverat, ut effugeret, cap. 21. 12. & ſeq. licèt Ceilam urbem liberâſſet à Philiſthæis, monitus eſt tamen divino Oraculo per Abiathar Pontificem, veſtitum Ephod, reddito: fore, ut eum Ceilani traderent Sauli, ſi eò, ut deſtinârat, ſe contuliſſet cum exercitu, cap. 23. 12. Ideo Ducem ſibi Deum poſtulat: *Domine deduc me.* Primò, Theodorus Antiochenus vult Davidem petere à Deo, ut revertatur in montem Sionem, ubi Deus ſpecialiter in arca habitat. Sed eo tempore adhuc mons Sion tenebatur à Jebuſæis: agitur enim hic de perſecutione non Abſalonis, ſed Saulis. Secundò, Cajetanus opinatur à Davide poſtulari, ut deducatur ad regnum poſſidendum ſibi promiſſum adhuc vivente Saule, qui erat ſceleratus, & conſequenter odio habebatur à Deo, & non poterat diu juxta eum habitare. Sed David non erat unctus à Samuele in Regem, niſi ut regnaret poſt Saulis mortem, quam ne accelerare quidem voluit David, cùm poſſet poſteà in ſpelunca Engaddi, & in mediis caſtris. Tertiò itaque petit hîc præcipuè, ut ex illo periculo humanis viribus inevitabili eruatur à Deo, & in locum ſecurum deducatur, q. d. Domine, quò pergam, neſcio, tu eſto Dux & protector meus, quam in partem duxeris, non curo, modò à nobis non recedas; ſed radios nobis in tanta caligine exhibeas, & nobis præire digneris.

Nota 2. pro: *Dirige in conſpectu tuo viam meam.* 61.
Hebr. & Chald. habetur, *viam tuam*, & ſic vertit 1. Via
S. Hier. eamque verſionem præfert Vulgatæ Eugu- noſtra
binus, ſed temerè. Eſt enim idem ſenſus in utraque eſt via.
verſione. Via enim Davidis erat via Dei, id eſt, in qua Deus cum ſuâ providentiâ poſuerat: in qua exultabat & pergebat ut à Deo ſibi data, licèt multas in ea ſpinas & præcipitia cerneret, in qua Deum unum ſequi volebat; itaque dixerat priùs: *Domine deduc me.* Deus autem primò dirigit viam, id eſt, rectam facit, brevem & expeditam, in qua non poſſis aberrare. Secundò dirigit, plana omnia præſtando, aſpera deprimendo, & ejecta erigendo: ita ut facilè & cum jucunditate decurratur. Tertiò, Deus viam dirigit, id eſt, proſperam facit, efficiendo, ut in ea bona nobis occurrant, & mala à nobis deflectant, neque currenti ſeſe opponant.

Moraliter nota: Primò, via eſt vita noſtra, Pſalmo 1. ℣. 1. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum* (Hebraicè, החטאים *attaim, peccatorum* eorum, quos ἄτη, pœna, noxa, damnum, clades, Nemeſis ſequitur: qui contraxerunt pravum habitum, & ex eo operantur) *non ſtetit*, Vide ibi dicta. Peregrini ſumus, ad patriam ambulamus, necdum metam attigimus. Hæc eſt via Abraham ex Ur Chaldæorum venientis in terram, quam Deus illi monſtrabat, Geneſis 12. ℣. 1. & ſeq. Hæc eſt via Angelorum in ſcala terram tangente, & ad cœlum pertingente, quam Jacob vidit in Bethel, id eſt, in domo Dei, capite 28. verſu 12. Hæc eſt via ipſius Jacob cum uxoribus, & prole numeroſâ ac multis opibus ad domum patris ſui Iſaac adhuc viventis, ex Meſopotamia, id eſt regione inter duos fluvios Tigrim & Euphratem poſita, redeuntis, & Angelos obvios ad ſe tuitandum

habentis,

habentis, cap. 32. 1. & 24. & ſeq. Hæc eſt via Hebræorum ex Ægypto exeuntium, & per terrificum deſerto in terram promiſſionis multo cum labore per quadraginta annos tendentium, Exodi 13. & ſeq. Hæc eſt via Tobiæ junioris de Rages (ſignificat tumultum) civitate Medorum, adducentis uxorem ſuam Saram, quæ dominam ſonat, ad matrem ſuam Annam, id eſt, ad gratiam: & ad patrem Tobiam, qui ſignificat bonitatem Dei, in Niniven, id eſt, ad habitaculum amœnum & pulchrum: nempe in cœlum, Tob. 11.

62.
2. Eſt via aſpera.

Secondò nota: Via hæc, nempe vita noſtra, eſt difficilis & aſpera, ac montoſa, Canticorum 6. verſu 8. ait Sponſus animarum JEſus: *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis.* Hebr. legerat, תשורי *thaſuro*, cùm ſin in cornu ſiniſtro, id eſt, dominaberis, eris princeps & regina, & conſequenter coronaberis: hinc regem vocamus *ſire*. Nunc in Hebræo eſt *thaſuri*, cum ſchin in dextro cornu, & primò Vatablus, R. David vertunt, *aſpicies:* Pagninus & Arias, *proſpicies*. Secundò, Syrus & Arabs ad rem noſtram aptè, *venies & tranſibis*. Septuaginta, *tranſibis de vertice fidei*. Nam Amana ſignificat veritatem & fidem. Tertiò, ad hoc Pſalmo noſtro conformius alii reddunt, *dirigeris*, à *ſaſar* dirigere, rectum eſſe, æquum & planum, *de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon* (ſunt montes Libano vicini) *de cubilibus leonum, de montibus pardorum:* In illis enim montibus erant leones & pardi. Adrichomius putat, montem eſſe diſtinctum à præcedentibus, qui dictus ſit mons pardorum & leonum: ſed hoc non videtur verum, in his enim jam nominatis leones erant & pardi: itaque ad quid alios quæreretur? S. Gregorius leonibus putat figurari dæmones ſuperbos & potentes, Beda: pardis verò maculoſis, hypocritas, fraudulentos & doloſos, quales ſunt hæretici, quod etiam Pſalmo noſtro conveniet, in quo paulò David dixerat verſu ſeptimo: *Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus*. Generatim per leones & pardos poſſis accipere hoſtes ſpirituales, qui viam ad cœlum decurrenti inſidiantur, atque moleſtiam exhibent. S. Ambroſius libro tertio de Virginibus poſt medium, ait: *Audiſti, quia vocavit te, dicens: Veni de Libano: tranſibis & pertranſibis à principio fidei. Tranſibis in ſæculum creatura, pertranſibis ad Chriſtum triumphatura de ſæculo. Audiſti, quia te a leonum & pardorum, id eſt, à ſpiritualium nequitiarum incurſionibus ſeparavit.* Simonides apud Clementem Alexandrinum libro quarto Strom. ait: Fama eſt virtutem, δυσαμβάτοις ἐπὶ πέτραις, *inacceſſis in ſcopulis* habitare. Itaque opus eſt ductore. Sanctus Chryſoſtomus in Pſalmum noſtrum: Præſens vita via eſt, quæ opus habet, τῆς ἄνωθεν χειραγωγίας, *ut è manu ſuperna dirigatur.* Si enim in aliquam civitatulam nobis ignotam non progredimur ſine ductore, præſertim ſi cæcus ſit callis & perplexus: quid faciemus in hac flexuoſa pendentique via? Deum orandum docet idem ſanctus Pater, ἵνα δείξῃ, στηρίξῃ, χειραγωγήσῃ, *ut indicet, ut confirmet, ut deducat. Multa enim ſunt ſemita, qua divertunt. Propterea*, ἐχώμεθα δεξιᾶς Θεοῦ, *dexteram Dei teneamus*, ut Theſeus filum Ariadnes, ne nos in varios labyrinthi flexus induamus. Sanctus Bernardus ſermone ſeptuageſimo ſeptimo in Cantic. conſiderans, cur à Sponſa ſola ſine duce Sponſus non potuerit inveniri, deplorat eorum lapſum, qui *ſine duce* & præceptore vias vitæ ingredi non formidant, quique in arte ſpirituali eſſe volunt & diſcipuli, & magiſtri, & quod deterius eſt, coacervant ſibi diſcipulos cæci duces cæcorum: unde mirum non ſit, ſi aberrent, & in foveam cadant.

63.
In hac vitæ via Deus ſe Ducem præbet.

Ducem ſe juſto præbet Deus, eique oſtendit viarum compendia, Sapientiæ 10. ℣. 10. *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas*, (Græcè ἐν τρίβοις εὐθείαις) *& oſtendit illi regnum Dei*, (in ſcala illa mirabili oſtenſa, agit enim de Jacob) *& dedit illi ſcientiam Sanctorum. honeſtavit* εὐπόρησεν, locupleravit, *illum in laboribus, & complevit*, (ἐπλήθυνεν, multiplicavit) *labores illius*, qui Deum Ducem ſequitur, non aberrat, & felix eſt. Chriſtus ait Joannis 14. ℣. 6. *Ego ſum via, veritas & vita.* Sanctus Bernardus id conſiderans ſermone 7. in cœna Domini, ſic eum loquentem inducit: *Ego ſum via, per quam eſt eundum: & veritas, ad quam veniendum: & vita, in qua permanendum. Ego ſum via ſine errore, veritas ſine falſitate, vita ſine morte. Ego ſum via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio.* Atque ad rem noſtram accommodatè paucis interjectis ſubtexit: *Nemo venit ad Patrem, niſi per me: nemo venit ad me veritatem, niſi per me viam. Et nemo venit ad me Deum, niſi per me Hominem aſſumptum*, &c. Sanctus Procopius Martyr mediis in tormentis Deum amicâ voce compellabat, his verbis: Deus, qui es Dux errantium, Adjutor eorum, qui ſunt in afflictionibus, confirma me ad conculcandum maligni ſtimulos, ad gloriam tui nominis & majeſtatis tuæ incomparabilis, ut eſt in ejus Actis.

S. Procopius orans.

Per columnam nubis & ignis populum duxit Deus in deſerto, Exodi 13. ℣. 21. per Angelos duos, Gabriëlem & Raphaëlem, ut aliqui Rabbini volunt, Loth eduxit ex Sodoma, Geneſis 19. ℣. 15. per Raphaëlem deduxit Tobiam juniorem, Tobiæ 5. & ſeq. Raphaël ſibi tunc ſumpſerat nomen Azariæ, id eſt, auxilii Dei. Deus enim per eum juvabat. Per Angelum liberat ſanctum Petrum è carcere, ubi erat vinctus catenis duabus, Actorum 12. 6. Et priùs omnes Apoſtolos, c. 5. 19. Per Angelum duxit ſanctum Honofrium in deſertum, ubi per ſexaginta annos manſit. Per ſeipſum verò JEſus ſæpè Apoſtolos duxit, ac ſpeciatim etiam poſt reſurrectionem duos diſcipulos euntes in Emmaus, eos inflammans & illuminans, Lucæ 24. 15. *Ipſe JEſus appropinquans ibat cum illis.* Cùm aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum, ſtatim dixerunt ℣. 32. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, cùm loqueretur in via?* Delectat cœleſti ſermone eos, quos ſecum ducit, Canticorum 1. 3. ait Sponſa in perſona ſua & adoleſcentularum: *Trahe me, poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Chald. Aponius & Juſtus Orgelitanus legunt: *Trahe me poſt te*, deinde poſitâ interpunctione addunt: *Curremus*, &c. Sed meliùs Hebr. Septuaginta, Vulgata τὸ *poſt te*, referunt ad curremus. Unguenta porrò illa explicat S. Bernardus ſermone 31. in Cant. fragrantiam morum & ſermonum Sponſi, cùm ait: *Facundus comes, qui in ſermonum & morum ſuavitate ſuorum, tanquam in quadam ſuaveolentia ſpirantium unguentorum, poſt ſe currere faciat univerſos. In odorem unguentorum tuorum curremus.* Chaldæus Paraphraſtes hoc more ſolito ad Judæos transferens nobis aptè & commodè vertit: *Quando egreſſi fuerunt populus domus Iſrael de Ægypto, majeſtas Dominatoris ſæculi erat Dux eorum in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem:- Dixerunt juſti illius generationis Dominator totius ſæculi: trahe nos poſt te, & curremus poſt viam bonitatis tuæ.*

1. Duxit Iſraelitas per Angelum.
2. Loth.
3. Tobiam.
4. S. Petrum.
5. S. Honofrium.
6. Apoſtolos & diſcipulos.

Trahe, notat: 1. Infirmitatem Sponſæ. 2. Tarditatem. 3. Renitentiam cupiditatis; David verò ait: *Domine deduc me*, quòd oſtendit primò familiaritatem, ſecundò, cooperationem noſtram. S. Chryſoſtomus in Pſalmum noſtrum: *Ut in via deducamur, Dei eſt: ut autem digni ſimus, ut illâ manu teneamur*, ἡμετέρας γενέσθω σπουδῆς, *noſtra ſit diligentia. Si fueris immundus, non te tenet illa manus, ſi fueris avarus, ſi aliquam aliam habeas maculam.* Tertiò, τὸ *deduc* denotat patientiam & conſtantiam in virtute paulatim acquirenda, non petit poni ſuper alas aquilarum, ut ſine labore & ſtatim ſumma pervadat, ſed duci. Beda hîc: *Domine deduc, id eſt, de virtute in virtutem gradatim duc.* Non aſcendebatur in templum Salomonis ſine gradibus: unde ob 15. ejus gradus ſunt 15. Pſalmi graduales, quorum primus eſt Pſalmus 119. de quo ibi agetur. Thronus Salomonis, id eſt, perfecta quies animæ, ſex gradus habet, & duo leones ſtant juxta manus ſingulas, & duodecim leunculi ſtant ſuper ſex gradus hinc atque inde, 3 Regum 10. ℣. 19. & 20. per medias difficultates ad ſumma perfectionis pedetentim aſcenditur. Sanctus Bernardus homiliâ de duobus diſcipulis euntibus in Emmaus: *Non leviter*, ait, *ad per-*

Deductio divina notat:
1. Familiaritatem.
2. Cooperationem.
3. Conſtantiam.

ctionis culmen attingitur, ſed paulatim virtutum radibus ad apicem charitatis per violentiam pervenitur: Erat thronus ille ex ebore, & auro veſtiebatur; innocens ſis, & habe charitatem, & rex eſto tuis cupiditatibus imperans, ac Salomon aliis ac tibi pacificus, atque ad gloriam dictante Dei gratiâ perveniens. Ut enim ait ſanctus Thomas 1. 2. quæſtione 111. articulo 3. Effectus gratiæ eſt quintuplex: ſcilicet ſanitas animæ. 2. Velle bonum. 3. Efficaciter operari. 4. Perſeverantia in bono. 5. Et perventio ad gloriam.

65. Deductione Dei egemus ob hoſtes. Primò, vigiles.

Ratio maximè urgens, cur deduci debeamus à Deo, & id ab eo poſtulare, eſt hoſtium noſtrorum vigilantia, vafrities & crudelitas. *Domine deduc me in iuſtitia tua* (velut in curru bellico, aut lectica) *propter inimicos meos.* Hebraicè שוררי *forerai*, quo denotatur primò hoſtium vigilantia. Nam *forerai* Cajetanus & Tyroboſcus vertunt, *inſpectores*. Rad. שור *ſur* cum puncto in dextro cornu ſignificat aſpicere, intueri, proſpicere, aciem oculorum intendere, Jobi 30. ℣. 17. *Qui me comedunt, non dormiunt.* Hoſtis vigilat, & dormis tu. Complutenſes legunt, *fugantes me*, id eſt, qui me perſequuntur.

2. Inſidiantes.

Secundò *forerai* vertit ſanctus Hieronymus, *inſidiatores meos.* Et ſanctus Chryſoſtomus hoc loco notat, ἐπιβουλὰς καὶ ἐφόδους, inſidias & invaſiones, quarto Regum ſexto, verſu octavo: *Rex autem Syriæ* (Benadab) *pugnabat contra Iſraël, conſiliumque iniit cum ſervis ſuis dicens: in loco illo & illo ponamus inſidias.* Benadab 1. ſignificat filius ſonitûs vel clamoris. Rad. בן *ben*, filius: & הדד *hadad* ſeu *hedad*, id eſt, clamor calcantium, quo alter alterum incitat, celeuſma ſeu clamor nautarum: nobis dæmonem figurat aperto Marte bello maritimo fluctibus jactatos impetentem: vel etiam in proſperis ac deliciis apertè ad ebrietatem & ad alia vitia manifeſta incitantem. 2. Benadad exponitur *filius dilecti.* Rad. *ben*, & דוד *dadad*, diligere: & eſt dæmon amore carnali parentum aut aliorum decipiens. 3. Benadad eſt filius patrui, vel *filius mamillæ.* Rad. *ben*, & דוד patruus & mamma: ſic figuratur dæmon ineſcans ſub ſpecie lactis innocentis aut deliciarum. Secundò, Benadad ille erat rex Syriæ. Hebraicè, ארם *aram*, id eſt, *maledictionis eorum.* Rad. ארר *arar*, maledixit: vel, ſuperbiæ. Rad. רום *rum*, exaltare. Tertiò, Iſraël, ſignificat *vir videns Deum*, per gratiam ſcilicet: & hic eget Dei luce & ope, ut vitet inſidias. Nam ſanctus Thomas 1. 2. quæſtione 109. articulo 9. ait, hominem in gratia exiſtentem, indigere auxilio Dei movente ad rectè agendum, non autem aliâ gratiâ habituali. Quartò, offert ſe Eliſeus, id eſt, Dei ſalus: JEſus ſcilicet Salvator & Salus noſtra, qui dicat regi Iſraël Joram, qui animæ excelſæ eſt typus, verſu nono: *Cave, ne transeas in locum illum: quia ibi Syri in inſidiis ſunt.* Joram exponitur Domini celſitudo. Rad. יו *io*, Deus, vel Dominus: & רום *rum*, exaltare.

Sunt occulta fovea in deliciis.

Salvianus libro ſexto de providentia jure hoſtes noſtros exercitui cæcos calles obſidenti comparat. *Sicut*, inquit, *exercitus pugnaturi ea loca, per qua venturas hoſtium turmas ſciunt, nunc foveis intercidere, aut ſudibus præfigere, aut tribulis infeſtare dicuntur: ſcilicet, ut, etiamſi non in omnia ea quiſpiam incidat, nullus tamen penitùs evadat: ita etiam dæmones tam multas in vita iſta humano generi illecebrarum inſidias prætenderunt, ut, etſi plurimas earum aliquis effugiat, tamen quâcunque capiatur.* In Pſalmo noſtro per hoſtes intelligit Euthymius etiam homines. Nam ſæpè ſunt ipſis dæmonibus infeſtiores. Hi nobis ſemper ſunt obvii. Aquila vertit, ἐφοδεύοντας, inſidiantes in via.

3. Tribulantes.

Tertiò, *forerai* vertit Felix *tribulantes*, ut denotet hoſtium noſtrorum crudelitatem, qui, quos tenent, conterunt & conficiunt, Amos primo, verſu tertio: *Hæc dicit Dominus: ſuper tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum*, (tria & quatuor ſcelera, ſunt ſeptem, id eſt, multa ſcelera: nam ſeptenarius eſt ſymbolum multitudinis & univerſitatis) *eò quòd trituraverint in plauſtris ferreis Galaad*: Id eſt, Galaaditas, qui ultra Jordanem poſiti erant iis viciniores. Hebraicè, חרוץ *harus* ſignificat conciſionem & ipſum inſtrumentum, quo fruges in area conciduntur & triturantur. Sanctus Hieronymus clarè ait: eſt genus plauſtri, quod rotis ſubter ferreis atque dentatis volvitur, ut excuſſis frumentis, ſtipulam in area conterat & comminuat. Tribulam vocamus à terendo, unde Vatablus vertit, *in tribulis ferreis.* Symm. in rotis ferreis. Tigurina, in raſtris ferreis. Septuaginta, in ſerris ferreis. Azaël rex Syriæ ſic contrivit Iſraëlitas, ut ei prædixerat Eliſeus: Damaſcus autem eſt metropolis Syriæ, & pro ea ponitur. Significat autem דמשק *dammeſech*, id eſt, Damaſcus: Primò, ſanguinis ſaccum. Rad. דם *dam*, ſanguis: & שק *ſak*, ſaccus, & denotat crudeles, qui devorant bona pauperum in conviviis, & ſe eorum divitiis, quæ ſunt ipſorum ſanguis, ſaginant. Secundò, *Dammeſech* ſignificat *ſanguinis poculum*, & ſic denotat eos, qui deliciis vacant, vel ebrios, qui ſe & alios potando occidunt, vitam breviando. Tertiò, Dammeſech exponitur *ſanguis femoris*, ſic eſt ſymbolum luxuriæ. Quartò, *ſanguis incendii*, & iram figurat. Quintò, *ſanguis procuratoris*, & avaros repræſentat. Hi omnes triturant Galaad, id eſt, *acervum teſtimonii*, hoc eſt, fideles & juſtos, qui ſunt ſegetes Dei & granum legis gratiæ acervandum in horreo cœleſti. Deducitur à גלל *galal*, volvere, revolvere, circuire, עד *ed*, teſtis.

S. Maximus Epiſcopus Taurinenſis vocat dæmones, barbaros, piratas, qui nos vexent. Explicat illud Jobi ſeptimo, verſu primo: *Militia* (Græcè, πειρατήριον, id eſt, tentatio, ut aliqui vertunt: locus piratarum, vel ipſa piratica & piratarum prædatio, ut alii. Sanctus Maximus reddit piraterium) *eſt vita hominis ſuper terram.* Verba ſancti illius Patris ſunt: *Dæmones ſunt piratæ.* Piraterium vita noſtra dicitur, ſive quòd homines in hac vita *omnia experiantur mala*; Piraterium enim latinè experimentum dicitur. Seu certè piraterium, quòd in hac vita *circa homines diabolus tanquam pirata deſæviat. Piraterium enim eſt habitaculum piratarum.* Itaque in hoc mari docet neceſſarium eſſe Ducem Chriſtum, qui, ſi adſit, nihil eſt timendum: *Si*, ait, *auferunt patrimonia, non poſſunt auferre juſtitiam: ſi aurum tollunt, Chriſtum tollere non poſſunt: ſi diripiunt argentum, non poſſunt diripere Salvatorem. Quis igitur non feſtinat habere ſibi Chriſtum, quem non poſſit ab eo nec prædo diripere, nec hoſtis auferre, nec captivitas ſeparare? Qui enim habet Chriſtum, hominem non veretur inimicum.* Exemplum alias retuli memorabile de eo, in cujus navi ſe Chriſtus Gubernatorem exhibuit in tempeſtate velis diſtractis & malo, idque per multos dies, donec eum in Italiam ad ſecurum portum deduxit.

Nota, pro *deduc me in iuſtitia tua propter hoſtes meos*, in textu Chaldaico eſt, *propter laudem meam*, ut intelligas, ſi modò perſtes in juſtitia, hoſtes ipſos laudem tuam futuros, dum ob pugnam tibi erunt cauſa victoriæ & triumphi.

Quos Chriſtus ducit, eos dirigit. Unde addit David: *Dirige in conſpectu tuo viam meam.* Primò, viam dirigit, tramitem lucis, oculorum ſuorum ac vultûs radiis oſtendens. Sanctus Chryſoſtomus hic ait: *Dirige viam meam, hoc eſt, fac mihi eam,* δῆλην, σαφῆ, ἐπίσημον, *claram, apertam, notam. fac, ut ea ſit apud me certa & recta.* In multis itineribus ſæpè ſe interſecantibus facile eſt errare. Sanctus Bernardus ſermone undecimo in Pſalmum 91. Multæ, ait, ſunt viæ, & genera multarum viarum: magnum profectò periculum viatori. Quàm facilè in multarum occurſu errabit in via ſua, qui viarum diſcretione caruerit. Hæc prima directio per fidem. Nam, ut ait ſanctus Auguſtinus epiſtolâ 107. *Via Dei quid eſt, niſi fides recta?* Radiis illis fidei, cor penetrat JEſus, & ad ſe trahit. Sanctus Bernardus ſermone 31. in Cant. *Verbum eſt non ſonans, ſed penetrans: non loquax, ſed efficax: non obſtrepens auribus, ſed affectibus blandiens. Facies eſt non formata, ſed formans: non perſtringens oculos corporis, ſed faciem cordis lætificans: grato quippe amoris munere, non colore, &c.* Hæc ſunt arma lucis, de quibus Paulus Romanorum 13. verſu 12. Sanctus Paulinus epiſtolâ 8. ad Severum: *Habeo armamentarium*

66. Deus viam noſtram dirigit. 1. Lucem dando.

Chriſti,

Chriſti, de quo arma lucis uſurpem, quibus principes tenebrarum & agmina noctis expugnem in cœleſtibus mihi adverſantia.

2. Viam ipſam complanando.

Secundò, Deus viam noſtram dirigit, cùm non tantùm eam oſtendit, ne aberremus: ſed illam etiam complanat, ne corruamus. Symmachus vertit ἐξομάλισον, id eſt, complana, planam fac & æquabilem, nec aſperitatibus tumentem, nec dejectionibus moleſtam & lubricam, Joſue 4. verſu 13. dicitur de militibus tribus Ruben, Gad & dimidiæ tribus Manaſſe, Duce Joſue in bellum ſacrum pergentibus: *Et quadraginta pugnatorum millia per turmas & cuneos, incedebant per plana & campeſtria urbis Jericho.* Ruben exponitur videns filium: & eſt vir contemplativus, qui præ oculis ſuis habet Ducem & Directorem Filium Dei JEſum, qui eſt verus Joſue, in cujus adventu, ut ait Iſaias 40. 4. *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur; & erunt prava,* (obliqua, diſtorta) *indirecta & aſpera in vias planas.* Gad. accinctum ac felicem ſignificat, & eſt typus eorum, qui ſibi vim faciunt, ut per pugnam triumphent. His difficultates complanat Chriſtus, & in Deo ſuo tranſgrediuntur murum. Tertullianus libro quinto in Marcion. *Chriſtus*, inquit, *colles æquabit vallibus, & obliqua diriget in rectitudines & campos: quia omnes legis difficultates in Evangelii facilitates & æquitates convertit.* Manaſſe deinque obliviosum ſonat, & eſt is, qui ſui ſuorumque oblitus Chriſtum cum Apoſtolis ſequitur, Pſalmo 44. verſu 11. *Obliviſcere populum tuum & domum patris tui:* Id eſt, vitia, & peccata, ac Mundum, ait ſanctus Ambroſius ſermone 44. divinus amor ſimilis dicitur vino, quod inebriando priorum oblivionem inducit, ut dicit ſanctus Auguſtinus in Pſalmum 22. & 35. Ruben itaque, Gad & Manaſſe, id eſt, vir contemplationi cœleſtium, mortificationi ſui ipſius, & terræ contemptui addictus, ambulat per plana *Jericho*, quæ explicatur *odor ejus*, vel *odoratus*, ut currant in odorem Sponſi, & ad civitatem palmarum (ſic etiam vocabatur Jericho) per vias complanatas à præeunte Chriſto. Sanctus Bernardus ſermone de verbis libri Sapientiæ. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, ſic ait: *Via Domini, via recta, via pulchra, via plena, via plana. Recta ſine errore, quia ducunt ad vitam. Pulchra ſine ſorde, quia docent munditiam. Plena multitudine, quia totus jam Mundus eſt intra Chriſti ſagenam. Plana ſine difficultate, quia donant ſuavitatem. Jugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve.*

Conclude cum Tobia ſeniore capite 4. verſ. 20. id moniti dante filio ſuo: *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.* Nam, ut additur in textu Hebraico: Quoniam non eſt in hominis manu conſilium aliquod, ſed in manibus Dei, qui eſt benedictus: quia omnia, quæ volet, faciet: illumque humiliabit, & illum exaltabit. Sic 2 Corinthiorum 3. 5. dicitur: *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Si non poſſumus ex nobis aliquid boni cogitare, longè minùs poſſumus noſtrâ virtute aliquid boni operari, ut concludit inde Concil. Arauſic. can. 7. & S. Auguſt. de præd. ſanct. cap. 2. Hominis quidem eſt in poteſtate *vias ſuas* curvas & malas facere, rectas tamen & bonas non poteſt facere ſine divina gratia, ut definit Concil. Triden. ſeſſ. 6. can. 6.

ARTICULUS II.

Hoſtes in via Dei ambulantibus occurſantes: monſtroſis formis eos terrere moliuntur, præſertim calumniatores & detractores.

Verſ. 10. 3. Pars. 67. Calumniatorum monſtroſa ſpecies.

REperto Duce Chriſto, ut vidimus articulo præcedenti, hoſtium, qui calles obſident, arma & pugnandi ratio eſt advertenda. Horrificâ enim ſpecie, animóque effero monſtra ſunt, quibus os vulpis, guttur leonis, lingua viperæ: cordis loco, follis: pro manibus, ungues harpyarum. Has in larvas impetus faciendos eſt, nihil invium Chriſto Duce, ſed animis opus eſt.

Primò, habent os vulpis.

Ac primò: Hoſtes viri juſti, qualis erat David, os vulpis habent ob mendacia, fraudes & calumnias, quibus injuriam non cogitanti inferre nituntur, verſu vigeſimo: QUONIAM NON EST IN ORE EORUM VERITAS. Nota, τὸ *quoniam*, poteſt primò referri ad ſequentia, quaſi diceret, quia non loquuntur vera, ideò cor eorum vanum eſt: paulatim enim aërem peſtilentem hauriunt, eoque impletur ac tumet, & virtute ac ſolidis bonis vacuatur. Secundò, & meliùs, *quoniam*, reddit rationem orationis præcedentis, quaſi diceret: Domine deduc me in juſtitia tua propter inimicos meos, & propter illos dirige in conſpectu tuo viam meam; alioquin ipſi me in avia, tenebroſa, lubrica & præcipitia loca deducent, quia mendaces ſunt ac fallaces. Vel potiùs, quaſi diceret, deduc me, ac dirige propter inimicos meos, ne ipſi me capiant tanquam læſæ majeſtatis reum, Saulique mactandum tradant. Nam omnia, quæ mihi objiciunt, ſunt mera mendacia & calumniæ: itaque, cùm ſim innocens, dignus ſum, qui luce oculorum & faciei tuæ, id eſt, favore tuo ac benignitate, ex his periculis eripiar, ubique ſemper præſens tuo lumine & calore cœleſti gaudeam.

Nota ſecundò, pro *veritas* in Hebræo eſt נכונה *necona*, id eſt, firmitas, ſtabilitas, rectitudo, veritas. Quia per veritatem firmatur anima & virtutum domus ac templum. Hæc eſt columna Jachin, quæ erat in veſtibulo templi Salomonis, de qua 3 Regum 7. 21. *Et ſtatuit duas columnas Salomon in porticu templi.* (Id eſt, in veſtibulo Sancti, ut illud ſuſtentaret) *Cùmque ſtatuiſſet columnam dexteram, vocavit eam nomine Jachin*, (id eſt, directionem, rectitudinem, firmitatem, veritatem) *ſimiliter erexit columnam ſecundam*, (à ſiniſtra parte) *& vocavit nomen ejus Booz.* Sept. ἰσχὺν, id eſt, robur. Has duas columnas petiit David à Deo, cùm dixit verſu ſuperiore: Domine *deduc me* in juſtitia tua, & *dirige* in conſpectu tuo viam meam. Directio, eſt Jachin, deductio, eſt Booz. Duo enim viatori ſancto neceſſaria ſunt, lux veritatis ac ſapientiæ, & robur gratiæ, Pſal. 118. 5. *Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas!* id eſt, legem tuam juſtam, & à nobis juſta depoſcentem, ut deducamur in juſtitia, ut reddatur nobis corona juſtitiæ à recto Judice, & Pſalmo 89. 17. *Opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos*, (ea in cœlum elevando) *& opus manuum noſtrarum dirige.* S. Hieronymus, *confirma.* Gratia requiritur non tantùm præveniens, ſed etiam comitans & ſubſequens. Deus dirigit, ſed operantes: deducit, ſed ambulantes, ſegnes in luto deſerit, & tranſit.

In ore piorum eſt veritas.

In ore juſtorum, ut in templi veſtibulo, eſt veritas, ſicut Sacra Veſtalis & chori virtutum Antiſtita, aditum pandit accedenti, & omnes ad ſe invitat, atque omnibus venerationi eſt, Pſalmo 36. verſ. 30. *Os juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.* Quod ad rem noſtram exponit ſanctus Ambroſius in Lucam libro 2. capite 1. Os juſti, ait, mendacium neſcit, & lingua ejus loquitur judicium. Judicium ejus loquitur veritatem. Ita ipſe. Omni laude celebrandus eſt Ferdinandi, regis Luſitaniæ, frater, qui *nunquam mentitus* fuiſſe cenſetur, ut ait Mariana lib. 22. hiſt. capite 1. Veritas enim eſt omnis virtutis exordium & ornamentum. Clemens Alexandrinus libro 6. Strom. *Meritò, ait, à Græcis quoque acclamatum eſt: Principium magnæ virtutis eſt regina veritas.* Illa virtus cæteras ſtabiliet, Prov. 12. 19. *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.* Sept. verſioni, labia veracia dirigunt teſtimonium. Non tantùm dirigunt, ſed etiam à Deo diriguntur. Chald. *Labium veritatis dirigetur in ſæculum.*

Ferdinandus nunquam eſt mentitus.

In ore perverſorum eſt mendacium.

In ore autem improborum ineſt mendacium, velut in veſtibulo cauponæ ſatelles, ut januam virtutibus occludat, vitiis pandat, iiſque merces peſtiferas per totum orbem vendendas diſtribuat, Eccli. 20. 26. *Opprobrium nequam*, id eſt, probrum & vituperium peſſimum Græcè, μῶμος πονηρὸς,

macula peſſima, *in homine mendacium, & in ore indiſciplinatorum* (Syrus in ore ſtulti, Tigurina, in ore imperito. Græcè, in ore indoctorum) *aſſiduè erit.* Improbus mendacium in ore gerens, diaboli imaginem in ſe repræſentat: unde ſanctus Thomas opuſculo de erudit. Principis mendacium comparat falſæ monetæ, quam omnes rejiciunt, & ſubdit: *Qui loquitur mendacium, diaboli figuram gerit, & imaginem, hic mendax eſt ab initio. Aliquando ergò auditurus eſt Princeps mendax, qui denarius falſus eſt, verba illa: Cujus eſt imago hæc & ſubſcriptio? Et cùm reſponſum fuerit, diaboli, dicetur ſtatim: Reddite ergò, quæ ſunt diaboli, diabolo.* In Pſalmo noſtro dictum eſt priùs verſu tertio: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Vide ibi dicta, & adde Proverbiorum 20. 27. *Potior* (Id eſt, melior. Tigurina, tolerabilior. Græcè, αἱρετὸν, eligibile, id eſt, eligibilius. Eſt Hebraiſmus: apud Hebræos enim poſitivus gradus ſæpè ponitur pro comparativo) *fur, quàm aſſiduitas viri mendacis,* (id eſt, quàm multa mendacia, quia tollunt omnem humanam ſocietatem) *perditionem autem ambo hereditabunt.* Et verſ. 28. *Mores hominum mendacium ſine honore, & confuſio eorum cum ipſis ſine intermiſſione,* id eſt, mendaces apud omnes erunt ſine honore & in perpetua confuſione. Tigurina habet: Familiaris homini mendaci eſt ignominia, ſiuumque dedecus comitatur eum aſſiduè. Alii vertunt: *Sedes & natale ſolum mendacis eſt infamia.* Syr. Finis hominis mendacis eſt maledictio. Ariſtot. in Ethicis ait, mendacium eſſe vitium ſervorum. Fœtent ut vulpes, qui doloſi ſunt, Luci 13. 32. ſic Herodem vafrum vocat Chriſtus: *Dicite vulpi illi.*

Verſ. 10. 2 Pars. 68. 2. Cor calumniatoris & mendacis eſt inſtar follis.

Secundò: Cor mendacis & calumniatoris eſt inſtar follis, verſu eodem decimo: COR EORUM VANUM EST. id eſt, vacuum, inane, vento & ventoſis plenum. Hebr. הוות *havvoth.* Primò vertit S. Hieronymus, *inſidiæ:* cor enim, aut interiora, ut ipſe reddit, viri mendacis, ſunt cavernæ tenebroſæ, in quibus latent prædones: aut in quas ſeſe inſinuant venti, ut omnia disjiciant. Syrus: *Iniquitas in intimis præcordiis eorum.* Alii, contritio, infortunium, clades. A corde malum defluit in totum corpus Hinc Chald. vertit: *Corpora eorum plena ſunt tumultu,* cùm pro ſpiritibus vitæ calentibus frigidus ventus in arterias & venas immittitur, unde totum corpus intremat & agitetur, Prov. 12. 20. *Dolus in corde cogitantium* (Hebr. fabricantium) *mala, qui autem pacis ineunt conſilia, ſequitur eos gaudium:* ubi gaudio pacificorum opponitur malitioſorum & malignorum dolus, id eſt, dolor & anxietas, quam affert dolus: ſicque eſt metalepſis ſeu transſumptio, in qua ſumitur antecedens pro conſequenti: nimirum dolus pro dolore eum conſequente. Sic Cain in dolo dixit Abeli fratri, egrediamur foras, eumque occidit, ideò fuit vagus & profugus in terra, & ſignum tremoris datum eſt ei in corpore, cùm longè magis tremeret in corde. Hugo à S. Victore id egregiè aperit: Vagus, ait, & profugus in terra homo propter peccatum ſuum à facie Domini projectus ab intima contemplationis illius luce foras venit, eò quòd profundiùs ad terrena deſideria mentem inclinat, quò magis ſupernorum dulcedinem, quorum jam guſtum perdidit, incipit obliviſci: ſicque fit vagus & profugus ſuper terram. Vagus ſcilicet per inordinatam concupiſcentiam: profugus per peccatricem conſcientiam, cujus etiam voce illud aptè ſubjungitur: Quiſquis invenerit me, occidet me: quia mentem divino deſertam auxilio, quæcumque tentatio impetierit, ſubvertet. Cor autem hominis, quod prius amori divino affixum, ſtabile perſiſtit, & unum amando, unum permanſit, poſtquam per deſideria terrena diffluere cœpit, quaſi in tot diviſum eſt, quot ſunt ea, quæ concupiſcit: *Ecce morbus hominis, cor ſcilicet inquietum & fluctuans. Cauſa morbi, amor Mundi: remedium morbi, amor Dei.* ita Hugo. Cor verò Deum amans eſt cor ſucci plenum, cor ſolidum ac ſtabile. Richard. de gradibus charitatis cap. 1. *Charitas non tam virtus potens, quàm virtutum potentia dicenda eſt: eò quòd ab illa omnes accipiant, ut verè virtutes ſint. Hæc vita fidei, ſpei robur, & omnium intima vis & medulla virtutum.* Hanc qui non habet, cor plenum & opera plena non habet, ſed vanus & vacuus eſt. Apocal. 3. 2. Chriſtus curat per Joannem ſcribi Epiſcopo Sardicenſi, id eſt, S. Militoni, ut cenſet Antiochus Bronchus Sardus: aut Lucifero Calaritano, ut Eraſmus: aut potiùs Epiſcopo hactenus ignoto: *Non invenio opera tua plena coram Deo meo.*

Tertiò: Guttur mendacis & calumniatoris eſt guttur leonis omnia obvia devorans & conſumens. verſ. 11. SEPULCHRUM PATENS EST GUTTUR EORUM, q. d. David, aulici Saulis hoſtes mei nunc me in deſerto Maon fugientem circumcingunt, ut canes biantibus faucibus prædam pene captam, atrocia in me congerunt, ut vitam ſanguinem in me concitent, meque ac bona mea conſumant, Jerem. 5. 16. *Pharetra ejus* (gentis Chaldæorum, id eſt, quaſi dæmonum: talis eſt calumniator. Nam à calumnia dicitur διάβολος) *quaſi ſepulchrum patens,* q. d. ait Vatablus, Chaldæi plurimos ſuis ſagittis conficient. Sepulchrum apertum clamat, affer, affer, Prov. 1. 11. Deglutiamos juſtum ſicut infernus viventem, & integrum quaſi deſcendentem in lacum.

Verſ. 11. 3. Pars. 69. 3 Guttur ejus eſt guttur leonis.

70. Tropologicè. Sepulchrum patens eſt: 1. Mendax & detractor. 2. Guloſus.

Tropol. Sepulchrum patens eſt primò ipſe mendax, calumniator & detractor, qui fœtorem exhalat & vitia aliorum. Vide Pſal. 100. 5. *Detrahentem ſecretè proximo ſuo hunc perſequebar.* Et Pſal. 3. 8. *Dentes peccatorum contriviſti.*

Secundò, ſepulchrum apertum eſt os guloſi, ut S. Aug. & S. Thomas explicant. Vorax eſt commune totius Orbis ſepulchrum, in quod omnium generum olera, animalia, aves ac piſces inferantur, & ex quo nihil præter fœtorem, &, ut loquitur S. Chryſoſt. ſentinam inexhauſtam, expectare debeas. Quale ſepulchrum & quàm apertum Theagenes athleta, qui taurum uno die ſolus devorabat? Quale ſepulchrum Phago, qui adhibitus menſæ Aureliani, aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum uno die comedit, bibitque vini orcam? Quale ſepulchrum Milo Crotoniates, qui in Olympia ſolus quadrimum taurum abſumpſit, quem per ſtadium retento anhelito portaverat ſuis humeris? Quale Clodius Albinus, qui tam profundâ fuit ingluvie, ut quingentas ficus, centum Campana Perſica, melones Oſtienſes decem, uvarum Labicanarum pondo viginti, ficedulas centum, oſtrea quadraginta, una devoravit cœna? Quale Aſtidamas Mileſius, qui à Perſa Ariobarzane vocatus ad convivium, ſolus voravit, quicquid convivis omnibus fuerat præparatum? Quale Maximinus, qui bibebat ſæpè in die vini Capitolini amphoram, comedebat quadraginta libras carnis: ut autem dicit Cordus, etiam ſexaginta, teſte Julio Capitolino in Maximino, num. 4. Firmus tyrannus ſtruthionem die uno comediſſe fertur, ut ait Vopiſcus in vita, num. 4. provocatus ad bibendum duas ſitulas mero plenas ebibit, ibid. De Bonoſo dicebat Aurelianus Imp. non ut vivat, natus eſt ſed ut bibat: accepit imperium in Germania, ſed à Probo victus laqueo vitam finivit, tunc jocus ſactus eſt. Amphoram pendere, non hominem, ut Vopiſcus refert. Neque enim tales peſtes illuſtri hominis nomine dignari convenit, neque Deus illis parcit. Zeno Imp. gulæ & ebrietati indulgens, errore mentis affici ſolitus erat, à mortuo non diſſimilis. Cùm verò Ariadnæ uxori inviſus eſſet, ſic inebriatum pro mortuo in ſepulchrum conjecit, lapidéque maximo impoſito texit: ſobrius factus diu ſanum ſe eſſe vociferatus eſt, ſed fruſtrà, nemine illum ob ſcelera curante, ut docet Zonaras in Zenone. Voraces etiam in odia populorum incurrerunt, eos & ebrietati deditos Scoti veteres flumini, juſtâ certè pœnâ, immergebant, ut ait Hector Boëthius lib. 5. hiſt. Scot. Argadus regni eorum gubernator in Scotia omnes publica obeuntes munera, ab omnium uſu, quibus inebriandi vis eſſet, abſtinere juſſit, ne plebi præfecti plus cæteris opus haberent cuſtodibus, capitali pœna in non obtemperantes ſtatuta,

Prodigioſa voracitas Theagenis. Phagonis. Milonis Croton. Clodii Albini. Aſtidamantis. Maximini. Firmi. Bonoſi. Zenonis. Voraces puniti in Scotia.

ſtatuta, ibid. Conſtantinus, Scotiæ etiam Rex, juſſit, ut adoleſcentes ſemel tantùm in die comederent, ut ab omni ebrietate abſtinerent, ebrietas illis eſſet crimen capitale, culinarii, popinones, &c. exularent: ſi non facerent, ſuſpenderentur, ita regnum floruit, ibid. lib. 10. Galli certa pecuniæ ſumma mulctabant adoleſcentes, quorum zona certam menſuram excederet, ut ait Scipio du Pleix hiſt. Gallicæ lib. 1. cap. 9. Heliogabalus plerumque in cubiculo paraſitos ſibi familiares & amicos claudebant ebrietate ſopitos, & nocte leones, leopardos atque urſos unguibus & dentibus præciſis exarmatos immittebat: ita ut expergefacti in cubiculo eodem oriente luce, aut quod gravius erat, in ipſa noctis caligine eos ex improviſo reperirent: mortui ſunt multi præ timore, ut ait Lamprid. in Heliogabalo cap. 25.

In Gallia. *In Italia.* *Vis magna terroris.*

Tertiò, ſepulchrum patens, ut ait S. Hieron. eſt os avarorum, Pſal. 108. 1. *Os peccatoris* (S. Hieron. impii) *& os doloſi ſuper me apertum eſt:* agit ibi de Doëg, & ad omnem ſceleratum juſtis inſidiantem traduci poteſt. Speciatim avarum comparat Leoni prædam inſidioſè quærenti, Pſalm. 9. 30. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt, inſidiatur in abſcondito quaſi Leo in ſpelunca ſua. Inſidiatur ut rapiat pauperem, rapere* (ut rapiat) *pauperem, dum attrahit eum*, ad rete ſcilicet ſuum, ut deinde ore aperto involet. Unde ſubditur ℣. 31. *In laqueo ſuo humiliabit eum, inclinabit ſe, & cadet*, (S. Hieron. irruet) *cùm dominatus fuerit pauperum*. Et Pſalm. 16. 12. alludens ad oris leonini apertionem in prædæ arreptione & devoratione, ait: *Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam, & ſicut catulus leonis habitans in abditis.* Sophonias Propheta principes & judices Jeroſolymæ avaros comparat leonibus & lupis veſpertinis, qui ob inediam totius diei ſunt ſæviores, cap. 3. ℣. 3. *Principes ejus in medio ejus, quaſi leones rugientes: judices ejus lupi veſpere, non relinquebant in manè.* S. Chryſoſt. in Pſal. noſtr. avaros clarè vocat ſepulchra: *Sunt*, inquit, *avarorum ora, ſepulchra aperta, quando nihil aliud proferunt, quàm cædes & rapinas.* Μὴ ἔστω τάφος στόμα σοῦ, ἀλλὰ θησαυρός, *ne ſit ergo os tuum ſepulchrum, ſed theſaurus. Multum enim theſauri à ſepulchris differunt: quòd illa quidem corrumpunt, quod acceperint: iſti verò conſervant. Habe ergo tu quoque* πλοῦτον φιλοσοφίας ἀεὶ μένοντα, *divitias ſtudii ſapientiæ, quæ perpetuò permanent: ſed non malevolentiam ullam & putrefactionem.*

3. Sepulchrum patens ſunt avari.

Dux noſter illos quoque juſtorum hoſtes perdit, Jacobi 5. 1. *Agite nunc divites, plorate ululantes* (Syr. plorate & ululate) *in* (ἐπὶ ſuper, propter) *miſeriis veſtris, quæ advenient vobis. Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt*, (Syr. opes veſtræ corruptæ ſunt, & fœtuerunt) *& veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum & argentum veſtrum æruginavit*, (id eſt æruginem contraxit in arca veſtra nimis diu ſervatum) *& ærugo eorum in teſtimonium vobis* (Syr. contra vos) *erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizâſtis vobis iram in noviſſimis diebus.*

Quartò, ſepulchrum patens, & tetrum odorem exhalans, ſunt ii, qui verbis inhoneſtis aërem & aures atque cor audientium corrumpunt, ut in Pſalmo noſtro explicat S. Chryſoſtomus, cujus verba ſunt: *Non aberraverit quiſpiam, ſi etiam eorum, qui obſcœna verba loquuntur, ora, patens ſepulchrum appellaverit. Ille enim fœtor eſt ſenſibili multò gravior, qui ex animæ putrefactione oritur.* Ac paucis interjectis ſuadet, ut illius farinæ homines à nobis eliminemus. *Si enim*, inquit, *corpora mortua extra urbem ſepelimus: multò magis eos qui*, νεκρὰ ῥήματα, *mortua verba, & qui talia proferunt, & ne tegere aut adumbrare quidem volunt, longè amandare oportet.* Rationem affert, & veriſſimam, & pulcherrimam: *Hujuſmodi enim ora ſunt*, κοινὴ πόλεως λύμη, *communis civitatis pernicies.* De eo, qui tales peſtes fugerit, rectè cum Davide noſtro dixeris Pſal. 1. 1. Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit: *Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit:* hoc illud eſt ſepulchrum patens ac fœtidum, unde teter odor exalat. Eccli. 21. 32. *Eructans præcordia fœtentium.*

4. Sepulchrum ſunt verba inhoneſta effutientes.

Dux noſter hoſtes illos vultu ſuo exterminat ſibi odioſos, nec ſecum eos in caſtris ſuis manere patitur. Epheſ. 5. 3. *Fornicatio autem, & omnis immunditia* (tactuum, verborum, aliorumque) *aut avaritia, nec nominetur* (μηδὲ ὀνομαζέσθω ne nominetur quidem) *in vobis, ſicut decet ſanctos*, id eſt Chriſtianos, ſic eos vocat Rom. 16. 15. 1 Cor. 1. 2. & 16. 15. item 2 Cor. 13. 12. & alibi paſſim. q. d. qui vocatione, baptiſmo, & profeſſione, ſancti ſunt; hoc eſt, eſſe debent. *Aut turpitudo* (Syr. *obſcœnitas*, verborum ſcilicet) *aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet: ſed magis gratiarum actio.* Et rationem reddit, quod hi omnes à Deo regno eliminentur. Verſ. 5. Hoc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Verſ. 6. concludit: *Nemo vos ſeducat inanibus verbis. Propter hæc enim* (fornicationem & immunditiam) *venit ira Dei in filios diffidentiæ:* id eſt, diffidentes & incredulos, Græcè ἀπειθείας, id eſt, contumaciæ, ut legit S. Cypr. 2. inſuaſibilitatis, ut S. Hier. 3. incredulitatis, 4. inobedientiæ.

Quartò, mendaci, & calumniatori præſertim, lingua eſt viperæ veneno plena, qua blandiantur & blandiendo occidant. Verſ. eod. 11. LINGUIS SUIS DOLOSE AGEBANT, legit Remigius, *ajebant*, ſed vulgata lectio eſt retinenda: non jactant verba inania, ſed efficacia & nociva, quia venenata, linguis ſuis, non tuis, id eſt *venenatis* linguis agebant, ait Beda, Deum alloquens.

Verſ. 11. 2. Pars. 71. Quartò, calumniatori eſt lingua viperæ.

Nota Hebr. יחליקון *jahalikun*, quod habet nun paragogicum pro *jahaliku*, ſignificat primò divident, partientur. Secundò, & ordinariè, in hiphil ſignificat blandiri: unde Felic. Pagn. Arias vertunt, *blandiuntur*, ſæpè uſurpant Hebræi futurum pro præſenti, ſi præſertim denotetur conſtantia & duratio actionis, ut hîc, quam durationem declarat præteritum imperfectum apud Lariones. Chald. & Hieron. *Lenificant*, tertiò, per metaphoram *jahalikun* ſignificat, *doloſè blandiuntur*, ut vertit Flaminius: ἐπίκλοπα ἐπιχειροῦσι, id eſt furtiva moliuntur, ut Petavius. ἐδολιοῦσαν, doloſè agebant, ut Sept. doloſæ ſunt, ut Arabs. perverſæ ſunt, ut Syrus, quod eleganter expreſſit Magnetius: Blandam lingua furit, cæcaque in fraude triumphat. Linguam, ut gladium, calumniator hypocrita blandis verbis, ut oleo, expolit & extergit, ut melius penetret ac dividat. Pſal. 54. 22. *Diviſi ſunt ab ira vultus ejus.* Pro, *diviſi ſunt*, in Hebræo eſt *halaku*, quod ſignificat dividere & blandiri. Lene eſt ac nitidum, unde Chald. vertit: *Leniora quàm pinguedo caſeorum ſunt verba oris ejus.* S. Hieron. *nitidius butyro os ejus:* pergit David, *& appropinquavit cor illius.* Chald. ſicut arma bellica cor illius. S. Hieron. pugnat cor illius: id eſt uniuſcujuſque eorum, ut clarè exponit Symmachus, qui vertit, πολεμεῖ δὲ ἡ καρδία ἑκάστου αὐτῶν, pugnat verò cor uniuſcujuſque eorum. Hinc verſ. eod. ſequitur: *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.* S. Hieron. cùm ſint Lanceæ. Vide illum locum.

Fugiendæ ſunt illæ viperæ doloſæ, & occulta ac venenata tela jaculantes; in his latet ſerpens antiquus, qui parentes primos dolo decepit ac mendacio. Eccli. 11. 31. *Non omnem hominem inducas in domum tuam*, (ut in ea familiariter ac diu verſetur, ait Palacius) *multa enim ſunt inſidiæ doloſi.* Complutenſes codices habent, διαβόλου, diaboli, calumniatoris. Eſt calumniator diabolus humanam formam indutus. Quatuor ibi comparationes affert, quibus multas eſſe inſidias doloſi oſtendat. verſ. 32. *Sicut enim eructant* (vapores malolentes) *præcordia fœtentium*, fœtidorum & intus putrefactorum. Lucius Papa epiſt. 1. legit fœtantium, id eſt gravidarum mulierum, quarum anima

formando, nutriendo, & augendo fœtui intenta, non poteſt ita perfectè cibos concoquere. Secundò, comparat doloſum perdici, *Et ſicut perdix* (Græcè πέρδιξ θηρευθεὶς, perdix capta: vel, perdix venatrix: nam captis & manſuefactis perdicibus & columbis utuntur ad alias capiendas: perdix à perdendo inde deducitur, ut ait ſanctus Ambroſius epiſt. 48.) *inducitur in caveam*, ut ſcilicet alias illiciat. Tertiò, *Et ut caprea in laqueum*, &c. Amat caprea perdicem, & perdix illam, atque cum ea capitur & illaqueatur ab aucupe, teſte Opiano lib. 2. de venatione: ita qui ſe fraudulento amico junxerit, per eum capietur & interibit. Caprea eſt capra ſylveſtris: Græcè δορκὰς dicitur, ἀπὸ τοῦ δέρκειν, à videndo, quòd ſit acutiſſimi viſus: ita doloſus eſt in modum Argi oculatus, & ſunt prudentiores, id eſt cautiores, filii tenebrarum etiam in caliginoſis & condenſis ſylvis, quàm filii lucis. Unde quartò additur, *Et ſicut proſpector* (κατάσκοπος, id eſt ſpeculator) *videns curſum proximi ſui.* In textu Syriaco additur. Quinta ſimilitudo, nempe canis. Sicut, ait, canis qui in omnem domum ingreditur, & rapit: ſic iniquus in omnem domum ingreditur, & tumultuatur. Sed eſt canis ille rabidus, mordet antequam allatret, ac venenum infundit, atque demorſos in rabiem agit.

Lingua eſt flamma. Nota ſecundò, Hebr. לשון *Laſon*, *Lingua*, ſignificat etiam flammam. Iſaiæ 5. 24. *Sicut devorat ſtipulam lingua ignis*, (id eſt flamma ignis, quæ ſuo rubore & acumine linguam refert, unde dicitur, Lambere flamma comas apud Virgil.) *Et calor flammæ exurit: ſic radix eorum* (impiorum) *quaſi favilla erit, & germen eorum ut pulvis aſcendet*, ut à vento diſſipetur ac pereat. Spectarum igni omnia voranti doloſus componitur, Eccli. 11. 32. *A ſcintilla una* (Græcè ἀπὸ σπινθῆρος μικρᾶς, à ſcintilla parva) *augetur ignis* (ἀνθρακιά, id eſt ſtroes & congeries carbonum ac prunarum, ut Homerus & Athenæus uſurpant: & fornax carbonaria, ut Theophraſtus) *Et ab uno doloſo augetur ſanguis*, id eſt ſanguinis effuſio, cædes, homicidia: dum calumnia, mendacio, delatione veluti ſcintilla rixas accendit in aliqua domo, familia, civitate, ut in caminio & fornace. Græcè eſt: *Et homo peccator* εἰς αἷμα ἐνεδρεύει, *uſque ad ſanguinem inſidiatur.* Syrus vertit: ex parva ſtupa accenditur ignis: ſic homo iniquus effundit ſanguinem, ſicut aquam. Verſ. 35. adjungitur, doloſum eſſe peſtiferum. *Attende à peſtifero* (ἀπὸ κακούργου, à vafro, & malitioſo, ac per malitiam operante. Tigurina, ab homine malefico) *fabricat enim mala*, (ut arma iniquitatis) *ne fortè inducat ſuper te ſubſannationem.* (Græcè μῶμον εἰς τὸν αἰῶνα, *maculam ſempiternam:* qua fias riſus & ludibrium hoſtium tuorum.) Denique concludit verſ. 36. *Admitte ad te* (ἐνοίκισον, introduc in domum, in domo colloca, in familiam tuam inſere atque inocula ut ſurculum) *alienigenum* (ἀλλότριον, alienum, allophylum, alterius fidei ac morum: id eſt hominem non ſatis tibi notum) *Et ſubvertet te in turbine* (id eſt, inſtar turbinis: vel, ἐν ταραχαῖς, id eſt ob turbas & tumultus, quas derepente in te ac domo tua excitabit) *Et abalienabit te à tuis propriis.* Tigorina, exuet te tuis poſſeſſionibus. Syrus reddit, ne adhæreas iniquo, ne forè pervertat viam tuam, & convertat te à ſtatu tuo.

Lingua eſt ſcolopendra, ſeu millepeda. Zenodotus & Suidas lepidum & utilem apologum referunt de lingua, quæ ſpeciei ſcolopendræ, id eſt, vermis piloſi, quem ob multitudinem pedum vocant multipedam, centipedam, millepedam, nos *chenille* dicimus, per humum reptans, à Philoſopho obvio rogata eſt, quò pergeret? Cui illa: *urbem ædificare.* In reditu eandem linguam eſſe ipſe Philoſophus interrogavit: unde rediret? Tum illa ſubjecit: *ab urbis quam condidi, deſtructione:* adeò linguæ varium eſt ac verſatile noxiumque ingenium: modò blanda, modò aſpera: modò utilia, modò peſtifera effundit, ſemper timenda ob dolos & fraudes, quibus conſuta eſt. In omnes ſe omnium animalium formas tranſmutat ac voces imitatur, atque per omnia diſcurſat, ut ſingula devaſtet: cum præſertim à diabolo, id eſt à calumniæ ſpiritu, poſſidetur. Explicari id poteſt terrifica hiſtoria, quam refert P. Maffæus in Chronico, & Henricus Spondanus Epiſcopus Mauleoſulenſis in Annal. Eccl. anno 1492. Eo anno enim, inquiunt, cœperunt dæmones habitare & poſſidere monaſterium monialium Quercitenſium in agro Cameracenſi, quas annis quatuor & menſibus totidem miſerabiliter vexârunt. Crebrò per agros, *velut canes*, diſcurrebant, inſtar avium volabant per aëra, ſicut feles in arboribus repebant, ſecreta pandebant, futura prophetabant. Ita calumniator & detractor ac ſuſurro doloſus ſecreta aperit, innumera fingit, voces omnes imitatur, ſed ferarum & feralium hominum.

72. *Detractio eſt vitium diabolicum.* Diabolicum vitium eſt detractio. Priùs dixerat David, *ſepulchrum patens eſt guttur eorum.* Hebr. קבר *Keber*, ſepulchrum, vertit Chald. שיול *ſeol* quod eſt ſepulchrum & infernum ſignificat: unde Interpres reddit: *Sicut infernus guttur eorum.* Heſychius quoque in commentario Pſalmi noſtri, ait, detractorem doli plenum inferno poſſe comparari. S. Chryſoſt. hom. 3. ad populum: *Fugiamus dilecti*, ait, *fugiamus detractiones, docti quòd inſidiarum ejus inſeſſio eſt.* διαβολικὸν βάραθρον, *diabolicum barathrum.* Cùm detractorem pingis, effinge ingentem hiatum Averni, aut craterem ſeu os flammas Ætnæ aut Veſuvii, atque hanc epigraphem appone, Prov. 1. 12. *Deglutiamus eum ſicut infernus* (Tigurina, barathrum) *viventem, & integrum*, (Chald. & Syr. immaculatum) *quaſi deſcendentem in lacum.* Vatablus, *in voraginem.*

73. *1. Detractor eſt ſepulchrum vacuum.* Sepulchro detractorem paulò attentiùs comparemus. Primò, poſſis eum comparare ſepulchro vacuo, quod cenotaphium vocant. Ita Salazar illud Prov. 30. 8. *Vanitatem & verba mendacii longè fac à me*, conſiderans, ait: Olim in uſu fuerunt ſepulchra quædam vacua & inania, quæ cenotaphia appellabantur. Hæ autem moles erant, ſepulchrorum in morem erectæ & inſcriptæ: ſed tamen cadaver ibi nullum erat. Ejuſmodi aliquod ſepulchrum inane prorſus ac vacuum depingere videtur Vates Pſalm. 5. Sepulchrum patens eſt guttur eorum: nimirum guttur eorum ſepulchri quandam ſimilitudinem exteriùs præ ſe fert: ſed tamen cor eorum vanum eſt, inane videlicet ac vacuum. Sed quorſum hæc ad detractionem? Sanè hoc ſignificat detractorem ſæpiùs mentiri, & aliter dicere quàm mente & animo ſentiat. Mirum ſanè eſt quanta architectetur, moles verbis ſuis conſtruat, credere aliquis rem verbis ſubeſſe, atque ita habere; quemadmodum ab ipſo ſeriò affirmatur: ſed tamen cenotaphium eſt ſermo illius, & ſub illo nihil omninò illius rei latet, quam exteriùs repræſentat: *Cor eorum vanum eſt.* Ergò cùm audis detractorem, ne ſtatim judica famam proximi demortuam eſſe, & ſub illius verbis deliteſcere, veriùs eſt illam vivere, & ſuperſtitem eſſe, atque ſermonem ejus, cenotaphii in morem, vacuum eſſe & vanum. Ita ipſe.

2. Eſt ſepulchrum plenum cadaveribus, & fœtens. Secundò tamen, veriùs dicemus, detractorem, calumniatorem, mendacem, præſertim noxium, conferri ſepulcro pleno cadaveribus fœtentibus & tetrum odorem exhalantibus, idque triplicem ob cauſam. Primò, quia, ſicut ſepulchra patentia, detractores experunt audire & recipere ſermones mortuos, id eſt dicere peccata proximorum, quæ memoriæ committant & apud ſe retineant. S. Gregor. id innuit in Pſal. quintum pœnitentialem, cùm ait: *Mortui ſumus, quando implemur oſſibus mortuorum. Mortuus eſt ſermo malus, qui ex ore noſtro procedit. Scriptum namque eſt: Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Vel certè, cadaver eſt ille, de quo detrahitur, qui peccato mortuus eſt aut dicitur, atque ut talis devoratur ab eo, qui ejus peccata attentâ aure audit ac memoriæ commendat. Secundò, ſic immiſſum cadaver conſumitur à vermibus, id eſt à dentibus detractoris. Heſych. in Pſal. noſtr. *Sepulchra*, inquit, *guttura eorum David appellat: dentes, vermes: verba, mortuo-*

eorum oſſa, ſermones circumferentia. Detractores in Anthropophagorum numero ponit S. Chryſoſt. hom. 3. *Jejunet,* ait, *os à verbis turpibus & convitiis. Quæ enim utilitas, cùm avibus & piſcibus abſtineamus, fratres verò mordeamus & comedamus? Detrahens fraternas carnes comedit, proximi carnem momordit: propterea & Paulus terruit, dicens Galat. 5. 15. Quòd ſi invicem mordetis & comeditis,* (S. Ambroſ. legit, criminatis) *videte ne ab invicem conſumamini. Non infixiſti dentes carni, ſed animæ maledictum, improbam ſuſpicionem infixiſti, vulnerâſti, innumeris affeciſti malis, & teipſum, & illum, & alios plures.*

75. *Detractor eſt homicida. Dente ſævientes Scoti in pugna.* Fuſiſſimè probat, detractionem nocivam eſſe audienti, Eccleſiæ atque illi de quo eſt ſermo. S. Petrus detractorem dicebat homicidam eſſe, ut ait S. Clemens Romanus epiſt. 1. ad S. Jacobum. Detractorum ſævitiam in ſe mutuò irruentium poſſis comparare pugnæ Scotorum & Romanorum, de qua Hector Boëthius lib. 3. hiſt. Scot. ubi refert, Scotos cum Veſpaſiano pugnantes, etiam præciſis manibus dente ſæviiſſe in hoſtes, ſuper quos ipſi vel qui ſupra ipſos ceciderant, ut non tam viribus quàm odio ea die certatum pleniſſimè appareret. Multos *Detractor eſt fera in theatro.* verò detractores in unum hominem ejuſque famam irruentes compara feris in theatro in aliquem Martyrem involantibus, cùm modò leo, modò urſus, modo tigris, aut leopardus, vel etiam canis in jacentem ac proſtratum involaret. S. Aug. hanc beſtiariorum pugnam ſæpè fieri ſciens in menſa, & carnes *A Menſa eum removet S. Auguſt.* humanas miſceri carnibus animalium, etiam propoſitis verſibus à ſua menſa detractores arcuit ut canes rodentes. Quod tanta conſtantia præſtitit, ut cùm familiariſſimos ſibi Epiſcopos alienam famam vellicantes ſemel audiret, dixerit: Aut delendos eſſe illos de menſa verſus, aut ſe de media refectione ad ſuum cubiculum ſurrecturum. Detractor in ſeipſum potius dentes convertit, quàm à mordendo deſiſtat, haud abſimilis domeſticæ beſtiæ, quam *Matteæ domeſtica beſtia.* habere ſe dicebat Matteas. Jactabat ille ſe habere domi peſſimum animal, quod devoraret ſeipſum: intelligebat autem ſeipſum paraſitum, qui cùm à nemine ad offam invitabatur, ſimilis limaci vivebat ſucco ſuo. Seipſum etiam conſumit dolore detractor ob mala, quæ timet ab iis, quos læſit. S. Chryſoſt. hom. 3. *Detrahens deinceps in agonia eſt, ſuſpicatur, timet, pœnitentiam agit, & κατατρίζει ἑαυτῷ δηλώττων, linguam ſuam mandit timens, & tremens: ne fortè alius enunciatum verbum magnam ſibi perniciem ac periculum afferat, & ſuperfluam atque inutilem inimicitiam his quæ dixère, operetur. Apud ſeipſum verò continens, in multa ſecuritate, cum maxima voluptate vivit.* Tertiò pleno cadaveribus ſepulchro detractor eſt ſimilis, ob fœtorem quem exhalat, quò primò ſe inficit. Secundò, auditorem. Tertiò, eum de quo detrahit.

76. *Detractor primò eſt leproſus.* Primò enim, mentem ſuam lepra teterrima inquinat detractor, ſeu calumniator ac murmurator. Num. 12. ℣. 10. *Et ecce Maria* (ſoror Moyſi, quæ in eum inſurrexerat, eique cum Aarone detraxerat) *apparuit candens lepra, quaſi nix.* Quod meditans S. Ephrem tractans de morbo linguæ, ſapienter inde colligit fœditatem detractionis: *Ex teterrima,* ait, *Mariæ propheteſſæ lepra docemur, quàm grave ac deteſtabile vitium ſit obtrectatio. Corpus, quod lepra infectum cernebatur, velut ſpeculum quoddam fuit animæ, quæ non perſpiciebatur, cujus indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione patefactum eſt, quomodo hominis detractoris corrumpatur animus. Nam ſicut illa defecerat a fratre ſuo: ita & ab ipſa proprium corpus defecit, ut ex ſemetipſa charitatem addiſceret. Diſcamus igitur & nos concordiam & mutuam benevolentiam.* Hæc Ephrem.

77. *Secundò, fœtore audientes necat.* Secundò, detractionis quoque fœtor audientem interimit. Jerem. 9. 21. *Aſcendit mors* (id eſt miles Chaldæus omnes occidens) *per feneſtras,* id eſt per ruinas murorum, arcium, turrium, ac per domorum feneſtras & aperturas. Ad hoc alludens S. Ephrem citatus mox, ait: *Poteſt improbus dæmon* (Chaldæi, id eſt quaſi dæmones) *per os loquentis tacentem occidere, & quem propriè lædere nequiret ore, per auditum interficit.* Ab hac peſte fugiendum edocet, ne pereamus. *Cur fumum,* ait, *fugis, mendacem autem cum voluptate ac ſedulitate auſcultas: A fœtore abhorres, & apud maledicum ſedes? Magna eſt auris feneſtra, quippe per quam mors in mundum ingreſſa, cunctas devoravit gentes ac nationes, & inſatiabilis adhuc remanet. Seris igitur ac vectibus obſtruenda ſunt tibi aurium fores, ne maledicentia & obtrectatio ſubintrare poſſit:* S. Bern. ſerm. 24. in Cant. detractionem vocat peſtem. Eſt peſtis aurium, ſicut pigritia brachiorum, & luxuria inguinum. Periculoſiſſima eſt peſtis aurium, quia cerebro proxima. Itaque ſepiendæ ſunt aures ſpinis. Saluberrimum monitum dat S. Chryſoſt. hom. 3. *Dic proximo,* inquit, *habes aliquem quem laudes & commendes? ἀνοίξω τὰς ἀκοὰς, ἵνα δέξωμαι τὰ μύρα, aures aperio, ut unguenta ſuſcipiam. ſi vero malè velis dicere, verbis ingreſſum obturo. Non enim ſtercus & cœnum ſuſcipere patior. Quod mihi lucrum, ſi didicero quòd ille improbus eſt?* Filin deinde interjecto, ſubdit: *Non enim ſic commotum ſtercus illum fœtorem ſuſcipientem, πλήττει τὴν μήνιγγα, cartilaginem percellit, ſicut aliena peccata excuſſa, & vita impura audientium animos prodita contriſtare & exturbare ſolent.* S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 4. docet, graviter peccare eum, qui audit detractionem, quam poſſet impedire.

78. *Tertiò, ſibi ipſi nocet.* Tertiò, quod eſt quantum ſibi noceat detractor. vide Pſal. 3. 8. in illud: *Dentes peccatorum contriviſti.* S. Th. 2. 2 q. 73. art. 2. oſtendit, detractionem eſſe peccatum mortale, quia inter res temporales fama eſt res pretioſiſſima. Ar. 3. docet eam ex genere ſuo eſſe graviorem quàm furtum. Ugo Card. in Pſal. noſtr. detractorem comparat: Primò, crabronibus, quia deſerunt flores, ſuper ſtercora reſident: id eſt, virtutes aliorum, & bona opera tacent, peccata loquuntur & ruminant. Secundò, hyænæ, quia ſicut hyæna extrahit corpora mortuorum de ſepulchris, & comedit: ſic & iſti peccata hominum: unde Jerem. 12. *Numquid avis diſcolor hæreditas mea mihi?* Ibi alia litera habet, *ſpelunca hyænæ?* Tertiò, comparat detractorem milvo, qui ſemper circuit ut devoret, Iſa. 34. 15. *Illic congregati milvi alter ad alterum.* Quartò denique, muribus, de quibus 1 Reg. 5. dicitur: *Et ebulliebant villæ & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures.*

Quintò, detractori & calumniatori manus ſunt Harpyiæ. Verſ. eod. 11. *Quoniam irritaverunt te Domine.* Hebr. rebellârunt. S. Auguſt. inamaricaverunt te.

ARTICULUS III.

Deus confuſis hoſtibus ſervos ſuos lætitiâ cumulat, ſpe, & charitate.

Verſ. 11. 3. Pars. 79. *Variæ pœnæ hoſtium Davidis.* EXpoſitâ ſceleratorum hoſtium ſuorum Saülis, Doëgi, & ſimilium perverſitate, quadruplicem eorum pœnam prædicat David. Primò, quòd à Deo judicabuntur & condemnabuntur. Secundò, quòd ſpe ſuâ excident. Tertiò, quòd à Deo expellentur. Quartò denique, perpetuum hoſtem Deum experientur.

Primò, à Deo condemnantur. Ac Primò: Cum rubore ſiſtentur Dei tribunali condemnandi, Verſ. eod. 11. JUDICA ILLOS DEUS, Id eſt, eos judicabis: eſt enim prophetia, non imprecatio, ut advertit S. Auguſtinus. S. Thomas, Ludolphus, & alii. Nota, Hebr. האשימם *haaſimem.* Primò vertit S. Hieronym. & Chald. *condemna,* & idem ſignificat *judica,* quod per metonymiam ponitur pro condemna, cauſa ſcilicet pro effectu. Secundò, R. David vertit *haaſimem,* delinquere fac eos, in conſiliis ſuis ſcilicet & molitionibus contra me, ne quod in me cogitant, perficere poſſint: unde mox additur, decidant à cogitationibus. Tertiò, *haaſimem* vertit Arias, *deſola eos,* & Pagninus, *deſolare fac eos,* id eſt, cura ut deſolentur, ut in calamitatem & cladem incidant. Primus explicandi modus eſt optimus. Nota ſecundò, *aſam,* unde in Hiphil oritur *haaſim,* & cum affixo tertiæ perſonæ pluralis *haaſimem,* ſignificat peccare, & reum peragi

ac

ac deſolate: quia culpam pœna premit comes, & penè omnia nomina, quæ apud Hebræos ſignificant peccatum, ſignificant etiam peccati pœnam: nempe dolorem, calamitatem, afflictionem, ut און *aven*, iniquitas, vanitas, idolum, ærumna, fatigatio, afflictio, dolor, luctus. און. *on*, rapina, violentia, luctus, contritio, labor. חטאה. *heth*, atque חטאה, *hattaa*, peccatum, & aliquando pœna peccati. Item עון, *avon*, pravitas, perverſitas, pœna peccati, ac punitio. 3 Reg. 1. 21. ait Davidi Berſabee, cùm Adonias filius David Regem ſe curâſſet proclamari: *Erimus ego & filius Salomon* חטאים, *hattaim*, *peccatores*, id eſt, rei mortis. q. d. Adonias nos interimet, ut pacificè & ſecurè regnum teneat. Poſſet tamen ſimpliciter exponi, q. d. cenſebimur, & dicemur peccatores: ego quidem adultera, ille verò ſpurius. Itaque S. Hier. in Tradit. Hebr. legit, *erimus manzeres*, id eſt, ſpurii & infames. Sic עמל, *amal*, malum, peccatum, & dolorem ſignificat. πονηρία à πόνος, labor, dicitur.

Verſ. 11. 4. Pars. 80. Secundò, ſpe ſuâ excidunt. Secundò, Hoſtibus ſuis David prædicit, fore, ut ſpe ſuâ excidant, verſ. eod. 11. DECIDANT A COGITATIONIBUS SUIS. Hebr. *mimmaaſothehem*, id eſt, à conſiliis ſuis, ut S. Hieron. Syma, Felix, Pagnin. & Arias vertunt. Nota, Hebr. מן *min*, ſumi poteſt, pro, *per*. 2. Pro, *propter*. 3. Pro, *de*. Itaque triplex eſt ſenſus. Primò, q. d. decidant à cogitationibus ſeu conſiliis ſuis, id eſt, propter conſilia & cogitationes ſuas cadant. Beda: Ita Domine, ait, judica illos, ut graviorem cauſam in majora vitia patiantur à cogitationibus ſuis: id eſt, propter cogitationes ſuas pravas, à quibus reſipiſcere nolunt. Ita ipſe. Qui in loco lubrico in alterum inſilit, ut eum dejiciat, ſæpè præceps corruit, & in præcipitium labitur quod alteri paraverat, Pſal. 7. 16. *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam*, (S. Hieron. in interitum) *quam fecit*. Vide ibi dicta. Verſ. 17. *Convertetur dolor ejus* (activè, id eſt, dolor, quem alteri inferre cogitat) *in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet*. Prov. 26. 27. *Qui fodit foveam* (Symmachus διαφθορὰν, corruptelam, corruptionem, ut uſurpat Ariſtot. ſtragem, cædem, perniciem, ut Thucy.) *incidet in eam: & qui volvit lapidem*, (per trochleas & rotas in altum) *revertetur ad eum*, id eſt, ſæpè in eum decidit. Septuag. reddunt, *ſuper ſeipſum devolvit eum*. Sic conſiliis ſuis ut laqueis capitur, ut foveâ tenetur, ut pondere obruitur, qui prudentiam carnis, quæ mors eſt, ſequitur. Job. 5. 13. *Qui apprehendit* (S. Ambr. S. Cypr. & Olympiodor. reprehendens) *ſapientes in aſtutia eorum*: 1. Apprehendit, id eſt, capit, velut in flagranti delicto. 2. Apprehendit, ut reos ad tribunal trahendos. 3. Apprehendit ut venatores injuſtos, ſuis laqueis captos & detentos: aut veluti feras. 4. Apprehendit, ut curſor ſervos fugitivos injectâ & ſtrictâ manu.

Secundò; *Decidant à cogitationibus ſuis*, id eſt, per cogitationes & propriam conſcientiam & judicium, ut explicat S. Auguſt. Decidant, ait, accuſantibus ſe cogitationibus, teſtimonium perhibente conſcientiâ ſuâ, ſicut Apoſtolus dicit Rom. 2. 15. *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus* (Græcè λογισμῶν, ratiocinationibus) *accuſantibus, aut etiam defendentibus, in die, cùm judicabit Deus occulta hominum, ſecundùm Evangelium meum per JEſum Chriſtum*.

Tertiò, ſimplicius & melius: *Decidant à cogitationibus ſuis*, id eſt, de cogitationibus, conſiliis, machinationibus, ſpe præconceptâ me dejiciendi, adinventionibus, ut me in deſerto Maon à Ziphæis, proditum caperent & perderent. q. d. Elevati ſunt ſuis cogitationibus, intumuerunt contra me, arrogantiâ elati ſe mihi ſuperiores fore crediderunt, me ſuis pedibus calcandum ſperaverunt: ſed ipſi cadent, & ſpe ſuâ fruſtrabuntur. Meâ morte Saül vult ſceptrum ſuum firmare, Doëg divitiis atque honoribus florere, ſed decident ab illa cogitatione & expectatione; me enim non capient & ipſi peribunt. Theodor. in Pſ. noſtr. *Diſcutiantur judicio tuo Domine, & fruſtrentur in his quæ in nos parant, & experientiâ diſcant, quod ἱστὸν ἀράχνης ὕφηναν, telum araneæ texunt, & pœnas ſuis conatibus dignas perferent*. Montes ſibi aureos gemmeoſque ambitioſi animo efformant, qui vertice nubes tangant, ſed omnia ſunt cavernoſa, ventoſa, & evanida, atque tremore continuo labentia. Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus. Pſ. 7. 15. *Ecce parturiunt injuſtitiam* (Chald. mendacium) *concepit dolorem*, (Hebr. amal, & peccatum, & dolorem ſignificat: hæc non ſeparantur) *& peperit iniquitatem*. שקר *ſeker*, mendacium, ut S. Hieron. Pagn. & Arias vertunt. Mira promittit injuſtitia & iniquitas, ſed mentitur, & nihil præſtat, atque promiſſis dant contraria. Vide Pſ. 4. ℣. 3. David ab Eliphaz ſumpſerat, qui de hypocrita, id eſt, omni peccatore, ſed præſertim doloſo, qui externâ ſpecie mentitur, dicit Jobi cap. 15. 35. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & uterus ejus* (cor, mens, pectus. Hebræi enim à collo uſque ad inguina vocant בטן, id eſt, ventrem) *præparat dolos*. cap. 5. 12. dixerat Eliphaz ipſe de Deo: *Qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum, quod cœperant*.

Tertiò hoſtibus ſuis David prædicit fore ut à Deo rejiciantur, Verſ. eod. 11. SECUNDUM MULTITUDINEM IMPIETATUM EORUM EXPELLE EOS. Primò, ab hoc deſerto Maon, ad quod accurrunt, ut invadant: ſicut enim tu me in juſtitia tua dirigis & deducis ſperantem in multitudine miſericordiæ tuæ, ita tu illos rejice in ſuo robore & arrogantia, atque vitiis ſpem collocantes. Secundò, *expelle eos*, à Sanctuario tuo, quod cæde Sacerdotum, & everſione urbis Nobe profanârunt, & ingloriam reddiderunt. Tertiò, *expelle eos*, à te, non audiendo preces eorum contra me factas. Quartò, *expelle eos*, ab honoribus & poteſtate, ipſoque regno, cùm me in populi tui Regem inunxeris. Verſ. 11. 5. Para. 81. Tertiò, à Deo rejiciuntur.

Nota Primò, præſumptionem, arrogantiam, & impudentiam impiorum, qui inſtar Phariſæi ſuperbi erecto collo ad Deum accedunt, atque ſe propinquos illi ſiſtunt, cum confidentia ſtantes, ac veluti ſuo jure, quæ petunt, ſibi arrogantes. Luc. 18. ℣. 11. *Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum*. Pro *ſtans*, Gr. habetur σταθεὶς, id eſt, *conſiſtens, erectus*: quod notat confidentiam nimiam, ſecuritatem, in ſuis meritis, cervicem, & vultum erectum & arrogantem. Prope altare acceſſerat. De ſimilibus hypocritis ait Iſaias 58. 2. *Me de die in diem quærunt* (ſimulant quærere) *& ſcire vias meas volunt*, (velut in jus vocant, ut rationem reddam, cur hoc vel illud agam) *quaſi gens quæ juſtitiam fecerit, & judicium* (rem juſtam & æquam) *Dei non dereliquerit: rogant me judicia juſtitiæ*, (examinant an agam juſtè) *appropinquare Deo volunt*, quaſi quidam Dii terreſtres eſſe volunt, ex æquo res diſponere.

Nota ſecundò, Hebr. הדיחם *haddiah*, denotat expulſionem ſceleratorum cum impetu. Rad. נדח *nadah*, expellere. 2. Propellere. 3. Impellere. 4. Diſpergere. Hinc *haddiah*, expelle. Primò, Deus à ſe cum vehementia expellit, atque ejicit impios, quod vox Græca ἔξωσον, notat: ὠθέω enim eſt motu violento à ſe dimovere, apud Homer. Ariſtophanem, & Platonem, & ἐξωθέω, ex cœtu ſive civitate hominem ejicere, apud Sophoclem: extrudo, vi ejicio, apud Ariſtot. ſedibus expello & extermino, Act. 7. Deus ait ſceleratis Matth. 25. 41. *Diſcedite à me maledicti*. Hæc eſt pœna Domini, nempe privatio viſionis Dei. Dicit impius quilibet cum Cain, Gen. 4. 14. *Ecce ejicis me hodie à facie terræ*, (à patria mea ſuaviſſima & fœcundiſſima, ut explicant Pererius & Oleaſter) *& à facie tua abſcondar*, id eſt deſtituar curâ tuâ, favore & tutelâ, ut ait S. Chryſ. & Cajet. atque ut reus latibula quæram conſpectum judicis timens, ut dicit S. Ambr. & Oleaſter. Dicent impii montibus: cadite ſuper nos: & collibus, operite nos. Secundò, Deus peccatores *propellit*, id eſt, procul à ſe pellit, Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*. Hæc eſt regio longinqua, in quam prodigi obſtinati pergunt. In Chaldæam remotam miſſus eſt populus Iſraël in captivitatem, procul à templo, & civitate ſancta. Tertiò, Deus peccatores à ſe projectos *impellit*, ut cadant, Matth. 25. 30.

Inutilem

Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores: ibi cæcus in foveam decidit. ℣. 46. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum.* Pſ. 72. 18. *Dejeciſti eos dum allevarentur.* S. Hier. vertit; Dejeciſti eos ad interitum. Deus ſuperbis reſiſtit: ipſa elevatio eſt lapſus & ruina. Chald. ad rem noſtram aptiſſimè: *Dejeciſti eos in foveas*, cùm vellent eſſe ſimiles Altiſſimo. Quartò, Deus ſceleratos *diſpergit*, ne ſecuri ullo in loco conſiſtant, aut quietis partem ullam inveniant, Luc. 1. 51. *Fecit potentiam* (Arabs virtutem. Syr. victoriam) *in brachio ſuo. Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui*, id eſt, à ſpe & expectatione atque cogitatione cordis ſui. Gr. αὐτῶν, *ipſorum*, ut habet textus Syriacus, atque Arabicus. Sunt pulvis, quem projicit ventus à facie terræ, Pſ. 1. 4. Vide ibi dicta. Deus jubet Ezechieli, ut ſumat ſibi gladium acutum, radentem pilos, eoque comam & barbam radat, aſſumptâque ſtaterâ in tres partes dividat, ut tertiam partem comburat in medio Jeruſalem, tertiam partem concidat in circuitu ejus, & tertiam partem diſpergat in ventum, & dicat c. 5. 12. *Tertia pars tui peſte morietur, & fame conſumetur in medio tui: & tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo: tertiam verò partem tuam in omnem ventum diſpergam* (in omnem regionem, ubi vivent vagi & profugi) *& gladium evaginabo poſt eos.*

Nota tertiò, quantitatem delicti eſſe menſuram repudii. *Secundùm multitudinem impietatum eorum.* Hebr. פשע *peſa*, peché, vertit: Primò, Cajet. fallaciam, ſed plus ſignificat. Secundò, ſcelus, S. Hier. Tertiò, impietatem, Arabs, & Sept. ἀσέβειαν. Ubi nota, ut plurimùm Arabicum interpretem ad verbum ſequi Sept. Interpretes. Quartò, Chald. vertit, rebellionem: & benè. Nam advertit R. David differentiam inter עון *avon*, id eſt, iniquitatem, quæ ex deſtinatione & determinatione voluntatis fit, & פשע *peſa*, cùm non tantùm fit iniquitas cum deliberatione, ſed etiam cum defectione & rebellione, ſeditione, perfidia, aut contemptu.

Deus hæc omnia ponderat, & pœnam pro merito admetitur. Apocal. 18. 7. de Babylone meretrice, id eſt, Roma ethnica, atque anima peccatrice dicitur: *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit*, (Syr. Quantum placuit ſibi in deliciis ille) *tantum date illi tormentum & luctum.* Syr. totum hoc date illi corruptionem & mærorem. Arab. vertit, Gloriam in qua facta eſt, & luſum, date illum ei dolorem cordis & luctum. Noſter Greg. de Valentia 3. par. de beat. & damnat. corporibus, diſp. 1. qu. 5. puncto 3. hinc infert: corpora damnatorum in ſingulis ſenſibus crucianda eſſe, quia in ſingulis ſuas habuerunt lethiferas delicias. Proportio illa & commenſuratio pœnæ cum culpa in omni benè ordinata Republica ſervatur. Deus per Moſen Judæis judicibus imperat, Deuter. 25. 2. Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis, proſternent, & coram ſe facient verberari. *Pro menſura peccati erit & plagarum modus.* Caſſiodorus in Pſ. noſtr. eam æquationem pœnarum cum culpa, & rejectionem à Deo illi proportionatam advertit, ait enim: *Per hanc ſententiam diſcimus, quòd tantum unuſquiſque à divinitate repellitur, quantum ejus peccata cumulantur. Quantitas enim delicti menſura repudii eſt: dum tantum ab illo reus longior redditur, quantum numeroſo crimine dilatatur.*

Verſ. 11. 6. Pars. 82. Quartò. Quartò denique, David prædicit hoſtibus ſuis fore, ut à Deo ejecti eum hoſtem perpetuum ſint habituri, Verſ. eod. 11. QUONIAM IRRITAVERUNT TE DOMINE.

Nota, Hebr. מרו, *maru*, deduci poteſt: Primò, à verbo מרה, *mara*, quod ſignificat præceptum infringere, non obſequi voluntati Superioris, ab ea deficere & rebellare: & conſequenter per rebellionem irritare, & iracundiam concitare. Ideò Chald. vertit: *Rebelles fuerunt verbo tuo.* Clarius: *Rebelles fuerunt contra te:* Neglectis & contemptis Dei verbis, ipſum poſteà contemnunt peccatores. Felix, *defecerunt à te*, caſtris tuis ſe ſubducentes, & arma in te moventes. Secundò, eò impudentiæ veniunt ſcelerati, ut non tantùm à Deo deficiant, & in eum rebellent, nolendo obedire: ſed etiam ſublatis vexillis in eum milites cogant, & bellum inferant. Hoc innuit S. Hier. cùm vertit: *Provocaverunt te*, velut ad ſingulare certamen & conflictum. Hinc paternum pectus dolore transverberatur, & felleo amarore conficitur.

Hoc declarat altera ſignificatio Hebr. מרו, *maru*, quod Secundò deduci poteſt à verbo מרר, *marar*, amarus fuit. Hinc S. Aug. legit, *inamaricaverunt te Domine.* Quod dupliciter exponi poteſt. Primò, q. d. quoniam tibi amarorem & dolorem pepererunt maximum, ob maximæ & acerbiſſimæ iræ concitationem, viſis tot eorum ſceleribus: & hic eſt verus & germanus ſenſus. Ideò Syrus, & Pſalt. Vaticanum & Ambroſianum vertunt: *Exacerbaverunt te Domine.* Secundò, inamaricat & exacerbat peccator Deum, id eſt, ſibi amarum reddit & acerbum: 1. ut cibum, de quo licèt optimo & ſuaviſſimo, nolit guſtare, quòd ob corruptum palatum, eſſe ſibi amarum ſentiat. S. Hier. ſic exponit: *Tu Domine, per naturam dulcis es: ſed quicumque peccatores ſunt & hæretici, naturam tuæ dulcedinis vitio ſuo vertunt in amaritudinem.* Et S. Aug. inſtar fellis, ait, impio eſſe fontem omnis ſuavitatis: *Amaricaverunt*, inquit, *Deum, qui peccando in eam ægritudinem devenerunt, ut cibum veritatis, quo ſanæ animæ gaudent, tanquam felleum ſuſtinere non poſſint.* Sed hoc eſt myſticum. 2. Magis ad literam, exacerbat impius Deum, ut medicum, cùm efficit ut ſibi amara & acerba remedia præſcribat, ut inveteratam ægritudinem tollat. Eâ ſimilitudine utitur Caſſiodorus: *Exacerbaverunt*, ait, *ægroti mali medicum bonum, qui remedia ſalutis ſuæ inſenſibili duritiâ reſpuerunt:* cujus mortali peccato iraſcitur Deus, ait Lorinus, aliquibus magis irritatur, & quodammodo bile excitatâ amaricatur & exacerbatur. Sunt in hoc genere, quæ dicuntur clamare ad Deum, vel in cælum, ut homicidium voluntarium, Gen. 4. 10. ſodomia, Gen. 18. 20. oppreſſio pauperum, Exod. 22. 23. merces operariorum fraudata, Deuteron. 24. 15. Jacobi 5. 4. cultus falſorum Deorum, Deut. 32. 6. inobedientia & rebellio contra Principes, Pſ. 77. 4. Pſ. 94. 8. & ſeq. negatio providentiæ & juſtitiæ Dei, Pſ. 9. 25. & ſeq. ſimulatio & calliditas. Job. 36. 13. ſuperbia, Job. 46. 6. Pſ. 118. 21. impœnitentia, Rom. 2. 4.

Declaratâ hoſtium ſuorum miſeriâ, David oſtendit lætitiam amicorum ſuorum, & juſtorum in eis repræſentatorum, Verſ. 12. ET LÆTENTUR OMNES, QUI SPERANT IN TE, IN ÆTERNUM EXULTABUNT, ET HABITABIS IN EIS, ET GLORIABUNTUR IN TE OMNES, QUI DILIGUNT NOMEN TUUM. Occaſione ſuæ perſecutionis, de qua agit, præcipuè intendit Propheta declarare omnes Dei ſervos in æternum perfectiſſimâ lætitiâ fruituros. Oſtendit autem: Primò, qualis ſit illa lætitia. Secundò, quæ ſit illius cauſa. Lætitia illa ſentietur: 1. In animo. 2. In corpore. 3. In omnibus aliis bonis. Verſ. 12. 1. Pars. 83. Lætitia triplex piorum.

Primò quidem, in animo: *Lætentur omnes* (textus Arabicus atque Æthiopicus addit, *in te) qui ſperant in te.* Lætitia, eſt de gaudio interiori: exultatio, de exteriori. Hebr. eſt futurum, ישמחו, *iiſmehu*, id eſt lætabuntur, & ſic vertit Felix, Pagn. Cajet. & Arias. Rad. שמח, *ſama*, gaviſus ſum: propriè, interiùs & in animo; unde jungitur cordi, Exod. 4. 14. Pſ. 15. 9. Prov. 15. 13. vel exultationi, quæ exteriorem lætitiam notet, Pſal. 9. 3. & 30. 8. atque aliàs ſæpè. Sept. in Pſalmo noſtro vertunt εὐφρανθείησαν, id eſt, in mente lætentur, exhilarentur: deducitur enim à φρήν, mens, prudentia. Ubi nota, juſtos lætari, ſed lætitiâ prudenti, moderatâ, & cæleſti, quæ domi maneat & conſervetur, non temerè effundatur & pereat. Nota Secundò, ut firma & ſtabilis ſit lætitia, eſſe figendam in Deo, qui ſolus eſt immutabilis, & poſſidentem ſe nunquam faſtidio afficit, Arab. & Æthiop. ut diximus, vertunt, *lætentur in te omnes*, unus Deus omnibus ſufficit, & omni tempore, eſt fons inexhauſtus, ſemper fluens, omnes implens, & ſemper plenus manens; alia autem omnia citò ſiccantur & areſcunt. 3 Reg. 17. 7. de torrente Carith, prope quem erat Elias, habes: *Poſt dies autem ſiccatus eſt torrens, non enim pluerat ſuper terram:* cùm Deus pluit ſuper terram, nihil ſiccatur: cùm non pluit, Primò. in animo.

etiam

etiam lætitia Sanctorum innocens in rebus mundi ſterileſcit & exſiccatur. Torrens Carith deſcendit de montibus Ephraim juxta urbem Phaſelum: multæ enim ibi erant ſpeluncæ, in quibus ſe occultare poſſet Elias à rege Achab quæſitus, ut author ſiccitatis. Nota, Carith ſignificat exciſionem, ſucciſionem, confeſſionem, exterminationem. Rad. *carath*, excidit, &c. Ephraim verò ſignificat frugiferum, creſcentem. Torrens lætitiæ, qui fluit à montibus Ephraim, id eſt, ab honoribus & divitiis ſuperborum eſt torrens Carith, id eſt, excidens & exterminans pietatem ſcilicet ac verum gaudium; unde Deus permittit illud ſiccari, ut ad fontem verum cum Davide curramus inſtar cervi, Pſal. 41. 2. Vide dicta S. Chryſoſt. in verſu noſtro: *Alia*, inquit, *gaudia nihilo ſunt ſtabiliora, quàm ποτάμια ῥεύματα, fluviorum fluenta, quæ ſimul ac videntur, præterfluunt. Quæ autem eſt ex Deo lætitia, μένει καὶ πέπηγε, manet, ac firmis hæret radicibus; & eſt ſufficiens, perpetua ac ſtabilis, quæ nullis inopinatis atque inexpectatis caſibus interrumpitur: ſed per ea, quæ prohibent, major & ſublimior redditur.* Hæc Chryſoſtomus.

Illud eſt gaudium, de quo Apoſtolis ſuis dicebat Chriſtus, Joan. 15. 11. *Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit*, (gratia mea & ſalus, ait S. Aug. tract. 83. in Joan.) *& gaudium veſtrum* (illud eſt veſtrum, quod in animo eſt, & ab extrinſeco non pendet mutabili) *impleatur*, à fonte infinito, Pſ. 35. 9. *Inebriabuntur ab ubertate* (S. Hier. de pinguedine) *domûs tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te* (S. Hier. tecum) *eſt fons vitæ*, id eſt, vivus & vivificans: non eſt torrens Carith, nec exterminat, nec exterminatur. S. Ambr. legit, *torrentem voluptatis tuæ potabis*, non dat de torrente, ſed totum torrentem Deus, nempe ſeipſum totum in animum Beatorum infundendo, cum ſumma eorum lætitia, Pſal. 67. 4. *Juſti epulentur & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.* S. Hilar. pro *delectentur*, legit *epulentur in lætitia*, id eſt, cum lætitia: vel, intra lætitiam, hoc eſt, Deum ipſum, qui eſt vera & ſolida mentis delectatio. Sept. τερφθήτωσαν ἐν εὐφροσύνῃ, oblectentur in exhilaratione, quod accedit ad εὐφρανθήσονται, Pſalmi noſtri.

Verſ. 12. 2. Pars. 84. Spes eſt lætitiæ cauſa.

Cauſa lætitiæ illius interioris, mentem piorum afficientis, additur verſ. eod. 12. ET LÆTENTUR OMNES, QUI SPERANT IN TE. Nota, Hebr. חוסים *hoſim*, ſignificat ſperantes cum certitudine quadam & ſecuritate: unde Felix vertit, *confidentes in te.* Petavius, θαῤῥοῦσι πεποιθότες, *confidunt audaces.* Nam rad. *haſa* ſignificat: Primò, ſperare, confidere. Secundò, regere. Itaque *hoſim*, unde fortaſſe ὅσιος, ſanctus, dicuntur hic qui ſub Dei regmine atque umbraculo hoſtes rident, & in ſuaviſſima umbra quieti, certi ſunt de auxilio ſibi affuturo, & bonis affatim dandis, quibus jam frui incipiunt in hac vita. Hoc expreſſit Magoetius, cùm cecinit:

At fretos opibusque tuis & amore beatos,
Æterna auguſti nominis umbra teget.

Deus tegit & obumbrat Sanctos ſuos, Pſ. 26. 5. *Abſcondit me in tabernaculo ſuo*, (S. Hier. in umbra ſua. Chald. in ſcena ſua, *in die malorum* (dum lucent & proſperantur mali) *protexit me, in abſcondito tabernaculi ſui*, id eſt: 1. In Eccleſia ſua. 2. In gratia ſua. 3. In cælo. 4. In ſeipſo: quod apertiùs ait Pſ. 30. 21. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ* (S. Hier. in protectione vultûs tui. Pſalt. Rom. & Ambr. in abdito vultûs tui: id eſt, intra pupillam oculorum: unde qui tangit eos, tangit pupillam oculi Dei) *à conturbatione hominum*, (Chald. à viris exercitûs: id eſt, etiam ab armatis. S. Hier. à duritia viri: id eſt, etiam ab obſtinatè turbantibus,) *à contradictione* (Hebr. ריב *rib*, id eſt, contentione, rixâ, jurgio) *linguarum.* Vide Pſ. 90. 1. Iſaias ait c. 4. 5. *Super omnem gloriam* (id eſt, ſuper omnem Eccleſiam, familiam, & animam ſanctam) *protectio & tabernaculum erit in umbraculum diei ab æſtu*, (ardoris & concupiſcentiæ) *& in ſecuritatem & abſconſionem à turbine, & à pluvia*, id eſt, à tentationibus vehementibus, & penetrantibus, atque irruentibus. Chriſti plagæ ſunt illud etiam umbraculum. Chald. vertit in Pſ. noſtro: Lætentur omnes, qui ſperant in verbo tuo: id eſt, promiſſo, vel Chriſto.

Ordo militaris Lavrorum Borbonii.

Spes dat nobis illud præſidium Dei in rebus arduis & moleſtis. Ludovicus Borbonius Dux cognomento Bonus, id declaravit ordine militari inſtituto, cui à Carduo B. Virginis nomen fecit. Torquis equitum erat aureus, ſeu argenteus ex liliis, & quatuor foliis aut floribus cardui, crucem in eodem ſtatuentibus, cum hac epigraphe: *Eſperance*, id eſt, *ſpes.* Quo emblemate, ut ait Franciſcus Mennenius tr. de equeſtribus ſive militaribus Ordinibus pag. 145. carduis & liliis adtextis animi ſui magnitudinem contra omnes fortunæ impetus expreſſiſſe videtur Ordinis hujus conditor. Unicaulis enim carduus ſimul ac ſcolymon in calicem apparuerit, florem perpetuum nutrit, inter medios aculeos celeriter caneſcentem & abeuntem, cum aura, perinde ac ſpes noſtræ, plurimùm evaneſcit, & minima quaque de cauſa homines plerumque concutiuntur.

Et Scotiæ Regum.

Scotiæ item Reges, ut ait Favynus in hiſt. Navarræ lib. 8. carduum Ordinis ſui inſigne ſumpſerant, torquem habebant carduis intertextum, ex quo bulla dependebat ſemicirculi formam habens, bullæ appicta erat S. Andreæ effigies, cum hoc elogio linguâ Scoticâ circumpoſito: *Dominus Protector meus.* Spes in adverſis eſt lux in medio rubo. Exod. 3. 2. *Apparuit ei* (Moſi) *Dominus in flamma ignis in medio rubi.* Job dicebat in ſumma calamitate, c. 13. 15. *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* Sept. vertunt: Licèt opprimat me qui potens eſt, in ipſo ſperabo. Innocentia hanc tibi ſpem dabit. In Nummo Alexandri Imp. videbatur Dea quædam lilium dexterâ prætendens cum hac inſcriptione: *Spes publica.*

Spes in rebus terrenis poſita ab impio, quatuor comparationibus optimè explicatur, Sap. 5. 15. *Spes impii tanquam lanugo eſt.* (Gr. χνοῦς, id eſt: 1. Maris ſpuma Odyſſ. ζ. 2. Pulvis, ut Pſal. 1. 4. vertitur. Vide ibi plura. 3. Et magis propriè, lanugo, id eſt, veluti tenera quædam lanæ mollities in plantis) *quæ à vento tollitur. 2. Et tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur. 3. Et tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt. 4. Et tanquam memoria hoſpitis unius diei, prætereuntis.* Græcè, μονοημέρου, qui uno die manet. Vento ipſi ſpes illas vanas comparat Q. Smyrnæus Poëta Græcus lib. 8. Paralipom. verſ. 10. ubi inani ſpe lactatum irridens ait: illum ſpes ἐναλίγκιος αὔρῃ μαψιδίῃ, ſimilis auræ ſeu vento inani, excitat: Parcæ verò adſtantes rident vana corde credulo verſantem. Galenus autem in Protreptico ait, navem reponentium ſpes in hujus vitæ bonis regi à fortuna, & ſæpè in cautes adigi: cùm ſit cæca. Verba ejus ſunt: Cùm hic in permultis ædibus graviora fiant naufragia, quàm ſcaphis accidant in mari, non rectè judicârit, qui ſemetipſum in tantis negotiis undique circumſtantibus ac vallantibus commiſerit τυφλῇ δαίμονι, μηδ' αὐτῇ βεβαίως ἑστηκυίῃ, *cæca Dea, neque huic ſatis ſtabili.* Jure ſpes illas fallaces vocaveris folliculos vento turgidos, qui ad acûs punctum detumeſcentes tumorem illum mendacem prodant. Lucianus vocat folles deauratos, χρυσαῖ ἐλπίδες, ait, οὐδὲν ἄλλο ἢ φῦσαί τινες ἐπίχρυσοι: *Aureæ ſpes nihil aliud ſunt, quàm aurati quidam folles.* Ariſtoteles adhuc breviùs & ſignificantiùs ait, ſpes illas deceptrices eſſe ἐγρηγορότων ἐνύπνια, *vigilantis inſomnium.* Spem verò in Deum vocabat Philo, *gaudium ante gaudium.*

Verſ. 12. 3. Pars. 85. Secundò, piorum lætitia in corpus redundat.

Secundò, Juſtorum lætitia ab animo in corpus exundat, verſ. eod. 12. IN ÆTERNUM EXULTABUNT. Nota, vox Hebraica, *jerannenu*, denotat lætitiam oris. Arias enim: 1. Vertit *præconia canent.* 2. Pagn. & Chald. laudabunt. Syr. addit *te.* Sic enim vertit, *in æternum laudabunt te.* Rad. רנן, *ranan*, ſignificat clamare fortiter, ſive ob laudem, ſive ob gaudium: unde Muiſius vertit, *ovabunt.* q. d. Sperantes in Deo cantus triumphales pleno ore ob gaudii vehementiam concinent. Ovatio porrò erat triumphus minor, cùm belli dux rebus benè geſtis, ſed ita magnis ut juſto dignæ triumpho eſſent, ex Senatuſconſulto pedites, vel (ut alii ſentiunt) equites urbem intrabant, myrteam coronam (quæ ideò ovalis dicebatur)

capite

capite geſtantes, univerſo Senatu ſubſequente. Ovatio datur ſperantibus adhuc in Deum, & nondum penitùs domito hoſte gratiam Dei conſecutis, & præclara opera virtutum facientibus: Triumphus verò, cùm capti ligatique hoſtes non poſſunt ampliùs nocere cœleſtem Jeruſalem ſubeuntibus.

Exultatio. Nota Secundò: Græca & Latina denotant lætitiam totius corporis. Nam *exultare*, propriè eſt gaudio geſtire & ſubſilire præ lætitiæ internæ copia eam intùs non claudere, ſed foris oſtendere in geſtu & totius corporis motu. Idem ſignificat ἀγαλλιᾶν, quod adhuc meliùs conveniet Beatis. Si enim ſtrictè ſumas ἀγαλλιᾶν, eſt, lætitiâ geſtire & exultare ob decus & ornatum, quem in nobis eſſe ſentimus, miramur, & gaudemus: deducitur enim ab ἀγάλλω, id eſt, orno, decoro, inſignio, ut ſumit Plato de legib. 11. In cælo autem mirificus erit animæ ornatus, qui in corpus redundabit. Ut enim docet S. Thomas 1. 2. q. 4. art. 6. ad beatitudinem omnibus modis perfectiſſimam requiritur perfecta diſpoſitio corporis, & antecedenter, & conſequenter: antecedenter quidem, quia ut S. Aug. dicit lib. 12. ſuper Gen. ad literam, cap. 35. ſi tale ſit corpus, cujus ſit difficilis & gravis adminiſtratio, ſicut caro quæ corrumpitur, & aggravat animam, avertitur mens ab illa viſione ſummi cæli. Unde concludit, quòd cùm hoc corpus jam non erit animale, ſed ſpirituale, tunc Angelis æquabitur, & erit ei ad gloriam, quod ſarcinæ fuit. Conſequenter verò, quia ex beatitudine animæ fiet redundantia ad corpus, ut & ipſum ſuâ perfectione potiatur. Unde S. Aug. dicit tom. 2. epiſt. 56. ad Dioſcorum: Tam potenti naturâ Deus fecit animam, ut ex ipſius pleniſſima beatitudine redundet in inferiorem naturam incorruptionis vigor.

Nota Tertiò: Illa lætitia corporis erit etiam æterna. *In æternum exultabunt:* id eſt: Primò, totâ vitâ præſenti, ut explicat Cajetanus. 2. Gaudio continuo & non interrupto, ut Treverus. 3. Et propriè, per totam æternitatem: hoc enim loco עולם, *olam*, cum vau ſcribitur. Docet autem S. Hier. quòd *olam*, ſi cum vau ſcribatur, ſignificat æternitatem: ſi verò ſine vau ponatur, ſignificat tempus diuturnum: quod licèt non ſit perpetuum, frequens tamen eſt in Scripturis. Rad. *alam*, abſcondit, latuit: quòd æternitas ſit incomprehenſibilis, ejuſque terminus reperiri non poſſit. Æternitatem lætitiæ Sanctorum in cælo prædicat Iſaias c. 35. 11. *Qui redempti ſunt à Domino*, (Chriſtiani à ſervitute diaboli liberati) *revertentur, & venient ad Sion laudantes* (relictâ Babylone mundi) *& lætitia ſempiterna ſuper capita eorum*, (ob immarceſcibilem gloriæ coronam, de qua 1 Petr. 5. 4. *Gaudium & lætitiam tenebunt*, (ut ſceptrum manu, reges in æternum creati) *fugiet dolor & gemitus*, ut hoſtes triomphati. Tullius id ex parte vidit, cùm ait in oratione pro Sextio: *Cogitemus corpus virorum fortium magnorumque hominum eſſe mortale: animi verò motus, & virtutis gloriam ſempiternam.* Et Lyſias in oratione funebri: Ego verò, inquit, eos & beatos prædico ob mortem, & invideo, iiſque ſolis mortalium naſci bonum arbitror, qui quoniam mortalia corpora ſortiti ſunt, *ἀθάνατον μνήμην διὰ τὴν ἀρετὴν αὐτῶν κατέλιπον, immortalem virtutis ſuæ memoriam reliquerunt.* Sed lætitia inde orta non eſt intrinſeca.

Verſ. 12. 4. Pars. Cauſa lætitiæ eſt habitatio Dei in Sanctis.

Cauſa veræ, conſtantis, & æternæ lætitiæ, tum in animo, tum in corpore, aſſignatur à Propheta noſtro, inhabitatio Dei in anima juſtorum, verſ. eod. 12. In æternum exultabunt: Et (id eſt: *quia:* ſic ſæpè ponitur vau) HABITABIS IN EIS.

86\. Duobus modis in iis habitat. 1. Per gratiam. 2. Per gloriam.

Dupliciter Deus habitat in Sanctis ſuis. Primò, inchoatè in hac vita per gratiam. Secundò, completè & perfectè in cælo per gloriam. De utraque habitatione poteſt eſſe hîc ſermo, ſed præſertim de ſecunda. Levit. 26. 11. ait Deus Judæis: *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus.* Quod S. Paulus ad allegoriam atque anagogiam tradens 2 Cor. 16. ait: *Vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis*, (ut rex in throno, ut paſtor in grege, ut anima in corpore, ut Deus in templo ſuo) *& inambulabo inter eos*, (ut pater inter filios, & cuſtos in circuitu arcis) *& ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* S. Bern. ſerm. 27. in Cant. illud meditans: Formoſa ſicut pelles Salomonis, ait: Cælum mihi ſedes eſt, de quo Scriptura commemorat. Anima juſti ſedes eſt ſapientiæ. Qui ex doctrina ſapit Salvatoris ſpiritum eſſe Deum, atque in ſpiritu adorandum, etiam ſedem ei non ambigit aſſignare ſpiritualem. Ego verò fidenter id fecerim, non minùs in hominis juſti, quàm in Angelico ſpiritu. Confirmat me in hoc ſenſu maximè illa fidelis promiſſio: *Ego*, ait Filius, Joan. 14. *& Pater ad eum*, id eſt, ad ſanctum hominem, *veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Prophetam quoque de non alio dixiſſe cælo arbitror, Pſ. 21. 4. *Tu autem in ſancto habitas laus Iſrael.* Manifeſtè autem Apoſtolus Epheſ. 3. dicit, habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris. Nec mirum ſi libenter inhabitat cælum hoc Dominus JEſus, quod utique non quemadmodum cæteros dixit tantùm ut fieret; ſed pugnavit ut acquireret, occubuit ut redimeret. Ideò & poſt laborem voto potitus ait, Pſ. 131. *Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, quoniam elegi eam.* Et beata cui dicitur: *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum.* Quid tu triſtis es nunc, ô anima! & quare conturbas me? Ita Bern. qui poſteà oſtendit vacuandam eſſe rebus terrenis animam, ut fiat cælum atque habitatio Dei: deinde ait, oportere eam creſcere ac dilatari, ut ſit capax Dei. Porrò latitudo ejus eſt dilectio ejus, ſicut dicit Apoſtolus 2 Cor. 6. 13. Dilatamini in charitate. Poſteà ſubdit, homines ſpirituales in hac vita eſſe cælos vitâ & opinione conſpicuos, fide puros, ſpe firmos, latos charitate, contemplatione ſuſpenſos, &c. Ibi habitat Deus ut in cælo ſuo, licèt ſint in oculis ſuis viles. Idem S. Pater paulò pòſt addit: *O humilitas! ô ſublimitas! Et tabernaculum Cedar, & ſanctuarium Dei: & terrenum habitaculum, & cæleſte palatium: & domus lutea, & aula regia: & corpus mortis, & templum lucis: & deſpectio denique ſuperbis, & ſponſa Chriſti.* Ita ipſe. Ibi Sol, eſt intellectus fide & ſapientiâ cæleſti conſpicuus: luna, voluntas charitate Dei & proximi collucens: aſtra fixa, virtutes contemplativi: planetæ, virtutes actioni & zelo ſalutis animarum propriæ. Per illud cælum Deus inambulat, cùm ab intellectu illuſtrato ad voluntatem ardentem, & à voluntate ad opus tranſit: ibique habitat, nec unquam egreditur: *Ut ſit Deus omnia in omnibus*, ut ait Paulus. Arabs in Pſalmo noſtro vertit: *Habitabis in eis benedictio tua.*

Nota, cùm ait David Deo, *habitabis in eis*, in Hebræo eſſe תסך, *thaſech*, id eſt, obumbrabis, ut vertit Chald. 2. proteges, ut S. Hier. 3. habitabis, ut Syrus. Rad. *ſacach*, texit, operuit, obumbravit, protexit. Alludit autem Primò, ad columnam nubis & ignis, per quam, & in qua Deus tegebat ab ardoribus Solis diurni, & à nocturno frigore populum ſuum. Secundò, & meliùs, alludit hîc ad tabernaculum Moſis, quod erat in medio populi Iſraël, & conſequenter Deus in eo habitans, & reddens oracula, ac victimas, ſuſcipiens accedentium, eorumque preces exaudiens. Hæc Græca vox, κατασκηνώσεις, clarè denotat. Significat enim tentorium ſeu tabernaculum defiges, & ſic uſurpat Plato, & S. Greg. Naz. 2. quieſces, ut Pſ. 15. 3. velut in tabernaculo obumbrabis, σκηνὴ ſignificat ipſum tabernaculum. Adverte autem, Davidem priùs dixiſſe Deo: non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injuſti ante oculos tuos, velut excludens hoſtes ſuos à Dei protectione. De ſe verò: *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* Poſteà petierat contra hoſtes ſuos: Secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos. Denique de juſtis ſociis ſuis & amicis in uno Deo ſperantibus, *in æternum exultabunt, & habitabis in eis.* 87. Deus in Sanctis habitans eos obumbrat.

Nota Secundò: rectè iſta ſimul jungi: *Exultabunt & habitabis in eis.* Ex illa enim habitatione Dei in anima oritur vera & perfecta lætitia, & cæleſte mentis robur etiam in mediis adverſitatibus, Aggæi 2. 5.

Et nunc confortare Zorobabel, (ſignificat alienum à confuſione: rad. זור *zur*, premere, comprimere, ventilare, diſpergere, alienari: & בלל *balal*, confundere, miſcere, permiſcere. Is, in quo habitat Deus, premit, diſpergit, ventilat, abalienat à ſe confuſionem. Nihil vult Deo admiſcere: ſolus poteſt Deus cor ejus implere, non amat mixtionem, qui ex toto corde Deum amat) *& confortare Jeſu fili Joſedec*, (Joſedec ſignificat Dei juſtitiam: rad. יה *iah*, Deus: & צדק *ſedec*, juſtitia: q. d. ſi ſis filius divinæ juſtitiæ, & exercens juſtitiam, eris fortis & Jeſus, id eſt, ſalvator: non tantùm ſalvaberis, ſed etiam alios ſalvabis: id faciunt boni Prælati, qualis erat ille Jeſus: & Principes, qualis erat Zorobabel) *& confortare omnis populus terræ*, (humilis tuæ terræ memor) *dicit Dominus exercituum: & facite, quoniam ego vobiſcum ſum, dicit Dominus exercituum.* Hæc ratio fortificat & animat Sanctos: nempe Deus in medio eorum: unde addit ℣. 6. *Spiritus meus erit in medio veſtrûm, nolite timere.* Spiritum hunc volunt Primò, eſſe prophetiam Rabbini: unde Chald. vertit, Prophetæ mei docebunt vos, ne timeatis. Secundò, Cornelius ait accipi ſpiritum providentiæ, fortitudinis, *alacritatis*, & artis architectonicæ, quo vegetati opus fabricæ templi alacriter, fortiter, providè æquè ac ſapienter & affabrè ſuſcipiant & peragant. Tertiò, Albertus intelligit ſpiritum ſapientiæ, virtutis, & fortitudinis, quem Deus aſpiravit Moſi, & per eum 70. Senioribus ad judicandum, dirigendum & regendum populum Iſraël, Num. 11. 25. Quartò, denique, ad rem noſtram congruentiùs: *Spiritus meus erit in medio veſtrûm.* q. d. Ego ero in medio veſtrûm, ego vobiſcum habitabo, ero in mente veſtra. Spiritus in Deo eſt duplex. Primus eſt communis toti Trinitati: nempe ſpiritus eſſentialis, qui eſt ipſa mens & eſſentia Dei. Secundus, eſt Spiritus notionalis, id eſt, Spiritus ſanctus, qui eſt tertia Trinitatis perſona, & cui attribuitur ſanctificatio animæ. De eo hunc locum explicant S. Athanaſ. epiſt. ad Serapionem. S. Cyrill. catech. 19. & alii. Spiritus ſanctus eſt in nobis variis modis, ut docet S. Baſil. lib. de Spiritu ſancto contra Arianos. Nam Primò, Spiritus ſanctus eſt in nobis, *tanquam forma in materia.* Ipſe enim in nobis eſt quaſi forma divina, à qua ſpirituales dicimur. Secundò, Spiritus ſanctus in nobis eſt, *quaſi habitus, vel ars in artifice:* ſic enim ipſe adeſt Sanctis ad opera virtutum & miraculorum exercenda. Tertiò, Spiritus ſanctus in nobis eſt, *velut totum in partibus:* quia Spiritus ſanctus totas ſuas gratias partialiter in ſuos fideles diſtribuit. Quartò, Spiritus ſanctus in nobis eſt, *ut locatum in loco:* Spiritus enim ſanctus in Sanctis ſuis eſt, quaſi in templo ſuo.

Permanſionem Dei cum hominibus aperit Ezechiel ſub hoc tabernaculi ſimili. Sic enim Deum loquentem inducit ca. 37. 26. *Percutiam illis fœdus pacis*, (id eſt, novum teſtamentum, quod nihil ſpirat & affert præter pacem, quietem, & tranquillitatem, charitatem, concordiam) *pactum ſempiternum erit eis*, (ſic in æternum exultabunt, ſed dignè Deo: ſequitur enim) *& fundabo eos, & multiplicabo, & dabo ſanctificationem* (Hebr. מקדש, *mikdas*, ſanctuarium, ſeu templum, ut Chald. vertit: ſive *ſancta* in plurali, ut Sept. quia erat duplex pars ſanctuarii ſeu templi: nempe Sanctum Sanctorum, ut chorus: & Sanctum, ut navis ejus. Primò, figuratur cæleſtis Eccleſia: Secundò, adhuc militans in terra) *meam in medio eorum in perpetuum*, uſque ad conſummationem ſeculi, ut Chriſtus ſe promiſit futurum cum ſuis ſervis, Matth. 28. 20. Primò, per auxilium juge, gratiam, robur, conſolationem, directionem, & liberationem, ut explicat S. Chryſoſt. Secundò, per Euchariſtiam, in qua verus eſt Emmanuël, id eſt, nobiſcum Deus: & quam ab Ezechiële intelligi per ſanctificationem vult Hector Pintus: ea enim ad ſe accedentes facit ſanctos. Addit Ezech. ℣. 27. *Et erit tabernaculum meum in eis: & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus. Et ſcient gentes, quia ego Dominus ſanctificator Iſraël, cùm fuerit ſanctificatio mea* (Hebr. ſanctuarium, id eſt, Eccleſia. 2. Sanitas. 3. Chriſtus ipſe, & Spiritus ſanctus ſanctificator animarum) *in medio eorum in perpetuum.* Ad hunc locum alludit, eumque citat S. Joan. Apoc. 21. 3. agens de Sanctis in cæleſti Jeruſalem beatis. Chriſtus, ait Cornel. Matth. 28. eſt in anima ſancta. Primò, *politicè*, quaſi *rex* in 88.
regno ſuo, quod ſecundùm leges juſtitiæ rectè dirigit & moderatur: & quaſi *dux* in exercitu, eum roborans, ut hoſtes omnes, putà mundum, carnem, ac dæmonem ſuperet & debellet. Secundò, Chriſtus *œconomicè* eſt in anima ſancta, quaſi *pater* in domo & familia, quam ſapienter ille regit, protegit, & ditat. Rurſum ipſe in ea quaſi *navarchus* in navi, eam per undas & fluctus hujus maris procelloſi, id eſt, per tentationes hujus vitæ periculoſæ, ſecurè dirigit ad portum felicitatis æternæ. Ipſe eſt in ea id quod *auriga* eſt in curru, ut nos quaſi dormientes vehat in orbem & patriam cæleſtem. Unde ei jugiter acclamare debemus, quod Eliſeus ſucclamabat Eliæ, dum curru igneo raperetur in cælum: Pater mi, currus Iſraël & auriga ejus, 4 Regum 2. Tertiò, *ethicè* Chriſtus in anima eſt quaſi *ratio & prudentia*, quæ omnes actiones prudenter dirigit juxta normam rationis divinæ & legis æternæ, quæ eſt in mente Dei, ut anima non errores ſuæ concupiſcentiæ, ſed dictamina veritatis divinæ ac rationes æternas, quæ ſunt in mente Dei, ejuſque ſanctam voluntatem in omnibus, & ubique ſequatur. Quartò, *phyſicè* Chriſtus eſt in anima, id quod *anima* eſt in corpore: ipſe enim eſt quaſi animæ anima, ipſam vitâ gratiæ vivificans, ut anima vivat vitam non animalem & carnalem, ſed ſpiritualem & divinam, utque omnes ejus actus in operatione ſint non naturales, ſed ſupernaturales & divini, ideoque meritorii vitæ & gloriæ æternæ. Denique ipſe eſt quaſi *ignis* divinus, animam flammâ charitatis igniens & inflammans. Ipſe eſt in anima quaſi *Sol cæleſtis*, totum animæ orbem luce gratiæ ſuæ illuſtrans, vivificans, calefaciens, & bonis virtutum omnium operibus fœcundans, juxta illud: *Operatur in nobis velle & perficere*, Philipp. 2. Et: *Qui operatur omnia in omnibus ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ*, Epheſ. 1.

Deus eſt in anima ſancta. 1. Politicè, velut rex. 2. Oeconomicè, velut paterfamilias. 3. Ethicè velut ratio & prudentia. 4. Phyſicè velut anima.

Lætitiam verò, & mentis quietem, ac tranquillitatem ob habitationem Dei in Sanctis ſuis declarat Iſaias 32. 15. *Donec effundatur ſuper nos Spiritus de excelſo* (Spiritus ſanctus è cælo die Pentecoſtes, & in cujuſque ſanctificatione) *& erit deſertum in Carmel.* Gentiles peccatores ac ſteriles abundabunt gratia & virtutibus. Carmelus eſt mons in Judæa fertilis. Et ℣. 18. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*, (in pace animæ pulcherrima) *& in tabernaculis fiduciæ:* id eſt, In Chriſti vulneribus. 2. In Euchariſtia. 3. In protectione & umbra Dei. 4. In templis. 5. Tandem in cælo *& in requie opulenta*, id eſt, perfectiſſima, & opes cæleſtes cauſante. Placet in pauperrimo opulentam illam requiem videre & mirari? Conſidera, quæ ſcribit Doctor Taulerus in colloquio Theologi & mendici pag. 685. Fuit, inquit, olim inſignis quidam Theologus, qui annis octo precibus continuis à Domino id cupiebat obtinere, ut ipſi hominem quendam oſtenderet, qui eum *viam veritatis* edoceret. Cùmque vice quâdam vehementiſſimo hujus rei flagraret deſiderio, vox quædam cælitùs lapſa ita ipſum allocuta eſt: Exi foras ad limina templi, & offendes illic hominem, qui te viam veritatis edoceat. Exiens igitur invenit mendicum quendam diruptis, ſordidis, lutoſis pedibus, cujus veſtes in univerſum vix tribus obolis ſuppeterent, quem ſalutans ita affatus eſt: Det tibi Deus proſperum manè. Reſpondit mendicus: *Non memini me unquam adverſum manè habuiſſe.* Et Magiſter: Eja, inquit, ut fortunatum te faciat Deus, quid ita loqueris? Reſpondit mendicus: ſed nec infortunatus aliquando fui. Et ille: Felix eſto, ait, quid ſibi hæc tua verba volunt, Et pauper: *Nunquam*, ait, *infelix fui.* Rurſus itaque Magiſter: Salvet, inquit, te Deus, jam nunc apertiùs loquere; neque enim capio quid dicas. Tum pauper reſpondit: Id faciam libenter. Optabas mihi, Magiſter, proſperum manè, & ego me nunquam adverſum manè habuiſſe reſpondi: quando enim fame premor, Deum laudo: ſi frigus patior, ſi grando, ſi nix, ſi pluvia cadit, ſi aura ſerena eſt vel turbulenta, Deum laudo: ſi miſer ſum atque deſpectus,

Sancti paupertas virtus & laetitia ex Taulero.

Deum

Deum ſimiliter laudo, & ideò nunquam triſte manè mihi contigit. Optabas etiam me fortunatum fieri, & ego nunquam me infortunatum fuiſſe reſpondi: *Navi enim cum Deo vivere*, certuſque ſum, quicquid ille facit, non poſſe non eſſe optimum. Unde quicquid ipſi vel dabat, vel evenire mihi permittebat, ſive gratum id eſſet, ſive contrarium, dulce vel amarum, *lætus* id tanquam optimum ab ipſo ſuſcepi, & ideò nunquam infortunatus fui. Dicebas præterea, ut me felicem faceret Deus, ad quod ego ſimiliter, nunquam me infelicem fuiſſe ſubjunxi: ſoli namque divinæ voluntati inhærere ſtatui, in quam ſic integrè omnem meam transfudi voluntatem, ut quicquid ille vult, & ego velim, & meam ipſi voluntatem ex integro reſignâ[v]im. Hæc cùm mendicus ille retuliſſet, ita eum rurſus Magiſter affatus eſt: Quid obſecro dicturus eſſes, ſi te Dominus majeſtatis in abyſſum demergere vellet? Et ille: In abyſſum, inquit, me demergeret? Et reverà ſi id faceret, duo mihi brachia ſunt, in quibus eum amplexarer. Unum eſt vera humilitas, & hoc illi ſuppono, atque per ipſum ſacratiſſimæ humanitati ipſius unitus ſum. Alterum, idemque dexterum, eſt amor, qui divinitati ipſius unitus eſt, atque per hunc ipſum circumplector. *Optatius autem mihi foret in inferno cum Deo eſſe, quàm vel in cælo ſine illo.* Ex his igitur Magiſter ille didicit veram reſignationem cum humilitate profunda compendioſiſſimam ad Deum ſemitam eſſe. Dehinc iterum ex illo mendico percunctatus eſt, unde veniſſet? Cui ille: à Deo ſe veniſſe reſpondit. Cùmque Magiſter, ubi eum repeiiſſet? Sciſcitaretur: Ibi, inquit, ubi creaturas omnes dereliqui. Et Magiſter: ubi verò, ait, Deum reliquiſti? Reſpondit pauper: *In mundis cordibus, & hominibus bonæ voluntatis.* Et Magiſter: Quiſnam es tu? Reſpondit ille *ſe Regem eſſe.* Sciſcitante Magiſtro: ubinam eſſet regnum ipſius? In anima ſua id eſſe reſpondit: ſic enim, ait, & externos & internos ſenſus meos regere novi, ut cunctæ affectiones & vires animæ meæ mihi ſubditæ ſint. Quod profectò regnum cunctis mundi hujus regnis præſtantius eſſe nullus ambigit. Et rurſus Magiſter: Quid, inquit, ad hanc te perfectionem perduxit? Reſpondit pauper: Nimirum ſilentium meum, ſublimes meditationes, & unio cum Deo: *In nulla re, quæ Deo minor foret, quieſcere potui. Jam verò Deum meum inveni, & in ipſo pacem & quietem habeo ſempiternam.* De ſimilibus viris jure dices cum Propheta noſtro: Exultabunt, & (id eſt, quia) habitabis in eis.

89. In cælo perfectè habitabit Deus in Sanctis ſuis. In cælo illa habitatio Dei in Sanctis erit perfectiſſima & æterna, ideò lætitia erit ſumma & æterna. S. Bernardus in Meditat. cap. 4. *Præmium*, ait, *erit videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo, eſſe cum Deo, qui erit omnia in omnibus: habere Deum, qui eſt ſummum bonum. Et ubi eſt ſummum bonum, ibi eſt ſumma felicitas, ſumma jucunditas, ſumma libertas, perfecta charitas, æterna ſecuritas, & ſecura æternitas. Ibi eſt vera lætitia, plena ſcientia, omnis pulchritudo, & omnis beatitudo: ibi eſt pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honeſtas, gaudia, lætitia, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor, & concordia dulcis.* Vide S. Auguſt. lib. Meditat. cap. 22. & 25. tom. 9. Tunc verò Sancti in æternum exultabunt, quia Deus habitabit in eis, & hoc gaudium nemo tollet ab eis, Joan. 16. 22. *Gaudebit cor veſtrum:* (non tantùm labia) *& gaudium veſtrum* (1. Veſtro labore partum. 2. Vobis intrinſecum. 3. Rationale & ſpirituale veſtræ naturæ proprium) *nemo tollet à vobis.*

Tertiò: Sancti non tantùm in animo & corpore, ſed etiam in omnibus rebus habent lætitiæ occaſionem, ita ut de præſtito ſibi auxilio Dei, & de ejus
Verſ. 12. 5. Para. benevolentia poſſint gloriari, verſ. eod. 12. ET GLORIABUNTUR IN TE OMNES, QUI DILIGUNT NOMEN TUUM.

Nota, pro *gloriabuntur*, Hebr. eſt יעלצו, *jalezu*,
90. Tertiò Sancti etiam in bonis exterioribus habent id eſt: Primò, lætabuntur, ut S. Hier. vertit: jucundabuntur, ut Felix. 2. Corroborabuntur, ut Syrus, id eſt in gaudio confirmabuntur, non ſignificat enim aliud robur, ac vires. 3. Ac propriè, *exultabunt*, ut Pagnin. Arias, & Munſius reddunt. 4. Et optimè, gloriando exultabunt. Nam *alas* ſignificat tanto gaudio intùs lætitiæ occaſionem.
cumulari, ut exundet, lætitiâ geſtire, ob lætitiæ abundantiam ſe glorianter circumſpicere, oſtentare cum gaudio id quod obtinueris & poſſideas. Itaque *ſamah*, quod primo loco David poſuit, poterit ſumi de lætitia prorſus interna: *Lætentur omnes, qui ſperant in te.* רנן, *ranan*, quod ſecundo loco uſurpatur, notat lætitiam verbis expreſſam, *in æternum exultabunt.* אלץ, *alas* denique declarat foris ſe omni modo per opus ipſum prodentem lætitiam.

Nota Secundò: quadruplex qualitas & proprietas divini gaudii Sanctis dati à Propheta exprimitur in noſtro verſ. Primò, certitudo declaratur per verba futuri temporis: *Exultabunt, & gloriabuntur.* Lætentur poterat poni in futuro; nam *iſmehu*, eſt futuri: ſed ſic denotatur non debere nos ita fidere certitudini illius gaudii, quin ſæpè illud à Deo, ut ejus fonte poſtulemus. Secundò, gaudii illius æterna duratio aperitur: *In æternum exultabunt.* Tertiò, ſecuritas: *Habitabis in eis.* Quartò, ut ait S. Thomas, plenitudo gaudii oſtenditur: *Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.* Nam 1. Plenitudo ejus patet ex gloria inde concepta, *gloriabuntur*: quia non gloriatur de re, niſi qui eam habet excellenter. 2. Ex materia, quia gloriantur de re pleniſſima & de omni bono. Petavius reddit: σοὶ δ᾽ ἐπικυδιόωντες, *de te gloriantes.* Joan. 16. 24. *Uſque modò non petiſtis quicquam in nomine meo:* (per me ac mea merita) *petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum*, obtentis omnibus gratiis, quibus indigetis, ut Ribera, Toletus, Janſenius, & alii exponunt. Major adhuc plenitudo denotatur cap. 15. 11. *Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur:* cùm habueritis Deum ipſum in vobis per charitatem, ut mox dicam. Ideò dicit hîc *in te.* 3. Ex ſocietate gaudium augetur cum amicis, *omnes*, Pſ. 68. *Sicut lætantium omnium.* 4. Ex perfectione: *Qui diligunt.*

Nota Tertiò: ſicut anteà, cùm dixit, in æternum exultabunt, & habitabis in eis, David alluſit ad tabernaculum, quod erat Dei domus, in quo habitabat Deus in medio populi, ſive in deſerto, ſive in terra promiſſionis, ut oſtendi: ita nunc cùm ait: *Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum*, alludit ad arcam in eo tabernaculo poſitam, quæ erat, & dicebatur gloria populi Iſraël, quia: Primò, in ea erant duæ tabulæ lapideæ, in quibus digito Dei, id eſt, Angeli ejus legati, lex erat ſcripta in monte Sinai. Secundò, quia Deus ſedens in propitiatorio, quod erat arcæ operculum ex auro ſolido cum duobus Cherubinis etiam aureis, reddebat oracula. Juſti itaque gloriabantur in Deo reddente reſponſa, & populum Iſraël ſuâ ſpeciali præſentiâ præ aliis nationibus honorante, & preces ejus exaudiente. Unde captâ arcâ illa à Philiſthæis anno 40. & ult. Pontificatûs & Principatûs Heli: quartæ ætatis 476. mundi 2929. regni Aſſyr. 1008. ante Chriſtum 1114. uxor Phinees vicina partui, præ dolore incurvavit ſe, & peperit, 1 Reg. 4. 21. *Et vocavit puerum Ichabod, dicens: Tranſlata eſt gloria de Iſrael, quia capta eſt gloria Dei;* quod ſæpiùs eam repetiiſſe ex verſ. 23. conjicitur. Ichabod ſignificat *ubi gloria?* Græcè vertitur, ἄδοξος, *ingloriis.* q. d. Captâ arcâ, quæ eſt gloria noſtra, nihil eſt amplius in quo poſſimus gloriari. Heli auditâ ſtrage totius exercitûs Iſraëlitici, & duorum filiorum ſuorum, nempe Ophni & Phinees, morte, nihil doloris oſtendit. Sed ſtatim atque nuncius dixit arcam Dei eſſe captam, verſ. 18. *Cecidit de ſella retrorſum juxta oſtium* templi, id eſt, tabernaculi, ut cenſet S. Chryſoſt. lib. 3. contra vituperatores vitæ monaſticæ, & Tertull. lib. de jejuniis, cap. 10. vel potiùs, juxta oſtium, ſeu portam urbis Silo. Solebant enim apud Hebræos in portis urbium ſedere judices & judicare. Heli autem erat ſupremus totius populi judex. Adde, quòd avidiſſimè prælii exitum expectaret, *& fractis cervicibus mortuus eſt.*

Moraliter diſce: In uno Deo eſſe gloriandum, 91. In uno Deo eſt gloriandum.
Pſ. 3. 4. *Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea*, id eſt objectum & cauſa gloriæ meæ. Nam gloria eſt clara notitia cum laude, ut ait S. Ambroſius.

Vide S. Thom. 1.2 q. 2. art. 3. & 2.2. q. 103. art. 1. ad 3. & q. 132. art. 1. *Et exaltans caput meum.* Pſ. 39. 13. *Cantet tibi* (ut avis paradiſi, nulli alteri cantans) *gloria mea.* Hoc faciunt Sancti. Chald. ibi vertit: ut laudent honorabiles mundi. Iſaias in te gloriantes Samaritas graviter increpat cap. 28. 1. *Væ coronæ ſuperbiæ,* (id eſt, Samariæ metropoli regni Iſraël, hoc eſt, decem tribuum; erat enim ædificata à rege Amri in monte Somer, quem pulcherrimis ædificiis & muris coronabat) *ebriis Ephraim* (Iſraëlitis) *& flori decidenti, gloriæ exultationis ejus,* &c. Deinde ℣. 5. ad rem noſtram: *In die illa* (everſionis regni Iſraël, capto Oſee anno regni ſui nono per Salmanaſar) *erit Dominus exercituum corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui,* id eſt, regno Juda, in quo jam per ſex annos imperabat Ezechias, qui ſignificat fortitudinem Domini, ſive apprehenſionem Domini. Deum cape pro fulcro tuo & corona, & eris fortis atque glorioſus. Syrus in Pſ. noſtro pro *gloriabuntur in te,* vertit *corroborentur,* ſeu corroborantur *in te.* Et S. Chryſoſt. in eundem verſum dicit, in Deo utraque inſigniter concurrunt, gloria & ſecuritas. Contrà verò de terrenis hominibus ait: *Qui de iis, quæ ad hanc vitam pertinent, gloriatur, ac ſibi placet, is nihil differt* τῶν ἐν ἐνείρῳ τρυφώντων, *ab iis, qui in ſomno voluptate fruuntur,* qui v. g. putant theſaurum repeiiſſe, ad honores evehi, cibis delicatis abundare. Hæc enim brevi momento evaneſcunt, & in fine velut inſomnia fatigationem & mœrorem relinquunt. Seneca id vidit epiſt. 59. *Inter honores, ait, gaudium, id eſt, inter ſollicitudines quæris? Iſta quæ ſic petis datura lætitiam ac voluptatem, cauſæ dolorum ſunt. Omnes, inquam, tendunt ad gaudium; ſed unde ſtabile magnumque conſequantur, ignorant. Ille ex conviviis, & luxuria: ille ex ambitione, & circumfuſa clientum turba: ille ex amica, alius ex ſtudiorum liberalium vana oſtentatione, & nihil ſanantibus literis. Omnes iſtos oblectamenta fallacia & brevia decipiunt: ſicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem inſaniam longi temporis tædio penſat: ſicut plauſus & acclamationis ſecundæ favor, qui magna ſollicitudine & partus eſt & expiandus.* Oſtendit deinde, ſapientem in perpetuo gaudio eſſe, ob virtutes quas habet. *Hoc ergo, ait, cogita, hunc eſſe ſapientiæ effectum, gaudii æqualitatem. Talis eſt ſapientis animus, qualis mundi ſtatus ſuper lunam, ſemper illic ſerenum eſt. Habes ergo quare velis ſapiens eſſe, quia nunquam ſine gaudio eſt. Gaudium hoc non naſcitur, niſi ex virtutum conſcientia. Non poteſt gaudere niſi fortis, niſi juſtus, niſi temperans.* Itaque Palladius in Lauſiaca cap. 52. refert Apollinem Abbatem, cùm quem ex alumnis triſtem videret, ſolitum dicere: Non oportet eſſe triſtes propter ſalutem, cùm futuri ſimus hæredes regni cælorum. Triſtentur mundani, triſtentur Judæi, triſtentur peccatores, qui aliam ſpem non habent: nos verò qui tantâ ſpe cæleſtis gloriæ digni habiti ſumus, πῶς οὐχὶ διηνεκῶς εὐφραινώμεθα, quomodo non perpetuò lætabimur? S. Ber. ſer. 6. de Aſcenſione notat, ex fervore maximè naſci gaudium, ex tepiditate triſtitiam.

Conclude cum Propheta noſtro Pſ. 99. 1. Jubilate *Deo* omnis terra: *Servite Domino* in lætitia. Vide plura ibi.

Verſ. 12. 6. Para. 92. Charitas efficit ut in Deo gloriemur. Quid eſt diligere nomen Dei? Primò. Secundò.

Cauſæ gloriationis in Deo exultantis eſt charitas erga ipſum, verſ. eod. 12. *Et* gloriabuntur in te omnes, *qui diligunt nomen tuum,* id eſt, te: nomen enim Dei ſæpiſſimè pro Deo ipſo ponitur. Secundò, qui diligunt *nomen tuum,* hoc eſt, qui amant te eſſe Dominum ipſorum, qui libenter dominio tuo ſubjiciuntur: priùs enim appellaverat Deum Dominum, & in ſequenti verſu ita vocat. Sic S. Hier. Euſeb. Remig. Bruno, ac Beda, qui ait: *Qui diligunt nomen tuum, non ſuum: ſicut Adam fecit, qui ſibi hoc nomen Deus exoptavit; ſed diligunt nomen tuum, id eſt, volunt ut tu judiceris Dominus eorum, & ipſi ſervi tui ſint. Ille enim diligit nomen Dei, qui ſe non vult ſubſtrahere à ſervitio Domini, & qui mavult pendere à Domino, quàm ex ſe eſſe. Quod quia Adam noluit, damnationem incurrit.* Sed ad illud ſolùm nomen Domini non eſt neceſſe Prophetam reſtringere.

Tertiò itaque: *Qui diligunt nomen tuum:* q. d. qui cupiunt te habere dominum, patrem, paſtorem, amicum, ducem, regem, ſponſum, omnia: illi in te gloriantur & exultant, cùm vocantur ſervi tui, filii, oves, amici, milites, ſubditi, ſponſæ & cætera. Hic ſenſus eſt plenior & ſuavior. Sic Galat. 6. 14. *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini.* S. Agatha, & alii Martyres in nomine Chriſtiani gloriabantur. Tertiò.

Quartò: *Qui diligunt nomen tuum,* etiam in aliis, qui amant Judæos altos quòd ſint populus tuus: & meliùs de Chriſtianis dicetur, qui Chriſti nomen gerunt, & hoc habent ſignaculum non tantùm ſicut Sponſa Cant. 8. 6. ſuper cor, & ſuper brachium; ſed etiam ſuper frontem, ſignari ſigno Thau ſalutari, Ezech. 9. 4. Quartò.

Quintò: *Qui diligunt nomen tuum:* id eſt, famam tuam & gloriam. Et hic ſenſus cum primo maximè placet. Gloriantur enim in Deo, & ipſi omnium ſuarum actionum laudem tribuunt, qui ipſum amant, & ejus gloriam, ejus admirabilia opera, & collata ſibi aliiſque beneficia cum gaudio, jubilatione & exultatione recitant, & cum Moſe dicunt per eum liberati, Exod. 15. 1. *Cantemus Domino,* (non nobis) *glorioſè enim magnificatus eſt.* Et cum rege noſtro agente de eodem exitu ex Ægypto Pſal. 113. 9. *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam:* vide illum locum. Item Pſal. 105. 47. ait: *Salvos nos fac* (Chald. redime nos, q. d. eſto JEſus noſter) *Domine Deus noſter, & congrega nos* (in unam Eccleſiam, ut ſit unum ovile & unus paſtor) *de nationibus.* Hebr. *min hag goim,* id eſt de gentibus, de gentilibus, ubi velut inter Ægyptios, Aſſyrios & Chaldæos idola gentium colebamus, & lutea ac ſervilia opera faciebamus, *ut confiteamur nomini ſancto tuo, & gloriemur in laude tua,* id eſt tui, de te facta, & de mirabili redemptione tua. Pſal. 65. Cujus titulus eſt, canticum Pſalmi reſurrectionis ſtatim incipit: *Jubilate Deo* (Chald. coram Domino: ſed ſignificantiùs eſt: *Deo,* id eſt ejus unius gloriam ſpectantes & amantes) *omnis terra,* (Chald. omnes habitatores terræ) *Pſalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus,* id eſt, ut explicant Euthym. ac Nicephorus, glorioſè ac magnificè laudare. Non tantùm ut redemptor, atque ut ſanctificator in reſurrectione: ſed etiam ut creator, & gubernator, ac tutor laudandus eſt Chriſtus. De tota ſanctiſſima Trinitate ait Paulus Rom. 11. 36. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſecula. Amen.* Hinc ex Apoſtolorum inſtitutione atque uſu, ut docet S. Baſil. lib. de Spiritu ſancto cap. 7. 27. 29. & ex eo Baron. tom. 3. anno Chriſti 325. cœpit à tempore Apoſtolorum hæc doxologia S. Trinitatis: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto:* cui, ut habet Concilium Vaſenſe cap. 5. Concilium Nicænum addidit: *Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula, ſeculorum, Amen.* Idque ut per hoc retunderet Arianos: *Erat quando non erat:* id eſt erat tempus, quando non erat Filius. Gloria ergo Patri, *ex quo omnia: gloria* Filio, per quem omnia: gloria Spiritui ſancto, in quo omnia. Gloria Patri, ex quo paternitas in cælo & in terra: gloria Filio, per quem omnis filiatio: gloria Spiritui ſancto, in quo omnis ſanctitas & ſacrificatio. Gloria Patri, ex quo æternitas: gloria Filio, per quem omnis ſpecies & pulchritudo: gloria Spiritui ſancto, in quo omnis felicitas & fruitio. Gloria Patri, ex quo omnis unitas: gloria Filio, per quem omnis æqualitas: gloria Spiritui ſancto, in quo omnis amor & concordia. Gloria Patri, ex quo omnis potentia: gloria Filio, per quem omnis ſapientia: gloria Spiritui ſancto, in quo omnis bonitas. Gloria Patri, qui me creavit: gloria Filio, per quem redemptus ſum: gloria Spiritui ſancto, in quo juſtificatus ſum. Gloria Patri, qui me prædeſtinavit: Gloria Filio, per cujus Sanguinem ablutus ſum: gloria Spiritui ſancto, in quo glorificabor in æternum. Ita ibi piè Cornelius. Nam licèt tria hæc, ex quo, per quem, & in quo ſint tribus perſonis communia: tamen ex appropriatur Patri, ſicut primo omnium principio, à quo omnia promanant, & à quo omnis poteſtas, actio

& effectio

& effectio profluit. *Per* verò appropriatur Filio *per* ſignificat originem à Patre, & ſapientiam, per quam facta ſunt omnia. *In* denique appropriatur Spiritui ſancto: ei enim attribuitur bonitas, amor, unio & perfectio. Eſt enim Spiritus ſanctus amor notionalis Patris & Filii. Ita S. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 6. & Theologi. Vide S. Baſil. lib. de Spiritu ſancto cap. 5. & 26.

93. Charitas ſolius amici gloriam quærit.

Perfecta charitas efficit, ut ſolius amati gloria quæratur. Cant. 2. 16. ait ſponſa: *Dilectus meus mihi, & ego illi,* (ſupple, ait Theodoretus) *qui paſcitur inter lilia*, hoc eſt, in ſplendore ſanctorum, ut dicit S. Ambr. in Pſ. 118. ſerm. 14. more ſuo id amplificat Chaldæus Paraphraſtes, & ad Judæos transfert in hunc modum. In illo tempore converſi ſunt in pœnitentia. Tunc ſterit Moſes Propheta, & oravit coram Domino, & Joſue Miniſter ejus accinctus eſt, & egreſſus eſt de ſub *alis gloriæ* nubium Domini, & cum eo viri juſti, qui ſimiles ſunt roſæ in operibus ſuis, & inierunt prælium contra Amalec, & confregerunt illum & populum ejus in nomine Domini, qui occidit & contrivit eos in ore gladii. Ita Chald. ſub alis gloriæ Dei latent juſti, & conſervantur, & in ſua conſervatione eam unam gloriam augere ſtudant. S. Bern. eum locum meditans ſerm. in cantica: *Ille mihi*, ait, *quia benignus & miſericors eſt: ego illi, quia, non ſum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia. Ille mea liberationi, ego illius honori.* 1 Cor. 5. 13. *Charitas non eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt*, quomodo quæreret aliena, & Deo uni debitam gloriam, cùm ſciat dictum eſſe ab ipſo Deo Iſaiæ 48. 11. Gloriam meam alteri non dabo, & 1 Paral. 29. 12. *Tuæ ſunt divitiæ, tua eſt gloria.* Apocal. 21. 2. ait S. Joannes: *Vidi civitatem ſanctam Jeruſalem*, Animam cæleſtem, in qua, ut ait S. Bern. ſerm. 27. in Cant. Sol intellectus, Luna fides, aſtra virtutes, *novam deſcendentem de cælo*. Per humilitatem *paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*, id eſt: Primò, à viro ſuo. 2. Cujus ornamentum eſt vir ſuus ei proximus, & corona ſceptroque ac fulgore veſtium & majeſtate oris emicans. 3. Dignè viro ſuo. 4. Ad rem noſtram, *viro ſuo*. q. d. Ad laudem & gloriam viri ſui, ut ejus oculis placeat, & in ipſius moribus & virtutibus ſponſus laudetur. S. Chryſoſt. in Pſal. noſtr. *In Deo*, ait, *gloriar, & in amore* erga ipſum κόσμος ἁπάντων μείζων, *ornatus eſt omnium maximus*, καὶ λαμπρότης ὑπερβαίνουσα μυρία διαδήματα, *& ſplendor qui innumerabilia ſuperat diademata, etiamſi ſit quis in captivitate.* Sic anima ſancta dum radios ſuos ad Sponſi pedes ponit, & ſpretis omnibus eum unum aſpicit, ut Solem ſuum ſolum, ab ipſo aſpicitur, & fulget ut luna radiis ex ejus divino vultu reſilientibus: ſic quo à Sponſi gloria ſe magis ſubtrahit per humilitatem, & videtur ab eo remotior, magis lucet: quia *humilia reſpicit* (Tertull. proſpectat) *in cælo & in terra*, id eſt, in perfectis & imperfectis: in contemplativis & activis. Huic loco aptiſſimè ait S. Joan. Climacus grad. 30. *Fidem* ἀκτῖνα, *ut Solis radium: ſpem* φῶς, *ut lumen: charitatem* κύκλον, *ut plenum Orbem ſeu circulum contemplor.* Et infrà: *Charitas ex natura ſua qualitatis eſt*, ὁμοίωσις θεοῦ, *ſimilitudo Dei, quantum mortales aſſequi poſſunt: ſecundùm efficaciam autem, eſt quædam*, μέθη ψυχῆς, *ebrietas animæ: ſecundùm proprietatem denique eſt* πηγὴ πίστεως, *fons fidei, aqua ac patientis animi profundum*, θάλασσα ταπεινώσεως, *pelagus humilitatis.* Ita Climacus.

94. Charitas eſt cauſa perfecti gaudii.

Charitas perfecta, & Deum unum amans verum, ſolidum, conſtans, perfectumque ac pleniſſimum gaudium in amante parit. Joan. 15. 9. *Manete in dilectione mea*, ut in fornace divina, modum dat id præſtandi: nempe obſervationem mandatorum, ac ſubdit verſ. 11. ſe id dixiſſe, *ut gaudium meum* (eſt infinitum) *in vobis ſit*, (S. Ephrem. & S. Xaverius in anguſtiis humani cordis illud continere non poterant) *& gaudium veſtrum impleatur:* Gaudium creaturarum, eſt aqua danaidum, quæ jacitur in vas pertuſum, ſic nunquam implet pectus: ſed neque ſi omnes fontes, fluvii ac mare deliciarum totius mundi in cor unicum immitterentur: illud cor Dei capax, quicquid Deo minus eſt, non implet. S. Bern. epiſt. 114. ad quandam ſanctimonialem ait: *Revera illud verum & ſolum eſt gaudium, quod non de creatura, ſed de creatore concipitur: & quod cùm poſſideris, nemo tollet à te. Cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror eſt, omnis ſuavitas dolor eſt: omne dulce amarum: omne decorum fœdum: omne poſtremo quodcunque aliud delectare poſſit moleſtum.*

95. Qui Chriſtum amant, proximos etiam amant.

Qui etiam diligunt nomen Chriſti, cum gaudio fratres ſuos Chriſtianos juvant. S Paulus Rom. 12. 8. *Qui miſeretur in hilaritate*, ſupple, id faciat vel faciat: Primò, enim cum animi gaudio. 2. Cum vultus alacritate. 3. Cum verborum affabilitate opera miſericordiæ ſunt exhibenda: Illa hilaritas eſt flos charitatis, eam exornans & ſuavi fragrantia jucundam omnibus efficiens. Hoc fiet, ſi, ut addit Paulus ℣. 9. ſimus *charitate fraternitatis invicem diligentes.* Tertull. legit lib. 5. in Marcion. cap. 14. invicem *affectuoſi.* S. Ambr. S. Hieron. *Benigni.* Græca ſignatius φιλόστοργοι, affectu magno amantes. Nam στέργω apud Iſocratem in Panath. & Plutarchum, ſignificat naturali charitate complector, qualis eſt amor parentum erga liberos, liberorumque viciſſim erga parentes & conſanguineos. Ama itaque tuos inferiores, ut filios: æquales, ut fratres: ſuperiores, ut patres. Inde tibi orietur gaudium. Philip. 4. 1. *Itaque fratres mei chariſſimi* (ἀγαπητοί, amati, ut vertit Vatablus: amabiles, ut Eraſmus. Sed prima verſio eſt melior, & ſuavior, & Paulo dignior) *& deſideratiſſimi* ἐπιπόθητοι, deſiderabiles ut vertit Eraſmus: deſiderati, ut Vatablus & melius. Ex illa charitate oritur lætitia: unde addit, *gaudium meum & corona mea.*

ARTICULUS IV.

Deus benevolentia ſua ſcuto ſervos ſuos tegit, & coronat.

Verſ. 13.

HOſtium ſuorum malitia & ruina, atque amicorum ſuorum lætitia declarata, aperit David cauſam lætitiæ illius eſſe protectionem Dei ſingularem erga ſe ac ſuos, & omnes juſtos, quorum erant figura. Verſ. ult. QUONIAM TU BENEDICES (benefacies: nam dicere Dei eſt efficax) JUSTO. 1. Mihi, 96.
qui nihil iniqui feci contra Saulem. 2. Sociis meis juſtè & piè me ſequentibus. 3. Omnibus juſtis.) DOMINE UT SCUTO BONÆ VOLUNTATIS TUÆ CORONASTI NOS. q. d. Quia tu ſoles juſtis benefacere, & mihi meiſque de facto favere vis, noſque tuis benedictionibus cumulare: ideo tu nos ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronas & circumcingis.

Locus in quo David Pſalmum hunc fecit.

Nota Primò: David hunc Pſalmum compoſuit ac cecinit in deſerto Maon, aut ſaltem ſe poſtea velut ibi conſtitutum collocans. Tunc verò, ut habetur 1 Reg. 23. 26. ibat Saul ad latus montis ex parte una: David autem & viri ejus erant in latere montis ex parte altera: porrò David deſperabat (viribus humanis ſcilicet) ſe poſſe evadere à facie Saül: itaque *Saül & viri ejus in modum coronæ cingebant David* (id eſt cingere ceperant) *& viros ejus, ut caperent eos.* Servatus eſt autem, quia Deus ſeſe interpoſuit, ut ſcutum bonæ voluntatis, inter exercitum Saülis & Davidem atque ejus cohortem, & ita illum texit, ut non caperetur: immiſſis in Judæam Philiſthæis, ad quos reprimendos & repellendos coactus eſt Saül accurrere.

Nota Secundò: Hebraicè eſt *caſſinna raſon*, id eſt, *ut ſcuto bonâ voluntate*, nam צנה *ſinna* eſt in ſtatu abſoluto, non autem in regimine: tunc enim eſſet dicendum *ſinnath*. Itaque Pagn. & Arias vertunt, *ut ſcuto voluntate coronabis eum.* Nam Dei voluntas eſt cauſa rerum, ut docet S. Thomas 1. p. q. 19. art. 4. Hæc autem voluntas Dei nihil extra ſe vult, niſi ratione ſuæ bonitatis, ut habetur. 1. p. q. 59. art. 2. & q. 19. art. 4. ubi ait: *Deus autem ſicut uno actu omnia in eſſentia ſua intelligit, ita uno actu vult*

97. Quænam bona Dei voluntas eſt ſcutum juſtos coronans.

omnia in ſua bonitate. Bonam porrò illam Dei voluntatem, id eſt benevolentiam, benignitatem, favorem, amorem, caritam, quæ ſcutum eſt juſtorum eos coronans, ait S. Thomas in Pſal. noſtr. eſſe prædeſtinationem eorum æternam. Secundò, Caſſiodorus ait, bonam illam voluntatem, eſſe gratiam vocantem non meritos. Tertiò, & meliùs dixeris,

1. 2. 3. Et melius.

eam bonam voluntatem, ſeu ut S. Hier. vertit, *placabilitatem*, ut Felix, *dilectionem:* ut alii, benevolentiam, beneplacitum, favorem, gratiam, propenſum animum, quæ omnia רָצוֹן *raſon*, ſignificat: meliùs, inquam, dixeris, illam bonam voluntatem includere, tum ipſam prædeſtinationem æternam juſtorum, tum eorum primam vocationem ad fidem & ſanctitatem, tum electionem ad juſtificationem, & ordinationem omnium mediorum ad finalem perſeverantiam, & electionem completam ad gloriam per opera obtinendam: quæ omnia in protectione Davidis & ſociorum ab exercitu Saülis ſignificabantur. Paulus totam illam prædeſtinationis & glorificationis concatenationem explicat Rom. 8. 30. *Quos autem prædeſtinavit,* (id eſt ab æterno deſtinavit & decrevit abſolutè ſalvare) *hos & vocavit:* (in tempore: per collationem gratiæ prævenientis) *& quos vocavit, hos & juſtificavit. Quos autem juſtificavit,* (per gratiam ſanctificantem finaliter perdurantem) *hos & glorificavit.* Hæc eſt corona *bonæ voluntatis.* Primò in radice: nempe in æterna prædeſtinatione, quæ eſt præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro. 1. p. q. 23. art. 2. ad 3. & 2. 2. q. 174. art. 1. Voluntas autem Dei eſt cauſa efficiens, & finis prædeſtinationis, ex parte totius effectus ejus. 1. p. q. 23. art. 5. Secundò, vocatio ad fidem & juſtitiam per primam gratiam, id eſt per gratiam prævenientem, eſt effectus bonæ voluntatis Dei erga nos: quia prima gratia non cadit ſub meritum. In vocatione autem illa eſt auxilium Dei moventis interiùs & excitantis mentem ad deſerendum peccatum: ideò non eſt remiſſio peccatorum: nec juſtificatio, ſed cauſa ejus. 1. 2. q. 113. art. 1. ad 3. Tertiò, gratia ſanctificans eſt effectus bonæ voluntatis Dei erga nos: quia non poſſumus illam mereri de condigno: Nam juſtificatio impii eſt motus mentis, quo anima à Deo movetur de ſtatu peccati, ad ſtatum juſtitiæ, 1. 2. q. 113. art. 1. ad 5. & 6. originaliter conſiſtit in infuſione gratiæ: quia per eam, & per liberum arbitrium anima movetur, & culpa remittitur. 1. 2. q. 113. art. 7. Impium juſtificare eſt majus ratione termini, quàm condere cælum & terram. Ibid. art. 3. majus item, ſecundùm quantitatem proportionis, quàm dare gloriam in cælo. Ibid. art. 9. Adde non poſſe ullum mereri perſeverantiam de condigno: itaque tota concatenatio, ordinatio & attemperatio gratiarum ſecundùm varias tentationes, affectiones, loca, tempora & perſonas, eſt effectus bonæ voluntatis, id eſt benevolentiæ & amoris Dei erga nos. Quintò denique, ipſa Sanctorum glorificatio licèt ſit corona juſtitiæ, quia datur meritis condignis: eſt tamen etiam corona miſericordiæ ac bonæ voluntatis, quia poterat Deus non acceptare opera eorum tam exigua ad tantam gloriam: unde ait S. Paulus Rom. 8. 18. *Non ſunt condigna* (S. Aug. *indigna ſunt:* ſi ſcilicet in ſe ſpectentur, & ut ſunt à noſtro libero arbitrio) *paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et Apocal. 21. 6. ait Chriſtus: *Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis.* Datur enim gloria meritis vim ſuam trahentibus à Chriſti paſſione & Dei acceptatione: ſed datur eadem gloria gratuitò, ſi opera reſpiciantur, in ſe & in ſuo valore intrinſeco, ſeclusis Chriſti meritis & Dei promiſſione.

Nota tertiò, תַּעְטְרֶנּוּ *eaterennu*, ſignificare, *coronabis nos*, ut Pagn. & Arias vertunt, item, *coronabis eum*, ut vertit S. Hieron. affixum enim *nu* in verbis Hebræis ſignificat & *nos* & *eum*. Senſus autem eſt idem. Nam vel referri poteſt ad juſtum, cùm priùs ſit dictum, *benedices juſto:* vel intelligi poteſt generatim de Davide & ſociis, & juſtis omnibus; quòd autem illud futurum vertatur à noſtro interprete per præteritum, id frequens eſt apud Hebræos, qui ſæpiſſimè utuntus hac enallage temporum, præſertim præteriti pro futuro & viciſſim.

Nota Quartò, duo hic divinæ protectionis & bonæ voluntatis effectus denotantur. Primò quidem, quòd ſit ſcutum in pugna. Secundò, quòd ſit corona in triumpho. *Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronâſti nos.*

98. Scutum Dei juſtos coronans ob quinque eſt magnifaciendum. Primò, eſt gratuitum.

Ac Primò, Scutum illud quinque habet, propter quæ à nobis plurimi fieri debet. Eſt enim: 1. Gratuitum. 2. Utile. 3. Neceſſarium. 4. Delectabile. 5. Honeſtum ſeu reſplendens.

Primò quidem, eſt gratuitum: id eſt non debitum, ſed nobis gratis datum. Eſt enim Dei *bona voluntas*, id eſt τῆς εὐμενείας, ut vertit Petavius, hoc eſt, *mens benevola:* εὐδοκίας, hoc eſt, *benevolentia gratuita*, affectus benevolus, beneplacitum, ut reddunt Septuaginta.

99. Secundò, eſt utile.

Secundò, Scutum illud divinæ benevolentiæ ac bonæ voluntatis eſt utile, ut ab hoſte non lædamur undique nos impetente. Syr. vertit: *Domine, ut ſcutum opportunum cinges me.* Et Flaminius: *Domine, tanquam ſcuto bona voluntate tua circumdabis eum*, juſtum ſcilicet, cui Deus benedicit. Vox Latina *coronâſti*, & Græca ἐστεφάνωσας, ſignificat etiam circumdari & circumcingi, apud Philonem, Plutarchum, Homerum & Heſiodum. Nota, τὸ צִנָּה *ſinna*, ſcutum, ſeu clypeum majorem ſignificat, qui totum ferè hominem tegat, ut Mercerus docet. *Scutum* quoque majus erat clypeo, licèt Servius contrarium doceat. Nam Polybius ſcribit, ſcutum Romanorum fuiſſe latum pedes duos & ſemis. Itaque pede integro fuit latius quàm ipſe miles, cùm hominis unius latitudo ferè ſit pedis unius & ſemis, aut non multò ſecus. Longitudo autem ordinaria ſcuti fuit pedum quatuor: aut ad ſummum, pedum quatuor, & quatuor digitorum. Itaque totum ferè hominem tegebat, cùm vix homo major ſit quinque pedibus: quare ſcuto tecti milites minima corporis inclinatione tela hoſtium vitare poterant. Hinc Livius lib. 34. ait: miſſilibus Macedones pugnabant, à quibus ſe magnitudine ſcuti, perfacilè Romanus tuebatur miles. Et lib. 9. comparans Macedones & Romanos milites, dicit: *Arma, clypeus & ſariſſa illis: Romano ſcutum, majus corpori tegumentum*, ſaltem quoad latitudinem, ut dixi: ex verbis autem Livii colligitur ſcutum fuiſſe majus clypeo. Ovali aut quadrata figura inſtar portæ erat ſcutum, unde à Græcis θυρεὸς vocabatur. Nam θυρεὸς ſignificat etiam januam, & apud Homerum, ſaxum claudens ſpeluncæ ingreſſum. Sed quantumcunque ſcutum fuerit latum & longum; tamen: 1. Tantùm anteriorem hominis partem tegebat. 2. Penetrari telis poterat. 3. Poterat eripi. 4. Grave erat onus & impedimentum ad curſum, ſaltum, irruptionem in hoſtes. At Deus nec onerat, nec impedit, ſed juvat, nec penetrari aut eripi poteſt, & ex omni parte coronat, Pſal. 90. 5. *Scuto circumdabit te* (S. Hier. ſcutum & protectio) *veritas ejus*, id eſt veracitas ipſius: ſeu Deus ipſe verax. q. d. circumdabit te, quia id promiſit & verax eſt. Abſtractum ponitur pro concreto more Hebraico. Arabs vertit: *Circumdabit te juſtitia ejus armis.* Eſt enim juſtum, ut ſubditos ſuos rex tueatur, & pater filios. Ex illa tutela oritur ſecuritas: unde additur: *Non timebit à timore nocturno*, id eſt, à tentationibus dæmonis. Chald. reddit, à timore dæmonum, qui ambulant in nocte, *à ſagitta volante in die.* Chald. à ſagitta Angeli mortis, quam emittit interdiu: id eſt palam & apertè. Vide ibi dicta. S. Auguſt. bonam Dei voluntatem nos coronantem, vocat *invictiſſimum ſcutum, quo repellitur inimicus*, quod Caſſiodorus dilatans, ait: Munimen eſt, quod nullus ictus irrumpat. Arma, per quæ nullum intret exitium: per quæ mors victa ſuccubuit, & Salus hominis deſperata ſurrexit.

100. Tertiò, eſt neceſſarium.

Tertiò, Scutum illud bonæ voluntatis Dei non tantùm eſt utile, ſed etiam prorſus neceſſarium. Nam ſine gratia Dei non poſſumus repellere tentationes, graves præſertim. Petavius omnem prorſus aditum hoſti à Deo claudendum eſſe declarat, cùm vertit:

Sicut

Digitized by Google

Sicut inſtar mentem benevolam, ἀμφὶ περὶ προβάλῃς ἡμῶν δηίων ἀλκαρήν, *circumundique prætendas nobis, contra hoſtes munimentum.* Gratiæ neceſſitatem ex illo verſu etiam deducunt S. Aug. Caſſiodor. Haymo, & alii. Non enim debetur illud auxilium & protectio, ſed gratis datur, ut pulchrè ait Propheta noſter Pſal. 102. *Qui redimit de interitu* (Pſalt. verus, S. Hier. S. Aug. S. Proſper, *de corruptione*: peccati ſcilicet. Chald. *de gehenna*, ad quam ducit peccatum. Hebr. *de fovea*, id eſt, malo habitu, & permanſione in peccato, ex qua propriis viribus non poſſumus exire) *vitam tuam. Qui coronat te in* (cum; id enim Beth ſæpè ſignificat) *miſericordia & miſerationibus.* Pſal. 58. 11. *Deus meus miſericordia ejus* (id eſt Dei mei miſericordia. Chald. vertit, bona voluntas) *præveniet me.* Et S. Aug. in Pſal. noſtrum ait: *Bona voluntas Dei præcedit bonam voluntatem noſtram, ut peccatores vocet ad pœnitentiam. Et ipſa ſunt arma, quibus expugnatur inimicus.* S. Bernardus ſermone quinto in Pſalmum nonageſimum: *Quia*, inquit, *undique ſic circundatus es tentationibus, ſcuto circundabit te veritas ejus: ut quemadmodum undique bella, ita undique ſint & præſidia.*

101. Quartò, eſt delectabile. Quartò, Scutum bonæ voluntatis Dei erga nos eſt delectabile. Arabs vertit: *Velut armis lætitia coronâſti nos.* Quis enim non exultet, videns Deum ſibi proximum, & ex omni parte circumfuſum iſtar muri, & clypei igniti in circuitu, cùm Eliſæus, & ipſe priùs trepidans Giezi exultaverit à Syris obſeſſus in Dothan, ubi vidit Angelos in monte unius partis civitatis? Ideò Moſes lætabundus, & gloriabundus dicebat Deut. 33. 29. *Beatus es tu Iſrael: Quis ſimilis tui popule? Qui ſalvaris in Domino*, (per Dominum, ope Domini, intra Dominum poſitus ut intra arcem fortiſſimam) *ſcutum auxilii tui* (id eſt tibi auxilians: ſupple eſt) *& gladius gloriæ tuæ*, id eſt tibi glorioſus, per quem tuam gloriam extendis. Non tantùm te obumbrat in hoſtes irruentes, ſed etiam roborat, ut eas appetas, & penetres ac demetas. Id autem facit ex bona voluntate, & amore tenerrimo, ſuaviſſimo, & paterno. Felix vertit: *Sicut ſcuto, dilectione coronabit eum.* Quis intra amorem poſitus, & undique amore cinctus, & coronatus, non amet, & gaudeat? Monet Paulus Rom. 13. 14. *Induimini Dominum JEſum Chriſtum*; in pace, virtutibus ejus fulgendo, & in bello ejus armis, & protectione vincendo. Hinc vera, ſecura, ſolida, conſtans, & perpetua oritur lætitia. Iſaiæ 61. 10. *Gaudens gaudebo in Domino*, (per Dominum, & intra Dominum) *& exultabit anima mea in Deo meo* (ut Anna Mater Samuelis. 1 Reg. 2. 1. & Deipara Luc. 1. 47.) *quia induit me veſtimentis ſalutis*, (id eſt ſalvantibus, & ab hoſte tegentibus: nempe auxilio ſuo, & gratia actuali) *& indumento juſtitiæ* (habitu gratiæ ſanctificantis) *circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Et hoc eſt ſcutum bonæ voluntatis ſuave, & glorioſum.

Quintò, eſt glorioſum. Quintò enim, glorioſum eſt illud divinæ voluntatis ſcutum, circundans juſtos, ut infra fuſiùs dicetur. Sufficiat nunc S. Chryſoſt. Quod eſt, inquit, ſcutum bonæ voluntatis? Scutum optimum, ſcutum ſecundùm Dei voluntatem, ὅπλον κάλλιστον, ſcutum pulcherrimum. Quid enim fortius, quid rurſum formoſius eo viro, qui à ſuperna dextera munitur? Non eſt tantùm inter Argyraſpides, id eſt clypeis argenteis munitos, Alexandri Magni reponendus: ſed etiam inter Chryſoſpides Salomonis, id eſt Chriſti. 3 Reg. 10. 16. *Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo.* Lib. 2. Paral. 9. 15. dicitur, *fecit ducentas haſtas aureas.* Sed per haſtas ibi intelligit ſcuta acuminatos umbones habentia, quibus ut haſtis poſſent hoſtem avertere. Hebr. צנה *ſinna*, & ſcutum, & haſtam, & loricam, & contum ſignificat: à radice צנן *ſanan*, acuere, acutum ſeu acuminatum eſſe, licèt eam ſignificationem Mercerus non admittat verbi *ſanan.* Scuta autem illa aurea, ſeu clypei majores, magis erant ad ornatum, & magnificentiam, quàm ad pugnam: additur enim: *Sexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti unius*, id eſt 25. libras. Nam ſiclus eſt ſemuncia, ſexcenti ergo ſicli ſunt ſexcentæ ſemunciæ, quæ 25. libras efficiunt: *Et trecentas peltas* (ſcuta exigua lunæ ſemiplenæ imaginem referentia: unde Maro agens de Amazonibus Æneid. 1. dat eis lunatas peltas) *ex auro probato: trecentæ minæ* (id eſt ſicli, non libræ) *auri, unam peltam veſtiebant*: trecenti porrò ſicli efficiunt 12. libras cum dimidia. Dei ſcutum, & ad ornatum ac magnificentiam eſt, & ad bellum ac victoriam, nec patitur ſe commutari ſcutis æreis, ſed totum ſemper eſt aureum ex perfecto amore amicitiæ.

Victus Roboam ſcuta aurea perdidit. Vide tu ne ſinas te vinci à rege Ægypti, ne perdas ſcuta aurea, ſicut fecit Roboam, qui antea fuerat cauſa diviſionis regni Juda à regno Iſraël. In ſchiſmate, charitas cum ſuo virtutum comitatu facilè amittitur. 3 Reg. 14. 25. *In quinto anno regni Roboam, aſcendit Seſac* (Diod. lib. 1. vocat Seſooſim. Herod. apud Joſephum, Seſoſtrim) *rex Ægypti in Jeruſalem* (cum ſexaginta millibus equitum, & innumerabili peditatu) *& tulit theſauros domus Domini, & theſauros regios, & univerſa diripuit.* Seſac ſignificat: 1. Lætitiæ oſculum. 2. Lætitiæ poculum. 3. Lætitiæ femur. Lætitia ob libidinem, ebrietatem, & aſſentationem ac vanum mundi applauſum mentis theſaurum diripit, ac præcipuè charitatem; unde additur: *Scuta quoque aurea*, (diripuit) *quæ fecerat Salomon*, id eſt pacificus. Habe cum omnibus pacem, & auro divini amoris abundabis. *Pro quibus fecit rex Roboam ſcuta ærea.* Roboam ſignificat, dilatans populum: Ambitioſus, charitatis auro caret, aut citò illi eripitur.

Nota. Charitas regina virtutum eſt, ad bellum ſola non procedit, ſed virtutes omnes ducit, ſcutis cœleſtibus ornatas & munitas. 102. Charitas ſecum ad bellum omnes virtutes ducit.

Primò, Fides in prima acie emicat, Epheſ. 6. 16. *In omnibus* (in omni tentatione) *ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi* (diaboli) *ignea* (ignis inſtar penetrantia & inflammantia) *extinguere.* 1 Joan. 5. 4. *Hæc eſt victoria* (id eſt cauſa victoriæ) *quæ vincit mundum, fides noſtra*: hoc eſt, fides eſt victrix mundi. Sic Hebr. 11. 33. dicitur; *Sancti per fidem vicerunt regna* (Chananæorum, Ammonitarum, & aliorum) *operati ſunt juſtitiam*, id eſt juſta & ſancta opera. Sed fides requiritur, quæ per charitatem operatur. Galat. 5. 6. Itaque habet ſcutum aureum. 1. Fidem.

Secundum agmen ducit Spes, & clypeum aureum gerit, divini Solis radiis in eum cadentibus, radiantem. Prov. 30. 5. *Omnis ſermo Dei ignitus* (Hebr. צרופה *ſerupha*, id eſt conflatus, conflando excoctus, purgatus, defæcatus, purus: ſupple autem eſt:) *Clypeus eſt ſperantibus in ſe*, nempe Deus. Sic ipſe ait Abrahamo Gen. 15. 1. *Noli timere Abram*, (ſignificat patrem excelſum: qui elevatur à terra, non timet) *Ego protector tuus* (Hebr. מגנך *maginnu*, id eſt, ſcutum tuum) *& merces tua magna nimis*: ſi tui & tuorum operum in ſe ſpectatorum, & infinitæ meæ majeſtatis ratio habeatur, illa merces eſt nimia. Vim porrò & lucem cœleſtis clypei à ſpe in aciem deportati ſic explicat Salonius in Proverbia: *Omnis*, inquit, *ſermo divinæ authoritatis idcircò igneus clypeus dicitur, quia corda electorum, qui ſpem ſuam in Deo ponunt, igne charitatis accendit, & ſcientia veritatis illuminat, & ſordes vitiorum, quas in eis reperit, conſumit & purgat, atque ab inſidiis hoſtium cunctiſque defendit adverſitatibus.* De ſcuto ſecundæ claſſis vide Livium lib. 1. 2. Spem.

Tertium agmen ducit Patientia, quæ crucem Chriſti pro clypeo præfert, & cordi ſuo ſignaculum apprimit. *Scutum bonæ voluntatis*, crucem eſſe dicunt Euthymius & Dydimus. De illo ait Jeremias Threo. 3. 65. *Dabis eis ſcutum cordis* (Sept. ὑπερασπισμὸν καρδίας, id eſt protectionem cordis. Hebr. מגנת *meginna*, ſcutum deducitur à גנן *ganan*, texit, protexit, circumcluſit, circummunivit, circumcinxit) *laborem tuum.* Id eſt paſſionem tuam & crucem, quem qui cordi ſuo circumponit, cum S. Elzeario nomine Ariani, omnia etiam acerbiſſima lætus & ſine ullo iræ, impatientiæ aut triſtitiæ vulnere tolerat, ſic armatum cor nulla tela pervadunt. Hinc S. Petrus ait, 1 epiſt. 4. 1. *Chriſto igitur paſſo in carne* 3. Patientiam.

Digitized by Google

(cùm eſſet in hac carne mortali) *& vos eadem cogitatione armamini.* Græcè, τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὁπλίσασθε, id eſt, *eandem cogitationem armamini*, id eſt, pro armis & munimento ac ſcuto cordis aſſumite: hanc enim habentes nullas afflictiones & dolores fugietis, omnibus impenetrabiles eritis.

4. Fortitudinem. Quartum agmen ducit fortitudo, clypeum gerens, flammas vomentem, & viam ſibi quaquaverſus aperientem, Nahum 2. 3. *Clypeus fortium* (Tigurina, heroum: Syr. & Arabs, gigantum) *ejus ignitus*, (Hebr. *meoddam*, id eſt rubefactus, ut Arias reddit: rubeos, ut Chald.) *viri exercitus in coccineis.* Id eſt, induti veſtibus vermiculatis, ut vertit Pagn. hoc eſt purpureis, quæ veſtes ſunt nobilium. q. d. In eorum exercitu erunt multi reges, principes & nobiles. Tigurina vertit, militares viri purpurati ſunt. Nota, agit de Chaldæis & Medis Ninivem ſceleratam evertentibus: ideò typus ſunt Apoſtolorum & ſanctorum evertentium mundum, ſed vitioſum: mundus ſic vocatus eſt ob ornatum; Ninive autem ſignificat pulchram, ſpecioſam, pulchrum & ſpecioſum habitaculum. Sancti porrò ſunt fortes, gigantes, heroes: ardent igne charitatis, atque ejus purpura effulgent.

5. Perſeverantiam. Quintum agmen ducit Perſeverantia, quæ clypeum ita brachio ſuo illigat, ut eripi ſibi numquam patiatur, ſed cum eo & per eum obvios hoſtes dejiciat & victoriam reportet. Hic eſt clypeus Joſue, id eſt JEſu Salvatoris, de quo Joſue 8. 18. *Dixit Dominus ad Joſue: Leva clypeum*, (ſuper haſtam, ut ab omnibus conſpici poſſit) *qui in manu tua eſt, quoniam tibi tradam eum.* Perſeverantiam ejus in erectione clypei, & extenſione manus habes verſ. 26. *Joſue non contraxit manum*, (per puſillanimitatem) *quam in ſublime porrexerat*, (cæleſtia animo verſans) *tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai.* Clypeus in haſta, eſt JEſus in cruce: qui eſt clypeus, quia tegit: haſta, quia hoſtes ſternit. Cùm ſemel hunc clypeum apprehenderis, ei in cruce confixus, ne illum deſeras contrahens manus, id eſt te à cruce retrahens. Illum imitare, qui deſcendere de cruce hortantibus, & converſionem ſuam pollicentibus, non annuit. Datur corona perſeveranti, quæ pugnanti promittitur. Scutum in pugna amittere præcipuum Germanis flagitium fuit, ſacris & concilio excidebant ea clade affecti. Multi tali ignominiæ ſuperſtites vitam laqueo finierunt, ut ait Boëmus Aubanus lib. 3. de mor. Gent.

103. Bona voluntas Dei eſt corona juſtorum. Secundum ex propoſitis de ſcuto bonæ voluntatis Dei, erat, quod eſſet corona in triumpho. Cùm itaque primum viderimus, nempe quòd illa bona voluntas ſeu benevolentia Dei, ſit nobis ſcutum in pugna, de hoc ſecundo breviter agamus, cùm Propheta noſter dicat: Scuto bonæ voluntatis tuæ *coronáſti nos.* Hebr. עטר *atar*, propriè ſignificat cingere diademate ſeu corona: unde Cant. 3. 11. *Atara*, diadema ſeu corona, appellatur corona Salomonis. Hinc vernaculè *atour*, eſt ornatus, præſertim capitis.

Primò, per gratiam & virtutes in hac vita. 1. In hac vita coronat Deus gratiis ſuis & virtutibus. Prov. 4. 9. *Dabit capiti tuo augmenta gratiarum.* Chald. pulchritudinem gratiæ. Hebr. copulam gratiæ. Syr. pulchritudinem charitatis. Vatablus, ſertum elegans. Sept. *Coronam gratiarum*, una enim non ſufficit, ſed una uni addenda eſt, ut tota vita coronetur & omnes ejus actiones: *Et corona inclyta proteget te.* Hebr. & Chald. corona decoris. Sept. corona deliciarum. Symmachus, *corona gloriæ*: Juſtitia enim ſeu gratia ſanctificans, cum ſibi adjunctis virtutibus, eſt corona gloriæ omnem mundi gloriam ſuperans, & nihil in anima non glorioſum & coronatum relinquens, cui deinde corona gloriæ æterna in cælo tanquam cumulus & ultimus ſplendor ſit addenda. Datur juſto corona lucis, ut Doctori à Deo illuminato. Eccli. 25. 8. *Corona ſenum multa* (Tigurina, multiplex) *peritia*: πολυπειρία, id eſt, multarum rerum experientia: *Et gloria* (Græcè καύχημα, gloriatio, ut Tigurina habet) *illorum timor Dei.* De illa corona jam dixerat cap. 1. 22. *Corona ſapientiæ, timor Domini, replens pacem*, (id eſt plenam pacem afferens, Græcè, ἀναθάλλων, id eſt, germinans pacem) *& ſalutis fructum.* Secundò, coronat Deus juſtum, ut amicum & convivam corona florea lætitiæ. Eccli. 1. ℣. 11. *Timor Domini gloria & gloriatio, & lætitia & corona exultationis.* Syr. corona gloriæ, q. d. ne putes timorem Dei afferre trepidationem, anxietatem, dolorem, frigus & coarctationem cordis ac palpitationem, & linguæ titubationem & impedimentum; dat enim gloriam, gloriationem & totius corporis exultationem. Hæc eſt corona legis, de qua agit R. Simeon, cùm ait tres eſſe coronas. 1. Legis. 2. Sacerdotii. 3. Imperii. S. Chryſoſt. ait: *Nihil æquale Deum timenti.* Hâc coronâ Dei timoris & legis ornatus eſt Mardochæus, ſed aurea ob charitatem erga Deum, legem ac populum. Eſth. 8. 15. *Mardochæus autem, de palatio, & de conſpectu regis* (Aſſueri) *egrediens, fulgebat veſtibus regiis, hyacinthinis videlicet & æreis coronam auream portans in capite, & amictus ſerico pallio atque purpureo. Omniſque civitas exultavit*, (corona exultationis ſanctorum dat lætitiæ radios omnibus eum aſpicientibus) *atque lætata eſt. Judæis autem* (id eſt laudantibus Deum) *nova lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium.* Tertiò, juſtum coronat Deus, ut ſponſam. Iſaiæ 61. 10. Quartò, ut ſacerdotem, Eccl. 45. 14. *Corona aurea ſuper mitram ejus expreſſa ſigno ſanctitatis*, id eſt his verbis inſcriptis, *kodes ladonai*, id eſt ſanctitas Domino, q. d. Pontifex veſtibus ſanctis indutus eſt ſanctus & conſecratus ad Dei cultum. Corona porrò aurea erat lamina aurea cingens frontem illius & affixa mitræ ſeu cidari. De Sanctis dicitur 1 Petr. 2. 9. quòd ſint, *regale ſacerdotium, gens ſancta.* Quintò, coronat Deus juſtum, ut regem coronâ gemmeâ, qualem geſſit David Pſal. 20. 4. *Prævenisti eum* (per gratiam prævenientem) *in benedictionibus dulcedinis*, id eſt dulciſſimis, à bona Dei voluntate ut bonitatis & ſuavitatis omnis fonte manantibus. S. Hier. vertit *bonitatis*, Chald. *bonis. Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo.*

Sextò tamen præcipuè hic agitur de corona victoris & triumphatoris, cùm ſcuti fiat mentio, atque in eo cum Arab. qui vertit *arma*, poſſis per ſynecdochen armaturam reliquam intelligere. Armis omnibus coronat Deus Eccli. 45. 9. *Coronavit eum in vaſis virtutis.* Hebr. חיל *hail*, id eſt, roboris, poteſtatis, majeſtatis, authoritatis, fortitudinis, opulentiæ. Græcè ἐν σκεύεσι ἰσχύος, id eſt in vaſis roboris, aut fortitudinis. Syr. in veſtibus roboris. Agit enim de veſtibus Aaronis. Vaſa autem apud Hebræos pro inſtrumentis quibuslibet apparatu, & ornamentis ſæpe ponuntur, ac pro veſtibus, ut patet Deut. 22. 5. *Non induetur mulier veſte virili.* Hebr. *Chelim*, Græcè σκεύη ἀνδρὸς, id eſt *vaſis viri*: hoc eſt veſtibus. Et Aaronis veſtes erant vaſa virtutis, ſeu fortitudinis: baltheus ejus, & Ephod quod non erat abſimile loricæ, ac tiara quæ galeæ loco erat, bello ſpirituali deſtinatum & jam accinctum & conſecratum figurant.

Cruce ſuâ ſervos ſuos Chriſtus coronat. Dydimus in Pſal. noſtr. *Scutum & corona crux eſt; ſcutum ob pugnantes: corona ob vincentes. Scutum ob milites compatientes: corona ob victores conregnantes.* Hanc ſibi coronam imponebat, & in ea triumphabat Paulus, cùm dicebat Gal. 6. 16. *Mihi autem* (alii quærant, quæ voluerint) *abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri JEſu Chriſti.* S. Aug. ſerm. 20. de verbis Apoſtoli ait: Poterat Apoſtolus gloriari in ſapientia Chriſti, & verum diceret: poterat in majeſtate, poterat in poteſtate, & verum diceret: ſed dixit, in cruce. Unde mundi Philoſophus erubuit, ibi Apoſtolus theſaurum reperit: ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Quo Domino? Chriſto crucifixo: Ubi humilitas, ibi majeſtas: ubi infirmitas, ibi poteſtas: ubi mors, ibi vita: ſi vis ad illam venire, noli iſta contemnere, noli erubeſcere: Ideò in fronte, tanquam in ſede pudoris ſignum crucis accepiſti. Sic Aug. Chriſtus crucifixus debet eſſe corona Chriſtiani, longè magis quàm Mithras, id eſt Sol, Perſarum, à quibus ut Deus colebatur. Rem notabilem, & ad rem noſtram, accipe à Tertull.

lib.

lib. de corona militis cap. 15. *Mithra miles*, inquit, *cum initiatur in ſpelæo, in caſtris verè tenebrarum, coronam interpoſito gladio ſibi oblatam, quaſi mimum ageret martyrii, de hinc capiti ſuo accommodatam, monetur obvia manu capite depellere, & in humerum ſi fortè transferre, dicens: Mithram eſſe coronam ſuam. Atque exinde nunquam coronatur: id quod in ſignum habet probationem ſui, ſicubi tentatus fuerit de ſacramento: ſtatimque creditur Mithræ miles, ſi dejecerit coronam, ſi eam in Deo ſuo eſſe dixerit. Agnoſcamus ingenia diaboli, idcirco quædam de divinis affectantis, ut nos de ſuorum fide confundat & judicet.*

104. Secundò, per gloriam in cælo.

2. In cælo præſertim Deus ornat corona incorruptionis & gloriæ. 1 Petr. 5. 4. *Cum advenerit princeps paſtorum* (Chriſtus) *percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam.* Græcè ἀμαράντινον, id eſt quæ non μαραίνεται, marcet, flacceſcit, marcida ſeu flaccida efficitur, tabeſcit, elangueſcit, ſicut alii flores, qui citiſſimè marceſcunt. Plin. lib. 16. 25. flores vocat *gaudium arborum:* ſed illud gaudium eſt breve, citò enim flores illis defluunt: alios etiam *flores odoreſque in diem natura gignit: magna admonitione hominum, quæ ſpectatiſſimè floreant, celerrimè marceſcere.* Ut ait idem lib. 21. cap. 1. De flore autem Amaranto dicit lib. 21. cap. 8. Provenit Auguſto menſe, durat in Autumnum. *Mirumque poſtquam defecère cuncti flores, madefactus aqua reviviſcit: & hybernas coronas facit.* Sed piè & ſapienter Clemens Alexandr. monet lib. 2. Pædagogi cap. 8. in terris perfectum Amarantum non reperiri, ſed in cælis. *Pulchra*, inquit, *Amaranti corona illi repoſita eſt, qui rectè ſe geſſerit: hunc florem terra ferre non poteſt, cælum tantummodo eum ferre poteſt.* Coronam myrtheam ferebant Romani in ovatione, id eſt in minori triumpho, ut ait Plin. lib. 15. cap. 29. Lauream in triumpho majore, cap. 30. lib. 15. cui poſtea addita eſt corona aurea, ut ait Feſtus Pompeius lib. 18. quæ à ſervo ſuſtinebatur in curru triumphali, teſte Plin. lib. 33. cap. 1. Gemmeis etiam coronis uſus eſt Conſtantinus Imp. teſte Baronio tom. 3. Annal. Eccleſ. anno 337. num. 28. ſed hæ omnes corrumpuntur: cœleſtis verò ſemper odorem ſuum, decus & fulgorem ſervat. 1 Cor. 9. 25. *Omnis autem qui in agone contendit* (in certaminibus Olympicis, Iſthmicis, Nemæis, & Pythiis) *ab omnibus ſe abſtinet*, πάντα ἐγκρατεύεται, id eſt, per omnia temperans eſt: atque ſicut S. Cypr. legit, continens, *& illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant:* (in certamine Olympico Jovi ſacro, præmium erat corona ex oleaſtro: In Pythio, quod fiebat in Apollinis honorem, dabatur laurea corona: in Nemæo in memoriam Archemori Lycurgi filii, dabatur corona ex apio: in Iſthmio, in honorem Palæmonis, quem Portunum vocant latini, dabatur corona ex pino.) *Nos autem incorruptam.*

De corona illa cæleſti Pſalmum noſtrum intelligendum cenſet S. Greg. lib. 33. Mor. c. 24. cùm ait: *Scuto nos Dominus coronare perhibetur: quia quos protegens adjuvat, remunerans coronat.* S. Thom. *Hic*, inquit, *Deus eſt ut ſcutum protegens: in patria, ut ſcutum coronans*, ait inde apud Romanos aliquando in uſu fuiſſe rotunda ſcuta, quibus milites in triumpho coronarentur. Unde Sanctos putat pingi cum ſcuto rotundo in capite, quia de hoſtibus ſuis triumphum ſunt adepti. Hoc ſubindicare videtur Caſſiodorus: *Clypeus*, ait, *capiti impoſitus, corona eſt: aptatus cordi, defenſio.* Poſteà verò, militibus in triumpho variæ dabantur coronæ. Obſidionalis quidem, quam liberati ab obſidione dabant ei qui ipſos liberaverat, fiebat ex 105. *Variæ coronæ militarum.*
gramine decerpto in eodem loco, ubi obſeſſos ſervaverat. Civica, quam civis civi, à quo ſervatus fuerat, ex quercu erat, quod ante inventas fruges, arboris ejus glandibus homines victitârint. Muralis erat, qua donabatur ab imperatore, qui primus murum aſcendiſſet, & in oppidum hoſtium veniſſet: erat aurea. Navalis quoque aurea, quibusdam quaſi roſtris navium inſignita, qua donari conſueverat qui primus maritimo prælio in navem hoſtium vi tranſiliiſſet. *1. Obſidion. 2. Civica. 3. Muralis. 4. Navalis.*

In cælo præter communem auream, id eſt coronam gloriæ eſſentialis, erunt etiam aureolæ: Primò, Martyrum, repræſentatæ per coronam auream altaris aurei ſeu incenſi aut thymiamatis in ſancto, id eſt in prima parte tabernaculi. Exod. 30. 3. Secundò, aureolæ Virginum figuratæ in corona aurea Arcæ, quæ erat in ſancto ſanctorum. Exod. 25. 11. Tertiò, aureolæ Doctorum, expreſſæ in corona aureola menſæ panum propoſitionis, quæ erat in ſancto. Exod. 25. ℣. 25. Alia corona eſt civica, ob cives ſervatos: alia obſidionalis, ob ſolutam tentationem & fugatam: alia muralis, ob ſuperatas difficultates & fidem amplificatam: alia navalis, ob felicem conflictum cum afflictionibus & calamitatibus. *In cælo tres ſunt aureolæ. 1. Martyrum. 2. Virginum. 3. Doctorum.*

Hæc corona gloriæ, qualiſcunque ſit, eſt etiam corona miſericordiæ. Pſal. 102. 4. *Qui coronat te miſericordia & miſerationibus.* Vide ibi dicta de S. Thoma Aquinate, S. Varo Martyre, S. Fructuoſo, S. Opportuna Abbatiſſa, aliiſque Sanctis, qui fulgentes coronis apparuerunt. C. Caligula Imp. *Comites & participes victoriæ, novo genere ac nomine coronarum donavit, quas diſtinctas Solis ac Lunæ, ſiderumque ſpecie, exploratorias appellavit.* Ut tradit Suetonius.

Clypeo miſericordiæ Deus Sanctos elevat per gratiam, ut faciat reges in gloria. Olim electi reges & Imperatores in clypeis imponebantur, & in iis collocati erigebantur & circumferebantur per exercitum, ut ab omnibus adorarentur. Hoc de regibus noſtris priſcis omnes Annales clamant: Id quoque inter Caninefates nationem Hollandicam & apud pleraſque nationes ſervabatur. De Græcis Imperatoribus idem aſſerit Pachymerius in fragm. lib. 2. hiſt. *Imperatorio*, ait, *clypeo inſidet is qui imperio deſtinatur: ac pedibus primum Imperatoriis inſignibus ornatus, & manibus hinc Pontificum, inde procerum elatus, Imperatoriis hymnis & plauſibus ab omnibus celebratur.* Et Niceph. Gregoras lib. 3. hiſt. cap. 1. Theodorus, ait, Laſcaris totius populi ſuffragiis creatus eſt imperator, in clypeo ſedens, κατὰ τὸ ἐν ἔθεσι ἐπικρατοῦν ἔθος, juxta morem conſtanter obſervatum, & à majoribus acceptum. Elevantur ſancti in cælum divinæ miſericordiæ clypeo tecti & ſecuri, ibique reges fiunt. Apocal. 4. ℣. 4. *Et in capitibus eorum coronæ aureæ.* S. Wilhelmus Abbas Roſchildenſis in Dania, viſus eſt in ſtola candida cælum ſcandere: cumque is qui videbat, Nicolaus nomine, ejus religioſus, miraretur vir adfuit ignotus, qui diceret: *Hic homo quem vidiſti in cælum recipi, Abbas tuus eſt, qui multa patientia vicit ſeculi perſecutiones: nunc autem coronatur, quia fideliter permanſit in mandatis Domini ſui:* ut ait Surius ſexto Aprilis. Nos itaque in mediis mundi, carnis, & diaboli bellis, ſurſum caput oculoſque attollamus, & generoſo certamine coronam acquiri cogitemus, neque terrificos licèt hoſtes timeamus: offert ſe Deus, qui ſcuto bonæ voluntatis ſuæ nos coronet. 106. *Olim reges in clypeo elevati.*

PSALMUS SEXTUS.

1. *In finem, in carminibus, Pſalmus David pro octava.*

2. DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.
3. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.
4. Et anima mea turbata eſt valdè: ſed tu Domine uſquequò?
5. Convertere Domine, & eripe animam meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.
6. Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: In inferno autem quis confitebitur tibi?
7. Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrimis meis ſtratum meum rigabo.
8. Turbatus eſt à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.
9. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.
10. Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.
11. Erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur & erubeſcant valdè velociter.

PSALMI SEXTI ANALYSIS.

David animo verſans peccatum ſuum,
- Juſtitiam Dei timet.
  - Ne in furore arguat. 2.
  - Et in ira puniat. 2.
- Miſericordiam ejus implorat. 3. ut
  - Infirmi miſereatur. 3.
  - Sanitatem det. 3.
  - Oſſa conſolidet. 3.
  - Animam tranquillet. 4.
    - Vultus radiis. 5.
    - Manus auxilio. 5.
  - Vitam conſervet. 6. cùm
    - Corpus mortuum Deum non laudet. 6.
    - Nec anima in inferis. 6.
- Contritionem ſuam oſtendit 7. & ejus
  - Modum duplicem
    - Internum, cum gemitu. 7.
    - Externum, cum lacbrymis. 7.
  - Tempus præcipuum, nocturnum. 7.
  - Locum, lectum, in quo peccaverat. 7.
  - Cauſam duplicem
    - Dei parentis iram. 8.
    - Malorum habituum inveterationem. 8.
  - Effectum triplicem.
    - In ſe, propoſitum non peccandi. 9.
    - In Deo, exauditionem pœnitentis. 10.
    - In hoſtibus, confuſionem & fugam. 11.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. *In finem, in carminibus, Pſalmus David pro octava.*

1. Pſalmi hujus argumentum. ARgumentum Pſalmi: Primò, cenſet Nicolaus Treverus eſſe orationem Davidis pro liberatione à perſecutionibus inimicorum.

2. Secundò, ſpeciatim Cajetanus vult agi de perſecutione per Abſalonem filium, quæ contigit poſt ejus adulterium & homicidium. Nam anno regni ſui 19. & conſequenter ætatis 49. peccavit cum Betſabæa, & Uriam occidit, eum exponi jubens Ammonitis in obſidione Rabba, quæ erat eorum metropolis. Poſt annos undecim in eum rebellavit Abſalon: nempe anno regni Davidis 30. ætatis ejus 60. mundi 3009. ante Chriſtum 1044. Trojæ exciſæ 138. Imperii Aſſyriorum 1078. Cùm Saül ipſum perſequebatur, needum peccaverat: itaque illi tempori non congruit Pſalmus noſter: In ultima autem afflictione ob numeratum populum anno regni ſui 38. exitus ab Ægypto 474. & arcæ in Sione poſitæ 28. David non deprecatur mortem aut morbum ut hic: ſed potius poſtulat, reum ſe eſſe inclamans, & populum innocentem. 1 Paral. 21. 17.

3. Tertiò, probabiliùs Hebræi, Arias, Oſorius, Vatablus opinantur Pſalmum hunc compoſitum in morbo, ex quo crederent inimici eum moriturum.

Quartò, Bellarminus, Haymo, Lorinus, Eugubinus volunt eſſe generalem orationem peccatoris timentis divinum judicium, & jam ſentientis pœnas, præſertim ſpirituales ob peccatum inflictas, atque ad reconciliationem cum Deo ſuſpirantis. 4.

Quintò, pleniùs & meliùs dixeris, eſſe orationem Davidis peccatoris, qui ex occaſione periculoſi morbi ob peccatum inflicti, ſive ejus dolore contracti, deplorat ægrotantis animæ infirmitatem, cauſam, anxietatem, laborem atque hoſtes: atque ex hoc miſero ſtatu ob Dei miſericordiam, & interiorem dolorem ſuum fletumque exteriorem liberari poſtulat. Neque refert, quòd illius morbi non fiat mentio in Scriptura, neque enim minutiſſima quæque perſequitur. 5. Et optimè.

Nota, S. Chryſoſt. negat lib. 2. de compunctione cordis, à Davide editum eſſe hunc Pſalmum propter peccatum ſuum: quòd titulus ejus ſit *pro octava*, hoc eſt pro die judicii. Sed potiùs contrarium inde colligitur, ſive legas, ut penè omnes *pro octava*: ſive *de octava*, ut S. Aug. ſive *ſuper octava*, ut eſt in Hebræo textu.

Quæres igitur, quid ſit octava, pro qua & hic & undecimus Pſalmus inſcribuntur? Reſpondeo 2. Octava quid.

eum

cum Abulenſi q. 25. in 1 Paral. 15. Titelmano, Lyrano, Treveto, Bellarmino, & Hebræis, *octavam*, fuiſſe citharam octo chordarum. Sic Chald. apertè vertit, *ad canendum ſuper citharam octo chordarum, hymnum Davidis.* Et 1 Paral. 15. 21. habetur: *Porrò Mathatias, & Eliphalu, & Maceaias, & Obededom, & Jehiel, Ozazis, in citharis pro octava* (id eſt, habente octo chordas. Alii enim erant tetrachordæ, aliæ heptachordæ, aliæ decachordæ) *canebant epinicion.* Hebr. נצח neſa, id eſt carmen triumphale, ſive victoriale: hinc deducitur, νίκη, victoria. ex qua fit ἐπινίκιον: hoc eſt, carmen quod in victoria & triumpho cantatur.

Senſus itaque tituli eſt: Pſalmus Davidis, ſeu Davidi à Deo inſpiratus, ut canteut *in carminibus*, ſeu hymnis, ut legit ſanctus Auguſt. hoc eſt inter ſacra cantica & hymnos *pro* (ſive *ſupra*, ut eſt in Hebr.) *octava*, idque *in finem*, id eſt ſemper: vel, in Chriſtum, à quo fluit omnis gratia, & remiſſio atque ſanatio peccatorum. Vide dicta in tituli Pſalmi quarti, ubi quid ſignificet *in finem*, dixi fuſiùs.

3. Anagogicè. Octava eſt dies æternitatis.

Anagogicè, Pſalmus *pro octava*, ſupple die, vel ætate, eſt Pſalmus agens de die judicii, de ſtatu ultimæ reſurrectionis, atque de æternitate, ut explicant S. Gregor. Nyſſ. tract. 2. in Pſalmos, cap. 5. & hom. in hunc Pſalmum, S. Greg. Papa hom. 16. in Ezech. Rabanus in Geneſim. Beda lib. 3. in Marcum cap. 9.

Et quidem Primò Beda, ſex laboris dies huic vitæ mortiferæ deſtinat, ſeptimam diem ait eſſe illud tempus, quod à morte uniuſcujuſque decurrit uſque ad extremum judicium, octavam denique diem eſſe in æternitate interminabili: in ea enim erit tantùm dies unus nulla nocte interruptus. Apocal. 22. 5. *Et nox ultra non erit.* Paulò aliter S. Greg. in proœmium primi Pſalmi ponit. Id eſt Pſalmi hujus, ait: Omne præſentis vitæ tempus ſeptem diebus evolvitur, & ideò æterna dies, quæ expleta horum dierum viciſſitudine futura eſt, octava vocatur. Et quia pro conſideratione extremi judicii Pſalmus iſte concinitur, rectè pro octava intitulatur. Ita Greg. Quòd de judicii die agatur, ſtatim patet initio: *Domine ne in furore tuo arguas me*, &c. Eandem convenientiam octonarii ſeptenarium ſequentis habet S. Gregor. Nyſſ. tract. 2. in Pſalmos cap. 8. Duplici die octava, quæ fuerit celebris, id præſertim ſignatum eſſe poſſis dicere. Primam affert S. Thomas diem octavam feſti tabernaculorum: de illa habetur Levit. 23. 36. *Septem diebus offeretis holocauſta*, (ſingulis diebus aſſignantur, Num. 29. 12.) *Dies quoque octavus erit celeberrimus atque ſanctiſſimus, & offeretis holocauſtum Domino: eſt enim cœtus atque collecta.* (non pecuniæ, ſed populi, qui illo die octavo congregabatur in tabernaculo, & poſtea in templo, ut gratias ageret Deo, quod poſt vagationem in deſerto per 40. annos, ubi in tabernaculis velut peregrini habitaverant, ad terram promiſſam ſalvi & incolumnes perveniſſent) *omne opus ſervile non facietis in eo.* Omne non, id eſt nullum. Eſt Hebraiſmus. In cælo porrò fiet 1. Perfectum holocauſtum. 2. Cœtus & collecta gratias agentium de peregrinatione exacta in deſerto. 3. Nullum opus ſervile, id eſt peccaminoſum vel ex timore ſervili, fiet. Secunda octava nobis felicem noſtram reſurrectionem in æternitate & omnis labis expertem declarans, eſt dies octava, in qua juſſit Deus omnes circuncidi Abrahæ poſteros. Gen. 17. 12. In cælo erunt omnes filii Abrahæ, id eſt Patria excelſi, & tunc exuentur carnis corruptione, & omnia mala ab iis reſecabuntur. Adde: Octava dies quælibet ſequens requiem ſabbathi, eſt operatio æternæ felicitatis, perfectam conſonantiam diapaſon habens, & eſt reditus in Deum, ſicut in prima die eſt egreſſio à Deo, ut fiat circulus: & eſt quies media, quia inter motus contrarios datur, & eſt in puncto reflectionis. Ita S. Greg. Nyſſ. in Pſalm. S. Greg. Papa in Ezech. Gloſſa interlin. in Gen.

Non ex Scriptura tantùm, ſed etiam ex Platone, diem octavam pro felici æternitate ſumptam ſymbolycè, reperies apud Clementem Alexand. lib. 5. Strom. pag. 600. *Decimo*, ait, *Dominicum*, *in decimo de Republica Plato his divinat. Poſtquam autem iis qui fuerint in prato, ſeptem dies tranſierint, ſurgentes hinc oportet octavo proficiſci, & quarto die venire. Atque per pratum quidem oportet intelligere,* ἀπλανῆ σφαῖραν: *Sphæram inerrantem, utpote locum mitem, placidam & benignum, piorumque ac ſanctorum locum. Septem autem dies, unumquemque motum ſeptem errantium, & omnem operandi artem, quæ tendit ad finem quietis. Iter autem quod fit poſt errantes, deducit ad cælum; hoc eſt, octavum motum & diem. Quarta autem die dicit abire animas, ſignificans iter, quod fit per quatuor elementa.* Corpus enim noſtrum ex quatuor elementis coaleſcit, & vita noſtra conſervatur per eorum debitam proportionem, & inter ſeſe commixtionem atque attemperationem: perditur verò, per nimium exceſſum unius ſupra alterum, & per continuam ipſorum pugnam, atque alterationem. Quatuor illis elementis ſi tres animæ potentias addideris, velut arboris ramis fructus, aut candelabri calamis lampades, efficies ſeptenarium hujus vitæ, cui ſuccedat octonarius æternitatis. S. Auguſt. anigh in Pſal. noſtr. *Tranſacto*, ait, *quaternario in corpus, ternario in animum diſtributo, veniet octavus judicii dies, qui meritis tribuens quod debetur, jam non ad opera temporalia, ſed ad vitam æternam ſanctos transferet, impios verò damnabit in æternum.* Et S. Greg. in Pſal. noſtr. Caro, ait, ex quatuor conſtat elementis, anima tribus vegetatur naturis. Eſt enim rationalis ad diſcernendum, concupiſcibilis ad virtutes appetendum: iraſcibilis, ad vitia averſandum. Ita ipſe.

Secundò, *octava*, ſupple, ætas, erit in cælo. Idem S. Greg. pergit, vel ſecundùm quoſdam octava dicitur: quia ſequitur ſex ætates in hoc ſæculo viventium, & ſeptimam dormientium juſtorum. Hæc ipſe. Aut, ſi placet, meliùs dixeris, octavam ætatem in æternitate ſecuturam ſeptem ætates mundi. 4. Octava ætas erit in cælo.
Nam prima ætas fuit ab Adamo uſque ad diluvium, & duravit an. 1656. Secunda mundi ætas, à diluvio uſque ad Abrahami an. 1. imp. Aſſyriorum 108. duravit an. 382. Tertia ætas, ab Abrahami nativitate uſque ad nativitatem Moſis, qui natus eſt anno 538. Imperii Aſſyriorum, moræ Judæorum in Ægypto 136. ſervitutis 14. duravit 425. annis. Quarta ætas, à Moſe uſque ad primum annum principatus Samuelis, qui Heli ſucceſſit anno mundi 2940. diluvii 1284. datæ legis 397. excidii Trojani 70. imperii Aſſyriorum 1009. ante Chriſtum 1113. duravit annis 476. Quinta mundi ætas, à Samuele uſque ad liberationem ex captivitate Babylonica, quæ contigit anno primo Cyri monarchiæ, primo regni Perſarum, Romæ conditæ 216. Servii Tullii Rom. regis 41. duravit annis 577. Sexta ætas, uſque ad Chriſtum duravit annis 536. natus eſt enim anno mundi 4052. Romæ conditæ 751. Septima ætas, à Chriſto uſque ad finem mundi, quantum duratura ſit, vide ex dictis Pſ. 2. 13. In illud: *Cùm exarſerit in brevi ira ejus.* Octava itaque ætas ſequetur in cælo per totam æternitatem. Prima ætas, quæ Adami fuit ac primorum Patriarcharum, eſt mundi infantia: Secunda ætas, quæ fuit Noë & poſteriorum Patriarcharum, eſt mundi pueritia: Tertia ætas, quæ Abrahæ & Hebræorum, eſt ejus adoleſcentia: Quarta ætas, quæ Moſis fuit ac Judicum populi Dei, eſt mundi juventus: Quinta ætas, quæ fuit regnum Judæorum, eſt veluti virilis ætas. Sexta ætas, quæ fuit Zorobabelis, ac cæterorum in Judæa principum ac ſacerdotum, eſt ſenectus. Septima denique ætas, quæ eſt Chriſti & legis ejus, eſt mundi ætas decrepita: unde S. Joan. 1 epiſt. 2. 18. vocat *noviſſimam*, id eſt ultimam, *horam.* S. Petrus 1 epiſt. 1. 20. *Noviſſima tempora.* Paulus Epheſ. 1. 10. *Plenitudinem temporum*, Octava denique, inſtar phœnicum omnes juſtos renovabit, qui vivent in ſæcula ſæculorum. Nam, ut ait S. Joan. Apoc. 21. 4. *Mors ultra non erit.* Et cap. 20. 14. *Infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis.* Eſt proſopopœia, per quam inducuntur velut perſonæ tragicæ mors & infernus, quæ poſt judicium in terræ cavernas dejicientur, ab aliis locis excluſæ. *Hac eſt*

mors

more ſecunda. Vide dicta Pſal. 48. 15. *Mors depaſcet eos*, id eſt erit veluti paſtor impiorum. Sic vita erit paſtor Sanctorum in cælo.

5. Allegoricè. Octava, eſt dies reſurrectionis.

Allegoricè. *Octava* hic intelligi poteſt dies reſurrectionis Chriſti, quæ ſpem facit fore, ut poſt afflictiones & calamitates vitæ, quæ per dies ſeptimanæ ſemper recurrentes decurrit, ad beatam reſurrectionem veniamus. Reſurrectio enim Chriſti eſt cauſa efficiens & exemplaris reſurrectionis corporum noſtrorum & animatum. Secundò, *Octava*, eſt lex nova Chriſti, ut ait Arnobius in Pſ. noſtr. quia addit unitatem ſuper ſeptem, propter reſurrectionem ejus, quæ ſecuta eſt ſabbathum. In ea proponuntur nobis octo beatitudines in monte, Matth. 5. 3. velut octo gradus portæ orientalis templi Salomonis. Ezech. 40. 37. *Et cælatura palmarum* (ſi vis aſcendere, vince paſſiones, & te incide per mortificationem, ut habeas victoriam) *in fronte ejus*, (ex ipſo aſpectu Chriſtiani appareat ejus virtus) *hinc & inde* (in proſperis & adverſis) *& in octo gradibus aſcenſus ejus.* Octo primates à Michæa aſſignati denotant Apoſtolos, qui Eccleſiam in lege gratiæ adjuvent. Sic ait Michæas c. 5. ℣. 5. *Et erit pax*, (per Chriſtum, qui eſt pax noſtra) *cùm venerit Aſſyrius* (dæmon) *in terram noſtram, & quando calcaverit in domibus noſtris*, (in corporibus & animabus noſtris) *& ſuſcitabimus ſuper eum ſeptem paſtores, & octo primates homines.* S. Hier. per ſeptem paſtores intelligit Sanctos veteris teſtamenti: per octo primates, accipit Sanctos novi. Ad literam, agitur ibi de Sennacherib rege Aſſyriorum, cui generosè obſtiterunt Eliacim, Sobna, Joahe, & alii plures principes Ezechiæ regis, cum Jeroſolymam obſidere voluit, & per Rabaſcem elioſque blaſpheme in Deum effutiit ſcripſitque: atque ideò per Angelum cæſo exercitu fugit, & diripienda illis principibus ac populo ſua caſtra dereliquit. Nota, ſeptem & octo, id eſt plurimi. Nam ſeptenarius eſt numerus multitudinis & univerſitatis: cùm autem octonarius adjungitur, maximam multitudinem denotat.

6. Tropologicè. Octava, eſt perfecta mortificatio & circumciſio.

Tropologicè, Pſalmus *pro octava*, id eſt pro perfecta vitæ circumciſione, mortificatione, purificatione & perfectione. Nam in octava die fit innovatio ſeptimanæ, id eſt vitæ ſpiritualis renovatio in die Domini & Solis, nos Deo noſtro Soli vero offerendo & conſecrando. Hæc eſt dies, quam fecit Dominus. Circumciſio infantis & nominis impoſitio apud Hebræos fiebat octavo die poſt nativitatem. Gen. 17. 12. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*, ait Angelus Abrahamo: non poterat tempus illud anteverti, quòd infans tener eſſet, ſed ſi in periculo vitæ verſabatur, poterat illi ſuccurri per remedia rituſque ſolitos in lege oarratæ, ſicut in feminis fiebat. 2. Purificatio perfecta leproſi fiebat die octavo, ut præcipitur Levit. 14. 19. *Die octavo aſſumet* (leproſus) *duos agnos immaculatos, & ovem anniculam abſque macula, & tres decimas ſimilæ in ſacrificium, quæ conſperſa ſit oleo, & ſeorſum olei ſextarium.* Sacerdos autem de ſanguine agni immolati pro delicto ponebat ſuper extremum auriculæ leproſi qui mundabatur, & ſuper pollices manus dextræ & pedis, ut intelligeret audiendam & faciendam Dei legem, ſi vel moriendum eſſet eam ob cauſam: ſed ut intelligeret ſibi gratiam Dei non defuturam, eædem partes auris, manus & pedis oleo ungebantur, atque ipſe ſanguis illis partibus intingebatur, ut dolores ipſos ſuaves fore adverteret: caput denique oleo ungebatur, licèt ſanguine non eſſet tinctum, ut appareret, quòd ubi abundavit delictum, ſuperabundaret gratia. Ut autem ſciretur ab uno & ſolo Deo illam gratiam fluere, ſacerdos oleo oblato aſpergebat coram Domino, id eſt verſus ad tabernaculum coram oſtio tabernaculi. Aſpergebat autem ſacerdos ſepties verſus ad tabernaculum, ut gratiæ copia cerneretur danda purificato. 3. Purificatio ſeminifluі fiebat die octavo, nempe die, quo reſurgit à peccato, Levit. 15. 14. *Die autem octavo ſumet duos turtures*, (contritionem & confeſſionem) *aut duos pullos columbæ.* (humilitatem & ſinceritatem, extra Sacramentum petendo conſilium & auxilium) *& veniet in conſpectum Domini ad oſtium tabernaculi teſtimonii*, (id eſt, in quo eſt teſtimonium, hoc eſt, lex in arca, quâ Deus ſuam voluntatem populo teſtificabatur. Peccator debet habere propoſitum legis ſervandæ, ſi volt purgari) *dabitque eos Sacerdoti, qui faciet unum pro peccato*, id eſt, unum ſacrificabit pro immunditia legali, *& alterum in holocauſtum*, ut teſtetur ſe velle Deo uni ſervire, *rogabitque pro eo coram Domino, ut emundetur à fluxu ſeminis ſui*, ab amiſſione ſuæ ſubſtantiæ, & donorum cæleſtium, vivendo luxuriosè & nefariè.

Aaron & filii per octo dies in tabernaculo manens poſt conſecrationem.

Non iis tantùm qui purgantur, ſed iis etiam, qui proficiunt, pſalmus canendus eſt *pro octava.* Hoc figuratur in Aarone & filiis ejus. Primò, ſacrificantibus die octava poſt ſuam conſecrationem in Sacerdotes, Lev. 9. 1. & ſeq. Hircum offer, id eſt pœnitentiam pro peccatis. 2. Vitulum & agnum in holocauſtum, te offerendo ad juge martyrium caſtitatis, & vitulum, ut ſerves innocentiam. 3. Bovem & arietem pro pacificis, id eſt, ut pacificè vivas, & dona Dei obtineas: offer & ſacrifice Deo tuos labores, & in aliis regendis ac ducendis curam. Octo menſæ in porta Aquilonari templi poſitæ ad jugulandum ſuper eas victimam, quæ erat in holocauſtum, vel pro peccato, vel pro ignorantiæ delicto, erant figura mortificationis quinque ſenſuum, & trium animæ potentiarum. Erant de lapidibus quadris extructæ ad denotandam conſtantiam propoſiti. S. Auguſtinus in Pſ. 86. ait: *In omni opere conquadramini, ad omnes tentationes parati: quicquid impulerit, non evertat.* Octonarium numerum appellant cubum, ut ait S. Greg. Nyſſ. de beatitud. Quod etiam ad viros perfectos, & in virtute ſtabiles, ac per diuturnum habitum immobiles transferre poſſis. Ut enim ait Macrob. lib. 1. in ſomnium Scipion. cap. 4. Octonarius numerus *plenus* dicitur, propter corporeæ ſoliditatis effectum. Nam efficit cubum, ſeu teſſeram. Sed ad ipſam cæli harmoniam, id eſt, continentiam, hunc numerum magis aptum eſſe non dubium eſt. Cùm ſphæræ ipſæ octo ſint, quæ moventur, omnes quoque partes, de quibus conſtat hic numerus, tales ſunt, ut ex earum compage plenitudo naſcatur. Eſt enim aut de his qui neque generantur, neque generant de monade & ſeptem: aut de multiplicato eo, qui & generatur, & generat, id eſt, quatuor, qui & naſcitur de duobus, & octo generat: aut componitur ex tribus & quinque, quorum alter primus omnium numerorum impar apparuit. Pythagoræi octonarium numerum *juſtitiam* vocârunt, quia primus omnium ita ſolvitur in numeros pariter pares: hoc eſt, in bis quaterne, ut nihilominus in numeros æquè pariter pares diviſio quoque ipſa ſolvatur in bis bina. Eâdem quoque qualitate contexitur, id eſt, bis bina. Cùm ergo contextio ipſius pari æqualitate procedat, & reſolutio æqualiter redeat uſque ad monadem, quæ diviſionem arithmetica ratione non recipit, meritò propter æqualem diviſionem juſtitiæ nomen accipit: & quia ex his apparet quanta & parium ſuorum, & ſeorſum ſuâ plenitudine nitatur, meritò plenus vocatur. Angelus, qui Ezechieli apparuit in ſpecie viri, cujus ſpecies erat quaſi ſpecies æris, ut ſe conſtantiâ vitæ delectari oſtenderet & ſono doctrinæ, menſus eſt veſtibulum portæ atrii interioris, id eſt, atrii Levitarum & Sacerdotum, & octo cubitorum eſſe reperit. Sit firma ſemper intùs animi conſtantia, & ad te Angeli accedent, ac tuarum virtutum menſuram Deo & aliis cum gaudio oſtendent.

7. Octonarius eſt numerus cubicus.

Et plenus,

A Pithagoræis dicebatur juſtitia.

8. Septem diebus vitæ eſt agenda pœnitentia.

Nota, Pſalmus hic, qui inſcribitur *pro octava*, eſt primus ſeptem pœnitentialium, ut intelligas: Primò, ſeptem vitæ diebus agendam eſſe pœnitentiam, ſi vis pervenire ad octavam beatitudinis. Secundò, in pœnitentiæ doloribus ſemper præ oculis eſſe habendam illam octavam, velut eorum finem ac terminum, ad cujus aſpectum omnis acerbitas mitigetur. Hinc omnes pœnitentiales Pſalmi, id eſt, hic, 31. 37. 50. 101. 129. & 142. à luctu incipiunt, & in lætitiam terminantur: quia, ut ait S. Thomas, per planctum pœnitentiæ pervenitur ad regnum gloriæ. Nota Secundò, diviſionem illam in Pſalmos ſeptem pœnitentiales eſſe priorum temporum, cùm ejus meminerunt S. Greg.

Caſſiodor.

Caſſiodor. Innocentius III. Radulphus Tuogrenſis, Abulenſis, & alii.

9. Quæres, cur ſeptem Pſalmi pœnitentiales ſint aſſignati? Reſpondeo Primò cum S. Greg. Nyſſeno orat. 2. In verba: *Faciamus hominem*, &c. vim quandam remiſſionis in ſeptenario numero contineri. Ideo inquirenti Petro, Matth. 18. 21. Domine, quoties in me peccabit frater meus, & dimittam ei? Uſque ſepties? Dixit JEſus: *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*: hoc eſt, ſine ullo termino aut numero, pœnitentibus volo ut peccata condones. Septuagenarius enim numerus decies continet ſeptenarium, qui tamen eſt ſymbolum univerſitatis, quòd ſeptem diebus creatus, & ornatus, atque conſecratus fuerit mundus. Ad rem aptè Nyſſ. *Obſervaverat*, inquit, *Petrus ex antiqua traditionis norma ſeptenario numero contineri* τινὰ ἄφεσιν ἁμαρτημάτων, *quandam vim remiſſionis peccatorum, quietis perfectæ, cujus indicium ſabbathum eſt, dies ſeptimus à mundi creatione*. Innocentius III. in Pſal. noſtr. ait: Septenarius univerſitatis, & quietis, & perfectionis, & ſanctificationis eſt numerus ſpecialis, quia ſeptem diebus agitur & repetitur omne tempus. Ita ipſe. Septem ſunt Eccleſiæ Sacramenta, quæ per ſe Primò, vel per accidens ſunt remiſſiva peccati. Exod. 29. 37. *Septem diebus expiabis altare* (animam Deo ſervire volentem: nam etiam ſepties in die cadit juſtus) *& ſanctificabis, & erit ſanctum ſanctorum*, id eſt, ſanctiſſimum, per gratiam ſanctificantem, & fervorem charitatis.

Septem ſunt Pſalmi pœnit. Primò, vis quædam remiſſionis eſt in ſeptenario numero. 1. *Chriſtus jubet remitti peccata ſeptuagies ſepties.*

Cùm leproſus mundabatur, aſpergebatur ſepties, Lev. 14. 2. *Hic eſt ritus leproſi, quando mundandus* (purgandus legaliter) *eſt: Adducetur ad Sacerdotem, qui egreſſus de caſtris, cùm invenerit lepram eſſe mundatam, præcipiet ei qui purificatur, ut offerat duos paſſeres vivos pro ſe, quibus veſci licitum eſt, & lignum cedrinum, vermiculumque & hyſſopum. & unum ex paſſeribus immolari jubebit in vaſe fictili ſuper aquas viventes:* (fontanas, vel fluviatiles, quæ decurrunt, eſt catachreſis) *alium autem vivum cum ligno cedrino, & cocco, & hyſſopo tinget in ſanguine paſſeris immolati, quo aſperget illum qui mundandus eſt, ſepties, ut jure* (juxta legem & ritum præſcriptum) *purgetur*. Aſperſio in his luſtrationibus ſepties ſolebat fieri, ut in peccato Sacerdotis, cap. 4. 6. & totius populi, ℣. 17. tunc enim aſpergebant ſepties coram Domino contra velum Sanctuarii, id eſt, Sancti Sanctorum, ubi præſentiam ſuam Deus exhibebat in propitiatorio. Nota etiam, in leproſi mundatione ſeptem concurrebant. 1. Sacerdos, Chriſtus ſcilicet in eo repræſentatus. 2. Hyſſopus, id eſt, gratia Chriſti, & fides noſtra. 3. Cedrinum lignum, nempe crux ejus & ſpes noſtra. 4. Coccinum, id eſt, ſanguis Chriſti, & charitas ex parte noſtra. 5. Paſſer vivus, hoc eſt Chriſti divinitas & noſtra humilitas. 6. Paſſer moriens, Chriſti ſcilicet humanitas & mortificatio noſtra. 7. Aquæ vivæ, id eſt, baptiſmus, aut lacrymæ pœnitentis. De immerſione Naaman ſepties facta in aquas Jordanis dixi aliàs: de ea habes 4 Reg. 5. 14. Naaman ſignificat pulchrum & decorum, à נעם *naam*, pulcher fuit. Lavare, ſed ſepties: In anima ſcilicet tribus conſtante potentiis, & in corpore conſtante quatuor elementis, & pulcher eris. Naaman etiam ſignificat *motum præparans*, à rad. נוע, *nua*, movere, & מנה, *mana*, quod in Piel pro parare, præparare, deſtinare ponitur. Animæ motum atque actiones lava in Chriſti Sanguine, & propria contritione, ſine quibus nulla meritoria eſt actio poſt lapſum, niſi attritioni addas Sacramentum.

2. Leproſus ſepties aſpergebatur.

In fine ſeptem hebdomadarum poſt Paſcha erat Pentecoſte, & tunc miſſus eſt Spiritus ſanctus.

3. Septem hebd. à Paſch. ad Pent.

Septimus etiam menſis erat menſis remiſſionis peccatorum: in eo enim fiebat feſtum expiationis generalis ſacerdotum & populi, Levit. 26. 29. *Menſe ſeptimo, decima die menſis, affligetis animas veſtras,* (jejunio) *nullumque opus facietis, ſive indigena, ſive advena, qui peregrinatur inter vos. In hac die expiatio erit veſtri, atque mundatio ab omnibus peccatis veſtris, coram Domino mundabimini*. Ipſum tabernaculum, id eſt, tam Sanctum, quàm Sanctum Sanctorum mundabatur eo die: victimæ & aſperſiones recitantur in illo capite. Prætereà nota, menſem ſeptimum propè totum fuiſſe ſacrum & feſtum, ut patet Levit. 23. Septimus porrò menſis anni ſacri apud Hebræos erat September, nam incipiebat à Niſan, id eſt, Martio.

4. In ſeptimo menſe erat feſtum expiationis.

Septimus item annus Deut. 15. 9. vocatur *annus remiſſionis*. Fiebat eo anno remiſſio omnium debitorum Judæis debitoribus, non autem peregrinis & Gentilibus, ut dicitur ibid. ℣. 2. item fiebat remiſſio & ſolutio ſervitutis. Nam Exod. 21. 2. præcipitur ut Hebræi ſervi manumittantur. Lege illud caput.

5. Septimus annus erat annus remiſſionis.

Poſt ſeptimanam annorum erat annus Jubilæi quolibet anno quinquageſimo apud Judæos. Nam ſepties ſeptem ſunt 49. Itaque annus ſequens erat quinquageſimus, Lev. 25. 8. *Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem, & clanges buccinâ, menſe ſeptimo, decimâ die menſis, ſanctificabiſque annum quinquageſimum*. Erat hic annus maximæ remiſſionis. Unde dicitur ℣. 10. *Et vocabit remiſſionem cunctis habitatoribus terræ ſuæ: ipſe eſt enim jubilæus*. Hebr. Ipſe eſt Jobel. Significat enim Jobel remiſſionem. 2. Annum, quo fiebat illa remiſſio. 3. Buccinam ſeu clangorem buccinæ, quæ eam remiſſionem annuntiabat, & eo anno inſonabat. Fiebat autem: Primò, remiſſio omnium debitorum, in iis qui eſſent genere Judæi: Secundò, ſervi Judæi manumittebantur cum uxore etiam & liberis, quod non fiebat anno ſeptimo: Tertiò, avitæ poſſeſſiones redibant ad legitimos & primos hæredes ſine ullo pretio aut compenſatione. Deus peccatorem gratis juſtificans, efficit etiam merè gratuitâ benevolentiâ, ut merita per peccatum mortificata reviviſcant.

6. Annus jubilæus erat poſt annorum ſeptimanam.

Secundò, ſeptem ſunt Pſalmi pœnitentiales, quia ſeptem peccata capitalia, quæ remittuntur, figurantur: 1. In ſeptem diebus, quibus immunda mulier poſt partum maſculi ab omni conſortio ſeparabatur, ita ut nulli, ne marito quidem cum ea veſci, aut verſari liceret, Levit. 12. 3. Secundò, figurantur in ſeptem diebus, quibus Maria ſoror Moiſis & Aaron leproſa fuit ob murmurationem in Moſem, & toto illo ſeptiduo ejecta è caſtris, Num. 12. 15. Tertiò, figurantur illa ſeptem peccata animam devorantia, & ejus omnes divitias, ſeptem annis fames, quæ Ægyptum & vicinas terras afflixerunt, Gen. 41. 27. repræſentati erant illi anni Pharaoni regi Ægypti per ſeptem boves tenues atque macilentas, & per ſeptem ſpicas tenues, & vento urente, id eſt, Euro corrumpente percuſſas. Peccatum & cibum animæ aufert, & laborandi vim ad animæ agrum arandum, ut ſegetes virtutum fundat. Quartò, ſeptem ſunt anni, quibus populus Iſraël ſervivit Madianitis, Judic. 6. 1. Quintò, & meliùs, ſeptem peccata capitalia ſunt ſeptem capita draconis, & ſeptem ejus diademata, Apoc. 12. 3. *Ecce draco magnus rufus* (vir impius & crudelis: vel, dæmon) *habens capita ſeptem, & cornua decem* (ut in decem præcepta Dei impetum faciat) *& in capitibus ejus diademata ſeptem*. Cùm eò venit perverſitas, ut in peccatis glorietur. Alcazar ſuſpicatur, illa capita fuiſſe leonis, tigridis, urſi, viperæ, lupi, ſerpentis, & aſini. Dæmon enim dum tentat, nunc caput & vultum ſuperbi leonis nobis oſtendit, nunc ſerpentis invidi, nunc viperæ iratæ, nunc aſini ignavi, nunc lupi guloſi, nunc tigridis avaræ, nunc urſi luxurioſi. Sextò denique, peccata ſeptem capitalia figurantur in ſeptem dæmoniis, quæ in Maria Magdalena fuerant, & à Chriſto ejecta ſunt, Luc. 8. 2. & ſic illa dæmonia explicant Beda, Theophil. & S. Gregorius homil. 33. Sed ad literam fuerunt veri dæmones, ut docet Euthym. Janſen. ac S. Ambroſ. lib. de Salomone, cap. 5.

10. Secundò, ſeptem peccata capitalia remittuntur.

Tertiò: Septem ſunt Pſalmi pœnitentiales, quia ſeptem ſunt modi, ut ait Caſſiodorus, quibus erratorum admiſſorum fit expiatio. Primò, per baptiſmum. Secundò, per paſſionem martyrii. Tertiò, per eleëmoſynam. Quartò, per hoc quòd remittimus peccata fratribus noſtris. Quintò, cùm converterit quis peccatorem ab errore viæ ſuæ. Sextò, per abundantiam charitatis. Septimò, per pœnitentiam.

11. Tertiò, ſunt 7. modi expiationis peccatorum.

Quartò, per 7 gradus ad pœnitentiam perfectam venitur.

Quartò: Septem ſunt Pſalmi pœnitentiales, quia veluti per ſeptem gradus in pœnitentiæ ſcala, quæ terra affixa eſt ob afflictionem corporis, ad Deum pervenitur. Primus gradus ſeu affectus pœnitentiæ, eſt timor pœnæ, qui primis exprimitur verbis hujus primi pœnitentialis Pſalmi. Secundus, confeſſio culpæ, in ſecundo: *Dixi, confitebor*, &c. Tertius, ſpes veniæ, in tertio; *Quoniam in te ſperavi Domine, tu exaudies me Domine Deus meus.* Quartus, odium turpitudinis peccati, in quarto: *Amplius lava me. Aſperges me. Cor mundum crea.* Quintus, amor patriæ cæleſtis, in quinto: *Quoniam ædificabit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua. Ut annuntient in Sion nomen Domini, & laudem ejus in Jeruſalem.* Sextus, diffidentia propriæ virtutis, & fiducia miſericordiæ Dei, in ſexto: *Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.* Septimus, deſiderium melioris vitæ, in ſeptimo: *Notam fac mihi viam, in qua ambulem. Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam. Spiritus tuus bonus deducet me.* Quanquam non unicus uno in Pſalmo, ſed varii miſcentur affectus: ita Lorinus. Hos ſeptem gradus pœnitentiæ compara ſeptem gradibus portæ Aquilonaris templi Salomonis, Ezech. 40. 26. *In gradibus ſeptem aſcendebatur ad eam, & veſtibulum ante fores ejus, & cœlatæ palmæ erant* (aſcende gradus pœnitentiæ, & palmas reperies tibi à Deo traditas in manus) *una hinc, & altera inde in fronte ejus:* ſive dexteræ tibi, ſive ſiniſtra eveniant, palma & victoria non deerit, ſi per pœnitentiam ad templum & Deum oraturus accedas, & ſeptem gradus generosè conſcendas.

12\. Quintò, ad 7. dona Spiritûs ſancti.

Quintò: Pſalmos ſeptem pœnitentiales nobis proponit Eccleſia, propter ſeptem dona Spiritus ſancti, per quem nos pœnitet, ut ait S. Thom. in Pſ. noſtr. Hæc impetrantur ſepties petita. Sacerdos offerens hoſtiam, nempe vitulum pro peccato ſuo hauriebat de ſanguine ejus, inferens illum in tabernaculum teſtimonii. Cùmque intinxiſſet digitum in ſanguine aſpergebat eo ſepties coram Domino contra velum Sanctuarii, Lev. 4. 5. Idem faciebat immolans vitulum pro peccato populi, ℣. 16. Secundò, hi ſeptem Pſalmi impetrantes ſeptem dona Spiritûs ſancti, ſunt ſeptem tauri, & ſeptem arietes, quos Job in holocauſtum obtulit pro amicis ſuis, quibus ita movit Deum, ut converſus ſit ad pœnitentiam ob ejus preces, Job. 42. 8. & ſeq. Tertiò figurantur in ſepties repetito aſpectu ad mare, cùm oraret Elias, ait enim 3. Reg. 18. 43. ait puero ſuo: *Revertere ſeptem vicibus, ut aſpicias verſus mare,* ſcilicet mediterraneum, id eſt, ad amaritudinem pœnitentiæ, ut nubes gratiæ videas & recipias. Quartò, Cùm tranſieris ex via purgativa, ne deſinas illos Pſalmos uſurpare, in vita illuminativa tibi fient ſeptem dona Spiritûs ſancti. Lucernæ ſeptem candelabri Moſaici, quod ex ſolido auro conflatum ſtabat à parte meridionali altaris thymiamatis ſeu incenſi in ſancto, Exod. 25. 37. Num. 8. 3. Et fient illa dona ſeptem candelabra aurea, in quorum medio Chriſtus ambulat, ut lucernas adornet, accendat, & emungat, Apoc. 1. 12. & 13. & quidem ibi Chriſtus apparet veſtem ſacerdotalem indutus, quia ad pœnitentem venit ſanctificator & propitiator, eumque totum aureum facit. Stellæ quoque ſeptem, quas manu tenet, ſeptem dona ſunt Spiritûs ſancti, quæ ſervis ſuis offert, ut alacres ad ſe accedant, eaſque illis diſtribuit, ut explicant Victorinus, Seraphinus, & Arias Montanus.

13\. Sextò, ob ſeptem ætates hominis.

Sextò: Septem aſſignantur Pſalmi pœnitentiales, ob ſeptem ætates, in quas tota hominis vita diſtribuitur. Totum autem vitæ tempus, eſt tempus pœnitentiæ, ac gemitibus deſtinatum, ut ait S. Ambroſ. epiſt. 36. Hæ ſunt ſeptem ſpicæ pullulantes in culmo uno plenæ atque formoſæ, Gen. 41. 5. imbre pœnitentiæ creſcunt & implentur. Hæ ſunt ſeptem ſportæ plenæ de fragmentis, quæ ſuperfuerant poſt multiplicationem ſeptem panum, quibus Chriſtus nutrivit quatuor millia hominum, extra parvulos, & mulieres, Matth. 15. 38. Hi ſunt ſeptem dies, quibus comeduntur azyma in paſchate, id eſt, in tranſitu vitæ. Qui comederit fermentatum, *peribit anima illa de Iſrael.* Iſraël ſignificat, *vir videns Deum.* Nihil coinquinatum intrat in regnum cælorum. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Cavendum eſt à fermento Scribarum & Phariſæorum.

14\. Septimò, quia ſeptenarius eſt numerus perfectionis.

Septimò denique: Septem Pſalmi pœnitentiales aſſignantur, quia ſeptenarius erat Hebræis numerus ſacratus, & eſt ſymbolum univerſitatis, plenitudinis, & perfectionis. Hæc ratio ſolidior videtur ac verior. Innocentius III. eam aſſignat in Pſal. noſtrum: *Septimus dies*, ait, *ſeptima hebdomada, ſeptimus menſis, & ſeptimus annus ſacrati erant in lege, præſertim Pentecoſtalis ſolemnitas, quæ poſt ſeptimum dierum ſeptenarium ſequebatur, & poſt ſeptimum annorum ſeptenarium obſervatio Jubilæi. Septenarius enim univerſitatis, & quietis, & perfectionis, & ſanctificationis eſt numerus ſpecialis, quia ſeptem diebus agitur & repetitur omne tempus. Unde Dominus ait: Non dico tibi ſepties, ſed ſeptuagies ſepties, id eſt, ſemper.*

DIVISIO TOTIUS PSALMI.

Tria facit. Primò, à Deo ſupplex David petit, ne in rigore juſtitiæ judicetur, ſed miſericorditer ſanetur, verſ. 1. ad 6. Secundò, pœnitentiam ſuam præteritam cum dolore interno, & afflictione externa factum oſtendit, verſ. 6. & 7. Tertiò, impios à ſe in tempus futurum arcens, miſericordiam ſe conſecutum gaudet, verſ. 8. uſque ad finem.

SECTIO PRIMA.

Duo poſtulat. Primò, à terrore & ſeveritate judicii liberari, verſ. 1. Secundò, à mortis & inferni ſuppliciis eripi, verſ. 2. uſque ad 6.

PARAPHRASIS.

2\. *Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.*

2\. Deus meus, ne in die judicii, & particularis, & extremi, multorum ſcelerum reum me ad æterna ſupplicia condemnes.

3\. *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.*

3\. Miſerum miſericordiâ tuâ ſuſtenta. Nam & animi & corporis infirmitates ac morbos ſana, quibus prægravor. Sanctitatem mentis & corporis impertire. Etenim oſſa mea virtuteſque priſtinæ elanguerunt.

4\. E

4. *Et anima mea turbata eſt valdè : ſed tu Domine uſque quo?*

4. Et mens præ ſcelerum horrore, & pœnarum aſperitate concutitur ac perturbatur. Tu verò, Domine, ad quod uſque tempus miſericordiam tuam differs? Uſquequò angi me ac torqueri pateris?

5. *Convertere Domine, & eripe animam meam : ſalvum fac propter miſericordiam tuam.*

5. Quid tam diu benignos vultûs tui radios iratus à me avertis? Convertere ad me, & ſuavi gratiæ tuæ aſpectu me refice, animamque meam à tot anguſtiis exime. A judicio & morte me libera, non ob merita mea, ſed ob tuam unius infinitam miſericordiam.

6. *Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tuî : in inferno autem quis confitebitur tibi?*

6. Corpus enim per ſeparationem animæ exangue relictum in morte, quâ ratione voces in laudes tuas formare poterit? In inferis verò, quò mea me ſcelera pertrahunt, niſi miſertus fueris, quis animâ ſuâ tibi laudes concinet?

QUÆSTIO UNICA.

Quantus terror divini judicii omnibus peccatoribus?

Petitiones Davidis judicium timentis. DAvid propoſitâ ſibi ſcelerum ſuorum gravitate judicium Dei horreſcens, duo à Deo poſtulat : ut ſcilicet mala non infligat, ſed bona concedat.

Primò, malorum omnium ſupremum à ſe amoliri nititur, nempè condemnationem in die judicii, verſ. 2. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

Secundò, bona ſibi depoſcit. Primò, miſericordiam Dei, quæ eſt fons donorum omnium, verſ. 3. *Miſerere mei.* Rationem affert à ſua miſeria petitam: ea enim eſt miſericordiæ objectum, ibid. *quoniam infirmus ſum.* Secundò, ſanitatem mentis & corporis petit, verſ. eod. 3. *Sana me Domine.* Rationem profert duplicem. Unam quidem deſumptam à corporis infirmitate : *Quoniam conturbata ſunt oſſa mea.* Alteram, à mentis infirmitate ac trepidatione, verſ. 4. *Et anima mea turbata eſt valde.* Tertiò, flagitat celerem converſionem Dei ad ſe, ibid. *Sed tu Domine uſquequò?* Et verſ. 5. *Convertere Domine.* Ex illa Dei converſione bona duo derivantur : nempe, exemptio à malis, *& eripe animam meam* : & ſalus ſecura, ibid. *Salvum me fac propter miſericordiam tuam.* Rationem autem, cur ſalus ei à Deo danda ſit, duplicem quoque affert, à Dei gloria deſumptam. Primò quia corpus in ſepulchro Deum non laudat, verſ. 6. *Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui.* Secundò, quia anima ad inferos in judicio damnata Deum etiam laudare non poteſt, ibid. *In inferno autem quis confitebitur tibi?*

ARTICULUS I.

Quàm horrendum eſt argui à Deo, & corripi in ira & furore, tum in hac, tum in alia vita.

Verſ. 2. MAnum Dei vindicem, ob adulterium cum Bethſabæa, & ob cædem Uriæ, David ſentiens in periculoſo morbo, ſupplex fit Deo, verſ. 2. DOMINE NE IN FURORE TUO ARGUAS ME, NEQUE IN IRA TUA CORRIPIAS ME. Nota, in Deo nec eſt ira, nec furor, ſed tunc dicitur iraſci & furere, cùm punit. S. Chryſolog. ſerm. 45. Ira Dei, eſt delinquentium pœna : furor Dei, eſt ſupplicium peccatorum.

16. Argui in ira & furore quid? Primò, Quæres : Quid ſit argui in furore, & ira? Primò, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, S. Ambroſius in Pſalm. 118. Theodoretus, & alii, hoc intelligunt de vita præſenti, in qua petit David non puniri inſtar impœnitentis, & in peccato ſuo obſtinati, cùm pœnitentem ſe profiteatur & polliceatur. Sic Jerem. 10. 24. petit Jeruſalem à Deo : *Corripe me Domine, veruntamen in judicio,* (id eſt, moderatè, cum modo & menſura, leniter & diſcretè) *& non in furore tuo,* (non ut adverſarius & inimicus, verùm ut pater, ait S. Hieronymus) *ne fortè ad nihilum redigas me.* Hoc pollicetur Deus cap. 30. 11. & Ezechiel. 24. 14.

Secundò. Secundò, argui in furore, & corripi in ira, explicant alii de alia vita, & melius. Non enim tam timebat David morbum & mortem, quàm in Dei tribunali vindictam, cujus jam initia & umbram aliquam experiebatur. Ut enim ait Eliu filius Barachiel Buzites, id eſt, ex Buz filio Nachor fratris Abrahami ortum ducens, ut vult S. Hieronymus, Beda, & Philippus : vel, Buzites, id eſt, ex orbe idumææ, ut ait S. Thomas, & S. Gregorius : vel, provincia, ut Pineda, Buz vocata : de cognatione Ram, hoc eſt, Abraham, ut cenſet S. Hieronymus, Beda, Philippus, Albertus Magnus, & Chald. qui clarè vertit, *de cognatione Abraham.* Eliu, inquam, ait Jobi 35. 15. *Nunc non infert Deus furorem ſuum* Septuag. Non eſt viſitans iram ſuam. Tigurina, non animadvertit iratus. Pagn. Paulolùm viſitavit eum ira : *Nec ulciſcitur ſcelus valdè.* Septuag. vertunt, non cognovit delictum vehementer. Arias, *& non cognovit in copia valdè.* Pagn. non cognovit multitudinem peccatorum ſuorum : id eſt, quæ debet ejus juſtitia punire. David itaque non videtur timere pœnas hujus vitæ, cùm ait : Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Primò, igitur cenſet S. Bernardus ſerm. 69. in Cant. intelligi *furorem*, quo Deus Luciferum in cælo ſe Deo opponentem, & in ipſum erigentem arguit : *iram* verò, quâ hominem in paradiſo corripuit. Secundò, S. Gregor. Alcuinus, Remigius, & Haymo, per *furorem* intelligunt æternam damnationem : per *iram* purgatorii pœnas. Tertiò, *furore* cenſet comprehendi damnationis æternæ ſententiam ; *irâ* autem poſt diem furoris permanente, mortem æternam & infernum. *Ira*, inquit Caſſiodorus, *longa indignatio eſt, furor, repentina mentis accenſio.*

Tertiò, plenius & veriùs. David deprecatur iram & furorem Dei, tum in hoc ſeculo, tum præcipuè in æternitate, quàm illi terrificam oſtendebat morbus præſens, & peccata præterita. Ex morbo enim ſibi inflicto judicem Deum & vindicem ſentiebat: cùm itaque per ſe & propriè peccato pœna æterna debeatur, hanc timet David, non quidem præcisè ob adulterium & homicidium admiſſum: audiverat enim à Nathan propheta : Tranſtulit quoque Dominus peccatum tuum ; ſed quòd neſciret, an alia peccata occulta haberet, unde Pſ. 18. 13. orat ab occultis & alienis mundari : item, ignorabat, utrùm eſſet in virtute & gratia Dei uſque ad finem perſeveraturus. Tertiò, & melius.

17. Deum ſæpè vocat Dominum David. Nota Primò, humilitatem & prudentiam Davidis, qui ut Dei benevolentiam ſibi conciliet, ſeque ei ſubjectum oſtendat, & ad omnia obſequi paratum, in quatuor primis verſiculis quinquies eum Dominum vocat : q.d. ut ait S. Greg. Tu Domine, cujus me ſervum eſſe non abnego, cujus imperiis obtemperare deſidero, cujus ſuave jugum ferre non recuſo, ne arguas me, &c. Domini enim eſt ſervum alere, non negligere : delinquentem corrigere, non necare : fugientem requirere, non abdicare. S. Ambroſ. l. 1. de fide, c. 1. *Dominus, ait, nomen magnificentiæ, nomen eſt poteſtatis.* Deos olim dominos vocatos fuiſſe ; & Deas dominas, ac præcipuè matrem Deorum, tradit Briſſonius l. 1. de formulis : ad Imperatores poſteà id nomen delapſum eſt, ut ait l. 3. pag. 351. id ſibi tribui vetuit Tiberius Imp. teſte Suetonio : *Domini, ait, appellationem, ut maledictum & opprobrium ſemper exhorruit. Cùm ſpectante eo ludos, pronunciatum eſſet à mimo, ô Dominum æquum & bonum! & univerſi quaſi de ipſo dictum exultantes comprobaſſent, ſtatim manu vultuque indecoras adulationes repreſſit, & inſequenti die graviſſimo corripuit edicto, dominumque ſe poſt hac appellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus ſuis, vel ſeriò, vel joco paſſus eſt : atque hujuſmodi blanditias etiam inter ipſos prohibuit.*

18. Utile eſt à Deo corripi. Nota Secundò, Non poſtulat David à Deo non argui & corripi: ſed non argui in furore, & non corripi in ira. Nam cæteroquin bonum eſt à Deo argui, id eſt, verbis corripi, ut ad viam redeamus, & ab ea amplius non aberremus: bonum eſt etiam factis corripi, ut perceptâ pœnâ pro præteritis peccatis ſatisfaciamus, eaque magis deteſtemur & horreamus, Pſ. 93. 12. *Beatus homo, quem tu erudieris,* (S. Hier. vel author epiſt. ad amicum ægrotum, tom. 9. *emendaveris.* S. Cyrill. Alex. lib. 10. in Joan. cap. 14. exponit de doctrina per caſtigationem divinam) *Domine: & de lege tua* (S. Aug. & vetus Pſalt. ex lege tua) *docueris eum.* Eliu id cognoſcens ait Job. 33. 16. *Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplinâ:* id eſt, correptione & caſtigatione. Unde Arias vertit, in vinculo ſuo obſignabit. Nam *moſar*, & vinculum, & diſciplinam ſeu correptionem ſignificat; eruditio enim ſevera, ſive correptio erudiens eſt vinculum & frænum peccatoris, ne iterum labatur, & in officio contineatur. Cajetanus vertit, in eruditione ſua ſigillabit. Tigurina apertiùs, diſciplinam eorum velut impreſſo ſigillo conſignat. Hebr. *hatham*, ſignificat obſignare, ſigillare, ſigillum imprimere. *Ut avertat hominem ab his, quæ fecit, & liberet eum de ſuperbia.* Hebr. ut abſcindat ob homine ſuperbiam. Caſtigatio Dei humiliat, ut videmus in Davide noſtro, qui ægrotans ſe ſervum vocat, cùm Dominum vocat Deum, & ſe infirmum fatetur. Origenes in cap. 1. Ezech. putat, diluvio merſos, & flammis Sodomæ crematos, atque Ægyptios in mari rubro merſos, corporali hoc ſupplicio ad mentem revocatos, ſalutem æternam eſſe conſecutos: hoc de aliquibus verum cenſeo, non de omnibus. Quicquid ſit de illis, bonum eſt à Deo, ſed ut patre, non ut domino corripi & argui. S. Chryſol. ſerm. 45. *Argue me*, ait, *ſed non in ira: corripe me, ſed non in furore. Argue me, ut pater, non ut judex. Corripe me, non ut dominus, ſed ut parens. Argue me, non ut perdas, ſed ut corripias. Corripe me, non ut interimas, ſed ut emendes.* S. Greg. apertè, in furore argui, de alia vita explicat, & hoc timendum oſtendit: optandum verò eſſe in hac vita flagellari, cùm ait: Hîc me potiùs argue, dum tempus eſt miſericordiæ, corripe, dum dies ſalutis eſt, exerce. Quiſquis in hac vita flagellis atteritur, in manſuetudine corripitur, quia correptionibus emendatur. In illo autem tremendo examine iniquos omnis in furore arguitur: quia pœnam interminabilem venia nulla comitatur. Hæc Gregorius.

19. Horrendum eſt à Deo argui in furore. Nota Tertiò, quàm horrendum ſit in furore Dei argui, & in ira corripi, cùm ejus ira & furor ſint ignis devorans. Hoc indicatur: Primò, voce Hebr. אף *aph*, quæ hîc primo loco ponitur, quam & Arias *naſum* interpretatur. S. Chryſol. ſerm. 45. Pſalt. Roman. & Ambroſian. ſive Gallicanum, *iram.* Noſter interpres, *furorem.* Deducitur ab אנף, *anaph*, iraſci, flare naribus, ſicut irati ſolent ob iræ flammas & incendium, quo ſuccenſi irati fumum efflant naribus. Itaque *aph*, ſignificat: 1. Naſum vel narem, per quam flatus emittitur. 2. Ipſam emiſſionem flatûs in ira. 3. Ipſam iram, idque metonymicè ponendo cauſam pro effectu, quia ira velut ignis intùs latens cauſat illum fumum & flatum ardentem, ut ignis Ætnæ aut Veſuvii occultus ſe foris prodit per fumum & ſcintillas. Secundò, vox Hebr. חמה *hema*, quæ ſecundo loco ponitur, adhuc apertiùs ignem illum iræ declarat. Nam derivatur à יחם, *iaham*, incaluit, excanduit, calore exarſit, irâ efferbuit. Itaque *hema* eſt ira efferveſcens & ebulliens; q. d. ait Mercerus, ardorem, ſeu æſtum, ſeu incandeſcentiam iræ. Noſter interpres ſimpliciter reddit iram. Arias, excandeſcentiam. Ex his ſatis apparet, iram & furorem hîc pro eodem ſumi, & hoc vult S. Aug. Apparet 2. iram Dei eſſe ignem terrificum, & hoc jam oſtendi fusè Pſ. 2. 5. *Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.* Ubi vides, iram priùs poni, deinde furorem, cùm in Pſ. noſtro ſit contrarium. Iſa. verò 42. 25. ſimul utrumque jungitur: *Et effudit ſuper eum* (ſuper populum regni Iſraël, id eſt, decem tribuum, ut ait Cornel. duarum tribuum, id eſt, Jeruſalem, ut Forerius,) *hema aff, indignationem furoris ſui*, (Arias vertit, fervorem naſi. Pagn. & meliùs, iram furoris) *& forte bellum.* Quàm efficax ſit ac timendus ignis ille iræ Dei, aperit, cùm ſubdit: *Et combuſſit eum in circuitu, & non cognovit: & ſuccendit eum & non intellexit:* Iſraël ſcilicet à Salmanaſar everſo, atque flammis vaſtato regno, & Samariâ ipsâ. Juda per Nabuchodonoſor, aut Titum incensâ urbe Jeruſalem ac templo, & aliis urbibus. De flamma autem & ardore iræ Dei in die judicii agit idem Iſaias c. 30. 27 ut explicant S. Hier. & Lyran. Sic autem loquitur: *Ecce nomen* (majeſtas & potentia) *Domini venit de longinquo*, (poſt longum tempus) *ardens furor ejus* (irati videntur ardere, fumante naſo, & oculis ſcintillantibus, ac facie flammatâ) *& gravis ad portandum,* (in oratione Manaſſis apocrypha dicitur, inſuſtentabilis eſt ira divinæ comminationis ſuper peccatores) *labia ejus repleta ſunt indignatione,* (ut pharetra telis ardentibus) *& lingua ejus quaſi ignis devorans,* (eſt gladius flammeus atque verſatilis arcens peccatores à paradiſo, Gen. 3. 24.) *ſpiritus ejus* (halitus ab ore emiſſus) *velut torrens inundans:* (1. Ob copiam fumi ignei. 2. Ob celeritatem ac rapiditatem. 3. Ob impetum & vehementiam. 4 Ob ſtragem & everſionem omnium occurrentium) *uſque ad medium colli*, (eſt catachreſis) *ad perdendas gentes in nihilum*, Arias, ad agitandum. Pagn. ad elevandum. R. David & Varabl. ad cribrandum gentes in cribro vanitatis: id eſt, ventilatione inutili, in qua nihil eſt frumenti, ſed omnia ſunt rejectamenta, pulvis, aut paleæ, quæ ad ventum avolant & pereunt. Vanitas agitat, turbat, inquietos facit, diſſipat, & ad omne bonum inutiles facit. De illo igne iræ dixi aliqua Pſ. 2. ℣. 13. *Cùm exarſerit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo.* Ubi agit Propheta de die judicii, quem S. Chryſoſt. ait lib. 2. de compunctione cordis, eſſe terribilem, ὡς κλίβανον καιόμενον, *ut clibanum ardentem.*

Ex his conſequens eſt, ſapienter Davidem ſuorum peccatorum ſibi conſcium petiiſſe: *Domine, ne in furore tuo arguas me*, &c. Quis enim fluvios illos igneos iræ Dei poterit ſuſtinere, & quis in illis velut ſicca ſtipula non conſumetur? Malach. 3. 2. agens de illo die terribili, ut S. Aug. cenſet l. 18. de civit. c. 35. Lyran. Remigius & Hebræi: *Quis poterit cogitare* (longè minùs ferre, Arias, quis ſuſtinens? Pagn. quis ferre poterit? Sept. *quis ſuſtinebit?* Potiùs montes & colles ſibi impoſitos ferre ſe poſſe impii ſperabunt, quàm iram Dei: unde illis obrui optabunt) *diem adventûs ejus?* Angeli teſtamenti, id eſt, Chriſti, qui legatus, internuncius, & conciliator novi fæderis, quod Deus init cum hominibus: *Aut quis ſtabit ad videndum eum?* Quaſi ſecurus, & non timens ob peccata ſua. Sept. quis ſtabit in viſione ejus? Chald. cùm revelatus fuerit. Pagn. cùm apparuerit. *Ipſe enim quaſi ignis conflans,* (Tigurina, quaſi ignis excoquens. S. Juſtinus orat. ad Gentiles dicit: Platonem cenſuiſſe in ignea ſubſtantia eſſe Deum) *& quaſi herba fullonum.* Arias reddit tanquam borith fullonum, id eſt, eorum qui purganda aut polienda veſtimenta accipiunt. Pagn. tanquam ſapo. Sept. melius, ſicut herba lavantium. Nam ut ait S. Hier. Jerem. 2. 22. R. Salomon, R. Jonas, & Theodoret. borith eſt herba ad eluendas ſordes & maculas pannorum. Arab. Alex. qui legerat *gophrith*, vertit, *quaſi ſulphur exardeſcet.* Pergit Malachias ℣. 3. *Et ſedebit* (quaſi diſcretor & judex) *& emundans argentum, & purgabit filios Levi,* id eſt, Sacerdotes, & Levitas, qui leviorum criminum rei invenientur. Hic ſenſus eſt anagogicus: nam ad literam agit de primo Chriſti in terram adventu, ut docent S. Cyrillus, Theodoret. Rupertus, Ribera, & alii.

Vel ſanctiſſimi viri eum judicii diem timuerunt: 20. Sancti diem judicii timuerunt.
de S. Hier. aliàs dixi. S. Ephrem de ſeipſo id teſtatur ſerm. de judicio extremo, & compunctione: *Cor meum contremuit, & renes immutantur, dum cogito de actuum manifeſtatione, cogitationumque ac ſermonum exacta diſcuſſione, quæ ibi fiet.* Tum verò Chriſti irati, & omnia collata dona exprobrantis orationem ponit: *Dicit ad nos ipſe: Propter vos incarnatus ſum*, &c. Si hæc in viridi ligno fiunt, in arido quid fiet? Si *columnæ cæli contremiſcunt*, (id eſt,

Angeli,

Angeli, ut S. Th. & Philippus volunt. 2. Sancti, qui cælum, hoc eſt, Eccleſiam fulciunt) *& pavent ad nutum ejus*: Job. 26. 11. ſceleratus quanto tremore quatietur. Vide dicta Pſ. 1. 5. *Ideo non reſurgent*, (Hebr. non ſtabunt, non conſiſtent) *impii in judicio, neque peccatores in concilio*, (S.Hier. in congregatione) *juſtorum*. In eorum aſpectu confundentur, quòd ſe peccatorum confuſione, ut veſte indutos conſpecturi ſint. David de ſuis adverſariis dicit Pſ. 108. 29. *Induantur*, (Hebr. *induent ſe*. Ex te enim perditio tua) *qui detrahunt mihi pudore*: *& operiantur ſicut diploide* (Hebr. operientur tanquam מעיל, *meil*, pallio, ut vertit Arias: duplici pallio, ut Apollinaris: chlamyde duplicatâ, ut Euthym. & Nicephor. veſte ſuffultâ, ut alii) *confuſione ſuâ*. Eſt prophetia, non maledictio, aut imprecatio. S. Greg. generatim de ſceleratis ait l. 8. Mor. c. 32. Juſtorum hoſtes in extremo examine confuſio induit: quia cùm tranſacta mala redundare ſibi ante oculos mentis aſpexerint, ſuus eos undique reatus veſtit. Ita ipſe. S.Greg. Naz. orat. in plagam grandinis, ait, peccata ipſis fore πικροὺς κατηγόρους, acerbos accuſatores. S. Greg. Nyſſ. in Pſ. In conſcientia ſua, inquit, peccator, σπαράσσεται, agitatur & convellitur, atque terrore angoreque conſtringitur: in judicio ſcilicet, de quo agit. Tremorem illum tempore tentationis conſiderandum eſſe, docet S. Baſil. Conc. 14. Quando, ait, tibi peccandi libido inceſſit, veniat, quæſo, in mentem φρικτὸν ἢ ἀνύποιςον, horrendum atque intolerandum Chriſti judicium, ubi celſo ſublimique in ſolio ille quidem judex præſidet: creatura verò ad glorioſum illius adventum tremebunda omnis adſtat. Converſionem Bogoris regis Bulgarorum viſâ judicii extremi picturâ aliàs retuli.

ARTICULUS II.

Peccatum eſt animæ morbus perniculoſiſſimus, medicus eſt Chriſtus, eum ſanans.

FIne poſtulato, ut ſcilicet in extremo judicio ad ignem æternum non condemnetur, petit David media ſibi concedi ad illum finem obtinendum. Tria autem aſſignat. Primò, ut eripiatur ab infirmitate per Deum Patrem miſericordem. Secundò, ut ſanetur per Deum medicum potentiſſimum. Tertiò, ab animæ tumultu eximatur per Deum ſalvatorem optimum.

Verſ. 3. 21. Miſericordia Dei imploranda.

Ac Primò, per miſericordiam paternam David, Verſ. 3. MISERERE MEI, (Hebr. חנני, *honneni*, da gratiam mihi) DOMINE, QUONIAM INFIRMUS SUM. Hinc S. Aug. probat neceſſitatem gratiæ, epiſtolâ 106. quod etiam Græca vox ἀσθενής, id eſt, ſine robore, meliùs adhuc oſtendit. Verè ait Chriſtus Joan. 15. 5. *Sine me nihil poteſtis facere*. Palmes debet à vite ſuſtentari, ei uniri, & ab illa ſuccum trahere, ſi vult fructificare: ita nos à Chriſto.

De qua infirmitate eſt ſermo?

Quæres, De qua infirmitate loquatur David? Primò, de infirmitate & morbo corporis explicant Innocentius III. Theodorus Antiochenus, Lyran. Cajet. & favet vox Hebr. אמלל, *umlal*, debilis, infirmus, exhauſtus viribus, enervatus, ſuccíſus, quæ de corporis infirmitate propriè dicuntur. Secundò, S. Aug. hic & epiſt. 106. interpretatur de infirmitate mentis, idem ſentit Bellarm. & alii. Tertiò, plenius & commodius, David de utroque morbo ac debilitate loquitur. Nam *umlal* ad utrumque applicari poteſt, & occaſione morbi ſui mentem elevans conſiderabat animi ſui lapſum, & ex lapſu ortam debilitatem, infirmitatem, & enervationem. Variæ enim ſunt hominis infirmitates. Prima, naturæ, Gen. 3. 19. *Pulvis* (Sept. terra: ſed *aphar* propriè ſignificat pulverem) *es*, *& in pulverem reverteris*. Hominem vocat Ariſtoteles, corruptionis ſpeculum, temporis ſpolium. Seneca verò, imbecillum corpus & fragile, nudum, inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum. Secunda, eſt infirmitas culpæ, Rom. 5. 6. *Ut quid enim Chriſtus, cùm adhuc infirmi eſſemus, ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt*. Ibi infirmos Paulus vocat peccatores. Nam ob peccati morbum infirmantur, & fiunt impotentes ad bona opera facienda ſuis viribus, & ad conſequendam ſalutem, ut ait Theodorus. Tertia, eſt infirmitas pœnæ, Job. 6. 4. *Sagittæ Domini in me ſunt*, (Sept. in corpore meo ſunt) *quarum indignatio* (Hebr. חמה, *homa*, venenum, ut Arias, Pagn. Vatabl. vertunt. 2. Fervor, ut Tigurina. 3. Furor, ut Sept. 4. Iram rectè verteris: eſt enim eadem vox in verſu primo Pſalmi noſtri, ubi noſter reddit, neque *in ira* tua corripias me) *ebibit ſpiritum meum*, id eſt 1. Vitalem facultatem, q. d. vulnera mea ſunt mortifera, ut explicat Vatabl. 2. *Spiritum*, id eſt, reſpirationem, ut ſenſus ſit, vix poſſum reſpirare. 3. *Spiritum*, id eſt, robur ac vires. q. d. ita ut infirmus prorſus remaneam, & maximè loco noſtro conveniet. 4. *Spiritum*, id eſt, mentem ac judicium, & internas vires. 5. Denique *ſpiritum*, id eſt, ſanguinem, ut reddunt Sept. Per ſagittas autem Domini intelligit: 1. Ægritudines ac dolores S. Thomas. 2. Ulcera corporis ac vermes, Philippus. 3. Generaliùs Olympiodorus & Polychronius pœnas divinitùs inflictas. Quarta, eſt infirmitas perverſi habitûs, Pſ. 30. 11. *Infirmata eſt in paupertate* (S. Hier. in iniquitate. Symm. ἐν κακώσει) *virtus mea*, (Sept. ἰσχύς μου, robor meum) *& oſſa mea* (habitus boni, & bona indoles, atque inclinatio ad virtutem) *conturbata ſunt*. S. Hier. contabuerunt. Pagn. computruerunt. Arias, corroſa ſunt. Aquila, ηὐχμώθη, ſqualluerunt. Symmach. ἐσαπρίσαν, putruerunt. Quinta, eſt infirmitas tentationis, & afflictionis, 2 Cor. 12. 9. *Virtus* (Gr. δύναμίς μου, robur meum) *in infirmitate* (in tentatione & ſtimulo carnis, de quo mox egerat) *perficitur*: Primò, quia tentatio cautiores & exercitatione fortiores facit. Secundò, quia fortitudo noſtra eſt infirmitatis in veritate cognitio, & in humilitate confeſſio, ut dicunt S. Aug. lib. de gratia Chriſti cap. 12. & S. Anſelmus. Tertiò, quia ubi abundat tentatio, ſuperabundat & gratia: non patitur enim Deus nos tentari ſupra id, quod poſſumus. Unde addit: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis*, (in doloribus & afflictionibus) *ut inhabitet in me virtus* (δύναμις, id eſt, fortitudo) *Chriſti*, (ut dux in arce obſeſſa) *propter quod placeo mihi in infirmitatibus*, id eſt, *in contumeliis, in neceſſitatibus*, (in fame, frigore, nuditate, &c.) *In perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Cùm enim infirmor* (affligor, & per afflictiones debilitor) *tunc potens ſum*, id eſt, per gratiam Dei fio robuſtius ad exercendas virtutes, ut explicat S. Chryſoſt. ad facienda miracula, ut Oecumenius.

Nota, motivum miſericordi Deo objicit David miſeriam ſuam: eſt enim objectum miſericordiæ. *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum*. Deum noſtrâ miſeriâ moveri ad miſerendum, docet Pſ. 102. 13. *Quomodo miſeretur pater* (Deus patri ſe comparat, Malach. 3. 17. imò matri, quæ non poteſt oblivíſci infantis uteri ſui, Iſa. 49. 15.) *filiorum ſuorum, miſertus eſt timentibus ſe*. Rationem dat ℣. 14. *Quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum*, (S. Hier. plaſmationem noſtram. Chald. concupiſcentiam pravam, quæ in errorem abripit nos: vel, ut eſt apud Nebienſem, fomitem pravum, qui peccatum ſuggerit. Hebr. יצר, *ieſer*, ſignificat, ut docet R. David in libro radicum, cogitationem & deſiderium cordis humani, ſic vocatum, quòd multa formet atque effingat in corde: q. d. ait Mercerus, fictionem aut figmentum. à *iaſar* formavit, cogitavit, finxit. Poſſis naturam aut propenſionem dicere. Hebræi vocant peccatum originale *ieſer ra*, id eſt, figmentum malum, ſeu depravatam propenſionem, inclinationem ad malum: ſed ſic meliùs appellaretur fomes relictus à peccato originali, de quo movente Dei miſericordiam & compaſſionem habes Geneſ. 8. 21. ubi poſt diluvium Noëmo ſacrificanti Deus ait: *Nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines*, (mittendo diluvium propter peccata hominum) *ſenſus enim & cogitatio* (יצר, *ieſer*, id eſt, figmentum: hoc eſt, intentio & machinatio, ut ait R. David. 2. Figulina & officina, ut Cornelius) *cordis humani, in malum prona ſunt*, (Sept. incumbunt in mala)

22. Miſeria noſtra eſt objectum Dei miſericordiæ.

ab adoleſcentia ſua. David Pſ. 102. mox citato addit: *Recordatus eſt, quoniam pulvis ſumus.* In Pſalt. Æthiopico, Arabico, & aliis Latinis, atque apud S. Auguſt. S. Proſp. S. Hieron. S. Iſidor. S Greg. habetur, *memento quoniam*, &c. q. d. Vel hæc ſola cogitatio te flectet ad miſericordiam. Sic dicebat Job cap. 10. 9. *Memento quæſo, quod ſicut lutum* (Hebr. חֹמֶר *homer*, lutum, cæmentum. Sepe lutum figuli) *feceris me.* Pulvis enim, ex quo fuit Adami corpus formatum, fuit aquâ mixtus, ut partes velut ſtatuæ inter ſe coaleſcerent ac firmarentur, & tota maſſa pedibus inſiſteret, ſicque ante ſpirationem animæ erat lutum ac limus terræ. Eliphaz quoque Themanites, id eſt, rex Themanorum, amicus Jobi, ait cap. 4. 18. *Ecce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem.* (Symmachus, vanitatem.) *Quantò magis hi qui habitant domos luteas.* (corpus ſordidum & ignobile, quod Sap. 9. 15. vocatur terrena inhabitatio) *qui terrenum habent fundamentum;* (id eſt, pulverem leviſſimum, & tenuiſſimum, cui innitantur, ut ſtatua aurea Nabuchodonoſor pedibus luteis) *conſumentur velut à tinea.* Non requiritur leo, vel urſus, aut aliquod robuſtum animal, ad interimendos & corrumpendos homines, ſola tinea & vermes ſufficiunt.

23\. Hanc hominis infirmitatem, aliáſque egregiè exponit oculis S. Chryſolog. in Pſ. 45. *Quid infirmius homine, ait, quem ſenſus fallit, ignorantia decipit, circumvenit judicium, pompa ladit, tempus deſerit, mutat ætas, hebetat infantia, juventus præcipitat, ſenectus frangit? Huic ergo Deum iraſci in ira, indignari in furore non eſt Creatoris pii, qui novit figmentum noſtrum, & recordatur quia pulvis ſumus.*

Peccata ſunt morborum cauſæ.

Moraliter nota Primò, peccata ſunt cauſa morborum. Primò, Deo illos infligente, ut patet hîc in Davide ob adulterium & homicidium. 2. In Ægyptiis, & eorum magis, Exod. 9. 10. *Facta ſunt ulcera veſicarum turgentium* (Arias & Pagn. ulcus inflationem germinans, hoc eſt, ulcera ardore & ſanie turgida & tumentia) *in hominibus & jumentis.* 3. In Hebræis profectis de monte Hor, per viam quæ ducebat ad mare rubrum, ut circumirent terram Edom, id eſt, Idumæam. Tædere enim cepit populum itineris ac laboris, locutuſque eſt contra Deum & Moſen, *quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes*, id eſt. qui morſu ſuo tantum calorem immitterent, ut ab illis morſi viderentur ſibi comburi, Num. 21. 6. Vatablus vocem Hebr. Seraphim vertit, urentes. Plinius vocat preſteres lib. 20. cap. 20. & alibi. 4. Morbum immittit Deus in Philiſthæos, qui arcam poſuerant in templum Dagon, & eam per urbes ſuas circumducebant, 1 Reg. 5. 9. *Illis autem circumducentibus eam* (arcam) *fiebat manus Domini per ſingulas civitates interfectionis magna nimis: & percutiebat viros uniuſcujuſque urbis à parvo uſque ad majorem, & computreſcebant prominentes extalee eorum*, id eſt, exta ſeu viſcera eorum putrefacta per anum eorum cum ſummo dolore & cruciatu defluebant: ſicut accidit Ario, cùm eſſet Conſtantinopoli ad hæreſim ſuam in Conſtantini aula & imperio ſtabiliendam. Secundò, Peccatum eſt etiam naturalis & Phyſica cauſa morborum. Seneca hoc declarat epiſt. 95. ad Lucilium, ubi ſic loquitur: *Medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera cœirent paulatim, deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem: nec eſt mirum, tunc illam minus negotii habuiſſe, firmis adhuc ſolidiſque corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto. Qui poſtquam cepit, non ad tollendam, ſed ad irritandam famem quæri, & inventa ſunt mille conditura, quibus aviditas excitaretur: quæ deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis. Inde pallor, & nervorum vino madentium tremor, & miſerabilior ex cruditatibus, quàm ex fame macies: inde incerti labantium pedes, & ſemper qualis in ebrietate titubatio: inde in totam cutem humor admiſſus, diſtentuſque venter, & decolor vultus, tabeſque in ſe putreſcentium, & retorti digiti articulis obrigeſcentibus nervorum ſine ſenſu jacentium torpor, aut palpitatio ſine intermiſſione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? Quid oculorum auriumque tormenta, & cerebri æſtuantis verminationes, & omnia per quæ exoneramur, internis ulceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu ſævientium; aliarum tenui peſte repentium, aliarum cum horrore & multa membrorum quaſſatione venientium? Quid alios referam innumerabiles morbos, ſupplicia luxuriæ?* Hæc Seneca.

Secundò, moraliter nota: Peccatum ipſum eſt morbus. Et de illo loquitur etiam David, cùm ait: *Miſerere mei, quoniam infirmus ſum.* S. Bern. ſerm. 6. de adventu: *Peccatum, ait, eſt morbus animæ, & corruptio mentis.* Nam ſicut in corpore ſublata debita humorum proportione, morbus eſt; ita in mente commotionum atque affectionum debita ſymmetria impedita, ægritudo contrahitur. Seneca epiſt. 85. Vitia mentis humanæ inveterata & dura morbos ait vocari, ut avaritiam, crudelitatem, impotentiam, impietatem, atque initiis remedia eſſe adhibenda. Nam iſta quantumvis exigua ſint, in majus excedunt, nunquam pernicioſa ſervant modum. Quamvis levia initia morborum ſerpunt, & ægra corpora minima interdum mergit acceſſio. 24.

Peccatum eſt morbus graviſſimus.

Hinc rectè infertur, peccatores non eſſe ſanos, & conſequenter eſſe inſanos. Tullius lib. 3. Tuſcul. quæſt. *Nomen inſaniæ, ait, ſignificat mentis ægrotationem & morbum, id eſt inſanitatem, & ægritudinem animi, quam appellârunt inſaniam. Omnes autem perturbationes animi morbos Philoſophi appellant, negantque ſtultum quemquam his morbis vacare: qui autem in morbo ſunt, ſani non ſunt, & omnium inſipientium animi in morbo ſunt, omnes inſipientes igitur inſaniunt. Sanitatem enim animorum poſitam in tranquillitate quadam, conſtantiaque cenſebant. His rebus mentem vacuam appellârunt inſaniam, propterea quòd in perturbata anima ſicut in corpore, ſanitas eſſe non poſſit.* David noſter poſt peccatum admiſſum in numeratione populi, pœnitens ait, 2 Reg. 24. 10. *Stultè ego nimis.* Et Theodoretus dicit in Pſalm. noſtrum, tunc non eſſe timendum à paſſionibus, quamdiu ratio ſana erit. Si ratio, inquit, in nobis non ægrotabit, perturbationes nequaquam tumultuabuntur. ἐῤῥωμένου γὰρ ἡνιόχου: Quoniam ſi auriga validus fuerit, & equos ſcienter flexerit, & moderatus fuerit, inſultus non habebunt locum.

Peccator eſt inſanus.

Morbus mentis poteſt eſſe in omnibus ſenſibus ſpiritualibus. Primò quidem, in viſu eſt mentis cæcitas. Iſaiæ 42. 16. *Quis cæcus, niſi ſervus meus?* (Populus Judaicus & Chriſtianus) *& ſurdus, niſi ad quem nuncios meos miſi? Quis cæcus, niſi qui venundatus eſt?* (Primò, qui ſe tradidit & vendidit diabolo & peccato. 2. Et melius, qui Chriſto venditus eſt pretio ſanguinis perſoluto. 1 Cor. 6. 20. Empti eſtis pretio magno) *& quis cæcus, niſi ſervus Domini?* Tullius 3. Tuſcul. Acutè, inquit, animi affectionem lumine mentis carentem, nominaverunt amentiam eandemque dementiam. Ex quo intelligendum eſt eos, qui hæc rebus nomina poſuerunt, ſenſiſſe hoc idem, quod à Socrate acceptum Stoici retinuerunt, omnes inſipientes eſſe non ſanos. Qui enim animus eſt in aliquo morbo, non magis eſt ſanus, quàm id corpus quod in morbo eſt: ita fit, ut ſapientia ſit ſanitas animi. Inſipientia autem quaſi inſanitas quædam, quæ eſt inſania, eademque dementia. Ita ipſe, atque infra ſubdit, *furorem eſſe rati ſunt mentis ad omnia cæcitatem.* Cæcitas animi cæleſtia non videntis, neque æſtimantis, figuratur in Sodomitis aditum ad Angelos in domo Loth manentes non reperientibus, Geneſ. 19. 11. & in Syris non cernentibus Eliſeum, qui ſignificat Dei ſalutem, 4 Reg. 6. 18. & in urbem hoſtium intrantibus, ubi occidi facilè potuiſſent, ℣. 20. & ſeq. Peccatores ad divina cæci, ad terrena lynces ſunt, eaque ſemper præ oculis habent ac mirantur. Hoc S. Chryſoſt. deplorat hom. 9. ad Hebræos: *Quid ſunt, ait, humanæ res? Cinis & pulvis, tanquam pulvis ante faciem venti. Fumus, & umbra, & folium quod circumfertur, & flos, & ſomnium, & fabula, ventus & aer mollis temerè diffluens, penna non conſiſtens, fluentum prætercurrens, & quæ ſunt quàm hæc magis nihili? Qui hujuſmodi res ſtimant, nonne cæci ſunt?* Non modò cæcus, ſed etiam 25.

Morbus ob peccatum eſt in tota anima.

1\. In viſu ſpirituali.

lippus

lippus ad Deum non accedit: apud Hebræos erat irregularis, & ab altari arcebatur. Levit. 21. 20. *Nec accedet ad miniſterium ejus* (Dei) *ſi gibbus, ſi lippus*, (Hebr. דק *dak*, minutus, ut vertit Arias: 1. Pelliculam habens, ut R. David. 3. Qui tenerioribus eſt oculis, atque attenuatis, ut alii. Rad. דקק *dakak*, attenuare. 4. Lippus, id eſt qui eſt oculis lachrymantibus, putri inde humore defluente) *ſi albuginem* (maculam) *habens in oculo*. Hebr. תבלל *thebaliul*, ſignificat maculam ſive albuginem in oculo: & ſic vocatur: Primò, quòd, ut ait Pagninus, ſit miſta cum nigro pupillæ: Secundò, ut dicit R. David, quod confundat ac perturbet aſpectum nigredinis pupillæ. Rad. *balal*, miſcere, confundere: Tertiò, ut docet Mercerus, aliqui luſcioſitatem interpretantur, vernaculè, *une maille dans l'œil*, ex quo fiat ut confuſi ſint oculi, non uniformes. Judæi quoque ad rem noſtram aptè, eum qui alienata & confuſa ſit mente, vocant *mebulbal*, q. d. confuſum. Etenim à *balal* formant verbum quadratum, id eſt, quatuor literarum, *bilbal*, confundere. Iſychius lib. 6. in Leviticum cap. 21. Tropologicè interpretans, ait: *Qui oculos laſos & infirmum viſum habent, dicimus eſſe eos, qui habent Dei ſcientiam, ſed corruptam, quales ſunt quidam qui inflantur.* Et poſtea: *Quemadmodum ſuffuſio viſum pupilla tegit: ſic arrogantia & elatio circumfuſa animæ, obſcuram ſcientiam facit.* Albuginem verò, ait eſſe in vita & converſationis pravitate: quia omnibus oculis apertè hæc ineſt paſſio: ſicut & vitæ pravitas latere non poteſt. Hæc ad hæreticos & ſciolos præſertim transfer.

26. 2. In auditu. Secundò, in auditu ſpirituali eſt ſurditas per inobedientiam & obſtinationem. Pſal. 57. 5. *Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis*, (Chald. ſecundùm interius venenum) *ſicut aſpidis* (S. Hier. reguli) *ſurdæ, & obturantis aures ſuas.* Vide ibi dicta, quomodo audiet, qui jam ſurdus eſt ob multos malos habitus, & adhuc ſuas aures obturat per actus impios, quibus rejicit à ſe inſpirationes atque externos monitores: *Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* S. Hieron. nec incantatoris incantationes callidas. Clarius, nec medicamenta medicata à ſapiente. Apollinaris appellat, φαρμακὸν ἄλκαρ, medicatum remedium. Hoc apertè dixit Zacharias cap. 8. 11. *Noluerunt attendere, & averterunt ſcapulam recedentem.* (Tigurina, obverterunt humerum rebellem. Sept. dederunt dorſum contemnens. Sic ſervi protervi & inobedientes faciem ab heris avertunt, & contempto præcepto abeunt) *Et aures ſuas aggravaverunt*, (velut injecto plumbo obſtinationis: Tigurina, aures ſuas hebetârunt) *ne audirent*: tantum abeſt, ut exequi velint mandata. Zacharias Chryſopolitanus Epiſcopus lib. 2. cap. 109. Surdus, inquit, apud Deum dicitur, qui non audit quæ Dei ſunt, ſed quæ diaboli: & S. Auguſt. lib. 1. quæſt. Evang. q. 19. Surdi, ait, qui non obtemperant, etiamſi intelligant.

27. 3. In guſtu. Tertiò, in guſtu ſpirituali eſt pravitas, cùm ſuavitas cæleſtis & amaritudo terrena non percipiuntur, ſed contrarium potiùs judicabatur. Iſaiæ 5. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* (Aquila vertit: *Væ qui dicunt malo, Bonus es, & bono, malus es.* Vide S. Maximum ſerm. de malis, ubi vituperat adulatores, qui laudant vitioſos: ſed meliùs malum pro malitia & bonum pro bonitate ſumes. Vide S. Greg. hom. 8. in Pſal. 100. ubi reprehendit eos qui nomina vitiorum dant virtutibus, & contra) *ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Aquas mundi fuge, ut aquas Mara. Exod. 15. 23. & aquas Jericho, id eſt lunaticæ, 4 Reg. 2. 19. Salomon agens de meretrice Prov. 5. 4. ait: *Noviſſima illius amara quaſi abſynthium.* (Hebr. לענה *laana*, amaritudo, toxicum, venenum, abſinthium) *& acuta quaſi gladius biceps*, q. d. cor dolore transverberant ſtatim poſt peccatum admiſſum: experto illi crede, tanti pœnitere non emas, Salomon id ſciebat propriâ edoctus experientiâ.

28. 4. In odoratu. Quartò, in odoratu ſpirituali eſt morbus, cùm odores cæleſtes non benè percipiuntur, & terreſtres nimis placent. Levit. 21. 18. *Nec accedet ad miniſterium ejus* (*Dei*) *ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi parvo, vel grandi, vel torto naſo*, id eſt ſi vel ſimus ſit, vel nimis aquilino naſo. Hebr. חרם *harum* ſignificat ſimum, id eſt eum qui preſſis eſt naribus & parvo naſo, q. d. exciſum, ſucciſum: vel, ut ait Mercerus, anathematizatum naſo. Rad. *harum*, excidere, ſuccidere, anathematizare, devovere, à communi uſu tollere, corrumpere. Tropol. parvo naſo eſt, qui magna non percipit ac divina. Vox verò שרוע *ſarva*, quam noſter vertit, *grandi vel torto naſo*, id eſt, in terram inflexo propriè, ſignificat *excreſcentem*, ut vertit Arias. 2. Monſtroſum, ut Pagn. Radix, *ſara*, excreſcere, ſuperfluere, redundare. Monſtrum eſt, hominem facie ad cælum elevatum, ut cæleſtia videat, audiat, guſtet, odoretur, & currat in odorem unguentorum cum Sponſa & adoleſcentulis ejus, Cant. 1. 3. naſum ad terram incurvare ac protendere, ut lutum ac fimum cum ſcarabæis, qui inter bonos odores moriuntur, & in fæce exultant, ſentiat & ſibi attrahat, in eoque demoretur. Ezech. 18. 17. Deus ait de Judæis idola colentibus: *Replentes terram iniquitate converſi ſunt ad irritandum me, & ecce applicant ramum ad nares ſuas.* Illum oſculantes atque odorantes, in ſignum quòd Solem adorarent, eique gratias agerent, ut authori boni odoris lauri, cujus ramum ut arboris ei dicatæ geſtabant & venerabantur. Hebr. הזמורה *zemora*: 1. Significat ramum, palmitem præciſum. Rad. זמר *zamar*, præcidere, amputare. 2. Commodè, ponitur ibi pro ramo qui tenebatur, & ad nares applicabatur in adoratione Solis & ejus laudibus. Nam *zamar* in conjugatione Piel, ſignificat cantare, pſallere, pſallendo celebrare. 3. Ad rem noſtram aptè *zemora* ſignificat *fœtorem*, ut vertit R. David & R. Salomon; eſt autem contra naturam bono Dei odore ſpreto quærere fœtorem idolorum, id eſt terrenorum, quæ ut idola adorantur. Syr. reddit: Ipſi vim inferunt in naribus ſuis, id eſt, naribus ſuis. Eſt enim Beth contactus. Nec mirum eſt, ſi id à multis fiat, quia naſo ægrotant. Iſychius lib. 6. in Levit. cap. 21. Naſo, ait, proprium eſt odorari. Hoc ergò ſano, benè quis odoratur: terebrato autem vel truncato, non benè quis odoratur: quales ſunt quidam quibus mala placent, propter hoc quia malum habent cogitationum odoratum.

Quintò denique, in tactu ſpirituali eſt morbus 29. 5. In tactu.
varius. Primò, in corde, quod nihil ſentit. Zachar. 7. 12. *Cor ſuum poſuerunt ut adamantem*, (Chald. addit, durum) *ne audirent legem, & facta eſt indignatio magna à Domino.* ἀδάμας dicitur quaſi indomabilis, quia aliqui adamantes conteri non poſſunt. Iiſdem Judæis ait Deus Iſaiæ 48. 4. *Scivi quia durus es tu* (populus) *& nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea*: itaque ictus Dei ad januam pulſantis non percipit. Secundò, in variis corporis partibus particulares morbi ſunt vel deformitates: unde ab altari Judæorum, ut habetur Levit. 21. 18. removebatur claudus: ubi Iſychius, Claudus, ait, eſt viam Dei corrumpens, qui ex parte divina mandata & legem ſubvertit, de quo in Pſal. 17. Filii alieni mentiti ſunt mihi, filii alieni inveteraverunt & claudicaverunt à ſemitis ſuis. Quemadmodum enim claudi pes unus ſanus eſſe videtur, alter autem claudicat: ſic & hujus unum quippiam interim ſanum eſſe videtur, gloriatur enim ſe ſervire Deo: aliud autem infirmum eſt, dum corrumpit prævaricatione legem mandatorum, quæ tranſgreditur intentionem. Ita ipſe. Brevius S. Aug. lib. 1. quæſt. Evang. q. 19. *Claudi ſunt: qui præcepta non implent.* 2. Rejiciebatur ab altari, qui fracto erat pede vel manu, ℣. 19. Manu contrita eſt is, qui eam ad egenos extendere non poteſt, contrito pede eſt ſuperbus: ideò orat David Pſal. 35. Non veniat mihi pes ſuperbiæ. Ita Iſych. aut potius fracto pede, eſt ſegnis ac piger in rebus divinis. 3. Gibbus ſive gibboſus rejiciebatur ab altari. Gibbus eſt grave ferens pondus peccatorum, quaſi onus Babylonis & talentum plumbi, quod portatur in terram Sennaär: & illud non conſiderans, quia poſt tergum ſuum rejicit, horrens ejus aſpectum atque in tempus futurum pœnitentiam differens. 4. Rejiciebatur etiam, qui jugem ſcabiem ha-

habebat aut impetiginem in cute, ỳ. 20. Eſt autem impetigo fœdatio cutis ſerpens cum pruritu: alii putant eſſe ſcabiem ſiccam, aſperam & prominentem: alii morbum ſimilem ſcabiei ſquamoſum corpuſque deturpantem: Vernaculè vocamus ſeu volage galle, gratelle. Celſus lib. 5. ejus ſpecies quatuor aſſignat. Serenus id nomen deducit ab impetu, quòd celeriter vicinas partes petat; unde à Lucilio vocatur petigo, & olim dicebatur impetrix, ut Feſtus ait. Laborat impetigine detractor; quia facilè in omnes inſilit & morbum ſuum audientibus affricat: laborat jugi ſcabie, quia penè ſemper detrahit & vix ſanari poteſt, nec valet pruritum loquendi & ſcalpendi ſuperare. Tertiò, in toto corpore eſt febris ardens, quæ medici eget miſericordia. Deut. 28. 22. ait Moſes populo Iſrael: *Percutiat* (Hebr. percutiet: eſt enim prophetia) *te Dominus egeſtate, febri & frigore, ardore & æſtu*. De ſocru S. Petri dicitur Luc. 4. 38. *Tenebatur magnis febribus*. Chriſtus eam ſanavit. Febris eſt æſtus concupiſcentiæ. Beda in cap. 8. Matthæi. Unaquæque, ait, anima quæ carnis concupiſcentiis militat, quaſi febribus æſtuat, ſed ad tactum divinæ miſericordiæ convaleſcens, per continentiæ fræna laſciviam carnis conſtringit, ut ipſis membris, quibus ſervierat immunditiæ ad iniquitatem, ſerviat juſtitiæ in vitam æternam. Mitto cæteros morbos, quos eſſe plurimos docet Plutarchus tract. quòd animi quàm corporis afflictiones ſint pejores, & apologum affert vulpis cum panthera litigantis, & plures animi ſui variegationes quàm ſint in pantheræ corpore, eſſe jactantis: tum ait homini Plutarch. *Si teipſum intus aperias, πολυπαθὲς κακῶν ταμεῖον εὑρήσεις καὶ θησαύρισμα, varium aliquod & multis affectum modis penu malorum invenies: atque, ut ait Democritus, theſaurum: non extrinſecùs affluentium, ſed inſitos & indigenas fontes habentium, quos pravitas aperit, copiosè largiterque varias fundens affectiones.*

30. Nota Tertiò, moraliter, rectè Davidem ad animi ſui morbos reſpectantem dicere: *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum*. Maxima enim miſeria eget maxima miſericordia. Morbi autem animi ſunt longè major & periculoſior miſeria quàm morbi corporis. Primò, quia hi vitam temporariam & ærumnoſam tollunt, & brevem mortem afferunt: illi verò tollunt vitam æternam & mortem æternam inducunt. Secundò, quia morbi corporis facilius cognoſcuntur, per motum arteriæ, cutis inflammationem & carnis, ſanguinis corruptionem, aliaque. Animi autem morbus nullo ſenſu percipitur, & ab animo ipſo ægrotante vix ſentitur. Plutarch. loco cit. Ratio ſana, inquit, corporis morbos ſentit: de animi morbis *συννοσοῦν ſimul laborans* ferre judicium non poteſt. Proinde inter morbos animi, primus maximuſque eſt cenſendus dementia, quæ facit ut multis pravitas inſanabilis per totam vitam inhæreat atque commoriatur: *ἀρχὴ γὰρ ἀπαλλαγῆς νόσου μὲν αἴσθησις, Principium enim profligandi morbi eſt ſenſus ejus*, qui malè affectum ducit ad uſum ejus quod opitulatur. Ita ipſe. Eandem rationem attulerat Tull. 3. Tuſcul.

Morbi mentis ſunt graviores morbis corporis.

1\.

2\.

3\. Tertiò, pro morbo corporis ſanando diligentiùs laboratur. Unica Magdalena reperitur ad Chriſtum veniſſe pro ſananda mente, cùm plurimi accederent ad ſananda corpora ſua & ſuorum. Maria, ſoror Moſis, laborabat lepra mentis, murmurans contra Moſem & illi detrahens, nec Aaron curabat nec ipſa: ſtatim verò ut tacta eſt lepra corporis, orat Aaron pro ipſa. Num. 12. 11. Sic Ezechias pro ſuo morbo. Iſaiæ 38. David pro morbo populi, 2 Reg. 24. 17. & Moſes pro percuſſis à ſerpentibus ignitis in deſerto ob murmurationem, Num. 21. 7.

4\. Quartò, morbus animæ eſt pernicioſior morbo corporis: quia corpus tantùm afficitur malè, animus

5\. & afficitur malè & afficit. Quintò denique, penè omnes animi morbo peſtilentes ſunt. Pſal. 1. 1. beatus prædicatur, *qui in cathedra peſtilentiæ non ſedit*, id eſt in peccato. Vide ibi dicta. Varro lib. 3. de vita populi Romani, peccatum vocat gangrænam. Demoſthenes oratione de falſa legatione, *νόσημα ἐμπέπτωκεν εἰς ἑλλάδα*, Morbus, inquit, Græciam invaſit, & is quidem difficilis. Neque ibi ſtetit, ſed Arcadiam invadens ibi omnia ſus deque evertit. *βαδίζον κυκλῷ*, Huc illuc in orbem incedens progreſſus eſt hic morbus. Sic ipſe. Et quidem patet Chaldæorum vitia ſeu animi morbos ad Perſas tranſiiſſe, poſt captam à Cyro Babylonem: à Perſis tranſiiſſe ad Græcos, poſt victum ab Alexandro Darium: à Græcis ad Romanos ſuperato Antiocho in Aſia per L. Scipionem Africani fratrem, & Perſeo rege Macedoniæ per Paulum Æmilium, atque Cleopatra regina Ægypti extincta poſt pugnam Actiacam. A Romanis deinde fluxiſſe in totum Occidentem; qua de re vide Salvianum in libris de providentia. Hinc ruina regnorum per Alanos, Gipedes, Vandalos, Gothos, Longobardos, aliosque barbaros eſt exorta. Prov. 29. 8. *Homines peſtilentes diſſipant*, (Symm. incenderunt, Vatablus, illaqueant. Alii fluctuare faciunt) *civitatem*, in rebus terrenis, ſed maximè in ſpiritualibus.

Vitia ab una natione ad aliam tranſeunt.

Morbo cognito & declarato, opem Medici David implorat. Verſ. 3. SANA ME DOMINE: QUONIAM CONTURBATA SUNT OSSA MEA. Quæres, quænam oſſa intelligat? Reſpondeo, cùm infirmitatem verſu ſuperiori intellexerimus tum corporis, tum animi, hic etiam oſſa utriuſque eſſe intelligenda.

Verſ. 3. 2. Pars.

Primò itaque, oſſa corporis accipe: ſive ſumas illa propriè & ſtrictè: ſive ſynecdochicè, cum Janſenio & R. David, pro reliquis membris: ſive proverbialem dicas eſſe ſententiam: q. d. *conturbata ſunt oſſa mea*, id eſt magno dolore urgeor, qui tantus eſt ut intimas medullas pervadat. Oſſa quidem non ſentiunt nec dolent, ſed eſt dolor maximus in membranis & aliis partibus propè oſſa, & vocatur ὀστεόκοπος, q. d. oſſium dolor & labor, ut Galenus docet lib. 3. de ſanitate tuenda, cap. 5. & 2. de locis affectis cap. 7. Oſſium porrò ſive membrorum hanc conturbationem Trevetus interpretatur de laſſitudine in lugiendo & vigilando, & propter redundantiam doloris in corpus ex tædio mentis, qua ratione evadat, quo pacto ſe gerat in tanta perſecutione: & quidem quam in eum vel Saul, vel Abſalon, vel quilibet alius excitaverat. Sed melius de morbo explica, in quo ſæpè dolor eſt in extremitatibus & juncturis oſſium & membranis adjunctis. 31.

32\. Secundò, de oſſibus mentis etiam ſermo eſt. *Conturbata ſunt*. Syr. tremefacta ſunt. Chald. obſtupuerunt. Alii territa ſunt. Quæres, quænam ſint oſſa mentis? Primò, Theodoretus oſſa mentis ait eſſe ejus cogitationes ſeu ratiocinationes. Quia, inquit, oſſa denſiorem habent naturam, & ipſa corpus ferunt, tropicè cogitationes per quas homo dirigitur, oſſa nuncupavit. Idem ſentit S. Greg. Nyſſ. tract. in Pſalm. cap. ult. Secundò, & melius, Heſychius oſſa mentis cenſet poni pro virtutibus, quæ ad intellectualem virtutem evehunt. Et S. Greg. pro omnibus virtutibus. *Charitas*, ait, *confunditur, humilitas impingitur, fortitudo dejicitur, caſtitas impugnatur. Per oſſa virtutes accipimus, per quas nimirum animam ſuſtentamus. Sicut enim in oſſibus eſt fortitudo corporum, ita in virtutibus robur invenitur animarum. Et planè debilis omnis comprehenditur anima, niſi quæ fuerit virtutum fortitudine fulta.* Tertiò, malim intelligere de ipſis animæ facultatibus: nempe intellectu, voluntate, & memoria: hæc enim & animam ſuſtentant, & propriè conturbantur, & terrentur, atque obſtupeſcunt in peccatore. Intellectus quidem, variis cogitationibus pœnæ præſentis & futuræ, Dei irati, famæ perditæ, difficultatis majoris in exercitio virtutum & aliis hujuſmodi. Voluntas verò, ob bellum majus dæmonis atque paſſionum, & timores varios ſibi objectos. Memoria denique agitatur peccati recordatione & amiſſionis ſtatus præcedentis, in quo virtutibus florebat. S. Chryſol. ſerm. 45. Turbantur oſſa, fratres, peccatorum pondere, metu mortis, terrore judicii.

Oſſa mentis ſunt: 1. Cogitationes.

2\. Virtutes.

33\. Nota, mentis oſſa, id eſt facultates ſeu vires: Primò, per orationis, ut vivifici ſucci, ſubſtractionem exareſcunt, Pſal. 101. 4. *Defecerunt* (S. Hier. conſumpti ſunt) *ſicut fumus dies mei*, (dum fumum vani-

Oſſa mentis, ob peccatum, 1. Exareſcunt.

vanitatis capto & ebibo) *Et oſſa mea ſicut cremium aruerunt*, id eſt, ſicut tenue & minutum lignum ſiccum, quo ignis accenditur & fornax. Id enim cremium ſignificat, teſte Columella lib. 12. ca. 19. Cremii aliam acceptionem mox ponam infra.

2. Nudantur. Secundò, oſſa mentis nudantur per amiſſionem virtutum. Cum enim quis peccat, charitatem amittit, & conſequenter virtutes omnes morales infuſas, ſine quibus eſſe non poteſt, ut docet S. Thom. 1.2. q.65. art.3. qui etiam ait art.4. fidem quidem & ſpem manere, ſed non in ratione virtutis perfectæ. Sic evenit, quod dicit Eliu, ſive amicus ſive conſanguineus Jobi, cap. 33. 21. *Tabeſcet caro ejus* (hominis ſcilicet. Sept. donec putruerint ejus carnes) *Et oſſa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.* Vatablus & Tigurina, & promineant oſſa ejus, quæ prius non videbantur. Superbus dum eminere vult, ſe virtutibus ſpoliat, & ridiculum facit atque horribilem: ſicut oſſa quæ carnem & cutem, quibus tegebantur, disjiciunt aut perrumpunt, ut protuberent & appareant.

3. Conteruntur. Tertiò, oſſa mentis nudata conteruntur per multiplicem in res terrenas incurſum, & Dei vindictam. Iſaiæ 38. 13. *Quaſi leo ſic contrivit omnia oſſa mea:* morbus ſcilicet, aut Deus per morbum. Unde ibi S. Cyrill. Alex ait: *Qui tandem leo? Morbi dolor, & tantum non mors in ſpeciem infremens, & inſultum minitans* Nam in febri ignis internus intimas oſſium medullas inſtar leonis depaſcitur, & ſuccum omnem conſumit.

4. Tremunt. Quartò, oſſa hæc contrita tremunt. Eliphaz Themanites, Jobi amicus, ait cap 4. verſ. 14. *Pavor tenuit me, & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt.* Chald. membra.

5. Franguntur. Quintò, oſſa confringuntur per amiſſionem conſtantiæ & fortitudinis, unde fit peccator ludibrium hoſtium ſuorum ac præda. Pſal. 41. 11. *Dum confringuntur oſſa mea.* S Hier. cùm me interficiunt in oſſibus meis. Chald. dum occidunt me, & excoriant membra mea. *Exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.* Pſalt. Rom. qui tribulant me.

6. Comburuntur. Sextò, oſſa mentis in peccatore confracta, comburuntur per internos concupiſcentiæ æſtus. Thren. 1. 13. ait Jeruſalem: *De excelſo* (è cælo) *miſit ignem in oſſibus meis*, id eſt: 1. Iram & vindictam in principes meos, qui me ſuſtentant ut oſſa corpus, ſicut explicat S. Thom. & Olympiodorus. 2. Ignem Chaldæorum miſit in oſſa mea, id eſt in arces, turres, templum, palatia, quæ me quaſi oſſa roborabant, ut exponit S. Thom. S. Bonaventura, & Origenes. 3. Ad rem noſtram, miſit ignem, id eſt acrem cruciatum in oſſa mea ſeu interiora & viſcera. *Et erudivit me*, ignis ille ſcilicet. Hebr. ירדנה *jirdenna, dominatus eſt ei:* ſupple, oſſi: Eſt autem enallage numeri; nam poſuerat oſſa in plurali. Noſter apertè vertit, & erudivit me. David ignem illum ſenſerat Pſalm. 101. 4. *Oſſa mea ſicut cremium* (Hebr. מוקד *moked:* 1. Focus, ut Chald. R. David, Arias & Pagn. vertunt. 2. Incendium, exuſtio, ut Aquila, qui reddit καύσις) *aruerunt.* Symm. ſicut incendium torres facta ſunt. S. Hieron. quaſi frixa contabuerunt. Cremium enim quidam putant: 1. Ipſum frixorium ſeu vas in quo frigitur. 2. Alii cenſent, eſſe carnem frixam in frixorio, quæ quò magis torretur, eò magis virtus & humor evacuatur, Græci φρύγανον vocant, nos *une fricaſſée.* 3. Alii dicunt, cremium eſſe durum illud, quod in frixorio remanet, eique adhæret.

7. Diſperguntur. Septimò, oſſa mentis combuſta & in cineres, & inutilem ariditatem redacta, à dæmone diſperguntur & diſſipantur per inanes atque noxias ſollicitudines atque deſideria rerum terrenarum & impiarum. Pſal. 140. 7. *Diſſipata ſunt oſſa noſtra* (Pſalt. Arab. & Æthiopicum, oſſa eorum) *ſecus infernum.* Chald. in ore ſepulchri. S. Hier. melius: *In ore inferni.* Tu hæc Deo, ne non modò per univerſam faciem Ægypti diſſiperis quærens paleas, ſed etiam ut vilis palea dejiciaris in Infernum comburendus in æternum.

8. Non quieſcunt unquam. Octavò denique, non eſt ulla pax in oſſibus peccatoris. Pſ. 37. 4. *Non eſt ſanitas* (Hebr. מתום *methom*, integritas, ut Arias vertit: Alii, perfectio) *in carne mea à facie iræ tuæ*, id eſt propter iram tuam, cùm te vultu flammato in me irruentem conſpicio. Symm. & Aquila, ἀπὸ προσώπου ἐμβριμήσεώς σου, à facie fremitus tui, q.d. cùm te video in me frementem, *non eſt pax oſſibus* (Chald. membris) *meis à facie peccatorum meorum*, propter peccatum meum, ut Arabs reddit, q. d. cùm cerno peccata mea, ut monſtra terrifica, me ſtipantia & in me ſævientia, totus horreo & nullam quietis partem capio, ſed totus uſque ad oſſa concutior & conturbor. Hic verſus maximè congruit noſtro quem verſamus: *Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea*, & Pſalmus uterque idem prorſus habet initium, Domine ne in furore, &c. Turbatis autem oſſibus, quæ pax & quies eſſe poteſt in reliquis membris corporis? S. Chryſol. ſerm. 4. *Totam, ait, ſtructuram corporis oſſa portant, & ſi oſſa turbantur, quæ membrorum firmitas? Quæ fortitudo nervorum? Ubi carnis miſeranda ſubſtantia?*

34. Deus eſt animæ Medicus. Nota Secundò, Medicus animæ eſt Deus. Itaque dicit David; *Sana me Domine:* nullus alius lapſo in peccatum gratiam ſive actualem qua reſurgat, ſive habitualem qua vulnus obduratur, dare poteſt. Quæ impii juſtificatio eſt majus Dei opus quàm ſuſcitatio mortuorum, cùm detur jus ad vitam æternam, & à morte æterna liberetur anima. Quomodo ſit opus miraculoſum & quando, vide apud S. Thom. 1. 2. quæſt. 113. art. ultimo. In ea prior eſt ordine naturæ infuſio gratiæ: Secundò, motus fidei in Deum: Tertiò, motus contra peccatum: Quartò, remiſſio culpæ, licèt omnia ſint in eodem inſtanti, ib. art. 8. & q. 85. 6. ad 3. Itaque Deus ſanat, ſed cooperantem: ne aliunde quæras ſanitatem: ideò ſanatus eſt Naaman leproſus, quia in Deo vero ſperans venit ad regem Iſraël *Joram*, qui ſignificat *Dei celſitudo:* rad. יה *jah* Deus, & רום *rum*, elevare, extollere: & ſanatur ab Eliſæo, qui ſignificat *Dei ſalus*, vel, Deus ſalvans. Ab אל *el*, Deus: & ישע *jaſa* ſalvare. 4 Reg. 5. Primò, magnam fidem habe de Dei poteſtate & ſublimitate. Deinde ad eum accede, & JEſus, id eſt Salvator te ſanabit, & quidem perfectè. Ut docet S. Th 3. p. q. 44. art. 3. ad 3. quos in corpore ſanabat etiam in mente, ut patet in paralytico Matth. 9. 2. & S August. tract. 30. in Joan. tradit de eo, qui Joan. 7. 23. totus ſanus factus eſt: de paralytico alio qui jam per triginta octo annos ægrotabat, & jacebat in piſcina probatica, id eſt, ovina. Nam πρόβατον, Græcè eſt ovis. In ea enim piſcina, ut cenſent S. Hieronymus, Theophylactus & Beda, quotidie manè & veſperi oves Deo ſacrificandæ lavabantur. Manè in piſcina probatica lavare in humilitate ſcilicet & ſimplicitate, & ſanabit te Jeſus: ab ἰᾶσθαι, id eſt, ſanare quidam deducunt Ἰησοῦν. Primò, medicus ille bonus eſt, offert ſe non petenti. Matthæi 4. ỳ. 23. *Circuibat Jeſus omnem Galilæam* (Galilæa ſignificat volubilem aut rotam. Omnis homo nunquam in eodem ſtatu permanet, ſed ſemper volvitur, ſed ſæpè ut verſatilis rota poſt multos curſus non multum profecit in ſuo itinere & deſiderio) *docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni*, (id eſt, bonum, lætum & fauſtum nuncium de regno cælorum brevi aperiendo, & de via ad illud ducente) *& ſanans omnem languorem* (νόσον, id eſt, ait Euthymius, morbum jam habituatum, & radicatum etiam inſanabilem) *& omnem infirmitatem* (μαλακίαν, mollitiem, debilitatem, virium imminutionem ac deperditionem, laſſitudinem & morbi prænunciam, & morbi effectum) *in populo.* Tollit peccata venialia & mortalia. Secundò, Jeſus eſt medicus potens; citò ſanans. Matthæi 8. ỳ. 8. ait Centurio, id eſt, qui centum militibus præerat: *Dic tantùm verbo, & ſanabitur puer meus:* hoc eſt, ſervus, ut habet Lucas capite 7. ỳ. 3. deinde ait morbos illi obedire, ut ſibi ſuos milites, qui eunt redeuntque ad verbulum imperantis. 2. Sanabat ſine difficultate. Lucæ 6. ỳ. 19. *Virtus* (δύναμις, poteſtas, vis) *de illo exibat*, (ut à Sole radius, à fonte aqua, ab unguento odor, à magnete vis attractiva) *& ſanabat omnes.* Virtus de Jeſu egre-

egreditur, & viſa tollit. 3. Sanabat JEſus ſine medicamentis, vel verbo, vel tactu manus, vel attactu veſtis, vel contrariis remediis, ut luto ad illuminandum cæcos, vel rebus deſeminalibus, ut ſaliva ad reddendum linguæ uſum, Marci ſeptimo, verſu trigeſimo tertio. Denique ſanabat Jeſus etiam abſentes, ut filium reguli, Joannis 4. ℣. 52. Tertiò, JEſus eſt medicus ſapiens, ſciens, & aperiens cauſam morborum, & ægrotis monita optima tradens, ut ſanentur; ſicut cæco nato, quem miſit ad natatoria, id eſt, ad ſtagna, Siloë, qui erat fons ad radices montis Sion, ut ibi oculos lavaret, Joannis 9. ℣. 7. & leproſis decem, quos miſit ad ſacerdotes, & obedientes in via mundavit, Lucæ 17. ℣. 14. Illi miſericordiam petierant, JEſu præceptor, miſerere noſtri, ſicut David in Pſalmo noſtro ait: Miſerere mei, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine: dat etiam JEſus monita ſaluberrima, ut ſanati non ægrotent iterum, ſicut paralytico per 38. annos languenti, Joannis 5. ℣. 14. *Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ab illo petierat, vis ſanus fieri? Qui enim diu in peccato perdurat, aut ſæpè in illud relabitur, vix habet emendationis propoſitum, cùm confitetur, niſi ſedulò advertat, vel habet tam debile, ut ſtatim deterius corruat ob Sacramentorum abuſum. 1 Corinth. 11. 30. Paulus agens de malè ſumentibus Euchariſtiam, ait: *Ideo inter vos multi infirmi.* Sic hodie multi poſt Paſcha variis morbis corripiuntur, quia indignè Corpus Domini acceperunt, ut ibi dicit S. Anſelmus.

Cùm tam bonum, potentem, ſapientem habemus Medicum, videns tot ægrotos, & pleroſque ad mortem, exclama cum Deo, ut cenſet ſanctus Hieronymus, vel melius cum Jeremia, ut vult ſanctus Thomas, Chaldæus & Theodoretus. Jeremiæ 8. ℣. 21. *Super contritione filiæ populi mei* (id eſt. Jeroſolymæ) *contritus ſum, & contriſtatus, ſtupor obtinuit me* (Cauſam dat ſuæ admirationis, ℣. 22. *Numquid reſina.* Chaldæus, balſamum. Vatablus, theriaca. Græcè, *ῥητίνη*, id eſt, quicquid fluit, vel ſtillat ab arboribus odoratis: à *ῥέω* fluo: præcipuè intelligitur terebinthina, id eſt, lacryma ſeu gutta ſtillans è terebintho. Ex hac enim arbore diſtillat laudatiſſimum reſinæ genus. Vide Plinium libro 25. ℣. 6.) *Non eſt in Galaad? Aut medicus non eſt ibi? Quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* Galaad ſignificat acervum teſtimonii: & eſt Eccleſiæ typus, in qua eſt lex nova, quæ eſt teſtificatio divinæ voluntatis. 2. Reſina, ibi ſunt ſacramenta. Ut enim reſina mitigat dolorem, aſtringit vulnera, & cicatricem obducit: ita ad animæ vulnera perſananda nihil eſt efficacius ſacramentis. 3. Medicus eſt Chriſtus. 4. Terebinthus eſt crux ejus ſanguinem diſtillans. Sanans Chriſtus crucifixus in ſerpente æneo demorſos à ſerpentibus ignitis figuratus etiam eſt, de quo Sapientiæ 16. ℣. 10. *Filios autem tuos, nec draconum venenatorum vicerunt dentes: miſericordia autem tua* (Chriſtus tuus, id eſt, unctus oleo miſericordiæ) *adveniens ſanabat illos.* Et verſu duodecimo: *Etenim neque herba, neque malagma* (fomentum ſeu emplaſtrum emolliens: id eſt, hominum blanditiæ & deliciæ) *ſanavit eos: ſed tuus, Domine, ſermo, qui ſanat omnia.* Verbum divinum omnibus morbis medetur. Tullius dicebat, medelam animorum eſſe philoſophiam. Sic enim Tuſculan. tertio: *Eſt profectò animi medicina philoſophia: cujus auxilium, non ut in corporis morbis, petendum eſt foris: omnibuſque opibus viribuſque, ut noſmetipſi nobis mederi poſſimus, elaborandum eſt.* Dicebat ſanctus Ephrem. & benè, contritionem eſſe mentis medicinam. Sic enim ſermone de judicio extremo & comp.

Contritio eſt mentis medicina.

Compunctio, illuminatio eſt mentis, & ſanitas animæ. Compunctio remiſſionem peccatorum nobis jugiter conciliat. Compunctio unigenitum Dei Filium in nobis habitare facit, dum eum deſideramus ac quærimus. Compunctio Spiritum ſanctum ad ſe invitat & attrahit. Sed vera ſapientia eſt Chriſtus, qui lucem dat errantibus, & compunctis ad ſe accedentibus dat vim & efficaciam. Flere potuit Magdalena, ſolus JEſus potuit vim fletibus dare, ac dicere Lucæ ſeptimo, verſu quadrageſimo octavo: *Remittuntur tibi peccata.* Hæc conſiderans ſanctus Auguſtinus libro 50. homiliarum, homilia 23. *Acceſſit*, inquit, *ad Dominum immunda, ut rediret munda: acceſſit ægra, ut rediret ſana: acceſſit confeſſa, ut rediret profeſſa.* Non in unam Magdalenam illud unguentum effuſum ſpargitur, in omnes defluit pœnitentes. Sanctus Ambroſius libro 3. de Virginibus: *Omnibus locis omnibuſque temporibus non eſt prætermittenda medicina. Intra domum Maria ab Angelo benedicitur, intra domum David ungitur in Prophetam. Ubique JEſus curat, ubique ſanat, in itinere, in domo, in deſerto. In itinere curatur, quæ fimbriam tetigit. In domo principis ſynagogæ filia reſuſcitatur. In deſerto turba ſanatur.* Sanct. Pantaleoni medico Jeſus ipſe nomen mutavit, & Pantaleemonem, id eſt, omnibus & erga omnes miſericordem appellavit. Quartò, magis JEſus eſt Panteleemon, de quo dicitur Canticorum 1. 2. *Oleum effuſum nomen tuum.* Arabs vertit: Nomen tuum unguentum ſuave effuſum. Nomen illud eſt Chriſtus, id eſt, unctus, & hoc Hebræis ſignificabat Meſſias. S. Auguſtinus conc. 3. in Pſal. 30. *Nec*, inquit, *unguentum miſericordiæ tuæ in Jeruſalem quaſi in vaſo tenuiſti: ſed tanquam confracto vaſe, unguentum diffuſum eſt per mundum: ut impleretur, quod dicitur: Unguentum effuſum nomen tuum: & ita mirificâſti miſericordiam tuam in civitate circumſtantiæ: id eſt, in omnibus gentibus diffundens miſericordiam tuam.* Secundum, & præcipuum nomen Sponſi eſt JEſus, quod non eſt effuſum, ſeu ut Septuaginta vertunt, *ἐκκενωθὲν*, evacuatum & exinanitum. 1. In circumciſione, ubi meruit hoc nomen dans primitias ſui ſanguinis. 2. In cruce, ubi totum fontem exhauſit, & per Orbem ejus fragrantiam & efficaciam diſperſit, ut peccatorum morbos & fœtorem tolleret. Sanctus Ambroſius libro de Iſaac & anima, capite 3. *Aſpirat*, inquit, *in Verbo odor gratiæ & remiſſio peccatorum, quæ in totum diffuſa mundum, omnia tanquam exinanito replevit unguento: quia per univerſos graviùs vitiorum colluvies deterſa eſt.*

Concuſſis & conturbatis oſſibus, id eſt, animæ facultatibus, vel oſſibus etiam corporis in morbo, animæ ipſius ſubſtantia concutitur & conturbatur, ut ramis agitatis truncus etiam movetur. Verſu quarto: *Et anima mea turbata eſt* (Arabs, contriſtata) *valde: ſed tu Domine uſquequò?* Supple, iratus eris? Ut ſupplet Cajetanus. 2. Conteres me, ut Pagninus. 3. Turbaris contra me, ut S. Greg. & Caſſiod. q. d. anima mea turbatur ob peccata mea, & tu in me agitaris & furore concitaris propter illa, ſed quàmdiu id durabit? Verſ. 4.

Nota Primò: Peccator ſeipſum conturbat. Ubi Hebraicè habemus, *anima mea turbata eſt.* Syrus vertit, *ethezsath*, ſeipſam concuſſit: eſt enim in conjugatione Hithpael, quæ ſignificat actionem ejuſdem in ſeipſum. Sanctus Chryſologus ſermone 45. hoc expreſſit, cùm ait: *Inter Dei præcepta, & cordis paſſiones, inter virtutes & vitia, inter proſpera & adverſa, inter pœnas & præmia, inter vitam & mortem, ſtans in acie, bella ſuſtinens, ſuſcipiens vulnera, rarò ſtans, occumbens ſenſu, turbatur animus, turbatur valde: quia carnis impedita ponderibus, priuſquam ad virtutes veniat, vitiorum fit ante captiva.* Comparat Sanct. Chryſoſtomus eam mentis perturbationem tempeſtati, quam ex ira & luxuria vehementiſſimam excitari docet. 2. Perturbatam animam comparat aurigæ turbato. *Sicut*, inquit, *perturbato auriga equi inſolenter feruntur, ita etiam conturbata ratione omnia confunduntur, omnia invertuntur, & proprium locum amittunt.* Varias perturbationes mentis affert Innocentius III. Eſt, ait, turbatio timoris & commotionis, de qua legitur Luc. 2. Audiens Herodes rex turbatus eſt. 2. Turbatio furoris & confuſionis. Pſalmo 106. Turbati ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deglutita eſt: ſic ipſe legit. 3. Turbatio laboris & occupationis, de qua Dominus ait Lucæ 10. Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima. 4. Turbatio doloris & compunctionis, de qua Sponſa in Canticis capite 6. Anima mea turbata eſt propter quadrigas Aminadab. 5. Turbatio mœroris & compaſſio-

35. *Seipſum turbat peccator.*

paſſionis, de qua legitur Joannis 11. quòd JEſus turbavit ſeipſum, & lacrymatus eſt. 6. Turbatio ſtuporis & admirationis, unde Lucæ 1. Maria turbata eſt in ſermone Angeli, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio. Denique omnes tentationum ſpecies ad quatuor capita revocat: nempè Primò, ad turbationem miſeriæ in oſſibus conturbatis: Secundò, ad turbationem culpæ, in anima turbata: Tertiò, ad turbationem pœnæ, in turbato præ furore oculo. verſu 8. Quartò denique, ad turbationem gratiæ in conturbatis inimicis, verſ. eod. 8.

Quòd autem S. Gregorius, Lyranus, Richardus Pampolitanus & alii, de turbatione ad pœnitentiam & contritionem hæc verba referunt, *anima mea turbata eſt valde*, verum eſſe non arbitror: agit enim David de timore æternorum ſuppliciorum peccatis præteritis debitorum, ut rectè Rupertus exponit libro 8. in Matth. capite 7. ſeu de tormentis conſcientiæ, quam cogitationes de peccatis tanquam Lictores flagellarent, ut loquitur ſanctus Baſilius. Non dubito tamen inde Davidem ſumpſiſſe occaſionem dolenti ex animo, quòd Deum offendiſſet, & proponendi emendationem, ſed de hoc præcisè non agit.

Nota Secundò: In defunctorum Officio, Eccleſia hoc Pſalmo utitur: unde Lutherus priuſquam Purgatorium negaret, inferebat, animas ibi detentas deſperare & peccare, quòd hîc dicatur, Anima mea turbata eſt valdè. Et Pſal. 114. 3. qui in eodem Officio defunctorum uſurpatur: Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me. Reſp. 1. Hos Pſalmos per quamdam adaptionem applicari, cùm agimus de animabus Purgatorii, licèt de illis non ſint ad literam. Reſp. 2. Non eſſe neceſſe, ut totus Pſalmus & ejus omnes verſiculi illis conveniant, ſed ſatis eſt ſi aliqui.

ARTICULUS III.

Peccatum eſt mors animæ & infernus, à quo ſolus JEſus extrahit.

Verſ. 5. 5. Pars. 36. Converſio Dei ad nos eſt expetenda. DEo ſibi irato & faciem avertente, conturbari oſſa ſua & animam David ſentiebat: itaque petit, ut ſe ad ſe benevolam faciem placatus convertat, ſeque ab ea triſtitia & turbatione eripiat, ſicque liberatum ad ſalutem æternam perducat. Verſ. 5. CONVERTERE (Græcè ἐπίστρεψον, converte, ſupple teipſum, ait Lorinus. 2. Et melius, ἐπίστρεψον, ſumitur neutraliter, id eſt, revertere, pedem refer, redi, ut apud Ariſtophanem, & Matth. 12. 44. Marci 13. 16. Hebr. שובה ſuba, convertere, revertere) DOMINE, ET ERIPE ANIMAM MEAM, id eſt: 1. Meipſum: per ſynecdochen. 2. Et melius, animam propriè ſumptam. *Salvum me fac propter* (per) *miſericordiam tuam.*

Senſus porrò eſt Primò: *Convertere Domine*, id eſt, ut ait S. Auguſt. fac me converti. Nam perfecta noſtra converſio paratum invenit Deum, ſicut Propheta dicit: (Oſeas cap. 6. Secundum 70.) Tanquam diluculum paratum invenimus eum. Quoniam ut eum amitteremus, non ejus abſentia qui ubique adeſt, ſed noſtra fecit averſio. In hoc mundo erat, inquit Joan. 1. 10. & mundus per eum factus eſt, & mundus eum non cognovit. Si ergo in hoc mundo erat, & mundus eum non cognovit, noſtra immunditia non fert ejus aſpectum. Dum enim nos convertimur, id eſt, mutatione veteris vitæ reſculpimus ſpiritum noſtrum: durum ſentimus & laborioſum ad ſerenitatem & tranquillitatem divinæ lucis à terrenarum cupiditatum caligine retorqueri. Et in tali difficultate dicimus: Converte Domine, id eſt, adjuva nos, ut perficiatur in nobis converſio: quæ te paratum invenit, & fruendum te præbentem dilectoribus tuis. Hæc Auguſt. quem ſequitur Innocentius.

Secundò: Et melius ac ſimpliciùs, ſenſus eſt, *convertere Domine*, q. d. averſa à me facie iraſceris & indignaris, meque doloribus & animæ & corporis punis, revertere ad me, ac Solis inſtar radios faciei tuæ explica, triſtitiæ tenebras diſſipa, & pœnitentis miſerere. Ita S. Gregorius, Bruno, Remig. Haymo, Bellarminus & alii. Syrus vertit, *manifeſtum te fac Domine.* Peccator inter ſe ac Deum nubes interponit: non mirum eſt, ſi inde erumpant tonitrua, & ſequatur caligo, neque Deus ad nos veniat, neque nos ad Deum. Judæi dicunt, ſive Jeremias in eorum perſona, Threnorum 3. 43. *Operuiſti in furore*, (id eſt, furore, nos ſcilicet velut caligine furoris mi texiſti & undique cinxiſti, ut ſic excæcati ab hoſte capiamur & conteramur, ut Chaldæus, Origenes & Vatablus exponunt. 2. Ad rem, & meliùs, te & faciem tuam ira & furore operuiſti ac texiſti nobis, ut te non videremus, neque à te juvaremur) *& percuſſiſti nos: occidiſti, nec pepercſti. Oppoſuiſti nubem tibi* (id eſt, inter te & nos) *ne tranſeat oratio*, ad te ſcilicet Patrem noſtrum. Deo ſe avertente & removente à peccatoribus, magnum chaos inter eos ac Deum interjacet. Lucæ 16. 26. ait Abraham diviti epuloni opem imploranti: *Et in his omnibus* (Græcè, ἐπὶ πᾶσι τούτοις, præter hæc omnia) *inter nos & vos chaos* (confuſio, & incondita rerum congeries) *magnum firmatum eſt*, (nempe totum Purgatorii ſpacium inter limbum Patrum & inferos damnatorum) *ut hi qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare.* Longè major chaos eſt inter Deum & peccatores. Pſalmo 118. 155. *Longè à peccatoribus ſalus*, & ſalvator, & ipſa ſalus. Inter terram & Firmamentum ſeu cælum ſtellarum fixarum eſt ſpatium octoginta millionum milliarium, ut ait Clavius in ſphæra: par ejus dicitur altitudo à concava ſuperficie ad convexam, & inde ad empyreum longè major. Quis huc evadet hoſtis Dei, cùm in via ardua ſint obſtacula, & Deo ſe occultante ſit caligo & cæcitas? Alio ſartaginis ſimili Deus repræſentari curat peccati inter ſe & homines oppoſitionem, quæ ejus gratias & ſceleratí preces penetrare non ſinat. Ezechielis quarto, verſu tertio: *Et tu ſume tibi ſartaginem* (Arabs Ant. *patellam*, in qua carnes, piſces & alia friguntur) *ferream, & pones eam in murum ferreum inter te, & inter civitatem*, (Jeruſalem, quam in latere pinxiſti à Chaldæis obſeſſam) *& obfirmabis faciem tuam ad eam*, id eſt, ait R. David & Polychronius, faciem minacem & iratam averte ab urbe: vel potius, velut inexorabilis judex flammante & implacabili vultu & urbem & ſartaginem aſpicies. Nota, Deum repræſentat Ezechiel 5 Jeruſalem, peccatores; ſartago, peccata quibus impius fit: Primò, durus ac ferreus. Secundò, ardens & ſuccenſus. Tertiò, niger & fuliginoſus, *ſignum eſt domui Iſrael:* futuræ vindictæ præſagium & figura. Sola Dei miſericordia poteſt opem præbere: Itaque David ait: Convertere Domine. Arabs vertit, *propitiare mihi, ò Domine mi!* Sic Pſalmo 59. verſu 3. dicit: *Deus repuliſti* (ἀπώσω, ejeciſti cum indignatione & impetu) *nos: & deſtruxiſti* (Hebraicè, פרצתנו *pharaſtha*, fregiſti, diſcerpſiſti, ſcidiſti) *nos: iratus es, & miſertus es nobis.* Chaldæus vertit, *convertere in gloria tua ad nos.* Gloria Dei eſt miſereri, hoc eſt illi proprium.

Hanc converſionem miſericordem Dei David poſtulat Pſalmo 89. 16. *Reſpice in ſervos tuos & in opera tua*, (S. Hieron. appareat apud ſervos tuos *opus tuum*, id eſt, miſericordia tua: juſtitia eſt opus alienum ab eo, ad eam à nobis cogitur) *& dirige filios eorum*, (S. Hier. & gloria tua ſuper filios eorum, id eſt, miſericordia ut columna nubis & ignis) *& ſit ſplendor*, Hebr. נעם *noam*, decor, ut S. Hier. & Pagninus vertunt. Septuag. λαμπρότης, excellens & illuſtris pulchritudo. 2. *Noam*, id eſt, jucunditas, ut Felix & Arias, ſuavitas, dulcedo, ut alii, *Domini Dei noſtri ſuper nos*, (illuminans radiis ſupernaturalibus) *& opus manuum noſtrarum dirige ſuper nos*, dans gratiam ad opera quæ vires naturæ ſuperant. Et verſu 13. conformius ad Pſalmum noſtrum: *Convertere Domine, uſquequò?* Eſt apoſiopeſis ſeu ellipſis, quam ſupplet Chald. cùm vertit, uſquequò affliges nos? Pſalt. vetus, quouſque? *Et deprecabilis*, (S. Hier. exorabilis) *eſto ſuper ſervos tuos*, eis dominans, & eos ab omni hoſtium tuorum ſervitute liberans, & in ſervos tuos recipiens.

Allo-

Allegoricè. Converſus eſt ad nos Chriſtus per Incarnationem. Hoc attigit S. Chryſologus ſermone 45. *Convertere Domine. Unde? Ubi? De Deo in hominem, de domino in ſervum, de judice in patrem, ut pium converſio te demonſtret, quem poteſtas terribilem comminatur.*

Verſ. 5. 2. Pars. Converſus ad peccatorem Deus manum auxiliatricem offert. Hoc petit David Verſ. eodem 5. ERIPE ANIMAM MEAM: 1. A peccato, ut explicat Bruno. 2. A ſupplicio debito errantibus, ut Caſſiodorus & Alcuinus. 3. Ab afflictionibus, ut Euthymius. 4. Ac potiſſimùm, à poteſtate & continuis agitationibus hoſtium.

17. Peccator eſt captivus. 1. Enim hæret terrenis per cupiditatem. Moraliter, anima peccatoris captiva trahitur ad inferos. Primò, hærens deliciis per delectationem & cupiditatem. Pſal. 43. 25. *Humiliata eſt* (Aquila, κατέκυψεν, procubuit. Symm. κατεκαμίφθη. Incurvata eſt) *in pulvere anima noſtra: conglutinatus eſt*, (S. Hier. Felix, Pagn. & Arias, adhæſit) *in terra venter noſter.* Adhæret venter in terra, cùm quis in terrena negotia immergitur, & inſtar ſerpentis humi repit ac terram comedit, gulæ, fornicationi, aliiſque voluptatibus adhæreſcens, ut S. Chryſoſt. & S. Baſil. exponunt.

2. Infigitur per actus iteratos. Secundò: Anima peccatoris infigitur in lutum per ſcelerum frequentationem. Pſal. 68. 3. *Infixus ſum in limo profundi*, (ſupple maris. Symm. vertit, ἐβαπτίσθην εἰς ἀπεράντους καταδύσεις, id eſt, merſus ſum in interminatas & profundiſſimas voragines. Apollin. in fundum cœnoſum. Chald. ad rem noſtram aptè, demerſus ſum in captivitatem, tanquam in lutum profunditatis) *& non eſt ſubſtantia.* S. Hieron. & non poſſum conſiſtere.

3. Ligatur per longam moram. Tertiò: Anima peccatoris ligatur per diuturnam in peccato moram. Job. 18. ✝. 8. ait Baldad Suhitea amicus Job: *Immiſit in rete pedes ſuos, & in maculis ejus*, (id eſt, in foraminibus & plagis) *ambulat.* q. d. ſeſe ex una retis macula ſeu foramine in aliam implicat, ac magis magiſque involvit. S. Thomas exponit de progreſſu ex uno peccato in aliud. 2. Hugo de conſuetudine pravæ vitæ: unde additur verſu 9. *Tenebitur planta illius laqueo, & exardeſcet contra eum ſitis.* q. d. Ibi ſitiet, & torrebitur deſiderio ſemper majori voluptatum, neque unquam ſatiabitur. 2. Sitis, id eſt, ſitibundi, latrones, id eſt, dæmones, aliique hoſtes ejus ſanguinem ſitientes ac ſpolia. Arias vertit: *Roborabit ſuper eum ſitibundos.* Pagn. prædones. Vatablus, graſſatores. Sept. ſitientes. Vide cætera.

4. Trahitur in deſperationem. Quartò: Anima peccatoris ligata trahitur in exitium deſperationis. Pſalmo 17. ✝. 6. *Circumdederunt me dolores*, (S. Hieronymus, *funes*, ut Achitophel & Judam) *mortis*, id eſt mortiferi, *torrentes iniquitatis*, (S. Hieron. torrentes diabol. Felix, congregationes Belial. Chald. caterva peccatorum) *conturbaverunt me. Dolores* (Hieron. funes) *inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis*: id eſt, deceptoriæ facies mundanæ gloriæ, ut explicat S. Bern. in ſententiis: ſed patere latiùs arbitror, & ad graviſſimas tentationes ſpectare, & ad habitus inveteratos, ex quibus explicare ſe peccator penè deſperet.

Ex his mortis & inferni funibus & laqueis eripit Deus. Coloſſ. capite 1. 13. *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum*, id eſt, tenebroſorum dæmonum. Pſalmo 85. 13. *Miſericordia tua magna eſt ſuper me*, ut clypeo tuo cæleſti me tegas à telis hoſtium: *Et eruiſti animam meam ex inferno*, (Arias, *fovea*) *inferiori.* S. Hieronymus, de inferno extremo, id eſt. de inferno ad ignem æternum damnatorum, à quo miſericorditer Deus liberat remittendo peccata, ut S. Hieronymus, & S. Auguſtinus explicant. S. Bernardus ſerm. 2. de Aſſumptione ait, infernum inferiorem eſſe, ubi nemo confitetur Domino, & unde non datur regreſſus.

18. Carpi zelus indiſcretus arguitur. Miſericordia Chriſti ex inferni faucibus, in quas peccator immerſus eſt, extrahentis, vix commodiùs explicari poteſt, quàm viſione S. Carpi Epiſcopi Cretenſis: illam ſibi ab eo narratam & certam refert S. Dionyſius Areopagita epiſtola 8. ad Demophilum monachum. Cùm, inquit, quidam ab Eccleſia alium ad impium idolorum cultum abduxiſſet, media nocte orans Carpus dicebat, non eſſe æquum impios viros vivere, qui vias Domini rectas pervertterent: atque à Deo precabatur, ut amborum vitam ſine miſericordia, πρηστῆρί τινι, *turbine aliquo igneo* abrumperet. Quæ cum dixiſſet, commemorabat ſibi viſum eſſe videre repentè domum in qua ſtaret, agitari primùm, deinde à vertice in duas partes dimidias dividi, & ante ſe rogum quendam magni luminis, eumque (ſub dio enim locus ille eſſe videbatur) à cælo uſque ad ſeipſum deferri: cælum verò apertum, & in convexa cæli ſuperficie JEſum, aſſiſtentibus innumerabilibus Angelis, hominum figura & ſpecie. Atque hæc quidem à cælo videri ſumma cum ſua admiratione. Cùm autem ipſe deorſum oculos convertiſſet, cernere ſe dicebat etiam terram ipſam ita diſceſſiſſe, ut obſcurus quidam & tenebricoſus hiatus exiſtere videretur; atque homines quidem illos, quibus malè precatus eſſet, ante ſe ad os hiatus ſtare trementes & miſeros, & qui ferè præ pedum ſuorum inſtabilitate demergerentur: ab inferiore autem loco ex hiatu angues ſurſum ſerpere, atque ad eorum pedes, cùm ſenſim moverentur, interdum quidem trahere complicatos ſimul & deprimentes atque detrahentes: interdum autem dentibus aut caudis incendentes, vel demulcentes, omnique ratione agentes, ut eos in illam immenſam voraginem præcipites darent: fuiſſe etiam viros quoſdam in medio, qui una cum ſerpentibus in homines illos invaderent, exagitatione, pulſu, & percuſſione: viſos autem eſſe viros illos decidere, partim invitos, partim ſponte, quòd à malo ſenſim cogerentur. Narrabat porrò Carpus ſe voluptatem capere ſolitum, cùm inferiora aſpiceret, ſuperiora verò negligeret: graviter autem ferre, quòd nondum decidiſſent: atque in hanc rem cùm ſæpè incubuiſſet, nec profeciſſet, & acerbè tuliſſe, & malè precatum eſſe: cùm vix tandem cælum aſpexiſſet, vidiſſe quidem illud rurſum, quemadmodum etiam ante viderat: JEſum autem, quem *ad miſericordiam* id quod gerebatur commoviſſet, ſurrexiſſe ex cæleſti ſolio, & cùm ad eos deſcendiſſet, χεῖρα ἀγαθὴν ὀρέγειν, manum benignam porrexiſſe, & angelos qui unà auxilium ferrent, viros alium alia ex parte retinuiſſe, dixiſſeque Carpo JEſum porrecta adhuc manu, παῖε κατ' ἐμοῦ λοιπόν, feri me jam. ἕτοιμος γάρ εἰμι καὶ αὖθις ὑπὲρ ἀνθρώπων ἀνασωζομένων παθεῖν, *paratus ſum enim rurſum ſalutis hominum cauſa mortem perpeti: mihique hoc pergratum eſt, dummodò alii homines non peccent. Sed vide, num tibi utile ſit hanc in hiatu & cum ſerpentibus manſionem, manſioni cum Deo, & benignis*, καὶ φιλανθρώποις ἀγγέλοις, *& hominum amantibus angelis anteponere.* Huic ſalvatori dic cum noſtro Davide: Convertere Domine, & eripe animam meam: (cætera pro nihilo duco) ſalvum me fac propter miſericordiam tuam: 1. Dando gratiam prævenientem, merè gratis. 2. Multas gratias indebitas in vitæ decurſu. 3. Perſeverantiam finalem, quæ non cadit ſub meritum condignum.

David, qui verſu ſecundo à ſua infirmitate, verſu tertio & quarto à ſua perturbatione, Deum commovere moliebatur ad opem ferendam, nunc excellentiori Dei ipſius gloriæ motivo & proprio ipſius bono, eum impellit. Verſu ſexto: QUONIAM NON EST IN MORTE QUI MEMOR SIT TUI: IN INFERNO AUTEM QUIS CONFITEBITUR TIBI? Verſ. 6.

19. Mors varia. Quæres Primò, de qua morte hîc agatur? Primò, ſanctus Thomas, & benè, de morte corporis ſermonem eſſe cenſet. Secundò, ſanctus Joannes Damaſcenus mortem æternam intelligit. Tertiò, mors metonymicè accipi poteſt pro loco & ſtatu mortuorum, id eſt, damnatorum: Hebræi enim appellant ſæpè mortem, ſtatum mortuorum in altero ſæculo, Mortuos autem intelligunt eos qui ſunt in perditionis ſtatu. Nam ſanctos, quorum animæ in manu Dei ſunt, dormientes vel viventes appellant, non mortuos: vel hoc ipſo, quòd officiis multis magnam utilitatem conferant in Eccleſiam. Quartò, mors poteſt ſumi metonymicè pro ſtatu mortuorum,

rum, & tempore quo in ſepulchris jacent eorum corpora, abſtrahendo ab eorum damnatione aut ſalute. Quintò, arbitror mortem hic accipi, tam de morte corporea, quàm de morte animæ æterna. Nam de morte per peccatum dicetur infra in ſenſu tropologico.

40. Infernus variè ſumptus. Quæres Secundò, quid per infernum hîc intelligitur? Primò, Eugubinus, Emmanuel Sa, & Trevetus intelligunt ſepulchrum, & ſic vertunt Pagn. & Arias: ſed melius S. Hieron. Campenſis, Nebienſis, Pellicanus, Felix, Petavius, Arabs & Syrus, inferni vocem retinuerunt. Nam שאול *ſeol*, & ᾅδης, ut habent hîc Sept. pro inferno propriè dicto ſemper dicuntur, ut aliàs probavi. Secundò itaque, infernus ſumitur, vel pro limbis ad quos necdum aperto cælo deſcendebant etiam ſanctiſſimi Patriarchæ & Prophetæ, ibique erat Abraham ipſe: unde ille locus vocatus eſt ſinus Abrahæ, quia omnes fideles & Sancti dicuntur, & ſunt filii Abrahæ, qui in fide, charitate, hoſpitalitate præ omnibus excelluit, cuique hæc beatitudinis promiſſio facta eſt, & fidelibus omnibus in ipſo. Geneſis 22. verſu 18. itaque in eo loco, ut in parentis ſinu, erant Sancti expectantes adventum Meſſiæ & liberatoris. Vel 2. infernus ſumitur pro Purgatorio, quod probabiliter erat chaos interpoſitum inter limbos & locum damnatorum. Vel 3. & melius, infernus hîc propriiſſimè ſumptus intelligitur, nempe locus ad ignes æternos condemnatorum. Nam David ægrotus, & mortis in periculo conſtitutus, peccatorum ſuorum memor, pœnam illam æternam præ oculis habebat ac timebat.

41. In morte nullus eſt Dei memor. Quæres 3. Quâ ratione verum ſit, nullum in morte eſſe memorem Dei? Primò, & maximè pro-
1. priè nemo in morte eſt memor Dei, ſi corpus ſpectes, ſive integrum & incorruptum in ſepulchro, ſive in cineres redactum. Et de hoc præſertim eſt intelligendus David, quod apertius dicit Pſ. 29. 10. *Quæ utilitas* (& tibi, & mihi) *in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?* (Hebr. in foveam) *Numquid confitebitur tibi* (S. Cypr. 3. contra Judæos cap. 114. exomologeſim facit tibi) *pulvis? Aut annuntiabit veritatem tuam?* Chald. fidelitatem tuam. Promiſſorum ſcilicet tuorum de regno mihi dando, aliiſque conferendis beneficiis, fidelem executionem. Vide dicta Pſ. 113. 17. Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum. Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino.

Secundò, etiamſi de anima defunctorum aga-
2. mus, verè dicitur: *Non eſt in morte qui memor ſit tui*, nempe, ad meritum; quia tempus omnis meriti in morte concluditur & finitur: hæ ſunt noſtræ nundinæ, dum vivimus, poſt vitam nullæ merces proſtant venales. *Ecce*, ut ait Apoſtolus 2 Cor. 6. 2. *nunc tempus acceptabile*, maximè acceptandum, embabus ulnis ſuſcipiendum, *ecce nunc dies ſalutis*: poſteà veniet nox in qua nemo poterit operari. In eam rem Chriſtus Iſai. 61. 1. & 2. ait ſe unctum eſſe Spiritu S. ut mederetur contritis corde, & prædicaret captivis indulgentiam, & clauſis apertionem, & prædicaret *annum placabilem Domino*, id eſt tempus legis novæ, quæ eſt annus רצון *raſon*, id eſt voluntatis, ut vertunt Pagn. & Arias, hoc eſt divinæ benevolentiæ, ac liberalitatis, & gratiæ. Eſt etiam annus & tempus voluntatis: quia vult voluntariè & ex amore ſacrificari ſibi, & nos non jam vocat ſervos, ſed amicos, ſed fratres, ſed filios. Voluntariè enim genuit nos, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus. Annum hunc decurremus uſque ad finem mundi, ſed ſingulis finitur in morte. Ut enim ait S. Auguſt. In Pſ. noſtr. Cùm iſta vita tranſierit, non reſtat niſi retributio meritorum. Unde S. Thomas 1. p. qu. 62. art. 9. agens de Angelis beatis aſſerit eos ampliùs non mereri, quia in unoquoque motu intentio motoris fertur in aliquid determinatum, ad quod mobile perducere intendit: Deus itaque movens creaturam ad beatitudinem, movet illam ad certum modum viſionis, & determinatum gradum beatitudinis: unde conſecuto illo gradu ad altiorem tranſire non poteſt. Itaque ad actum meritorium requiritur 1. Ut ſit liber. 2. Bonus. 3. Supernaturalis ex gratia profectus. 4. Ad Deum aliqua ratione ſpectans. 5. A viatore factus. Nam ſine promiſſione Dei non eſt meritum, viatori autem tantùm promiſſio facta eſt. Unde conclude cum Authore Eccli. 17. 26. *Ante mortem confitere: a mortuo enim quaſi nihil perit confeſſio*: & cum Salomone Eccle. 11. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum* (in gratia & ardore charitatis) *aut ad Aquilonem*, (ubi eſt frigus peccati, & mons frigidus, ubi dæmon thronum ſuum vult ponere) *in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Quia poſt hanc vitam non eſt ampliùs tempus merendi, ut exponunt S. Gregor. 12. Moral. cap. 13. S. Bern. ſerm. 43. & 49. ex parvis.

Quæres quartò, quomodo verum eſt, quòd in inferno nullus confitetur Deo, cùm dives epulo 42. In inferno nullus Deo confitetur.
petat ab Abrahamo miſericordiam & refrigerium: & quod notabilius eſt, poſtulet mitti aliquem, qui fratres ſuos à peccatis avertat, ne & ipſi veniant in locum tormentorum Luc. 16. 24 & ſeq. Reſp. Primò, certum eſſe, damnatos Deum non laudare, ſed blaſphemare, ut docet S. Thomas 2. 2. qu. 13 art. 4. quia retinent perverſam voluntatem, averſam à Dei juſtitia, in hoc quòd diligunt ea, pro quibus puniuntur: & vellent eis uti ſi poſſent, & oderunt pœnas, quæ pro hujuſmodi peccatis infliguntur. Dolent tamen etiam de peccatis, quæ commiſerunt: non quia ipſa oderint, ſed quia pro eis puniuntur. Sic ergo talis deteſtatio divinæ juſtitiæ eſt in eis interior cordis blaſphemia. Quòd etiam poſt corporum reſurrectionem ſint vocaliter Deum blaſphematuri, eſt credibile. Dives autem epulo Deum non laudat, ſed timet, ne fratribus ſuis ob mala ſua exempla & monita in inferos cadentibus gravius puniatur. 43. Neque in limbo, & quomodo id eſt verum.
Reſp. 2. Etiam in inferno, id eſt in limbis Patrum, & in purgatorio dicebat David à nemine Deum laudari, voce ſcilicet corporea, & quæ à viventibus percipiatur, qualis erat laus publica in tabernaculo, ubi Deus præſentiam ſuam exhibebat in arca & propitiatorio. Sic Baruc cap. 2. 17. ait: *Non mortui qui ſunt in inferno* (id eſt in ſepulchro, ut Rabbini volunt. 2. In loco damnatorum, ut Delrio adagio 197. 3. In Limbo Patrum, ut Lyranus. 4. In quolibet loco inferorum, ut Cornelius) *quorum ſpiritus acceptus eſt à viſceribus ſuis*, id eſt, ſeparatus à corpore) *dabunt honorem & juſtificationem Domino*. Id eſt non extollent Dei gloriam aut juſtitiam.

Nota moraliter Primò: Peccatum eſt mors animæ: Geneſ. 2. 17. ait Deus Adamo: *De ligno ſcientiæ boni & mali*, (id eſt, ut ait S. Auguſt. lib. 14. de civit. cap. 17. S. Cyrillus lib. 3. in Julianum, ex quo diſceret homo per experientiam quid ſit bonum, & quid ſit malum) *ne comedas. In quocumque die comederis, morte morieris*. id eſt certiſſimè morieris. Eſt Hebraiſmus. 2. Mortis certæ ſententiam ac neceſſitatem incurres, ut S. Hieron. & Auguſt. explicant. 3. Duplicem mortem ſubibis: Primò, animæ, & quidem ea ipſa die & hora. Secundò, corporis, ſed poſteà. Ezech. 18. conquerentibus Judæis, quòd patres uvam acerbam comediſſent, & dentes filiorum obſtupeſcerent, ait Deus verſu 4. *Anima* (id eſt homo, per ſynecdochen) *quæ peccaverit, ipſa morietur*. 2. Anima propriè ſumitur, per peccatum amittit Spiritum ſanctum, qui eſt velut anima animæ, ipſi per gratiam intimè & phyſicè unita modo admirabili, ſed accidentali, ut aliàs dixi fuſiùs. Hinc S. Maximus verè & propriè loquitur Centuriâ 2. de Charit. num. 93. *Mors animæ credenda eſt Dei diſceſſio, at ſtimulus mortis peccatum eſt*. Et S. Greg. in Pſalmum 7. pœnitent. *Quid eſt peccatum, niſi mors? Mors eſt quæ animam à Deo ſeparat, ſenſuum interiorum intercludit officia, divinam deturpat imaginem, lucis non admittit claritatem. Denique, qui in Chriſto moritur, in ſepulchro concupiſcentiæ tumulatur, ligatur concupiſcentiarum inſtitis, à conſpectu Dei projicitur, duritie operitur, lapide iniquitatis intùs clauditur*. Alludit ad Lazari faſcias & ſepulchrum, Joan. 11. 43. & ſeq. fuit in ejus morte, ſepultura & ſuſcitatione ſymbolicè repræſentata mors peccatoris, mors in peccatu, & reſurrectio, ut S. Auguſtinus notat tract. 49. in Joan. S. Bern. ſerm. 4. de Aſſumpt. S. Greg. 4 Mor. c. 25.

44. Peccatum eſt mors animæ.

Mors illa in arcem mentis irrepit per portas, id eſt per ſenſus. Ejus cuſtodiam dat voluptati. Unde S. Bern. ſerm. 3. in Natali Domini: *Fuge voluptatem, quia poſita eſt mors ſecus introitum voluptatis.*

45. Anima peccato mortua eſt ſepulchrum fœtens.

Anima ſic mortua non laudat Deum, ſed eſt ſepulchrum fœtens, verba turpia, blaſphema & impia exhalans. Vide dicta Pſ. 5. 11. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* S. Hieron. in cap. 14. vocat peccatum cadavere diaboli: ſic etiam poſſis vocare peccatorem. S. Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 12. *Vides,* ait, *convivium peccatoris: interroga ejus conſcientiam Nonne gravius omnibus fœtet ſepulchris? Intueris lætitiam ejus, & ſalubritatem miraris corporis, filiorum atque opum abundantiam: introſpice ulcera & vibices animæ ejus cordiſque mœſtitudinem.* Hinc orationem ſceleratorum à Deo rejici docet lib. 2. de Cain & Abel, cap. 9. Avertit ſe, inquit, Deus à precibus impiorum, quoniam etiamſi videantur vivere, miſeriores tamen ſunt omnibus mortuis, carnem ſuam ſicut tumulum circumferentes, cui infelicem infoderunt animam ſuam. Quid enim aliud eſt, quàm ſepulcrum, quæ intra humum volvitur, & terrenæ avaritiæ cupiditatibus cæteriſque vitiis includitur, ut gratiæ cœleſtis auram ſpirare non poſſit? Hæc Ambr. Fœtorem ex anima peccatrice

S. Catharina & S. Birgitta ſentiunt fœtorem peccati.

exeuntem ſentiebat S. Catharina Senenſis, & tantum quidem, ut manu nares obducere cogeretur. S. Brigitta domum Latini de Urſinis ingrediens, ſtatim admota naribus manu, ne verbulum quidem ei loquebatur. Rem admiranti ait Confeſſarius ipſius ſanctæ, id oriri ex aliquo peccato, quod mente necdum ſanata tegeret, itaque ſe excuteret, atque ex animo doleret: tum ille animum evolvens reperit ſe cum ſubditis ſuis lite quadam vehementius contendiſſe. Aliàs uxorem Jordani de Urſino eadem S. Birgitta conviſens, tam tetro ex ſceleribus ejus odore affecta eſt, vix ut illum ferre poſſet. Hoc miratus Magnus, capellanus ejus, atque à Petro, Sanctæ Confeſſario cauſam inquirens, accepit id illi eſſe perpetuum, ut *Immodicum ſulphuris fœtorem*, ſentiret, cùm quis lethifero peccato mortuus coram ea ſtaret. Si illi ipſi incautæ verbum aliquod excidiſſet, aut actio aliqua ſeculares mores ſaperet. Ingentem fœtorem ſulphureum, atque in lingua amaritudinem, & in gutture ſentiebat. Atque ut ſibi providè magis conſuleret, amariſſimam herbam ore volvebat, quod ſingulis ſextis feriis ſemper faciebat, ob Chriſti paſſionem, & fel ab ipſo degustatum.

Et S. Philippus Nereus.

Surius in vita 23 Julii. S. Philippus Nerius fœtorem animæ in luxuriæ cœnum prolapſæ ſentiebat. Unde fiebat, ut pœnitentibus, qui præ pudore nefas aliquod reticebant, diceret: Quid celas noxam? Sentio ex te fœtorem, qui vulnus animæ indicet, ut teſtatur Antonius Gallonius in vita.

46. Anima per Dei gratiam ſuaviter olet.

Qui verò in gratia Dei eſt, vivit, & orationes ejus ſuavem odorem Deo exhalant. De Noëmi ſacrificio dicitur Geneſ. 8. 21. *Odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis,* id eſt, odorem bonæ fragrantiæ, ut vertit Novatianus lib. de Trinitate, q. d. ut reddit Chald. Suſcepit Dominus cum beneplacito oblationem ejus. Etiam extra ſacrificium juſtorum confeſſio eſt boni odoris Deo, Cant. 2. 13. *Ficus protulit groſſos*

Vinea florenti comparatur.

ſuos, (id eſt primas ficus. Sept. germina ſua) *vineæ florentes.* (κυπρίζουσαι inſtar cypri florentes & redolentes. Cyprus eſt arbuſcula, quæ à Latinis liguſtrum vocatur, in Cypro mira odoris ſuavitate præſtat: inde illi nomen) *dederunt odorem ſuum:* quod Chald. paraphraſticè ad rem noſtram adaptat populo Iſraël Deum oranti, cùm terram promiſſionis intraret: *Cœtus Iſraël,* ait, *qui comparatus eſt præcocibus ficubus, aperuit os ſuum, & dixit canticum ſuper mare rubrum, & etiam pueri & infantes laudaverunt dominatorem ſeculi linguis: illicò dixit eis dominator ſeculi: Surge tibi congregatio Iſraël, dilecta mea & formoſa mea, vade hinc ad terram, quam juravi patribus tuis.* Non in oratione tantùm, ſed & in converſatione vivens anima ſuavem odorem Angelis & hominibus afflat. S. Bern. ſerm. 60. *Dico autem per gratiam Dei quæ in nobis eſt, & ficus nos habere & vineas. Ficus quidem, quia ſuaviores in moribus ſunt: vineas verò, quia ſpiritu ferventiores.* Ut enim

ait S. Hieron. in cap. 14 Iſai. Virtus boni odoris eſt.

47. E corporibus ipſis piorum ſuavis odor exiit.

Ex ipſis Sanctorum corporibus ſuavis odor expirat, ut, ſicut peccator etiam in vita mortuus eſt, ita ipſi morte vivere videantur, & Dei memores eſſe ejuſque gloriam extollere. S. Greg. lib. 4. dialog. cap. 27. hoc de Theophanio Comite teſtatur. Tanta, inquit, ex corpore ipſius fragrantia odoris emanavit, ac ſi putreſcente carne illius pro vermibus aromata ferbuiſſent. Et cap. 47. de Merulo monacho, cujus ex oculis perennis lachrymarum rivus, è manibus miſericordiæ fons, ex ore, ſacrum pſalmodiæ fluentum jugiter emanabat, refert, de nocte viſionem illi oblatam eſſe, quaſi ex albis floribus corona in caput illius deſcenderet. Brevique poſteà ad ſuperos evolâſſe, & lapſis jam annis 14. effoſſo ejus ſepulchro tantam fragrantiam ſuavitatis emanâſſe, ac ſi illic florum omnium fuiſſent odoramenta congregata.

1. E corpore Theophanii Comitis.
2. Meruli monachi.

Illuſtre eſt quod recitat Surius 18 Julii de S. Friderico Epiſcopo Trajectenſi, qui populo ſuo in Eccleſia fauſta apprecatus, vivus in tumulum intravit, pſalmoſque in funeribus cantari ſolitos, cygnæa voce incepit, illumque verſum: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum; iteratis vocibus ingeminans, ad cælum oculos ac mentem erigebat; cùmque illud adjeciſſet: Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam, Deo felicem animam reddidit. Clericis autem corpus ejus humantibus, ſuavitas odoris totam complevit Eccleſiam.

3 E corpore S. Friderici Epiſcopi.

Notabile quoque eſt, quod Garinus refert in vita S. Margaretæ filiæ Regis Hungarorum: aſperſum ſcilicet fuiſſe demortuæ tantum virginei oris decorem, ut Archiepiſcopus Strigonenſis fratribus diceret: non eſſe lacrymis proſequendam velut mortuam, cujus in corpore ipſa beatitudinis gloria, & reſurrectionis inſignia emicarent. Addit ex ejus corpore manâſſe odorem ſuaviſſimum aromata ſuperantem univerſa, eumque dies multos perdurâſſe.

4. E corp. S Margaretæ filiæ Regis.

48. Moriendum eſt peccato, & vivendum Deo.

Morere itaque peccato, & vive Deo, ut ſis memor ejus in morte tua. Sic mortuus erat, & morte vivebat Paulus, & Chriſtiani in primitiva Eccleſia. Romanis ait Rom. 6. 3. *An ignoratis fratres, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu,* (per Chriſtum, ut ait Pererius. 2. In virtute, nomine, & meritis Chriſti, ut Origenes, & S. Anſelmus. 3 Græcè εἰς Χριστὸν, hoc eſt, ut Chriſto inſeramur, ei uniamur, & in eo vivificemur) *in morte* (εἰς τὸν θάνατον in mortem, hoc eſt in ſimilitudinem & repræſentationem mortis) *ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem,* id eſt ut moriamur peccato; ſed illa mors dat vitam, unde ſequitur: *Ut quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris.* Id eſt: Primò, ad gloriam Patris, ut Syrus vertit. 2. Per virtutem Patris. 3. Per propriam ſuam divinitatem, quæ eſt eadem cum divinitate Patris, ut ait Theodor. & Theophylactus. 4. Per vitam glorioſam & immortalem, quam Chriſtus reſurgens accepit à Patre: *Ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Ratio affertur ℣. 5. *Si enim complantati* (σύμφυτοι, *conſititi*, ut ramos inſertus arbori) *facti ſumus ſimilitudini*, id eſt in ſimilitudinem & conformationem. Eſt Hebraiſmus) *mortis ejus: ſimul & reſurrectionis erimus*, ſuppl ſimilitudini complantati, lege cætera. Crux Chri occidendo vivificat. Ruffinus apud Baronin anno 389. aſſerit, ſignum crucis apud Ægypt inter literas ἱερατικὰς, id eſt ſacerdotales & ſy bolicas cenſeri, ejuſque literæ hanc eſſe interpretationem: *Vita ventura.* Enitere, ut cum Apoſtolo dicas Galat. 2. 20. *Chriſto confixus ſum cruci,* (Græcè, συνεσταύρωμαι i *concrucifixus ſum*: per Baptiſmum ſcilicet ac mortificationem paſſionum) *vivo ego jam non ego; vivit verò in me Chriſtus.*

Chriſto ſumus inſiti, atque eſt vita noſtra.

Ut enim ait S. Dionyſius de divinis Nominibus, cap. 4. Amor eſt virtus faciens unionem. Clemens Alex. lib. 4. Stromat. docet, cætera eſſe negligenda, Chriſtum vitam noſtram eſſe, aliis eſſe rebus moriendum, ait ab Ariſtophane homines vocari imbecillos, πλάσματα κηροῦ, ceræ figmenta, σκιοειδέα φῦλα, genus inſtar umbræ evanidum, involucres, unius

Cætera umbra & vanitas.

tan-

tantùm diei vitam habentes & ex Epicharmo, ipſam hominum vitam eſſe ἀσκοὺς πεφυσημένους, utres inflatos, ac deinde ſibi in Chriſto, qui eſt via, veritas, ac vita, applaudens, ait: *Chriſtus eſt in nobis. Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum: ſpiritus autem vivit propter juſtitiam.* Mortis illius ac vitæ utilitatem & ſuavitatem aperit S. Bern. epiſt. 105. *Bona mors, ſi peccato moriaris, ut juſtitia vivas. Dum vivis in carne, morere mundo, ut poſt mortem carnis, Deo vivere incipias.* S. Antiochus medicus ſub Hadriano capite truncatus, lac emiſit pro ſanguine, ut eſt in Roman. Martyrologio die 15. Julii, hoc etiam S. Paulo, S. Catharinæ Alexandrinæ, S. Pantaleoni medico contigit, & aliis. Chriſtus eſt *uberibus Ephraim*, id eſt in virtute creſcentium, Oſeæ 11. 3. Crucifixus ex cordis vulnere non tantùm ſanguinem & aquam, ſed etiam cæleſte lac fudit, quod offerens omnibus ait, quod S. Petrus dicebat advenis diſperſionis (id eſt diſperſis) Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ, hoc eſt Gentilibus per totum Orbem diſperſis, ut ait Maldonatus. 2. Advenis, id eſt proſelytis ad Judaiſmum venientibus, ut Lyranus explicat. 3. Judæis ad Chriſtum converſis, ut S. Hier. & S. Athanaſ. 4. Advenis, id eſt Judæis in perſecutione poſt necem S. Stephani diſperſis per Pontum, &c. ubi non erant incolæ & inquilini, ſed hoſpites & advenæ. Omnibus, inquam, ait Chriſtus: *Sicut modo geniti infantes rationabile ſine dolo lac concupiſcite,* Clemens Alex. lib. 1. pædagogi *lac verbale*, ſic ipſe legit, intelligit eſſe Verbum incarnatum, nempe Chriſtum: unde ſubdit S. Petrus: Si tamen guſtatis, quoniam ſuavis eſt Dominus. S. Auguſt. tract. 3. in epiſt. 1. S. Joannis: *Lac noſtrum*, ait, *Chriſtus humilis eſt.* In cruce fudit ſanguinem, lac autem ſanguis concoctus eſt, non corruptus, ut ait Ariſtot. lib. 4. de Gen. animal. cap. 8. Ridiculum eſt quod de Ariſtino narrat Plutarchus in quæſtionibus Romanis: Cum Græci, inquit, inter profanos recenſerent eos, quibus fuiſſent juſta perſoluta, cùm mortui eſſent crediti: neque ad ſacrificia illos admitterent, quibus factum fuerat funus & ſepulchrum, velut mortuis. Ariſtinus quidam ea obſtrictus religione, Delphos miſit, qui pro ſe deprecaretur, & quo modo difficultatibus, in quas legum authoritate compulſus eſſet, ſeſe extricaret, rationem oſtendi peteret. Et ſic à Pythia reſponſum ferunt,

His peragit quæcunque puerpera rite peractis
Omnibus, ad ſuperum ina dona altaria ſiſtes.

Eumque oraculo probè intellecto, *mulieribus ſeſe quaſi renatum præbuiſſe lavandum, vinciendum, lactendum*, idque reliquos, quos idem caſus excepiſſet, imitatos fuiſſe omnes, nomenque ita factum, ὑστερόποτμοι, id eſt quibus etiamnum vivis funus erectum eſt, ait Heſychius, quòd à credito exitio, quaſi poſtliminio reverti ſſent. A morte peccati reſuſcitati lac rationabile, id eſt Chriſti ſapientiam bibamus, ut in eo vivamus, & novi homines ſimus.

49. Peccatum eſt infernus. Nota moraliter Secundò, Peccatum eſt infernus. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Propoſitionem meam clarè habet S. Bern. ſerm. 5. de Aſſumpt. B. Virginis: *Infernus quidem & carcer animæ, rea conſcientia eſt.* Et S. Joannes Abbas Raythu. Infernus, ait, eſt ignorantia, perditio, & oblivio Dei: Ex ignorantia enim Dei, eſt infidelitas: ex infidelitate eſt inobedientia: ex inobedientia, impatientia: ex impatientia, ſuperbia, quæ eſt inventio dæmonum. Ita ipſe.

In peccati inferno ſunt ignis tartareus, catenæ flammeæ, dæmon, carcer, vermes, ſerpentes, tenebræ, blaſphemiæ, voracitas, æternitas miſera.

50. 1. In peccato eſt ignis tartari. Ac Primò: In inferno eſt ignis omnia devorans mentis bona, & mentem ipſam, ut templum & Jeruſalem ignis Chaldæorum, qui, ut jam monui, ſignificant quaſi dæmones, 4 Reg. 25. 8. *Menſe quinto* (id eſt Julio; nam Hebræi annum ſacrum incipiebant à menſe Martio) *ſeptima die menſis, ipſe eſt annus nonus decimus Regis Babylonis*, (regni Nabuchodonoſor) *venit Nabuzardan*, (dæmon, vel tentatio vehemens. Nam Nabuzardan interpretor, germinatio extranei judicii) *Princeps exercitus, ſervus Regis Babylonis*, (id eſt confuſionis) *in Jeruſalem. Et ſuccendit domum Domini*, (templum voluntatis, ubi ſunt virtutes) *& domum Regis*, (aulam intellectûs, auro & gemmis ſcientiæ radiantem) *& domos Jeruſalem*, (ſenſus & appetitus anteà pacatos) *omnemque domum combuſſit igni*, concupiſcentiæ depravatæ, in qua ſæpè exigua ſcintilla magnum incendium excitat. Unde S. Chryſoſt. tom. 1. hom. de S. Babyla monet, principiis obſtandum eſſe tentationis, & citò reſtinguendam eſſe, φλόγα ἀρχομένην, ſubnaſcentem flammam: & hom. de S. Bar. æſtuantis cupiditatis ardores vocat, φύσεως πυράν, naturæ pyram, & rogum: nec dubitat eos, qui fornacis illius incendium ſopiverint, Martyribus in igne triumphantibus æquiparare. Si juvenis es, & flammis cingeris, memento tres pueros, id eſt adoleſcentes Sidrach, Miſach, & Abdenago, hoc eſt Ananiam, Azariam, & Miſaëlem miſſos in fornacem ignis ardentis illæſos evaſiſſe, ne odore quidem ignis in veſtibus remanente, licèt miniſtri Nabuchodonoſor non ceſſarent ſuccendere fornacem naphtha, id eſt bituminis flore tenuiſſimo, in quem ſtatim flamma tranſilit, & ſtuppa, & pice, & malleolis, id eſt faſciculis ex pice, ſulphure, aliiſque ignis fomitibus confectis, ad incendendum domos, aut alia, & effundebatur flamma ſuper fornacem cubitis quadraginta novem. Hunc ignem luxuriæ accendit: *Nabuchodonoſor, qui ſignificat, creſcens ſicut rogus reconditus.* Rag. נוב *nub*, creſcere, augeri. כ ſicut: דור *dur*, rogum incendere אצר recondere. Vel ſignificat, germinans ſicut generatio coarctans. Rad. *nub*, fructificare, germinare דור *dor*, ætas, generatio, progenies, צרר *sarar*, coarctare. Sed hæc tibi etiam juveni non nocebunt, ſi ſis Ananias, id eſt Domini gratia, vel donum aut miſericordia: id eſt ſi ſis erga alios miſericors, & miſericordiam Dei implores, & neceſſariam tibi eſſe credas, ſciens, quod ſicut ait Salomon, Sap. 8 21. *Scivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens*, abſtinens ab omni delectatione venerea: continentia enim virtus maximè eſt circa illam, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 155. art. 2. *Niſi Deus det.* Secundò, eſto etiam Azarias, i. e. *Auxilium Domini.* Non enim tibi ſufficit חן *hen*, id eſt miſericordia, gratia, donum Dei, nempe gratia præveniens; ſed requiritur etiam עיר *Ezer*, id eſt auxilium, adjutorium: ſcilicet gratia cooperans. Itaque in tentatione clama, Pſ. 34. 2. *Apprehende arma, & ſcutum*, (ut poſſim tecum aggredi hoſtem, & me tueri) *& exurge in adjutorium* mihi, Pſ. 69. 2. *Deus in adjutorium meum intende.* Vide ibi dicta. Tertiò, eſto *Miſael*, id eſt, *per aquam poſtulans*, ſi tentatio eſt gravior, fletu benedictionem impetrabis, licèt per malos habitus ſis piloſus, & hiſpidus ſicut Eſau, irrugi clamore magno, Geneſ. 27. 34. Rad. מים *maim*, aqua, & שאל *ſaal*, petiit, rogavit, flagitavit. De vi lacrymarum dicam ſect. ſeq. ℣. 6. ſatis fuſè. Quid ſit fomes peccati, vide D. Thomam 1. 2. q. 82. art. 3. inde ignis oritur, ſed extingue lacrymis.

Secundò: In peccati inferno ſunt catenæ flammeæ, id eſt mali habitus facti ex variis actibus, ut catena ex variis, & ſibi innexis annulis. Hæ ſunt catenæ Samſonis excæcati à Philiſthæis, cùm eum ceperunt in gremio Dalilæ, Jud. 16. 21. *Quem cùm apprehendiſſent Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos ejus*, (hoc primùm facit dæmon, tollens oculum dextrum lucis ſupernaturalis, & ſiniſtrum lucis naturalis) *& duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum molere fecerunt.* In hac catena gemebat S. Auguſt. ante converſionem lib. 8. Confeſſ. cap. 5. Ego, ait, ſuſpirabam ligatus, non ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa, facta eſt libido: & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi annulis ſibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obſtrictum dura ſervitus. Ita ipſe. Quomodo habitus vitioſus ſit cauſa peccati, habes 2. 2. quæſt. 14. art. 1. apud D. Thomam. 51. 2. Catenæ.

Tertiò;

52. 3. Dæmon. Tertiò: In inferno peccati eſt dæmon. Nam ut docet S. Thomas 3. p. qu. 48. art. 4. per peccatum dupliciter homo eſt obligatus: Primò, ſervituti diaboli addicitur, à quo victus eſt. Secundò, fit reus pœnæ ſubeundæ. Dæmones itaque ſunt in anima peccatrice, ut in domo ſua, & ingreſſi habitant ibi, Luc. 11. 26. ibi autem tyrannicè dominantur, & peccatorem torquent, ſicut Saulem invidum, quem faciebat prophetare, id eſt inſanire, & verti Chald. in medio domus ſuæ, id eſt in proprio corpore, 1 Regum 18. 10. Dæmoniacis comparat avarum. S. Chryſoſt. hom. 29. in Matth. iram dicit eſſe furiam, Seneca lib. de ira, cap. 25. Qualis, inquit, Poëtæ inferna monſtra finxêre, ſuccincta ſerpentibus, & igneo flatu, quales ad bella excitanda, diſcordiamque in populos diſſidendam, pacemque lacerandam, teterrimæ inferorum exeunt furiæ, talem nobis iram figuremus, flamma, lumina ardentia, ſibilo mugituque & gemitu, & ſtridore, & ſi qua his invitior vox eſt, perſtrepentem, tela manu utraque quatientem, &c. Hic iræ dæmon & furoris tyrannos poſſidebat. Unde S. Cucuphates Maximianum, cujus juſſu torquebatur, & ad negandam fidem incitabatur, vocabat, linguam & fœtum diaboli. Cùm enim aſſeretur, ambuſtuſque ſinapi, & aceto perfunderetur, cantabat Pſalmum 16. 1. Exaudi Domine juſtitiam meam, &c. Quo decurſo ſanatus eſt, & tortores ejus eâdem flammâ extincti. Tum Maximianus inclamat, præſtigiis, & incantationibus id fieri. Cui vir ſanctus: *O virulenta*, inquit, *lingua diaboli, quid ita procaciter abſque opere minaris? Age, quid acturus es: Prorſus enim nullius apud me ponderis ſunt mina tuæ. Te plane obtinet inſania, qui patris tui diaboli juſſa capeſſis, nec vis cognoſcere verum Deum, tecumque pariter hanc multitudinem perdis*, ut ait Sur. die 25. Julii.

53. 4. Carcer. Contrà verò, dæmon peccatum appellatur, Rom. 7. ỷ. 11. *Peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit.* S. Ambroſ. ibi per peccatum intelligit diabolum. Ipſe certè peccator eſt & homicida ab initio, Pſ. 100. 8. *In matutino*, (S. Hier. *manè*, & vitæ, & diei) *interficiebam omnes peccatores terræ*, hoc eſt dæmones, ut ait Bruno, quòd alios faciant peccatores. Sic vides peccatum veluti dæmonibus infuſum, & viciſſim peccatori ſuperfuſum dæmonem, cujus formam, figuram ac mores peccator induat.

54. 5. Vermes. Quartò: In inferno peccati eſt carcer, ipſa ſcelerata conſcientia, 4 Reg. 17. 4. *Cùmque deprehendiſſet Salmanaſar Rex Aſſyriorum, quod rebellare nitens miſiſſet nuntios ad Sua Regem Ægypti, ne præſtaret tributa Regi Aſſyriorum, ſicut ſingulis annis ſolitus erat, obſedit eum, & vinctum miſit in carcerem.* Typus dæmonis eſt Salmanaſar, qui ſignificat, perfectionem nunc removens. Rad. שלם *ſalam*, perfecit. *Na*, nunc, סור *ſur*, recedere, removere. Oſee eſt typus Chriſtiani vel Religioſi, aut Concionatoris & Prælati, qui vult & non vult ab eo recedere. Durum enim jugum diaboli ſentit, ſed ab eo ad Ægyptum, id eſt mundum fugit, & ejus auxilium, id eſt voluptates ambit; & *Sua* qui ſignificat velamen, id eſt hypocriſim, amat, ut ſe tueatur. Itaque ſtatim capitur, & in carcerem mittitur. S. Bern. ſerm. 2. de Aſſumpt. Virg. *Erat illi* (peccatori) *conſcientia carcer: erant tortores, ratio & memoria: atque hi quidem crudeles, auſteri & immiſericordes.*

Quintò: In inferno peccatoris ſunt vermes, Iſai. 66. 24. *Vermis eorum non morietur:* de damnatis ibi agitur, quos realis & materialis ignis uret, ut ſentiunt S. Anſelmus in elucidario, Guilielmus Pariſienſis, Serarius in cap. 16. Judith. qu. 2. Probabiliùs tamen Sanctius, & alii, vermem hunc interpretantur conſcientiæ angorem ſeu morſum: qui, ut ait S. Chryſoſtomus ad Theodorum lapſum, non minùs exagitat & cruciat damnatorum animas, quàm quodlibet aliud gehennale flagellum. Ad rem noſtram S. Eucherius Lugdun. lib. formul. ſpirit. cap. 5. vermem illum explicat de peccati conſcientia, vel de inquietudine pravæ cogitationis. Quòd triſtitia vermis ſit, docet Salomon, Prov. 25. 20. *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno: ita triſtitia viri nocet cordi.* S. Auguſt. lib. 21. de Civit. Dei, cap. 9. legit, ſic mœror excruciat cor viri. S. Antiochus, hom. 25. Triſtitia, inquit, vermis eſt cordis, ſuammet exedens matrem: & S. Chryſoſt. epiſt. 3. ad Olympiad. Triſtitia, ait, animarum crudele tormentum eſt, dolor quidam inexplicabilis, & judicium omni judicio vindictaque deterius. Nam & σκώληκι μιμεῖται ἰοβόλον, *vermi ſimilis eſt venenato*, non ſolummodò carnem, ſed & animam ipſam perimens. Et tinea non ſolùm ad oſſa, ſed & corda perſtringens, & δήμιος διηνεκὴς, *perpetuus quidam carnifex* non animam dilacerans, ſed vires animæ conſumens, & jugis nox ac tenebræ profundæ, & tempeſtas, & turbo: febris non apparens, omni igne validiùs incendens, & pugna requiem non habens. Ita Chryſoſt. Quòd autem triſtitia cor peccatoris exedat, S. Nilus Abbas docet orat. 5. adverſus vitia. Qui, ait, capiuntur à barbaris, ferreis compedibus vinciuntur: & qui ſuperantur à cupiditatibus, triſtitiæ vinculis coërcentur. Ac deinde addit. Virum probè armatum minimè lædunt ictus jaculorum: & qui adverſus cupiditates munitus eſt, à triſtitiæ aculeis non vulneratur. Clypeo miles, & civitas muro defenditur; monachus autem victis cupiditatibus, utroque munitior eſt. Clypeus enim plerumque ſagittâ transfigitur, & oppugnantium multitudine murus ſuffoditur. At triſtitiæ vis nihil in eum poteſt, qui domuit cupiditates. Qui verò ſuccubuit voluptati, is triſtitiæ vincula non effugiet. Qui mundum diligit, ſæpè triſtitiâ afficietur, qui autem contemnit ea quæ in mundo ſunt, in perpetua lætitia verſabitur. Ac poſteà: *Triſtitia, Leonis eſt os, quod hominem mœſtum facilè devorat. Animi vermis triſtitia eſt, qui parentem exedit.* Infernus ᾅδης vocatur per antiphraſim, ab ᾄδω, cano: quòd perpetuâ triſtitiâ ſepulti, ab omni cantu & tripudio damnati ſint alieniſſimi. Sic, ut ait Siracides Eccli. 38. 22. *Cor pravum* (Græcè καρδία στρεβλὴ, cor diſtortum) *dabit triſtitiam*, veluti fructum ſibi proprium.

Sextò: In inferno peccati ſunt ſerpentes, Geneſ. 3. 1. *Sed & ſerpens erat callidior*, (Hebr. verti poſſet, erat in multas ſpiras & gyros complicatus & involutus) *cunctis animantibus terræ.* Per ſerpentem intelligit dæmonem Cajetanus. 2. Serpentem apparentem in quo dæmon loquebatur. S. Cyrillus Alex. lib. 3. contra Jul. Sed meliùs 3. Sume ſerpentem verum, in quem ingreſſus eſt dæmon, qui, ut ait S. Auguſt. tentat ut Leo, tentat ut draco. Symbolicè, ſerpens ille eſt ſenſualitas noſtra, ut docet idem S. Auguſt. lib. 12. de Trin. cap. 12. & 13. tom. 8. quia inclinat ad peccatum: & S. Thomas 1. p. q. 81. art. 1. ad 3. Serpens, ait, non ſolùm oſtendit & propoſuit peccatum, ſed etiam inclinavit in affectum peccati. Et quantum ad hoc ſenſualitas per ſerpentem ſignificatur. Ita ipſe, quem lege per totam quæſtionem, quæ eſt de ſenſualitate. De illâ dic cum Eva loco Gen. citato, verſ. 13. *Serpens decepit me.* Facto peccato ſerpentes ferociores inſurgunt in ſenſualitate, nempe appetitus iraſcibilis, & concupiſcibilis, Eccli. 10. 13. *Cùm enim morietur*, (per peccatum) *homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes.* Hæc eſt peccati merces certa. 55. 6. Serpentes.

56. 7. Tenebræ. Septimò: In inferno peccati ſunt tenebræ, quæ rationis & ſapientiæ Solem eripiunt, Pſ. 34. 6. *Fiat* (Hebr. יהי *iehi*, erit, eſt enim prophetia) *via illorum* peccatorum, alludit ad Pharaonem & Ægyptios in mari rubro merſos. S. Greg. 19. Moral. cap. 14. vel 20. legit, *via illorum*, nulla excipitur. Viæ hominis, ſunt actiones ejus & agendi modus, *tenebræ & lubricum.* Quod Jeremias Propheta imitatus dixit c. 23. 12. *Via eorum erit quaſi lubricum in tenebris.* S. Joannes agens de eo, qui fratrem ſuum odit, ait eum in caligine verſari, 1. epiſt. 2. 9. *Qui dicit ſe in luce eſſe*, (Evangelii, fidei, gratiæ & charitatis Chriſti) *& fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc.* Idem magis urget ỷ. 11. Generatim loquitur Jeſus Sirach Eccli. 11. ỷ. 16. *Error & tenebræ peccatoribus concreata ſunt*, id eſt, congenita & cognata. S. Aug. in Pſal. noſtr. per infernum intelligit cæcitatem mentis, quæ peccantem, id eſt morientem excipit & involvit.

S. In-

S. Innocentius in illud ℣. 6. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum*, noctes ait eſſe peccata. Et quidem peccatum non poteſt eſſe in voluntate, niſi cum ignorantia intellectûs, 1. 2. q. 58 art. 2. & q. 77. art. 2. docet verò 1. p. q. 63. art. 1. ad 4. Peccatum in actu liberi arbitrii contingere dupliciter: nempe 1. Eligendo malum ex ignorantia. 2. Eligendo inordinatè bonum ex inconſideratione.

57. 8. Blaſphemia. Octavò: In inferno peccati eſt blaſphemia, quæ eſt maxima inferorum pœna. In omni enim peccato eſt implicita quædam blaſphemia. Omnis enim qui peccat implicitè, & virtualiter dicit, eſſe aliquid Deo præferendum. Unde Iſai. 1. 4. dicitur: *Dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt Sanctum Iſrael.* Vel hac ſua derelictione. Nam blaſphemare Deum, eſt attribuere ipſi quod ei non convenit, vel detrahere ab eo quod ei convenit, ut ait S. Thom. 2. 2. qu. 13. art. 1. Divitem avarum vocat, S. Chryſologus, blaſphemum, quòd non juſſerit dari eleemoſynam pauperi, ideòque ait eum graviùs in lingua, quàm in aliis torqueri, eam enim petit refrigerari potiùs, quàm alia membra. Sic autem ſerm. 66. *Lingua plus ardet, qua miſericordia ut fieret, jubere neglexit. In lingua magis ſentit incendium, qua maledixit pauperi, miſericordiæ contradixit: lingua in tormentis prima eſt, quæ derogando pauperi, pauperis blaſphemavit Authorem.* Dic cum noſtro Davide, in inferno quis confitebitur tibi? Id eſt in vitiorum profundo, ut explicat Beda, Prov. 18. 3. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Profundum peccatorum eſt: 1. Peccandi conſuetudo, ut explicant S. Chryſoſt. 2. Cæcitas mentis, ut S. Athan. ſerm. 4. contra Arianos. 3. Obduratio in peccato, ut S. Hieron. in cap. 1. Ezech. 4. S. Bern. de gradibus humilitatis intelligit Dei contemptum. 5. Beda deſperationem. 6. Cornel. infernum & vitam infernalem, quam parit deſperatio. Hæc penè omnia ad rem noſtram faciunt.

58. 9. Voracitas. Nonò: In inferno peccati eſt quædam aviditas, voracitas & inſatiabilitas. Unde in ea aviditate Salomon luxuriam, avaritiam & iram æquiparat Inferno, Prov. 30. 15. *Sanguiſuga* (id eſt inexplebilis aviditatis) *duæ ſunt filiæ*, (velut duo ora hirundinis) *dicentes: Affer, affer. Tria ſunt inſaturabilia, & quartum quod nunquam dicit, ſufficit. Infernus, & os vulvæ* (Sept. & Arabes, amor mulieris) & terra (avarus) *quæ non ſatiatur aquâ: ignis verò* (ira) *nunquam dicit, ſufficit.* Infernus dicitur *ſeol* ab Hebræis. Rad. שאל *ſaal*, petiit, poſtulavit. Eum deſcribit Iſaias ut feram carnivoram ore diducto prædam expectantem, cap. 5. 14. *Dilatavit infernus animam ſuam*, (id eſt os aperuit, ut Sanctius: 2. Animam, id eſt deſiderium ſuum, appetitum, aviditatem) *& aperuit os ſuum abſque ullo termino.* S. Chryſoſt. hom. 26. in Matth. avarum inferno rectè comparat: *Avarus*, inquit, *in omnes, ut mors inſiliens:* ὥσπερ ᾅδης πάντα καταπίνων, *omnes ut infernus deglutiens, communis generis hominum hoſtis: quippe qui vellet nullum hominem eſſe, ut omnia poſſideret: Neque hic tamen ſiſtit gradum, ſed cùm omnes perdiderit cupiditate ſua, etiam terræ ſubſtantiam cupit abolere, atque ipſam aurum factam juvaret aſpicere: nec ſolùm terram, ſed & montes, & valles, & fontes, & breviter quicquid in rerum natura extat.* Non abſimilia dicere poſſis de ſuperbo, qui ſemper vult in honore creſcere.

Decimò denique: In inferno peccati eſt æternitas. Nam ſine gratia Dei ſuis viribus nunquam 59. 10. Æternitas.
reſurgeret in peccatum lethiferum lapſus: unde S. Thom. 1. 2. q. 87. art. 3. probans peccatores incurrere reatum pœnæ æternæ, ait ad rem noſtram: *Semper defectus quo ſubſtrahitur principium irreparabilis eſt*: ſicut ſi corrumpitur principium viſivum, non poteſt fieri viſionis reparatio, niſi ſolâ virtute divinâ. Ideo ſi per peccatum corrumpatur principium ordinis, quo voluntas hominis ſubditur Deo, erit inordinatio quantum eſt de ſe irreparabilis, & ſi reparari poſſit virtute divina. Principium autem hujus ordinis eſt ultimus finis, cui homo inhæret per charitatem: & ideò quæcunque peccata avertunt à Deo charitatem auferentia, quantum eſt de ſe, inducunt reatum æternæ pœnæ. Ita ipſe. S. Bern. de converſ. ad cleric. cap. 15. Non tranſeunt, inquit, opera noſtra, ut videtur: ſed temporalia quæque velut *æternitatis ſemina jaciuntur.* Et Remigius in Pſal. Sept. *Temporaliter peccat, qui peccare ſponte deſinit: æternaliter peccat, & qui, ſi ſemper viveret, ſemper peccaret.* Vide Cauſſinum noſtrum tom. 3. Aulæ ſanctæ, ubi agit de æternitate pœnæ debitæ peccato, Job 14. 12. *Homo cùm dormierit,* (cùm mortuus fuerit per peccatum) *non reſurget* (propriâ virtute) *donec atteratur cælum*, (id eſt nunquam: quia cælum eſt incorruptibile) *non evigilabit: nec conſurget de ſomno ſuo.* Dicta Amos 8. 14. ad luxurioſos & guloſos atque avaros transfer: *Qui jurant in delicto Samariæ*, (id eſt regni Iſraël, adorando vitulum aureum) *& dicunt: vivit Deus tuus Dan.* (Jeroboam poſuit vitulum unum in Beth, civitate meridionali regni ſui, & in Dan civitate ſeptentrionali) *& vivit via Berſabee*, (ubi erant multæ aræ ac ſacella ad colenda idola vana) *& cadent, & non reſurgent ultrà.*

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

Duo David aperit. Primò, perfectam ſuam pœnitentiam, Verſ. 6. Secundò, Exauditionem orationis ſuæ, Verſ. 10.

P A R A P H R A S I S.

7. *Laboravi in gemitu meo: lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.*	7. Internis gemitibus atque ſuſpiriis animam meam agitavi, tuam ut, ô Domine Deus! miſericordiam commoverem. Tantamque vim lacrymarum ſingulis noctibus effudi illis, ut lectus meus totus immaduerit.
8. *Turbatus eſt à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.*	8. Ob ſeveritatem vindictæ tuæ hoſtiumque in me irruentium furorem conturbatus ſum: tamque copioſas lacrymas profudi, ut oculi caligent. Hoſtibus undequaque allatrantibus & inſultantibus ſuccinctus contabui, atque ante tempus præ mœrore conſenui.
9. *Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.*	9. Irrito conatu ſcelerati omnes à me recedite, qui & injurii, & mihi noxii inſidiatores agitis: Deus enim pro ſua in ſervulum ſibi devotum pietate gemitus meos preceſque fletibus interteiſas exaudiit.
10. *Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.*	10. Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus S. una atque indiviſa Trinitas orationi meæ ſubſcripſit & favit.
11. *Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur, & erubeſcant valde velociter.*	11. Pudore ſuffuſi hæreant horreantque hoſtes mei, qui ſpe ſua exciderunt: conſternati contabeſcant, quòd ſanitati ſim redditus, ut eorum conatibus me opponam. In fugam dati terga obvertant, & ſpe vana lactati continuò erubeſcant.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta vis pœnitentiæ, & lachrymarum

60. 1. Pœnitentiæ partes. TRes pœnitentiæ partes hîc innui vult Jorgius Cardinalis. 1. Contritionem & confeſſionem, *in gemitu*. 2. Satisfactionem, *laboravi*. Secundò, Ugo Cardinalis ſex enumerat ærumnas pœnitentis & pœnas. Primò, in ſatisfactionis labore: *Laboravi*. Secundò, in cordis contritione, *in gemitu meo*. Tertiò, in lacrymarum effuſione, *lavabo*. Quartò, in bonorum operum ubertate, *rigabo*. Quintò, in timoris anxietate, *turbatus eſt à furore oculus meus*. Sextò, in peccatorum confeſſione, *inveteravi*. Sic enim fatetur ſe in peccato perſeveràſſe.

61. Contritio perfecta. Tertiò, commodiùs dicemus delineari hîc contritionem perfectiſſimam, & numeris omnibus abſolutam. Primò quidem, oſtendit modum contritionis duplicem: 1. Merè internum, ℣. 7. *Laboravi in gemitu meo*. 2. Externum ab interno prodeuntem *Lavabo, lacrymis rigabo*. Secundò, aperit contritionis præcipuum tempus, *per ſingulas noctes*. Tertiò, locum, *lectum meum, ſtratum meum*. Quartò, cauſam duplicem: 1. Dei offenſi iram, ℣. 8. *Turbatus eſt à furore oculus meus*. 2. Longam in peccato moram, ibidem: *Inveteravi inter omnes inimicos meos*: prima eſt cauſa formalis, ſecunda eſt materialis. Quintò denique, hujus ſuæ contritionis triplicem effectum aperit. Primò, in ſe, propoſitum non peccandi ampliùs, ℣. 9. *Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem*. Ob Dei bonitatem erga ſe. Ibid. *Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei*. 2. Effectus contritionis eſt in Deo, exauditio pœnitentis, ℣. 10. *Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit*. 3. Effectus eſt in ipſis hoſtibus, confuſio, & fuga, ℣. 11. *Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur & erubeſcant valdè velociter*.

ARTICULUS I.

Lacrymæ nocturnæ iram Dei mitigant, & animam lavant.

Verſ. 7. 62. Verſiones variæ. SEctione præcedenti à Deo irato veniam poſtulaverat David pœnitens. In hac oſtendit ſe ex animo de peccatis admiſſis dolere, ut non videatur eâ veniâ indignus, Verſ. 7. LABORAVI IN GEMITU MEO: LAVABO PER SINGULAS NOCTES LECTUM MEUM, LACRYMIS MEIS STRATUM MEUM RIGABO. Nota 1. Pro *laboravi* Hebr. eſt יָגַעְתִּי *jagathi*, laboravi, fatigatus ſum. Syr. & Chald vertunt, laſſatus ſum. Petavius, κέκμηκα μέγα, laboravi multum. Sept. ἐκοπίασα, labore ac moleſtiâ confractus ſum, dolore conſciſſus ſum; deducitur à κόπτω, ſcindo, ſeco. Nota 2. S. Cyrillus Jeroſol. Catech. 2. Illumin. cenſet hîc præteritum *laboravi* ſumi pro futuro, cùm duo verba ſequentia *lavabo & rigabo*, ſint in futuro. Contrà verò, S. Hier. verba illa duo ſumit ut præterita. Et quidem apud Hebræos ſæpè futurum trahitur ad ſignificationem præteriti, quando præteritum præceſſit. Denique tria illa verba per tempus exponit Campenſis, ut intelligas omni tempore in hac vita eſſe agendam pœnitentiam de admiſſis peccatis.

Omni tempore eſt agenda pœnitentia. S. Thom. 3. p. q. 84. art. 8. inquirit: an pœnitentia debeat durare uſque ad finem vitæ? Et reſpondet duplicem eſſe pœnitentiam, ſcilicet interiorem, & exteriorem. Interiorem quidem pœnitentiam eſſe, quâ quis dolet de peccato commiſſo. Et talem pœnitentiam debere durare uſque ad finem vitæ. Semper enim debet homini diſplicere quòd peccavit: ſi enim ei placeret peccàſſe, jam ex hoc ipſo peccatum incurreret, & fructum veniæ perderet. Diſplicentia autem cauſat dolorem in eo, qui eſt ſuſceptivus doloris, qualis eſt homo in hac vita: poſt hanc vitam autem, Sancti non ſunt ſuſceptivi doloris. Unde diſplicebunt eis peccata præterita ſine omni triſtitia, ſecundùm illud Iſai. 65. Oblivioni traditæ ſunt anguſtiæ priores. Ita S. Doctor, qui etiam docet pœnitentiam exteriorem non debere durare uſque ad mortem.

Nota 3. Laboravi *in gemitu*, meo: id eſt, ne de die gemerem, ut exponit S. Ephrem. 2. Et melius, *in gemitu*, id eſt ob gemitum. Ubi diuturnum & continuum gemitum indicari vult Innocentius. Vox ipſa gemitus, laborem denotat, ſed gratum tamen ob utilitatem. Nam, ut ait Caſſiodorus: *Gemitus dictus eſt quaſi geminatus luctus, quem meritò fideles appetunt, quoniam lugentes conſolatur, pœnitentes emundat, diabolum fugat, Chriſto conciliat amaritudo dulcis, lacryma felicet, ſalutaris afflictio.* אֲנָחָה *anaba*, gemitum, ſuſpirium, eruptionem ſoni lugubris præ animi anguſtia ſignificat. Chald. & Arab. vertit, *in ſuſpirio meo*. Græca vox, στεναγμός, gemitus, ſuſpirium, apud Athen. Euripid. & Plutarch. deducitur à στένω, gemo, ingemiſco, quòd corde anguſtato & arctato ob dolorem gemitus erumpat: nam στενὸς anguſtum & arctum ſignificat. Quantus porrò in Davide fuerit gemitus, ipſe aperit Pſal. 37. 9. *Rugiebam à gemitu cordis mei*. Simili modo Job dicebat cap. 3. 24. *Antequam comedam, ſuſpiro: & tanquam inundantes aquæ ſic rugitus meus*. Et Jerem. cap. 45. 3 ait Baruch: *Væ miſero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo, laboravi in gemitu meo, & requiem non inveni*. Placet ſibi caſtus animæ Sponſus in voce lugubri turturis, Cant. 2. 12. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra*. S. Gregor. Nyſſen. ait, turturem hunc ſolitarium & gementem fuiſſe S. Joannem Baptiſtam, cujus vox & vita non aliud fuit quàm gemitus, & prædicatio pœnitentiæ, Matth. 3. 2. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*: quo Deus regnet in fidelibus ſuis per gratiam, & poſteà per gloriam. Sed in eam gloriam intrant ii qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur, Regnum Dei non eſt eſca & potus. E cubilibus leonum & pardorum ad coronam aſcenditur.

Nota 4. Pœnitenti laborandum eſt. *Laboravi* in gemitu meo, Pſ. 101. 10. de ſe pœnitente ait David: *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam*. Vide ibi dicta. Eſther Regina uxor Aſſueri, id eſt Artaxerxis Longimani, ſibi & ſuis Judæis morti deſtinatis timens, cap. 14. 2. *Cùm depoſuiſſet veſtes regias, fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit, & pro unguentis variis, cinere & ſtercore implevit caput, & corpus ſuum humiliavit jejuniis, omniaque loca, in quibus anteà lætari conſueverat, crinium laceratione complevit*.

Verſ. 7. 2. Pars. 63. Lacrymæ cum humilitate proſunt. Dolor internus non ſe prodit tantùm gemitu, ſed etiam lacrymis, verſ. eod. 7. LAVABO PER SINGULAS NOCTES LECTUM MEUM, LACRYMIS MEIS STRATUM MEUM RIGABO. Nota, pro *lavabo* eſt אַשְׂחֶה *aſhe*, id eſt natare faciam, ut vertit S. Hieronymus. Ponitur autem futurum pro præſenti, ut ſæpè apud Hebræos, qui carent tempore præſenti, unde Vatablus reddit, *natare facio*. Pagn. verò, *natare feci*, quia præceſſerat præteritum, *laboravi*. Hæc omnia denotant & continuationem, & ubertatem fletus. Adverte autem שָׂחָה *ſaha* cum puncto in cornu ſiniſtro ſignificare in kal, natare: in Hiphil madefacere, perfundere, rigare, natare facere. *Saha* verò cum puncto in dextro cornu ſignificare, humiliare ſeipſum, incurvare. Utrumque verbum ſimul junge, & bonam pœnitentiam efficies, cum humilitate plora cum Magdalena abjectus ad Chriſti pedes, Luc. 7. 38. *Stans retrò ſecus pedes ejus* (recumbentis in lecto convivali, ſeu triclinio) *lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat*. S. Cyprianus tract. de ablutione pedum: *Uſa eſt*, inquit, *capillis pro linteo, oculis pro catino, lacrymis pro Baptiſmo: cor contritum erupit in lacrymas, fides lavit, charitas unxit: caput pro ſuppedaneo ſtravit, crinibus circumfuſis pedes ſacros involvit & terſit: Nihil ſibi de ſe retinens, totam ſe tibi devovit: & in affectum potiùs, quàm factum attendens, ungebat unguentem, abluebat lavantem, tergebat intrinſecùs pœnitentem*. S. Hilarius de Trinitate, vocat lacrymas ſudorem pœnitentis. Sed in Davide non ſudor, ſed fluvius fuit, Pſal. 118. 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*. Sanctus Hieronymus vertit: Rivi aquarum fluebant de oculis meis. Vide ibi dicta. Hunc fon-

tem

tem ſibi depoſcebat Jeremias cap. 9. 1. *Quis dabit capiti meo aquam* (Hebr. *quis det caput meum aquas*, vel totum in fluvios & maris converti) *& oculis meis fontem lacrymarum?* (Hebr. & oculum meum fontem lachrymæ) *& plorabo die ac nocte interfectos* (quos certò video interficiendos à Chaldæis) *filiæ populi mei.* Jeruſalem verò everſam monet, ut toto torrente fleat ob cladem acceptam. Thren. 2. 18. *Deduc quaſi torrentem lacrymas per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui,* id eſt, ne ceſſes à lacrymis

64. Oculis peccans David debebat flere. Nota Secundò, Sapienter oculis lacrymas fundit David, qui oculis peccaverat aſpiciendo Bethſabeam, cùm ſurgens de ſtratu ſuo poſt meridiem, ubi à prandio quieti ſe dederat, deambularet in ſolario domus regiæ, id eſt, ſupra tectum palatii ſui, quod pro Judææ more erat planum, & peribolo cingebatur. Vidit autem illam Bethſabeam lavantem ſe, *ex adverſo ſuper ſolarium ſuum*, id eſt, de ſolario ſuo, ut eſt in Hebræo, & apud Septuaginta. Non enim lavabat ſe illa ſuper ſuum ſolarium, ut cenſuit Abulenſ. 2. Reg. 11. q. 4 hoc enim & incommodum & prorſus indecorum fuiſſet, ſed in horto ad fontem, qui adhuc oſtenditur, ut dicit Adrichomius. Erat enim Uriæ domus palatio regio vicina. Hoc autem accidit anno regni Davidis 19. ætatis ejus 49. arcæ in Sinne 9. ut nec ætati tuæ, nec ſanctitati & familiaritati cum Deo fidas. Fortaſſe ad illum Bethſabeæ fontem alludit hic David, cùm ait: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum.* S. Cyrill. Jeroſol. catech. 2. Illum, dicit, eum lacrymis vindicâſſe concupiſcentiam oculorum, & eum proponit in perfecti pœnitentis exemplum: ſicut S. Aug. ſerm. 58. de tempore. S. Ambr. 3. de Virg. 2. de pœnit. cap. 8. & 11. in Pſal. 118. ſerm. 7. Oculi Davidis ſicut Sponſæ rectè dicentur fuiſſe piſcinæ ſacræ. Cant. 7. 4. *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis.* Adrichom. in deſcript. terræ ſanctæ pag. 137. num. 32. notat, juxta portas urbis Heſebon fuiſſe piſcinas inſignes ſeu ſtagna, ut vertit S. Ambr. hîc, & fontes aquarum. Oculi ſunt in capite, quod ſunt fontes in terra: unde Hebræis עין *ain*, & fontem & oculum ſignificat. Hi fontes oculorum fluunt per cogitationem peccatorum. Hebr. Heſſebon ſignificat cogitationem, ruminationem, computationem, ſupputationem, æſtimationem. Conſidera & gravitatem ſeu pondus, & multitudinem ſcelerum tuorum, & aquæ diffluent lacrymarum. Sed ſint piſcinæ tuæ calidæ, ut ſint ſalubres. Arabs in Pſal. noſtr. vertit: *Calefacio ſingulis noctibus lectum meum.*

65. Lacrymæ animam lavant. Nota Tertiò, proprius effectus lacrymarum eſt animam lavare. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum.* Lacrymæ ſunt alterum baptiſma. Marci 1. 4. *Fuit Joannes* (id eſt, gratia) *in deſerto baptizans* (in Jordane, id eſt, in fluvio judicii, ob oculos ponens Dei judicium, & ſecurim ad radices arboris poſitam) *& prædicans baptiſmum pœnitentiæ*, (id eſt, lacrymas) *in remiſſionem peccatorum.* Baptiſmus Joannis erat baptiſmus pœnitentiæ, figurans Chriſti baptiſmum, qui erat baptiſmus gratiæ: & baptiſmum lacrymarum, qui eſt baptiſmus gloriæ. Lacryma enim vel centies relapſis cælum aperit. S. Bern. tract. de modo benè vivendi ad ſororem lacrymas baptiſmo æquat. *Lacrymæ*, ait, *pœnitentiæ, pro baptiſmate reputantur apud Deum.* S. Joan. Climacus lacrymas baptiſmo præfert grad. 7. μείζων βαπτίσματός ἐστι μετὰ τὸ βάπτισμα ἡ δακρύων πηγή. *Poſt baptiſma potentior baptiſmate ſi ita fas loqui, fons eſt lacrymarum. Baptiſma quippe tantùm præteritas peccatorum ſordes repurgat, luctus autem noxas poſt baptiſmum contractas diluit. Baptiſma, quo infantes tincti ſumus, omnes poſtea inquinavimus: per fontem autem lacrymarum etiam baptiſmum nitori ſuo reſtituimus.* Fluvius hic Jordanis tollit præſertim luxuriam, quæ eſt lepra *Naaman*, id eſt, *eſt pulcher.* Hanc baptiſmi ſecundi vim extollit S. Laurentius Novarienſis Epiſcopus hom. 1. de pœnitentia. Sicut, inquit, peccatum, quod extra corpus eſt, eleemoſyna *fulminat* & extinguit: ſic virium libidinis, quod membra inceſtat, lacrymarum ubertas extirpat. Ergo peccatum, quod extra corpus eſt, proprium habet fontem eleemoſynæ: & flagitium, quod intra corpus committitur, *ſuum habet fontem ex oculis profluentem.* Sic oculus qui ſæpè eſt cauſa mali, fit fons ſalutis & origo remedii. Hæc ipſe.

Tempus aſſignat David, quo præcipuè fletibus
vacabat, nempe nocturnum. Verſ. 7. LAVABO PER- Verſ. 7.
SINGULAS NOCTES LECTUM MEUM: quia nox eſt aptior 3. Pars.
luctui, ob tenebras & ſolitudinem: ſic Jeremias ait 66.
de Sione capta & vaſtata à Chaldæis, quæ eſt animæ Nox eſt
peccatricis figura, Threnorum 1. 2. *Plorans ploravit* apta fletibus.
(id eſt, vehementer & continuè ploravit) *in nocte,* 1.
& lacrymæ ejus in maxillis ejus: ſupple ſunt, hærent
ac perenniter fluunt. Plorans etiam plorat pœnitens,
quia & animam & corpus peccata inſecerunt. Se- 2.
cundò, per noctem flebat David, quòd in nocte pec-
câſſet cum Bethſabee. Tertiò, ut fugeret inanem 3.
gloriam, ſicut ait S. Ephrem tomo 3. ſerm. de pœnit. 4.
Quartò, perſpicacior tunc eſt anima, & mundanis
tumultibus non turbata, Dei majeſtatem melius
videt ac peccati horrorem. Danielis 2. 19. *Danieli
myſterium per viſionem nocte revelatum eſt*, myſte-
rium ſtatuæ aureæ à Nabuchodonoſor conſpectæ, in
qua figurabantur regna mundi per Chriſtum Judi-
cem evertenda, cap. 7. idem Propheta vidit nocte in
leæna, urſo, pardo, & quarta beſtia terribili, quatuor
imperia repræſentata, ac deinde judicem omnium
Chriſtum venientem, verſ. 13. *Aſpiciebam ergo in
viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli quaſi filius
hominis veniebat,* &c. Nox oculos claudit corporis,
& oculos aperit mentis. S. Cyr. Jeroſ. catech. 9.
Illum. *Quid eſt*, ait, *ad ſapientiam nocte commodius?*
In hac enim perſæpè de Deo cogitamus, in hac
lectioni & contemplationi divinarum ſcripturarum
vacamus. Quando magis in Pſalmodiam & ora-
tionem mens noſtra componitur? Numquid non
noctu? Et peccata noſtra ſæpè in memoriam revo-
camus. Ita ipſe. Quintò denique, de nocte oratio 5.
liberior ad Deum evolat, ut peccatorum veniam
impetret. Unde Sionem vaſtatam, id eſt, animam
peccatricem monet Jeremias Thren. 2. 19. *Conſurge, lauda* (Sept. clama) *in nocte, in principio vigiliarum,* (initio ſingularum vigiliarum noctis: erant autem quatuor, ſingulæ trium horarum) *effunde ſicut aquam cor tuum*, (nihil in eo celando) *ante conſpectum Domini.* Chald. vertit, effunde per pœnitentiam, ſicut aquam, perverſitatem cordis tui. Paſchaſ. exponit, effunde ex intimo corde lacrymas compunctionis. S. Hieron. eleganter ait Euſtochio virgini: *Eſto cicada noctium, lava per ſingulas noctes lectum tuum, lacrymis tuis ſtratum tuum riga. Vigila, & fias ſicut paſſer in ſolitudine.* Vim orationis nocturnæ admiratur S. Bern. ſerm. 86. in Cant. illud meditans cap. 3. 1. *In lectulo meo per noctes quæſivi quem diligit anima mea.* Verba ejus ſunt: Quàm ſecura aſcendit de nocte oratio, ſolo arbitrio Deo ſanctoque Angelo, qui illam ſuperno altari ſuſcipit præſentandam! Quàm grata & lucida verecundo colorata rubore! Quàm ſerena & placida nullo interturbata clamore vel ſtrepitu! Quàm denique munda atque ſyncera nullo reſperſa pulvere terrenæ ſolicitudinis, nulla aſpicientis laude ſeu adulatione tentata! Hæc Bern. Tempus ad orationem aptiſſimum eſſe noctem oſtendi Pſalmo 1. verſu 2. Pſalmo 118. verſu 62. Pſalmo 133. 2.

67. Fletus ſit diuturnus. Nota, cùm ait David, laviſſe ſe lacrymis lectum ſuum *per ſingulas noctes*, indicat: Primò, ut ait S. Auguſt. & S. Greg. ſe diſtinctum habuiſſe de ſingulis peccatis dolorem. Secundò, apertè declarat continuationem & perſeverantiam in ſuo fletu: ſive Hebraicè, *collaila*, vertas cum S. Hier. *tota nocte*, id eſt, maxima noctis parte: eſt hyperbole: ſive cum Sept. καθ᾽ ἑκάστην νύκτα, *per ſingulas noctes.* Utrumque verum fuiſſe arbitror. Nam & ſingulis noctibus flebat, & ſemper diu in qualibet nocte. Idem & nos in hac vita faciamus, hæc enim eſt locus flentium iis qui ab Angelo illuminantur, ut ſua peccata videant. Judicum 2. S. Michaël tutor & præſes Synagogæ Iſraëlitas increpat ob idola culta, apparens eis juxta Jeruſalem à parte Occidentali, in ſylva ſita ultra vallem Raphaim, quæ à tergo habebat Philiſthæos, vindictam Dei illis intentat. ideò ut dicitur verſu 4.

Elevaverunt vocem ſuam, & fleverunt. Et vocatum eſt nomen loci illius, Locus flentium, ſive lacrymarum, immolaveruntque ibi hoſtias Domino. Erat quidem ibi tunc tabernaculum in Silo, & extra illum locum ordinariè non licebat ſacrificare: ſed ob cauſas extraordinarias hoc fecerunt Judæi, ut Samuel in Bethlehem, 1 Reg. 16. 4. & 5. cùm Davidem unxit: & David in area Ornam Jebuſæi, 2 Regum 24. 18. viſo Angelo, qui cædebat populum in Jeruſalem peſte eum interficiens. Oblatum ſacrificium Deo in loco flentium, eſt acceptiſſimum. S. Antioch. hom. 107. *Roſulenta aſpergines lacrymarum, ὡς μέλι γλυκάζον, ut dulcor mellis ſunt cordi: θυμίαμα εὐῶδες παρὰ τῷ θεῷ, ſuave fragrans thymiam apud Deum* Angelis etiam maximè placent. S Bern. ſerm. 30. in Cant. illud deguſtans c. 1. 6. Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodivi, ſic ait: *Gaudent Angeli in converſione & pœnitentia peccatorum, ſalutem hominum ſitientes. Lacryma pœnitentium vinum eorum, quod in illis inest odor, ſapor gratiæ ſit, indulgentia guſtus, reconciliationis jucunditas, ſanitas redeuntis innocentiæ, ſerenata ſuavitas conſcientiæ.* S. Joannes Climacus gradu 5. ſtupendam pœnitentiam aliquorum & compunctionem refert, de qua agam aliàs. Quomodo debeat & poſſit eſſe continua pœnitentia, docet S. Thom. 3. p. q. 84. art. 9.

68. Tropologicè. Tropol. per noctes in hoc Pſalmo intelligit S. Greg. tenebroſas cogitationes. 2. S. Aug. *noctes* ſonuit pro delectatione carnis, quam homo licèt ſpiritu promptus, & lucem veritatis percipiens, cogitur experiri cum Paulo, qui, ut ait Rom. 7. mente ſerviebat legi Dei, carne autem legi peccati, id eſt, concupiſcentiæ motus involuntarios excitanti. Si in ea nocte pollutus, lacrymis te lava ad Sacramenti probaticam piſcinam, & ad aquas Siloë propera, ibi lotus ſanaberis. Hoc iterari Sacramentum poſſe docet S. Thom. 3. p. q. 84. art. 10. Antipatro Olympiadem ob multa per epiſtolam accuſante, ait Alexander, videri Antipatrum ignorare, quòd *una matris lacryma* deletura eſſet multas epiſtolas. Idem coram Deo facit una filii etiam prodigi lacrymula & ſuſpirium. Lucæ 15. 22. Cùm tempore Samuelis Iſraëlitæ idola Baalim & Aſtaroth coluiſſent, pœnitentes juſſit Samuel aſcendere in Maſphath. Erat enim Maſpha locus editus, regni ſedes, quòd ibi ſupremus populi judex & princeps Samuel jus diceret, 1 Regum 7. 6. *Et convenerunt in Maſphath, hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, & jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino:* fructus illius pœnitentiæ & lacrymarum, quas effuſa aqua devotabat, ſtatim apparet: cùm Philiſthini audientes Judæos eſſe congregatos in Maſpha, exercitum in eos duxiſſent, additur verſu 10. *Intonuit Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſthiim, & exterruit eos, & cæſi ſunt à facie Iſrael:* Maſpha ſignificat ſpeculum, in oratione, ſpeculatione ſeu contemplatione effunde cor tuum Deo per lacrymas tuas. Chaldæus vertit, *effuderunt cor ſuum in pœnitentia.* Doctores Hebræi explicant: Hauſerunt lacrymas è puteo cordis ſui. Et S. Greg. piè & ingenioſè ait: Quid eſt aquam haurire, niſi de profunda animi pœnitentis confuſione, lacrymarum fluenta producere? Velut enim aquam haurimus, dum quàm profunda iniquitate cecidimus, conſiderantes plangimus. Ita ipſe. Sed ut placeas Deo, tolle ex corde Baalim & Aſtaroth, id eſt, ſuperbiam & avaritiam.

Vers. 7. 4. Pars. Locum lacrymarum ſtratum præcipuum tempori adjungit David pœnitens, Verſu 7. LAVABO PER SINGULAS NOCTES LECTUM MEUM: LACRYMIS MEIS STRATUM MEUM RIGABO.

69. Quomodo David lectum lacrymis lavabat? Nota, Lectum, Græcè κλίνη, Hebr. מטה *mitta*, ſtratum, *ſτρωμνὴ*, & ערש *eres*, dicitur. S. Th. licèt pro eodem ſumantur hæc duo, ait, ſecundùm proprietatem, (quod prius annotaverat Caſſiodorus) ſtratum eſſe pannos, qui ſternuntur in lecto: lectum, id quod ſubtus ponitur, ut ſtramina & ſimilia. Lavare lectum, eſſe ſingere, ac juxta lectum appodiando ſe plorare: rigare ſtratum, jacendo in lecto, perfundere pannos lecti lacrymis. Ex Hebræo *mitta* nata videtur vox *matta*, vulgò *mattorazzo*, & aliter culcitra, & notatio Hebrææ vocis eſt à *nata*, id eſt, extendo, quòd quis ſe ſuper lectum extendat. Lectus ſive ab alliciendo ad quietem: ſive quòd lectis herbis, frondibus, ſtraminibus, &c. fieri ſoleat: à Græco quoque vetuſto λέκτρον, deduci poteſt. Stratum pro ſtragulo, quod inſternitur, ut in lecto jacentem operiat, ſumitur, licèt pro lecto etiam ipſo uſurpetur: quem lectum interpres aliquando ponit loco vocabuli Hebræi eres, aut grabatum. *ſτρωμνὴ*, verò, ſtragulam veſtem, vel operimentum ſignificat. Ita Lorinus. Arbitror hæc duo eſſe ſynonima: lavabo per ſingulas noctes lectum meum: & lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Sæpè enim in Pſalmis ſecundum hemiſtichium eſt explicatio præcedentis, idque fit ob affectûs vehementiam, & ad res melius inculcandas & exprimendas.

Secundò nota: Hinc ſequi, Deum orari poſſe in omni corporis ſitu, & in omni loco. Et quidem Elias in monte Carmelo ſedens oravit poſita facie inter genua ſua, & pluviam impetravit Iſraëlitis, poſt ſiccitatem trium annorum & ſex menſium tempore Achab regis ſcelerati. 3 Regum 18. 42. Secundo, Publicanus ſtans oravit in templo, & deſcendit juſtificatus in domum ſuam. Lucæ 18. 11. & quidem Judæi in templo vel ſtantes, vel genuflexi orabant, nulla enim erat ibi ſedes niſi Pontificis & Regis. Tertio, S. Stephanus pro ſuis lapidatoribus poſitis genibus in terram oravit. Actorum 7. 59. & Paulum convertit, ut ait S. Auguſtinus. Quartò, fugatis tribus pugnatorum millibus ab incolis urbis Hai, Joſue ſciſſis veſtibus jacens & pronus in terram cadens coram arca Domini uſque ad veſperam oravit cum omnibus ſenibus Iſraël, & miſericordiam ac victoriam atque occupationem promiſſæ terræ impetravit. Joſue 7. 6. & ſeq. Ut enim ait S. Auguſtinus tomo 4. libro 2. ad Simplicianum quæſt. 4. *Gignit ſibi mentis intentio ſolitudinem, & ſæpè obliviſcitur ſe vel ad quam cæli partem, vel in qua poſitione corporis membra illud tempus invenerit.* Et S Ignatius in exercitiis ſpiritualibus docet, in eo corporis ſitu eſſe acquieſcendum, in quo voti compos fias, & affectus elicias quos optas. 70. In omni corporis ſitu bona eſt oratio.

Tertiò nota, optimum eſſe in lecto orare & flere. Primò, ut omnia peccata ibi admiſſa abluas. Secundò, ut tentationes vincas aut impedias. Ut enim ait S Chryſoſt. in Pſal. noſtr. *πᾶσῃ κακίᾳ καὶ ἀσελγείᾳ ἄβατός ἐστιν ἡ κοίτη, omni vitio & libidini impenetrabilis eſt lectus ejus, qui lacrymas in oratione fundit. Qui tales lacrymas fundit, nihil ducit quæ ſunt in terra, ſed liberat animum ab omni obſidione, mentemque reddit, ἡλίου λαμπροτέραν, Sole clariorem.* Lectum Salomonis ambiebant ſexaginta fortes, & tamen ad eum luxuria penetravit, & victrix miſerum captivavit: ſed lectum pœnitentis foſſa lacrymis plena ab omni hoſte liberat. 71. In lecto optimum eſt orare. Primò, ad peccata abluenda. Secundò, ad tentationes vincendas.

Quartò nota: Lacrima animam rigans, eam fœcundat. *Lacrymis meis ſtratum meum rigabo*, velut hortum ſponſo flores producturum. Primò enim, pluvia illa cœleſtis ariditatem mentis tollit. Pſ. 104. 41. *Dirupit petram* (animam per malos habitus obduratam) *& fluxerunt aquæ, abierunt in ſicco flumina*, id eſt, in arido deſerto Arabiæ. S. Hier. vertit, cucurrerunt in aridam flumina. Chald. ambulaverunt per aridam, ſicut flumen. Verſus videtur pœnitens in flumen lacrymarum. Dicebant Judæi murmuratores in deſerto, Num. 11. 6. *Anima noſtra arida eſt.* Sed ſi ex corde doleas, fiet tibi quod ait Iſaias c. 35. 7. *Quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum.* Unde exclamat S. Petr. Damiani opuſc. 13. c. 12. O lacrimæ deliciæ ſpirituales, ſuper mel videlicet & favum atque omni nectare dulciores! Quæ mentes ad Deum erectas jocunda ſaporis intimi ſuavitate reficitis, & arida ac tabeſcentia corda hauſtu ſupernæ gratiæ medullitùs irrigatis. Sapor divinæ contemplationis omnia interiora noſtra replet, vegetat, obdulcat. Ita ipſe. Secundo, pluvia cœleſtis mentem fœcundat. Ut enim ait S. Greg. in Pſ. noſtrum: *Caro lacrymarum fluentis rigata,* 72. Lacryma t Mentis ariditatem tollit. 2. Mentem fœcundat.

rigata, bonorum operum & juſtitiæ germen emittit, S. Bern. in ſententias, fructus illos multos & perpetuos fore aſſerit. *Stillicidia*, inquit, *lacrymarum, dum venas intentionis atque propoſiti ſuo rore irrigant & infundunt, ne lignum moriatur, perſeverantiam inducunt. Qui juxta hæc fluenta radicatus fuerit, per menſes ſingulos faciet fructum, & folia ligni illius ad ſuavitatem gentium*, S. Iſaac Presbyter lib. 1. de mundi contemptu, duplicis generis lacrymas ponit: alias adurentes, impinguantes alias. Uſtionem neceſſariam faciunt, quæ ſcelerum lolium urticasque extirpant & conſumunt. Pinguefaciunt verò, quæ terram excultam & purgatam intrant, & de cælo deducta per intelligentiam ſupernarum rerum ſponte fluunt: hæ, ut loquitur, *corpus decorant pariter & impinguant, & ſine violentia per ſeipſas emanant.* A Deo petenda & expectanda eſt illa pluvia. Zach. 10. 1. *Petite à Domino pluviam in tempore ſerotino*, (paulò ante meſſem tempore Aprili ad ſegetes maturandas & impinguandas) *& Dominus faciet nives*, (nives in Libano, Carmelo & aliis montibus collectas diſſolvet, & in campos veſtros decurrere faciet) *& pluviam imbris* (id eſt, copioſam) *dabit eis* (id eſt, vobis: eſt enallage perſonæ frequens apud prophetas) *ſingulis herbam in agro.* Chald. ut det eis frumentum ad comedendum, & herbam jumentis in agro. Symbolicè, tempus ſerotinum, eſt tempus peccati; nix, eſt frigus tepiditatis, illud in oratione Deus diſſolvit & lacrymas charitate cæleſti calidas in animam decurrere facit. Pluviam præterea voluntariam ſegregat hæreditati ſuæ, & dat pluvias benedictionis.

73. Tropologicè. Stratum & lectus quid.

Tropol. *Lectum* pro conſcientia: *Stratum*, quod vilius eſt, pro carne ſumit S. Gregorius. 2. *Lectum*, voluptatem & omnem ſecularem delectationem intelligit S. Auguſt. à qua qui ſe conatur extrahere, lavare lectum lacrymis cenſetur. Verba ejus ſunt: *Quod ait David per ſingulas noctes, hoc fortaſſe accipi voluit, quod ille, qui ſpiritu promptus fuerit, ſentit aliquam lucem veritatis, & tamen in delectatione hujus ſeculi per carnis infirmitatem aliquando requieſcit, tanquam dies & noctes alterno affectu cogitur pati. Ut cùm dicit Paulus Rom. 7. Mente ſervio legi Dei, tanquam diem ſentiat. Rurſus cùm dicit: Carne autem legi peccati, inclinatur in noctem: donec omnis nox tranſeat, & veniat unus dies, de quo dicitur Pſalmo 5. Manè aſtabo tibi, & videbo. Tunc enim aſtabit, nunc autem jacet, quando in lecto eſt. Quem lavabit per ſingulas noctes, ut tantis lacrymis impetret efficaciſſimam de Dei miſericordia medicinam.*

Cauſam lacrymarum efficientem duplicem aperit David. Primam quidem, iram Dei offenſi. Secundam, inveteratos habitus malos in anima ſua, & tentationes.

Verſ 8. 2. Pars. 74. Ira Dei movet lacrymas peccatori.

Ac Primò: Iram Dei veretur. Verſu 8. TURBATUS EST A FURORE OCULUS MEUS: INVETERAVI INTER OMNES INIMICOS MEOS. Furorem, ob quem turbatus ſit David, ſumit Primò, S. Greg. Nyſſ. de ira nimia, qua ipſe in adverſarios exarſerit. Sed hic ſenſus non ita placet, quia alia graviora peccata ſua promiſiſſet, ob quæ turbaretur. Secundò, Dionyſius Carthuſianus furorem & iram intelligit contra ſua peccata. Sed hic furor non turbat, ſed reficit. Tertiò, S. Thomas furorem accipit Abſalonis & conſiliariorum ejus contra ſe. Sed de Abſalonis perſecutione non eſt hic Pſalmus. Quartò, itaque melius idem S. Thomas, S. Aug. S. Hier. S. Chryſoſt. & alii, furorem hunc de ira Dei contra ſe peccatorem, intelligere Davidem volunt. Quis enim tam marmoreo & adamantino eſt pectore, ut patris & judicis Dei juſtum furorem ac fulmen non extimeſcat, atque ob ſcelus in ſe conſpectum non horreat? Innocentius in Pſal. noſtrum id vidit: *Saxeum*, inquit, *pectus, lapideum cor, & ferreum habet is animum, qui pro ſe non tam in corpore morituro, quàm forſan in mente jam mortua, gemitum non producit, ſuſpiria non emittit, & lacrymas non effundit. Sciat ergo ſe culpabiliter durum, & durè culpabilem, qui corporalem amici ſui mortem deplorat, & ſpiritualem animæ ſuæ mortem non deflet.* Avis paradiſi hoc ſortita nomen ob variegatam pennarum pulchritudinem, & perpetuam in arboribus commorationem laqueis irretita non ceſſat à gemitu, donec moriatur, vel priſtinæ libertati reddatur.

Nota, pro *turbatus eſt*, Hebr. habetur עששה *aſeſa*, id eſt: Primò, caligavi, ut vertit Vatablus, & Flaminius, ob vehementem enim fletum oculorum acies obtunditur. Secundò, doluit, ut Syrus: hoc enim ſignificat *cheab*, unde *chaeb* dolens, ægrotans. 1 Cor. 12. 26. & *cheebaia*, infirmi. Ezech. 34. 4. *chib* ſeu *chibo*, dolor, morbus, ægritudo, infirmitas, paſſio, affectio, perturbatio. Coloſſ. 3. 5. Rom. 1. 26. Tertiò, *aſeſa*, eroſus eſt, ut vertit Arias: corroſus, ut Muiſius: tineavit, ut Cajet. Cùm enim lacrymæ ſint calidæ & ſalſuginoſæ, nocent oculo & illum erodunt & conficiunt. Quartò, *aſeſa*, id eſt, computruit, ut reddit R. David.

Tropol. Oculus qui turbatur, eſt mens Davidis timentis indignationem Dei, ut ait Theodoretus: & ideò unius tantùm oculi mentionem fieri putat. Sed hæc ratio non multum probat: cùm enim dicitur, *turbatus eſt oculus meus*, perinde eſt ac ſi diceretur, turbati ſunt oculi mei: unde Arabs vertit, languerunt propter indignationem oculi mei: & Petavina, Oculi mihi præ afflictione triſti minuuntur: duos item mentis oculos hìc aſſignat S. Chryſoſtomus, nempe διορατικὸν καὶ λογικὸν, *perſpicacitatem & ratiocinandi facultatem.* Mens porrò rectè oculus dicitur, quia, ut ait Euthymius, velut itineribus omnibus dux eſt. Id dixit Chriſtus Matth. 6. 22. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.* Salomon item Prov. 4. 25. *Oculi tui recta videant*, c. 23. 26. *Oculi tui vias meas cuſtodiant.*

Moraliter nota cum S. Chryſoſtomo in Pſ. noſtrum, ex hac turbatione animi pœnitentis oriri ſecuritatem & pacem. *Talis conturbatio*, inquit, γαλήνης μήτηρ ἐστίν, *eſt mater tranquillitatis: talis metus eſt* ἀδείας ὑπόθεσις, *fundamentum ſecuritatis. Qui ita eſt conturbatus, omnem tempeſtatem expellit. Qui talis non eſt animæ prudens, graves fluctus ſubibit. Qui horret, tremit & perturbatur, quietam reddit ſuam cogitationem: qui autem ſocordia ſomno ſeipſum tradidit, efficit ut cymba obruatur.* Nauta ſomnolentus in cautes navem conjicit, ſollicitus verò ad portum adducit. Eccli. 1. 13. *Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.* Tigurina vertit, in die obitus ſui beabitur. Vide dicta Pſ. 111. 1. Beatus vir qui timet Dominum, &c. 75. Pœnitentiæ timor dat ſecuritatem.

In die judicii, ignes terrifici impios involvent. Pſ. 96. 3. *Ignis ante ipſum* (Chriſtum judicem) *præcedet, & inflammabit* (S. Hieron. exuret) *in circuitu inimicos ejus.* Chald. pro *præcedet*, vertit, flammeſcet: erit enim ignis horrendus, & in omnem partem flammas ejaculans, hunc ignem extinguit imber lacrymarum, ut ſæpè contigit in igne parato martyribus, quem è cælo repentè decidens pluvia penitus extinxit. S. Laurentius Juſtin. tract. de ligno vitæ c. 9. hoc prædicat: *O lacrima humilis!* inquit, *tua eſt potentia, tuum eſt regnum. Tribunal judicis non vereris, amicorum tuorum accuſatoribus ſilentium imponis: non eſt qui te ad Deum accedere vetat. Si ſola intras, vacua non redibis. Quid plura? Vincis invincibilem, ligas omnipotentem, inclinas Virginis Filium, aperis cælum, fugas diabolum. Tu cibus animarum, roboratio ſenſuum, abolitio delictorum, vitiorum exterminium, virtutum prævia, gratiæ ſocia: refectio mentium, & lavacrum culparum: tu odor vitæ, ſapor ſpiritus, guſtus indulgentiæ, ſanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis jucunditas, ſerenatæ conſcientiæ ſuavitas, & electionis æternæ ſpes valida.* De Chriſto Judice dicit Propheta noſter Pſ. 17. 9. *Aſcendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarſit.* (S. Hieron. ignis ex ore ejus devorans) *carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Et Pſ. 88. 47. *Uſquequò Domine avertis in finem, exardeſcet.* (Hieron. ſuccenditur) *ſicut ignis, ira tua?* Hunc ignem lacryma extinguit: quod ſciens Petrus Cellenſis libro de panibus c. 12. ait: *Lacryma judicis emollit iram, jam intentata ira humili auſu flectit minas, vibratas evaginat acies, erecta jam reſupinat ſupplicia, exundantes irrorat flammas, profundit de ſilice aquas.* Et paulò poſt: *Quandoque ſententiam rapis ab ore judicis. Audes, ubi timet Angelus. Non eſt, qui te perturbet ab ingreſſu ſecretorum, ab interpella-*

76. Ignis judicii impios involvet.

Illum extinguit lacryma.

pellatione pro culpis reorum. Reatuum indulgentiam refers, innocentiam deperditam reparas, exules revocas, innocentes coronas. Eandem veritatem pluribus proſequitur S. Petr. Damiani opuſc. 13 ubi poſtquàm profeſſus eſt, ſe non poſſe die integro omnem lacrymarum vim exponere, & exempla in medium afferre, ſubdit: Lacrymæ cùm in conſpectu judicis ſupplicant, nihil hæſitant: ſed ſic miſericordiam tanquam rem qualibet proprii juris ſibimet vendicant: & impetrâſſe ſe quod petierant, confidenter exultant. Lacrymæ ſunt in fœderanda inter Deum & homines pace, ſequeſtres: & veraces ſunt, atque doctiſſimæ in qualibet humanæ ignorantiæ dubietate magiſtræ. Et S. Ephrem ſerm. 3. de compunct. O lacrymarum vis! ait, quouſque pertingis, quæ multa cum fiducia nullis impedita retinaculis, ipſum cælum penetras. O vis lacrymarum, quæ ſi velis, ante ſanctum atque excelſum immaculati Domini thronum cum gaudio aſſiſtere poteſt! O vis lacrymarum, in cujus præſentia atque confidentia Angelorum ordines, cæleſteſque omnes virtutes ſemper exultant! O lacrymarum potentia! quando in ictu oculi, quaſi præpetibus ſublata plenis, in cælum revehis atque aſcendis, & poſtulata à Deo ſancto obtines. Ita ipſe.

77. Lacryma eſt orator admirabilis. Lacrymæ ſunt oratores mirabiles, nihil dicunt, & omnia perſuadent. Flet Maria Magdalena, lacrymis pedes rigat, & cor Chriſti tangit, & os aperit. Luc. 7. & remiſſionem peccatorum obtinet, & judicem ſibi facit advocatum contra Simonem Phariſæum, quem S. Aug. lib. 2. de conſenſu Evang. c. 79. putat eſſe Simonem leproſum. S. Petrus *flevit amarè* Matth. 26. 75. Arab. *amaro fletu*, ne verbulum quidem dicit, & tamen veniam impetrat, ei reſurgens Chriſtus apparet. Luc. 24. 34. eum principem Eccleſiæ conſtituit, & paſtorem non agnorum tantum, ſed etiam ovium, id eſt, prælatorum, qui ſunt matres populorum fidelium. Joan. 21. 17. S. Maximus hom. de pœnitentia Petri, vim lacrymarum ejus ſic expendit: *Lacrymæ verecundiæ conſulunt pariter & ſaluti: nec erubeſcunt in petendo, & impetrant in rogando. Lacrymæ tacitæ quodammodo preces ſunt. Veniam non poſtulant, & merentur: cauſam non dicunt, & miſericordiam conſequuntur.* Concio hæc integra habetur in operibus S. Ambroſii ſerm. 46. itaque aut huic aut illi non benè tribuitur.

78. Lacryma inferorum ignem extinguit. Non judicii tantùm, ſed etiam inferorum ignem lacryma extinguit. S. Chryſoſt. in Pſ. noſtrum: *Lacrymæ poſſunt, ἄσβεστον πῦρ inextinguibilem ignem extinguere, flavium illum qui trahitur ante tribunal*, qui velut à tribunali Dei judicis exortus damnatos in inferis obvolvet.

Si dæmon corpus tuum & mentem igne tartareo ſuccenderit, vel unica lacryma flammas illas tollet, ac dæmonem in ſpecum ſuam recludet. Petrus Abbas Cellenſis de panibus libro de panibus, c. 12. *Satan*, inquit, *tolerabilius ſuſtinet flammam ſuam quam lacrymam noſtram, acriuſque contriti cordis lacryma, quàm flamma infernalis incendii torquetur. Dum fundit peccator lacrymam, recludit adverſarium in flammam. Flumina abſorbet omnia, ſed hanc tamen aquam non ſorbet. Rumpuntur namque ventris ejus interiora, ſi conſperſa fuerint hac aqua. Dentes excutiuntur, fauces perforantur, venæ inflantur, & nervi ejus ſolvuntur.* Ut tamen lacryma ſit utilis, neceſſe eſt ut ex piſcina humilitatis decurrat, ſecumque eam deportet: ſitque, ut loquitur idem author, *humilitas procedens ad publicum, navigio lacrymarum.*

Verſ. 8. 2. Pars. 79. Cauſa lacrymarum ſecunda in Davide erat morbus corporis, ac præcipuè morbus mentis inveteratus. Verſu eodem 8. INVETERAVI INTER OMNES INIMICOS MEOS, ne unus quidem mitior & benignior fit, ſed in eodem ſemper odio contra me inſurgunt: inde fit, ut ante tempus conſeneſcam, hoc præſertim morbo quo exagitor penè conſumptus.

Nota, pro *inveteravi*, in Hebræo eſt עתקה *atecha*, id eſt Primò, *inveteravit*, ut Felix, Pagn. Arias, Cajetan. Eſt enim tertiæ perſonæ fœminini generis & refertur ad *ain*, id eſt, oculus. Secundò, *atecha*, id eſt, conſumptus eſt, oculus ſcilicet præ nimio fletu.

Nota Secundò, quia non ſolùm Septuaginta, ſed etiam S. Hieron. vertit in prima perſona, inveteravi, ſive conſumptus ſum, credibile eſt lectionem Hebraicam, nonnihil ab eo tempore immoratam, ut in voce עתקתי *atheca*, deſit unum jod in fine, & ה debeat eſſe ת, & legendum ſit *atachti*, quæ mutatio facillimè accidere potuit. Senſus igitur eſt: *Turbatus eſt à furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos*: id eſt, quia inveteravi inter omnes inimicos meos: & clariùs, oculus meus caligavit præ fletu ex indignatione, quàm concepi, ex eo quòd tam diu in peccatis hæſerim, ut inveteraverim inter omnes inimicos meos. q. d. Non poſſum non vehementer mihi ipſe indignari, quòd nullum vitium adhuc perfectè vicerim, nullumque hoſtem animæ meæ debellaverim, ſed conſenuerim inter omnes hoſtes meos. Vocat autem hoſtes omnes qui eum ad peccandum impulerunt, ſive dæmones, ſive homines, ſive ipſa vitia, & habitus malos. Ita Bellarminus, & benè. Nam inimici noſtri ſunt homines & vitia, ut ait S. Aug. occulti alii, alii manifeſti, ut monet S. Thom. Atque inter illos præſertim computa, qui, ut loquitur Caſſiodorus, *feraliter blandiuntur*, cùm ſenſim ac ſine ſenſu nos conducant in tartarum.

Nota Tertiò, vetuſtatem illam facilè naſci peccatoribus. S. Chryſoſt. in Pſ. noſtr. *Nihil facit adeò inveteraſcere, ut natura peccati.* Succum enim omnem exſorbet animæ corporiſque tartarea ſanguiſuga, venaſque permeat, & ſtupore ſenſus afficit: caput vertigine contortum, & in obvia quæque impactum conterit, cerebrumque comminuit. Nihil eſt vegetum firmumque, ubi furia lethalis omnia pro nutu moderatur. Vetuſtatis illius malum deplorat Innocentius: *O quàm gravis*, inquit, *eſt vetuſtas peccati, quam grave vetuſtatis peccatum, ex qua culpa quaſi vertitur in naturam, & natura quaſi tranſit in culpam!* Vetuſtatis illius ſpiritualis incommoda conſiderare poſſumus in omnibus ſenſibus ſpiritualibus, per comparationem ad omnia quæ ſenectus corporalis efficit in ſenſibus corporalibus. 80. Vetuſtas peccati eſt perniciosa.

Primò, ſenectus corporis aciem oculorum obtundit, & lippitudinem inducit. Sic Iſaac natus annos 137. ita caligabat, ut Jacob filium pro Eſau benedixerit, mortuus eſt autem anno ætatis ſuæ 180. itaque per annos 44. paſſus eſt illud cæcitatis incommodum. Senectus etiam peccati excæcat. Pſ. 39. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ*, (ut Philiſthæi Samſonem: vel, ut vela capita circumpoſita) ſicut Thamar obvolvit ſe theriſtro, id eſt, velo æſtivo, in æſtu ſcilicet concupiſcentiæ, ad peccandum cum Juda ſocero ſuo, *& non potui ut viderem.* S. Hieron. vertit, *non potui videre*: gravitatem ſcilicet peccati, & pœnam capiti impendentem. De impiis dicitur Pſ. 67. 9. *Sicut cera quæ fluit* (S. Hier. quaſi vermis tabefactus. Chald. ſicut reptile limax) *auferentur. Supercecidit ignis*, (ardor malarum concupiſcentiarum, ait S. Aug.) *& non viderunt Solem*, id eſt, Chriſtum & ejus gratiam, longè minus alia lumina. S. Hier. vertit: *Quaſi abortivum mulieris, quod non vidit Solem.* Chald. ad rem noſtram aptiſſimè reddit: *Sicut abortivum & talpa cæca, quæ non vident Solem.* 81. In peccato ſeneſcens per habitum fit Primò, cæcus.

Secundò: Senectus corporis inducit ſurditatem: unde Berzellai Galaaditès regi Davidi urgenti, ut ad aulam ſecum veniret, ait 2 Regum 19. 35. *Octogenarius ſum hodie: numquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuave aut amarum? Aut delectare poteſt ſervum tuum cibus & potus? Vel audire poſſum ultra vocem cantorum atque cantatricum?* Senectus animi, id eſt, inveterata conſuetudo peccandi, ſurditatem quoque inducit, Pſal. 57. 5. *Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis*, (id eſt, inſtar ſerpentis) *ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas. Quæ non exaudiet vocem incantantium*, (concionatorum ſuaviter adhortantium) *& venefici incantantis ſapienter.* S. Aug. legit, & medicamenti medicati à ſapiente. Vide ibi dicta. 82. Secundò, ſurdus.

Tertiò: Senectus corporis guſtum depravat, ut in Berzellai vidimus. Senectus mentis idem facit. Ecclæ. 12. 3. *Tenebreſcent videntes per foramina*, id eſt, oculi, *& obſurdeſcent omnes filiæ carminis*, id eſt, aures: *Et diſſipabitur capparis*, id eſt, ut ait Pineda, appetentia ſpiritualis alimoniæ ita languebit, ut 83. Tertiò, ſine guſtu.

diffi-

diſſipata & perdita prorſus videri poſſit, ac fruſtra tentes ullum rerum ad ſalutem animæ conducentium incitamentum nauſeabundo apponere peccatori: quin illi ſtomachum moveas, quamvis ſpecioſos amygdali flores, & ſapidiſſimos fructus, animique omnes delicatiores cupedias offeras. Vide locum integrum à verſu 1. Ibi mala ſenectutis exprimuntur pulcherrimis emblematis.

84. Quartò, ſine odoratu.

Quartò: Senectus corporis ſuavem fragrantiam florum & aromatum inſuavem facit: aut prorſus ne ſentiatur, impedit. Solon eam vocabat *vitæ hyemem:* & Diogenes rogatus: *Quid eſt ſenectus?* Ait: *Eſt vita brumalis, tempeſtatibus obnoxia.* Senectus, mentis odoratum ſpiritualem penitus tollit. Ezechielis vigeſimo tertio, verſu vigeſimo quinto, ait Deus Jeruſalem ſub nomine Oolibæ meretricis: *Naſum tuum & aures tuas præcident.* Ooliba ſignificat, tabernaculum meum in ea. Deus enim habebat templum ſuum in Jeruſalem, ſicut habet in anima ſancta: ſed ſi receſſerit ab ea, Chaldæi, id eſt, dæmones omnia evertunt & perdunt.

85. Quintò, ſine tactu.

Quintò: Senectus corporis tactus vim hebetat, ac delectationem magna ex parte tollit. Qui in ſenectute eſt mentis, non ſentit lenitatem virtutis ac ſuavitatem, nec aſperitatem vitiorum: dicunt bonum malum, & malum bonum, & unum pro alio amplectuntur aut rejiciunt.

Sextò, ſine pulchritudine.

Sextò: Senectus corporis tollit faciei pulchritudinem, & corpus rugis exarat. Idem facit ſenectus ſpiritualis. Jobi decimo ſexto, verſu nono: *Rugæ meæ teſtimonium dicunt contra me.*

Septimò, tremit.

Septimò Senectus corporis inducit tremorem. Idem facit ſenectus mentis. Pſalmo decimotertiò, verſu quinto: *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Pſalmo trigeſimo primo, verſu quinto: *Inveteraverunt oſſa mea.* S. Hier. attrita ſunt.

86. Octavò, mentis aciem perdit.

Octavò: Senectus corporis aciem mentis hebetat, ſed longè magis ſenectus mentis. Romanorum primo, verſu vigeſimo octavo: *Tradidit illos Deus in reprobum* (ἀδόκιμος, id eſt, minimè probus, non probandus, perverſus, probans non probanda & probanda improbans ac reprobans) *ſenſum: ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Ut enim ait ſanctus Gregorius libro vigeſimo quinto Moralium capite nono. Qui erant in Dei cognitione, juſtè traduntur ut errent pariter in agendis.

Nonò, morti eſt proximus.

Nonò denique: Senectutem corporis vicina mors premit. Inveteratam in peccando conſuetudinem mors æterna conſequitur. Danielis decimo tertio, verſu quinquageſimo quinto: *Inveterate dierum malorum, ecce Angelus Dei accepta ſententia ab eo, ſcindet te medium.*

87. Lacrymæ morbos animæ ſanant. Aquæ ſalubres.

Nota quartò, lacrymæ morbos illos omnes animæ ſanans, & mortem impediunt. Varios aquarum ſalubrium effectus, refert Plinius libro trigeſimo primo, capite primo: *Aquæ fontium,* inquit, *fluviorumque generatim nervis proſunt, pedibusve aut coxendicibus, alia luxatis fractisve. Inaniunt alvos, ſanant ulcera, capiti auribusque privatim medentur, oculis verò Ciceroniana, quæ in villa poſt ejus mortem eruperunt. In Ænaria inſula calculoſis medentur. Cutiliæ in Sabinis ſuctu quodam corpora invadunt, ut propè morſus videri poſſit, aptiſſimæ ſtomacho, nervis, univerſo corpori. Lacus Alphion vitiligines tollit. Cydnus Ciliciæ amnis podagricis medetur. Tungri civitas Galliæ fontem habet inſignem ferrugineo ſaporis, qui purgat corpora, tertianas febres diſcutit, calculorumque vitia. Theopompus in Scotuſſis lacum eſſe dicit, qui vulneribus medetur. In Campania Sinueſſana aqua ſterilitatem feminarum, & virorum inſaniam abolere produntur. Cuſtodit partum Linus fons in Arcadia abortumque fieri non patitur. Theophraſtus ait in Thuriis Crathin candorem facere in hominibus ex eo bibentibus. In Bœotia ad Trophonium Deum fons eſt qui memoriam afferat, in Sicilia apud oppidum Inſignum fluit rivus, ex quo bibentium ſubtiliores ſenſus fieri Varro tradit. Zamæ in Africa fontem eſſe, quo canoræ fiant voces. Theophraſtus verò, Lyces in India terris fontem eſſe, cujus aqua lucernæ ardeant. Iſidorus libro decimo tertio. Originum, capite decimo tertio. Cyzici fontem amorem Veneris tollere.* Ariſtoteles in admirandis capite vigeſimo octavo ait, in Sicilia fontem reperiri, in quo aves ſuffocatæ, reliquaque animalia immerſa reviviſcant.

Magna hæc quidem ſunt, ſed lacrymæ morbos omnes animæ ſanant. Proverbiorum 14. verſu 27. *Timor Domini fons vitæ.* Ezechielis 47. verſu nono: *Vivent omnia ad quæ venerit torrens.* Vim ſuam lacryma ſumit à Chriſti Sanguine, quod figuratum eſt in aqua leproſum mundante, cui ſanguis immolati paſſeris injiciebatur. Levitici decimo quarto, verſu ſeptimo: *Sacerdos aſperget illum, qui mundandus eſt ſepties, ut jure purgetur.* David itaque, oculo in Bethſabæam injecto pollutus, ab eodem oculo per lacrymas ſibi remedium quærit. Hoc ut faciamus, monet ſanctus Laurentius Novarienſis Epiſcopus homilia prima de pœnitentia: *Fiat,* inquit, *caput tuum fons remiſſionis & fluvius indulgentiæ; & exinde non ſolùm per dexterum oculum, ſed & per ſiniſtrum gemini rivi currant, fluantque tibi ambo oculi pariter ſanitatis rorem ac indulgentiæ imbrem. Cecidiſti per oculum? Contaminavit te aſpectus ſuus? Abluat te aqua ſua. Dic illi: Ocule ad te recurro, tibi imputo, exue quod implicâſti. Tu me vulnerâſti, tu me ſana; tu me polluiſti, tu me purifica. Abluc quod inquinâſti, erige quod eliſiſti, corripe quod everſiſti.* Medicamenta animæ à Deo vendi lacrymis docet ſanctus Ephrem ſermone tertio de compunctione. Nulla, inquit, æſtimari vendique poſſunt pretio remedia atque medicamenta cæleſtia atque ſancta. Sed lacrymis illa Salvator fletuque amaro indulget omnibus. Hæc ipſe, ubi etiam lacrymas propter Deum fuſas vocat panem ſalutemque animæ: eaſque pſalmis, hymnis, canticis ſpiritualibus, lectionibus ſacrarum ſcripturarum, jejuniis ac vigiliis anteponit.

Medicinæ corporeæ mortem aliquando differunt, ſed tandem moriendum eſt. Lacryma verò mortem prorſus tollit, & hominem ad vitam æternam ſine interitu perducit. Joannis quarto, verſu decimo quarto: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam:* loquebatur Chriſtus Samaritanæ peccatrici, quæ egebat gratiâ ad contritionem & perfectas lacrymas eam excitante: hic eſt fons Jacob, id eſt, luctatoris cum vitiis. Eſt etiam fons perfectorum, & jam in paradiſo hujus vitæ ob excellentes virtutes demorantium. Geneſis ſecundo, verſu ſexto: *Fons aſcendebat è terra, irrigans univerſam ſuperficiem terræ:* dum adhuc terra es, eges irrigatione lacrymarum, in quibus ſanctus Petrus, ſanctus Paulus, ſanctus Auguſtinus, aliique ad mortem uſque perſtiterunt. Si arbor es paradiſi, lacrymæ ſuccum tibi vivificum infundent, interiorem medullam augebunt, truncum extendent, & ramos, foliorum viriditatem ſervabunt, & virtutum fructus dabunt. Petrus Abbas Cellenſis hoc cognovit, cùm dixit libro de panibus capite duodecimo: *Aqua lacrymarum paradiſum irrigat: Eccleſiam, ut ſit ſine macula, lavat: aut facit, aut invenit paradiſum. Cùm enim profuſione lacrymarum tota irrigatur conſcientia, ligna producuntur fructum vitæ facientia. Numquam virtutes veniunt, aut diu vivunt, ſine cordis irrigatione.* 88. Lacrymæ mortem impediunt animæ.

ARTICULUS II.

Lacrymarum vocem exaudit Deus.

Miſeriam ſuam ob peccatum ortam, & lacrymas ad Deum fuſas, ut animam & corpus ſanaret, hactenus aperuit David: nunc oſtendit deſiderium ſuum, ac firmum propoſitum benè ſerviendi Deo ſpretâ omni impietate, ob miſericordiam ſibi exhibitam per condonationem ſcelerum. Verſu nono: Verſ. 9.
DISCEDITE A ME OMNES, QUI OPERAMINI INIQUITATEM: QUONIAM EXAUDIVIT DOMINUS VOCEM FLETUS MEI.

Nota primò, triplicem eſſe fletum. Primò, cordis 89. Triplex eſt fletus. 1. Cordis.
ut in Anna matre Samuelis patet, primo Regum primo, verſu decimo: *Cùm eſſet Anna* (gratiam ſignificat: & Deo gratam animam ſignat) *amaro animo* (ob miſerias vitæ & leves imperfectiones, aut ati-

ariditatem ac deſolationem) *oravit ad Dominum, flens largiter*: intimi cordis compunctione & profuſa lacrymis preces armabat, ut ait ſanctus Gregorius & Origenes. Quòd in corde fuerit hæc oratio, oſtenditur verſu decimo tertio: *Anna loquebatur in corde ſuo, tantùmque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur*, ex doloris vehementia hoc aliquando fit in peccatore, ut totus in lacrymas diffluat, nec loqui poſſit. Vide Caſſian. Collat. 9. capite vigeſimo ſexto, & ſanctus

2. Oris. Chryſoſtomus homilia ſecunda de Anna. Secundus fletus eſt oris, ut patet Matthæi ſecundo, verſu decimo ſeptimo: *Tunc adimpletum eſt, quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam dicentem*: (capite trigeſimo primò, verſu decimo quinto) *Vox in Rama* (erat urbs ſita in tribu Banjamin, juxta Gabaa & Bethel: ſic dicta, quod eſſet in loco excelſo) *audita eſt, ploratus & ululatus multus. Rachel* (id eſt, Bethlehem, ubi fuit Rachel ſepulta. Eſt metonymia, cùm perſona pro loco ponitur) *plorans filios ſuos* (erat mater Benjamin, cujus tribus erat permixta tribui Juda: itaque ex utraque tribu cæſi ſunt ab Herode innocentes, de quibus ad literam eſt hic locus, ut ait Theodoretus, Hugo, Lyranus, & alii) *& noluit conſolari, quia non ſunt*, id eſt, quia occiſi & mortui ſunt, atque & quoad corpus non ſunt amplius inter vivos, in domo & ſinu matrum.

3. Operis. Tertius denique, eſt fletus operis, ut in Magdalena Lucæ 7. 38. *Stans retrò ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat*. Inſtrumenta peccati, ut ait Euthymius, facit inſtrumenta virtutis: & ſanctus Gregorius homilia 33. Quod, ait, ſibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, ſed hoc jam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat, ſed jam capillis lacrymas tergebat. Ore ſuperba dixerat: ſed pedes Domini oſculans, hoc in Redemptoris ſui veſtigia figebat. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta. Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum ſerviret Deo in pœnitentia, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa. Ita Gregorius.

Nota Secundò: Lacrymis cordis & oculorum eſt vox ſua, verſu ſexto Pſalmi noſtri, ubi habemus: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum*. Chaldæus vertit: *Loquar in dolore meo tota nocte ſuper lectum meum*. Vocem illam cordis & lacrymarum noverat Jeremias, & ad eam incitabat Jeruſalem à Chaldæis everſam, id eſt, animam per peccatum à dæmonibus proſtratam. Threnorum 2. verſu 18. *Clamavit cor eorum* (Judæorum victorum) *ad Dominum ſuper muros* pro muris) *filia Sion: Deduc* (ô filia Sion! id eſt, Sion) *quaſi torrentem lacrymas per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi*. Pupilla eſt velut os oculi, cujus verba ſunt lacrymæ.

90. Vox lacrymarum eſt magna apud Deum. Nota Tertiò: Magna eſt vox illa lacrymarum & orationum in auribus Dei, & magnæ efficaciæ apud parentem amantiſſimum. Pſalmo 101. verſu 18. *Reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum*. Ubi adverte, id Pſalterio Romano legi: *Reſpexit in orationes pauperum*: Itaque, pauperes ama & time. 2. Sanctus Hieronymus vertit, reſpexit ad orationem *vacui*. 3. Felix, *ſolitarii*. 4. Pagninus, *eorum qui ſunt veluti myrica*. Alii, myricæ. 5. R. David, *juniperi*, aut, myricæ. 6. Symmachus, *ligni infructuoſi*. Qui per morbos, vel alia incommoda, minùs apti ſunt ad agendum, ſæpè coram Deo ſunt potentiores in oratione. 7. Chaldæus, *deſolatorum*. 8. Ad rem noſtram Anonymus quidam vertit: *Reſpexit in orationem cicada*. Unde ſanctus Hieronymus epiſtola ad ſanctam Euſtochium, eam ad orationem ſoli Deo notam ſic adhortatur: *Eſto cicada noctium*. Noctu enim cicadæ canunt non ore quod carent, ſed corde & pectore, quo cibum etiam capiunt, ut notavit Plinius libro 11. capite 26. *Unum hoc, ait, ex his quæ vivunt, ſine ore eſt. Pro eo quoddam aculeatum linguis ſimile, & hoc in pectore, quo rorem lambunt. Pectus ipſum fiſtuloſum, hoc canunt*. Sanctus Cyprianus libro de oratione Dominica de Anna matre Samuelis ait: *Loquebatur non voce, ſed corde: quia ſic Deum ſciebat audire*. Hoc orationis genus indicat Chriſtus, cùm jubet nos clauſo oſtio orare. Non audit Deus clamantes in monte cultores Baal. 3 Reg. 18. 26. & ſeq.

Vel abjectiſſimos non deſpicit Deus, ſi fleant. 91. Flentes nunquam deſpicit.
Eccl. 35. verſu 17. *Non deſpiciet preces pupilli, nec viduam ſi effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio ejus*, (viduæ) *ſuper* (contra) *deducentem eas*, id eſt, eum qui eſt in cauſa per ſuam injuſtitiam aut crudelitatem, ut decidant. *A maxilla enim aſcendunt uſque ad cælum*. (inſtar vaporis à terra elevati) *& Dominus exauditor non delectabitur in illis*: id eſt, vehementer indignabitur contra oppreſſores viduæ & pupilli, efficiet enim ut vapores illi tonitrua, fulmina & grando fiant, quibus divites impii pereant. Eſt itaque mioſis, id eſt, imminutio. Nam parum dicitur, & plus ſignificatur. Cum lacrymis oravit Tobias capite 3. verſu 1. Daniel. 10. verſu 2. Ezechias, Iſaiæ 38. 2. Raguel, Tob. 7. 6. 13. Judith. 8. 14. & exauditi ſunt. Et David dicebat Pſal. 38. 13. *Auribus percipe lacrymas meas*. S. Hieronymus vertit: *Ad lacrymam meam* (vel unica auditur) *ne obſurdeſcas*: tanta eſt vox lacrymæ, ut ſurdus ſit oporteat, qui eam non audit. Itaque in noſtro Pſalmo ait verſu 9. *Exaudivit Dominus* (Pater æternus) *vocem fletus mei*. verſu 10 *Exaudivit Dominus* (Deus Filius) *deprecationem meam, Dominus* (Spiritus ſanctus) *orationem meam ſuſcepit*: nec ſuſcipere deſinet. Sanctus Hieronymus vertit, *ſuſcipiet*. Unde ridens hoſtes ſuos concludit: Erubeſcant, (Sanctus Hieronymus, confundantur) & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur (Sanctus Hieronymus, revertantur. Caſſiodorus & Innocentius, avertantur retrorſum) & erubeſcant valdè velociter. S. Hieron. ſubitò. Hebraicè, *rega*, poſſis vertere *in momento*; impii enim in puncto ad inferna deſcendunt. Jobi 21. 13. & gaudium hypocritæ adinſtar eſt puncti, capite 20. 5.

Hic bona hoſtibus Davidem apprecari ſunt qui putent, ſed ad tropologiam id rejice. Nam ad literam eſſe prophetia malorum peccatoribus impendentium. Primò itaque, ait Innocentius hîc, tres Confeſſionis partes reperiri. 1. Contritionem cordis, in conturbatione. 2. Confeſſionem oris, in erubeſcentia. 3. Satiſfactionem operum, in converſione.

Secundò: S. Thomas hîc quatuor pœnitenti 92. Quatuor pœnitenti neceſſaria.
neceſſaria adnotat. Primò, erubeſcentiam de peccatis, quæ eſt ſtimulus primus, qui peccatorem pungit, & erigit ad emendationem vitæ. Eccli. 4. 25. *Eſt confuſio adducens peccatum: & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam*. Syrus, eſt confuſio, cujus honor gratia eſt. Græcè, eſt confuſio *gloria & gratia*. De peccato confundi eſt gratia Dei & gloria peccatoris. Secundò, advertit hic dolorem de admiſſis peccatis, qui dolor eſt inſtar angeli piſcinam conturbantis, ut ſanitas per aquarum turbatarum vim reddatur. Pſalmo 59. 4. *Commoviſti terram, & conturbaſti eam*, (ſanctus Hieronymus, dirupiſti eam) *ſana contritiones ejus, quia commota eſt*. Tertiò, converſionem ad Deum, *convertantur*. Sic dicit Iſaias capite 31. verſu 6. *Convertimini, ſicut in profundum receſſeratis, filii Iſrael*. Quartò, ruborem, *erubeſcant*, ob peccata admiſſa in tam beneficum largitorem. Eſt enim, ut ait S. Thomas, erubeſcentia principium & finis emendationis.

Tertiò: Ugo Cardinalis quinque hinc eruit. 1. Erubeſcentiam exteriorem. 2. Timorem. 3. Contritionem. 4. Converſionem. 5. Erubeſcentiam interiorem.

PSAL-

PSALMUS SEPTIMUS.

1. *Pſalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chuſi, filii Gemini.*

2. DOmine Deus meus in Te ſperavi: ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.
3. Nequando rapiat ut leo animam meam: dum non eſt, qui redimat, neque qui ſalvum faciat.
4. Domine Deus meus ſi feci iſtud: ſi eſt iniquitas in manibus meis.
5. Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.
6. Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam: & gloriam meam in pulverem deducat.
7. Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.
8. Et exurge Domine DEUS meus in præcepto, quod mandâſti: & ſynagoga populorum circumdabit te.
9. Et propter hanc in altum regredere: Dominus judicat populos.
10. Judica me Domine ſecundùm juſtitiam meam: & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.
11. Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges juſtum: ſcrutans corda & renes DEUS.
12. Juſtum adjutorium meum à Domino: qui ſalvos facit rectos corde.
13. DEUS Judex juſtus, fortis & patiens: numquid iraſcitur per ſingulos dies.
14. Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit, & paravit illum.
15. Et in eo paravit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus effecit.
16. Ecce, parturiit injuſtitiam, concepit dolorem: & peperit iniquitatem.
17. Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam, quam fecit.
18. Convertetur dolor ejus in caput ejus: & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet.
19. Confitebor Domino ſecundùm juſtitiam ejus: & pſallam Nomini Domini Altiſſimi.

PSALMI SEPTIMI ANALYSIS.

- David ſub Saulis regis injuſtâ perſecutione ingemiſcens,
  - Auxilium DEI poſtulat 2. ob
    - Dei
      - Majeſtatem, *Domine DEUS.* 2.
      - Bonitatem, *in Te ſperavi.* 2.
      - Poteſtatem, *ſalvum me fac ex omnibus.* 2.
      - Sapientiam, *& libera.* 2.
    - Saulis.
      - Crudelitatem. *Nequando rapiat ut leo.* 3.
      - Terrorem, omnes à ſe avertentis. 3.
    - Sui ipſius
      - Innocentiam
        - Qui regnum non ambiverit. 4.
        - Nihil iniqui geſſerit in Saulem. 4.
        - Ne hoſtibus quidem injuriam rependerit. 5.
      - Humilitatem
        - Objicientis ſe juſtæ Dei vindictæ, ſi peccavit. 5.
        - Et hoſtium furori. 6.
          - Ut perſequantur. 6.
          - Capiant. 6.
          - Conculcent. 6.
          - Inglorium reddant. 6.
      - Fiduciam.
        - Sperantis Dei vindictam. 7.
        - Et hoſtium confuſionem. 7.
    - Populi
      - Exemplum, videntis Deum juſtè judicare, ſicut à judicibus vult fieri. 8.
      - Et lætitiam, ad Deum accurrentis, ut illi ſerviat. 8.
  - Ad futurum prædicit in Dei judicio. 9. cujus
    - Perſonas aſſignat. 9.
    - Modum æquiſſimum. 9.
      - Secundùm juſtitiam Dei. 9.
      - Et actiones hominum. 9.
    - Exitum duplicem. 10.
      - Impiis infelicem. 10.
      - Juſtis fauſtiſſimum. 10.
        - Juvante eos Deo. 11.
        - Et ſalvante. 11.
    - Judicis virtutes. 12.
      - Juſtitiam. 12.
      - Fortitudinem. 12.
      - Longanimitatem. 12.
      - Severitatem. 12.
    - Pœnarum acerbitatem 13.
      - Cominus, feriendo gladio. 13.
      - Eminus, arcu & ſagittis. 13. 14.
    - Cauſas punitionis. 15.
      - Scelera mente concepta. 15.
      - Foras prodeuntia. 15.
      - Dolores præſertim 16. quib.
        - Impii ipſi capiuntur. 16.
        - Et conteruntur. 17.
  - De obtento gratias agit. 18.
    - Voce, ob juſtitiam Domini. 18.
    - Pſalterio, ob miſericordiam Salvatoris. 18.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. *Pſalmus David, quem cecinit Domino pro verbis Chuſi filii Jemini.*

1. Quis hic vocetur Chuſi? Primò.

QUæres: Quis ſit iſte Chuſi? Primò, S. Auguſt. S. Baſil. S. Chryſoſt. Eugubinus, Lorinus & alii hunc Chuſi volunt eſſe Chuſi Arachitem amicum Davidis, qui diſſipavit conſilium Achitophelis de perſequendo Davide cum duodecim millibus militum: ſicque eum à certo exitio ſervavit, & deſperabundum Achitophelem ad ſuſpendium adegit, 2 Reg. 17. Ubi adverte, vocari amicum Davidis, quòd ſingulari eum benevolentiâ David proſequeretur, & ſibi familiariſſimum haberet. Septuag. vocant ἑταῖρον, id eſt, ſocium, ſodalem: aut meliùs, familiarem nos vernaculè dicimus *migusa*. Sic Araſpes Medus vocatur à Xenophonte libro quinto pædiæ, ἑταῖρος, id eſt, familiaris Cyri regis. & Demoſthenes in orat. ad Phil. regum familiares vocat eorum ἑταίρους. Sed contra hanc opinionem eſt primò, quòd ille amicus Davidis vocabatur Chuſai, hic verò in Pſalmo noſtro vocetur Chuſi. Secundò, quòd ille fuerit Arachites, id eſt, filius Arachi, ut placet S. Hieronymo hîc: vel ex civitate Arach, ut cenſet Lyranus & Dionyſius, quæ civitas erat aut in terra Sennaar, Geneſis decimo, verſu decimo, quam aliqui Cœleſyriam putant. Sanctus Hieronymus in Geneſim, Edeſſam eſſe: aut in Phœnicia ultra Tripolim ſita, ad radices Libani & Antilibani, ut dicit Adrichomius. Erat enim is Davidis zelus, ut proſelitos, id eſt, ad Judaiſmum converſos apud ſe multos haberet, ut patet in Ethai Gethæo, filio Regis Achis, in Obededom, Gethæo, Uria, Hethæo, aliiſque. Chuſi autem Pſalmi noſtri, dicitur filius Jemini. 3. Contra hanc opinionem quoque eſt, quòd David refellit hîc verba Chuſi, cùm ait, *ſi feci iſtud*, at ille Arachites erat amicus Davidis & conſiliarius, qui in ejus ejectione à Jeruſalem, cum eo fugere volebat conſperſus cinere, & ſciſsâ veſte; atque ab eo ad Abſalonem eſt remiſſus, ut conſilia adverſariorum diſſiparet, 2 Reg. 15. 32. & ſeq. ſicut fideliter & feliciter fecit, c. 17. 7. Adde hunc Pſalmum non eſſe de perſecutione Abſalonis, ut mox dicetur. 4. Ille Chuſi amicus Davidis ſcribitur per literam Heth, hic verò per Caph.

2. Secundò, Burgenſis & Bellarminus opinantur, cum Arnobio hîc Chuſi appellativè dici de Semei, qui Davidi maledixit, cùm fugeret à facie Abſalom filii ſui, dicebat autem 2 Reg. 16. 7. *Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus univerſum ſanguinem domûs Saul: quoniam invaſiſti regnum pro eo.* Vocatur hic Semei filius Jemini, verſ. 11, id eſt, de tribu Benjamin & cognatus Saulis, nam propriè erat filius Gera, ut habetur ℣. 5. Hæc opinio eſſet probabiliſſima, ſi ageretur in hoc pſalmo de perſecutione Abſalonis, ſed ut oſtendam, agitur de perſecutione Saulis.

3. Tertiò, Arias & Agellius per Chuſi intelligunt Cis patrem Saulis, & cenſent eum filii & domeſticæ gloriæ ſtudioſum multa molitum eſſe contra Davidem. Sed hæc dicuntur ſine fundamento in Scriptura.

4. Et optimè.

Quartò denique, S. Hieron. Beda lib. 1. in Job, cap. 10. Janſenius, Lyranus, Bredembachius, Emmanuel, Varlenius, Genebrardus, & alii multi, per *Chuſi* accipiunt Saulem, qui unum è majoribus habuit Jemini, itaque jure dicitur filius Jemini. Vel, vocatur filius Jemini, id eſt, de tribu Benjamin. Nam *ben* ſignificat filium, & *jamin* dexteram: per aphæreſim autem *Benjamin* abbreviatum eſt *Jamin* ac *Jemini*. Simili modo ex *Ben-ammi* deductum eſt nomen Ammon, Geneſ. 19. 38. & Chald. 2 Reg. 9. 1. pro viro Jemini vertit ex tribu domus Benjamin, hanc ſecundam expoſitionem ſequuntur Mariana, Cajetanus & Salianus. Sed prima magis placet, quæ dicit Jemini fuiſſe virum celebrem in tribu Benjamin, cujus poſteri dicti ſunt filii Jemini, ideòque in eo finitur genealogia Regis Saulis, qui fuit filius Cis, filii Abiel, filii Seror, filii Bechorath, filii Aphia, filii viri Jemini.

Quæres 2. Cur Saul dicatur Chuſi? Reſp. vocatum eſſe Chuſi, ſive Chus, id eſt, Æthiopem, ut Aquila & S. Hier. vertunt, ob mores atros & malos. Nam Æthiops in Scriptura ſemper in malam partem ſumitur. Sic Amos 9. ℣. 7. habes: *Nunquid non ut filii Æthiopum vos eſtis mihi, filii Iſrael, ait Dominus?* Sic Jerem. 13. 23. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, & pardus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* De obſtinatis in peccato hoc dicit: Unde S. Hier. In omnibus, inquit, Scripturis Æthiopes dicuntur, qui penitùs in vitia demerſi ſunt. Hinc Diogenes Cynicus cùm argueret improbum, rogatus: quid faceret? Ait: *Æthiopem abluo, ut candidum reddam.* Proverbiorum quoque eſt: *Æthiopem lavare*, id eſt, rem impoſſibilem aggrederis, incorrigibilem niteris emendare, ſed fruſtrà. In malam porrò partem ſumitur Æthiops ob nigredinem: dicebat Pythagoras, ne guſtaremus de his, quibus nigra eſt cauda, id eſt, ut vitaremus conſortium eorum, qui eſſent nigris moribus. Jeremias Propheta volens declarare Nazaræos ipſos depravatos eſſe, ait eos fuiſſe denigratos, cùm priùs ob virtutum ſplendorem eſſent candidi, Thren. 4. 7. *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis.* De anima ſcelerata ſub typo Ninives civitatis à Medis & Chaldæis direptæ duce Nabuchodonoſore everſore Jeruſalem, qui eſt dæmonis figura, dicitur, Nahum. 2. 10. *Diſſipata eſt, & ſciſſa, & dilacerata*, (Hebr. vacuitas, & evacuatio & laceratio. Sept. concuſſio, & excuſſio, & ebullitio) *& cor tabeſcens, & diſſolutio geniculorum*, (Tigurina, tremor genuum. Pagn. colliſio genuum) *& defectio in cunctis renibus*, (Tigurina, ægritudo in omnium lombis) *& facies omnium eorum, ſicut nigredo ollæ.* Hebr. contraxerunt ollam, id eſt, ollæ ſpeciem, ut Tigurina vertit. Vel, contraxerunt fuliginem, ut reddit Arias: redactæ ſunt in nigredinem, ut Pagn. explicatè autem exponit Chald Paraphr. *Omnes vultus operientur nigredine, inſtar ollæ denigratæ*: Intùs bullit animus impii per varios æſtus concupiſcentiæ, & exteriùs niger eſt ob ſcelerata opera. Nota, David Saulem vocat Chuſi, ut hoc nomine ſymbolico & obſcuriore non videatur in unctum à Deo Regem liberiùs loqui. Tanta debet eſſe vel in ſceleratiſſimos Principes reverentia & modeſtia.

2. Saul vocatur Chuſi, & cur?

Argumentum itaque Pſalmi eſt oratio Davidis ad Deum, ut ſe tueatur contra Saulem & omnes ejus ſatellites, cùm ſit innocens à calumnia, quam paſſim jactabant: nempe, quòd Saulem throno dejicere vellet. Poſtulat itaque à Deo Judice rem diſcuti, ac prædicit fore, ut ab eo adjuvetur, & adverſarii ſpe ſuâ fruſtrati ea ſentiant, quæ in ſe devolvere moliti erant. Quòd autem agat potiùs de perſecutione Saulis, quàm de perſecutione Abſalonis, patet primò ex verſu 3. *Nequando rapiat ut Leo animam meam, dum non eſt, qui redimat;* Fuit

3. Pſalmi argumentum.

enim

enim tunc ab omnibus deſertus, & noctu è propria domo ſugere compulſus: in bello autem contra Abſalonem habebat integrum exercitum, quo eum ſuperavit; nec filium vocaret leonem. Secundò, id apertiùs adhuc conſtat ex verſu 4. *Domine Deus, ſi feci iſtud.* Nihil autem objiciebat Abſalom, quod in ſe pateat molitetur: Saul verò jactabat eum vitæ ſuæ ac regno inſidiari. Tertiò, ex verſ. 5. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Abſalonem, licèt juſtè, David ejecerat è regno, & coëgerat exulare apud avum ſuum Tholomai Regem Geſſur per triennium: vixque victus precibus Joab Ducis exercitûs ſui eum revocaverat in Judæam, eâ conditione, ut ab aula abeſſet: nihil autem prorſus Sauli fecerat, quod eum irritare poſſet: ſed potiùs, cùm eum occidendi poteſtatem haberet in ſpelunca Engaddi, & in caſtris, id facere noluit; ad id autem videtur alludere.

4. Siggaion quid? 1. Nota, in titulo Pſalmi hujus pro *Pſalmus* ut verterunt Septuag. in Hebr. eſt שגיון *ſiggaion*, quæ vox ſignificat primò errorem & ignorantiam, à rad. *ſaga*, id eſt, errare, ignorare. Unde S. Hier. ſicut eſt in Bibliis Regiis, & Lyranus aſſerit, vertit, *pro ignoratione*, ſeu, ignorantia, *David, qui cecinit Domino ſuper verba Æthiopis, filii Jemini.* Aquila etiam reddit, ὑπὲρ ἀγνοίας, pro ignorantia. Quæres: de qua ignorantia agat? Primò cenſet Trevetus intelligi ignorationem Davidis, quòd auditâ morte Saulis Canticum fecerit. Sed potiùs laudabilis fuit in eo lugubri carmine, in quo dolet de Saulis morte, & hic Pſalmus ſcriptus eſt, cùm adhuc Saul viveret, & cum perſequeretur. Secundò, Euthym. & Nicephorus volunt Davidem accuſare ſe, quòd velut amiſsâ & intermiſsâ ſpe in Deum, magis ſretus fuerit conſilio Chuſi. Sed hic non agitur de perſecutione Abſalonis, in qua Chuſi, ſeu potiùs Chuſai, amicus & conſiliarius Davidis ei profuit. Tertiò, S. Hier. & Burgenſis volunt Davidem purgare ſe, quòd ipſi Saulis mortem imputâſſet Semei, 2 Reg. 16. 7. Semei maledixit Davidi in rebellione Abſalonis, de qua hîc non eſt ſermo. Quartò itaque, *ſi pro ignorantia* interpreteris, *ſiggaion*, dic Davidem aſſerere ſe non eſſe conſcium ullius criminis in Saulem, ac præſertim de regno illi auferendo & vita non cogitâſſe, ut Doëg Idumæus & alii mentiebantur, ita Valentia, Cajetanus, Lyranus, & alii.

2. Secundò, Lorinus opinatur Sept. legiſſe הגיון *higgaion*, quæ vox ſignificat meditationem, ſermonem, cantilenam, pſalmum. Sed non eſt neceſſe ad hoc recurrere.

3. Et benè. Tertiò itaque, *ſiggaion* ſignificat pſalmum, ut rectè verterunt Septuag. In ea opinione eſt R. Abraham & R. David, qui cenſent eſſe ſpeciem pſalmodiæ, concentûs, & carminis. 2. R. Manahem, qui dicit eſſe nomen cantûs ſic appellari ab inſtrumento, quo canebatur. 3. Vatablus, qui ait tonum eſſe & cantilenæ modulum, ſimilem ei, quæ inchoabat à Siggaion. In ea mente videtur fuiſſe Pagninus, qui hanc vocem non explicatam reliquit. 4. Felix vertit, *exercitata David*, & Chald. Paraphr. *interpretatio confeſſionis*, id eſt, laudis. 5. Alii dicunt eſſe cantum hilarem, jubilationem, lætam exclamationem, pæaniſmum, ob evitatum ſcilicet periculum maximum. R. Emmanuel dicit, *ſiggaion* ſignificare lætitiam, jucunditatem complacentiam. Arias vertit, *delectatio David*, id eſt, Pſalmus delectans & lætus. Erit delectatio etiam tibi, ſi pſalmum illum cantes *Domino*, id eſt, ad laudem & gloriam Dei, ipſi tribuens liberationem tuam à peccatis: vel, *coram Domino*, id eſt, Deum tibi præſentem ob oculos ponens, ut vertit Chaldæus. Nota, S. Hier. in editione Mariani Victorii, & in Pſalterio, quoutor, habet: *Pſalmus David, quem cecinit ſuper verbis Chus filii Jemini*; Chus autem fuit filius Cham filii Noë, ab eo orti ſunt Æthiopes, qui ſe ſuâ linguâ vocant Chuſim, ut Septuag. S. Hieron. S. Iſidor. & alii dicunt. Cur autem *Chus*, id eſt, Æthiops ſive *Chuſi*, id eſt, Æthiops meus, dictus ſit Saul, ſuprà dictum eſt.

DIVISIO TOTIUS PSALMI.

Tria hîc præſtat David. Primò, auxilium Dei poſtulat in Saulem, injuſtum aggreſſorem. Verſ. 2. Secundò, ad futurum illud ſibi pollicetur. Verſ. 8. Tertiò, de obtento gratias agit. Verſ. 18.

SECTIO PRIMA.

Tria facit. Primò, Dei opem obſecrat. Verſ. 2. Secundò, ſuam innocentiam teſtatam facit. Verſ. 4. Tertiò, hoſtium punitionem requirit. Verſ. 7.

PARAPHRASIS.

2. Domine Deus meus in te ſperavi: ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

2. Neque in arcûs mei robore, neque in amicorum militumve præſidio: ſed in unius tui ope, Domine Deus meus, ſpes meas omnes repoſitas habeo. Hoſtium meorum ex ungulbus, in deſtinatam ſibi prædam involantibus, explica me, & in tuto collocatum ab eorum impetu libera.

3. Ne quando rapiat ut leo animam meam: dum non eſt, qui redimat, neque qui ſalvum faciat.

3. Ne forte à Saule in rabiem acto, furentiſque inſtar leonis diducto rictu ad prædam inhiante, delanier. Dum trepidi omnes deſertum me ab omni humana ſubſidio deſtituunt, & poteſtati Regis irati objectum deſerunt.

4. Domine Deus ſi feci iſtud: ſi eſt iniquitas in manibus meis.

4. Si Sauli Regi inſidias poſui, ejuſque regnum, ut inclamat, ambivi: Si quid injuſti in eum molitus ſum, ut de ſolio illum deturbarem, vel moleſtiâ afficerem.

5. Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.

5. Si illatas mihi injurias mutuis injuriis compenſavi: id mihi damni imprecer, ut priùs conatum meum hoſtes occupent, quàm ullos ad honores aut divitias evadam.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta vis pœnitentiæ, & lacbrymarum

60. 1. Pœnitentiæ partes.

TRes pœnitentiæ partes hîc innui vult Jorgius Cardinalis. 1. Contritionem & confeſſionem, *in gemitu*. 2. Satisfactionem, *laboravi*. Secundò, Ugo Cardinalis ſex enumerat ærumnas pœnitentis & pœnas. Primò, In ſatisfactionis labore: *Laboravi*. Secundò, in cordis contritione, *in gemitu meo*. Tertiò, in lacrymarum effuſione *lavabo*. Quartò, in bonorum operum ubertate, *rigabo*. Quintò, in timoris anxiatate, *turbatus eſt à furore oculus meus*. Sextò, in peccatorum confeſſione, *inveteravi*. Sic enim fatetur ſe in peccato perſeveràſſe.

61. Contritio perfecta.

Tertiò, commodiùs dicemus delineari hîc contritionem perfectiſſimam, & numeris omnibus abſolutam. Primò quidem, oſtendit modum contritionis duplicem: 1. Merè internum, ℣. 7. *Laboravi in gemitu meo*. 2. Externum ab interno prodeuntem: *Lavabo, lacrymis rigabo*. Secundò, aperit contritionis præcipuum tempus, *per ſingulas noctes*. Tertiò, locum, *lectum meum. ſtratum meum*. Quartò, cauſam duplicem: 1. Dei offenſi iram, ℣. 8. *Turbatus eſt à furore oculus meus*. 2. Longam in peccato moram, ibidem: *Inveteravi inter omnes inimicos meos*: prima eſt cauſa formalis, ſecunda eſt materialis. Quintò denique, hujus ſuæ contritionis triplicem effectum aperit. Primò, in ſe, propoſitum non peccandi ampliùs, ℣. 9. *Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem*. Ob Dei bonitatem erga ſe. Ibid. *Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei*. 2. Effectus contritionis eſt in Deo, exauditio pœnitentis, ℣. 10. *Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit*. 3. Effectus eſt in ipſis hoſtibus, confuſio, & fuga, ℣. 11. *Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur & erubeſcant valdè velociter*.

ARTICULUS I.

Lacrymæ nocturnæ iram Dei mitigant, & animam lavant.

Verſ. 7. 62. Verſiones variæ.

SEctione præcedenti à Deo irato veniam poſtulaverat David pœnitens. In hac oſtendit ſe ex animo de peccatis admiſſis dolere, ut non videatur eâ veniâ indignus, Verſ. 7. LABORAVI IN GEMITU MEO: LAVABO PER SINGULAS NOCTES LECTUM MEUM, LACRYMIS MEIS STRATUM MEUM RIGABO. Nota 1. Pro *laboravi* Hebr. eſt יָגַעְתִּי *jagathi*, laboravi, fatigatus ſum. Syr. & Chald vertunt, laſſatus ſum. Petavius, κέκμηκα μέγα, laboravi multum. *Sept*, ἐκοπίασα, labore ac moleſtiâ confractus ſum, dolore conſciſſus ſum; deducitur à κόπτω, ſcindo, ſeco. Nota 2. S. Cyrillus Jeroſol. Catech. 2. Illumin. cenſet hic præteritum *laboravi* ſumi pro futuro, cùm duo verba ſequentia *lavabo & rigabo*, ſint in futuro. Contrà verò, S. Hier. verba illa duo ſumit ut præterita. Et quidem apud Hebræos ſæpè futurum trahitur ad ſignificationem præteriti, quando præteritum præceſſit. Denique tria illa verba per tempus exponit

Omni tempore eſt agenda pœnitentia.

Campenſis, ut intelligas omni tempore in hac vita eſſe agendam pœnitentiam de admiſſis peccatis. S. Thom. 3. p. q. 84. art. 8. inquirit: an pœnitentia debeat durare uſque ad finem vitæ? Et reſpondet duplicem eſſe pœnitentiam, ſcilicet interiorem, & exteriorem. Interiorem quidem pœnitentiam eſſe, quâ quis dolet de peccato commiſſo. Et talem pœnitentiam debere durare uſque ad finem vitæ. Semper enim debet homini diſplicere quòd peccavit: ſi enim ei placeret peccâſſe, jam ex hoc ipſo peccatum incurreret, & fructum veniæ perderet. Diſplicentia autem cauſat dolorem in eo, qui eſt ſuſceptivus doloris, qualis eſt homo in hac vita: poſt hanc vitam autem, Sancti non ſunt ſuſceptivi doloris. Unde diſplicebunt eis peccata præterita ſine omni triſtitia, ſecundùm illud Iſai. 65. Oblivioni traditæ ſunt anguſtiæ priores. Ita S. Doctor, qui etiam docet pœnitentiam exteriorem non debere durare uſque ad mortem.

Nota 3. Laboravi *in gemitu*, meo: id eſt, ne de die gemerem, ut exponit S. Ephrem. 2. Et melius, *in gemitu*, id eſt ob gemitum. Ubi diuturnum & continuum gemitum indicari vult Innocentius. Vox ipſa geminis, laborem denotat, ſed gratum tamen ob utilitatem. Nam, ut ait Caſſiodorus: *Gemitus dictus eſt quaſi geminatus luctus, quem meritò fideles appetunt, quoniam lugentes conſolatur, pœnitentes emundat, diabolum fugat, Chriſto conciliat amaritudo dulcis, lacrymæ felices, ſalutaris afflictio*. אֲנָחָה *anaha*, gemitum, ſuſpirium, eruptionem ſoni lugubris præ animi anguſtia ſignificat. Chald. & Arab. vertit, *in ſuſpirio meo*. Græca vox, στεναγμός, gemitus, ſuſpirium, apud Athen. Euripid. & Plutarch. deducitur à στένω, gemo, ingemiſco, quòd corde anguſtato & arctato ob dolorem gemitus erumpat: nam στενὸς anguſtum & arctum ſignificat. Quantus portò in Davide fuerit gemitus, ipſe aperit Pſal. 37. 9. *Rugiebam à gemitu cordis mei*. Simili modo Job dicebat cap. 3. 24. *Antequam comedam, ſuſpiro: & tanquam inundantes aquæ ſic rugitus meus*. Et Jerem. cap. 45. 3. ait Baruch: *Væ miſero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo, laboravi in gemitu meo, & requiem non inveni*. Placet ſibi caſtus animæ Sponſus in voce lugubri turturis, Cant. 2. 12. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra*. S. Gregor. Nyſſen. ait, turturem hunc ſolitarium & gementem fuiſſe S. Joannem Baptiſtam, cujus vox & vita non aliud fuit quàm gemitus, & prædicatio pœnitentiæ, Matth. 3. 2. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*: quo Deus regnet in fidelibus ſuis per gratiam, & poſteà per gloriam. Sed in eam gloriam intrant ii qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur, Regnum Dei non eſt eſca & potus. E cubilibus leonum & pardorum ad coronam aſcenditur.

Nota 4. Pœnitenti laborandum eſt. *Laboravi* in gemitu meo, Pſ. 101. 10. de ſe pœnitente ait David: *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam*. Vide ibi dicta. Eſther Regina uxor Aſſueri, id eſt Artaxerxis Longimani, ſibi & ſuis Judæis morti deſtinatis timens, *ſup*. 14. 2. *Cùm depoſuiſſet veſtes regias, fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit, & pro unguentis variis, cinere & ſtercore implevit caput, & corpus ſuum humiliavit jejuniis, omniaque loca, in quibus antea lætari conſueverat, crinium laceratione complevit*.

Verſ. 7. 2. Para. 63. Lacrymæ cum humiliſare proſunt.

Dolor internus non ſe prodit tantùm gemitu, ſed etiam lacrymis, verſ. eod. 7. LAVABO PER SINGULAS NOCTES LECTUM MEUM, LACRYMIS MEIS STRATUM MEUM RIGABO. Nota, pro *lavabo* eſt אַשְׂחֶה *aſhe*, id eſt natare faciam, ut vertit S. Hieronymus. Ponitur autem futurum pro præſenti, ut ſæpè apud Hebræos, qui carent tempore præſenti, unde Vatablus reddit, *natare facio*. Pagn. verò, *natare feci*, quia præceſſerat præteritum, *laboravi*. Hæc omnia denotant & continuationem, & ubertatem fletus. Adverte autem שָׂחָה *ſaba* cum puncto in cornu ſiniſtro ſignificare in kal, natare: in Hiphil madefacere, perfundere, rigare, natare facere. *Saba* verò cum puncto in dextro cornu ſignificare, humiliare ſeipſum, incurvare. Utrumque verbum ſimul junge, & bonam pœnitentiam efficies, cum humilitate plora cum Magdalena abjectus ad Chriſti pedes, Luc. 7. 38. *Stans retrò ſecus pedes ejus* (recumbentis in lecto convivali, ſeu triclinio) *lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat*. S. Cyprianus tract. de ablutione pedum: *Uſa eſt*, inquit, *capillis pro linteo, oculis pro catino, lacrymis pro Baptiſmo: cor contritum erupit in lacrymas, fides lavit, charitas unxit: caput pro ſuppedaneo ſtravit, crinibus circumfuſis pedes ſacros involvit & terſit: Nihil ſibi de ſe reſervans, totam ſe tibi devovit. & in affectum potiùs, quàm factum attendens, ungebat unguentem, abluebat lavantem, tergebat intrinſecùs pœnitentem*. S. Hilarius de Trinitate, vocat lacrymas ſudorem pœnitentis. Sed in Davide non ſudor, ſed fluvina fuit, Pſal. 118. 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*. Sanctus Hieronymus vertit: Rivi aquarum fluebant de oculis meis. Vide ibi dicta. Hunc fontem

tem ſibi depoſcebat Jeremias cap. 9. 1. *Quis dabit capiti meo aquam*(Hebr. *quis det caput meum aquas*, vel totum in fluvios & maria converti) *& oculis meis fontem lacrymarum?* (Hebr. & oculum meum fontem lachrymæ) *& plorabo die ac nocte interfectos* (quos certò video interficiendos à Chaldæis) *filiæ populi mei*. Jeruſalem verò everſam monet, ut toto torrente fleat ob cladem acceptam. Thren. 2. 18. *Deduc quaſi torrentem lacrymas per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui*, id eſt, ne ceſſes à lacrymis

64. Oculis peccans David debebat flere.

Nota Secundò, Sapienter oculis lacrymas fundit David, qui oculis peccaverat aſpiciendo Bethſabeam, cùm ſorgens de ſtrato ſuo poſt meridiem, ubi à prandio quieti ſe dederat, deambularet in ſolario domus regiæ, id eſt, ſupra tectum palatii ſui, quod pro Judææ more erat planum, & peribolo cingebatur. Vidit autem illam Bethſabeam lavantem ſe, *ex adverſo ſuper ſolarium ſuum*, id eſt, de ſolario ſuo, ut eſt in Hebræo, & apud Septuaginta. Non enim lavabat ſe illa ſuper ſuum ſolarium, ut cenſuit Abulenſ. 2. Reg. 11. q. 4 hoc enim & incommodum & prorſus indecorum fuiſſet, ſed in horto ad fontem, qui adhuc oſtenditur, ut dicit Adrichomius. Erat enim Uriæ domus palatio regio vicina. Hoc autem accidit anno regni Davidis 19. ætatis ejus 49. arcæ in Sione 9. ut nec ætati tuæ, nec ſanctitati & familiaritati cum Deo fidas. Fortaſſe ad illum Bethſabeæ fontem alludit hic David, cùm ait: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum*. S. Cyrill. Jeroſol. catech. 2. Illum, dicit, eum lacrymis vindicâſſe concupiſcentiam oculorum, & eum proponit in perfecti pœnitentis exemplum: ſicut S. Aug. ſerm. 58. de tempore. S. Ambr. 3. de Virg. 2. de pœnit. cap. 8. & 11. in Pſal. 118. ſerm. 7. Oculi Davidis ſicut Sponſæ rectè dicentur fuiſſe piſcinæ ſacræ. Cant. 7. 4. *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in portu filiæ multitudinis*. Adrichom. in deſcript. terræ ſanctæ pag. 137. num. 32. notat, juxta portas urbis Heſebon fuiſſe piſcinas inſignes ſeu ſtagna, ut vertit S. Ambr. hîc, & fontes aquarum. Oculi ſunt in capite, quod ſunt fontes in terra: unde Hebræis עין *ain*, & fontem & oculum ſignificat. Hi fontes oculorum fluunt per cogitationem peccatorum. Hebr. Heſſebon ſignificat cogitationem, ruminationem, computationem, ſupputationem, æſtimationem. Conſidera & gravitatem ſeu pondus, & multitudinem ſcelerum tuorum, & aquæ diffluent lacrymarum. Sed ſint piſcinæ tuæ calidæ, ut ſint ſalubres. Arabs in Pſal. noſtr. vertit: *Calefacio ſingulis noctibus lectum meum*.

65. Lacrymæ animam lavant.

Nota Tertiò, proprius effectus lacrymarum eſt animam lavare. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum*. Lacrymæ ſunt alterum baptiſma. Marci 1. 4. *Fuit Joannes* (id eſt, gratia) *in deſerto baptizans* (in Jordane, id eſt, in fluvio judicii, ob oculos ponens Dei judicium, & ſecurim ad radices arboris poſitam) *& prædicans baptiſmum pœnitentiæ*, (id eſt, lacrymas) *in remiſſionem peccatorum*. Baptiſmus Joannis erat baptiſmus pœnitentiæ, figurans Chriſti baptiſmum, qui erat baptiſmus gratiæ: & baptiſmum lacrymarum, qui eſt baptiſmus gloriæ. Lacryma enim vel centies relapſis cælum aperit. S. Bern. tract. de modo benè vivendi ad ſororem lacrymas baptiſmo æquat. *Lacrymæ*, ait, *pœnitentiæ, pro baptiſmate reputantur apud Deum*. S. Joan. Climacus lacrymas baptiſmo præfert grad. 7. *μείζων βαπτίσματος μετὰ τὸ βάπτισμα ἡ δακρύων πηγή*. *Poſt baptiſma potentior baptiſmate ſi ita fas loqui, fons eſt lacrymarum. Baptiſma quippe tantùm præteritas peccatorum ſordes repurgat, luctus autem noxas poſt baptiſmum contractas diluit. Baptiſma, quo infantes tincti ſumus, omnes poſtea inquinavimus: per fontem autem lacrymarum etiam baptiſmum nitori ſuo reſtituimus*. Fluvius hic Jordanis tollit præſertim lunatiam, quæ eſt lepra *Naaman*, id eſt, *eſt pulchri*. Hanc baptiſmi ſecundi vim extollit S. Laurentius Novarienſis Epiſcopus hom. 1. de pœnitentia. Sicut, inquit, peccatum, quod extra corpus eſt, eleemoſyna *fulminat* & extinguit: ſic vitium libidinis, quod membra inceſtat, lacrymarum ubertas extirpat. Ergo peccatum, quod extra corpus eſt, proprium habet fontem eleemoſynæ: & flagitium, quod intra corpus committitur, *ſuum habet fontem ex oculis profluentem*. Sic oculus qui ſæpè eſt cauſa mali, fit fons ſalutis & origo remedii. Hæc ipſe.

Verſ. 7. 3. Pars.

66. Nox eſt apta fletibus.

Tempus aſſignat David, quo præcipuè fletibus vacabat, nempe nocturnum. Verſ. 7. LAVABO PER SINGULAS NOCTES LECTUM MEUM: quia nox eſt aptior luctui, ob tenebras & ſolitudinem: ſic Jeremias ait de Sione capta & vaſtata à Chaldæis, quæ eſt animæ peccatricis figura, Threnorum 1. 2. *Plorans ploravit* (id eſt, vehementer & continuè ploravit) *in nocte*, 1.
& lacrymæ ejus in maxillis ejus: ſupple ſunt, hærent ac perenniter fluunt. Plorans etiam plorat pœnitens, quia & animam & corpus peccata infecerunt. Secundò, per noctem flebat David, quòd in nocte pec- 2.
câſſet cum Bethſabee. Tertiò, ut fugeret inanem 3.
gloriam, ſicut ait S. Ephrem tomo 3. ſerm. de pœnit. 4.
Quartò, perſpicacior tunc eſt anima, & mundanis tumultibus non turbata, Dei majeſtatem melius videt ac peccati horrorem. Danielis 2. 19. *Danieli myſterium per viſionem nocte revelatum eſt*, myſterium ſtatuæ aureæ à Nabuchodonoſor conſpectæ, in qua figurabantur regna mundi per Chriſtum Judicem evertenda, cap. 7. idem Propheta vidit nocte in leæna, urſo, pardo, & quarta beſtia terribili, quatuor imperia repræſentata, ac deinde judicem omnium Chriſtum venientem, verſ. 13. *Aſpiciebam ergo in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat*, &c. Nox oculos claudit corporis, & oculos aperit mentis. S. Cyr. Jeroſ. catech. 9. Illum. *Quid eſt*, ait, *ad ſapientiam nocte commodius?* In hac enim perſæpè de Deo cogitamus, in hac lectioni & contemplationi divinarum ſcripturarum vacamus. Quando magis in Pſalmodiam & orationem meos noſtra componitur? Numquid non noctu? Et peccata noſtra ſæpè in memoriam revo-
camus. Ita ipſe. Quintò denique, de nocte oratio 5.
liberior ad Deum evolat, ut peccatorum veniam impetret. Unde Sionem vaſtatam, id eſt, animam peccatricem monet Jeremias Thren. 2. 19. *Conſurge, lauda* (Sept. clama) *in nocte, in principio vigiliarum*, (initio ſingularum vigiliarum noctis: erant autem quatuor, ſingulæ trium horarum) *effunde ſicut aquam cor tuum*, (nihil in eo celando) *ante conſpectum Domini*. Chald. vertit, effunde per pœnitentiam, ſicut aquam, perverſitatem cordis tui. Paſchaſ. exponit, effunde ex intimo corde lacrymas compunctionis. S. Hieron. eleganter ait Euſtochio virgini: *Eſto cicada noctium, lava per ſingulas noctes lectum tuum, lacrymis tuis ſtratum tuum riga. Vigila, & fias ſicut paſſer in ſolitudine*. Vim orationis nocturnæ admiratur S. Bern. ſerm. 86. in Cant. illud meditans cap. 3. 1. *In lectulo meo per noctes quæſivi quem diligit anima mea*. Verba ejus ſunt: Quàm ſecura aſcendit de nocte oratio, ſolo arbitrio Deo ſanctoque Angelo, qui illam ſuperno altari ſuſcipit præſentandam! Quàm grata & lucida verecundo colorata rubore! Quàm ſerena & placida nullo interturbata clamore vel ſtrepitu! Quàm denique munda atque ſyncera nullo reſperſa pulvere terrenæ ſolicitudinis, nulla aſpicientis laude ſeu adulatione tentata! Hæc Bern. Tempus ad orationem aptiſſimum eſſe noctem oſtendi Pſalmo 1. verſu 2. Pſalmo 118. verſu 62. Pſalmo 133. 2.

67. Fletuaſſiduus.

Nota, cùm ait David, laviſſe ſe lacrymis lectum ſuum *per ſingulas noctes*, indicat: Primò, ut ait S. Auguſt. & S. Greg. ſe diſtinctum habuiſſe de ſingulis peccatis dolorem. Secundò, apertè declarat continuationem & perſeverantiam in ſuo fletu: ſive Hebraicè, *collaila*, vertas cum S. Hier. *tota nocte*, id eſt, maxima noctis parte: eſt hyperbole: ſive cum Sept. *καθ' ἑκάστην νύκτα*, *per ſingulas noctes*. Utrumque verum fuiſſe arbitror. Nam & ſingulis noctibus flebat, & ſemper diu in qualibet nocte. Idem & nos in hac vita faciamus, hæc enim eſt locus flentium iis qui ab Angelo illuminantur, ut ſua peccata videant. Judicum 2. S. Michaël tutor & præſes Synagogæ Iſraëlitas increpat ob idola culta, apparens eis juxta Jeruſalem à parte Occidentali, in ſylva ſita ultra vallem Raphaim, quæ à tergo habebat Philiſthæos, vindictam Dei illis intentat, ideò ut dicitur verſu 4.

Elevaverunt vocem ſuam, & fleverunt. Et vocatum eſt nomen loci illius, Locus flentium, ſive lacrymarum, immolaveruntque ibi hoſtias Domino. Erat quidem ibi tunc tabernaculum in Silo, & extra illum locum ordinariè non licebat ſacrificare: ſed ob cauſas extraordinarias hoc fecerunt Judæi, ut Samuel in Bethlehem, 1 Reg. 16. 4. & 5. cùm Davidem unxit: & David in area Ornam Jebuſæi, 2 Regum 24. 18. viſo Angelo, qui cædebat populum in Jeruſalem peſte eum interficiens. Oblatum ſacrificium Deo in loco flentium, eſt acceptiſſimum. S. Antioch. hom. 107. *Rorulentæ aſpergines lacrymarum, ὡς μέλι γλυκάζον, ut dulcor mellis ſunt cordi: θυμίαμα εὐώδες παρὰ τῷ θεῷ, ſuave fragrant thymiam apud Deum* Angelis etiam maximè placent. S. Bern. ſerm. 30. in Cant. illud deguſtans c. 1. 6. Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodivi, ſic ait: *Gaudent Angeli in converſione & pœnitentia peccatorum, ſalutem hominum ſitientes. Lacrymæ pœnitentium vinum eorum, quod in illis vita odor, ſapor gratia ſit, indulgentia guſtus, reconciliationis jucunditas, ſanitas redeuntis innocentiæ, ſerenata ſuavitas conſcientiæ.* S. Joannes Climacus gradu 5. ſtupendam pœnitentiam aliquorum & compunctionem refert, de qua agam aliàs. Quomodo debeat & poſſit eſſe continua pœnitentia, docet S. Thom. 3. p. q. 84. art. 9.

68. Tropologicè.

Tropol. per noctes in hoc Pſalmo intelligit S. Greg. tenebroſas cogitationes. 2. S. Aug. *noctes* ſumit pro delectatione carnis, quam homo licèt ſpiritu redemptus, & lucem veritatis percipiens, cogitur experiri cum Paulo, qui, ut ait Rom. 7. mente ſerviebat legi Dei, carne autem legi peccati, id eſt concupiſcentiæ motus involuntarios excitanti. Si in ea nocte polluaris, lacrymis te lava ad Sacramenti probaticam piſcinam, & ad aquas Siloë propera, ibi lotus ſanaberis. Hoc iterari Sacramentum poſſe docet S. Thom. 3. p. q. 84. art. 10. Antipatro Olympiadem ob multa per epiſtolam accuſante, ait Alexander, videri Antipatrum ignorare, quòd *una matris lacryma* deletura eſſet multas epiſtolas. Idem coram Deo facit una filii etiam prodigi lacrymula & ſuſpirium. Lucæ 15. 22. Cùm tempore Samuelis Iſraëlitæ idola Baalim & Aſtaroth coluiſſent, pœnitentes juſſu Samuel aſcendere in Maſphath. Erat enim Maſpha locus editus, regni ſedes, quòd ibi ſupremus populi judex & princeps Samuel jus diceret, 1 Regum 7. 6. *Et convenerunt in Maſphath, hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, & jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino*: fructus illius pœnitentiæ & lacrymarum, quas effuſa aqua devorabat, ſtatim apparet: cùm Philiſthini audientes Judæos eſſe congregatos in Maſpha, exercitum in eos duxiſſent, additur verſu 10. *Intonuit Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſthiim, & exterruit eos, & cæſi ſunt à facie Iſrael*: Maſpha ſignificat ſpeculum, in oratione, ſpeculatione ſeu contemplatione effunde cor tuum Deo per lacrymas tuas. Chaldæus vertit, *effuderunt cor ſuum in pœnitentia.* Doctores Hebræi explicant: Hauſerunt lacrymas è puteo cordis ſui. Et S. Greg. piè & ingenioſè ait: Quid eſt aquam haurire, niſi de profunda animi pœnitentis confuſione, lacrymarum fluenta producere? Velut enim aquam haurimus, dum quàm profunda iniquitate cecidimus, conſiderantes plangimus. Ita ipſe. Sed ut placeas Deo, tolle ex corde Baalim & Aſtaroth, id eſt, ſuperbiam & avaritiam.

Locum lacrymarum ſtatum præcipuum tempori adjungit David pœnitens, Verſu 7. LAVABO PER SINGULAS NOCTES LECTUM MEUM: LACRYMIS MEIS STRATUM MEUM RIGABO.

Verſ. 7. 4. Pars.

69. Quomodo David lectum lacrymis lavabat?

Nota, Lectum, Græcè κλίνη, Hebr. מטה *mitta*, ſtratum, στρωμνὴ, & ערש *eres*, dicitur. S. Th. licèt pro eodem ſumantur hæc duo, ait, ſecundùm proprietatem, (quod prior annotaverat Caſſiodorus) ſtratum eſſe pannos, qui ſternuntur in lecto: lectum, id quod ſubtus ponitur, ut ſtramina & ſimilia. Lavare lectum, eſſe ſurgere, ac juxta lectum appodiando ſe plorare: rigare ſtratum, jacendo in lecto, perfundere pannos lecti lacrymis. Ex Hebræo *mitta* nata videtur vox *matta*, vulgò *matterazzo*, & aliter culcitra, & notatio Hebrææ vocis eſt à *nata*, id eſt, extendo, quòd quis ſe ſuper lectum extendat. Lectus ſive ab alliciendo ad quietem: ſive quòd lectis herbis, frondibus, ſtraminibus, &c. fieri ſoleat: à Græco quoque vetuſto λέκτρον, deduci poteſt. Stratum pro ſtragulo, quod inſternitur, ut in lecto jacentem operiat, ſumitur, licèt pro lecto etiam ipſo uſurpetur: quem lectum interpres aliquando ponit loco vocabuli Hebræi eres, aut grabatum, στρωμνὴ, verò, ſtragulam veſtem, vel operimentum ſignificat. Ita Lorinus. Arbitror hæc duo eſſe ſynonima: lavabo per ſingulas noctes lectum meum: & lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Sæpè enim in Pſalmis ſecundum hemiſtichium eſt explicatio præcedentis, idque fit ob affectûs vehementiam, & ad res melius inculcandas & exprimendas.

Secundò nota: Hinc ſequi, Deum orari poſſe in omni corporis ſitu, & in omni loco. Et quidem Elias in monte Carmelo ſedens oravit poſita facie inter genua ſua, & pluviam impetravit Iſraëlitis, poſt ſiccitatem trium annorum & ſex menſium tempore Achab regis ſcelerati. 3 Regum 18. 42. Secundò, Publicanus ſtans oravit in templo, & deſcendit juſtificatus in domum ſuam. Lucæ 18. 11. & quidem Judæi in templo vel ſtantes, vel genuflexi orabant, nulla enim erat ibi ſedes niſi Pontificis & Regis. Tertiò, S. Stephanus pro ſuis lapidatoribus poſitis genibus in terram oravit. Actorum 7. 59. & Paulum convertit, ut ait S. Auguſtinus. Quartò, fugatis tribus pugnatorum millibus ab incolis urbis Hai, Joſue ſciſſis veſtibus jacens & pronus in terram cadens coram arca Domini uſque ad veſperam oravit cum omnibus ſenibus Iſraël, & miſericordiam ac victorias atque occupationem promiſſæ terræ impetravit. Joſue 7. 6. & ſeq. Ut enim ait S. Auguſtinus tomo 4. libro 2. ad Simplicianum quæſt. 4. *Gignit ſibi mentis intentio ſolitudinem, & ſæpè obliviſcitur ſe vel ad quam cæli partem, vel in qua poſitione corporis membra illud tempus invenerit.* Et S. Ignatius in exercitiis ſpiritualibus docet, in eo corporis ſitu eſſe acquieſcendum, in quo voti compos fias, & affectus elicias quos optas.

70. In omni corporis ſitu bona eſt oratio.

Tertiò nota, optimum eſſe in lecto orare & flere. Primò, ut omnia peccata ibi admiſſa abluas. Secundò, ut tentationes vincas aut impedias. Ut enim ait S. Chryſoſt. in Pſal. noſtr. *πάσῃ κακίᾳ καὶ ἀσελγείᾳ ἄβατός ἐστιν ἐκεῖνη, omni vitio & libidini impenetrabilis eſt lectus ejus, qui lacrymas in oratione fundit. Qui tales lacrymas fundit, nihili ducit quæ ſunt in terra, ſed liberat animum ab omni obſidione, mentemque reddit, ἡλίου λαμπροτέραν, Sole clariorem.* Lectum Salomonis ambiebant ſexaginta fortes, & tamen ad eum luxuria penetravit, & victrix miſerum captivavit: ſed lectum pœnitentis ſoſta lacrymis plena ab omni hoſte liberat.

71. In lecto optimum eſt orare. Primò, ad peccata abluenda. Secundò, ad tentationes vincendas.

Quartò nota: Lacrima animam rigans, eam fœcundat. *Lacrymis meis ſtratum meum rigabo*, velut hortum ſponſo flores producturum. Primò enim, pluvia illa cæleſtis ariditatem mentis tollit. Pſ. 104. 41. *Dirupit petram* (animam per malos habitus obduratam) *& fluxerunt aquæ, abierunt in ſicco flumina*, id eſt, in arido deſerto Arabiæ. S. Hier. vertit, cucurrerunt in aridam flumina. Chald. ambulaverunt per aridam, ſicut flumen. Verſus videtur pœnitens in flumen lacrymarum. Dicebant Judæi murmuratores in deſerto, Num. 11. 6. *Anima noſtra arida eſt.* Sed ſi ex corde doleas, fiet tibi quod ait Iſaias c. 35. 7. *Quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum.* Unde exclamat S. Petr. Damiani opuſc. 13. c. 12. O lacrimæ deliciæ ſpirituales, ſuper mel videlicet & ſavum atque omni nectare dulciores! Quæ mentes ad Deum erectas jucunda ſaporis intimi ſuavitate reficitis, & arida ac tabeſcentia corda hauſtu ſupernæ gratiæ medullitùs irrigatis. Sapor divinæ contemplationis omnia interiora noſtra replet, vegetat, obdulcat. Ita ipſe. Secundò, pluvia cœleſtis mentem fœcundat. Ut enim ait S. Greg. in Pſ. noſtrum: *Caro lacrymarum fluentis rigata,*

72. Lacrymæ Mentis ariditatem tollit.

2. Mentem fœcundat.

rigatu, bonorum operum & juſtitiæ germen emittit, S. Bern. in ſententias, fructus illos multos & perpetuos fore aſſerit. *Stillicidia*, inquit, *lacrymarum, dum venas intentionis atque propoſiti ſuo rore irrigant & infundunt, ne lignum moriatur, perſeverantiam inducunt. Quiſ juxta hæc flumina radicatus fuerit, per menſes ſingulos faciet fructum, & folia ligni illius ad ſuavitatem gentium,* S. Iſaac Presbyter lib. 1. de mundi contemptu, duplicis generis lacrymas ponit: alias adurentes, impinguantes alias. Uſtionem neceſſariam faciunt, quæ ſcelerum lolium urticasque extirpant & conſumunt. Pinguefaciunt verò, quæ terram excultam & purgatam intrant, & de cælo deducta per intelligentiam ſupernarum rerum ſponte fluunt: hæ, ut loquitur, *corpus decorant pariter & impinguant, & ſine violentia per ſeipſas emanant.* A Deo petenda & expectanda eſt illa pluvia. Zach. 10. 1. *Petite à Domino pluviam in tempore ſerotino,* (paulò ante meſſem tempore Aprili ad ſegetes maturandas & impinguandas) *& Dominus faciet nives,* (nives in Libano, Carmelo & aliis montibus collectas diſſolvet, & in campos veſtros decurrere faciet) *& pluviam imbris* (id eſt, copioſam) *dabit eis* (id eſt, vobis: eſt enallage perſonæ frequens apud prophetas) *ſingulis herbam in agro.* Chald. ut det eis frumentum ad comedendum, & herbam jumentis in agro. Symbolicè, tempus ſerotium, eſt tempus peccati; nix, eſt fugus tepiditatis, illud in oratione Deus diſſolvit & lacrymas charitate cæleſti calidas in animam decurrere facit. Pluviam præterea voluntariam ſegregat hæreditati ſuæ, & dat pluvias benedictionis.

Tropol. *Lectum* pro conſcientia: *Stratum*, quod
73. Tropologicè. Stratum & lectus quid. vilius eſt, pro carne ſumit S. Gregorius. 2. *Lectum*, voluptatem & omnem ſecularem delectationem intelligit S. Auguſt. à qua qui ſe conatur extrahere, lavare lectum lacrymis cenſetur. Verba ejus ſunt: *Quod ait David per ſingulas noctes, hoc fortaſſe accipi voluit, quod ille, qui ſpiritu promptus fuerit, ſentit aliquam lucem veritatis, & tamen in delectatione hujus ſeculi per carnis infirmitatem aliquando requieſcit, tanquam dies & noctes alterno affectu cogitur pati. Ut enim dicit Paulus Rom. 7. Mente ſervio legi Dei, tanquam diem ſentiat. Rurſus cùm dicit: Carne autem legi peccati, inclinetur in noctem: donec omnis nox tranſeat, & veniet unus dies, de quo dicitur Pſalmo 5. Manè aſtabo tibi, & videbo. Tunc enim aſtabit, nunc autem jacet, quando in lecto eſt. Quem lavabit per ſingulas noctes, ut tantis lacrymis impetret efficaciſſimam de Dei miſericordia medicinam.*

Cauſam lacrymarum efficientem duplicem aperit David. Primam quidem, iram Dei offenſi. Secundam, inveteratos habitus malos in anima ſua, & tentationes.

Ac Primò: Iram Dei veretur. Verſu 8. TURBATOS
Verſ 8. 5, Pare. EST A FURORE OCULUS MEUS: INVETERAVI INTER
OMNES INIMICOS MEOS. Furorem, ob quem turbatus
74. Ira Dei movet lacrymas peccatori. ſit David, ſumit Primò, S. Greg. Nyſſ. de ira nimia, qua ipſe in adverſarios exarſerit. Sed hic ſenſus non ita placet, quia alia graviora peccata ſua promiſiſſet, ob quæ turbaretur. Secundò, Dionyſius Carthuſianus furorem & iram intelligit contra ſua peccata. Sed hic furor non turbat, ſed reficit. Tertiò, S. Thomas furorem accipit Abſalonis & conſiliariorum ejus contra ſe. Sed de Abſalonis perſecutione non eſt hic Pſalmus. Quartò, itaque melius idem S. Thomas, S. Aug. S. Hier. S. Chryſoſt. & alii, furorem hunc de ira Dei contra ſe peccatorem, intelligere Davidem volunt. Quis enim tam marmoreo & adamantino eſt pectore, ut patris & judicis Dei juſtum furorem ac fulmen non extimeſcat, atque ob ſcelus in ſe conſpectum non horreat? Innocentius in Pſal. noſtrum id vidit: *Saxeum*, inquit, *pectus, lapideum cor, & ferreum habet ie animum, qui pro ſe non tam in corpore morituro, quàm forſan in mente jam mortuo, gemitus non producit, ſuſpiria non emittit, & lacrymas non effundit. Sciat ergo ſe culpabiliter durum, & durè culpabilem, qui corporalem amici ſui mortem deplorat, & ſpiritualem animæ ſuæ mortem non deflet.* Avis paradiſi hoc ſortita nomen ob variegatam pennarum pulchritudinem, & perpetuam in arboribus commorationem laqueis irretita non ceſſat à gemitu, donec moriatur, vel priſtinæ libertati reddatur.

Nota, pro *turbatus eſt*, Hebr. habetur עששה *aſeſa*, id eſt: Primò, caligavi, ut vertit Vatablus, & Flaminius, ob vehementem enim fletum oculorum acies obtunditur. Secundò, doluit, ut Syrus: hoc enim ſignificat *cheab*, unde *chaeb* dolens, ægrotans. 1 Cor. 12. 26. & *cheebma*, infirmi. Ezech. 34. 4. *chib* ſeu *chibo*, dolor, morbus, ægritudo, infirmitas, paſſio, affectio, perturbatio. Coloſſ. 3. 5. Rom. 1. 26. Tertiò, *aſeſu*, eroſus eſt, ut vertit Arias: corroſus, ut Muiſius: tineavit, ut Cajet. Cùm enim lacrymæ ſint calidæ & ſalſuginoſæ, nocent oculo & illum erodunt & conficiunt. Quartò, *aſeſa*, id eſt, computruit, ut reddit R. David.

Tropol. Oculus qui turbatur, eſt mens Davidis timentis indignationem Dei, ut ait Theodoretus: & ideò unius tantùm oculi mentionem fieri putat. Sed hæc ratio non multum probat: cùm enim dicitur, *turbatus eſt oculus meus*, perinde eſt ac ſi diceretur, turbati ſunt oculi mei: unde Arabs vertit, languerunt propter indignationem oculi mei: & Petavius, Oculi mihi præ afflictione triſti minuuntur: duos item mentis oculos hic aſſignat S. Chryſoſtomus, nempe διορατικὸν καὶ λογικὸν, *perſpicacitatem & ratiocinandi facultatem.* Mens porrò rectè oculus dicitur, quia, ut ait Euthymius, velut itineribus omnibus dux eſt. Id dixit Chriſtus Matth. 6. 22. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.* Salomon item Prov. 4. 25. *Oculi tui rectu videant*, c. 23. 26. *Oculi tui vias meas cuſtodiant.*

Moraliter nota cum S. Chryſoſtomo in Pſ. noſtrum, ex hac turbatione animi pœnitentis oriri ſecuritatem & pacem. *Talis conturbatio*, inquit, γαλήνης μήτηρ ἐστὶν, *eſt mater tranquillitatis: talis metus eſt* ἀδείας ὑπόθεσις, *fundamentum ſecuritatis. Qui ita eſt conturbatus, omnem tempeſtatem expellit. Qui tali non eſt animo prudens, graves fluctus ſubibit. Qui horret, tremit & perturbatur, quietam reddit ſuam cogitationem: qui autem ſocordiæ ſomno ſeipſum tradidit, efficit ut cymba obruatur.* Nauta ſomnolentus in cautes navem conjicit, ſollicitus verò ad portum adducit. Eccli. 1. 13. *Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.* Tigurina vertit, in die obitus ſui beabitur. Vide dicta Pſ. 111. 1. Beatus vir qui timet Dominum, &c. 75. Pœnitentiæ timor dat ſecuritatem.

In die judicii, ignes terrifici impios involvent. Pſ. 76.
96. 3. *Ignis ante ipſum* (Chriſtum judicem) *præcedet, & inflammabit* (S. Hieron. exuret) *in circuitu inimicos ejus.* Chald. pro *præcedet*, vertit, flammeſcet: erit enim ignis horrendus, & in omnem partem flammas ejaculans, hunc ignem extinguit imber lacrymarum, ut ſæpè contigit in igne parato martyribus, quem è cælo repentè decidens pluvia penitus extinxit. S. Laurentius Juſtin. tract. de ligno vitæ c. 9. hoc prædicat: *O lacrima humilis!* inquit, *tua eſt potentia, tuum eſt regnum. Tribunal judicis non vereris, amicorum tuorum accuſatoribus ſilentium imponis: non eſt qui te ad Deum accedere vetet. Si ſola intras, vacua non redibis. Quid plura? Vincis invincibilem, ligas omnipotentem, inclinas Virginis Filium, aperis cælum, fugas diabolum. Tu cibus animarum, roboratio ſenſuum, abolitio delictorum, vitiorum exterminium, virtutum pravia, gratiæ ſocia: refectio mentium, & lavacrum culparum: tu odor vitæ, ſapor ſpiritus, guſtus indulgentiæ, ſanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis jucunditas, ſerenatæ conſcientiæ ſuavitas, & electionis æternæ ſpes valida.* De Chriſto Judice dicit Propheta noſter Pſ. 17. 9. *Aſcendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarſit.* (S Hieron. Ignis ex ore ejus devorans) *carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Et Pſ. 88. 47. *Uſquequò Domine averteris in finem, exardeſcet.* (Hieron. ſuccendetur) *ſicut ignis, ira tua?* Hunc ignem lacryma extinguit: quod ſciens Petrus Cellenſis libro de panibus c. 12. ait: *Lacryma judicis emollit iram, jam intentatas iræ humili auſu flectit minas, vibratas evaginat acies, erecta jam reſupinat ſupplicia, exundantes irrorat flammas, profundit de ſilice aquas.* Et paulò poſt: *Quandoque ſententiam rapis ab ore judicis. Audes, ubi timet Angelus. Non eſt, qui te perturbet ab ingreſſu ſecretorum, ab interpella-*

Ignis judicii impios involvet.

Illum extinguit lacryma.

pellatione pro culpis reorum. Reatuum indulgentiam refers, innocentiam deperditam reparas, exules revocas, innocentes coronas. Eandem veritatem pluribus proſequitur S. Pet. Damiani opuſc. 13 ubi poſtquàm profeſſus eſt, ſe non poſſe die integro omnem lacrymarum vim exponere, & exempla in medium afferre, ſubdit: Lacrymæ enim in conſpectu judicis ſupplicant, nihil hæſitant: ſed ſic miſericordiam tanquam rem quamlibet proprii juris ſibimet vendicant: & impetrâſſe ſe quod petierant, confidenter exultant. Lacrymæ ſunt in fœderanda inter Deum & homines pace, ſequeſtres: & veraces ſunt, atque doctiſſimæ in qualibet humanæ ignorantiæ dubietate magiſtræ. Et S. Ephrem ſerm. 3. de compunct. O lacrymarum vis! ait, quouſque pertingis, quæ multa cum fiducia nullis impedita retinaculis, ipſum cælum penetras. O vis lacrymarum, quæ ſi velis, ante ſanctum atque excelſum immaculati Domini thronum cum gaudio aſſiſtere poteſt! O vis lacrymarum, in cujus præſentia atque confidentia Angelorum ordines, cæleſteſque omnes virtutes ſemper exultant! O lacrymarum potentia! quando in ictu oculi, quaſi præpetibus ſublata pennis, in cælum revehis atque aſcendis, & poſtulata à Deo ſancto obtines. Ita ipſe.

77. Lacryma eſt orator admirabilis. Lacrymæ ſunt oratores mirabiles, nihil dicunt, & omnia perſuadent. Flet Maria Magdalena, lacrymis pedes rigat, & cor Chriſti tangit, & os aperit. Luc. 7. & remiſſionem peccatorum obtinet, & judicem ſibi facit advocatum contra Simonem Phariſæum, quem S. Aug. lib. 2. de conſenſu Evang. c. 79. putat eſſe Simonem leproſum. S. Petrus *flevit amarè* Matth. 26. 75. Arab. *amaro fletu*, ne verbulum quidem dicit, & tamen veniam impetrat, ei reſurgens Chriſtus apparet. Luc. 24. 34. eum principem Eccleſiæ conſtituit, & paſtorem non agnorum tantum, ſed etiam ovium, id eſt, prælatorum, qui ſunt matres populorum fidelium. Joan. 21. 17. S. Maximus hom. de pœnitentia Petri, vim lacrymarum ejus ſic expendit: *Lacrymæ verecundiæ conſulunt pariter & ſaluti: nec erubeſcunt in petendo, & impetrant in rogando. Lacrymæ tacitæ quodammodo preces ſunt. Veniam non poſtulant, & merentur: cauſam non dicunt, & miſericordiam conſequuntur.* Concio hæc integra habetur in operibus S. Ambroſii ſerm. 46. itaque aut huic aut illi non benè tribuitur.

78. Lacryma inferorum ignem extinguit. Non judicii tantùm, ſed etiam inferorum ignem lacryma extinguit. S. Chryſoſt. in Pſ. noſtrum: *Lacrymæ poſſunt, ἄσβεστον πῦρ inextinguibilem ignem extinguere, fluvium illum qui trahitur ante tribunal*, qui velut à tribunali Dei judicis exortus damnatos in inferis obvolvet.

Si dæmon corpus tuum & mentem igne tartareo ſuccenderit, vel unica lacryma flammas illas tollet, ac dæmonem in ſpecum ſuam recludet. Petrus Abbas Cellenſis de panibus libro de panibus, c. 12. *Satan*, inquit, *tolerabilius ſuſtinet flammam ſuam quàm lacrymam noſtram, acriuſque contriti cordis lacryma, quàm flamma infernalis incendii torquetur. Dum fundit peccator lacrymam, recludit adverſarium in flammam. Flumina abſorbet omnia, ſed hanc tamen aquam non ſorbet. Rumpuntur namque ventris ejus interiora, ſi conſperſa fuerint hac aqua. Dentes excutiuntur, fauces perforantur, venæ inflantur, & nervi ejus ſolvuntur.* Ut tamen lacryma ſit utilis, neceſſe eſt ut ex piſcina humilitatis decurrat, ſecumque eam deportet: ſitque, ut loquitur idem author, *humilitas procedens ad publicum, navigio lacrymarum.*

Cauſa lacrymarum ſecunda in Davide erat morbus corporis, ac præcipuè morbus mentis inveteratus.

Verſ. 8. 2. Pars. 79. Verſu eodem 8. INVETERAVI INTER OMNES INIMICOS MEOS, ne unus quidem mitior & benignior fit, ſed in eodem ſemper odio contra me inſurgunt: inde fit, ut ante tempus conſeneſcam, hoc præſertim morbo quo exagitor penè conſumptus.

Nota, pro *inveteravi*, in Hebræo eſt עתקה *atecha*, id eſt: Primò, *inveteravit*, ut Felix, Pagn. Arias, Cajetan. Eſt enim tertiæ perſonæ fœminini generis & refertur ad *ain*, id eſt, oculus. Secundò, *atecha*, id eſt, conſumptus eſt, oculus ſcilicet præ nimio fletu.

Nota Secundò, quia non ſolùm Septuaginta, ſed etiam S. Hieron. vertit in prima perſona, inveteravi, ſive conſumptus ſum, credibile eſt lectionem Hebraicam, nonnihil ab eo tempore immutatam, ut in voce עתקה *atheca*, deſit unum jod in fine, & ה debeat eſſe ת, & legendum ſit *atachti*, quæ mutatio facillimè accidere potuit. Senſus igitur eſt: *Turbatus eſt à furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos*: id eſt, quia inveteravi inter omnes inimicos meos: & clariùs, oculus meus caligavit præ fletu ex indignatione, quàm concepi, ex eo quòd tam diu in peccatis hæſerim, ut inveteraverim inter omnes inimicos meos q. d. Non poſſum non vehementer mihi ipſe indignari, quòd nullum vitium adhuc perfectè vicerim, nullumque hoſtem animæ meæ debellaverim, ſed conſenuerim inter omnes hoſtes meos. Vocat autem hoſtes omnes qui eum ad peccandum impulerunt, ſive dæmones, ſive homines, ſive ipſa vitia, & habitus malos. Ita Bellarminus, & benè. Nam inimici noſtri ſunt homines & vitia, ut ait S. Aug. occulti alii, alii manifeſti, ut monet S. Thom. Atque inter illos præſertim computa, qui, ut loquitur Caſſiodorus, *feraliter blandiuntur*, cùm ſentim ac ſine ſenſu nos conducant in tartarum.

Nota Tertiò, vetuſtatem illam facilè naſci peccantibus. **80. Vetuſtas peccati eſt perniciosa.** S. Chryſoſt. in Pſ. noſtr. *Nihil facit adeò inveteraſcere, ut natura peccati.* Succum enim omnem exſorbet animæ corporiſque tartarea ſanguiſuga, venaſque permeat, & ſtupore ſenſus afficit: caput vertigine contortum, & in obvia quæque impactum conterit, cerebrumque comminuit. Nihil eſt vegetum firmumque, ubi furia lethalis omnia pro nutu moderatur. Vetuſtatis illius malum deplorat Innocentius: *O quàm gravis*, inquit, *eſt vetuſtas peccati, quàm grave vetuſtatis peccatum, ex qua culpa quaſi vertitur in naturam, & natura quaſi tranſit in culpam!* Vetuſtatis illius ſpiritualis incommoda conſiderare poſſumus in omnibus ſenſibus ſpiritualibus, per comparationem ad omnia quæ ſenectus corporalis efficit in ſenſibus corporalibus.

81. In peccato ſeneſcens per habitum fit Primò, cæcus. Primò, ſenectus corporis aciem oculorum obtundit, & lippitudinem inducit. Sic Iſaac natus annos 137. ita caligabat, ut Jacob filium pro Eſau benedixerit, mortuus eſt autem anno ætatis ſuæ 180. itaque per annos 44. patiebatur illud cæcitatis incommodum. Senectus etiam peccati excæcat. Pſ. 39. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ*, (ut Philiſthæi Samſonem: vel, ut vela capiti circumpoſita) ſicut Thamar obvolvit ſe theriſtro, id eſt, velo æſtivo, in æſtu ſcilicet concupiſcentiæ, ad peccandum cum Juda ſocero ſuo, *& non potui ut viderem.* S. Hieron. vertit, *non potui videre*: gravitatem ſcilicet peccati, & pœnam capiti impendentem. De impiis dicitur Pſ. 67. 9. *Sicut cera quæ fluit* (S. Hier. quaſi vermis tabefactus. Chald. ſicut reptile limax) *auferentur. Supercecidit ignis*, (ardor malarum concupiſcentiarum, ait S. Aug.) *& non viderunt Solem*, id eſt, Chriſtum & ejus gratiam, longè minus alia lumina. S. Hier. vertit: *Quaſi abortivum mulieris, quod non vidit Solem.* Chald. ad rem noſtram aptiſſimè reddit: *Sicut abortivum & talpa cæca, quæ non vident Solem.*

82. Secundò, ſurdus. Secundò: Senectus corporis inducit ſurditatem: unde Berzellai Galaadites regi Davidi urgenti, ut ad aulam ſecum veniret, ait 2 Regum 19. 35. *Octogenarius ſum hodie: numquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuave aut amarum? Aut delectare poteſt ſervum tuum cibus & potus? Vel audire poſſum ultra vocem cantorum atque cantatricum?* Senectus animi, id eſt, inveterata conſuetudo peccandi, ſurditatem quoque inducit, Pſal. 57. 5. *Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis*, (id eſt, inſtar ſerpentis) *ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas. Quæ non exaudiet vocem incantantium*, (concionatorum ſuaviter adhortantium) *& venefici incantantis ſapienter.* S. Aug. legit, & medicamenti medicati à ſapiente. Vide ibi dicta.

83. Tertiò, ſine guſtu. Tertiò: Senectus corporis guſtum depravat, ut in Berzellai vidimus. Senectus mentis idem facit. Ecclæ. 12. 3. *Tenebreſcent videntes per foramina*, id eſt, oculi, *& obſurdeſcent omnes filiæ carminis*, id eſt, aures: *Et diſſipabitur capparis*, id eſt, ut ait Pineda, appetentia ſpiritualis alimoniæ ita languebit, ut diffi-

Digitized by Google

diſſipata & perdita prorſus videri poſſit, ac fruſtra tentes ullum rerum ad ſalutem animæ condocentium Incitamentum nauſeabundo apponere peccatori: quin illi ſtomachum moveas, quamvis ſpecioſos amygdali flores, & ſapidiſſimos fructus, animique omnes delicatiores eupedias offeras. Vide locum integrum à verſu 1. Ibi mala ſenectutis exprimuntur pulcherrimis emblematis.

84. Quartò, ſine odoratu. Quartò: Senectus corporis ſuavem fragrantiam florum & aromatum inſuavem facit: aut prorſus ne ſentiatur, impedit. Solon eam vocabat *vitæ hyemem*: & Diogenes rogatus: *Quid eſt ſenectus?* Ait: *Eſt vita brumalis, tempeſtatibus obnoxia.* Senectus, mentis odoratum ſpiritualem penitus tollit. Ezechielis vigeſimo tertio, verſu vigeſimo quinto, ait Deus Jeruſalem ſub nomine Oolibæ meretricis: *Naſum tuum & aures tuas præcident.* Ooliba ſignificat, tabernaculum meum in ea. Deus enim habebat templum ſuum in Jeruſalem, ſicut habet in anima ſancta: ſed ſi receſſerit ab ea, Chaldæi, id eſt, dæmones omnia evertunt & perdunt.

85. Quintò, ſine tactu. Quintò: Senectus corporis tactus vim hebetat, ac delectationem magna ex parte tollit. Qui in ſenectute eſt mentis, non ſentit lenitatem virtutis ac ſuavitatem, nec aſperitatem vitiorum: dicunt bonum malum, & malum bonum, & unum pro alio amplectuntur aut rejiciunt.

Sextò, ſine pulchritudine. Sextò: Senectus corporis tollit faciei pulchritudinem, & corpus rugis exarat. Idem facit ſenectus ſpiritualis. Jobi decimo ſexto, verſu nono: *Rugæ meæ teſtimonium dicunt contra me.*

Septimò, tremit. Septimò Senectus corporis inducit tremorem. Idem facit ſenectus mentis. Pſalmo decimotertiò, verſu quinto: *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Pſalmo trigeſimo primo, verſu quinto: *Inveteraverunt oſſa mea.* S. Hier. attrita ſunt.

86. Octavò, mentis aciem perdit. Octavò: Senectus corporis aciem mentis hebetat, ſed longè magis ſenectus mentis. Romanorum primo, verſu vigeſimo octavo: *Tradidit illos Deus in reprobum* (ἀδόκιμον, id eſt, minimè probus, non probandus, perverſus, probans non probanda & probanda improbans ac reprobans) *ſenſum: ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Ut enim ait ſanctus Gregorius libro vigeſimo quinto Moralium capite nono. Qui erant in Dei cognitione, juſtè traduntur ut cæci pariter in agendis.

Nonò, morti eſt proximus. Nonò denique: Senectutem corporis vicina mors premit. Inveteratam in peccando conſuetudinem mors æterna conſequitur. Danielis decimo tertio, verſu quinquageſimo quinto: *Inveterate dierum malorum, ecce Angelus Dei accepta ſententia ab eo, ſcindet te medium.*

87. Lacrymæ morbos animæ ſanant. Aquæ ſalubres. Nota quartò, lacrymæ morbos illos omnes animæ ſanans, & mortem impediunt. Varios aquarum ſalubrium effectus, refert Plinius libro trigeſimo primo, capite primo: *Aquæ fontium, inquit, fluviorumque generatim nervis proſunt, pedibusve aut coxendicibus, aliæ luxatis fracturis. Inaniunt alvos, ſanant ulcera, capiti auribusque privatim medentur, oculis verò Ciceroniana, quæ in villa poſt ejus mortem eruperunt. In Ænaria inſula calculoſis medentur. Cutiliæ in Sabinis ſuctu quodam corpora invadunt, ut propè morſu videri poſſit, aptiſſima ſtomacho, nervis, univerſo corpori. Lacus Alphion vitiligines tollit. Cydnus Ciliciæ amnis podagricis medetur. Tungri civitas Galliæ fontem habet inſignem ferrugine ſaporis, qui purgat corpora, tertianas febres diſcutit, calculorumque vitia. Theopompus in Scotuſſis lacum eſſe dicit, qui vulneribus medetur. In Campania Sinueſſana aqua ſterilitatem feminarum, & virorum inſaniam abolere produntur. Cuſtodit partum Linus fons in Arcadia abortuſque fieri non patitur. Theophraſtus ait in Thuriis Crathin candorem facere in hominibus ex eo bibentibus. In Bœotia ad Trophonium Deum fons eſt qui memoriam afferat, in Sicilia apud oppidum Juſgum fluit rivus, ex quo bibentium ſubtiliores ſenſus fieri Varro tradit. Zama in Africa fontem eſſe, quo canoræ fiant voces. Theophraſtus verò, Lycos in India terris fontem eſſe, cujus aqua lucernæ ardeant. Iſidorus libro decimo tertio. Origin. capite decimo tertio. Cyzici fontem amorem Veneris tollere.* Ariſtoteles in admirandis capite vigeſimo octavo ait, in Sicilia fontem reperiri, in quo aves ſuffocatæ, reliquaque animalia immerſa reviviſcant.

Magna hæc quidem ſunt, ſed lacrymæ morbos omnes animæ ſanant. Proverbiorum 14. verſu 27. *Timor Domini fons vitæ.* Ezechielis 47. verſu nono: *Vivent omnia ad quæ venerit torrens.* Vim ſuam lacryma ſumit à Chriſti Sanguine, quod figuratum eſt in aqua leproſum mundante, cui ſanguis immolati paſſeris injiciebatur. Levitici decimo quarto, verſu ſeptimo: *Sacerdos aſperget illum, qui mundandus eſt, ſepties, ut jure purgetur.* David itaque, oculo in Bethſabæam injecto pollutus, ab eodem oculo per lacrymas ſibi remedium quærit. Hoc ut faciamus, monet ſanctus Laurentius Novarienſis Epiſcopus homilia prima de pœnitentia: *Fiat, inquit, caput tuum fons remiſſionis & fluvius indulgentiæ; & exinde non ſolùm per dexterum oculum, ſed & per ſiniſtrum gemini rivi currant, fluantque tibi uterque oculi pariter ſanitatis rorem ac indulgentiæ imbrem. Cecidiſti per oculum? Contaminavit te aſpectu ſuo? Abluat te aqua ſua. Dic illi: Ocule ad te recurro, tibi imputo, exue quod implicâſti. Tu me vulnerâſti, tu me ſana; tu me polluiſti, tu me purifica. Abluc quod inquinâſti, erige quod eliſiſti, corrige quod evertiſti.* Medicamenta animæ à Deo vendi lacrymis docet ſanctus Ephrem ſermone tertio de compunctione. Nulla, inquit, æſtimari vendique poſſunt pretio remedia atque medicamenta cæleſtia atque ſancta. Sed lacrymis illa Salvator fletuque amaro indulget omnibus. Hæc ipſe, ubi etiam lacrymas propter Deum fuſas vocat panem ſalutemque animæ: eaſque pſalmis, hymnis, canticis ſpiritualibus, lectionibus ſacrarum ſcripturarum, jejuniis ac vigiliis anteponit.

Medicinæ corporeæ mortem aliquando differunt, ſed tandem moriendum eſt. Lacryma verò 88. Lacrymæ mortem impediunt animæ.
mortem prorſus tollit, & hominem ad vitam æternam ſine interitu perducit. Joannis quarto, verſu decimo quarto: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam:* loquebatur Chriſtus Samaritanæ peccatrici, quæ egebat gratiâ ad contritionem & perfectas lacrymas eam excitante: hic eſt fons Jacob, id eſt, luctatoris cum vitiis. Eſt etiam fons perfectorum, & jam in paradiſo hujus vitæ ob excellentes virtutes demorantium. Geneſis ſecundo, verſu ſexto: *Fons aſcendebat è terra, irrigans univerſam ſuperficiem terræ:* dum adhuc terra es, eges irrigatione lacrymarum, in quibus ſanctus Petrus, ſanctus Paulus, ſanctus Auguſtinus, aliique ad mortem uſque perfluxerunt. Si arbor es paradiſi, lacrymæ ſuccum tibi vivificum infundent, interiorem medullam augebunt, truncum extendent, & ramos, foliorum viriditatem ſervabunt, & virtutum fructus dabunt. Petrus Abbas Cellenſis hoc cognovit, cùm dixit libro de panibus capite duodecimo: *Aqua lacrymarum paradiſum irrigat: Eccleſiam, ut ſit ſine macula, lavat: aut facit, aut invenit paradiſum. Cùm enim profuſione lacrymarum tota irrigatur conſcientia, ligna producuntur fructum vitæ facientia. Numquam virtutes veniunt, aut diu vivunt, ſine cordis irrigatione.*

ARTICULUS II.

Lacrymarum vocem exaudit Deus.

Miſeriam ſuam ob peccatum ortam, & lacrymas Verſ. 9.
ad Deum fuſas, ut animam & corpus ſanaret, hactenus aperuit David: nunc oſtendit deſiderium ſuum, ac firmum propoſitum benè ſerviendi Deo ſpretâ omni impietate, ob miſericordiam ſibi exhibitam per condonationem ſcelerum. Verſu nono: DISCEDITE A ME OMNES, QUI OPERAMINI INIQUITATEM: QUONIAM EXAUDIVIT DOMINUS VOCEM FLETUS MEI.

Nota primò, triplicem eſſe fletum. Primò, cordis 89. Triplex eſt fletus. 1. Cordis.
ut in Anna matre Samuelis patet, primo Regum primo, verſu decimo: *Cùm eſſet Anna* (gratiam ſignificat: & Dei gratam animam figurat) *amaro animo* (ob miſeriam vitæ & leves imperfectiones, aut ali-

ariditatem ac deſolationem) *oravit ad Dominum, flens largiter:* intimi cordis compunctione & profuſis lacrymis preces emabat, ut ait ſanctus Gregorius & Origenes. Quòd in corde fuerit hæc oratio, oſtenditur verſu decimo tertio: *Anna loquebatur in corde ſuo, tantùmque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur*, ex doloris vehementia hoc aliquando fit in peccatore, ut totus in lacrymas diffluat, nec loqui poſſit. Vide Caſſian. Collat. 9. capite vigeſimo ſexto, & ſanctus Chryſoſtomus homilia ſecunda de Anna. Secundus fletus eſt oris, ut patet Matthæi ſecundo, verſu decimo ſeptimo: *Tunc adimpletum eſt, quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam dicentem:* (capite trigeſimo primò, verſu decimo quinto) *Vox in Rama*

2. Oris.

(erat urbs ſita in tribu Benjamin, juxta Gabaa & Bethel: ſic dicta, quod eſſet in loco excelſo) *audita eſt, ploratus & ululatus multus. Rachel* (id eſt, Bethlehem, ubi fuit Rachel ſepulta. Eſt metonymia, cùm perſona pro loco ponitur) *plorans filios ſuos* (erat mater Benjamin, cujus tribus erat permixta tribui Juda: itaque ex utraque tribu cæſi ſunt ab Herode innocentes, de quibus ad literam eſt hic locus, ut ait Theodoretus, Hugo, Lyranus, & alii) *& noluit conſolari, quia non ſunt*, id eſt, quia occiſi & mortui ſunt, atque & quoad corpus non ſunt amplius inter vivos, in domo & ſinu matrum.

3. Operis. Tertius denique, eſt fletus operis, ut in Magdalena Lucæ 7. 38. *Stans retrò ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Inſtrumenta peccati, ut ait Euthymius, facit inſtrumenta virtutis: & ſanctus Gregorius homilia 33. Quod, ait, ſibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, ſed hoc jam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat, ſed jam capillis lacrymas tergebat. Ore ſuperba dixerat: ſed pedes Domini oſculans, hoc in Redemptoris ſui veſtigia figebat. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta. Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum ſerviret Deo in pœnitentia, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa. Ita Gregorius.

Nota Secundò: Lacrymis cordis & oculorum eſt vox ſua, verſu ſexto Pſalmi noſtri, ubi habemus: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum.* Chaldæus vertit: *Loquar in dolore meo tota nocte ſuper lectum meum.* Vocem illam cordis & lacrymarum noverat Jeremias, & ad eam incitabat Jeruſalem à Chaldæis everſam, id eſt, animam per peccatum à dæmonibus proſtratam. Threnorum 2. verſu 18. *Clamavit cor eorum* (Judæorum victorum) *ad Dominum ſuper muros* pro muris) *filiæ Sion: Deduc* (ô filia Sion! id eſt, Sion) *quaſi torrentem lacrymas per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi.* Pupilla eſt velut os oculi, cujus verba ſunt lacrymæ.

90. Vox lacrymarum eſt magna apud Deum.

Nota Tertiò: Magna eſt vox illa lacrymarum & orationum in auribus Dei, & magnæ efficaciæ apud parentem amantiſſimum. Pſalmo 101. verſu 18. *Reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum.* Ubi adverte, id Pſalterio Romano legi: *Reſpexit in orationes pauperum:* Itaque, pauperes ams & rime. 2. Sanctus Hieronymus vertit, reſpexit ad orationem *vacui.* 3. Felix, *ſolitarii.* 4. Pagninus, *eorum qui ſunt veluti myrica.* Alii, myricæ. 5. R. David, *juniperi*, ſeu, myricæ. 6. Symmachus, *ligni infructuoſi.* Qui per morbos, vel alia incommoda, minùs apti ſunt ad agendum, ſæpè coram Deo ſunt potentiores in oratione. 7. Chaldæus, *deſolatorum.* 8. Ad rem noſtram Anonymus quidam vertit: *Reſpexit in orationem cicada.* Unde ſanctus Hieronymus epiſtola ad ſanctam Euſtochium, eam ad orationem ſoli Deo notam ſic adhortatur: *Eſto cicada noctium.* Noctu enim cicadæ canunt non ore quod carent, ſed corde & pectore, quo cibum etiam capiunt, ut notavit Plinius libro 11. capite 26. *Unum hoc, ait, ex his quæ vivunt, ſine ore eſt. Pro eo quoddam aculeatum linguis ſimile, & hoc in pectore, quo rorem lambunt. Pectus ipſum fiſtuloſum, hoc canunt.* Sanctus Cyprianus libro de oratione Dominica de Anna matre Samuelis ait: *Loquebatur non voce, ſed corde: quia ſic Deum ſciebat audire.* Hoc orationis genus indicat Chriſtus, cùm jubet nos clauſo oſtio orare. Non audit Deus clamantes in monte cultores Baal. 3 Reg. 18. 26. & ſeq.

Vel abjectiſſimos non deſpicit Deus, ſi fleant. 91. Flentes nunquam deſpicit.
Eccl. 35. verſu 17. *Non deſpiciet preces pupilli, nec viduam ſi effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio ejus*, (viduæ) *ſuper* (contra) *deducentem eas*, id eſt, eum qui eſt in cauſa per ſuam injuſtitiam aut crudelitatem, ut decidant. *A maxilla enim aſcendunt uſque ad cælum*, (inſtar vaporis terra elevati) *& Dominus exauditor non delectabitur in illis:* id eſt, vehementer indignabitur contra oppreſſores viduæ & pupilli, efficiet enim ut vapores illi tonitrua, fulmina & grando fiant, quibus divites impii pereant. Eſt itaque mioſis, id eſt, imminutio. Nam parum dicitur, & plus ſignificatur. Cum lacrymis oravit Tobias capite 3. verſu 1. Daniel. 10. verſu 2. Ezechias, Iſaiæ 38. 2. Raguel, Tob. 7. 6. 13. Judith. 8. 14. & exauditi ſunt. Et David dicebat Pſal. 38. 13. *Auribus percipe lacrymas meas.* S. Hieronymus vertit: *Ad lacrymam meam* (vel unica audita) *ne obſurdeſcas*: tanta eſt vox lacrymæ, ut ſurdus ſit oportet, qui eam non audit. Itaque in noſtro Pſalmo ait verſu 9. *Exaudivit Dominus* (Pater æternus) *vocem fletus mei.* verſu 10. *Exaudivit Dominus* (Deus Filius) *deprecationem meam, Dominus* (Spiritus ſanctus) *orationem meam ſuſcepit:* nec ſuſcipere deſinet. Sanctus Hieronymus vertit, *ſuſcipiet.* Unde ridens hoſtes ſuos concludit: Erubeſcant, (Sanctus Hieronymus, confundentur) & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur (Sanctus Hieronymus, revertantur. Caſſiodorus & Innocentius, avertantur retrorſum) & erubeſcant valdè velociter. S. Hieron. ſubitò. Hebraicè, *rega*, poſſis vertere *in momento;* Impii enim in puncto ad inferna deſcendunt. Jobi 21. 13. & gaudium hypocritæ adinſtar eſt puncti, capite 20. 5.

Hic bona hoſtibus Davidem appreçari ſunt qui putent, ſed ad tropologiam id rejice. Nam ad literam eſſe prophetia malorum peccatoribus impendentium. Primò itaque, ait Innocentius hic, tres Confeſſionis partes reperiri. 1. Contritionem cordis, in conturbatione. 2. Confeſſionem oris, in erubeſcentia. 3. Satisfactionem operum, in converſione.

Secundò: S. Thomas hic quatuor pœnitenti neceſſaria adnotat. Primò, erubeſcentiam de peccatis, quæ eſt ſtimulus primus, qui peccatorem 92. Quatuor pœnitenti neceſſaria.
pungit, & erigit ad emendationem vitæ. Eccli. 4. 25. *Eſt confuſio adducens peccatum: & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam.* Syrus, eſt confuſio, cujus honor gratia eſt. Græcè, eſt confuſio *gloria & gratia.* De peccato confundi eſt gratia Dei & gloriæ peccatoris. Secundò, advertit hic dolorem de admiſſis peccatis, qui dolor eſt inſtar angeli piſcinam conturbantis, ut ſanitas per aquarum turbatarum vim reddatur. Pſalmo 59. 4. *Commoviſti terram, & conturbaſti eam*, (ſanctus Hieronymus, diruiſti eam) *ſana contritiones ejus, quia commota eſt.* Tertiò, converſionem ad Deum, *convertantur.* Sic dicit Iſaias capite 31. verſu 6. *Convertimini, ſicut in profundum receſſeratis, filii Iſrael.* Quartò, ruborem, *erubeſcant*, ob peccata admiſſa in tam beneficum largitorem. Eſt enim, ut ait S. Thomas, erubeſcentia principium & finis emendationis.

Tertiò: Ugo Cardinalis quinque hinc eruit. 1. Erubeſcentiam exteriorem. 2. Timorem. 3. Contritionem. 4. Converſionem. 5. Erubeſcentiam interiorem.

PSAL-

PSALMUS SEPTIMUS.

1. *Pſalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chuſi, filii Gemini.*

2. DOmine Deus meus in Te ſperavi: ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.
3. Nequando rapiat ut leo animam meam: dum non eſt, qui redimat, neque qui
ſalvum faciat.
4. Domine Deus meus ſi feci iſtud: ſi eſt iniqoitas in manibus meis.
5. Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.
6. Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam:
& gloriam meam in pulverem deducat.
7. Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.
8. Et exurge Domine DEUS meus in præcepto, quod mandâſti: & ſynagoga populorum cir-
cundabit te.
9. Et propter hanc in altum regredere: Dominus judicat populos.
10. Judica me Domine ſecundùm juſtitiam meam: & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.
11. Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges juſtum: ſcrutans corda & renes DEUS.
12. Juſtum adjutorium meum à Domino: qui ſalvos facit rectos corde.
13. DEUS Judex juſtus, fortis & patiens: nunquid iraſcitur per ſingulos dies.
14. Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit, & paravit illum.
15. Et in eo paravit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus effecit.
16. Ecce, parturiit injuſtitiam, concepit dolorem: & peperit iniquitatem.
17. Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam, quam fecit.
18. Convertetur dolor ejus in caput ejus: & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet.
19. Confitebor Domino ſecundùm juſtitiam ejus: & pſallam Nomini Domini Altiſſimi.

PSALMI SEPTIMI ANALYSIS.

David ſub Saulis regis injuſtâ perſecutione ingemiſcens,

- Auxilium DEI poſtulat 2. ob
  - Dei
    - Majeſtatem, *Domine DEUS.* 2.
    - Bonitatem, *in Te ſperavi.* 2.
    - Poteſtatem, *ſalvum me fac ex omnibus.* 2.
    - Sapientiam, *& libera.* 2.
  - Saulis.
    - Crudelitatem. *Nequando rapiat ut leo.* 3.
    - Terrorem, omnes à ſe avertentis. 3.
  - Sui ipſius
    - Innocentiam
      - Qui regnum non ambiverit. 4.
      - Nihil iniqui gesserit in Saulem. 4.
      - Ne hoſtibus quidem injuriam rependerit. 5.
    - Humilitatem
      - Objicientis ſe juſtæ Dei vindictæ, ſi peccavit. 5.
      - Et hoſtium furori. 6.
        - Ut perſequantur. 6.
        - Capiant. 6.
        - Conculcent. 6.
        - Inglorium raddant. 6.
    - Fiduciam.
      - Sperantis Dei vindictam. 7.
      - Et hoſtium confuſionem. 7.
  - Populi
    - Exemplum, videntis Deum juſtè judicare, ſicut à judicibus vult fieri. 8.
    - Et lætitiam, ad Deum accurrentis, ut illi ſerviat. 8.
- Ad futurum prædicit in Dei judicio. 9. cujus
  - Perſonas aſſignat. 9.
  - Modum æquiſſimum. 9.
    - Secundùm juſtitiam Dei. 9.
    - Et actiones hominum. 9.
  - Exitum duplicem. 10.
    - Impiis infelicem. 10.
    - Juſtis fauſtiſſimum. 10.
      - Juvante eos Deo. 11.
      - Et ſalvante. 11.
  - Judicis virtutes. 12.
    - Juſtitiam. 12.
    - Fortitudinem. 12.
    - Longanimitatem. 12.
    - Severitatem. 12.
  - Pœnarum acerbitatem 13.
    - Cominus, feriendo gladio. 13.
    - Eminus, arcu & ſagittis. 13. 14.
  - Cauſas punitionis. 15.
    - Scelera mente concepta. 15.
    - Foras prodeuntia. 15.
    - Dolores præſertim 16. quib.
      - Impii ipſi capiuntur. 16.
      - Et conteruntur. 17.
- De obtento gratias agit. 18.
  - Voce, ob juſtitiam Domini. 18.
  - Pſalterio, ob miſericordiam Salvatoris. 18.

enim tunc ab omnibus deſertus, & noctu è propria domo ſugere compulſus: in bello autem contra Abſalonem habebat integrum exercitum, quo eum ſuperavit; nec filium vocaret leonem. Secundò, id apertiùs adhuc conſtat ex verſu 4. *Domine Deus, ſi feci iſtud.* Nihil autem objiciebat Abſalom, quod in ſe pater molietur.; Saul verò jactabat eum vitæ ſuæ ac regno inſidiari. Tertiò, ex verſ. 5. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Abſalonem, licèt juſtè, David ejecerat è regno, & coegerat exulare apud avum ſuum Tholomai Regem Geſſur per triennium: vixque victus precibus Joab Ducis exercitûs ſui eum revocaverat in Judæam, eâ conditione, ut ab aula abeſſet: nihil autem prorſus Sauli fecerat, quod eum irritare poſſet: ſed potiùs, cùm eum occidendi poteſtatem haberet in ſpelunca Engaddi, & in caſtris, id facere noluit; ad id autem videtur alludere.

4. Siggaion quid? 1. Nota, in titulo Pſalmi hujus pro *Pſalmus* ut verterunt Septuag. in Hebr. eſt שגיון *ſiggaion*, quæ vox ſignificat primò errorem & ignorantiam, à rad. *ſaga*, id eſt, errare, ignorare. Unde S. Hier. ſicut eſt in Bibliis Regiis, & Lyranus aſſerit, vertit, *pro ignoratione*, ſeu, ignorantia, *David, qui cecinit Domino ſuper verba Æthiopis, filii Jemini.* Aquila etiam reddit, ὑπὲρ ἀγνοίας, pro ignorantiis. Quæres: de qua ignorantia agat? Primò cenſet Trevetus intelligi ignorationem Davidis, quòd auditâ morte Saulis Canticum fecerit. Sed potiùs laudabilis fuit in eo lugubri carmine, in quo dolet de Saulis morte, & hic Pſalmus ſcriptus eſt, cùm adhuc Saul viveret, & eum perſequeretur. Secundò, Euthym. & Nicephorus volunt Davidem accuſare ſe, quòd velut amiſsâ & intermiſsâ ſpe in Deum, magis fretus fuerit conſilio Chuſi. Sed hîc non agitur de perſecutione Abſalonis, in qua Chuſi, ſeu potiùs Chuſai, amicus & conſiliarius Davidis ei profuit. Tertiò, S. Hier. & Burgenſis volunt Davidem purgare ſe, quòd ipſi Saulis mortem imputâſſet Semei, 2 Reg. 16. 7. Semei malediait Davidi in rebellione Abſalonis, de qua hîc non eſt ſermo. Quartò itaque, ſi *pro ignorantia* interpreteris, *ſiggaion*, dic Davidem aſſerere ſe non eſſe conſcium ullius criminis in Saulem, ac præſertim de regno illi auferendo & vita non cogitâſſe, ut Doëg Idumæus & alii mentiebantur, ita Valentia, Cajetanus, Lyranus, & alii.

Secundò, Lorinus opinatur Sept. legiſſe הגיון *higgaion*, quæ vox ſignificat meditationem, ſermonem, cantilenam, pſalmum. Sed non eſt neceſſe ad hoc recurrere. 2.

Tertiò itaque, *ſiggaion* ſignificat pſalmum, ut rectè verterunt Septuag. In ea opinione eſt R. Abraham & R. David, qui cenſent eſſe ſpeciem pſalmodiæ, concentûs, & carminis. 2. R. Manahem, qui dicit eſſe nomen cantûs ſic appellati ab inſtrumento, quo canebatur. 3. Vatablus, qui airtonum eſſe & cantilenæ modulum, ſimilem ei, quæ inchoabat à Siggaion. In ea mente videtur fuiſſe Pagninus, qui hanc vocem non explicatam reliquit. 4. Felix vertit, *exercitatio David*, & Chald. Paraphr. *interpretatio confeſſionis*, id eſt, laudis. 5. Alii dicunt eſſe cantum hilarem, jubilationem, lætam exclamationem, pæaniſmum, ob evitatum ſcilicet periculum maximum. R. Emmanuel dicit, *ſiggaion* ſignificare lætitiam jucunditatem complacentiam. Arias vertit, *delectatio David*, id eſt, Pſalmus delectans & lætus. Erit delectatio etiam tibi ſi pſalmum illum cantes *Domino*, id eſt, ad laudem & gloriam Dei, ipſi tribuens liberationem tuam à peccatis: vel, *coram Domino*, id eſt, Deum tibi præſentem ob oculos ponens, ut vertit Chaldæus. Nota, S. Hier. in editione Mariani Victorii, & in Pſalterio, quod nunc, habet: *Pſalmus David, quem cecinit ſuper verbis Chus filii Jemini*; Chus autem fuit filius Cham filii Noë, ab eo orti ſunt Æthiopes, qui ſe ſuâ linguâ vocant Chuſim, ut Septuag. S. Hieron. S. Iſidor. & alii dicunt. Cur autem *Chus*, id eſt, Æthiops ſive *Chuſi*, id eſt, Æthiops meus, dictus ſit Saul, ſuprà dictum eſt. 3. Et bene.

DIVISIO TOTIUS PSALMI.

Tria hîc præſtat David. Primò, auxilium Dei poſtulat in Saulem, injuſtum aggreſſorem. Verſ. 2. Secundò, ad futurum illud ſibi pollicetur. Verſ. 8. Tertiò, de obtento gratias agit. Verſ. 18.

SECTIO PRIMA.

Tria facit. Primò, Dei opem obſecrat. Verſ. 2. Secundò, ſuam innocentiam teſtatam facit. Verſ. 4. Tertiò, hoſtium punitionem requirit. Verſ. 7.

PARAPHRASIS.

2. Domine Deus meus in te ſperavi: ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

2. Neque in arcûs mei robore, neque in amicorum militumve præſidio: ſed in unius tui ope, Domine Deus meus, ſpes meas omnes repoſitas habeo. Hoſtium meorum ex unguibus, in deſtinatam ſibi prædam involantibus, explica me, & in tuto collocatum ab eorum impetu libera.

3. Ne quando rapiat ut leo animam meam: dum non eſt, qui redimat, neque qui ſalvum faciat.

3. Ne fortè à Saule in rabiem acto, furentiſque inſtar leonis diducto rictu ad prædam inhiante, delaniet. Dum trepidi omnes deſertum me ab omni humana ſubſidio deſtituunt, & poteſtati Regis iratí objectum deſerunt.

4. Domine Deus ſi feci iſtud: ſi eſt iniquitas in manibus meis.

4. Si Sauli Regi inſidias poſui, ejuſque regnum, ut inclamat, ambivi: Si quid injuſti in eum molitus ſum, ut de ſolio illum deturbarem, vel moleſtiâ afficerem.

5. Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.

5. Si illatas mihi injurias mutuis injuriis compenſavi: id mihi damni imprecor, ut priùs conatum meum hoſtes occupent, quàm ullos ad honores aut divitias evadam.

6. Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam: & gloriam meam in pulverem deducat.

6. Hoſtis meus Saul à tergo inſtet, fugitantem laqueis ſuis implicet, ſtratumque humi proterat, & quicquid mihi nominis & gloriæ priſtinæ de Goliatho aliiſque relatæ victoriæ pepererunt, id omne in nihilum redigat.

7. Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.

7. Irâ ſuccenſus in pedes exili Deus meus, ne tot doloribus meis indormias: hoſtium meorum in exercitu emica, te ut ſceleium tantorum Vindicem experiantur, & inſpiciant.

8. Et exurge, Domine Deus meus in præcepto, quod mandaſti: & Synagoga populorum circumdabit te.

8. Et juxta præceptum, quod omnibus judicibus fixiſti, ut innoxios protegant, & cuique jus reddant, exurge iratus, meque liberato in hoſtes impreſſionem facere, ne graveris. Juſto hoc judicio tuo excitata populi univerſi multitudo tibi venerabunda accidet, atque divinam æquitatem tuam prædicabit.

9. Et propter hanc in altum regredere.

9. Hujus multitudinis causâ excelſum gloriæ tuæ juſtitiæque ſolium conſcende, omnes ut te collaudent.

QUÆSTIO UNICA.

Quantâ rabie Dæmon in Electos inſilit, & quibus præſidiis furor ille contunditur.

5. Emblema Davidis à Saule impetiti. PRopheta noſter ſpirantem nobis casûs ſui imaginem repræſentat, quando Saulis in menſa amicis curialibus veſcens, & jucundo ſermone animum reficiens, leonis inſtar flammatum in ſe Saulem vidit, & lanceam in ſe contorquentem. Ex altera verò tabellæ parte, Deum pingit è ſolio exurgentem, & clypeum obtendentem, ne vulneri pateat locus; ac telum intortum in proximum parietem deflectentem. Tropolog. Tabella hîc ſacra proponitur, in qua, velut in medio campo, vir juſtus cum affuſa turba divinis operibus occupatur: Tum ecce tibi è propinquæ ſylvæ fruticetis erumpens leo, id eſt, Dæmon, virum hunc exitio ſuo natum occupare ac diſcerpere nititur: fuga ſe imbellis popellus proripit, unus ille imperterritus athleta perſtat, & furibundi monſtri fauces elidere molitur. Sed dum caudâ, dentibus, unguibus, totâ corporis mole veterator tartareus dimicat, vir ille fortis præſidiarium ſuum ex altera tabellæ parte in throno ſedentem Deum, & lætis ac ridentibus oculis pugnam ſpectantem videt, atque invocat: qui tandem exurgit, jaculoque in cor leonis tranamiſſo, peſtem illam conficit.

Et juſto à Dæmone laceſſiti.

Quatuor autem hac in ſectione ſpectat David: 1. Deum. 2. Hoſtes. 3. Seipſum. 4. Socios ſuos.

Ac primò, throno divino quatuor Principes adſtantes ponit, nempe: 1. Majeſtatem, verſu 2. *Domine Deus meus.* 2. Bonitatem, quæ ſpem pugnantium erigit: *In te ſperavi.* 3. Poteſtatem, quâ hoſtibus circumſeptos in apertum campum ac liberum educit: *Salvum me fac ex omnibus perſequentibus me.* 4. Sapientiam denique, quâ periculo ſubductos à paratis taleis, ſtimulis & compedibus eximit: *Et libera me.*

Secundò, in hoſte Saule crudelitatem horret, verſ. 3. *Nequando rapiat ut leo animam meam.* 2. Terrorem, quo amicos omnes à ferendo auxilio impedit, ibid. *Dum non eſt, qui redimat, neque qui ſalvum faciat.*

Tertiò, in ſe ipſo David tria oſtendit eſſe: 1. Innocentiam, quâ nec regnum ambiverit, verſ. 4. *Domine Deus, ſi feci iſtud*, crimen ſcilicet, quòd mihi hoſtes mei objiciunt, neque ullo alio ſcelere Saulem laceſſiverit: *Si eſt iniquitas in manibus meis.* Neque vel læſus, pilam ferream in eos retorſerit, verſ. 5. *Si reddidi retribuentibus mihi mala.* 2. Humilitatem declarat, cùm juſtæ ſe Dei vindictæ objicit puniendum, ſi lapſus eſt, Ibid. *Decidam meritò ab inimicis meis inanis*, & hoſtium tela rabiemque non ſubterfugit, verſ. 6. *Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, &c.* 3. Fiduciam ſuam profitetur, cùm ad Deum ſolum fugit, verſ. 7. *Exurge Domine, &c.*

Quartò, in plebe ſibi adjuncta, ducibuſque oſtendit ex hoc Dei juſtitia eventurum, ut ad Deum cum alacritate & amore convolet, verſ. 8. *Et exurge, &c. Et Synagoga populorum circumdabit te.*

ARTICULUS I.

Dæmon inſtar leonis ſævit in homines.

DAvid agnoſcens & ſentiens Saulem ſibi infenſum, & cum exercitu ſe ex uno loco in alium compellentem, opem à Deo implorat, eum inclamans *Dominum* ſuum ob potentiam, & *Deum* ob creationem: deinde ait, ſe in eo, ſeu ut Chald. vertit, *in verbo ejus*, ſperaviſſe: denique, multos eſſe hoſtes ſuos, ſed præſertim Regem iratum, qui leonis inſtar infrendeat, & diripere exoptet, verſ. 3. Verſ. 3.
NE QUANDO RAPIAT UT LEO ANIMAM (id eſt, vitam) MEAM, DUM NON EST, QUI REDIMAT, (id eſt, liberet, ſive cum pretio, ſive ſine pretio) NEQUE QUI SALVUM FACIAT: non modò nemo poteſt me prorſus liberare, ſi caperer, & impedire, ne capiar: ſed ne vitam quidem ſalvam & incolumem in carcere ſervare.

6. Rex iratus ſimilis eſt Leoni.

Nota, Rex iratus ſimilis eſt leoni obvia quæque diſcerpenti, & rugitu ea terrenti, Prov. 20. 2. *Sicut rugitus leonis, ita & terror Regis:* (Septuag. minæ Regis, Syr. furor. R. Salomon, ira) *qui provocat eum, peccat in animam ſuam*: Id eſt, in vitam ſuam, ut expertus eſt Clitus amicus licèt Alexandri, ab eo irato occiſus. Et cap. 19. 12. *Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira: & ſicut ros ſuper herbam, ita & hilaritas ejus.* Syr. Pag. Arias, benevolentia ejus. Chald. beneplacitum. Aquila & Symm. gratia. Sic Paulus 2 ad Timoth. 4. 17. Neronem leoni confert his verbis: *Liberatus ſum de ore leonis.*

Regis iræ ac leonis parallela ſunt: Primò, Leo facillimè & ſæpè iraſcitur. Plinius lib. 8. 16. *Crebrior*, ait, *iracundia leonis.* In principio terra verberatur, incremento terga, ceu quodam incitamento, flagellantur. Ita ipſe. Reges quoque facilè iraſcuntur; cùm enim ſupremam habent poteſtatem, nihil ſibi non deberi cenſent, Seneca Trag. 6. *Gravis ira Regum eſt ſemper.* Primò.

2. Secundò: Leonis rugitus alia animalia ſic percellit, ut, ſicut loquitur S. Baſil. complura longè ipſo celeriora ſolo ſæpè rugitu capiantur. Regum edicta & imperia quis effugiet?

3. Tertiò: Leonis rugitus eſt necis prænuncius: ſtatim enim poſt rugitum in prædam inſilit, eamque lacerat, perimit ac devorat. Eodem modo, ut ipſe Salomon docet, Prov. 16. 14. *Indignatio* (Hebr. ira, furor) *Regis, nuncii mortis.* Seneca in proverbiis, fulmen eſt, ait, ubi cum poteſtate habitat iracundia.

dia. Et Beda: Tempeſtas grandis eſt indignatio Regis. Ad rem eſt maximè locus Ezechielis, qui Joakim Regem Juda comparat leunculo & leoni prædanti, & Jeruſalem leænæ, cap. 19. 5. *Quæ* (Jeruſalem) *cùm vidiſſet, quoniam infirmata eſt*, (orbata Joachaz Rege, quem vinctum in Ægyptum abduxerat Pharao Nechad Rex Ægypti) *& periit expectatio ejus*, (ſpes, quam conceperat de Joachaz feroci) *tulit unum* (alterum, nempe Joachim fratrem ejus) *de leunculis ſuis, leonem conſtituit eum*, (Rex cum conſenſo populi creatus à Pharaone) *qui incedebat inter leones*. (alios Reges, ut Nabuchodonoſor & Pharao) *& factus eſt leo*, (per undecim annos regnans) *& didicit prædam capere, & homines devorare. Didicit viduas facere, & civitates eorum* (enallage eſt numeri, nam tranſit à ſingulari ad pluralem, ut ſæpè fit apud Prophetas, cùm agunt de populo; quia unus eſt populus, ſed multi in eo ſunt homines) *in deſertum adducere: & deſolata eſt terra, & plenitudo ejus à voce illius.* Idem poſſis dicere de Domitiano Imp. de quo ſic loquitur Plinius in Panegyrico Trajani: In occurſu, ait, viſúque terribilis, ſuperbia in fronte, ira in oculis, fœmineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore ſuffuſa: non adire quiſquam, non alloqui audebat, tenebras ſemper ſecretúmque captantem, nec unquam ex ſolitudine ſua prodeuntem, niſi ut ſolitudinem faceret. Ita Plin. Nonne hoc leonis eſt imperium? Senec. lib. 1. de clementia, cap. ult. *Quod iſtud*, inquit, *dii boni malum eſt, occidere, ſævire, delectari ſono catenarum & civium capita decidere: quocumque ventum eſt; multum ſanguinis fundere, aſpectu ſuo terrere ac fugare. Quæ alia vita eſſet, ſi leones urſique regnarent? Si ſerpentibus in nos ac noxioſiſſimo cuique animali daretur poteſtas? Illa rationis expertia, & à nobis immanitatis crimine damnata abſtinent ſuis, & tuta eſt inter feras ſimilitudo morum. Apud homines tamen nec à neceſſariis quidem rabies temperat ſibi.* Hactenus Seneca.

7. *Dæmon eſt ſimilis leoni.* Moraliter nota: Leo eſt dæmon in homines, præſertim juſtos, deſæviens. 1 Petr. 5. 8. *Adverſarius* (Satan Hebr. id ſignificat) *veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret.* Octo in leone & dæmone reperio parallela: nempe ſuperbiam. 2. Iram. 3. Audaciam. 4. Terrorem. 5. Crudelitatem. 6. Voracitatem. 7. Fœtorem. 8. Vigilantiam.

1. *Ob ſuperbiam.* Ac primò: Leo faſtu præturgidus erecto capite jubiſque, per aperta camporum regifico greſſu ſeſe oſtentat: ſi canum catervæ affluxerint, contemptim pedem refert, interdum ſubſiſtens, & occurſantes reſpectans, ancipiti receſſu timorem diſſimulat. Quod, ut ex arrogantiæ tumore ſubnaſci videas, notat Solinus cap. 30. in patenti, nudáque planitie pedetentim gradatimque recedere, ſed, ubi denſam ſe opacamque in ſylvam condiderit, tum ſaltu curſúque, quanto poteſt maximo, fugam arripere. Clarè loquitur S. Ambroſ. lib. 6. Hexaëm. cap. 3. *Leo*, inquit, *naturæ ſuæ vi ſuperbus.*

Superbia dæmonis nota eſt, ob quam dejectus, cùm ait, Iſai. 14. ℣. 14. in typo Balthaſaris Regis Babylonis: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*, id eſt, Deo ſupremo: non quòd ſperaret poſſe ſe Deum eſſe, aut Deo æqualem: ſed quòd ſibi in ſua pulchritudine nimis complacens nollet Deo & ejus legibus ſubjacere, quaſi ſibi ſufficiens: deinde excæcatus fuiſſe etiam æqualitatem cum Deo ambivit, ut homunciones eam deſideràſſe legimus. Sed probabiliùs videtur Lucifero revelatam fuiſſe Verbi incarnationem, eamque ambiviſſe, & humanitati unitæ hypoſtaticè Verbo Dei ſubjici noluiſſe. S. Thom. 1. p. q. 63. art. 2. docet, ſecundùm affectum primum peccatum Angeli aliud eſſe non potuiſſe, quàm ſuperbiam: an verò appetiverit eſſe, ut Deus, explicat art. 3.

Remedium in ſuperbi dæmonis tentationes eſt humilitas, ut revelatum eſt S. Antonio, cui ſæpè dæmones leonum, tigridum, urſorum, aliarumque ferarum ſpecie apparebant. Cùm in B. Borgiæ lectulum diabolus porci forma ſe dejeciſſet, vir ille in ſui notitia excellens facto applauſit, præclaréque eum facere exclamavit, quòd unius tantùm ſceleris reus in lecto quieſceret, par eſſe, ut ipſum multorum flagitiorum conſcientia ſtimulante, ſub eo reperet. Tum his dictis abjectam in humum procidit, lectóque ſe ſubjicit. Humilitatem hanc ferre ſuperbus tenebrio non potuit, ſed fumidos olidóſque fœtores cubiculo inſpergens evanuit. Adeò nullum eſt illi cum animi dejectione commercium. Leonum capiendorum rationem in Africa refert Oppianus lib. 4. Cynegeticon. id eſt, de venatione, foſſam prægrandem faciunt venatores, quam ramis arborum, herbis ac cæſpitibus tegunt, in medio agnum ſtatuunt, ad cujus balatum accurrens Leo inſilit, & in foſſam cadens vivus capitur. Humilitas dæmonem captivum efficit. Contrà verò, dæmon ſuperbis dominatur, Job 41. 25. de Leviathan, id eſt, balæna, aut priſti, aut carcharia, agens Deus, & ſub eo deſcribens diabolum ait: *Omne ſublime videt*, id eſt, deſpicit: ſic videre ſumitur Mich. 7. 10. cernere, Ezech. 28. 17. inſpicere, Pſal. 21. 18. conſiderare, Cant. 1. 6. *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*, id eſt, ſuperbos: Nam, ut ait Pineda, Hebræi appellant filium rei alicujus eum, qui illam amat, colit, ſequitur, qui illius ſtudio addictus eſt, qui in illa exercenda verſatur, qui ſuis moribus, ſtudiis illius imaginem gerit. Hinc dicuntur milites, *filii exercitûs*. 2 Paralip. 25. 13. Fortis, *filius fortitudinis*. 1 Reg. 18. 17. 2 Reg. 2. 7. 1 Paralip. 26. 7. Et dicitur pulcherrima, *filia fœminarum*. Dan. 11. 17. Vir dexteritate valens & robore, dicitur *filius dexteræ*, Pſal. 79. 18. Et maximè impius, *filius iniquitatis*. Pſalm. 88. 23. Plebeius, *filius populi*. 2 Paral. 35. 5. Jerem. 20. 23. Et dignus plagis dicitur, *filius plagarum*, aut *verberum*. Deuteron. 25. 2. Vir ſagittarius vocatur, *filius arcûs*. Job. 41. 19. Sagitta, *filia pharetræ*. Thren. 3. 13. Triticum, *filius areæ*. Iſai. 21. 10. Sacerdotes uncti, *filii olei*. Zachar. 4. 14. Collis conſitus olivis, *filius olei*. Iſai. 5. 1. Cucurbita unâ nocte nata *filia noctis*. Joan. 4. 10. Scintillæ, *filii carbonum*, aut prunarum. Job. 5. 7. Qui annum vixit, vel munus aliquod adminiſtravit, *filius anni*. Exod. 12. 5. 1 Regum 3. 1. Et ſic de aliis.

Secundò: Leo, cùm ſit igneæ naturæ, ſtatim irâ exardet, ut dixi ſuprà. Ita & diabolus, Apoc. 12. ℣. 12. *Væ terræ & mari!* (id eſt, habitatoribus terræ & maris) *quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens, quòd modicum tempus habet*, ſcilicet tres annos cum dimidio; quia terribilis illa poteſtas Antichriſti eo tantùm tempore durabit, ut de ea præſertim ibi agitur. Item, modicum eſt tempus vitæ uniuſcujuſque hominis, cùm mille anni ſint tanquam dies heſterna, quæ præteriit. Ferunt, accipitres in Norvegia celerrimè ad prædam involare, eò quòd tres tantùm lucis horas habeant, quibus venari poſſint. Et Abbas Siſoius in vitis Patrum, lib. 7. cap. 25. ait, dæmonem nunc magis homines inſequi, quàm priùs, quòd ſentiat tempus pœnarum ſuarum appropinquare. Remedium eſt manſuetudo, de qua Pſ. 131. 1. fusè.

8. *Humilitas eum vincit.*

2. *Ob furorem.*

Norvegiæ accipitres.

3. *Ob audaciam.* Tertiò, ex ingenita leoni arrogantia oritur audacia, ubi præſertim vindictæ appetens læſum ſe viderit. Plin. lib. 8. cap. 16. aſſerit leonem vulneratum obſervatione mirâ percuſſorem ſuum nôſſe, *& in quantalibet multitudine appetere.* Quod Jubæ Regis ſocio exitium attulit. Cùm enim telo leonem in ſylva petiiſſet, atque ex vulnere convaleſcentem longo poſt tempore obvium habuiſſet, in eum ſolum cæteris intactis ſociis irruit, eumque diſcerpſit,

Digitized by Google

molritudine non territus. Hinc viros infracti animi vocamus *θυμολέοντας*, id eſt, leonino animo præditos. Alexander Aſiæ domitor exuviis leonis, Herculis in morem, ſibi abblandiebatur. Simandius, Ægypti Rex, magni nominis viſebatur in ſepulchro leonis pelle veſtitus hoſtes dans in fugam.

Dæmonis audacia & robur vel audaciſſimis terrorem poteſt incutere. Ipſe verò neminem timet, Job 41. 17. de Leviathan, id eſt, de dæmone, ait Deus Jobo: *Cùm apprehenderit eum gladius, ſubſiſtere non poterit*, (id eſt, retundetur) *neque haſta, neque thorax*, (loricâ ei irruenti non reſiſtet.) *Reputabit enim, quaſi paleas, ferrum: & quaſi lignum putridum, æs. Non fugabit eum vir ſagittarius: in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ. Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam. Sub ipſo erunt radii Solis*, (id eſt, cutem habet impenetrabilem radiis Solis, ab illis non poteſt calefieri & lædi) *& ſternet ſibi aurum, quaſi lutum*, id eſt, omne pretioſum proterit & conculcat. *Fervescere faciet, quaſi ollam, profundum mare*. (Nam, ut ait Ælianus, lib. 10. cap. 2. Ceti tanto robore reſpirant naribus, & tantoperè in ſublime marinos fluctus jactant, ut hæc imperitis maximè maris tempeſtates eſſe videantur.) *Poſt eum lucebit ſemita*, (ob ſplendorem cutis, ut in aliquibus piſcibus ſquamatis videmus) *æſtimabit abyſſum, quaſi ſeneſcentem*. Id eſt, excitabit in mari canitiem ſpumarum, ut Pineda explicat. 2. Et meliùs, quaſi ſeneſcentem, id eſt, ut imbellem, q. d. non curabit furentis maris imperum & agitationem. Denique concludit ℣. 24. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei. Qui factus eſt, ut nullum timeret*. Quomodo hæc ad mores dedoci poſſint, vide apud S. Greg. l. 34. Mor. c. 8. & ſeqq.

9. *Menti robur opponendum.* Remedium eſt mentis fortitodo & fervor, in principio tentationis præſertim. Solinus tradit, leoni vim ſummam in pectore eſſe, *firmitatem in capite præcipuam*. Ita & dæmon initio eſt penè intolerabilis, ſed reſiſtentes timet. Omnis operatio inimici, ut ait Author Operis imperfecti in Matt. *Talis eſt, imprimis gravis, & ferè intolerabilis eſt ejus impetus, quem ſi fortis animo ſuſtinuerit, in ſecundo inveniet infirmiorem, & in tertio adhuc infirmiorem: & quantò plus repercuſſus fuerit, magis frigeſcit: quia diabolus non tantum habet in ſe virtutis, quantum terroris*, S. Chryſoſt. in Pſal. noſtr. Dæmon eſt, ait, *πολύκρανον θηρίον*, bellua multiplex: ſed ſi ſapuerimus, *hic leo & draco, erit, παντὸς πηλοῦ εὐτελέστερος, quovis luto vilior*: & nec adverſus nos quidem diriger aciem, ſin autem duxerit, conculcabitur. Et ℣. 1. dixerat: Virium, licèt ſecum habeat univerſum Orbem terrarum, eſt omnium maximè imbecillum. Virtus autem, etſi ſola ſit, eſt *πάντων δυνατωτέρα*, omnium potentiſſima. Habet enim Deum ſecum ſtantem. Ita ipſe. Audiendus itaque eſt S. Petrus, qui ſcribens advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ & Bithyniæ, ait, 1 epiſt. 5. 8. *Cui reſiſtite fortes in fide*. Samſon ad ſponſam vadens, leonem obvium ſternit, Judicum 14. ℣ 6. Tu ad felicitatem anhelans, languebis. David in pecudem involantes leones & urſos jugulat, 1 Reg. 17. 35. Tu in te tuoſque irruentem dæmonem non reprimes? Banaias filius Joiadæ viri fortiſſimi percuſſit

Banaias duos leones ſternit. *duos leones Moab* (qui ſunt Indicis fortiores & ferociores, ut ait Albertus, Avicenna, Geſnerus, & ipſe deſcendit, & percuſſit leonem in media ciſterna) *in diebus nivis*, quo tempore leo, cùm ſit igneæ naturæ, eſt fortior: homo verò, obtorpeſcit. Tempus nivis & frigoris erat tempus legis, tempus ardoris eſt tempus gratiæ: Tu id non facias Chriſti radiis incaleſcens, quod illi in noctis frigore effecerunt?

Lyſimachi mira fortitudo. Et Pepini. Lyſimachus in arena juſſu Alexandri objectus leoni inermis, in hiantis os immiſit brachium, & manu linguam avellit, poſteà Rex factus eſt. Pepinus, Franciæ Rex, qui ob corporis parvitatem Brevis eſt nuncupatus, ubi ſe non tanti fieri ab exercitu ſuo vidit, leonem, qui cum tauro luctabatur, è ſolio deſiliens confodit, & regiu greſſu intrepidus ſedem ſuam repetiit, admirantibus vel fortiſſimis Ducibus. In Publicii numo ſignatum erat fortitudinis ſimulacrum, in quo videbatur leonem ſuffocare, clava pedibus ſubſtrata, & pharetra cum ſagittis.

Quartò: Leonis rugitus eſt terribilis, Ita & minæ dæmonis, Euſeb. lib. 4. Præpar. Evang. cap. 5. 10. 4 Ob rugitum.
cenſet dæmonem dici à *δειμαίνειν*, id eſt, *timere*: quia timorem incutit, Joël. 2. 6. *A facie ejus* (exercitus Chaldæorum) *cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in ollam*. Chald. *Nigreſcent quaſi olla*, ob timorem & pavorem. Timor enim ſanguinem ad cor cogens, ut illi provideat, extremæ partes ſanguine deſtitutæ palleſcunt, ac pavore aucto nigreſcunt. Dæmon itaque ſibi ſimiles facere vult trepidantes.

Fervore opus eſt. Remedium eſt fervor animi & robur. S. Chryſoſt. in Pſal. noſtr. *Circuit, ait, diabolus cum multa ira, tanquam leo; ſi verò eos invaſerit, qui Chriſtum habent, & crucem in fronte, & ignem ſpiritûs, & lampadem, quæ nunquam extinguitur, ne quidem attollere oculos contra poterit; ſed verſa terga recedet, ne converti quidem audens*. Oppianus lib. 4. Cyneg. leonis capiendi modum hunc ad fluvium Euphratem deſcribit: Longa, inquit, tenduntur retia loco accommodo, aliam viam multi occupant, faces ardentes manu tenentes, quibus emicantibus leo terreatur, reliquum iter obſident equites, qui clamoribus, equorum fremitu, clangoribus tubarum, & ſubito curſu impreſſionem faciant, ex quo fiat, ut ignem veritus leo atque equitum agmen evitans, in caſſes ſe induat. Si dæmon ferventem te viderit, fugiet. Lege S. Bern. ſerm. 13. in Pſ. 90. ubi docet leonem magis terrere rugitu, quàm ferire morſu; adeóque animalia, quæ morſui reſiſtunt, imò leonem deinde ſuperant, non ſuſtinere ejus rugitum: deinde minas dæmonis pro nihilo eſſe ducendas admonet.

Quintò: Leo eſt crudeliſſimus, unde ſæpè dicitur *λέων ἄγριος*, id eſt, ferus, immanis, atrox. Hoc in pſalmo vocatur אריה *arie*: id eſt, prædæ captor, à rad. ארה *ara*, id eſt, carpere, decerpere, avellere. Eſt prælertim *θυμοειδὴς*, ut ait Phile; hoc eſt, iracundus & furioſus, cùm fame urgetur. Nomadum totam gentem, felicem fortunatamque in Africa à leonibus funditùs deletam teſtatur Ælianus lib. 17. de Animal. cap. 27. Furorem eorum auget, quòd oſſa ſolido conſtant, & perexiguum medullæ habent: prætereà, teſte Ariſtot. lib. 2. de part. animal. cap. 9. *Leonum oſſa adeò dura ſunt, ut ex iis percuſſis ignis quaſi ex ſilice elicitur*. 5. Ob crudelitatem. *Phile Poëta græcus.*

De diabolo ait Jerem. 6. 23. & de ejus ſatellitibus ſub typo Chaldæorum Jeroſolymam diripientium: *Sagittam & ſcutum arripiet: crudelis eſt, & non miſerebitur: vox ejus quaſi mare ſonabit: & ſuper equos aſcendent, præparati quaſi vir ad prælium* (Sept. quaſi ignis ad bellum: quod aptè quadrat dæmonibus. Legerunt אש *es*, Ignis: non איש *is*, id eſt, vir) *adverſum te filia Sion*, id eſt, anima contemplativa. Dæmon prorſus exter medullâ, longè magis, quàm Leo: totus ex crudelitate compactus eſt. Deus eum in ſpecie Behemoth deſcribens ait, Job 40. 13. *Oſſa ejus velut fiſtula æris: cartilago ejus, cartilago illius, quaſi lamina ferrea*. Vide S. Greg. lib. 32. Mor. à cap. 14. uſque ad finem.

Charitate vincitur. Remedium eſt charitas mutua, ſi enim nos mutuò amaverimus, etiam inſuperabilem vincemus. Oppian. lib. 4. Cyneget. refert leonis invadendi in Æthiopia modum ſingularem & admirabilem. Nam robuſtiſſimi viri quatuor, umbones ex vimine bubulis pellibus degunt, corpus integrum lanâ

pingunt,

pingunt, galeâ caput occultant, tum flagellis aërem verberantes contra leonem pergunt: ille in unum ex venatoribus inſilit, ſed cùm pellibus cinctum non poſſit confodere, ab alio irritatus in ſecundum irruit: tum ab alio ſubinde provocatus iterum ſecundum relinquit: ſicque tandem ab illis trucidatur. Adeò potens eſt etiam in ferociſſimum hoſtem perfecta voluntatum conſenſio. Prov. 18. 19. *Frater, qui adjuvatur à fratre, quaſi civitas firma & judicia,* (id eſt, decreta fratrum conformia, & unanimi conſenſu facta, ut explicat Baynus, Janſenius, & Lyranus, aliique) *quaſi vectes urbium,* id eſt, repagula, quibus portæ urbium firmantur, & hoſti clauduntur. Sept. vertunt: Frater à fratre adjutus, quaſi urbs munita & excelſa: invaleſcit autem, tanquam fundatum regnum. Cùm Lacedæmonii in periculo civitatem muris cingere meditarentur, Iſæus Sophiſta illud Homericum recitavit: *Scutum haſit ſcuto, galea galea, atque viro vir.* Addiditque: *Sic mihi ſtate Lacedæmonii, & muris cincti eſtis:* Sic refert Philoſtratus in Sophiſtis. Etiam in aggrediendo potens eſt charitas: ideò ad evangelizandum diſcipulos mittebat binos ante faciem ſuam, Luc. 10. 1. *Poſt hæc autem deſignavit Dominus* (ſex menſibus ante mortem) *& alios ſeptuaginta duos,* (tot erant præciſè, ſicut & ſenatores 72. dedit Deus Moſi ex ſingulis tribubus ſex) *& miſit illos binos ante faciem ſuam* (id eſt, ante ſe) *in omnem civitatem & locum,* (Judææ) *quò erat ipſe venturus.* Charitas ignis eſt omnia pervadens, ſed cœleſtis ignis eſt. S. Chryſoſtom. hom. 72. in Joan. *Magnum,* ait, *charitas bonum, πυρὸς ἐςὶ σφοδρότερον, igne eſt promptior & vehementior, & ad ipſum cœlum aſcendit: neque eſt, qui obſiſtat, & vehementem ejus impetum poſſit retardare.*

Milites ſunt muri civitatum.

11\. 6. Ob voracitatem.

Sextò: Leo voraciſſimus eſt, Plin. lib. 8. c. 16. tradit, leones habere gravem odorem, nec minùs halitum: raros in potu, veſci alternis diebus: à ſaturitate interim triduo cibis carere. Quæ poſſint, in mandendo ſolida devorare; nec capiente alvo, conjecta in fauces unguibus extrahere, ut ſi fugiendum ſit, non in ſatietatem abeant. Polybius in ſenecta hominem appeti ab iis refert, quoniam ad perſequendas feras vires non ſuppetant. Tunc obſidere Africæ urbes, eáque de cauſa crucifixos vidiſſe ſe cum Scipione, quia cæteri metu pœnæ ſimilis abſterrerentur eadem noxa. Ita ibi. Carmeli carnem præſertim amat, ut ait Philo de propriet. animalium: in deliciis quoque ſimiam habet, ut ait Salazar in c. 10. Prov. n. 93.

Senes leones in hominem irruunt.

Dæmon eſt longè voracior. Nam, ut ait Ariſtot. l. 8. hiſt. anim. c. 5. Leo cibo ſatur per biduum triduumve inediam tolerat. At dæmon uno devorato ſemper plures appetit; *Devorat diabolus,* ut ait Lyranus, *& veluti ſibi per mortalem culpam incorporat.* Vel fluvios integros abſorbet, iiſque abſorptis ſiccas fauces novis fluentis oſtendit, Job. 40. 18. *Ecce abſorbebit fluvium,* (genus humanum, ut ait S. Greg. & Philippus, inconſtantes præſertim, ut S. Thom.) *& non mirabitur: & habet fiduciam, quòd influat Jordanis in os ejus.* Id eſt, Dei populus atque electi; agit ibi Deus de Behemoth, id eſt, dæmone. Simiis præſertim, id eſt, hypocritis paſcitur; & camelos gibboſos, hoc eſt, doloſos & gravi peccatorum onere preſſos devorat.

Mortificatione ſuperatur Leontophonos.

Remedium eſt mortificatio paſſionum. Solinus cap. 30. ait, Leontophonos, q. d. leonis occiſores, eſſe modicas beſtias, quæ captæ cremantur, ut earum cinere aſperſæ carnes, & per compita jactatæ leones enecent; ſi enim vel tantillum ex iis deguſtârint, moriuntur; propterea eas beſtias oderunt leones, & unguibus diſcerpunt. Omnis amaritudo in cibis aliiſque eſt mors dæmonis, Pſal. 101. 10. ait David pœnitens, *Cinerem tanquam panem manducabam.* Vide ibi dicta.

12\. Septimò, Leo eſt fœtidus. Ita ut ait Euthym. in Pſal. noſtrum, os dæmonis eructans blaſphemias malè olet. Remedium eſt accedere ad Chriſtum, & currere in odorem unguentorum ejus, Cant. 1. 3. de eo etiam ait Sponſa, Cant. 7. 8. *Dixi: Aſcendam in palmam,* (in crucem Chriſti, ut ait S. Greg. Honorius, S. Cypr. & alii) *& apprehendam fructus ejus: & erunt ubera tua ſicut botri vineæ: & odor oris tui ſicut malorum.* Id eſt, pomorum, ſive punicorum, ut vult S. Greg. quòd in Canticis ſæpè fiat eorum mentio, ſive citriorum & aliorum. Odor porrò oris eſt anhelitus fragrantia. Ex ore Chriſti inſufflantis in faciem Apoſtolorum & aliorum fidelium Spiritum ſanctum mira ſuavitas egreditur: item cùm aperit os ſuum, & docet eos in monte perfectionis, Matt. 5. 2. 7. Ob fœtorem.

Octavò denique: Leo eſt pervigil, dicitur à λάω, *video:* Manethon omninò inſomnem eſſe reputat, ſed veriùs hoc negat Ariſtot. qui teſte Solino cap. 30. tradit, leonem ſolum ex eo genere animalium, quod dentatum vocant, videre protinus, atque naſcitur. Ob brevem ſomnum à Plutarcho appellatur ſolare animal. 8. Ob vigilantiam.

Diabolus ſemper vigilat. Opponenda quoque illi eſt vigilantia. S. Petrus 1 epiſt. 5. 8. *Fratres, ſobrii eſtote, & vigilate: quia adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret.* Per virtutum exercitium eſt vigilandum, S. Auguſt. ſer. 23. c. 10. *Corde vigila,* inquit, *fide vigila, ſpe vigila, charitate vigila, operibus vigila.* Lege S. Hier. epiſt. 1. ad Heliodorum, & S. Baſil. in illud: Attende tibi. Nauta ſomnolentus facilè in fluctus & ſcopulos excutitur, & pugil dormituriens dejicitur. Leonem terret gallus, ut ait Lucretius, eſt ſymbolum vigilantiæ. Proclus ait, à gallo leonem terreri, quòd plus ſolaris virtutis ſit in gallo, quàm in leone: Sed quia credit? Tu ad verum Orientem convertere, & veſpertiliones à te diffugient.

ARTICULUS II.

Magna vis ad ſuperandum dæmonem in amore inimicorum ſita eſt.

DEO in auxilium invocato, & periculo ſibi ab ira Saulis Regis imminente declarato, innocentiam ſuam David aperit, verſ. 4. DOMINE DEUS MEUS, SI FECI ISTUD, SI EST INIQUITAS IN MANIBUS MEIS. Lorinus hæc connectit præcedentibus: Nequando rapiat ut leo animam meam, ſi feci iſtud. Sed clariùs & ſignificantiùs junge cum ſequentibus; *Si feci iſtud, &c. Decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Ita ut ſit juramentum execratorium & imprecatorium, quò ſæpè utuntur Hebræi per particulam, *ſi,* ſuppreſſa per euphemiſmum execratione ut plurimum, quam tamen aliquando exprimunt. Verſ. 4.

13\. Quid hoc loco dicit David ſe non feciſſe?

Quæres: Quid eſt *iſtud,* quod David dicit ſe non feciſſe? Primò, de omni peccato hoc accipiunt, & ſequens hemiſtichium; *Si eſt iniquitas in manibus meis.* S. Auguſt. Caſſiod. & Remigius. Sed David ſciebat nullum eſſe, qui non peccet. Secundò, de peccato ſuperbiæ intelligunt Gloſſa & S. Thomas. Sed hoc eſt generalius. Tertiò, *ſi feci iſtud,* id eſt, ut explicat S. Baſilius & S. Chryſoſt. ſi ita me ego geſſi erga patrem, ut ſe erga me meus filius Abſalom. Sed ut oſtendi ſuprà, non agitur de illius perſecutione in hoc pſalmo, ſed de perſecutione Saulis. Quartò, *ſi feci iſtud,* q. d. ait Petavius, ſi ſimili, quâ me appetit, injuriâ illum provocavi. Quintò denique, & meliùs, *ſi feci iſtud,* q. d. ſi id feci, propter quod Saul me perſequitur, & quod feciſſe me dicit, nempe ſi de vita illi auferenda, aut de regno mihi vendicando cogitavi.

1\. 2. 3. 4. 5. Et optimè.

14\. Quomodo?

Hoc ipſum explicat verbis ſequentibus; *Si eſt iniquitas in manibus meis,* iniquitas ſcilicet antonomaſticè;

Innocentem ſe David dicit.

maſticè: nempe ſcelus læſæ majeſtatis ſi Saulis ſanguine manus meas polluere volui, cùm id potuerim, nec fecerim, in ſpelunca & in caſtris. Ad hoc enim videtur alludere, & ex eo probare omnimodam innocentiam ſuam erga Saulem, quem nunquam læſerat. Nota, cùm ſe innocentem David aſſerit, non velle dicere, ſe non peccaviſſe contra Deum; ſed tantùm intelligere, ſe nihil mali admiſiſſe contra eos, à quibus laceſſebatur. Nota deinde, Hebr. עול *avel* ſignificat violentiam, rebellionem, injuriam, injuſtitiam, omne, quod fit contra leges & jus, *ἀδικίαν*, ut vertunt hîc Sept. Ubi adverte *avel*, ſive *avel* deduci ab *aval*, vel *ul*, id eſt, lactare: quia iniquitas alumnos ſuos inani ſpe lactat, & hiantes deludit: aut, quia Mundus, caro, dæmon lac primò obtendunt; deinde venenum inſtillant, Prov. 16. 29. *Vir iniquus* (Hebr. Vir violentiæ, id eſt, violentus, ut vertit Vatablus: raptor, ut Chaldæus) *lactat amicum ſuum*, (Sept. *ἀποπειρᾶται*: id eſt, ut Biblia Rom. habent, palpat: vel, tentat, ut Complutenſia) *& ducit eum per viam non bonam*. Itaque monet, cap. 1. ℣. 10. Salomon Roboam filium ſuum: *Fili mi, ſi te lactaverint* (Chald. ſi tibi blanditi fuerint. Syr. ſi te adulando deceperint) *peccatores, ne acquieſcas eis*. Nota tertiò: *Si eſt iniquitas in manibus meis*, in Hebr. eſt vox *caffai*, id eſt, volæ meæ, palmæ meæ, ut vertit Felix Prateſis, manus meæ, ut Noſter: pro parte totum accipitur, כף *caph*, enim vulam manûs aut pedis propriè ſignificat, & in univerſum curvitatem ſeu incurvationem. Raptores, violenti, avari, manum velut ſtygium uncum, incurvant, ut aliena corradant: liberalis verò manum extendit, ut ſua aliis projiciat, יד *jad* Hebr. manum ſignificat, à Rad. ידה *jada*, id eſt, projicere. De liberali dicitur, Pſ. 111. 9. *Diſperſit*, (ut ſemen cœleſte) *dedit pauperibus*. Adverte, vocem *jada*, quæ projicere ſignificat, ſimul etiam ſignificare laudare, gratias agere, confiteri: quia 1. Laus Dei maxima eſt in divite, ſibi à Deo data diſtribuere ejus filiis pauperibus; & ſe non ut divitiarum dominum, ſed ut œconomum gerere. 2. A populis liberales multùm laudantur. Nota 4. David non præſumptione virtutis elatus, ſed, ut notat S. Chryſoſt. neceſſitate compulſus, ea dicit, quæ rectè geſſit. Sic in deſerto Engaddi, cùm in ſpelunca Sauli pepercìſſet, quem ſocii ejus confodere volebant, & vel ipſe ſolus facilè potuiſſet, exclamavit, 1 Reg. 24. 12. *Pater mi, vide, quoniam non eſt in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te: Tu autem inſidiaris animæ* (id eſt, vitæ) *meæ, ut auferas eam*. S. Chryſoſt. hom. 2. de Davide ait, eum ex ea ſpelunca exiviſſe micantiorem tribus pueris, qui in fornace Babylonica illæſi fuerunt. Iræ enim flammam omni igne æſtuantiorem extinxerat, & S. Antiochus hom. 52 ejus exemplo nos hortans, ait: *Si Chriſti cohæredes eſſe cupimus, manſuetæ Davidis lenitatem imitemur*.

Pergit David explicatiùs ſe innocentem declarare, & ab omni in adverſarios iniquitate purgare, verſ. 5. SI REDDIDI RETRIBUENTIBUS MIHI MALA, DECIDAM MERITO AB INIMICIS MEIS INANIS. Verſ. 5. I. Pars.

15. Senſus duplex eſſe poteſt: Primus, q. d. ſi reddidi mala retribuentibus, id eſt, tribuentibus mihi: nempe bona, id eſt, ſi Sauli, qui me in ſuum generum aſſumpſit, quicquam damni intuli, aut inferre molitus ſum, cadam penitùs ab omni ſpe mea, & ab inimicis dejiciar. Ubi nota, *retribuere*, ſicut & Græcam vocem *ἀνταποδιδόναι* in Scriptura non tantùm poni pro compenſatione accepti beneficii, ſed poni etiam pro prima donatione, ut Pſal. 118. 17. *Retribue ſervo tuo*. S. Hier. apud Trevetum & Fabrum, vertit, *tribue*. apud Victorium tamen & in Bibliis Regiis, habet, *retribue*. Sed rectè ait Paulus de Deo, Rom. 11. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Ipſe elegit nos, & non nos Illum, prædeſtinat, vocat, adjuvat, & tandem certantes coronat. Hanc porrò explicationem juvat textus Hebraicus: *Si reddidi* שלמי *ſolemi*, id eſt, *pacifica meo*, ſicut reddit Arias: habenti pacem mecum, ut Flaminius & Felix, pacificè degenti mecum, ut Paguinus. Legerant Sept. *Soleme*, ideò verterunt *ἀνταποδιδοῦσί μοι retribuentibus mihi*. Nam *ſalam*, ſignificat: 1. Pacificare, pacatum facere. 2. Retribuere, reddere. Saul tribuerat bona Davidi, vel etiam propriè loquendo, retribuerat, id eſt, dederat in compenſationem victi Goliathi & Philiſthinorum, quorum ducenta præputia ei attulerat. Itaque ait David: *Si reddidi retribuentibus mihi mala*, q. d. Si Sauli me in domum ſuam ac familiam aſciſcenti datâ filiâ ſuâ Michol, & me ut generum ſuum regiâ menſâ excipienti, aliáque præſtanti, reddidi quicquam mali, decidam meritò ab inimicis meis inanis.

Secundus ſenſus excelſiorem Davidis virtutem denotat: *Si reddidi retribuentibus mihi mala*, q. d. Si reddidi mala iis, qui mala mihi pro bonis reddunt; ut Sauli, qui, poſtquam ei vitam donavi, me ad mortem inſequitur; & variis aulicis, quos in aula adjuvi, & ad honores provexi, cùm fortuna arridebat. Ita S. Chryſoſt. & S. Auguſt. qui in Davide notant perfectionem Evangelicam, tranſilientem legis ſeveritatem de talione. Præcipitur enim Levit. 24. 19. *Qui irrogaverit maculam* (id eſt, cicatricem aut mutilationem) *cuilibet civium ſuorum: ſicut fecit, ſic fiet ei. Fracturam pro fractura*, (ſi fregerit manum aut pedem, ſimiliter manus aut pes illi frangantur) *oculum pro oculo, dentem pro dente reſtituet: qualem inflixerit maculam, talem ſuſtinere cogetur*. Sed poſt ſententiam judicis, & à miniſtro publico. Itaque hanc legem talionis Chriſtus non ſuſtulit, ſed ad patientiam perfectiorem nos excitavit, ut, ſicut ait S. Chryſologus ſerm. 38 in ipſis ſcintillis extinguatur ira, & Matt. 5. 39. id conſilii dat: Audiſtis, quia dictum eſt; Oculum pro oculo, & dentem pro dente. *Ego autem dico vobis: Non reſiſtere malo*. Græcè, *τῷ πονηρῷ*, id eſt, homini malo, & tibi injurio: *Sed ſi quis percuſſerit dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*. Primus exemplo præivit Chriſtus ipſe, crucem portans, & in cruce pro inimicis orans, Luc. 23. 34. Unde S. Baſilius hom. 9. de ira, & S. Auguſt. ſerm. 5. de Sanctis, eo nobis ut exemplari præ oculis poſito ad omnem nos conformant patientiam. Decet enim ſub crucis vexillo certantes, crucis eſſe memores. S. Hier. epiſt. 8. ad Demetriadem: *Et iraſci*, inquit, *hominis eſt: & finem iracundiæ imponere, Chriſtiani*. Illuſtre eſt, quod Papyrius Maſſonus refert de Franciſco à Lotharingia Duce Guyſiæ, in ejus vita. Cùm enim urbem Rothomagum obſideret, percuſſoremque in caſtris ſui occidendi causâ eſſe accepiſſet, confeſſum crimen interrogavit, quid cauſæ eum impuliſſet, ut id exequi moliretur? Tum ille: *Religio*, ait, *quam profiteor*, id eſt, ſectæ Calvinianæ hæreſis. Vir autem magnanimus, & verè Chriſtianus: *Catholica igitur religio melior eſt, quæ mihi imperat, ut tibi, quem habeo confitentem reum, ſponte tamen ignoſcam*: cumque ſalvum & incolumem è caſtris juſſit ſtatim excedere. Piè quidem & chriſtianè, ſed ſatiùs eſt has publicas peſtes tormentis omnibus mactare, ut cæteri exemplo territi, ſacras Principum perſonas ne verbo quidem appetere audeant. Franciſci Guyſii factum heroicum.

Imprecatur autem ſibi David, ſi hoſtibus mala retribuat, cùm ait: DECIDAM MERITO (S. Auguſt. legit, *ergò*, in Græco eſt *ἄρα*, id eſt, igitur, utique, profectò tandem) AB INIMICIS MEIS INANIS: id eſt, diſcedam re infectâ, nec valens vel tantillum hoſtes lædere, ſed potiùs robore omni Verſ. V. II. Pars.

pri-

privet ad eis reſiſtendum, ut explicant Euthymius, Theodorus Antiochenus, Lyranus & Titelmanus. Secundò, *decidam ab inimicis inanis*, id eſt, ut dicit Theodoretus, ſubditum inimicis me dedat, ſic ut non ſolùm gloriâ & regno à te mihi dato me privent, ſed ridiculæ morti tradant. Explicat autem hoc de Abſalone rebellante, & ſceptrum occupante, à quo David petat ſe atteri. Tertiò, & meliùs, *decidam ab inimicis inanis*, id eſt, omni honore privatus, ſine domo, ſine ſtabili ſede, in montibus oberrans corruam, & ſpe omnia, quam conceperam de regno poſt Saulis mortem habendo, fiat inanis, vacua & fruſtranea, & ab inimicis, id eſt, per inimicos, eorum arte & manu concidam miſer, atque in præcipitium aliquod devolvar.

Tropolog. Decidit ab inimicis inanis, qui ex gratiæ Chriſti plenitudine cadit. Ita S. Baſilius, & Euſeb. Secundò, qui proſtratus & jacens non valet adverſario ſpirituali reſiſtere, nec ullum bonum in ſe habet, quo poſſit tandem erigi, & aſſurgere, atque iterum congredi.

Nota, pro *decidam meritò ab inimicis meis inanis*, habetur nunc in Hebræo אחלצה *ahalleſa*, id eſt, *dimiſi hoſtes meos vacuos*, ut S. Hieron. vertit, q. d. ſi reddidi malum ei, qui mecum pacificus erat: & ſi ipſos hoſtes meos à me dimiſi non donatos aliquo beneficio, perſequatur inimicus animam meam, ut ſequitur poſteà. Secundò, *ahalleſa*, alii vertunt *erui*: & quidem Pagninus reddit: *Qui erui anguſtiatorem meum gratis*. Arias: *Et erui anguſtiatorem meum inaniter*, q. d. Qui eripui gratis, ſine ullo pretio aut mercede Saulem à periculo vitæ in ſpelunca Engaddi, ubi ventrem ſolus purgabat: & in caſtris, ubi dormiebat. Vatablus ſupplet *non*, & vertit: *Etſi non erui hoſtem meum ſine cauſa*, id eſt, nullâ cauſâ aut beneficio ab eo provocatus. q. d. Si hoc non feci, tunc mihi veniant imprecationes, quæ ſequuntur: *Perſequatur*, *&c.* Tertiò, *ahalleſa*, alii volunt ſignificare, afflixi, oppreſſi, ſpoliavi. Chald. vertit: *Et afflixi eos, qui me angebant fruſtrà*, id eſt, à me non provocati aliquâ injuriâ. Felix Pratenſis: *Et oppreſſi tribulantes me ſine cauſa*. Campenſis denique: *Si hoſtem meum temerè ſpoliavi*.

Nota 2. Noſter interpres rectè vertit, *ahalleſa*, *decidam*, q. d. *halas*, ſignificat etiam recedere. Idem autem eſt, recedam ab inimicis inanis, &, *decidam ab inimicis inanis*: qui enim cogitur fugere & recedere à facie hoſtis, cadit ante illum, & efficitur inanis, miſer atque ſpoliatus.

17. Vincitur, qui inimico non parcit. *Sapricii lapſus.* Moraliter nota, ab hoſte inanis decidit, qui inimicis non vult parcere, ut patuit in Sapricio, qui jam proximus martyrio, lauream amiſit, quòd S. Nicephoro veniam petenti dare recuſaverit: à vera enim fide defecit, & ejus coronam meruit ille ipſe S. Nicephorus, qui mox gladio carnificis ſubjecit caput: ut refert Surius 9 Febr. Miratur, nec ſine cauſa S. Auguſt. ſerm. 168. de tempore, aut S. Cæſarius Arelatenſis ſerm. 11. quâ fronte, vel quâ conſcientia proferre hæc pſalmi noſtri verba poſſit, qui inimicis ſuis mala pro malis retribuit, ſibi enim graviſſima mala imprecatur. Idem poſſis dicere de verbis illis orationis datæ à Chriſto, Matt. 6. 12. *Dimitte nobis debita noſtra*, (Arabs, peccata noſtra) *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Arabs, his, qui peccaverunt in nos. Hoc eſt veluti pactum cum Deo initum, ut dimittat nobis, cùm dimiſerimus; & non parcat, cùm non pepercerimus: ſicut declaratur in parabola miſeri illius, qui ob crudelitatem in debitorem ſuum, coactus eſt ſolvere uſque ad noviſſimum quadrantem: id eſt, omnia prorſus, ſicut dicimus, ſolvere uſque ad ultimum denarium, Matth. 5. 26. & cap. 18. 34. Notabile eſt factum S. Joannis Eleemoſynarii, qui, ut Principem in ira & odio perſeverantem flecteret, Miſſam eo præſente celebrans, dicenſque: *Dimitte nobis debita noſtra*, ſtatim conticuit, idque de induſtria: proſecutus ergò princeps addidit: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Tum Patriarcha ad eum converſus: *Vide*, ait, *in quali terribili hora quid dicas Deo: Quoniam ſicut ego dimitto, ita & tu dimitte mihi*: quâ voce quaſi fulmine ictus Princeps: *Quæcumque juſſeris Domine*, inquit, *faciet ſervus tuus*, & ſtatim inimico eſt reconciliatus, ut habet Leontius in ejus vita, cap. 38. *S. Joannis Eleemoſynarii induſtria.*

Ad rem noſtram adhuc accommodatius eſt exemplum Roberti Burgundionum Ducis, quo facilè apparet eos, qui injuriam ſibi factam non condonant, eſſe in Dæmonis poteſtate, & ab eo regi, & ad crudelitatem incitari. Baronius anno Chriſti 1055. num. 22. ſic refert ex Actis S. Hugonis: Dux Burgundiæ Robertus Haganonem Heduorum Epiſcopum nimiâ infeſtatione gravabat, ad Concilium Heduenſe multi Epiſcopi, Abbates & Proceres pro pace inter Ducem atque Epiſcopum concilianda affluxerant. Adveniens ipſe Dux Heduam intravit, ſed faſtu maligno intereſſe conventui recuſavit. At pater Hugo Abbas Cluniacenſis fervore charitatis permotus adiit tyrannum, eumque vehementer increpans, cunctis mirantibus 18. tanquam ovem mitiſſimam ſecum ad duxit. Epiſcopis autem ſupplicantibus, ut pater Hugo pro pace componenda loqueretur, turbis undique reticentibus, & ab ejus ore pendentibus, ſic ait: *Qui pacem quærunt, qui Deum diligunt, nos audiant, nobiſcum agant. Qui verò filius pacis non eſt, qui non eſt Dei, ſed adverſarius eſt, hunc ex parte omnipotentis Dei præcipio, ut à nobis exeat, & operi divino non noceat*. Vix dicta compleverat, cùm ecce quidam ſtatura procerus, facie truculentus, multis eum ſequentibus, egreſſus diſparuit. Non fuit in tanta multitudine hominum, qui aliquem noſſet ex iis, qui egrediebantur. Mirabantur ſinguli, ſtupebant univerſi. His ita depulſis, tantam mox efficaciam prædicatio Sancti habuit, ut eo jubente Dux ipſe ſui necem filii interfectoribus condonârit, & Eccleſia pacem receperit. Res equidem mira, ſed altiori miraculo cumulata. Quamdiu enim in conventu vir ille ſanctus perdocuit, ſicut *columba candida* ſuper caput ejus apparuit. Quibus id videre datum eſt. Deum glorificaverunt: non enim omnes hanc videre gloriam meruerunt. *Hugonis Abbatis factum notabile.*

Victoriam de hoſtibus reportat, qui vindictam ob acceptas injurias non quærit, ſed iis benefacit, 19. Vincit, qui hoſti benefacit. 1. Vincit hoſtem ſuum.
Romanorum 12. 19. *Non voſmetipſos defendentes* (Græcè ἐκδικοῦντες, id eſt, vindicantes, ulciſcentes) *chariſſimi: ſed date locum iræ*, ut torrenti & fulmini, vos ſubducendo ab irato, ſicut fecit Jacob à fratre Eſau. Et verſu 20. ſubdit: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum*, (ψώμιζε, id eſt, humaniter & indulgenter paſce, & quaſi minutatim diviſo cibo, ſicut matres pupulis ſuis faciunt) *ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens carbones ignis congeres*, (S. Cyprianus libro tertio ad Quirinum, legit, *ſuperfundes*: Sunt enim è cœlo ſumpti carbones) *ſuper caput ejus*: Hoc eſt, ardorem charitatis in illo erga te excitabis, ut explicant ſanctus Hieronymus epiſtola ad Edib. quæſtione 1. S. Auguſtinus libro 3. de doctr. Chriſt. Tandem concludit aptè ad Pſalmum noſtrum ꝟ. 21. *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum*: id eſt, ut ait noſter Benedictus Juſtinianus, ne patiaris te ab injuria ſeu contumelia ſuperari, ut par pari referas: ſed da operam, ut benè de inimico merendo, malefacta benefactis compenſes, ejuſque malitiam tua vincas bonitate. Et ſanctus Ambroſius in eum locum ait: Multum proderit nobis, ſi malitiæ cedamus. Vincit enim malum, qui ad tempus vinci videtur ab illo. Et Salvator ſic vicit malum, dum non reſtitit. Contra ſe enim agit malitia: & dum vinci-

vincitur, vincere ſe putat. Ita ipſe. Et ſanctus Baſilius in reg. brev. quæſtione 176. negat tantum boni nobis ab amicis, quàm ab inimicis poſſe proficiſci, & ſanctus Gregorius homiliâ 35. in Evangel. refert Stephanum quendam Abbatem, cui morienti Angeli aſtiterunt, amicos ſibi reddidiſſe eos, qui moleſtiæ aliquid irrogâſſent, reddidiſſe contumeliis gratias: damnum illarum cenſuiſſe maximum lucrum. Omnes ſuos adverſarios, nihil aliud, quàm adjutores æſtimâſſe. Sanctus Chryſoſtomus ad popul. *Non es*, inquit, *injuriâ affectus, ſed coronatus*. Et homiliâ 85. in Matthæum: *Illa*, inquit, *fulgentiſſima victoria eſt, quia auferentem injurias patiendo ſuperâſti*. Sic ait Salomon Proverbiorum 16. 32. *Melior* (id eſt, potior ac præſtantior) *eſt patiens* (Hebraicè, longus naribus, hoc eſt, tardus ad iram) *viro forti*, (vide S. Thomam id probantem 2. 2. quæſtione 125. articulo 6. ad 1.) *& qui dominatur animo ſuo*, (id eſt, ſuæ animoſitati) *expugnatore urbium*. Nam, ut ait ſanctus Gregorius parte 3. Paſt. admon. Minor eſt victoria urbium, quia extra ſunt, quæ ſubiguntur: valdè autem majus eſt, quod per patientiam vincitur: quia ipſe à ſe animus ſuperatur, & ſemetipſum ſibimetipſi ſubjicit, quando eum patientia intra ſe frænari compellit. Audiant impatientes, quòd electis veritas dicit: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras, Lucæ 21. Sic enim conditi mirabiliter ſumus, ut ratio animam, & anima poſſideat corpus. Jus verò animæ à corporis poſſeſſione repellitur, ſi non priùs anima à ratione poſſidetur. Ita Gregor. Poſtquam in ſpelunca David pepercit Sauli, id agnoſcens Saul exclamavit, 1 Reg. 24. 21. *Nunc ſcio, quòd certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua* (quæ ſe inimici ſanguine cruentare noluit) *regnum Iſrael*: ſceptro digna eſt manus clemens.

20. 2. Vincit dæmonem.

Ipſum dæmonem vincit, qui hoſti parcit. Sanctus Chryſoſtomus homiliâ 78. ait, Jobum, licèt in ſtercore jacentem, de diabolo triumphâſſe, eique comparat eum, qui hoſti condonet illatam injuriam: *Si*, ait, *pertuleris injuriam, victor es: pecuniis quidem carens, non autem victoriâ*. Et homiliâ 51. Omnia, ait, ſunt umbra, & umbra viliora: ſupernæ charitatis vinculum habentibus. Hoc ergò ſervemus inruptum, & malorum nullum vitiorum unitatem dividentium ſubrepere poterit. Nihil verò rurſus ita Deum reddit propitium, ſicut inimicos diligere, & calumniantibus benefacere. Cùm igitur aliquis infeſtat, ipſum ne reſpicias, ſed Dæmonem inſtigantem, & omnem in illum iram effunde. Non enim Chriſtianorum ſunt ſcommata. Ita ipſe, quod S. Aug. diſtinctiùs aperit in Pſalmo 54. *Duos*, ait, *inimicos conſtitue tibi ante oculos, unum apertum, alterum occultum. Apertum, hominem: occultum, diabolum. Homo ille hoc eſt, quod tu ſecundùm naturam humanam: ſecundùm fidem autem & dilectionem, nondum quod tu, ſed poterit eſſe, quod tu. Cùm ergò ſint duo, unum vide, alterum intellige: unum dilige, alterum cave.*

Verſ. 6. 1. Pars. 21. Ab hoſte vincitur, qui non parcit.

Secundò, non tantùm è perfectionis vertice decidit ab inimicis inanis, qui vindictam appetit & quærit, ſed etiam ab hoſte ſuperatur, verſu 6. PERSEQUATUR (Hebraicè, ירדף *irdoph*, perſequetur) INIMICUS ANIMAM MEAM, ET COMPREHENDAT, ET CONCULCET IN TERRA VITAM MEAM, ET GLORIAM MEAM IN PULVEREM DEDUCAT. Dæmon venator aut dux armatus peccatorem perſequitur, per continuas ſuggeſtiones malas. 2. Comprehendit illum per conſenſum. 3. Conculcat per actum. 4. Gloriam ejus in pulverem deducit, per conſuetudinem. Sed longè crudeliſſimo bello, & ἀσπόνδῳ, perſequitur eum, qui adverſus inimicos furit. Sanctus Chryſoſtomus in Pſalmum noſtrum: *Qui*, ait, *odio habet, & non reconciliatur, δάκνεται, διαφθείρεται, διηνεκῶς συζῇ πολέμῳ. colliquatur, tabeſcit, & in perpetuo bello verſatur.* Quis enim numeret timores, triſtitias, ſpes inanes, vana deſideria, calumnias, indignationes, furorem, verba aſpera, undas undis reciproco fluctu aſſultantes in anima ejus, qui ultionis deſiderio exæſtuat, ejuſque modum dies nocteſque verſat, & pericula atque damna inde oritura. Contrà verò, ſecurum tranquillumque portum tenet, qui concordiam amat, & omnibus auxiliatricem manum porrigit. S. Auguſtinus in Pſalmum 54. *Ille*, ait, *calcat fluctum hujus ſæculi, qui diligit inimicos: Chriſtus in mari ambulabat intrepidus, cujus omninò de corde auferri non poterat inimici dilectio, qui pendens in cruce dicebat: Pater ignoſce.* Tum fluctuanti Petro comparat eum, qui odit inimicum.

Verſ. 6. 2. Pars. 22. A dæmone capitur, qui hoſti non parcit.

Tertiò, ita perſequitur dæmon vindictæ ſectatorem, ut eum aſſequatur & capiat, verſu eodem ſcatu: *Et comprehendat*. Laqueis ſuis animam ejus implicat, ut eſt clarum: & aliquando corpus, ut per exteriorem punitionem innoteſcat, quid agatur interiùs. S. Volſtanus Vigornienſis in Anglia Epiſcopus, ubi vidit ad concordiam quendam ſe revocare non poſſe, in mediam concionem deducto ait: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Conſtat ergò, quòd pacifici ſunt filii Dei, & beati: & diſcordantes ſunt miſeri, & filii diaboli. Illi igitur, cujus es, te committo, & trado carnem tuam Satanæ.* Ille verò, mancipium hoſtis effectus, cœpit dentibus ſtridere, ſpumas agere, caput rotatu furibundo diſtorquere. Sanatus deinde, cùm adhuc obſtinatè pacem abnueret, iterum ac tertiò arreptus eſt ab eodem dæmone, donec ex animo factam ſibi injuriam condonaret, ut refert Bravonius in ejus vita.

A dæmone quidam poſſeſſus ob pertinax deſiderium vindictæ.

Idem penè præſtitit Jacobus de Vitriaco Cardinalis. Cùm enim ad Jeroſolymitanam expeditionem in Brabantia populum excitaret, & ad virtutem omnes impelleret, quendam in ulciſcendæ injuriæ deſiderio nimis pervicacem, primò verbis ſupplicibus oravit, ut condonaret: deinde ad ejus pedes abjectus iterum ac tertiò in frequenti populi turba hoc ipſum enixè petiit, ſed cùm nihil proficeret: *Palam*, ait, *conteſtor vos, quia qui ſpernit nos, ſpernit eum, qui miſit nos. Rogate ergò Dominum, ut tale ſignum oſtendat in hominem obſtinatum, quo cunctis præſentibus pateat eum hoſtiliter contra ſe in retentione odii contra proximum hoc egiſſe.* Nec mora, ubi vir ſanctus orationem explevit, miſer ille everſis oculis in terram corruit, oreque cruorem ſpumans & ſaniem, horroris maximum ſpectaculum & piaculum cunctis præbuit. Sed ſancti viri precibus ſanatus cum lacrymis veniam petiit, ejuſque in hoſtis oſculo, ad lacrymas & Chriſti laudem omnes commovit, ut ait Thom. Cantiprat.

Contrà verò, qui inimicis parcit, à Deo regitur, & in eo ſpem certam auxilii habet. Ideò David, qui non reddebat retribuentibus ſibi mala, ut in hoc Pſalmo teſtatur, initio ejus audacter poſuit: *Domine Deus meus*, (non eſt Deus iracundorum & implacabilium, eos arcet à ſuis altaribus, Matthæi 5. verſu 24.) *in te ſperavi*. Hebraicè, חסיתי *haſithi*, id eſt, hoſpitatus ſum, velut ad aſylum me recepi, ut ibi regerer. Nam *haſa* ſignificat regere, ſperare, fidere, hoſpitari, latibulum ſeu protectionem quærere, vernaculè, ſe heberger. S. Gualbertus Ordinis Vallis umbroſæ Fundator, cùm ante converſionem ſuam interfectori cognati ſui vitam, quam eripere poterat, donâſſet in Chriſti cruci affixi memoriam, ad eum in oratione ſe proſtravit ingreſſus Eccleſiam obviam, ubi vidit Chriſti caput è cruce pendentis ad ſe inclinari, quaſi gratias ageret, atque ab eo momento in virum alterum mutatus à liberiore vita ſeſe recepit. Crux illa adhuc viſitur in Eccleſia S. Miniatis prope Florentiam, ut tradit Blaſius

Mela-

Melneſius Vallis umbroſæ Generalis in ejus vita, apud Sur. die 12. Julii.

Oratio contra inimicos fuſa à Deo rejicitur, & fit oranti in peccatum. S. Chryſoſtomus hîc: *Quando contra inimicos petimus, non ſolùm non exaudimur, ἀλλὰ παροξύνομεν, ſed irritamus.* Ideò monet ſanctus Antiochus homiliâ 53. ne quis acceptæ contumeliæ memor Deo ſupplex fiat. Oratio autem poſtulantis pro inimico, eſt Deo acceptiſſima.

S. Eliſabetha pro inimicis precantis oratio placet Deo.

Hoc revelatum eſt S. Eliſabethæ filiæ regis Hungarorum, cùm enim ardenter à Deo peteret, ut pro irrogatæ ſibi injuriæ magnitudine ſingulos inimicos ſingulari quopiam dono locupletaret, cœlitus accepit: Nullam unquam orationem à ſe fuſam, Deo fuiſſe acceptiorem, ipſique eam ob cauſam omnia peccata condonari, ut ejus Acta teſtantur. Eam Dei voluntatem cognoſcentes ſancti viri generosè in id incumbebant, ut hoſtibus ſuis benefacerent.

S. Cypriani invictus animus. S. Lupi manſuetudo.

S. Cyprianus Carthaginis Epiſcopus & Africæ Primas, carnifici, à quo erat obtruncandus, viginti quinque aureos dari præcepit, ut eſt in ejus Actis. S. Lupus, Archiepiſcopus Senonenſis, inimicis ſuis plus, quàm cæteris benevolentiæ teſtabatur, convivio eos excipiebat, rebus neceſſariis inſtruebat, variis muneribus afficiebat, ad officia provehebat, ut eos poſſet Deo lucrari, & ejus amore inflammare. Non mirum, ſi in ejus ſacrificantis calicem gemma *radio micante pulcherrima* cecidit, diu apud Senones conſervata. Ut enim ait S. Chryſoſtomus homiliâ 78. ad popul. *Si injuriam facienti peperceris, habebis apud Deum fiduciam, poſſeſſionem innumeris theſauris digniorem.*

Verſ. 6. 3. Pars. 24. Dæmon conculcat vindictæ cupidum.

Quartò, quem perſequendo cepit dæmon vindictæ cupidum, hunc in terram dejicit, & calcatum proterit, verſu eodem ſexto: *Et conculcet in terra vitam meam*, id eſt, me viventem, ita ut me conculcando occidat, & in ſanguine meo ſuſo gloriabundus exultet. Hoc ſibi timebat David à Saule furibundo.

Nota, moris fuit antiqui, ut victores colla ſubjugatorum pede calcarent. Id pollicetur Deus per Moſem populo ſuo, Deuteronomii 33. 29. *Beatus es tu Iſraël. Quis ſimilis tui popule, qui ſalvaris in Domino? Scutum auxilii tui, & gladius gloriæ tuæ* (id eſt, quo tibi comparabis glorioſam victoriam) *negabunt te inimici tui.*

Victores ſolebant colla ſubjugatorum calcare.

Hebraicè, *mentientur tibi*, id eſt, ut ait Cornelius, omninò ſubjicientur tibi hoſtes tui, hoc eſt, fidem tibi datam frangent, in te rebellabunt, ſed tu eos vinces: unde additur: *Et tu eorum colla calcabis.* Hoc paulò pòſt fieri curavit Joſue quinque regibus Chananæorum à ſe devictis propè Gabaonem, cùm curſum Solis & Lunæ & cœlorum omnium retardavit, ut populi Dei pedibus hoſtes calcatos viderent, Joſue 10. ℣. 23.

Joſue id fieri jubet.

Eduxerunt miniſtri ad eum quinque Reges de ſpelunca, Regem Jeruſalem, Regem Hebron, Regem Jerimoth, Regem Lachis, Regem Eglon. Cùmque educti eſſent ad eum, vocavit omnes viros Iſraël, & ait ad principes exercitûs, qui ſecum erant: Ite, & ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum. Qui cùm perrexiſſent, & ſubjectorum colla pedibus calcarent, rurſum ait ad eos: Nolite timere, nec paveatis, confortamini, & eſtote robuſti: ſic enim faciet Dominus cunctis hoſtibus veſtris, adverſum quos dimicatis. Ariſtides tomo 2. oratione 2. de pace, ait: Uſus victoriæ honeſtus, non minorem, quàm victoria, laudem affert. Ita ipſe, hoc autem faciebat Joſue, ut & ducibus ſuis fiduciam adderet, & contemptum atque odium Chananæorum ingeneraret. Cedrenus in hiſt. fol. 416. notat more dudum recepto ab Imperatoribus, conſuetudine confirmato, Thomam læſæ majeſtatis reum, juſſum à Michaele Balbo porrectum jacere in pavimento, ejus autem cervicem pedibus ſuis calcaviſſe: tum

Et Michaël Balbus.

pedibus manibúſque mutilatum, aſinoque impoſitum, ſpectaculi loco per caſtra circumductum, nihil aliud vociferantem, quàm: *Miſerere mei, qui verus es Rex.* Subdit deinde, Anaſtaſium Thomæ filium poſteà eodem, quo patrem, modo eſſe tractatum.

Tropologicè: Conculcat dæmon, quos premit: tyrannus enim crudelis eſt, & μισάνθρωπος: atque conculcat in terra, id eſt, in terrenis deſideriis & luxoſis voluptatibus, Eccli. 9. 10. *Omnis mulier*, (anima effœminata) *quæ eſt fornicaria*, (à Deo Sponſo recedens ad idola vana & mendacia) *quaſi ſtercus in via ab omnibus conculcabitur.* Ob fœtorem, fœditatem, vilitatem & abominationem mentis & corporis. Dæmon ita conculcat, ut conculcando occidat; unde dicitur: *Conculcet in terra vitam meam*, ita ut vitam finiam in medio luto & ſtercore, ſicut Scarabæus in ſuo fimo, quem volvit. Baldad Suhites ait Jobi 18. 14. agens de impio: *Calcet ſuper eum quaſi Rex interitus*, q. d. Mors eum victum ab hoſte proterat, id eſt, miſerè moriatur ſub pedibus hoſtium. Eſt proſopopœia, quâ morti perſona tribuitur, ut exercitus duci & tyranno. Per mortem etiam rectè intelliges dæmonem, ut in Apocal. 6. 8. Sed hoc animum recreat, quòd nemo calcatur, niſi volens. Unde de Jeruſalem, id eſt, peccatore, habes Iſaiæ 51. 23. *Dixerunt animæ tuæ*, (quæ cœleſtis eſt, & cœlum petere debet) *incurvare, ut tranſeamus*, (ſupra te & dorſum tuum) *& poſuiſti ut terram corpus tuum, & quaſi viam tranſeuntibus.*

Speciatim, qui inimicum lædere molitur, ſe ipſum jugulat & occidit. S. Chryſoſtomus hom. 8. in epiſt. ad Rom. agens contra eum, qui injuriam injuriâ ulciſcitur, ait: *Ille corpus tuum vulneravit, tu verò contrà in animam tuam gladium acuiſti.*

25. *Nicephorus Imp. parcere hoſti nolens perit.*

In corpore quoque gravia ſæpè patitur, & mortem ſibi accerſit, qui eſt avidus ultionis. Unum aut alterum exemplum profero. Nicephorus Imperator, aut veriùs Tyrannus, Græcorum, qui Irenen Imperatricem ſolio expulerat, bellum Bulgaris intulit, Crumique regis aulam cepit. Crumo ſupplicante, ut genti parceret, & quibus vellet conditionibus, pacem daret, ſucceſſu elatus nullas conditiones admiſit. Crumus igitur deſperatis rebus ſibi jam de ipſa vita dimicandum ratus, coactis ſuis copiis caſtra Romanorum noctu invadit, omnibus ſine excubiis dormientibus ſtatimque in tabernaculum Imperatoris facto impetu Nicephorus eſt occiſus. Direptum univerſum Imp. inſtrumentum, totumque Romanorum vallum. Crumus Nicephori caput amputatum, per aliquot dies crucibus ſuffixum ſpectandum præbuit, & rei benè geſtæ pompam celebravit. Deinde oſſe verticis reſecto, cute direptâ, capite argento inducto pro calice uſus eſt, infuſóque vino ſuis ex eo propinavit, ut ait Zonaras in Nicephoro. Sic qui crudelior in hoſtes eſſe voluit, miſerè victus occubuit, & ludibrium hoſtium fuit.

26. *Sultani Turcarum laudabilis manſuetudo.*

Aliud exemplum non minùs miſerandum recitat Baronius anno 1071. de Romano Diogene Imperat. qui meritò fortunæ ludus dictus eſt: utpote qui ſtatim ex imo ad ſummum, rurſuſque ex ſummo ad imum magno impetu venit. Is cùm pugnans adverſus Turcas oblatam pacem ab Aſam Sultano per legatos magno arrogantiæ ſupercilio rejeciſſet, tandem in manus hoſtis incidit. Cúmque aliquando, inquit Curopalates, Sultanus eum interrogaſſet: Quid mihi feciſſes, ſi me in tua poteſtate habuiſſes? Simpliciter & ſine adulatione reſpondit Imperator: Multis plagis benè notis tuum corpus confeciſſem. Cui Sultanus: At ego tuam ſeveritatem & crudelitatem non imitabor: *Veruntamen*

Diogenis Imp. crudelis ruina.

audio veſtrum vobis præcipere Chriſtum pacem & oblivionem malorum, ſuperbiſque reſiſtentem humilibus gratiam dare, præſtititque ex animo Rex barbarus, quod promiſit. Nam inito cum ipſo fœdere, factâ pace perpetuâ, habitâ filiorum ratione, & ſucceſſo-

sum

rum omnium, nunquam ampliùs Romanum imperium à Turcis invadendum, labefactandúmque fore pollicitus, captivos etiam relaxari præcepit, ipſúmque per ſuos legatos deduci juſſum, amplexatum dimiſit. Sed Deus crudelem hunc Imperatorem, qui barbarorum gladio non occubuerat, ſubditorum furori objecit. Perlato enim Conſtantinopolim de clade nuncio, mox alium ſubrogârunt Imperatorem, Michaëlem Conſtantini Ducæ filium, coegeruntque exulare Eudociam Imperatricem, atque in monaſterium detruſerunt. Et Andronicus miſſus in occurſum Diogenis Imperatoris eundem captum, nigráque veſte indutum ſuper mulum, humanæ miſeriæ ſpectaculum factum, toto illo perlongo itinere perduxit: cui & juſſu novus Imperator oculos effodi: ſed vulneribus ex oculorum ſuffoſſione non curatis, cùm ejus caput intumuiſſet, vermibúſque ſcateret, graveolens, horribilis viſu, ut humanum oſtentum expoſitus omnium oculis, finem vivendi fecit, luens hîc pœnas, ne æternas incurreret. Sed quæ Dei eſt benignitas, forti animo caſum tantum pertulit. Nam, ut ait Curopolates, in talibus & tot malis nullum maledictum protulit, neque aliquid nefarii locutus eſt: ſed Deo gratias agere perſeverabat, caſus æquo animo ferens.

Verſ. 6. 4. Pars. Quintò, infamiam ſibi quoque David imprecatur, ſi reddidit retribuentibus ſibi mala: addit enim verſu eodem 6. *Et gloriam meam in pulverem deducat*, Hebr. ישכן habitare & manere faciat, ut vertunt Arias, Syrus, Arabs.

27\. *Senſus hujus loci.* Senſus eſt primò, gloriam meam, id eſt, animam meam, dejiciat. Anima enim eſt hominis gloria. Secundò: caput poteſt dici gloria corporis, quia eſt ejus maximè excelſa pars & præſtans. Senſus eſt, cùm conculcabit in terra vitam meam, corpuſque pede proteret, etiam caput meum verſet in pulvere ac luto, ita ut facie conſpurcatâ & capillis ſordidatis hoſtium ludibrio exponat. Sed hæ explicationes ſunt coactiores. Tertiò itaque meliùs ſanctus Chryſoſtomus, Theodoretus, Origenes, Theodorus Antiochenus & alii: *Gloriam meam in pulverem deducat*: Id eſt, regno à te mihi dato, omnique honore me privet, ita ut infamis & prole omni deſtitutus moriar, nulláque mei ampliùs ſuperſit memoria.

28\. *Abjectæ mentis eſt injurias ulciſci.* Moraliter nota: Puſilli & abjecti eſt animi injurias tibi factas ulciſci, & pungentem vellicare. Seneca lib. 2. de ira cap. 34. *Puſilli hominis & miſeri eſt, repetere mordentem. Mures & formicæ, ſi manum admoveris, ora convertunt. Imbecilla ſe lædi putant, ſi tanguntur.* Plutarchus tract. περὶ ἀοργησίας, id eſt, de cohibenda ira infirmæ & ægrotantis animæ dicit eſſe, facilè iraſci: *Ut*, inquit, *tumor in corpore, magni vulneris effectus eſt: ſic in molliſſimis quibuſque mentibus, propenſa ad dolorem natura, majorem à majore infirmitate iracundiam exſuſcitat.*

Manſuetudo eſt cauſa gloriæ. Contrà verò, ex patientia & longanimitate ac manſuetudine gloria enaſcitur, Proverbiorum 19. 11. *Doctrina viri per patientiam noſcitur.* Symm. & Theodotio vertunt: *Prudentia longanimitas ejus.* R. Salomon, ſi vir iram cohibebit, mente præſtabit. *Et gloria ejus* (Hebr. ותפארתו thiphartho, id eſt, decor ejus, ornatus, ſplendor, gloria) *iniqua prætergredi*: id eſt, ſibi illatas injurias contemnere, pertranſire, & cum hoſte non morari eum laceſſendo & impetendo, ſed animo excelſo relinquere, ac dicteria ejus deſpicere. S. Chryſoſtomus in Pſalmum noſtrum ait: Φιλοσόφου ψυχῆς, *ſapientis eſt animi, non ulciſci eum, qui facit injuriam.* S. Gregorius Nazianzenus oratione 2. in Julianum Apoſtatam, eo nomine nos eſſe ſubilimiores iis, à quibus injuriam accepimus, ſi eis condonamus, Chriſtúmque ex eo victoriam reportâſſe, quòd in ulciſcendi poteſtate injuriam in caput adverſarium ſibi non retorſerit. De illo S. Petrus 1 epiſt. 2. 23. *Cùm malediceretur, non maledicebat*, (οὐκ ἀντελοιδόρει, id eſt, non remaledicebat, ut legit S. Ambroſius in Pſalmum 37. S. Hieronymus libro contra Jovinian. S. Auguſtinus tract. 21. in Joan.) *cùm pateretur*, (S. Proſper ad Demetriadem legit, percutienti ſe) *non comminabatur: tradebat autem judicanti ſe* (Pilato) *injuſtè*: unde ipſe Pilatus Matth. 27. 24. innocentem fatetur. Olim in Græcis codicibus fuiſſe ἀδίκως, id eſt, injuſtè, eſt probabile: non habetur, δικαίως, id eſt, juſtè. *Tradebat autem judicanti juſtè*, id eſt, Deo Patri ultrò ſe ac liberaliter ad mortem & crucem obtulit. Syrus vertit: *Tradebat judicium ſuum Judici juſtitiæ.* Sed noſtra verſio eſt planior & magis appoſita. Chriſtus Apoſtolis ſuis imperat, Matthæi 5. 44. ut benè ſe gerant erga hoſtes ſuos: primò, corde eos amando: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Secundò, opere iis benefaciendo: *Benefacite his, qui oderunt vos.* Tertiò, ore pro iis orando: *Et orate pro perſequentibus vos.* Græcè, ἐπηρεαζόντων, id eſt, vexantibus, apud Demoſth. injuriâ afficientibus, apud Plutarchum. Syrus, cum militari inſulto & violentia vexantibus. In textu Græco additur, εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, id eſt, benedicite iis, qui vobis maledicunt. Rationem dat Chriſtus, quâ oſtendit magnam eſſe gloriam in condonatione injuriæ: *Ut ſitis*, inquit, *filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Ut enim ait S. Chryſoſtomus homiliâ 41. in Acta: *Non ulciſci Deo facit æqualem.* & S. Iſidorus lib. 2. Soliloq. Magna eſt virtus, inquit, ſi non lædas eum, à quo læſus es: magna eſt fortitudo, ſi etiam læſus remittas: *magna eſt gloria*, ſi cui potuiſti nocere, parcas. Ita ipſe.

29\. *Sapiens æſtimatur, qui parcit.* Sapientiæ laudem præſertim, ac fortitudinis gloriam obtinet, qui inimicis parcit. Primò, Sapiens eſt. Proverbiorum 14. 29. *Qui patiens* (μακρόθυμος, longanimis) *eſt, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens eſt*, (Græcè, ὀλιγόψυχος, *puſillanimis*: eſt parvi, abjecti, puſilli & contemnendi animi, qui eſt impatiens: qui verò eſt patiens, habet magnum, amplum atque excelſum animum) *exaltat ſtultitiam ſuam*, id eſt, eam aliis vocibus & clamoribus, agitatione manuum & brachiorum oſtendit. Sanctus Hieronymus in cap. 5. epiſtolæ ad Galatas, vertit: *Puſillanimis vehementer inſipiens: qui verò patiens eſt, & univerſa ſuſtentat*, (ſupportantes invicem in charitate) *vir ſapiens.* Plutarchus ob Xenophontis illud dictum, τοῦ νοῦν ἔχοντος, mentis præditi & cordati hominis eſt, etiam ab inimicis utilitatem capere, tractatum integrum fecit de utilitate ab inimicis capienda, ubi inter cætera oſtendit, tanta commoda ab ipſis feris deſumi, ut non injuria metuendum ſit, ne ſi feræ homines deficerent, vita humana eſſet futura belluina, inops & fera, arbores ſylveſtres nobis eſſe utiles, aquam marinam & ſalſam piſces ſuppeditare: roſas & violas ſuaviùs ſpirare, ſi prope illas allia & ſepas conſeveris, quod, quicquid in terræ ſucco amarum & fœtidum eſt, in ea excernatur. Idem de inimicis dicendum eſſe. Patientia tibi radios dabit, ut videas, quid & quo modo à ſingulis lucrari poſſis. Contrà verò, ut ait S. Antioch. hom. 53. Injuriæ recordatio menti denſam oppandit caliginem, & Salomon Ecclæ. 7. 10. ait: *Ira in ſinu ſtulti* (in media ejus mente, ut ibi dominans: ſinus enim in Scriptura pro intimo & medio rei ponitur) *requieſcit*, diu & obſtinatè perſeverat, in eo pedem figit, atque radices agit, ibi moratur & cubat, ut in ſpelæo ſuo fera, ibi hæret per modum habitûs. Ita S. Bonaventura, Olympiodorus, David de Pomis, Lyranus.

Secundò, qui patienter injurias tolerat, fortis eſt

&

& benè loricati pectoris. Plato lib. 4 de Republica, ὅσῳ γενναιότερός ἐστι, *quantò quis eſt generoſior, tantò minùs poteſt iraſci.* Et Seneca libro 2. de ira, capite 32. Multi, ait, leves injurias altiùs ſibi demiſêre, dum vindicant. Ille magnus & nobilis eſt, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum ſecurus exaudit. Hinc Ariſtoteles, ut placaret Alexandrum iratum, ad eum ſcripſit. Excandeſcentia & ira non erga pares, ſed erga meliores eſſe ſolet, tibi verò nemo par eſt, ut refert Ælianus libro 12. variæ hiſt. capite quinto: Patientem viro forti præfert Salomon, & eum, qui dominatur, animo ſuo meliorem, id eſt, præſtantiorem ait eſſe expugnatore urbium, Proverbiorum 16. 32. Et David de ſe dicebat, Pſalmo 118. 109. *Anima mea in manibus meis ſemper*, id eſt, in mea poteſtate, non egreditur à me temerè per iram, quæ deducitur ab eundo, ſeu ire, quòd, qui iraſcitur, extra ſe eat. S.Chryſoſtomus, S.Hilarius, S.Auguſtinus, Pſalterium Arabicum, Æthiopicum & Illyricum habent, *in manibus tuis*, pone animam tuam in manibus Chriſti crucifixi, & pro inimicis orantis, tunc addes cum Davide: *Et legem tuam non ſum oblitus.* Quam legem? *Diſcite à me, quia* (quòd) *mitis ſum & humilis corde.* Matth. 11. 29. corde, id eſt, cordis affectu, id eſt, voluntate, ut explicat S. Bern. ſerm. 42. in Cantica. Vel, lex Chriſti eſt illa, quam dat Joan. 13. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem: ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem:* ut diſcamus amare uſque ad mortem; ut enim ait S. Joannes epiſt. 3. 16. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. 2. Diligendo etiam inimicos, Rom. 5. 10. Cùm inimici eſſemus Deo immortali, per mortem filii ejus reconciliati ſumus. Regium itaque ac divinum eſt iram cohibere, & ſibi temperare. S.Ambr. in Pſ. 118. Quicunque, ait, proprium corpus ſubegerit, nec ab ira & aliis paſſionibus turbari animam ſuam rector ſui congruâ vi permiſerit, *is benè regiâ quâdam poteſtate ſe cohibens Rex dicitur*, quòd regere ſe noverit, & arbiter ſui juris ſit, nec captivus trahatur in culpam.

31. Hinc ipſi Ethnici, in quibus nervorum animi plus fuit, gloriæ ſibi duxerunt, malefacta acerbiùs non ulciſci. Ageſilaus, magnæ Rex mentis Lacedæmonios ſuos identidem monebat, ne captivos cruciatu afficerent, ſed eos potiùs ſui ſimiles homines eſſe meminiſſent. Lycurgus verò, qui eorum Rempublicam primus legibus ſtabilivit, ne voluit quidem eos tergo cedentium hoſtium inſtare: & procedentes ad bellum, non Marti, ſed Muſis, Clementiæ & Amicitiæ victimas offerre præcepit.

Moderati erga hoſtes fuère: 1. Ageſilaus. 2. Lycurgus.

Phocion, Athenienſium decus & ornamentum, Philippo Rege Macedonum, hoſte ſuo & Reip. totius infenſiſſimo, mortuo, vetuit, ne lætum ob nuncium immolaretur.

3. Phocion.

Pericles quoque in tolerandis inimicorum injuriis fortem ſe præbuit, de eo tradit S.Baſil. hom. 24. eùm tota propemodum die conviciatorem maledicta congerentem patienter toleràſſet, veſperi jam diſcedentem cum lumine deduxit, ne quid ſibi in virtutis exercitatione deperiret.

4. Pericles.

Euclidi Megarenſi quidam iratus, juravit mortem ſe ei illaturum: ille verò juravit, ſe ἱλάσασθαι, id eſt, patienter laturum, placatumque, & ei quamvis infeſto ſe conciliatorum iri, ut ait idem S. Baſilius, qui addit: quidam vehementi impetu Socratis faciem cecidit, hic autem minimè commotus furentem bacchari, & iram ſatiare permiſit, ex quo eum totum ex plagis tumidum atque contuſum reddidit. Ubi verò ille cedendo deſtitit; nihil aliud Socrates feciſſe dicitur, quàm fronti propriæ inſcripſiſſe: *Talis fecit*, ὥσπερ ἀνδριάντι τὸν δημιουργόν, perinde quaſi ſtatuæ cuidam authoris nomen inſcripſiſſet. Quid tu ad hæc, ô Chriſtiane! poſt Chriſti patientis tot vulnera, & tot amoris inſignia? Cum eo inclama in ipſa cruce tua, Luc. 23. 34. *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt*, q. d. mihi nocere volunt, ſe ipſos cruentant. Ut enim ait S.Chryſoſt. in Pſal. noſtrum ὥσπερ ἐλαύνεται ἢ καταιγίδι, id eſt, *tanquam turbine & procellâ quâdam agitatus ſubmergitur, qui in iram naufragium incidit: tu autem, qui fers fortiter, & in portu, & in littora agis ſuaviter.* Tu manum exhibe naufrago, ne eum in majores fluctus conjice: condona, etiam cùm ulciſci poteſt, te quoque ad cœli portum trahet Chriſtus. Memorat Seraphinus Raius, cuidam nobili, qui hoſti ſuo pepercerat, die Veneris ſancto Chriſtum apparuiſſe de nocte, dixiſſéque: Quoniam amore mei inimico tuo ex condonâſti, noveris me fratris tui ab eo trucidati animam, hoc ipſo temporis puncto, è flammis purgantibus eruiſſe, patriſque tui animam pari benevolentiâ ab eodem ſupplicio exemiſſe, mecumque ambos in aulam cœleſtem deduxiſſe. Te invito in octavum diem, ut relictâ hujus Mundi miſeriâ, poſſis gloriâ meâ frui. Poſt octiduum in cœlos abiit. Viam illam certiſſimam breviſſimamque teneamus.

5. Euclides.

6. Socrates.

Chriſtus das cœlum miſeranti.

ARTICULUS III.

Per Incarnationem Chriſtus dæmonem vicit.

DEclaratâ innocentiâ ſuâ David & magnâ benignitate erga Saulem, cui bis pepercit, cùm eum poſſet occidere, imbecillitatem tamen ſuam ad reſiſtendum, ſentiens, Dei auxilium implorat, verſ. 7. EXURGE DOMINE IN IRA (Symm. ἐν χόλῳ, in bili ſeu indignatione. Theodotio, ἐν θυμῷ, in furore. Aquila, ἐν ἀνυπερθεσίᾳ, in celeritate, ſine mora, ſine dilatione, ut ſumit ἀνυπερθέτως, Phal. epiſt. 8.) TUA, ET EXALTARE IN FINIBUS INIMICORUM MEORUM.

Verſ. 7. 1. Pars.

32. Nota, dicitur jacere, ſedere, dormire Deus, cùm diſſimulat, & punitionem differt. Exurgere, & evigilare, atque expergiſci, cùm punit. Eſt catachreſis, de Deo enim loquimur ἀνθρωποπαθῶς. Nota ſecundò, rogatur exurgere, vel ut tribunal conſcendat judicaturus & condemnaturus peccatores: vel, latâ jam ſententiâ, è tribunali ut ſurgat elatâ manu fulgur excuſſurus, aut fines nefariorum populaturus, ſicut oſtenſum eſt Ezechieli Prophetæ cap. 1. in curru illo igneo verſus Jeruſalem directo, & vaſtationem ejus per Chaldæos præſagiente. Vehementer incitat Deum David Pſal. 43. 23. *Exurge, quare obdormis* (S. Hier. dormitas. Chald. & Sept. ſicut qui dormit) *Domine? Exurge,* (S.Hier. evigila) *& ne repellas in finem.* S. Hier., Quare projicis in ſemperternum? Sept. Numquid etiam quaſi homo dormiens, & quaſi vir, qui ſalvare non poſſit? Nota tertiò: Non petit ſimpliciter David, ut Deus exurgat: ſed ut exurgat *in ira*, id eſt, per & propter iram conceptam in hoſtium ſuorum ſcelera, propter quæ Deus interminatus fuerat Sauli exitium & amiſſionem, miſſo ad eum Samuële, cùm Agag Regi Amalecitarum pepercifſet, atque aliis, 1 Reg. 15. ex quo tempore ſcelera ſceleribus cumulavit, & nihil geſſit, quod rege tanto dignum eſſet. 2. *In ira*, id eſt, cum ira, ſervans iram, quam in eum concepiſti. Nota quartò, Davidem etiam loqui Propheticè, & ſic *exurge*, poſſe ſumi pro exurges. Sæpè enim apud Prophetas imperativus uſurpatur pro futuro. Nota quintò, jacere aut dormire videbatur Deus, qui tamdiu ſinebat Davidem innocentem pati, & Saulem impium regnare. Nam Saul Rex anno 21. regni ſui, ætatis Davidis 23. bis in eum lanceam contorſit

Deus dicitur jacere, ſedere, dormire, & cur?

luvidè

invidiâ exæſtuans, quòd puellæ Iſraëliticæ pluris Davidem ob cæſum Goliathum, quàm eum feciſſe viderentur, eodem item anno filiam ſuam Michol dedit ei in uxorem, non tam, ut promiſſa compleret, quàm ut illius perdendi occaſionem quæreret, anno ſequenti in generum jam ſuum haſtam iterum conjecit, ſed Deo ipſum tutante, ſine noxa. Miſit, qui de nocte eum obſiderent: ſed Michol uxor, quæ eum amabat, monitum ſervavit. Regnavit autem Saul annos octodecim: itaque ſi ab anno undecimo regni ejus perſecutionem incipias, duravit annos octo: ſi tantùm à fugaè domo, duravit annos ſeptem. Urget itaque David Deum, ut exurgat *in ira*: aut ut vertiſſe dixi Aquilam *an*, id eſt, cum *feſtinatione*: ut Chald. *in fortitudine*. Vox enim Chald. תקפא *thucpha*, quâ hic utitur, ſignificat firmitatem, robur, fortitudinem, potentiam, gravitatem, vehementiam animi, iram, furorem, excandeſcentiam, Iſaiæ 23. 11. *be thucpha*, id eſt, vehementer, cum vehementia, fortiter, violenter. In Hebr. eſt אף *aph*, id eſt, naſus, ira, furor, fumans & è naribus ignes emittens.

Anagogicè. Anagogicè, & maximè propriè, hæc pertinent ad judicium extremum, in quo exurget Deus in tribunal ſublime, intra ſe habens omnes impios, velut ſcabellum pedum ſuorum & ſuper eos exaltabitur. Tunc exurget judicaturus ſecundùm leges & præcepta à ſe data. Sanctorum ſynagoga eum circumdabit, & propter eam in cœlum aſcendet, apertâ illis regni januâ, quod paravit à conſtitutione Mundi. Neque erit ullus populus, qui juſti Judicii ſententiam non ſubeat. Vide ſect. ſequentem.

33. Allegoricè. Allegoricè, exurgit Christus: 1. In reſurrectione ſua. 2. In aſcenſione, 3. Tamen etiam dici poteſt exurgere in Incarnatione & Nativitate, & de hac ſurrectione nunc agam. Sedebat enim Verbum æternum in cœleſti ſolio ſuo in medio Angelorum, aut potiùs in ſinu Patris dormiebat ei conſubſtantialis, exurgit voce Prophetarum & Patriarcharum excitatus ac ſponſæ ſuæ Eccleſiæ dicentis, Cant. 1. ℣. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui*. Oſculum illud eſt unio hypoſtatica. Unde S. Bern. ait ſerm. 2. in Cant. Oſculans eſt Deus, oſculatus eſt homo, oſculum eſt utriuſque unio, per quam fit una utriuſque perſona, quæ ſimul eſt Deus Homo. Non ſunt ejus verba. Origenes verò; quouſque Sponſus meus, ait, mittit oſcula per Moſen, mittit oſcula per Prophetas? Jam ipſius cupio ora contingere, ipſe veniat, ipſe deſcendat. Sponſam Sponſi Pater exaudit, mittit filium ſuum. Ita ipſe. Sponſa verò cubantem in cœlo Sponſum facit, verſ. 12. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo*, (Symm. ἐν ἀναπαύσεσιν, in requietibus, aut ceſſationibus, id eſt, in ſinu Patris conquieſcens) *nardus mea* (id eſt, humilitas, quam reſpexit in ancilla ſua) *dedit odorem ſuavitatis*, ut eum inde extraherem. Quomodo autem Sponſus exurgat, habes cap. 2. 8. *Vox Dilecti mei, ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles*, id eſt, ſublimes Angelorum ordines, ut incarnaretur. Surrexit ſicut gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus, Pſal. 18.

Nota primò, Propheta noſter cauſas, locum, modum, & effectus Incarnationis hîc aperit. 1. Cauſas duas: nempe, ut dæmonem ſcelerum omnium primigenium authorem puniat & protereat, verſ. 6. *Exurge Domine in ira tua*. &c. Deinde modum, ut homines ſervet, ſicut per varios Prophetas erat pollicitus, verſ. eod. 6. *Et exurge Domine Deus in præcepto, quod mandâſti*. 2. Locum oſtendit, quem victoriæ ſuæ ac triumpho deſtinet, Ibid. *Et exaltare in finibus inimicorum meorum*. 3. Effectum ſeu fructum Incarnationis triplicem oſtendit. Primò, ad hominum ſalvandorum utilitatem, ℣. 8. *Et ſynagoga populorum circumdabit te*. Secundò, ad Christi gloriam, ibid. *Et propter hanc in altum regredere*. Tertiò, ad impiorum punitionem, verſ. 9. *Dominus judicat populos*.

Nota ſecundò: Incarnatio hominibus fuit amabilis, unde Cant. 1. ſtatim poſt oſculi, id eſt, unionis hypoſtaticæ, mentionem dicitur, verſ. 2 *Oleum effuſum nomen tuum*, nempe JEſus, id eſt, Salvator: ſed eadem Incarnatio fuit dæmoni terribilis: ideò David ait hîc: *Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum*. Et eam ob rem fuit Incarnatio dæmoni exitialis, quia hominibus ſalutaris. Nam noſtra miſeria eſt ejus felicitas. Hoc declarat ipſe hoſtis, Marci 1. 14. ubi in energumeno ait: *Quid nobis & tibi JEſu Nazarene, veniſti perdere nos*? (Hoc eſt, torquere, ſicut habes Matth. cap. 8. 29. & ex hominibus ejicere) *Scio, qui* (quis) *ſis* (nempè) *Sanctus Dei*, ὁ ἅγιος θεοῦ, hoc ille eſt Sanctus, ille fons & origo omnis ſanctitatis, ille Meſſias promiſſus populo Dei. Alludit ad cap. 9. 24. *Septuaginta hebdomades* (annorum ſcilicet, id eſt, anni 490. qui ab ea revelatione fluxerunt uſque ad Chriſtum) *abbreviatæ ſunt ſuper populum ſuum, ut ungatur Sanctus Sanctorum*: Ut ſcilicet Spiritu ſancto conſecretur Chriſtus in ſanctiſſimum Sacerdotem, Regem, Prophetam, Doctorem, Legiſlatorem & Redemptorem Orbis, ut ait Cornelius. Hanc dæmonis ſubjugationem & hominum liberationem per Incarnationem & paſſionem ſuam apertiùs declarat Chriſtus Joan. 12. 31. *Nunc judicium eſt Mundi*, (id eſt, abſolutio hominum. Eſt metonymia, in qua ponitur judicium pro effectu ejus) *nunc Princeps Mundi ejicietur foras*, id eſt, ex hominum corporibus & mentibus, & totius Orbis regionibus, ubi dominatur & reddit oracula. S. Proſper in dimidio Tempor. cap. 2. legit: *Nunc Princeps hujus Mundi miſſus eſt deorſum*, dejectus in inferos, ubi ligatus eſt catenis igneis & rudentibus inferni: ſolvetur autem tempore Antichriſti per tempus, & tempora, & dimidium temporis, id eſt, per unum annum, & duos annos, & dimidium anni, hoc eſt, per tres annos cum dimidio, quo tempore florebit Antichriſtus, & ſæviet: nunc Lucifer non agit in homines per ſe ipſum, ſed per ſuos ſatellites. Eſt fortis armatus, qui cuſtodiebat atrium ſuum, ſed fortior eo ſuperveniens, univerſa arma ejus abſtulit, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuit. Ut enim ait S. Baſil. epiſc. Seleuciæ: *Incarnationis œconomia fuit morte valentior*, δαιμόνων ἰσχυροτέρα, *dæmonibus fortior, idololatriæ everriculum, parens libertatis*, ἀθανασίας ἀκρόπολις, *arx immortalitatis, ſervitus depulſio, gratiarum diſtributio*, βασιλείας στολή, *regni ſtola, cœleſtis converſatio, ſucceſſionem nullam ſperans*. Adeſt enim, ut loquitur S. Maximus hom. 3. de Natali Domini, cœli terræque Judex, qui reſciſſo chirographo decretorum, reatum miſeratus abſolvit. Adeſt Dominus, qui jugum captivitatis antiquæ noſtris à cervicibus ſolvens, mœrorem Mundi æternâ liberatione lætificat. Adeſt Rex manſuetus, qui per ſpatia totius Orbis, cœleſtis juſtitiæ greſſibus incedens, ſuperbientem furentis inimici contrivit tyrannidem. Hæc Maximus.

Victo & triumphato hoſte exurgit Chriſtus per 35. Exurgit Chriſtus per reſurrectionem à mortuis.
Aſcenſionem, & libertate donat captivos, Pſ. 67. 1. *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum a facie ejus*: vel ipſe conſpectus Chriſti, dæmonem fugat. S. Aug. S. Hilar. & Græci Patres Pſalmum illum exponunt de ejus adventu in terram ad diabolos debellandos, & ad rem noſtram verſ. 19. ait: *Aſcendiſti in altum*, (id eſt, in cœlum) *cepiſti captivitatem*, (Hebr. שבית *ſabitha*, id eſt, reverti feciſti, captivitatem, id eſt, captivos. Abſtractum pro concreto ſæpè ponitur Hebræi) *accepiſti dona in hominibus*, Deo Patri offerenda, q. d. ſelegiſti ex hominibus ſelectiſſimos captivos, quos

liberas

liberatos, & corpore animoque fulgentes Deo Patri donum offerres : vel, accepiſti illos ſe totos ex animo in gratiarum actionem donantes, ut te per totam æternitatem laudent, qui eos morte tuâ vivificaveris dracone confoſſo. S. Cyr. Jeroſ. catech. 12. illum in. *Eſca mortis*, ait, *factum eſt corpus Chriſti, ut, cùm eum ſperaret ſe devoraturum draco, evomeret etiam illos, quos devoraverat : devorabat enim mors prævalens.* S. Leo ſerm. 2. de Nativitate: *Fortis ille nectitur ſuis Vinculis, & omne commentum malignum in caput ipſius retorquetur. Ligato Mundi principe, captivitatis vaſa rapiuntur. Redit in honorem ſuum ab antiquis contagiis purgata natura, mors morte deſtruitur.* Figurabatur dæmon in Sennacherib rege Aſſyriorum volente perdere Jeruſalem, id eſt, Eccleſiam & animam ſanctam; ait enim Deus Iſaiæ 37. 29. *Cùm fureres adverſum me, ſuperbia tua aſcendit in aures meas : ponam ergò circulum* (omnipotentiam meam æternam) *in naribus tuis, & frænum in labiis tuis : & reducam te in viam, per quam veniſti*, id eſt, in Aſſyriam & in inferos.

Locum certaminis, in quo certaturus eſt Filius mulieris cum dracone in Apocal. hoc eſt, Chriſtus cum dæmone, aſſignat Propheta noſter hunc
Verſ. 7. 2. Pars. Mundum, verſ. eod. 7. ET EXALTARE IN FINI-
36. BUS INIMICORUM MEORUM. Ita legunt S. Auguſt.
Mundus eſt locus certaminis. Theodoretus, Dydimus, Hebr. Syr. Arab. Æthiop. Pſalt. Sed in Pſalterio Romano & Ambroſiano, apud Septuag. & Euthymium habetur *eorum*. Idem eſt ſenſus : noſtri enim inimici ſunt inimici Dei : unde eos timere non debemus, ſed ſub ducis noſtri vexillo & ſcuto ſecuri dimicare. Nota, pro *in finibus*, eſt Hebr. בעברות *be abroth*, *Ebra* autem ſignificat iræ ardorem, excandeſcentiam, furorem prævadentem ignis more. 2. Tranſitum. 3. Campum, per quem tranſitur. Unde primò Chald. vertit *in furore*, in commotione iræ, in excandeſcentia & indignatione. Hæc enim ſignificat *rogeza*, à Rad. רגז *ragaz*, commoveri, concuti, commoveri irâ, efferveſcere, excandeſcere, indignari. *Abroth* autem denotat iram celerem : Secundò itaque Aquila vertit, ἐν ἀνυπερθέτοις [illegible], id eſt, in celeritatibus illigantium. Tertiò, Sept. vertunt, ἐν τοῖς πέρασι, id eſt, *in finibus*, ut Noſter vertit & Arabs, hoc eſt, in agris hoſtium, in ditione, quam ut ſuam ſibi vendicant. Nam *abroth* campos etiam ſignificat. Ut patet 2 Reg. 15. 28. ubi David fugiens Abſalonem ait Sadoc Sacerdoti : *Ecce ego abſcondar in campeſtribus* (Hebr. be abroth) *deſerti*. Syrus non tam verba, quàm ſenſum ſecutus eſt, cùm vertit : *Exaltare ſuper cervicem hoſtium meorum.* Alludit ad morem victorum, de quo ſuprà, qui ſtratos humi hoſtes pede calcabant, ex uno in alium cum exultatione pedem injiciendo, & celeriter omnes decurrendo, ac ſine ulla difficultate.

Senſus itaque eſt primò: *Exaltare in finibus inimicorum meorum*, q. d. Exaltare & eleva te, ſuperiorem te oſtendens propter *abroth*, id eſt, indignationes & furorem hoſtium meorum. Ita S. Athan. Arias & Dydimus.

Secundò, ſumendo *abroth* pro tranſitibus, ab *abar* tranſivit. Senſus eſt, ut ait S. Chryſoſt. q. d. occupa terminos inimicorum, fines, tranſitus, vada undique cingendo, ne quis evadere & effugere valeat, πέρατα poſſunt vada & tranſitus ſignificare, ἀπὸ τοῦ περᾶν, id eſt, tranſire, tranſvadare. Exaltatus eſt Deus in tranſitu maris rubri, ubi profligavit Pharaonem, qui eſt figura dæmonis, Exod. 14. & 15. Id quoque adumbratum habes, Judicum 12. ubi Ephrætæ ad vada Jordanis cæduntur à Jephte & ejus exercitu.

Tertiò, ſumendo, ut debemus, *abroth* pro finibus, terminis, regione. Senſus eſt : *Exaltare in finibus inimicorum meorum*, q. d. 1. Occupa fines ipſorum, & ditionem tuam dilata iis excluſis. Ita S. Aug. S. Th. S. Bruno. 2. Ibi eos doma, & de illis victoriam reporta, ita ut omnibus ſuperior & potentior appareas, neque ullus ſit, qui tibi reſiſtere audeat.

Hæc ad literam Davidis hoſtibus applica: ſecundùm allegoriam, dæmoni, qui Joan. 12. 31. ab ipſo Chriſto vocatur *princeps hujus Mundi*. Figuratus eſt in Nemrod, qui idem eſt atque *rebellis*. voluit eſſe ſimilis Altiſſimo. Rad. מרד *marad*, id eſt, rebellare : fuit præcipuus author condendæ Babylonis, id eſt, confuſionis per hæreſes, ſchiſmata, idololatriam & alia peccata. 2. *Erat robuſtus peccator* (ſeratorum, ut ait Aben Ezra: hominum, ut S. Aug. & Abul. & quidem veriùs) *coram Domino*, ἐναντίον *dapis, contra Dominum*, ſicut legit S. Aug. & maximè convenit diabolo. 3. Nemrod primus fuit Rex, poſt diluvium regnum ſuum incepit in Babel ſub annum 170. civitate & turre extructâ ante diviſionem hominum per univerſum Orbem. 4 Nemrod, ut tradit S. Iſiod. lib. 9. Etymolog. ſubditos ſuos ad idololatriam adegit, & ignem ut Deum colere compulit. Eum Ninus filius ut Deum coli voluit: ideò, cùm etiam Belus vocaretur, Hebræi, Chaldæi, Syri, Phœnices idola vocant Bel, Baal, Baalim. Dæmon quoque figuratur in Pharaone, Phul, Teglaphalaſar, Salmanaſar, Sennacherib Nabuchodonoſor, Antiocho Epiphane, aliiſque hoſtibus populi Dei : nempe Chananæis, Philiſthæis, Idumæis, Ammonitis & cæteris.

Modum incarnationis aperit David verſ. eod 7. Verſ. 7. 3. Pars.
ET EXURGE (Hebr. עורה *ura*, evigila, ut Vatablus, *evigila*, q. d. quare obdormis Domine) DO- 37.
MINE DEUS MEUS IN PRÆCEPTO, QUOD MANDASTI. Nota, Sept. legerant אלי *eli*, ideò verterunt : Domine Deus meus : ſed nunc in Hebr. eſt אלי *elai*, id eſt, ad me : ea propter Syr. reddit, invigila mihi. Cajetan. expergiſcere ad me. Felix, exurge ad me. Pagn. & Arias, ſuſcita te ad me. Chald. accelera mihi. Nota ſecundò, pro *in præcepto*, Hebr. eſt משפט *miſphat*, quæ vox ſignificat. 1. Judicium, & ſic vertunt S. Hier. Felix, Arias, Pagn. Cajet. Vatabl. Syr. & alii. 2. Pœnam & ſupplicium judicio determinatum, & quidem vindictam interpretatur Campenſis. 3. Menſuram, normam, regulam, præceptum, legem. Sept. vertunt πρόσταγμα, id eſt, præceptum, juſſum, mandatum, imperium. Arabs de more inſiſtens Sept. vertit אמרון *amron*, id eſt, imperium, juſſio, decretum, edictum. 4. *Miſphat*, ſignificat modum, conditionem, ſtatum, qualitatem, diſpoſitionem.

Quæres : Quodnam præceptum hîc David in- 38.
telligat? Primò, S. Baſil. S. Chryſoſt. Euthym. & David hoc loco intelligit præceptum.
alii accipiunt de præcepto honorandorum parentum, q. d. Exurge, ut punias Abſalonem hoſtem meum, qui me patrem ſuum aggreditur, tu in eo
præcepto vitam longam promiſiſti bonis & piis 1.
filiis, ſurge, & te ipſum excita, ut rebellem plectas. Sed nec agitur de Abſalone, nec cupiebat David eum puniri.

Secundò, Arias præceptum hîc intelligit omnes 2.
Dei leges, q. d. *Exurge in præcepto, quod mandâſti*, id eſt, cura leges tuas ſervari, quas hoſtes mei violant, & niſi id faciant, eos puni; Sed hoc eſt generalius.

Tertiò, *præceptum* hîc intelligit Folengius le- 3.
gem charitatis à Deo datam, quâ ut Eccli. 17. 12. dicitur, unicuique mandavit de proximo ſuo, q. d. *Exurge in præcepto*, (id eſt, ſecundùm præceptum) *quod mandâſti*, hoc eſt, miſerum me adjuva, ſicut nobis imperâſti, ut afflictos & miſeros juvaremus, atque à ſceleratorum manibus eriperemus.

Quartò, *præceptum* ſumunt S. Thomas, Bur- 4.
genſis, Gagneius, Clarius, Vatablus, imperium, quo Deus, 1 Reg. 13. declaravit Sauli per Samuelem elegiſſe ſe virum juxta cor ſuum, cui *præcepit, ut eſſet ſuper populum ſuum.* Unxit poſteà

Davidem Samuel cap. 16. 13. Senſus autem eſt, q. d. *Exurge in præcepto, quod mandâſti*, id eſt, ita me conſerva à Saule, ut ei poſſim in regnum ſuccedere, ſicut præcepiſti, & Samueli & mihi, cùm jam ſim in regem conſecratus.

5. Et optimè. Quintò denique, preſſiùs & magis appoſitè, *præceptum* accipitur, quod Deus dedit Magiſtratui, ut reos puniat, q. d. *Exurge in præcepto, quod mandâſti*, id eſt, tu imperâſti regibus, principibus & judicibus, ut innocentium perſecutores & oppreſſores coërceant & puniant, tu idem præſta, cùm ſis judex æquiſſimus & potentiſſimus. Ita Theodoretus, Theodorus Antiochenus, Euſeb. Ludolphus, Jovita Rapicius, Pinius, Joannes à Paſtura, Flaminius, & alii.

39. Exurge Christus in præcepto. Allegoricè: *Exurge in præcepto, quod mandâſti*, id eſt, 1. primò, q. d. cura, ut evangelium omni creaturæ prædicetur, ſicut præcepiſti. Ita Rufinus. 2. Secundò, q. d. everte Judaiſmum & Jeruſalem: Gentiles verò ad veram fidem converte, ſicut prædixiſti. Ita Dionyſ. & Valentia.

3. Tertiò: *Exurge in præcepto, quod mandâſti*, q. d. ſurge à mortuis, ô Chriſte! & peccata ulciſcere, ac Spiritum S. largire, qui ſcelera deleat, & ad legem implendam vires ſuppeditet. Ita S. Hier. Caſſiod. Arnob.

4. Et optimè. Quartò: *Exurge in præcepto, quod mandâſti*, q. d. excita te ipſum, & egredere è ſinu Patris, in quo quieſcis, & cui es conſubſtantialis, atque in honore & gloria prorſus æqualis: ſed exurge ſecundùm præceptum humilitatis & charitatis, quod imperâſti nobis. Favent S. Thomas, S. Auguſt. Rufinus, Beda & alii, qui præceptum humilitatis hîc intelligunt: & ſanctus Bruno, & Richardus Pampolitanus, qui de charitatis præcepto exponunt. Nam charitas & humilitas maximè in Incarnatione apparent. Nunc pauca de humilitate dicam. Sponſa inclamat Cant. 8. 1. *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris*, (ἐν ἀγρῷ, in agro, ut habet Scholiaſtes) *& deoſculer te?* Magna Chriſti humilitas fuit: 1. Quòd ſe fratrem noſtrum fecit, & os de oſſibus, & carnem de carne noſtra, qui eſt ſplendor paternæ gloriæ & imago ſubſtantiæ ejus. 2. Quòd ſuxit Matris ubera, qui & ſidera & Angelos paſcit, totumque Orbem. 3. Quòd in terris viſus, & habitu inventus ut Homo, inter agreſtes velut Agreſtis. 4. Quòd oſculari nos dignatur ſuâ gratiâ & benignitate. De Patriarchis Chriſti Incarnationem optantibus & flagitantibus exponunt S. Athan. in Synopſi, S. Greg. & Beda, ac S. Ambr. qui de inſtit. Virg. cap. 1. ait: *Foris factus eſt, qui erat intùs, vide illum intùs, quando legis, quòd in ſinu eſt Patris: cognoſce illum foris, quando nos quærit, ut redimat. Foris tibi factus eſt, ut mihi intùs eſſet, & fieret Medicus noſter. Ibi ergò ſimus, ubi Chriſtus Medicus eſt radicatus & fixus in cordibus noſtris.* Figura Chriſti fuit Jacob exiens de domo patris ſui Iſaac, qui ſignificat riſum, ut iret in Meſopotamiam Syriæ. Hebr. ארם *Syria*, dicitur, id eſt, decipiens, à Rad. רמה *rama*, decepit, & eſt dæmon. 2. Maledictio eorum, ab ארר *arar*, maledixit, & eſt caro. 3. Celſitudo, excelſitas, à רום *rum*, id eſt, elevare: & eſt Mundus gloriâ fulgens, ſed vana. Perrexit ad domum Bathuel, qui idem eſt, quod filiatio Dei, menſura Dei. Nam humanitatem, quam aſſumpſit, univit ſibi in unitatem perſonæ: ita ut ſit verum dicere, hic Homo eſt Filius Dei, ut docet S. Thom. 3. parte q. 16. art. 4. Item, Homo eſt Deus, art. 2. Ibi duas uxores ſibi ſumpſit filias Laban, qui ſignificat album ſeu candidum, dealbat enim ſuo ſanguine eos, ad quos accedit, & Mundum hunc univerſum, qui ab ornatu ejus græcè dicitur κόσμος, id eſt, ornamentum, ornatus, decus. Primam uxorem habuit Liam, nempè Synagogam, quæ erat lippis oculis ob defectum cognitionis myſteriorum & umbras legis: alteram Rachëlem decorâ facie & decoro aſpectu. Poſſis & hunc deſcenſum Chriſti in terras & in ſpeluncam Bethlehem conferre egreſſui Joſephi è domo patris ſui Jacob, & deſcenſui in ciſternam veterem, quæ non habebat aquam, unde extractus perrexit in Ægyptum, ibique ſervivit, ac poſteà imperavit, Geneſ. 37. & ſeq.

Hanc Chriſti humilitatem cæteris omnibus rebus admirabiliorem cenſet S. Cyprianus ſerm. de Nativitate: Non Mundi hujus ſtaturam admiror, inquit, non ſtabilitatem, cùm eam complectatur volubile firmamentum: non ſingulos dies, non Lunæ defectum & incrementum, non Solem ſemper integrum & laborem ejus perpetuum: non temporum viciſſitudines, in quibus quædam arent, quædam virent, & quæ mortua modò videntur, deinceps reviveſcunt: *Miror Deum in utero Virginis, miror Omnipotentem in cunabulis, miror quo modo Verbo Dei caro adhæſerit, quo modo incorporeus Deus corporis noſtri tegumentum induerit: miror in hac tanta diſpenſatione tanti diſpendia temporis, & tam lentos proceſſus ad obedientiam Salvatoris.* Eſt David jam unctus in Regem, qui inter oves verſatur, lege S. Bern. ſerm. 4. hebd. pœnoſæ, ubi de humilitate Chriſti patientia agit. 40. Incarnatio eſt admirabilis.

Mirata eſt Anglia Eduardum Regem ſuum feſtum Chriſti Nativitatis tranſegiſſe inter Joannem Franciæ & Davidem Scotiæ Reges à ſe in bello captos, ut ait Hector Boëthius hiſt. Scot. lib. 15. Sed longè admirabilior eſt Chriſtus in medio duorum animalium, ibi agnoſcitur ab omnibus, qui in ſinu Patris ſolis Angelis innoteſcebat, Abacuc 3. 2. *Domine opus tuum*, (redemptionis Mundi è captivitate diaboli) *in medio annorum*, (intra annos à te præfixos) *vivifica illud*, id eſt, excita & effice. Eſt metaphora dans vitam rei inanimatæ, ut ſæpè faciunt Hebræi. *Illud* verò etiam per Hebraiſmum redundat. Sept. vertunt: *In medio duorum animalium cognoſceris*: duo illa animalia intelligi duos populos, nempe Judaicum & Gentilem. S. Hieronymus iis enim hinc & inde cingentibus agnitus eſt & Salvator. Theoph. 2. duos Cherubim, qui erant ſuper arcam in propitiatorio, ibi enim per umbram & figuram Chriſtus eſt cognitus. Eſt enim verum Mundi propitiatorium, 3. Meliùs S. Hier. epiſt. 27. ad Euſtoch. S. Greg. Naz. orat. in Chriſti nativitatem, S. Aug. orat. contra Judæos & Paganos cap. 13. duo illa animalia, in quorum medio Chriſtus eſt manifeſtatus, dicunt eſſe bovem & aſinum, in quorum medio natus eſt in Bethlehem humilis in oculis hominum, ſed ſublimis in oculis Angelorum. Ibi clamat: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* S. Bern. ſerm. 6. de Aſſumpt. B. Virg. Collactaneæ, ait, ſunt humilitas & manſuetudo, in eo confœderatæ germanius qui dicebat Matth. 11. 29. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Sicut enim mater præſumptionis elatio: ſic manſuetudo vera nonniſi ex vera humilitate procedit. Ita ipſe. & S. Cyprian. ſerm. de Nativit. *Fundamentum ſanctitatis*, ait, *ſemper fuit humilitas. Nec in cœlo ſtare potuit ſuperba ſublimitas. Hanc primam gratiam ingrediens Mundum noſter parvulus attulit: & à cunabulis nos ſibi conformes fieri volens, teneris voluit in vita, quod exhibuit in perſona.* Hæc Cyprianus. 41. Eduardi Regis gloria inter duos Reges victos ſedentis. Chriſtus inter duo animalia jacet. Humilitas baſis ſanctitatis.

Frontinus lib. 4. refert illuſtre Xenophontis factum. Cùm enim equo inſideret, & quædam gravis duraque præcepiſſet, militum unus obmuſſitando ſubjecit: Facilè eſt ſedentem jam laboriosè imperare. Quod audiens Xenophon ex equo deſiliit, eumque militem in equum ſubvexit, ipſo duce ad deſtinatum jugum præpeti curſu properante. Sed miles rubore ſuffuſus, & commilitonum ſcommatis perſtrictus, ſtatim ex equo deſiliit, vixque 42. Xenophontis prudentia humilis.

que multis precibus obtinuit, ut iterum Xenuphon equo ſuo uteretur, quæ res militum animos non parum recreavit, & amorem erga ducem auxit: Tantum eſt roboris in exemplo. Tu humilem Chriſtum venerare, ne ſis pejor brutis, Iſaiæ 1. 3. *Cognovit* (ſolet cognoſcere) *bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui*, (eſt hypallage, id eſt, dominum præſepis) *Iſrael autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Orig. hom. 13. S. Ambr. lib. 2. in Lucam cap. 2. S. Aug. contra Judæos cap. 13. hoc explicant de bove & aſino, inter quos Chriſtus natus eſt, quos S. Bonaventura opinatur extraordinaria & miraculoſa reverentia Deum ſuum ibi adoraſſe, ſicut fecerunt aſini in Euchariſtia, ut aliàs retuli, & aguellus S. Franciſci facere ſolebat. Agnitum verò Chriſtum imitare, ut illi oſculeris. S. Cypr. ſerm. de Nativit. *Hic eſt*, ait, *primus religionis introitus, ſicut in Mundum primus Chriſti ingreſſus: ut, quicumque piè vult vivere, humiliter de ſe ſentiat.*

Poſt explicatam cauſam Incarnationis, locum ejus & modum, David tres illius effectus aperit. Primò, laudem Chriſti. Secundò, ejus aſcenſionem. Tertiò, poteſtatem judicandi.

VERS. VIII. 1. Pars. Ac primò, aſſerit totius Orbis nationes accurſuras, ut eum celebrent, verſ. 8. ET SYNAGOGA POPULORUM (S. Auguſt. congregatio populorum.
43. Ad Chriſtum omnes confluunt. S. Hieron. *tribuum*: ſic vocabantur partes duodecim, in quas diſtributi erant Judæi: ſed hoc eſt anguſtiùs. Araba benè vertit, omnes populi) CIRCUMDABIT TE. Nota, Judæi ſolebant laudes Dei concinere, factas choreas agentes circa tabernaculum & altare, qua de re dicam Pſ. 25. 6. *Circumdabo altare tuum Domine*, (S. Teleſphorus epiſt. 2. & S. Hieron. circuibo) *ut audiam* (Hebr. לשמע *laſmia*, ut audire faciam, ſicut vertit Pagn. id eſt, ut alacri & elatâ voce pronunciem) *vocem laudis, & enarrem univerſa mirabilia tua.* Et Pſ. 26. verſ. 6. *Circuivi & immolavi* (S. Gregor. homil. 17. in Ezech. circuibo & immolabo) *in tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis.* S. Auguſt. S. Hilar. in Pſal. 65. Pſalt. Rom. & Ambroſ. hoſtiam jubilationis. S. Hieron. hoſtias jubili. Chald. ſacrificia acceptabilia cum jubilatione.

Senſus literalis eſt, q. d. Si me à manibus Saulis eripueris, ego cum omni populo, qui circunſtat, tabernaculum tuum adibo, & de accepto beneficio gratias agam, & tota Judæa meam innocentiam cognoſcens idem præſtabit.

44. Ob incarnationem ejus. Allegor. Ob Incarnationem Chriſti, omnes non tantùm Judæi, ſed etiam Gentiles ad eum affluunt, ut ſuccino attractæ paleæ, & ad magnetem accurrens ferrum, licèt naturâ ſuâ grave. S. Bernardus ſerm. 20. in Cant. præcipuam cauſam, cur Deus viſibilis apparuerit, ait, eſſe, ut ad ſuæ carnis ſalutarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret ſpiritualem. Sponſa, id eſt, anima ſancta, aut Eccleſia, poſtquam dixit Cant. 1. ℣. 1. Oſculetur me oſculo oris ſui, id eſt, Sponſus meus meæ naturæ uniatur unione hypoſtaticâ, quæ eſt oſculum Chriſti phyſicum, ſicut morale oſculum eſt ejus amor, pergit verſ. 2. *Oleum effuſum* (unguentum evacuatum, ut vertunt Sept. & Vatablus) *nomen tuum*: (quia exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens) *ideò adoleſcentulæ* (Hebr. עלמות *alamoth*, *virgines*: illis ſuaviùs ſpirat virginum Sponſus) *dilexerunt te.* Vel, adoleſcentulæ ſunt animæ imperfectæ. Ut enim ait Rupertus: *Niſi oleum effuſum fuiſſet, niſi Verbum caro factum eſſet, anima imperfecta auſa non fuiſſent diligere Deum: imò nec auſa fuiſſent illum audire, unde & dicebant: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur, Exod. 19.* Et poſteà eadem Sponſa pergit, verſ. 4. *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Hebr. חדר ſignificat cubiculum ſecretum, adytum, penetrale, locum abſconditum, qualis eſt is, in quo opes ac theſauri, & vina ſervantur. Arabs vertit, in cubiculum ſecretum. Syr. in thalamum. Cellaria à celando, id eſt, occultando dicuntur. Cellaria Sponſi, in quæ anima ſancta introducitur, ait S. Ambroſ. ſerm. 1. in Pſ. 118. eſſe myſteria Incarnationis, Paſſionis, Crucis & Reſurrectionis Chriſti. Et Philo Carpathiorum Epiſcopus, qui circa annum Chriſti 374. floruit, in Cant. ait: Cellarium ſive promptuarium Chriſti primum eſt corpus illud, in quo ſibi domicilium fabricavit. Verbum enim in carne quaſi in cella inhabitavit, juxta illud Joan. 1. 14. *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Unde hæc Chriſti cellaria explicans Apoſtolus Coloſſ. 2. ℣. 2. *Inſtructi*, ait, *in charitate, & in omnes divitias plenitudinis, intellectûs, in agnitionem myſterii Dei & Patris Chriſti JEſu, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Ita Philo. Ex hac autem introductione in myſterio Incarnationis fit, ut omnes animæ piæ cum paſtoribus & Magis ad Chriſtum confluant, ut naſcentem adorent: unde ſequitur in Cantico: *Exultabimus & lætabimur in te memores uberum tuorum ſuper vinum*, (Vatablus vertit, prædicabimus amores tuos vino præſtantiores) *recti diligunt te.*

Nota, Chriſtum incarnatum & natum circundat 45.
dat populorum ſynagoga, id eſt, congregatio & Illum
Eccleſia, ut lineæ centrum, ad quod accedunt, ut circundant
illi oriantur, in eo radicentur, atque ſuum inde populi
ſuccum & robur trahant. In Trinitate Verbum di- 1. Velut
vinum eſt medium inter Patrem & Spiritum ſan- lineæ
ctum: in terris eſt medius Chriſtus inter bovem centrum.
& aſinum, hoc eſt, inter populum Judaicum & Gentilem. Sic mori voluit in Jeruſalem, ut in centro Judææ, Pſ. 73. 12. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Id eſt, Judææ, quod accipe moraliter, non mathematicè: non eſt enim Jeruſalem præcisè in Judææ medio. Item Judæa eſt veluti centrum Aſiæ, Africæ & Europæ, tribus illis partibus proxima. Præterea poſuit ſe JEſus in medio diſcipulorum, ut Doctor & Conſolator, Matth. 18. 20. *Ubi ſunt duo vel tres conſentientes in nomine meo*, (propter me, & meî amorem atque gloriam, ait S. Chryſoſt. & Euthym.) *ibi ſum in medio eorum.*

2. Chriſtum incarnatum & natum circundat 2. Velut
ſynagoga populorum, ut multitudo filiorum fa- filii parentem.
melicorum parentem, & ejus menſam ſpiritualem, & ſponſa ſponſo abblandiens, Pſal. 127. 3. *Uxor tua ſicut vitis abundans* (S. Hieron. fructifera. S. Auguſt. fertilis. Pacianus epiſt. 3. fœcunda) *in lateribus domûs tuæ.* (S. Hieron. in penetralibus domûs tuæ.) *Filii tui ſicut novellæ olivarum*, id eſt, novellæ olivæ, νεόφυτοι ἐλαιῶν, id eſt, novæ olivæ, ut vertit Apollinaris: germina olivarum, ut S. Hieron. *in circuitu menſæ tuæ*, ut inde ſuccum trahant, ut oleæ ſurculi ex primario trunco, ex quo pullulant. Menſam porrò Chriſti, ait S. Bernardus ſerm. 2. in cœna Domini, eſſe ejus incarnationem: *Menſa*, inquit, *ad quam reſident fideles epulaturi eum eo, incarnatio ipſius eſt. Regia ibi ſumuntur fercula, & accuratiori arte diligentiùs præparata, delicioſa multum ad ſaporem, ſolida ad nutrimentum, efficacia verò ad medicinam.* Tria ibi fercula offerri, ait: 1. Obedientiam filialem, in qua ſit humilitas in corde, patientia in ore, perſeverantia in bono opere. 2. Paupertatem ſpiritualem, quam tria conſtituunt, depoſitio rerum & contemptus, vilitas & abjectio ſui ipſius, abdicatio propriæ voluntatis in omnibus. 3. Mortem Chriſti reverendam, in qua pietas magis enituit, gratia plus refulſit, charitas ampliùs radiavit.

3. Chriſtum incarnatum & natum circundat 3. Velut
ſynagoga populorum, ſicut fluvii mare, ad quod fluvii
accurrunt, ut quod ab eo per occultos meatus acce- mare.
perunt, id ei cum fœnore reddant publicè. S. Chryſoſt. in Pſ. noſtr. *Circundabit te*, id eſt, canet tibi,

laudabit te, bonis & honorificis te verbis proſequetur. Nam, ut docet S. Thom. 1. p. q. 8. art. 1. omnis gratiæ influxus in nos deſcendit à Chriſti plenitudine: unde & caput Eccleſiæ dicitur. Eſt ille fons paradiſi, qui irrigat univerſam ſuperficiem terræ, Gen. 2. 6.

4. Velut planetæ Solem.

4. Chriſtum incarnatum & natum circundat ſynagoga populorum, ſicut planetæ & radii ſuum Solem, à quo ſplendorem ſuum acceperunt, & continuo accipiunt. Unde eo nato paſtores ſtatim circumfulſit lux de cælo, Luc. 2. 9. *Et ecce Angelus Domini* (in corpore aſſumpto, ut ait Titus) *ſtetit juxta illos*, (ut jam ſe eorum conſervum oſtenderet) *& claritas Dei* (id eſt, divinum Lumen, ait Euthym.) *circumfulſit illos.* Arabs: *Gloria Domini orta eſt ſuper illos.* Statim cum muneribus paſtores accurrerunt ad orientem Solem, & reverſi ſunt glorificantes & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant & viderant. Qui enim videt Solem, ſtatim excitatur ad Deum laudandum, Eccl. 43. 2. *Sol in aſpectu* (id eſt, primo aſpectu ſuo ac radiis) *annuncians* (&) *in exitu*, in primo ortu ſuo. Quid autem annunciat? Id quod ſequitur: nempe eſſe ſe *opus admirabile, opus excelſi*: ideòque, Deum tanti operis Architectum eſſe laudandum. Arabs vertit, creavit Solem, ut eum illuminet orbem, & glorificent eum patres: Admiratio, ars excelſi. S. Dionyſ. cap. 4. de divinis nominib. dicit Solem eſſe *claram expreſſam divinitatem imaginem.* Circa verum Solem Angelorum & hominum, cœleſtes choreas agunt omnes populi eum circundantes, Pſal. 106. 2. *Dicant, qui redempti ſunt à Domino*, (à Chriſto, ut explicat S. Gaudentius Brixienſis Epiſcop.) *quos redemit de manu inimici*, (Arnob. legit, de manibus inimicorum. A multis inimicis & multis eorum manibus tenebamur) *& de regionibus* (è Chaldæa, Aſſyria, &c. ubi erant aut captivi, aut vagi) *congregavit eos*, (Jerem. apertè 29. 14. congregabo vos de univerſis gentibus.) *A Solis ortu & occaſu, ab Aquilone & mari*, id eſt, à meridie. Nam mare rubrum & Oceanus ſunt in parte meridionali Judææ. Sæpè tamen mare in Scriptura ponitur pro Occidente, quia Judæa terminatur in ea parte, mari mediterraneo.

VERS. VIII. 2. Pars. 46.

Secundus Incarnationis fructus eſt Chriſti gloria æterna in cœlo, verſ. eodem. 8. ET PROPTER HANC (ſynagogam populorum ſcilicet) IN ALTUM REGREDERE, id eſt, tribunal tuum conſcende, ut inde feras ſententiam condemnationis contra hoſtes meos, & populi tui ſynagoga ſeu congregatio id videns te laudet. 2. *In altum regredere*, q. d. magis conſpicua fac potentiæ tuæ vindicis opera, ut omnes populi te colant atque venerentur, ut bonum, qui malos oderit; potentem, qui punire poſſit: ſapientem, qui puniendi modum norit. Ita S. Chryſoſt. Folengius, Genebr. Burgenſis, Joannes à Paſtura, Bellarminus. Hi duo ſenſus ſunt literales.

Aſcenſionem Chriſtus eſt meritus per humilitatem.

Alleg. Agit David de Chriſti Aſcenſione, quam Chriſtus meritus eſt per humilitatem Incarnationis & Paſſionis, Epheſ. 4. 9. *Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ?* Id eſt, ad terram, quæ omnium corporum ſimplicium eſt infima, ut explicat S. Auguſt. & Theophylact. atque alii: vel potiùs, in ſepulchrum & Inferos, ut S. Hieron. S. Chryſoſt. S. Ambroſ. *Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia*: Id eſt, omnia, quæ fuerant prædicta à Prophetis. Ubi nota cum Theodoreto: Aliter deſcendit Chriſtus, & aliter aſcendit. Cùm enim deſcendiſſet incorporeus, aſcendit cum corpore: deſcenſus autem non ſignificat aliquam à loco ad locum tranſitionem, ſed docet diſpenſationis magnitudinem: quòd, cùm eſſet Altiſſimus, ſe adeò abjecerit, & extremam humilitatem ſuſtinuerit.

Quòd autem ad Eccleſiæ ſuæ utilitatem Chriſtus aſcenderit, Propheta declarat: *Et propter hanc in altum regredere.* Chald. ad domum majeſtatis tuæ. Nota, regredere, id eſt, iterum gradere, revertere: inde enim deſcenderat. Utilitatem aſcenſionis ſuæ ſæpè inculcat in ſermone facto Apoſtolis in ultima cœna: inter cætera dicit, Joan. 16. 7. *Expedit vobis, ut ego vadam, ſi enim non abiero, Paracletus* (id eſt, Spiritus ſanctus Conſolator & Exhortator veſter) *non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Alias rationes vide ibi, & apud S. Thomam 3. p. q. 57. art. 1. ad 3. & art. ult. Tunc Synagoga populorum Chriſtum circundedit, triumphantem, & in regnum ſuum intrantem, Epheſ. 4. 8. *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem*, id eſt, Patres antiquos è limbis extractos, ubi captivi tenebantur. Abſtractum ponitur pro concreto: nempe captivitas pro captivis, more Hebræo: duxit autem eos, non ut captivos retineret, ſed ut æternâ libertate donaret, Mich. 2. 12. *Congregatione congregabo Jacob totum te*, in gregem unum & Eccleſiam ſub uno paſtore Chriſto, ſub quo fiet unum ovile, & unus paſtor. Ita S. Hieron. Rupertus, Ribera: ac deinde cum ipſo in cœlum, ut in ſecuras caulas deducam. Ita S. Hieron. & Remigius: *Ponam illum quaſi gregem in ovili*, (Hebr. in Boſra, quæ erat Metropolis Idumææ, & ſignificat munitam) *quaſi pecus in medio caularum, tumultuabuntur à multitudine* (ob multitudinem) *hominum*, fidelium ſcilicet. Eſt catachreſis: id eſt, erit magna eorum multitudo: non enim erit ibi tumultus, aut ſeditio, aut commotio, quæ ex hominum frequentia oriri ſolet: *Aſcendet enim pandens iter ante eos*, (ne quis hoſtis eos impediat, id enim facere nititur dæmon, ut S. Antonio apparuit) *dividens*, (id eſt, perrumpent, perfringent) *& tranſibunt portam, & ingredientur per eam: &* (quia) *tranſibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum*, id eſt, dux agminis aſcendentis erit Chriſtus, Rex & Dominus, qui primus cœleſtem aulam intrabit, ut ibi ſit in æternum Rex gloriæ, Pſ. 23. 7. & ſeq.

Si cum Rege tuo vis aſcendere, cum ipſo deſcende. Cum illo enim non aſcendit ſuperbia: quia Lucifer ab aſcenſu incipere voluit, in perpetuum cecidit. Eſt lex à Deo ſancita, Matth. 23. 12. *Qui ſe exaltaverit, humiliabitur: & qui ſe humiliaverit, exaltabitur.* S. Bernardus ſerm. 2. de Aſcenſione docet humilitatem eſſe cæli viam & ſcalam. Verba ejus ſunt: Dilectiſſimi, perſeverate in diſciplina, quam ſuſcepiſtis, ut per humilitatem ad ſublimitatem aſcendatis; quia hæc eſt via, & non eſt alia præter ipſam. Qui aliter vadit, cadit potiùs, quàm aſcendit: quia ſola eſt humilitas, quæ exaltat, ſola, quæ ducit ad vitam. Ita ipſe: & hoc verum eſſe docet exemplo Chriſti ſe humiliantis in incarnatione, paſſione & morte: ac S. Auguſt. in Pſal. 50. ait: *Eſto humilis in humili Deo tuo, ut ſis excelſus in glorificato Domino Deo tuo. Aſperges is hyſſopo, humilitas Chriſti te mundabit.* Sermone autem 212. de tempore, fuſiſſimè probat, viam gloriæ evectionis ad magnos cœli honores eſſe ſubmiſſionem mentis. Aliquot floſculos ex ejus horto decerpamus. Primus ſit: *Humilitatis paſſibus ad cœli culmina conſcenditur: quia Deus excelſus non ſuperbiâ, ſed humilitate attingitur.* Secundus: *Per ſuperbiam mirabilis Angelorum creatura cecidit de cælo: per humilitatem Dei, fragilitas humana naturæ aſcendit in cœlum.* Tertius: *Quantum humilitate inclinatur cor ad ima, tantum proficit in excelſo.* Quartus, deſcende, ut aſcendas, humiliare, ut exalteris, ne exaltatus humilieris. Quintus, qui ſibi vilis videtur, ante Deum pulcher eſt. Qui ſibi diſplicent, Deo placent. Sextus, eſto parvus in oculis tuis, ut ſis magnus in oculis Dei. Tantò enim eris apud Deum pretioſior, quantus fueris ante

oculos

oculos tuos deſpectior. Septimus, in ſummo bonure ſumma tibi ſit humilitas. Honoris laus eſt, humilitatis virtus. Ita Auguſtinus.

47. Humilitas Sanctos gloriâ cumulavit.

Hanc humilitatis ſemitam anguſtam, ſed brevem tutamque triverunt viri ſanctitate illuſtres, & per eam clari evasêre, & in cœlo radios ſibi æternos comparavêre. S. Athanaſia lucidam nubem Solis ſplendore radiantem animo in Deum ſuſpenſa vidit, & in ejus medio virum ſummo formæ decore fulgentem. Hoc in viſo, cùm defixa hæreret, vocem audiit ſuclamantem: *Virum hunc, cujus tu ſpeciem admiraris, humilitas & manſuetudo ita ſplendidum reddiderunt.* Vir, qui nubis in concavo tantâ luce coruſcabat, erat Matthias monachus paucis à diebus vitâ functus. Sanctæ quoque ipſi Athanaſio ob humilitatem & mortificationem ſumma gloria conceſſa eſt, quæ piè meditanti cuidam poſt ejus obitum oſtenſa eſt: duos inter viros habitu fulgentes apparuit, ab iiſque ad altare ducta veſtem purpuream pretioſis lapidibus ac margaritis lucentem induta eſt: corona ornata cruce duplici, quarum una frontem, altera occiput ſignaret, capiti ejus eſt impoſita: ſceptrum gemmis coruſcum in manus datum. Ita S. Simeon Metaphraſtes in ejus vita, 14. Auguſti.

1. Matthias monachus.
2. S. Athanaſia.

Ex ea notitia ortum eſt honoris omnis & dignitatis odium in cordibus Deo conſecratis. Febrim ardentibus à Deo precibus multos in annos impetravit S. Goar, dum animam efflaret, ne in Archi-Epiſcopum Trevirenſem eligeretur. S. Fiacrius Eugenii Scotiæ Regis filius patriam ſuam deſeruit, & in Galliam, latibulum quærens, ſe clanculum ſubduxit. A S. Pharone Meldenſium Epiſcopo agelli Portiunculâ donatus, læns sereſoſque paupercula in caſa dies agebat. Patre ea humanis erepto ſceptris, legatos miſerunt Scoti, Fiacrium ut reducem populo ſuo ſiſterent, coronæque redderent. Id periculi ſubolens vir ſibi & caducis rebus emortuus ad Deum recurrit, ut ſibi in eo momento adeſſet, atque à ſuis humeris tantum onus removeret: ſtatim luridâ leprâ taboque diffluens legatis ſeſe oſtentavit, qui ad triſte fœdumque ſpectaculum horreſcentes & nauſeabundi, pedem ſtatim retulerunt, & infectâ re in patriam redierunt: ut narrat Hector Boëthius lib. 9. hiſt. Scotorum.

3. S. Goar presbyter.
4. S. Fiacrius regis filius.

48. Superbi pereunt.

Contrà verò, ex quo Eva aures aperuit voci ſerpentis: *Eritis ſicut Dii*, & inanis gloriæ cupiditate in eſum pomi prorupit, hæc peſtis in ejus filios ſeſe diffudit, ex qua via pauci multis laboribus ſanantur. Sed ſæpè honores nimius ambientes, illis ipſis, quos habent, privantur. Hoc videmus in Scotia, in qua Walthesus Atholiæ Comes regis Jacobi Primi in Scotia patruus, audiêrat à ſaga ſe publicè coronandum, ſperans ſe hâc prædictione ad regnum eſſe evehendum, execrando ſcelere Regem occidi curavit. Sed conceptâ ſpe excidit, nam variis affectus ſuppliciis curru per urbem vectus, populo in ludibrium oſtenſus eſt nudus, coronâ candente capiti impoſitâ, ut ait Hector Boëth. lib. 7. In Hiſpania juſſit Wamba Gothorum Rex, ut Paulus quidam, qui Regis nomen & inſignia occupârat, ſibi cum pompa redeunti præiret, ludibrii causâ coronâ ex nigro corio factâ capiti impoſitâ. Ita Mariana lib. 6. hiſt. Hiſp. cap. 13. In Sicilia, cùm quidam in Regem Ammergium rebellâſſet, regnumque affectaret, juſſit illi coronam æneam fieri cum quatuor foraminibus, quam ejus capiti totidem magnis clavis affixit, atque ita hominem abire juſſit his verbis: *Habes coronam, quam venatus es, nemo tibi invidet, fruere uſque adeò deſideratâ re.* Is verò vertigine oborta, humi prolapſus, paulò pòſt in miſerabili illo diademate expiravit. Nic. lib. 2.

1. In Scotia. *2. In Hiſpania.* *3. In Sicilia.*

49. *Inſana gloria cupiditas in Humela.*

Tanta tamen eſt in appellatione honorum inſania, ut Humelas quidam, qui à Cordubenſibus militibus Rex creari poſtulabat, excuſantibus, quòd ſæpè male ceſſiſſet regnum ambientibus, dixerit: *Hodie Regem dicite, cras perimite*, ut tradit Mariana lib. 8. hiſt. Hiſp. cap. 10. Generatim ait Jeſus Siracides, Eccli. cap. 13.24. *Abominatio* (Tigurina, exectabilis) *eſt ſuperbo humilitas.* Sed ſapienter monet, cap. 21.5. *Subſtantia ſuperbi eradicabitur*: tantum abeſt, ut fructus ſit habiturus ſuperbus, ut ne radicis quidem, vel minima fibra ſit ei relinquenda. Græcè, ἐρημωθήσεται, id eſt, in ſterile deſertum redigetur. Vide dicta Pſ. 36. 35. Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani. Et tranſivi, & ecce non erat. Sic Job vanitates Mundi deſpiciens, & inania ſuperborum ſtudia deplorans, dicebat cap. 24. ℣. 24. *Elevati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent, & humiliabuntur ſicut omnia, & auferentur: & ſicut ſummitates ſpicarum conterentur.*

VERS. IX. Tertius Incarnationis fructus eſt judiciaria poteſtas Chriſto à Patre æterno tradita. Unde ſubdit Propheta noſter, ℣. 9. *Dominus judicat populos*, id eſt, tu, ô Domine! qui per Incarnationem exurgis è ſinu Patris, ut nos adjuves: & qui per Aſcenſionem ad Patrem regrederis, judicas omnes populos, conſtitutus Judex vivorum & mortuorum. Eſt enallage perſonæ: à ſecunda enim tranſit ad tertiam, quod ſæpè fit apud Prophetas, & ſolemus facere, cùm loquimur Regibus, Principibus ac Nobilibus, quibus honoris causâ dicimus: Dominus imperat, ambulat, loquitur, id eſt, ut imperas, ambulas, loqueris. De Chriſto Judice vide ſequentem ſectionem.

DIVISIO SECUNDA ET ULTIMA.

Tria prædicit. Primò, judicium futurum improbis funeſtum, jucundum probis. Verſu 9. Secundò, incertam illius horam incautos impios occupaturam. Verſ. 13. Tertiò, dolores ab impiis juſto paratos, in eorum caput recaſuros. Verſ. 15.

P A R A P H R A S I S.

9. Dominus judicat populos. Judica me Domine ſecundùm juſtitiam meam: & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.

9. Tuum eſt, ô Domine Deus! nationes Orbis univerſi judicare, & ſingulis hominibus jus reddere. Cùm itaque nullius ſceleris in Saulem admiſſi conſcientia mordeat, neque mihi coronæ ambiendæ fulgor oculos perſtrinxerit: obſecro, ut in æquas bilances innocentiam meam cum illius furore ſtatuas, & pro tua juſtitia me abſolvas.

10. Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges juſtum: ſcrutans corda & renes Deus.

10. Æquitatis te ita tenacem eſſe, certò ſcio, ut ſceleratus paulatim contabeſcat & pereat: Juſtus autem recto ſecuroque tramite ad optatam metam ducente te perveniat: cùm intima mentis arcana, & nemini pervias cogitationes & affectiones cognoſcas.

11. Juſtum adjutorium meum à Domino: qui ſalvos facit rectos corde.

11. Itaque juſtum eſt, ut tu, Domine, qui Impiorum fluctibus & procellis jactatos pios ad portum deducis, mihi Innocenti ſuccurras.

12. Deus Judex justus, fortis & patiens: nunquid iraſcitur per ſingulos dies?

12. Verum quidem eſt, Deum ſingulis diebus fulmina non decoquere in ſceleratos. Licèt enim ſontes puniturus ſit, cùm ſit juſtus: licèt hoc facilè poſſit, cùm ſit fortis, non tamen ſemper facit, cùm ſit patiens.

13. Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit, & paravit illum.

13. Non eſt tamen, ô Saul! & adverſarii mei, cur nimium ejus benignitati confidatis: niſi enim à veſtris ſceleribus receſſeritis, velut rebelles gladio bicipiti, arcuque jam intento, vos imperet ac transfiget.

14. Et in eo paravit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus effecit.

14. Igniras arcui ſuo ſagittas implicuit, quibus irâ odioque in me ſontium ardentes confoderet.

15. Ecce parturiit injuſtitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

15. Impietate & barbarie infamis Saul maleſanam in me iracundiam diu coluit animo, firmatâque mente fixum habuit dolores mihi inferre, jamque ſe ad impium opus accingit, & caſſibus iniquum obvolvere molitur.

16. Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam, quam fecit.

16. Neque me aperto tantùm Marte aggreditur, ſed occultis quoque inſidiis foveam parat, in quam præceps devolvar: Deus verò eâ ſapientiâ rem tranſigit, ut ſe ipſe ſuas in pedicas induat.

17. Convertetur dolor ejus in caput ejus: & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet.

17. Tempeſtas, quam in caput meum effundendam collegit, gradatim in eum revolvetur: fractaſque ejus cervices conteret, ſoloque affiget.

18. Confitebor Domino ſecundùm juſtitiam ejus: & pſallam nomini Domini Altiſſimi.

18. Itaque in Dei mei ſupremi Judicis laudes erumpam, eique grates rependam, quòd mirâ æquitate omnibus debita ſecundùm meritum eorum reddat. Et in honorem Domini mei ſuper omnia eminentiſſimi, Pſalmos contexam & concinam.

QUÆSTIO UNICA.

Quàm juſtum & ſeverum Dei judicium in ſceleratos.

SEctione præcedenti ad Deum Judicem David acceſſerat, ut æquo animo cauſam ſuam & Saulis ſe vexantis diſceptaret. 1. Dei majeſtatem, bonitatem, poteſtatem, ſapientiamque prædicaret. 2. Hoſtium crudelitatem atque multitudinem expoſuerat. 3. Sui ipſius innocentiam, humilitatem, in Deo fiduciam oſtenderat. 4. Populi futuram lætitiam, ac vitam meliora, ſi æquitati conſoleretur.

50. David aperit in die judicii: 1. Reos. Nunc verò, quod erat precatus, eventurum aſſerit, ac ponit judicii: 1. Reos. 2. Modum. 3. Exitum. 4. Judicem. 5. Tempus. 6. Pœnarum acerbitatem. 7. Cauſas punitionis. De hac vita, ac præſertim de alia accipi hæc poſſunt, ut patebit.

Primò, aſſignat Propheta perſonas judicandas, verſ. 9. *Dominus judicat populos.*

2. Modum judicii. Secundò, modum judicii æquiſſimum, rem [illegible] trutinâ librantis, Ibid. *Judica me Domine ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.*

3. Ejus exitum. Tertiò, exitum judicii duplicem. Impiis quidem infelicem, verſ. 10. *Conſumetur nequitia peccatorum,* juſtis verò fauſtiſſimum: *Et diriges juſtum,* &c. Quos ad ſalutem ſecuros perducit, ſententiâ pro illis pronuntiatâ, verſ. 11. *Juſtum adjutorium meum à Domino, qui ſalvos facit rectos corde.*

4. Judicis virtutes. Quartò, Judicis ipſius declarat virtutes quatuor, quibus ut baſibus, thronus ejus innititur: 1. Juſtitiam, verſ. 12. *Deus Judex juſtus.* 2. Fortitudinem, *fortis.* 3. Longanimitatem, *& patiens.* 4. Severitatem, *nunquid iraſcitur per ſingulos dies?*

5. Tempus judicii. Quintò, tempus judicii incertum, verſ. 13. *Niſi converſi fueritis.*

6. Pœnarum atrocitatem. Sextò, pœnarum acerbitatem, quam Judex intentat, partim armis, quibus cominùs ferimus, verſ. eod. 13. *Gladium ſuum vibrabit:* partim quibus eminùs percutimus: *Arcum ſuum tetendit, & paravit illum.* Et quidem certa & non errante manu telum intorquet, verſ. 14. *Et in eo paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.*

7. Cauſas punitionis. Septimò, cauſas punitionis & condemnationis aperit: 1. Scelera mente tantùm concepta, verſ. 15. *Ecce parturiit injuſtitiam, concepit dolorem.* 2. Foras prominentia: *Et peperit iniquitatem.* 3. Præſertim ſi aliis ſint noxia, verſ. 16. *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit.* Quod amplificat, verſ. 17. *Convertetur dolor ejus,* (activè ſumit, id eſt, dolor, quem mihi parat) *in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet.*

Octavò denique concludit, ſe laudaturum Judicem ſuum Deum, ob ejus æquitatem, verſ. 18. *Confitebor Domino ſecundùm juſtitiam ejus.* Atque ob ejus majeſtatem & ſupremam in omnes poteſtatem, ibid. *Et pſallam nomini Domini Altiſſimi.*

ARTICULUS I.

Deus Judex intimas hominum cogitationes & affectiones expendit, & punit, præſertim in Chriſtianis.

INcarnatum vidimus ſectione ſuperiori Chriſtum exurrexiſſe, & in terris apparuiſſe, ut dæmonem proſterneret, ac ſervos ſuos ſervaret; ſed cùm non minùs ſit juſtus, quàm miſericors, in rebelles ſententiam feret, verſ. 9. DOMINUS JUDICAT POPULOS. JUDICA ME DOMINE SECUNDUM JUSTITIAM MEAM, ET SECUNDUM INNOCENTIAM MEAM SUPER ME. Verſ. 9. 1. Part.
Et verſ. 10. *Conſumetur nequitia peccatorum.* Hæc quomodo ad Davidem pertineant, vide in paraphraſi.

Nota primò, omnes proſusà Deo fore judicandi: *Dominus judicat populos:* 1. Succeſſivè, unum poſt alium. 2. Simul, in die judicii: nec tantùm populos collectivè ſumptos, ſed ſingulos eorum homines. Nec Reges purpura, nec denſatum ſatellitium teget: non corrumpetur Judex immenſis auri gazis, non gemmarum fulgore perſtringetur, plebeiorum in claſſem Principes ipſi compingentur. Unde communi nomine omnes involvit Propheta: *Dominus judicat populos.* Coram Domino Deo omnes homines ſervi ſunt, & abjecta mancipia. Itaque ſtabunt ante ipſum omnes trepidi. Rom. 14. 10. *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti.* Tribunal, ut ait S. Iſidorus, locus erat ſublimis & editus, in quo conſidentes Magiſtratus judicabant. Trepidationem judicandorum oſtendit Malachias cap. 3. 2. *Quis poterit cogitare diem adventûs ejus, & quis ſtabit ad videndum eum?* Septuag. vertunt: *Quis ſtabit ad viſionem ejus?* Pagn. apertè: quia poterit ſtare, cùm apparuerit? Vide dicta Pſalm. 2. 10. ac ſeq. *Et nunc Reges intelligite, &c. Cùm exarſerit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo.* Ideò vel maximi & potentiſſimi Reges tremunt in morte. Carolus Siciliæ Rex extremum vitæ efflans halitum in hæc verba tremula voce erupit: *O vanas, ait, hominum cogitationes! quid mihi regnum prodeſt? Quàm præſtaret jam pauperem fuiſſe, non Regem?* Philippo etiam III. Hiſpaniarum Regi, cujus ad vocem Antipodes ipſi intremuerant, mortem expectanti 51. Omnes homines à Chriſto judicabuntur.

expectanti judicium Dei recuſabat; eamque ob rem in gemitus ac ſingultus erumpens, exclamabat: *O quàm modò felix exiſterem, ſi qui jam duobus & viginti annis tot regna rexi, privatus in ſolitudine vixiſſem! Quæ nunc diſtinctio Regis & ruſtici, niſi quòd ille in ſupremo vitæ periodo graviora patitur tormenta? O utinam nec unum quidem diem fuiſſem Rex!* ut refert P. Florentia in ejus oratione funebri.

52. *Regibus hoc in memoriam eſt revocandum.* Hunc extremum judicii diem ob oculos Regum poſuerunt viri fortes. Cùm Anaſtaſius Dicorus Imp. pium quendam Epiſcopum à vera fide abducere niteretur, atque ad Eutychetis veſanum dogma transferre, ille contrà infracto animo ait: Quinimò Imperator, tu eſto orthodoxus, impiumque Eutychem abjice, ſimulque apprehenſâ Imp. chlamyde: *Hæc veſtis*, inquit, *poſt mortem, ò imperator! te non ſequetur: ſed ſola te comitabitur pietas & habitus virtutum: ſatis tibi ſit dignitatis, quòd Imperator es. Antiſtites Eccleſiæ vexare noli*, ut tradit Zonaras in Anaſtaſio. Si vis eſſe rex ſine periculo in judicio, benè vive, & te ipſum ſanctè rege. S. Ambr. in Pſ. 118. ſerm. 14. *Quicumque*, ait, *proprium corpus ſubegerit, nec ejus paſſionibus turbari animam ſuam rector ſui congrua vivacitate permiſerit, is benè regens quadam poteſtate ſe cohibens rex dicitur, quòd regere ſe noverit, arbiter ſui juris ſit, non captivum trahatur in culpam, nec præceps feratur in vitium. Hujus animus non perit in æternum, nec quiſquam rapit eam de manu Patris omnipotentis, aut Filii. Manus enim Dei, quæ ſolidavit cœlum, quos tenuerit, non amittit.* S. Chryſoſt. in Pſ. noſtr. vocat divitias juſtorum, πλοῦτον μόνιμον καὶ πεπηγότα, divitias ſtabiles & firmas.

Verſ. 9. 1. Pars. Modus judicii divini eſt æquiſſimus, judicat enim ſecundùm opera ſingulorum. Unde ait David verſ. eod. 9. *Judica me* (Sept. κρῖνόν μοι, id eſt, judica mihi: hoc eſt, ad utilitatem meam) *Domine ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm innocentiam meam ſuper me*, id eſt, quam habui non meis viribus, ſed per Dei juvantis gratiam, ita S. Aug. S. Thom. Remig. Ludolphus, Bruno, Ruffin. Sed hoc eſt myſticum. Secundò, *ſuper me*, id eſt, quæ eſt in me, ut vertit S. Hier. & Pagn. Nam præpoſitio Hebr. על *al*, ſignificat in, ſuper, ſuprà. Quod eſt autem ſuper animam, ut veſtis, & ſplendor, ac pulchritudo ejus, eſt in anima, ſicut color, qui eſt in facie, ſive ſuper faciem. Tales autem ſunt habitus virtutum, qui veluti animam involvunt, ornant, illuſtrant, & in ea manent.

Nota, ut jam monui, David cùm prædicat juſtitiam ſuam & innocentiam, non loquitur de juſtitia & innocentia reſpectivè ad Deum, apud quem, ut ait Iſaias c. 64. 6. *Quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ*: ſed loquitur de juſtitia ſua & innocentia reſpectivè ad Saulem, quem læſerat. Unde ait ipſi Sauli, 1 Reg. 24. 12. *Animadverte, & vide, quoniam non eſt in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te*: & hoc elatâ voce Saul profeſſus eſt.

Nota ſecundò cum S. Auguſt. veram eſſe innocentiam, quæ nec inimico nocet. Hebr. תֻמִּי *thummi*, vertit Arias & Pagn. *perfectionem meam*, & hoc propriè ſignificat Rad. thamam, perficere, complectere, conſummare: unde *thom*, perfectio omnimoda, integritas, conſummatio. 2. Arabs vertit, *manſuetudinem meam*: per illam maximos & heroicos actus David exercuit, unde dicitur Pſ. 131. 1. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus*: in ea enim virtute maximè excelluit. 3. Thummi, S. Hier. & Felix vertit, ſimplicitatem meam. Intelligit autem ſimplicitatem non mentis & intellectûs, quæ ſit ſine ſolertia & induſtria: ſed voluntatis, quæ ſit ſine fermento & immixtione malitiæ. Sic ſæpè ſumit ſimplicitatem S. Paulus.

Moraliter nota, te in judicio eſſe judicandum ſecundùm opera bona vel mala. Apud Perſas nemo uriam criminis reus priùs ad mortem damnabatur, quàm vita ejus omnis examinaretur. Si enim id primum labis contraxerat, venia humanæ imbecillitati dabatur: ſin aliis jam coopertus erat criminibus, nullius obtentu excuſationis, aut interventu perſonæ, reus plectebatur. Sic de Balthaſare rege Babyloniorum dicitur Dan. 5. 27. *Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens*, bonitatis ſcilicet ac virtutis. Itaque Arab. Alex. habet, inventus es minus habens de bono, q. d. omnia opera vitæ tuæ expendit Deus in libra juſtitiæ ſuæ in una lance, & mala opera poſuit in altera lance: ſed peccata reperta ſunt graviora, & præponderârunt: virtutes verò leviores, ac paucæ, quæ vindictam impedire non potuerunt. *Perſarum in judiciis conſuetudo.*

Exitus judicii divini duplex eſt pro diverſitate eorum, qui judicabimur. Nam, ut ait Chriſtus Matthæi 25. 46. *Ibunt* (ἀπελεύσονται, *abibunt*, à Deo ſcilicet, Chriſto & Sanctis ejecti) *hi in ſupplicium* (Syr. cruciatum. S. Aug. Ambuſtionem, id eſt, circumuſtionem, uſtionem in toto corpore, & tota anima) *æternum, juſti autem in vitam æternam.* 53.

Primò, ſcelerati condemnabuntur, & ſpectantibus Sanctis in ignem æternum præcipitabuntur cruciandi, verſ. 10. CONSUMETUR NEQUITIA PECCATORUM. Id eſt, Achitophelis, cujus interitus prædicitur, ut vult Theodor. 2. Et meliùs, *peccatorum*, id eſt, Saulis, & ſatellitum, ut exponit Burgenſis, Lyranus, Cajetanus. 3. Plenius Genebrardus, *peccatorum*, id eſt, omnium. Mos enim Davidis eſt ab hypotheſi revocare rem ad theſim, v. g. à Saule aut Abſalone ad omnes peccatores: & à ſe, ad omnes juſtos. Verſ. 10. 1. Pars.

Nota: *Conſumetur nequitia peccatorum*, eſt hypallage, id eſt, peccatores ob nequitiam & perverſitatem conſumentur, & perdentur. 2. Nequitia peccatorum conſumetur, id eſt, finietur. Sept. vertunt, συντελεσθήτω, hoc eſt, finiatur. Non enim poterunt ampliùs nocere juſto, Pſ. 111. 9. *Juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria. Peccator videbit, & iraſcetur*, (Chald. ſuper eum) *dentibus ſuis fremet, & tabeſcet. Deſiderium peccatorum peribit*, quo ſcilicet deſiderant deprimere juſtum, & illi eminere.

Nota ſecundò: Hebr. verti poſſunt, *conſumet malum impios*, malitia eſt ignis devorans, & impios in pulverem redigens, Iſa. 9. 18. *Succenſa eſt quaſi ignis impietas, veprem & ſpinam vorabit: & ſuccendetur in denſitate ſaltûs, & convolvetur ſuperbia* (elatio, ſublimitas) *fumi*. Igne corripiente excelſas arbores, id eſt, ipſus Nobiles & Magiſtratus. Et cap. 33. 11. ait Aſſyriis tempore Sennacherib de everſione & incendio Jeroſolymæ cogitantibus: *Concipietis ardorem, parietis ſtipulam*, q. d. ignis veſter non Judæos, ſed vos inſtar ſtipulæ exuret, *ſpiritus veſter, ut ignis vorabit vos. Et erunt populi* (milites veſtri ex variis populis collecti) *quaſi de incendio cinis*, (mortui igne peſtifero, ab Angelo percuſſi) *ſpinæ* (quaſi ſpinæ) *congregatæ igni comburentur*. Pro, erunt de incendio cinis, vertit Arabs, erunt ut incendia calcis, id eſt, ſimiles lapidibus in calcem redactis, qui ardent intus, & in pulverem rediguntur. Secundò, impios conſumit ut ſtipulam ignis juſti Judicis, tum myſticus & ſpiritualis, id eſt, ira: tum materialis, id eſt, ignis realis, qui erit in die judicii, & impios involvet, eoſque ſequetur deſcendentes ad infernum, Malach. 4. *Ecce enim dies* (judicii extremi) *veniet ſuccenſa quaſi caminus: & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem, ſtipula*, (id eſt, quaſi ſtipula. Hebræi notas ſimilitudinis ſæpè ſupprimunt) *& inflammabit eos dies veniens*, (nunc latent in nocte) *dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem, &* (id eſt, nec) *germen*: q. d. eos omninò excindet ac perdet ſinu

ſpe

ſpe reditus ad gratiam & amicitiam Dei ac felicitatem.

Nota tertiò, pro *conſumetur*, Pſalt. Rom. S. Hier. S. Aug. Bellarm. & alii non pauci legunt, *conſummetur*, q.d. ait Bellarm. perficiatur, & ad ſummum perveniat nequitia peccatorum, tamen juſto non nocebit: non enim eum inflectet ad dexteram, vel ad ſiniſtram: quia tu *diriges* juſtum, id eſt, per tuam providentiam aderis juſto, ne declinet ad dexteram vel ad ſiniſtram. Symmach. vertit, ἀναπληρωθήτω, id eſt, compleatur. Sed lectio noſtra, *conſumetur* nequitia peccatorum, eſt aptior & ſignificantior. Sic dicitur Pſal. 1. verſ. ult. *Iter impiorum peribit*. Vide ibi dicta. Sept. in Pſ. noſtr. habent συντελεσθήτω, hoc eſt, finem inveniet. In Hebr. eſt יִגְמָר *igmor*, quod ſignificat: 1. Conſummare & perficere. 2. Conſumi, deficere, finiri, ceſſare. Utriuſque lectionis ſenſus idem eſt, ſi enim legas, *conſummetur*, ſeu compleatur, *nequitia peccatorum*, ſic explica, q.d. compleatur malum adverſus peccatores, ut Arabs & Syr. vertunt. Nequitia enim ſeu malitia ſæpè ponuntur pro pœna nequitiæ & malitiæ. Et vox Hebr. רַע *ra*, tam malum culpæ, id eſt, malitiam, quàm malum pœnæ, id eſt, afflictionem ſignificat.

14. Nihil eſt ſtabile in ſceleratis.

Moraliter nota, nihil eſſe ſtabile in impio, ſed omnia ejus bona, ipſumque abſumi, Job. 4. 19. ait Eliphas Rex Themanorum: *Qui habitant* (qui non ſe cenſent peregrinos, nec ad patriam aſpirant) *domos luteas*, (corpora ex luto facta) *qui terrenum* (Hebr. הֶעָפָר *he aphar*, in pulvere) *habent fundamentum, conſumentur velut à tinea*. Hebr. ante faciem tineæ, id eſt, non ut vertit Vatablus, ante tineam, ſed in præſentia tineæ. Pagn. reddit, *donec fuerit arcturus*, id eſt, in æternum. Sed meliùs Noſter, *velut à tinea*: עָשׁ *as* enim tineam ſignificat. Repentinum autem fore illud exitium, docet verſ. 20. *De mane uſque ad veſperam*, (id eſt, uno die, quia mille anni ante oculos Dei tanquam dies heſterna) *ſuccidentur*, (ut tela à texente, ut ait Ezechias Rex, Iſa. 38. 12.) *& quia nullus intelligit, in æternum peribunt*. Hebr. *Non ponunt cor ad intelligendum*. Itaque ſicut oves in inferno poſiti ſunt, Pſ. 48. 15. ſtultè in illum currentes unus poſt alium, & ibi addenſati in caulis igneis, atque in laniena excoriati, & omnibus divitiis & deliciis ſpoliati, ac miſerrimis miſeriores. Apollo Pythius Gygi poſt invaſionem injuſtam regni Lydorum roganti: num quis mortalium ſe eſſet beatior? Sapienter reſpondit: Aglaum Pſophidium ei eſſe præferendum. Erat ille Arcadum pauperrimus, qui parvuli ruris ſui fructibus contentus innoxiam vitam agebat, jamque ſenior agelli ſui terminos nunquam exceſſerat.

Chriſtiani præſertim graviùs punientur in judicio: eorum enim peccata ſunt graviora, Joan. 15. 22. ait Chriſtus de Judæis: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum* (incredulitatis & odii, vel obſtinationis) *non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato*. M. Cato Cenſorius dictitabat: Oportere veniam aliis dari, ſi peccâſſent: ſibi non item. Nam ea, quæ deliquiſſent, vel inſcitiæ, vel impotentiæ affectuum videri imputanda, in quorum poteſtate adhuc eſſent: ſe verò ſi peccâſſet, malitiæ eſſe, non ignorantiæ, aut animi concitati. Chriſti fidem edoctis quid dicetur, niſi cum Propheta noſtro: *Conſumetur nequitia peccatorum*, id eſt, qui ſunt antonomaſticè peccatores, quia peccant ex malitia & poſt tot beneficia. Hebr. רְשָׁעִים *reſaim*, id eſt, impiorum, ut Noſter vertit, Pſ. 1. ℣. 1. ubi de vi illius vocis dixi. Hic S. Hier. reddit: *iniquorum*. Eſt enim injuſtitiæ, malum pro bono reddere: unde Deus petit, Mich. 6. *Popule meus quid feci tibi?* Et recenſens ſua dona amplificat ſcelera illius populi, & noſtra. Felix vertit: *impiorum*, eſt contra pietatem & religionem in Deum & parentem inſurgere. Arabs reddit, flagitioſorum, probroſorum; הטוין *hattoa*, enim ſignificat peccatorem, flagitioſum, iniquum, reum, probroſum.

Dicas Chriſtiano impœnitenti, quod Chriſtus dixit urbibus, ad quas venerat, Matth. 11. 21. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida!* (erant duæ primariæ civitates Galilææ) *quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes*, (miracula & prodigia) *quæ factæ ſunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent*, ut Ninivitæ prædicante iis Jonâ, Jon. 3. olim autem, id eſt, dudum, jamdiu. *Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remiſſius erit* (Arabs, remiſſio erit major) *in die judicii, quàm vobis*, id eſt, minùs punientur, quàm vos. Nota, Corozain, Chald. ſignificat, hic ſecretum. 2. Hebr. Bethſaida, domum venationis, ſeu piſcationis. 3. Capharnaum, emporium totius Judææ celeberrimum, cujus dejectionem prædicit Chriſtus, verſ. 23. ſignificat agrum jucunditatis. Chriſtianis Deus aperit: primò ſua ſecreta & myſteria: ſecundò, eos ponit in loco venationis, ut labore ſibi virtutes & præmia conquirant: tertiò, collocat eos in agro fertili, in quo cum delectatione flores & fructus colligas in ſacramentis & contemplatione. Hic eſt triplex ſtatus: nempe incipientium, proficientium & perfectorum. Sed ſi in quocunque ſtatu ſis, non perſeveres, & loquentem tibi Chriſtum non audias, peribis, & graviter punieris. Salvianus ſæpè amplificat Chriſtianorum peccata, & oſtendit ob illa barbaros, ſcilicet Gipedes, Vandalos, Alanos, Gothos, vaſtaviſſe provincias imperii Romani. Sic inter cætera ait lib. 4. *Omnis Chriſtianorum culpa divinitatis injuria eſt. Nam cùm illa, quæ facere à Deo vetamur, admittimus, vetantis juſſa calcamus.* Priùs dixerat, peccatores eſſe ſimiles iis, qui urbes obſident, atque firmiſſimas arces urbium capere & ſubruere conantur. Omni enim telorum machinarumque genere muros conquaſſant, turritaſque moles emovent: ita, inquit ipſe, plerique ad expugnandam miſericordiam Dei omni peccatorum immanium ſcelere, quaſi omni telorum genere pugnamus, & injurioſum nobis Deum exiſtimamus, cùm ipſi injurioſiſſimi Deo ſimus. S. Baſilius in Pſ. noſtr. ait, ipſos Judæos graviùs à Deo eſſe puniendos, quàm Scythas Nomadas, quòd hi legem ignorent: illi verò ejus notitiâ glorientur. S. Anaſtaſius Sinaita q. 94. petit: Quare ſæpè plures ſint manci, podagrici, leproſi, epileptici, aliique ægroti apud Chriſtianos, quàm apud infideles? Reſpondet primò, aliquos cenſere hoc fieri ex ſingulari erga ipſos propenſione, ut caducis non hæreant. Secundò, ipſe oriri id dicit ex temulentia & voracitate. Tertiò, opinor id accidere, quia peccata eorum magis diſplicent Deo, atque ut excitentur ad celerem emendationem.

Secundò, condemnatis impiis in judicio Chriſtus Sanctos ſententiâ ſuâ poſſeſſores regni cœlorum in æternum futuros declarabit, & ad illud eos ducet, verſ. eod. 10. ET DIRIGES JUSTUM. Primò, Davidem, quem Saul perſequitur. Secundò, in ſenſu anagogico, & præcipuè intento, omnem juſtum. Nota in Hebr. eſt תְּכוֹנֵן id eſt primò, ſtabilies, firmabis, roborabis. Unde quidam apud S. Chryſoſt. vertit ἱδρύσεις, id eſt, ſtabilies. S. Hier. confirmetur. Senſus eſt, q.d. *diriges juſtum*, id eſt, eum ita ædificabis, & tam firmum illi fundamentum ſubſtrues, ut ejus domus ſtabilis ſit atque æterna. Eſt enim metaphora ſumpta ab architectis, qui ut domum firmam & durabilem faciant, ejus parietes ad perpendiculum dirigunt: qui enim recti ſunt, non corruunt, qui verò ſunt incurvi, ſtatim mole ſuâ dejiciuntur. Sic Deus ad perpendiculum ædificat animam piorum, ut ſint recto corde, Zach. 1. 16. *Revertar ad Jeruſalem in miſericordiis*.

15. Chriſtus Sanctos in cœlum ducet. Verſ. 10. 2. Pars.

dus, (eſt Pater non unius miſericordiæ, ſed miſericordiarum) *& domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum, & perpendiculum extendetur ſuper Jeruſalem*, id eſt, animam pacificam cum Deo, proximo, ſeipſo. Perpendiculum eſt fabrorum inſtrumentum, quo plumbo à filo & gnomone pendente rectitudo ſive obliquitas operis perpenditur, id eſt, examinatur. Vernaculè vocamus, *le plomb d' un maſſon ou charpentier*. Vitruvius l. 7. ait, longitudines ad regulam & lineam, altitudines ad perpendiculum anguli ad normam reſpondentes exigantur. Rectitudo autem motum ad Dei regulam & legem exigitur, Pſ. 32. 4. *Rectum eſt verbum Domini*. Pſ. 18. 9. *Juſtitia Domini recta*. S. Hier. vertit: *Præcepta Domini recta*. Secundò, תכונן *thecunen*, ordinabis, rectificabis, rectum facies, diriges, veritatem oſtendes. Sic alia erit metaphora ſumpta à viatoribus, qui in via ignota, ardua, præcipiti, flexuoſa, prædonibus infeſta, tenebroſa, indigent aliquo duce, directore & protectore. Sic Prov. 16. 3. *Revela Domino opera tua, &* יכנו *iccunu*, id eſt, *dirigentur cogitationes tuæ*, ordinabuntur per viam rectam, alioquin ſæpè aberrant. Diriget autem Sanctos Chriſtus in die judicii, cùm eos ſecum in cælum ducet, Matth. 25. 34. *Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione Mundi*, id eſt, à Mundi creatione. Nam primo die creatum eſt cælum empyreum, ut eſſet ſedes Beatorum. Tertiò, תכונן *thecunen*, & diriges, ſumitur metonymicè, pro proſperè agere, feliciter rem exequi, felicitate donare: quia quæ rectâ lineâ decurruntur, non habent oppoſitum obſtaculum, & ſunt faciliora atque expeditiora: quæ verò flexuoſa ſunt ac tortuoſa, plus habent periculi, curæ & moleſtiæ, ac timoris. Deus itaque dirigit juſtum, id eſt, efficit, ut facilem viam inveniat, & ad metam perveniat, Sap. 10. 10 *Juſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei*. Hoc petit Rex noſter, Pſ. 26. 11. *Dirige me in ſemitam rectam* (rectior eſt, quàm lata via, & brevior) *propter inimicos meos*.

Libri, qui in judicio aperientur, Apocal. 20. 12. Dan. 7. 10. ſunt conſcientiæ ſingulorum, quæ ſemper divinis oculis patent, verſ. eod. 10. SCRUTANS
Verſ. 10. 3. Pars. CORDA ET RENES DEUS. Veſalius lib. 5. cap. 10. notat, magnam eſſe inter has duas partes conſenſionem. Subſtantiâ enim carneâ, denſâ, admodum ſolidâ & durâ conſtant renes, parumque à cordis ſubſtantia variante.

Quæres primò: Quid per cor & renes hîc intelligat David? Primò, Caſſiod. S. Chryſ. & Lorin. cenſent, cor & renes eſſe hoc loco ſynonima, & denotare animi arcana, ſeu ſecretas tum mentis, tum voluntatis actiones. Secundò, alii meliùs dividunt, ac S. Thomas & Remig. per cor intelligunt intentiones & cogitationes: per renes verò appetitus ſeu affectiones.

56. Cor eſt cogitationum ſymbolum & cur? Primò. Quæres ſecundò: Cur cogitationum ſymbolum eſt cor? Primò, quia cor omnium partium corporis primùm formatur in utero, deinde cerebrum, tardiſſimè oculi: ſed hi primùm emoriuntur, cor noviſſimè, ut ait Plinius lib. 11. ca. 37. idem de corde Solinus ait cap. 4. Sic cogitatio in animo eſt primum vivens & ultimum moriens. Nam omnem affectionem præcedit cogitatio, & affectione jam emortuâ adhuc cogitatio palpitat, & velut igniculus fumans conatus eam ſuccendere & vivificare, ut ipſa ſe conſervet. Eſt radix arboris, quæ prima vivit, ultima moritur, ac ſæpè exciſâ arbore repullulat, Dan. 4. 11. & 12. *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus: excutite folia ejus, & diſpergite fructum ejus: fugiant beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt, & volucres* (Angeli) *de ramis ejus. Verumtamen germen radicum ejus in terra ſinite*: gratias excitantes & prævenientes, quæ ſunt cogitationes ſanctæ animam ad dolorem de peccatis, & opera virtutis moventes. S. Baſil. in Pſ. noſtr. *ῥίζα*, inquit, *τῶν διὰ σώματος ἐνεργειῶν*, *radix omnium corporis actionum eſt cordis conſilium*.

Secundò. Secundò, cor eſt ſymbolum cogitationum, quia cor ſemper palpitat, & quaſi alterum movetur animal. Ita intellectus ſemper eſt cum aliqua cogitatione. Sine corde etiam nullum animal eſt ſanguine præditum, ut docet Ariſtot. de partib. animal. lib. 3. cap. 4. & de ſomn. ac vigil. cap. 3. & de generatione animal. lib. 4. cap. 4. Aſclepiades tamen ait quaſdam capras reperiri ſine corde, ut refert Tertullianus lib. de anima cap. 15. Sed nemo homo vivit ſine cogitatione. Semper aliquid mente agitat homo, ſive bonum, ſive malum, Proverb. 19. 21. *Multa cogitationes in corde viri*.

Tertiò. Tertiò, cor eſt ſymbolum cogitationum, quia cor eſt principium vitæ & omnis motûs & ſensûs, ita Ariſtot. de part. animal. lib. 3. ca. 3. De generatione animal. li. 2. c. 1. S. Thom. de ſomno & vigil. cap. 11. Mich. Epheſ. 3. de part. anim. c. 3. Albertus Magnus de ſomno & vigil. lib. 1. tr. 1. c. 7. Galenus cenſet cor non eſſe principium motûs, ſed caput: hunc refutat Averroës phyſ. 7. text. 4. dicitque vidiſſe ſe arietem, poſtquam fuit abſciſſum ei caput, ambulare hunc & illuc multoties. Cor quoque venarum eſt principium, & vim ſanguinis creandi primam obtinere, ait Ariſt. de part. anim. 2. c. 1. & Albert. Mag. de ſomno. & vig. l. 1. tr. 2. c. 6. Cor quoque eſt principium arteriarum, ſecundùm eſſe & ſubſtantiam, à qua ramificantur, Albert. l. 3. de anim. tr. 1. c. 6. Sic cogitatio eſt principium vitæ ſpiritualis, & omnis motûs ac ſensûs animæ. Sine luce intellectus nihil in microcoſmo creſcit, movetur, ac vivit. Cognitio eſt Sol calore ſuo omnia vivificans, Eccli. 43. 3. *Sol in meridiano*, in tempore gratiæ & fervoris, *exurit terram, & in conſpectu ardoris ejus quis poterit ſuſtinere? Fornacem cuſtodiens* (nunc Græcè eſt *φυσῶν*, id eſt, inſufflans) *in operibus ardoris*, *tripliciter* in affectione, locutione & operatione) *Sol exurens montes*, id eſt, viros in perfectione ſublimes, ſtabiles & maximè illuminatos. Sol ab Hebræis aliquando vocatur חמה *hamma*, ob calorem, quem rebus omnibus communicat, quo eas vivificat. Vocatur verſu ſecundo *vas admirabile*. Ubi Cornel. à Lapide dicit, vocari poſſe *cor univerſi*. Sol enim eſt velut cor cæli & mundi ſuam vim diſtribuens ſingulis, motum, ſenſum & vitam: & cor eſt tanquam Sol corporis, in quo anima thronum ſibi poſuit: *Ibi mens habitat*, ait Opinionem philoſophorum de loco animæ in corpore. Plin. l. 11. c. 37. Stoici cenſebant totam animam in toto corde habitare, vel in ſpiritu cordis. Hippocrates in ſiniſtro cordis ſinu collocat: vel, ut ait Soranus, in capite. Herophilus totam animam in cerebri ventriculo. Democritus in toto capite. Eraſiſtratus in pericranio, ſive cerebri membrana. Strato in intermedio ſuperciliorum. Parmenides & Epicurus in pectore. Empedocles in ſanguine. Diogenes in arteriis: alii in pericardio, alii in ſepto transverſo. Pythagoras partem animæ vitalem cordi, rationalem capiti aſſignabat. Plato autem rationalem capiti, jecori concupiſcibilem, iraſcibilem cordi. Tota eſt anima in toto corpore, & tota in qualibet parte. Monet tamen Salomon, cor fontem vitæ eſſe præcipuè cuſtodiendum, Prov. 4. 23. *Omni cuſtodiâ* (Chald. omni monitione. Syr. cautione. Vatabl. curâ) *ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit*. Vita naturalis ſcilicet ex corde naturali, vita moralis ex corde morali. Hebr. ex ipſo procedunt exitus vitæ, id eſt, vitæ emanatio, nempe ſpiritus vitales, ex ipſo, à quo formantur, in ſiniſtro ſinu præſertim per totum corpus diſtribui. Tertull. lib. de reſurr. carnis, cap. 15. vocat cor arcem animæ: In carne, inquit, & cum carne, & per carnem agitur ab anima, quod agitur in corde.

Hanc

Digitized by Google

Hanc denique carnis ſpeciem, *arcem animæ* etiam Dominus in ſuggillatione cogitantium tradit. Quid cogitatis in cordibus veſtris nequam? Ita ipſe, & Clemens Alex. lib. 5. Strom. Anima, inquit, per allegoriam dicitur cor, ζωὴν χορηγοῦσα, quæ vitam ſuppeditavit. Ingenioſè & piè S. Bern. ſerm. 46. ex parvis: Duobus, ait, modis vita à corde procedit. Aut quia corde creditur ad juſtitiam, & juſtus ex fide vivit, & fide mundatur cor, & mundo corde Deus videtur, id eſt, agnoſcitur: & hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te unum Deum, & quem miſiſti JEſum Chriſtum: aut quia Chriſtus vita noſtra, qui nunc per fidem habitat in cordibus noſtris, erit, cùm apparebit, & nos cum ipſo apparebimus in gloria; & qui nunc latet in corde, tunc quaſi de corde ad corpus procedet, quando reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Unde & alius Apoſtolus ait: Nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus, 1 Joan. 3. Ita Bern.

Quartò. Quartò, ut ait Plin. lib. 11. 37. Ex hoc ſunt (cordis) duæ grandes venæ in priora & terga diſcurrunt, ſparſæque ramorum ſerie per alias minores omnibus membris vitalem ſanguinem rigant. Sic à cogitatione duo rami exiſtunt: nempe volitio & actio, in quas omnis vita ſpiritualis dividitur. A Nilo omnis Ægypti ubertas emanabat, ob ejus inundationem, quâ per agros omnes aquas ſuas effundebat: hinc illum Ægyptii per cor humanum ſanguinem per totum corpus diſpertiens figurabant.

Quintò. Quintò, cor eſt ſymbolum cogitationum, quia cor læſum mortem illicò affert. Cæteris corruptis vitalitas in corde durat, ait Plin. mox citatus. Corde infrigidato moritur animal, ut docet Ariſtot. de juvent. ſeneƈt. vita, mort. & reſpir. c. 2. Eſt enim principium digeſtionis & nutrimenti, quæ fiunt per calorem, ut ait Albert. Magn. de anim. lib. 3. tract. 1. c. 5. Sic cogitatione depravatâ mors ſequitur, & ſeparatio à Deo, qui eſt animæ vita, Sap. 1. 3. *Perverſæ cogitationes ſeparant à Deo*, & Chriſtus id docet Matth. 15. 18. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes.* Quomodo mors eas cogitationes ſequatur, ſtatim adjungitur, *homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Hæc ſunt, quæ coinquinant hominem.* Ex mala & corrupta radice mali fructus & ſucci peſtiferi prodeunt. Cogitationes autem, ut ait S. Antiochus hom. 81. ſunt radices peccatorum. 2. Sunt fontes ſalſuginoſi & venenati. Joannes Carpathiorum Epiſcop. ad monachos ex India, documento 34. *Fons ac fundamentum corruptionis per carnem eſt cogitatio implicita affectui.* 3. Sunt illæ cogitationes ſerpens, qui mordet in ſilentio, & virus infimat. S. Theodorus Studita catech. in ſacrum Paſcha, cap. 1. *Neſcitis*, inquit, *pravas cogitationes, ſerpentum inſtar, mordere, immiſſo in animam veneno, quod omni ſtudio eximendum eſt, ſimul atque contritum eſt, ne ulcus difficile mora reddat.* Cor in homine declinat ad ſiniſtram partem, in omnibus aliis animalibus poſitum eſt in medio pectore, ut notat Albertus Magnus de anim. lib. 1. tract. 3. cap. 4. qui hoc in homine fieri ait, ut det hepati locum, & ut frigiditas ex ſplene ſiniſtræ partis temperetur, & ne comprimat venam concavam, quæ inter ipſum & hepatis gibbum eſt. De corde ſpirituali dicitur à Deo, Geneſ. 8. 21. *Senſus & cogitatio* Hebr. יצר *jeſer*, figmentum, id eſt, figulina & officina) *humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.*

Sextò denique cordi tria accidunt, ſaltus, pulſus & reſpiratio, ut monet Ariſt. de juvent. ſeneƈt. mor. vit. & reſpir. cap. 15. Cor ſi mundum ſpiritum, clarum, ſubtilem, calidum & humidum temperatum habet, aptiſſimum eſt gaudio & delectationi, & non triſtatur, nec anguſtiatur, niſi ex magna cauſa, & hæc eſt optima diſpoſitio, quæ quaſi vitam florentem facit. Cor ſi eſt pauci ſpiritus & tenuis, & non clari, ut ſpiritus convaleſcentium & macilentorum ſiccorum hoc non gaudet de facili; quia vix ſpiritus ſufficit principio vitæ, & ſic retinetur in corde, nec diffunditur in delicias corporis. Cor, ſi habet ſpiritum groſſum, calidum, obſcurum, aptiſſimum eſt ad fortiſſimam iram, & diu in ea permanebit, nec de facili ſedabitur, nec de facili delectabitur. Cor, ſi habet ſpiritum paucum & non clarum, ſed ſubtilem, calidum, aptum eſt ad iram brevem & ferventem, ſed non diu tenet eam, & propter ſpiritûs paucitatem, & propter ſubtilitatem ejuſdem, nec de facili gaudet. Cor, ſi habet ſpiritum paucum, groſſum, obſcurum & frigidum, hoc erit de conditione ſenii & melancholiæ: & in tantum poteſt excedere, ut nunquam gaudeat, ſed ſemper triſtetur, atque ex quavis cauſa pavidum ſit. Ita Albertus magnus de mot. anim. li. 1. tract. 1. c. 3. Sic ex varietate cogitationum ſequitur varietas affectionum & operationum, vel ſeſe in cœlum extollentium per diaſtolen, id eſt, dilatationem thoracis, quæ fit, cùm ſpiritum attrahimus, & hanc habebat Propheta Pſal. 118. 131. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum*, vel in terram depreſſarum per ſyſtolen, id eſt per cordis thoraciſque contractionem, quæ fit inter expirandum. Deus Gen. 2. 7. inſpiravit in faciem Adami *ſpiraculum vitæ*, id eſt, animam rationalem, viventem, ex qua oritur reſpiratio. Tropol. ſpiraculum vitæ eſt gratia. Tu eam ne expira, ſed ſemper retentam auge, dicit Deus Pſ. 80. 11. *Dilata* (S. Aug. & Aenob. S. Hier. aperi: ſed aperi totum, & non partem) *os tuum & implebo illud*, me ipſo, qui ſum immenſus & infinitus, & meâ gratiâ. Si Spiritum ſanctum in corde tuo habeas, hic erit optimus Spiritus vitalis atque Fons veræ lætitiæ, Gal. 5. 22. *Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas*, de his duodecim fructibus vide S. Thom. 1. 2. q. 70. art. 3. Cave, ne à te recedat Spiritus hic, ſicut à Saul Rege, 1 Reg. 16. 14. tunc enim inruet in te ſpiritus nequam, qui te ut ipſum exagitabit, & faciet prophetare, id eſt, inſanire.

57. Renes ſunt ſymbolum affectionum.

Quæres tertiò: Quare ſymbolum affectionum dicantur renes? Reſp. quia in renibus ſedes eſt voluptatis: unde in Pſal. noſtro Euthymius per cor ſumit iræ & indignationis germen: per renes, radicem concupiſcentiæ. In eis eſt origo ſeminis. Unde Varro renes dictos vult, quòd ab eis rivi ſeminalis humoris oriantur. Semen autem eſt ſpuma probatiſſimi ſanguinis, qui ab hepate ad renes immittitur: inde flexuoſo tramite per meatus ad genitalia deducitur. Hebr. vocantur כליות *chelaioth*, q. d. deſiderantes aut perficientes, Rad. כלה *cala*, id eſt, deſiderare. 2. Perficere, conſummare. Veneri erant renes ſacri, ſicut ſplen Saturno, hepar Jovi, Marti ſanguis, Mercurio cerebrum, & cor Soli, ſtomachus Lunæ. Si amas ſpiritualia & affectiones habes ſpirituales, benedictum erit ſemen tuum, & prolem Deo dabis virtutes omnes. Angelus ait Agar ancillæ Abrahæ, id eſt, animæ pœnitenti & adhuc imperfectæ atque in ſolitudine erranti, Gen. 16. 9. *Revertere ad dominam tuam*, (Sarai, id eſt, ad rationem) *& humiliare ſub manu illius*, (quâ te ducet & corrigit) *multiplicans multiplicabo* (id eſt, certò & valde multiplicabo) *ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine.* Agar ſignificat primò advenam ſive peregrinam à גור *gur*, peregrinari: ſecundò, ruminantem, à גרר *garar*, ruminare: tertiò, ſuccidentem, id enim etiam *garar* ſignificat: quartò, timentem, à יגר *jaghar*.

Veneri renes erant ſacri, cor verò Soli.

jagbar, ſive jagor, timere. Initio vitæ ſpiritualis: 1. Time. 2. Succide per mortificationem ſuccreſcentes affectus. 3. Rumina per meditationem noviſſima tua. 4. Peregrinum te cogita, & ad Abrahæ domum reduceris. Perfectioribus datur ſemen perfectius, & filii ſicut ſtellæ cæli, ut Abrahamo ex Sara promittitur, Gen. 15. 5. & 22. 17. Abraham ſignificat patrem excelſum multitudinis. Non ſis tantùm pater multorum actuum, ſed ſis pater excelſus eorum, id eſt, cœleſtes illos fac & divinos.

58. Deus videt intimas cogitationes cordis. Moraliter nota, Deum eſſe timendum, & cogitationes atque affectiones noſtras eſſe ad eum dirigendas, cùm eas videat & ſcrutetur, ut judicet & præmio aut ſupplicio afficiat.

Primò, quòd Deus cogitata & affectus mentis humanæ intuitivè cognoſcat, nemo ambigit. Ejus perſpicaciam non impediunt objecta montium, abſtruſa tectorum, & ſemota terrarum, Jerem. 23. verſ. 23. *Putaſne Deus è vicino ego ſum*. (qui non video, niſi quæ ſunt in cœlo) *dicit Dominus, & non Deus de longè?* (Qui per meam omniſcientiam ea, quæ in terra fiunt, cognoſcam) *Si occultabitur vir in abſconditis & ego non videbo eum? Dicit Dominus. Numquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Pater ſcilicet, Filius & Spiritus, qui tres ſunt unus Dominus: unde ter repetitur hæc vox: *Dominus*. Illa cognitio cordis eſt propria Dei, 1 Reg. 16. 7. Deus monet Samuelem, ne ungat Eliab filium Iſai & fratrem Davidis, in Regem, & hanc rationem dat: Ne reſpicias vultum ejus, neque altitudinem ſtaturæ ejus: quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico: *Homo enim videt ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor*. Sept. vertunt, homo videbit in faciem, Deus autem in cor. Hebr. Homo videt ſecundùm oculos; Deus autem ſecundùm cor, q. d. Hoc illi eſt proprium, Rex eſt, qui ſolus intrat in penetrale: *Scrutans corda & renes* Deus. Scrutari ait S. Chryſoſtomus eſſe, ἀκριβῶς ἐπίστασθαι, perfectè cognoſcere. Clemens Alex. lib. 5. Strom. vocat Deum καρδιογνώστην, id eſt, cordium Inſpectorem, & refert dictum Taletis philoſophi, qui rogatus: An Deum lateat homo aliquid agens, ait: πῶς, ὅς γε μηδὲ διανοούμενος: Quomodo, qui nec cogitans quidem? Et S. Eucherius in epiſt. paræn. ad Valerianum: *In ſecretis tuis*, ait, *quod velis hominem neſcire, ne feceris: quòd Deum non cogitaveris*. Vide Pſ. 32. 15.

59. Deus eſt Lux perfecta. Deus eſt Lux, & tenebræ in eo non ſunt ullæ, 1 Cor. 4. 5. *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum*, (ea, quæ fiunt & occultantur in tenebris) *manifeſtabit conſilia cordium*, quod de Deo Patre intelligit Tertull. lib. 5. in Marcion. cap. 7. Sed de Chriſto meliùs explicat Juſtinianus, hic enim erit Judex. Deus dicitur à Græcis θεὸς: q. d. videns, à θεάομαι, video, contemplor. Illi nox ſicut dies illuminatur. Marcus Antonius Sabellicus, dum Græcè diſceret, de ſe affirmabat, quoties noctu excitaretur, aliquandiu & libros & inſtrumentum cubiculi univerſum diſcernere ſolitum. Unde colligit eſſe aliquid lucis in cælis. Dio. lib. 57. teſtatur

Tiberius Imp. in tenebris videbat. de Tiberio Imp. quod πλεῖστον τῷ σκότους βλέπειν, ἐλάχιστα τῆς ἡμέρας ὁρᾶν, in tenebris plurimum, minimum interdiu videbat: id autem accidebat, δι' ἀμβλυωπίαν, ob viſûs imbecillitatem, ſicut in veſpertilionibus & bubonibus accidit. Deus verò Sol eſt, qui tenebras omnes removet. Solem vocat Piſidas, τὸ κοινὸν ὄμμα, τὴν πανεπόπτην κόρην, id eſt, communem oculum, pupillam omnia videntem. Æſchylus, πανόπτην, hoc eſt, circumſpectantem ſingula. Artemidorus, ἐπόπτην καὶ φύλακα πάντων, Inſpectorem & Cuſtodem omnium. Ægyptii verò myſtæ per oculum inſidentem ſceptro, Deum providentem & Regem omnium figurabant.

Hic Dei aſpectus nos admonet providendum nobis eſſe, ut ſimus mundo corde, non ſolùm, quia Deum videmus, ſed quia ſemper à Deo videmur. Munditiex cordis quærenda. Socrates apud Clementem Alex. lib. 5. Strom. ait: *O Pan & Dii alii*, δοίητέ μοι τἄνδοθεν εἶναι καλῷ, *date mihi, ut intùs ſim pulcher & honeſtus*. S. Chryſ. hom. 12. in 1. ad Corinth. increpat libidinoſos, quòd ea faciant Deo ſpectante, quæ in oculis hominum facere non auderent, etiam in æſtu ardentiſſimo cupiditatis: & S. Ambr. Eugenium tyrannum, qui Italiæ partem invaſerat, monet, ut Deum omnium Inſpectorem timeat, in epiſtola ad ipſum data: *Etſi, Imperator, poteſtas magna ſit, tamen conſidera, quantus ſit Deus, qui corda omnium videt, conſcientiam interiorem interrogat, novit omnia, antequam fiant, novit intima pectoris tui. Ipſi falli vos patimini, & Deum vultis celare quicquam?*

Secundò, Deus ſcrutatur corda & renes, non ut eo aſpectu contentus ſit, ſed ut ad judicium procedat. 60. Scrutatur Deus corda, ut judicet. Contuitus enim ejus non eſt iners ac ſegnis: ſed acer, ſed vividus, ſed minax, ſed qui juſtitiæ ipſius conſpecta ſiſtat crimina, ut expendantur & puniantur. Vox Hebr. בחן *bahan*, ſignificat propriè, probare, periculum facere, experiri, tentare, examinare. Græca autem ἐτάζων id ſignantiùs exprimit. S. Baſil. hîc ἐτασμὸς, ait, id eſt, *ſcrutatio*, propriè eſt omnibus torturis & argumentis inquiſitio, quæ à judicibus adhibetur torturæ admotis, ut ſi conſcii rerum ſunt arcanarum, quæ in quæſtionem poſitæ ſunt vi tormentorum adacti, eas priùs deliteſcentes in apertum conſtituant. Hinc ſcrutationi operum S. Joannes ſtatim compenſationem eorum annexuit, Apocal. 2. 23. *Et ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans corda & renes: & dabo unicuique veſtrûm ſecundùm opera ſua*. Et Jerem. 17. 9. Deus ipſe ait: *Pravum eſt cor omnium*. Hebr. עקב *akob*, id eſt, ſeductorium, deceptivum, doloſum, fraudulentum, aſtutum, ſupplantans. 2. Pravum, diſtortum, obtortum, obliquum, tortuoſum, multos anfractus & ſinus habens, varios receſſus & labyrinthos, innumeras cogitationes & affectiones flexuoſas & imperſcrutabiles. Chald. & R. David in commentariis vertunt: Fraudulentum eſt cor præ omnibus; & quidem in Hebr. eſt מכל *miccol*, id eſt, præ omnibus. Pagn. & Arias vertunt: Supplantativum eſt cor præ omnibus, *& inſcrutabile*, (Hebr. אנוש *anus*, id eſt: 1. Ægrum, calamitoſum, graviter affectum, ut ait Mercerus. 2. Anxium, ut Arias. 3. Perverſum, ut Pagn. 4. Præfractum, obſtinatum, ut Vatablus. 5. Deſperabile, ut S. Hier. in commentario: deſperatum, ut Mercerus in theſauro linguæ ſanctæ) *quis cognoſcet illud?* Cùm ob perverſitatem ita ſeſe obvolvat, ut ſit inſcrutabile. Reſpondet verſ. 17. 10. *Ego Dominus ſcrutans cor & probans renes*, (Arabs, ſciens, quod eſt in renibus: & ſtatim addit ſa mercedem daturum operum) *qui do unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum*. Hoc crebrò inculcatur in Scriptura, 1 Reg. 16. 7. 1 Paral. 28. 9. Jerem. 11. 20. & 20. 12. Act. 1. 24. 1 Cor. 4. 5. 1 Joan. 3. Eâ meditatione ad mentem lapſos in idololatriam S. Cyprianus exterret, cùm eorum oculis objicit non actiones tantùm & verba, ſed corda & pectora ſingulorum in judicis librum ventura. Annales hi in cordis membrana ſcripti, in die judicii ab omnibus legentur, judice eos omnibus explicante. Sedulius Hibern. in epiſt. ad Roman. c. 2. Cogitationes noſtræ, ait, erunt in die judicii ante oculos noſtros *tanquam quædam hiſtoria cognoſcenda*: ſicut ſcriptum eſt Pſal. 49. Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam. In corde noſtro tam bonarum, quàm malarum cogitationum *notæ quædam & ſigna* relinquentur, quæ in occulto nunc pectoris poſita, in illa die revelari dicuntur. Ita ipſe.

61. *Chriſtus in judicio eſt Sol juſtitiæ.*

Chriſtus judicans in extremo illo & decretorio examine hominum omnium, vocatur à Malachia Propheta Sol juſtitiæ. Cùm enim dixiſſet, diem illam ſuccenſam fore quaſi caminum, omnes ſuperbos & omnes facientes iniquitatem futuros inſtar ſtipulæ comburendæ, ſubdit cap. 4. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ*, id eſt, ait Chriſtus, qui in primo ſuo adventu fuit Sol luce ſuâ omnem hominem venientem in hunc Mundum illuminans: & Sol juſtitiæ eos, qui voluerint, juſtificans: in ſecundo autem adventu erit Sol juſtitiæ; quia, ſicut Sol obſcura illuminat, & videnda atque conſpicua oculis omnium exhibet: ita Chriſtus piorum virtutem & juſtitiam, quæ in hac vita ab impiis obſcurabatur & deprimebatur, in die judicii illuſtrabit, & clarificabit, & toti Orbi conſpicuam & glorioſam exhibebit. Ita S. Hier. & Cornelius, qui ſex alias rationes affert, & locum illum fusè & eruditè tractat, tibi illum relinquo. Veteres juſtitiam Soli commendabant, eique ſacrabant, ut cæleſti lumine facem judicibus præferret. Orpheus vocat Solem, ὄμμα δικαιοσύνης, *oculum juſtitiæ*: tenebras enim fugat, efficitque, ut occulta & obſcura pateant. Theologi veteres prodidêre, ut ait Proclus, è medio Solis throno per cuncta juſtitiam propagari: omniaque veluti Sol ipſe eſt omnium moderator, dirigere Bithyni judicia ſua ex adverſo Solis exercebant, teſte Arriano, eum veluti teſtem æquitatis ſuæ appellantes, Sol enim, πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει, id eſt, omnia videt, atque omnia audit, ut ait Poëta. Deus ipſe indignans contra eos, qui cum filiabus Moab & Madian peccantes, coluerant Beelphegor, id eſt Priapum, ſicut placet S. Hier. vel Chamos, hoc eſt, Bacchum, ut vult à Caſtro, & Adrichomius, juſſit Moſi Num. 25. 4. *Tolle cunctos principes, & ſuſpende eos* (principes ſcilicet, qui etiam peccaverant, ſicut putat Vatablus) *contra Solem*: id eſt, ex adverſo Solis, ita ut facies eorum Solem aſpiciat. Quo mandato vult S. Cyrill. Alex. lib. 14. de adoratione denotari, quòd nemo poſſit effugere manum vel oculum ſupremi Judicis, qui inſtar Solis lucidiſſimi omnia etiam occulta, in cubilibus & lectis facta, introſpiciat, & in apertum educat. Plato lib. 9. de legib. juſtitiam nuncupat *ſpeculatricem & vindicem*. Diphilus in comœdia dicit, δίκης ὀφθαλμόν, oculum juſtitiæ cuncta intueri. Juſtitiæ tenacem Ægyptii repræſentabant per oculum patentem, & Chryſippus juſtitiæ dat oculos acres, rectos atque immotos. Dei Judicis oculos nihil latet, Hebr. 4. 13. *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus*, (etiam Archangeli, Cherubim & Seraphim, ut ait S. Chryſoſt. & Ambr.) *omnia autem nuda & aperta* (τετραχηλισμένα, id eſt, aperta, diſſecta, perinde ut ſciſſa per medium victima & excoriata, ejus intima viſcera cernuntur. τραχηλίζειν propriè eſt, à collo initium ducendo ſecare & dividere, & S. Chryſoſt. metaphoram ait ſumi à victimis, quibus pellis detrahebatur) *ſunt oculis ejus*, id eſt, ſapientiæ & potentiæ. Vel, oculo dextro bonitatis pro juſtis, & ſiniſtro ſeveritatis pro impiis.

62. *Virga vigilans.*

Oculum illum juſtitiæ vigilem oſtendit Deus Jeremiæ Prophetæ in virga, cui oculus inſideret, c. 1. 11. *Factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Quid tu vides Jeremia? Et dixi: Virgam vigilantem ego video*, id eſt minantem, librantem ſe & agitantem, ut ictum inferat, ſicut explicat Rupertus. 2. Ad rem noſtram Viegas in Apocal. 15. commentario 1. ſect. 1. *vigilantem* propriè exponit *oculatam*: vel oculos apertos & vigiles habentem. Hujus providentiæ Divinæ oculatæ & cernentis omnia illuſtre ſymbolum ſunt Cherubini, conſpecti à S. Joanne propè thronum Dei, Apocal. 4. 6. *In medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia* (id eſt, quatuor Cherubini in figura animalium; nempè aquilæ, leonis, bovis & hominis) *plena oculis antè & retrò*. Videt Deus futura & præterita velut præſentia. Ezechiel vidit illos oculos in ipſo DEI curru, cap. 1. 18. *Totum corpus* (totatum) *oculis plenum in circuitu ipſarum quatuor*. Chriſto ipſi multitudo illa oculorum aſſignatur, Apoc. 5. 6. Et vidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio Seniorum, *Agnum ſtantem, tanquam occiſum*, (in die judicii plagas manuum, pedum & lateris oſtendet ipſis reprobis: viſus eſt ſtans ad opitulandum, dicit Ansbertus. 2. Ut velut advocatus pro nobis interpellet, ait S. Aug. in quæſt. Novi Teſtam. q. 88. Denique 3. aptè huic loco, ſtabat ad judicandum, ut vult Pannonius) *habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem*, & eos ſub cornibus in modum coronæ caput ejus cingentibus. Nam videt ſceleratos, ut eos feriat & proſternat.

63. *Chriſtus oculos habet in occipitio.*

Vel in ipſo occipitio oculos habet Chriſtus Judex. S. Petrus Damiani Cardinalis refert opuſculo 42. JEſum in veſtitu mendiculi apparuiſſe cuidam fratri prolixo crine deformem: cùmque hunc ille forcipibus attonderet, duos in occipitio ſub crinibus oculos latitantes advertiſſe. Ad aſpectum miſer ille exalbuit, cui mox pauper: *Ego JEſus vocor, qui undique cuncta contemplor: & iſti ſunt oculi, quibus etiam ſacrem vidi, quam nuper in cavea concluſiſti*; moxque mirantis à conſpectu ſe ſubduxit: tantumque gratiæ ejus animo affudit, ut benignitatem Dei erga ſe ſuſcipiens, virtuti ſectandæ ſe dederit. Non diſpar eſt, quod Thomas Cantipratenſis in Actis S. Lutgardis lib. 2. commemorat: *Et in vertice.* Admiſerat, inquit, neſcio quis, ſcelus abditiſſimo in loco, atque id aperire ſacerdoti verebatur. Non multum temporis intercurrerat, cùm peregrini ſpecie apparenti Chriſto, vel Angelo, caputque ut lavaret roganti, in vertice oculum lucidiſſimum ineſſe advertit. Cujus ad intuitum exclamavit: *O hominem contra naturam in vertice oculatum!* Tùm verò peregrinus: *Hic oculus te in abſcondito peccantem vidit, quem nulla poſſunt ſecreta latere*. Vix verba compleverat, cùm in auras abiens diſparuit.

Angelus in occipitio oculatus. Thomas Meſſinghamus in vita S. Patricii cap. 23. refert, ſancto viro Angelum unum in occipitio oculatum aſtitiſſe. Cùmque ille quid rei eſſet, animo volveret, ſubjeciſſe Angelum: *Miniſter Dei ſum ego, oculiſque in fronte fixis, quæ in conſpectu ſunt, video: atque oculis in occipite poſitis intueor monachum in dolio carnes occultantem, ut ſatisfaciat ventri ſuo.* Juniori adhuc Patricio id obrepſerat. Expalluit verò, illoque monitoris amici aculeo punctus, majori carnem ſuam abſtinentiâ coërcuit.

64. *Solus Deus novit cogitationes & affectiones hominis.*

Quæres quartò: An ſolus Deus cognoſcat cogitationes & affectiones internas hominis? Reſp. affirmativè cùm S. Thoma 1. p. q. 57. art. 4. Cogitationes, inquit, prout ſunt in intellectu, & affectiones, prout ſunt in voluntate, ſolus Deus cognoſcere poteſt. Cujus ratio eſt: quia voluntas rationalis creaturæ ſoli Deo ſubjacet, & ipſe ſolus in eam operari poteſt, qui eſt principale ejus objectum & ultimus finis: Et ideò ea, quæ ex voluntate ſola dependent, vel quæ in voluntate ſola ſunt, ſoli Deo ſunt nota. Manifeſtum eſt autem, quòd ex ſola voluntate dependet, quòd aliquis actu aliqua conſideret: quia cùm aliquis habet habitum ſcientiæ, vel ſpecies intelligibiles in eo exiſtentes, utitur eis, cùm vult. Et ideò dicit Apoſtolus, 1 Cor. 2. 11. *Quis hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?* Clarè Salomon in dedicatione Templi ſtans ante Altare Domini in conſpectu Eccleſiæ Iſraël; & expandens manus ſuas in cœlum, ait Deo, 3 Reg. 8. 39. *Tu ſolus noſti cor omnium filiorum hominum.* Duplex eſt ibi DEI excellentia: Primò noſcit omnia corda. 2. Noſcit ſolus. Itaque Deus ipſe eſt teſtis contra peccatores

unde

unde Job ait cap. 16. 20. *Ecce in cælo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis.* Ipſe Deus ait Malach. 3. 5. *Accedam ad vos in judicio,* (Tigurina vertit, appropinquabo vobis ad judicium. Chald. Revelabor ſuper vos, ut faciam judicium) *& ero Teſtis velox* (Tigurina, feſtinus, Vatablus, promptus) *maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur* (Chald. & Sept. qui auferunt violenter. Hebr. עשק *aſach* ſignificat, auferre per vim, calumniam & dolum) *mercedem mercenarii, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me.* Quis non timeat eum, quem ſcit eſſe judicem ſimul ac teſtem? Jerem. 29. 23. *Ego ſum Judex & teſtis, dicit Dominus.*

S. Cyrill. Alex. lib. 2. in Joannem ca. 19. ex loco pſalmi noſtri concludit: Deo ſoli patere hominum cogitationes. Nulli alii, inquit, ſed divinæ tantummodò naturæ Propheta attribuit illud: Scrutans corda & renes Deus, & S. Chryſoſtom. hom. 30. in Matth. *Solius eſt Dei,* ait, *mentem atque animos hominum cognoſcere.*

Nota tamen. Angelis eſſe infuſas à Deo cogitationum & affectionum humanarum ſpecies, ſed illarum manifeſtatio per liberam hominis voluntatem eſt conditio requiſita ad hoc, ut illæ ſpecies repræſentent actu illas cogitationes & affectiones internas, ut ſunt in ſe ipſis, alioquin licèt de ſe ſint repræſentativæ earum, ſi tamen deſit illa conditio, de facto non repræſentabunt. Sicut Angeli habent ſpecies rerum futurarum contingentium, eas tamen non cognoſcunt naturaliter, antequam exiſtant. Unde Origenes lib. 6. contra Celſum dicit: *Divini ſermonis characterem eſſe prædictionem futurorum.*

65. Deus eſt juſti clypeus. Verſ. 11. Magnum ad virtutem incitamentum eſt illa cordis humani ſcrutatio. Eniti enim debemus, ut nihil in noſtro Deus reperiat, quod oculos ejus offendat. Sic nos adjuvabit, verſ. 11. JUSTUM ADJUTORIUM MEUM A DOMINO, QUI SALVOS FACIT RECTOS CORDE. Itaque primò juvat pugnantes: ſecundò, ſalvat victores. Hoſtes perpetuò nos impetunt, Deus ſervis ſuis pro ſcuto eſt, impenetrabili impugnā. Hebr. מגני *maginni*, id eſt, *clypeus meus ſuper Deum ſervantem,* ut vertit Arias: Vel, ut ſuaviùs reddit Pagn. *Clypeus meus eſt Deus, qui ſervat:* ab eo pendent mille clypei, & turris fortiſſima eſt nomen Domini, vel ipſe aſpectus ejus tueri poteſt. Arab. *A conſpectu Dei auxilium meum verè,* ipſius conſpectum non ferunt tenebriones iniqui. Orat David Pſalm. 34. 2. *Apprehende arma & ſcutum,* (S. Hier. *Scutum & haſtam:* juvat protegendo, & ad aggrediendum armat) *& exurge in adjutorium mihi.* Vide dicta Pſalm. 5. 13. *Domine ut ſcuto bonæ voluntatis* (S. Hier. placabilitatis) *tuæ coronâſti nos.* Coronat Deus in miſericordia & miſerationibus, Pſ. 102. 4. Sed eo miſericordiæ oleo non ungit ſegnes, ſed athletas pugnaturos, Iſ. 22. 18. *Coronans coronabit te tribulatione.* Et in Pſal. noſtr. ait S. Chryſoſt. *afflictio,* μάλιστα πρὸς φιλοσοφίαν ἀλείφει, *maximè nos ad ſtudium ſapientiæ inungit, & fortiores reddit.*

Nota primò, in textu Hebraico poſt *ſaddich*, id eſt, juſtus, ponitur accentus ſoph paſuch, qui terminare ſolet periodum, aut ſaltem membrum. Itaque S. Hier. ſic jungit: *Probator cordis & renum Deus & juſtus.* Poſteà ſubdit: *Clypeus meus in Deo, qui ſalvat rectos corde.* Eandem diſtinctionem ſervant Pag. Felix, Arias, Chald. Syr. Pſalt. Ambr. Et quidam apud S. Chryſoſt. habet, Examinator cordium & renum Deus juſtus, & Protector meus. Sept. verò, Arabs, S. Aug. & alii noſtri interpretes

66. Auxilium Dei miſericors & juſtum. habent interpunctionem. Senſus non eſt diverſus.

Nota ſecundò cum S. Auguſt. ei, qui eſt in peccato, præſtari auxilium miſericors: ei autem, qui eſt in Dei gratia, dari auxilium *juſtum*; ipſi enim debetur, cùm ſit Filius Dei & Hæres. Verba ſancti hujus Patris ſunt: *Duo ſunt officia medicinæ: unum, quo ſanatur infirmitas: alterum, quo ſanitas cuſtoditur. Juxta illud primum dictum eſt in ſuperiore Pſalmo: Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: juxta hoc alterum in hoc Pſalmo dicitur: Si eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Ibi infirmus ut liberetur, hic jam ſanus ne corrumpatur, orat. Juxta illud ibi dicitur: Salvum me fac propter miſericordiam tuam. Juxta iſtud hic dicitur: Judica me Domine ſecundum juſtitiam meam; ibi enim, ut à morbo evadas, remedium: hic autem, ne in morbum recidas, tuitionem petis. Juxta illud dicitur: Salvum me fac propter miſericordiam tuam. Juxta hoc dicitur: juſtum auxilium meum à Domino, qui ſalvos facit rectos corde. Et illa enim, & iſta ſalvos facit. Sed illa ex ægritudine ad ſalutem transfert, hæc in ipſa ſalute conſervat. Itaque ibi miſericors auxilium eſt, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc juſtificari deſiderat, credens in eum, qui juſtificat impium. Hic autem juſtum auxilium eſt, quod jam juſto tribuitur.*

Nota tertiò, ut quis ſit rectus corde, debere primò bona operari: ſecundò, illa operari ex bona intentione. Rectos corde ait eſſe S. Thomas eos, qui tendunt intentione in Deum, præcipuè enim intentio rectificat actionem. Intentio eſt velut acûs nauticæ cuſpis ſeſe ad polum obvertens, & nunquam quieſcens, quin rectâ lineâ illum aſpiciat. Eſt noſter Raphaël recto itinere paternâ domo educens ad utilitatem proximi per actionem: & nos ad paternam domum reducens per contemplationem. Eſt ſcala illa mirabilis, quam vidit Jacob in cœlum ducentem, ubi Angeli recto tramite aſcendebant ad Deum, & deſcendebant ad homines, Gen. 28. 12. Rectos corde ait S. Baſil. & Euth. eſſe eos, qui non deflectunt à rectitudine virtutis. Et verò, ut ait S. Aug. lib. 2. de libero arbitrio cap. 18. & cap. 19. tom. 1. Virtus eſt bona qualitas mentis, *quâ rectè vivitur*, quâ nullus malè utitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur. Quæ definitio bona eſt, cùm in ea contineantur omnes cauſæ virtutis. Primò quidem cauſa formalis, quæ accipitur ex genere & differentia, cùm dicitur bona qualitas: nam qualitas eſt genus, bona differentia: meliùs tamen diceretur habitus bonus, quia habitus eſt genus proximum, qualitas eſt genus remotum. Secundò, loco cauſæ materialis ponitur ejus ſubjectum, cùm dicitur bona qualitas mentis: Virtus enim non habet materiam ex qua, ſicut nec alia accidentia: ſed habet materiam circa quam, & materiam, in qua ſcilicet ſubjectum: materia autem circa quam eſt objectum virtutis, quod non potuit in prædicta definitione poni, eò quòd per objectum determinatur virtus ad ſpeciem: hìc autem aſſignatur definitio virtutis in communi. Tertiò, finis virtutis, cùm ſit habitus operativus, eſt ipſa operatio, ideò dicitur virtus bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur. Quartò denique, cauſa efficiens eſt Deus, ideò additur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur, quod ad virtutem infuſam pertinet: ſi autem tollas τὸ ſine nobis, definitio illa erit communis omnibus virtutibus, & acquiſitis, & infuſis. 67. Rectitudo cordis requirit: 1. Bonum opus, 2. Bonam intentionem.

Nota quartò cum S. Anſelmo, dialogo de veritate cap. 13. ſynonimum juſtitiæ ſæpè eſſe rectitudinem. Sic autem juſtitiam definit: *Juſtitia eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſervata:* dicitque, quòd invicem ſeſe definiunt veritas, & rectitudo, & juſtitia: ut, qui unam earum noverit, & alias neſcierit, per notam ad ignotarum ſcientiam pertingere poſſit: imò qui unam noverit, alias neſcire non poſſit. Itaque in pſalmo noſtro cùm Propheta agat de juſto Judice dante juſtum adjutorium, rectè ſit ab eo 68. Juſtitia & rectitudo ſunt ſynonima.

ſalvari

ſalvari rectos corde. Sed S. Thomas 1.2.q.55.art.4. ad 4. dicit, in juſtitia eſſe rectitudinem propriam, quæ conſtituitur circa res exteriores, quæ in uſum hominis veniunt, quæ ſunt propria materia juſtitiæ. In omni verò virtute eſſe rectitudinem quandam communem, quæ importat ordinem ad finem debitum, & ad legem divinam, quæ eſt regula voluntatis humanæ, ut docet q. 19. art. 4. & 8. S. Anſelmus loquitur de illa rectitudine communi, ſicut loquitur de juſtitia & veritate ſumptis in lata ſignificatione: alioqui juſtitiam non benè definiret, cùm juſtitia strictè ſumpta ſit virtus ad alterum, ipſe autem eam definiat ſine ordine ad alterum. Guilielmus Alvernus Epiſcopus Parisienſis, lib. de virtutibus cap. 12. expendens definitionem datam à S. Aug. Virtus eſt bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, &c. ait: *Rectum eſt, cujus media non exeunt ab extremis: extrema autem vitæ noſtræ ſunt Deus, principium à quo eſt: & Deus Finis ad quem, vel propter quem eſt. Quare recta vita eſt ex neceſſitate, quæ in nullo exit ab hujuſmodi extremis, & hoc eſt, quod ſuprà diximus, quæ nec habet reflectionem, neque recurvationem.* Quæ enim habet recurvationem, exit ab altero iſtorum extremorum, videlicet à Deo: hæc eſt vita, quâ multi ſibi vivunt, quæ ſua ſunt ſolummodo quærentes, intentiones & operationes ſuas in Dei honorificentiam nullatenus extendentes: imò eas in ſe vel in ea, quæ ſunt ſua, penitùs recurvantes, ac in ſe ipſis eaſdem retinentes. Ita Guilielmus. Anima, quæ non habet cor rectum, ſed inflexum ad ſe & ad terram, diu manet in ſuis peccatis, Luc. 13. 11. *Et ecce mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis* (infirmitatem immiſſam à ſpiritu malo, ut ait Lyranus & Euthym. id eſt, quæ à ſpiritu malo erat incurvata, ut ſequitur: Euthym. vocat dæmonium imbecillitatis, non ſinens eam vivere) *annis decem & octo, & erat inclinata,* (id eſt, cernua, incurva, capite, dorſo, pectore, corde verſus terram inflexis) *nec omninò poterat ſurſum reſpicere:* abjectæ, viles, luteæ ſunt cogitationes cordis inclinati in terram.

69. Natura nos monet ut corde erigamus.

Nota quintò, à natura docemur rectum & erectum cor habere. Nam, ut advertit Plin. lib. 11.37. Cor animalibus cæteris in medio pectore eſt: hominis tantùm infra lævam papillam, turbinato mucrone in priora eminens. Hoc ab Ariſt. ſumpſerat lib. 3. de part. animal. cap. 4. ubi hominis cor ait poſitum eſſe in medio corporis, ita tamen, ut, μᾶλλον ἐν τῷ ἄνω ἢ κάτω, καὶ ἐμπροσθεν ἢ ὄπισθεν, *magis ſuperiùs, quam inferiùs*, & parti priori vicinius, quàm poſteriori. In eam verò formam cor effictum eſt, ut in parte ſuperiori latiùs rorem cœleſtem defluentem pleno & toto vaſe recipiat: in ima autem ſui parte in conum pyramidis deſinit, non tangat terram niſi in puncto, ut eam tangendo tranſfigat, & dividat. Quid enim terram & fimum curet vas Dei capax? S. Ambr. ſerm. 10. in Pſal. 118. *Grande cor eſt à Domino creatum, quòd recipiat verbum de cœleſtibus virtutibus ac poteſtatibus. Grande cor, quòd recipiat ipſum Dominum dicentem: Inhabitabo in illis, & deambulabo in ipſis.* Levit. 26. 11. ait Deus Iſraëlitis: Ponam tabernaculum meum in medio veſtrî, & non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus. Hoc paulò aliter habetur, Ezech. 37. 27. 2 Cor. 6. 16. Philo quoque apud Stob. ſerm. 118. Οἶκος θεοῦ, σοφοῦ διάνοια. *Domus Dei eſt cogitatio ſapientis, atque hujus propriè vocatur Deus, qui univerſorum eſt, ut ait Propheta, quòd Deus tanquam in* βασιλείᾳ, *in regia, in ea ambulet.* Illa Dei domus, nempe cor, dilatatur, cùm rectà ſurgit ad Deum: fit verò anguſtior, cùm dorſo & pectore in terram incurvato comprimitur & coarctatur: ſicque Deum capere non poteſt. Ad ventrem cor inclinatum, & in ventre poſitum, habent guloſi ſimiles piſci aſino, de quo Clemens Alex. lib. 2. pædag. Τὸν νοῦν ἐγκατορύξας τῇ κοιλίᾳ, *qui mentem ventre infoderit, admodum ſimilis eſt piſci, qui Græcè* ὄνος, *id eſt, aſinus, dicitur: quem quidem Ariſtoteles ſolum ex aliis animalibus ait habere cor in ventre.* Tale cor in medio ſtercore poſitum, & luxuriæ fœtorem reſpirans & expirans, non eſt aptum Deo domicilium. Piſcibus ſolis, ut ait Plin. lib. 11. cap. 37. ad os ſpectat cor, id quoque ad guloſos transfer: tu cor gere in pectore, ut in ſacrario mentis, & Deo uni illud aperi, cæteris rebus clauſum.

Nota ſextò, Propheta noſter dicit ſalvos fieri rectos corde: & non dicit, ſalvos fieri rectos renibus. Rationem reddit S. Aug. in Pſal. noſtr. quia, ait, cogitationes & malæ ſunt in pravo corde, & bonæ in recto corde. Delectationes autem non bonæ ad renes pertinent, quia inferiores ſunt atque terrenæ: Bonæ verò, non ad renes, ſed ad ipſum cor. Propterea non ita dici poſſunt recti renibus, ſicut dicuntur recti corde: cùm jam, ubi cogitatio, ibi & delectatio eſt. Quod fieri non poteſt, niſi cùm divina atque æterna cogitantur. Dediſti, inquit, lætitiam in corde meo, cùm dixiſſet: Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine. Nam phantaſmata rerum temporalium, quæ ſibi animus fingit, cùm ſpe vana mortalique jactatur, quamvis inanibus imaginationibus afferant ſæpè *deliram inſanamque lætitiam*, non tamen cordi hæc delectatio, ſed renibus tribuenda eſt: quia illæ omnes imaginationes & inferioribus, hoc eſt, terrenis carnalibuſque rebus attractæ ſunt. Ita fit, ut ſcrutans corda & renes Deus, & perſpiciens in corde rectas cogitationes, in renibus nullas delectationes, juſtum auxilium præbeat rectis corde, ubi mundis cogitationibus ſupernæ delectationes ſocianrur. Et ideò in alio Pſalmo, cùm dixiſſet: *Inſuper & uſque ad noctem increpuerunt me renes mei*, ſubjecit de auxilio, dicens: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear.* Ubi oſtendit ſuggeſtiones tantùm ſe à renibus paſſum, non etiam delectationes: quas ſi pateretur, utique commoveretur. Dixit autem: A dextris eſt mihi Dominus, ne commovear; deinde ſubjungit: *Propter hoc delectatum eſt cor meum*: ut renes eum increpare potuerint, non delectare. Non itaque in renibus, ſed ibi facta eſt delectatio, ubi adverſus renum increpationem proviſus eſt Deus à dextris eſſe: id eſt, à corde. Ita Auguſtinus. Ut renes in officio contineantur, modus ille eſt optimus, ut provideamus Dominum in conſpectu noſtro ſemper. Vide dicta Pſal. 15. & provideamus ſcrutantem corda & renes. Ut enim ait S. Aug. ſoliloq. 14. *Nobis magna indita eſt neceſſitas juſtè rectéque vivendi, quia cuncta facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis.* Doctor quidam Hebræus dicebat, ad peccata è terris eliminanda, hoc unum eſſe neceſſarium, ut homines conſiderarent oculum ſemper vigilem actionibus noſtris intentum: aurem ſemper apertam, quæ omnia audiat: manum opera omnia ſcribentem. Ut enim ait S. Cypr. lib. de ſpectaculis: *Erubeſcunt viderreciam, quæ pudorem perdiderunt.* Et Seneca lib. 1. natur. quæſt. cap. 16. *Scelera conſpectum ſuum reformidant. In perditis quoque, & ad omne dedecus expoſitis tenerrima eſt oculorum verecundia.* Suſanna, quæ idem eſt ac lilium, puritatem ſuam ſervat, oculum Dei vigilem conſiderans, Dan. 13. Perdita muliercula ad pudorem & virtutem revocatur à S. Ephrem, qui ab ea ad ſcelus invitatus, in ſpeciem annuit, modò, ut hoc in platea publicè fieret, quod cùm illa immurmurans & infrendens velut impudentiæ plenum rejiceret, tum verò ille tam aptè & efficaciter de Dei cognitione omnia ſecretiſſima loca pervadente diſſeruit, ut eam ſtatim converteret. Plato dicebat, & benè, lib. 2. de Rep. Sic

70. Cur dicuntur ſalvari recti corde, non verò recti renibus.

Doctoris Hebræi ſapiens monitum.

ſe

ſe gerere debet anima, ut juſtitiam exerceat, ſive Gygis annulum habuerit, ſive non, ſive præter iſtum annulum habeat, ἴδι ἄιδος κυνῆν, *Galeam Plutonis.* Quid verò nos Chriſtianos facere convenit, quorum Dominus de cœlo proſpicit ſuper filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens aut requirens Deum? Pſal. 13. 2. *Qui ſcrutatur Jeruſalem in lucernis.* Sophon. 1. 12. Et de omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, de eo reddituri ſunt rationem in die judicii, Matth. 12. 36.

ARTICULUS II.

Deus eſt Judex prudens, juſtus, fortis, & temperans.

POſtquam David, ait, à Deo juſtum ſibi adjutorium affore, rationem ſpei ſuæ affert, quòd Deus ſit juſtus Judex, qui, licèt patienter ferat impios probis injurios, fortiter tamen ſuo tempore
Verſ. 12. eos punit, verſ. 12. DEUS JUDEX JUSTUS, FORTIS, ET PATIENS, NUMQUID IRASCITUR PER SINGULOS DIES? Et verſ. 13. *Niſi converſi fueritis, &c.*
71. Dei Judicis virtutes. Deum itaque nobis Rex noſter depingit, ut ſupremum Judicem, cœleſti Quadrigâ Orbem decurrentem, virtutibus quatuor cardinalibus effulgentem. Primò, prudentiam ejus in diſquirendo & examinando notavit verſu decimo: *Scrutans corda & renes Deus.* Secundò, juſtitiam: *Deus Judex juſtus.* Tertiò, fortitudinem: *fortis.* Quartò denique, temperantiam: *& patiens.* Patientia quidem eſt pars fortitudinis, ut ait S. Thom. 1. 2. q. 66. art. 4. ad 2. Et eſt pars ejus potentialis, ut docet 2. 2. q. 136. art. 4. Atque in reſponſione ad 2. oſtendit, non eſſe partem temperantiæ, licèt ſit ſubjectivè in appetitu concupiſcibili ſicut temperantia: fortitudo verò ſit in appetitu iraſcibili, ſicut in ſuo ſubjecto: quia adjunctio virtutis ad virtutem non attenditur ſecundùm ſubjectum, ſed ſecundùm objectum, utriuſque autem idem eſſe objectum, dicetur infrà. Sed cùm *patiens* dicatur Deus, id eſt, clemens, ut oſtendam, rectè hîc ponuntur quatuor virtutes cardinales, veluti quatuor baſes tribunalis, in quo ſedet Deus. Clementiam eſſe partem temperantiæ, docet Seneca lib. 2. de clementia, cap. 3. circa princip. *Clementia*, inquit, *eſt temperantia animi, in poteſtate ulciſcendi.* Et Tullius lib. 2. de inventione etiam ponit, clementiam eſſe partem temperantiæ, & S. Thom. 2. 2. q. 157. art. 3. rationem affert, quia partes aſſignantur virtutibus principalibus, ſecundùm quod imitantur ipſas in aliquibus materiis ſecundariis, quantum ad modum, ex quo principaliter dependet laus virtutis, unde & nomen accipit: ſicut modus & nomen juſtitiæ in quadam æqualitate conſiſtit: fortitudinis autem in animi quadam firmitate: temperantiæ verò, in quadam refrænatione: inquantum ſcilicet refrænat concupiſcentias vehementiſſimas delectationem tactus. Clementia autem & manſuetudo ſimiliter in quadam refrænatione conſiſtunt: quia ſcilicet clementia eſt diminutiva pœnarum, manſuetudo verò eſt mitigativa iræ, & ideò tam clementia, quàm manſuetudo adjunguntur temperantiæ, ſicut virtuti principali. Et ſecundùm hoc ponuntur partes temperantiæ. Sed ad rem veniamus.

72. Primò, Deus eſt Judex juſtus: *Deus eſt Judex juſtus*, q. d. certus ſum, quod conſumetur nequitia
Primò eſt juſtus. peccatorum, & juſtus dirigetur, & juſtum mihi erit adjutorium à Domino, quia eſt Judex juſtus. Sic Pſal. 10. 8. dicitur: *Juſtus Dominus, & juſtitias* (commutativam & diſtributivam) *dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.* Æquitatem, id, juſtitiam, Deus videre, id eſt, approbare, dicitur: quia juſtitia quoad legem regulantem, eſt in ratione, ſeu intellectu: ſed quoad imperium, quo opera regulantur ſecundùm legem, eſt in voluntate, ut ait S. Thom. 1. p. q. 21. art. 2. ad 1. Eſſe autem in voluntate ſubjectivè dicit, q. 21. art. 1. ad 1. & 1. 2. q. 56. art. 6. & 2. 2. q. 55. art. 8. Abacuc Propheta agens de Deo Judice, dicit cap. 1. 13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas* (id eſt, approbes, eſt metalepſis: quæ enim approbamus, ea libenter aſpicimus, & in iis nobis complacemus: quæ animo odimus, ea oculis averſamur. Ponitur itaque conſequens pro antecedenti) *malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris:* ita ſibi oculos & cor vulnerat. Vide dicta Pſ. 5. 6. *Non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit* (Hebr. hoſpitabitur, ſive peregrinabitur: hoc enim eſt יגור *jagur*: unde *jur* peregrinus) *juxta te malignus, neque permanebunt injuſti ante oculos tuos.* Juſtitia enim eſt habitus, ſecundùm quem aliquis conſtanti & perpetuâ voluntate jus ſuum unicuique tribuit, ut habetur 2. 2. q. 58. art. 1. Duplex autem eſt ſpecies juſtitiæ: Una, quæ conſiſtit in mutua datione & acceptione, ut putà, quæ conſiſtit in emptione & venditione, & aliis hujuſmodi communicationibus, vel commutationibus, & hæc dicitur à Philoſopho in 5. Ethic. cap. 4. Juſtitia commutativa, vel directiva commutationum, ſive communicationum: & hæc non competit Deo, quia, ut dicit Apoſtolus Rom. 2. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Alia, quæ conſiſtit in diſtribuendo, & dicitur diſtributiva juſtitia, ſecundùm quod aliquis gubernator vel diſpenſator dat unicuique ſecundùm ſuam dignitatem. Sicut igitur ordo congruus familiæ, vel cujuſcunque multitudinis gubernatæ demonſtrat hujuſmodi juſtitiam in gubernante: ita ordo univerſi, qui apparet tam in rebus naturalibus, quàm in rebus voluntariis, demonſtrat Dei juſtitiam. Unde dicit S. Dionyſ. cap. 8. de divin. nomin. non procul à fine: Oportet videre in hoc veram Dei eſſe juſtitiam, quòd omnibus tribuit propria, ſecundùm uniuſcujuſque exiſtentium dignitatem: & uniuſcujuſque naturam, in proprio ſalvat ordine & virtute. Ita idem S. Doctor, 1. p. q. 21. art. 1. in Crete erat Jovis ſimulacrum ſine auribus, teſte Plutarcho in Iſide *Jovis ſtatua ſine auribus.*
& Oſiride. Deus eſt inexorabilis, reddit unicuique ſuum, verbis oratorum aut ſupplicum non flectitur, cùm eſt tempus judicii. Rationes tamen omnes diligenter attendit. Pauſanias in Atticis pag. 3. ait Athenis in curia quingentorum, qui ſummæ rei præerant, ſtatuam fuiſſe, βυλαίυ διος, id eſt, conſiliarii Jovis. Judicat Deus, ſed cum ratione & prudentia, ſcrutatur corda & renes priùs, ut diximus ſuprà.

Hinc moraliter diſcant Judices juſtitiam exactè *Judices ſint juſti.*
obſervare, quia Dei judicium eſt. Hanc rationem affert Moſes Deut. 1. 16. *Audite illos, & quod juſtum eſt, judicate: ſive civis ſit ille, ſive peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt.* Deus autem eſt Pater omnium, & Judex, de quo Salomon ait, Prov. 16. 11. *Pondus & ſtatera judicia Domini ſunt*, (Sept. momenta ſtateræ, juſtitia apud Deum. Hebr. פלס *pheles* quod noſter vertit *pondus.* Pagn. & Arias reddunt, *ſtatera.* R. David vult ſignificare rectitudinem ſtateræ: Cornelius ait eſſe æquilibrationem ſtateræ, lingulam, amuſſim, regulam in bilance: vel id, quod libripens manu tenet, dum libra rem ponderat. Rad. eſt פלס *phalas*, librare, ponderare, dirigere, rectificare, regulare. R. Emmanuel ait in commentario, *pheles* eſſe virgam ferream, quæ eſt apta atque diſpoſita ad ponderandum magna pondera: ſed *moznaim* eſſe inſtrumentum ad ponderandum parva. Sæpè illæ dictiones confunduntur, & pro toto libræ etiam ponuntur per ſynecdochen) Salomon addit: *Et opera ejus omnes lapides ſacculi.* Chald. & Syr.

opera ejus omnia pondera veritatis, id eſt, vera, æqua & juſta; hunc ad rem noſtram explicant Aben Ezra: Præcepit Deus, ait, ut æquo pondere ac trutinâ juſtum unicuique tribuatur. A Deo ad reges deſcendit idem Rex, & monet eos, ut ſint tenaces juſtitiæ, ſi regnum ſtabile ſibi, ſuiſque habere velint, verſ. 12. *Abominabiles regi*, (Hebr. abominatio regum, ut vertit Arias) *qui agunt impiè: quoniam juſtitiâ firmatur* (Chald. dirigetur) *ſolium*. Et verſ. 13. *Voluntas* (Hebr. רצון raſan, id eſt, benevolentia) *regum labia juſta*; (Arias, labia juſtitiæ) *qui recta loquitur, diligetur*, à Deo & à Rege bono. Et Prov. 20. 26. *Diſſipat impios Rex ſapiens, & incurvat ſuper eos fornicem*, id eſt, curvat rotam rotæ, hoc eſt, rotæ canthum atque extimam ſuperficiem. Habent Hebræa אופן ophan, id eſt, rotam, & Sept. τροχὸν ſive ſumas rotam pro genere ſupplicii, quæſtionis, aut torturæ, quæ eſſet in uſu apud veteres: nam torquebant reos rota, ut veritatem extorquerent: ſive alludi velis ad currus & rotas, quibus ſegetes in Syria, Palæſtina & Judæa triturabant ad excutienda ex eis grana, quæ in Gallia & Germania excutiuntur flagello, q. d. Rex ſapiens diſſipat impios ſuo terrore in fugam datos: aut, ſi eos arripiat, ſeverè punit.

74. Juſtitia eſt primum elementum judicis. Juſtitia eſt velut primum elementum Judicis, quod in eo prædominari debet, ſeu potiùs juſtitia eſt velut ejus forma & anima ipſum diſtinguens ab omni alio, & efficiens eum aſylum publicum, ad quod omnes veniant, & theſaurum ac fontem publicum, unde pauperes, viduæ, pupilli ſolatium & opem hauriant. Philo lib. de judice: *Judex debet eſſe, ἀνάπλεως δικαιοσύνης, plenus juſtitiâ, ſi aliis jus adminiſtraturus eſt, à quo ceu fonte promanant fluenta dulcia legum, & potabilia ſitientibus juſtitiam.*

Dicebat S. Jacobus Chriſtianis omnibus cap. 4. epiſtolæ ſuæ ℣. 1. *Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri JEſu Chriſti gloriæ*, id eſt, glorioſi: Eſt enim Rex ac Dominus gloriæ, tam in ſe, quàm in Electis maximè. Vetat autem S. Jacobus, ne fidem conjungamus cum acceptione perſonarum, id eſt, ne, cùm in unum Chriſtum credamus, pauperes contemnamus, & divitiarum ſplendore excæcari nos ſinamus, ita ut ſolis divitibus amorem atque honorem exhibeamus. Longè magis id judices debent curare, Levit. 19. 15. *Non conſideres perſonam pauperis*, (ut vel miſeratione nimiâ flectaris, vel eum contemnas) *nec honores vultum potentis. Juſtè judica proximo tuo.* Chryſippus apud Gellium, lib. 4. cap. 4. juſtitiam ſic depingit: Dicitur virgo eſſe, ait, indicio eam eſſe incorruptam, improbis nunquam concedere, non orationem modeſtam, non precationem, non adulationem, non denique quicquam aliud pati. Quas ob res meritò triſtis etiam & contractâ fronte pingitur, vultu gravi, aſpectu contento & torvo, ut injuſtis terrorem incutiat, juſtis fiduciam præbeat: quando hujuſcemodi facies juſtis grata, injuſtis moleſta eſt. In Pontificis Hebræorum pectore erat *Rationale judicii*, quod etiam vocatur *judicium*, Exod. 28. 30. Et ornatum erat duodecim lapidibus, id eſt, virtutibus pretioſis: & habebat hæc duo inſcripta nomina: *Urim & Thummim*, id eſt, doctrinam, & veritatem, ſeu juſtitiam, ut, ſicut ait Philo lib. 1. de vita Moſis, δύο ἀρετὰς ἀγαλματοφορῇ, id eſt, duas virtutes depictas haberet. Vide dicta, Pſal. 2. 10. art. 8. ubi ſatis fusè illud Rationale judicii & gemmas ejus adapto judicum virtutibus, in illud: *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram.*

75. 2. Deus Judex fortis. Secundò, Deus eſt Judex fortis: *Deus Judex juſtus (&) fortis.* Arias vertit, & Deus. Nam אל al, & fortem & Deum ſignificat, adeò eſt Deo identificata fortitudo. Pſal. 23. 8. dicitur: *Dominus fortis & potens.* Pſal. 70. 7. *Adjutor fortis.* Iſaiæ 1. 24. *Dominus Deus exercituum fortis Iſraël.* Fortis etiam eſt in judicio, & omnes reos puniet, ita ut nemo poſſit irrogata ſupplicia declinare. Job. 9. 13. ait: *Deus cujus iræ nemo reſiſtere poteſt.* S. Aug. legit, Ipſius inavertibilis ira. Symmachus, cujus inflexibilis ira. Deus non habet iram: ſed dicitur iraſci, cùm punit: *Et ſub quo curvantur, qui portant Orbem:* id eſt primò, dæmones, ut explicat Cajetanus & Didymus: hi enim dicuntur rectores tenebrarum harum, hoc eſt, hujus Mundi. Secundò, qui portant Orbem, id eſt, boni Angeli, qui res inferiores movent ac promovent, ut S. Thomas & S. Gregorius exponunt. Tertiò, qui portant Orbem, id eſt, homines ſancti, qui coram Deo in oratione curvantur, & portant Orbem ſuis precibus eum juvando & conſervando, ut dicunt Philippus & Beda. Quartò, & meliùs, ſub quo curvantur, id eſt, incurvantur, dejiciuntur, proſternuntur, qui portant Orbem, hoc eſt, Reges & Principes ac Magiſtratus, quorum humeris eſt impoſitum onus populi, ſicut Moſes Princeps & Ductor populi Dei, dicebat Num. 11. 11. *Cur impoſuiſti pondus univerſi populi hujus ſuper me?* Hinc Rex à Græcis dictus eſt βασιλεὺς, id eſt, βάσις λαοῦ baſis ſeu fulcrum populi, vel βάσις ἵλεως, id eſt, *baſis miſericors*: eſt enim regum & principum per miſericordiam miſerias populi ferre; ſimiles ſint lapidi, quem Jacob unxit oleo, & Deo conſecravit, Geneſ. 28. 18. ideò & ipſi inunguntur, & ſunt *Chriſti Domini*, 1 Reg. 24. 7. & 11. item 26. 9. 11. & 16. ac 23. Sub Deo curvantur etiam, qui erectâ cervice caput in cœlum Deumque ipſum attollebant, ut patet in Nabuchodonoſore, cujus cor erat elevatum, & oculi in aſpectu Babylonis, quique ſibi ut Deo fecerat ſtatuam auream, id eſt, inauratam (in Mundi honore eſt tantùm extrinſecus ſplendor) altitudine cubitorum ſexaginta, latitudine cubitorum ſex, & curaverat ſe adorari à Satrapis, Magiſtratibus, Judicibus, Ducibus, Tyrannis, id eſt, ærarii Præfectis, qui tributa exigebant, hoc eſt, à Quæſtoribus, ut vertit Arias, & ab Optimatibus ac toto populo: tota enim illa celſitudo primùm viſa eſt ipſi Nabuchodonoſori in ſomnis curvari ſub ſpecie excelſæ arboris, quæ dejiceretur, Dan. 4. 17. *Arborem quam vidiſti ſublimem atque robuſtam, cujus altitudo pertingit ad cœlum, & aſpectus illius in omnem terram, &c. Tu es Rex, qui magnificatus es, & invaluiſti, & magnitudo tua crevit, & pervenit uſque ad cœlum, &c. Succidite arborem, &c. Ejicient te ab hominibus, & cum beſtiis feriſque erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes*, te ſcilicet incurvans cum brutis, qui Deo æqualis caput cœlo inferre voluiſti. Secundo, id reverà contigit, verſ. 30. cùm ſuperbiâ tumens dixiſſet: Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? In loco Job citato mox pro *Orbem* habetur רהב *rahab*, quod ſignificat 1. Fortitudinem, robur: unde Tigurina vertit, ei ſuccumbunt conſpiratores potentiſſimi. 2. *Rahab* ſignificat excellentiam: ideò R. Abraham & R. Aben Ezra reddunt, viri dominii, id eſt, dominatores. 3. Significat ſuperbiam, & tumorem, elationem. Pagn. freti ſuperbiâ. Arias, adjutores ſuperbiæ. 4. Ægyptum ſignificat, & hic eſt Mundus, qui eſt impoſitus humeris divitum, & eſt illis *meſraim*, id eſt, compreſſio, anguſtia, coarctatio, eoſque facit gemere ſub pondere & curvari. Quomodo Reges portent Orbem? Dixi ſecundùm literalem ſenſum. *Rahab* autem Orbem ſignificat per metonymiam, id eſt, gloriam, excellentiam, ſuperbiam Orbis, ſeu homines fortes, potentes, ſuperbos.

Moraliter nota, judices decet fortitudo, ne leges eorum velut araneæ telas, muſcæ majores perrumpant & diſſipent, Eccli. 7. 6. *Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere* (perſtringere. 76. Judices habeant mentis robur.

Græcè

Græcè ἐξαίρει, id eſt, tollere) *iniquitates*, omnes & quaslibet. Plato lib. 2. de legibus ait: Princeps ac Magiſtratus quilibet debet eſſe prudens & fortis. Prudens, ne ex imperiti vulgi judicio pendeat: fortis, ut quæ ſalutaria ſunt, conſtanter exequatur. Ita ille. S. Bern. lib. 3. de conſid. ad Eugenium, c. 6. dicit: Pontificem eſſe debere virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, Deum Pharaonis. Pſ. 138. 17. *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* S. Hier. quia fortes pauperes eorum. Cajet. capita eorum, id eſt, ut explicat, primates & ipſorum potentia. Hinc S. Iſid. Peluſ. lib. 2. epiſt. 290. ait: *Imperiorum robur ac firmitas Dei amicitia eſt. Ex quo ſequitur, eum, qui robuſtè imperium gerit, Dei amicum eſſe. Mihi enim, ait Scriptura, nimis honorati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum. Quocirca ſi Dei amicus eſſe ſtudes, fac robuſtè præſis: hoc eſt, nec muneribus, nec amicitiâ, ſed dignitate ac merita jus præbens.* Eos, qui robuſtè præfuerunt, miraculis & aliis rebus illuſtravit Deus, ut S. Chryſoſt. Ambroſium, Baſilium, Athanaſium ac ſimiles.

Armis justitiæ pugnans vincit. Suidas in voce μονήτα refert, cùm populus Romanus bellum adverſus Pyrrhum gereret, magnâ æris inopiâ preſſus, Junonem conſuluiſſe, quid facto opus eſſet: Deam juſſiſſe, ut armis juſtitiæ pugnaret, hoc pacto nunquam pecuniam ei defuturam; Romanos autem dicto audientes victores evaſiſſe, & Pyrrhum ex Italia expuliſſe. Unde eſt inſtitutum, ut Juno Moneta diceretur, & in ejus templo nummi cuderentur. Juſtitiæ arma ſunt potentia. Tiberius Imperator gladium dabat magiſtratui, quem conſtituebat, dicens: *Cape ferrum hoc, & ſi imperium rectè geſſeris, pro me: ſin malè, contra me utere*, ut ait Sueton. in Tiberio. Juſtitia eſt ἔρεισμα πόλεων, id eſt, fulcrum, ſtabilimentum, columen urbium, ut loquitur Plato.

Wilhelmus Rex dictus leo. Alexander Fers, id eſt, fortis. Wilhelmus Rex Scotiæ ob infractum juſtitiæ rigorem leo dictus eſt, ut docet Hector Boëthius lib. 12. hiſt. Scoticæ, ubi notabile factum memorat Alexandri Fers, id eſt, *fortis*, Regis item Scotiæ: qui, cùm id nominis haberet ob virtutem in latrones, huic ejulans mulier expoſuit à Comitis Merviæ filio maritum ſuum filioſque eſſe occiſos, quòd illum *in jus* ob debitum vocâſſent: incanduit ob facinus vir fortis, & juſtitiæ amans equo deſiliit: nec priùs in eum ſe retulit, quàm nobilem illum ſuſpenſum videret.

77. *3. Deus eſt Judex patiens.* Tertiò, Deus eſt Judex patiens & clemens. Deus Judex juſtus, fortis, *& patiens.* (Græcè μακρόθυμος, id eſt, longanimis, ut legit S. Aug. Pſal. Roman. & Ambroſianum. Nota, pro *patiens* nihil eſſe in Hebræo; ideò tantùm videri explicationem verborum ſequentium: *Numquid iraſcitur per ſingulos dies?* In Pſalt. Ambroſ. habetur, & non iram adducens per ſingulos dies. Et Titelmanus, non iraſcitur per ſingulos dies. Ac Bellarminus cenſet Sept. interpretes non legiſſe אל *el*, id eſt, fortis, ſed illam vocem *fortis* addidiſſe, ſicut & vocem *patiens*: ſed legiſſe *al*, hoc eſt, *non*: ideòque vertiſſe, non iraſcitur ſeu comminatur per ſingulos dies. Nota ſecundò, S. Hier. vertit, comminans totâ die. Pagn. Deus indignans in omni die. Cajet. Iraſcens. Ratio varietatis eſt, quia legerant *el*, id eſt, fortis, ut nunc legimus, & Sept. legerant *al*, id eſt, *non*, ut dixi.

Senſus autem noſtræ lectionis duplex eſſe poteſt: Primò, ita ut neget iram quotidianam in Deo, q. d. *Numquid iraſcitur per ſingulos dies?* id eſt, non iraſcitur quotidie, hoc eſt, non ſemper punit. Non ſemper mittit Jupiter fulmina. Secundò, ita ut *numquid* ſumatur pro nonne, & ſic iram quotidianam in Deo eſſe affirmet. Numquid iraſcitur, id eſt, nonne iraſcitur, q. d. eſt quidem patiens, ſed tamen ſæpè punit. Uterque ſenſus bonus eſt & Græca particula μη, id eſt, *non* ſæpè ſumitur pro *nonne*? Sic alias verſiones cum noſtra poſſe concordare advertis.

Nota ſecundò, Græcum μακρόθυμος, id eſt, *longanimis*, dicere excellentem patientiam. Nam ut ait S. Thomas 2. 2. q. 136. art. 5. Sicut magnanimitas dicitur, per quam habet aliquis animum tendendi in magna: ita etiam longanimitas dicitur, per quam aliquis habet animum tendendi in aliquid, quod in longinquum diſtat. Et ideò ſicut magnanimitas magis reſpicit ſpeciem tendentem in bonum, quàm audaciam, vel timorem, ſive triſtitiam, quæ reſpiciunt malum: ita etiam & longanimitas. Unde longanimitas majorem convenientiam videtur habere cum magnanimitate, quàm cum patientia: poteſt tamen convenire cum patientia duplici ratione. Primò quidem, quia patientia, ſicut & fortitudo, ſuſtinet aliqua mala propter aliquod bonum. Quod, ſi ex propinquo expectetur, facilius eſt ſuſtinere. Si autem in longinquum differatur illud bonum: mala autem oporteat in præſenti ſuſtinere, difficilius eſt: Secundò, quia hoc ipſum, quod eſt differri bonum ſperatum, natum eſt cauſare triſtitiam, ſecundùm illud Prov. 13. Spes, quæ differtur, affligit animam. Unde & in ſuſtinendo hujuſmodi afflictionem poteſt eſſe patientia, ſicut & in ſuſtinendo quaſcunque alias triſtitias. Sic ergò ſecundùm quod ſub eadem ratione mali contriſtantis poteſt comprehendi & dilatio boni ſperati, quæ pertinet ad longanimitatem: & labor, quem homo ſuſtinet in continuata executione boni operis, quod pertinet ad conſtantiam: tam longanimitas, quàm etiam conſtantia ſub patientia comprehenduntur. Unde & Tullius lib. 2. de invent. definiens patientiam, dicit, quòd patientia eſt honeſtatis ac utilitatis cauſa voluntaria, ac diuturna perpeſſio rerum arduarum ac difficilium. Quòd dicit arduarum, pertinet ad conſtantiam in bono. Quòd dicit difficilium, pertinet ad gravitatem mali, quam propriè reſpicit patientia. Quòd verò addit, diuturna, ſive diutina, pertinet ad longanimitatem, ſecundùm quòd convenit cum patientia. Ita S. Thomas.

Nota tertiò, hic per patientiam poſſe intelligi 78. *Patientia ſumpta pro clementia.*
clementiam, quam Seneca lib. de clementia cap. 3. definit, lenitatem ſuperioris in inferiorem in conſtituendis etiam pœnis. S. Clemens lib. 2. Conſtit. cap. 36. ait, ſolitos judices veterum proteſtari ſe invitos trahi ad ſententiam capitis ferendam, ac tollendo in cœlum manus inclamare, ſe eſſe à ſanguine innocentes. Nero initio imperii allatam chartam, ut ſubſcriberet, & mortem, & cauſas contra duos milites, cùm aliquoties rejeciſſet, ac distuliſſet, & tandem non ultrà eſſet effugium, triſtis accepit, dixitque: *Quàm vellem neſcire literas!* Clementiæ libris à Seneca ſcribendis hæc occaſio fuit. Apprecati ſunt in publicis ſacris Lacones, ut poſſent injuriam pati, quòd intelligerent ſtatum turbari exiliendo properè ad vindictam. Unus multa exempla David noſter ſuppeditat. Ciconia in ſummo Ægyptii Regis ſceptro Clementiæ erat ſymbolum. Ita Lucinus, qui etiam advertit, judicem debere eſſe patientem in cognoſcendo: hoc de ſe ait Job cap. 29. 16. *Cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inveſtigabam*, Auguſtus Imp. jus dixit aſſiduè, & in noctem nonnonquam: ſi parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans, ut ait Suetonius in Auguſto. *Carolus Magnus audit cauſas.* Carolus Magnus diem ſaltem in hebdomada ad audiendas cauſas dabat. Carolus VIII. Franciæ Rex, dies duos Baſilius Macedo ipſe judicabat, ut imperator, cùm eſſet, oppreſſos videret, juvaretque: cùmque ſemel nemo eſſet, qui ſubſidii quid poſtularet, ab aliquibus abjectæ ſortis hominibus acceri

arceri arbitratus, ſatellites ſuos per urbem miſit, qui poſtularent: utrùm Imperatoris ope quis indigeret? Cùm verò ne unus quidem repertus eſſet, fluentibus præ gaudio lacrymis Deo gratias egit, teſte Zonarâ in Baſilio. Idem propè S. Joanni Eleemoſynario ſedis Alexandrinæ Patriarchæ accidit, ut in ejus vita refertur.

Præceps judicium cavendum eſt, depravati enim eſt animi, Prov. 28. 5. *Viri mali non cogitant judicium: qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia.* Deuteron. 17. 8. Deus præcipit, ut cùm cauſa difficilis fuerit, judex recurrat ad ſacerdotes, qui indicent judicii veritatem. Etiam in cauſis civilibus id fiebat. Daniel arguit populum, quòd nimia præcipitâſſet judicium contra Suſannam, quam cùm lapidandam ut adulteram ducerent, ait cap. 13. 48. *Sic fatui filii Iſrael, non judicantes, neque quod verum* (Græcè σαφὲς, clarum, evidens) *eſt, cognoſcentes, condemnâſtis filiam Iſrael? Revertimini ad judicium*: quod cùm feciſſent, ex ipſo duorum ſenum ore eam accuſantium patuit veritas. Cùm unus diceret inventam eſſe eum juvene ſub ſchino, id eſt, lentiſco, quæ arbor eſt in Chio præcipuè naſcens, magnitudine roboris, ſorbi folio, therebinthi odore, acinis, dum matureſcunt, rufis: ubi maturuerint, nigris: maſtichen candana in modum gummi, perpetuò viret, & ter in anno fructus profert: alter verò ſenex diceret, inventam eſſe ſub prino, quæ arbor eſt ſpecies ilicis. Itaque ipſi accuſatores calumniâ detectâ lapidati ſunt. Nicodemus furorem Pontificum & Phariſæorum, qui miſerant miniſtros, ut JEſum caperent: & in eos, quòd ipſius eloquentiâ moti mandata non feciſſent, iraſcebantur, furorem temperat his verbis, Joan. 7. 51. *Nunquid lex noſtra judicat hominem, niſi priùs audierit ab ipſo, & cognoverit, quid faciat?* S. Ambroſius præſcripſit Theodoſio Imp. ſeniori, quem poſt Theſſalonicenſium cædem in Eccleſiam pœnitentem recipiebat, ut in cauſa capitis cognoſcenda ſpatium triginta dierum daretur, ut ait Paulin. in vita S. Ambroſii, hoc ante à Valentinianus decreverat. Ptolomæum Ægypti Regem ſapienter reprehendit uxor ejus Berenice: cùm enim is ad teſſeras ſederet, aleâque luderet, aſſiſtens quidam condemnatorum nomina recitabat, & crimina in eos collata referebat, ut ille, quinam mortis ſupplicium meruiſſent, decerneret: Berenice uxor ejus accepto libello è pueri manibus, non permiſit, ut ad finem uſque legerentur, cùm diceret: non ſic obiter advertendum eſſe animum, cùm de hominis ſalute quæritur, ſed altiùs cogitandum, & ludicra relinquenda. *Οὐ γὰρ ὁμοίαν εἶναι πτῶσιν κύβων καὶ σωμάτων, non enim eſſe ſimplicem caſum teſſerarum & corporum.* His auditis delectatum Ptolomæum ferunt, neque poſteà unquam inter ludendum de capitalibus cauſis audiviſſe. Ita Ælian. lib. 14. hiſt. variæ cap. 43.

Lex ſapiens à Theodoſio ſancita.

Berenices factum laudabile.

Severitatem Judicis Dei declarat Propheta tribus ſymbolis: nempe gladii, arcûs & ſagittarum,

VERS. XIII. 1. Pars.

verſ. 13. NISI CONVERSI FUERITIS, GLADIUM SUUM VIBRABIT, (Hebr. ילטוש *iltos*, id eſt, acuet, ut vertit S. Hieron. 2. Per metonymiam ſumitur pro vibrare & ejaculari: quia acuminatum gladium ſibi parat miles, ut illum vibret, & illo hoſtem feriat) ARCUM SUUM TETENDIT, ET PARAVIT ILLUM.

79. Gladius Dei eſt: Primò, Chriſtus.

Quæres: Quid per gladium & arcum hîc intelligatur? Primò, S. Auguſt. per gladium interpretatur Chriſtum, qui primo in adventu velut in vaginâ reconditus latuit in carne mortali; in ſecundo autem manifeſtus apparuit ad feriendos ſceleratos. Verba ejus ſunt: *Poteſt ipſe Homo dominicus gladius Dei intelligi bis acutus, id eſt, framea, quam non vibravit primo adventu, ſed tanquam in vagina humilitatis, abſcondit. Vibrabit autem, cùm in ſecundo adventu veniens judicare vivos & mortuos, in manifeſto ſplendore claritatis ſuæ, juſtis ſuo lumine, & terrore impiis coruſcabit.* Notat deinde in aliis exemplaribus, pro eo, quod eſt, gladium ſuum vibrabit, eſſe *frameam ſuam ſplendificabit*: quo verbo convenientiſſimè ſignificari arbitratur ultimum Dominicæ claritatis adventum. Chriſtus eſt gladius ille Gedeonis, qui caſtra Madian ſubvertit, Judicum 7. ℣. 13. & 14. Cùmque veniſſet Gedeon, narrabat aliquis ſomnium proximo ſuo: & in hunc modum referebat, quod viderat. Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volvi, & in caſtra Madian deſcendere: cùmque perveniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubvertit, & terræ funditùs coæquavit. Reſpondit is, cui loquebatur: *Non eſt aliud niſi gladius Gedeonis filii Joas viri Iſraelitæ*, (Gedeon idem eſt atque conterens aut refringens. Rad. גדע *gada*, fregit. 2. Abſciſſio iniquitatis, à Chald. גדד *ghedad*, excidit, ſuccidit, & עוה *auna*, Hebr. iniquitas. Joas verò ſignificat ignitum, urentem, ab אש *es*, id eſt, ignis. Chriſtus eſt Gedeon conterens & abſcindens peccata, Filius Patris æterni, qui ignis conſumens eſt. Hebr. 12. 23. Unde additur) *tradidit enim Dominus in manus ejus Madian, & omnia caſtra ejus.* Chriſtus in Euchariſtia panis eſt, fiet gladius in judicio. Hebræi gladium vocant מאכלת *maacheleth*, q. d. comedens: quia veluti comedit & conſumit, quos occidit: & bellum appellatur מלחמה *milhama*, q. d. comeſtionem ſive devorationem hominum, quòd, ſicut ait R. Kimhi, in bello gladius circumquaque incidat, ac devoret velut cibum. Nam לחם *lehem*, ſignificat panem. Scythæ acinacem genus gladii pro Deo colebant, ut tradit Ammian. Marcellin. lib. 31. Arnob. lib. 6. Clemens Alexandrinus in adhort. ad Gentes. Ochum Perſarum Regem ob crudelitatem Ægyptii vocabant gladium, nos verò Chriſtum ob ſeveritatem in die judicii. Sed hæc ſunt myſtica.

Secundò itaque ſumitur gladius ſymbolicè pro 80.
ſupplicio impiis à Chriſto Judice irrogando. Sic dicitur Deuteron. 32. 40. *Levabo ad cælum manum meam*, (id eſt, jurabo) *& dicam: Vivo ego in æternum. Si acuero ut fulgur gladium meum*, (ut fulgeat, terreat, omnia pervadat) *& arripuerit judicium manus mea*, (id eſt, cœperit exequi ſententiam datam in ſceleratos) *reddam ultionem hoſtibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam.* Nunc gladium illum, quem ſe arrepturum minatur, habet in ore, id eſt, minas illorum ſuppliciorum intentat, Apoc. 1. 16. *De ore ejus gladius utrâque parte acutus exibat.* Et cap. 2. 16. ait ſe pugnaturum cum Nicolaitis hæreticis in gladio oris ſui. Et cap. 19. 15. habetur: *De ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipſo percutiat gentes, & ipſe reget eos in virga ferrea*, id eſt, ita, ſeu, cum gladio ſuo, ſtatim rebelles ſternendo. Joannes Bohemus de ritu Gentium refert, in Aſia Principem, cùm primùm Rex inauguratur, dicere ſolitum: *Oris mei ſermo de cætero gladius meus erit.* Scythis quoque gladius erat hieroglyphicum mortis, & juramentum omnium maximum cenſebant eſſe per ventum & acinacem: per hunc, interitum ac ſalutem: in illo, animam, hoc eſt, vitam, intelligentes. Cùm iratus Caligula Romam peteret, ac legati ampliſſimi Ordinis, ut maturaret, orarent, quàm maximâ voce ait: *Veniam, veniam, & hic mecum, capulum gladii verberans, quo cinctus erat.* Intra quartum menſem eſt mortuus, cùm decreviſſet interimere utriuſque Ordinis electiſſimum quemque. Quod, ne cui dubium videatur, in ſecretis ejus reperti ſunt duo libelli diverſo titulo: *Alteri gladius, alteri pugio index erat.* Ambo notas & nomina continebant morti deſtinatorum. Ita Suetonius in Caligula cap. 49. De Galba autem ait, cùm Neronem occiſum cunctoſque in verba ſua juràſſe cognoviſſet, depoſitâ

Secundò, punitio impiorum.

Ritus in creatione Regum Aſiæ.

Gladius à Scythis Deus exiſtimatus.

Caligulæ crudelitas.

Galbæ ſeveritas.

depoſitâ legati appellatione, Cæſarem ſe nominâſſe, iterque ingreſſum eſſe paludatum, *& dependente è cervicibus pugione ante pectus*: nec priùs uſum togæ recuperaviſſe, quam oppreſſis, qui res novas moliebantur. Ita ipſe in Galba, cap. 11. Sed quid hæc ſunt, ſi cum gladio Dei conferantur, quem tenens Angelus unâ nocte occidit omnes Ægypti primogenitos, aliâ nocte in caſtris Sennacherib centum octoginta quinque hominum millia? De ipſo Dei populo alius Angelus occidit tribus diebus ſeptuaginta millia virorum ob numeratum populum juſſu Davidis Regis ſanctiſſimi, 1 Paral. 21. 16. *Levans David oculos ſuos, vidit Angelum Domini ſtantem inter cælum & terram, & evaginatum gladium in manu ejus, & verſum contra Jeruſalem: & ceciderunt tam ipſe, quam majores natu veſtiti ciliciis, proni in terram.* Ita in terram cade de Dei gladiu cogitans.

Malleo Christus impios conterit. Vidit B. Joſephus Ordinis Præmonſtratenſis Chriſtum tenentem malleum (etiam hunc חרב *hereb* ſignificat) ut monaſterium quoddam ob ſcelera dirueret, ſed precibus veniam impetravit. Viſus eſt Romæ Angelus bonus, ſingulis noctibus vicos inambulans, dæmonique imperans, ut venabulo, quod geſtabat, domorum variarum oſtia percuteret: quoties autem ictum iteráſſet, tot in ea domo ſequenti die moriebantur, ut narrat Paulus Diaconus lib. 6. hiſt. Longob. cap. 5. Baron. anno 680. num. 51.

81. *Gladius à clade dictus.* Nota primò, *gladius* è clade dicitur quaſi cladius, quòd cladem hoſtibus inferat, ut docet Varro. Hebraicè autem vox חרב *hereb*, quâ Propheta utitur, à deſolando dicitur. Rad. *harab*, deſolavit, deſtruxit. Variis aliis nominibus Hebræi gladium nominant, quæ omnia conſumptionem ſignificant: 1. *Maachelech* vocatur, q. d. devoratio, comeſtio. Rad. *acal*, comedit, devoravit, conſumpſit. Hinc datur os gladio, quo omnia conficiat, Deuter. 13. 15. & 20. 13. Joſue 6. 21. & 10. 28. & alibi paſſim. 2. Gladius vocatur רצח *reſah*, q. d. homicidium, occiſio. 3. Vocatur פתח *phetah*, q. d. apertio, quòd vulnere corpus aperiat. Rad. פתח aperuit. 4. Vocatur משלחת *miſlahath*, q. d. emiſſio, quòd in hoſtem emittatur & contorqueatur.

82. *Cur gladius & arcus ſimul jungantur.* Nota ſecundò, pro *vibrabit*, in Hebræo eſt *iltos*, id eſt primò, acuet: ſecundò, poliet, expoliet: tertiò, quia ferramento polita ſplandorem emittunt, Soli præſertim objecta, ideò *iltos* ſignificat etiam irradiabit, ſplendeſcet, fulgebit, ſcintillabit, vibrabit, ſumptum neutraliter, id eſt, micabit, ut Tullius 4. Academ. ſumit, ubi agens de mari ait: Quodque nunc, quia à Sole collucet, albeſcit & vibrat, diſſimileque eſt proximo ei continenti. 4. *Iltos* ſignificat agitationem gladii, ex qua ſplendor in hoſtis oculos incurrens, eum exterret, q. d. gladium Deus movebit, quatiet manu, rotabit, circumaget, ut primò radiis minacibus territi, ſapiant hoſtes ejus, & omnes mortales: deinde pereant niſi mores mutaverint. Et hanc agitationem gladii propriè ſignificat *τὸ vibrabit*, ordinariè enim ſumitur activè. Sic Tull. lib. 2. de oratore: Atque ejuſmodi, ait, illa proluſio debet eſſe non ut Samnitum, qui vibrant haſtas ante pugnam, quibus in pugnando non utuntur.

Nota tertiò: Arcum gladio jungit David: *Gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit*: quia tunc temporis in Syria, Aſſyria, Chaldæa, Judæa, aliiſque penè omnibus regionibus hæc erat ſola aut præcipua armatura. Hinc idem Rex ait Pſalm. 43. 4. *Non enim in arcu meo ſperabo*, (S. Hieron. confidam) *& gladius meus non ſalvabit me*: q. d. nulla me arma humana ſervare poſſunt, ideò in nullis ſpem meam ponam, ſed in Dei auxilio. Aliqui etiam tum utebantur fundâ, ut David ipſe in Goliath, quem proſtravit lapide in fronte ejus infixo, 1 Reg. 17. 49. Aliqui etiam habebant haſtas, ut Goliath, qui ad Davidem veniebat cum gladio, & haſta, & clypeo: haſtile haſtæ ejus erat quaſi liciatorium (Chald. & Vatabl. jugum, id eſt, lignum, cui licia & fila implicantur) texentium: ipſum autem ferrum haſtæ ejus, ſexcentos ſiclos habebat ferri. Ordinaria tamen arma erant gladius & arcus, quæ etiam arma fuerunt antiquiſſima. Jacob enim Geneſ. 48. 22. Joſepho filio ſuo, morti proximus: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, in gladio & arcu meo*: Id, non tantùm in oratione & precibus, ut putârunt Chald. & Aben Ezra. 2. Non tantùm in pecunia multo labore parta, ut cenſuit Hieronymus, ſed etiam 3. In gladio & arcu meo, id eſt, armis meis, cùm poſt Sichimitas à filiis meis Levi & Simeone cæſos ſeceſſiſſem ex agro Sichimenſi, quem emeram ab Hemor, & Amorrhæi illum occupâſſent, poſteà rediens, inde eos ejeci. Sicut gladius & arcus fuerunt arma antiquiſſima, ita fuerunt univerſaliſſima: omnes enim nationes illis aut utuntur, aut uſæ ſunt, donec alia arma haberent commodiora.

Nota quartò: Primò per gladium acerbitas pœnæ, per arcum, ejus celeritas denotatur, ut S. Chryſoſtomus. Secundò, per gladium præſentes pœnæ: per arcum, futuræ deſignantur, ut vult S. Gregorius, Beda & Philippus: arcus enim ex loco remoto ferit. Tropologicè, Deus gladio vicinos petit, qui punitionis cauſam vident: arcu, remotos, id eſt, eos, qui eam notitiam non habent, ut explicat S. Thomas. Ægyptii tumultum bellique principium, per hominem armatum, qui arcu telum intenderet, atque ad feriendum paratus videretur, ſapienter figurabant: & quâ nocte Attila Orbis terror & flagellum Dei ſanguinis eruptione ſuffocatus eſt, Angelus apparuit Imp. Martiano apud Conſtantinopolim agenti, eique fractum arcum Attilæ oſtendit: vel, ut aliis placet, relaxatum, q. d. nihil ipſi eſſe ab eo hoſte metuendum, ejus vim concidiſſe.

Arcum ſuum Deus non tenet otioſum: ſed tendit illum, & ſagittis implet, quibus impios feriat & occidat, verſ. eodem 13. *Arcum ſuum tetendit*, Verſ. 13.
& paravit (Hebr. יכוננה *ieconen*, parabit, præparabit: Prophetice, per præteritum, vertitur ob rei 2. Pars.
certitudinem. Syr. inſtruxit. Felix. direxit. Arabs, firmavit: id enim ſignificat etiam כון *cun*, ſtabilire, fundare) *illum*: verſ. 14. ET IN EO PARAVIT Verſ. 14.
VASA MORTIS, (id eſt, mortifera, mortem certam afferentia) SAGITTAS SUAS ARDENTIBUS EFFECIT.

83. *Arcus intentus eſt ſymbolum potentiæ Dei.* Nota primò, per arcum intentum, & ſagittâ armatum ſymbolicè intelligitur potentia Dei jam ad puniendum parata, ac mox punitura, niſi interveniat pœnitentia. Sic Iſaias ait cap. 5. 28. *Sagittæ ejus acutæ, omnes arcus ejus extenti*: ut per Chaldæos puniat Jeruſalem, ſicut explicat Sanctius: vel, ut per Titum & Romanos, ſicut Cornelius. Everſionem per Nabuchodonoſor & Chaldæos deflens Jeremias Thren. 2. 4. ait: *Tetendit arcum ſuum*, (vim ſuam ultricem, ait Origenes) *quaſi inimicus*, (non inimicus, ſed quaſi inimicus, quia ex amore ponit) *firmavit dexteram ſuam*, (ad emittendam fortiter ſagittam) *quaſi hoſtis*: *& occidit omne, quod pulchrum erat viſu in tabernaculo filiæ Sion*, id eſt, omnes pulchros juvenes, virgines, & ſacerdotes, ut Chald. & Olympiodorus explicant: *Effudit quaſi ignem* (ut fulgor) *indignationem ſuam.*

Nota ſecundò, vocem Hebr. כלי *cheli*, id eſt, vas, ſumi pro quolibet inſtrumento, ſeu re qualibet quæ uſui nobis eſt ad agendum. Itaque *vaſa mortis* vertit Arabs, *inſtrumenta mortis*. Chald. *arma mortis*. Sic Ezechiel. 19. 1. dicitur: *Appropinquaverunt viſitationes*, (id eſt, viſitatores, ultores, vindices: nempe Chaldæi) *urbis*, (Sion) *& unuſquiſque vas*

in-

interfectionis, (id eſt, inſtrumentum ad interficiendum: nempe gladium, arcum, aut haſtam, aut ſecurim. Arabs vertit, *inſtrumentum perditionis*.) Et verſ. 2. additur: *Sex viri* (id eſt, ſex dæmones, ait S. Hier. 2. Et meliùs, ſex Archiduces Nabuchonoſor: nempe Neregel, Sereſer, Semegarnabu, Sarſachim, Rabſares, Rebmag. 3. Magis appoſitè, ſex Angeli boni, qui ſtricto gladio eos duces præibant, & dirigebant) *veniebant de via portæ ſuperioris, quæ reſpicit ad Aquilonem*, prope quam templi portam Judæi peccaverant idololatriâ, cap. 8. 3. *Et uniuſcujuſque vas interitûs* (Pagn. inſtrumentum ad perdendum. Chald. ſecuri̇m reddit: malim dicere eos habuiſſe gladium) *in manu ejus*. Sicà Jacob vocantur Simeon & Levi, Geneſ. 49. 5. *Vaſa iniquitatis bellantia*, hoc eſt, inſtrumenta iniquitatis, ſeu inſtrumenta iniqua, & iniquum atque injuſtum bellum inferentia Sichimitis ob Dinam raptam, cùm eam injuriam condonâſſent fœdere inito. Sic S. Paulus à Chriſto apparente Ananiæ, vocatur *vas electionis*, id eſt, ſingulariter electum. Primò, ob ſapientiam & gratiam, quâ plenum fuit, ut ait S. Ambroſ. ſerm. 11. & Origen. 3. periarchon. Secundò, & veriùs, vas electionis, id eſt, inſtrumentum electum ſpecialiter ad promulgationem Evangelii inter Gentes: unde mox additur: ut portet nomen meum coram Gentibus & Regibus: Agrippa ſcilicet Judææ Rege, Nerone imp. & aliis.

Nota tertiò, pro *ardentibus* in Hebr. eſt לדלקים *ledolekim*, id eſt, primò, in ardentes: ſecundò, in perſequentes. Nam *dalak* ſignificat: 1. Ardere, ſuccendere, inflammare. 2. Sequi, perſequi, *le dalechim* eſt benoni in dativo caſu: itaque rectè Noſter vertit, *ardentibus*. Sept. καιομένοις. 2. Pag. & Cajet. *perſequentibus*. S. Hilar. in Pſ. 2. & 29. & 126. *arſuris*.

84. Ardentes intelliguntur: Primò, ipſæ ſagittæ.

Quæres: Quid per *ardentes* hîc intelligatur? Primò, aliqui intelligunt ipſas ſagittas, quas Deus igne iræ ſuæ accenderit, ut faciliùs impios velut ſtuppam & ſtipulam conſumant. Unde S. Auguſt. notat plures codices habuiſſe, *ſagittas ſuas ardentes operatus eſt*. S. Hieron. etiam ſic accipere videtur, cùm vertit: *Sagittas ſuas ad comburendum operatus eſt*. Sagittis in cuſpide ardentibus aliquando pugnabatur. Sed Dei ſagittæ, id eſt, fulmina, totæ ſunt ignis, & quidem inextinguibilis.

Secundò, hoſtes Saulis.

Secundò, *ardentes* magis appoſitè intelliguntur hoſtes Saulis, nempe Philiſthæi, qui eum transfoderunt in monte Gelboë, q. d. *Sagittas ſuas ardentibus effecit*, id eſt, Deus paravit ſagittas ſuas, & tradidit Philiſthæis, odio & furore in Saulem ardentibus & ſuccenſis, ut eum certo ictu transfigant, ſicut accidit 1 Reg. ult. 3. *Totum pondus prælii verſum eſt in Saul*, (occiſis ejus filiis, nempe Jonathâ, Abinadab & Melchiſuâ) *& conſecuti ſunt eum viri ſagittarii, & vulneratus eſt vehementer à ſagittariis*.

Tertiò, & meliùs, hoſtes Davidis.

Tertiò, *ardentes* magis appoſitè intelliguntur ipſi hoſtes Davidis: nempe Saul, Doëg Idumæus, & alii, qui in eum irâ & odio inflammati præcipites ferebantur ad necem illi inferendam: Senſus itaque eſt: *Sagittas ſuas ardentibus effecit*, id eſt, effecit, fabricavit, operatus eſt, ac direxit ſagittas ſuas in, id eſt, contra ardentes, ut eos percutiat & proſternat. Felix vertit: *Sagittas ſuas in perſecutores fabricabitur*. Chald. *Sagittas ſuas in perſecutores juſtorum operabitur*, non ſunt inefficacia Dei tela, non aberrant à ſcopo, in quem feruntur, hunc feriunt, Arias vertit, in ardentes. Arabs & Flaminius, in perſequentes.

85. Tropolog. Ardent cupiditate peccatores.

Tropologicè, *ardentes* ſunt, qui inflammantur cupiditate, avaritiâ, voluptate & cæteris. Hi à Deo comburuntur, ut materia, quæ facilè ignem concipit, cùm ſint gehennæ filii, & tela ignea inimici priùs in ſe admiſerunt. Ita S. Cyrillus, S. Baſilius, Hier. Chryſoſt. Thomas, Eccli. 21, 10. *Stuppa collecta ſynagoga peccantium, & conſummatio* (id eſt: 1. Conſumptio. 2. Finis. Sept. συντέλεια.) *eorum, flamma ignis*, id eſt, 1. Ignis iræ Dei. 2. Vindictæ. 3. Conflagrationis mundi. 4. Judicii. 5. Gehennæ: unde Complutenſis Bibliis addunt, *in perditionem*: & Tigurina: *Stuppa collecta cœtus eſt nefariorum, flammaque ignis exitialis eorum exitus*. Pharetra ſceleratorum eſt eorum cor: arcus, os & labia: ſagittæ, conſilia & cogitationes, ac verba & opera.

Alleg. *ardentes* ſunt primò Judæi, qui in Chriſtum furebant, & ipſum crucifixerunt. Rectè etiam eos nuncupabis ſagittas ardentes, & compluribus ſagittis transfigentibus cor Regis Paryſadæ, de quo Diodor. Siculus lib. 20. Satyrus, ait, Eumelus & Prytanis, Paryſadæ Boſphori Cimmerii Regis filii de regno contendebant. Ariopharnis Thracum Regis conſilio uſi, patris cadaver ex ſepulchro eruunt, arbori alligant, arcu contendunt, ut qui parentis cor ſagittâ transfixiſſet, verus regni hæres judicaretur. Major, mediuſque natu directis arcubus, ille quidem guttur, hic verò pectus medium illæſo adhuc corde transfigit. Natu minimus Eumelus tantum barbariem execratus, ait: Malle ſe regno fratribus cedere, quàm in patris cadaver impiè ſævire. Hoc intellecto Rex ille barbarus dignum judicavit, qui ſolus patri in regno ſuccederet, cùm ex virtute & paterna benevolentia cæteris duobus ſe ſuperiorem eſſe hoc facto apertè oſtendiſſet. Quod judicium, cùm fratres non admitterent, Eumelum eò uſque juvit, donec Satyro & Prytani occiſis, ſolus regnaret. Judæi Chriſtum Parentem ſuum confixerunt. Unde conqueritur, Malach. 3. 9. *Me vos configitis gens tota*. Et ceterùs de ea transfixione loquitur, Zach. 12. 10. *Aſpicient ad me*, (in cruce. 2. In die judicii, ubi oſtendam plagas manuum, pedum, lateris) *quem confixerunt*. Chriſtus eſt ille egenus & pauper, qui configitur à tauris, unicornibus, vitulis, leonibus, canibus, Pſ. 9. & 21. Cujuſque injurias ulciſcetur Deus ſagittis ſuis ardentibus, Proverb. 22. ℣. 22. *Non facias violentiam pauperi*, (Hebr. דל *dal*, id eſt, tenui, ut Arias vertit, 2. Exhauſto & evacuato, 3. Areſacto, exſiccato: uſuræ & violentiæ ſunt veluti febres ſiccantes, & omne humidum radicale abſumentes, & hominem extenuantes & emaciantes adipe omni conſumpto & carne) *neque conteras egenum in porta. Quia judicabit Dominus cauſam ejus, & configet* (Chald. ulciſcetur. Varabl. ſpoliabit. Symm. torquebit) *eos, qui confixerunt animam ejus*, Dei ſcilicet, id eſt, pauperem, quem amat ut animam ſuam, in quem ſe veluti transfudit, ut qui dat pauperi, det Deo: qui illi negat, Deo neget, Matth. 25. 2. animam ejus, id eſt Chriſtum. 3 Animam ejus, id eſt, ipſum Deum, Zachar. 2. 8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*. Hebr. Chald. Septuag. S. Hieronymus in commentario habent, *oculi ejus*: vel, *oculi ſui*: quia Deus ſagittas reflectit in authores, & cornicum configit oculos. 4. Et propriè, animam ejus, id eſt, pauperis, nempe Chriſti, cujus injurias ulciſcitur Deus.

Pietas Eumeli illum Regem facit.

86. Allegoricè, Ardent zelo Apoſtoli.

Secundò: Allegoricè etiam *ardentes* ſagittæ Dei ſunt Apoſtoli & Concionatores, qui corda ardentia populorum transfigunt. S. Aug. in Pſ. noſtr. *Arcum iſtum, ait, Scripturas ſanctas libenter acceperim: ubi fortitudine novi Teſtamenti quaſi nervo quodam, duritia veteris flexa & domita eſt. Hinc tanquam ſagittæ emittuntur Apoſtoli, vel divina præconia jaculantur. Quas ſagittas ardentibus operatus eſt, id eſt, ut percuſſi divino amore flagrarent. Quâ enim aliâ ſagittâ percuſſa eſt, quæ dicit Cant. 2. Inducite me in domum vini, conſtipate me inter unguenta, conſtipate me inter mala quoniam vulnerata charitate ego ſum? Quibus aliis ſagittis accenduntur, qui redire ad Deum cupiunt, & ab iſta peregrinatione remeare adverſus doloſas linguas petunt auxilium? Et ei dicitur,*

Pſal.

Pſal. 115. Quid detur tibi, aut quid adjiciatur tibi adverſus linguam doloſam? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatoriis: id eſt, quibus percuſſus atque inflammatus tantò amore ardeas regni cælorum, ut omnium reſiſtentium, & a propoſito revocare volentium, blanditias contemnas, & perſecutiones eorum derideas dicens, Rom. 8. Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus ſum enim, inquit, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque præſentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto JESU Domino noſtro. Sic ardentibus ſagittas ſuas operatus eſt. Nam in Græcis exemplaribus ita invenitur: ſagittas ſuas ardentibus operatus eſt. Latina autem, *ardentes*, pleraque habent. Sed ſive ipſæ ſagittæ ardeant, ſive ardere faciant, quod utique non poſſunt, niſi & ipſæ ardeant, integer ſenſus eſt. Ita Aug. Qui deinde notat ipſos Apoſtolos non tantùm eſſe ſagittas ardentes ad exercitationem fidelium, ſed etiam *vaſa mortis* ad perniciem infidelium, ſicut Paulus dicebat, 2 Cor. 2. Aliis ſumus odor in vitam, aliis odor mortis in mortem.

Quæres ſecundò: Quandonam Chriſtus ſit illas ſagittas evibraturus contra impios, ut illos perimat, aut puniat? Reſpondeo, id unum, quod habet Propheta noſter: *Niſi converſi fueritis, gladium*, &c. tempus autem eſt in incerto. Sic Chriſtus occaſione ſumptâ ob Galilæos, quorum ſanguinem Pilatus miſcuerat cum ſacrificiis eorum; id eſt, quos tempore ſacrificii ſui occiderat in monte Garizim, ubi Samaritani templum erexerant, ut populus non veniret Jeroſolymam: eos autem Galilæos, id eſt, ſequaces Judæ Galilæi, Pilatus Judææ præſes peremit, quòd rebellarent in Cæſarem, & negarent ei eſſe tributa perſolvenda: occaſione inquam inde ſumpta ait Chriſtus Lucæ decimo tertiò, verſu ſecundò: *Putatis, quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint? Non, dico vobis: ſed niſi pœnitentiam habueritis*, (Græcè, μετανοῆτε, id eſt, pœnitentiam egeritis) *omnes ſimiliter peribitis*, id eſt, ſimili morte, clade & vindictâ Dei. Nam captâ Jeroſolymâ multi occiſi ſunt in ipſo templo à Romanis, in loco, ubi ſacrificia fiebant: & antequam caperetur, à zelotis ibi multæ cædes patratæ ſunt, ita ſanctus Cyrillus in Catena, ſanctus Thomas & alii. Sic etiam cùm retuliſſet Chriſtus prope fontem ſeu piſcinam Siloe, quæ erat juxta Jeruſalem, turri cadente octodecim homines eſſe occiſos, ait ibidem verſu quinto: *Si pœnitentiam non egeritis, ſimiliter peribitis.*

Itaque omnibus cum Propheta noſtro eſt inclamandum Pſalmo nonageſimo quarto, verſu octavo: *Hodie ſi vocem ejus* (Hebr. *in voce ejus*. Vox enim Dei revelat myſteria, & pœnas ac præmia ob oculos ponit) *audieritis, nolite obdurare* (Hieronymus, *indurare*: à veſtra voluntate hoc pendet) *corda veſtra. Sicut in irritatione* (Pſalt. Rom. & Caſſiodorus, in exacerbatione: Pſalterium vetus, & ſanctus Auguſtinus, in illa amaricatione. Peccator eſt Deo uva acerba) *ſecundùm diem tentationis in deſerto*, id eſt, ſicut in die, id eſt, in tempore, quo me ſæpiùs patres veſtri tentaverunt in deſerto per annos quadraginta, & ſæpiùs puniti ſunt. Dies enim per ſynecdochen pro tempore ponitur. Chriſtianus Thanatophiaſtus in arte artium parte primâ, capite primo de præparatione ad mortem, refert de quodam dynaſta, qui, cùm pridie Pentecoſtes ad immane quoddam facinus perpetrandum pergeret, tribus famulis comitantibus, divinæ ſono vocis attonitus ſubſtitit, atque in proximi famuli brachia repentè decidit. Divina autem vox erat ejuſmodi: *Quò pergis? Quid agis? Quod ad ſcelus effrænata te jactat audacia? Moriturum te eſſe, quàm primùm non ſentis? Exigendam à te vitæ rationem confeſtim non vides? Muta mentem, contractas animi ſordes elue, ac de placando Deo, quàm de laceſſendo diligentiùs cogita.* Tunc enim verò vociferari illet *Confeſſionem, Confeſſionem*. Quid multa, donum cedux, de peccatis multa lacrymarum vi fuſa confitetur, multaſque in egenos eleemoſynas partitur: denique ad Deum ſeriò convertitur, & feliciſſimè moritur, univerſa Regis curia tantæ vicis eventum non admirante tantùm, ſed etiam propemodum invidente.

Non fuit par felicitas Zambri Principis in tribu 87.
Simeon, qui peccans cum Cozbi, filia Sur Princi- *1. Zambri*
pis nobiliſſimi Madianitarum, occiſus eſt à Phinee *punitus in*
filio Eleazari filii Aaron, Numerorum viceſimo *ipſo flagitio.*
quinto, verſu octavo: Non par Conradi Suevo- *2. Conradi.*
rum Ducis, Durlaci à cive, cujus uxore abutebatur,
transfixi. Non Rodoaldi Longobardorum Regis, *3. Rodoaldi.*
qui pari in flagitio non diſparem pœnam ſortitus
eſt. A Deo ipſo occiſi ſunt Her & Onan filii Juda, *4. Onan & Her.*
quòd matrimonio abuterentur, & in ejus actu ſe *5. Maritorum*
retraherent, & ſemen perderent, Geneſis trigeſi- *Saræ.*
mo octavo. Saræ filiæ Raguëlis ſeptem maritos occidit dæmonium nomine Aſmodæus, mox ut ingreſſi ſunt ad eam, Tobiæ 3. verſu 8. ob effrænem ſcilicet eorum libidinem. Non luxuriam tantùm, ſed alia etiam vitia ſubitâ morte punit Deus.
Anacreon Poëta, dum largiùs vino ſeſe injurgi- *6. Anacreontis.*
taret, acino uvæ paſſæ ſtrangulatus eſt. Andebun- *7. Andebunti.*
tus Rex Anglorum, nimio mero in cœna ſumpto interiit. Domitius Afer cibi ſuperfluitate redundans in cœna periit. Childericus Saxo, nimio *8. Childerici.*
cibo fartus, in lecto repertus eſt mortuus.

Mortis itaque ſemper imminentis memoria te ad *Marolus mortis memor.*
virtutem amplectendam excita. Marolus Epiſcopus Vulturarienſis, ut ipſe teſtatur tomo 1. colloq. 23. vix ephebis egreſſus, in tantam ſe futuræ mortis cogitationem erexerat, ut depictas ad omnia conclavis ſui latera, mortis imagines appenderet, ut hoc aſpectu magis ad cœleſtia animaretur. Hanc primæ imagini epigraphen adjunxerat: *Vivens ſemper morere, ut mortuus ſemper vivas.* Ut verò mortis contemptum diſceret, alteri imagini hunc verſiculum addiderat. *Ne moriare, opus eſt mortem*
prævertere morte. Tertiò effigies, ut omnium vo- 88.
luptatum, dignitatum, divitiarumque contemptum *Mors*
obtineret, hanc habebat gnomam: *Semina nequitiæ* *repentinè*
languidiora facit. Si te ſcelerum conſcientia non *ſublatis.*
mordet, ne tamen ſis ſecurus, ſed mortem ſemper
expecta. Canutus tertius Anglorum Rex moderato *1. Canutus in*
in convivio inter potandum repentè cecidit: idem *Anglia.*
accidit Caſimiro ſecundo Poloniæ Principi. *2. Caſimirus in*
Alexander ſecundus Scotiæ Rex equo excuſſus *Polonia.*
cervice fractâ repentè obiit, ut ait Hector Boëthius
libro decimo tertiò hiſtor. Scot. Joannes Caſtellæ *3. Alexander in*
Rex equum in vervacto, ſeu agro ſemel proſciſſo *Scotia.*
in vere, ad curſum incitans eodem modo interiit, *4. Joannes in*
ut tradit Mariana libro 18. hiſtor. Hiſpan. capite *Caſtella.*
13. Garcias Ramirus Navarræ Rex petens Pom-
pejopolim ab equo ob tubum attonito, & in caput *5. Ramirus in*
ſe reflectente ſuffocatus eſt, teſte Fauyno libro 4. *Navarra.*
hiſt. Navarræ, qui etiam libro quinto refert, Fer- *6. Philippus in*
dinandum fratrem Sancii Fortis equo excuſſum, ob *Francia.*
porcum ſe intra equi pedes immittentem, eſſe repentè extinctum, eâdemque ratione Philippum filium Ludovici Craſſi Regis Francorum in ipſa urbe regia eſſe mortuum.

Omnibus dic cum Chriſto Matthæi 24. ℣. 42. *Vigilate ergò, quia neſcitis, quâ horâ Dominus veſter venturus ſit.* Sancta Marcella, ut ait S. Hieronymus epiſtolâ 16. ad Principiam: Laudabat illud Platonicum, qui *philoſophiam meditationem mortis* eſſe dixit. Et præceptum Satyrici: *Vive memor lethi, fugit hora.* Sic ergò vixit, ut ſemper ſe crederet eſſe mortis

moriturum: ſic induta eſt veſtibus, ut meminiſſet ſepulcri, offerens ſe hoſtiam rationabilem vivam, placentem Deo. Ita ipſe. Et S. Barlaam dicebat
Joſaphat inculcatur mortis incertitudo. diſcipulo ſuo S. Joſaphat filio Abennet Regis Indorum, qui ſpreto regno religioſam vitam erat amplexatus: *Hodie te vitam religioſam inchoâſſe cogita, hodie finiturum*: furi ſe comparat Chriſtus ex improviſo venienti, & ait Matth. 24. 44. *Et vos eſtote parati, quia, quâ neſcitis horâ, Filius hominis veniet*, ad judicium ſcilicet, *Apocal.* 16. 15. ait: *Ecce venio ſicut fur*: cavendum, ne incauti intercipiamur, velut à fure, ut monet Paulus 1 Theſſalonicenſ. 5. 4. Time oculos Judicis, qui ſimilis eſt capreæ acutè videnti, quique ſcrutatur corda & renes, ejus judicium judicio præveni, & pœnitentiâ. Vide S. Bernard. ſermone 55. in Cantica.

ARTICULUS III.

Magnus eſt peccatoris dolor in conceptione, parturitione, & partu peccati.

CUm dixerit Propheta gladium, arcum & ſagittas Dei parari contra Saulem, nunc dicit Deum ita rem ſuâ providentiâ diſpoſiturum eſſe, ut ſuis ipſe artibus capiatur, & dolorem ſentiat, quem alteri paraverat. Hoc tribus verſibus ſequentibus explicat, ac primò ejus malitiam aperit, verſu decimo quinto: ECCE PARTURIIT INJUSTITIAM, CONCEPIT DOLOREM, ET PEPERIT INIQUITATEM.

Verſ. 15. 89. Conceptio. Nota, parturio eſt verbum deſiderativum, & ſignificat deſidero parere, laboro & enitor, ut pariam: partûs dolores ſentio, & contendo, ut ex utero fœtum in lucem educam, ejuſque onere me liberem, & gaudeam, quòd homo natus ſit in Mundum. Concipere verò, eſt, ſimul capere & apprehendere: unde mulier concipere dicitur, cùm genitale ſemen vulva apprehendit ad fœtum faciendum. Itaque priùs eſt concipere, quàm parturire: cùm conceptio ſit ſemine accepto prima fœtus formatio: parturitiò autem fit, poſtquam multis menſibus fœtus perfectus eſt, & ampliùs utero contineri non poteſt, ſed vult & molitur foras erumpere, & viam ſibi aperire: unde dolor maximus ſequitur ob anguſtias tranſitus: S. Bernardus ait mirandum eſſe, quomodò non omnes in partu diſcerpamur & ſuffocemur.

Parturitio. Vox Græca ὠδίνω, *parturio*, quâ uſi ſunt Sept. hîc, deducitur ab ὀδύνη *dolor*, propriè corporis, apud Homer. Xenoph. Platon. & transfertur ad maximos dolores, qui etiam ex partu non oriuntur. Nam Odyſſ. 1. de Polyphemo, cui Ulyſſes oculum effoderat, dicitur: ὠδίνων ὀδύνῃσι. Nota ſecundò conceptionem, parturitionem, & partum ad animum transferri. Conceptus mentis, ἔννοιαι, dicuntur ea, quæ comprehendimus & imaginamur. Vel, ut ait Ammonius in libro de interpret. 4. verſu 10 conceptus mentis, ſunt imagines rerum animæ inſitæ. S. Thomas in libro perihermen. ait, conceptiones intellectûs eſſe rerum ſimilitudines. Propriè dicimus aliquid concipere, cùm illud perfectè cognoſcimus & apprehendimus. Sic apud Geometras, communes animi conceptiones vocantur ea, quæ omnes tanquam manifeſta & indubitata profitentur: ut, omne totum eſt majus ſuâ parte, item illud: Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent inter ſe, æqualia ſunt. Concepta verò mente parturimus, cùm modos explicandi aut exequendi rem conceptam cogitamus. Parimus denique, cùm aut locutione conceptionem noſtram aperimus, aut opere complemus.

Quæres primò: Quid ſit parturire injuſtitiam, concipere dolorem, & parere iniquitatem? Reſpondeo primò: Lipomanus *parturitionem* eſſe diligentem conſiderationem & diſcuſſionem de injuſtitia committenda: *conceptionem*, anxiam eſſe diſpoſitionem mediorum: *partum* denique, rei executionem per productionem in actum. Secundò Arias cenſet, *parturitionem* eſſe primam ſententiam pravam: *conceptionem* illius conſervationem & promotionem: *partum* denique, ejus executionem.

Tertiò, Gloſſa interlinearis & Alcuinus ante parturitionem conceptionem ordine naturali collocant in hunc modum: Conceptio eſt prima ſuggeſtio: parturitio eſt conſenſus: partus eſt opus. Ludolphus verò conceptionem ſtatuit pro conſenſu: parturitionem pro conatu: partum pro opere.

Quæres ſecundò: Cur ordine præpoſtero Propheta priùs poſuerit parturitionem, quàm conceptionem? Primò, Didymus hunc ordinem eſſe præpoſterum agnoſcens, ait, hunc eſſe poſitum, ut perturbatio & perverſitas peccati ſic innoteſcat. Caſſiodorus verò cauſam affert, ut intelligamus malitiam non ex alieno malo eſſe conceptam, ſed eſſe propriam. 90. *Ponitur priùs parturitio, quàm conceptio ob quatuor rationes:* 1.

Secundò, S. Hieronymus, non admittit ordinem eſſe inverſum, vertit enim: *Ecce parturiit iniquitatem concepto dolore, peperit mendacium*, q. d. poſtquam dolorem concepit, parturiit iniquitatem: ſic præit conceptio, & parturitio ſequitur. Felix etiam reddit: *Ecce enixus eſt iniquitatem, poſtquam concepit afflictionem, & peperit falſitatem.* Sed ſic parturitio non tantùm conceptionem, ſed etiam partum ſequeretur, ſi Felicem ſequamur. Expoſitio S. Hieronymi, eſt bona & facilis: tamen particula vau, id eſt, & ab ipſo omittitur, deinde debuiſſet etiam ſecundùm Hebraicam eandem ſyntaxim etiam vertere, *& partu mendacio*; ſicque in Felicis difficultatem incideret. 2.

Tertiò, Bellarminus negat eſſe inverſum ordinem, quia *parturiit*, non eſt aliquid diverſum à voce peperit, ſed omninò idem. Igitur parturiit injuſtitiam dictum eſt in ſumma, & breviter: deinde explicatum eſt per illa, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Ita ipſe. Sed difficilè videtur non diſtinguere parturitionem à partu, ut patet ex dictis. 3.

Quartò denique, magis appoſitè & planè. Saul, qui Davidi occidenti Goliathum promiſerat filiam ſuam, parturiit injuſtitiam; voluit enim contra juſtitiam eâ illum privare, exponendo eum gladiis Philiſthinorum eam tamen injuſtitiam non peperit. Poſt datam Davidi victori Michol filiam ſuam veluti fructum illarum nuptiarum, Saul concepit dolorem; & ſumptum paſſivè, id eſt, quem ipſe in animo patiebatur; & activè, id eſt, quo Davidem vellet affligere: & peperit Iniquitatem, cùm lanceam in eum contorſit, & miſit, qui eum domi occiderent, ac fugientem & in montibus ac deſertis errantem cum exercitu perſecutus eſt. Sic non erit ullus ordo præpoſterus. De Saule enim Davidem perſequente hunc eſſe pſalmum, probavi in ejus initio. Quomodò in foveam, quam ipſi paraverat, inciderit, dicetur articulo ſequenti. 4. *Et optimâ.*

Moraliter nota, in conceptione & parturitione & partu peccati, eſſe dolorem & anxietatem. De quolibet impio hunc locum exponunt S. Thomas, Alcuin. Remig. & Gloſſa. 91. *Peccatum affert dolorem: Primò, cùm concipitur.*

Ac primò: In conceptione, id eſt, prima formatione & conſenſu peccati, dolor eſt, verſu 15. Ecce parturiit injuſtitiam, *concepit dolorem*. Hebr. עָמָל *amal*, id eſt: 1. Laborem, ut vertit Arias: ſic πόνον, id eſt, laborem, reddunt Septuaginta. 2. Afflictionem, ut Felix. 3. Metaphoricè, mendacium, ut Syr. & Arabs reddunt: hinc ſæpè in Scriptura jungitur cum אָוֶן *aven*, id eſt, vanitate & Aben Ezra dicit idem eſſe cum eo. 4. *Amal* etiam metaph. ſumitur pro perverſitate, ut vertit Pagn. ſic πονηρία, iniquitas à πόνος, i. e. labor deducitur.

citur. Rad. *amal* propriè eſt laborare cum moleſtia & defatigatione. 2. Perverſè & iniquè agere. Itaque *amal* partim paſſivè ſumi poteſt pro moleſtia, ærumna, anxietate, fatigatione, quam quis patitur: partim activè, pro labore, moleſtia & dolore, quem alteri infert. Hinc *malum* à Latinis ductum videtur.

Locus hic Davidis ſumptus eſt à cap. 15. 35. Jobi, ubi Eliphas Themanites ait de impio: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & uterus ejus præparat dolos*: & aliis, ut eos fallat, & ſibi, quia abortum faciet, nec ſuis opibus malè partis frui poterit. *Uterus ejus*, ut ait Pineda, id eſt, mens, pectus, præcordia, vis cogitandi. Sic dicitur Prov. 22. Sapientia conſervari in ventre: ſed videtur metaphora duci ab utero fœcundiſſimæ alicujus mulieris, quæ vix, cùm peperit, denuò concipit fœtum alium; ſic impii uterus & cogitatio nunquam ceſſat ab iniquitate. Nam, cùm concupiſcentia, poſtquam unum aliquod facinus conceptum peperit & excludit, aliud denuò præparat, format & fingit.

Semen ſerpentis eſt tentatio.

Ad conceptionem ſemen requiritur, id eſt, ſuggeſtio ſerpentis. Unde Haligarius Epiſcop. Cameracenſis lib. 5. de octo principalibus vitiis cap. 17. ait: *In ſuggeſtione peccati, ſemen eſt: in delectatione, fit nutrimentum, in conſenſu, perfectio.* Hoc ſemen ſerpentis, id eſt, diaboli, efficit, ut peccatoris & peccati pater ſit Diabolus. Ideò Chriſtus ait Judæis, Joan. 8. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis: &* (id eſt, quia, ait Cornelius) *deſideria* Græcè, ἐπιθυμίας, concupiſcentias, cupiditates) *patris veſtri vultis perficere.* S. Baſilius in Pſalm. noſtr. quem de Abſalone in patrem nefariè rebellante explicat, ait: Hunc diabolus parturiit per Injuſtitiam, & concepit, hoc eſt, in penitiſſimos receſſus, ὑπὸ τὰ σπλάγχνα τῆς ἰδίας διαθέσεως, *ſub inteſtina ſuæ affectionis viſcera pertraxit, ipſumque geſtavit diabolus in utero.* Denique eundem peperit, ejus iniquitate palàm traductâ. Ita ipſe: ubi ab eo vides diabolum proponi velut matrem peccatoris, quem utero geſtet ac pariat: rectiùs Chriſtus ait, diabolum eſſe patrem ejus, matrem aſſignat ignorantiam Marcus Eremita in præceptis ſalutaribus. Ubi, ait, velata fuerit anima, malâ prorſus oblivione, perniciosâ pigritiâ, καὶ πάντων κακῶν μητρὸς καὶ τροφοῦ, *& omnium malorum matre* & nutrice ignorantiâ, cuique rei viſæ, conceptæ, vel auditæ miſer animus atque obcæcatus adhæreſcit. Ita Marcus: in impio rectiùs matrem dices eſſe malitiam aut concupiſcentiam. Nam ait S. Jacobus capite 1. epiſtolâ 15. *Concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum*: Pater ibi eſt diabolus, mater eſt voluntas, ſine cujus conſenſu non eſt unquam peccatum formale, ſed tantùm materiale. S. Auguſtinus homiliâ 42. inter. 50. capite 8. ait: *Noli conſentire concupiſcentiæ tuæ. Non eſt, unde concipiat, niſi de te.* Et poſteà ſubdit: *Noli dare conſenſionis amplexum, ne plangas partum: quia, ſi conſenſeris, ſi amplexatus fueris, concipis.* Joannes Alba Electorum capite nonageſimo quinto: Concupiſcentia, inquit, peccatum concipit, cùm illud cogitat: conceptus enim phantaſiæ & mentis, eſt ipſa ejus cogitatio. Nam concupiſcentia primò tentat ſuggerendo homini illecebras. Deinde homo ſic tentatus concipit: id eſt, cogitat & verſat animo id, ad quod invitatur à concupiſcentia, nunc cogitans illud amplecti, nunc cogitans illud refutare: itaque ſecum luctatur, & animo fluctuat, peccatque ſemipleno conſenſu: ac tandem victus illecebrarum appetitu deliberatè eis conſentit, & pleno voluntatis conſenſu peccatum conſummat.

Seminis viperei ſuſceptio & peccati conceptio

dolorem parit, quia, ut ait hîc S. Chryſoſt. in Pſalm. noſtr. οὐ κατὰ φύσιν ἡ ἀδικία, *non eſt ſecundùm naturam noſtram injuſtitia.* Quæ autem ſunt contra naturam, ſine dolore eſſe non poſſunt.

94.

Dolores mulierum poſt conceptionem.

Nota, Ariſt. lib. 7. de hiſt. animal. cap. 4. docet, mulieres à conceptu: 1. Toto corpore gravari. 2. Oculorum caligine laborare. 3. Et dolore capitis, & ferè decimo die hoc accidere. 4. Nauſeas quoque & vomitus plurimas capere. Hæc omnia in conceptione & formatione peccati eveniunt.

Peccatum eſt onus.

Primò enim, peccatum onus eſt, ferentes in terram degravans. Hoc eſt, *onus jumentorum Auſtri.* Iſaiæ 30. 6. Id eſt, hominum belluinorum ardenti ſuâ concupiſcentiâ calefactorum & ardentium. S. Julianus Archiepiſcopus Toletanus in caput primum Nahum, tria *onera onerum* conſtituit, primò vanitatem, ſecundò iniquitatem, tertiò calamitatem: *Tria,* inquit, *ſunt onerum onera: vanitas, iniquitas, calamitas. Vanitas Mundi, iniquitas animi, calamitas orci. 1. Vanitas cæcat, iniquitas præcipitat, calamitas cruciat. 2. Vanitas Mundi cœleſtium aufert contemplationem: Iniquitas animi Dei & proximi dilectionem: Calamitas tartari, affectum boni, & animi devotionem. 3. Vanitas Mundi facit vitioſum: iniquitas animi reddit odioſum: calamitas orci ſupplicioſum. 4. Vanitas facit ſuccenſam, iniquitas reddit infeſtum, calamitas perpetuò mæſtum. 5. Vanitas deprimit, iniquitas curvat, calamitas frangit.*

Offundit caliginem.

Secundò, peccatum conceptum offendit menti caliginem; Mens enim noſtra eſt ſpeculum, quod divinos radios excipit, iiſque lucet: Peccatum terram injicit ac lutea, quæ radios illos hebetant, & imaginem cæleſtem reddere non poſſunt. Deinde halitus ſerpentis ſpeculum mentis offuſcat, ac nubes conglobat, quibus Solem ipſum prorſus oculis eripiat. Theophilus Patriarcha Antiochenus lib. 1. ad Autolycum hâc ſpeculi ſimilitudine utitur: ὥσπερ ἔσοπτρον ἐστιλβωμένον, οὕτως δεῖ τὸν ἄνθρωπον ἔχειν καθαρὰν ψυχήν, *ſicut ſpeculum ſplendidum*, inquit, *ita hominis animam purum & mundum eſſe oportet: Si rubigo inhæſerit, ſpeculum, quod illud, dum patitur, idem & tu experieris, ubi in peccatum occupaverit. Talis Deum cernere nequaquam valebit.*

Capitis dolorem parit.

Tertiò, peccatum conceptum cauſat dolorem capitis, id eſt, mentis, cùm videt miſeram animam amore incaleſcere, deſiderio rapi, ſpe ſubrigi, dejici deſperatione, timore contrahi, audaciâ diſſatari, titillari gaudio, cruentari mœrore, irâ tabeſcere, aliiſque affectionibus ſurſum deorſum per ſpineta ac dumos rapi. Cùm puer Sunamitidis iviſſet in agrum ad meſſores in magno æſtu, ait, 4 Regum 4. 19. *Caput meum doleo, caput meum doleo*, & ex eo dolore in ſinu matris eſt mortuus. Jahel fœmina volens occidere Siſaram dormientem, ut canitat Debbora capite 5. Judicum verſu 26. Siniſtram manum miſit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos, percuſſitque Siſaram, *quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans.* Dæmon conatur caput percutere, id eſt, intentionem: aut ſaltem gravedinem ei inducere, ut terram reſpiciat. Julian. Arch. Toletan. in caput 1. Nahum. *Onus aliud,* ait, *portatur in capite, aliud in brachiis, aliud in humeris. Onus in capite, vanitas in mente: Onus in brachiis, iniquitas in opera: Onus in humeris, calamitas gehennæ. Prima fœdat affectum, ſecunda inhoneſtat actum, tertia mortificat ſubjectum.*

Eſt cauſa nauſeæ.

Quartò, peccatum conceptum cauſa eſt nauſeantis & vomentis animæ, Iſaiæ 28. 8. *Omnes menſæ repletæ ſunt vomitu ſordiumque, ita ut non eſſet ultrà locus.* Seneca conſol. ad Salviam. *Vomunt,*

ut edant : edunt, ut vomant. Epulas, quas toto Orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. Vomitus omnium peccatorum eſt fœda & exitialis locutio de peccatis, & in alios effutio, fœtorem & maculas iis relinquens.

93. Secundò, peccati parturitio eſt cum dolore.

Poſt conceptionem peccati ſequitur parturitio. Secundò itaque de illa cum Propheta noſtro dicendum : *Ecce parturiit injuſtitiam, concepit dolorem*, id eſt, ſi S.Hieron. ſequimur, parturit injuſtitiam concepto dolore, hoc eſt, poſt peccati conceptionem, quæ eſt doloris cauſa. Nota, pro *injuſtitiam*, Hebr. eſt און *aven*, id eſt : 1. Mendacium, ut vertit Chaldæus. 2. *iniquitatem*, ut S. Hieron. Pagn. Arias. 3. Poſſis vertere laborem, ærumnam, fatigationem, moleſtiam, afflictionem, vanitatem, luctum : hæc enim omnia ſignificat *aven*, & juncta ſunt peccato. 4. Arabs reddit, *tyrannus parturit tyrannidem*. Legiſſe videtur און *aon*, id eſt, vis, robur, violentia, contritio. Peccator eſt tyrannus, & ſibi ipſi & aliis tyrannidem inducit.

94. Tertiò, peccati partus eſt plenus doloris.

In hac peccati parturitione dolor eſt, Eccli. 34. 5. *Divinatio erroris*, (tropol. eſt hæreſis, ait Rabanus) *& auguria mendacia*, (ſpes inanes) *& ſomnia malefacientium, vanitas eſt.* (in textu *aven*) ℣. 6. addit : *Et ſicut parturientis, cor tuum phantaſias patitur*, ut illas cum dolore pariat. Vide Galenum in lib. 1. Hippocratis de morbis vulgar. Commentar. 3. & lib. de præſagio inſomniorum. Etiam in ſomnis homo laborat, ut id exequatur, quod optat, ſed evigilans nihil habet reliqui præter fatigationem capitis & corporis : theſaurus enim v.g. quæſitus & erutus avolavit, & viri divitiarum nihil invenient in manibus ſuis.

Denique poſt peccati parturitionem anxiam & moleſtam ſequitur partus funeſtior, tetrior & laborum ac dolorum plenior : *Et peperit iniquitatem* Hebr. שקר *ſeker*, id eſt, mendacium, ut S.Hieron. Pagn. Flamin. Arias, Muiſius vertunt : eâdem voce uſus eſt Chaldæus. 2. Syr. reddit, dolum. 3. Septuag. ἀνομίαν, id eſt, injuſtitiam. 4 Arabs, dolorem. 5. Felia. & falſitatem. Hæc omnia ſunt in peccato : nempe falſitas materialis, falſitas formalis, id eſt, mendacium, dolus, dolor, injuſtitia ſeu iniquitas. Non enim it peccator per vias planas & æquas, ſed aſperas & iniquas ac tortuoſas, ſpiniſque horrentes.

Ob peccatum Evæ dicitur, Geneſ. 3. 16. *Multiplicabo* (Hebr. multiplicando multiplicabo, id eſt, certiſſimè & plurimùm multiplicabo) *ærumnas tuas, & conceptus tuos*, (id eſt, ærumnas conceptuum : eſt Hendiadys, id eſt, unum per duo) *in dolore paries.* Hic dolor in muliere major eſt, quàm in ullo animali, propter continuatum partium difficiliorem divulſionem, ut ait Ariſtot. lib. 7. de hiſtoria animalium, ubi docet cætera animalia gravida minùs infeſtari, cùm pariunt : at mulieribus, inquit, dolores incidunt vehementiſſimi, præſertim ſtabilibus & ſellulariis, & quibus non bona latera ſunt, neque facultas retinendi ſpiritûs ſuppetit. Ita ipſe. Nec Pæantides lapis, qui conceptum partumque adjuvat, ut dicit Solin. cap. 14. Ipſis reginis & principibus fœminis dolorem omnem tollit. Stratonicus apud Athenæum lepidè atque acutè Timothei Athenienſium Ducis uxorem in partu laborantem perſtrinxit : *Si*, inquit, *operarium & non ducem peperiſſet, quales voces emiſiſſet ?* Hâc cavillatione declarans, neminem ab hac lege eſſe immunem.

Peccatoris animus eſt effeminatus, dolor ejus in partu peccati comparatur dolori parturientium, ut declaretur, ait S. Chryſoſt. in Pſ. noſtr. eſſe ἀφόρητον, καὶ ἀπροσδόκητον, id eſt, intolerabilem & inopinatum atque ex improviſo obruentem, ὀδύνην πάντος χαλεπώτερον, *quovis carnifice graviùs perturbationes hæ mentem excruciant.* Ait deinde, peccatum eſſe partum viperinum, qui matrem perimit : *Non talis partus*, inquit, *qualis in mulieribus : ſed quemadmodum in viperis, quæ uterum diſrumpunt, & latera dilaniantes fœtus procedunt ; ita etiam in fraudibus & in injuſtitia. Sed quantumvis contendamus, non poterimus explicare moleſtiam ac dolorem, quem improbi ſuſtinent.* Prudentius in hamartigenia, hoc eſt, in peccatorum origine poſt fusè deſcriptum viperæ partum, ei comparat partum peccati, verſ. 610.

Non diſpar noſtra conceptus mentis ab ore
Vipereo, infuſum ſi combibit illa venenum
Conjuge Beliade (Belial, id eſt, dæmone) *ſic oſcula devorat hauſta.*
Internuſque rupti, ſic felle libidinis ardens
Impletur vitiis, peritura mixta marito :
Tunc pregnans lethale genus concepta maligni
Fert vipera ingenii, de ſemine complicis hydri.

Victor Giſelinus commentario in Prudentium, narrationem illam de vipera, fabulam vocat. Plin. tamen lib. 10. c. 62. ait viperam ſingulos ſingulis diebus parere, viginti ferè numero. Itaque tarditatis impatientes, perrumpere latera, occiſâ parente. Herodot. lib. 3. contingere hoc dicit in pœnam occiſi maris : patrem, inquit, ulciſcentes matricem ambedunt, ejuſque alvo ambeſa, ita partum faciunt. Ariſtot. id neque aſſerit, neque negat. Herodot. porrò ait, viperam marem in coitu caput inſertare in os fœminæ, quod illa abrodit, nec priùs dimittit, quàm devoraverit. Caveant ſibi oſculis fœminarum adoleſcentes : viperæ ſunt & lamiæ : devorant, cùm blandiuntur.

95. Partus peccati eſt pejor partu viperæ.

At ut ſit de vipera, peccatoris partus longè moleſtior eſt. Vipera catulos edit viginti, peccator ſcelera innumera. 1.
2. Vipera parit ſingulis diebus fœtus ſingulos, peccator actus plurimos. 2.
3. Viperæ ſola latera corroduntur : peccatori totus animus & totum corpus. 3.
4. Vipera viperas parit, homo ſerpentes : ſic monſtra ſunt, & contra naturam. 4.
Quantus inde dolor naſcitur. Alcippe in Theſſalia fertur peperiſſe elephantum ; altera in Theſſalia, hippocentaurum : tertia inter marſos, ſerpentem, ut refert Plin. lib. 7. cap. 3. Quarta tempore Michaëlis Ducæ Imp. puerum Byzantii edidit caprinis pedibus, uno oculo in fronte, ut memorat Zonaras in Michaële, quinta ſub Conſtantino tertio Scotiæ Rege, peperit in Scotia Hermaphroditum porcino capite, thorace, ſuprà quàm humanus eſſet, eminente, ventre obeſo, pedibus penè anſerinis, cruribus humanis, cetoſum undique, teſte Hect. Boëthio in hiſtor. Scotic. Sexta ab incubo concepit monſtrum, undequaque fœdum aſpectu, quale nuſquam anteà, ut ferebant, viſum fuerat : quod obſtetricea, ac ſervarum in contumeliam aſſuit familiæ, accenſâ ingenti pyrâ citiſſimè concremârunt, ut idem author refert. Sed nullum eſt monſtrum, quod à peccato non ſuperetur fœditate & horrore ; unde Prudentius hymno 2. prudenter canit :

Alcippe partu elephantum. Alia hippocentaurum. Tertia ſerpentem. Quarta monſtrum caprinis pedibus. Alia alia monſtra.

Peccante nil eſt tetrius,
Nil tam leproſum aut putridum,
Cruda eſt cicatrix criminum,
Oletque ut antrum tartari.

Eſt enim peccator locus & ſedes, ac nidus & vulva dæmonis, ubi fœtus ſuos excludit, Luc. 8. 2. *Maria, quæ vocatur Magdalena*, (domina Magdali, quod erat oppidum ſuum juxta Bethſaidam & Capharnaum, ubi Chriſtus habitabat & docebat : erat ſoror Lazari & Marthæ) *de qua ſeptem* (vel præcisè ſeptem, vel ſeptem, id eſt, multa) *dæmonia exierant*, id eſt, veri dæmones, ut cenſet S. Ambr. Janſenius, Roffenſis lib. de una Magdalena, & benè,

& benè. 2. Septem dæmonia, id eſt, ſeptem peccata capitalia, ut ait S. Greg. hom. 33. Beda & Theophylactus: illa peccata aditum aperuerunt variis dæmonibus, à quibus liberata ad Chriſtum acceſſit de peccatis contrita, & veniam obtinuit. Duciſſa quædam provinciæ nobiliſſimæ ſplendorem generis morum fœditate polluebat, vidit in ſomnis S. Bernardum de utero ſuo ſeptem horrendos ſerpentes propriis manibus extrahentem, unde ad Deum converſa gloriabatur, ſe eſſe eam, à qua vir ſanctus ſeptem dæmonia ejecerat, ut ait Wilhelmus Abbas S. Theodorici in vita S. Bern. l. 1. c. 14.

Dolor à peccato tantus eſt, ut ſit lethalis. S. Jacobus 1. 14. *Unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus*, (δελεαζόμενος, hoc eſt, inescatus, delinitus) *deinde concupiſcentia, cùm conceperit*, (per conſenſum voluntatis) *parit peccatum: peccatum verò, cùm conſummatum fuerit, generat mortem*. S. Aug. hom. 28. de verbis Domini, ait, ideò Deum felicitates terrenas amaritudine miſcuiſſe, ut alia quæratur felicitas, cujus dulcedo non eſt fallax; & ſubdit: *Quid ſtrepis, ô munde & immunde! te teneri vis perirens? Quid faceres, ſi maneres? Quàm deciperes dulcis, ſi amarus alimento blandiris?* Melle vix quicquam eſt dulcius, ſed Sardum amarum eſt propter abſynthii copiam: aliud eſt mel, quod, ut Xenophon refert, inſanos facit. De illo vide Strabonem lib. 12. pag. 377. num. 30. Quæ major eſt inſania, quàm ſcelerari, qui, ut ait S. Chryſoſt. in Pſal. noſtr. cùm poſſet ex Dei præceptis & concipere, & parere, id non vult, ſed improborum mavult proſequi congreſſiones.

96. Univerſa peccati generatio eſt.

Quamcunque in faciem peccatum verteris, ſemper tibi horrorem faciet, cùm virtus vultu virgineo ac cœleſti ſuavitatem & delectationem menti aſpiret. Aſpice univerſam peccati generationem, infantiam, & adoleſcentiam, ubique moleſtiam, dolorem, tumultum ac perturbationem cernes.

1. Dæmon animam ſollicitat per ſuggeſtionem.

Primò, effœminatam animam in otio ſtertentem diabolus alloquitur per ſuggeſtionem, quod figuratum eſt in Vagao eunocho Holofernis, Judithæ ait, cap. 12. ℣. 12. *Non vereatur bona puella introire ad dominum meum, ut honorificetur ante faciem ejus, ut manducet cum eo, & vinum bibat in jucunditate.* Rem Deus in contrarium vertit, ſervato Judithæ pudore, & Holoferne occiſo. Sed Gen. 34. Dina eſt corrupta à Sichem,

2. Eam amplectitur per varias rationes.

Secundò: Animam delinitam & aures aperientem dæmon amicis ſtringit amplexibus, quando cationibus variis mentem irretit & implicat. Sic per os meretricis loquens multos illaquear, Prov. 7. 21. *Irretivit eum* (meretrix juvenem. Hebr. הִטַּתּוּ hittahu, id eſt, declinare fecit eum, ut vertit Pagn. & Arias. 2. Seduxit, ut Septuag. 3. Flexit, ut Tigurina) *multis ſermonibus, & blanditiis labiorum protraxit*. Hebr. נִדָּה niddah ſignificat compellere, ut vertit Arias. Attrahere, ut Sept. Abripere, ut Syrus. In ea dæmonem loquentem intuere & fuge. Sic S. Wolſtanus Epiſc. Wigornienſis in Anglia, qui à nobili pulchrâque fœmina ad ſcelus invitatus, facto ſigno crucis, ait: Fuge fomes laſciviæ, mortis filia, *vas Satanæ*, ut ſimul alapam impudenti ita impegit, ut ſonus totâ domo audiretur; ita eam procul à ſe fugavit, ut refert Sur. in vita 19 Januarii.

3. Eam oſculatur per delectationem moroſam.

Tertiò, Dæmon mollis figit oſcula, cùm animæ abblanditur, eamque promiſſis demulcet, & jam moroſam cogitationem fovet, & delectationem, blandè inſinuat, ſed ut occidat: Joab oſculans Abnerem Ducem exercitûs Miphiboſeth filii Saul, eum peremit. Joab per metatheſim deducitur ab אֵיב aiab, id eſt, odio habuit, & ſignificat dæmonem, qui ſub oſculi obtentu mentem jugulat. Ab illis tibi oſculis cave. Nam, ut dicitur, Prov. 27. 6. *Meliora* (Hebr. fidelia. Sept. fideliora. Chald. pulchra) *ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta* (Sept. ſpontanea) *oſcula odientis*, id eſt, diaboli, ut ibi ait Gloſſa.

4. Ei miſcetur per conſenſum.

Quartò, Dæmon animæ commiſcetur per conſenſum, Jerem. 2. 20. *In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix*: ut idola & dæmonem in idolis coleres. Nam idololatras vocat meretrices, ut ſæpè fit apud Prophetas. Hunc congreſſum evita, & animæ virginitatem ſerva. Nam Sap. 3. 13. dicitur: *Felix eſt ſterilis, & incoinquinata, quæ neſcivit thorum in delicto*: Sponſo tuo te ſerva, & virginem caſtam Chriſto exhibe.

5. Anima concipit per propoſitum peccandi.

Quintò: Concipit anima per propoſitum & deliberationem peccandi, ſed in ſuam perniciem. Iſaias dicit Aſſyriis, Duce Sennacherib Rege obſidere volentibus & incendere Jeruſalem, cap. 33. 11. *Concipietis ardorem*, (proponetis in animo veſtro comburere templum, & urbem regiam) *parietis ſtipulam*, (erit labor veſter irritus) *ſpiritus veſter ut ignis vorabit vos*. Tropolog. animus ardens peccatoris totum corpus ejus adurit, & inflammat totam nativitatis ejus, id eſt, totum vitæ curſum.

6. Parturit, per varias machinationes ad opus explendum.

Sextò: Anima peccatoris parturit, cùm varios modos cogitat operis ſui explendi, Iſai. 37. 3. *Dies tribulationis, & correptionis, & blaſphemiæ dies hæc: quia venerunt filii uſque ad partum, & vires non eſt pariendi.* Agit de tempore, quo Rabſaces minas intentabat Ezechiæ Regi.

7. Parit operando.

Septimò: Anima peccatoris parit fœtum ſuum in operis expletione: figuratur in uxore Phinees filii Heli Pontificis Judæorum, quæ moriendo peperit, 1 Reg. 4. 19. *Incurvavit ſe*, (anima ad terram ſe curvat, ut ſcelus faciat) *& peperit: irruerant enim in eam dolores ſubiti*: Et puer dictus eſt Iebabod, id eſt, ubi gloria, væ gloriæ! Joſephus reddit ἀδοξία, hoc eſt, ignobilitas, abjectio, vilitas, q. d. hic puer vocetur ἄδοξος, id eſt, inglorius, quia natus eſt, cùm gloria populi Iſraël occidit. Cùm quis peccat, tunc gloria ejus, & ſæpè totius domus, perit.

8. Lactat & fovet admiſſum ſcelus per conſuetudinem.

Octavò: Dæmon, ſeu potiùs anima peccatoris ab eo gravidata, lactat & fovet ſcelus admiſſum, Thren. 4. *Lamia* תַּנִּין thannin, id eſt, draco) *nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos.* Non unam tantùm dat mammam, ſed utramque. Primò, ſpem receptionis in gratia, licèt quis procraſtinet converſionem, Sophon. 2. 14. *Accubabunt in medio ejus* (Ninives à Nabuchodonoſore vaſtatæ & animæ peccantis, quæ antea erat Ninive, id eſt, pulchra & habitaculum ſpecioſum, nempe Dei) *greges, omnes beſtiæ Gentium* (peccata & dæmones) *& onocrotalus*, (avis ſimilis cygno. Septuag. aliud animal ponunt, cùm vertunt: chamæleon) *& ericius* (ſpinis hiſpidus eſt, ac dicitur Porcellus hortenſis. Rabbini vertunt, teſtudo) *in liminibus ejus morabuntur: vox cantantis in feneſtra* (ſupple, audietur, id eſt, aves multæ liberè ibi cantabunt, nullo domos deſertas incolente) *corvus in ſuperliminari*. Ubi adverte nunc, in Hebr. eſt חוֹרֶב horeb, cum heth, ideò Pagn. & Arias vertunt, *deſolatio erit in limine*. Aquila verò reddit, *gladius*. Legerat *hereb*. Septuag. denique, cùm legiſſent עוֹרֵב oreb, per ain, verterunt, *corvus*. Peccator eſt corvus, dicens: cras, cras: & onocrotalus vomens, & ericius pungens, & chamæleon humi repens, ac vento ſe paſcens, & tardigrada teſtudo: hinc vaſtitas oritur, deſolatio, & gladius omnia demetens.

9. Peccatum poſt

Nonò: Anima peccatoris non removet à lacte, id eſt, delectatione carnali, unum peccatum, niſi

Peccatum concipit. ut novum concipiat, & quidem ſæpè graviùs, Oſeæ 1. 8. *Ablactavit eam,* (filiam ſuam) *quæ erat abſque miſericordia*, ſic vocabatur) *& concepit, & peperit filium.* Peccatum audacius; *Et dixit: Voca nomen ejus: Non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero veſter.* Agit Oſeas de ſua uxore, nempe Gomer filia Debelaim, quæ erat uxor fornicationum, verſ. 2. Et ex qua juſſus eſt facere ſibi filios fornicationum. Fuerat ſcilicet illa multis fornicationibus polluta, & procreatura erat liberos ſalaces, & ad fornicandum proclives, ut explicat Pineda lib. 1. de rebus Salomon. c. 4. & Sa, ac Mariana in Oſeam.

10. Peccatum grandius factum per vicinas domos diſcurrit. Decimò denique, ablactatum peccatum pedibus ſuis ambulat, per vicinas domos diſcurrens cum obviis loquitur, & amicitiam contrahit, Iſai. 3. 9. *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt, nec abſconderunt: væ animæ eorum! quoniam reddita ſunt eis mala.* Deus non tolerat peccata ſcandaloſa: unde additur, verſ. 11. *Væ impio in malum!* deſtinato ſcilicet, ut explicat Adamus. 2. In malum, ſupple effuſo, malitiam effusè, & ſine fræno ſectanti: *Retributio enim manuum ejus fiet ei.*

ARTICULUS IV.

In ſceleratos ea ſæpè recidunt mala, quæ aliis parant.

Verſ. 16. 1. Para. 97. Lacus ſeu fovea. PEccati funeſtam generationem vidimus, nunc illius finem & exitum contemplemur, initiis, progreſſionique ex æquo reſpondentem, verſ. 16. LACUM APERUIT, ET EFFODIT EUM, ET INCIDIT IN FOVEAM, QUAM FECIT. Pro *lacum*, Hebr. eſt בור *bor*, id, ciſterna, ut vertit Pagninus & Arias. 2. Sepulchrum. Septuag. vertunt, λάκκον, id eſt, foſſam, foveam, ſicut Plutarchus eam vocem uſurpat. 3. Ciſternam, ſicut Ariſtoteles. Latina vox *lacus*, qua etiam S. Hier. hic uſus eſt, ſignificat propriè locum profundum cum aquis perpetuis ibidem ortis, qui efficiat rivos & flumina. A ſtagno differt lacus, quòd ſtagnum ad tempus habeat aquam immotam & aliundè venientem, quæ plerumque hyeme colligi ſolet, æſtate ſiccari: lacus verò ſit aqua perpetua & perennis. Sic Virgil. 4. Georg. vocat ſpeluncas lacus clauſos, & 8 Æneid. lacum altum. Transfertur tamen vox lacus ad foſſam, quæ exciditur ad colligendam aquam, & vocatur ciſterna, id eſt, locus, in quo colligitur aqua pluvia per euripos & canaliculos ſub ſtillicidio poſitos ad imbres ſuſcipiendos. Sumitur etiam lacus pro foſſa, in qua non eſt aqua, Jerem. 37. 15. *Ingreſſus eſt Jeremias in domum laci:* id eſt, in carcerem, qui quia teter, tenebricoſus, fœtidus, cœnoſus, profundus & horridus erat, hinc ſimilis erat lacui, foveæ, ſepulchro & inferno. Sic Joſeph deſcendiſſe dicitur in foveam, id eſt, in lacum carceris, Sap. 10. 13. Et Daniel cap. 6. dicitur projectus in lacum leonum. Ita Cornelius. Lacus itaque erat ergaſtulum profundum, ſeu foſſa obſcura, depreſſa, & tecta in carcere, per ſynecdochen tamen ſumitur pro toto carcere: & per metaphoram pro ſepulchro & inferno. A voce Hebraica *bor*, id eſt, ut dixi, ciſterna, foſſa, poteſt deduci vox Græca βάραθρον, qui erat carcer, horridus Athenis: unde etiam infernus barathrum vocatur. Nota 2. cum S. Baſilio, lacum ſæpiùs in Scriptura ſumi in malam partem; puteum verò, in bonam. Hoc tamen non eſt perpetuum. Nam Pſal. 54. 24. dicitur: *Deduces eos in puteum interitus*, id eſt, ut Euthymius & Nicephorus exponunt, in vaſtas quaſdam ac veluti ob loci profunditatem inevitabiles pœnas. Et in Pſalmo noſtro Felix vertit pro lacu, puteum, ait enim: *Puteum effodit, & altiſſimum fecit illum.* Syrus etiam & Arabs puteum interpretatur.

Quæres: Quem lacum hîc ſeu foveam (ſunt enim hæc duo ſynonima hoc loco) David intelligat? Reſp. 1. Eſſe occultas fraudes omnium ſceleratorum. Secundò, ſpecialim hîc intelliguntur fraudes Saulis, & inſidiæ variæ Davidi paratæ: illum lacum & foveam aperuit, cùm invida in animo ſuo mala in eum conſilia agitavit, ac nocendi modos: effodit verò, quando per Doeg Idumæum, per Ziphæos, alioſque conatus eſt eum concludere, intercipere, & in ſepulchrum indignæ morte trucidatum dejicere. Fraudes & tendiculæ hoſti occultè apparatæ poſſunt applicari per factum Hunnorum, de quibus Georgius Cedrenus in Zenone: 98. *Hunni foſſis occultis Perſas intercipiunt.*
Perozas, ait, perſarum Rex expeditionem adverſus albos Hunnos, qui vocantur Nephealitæ, ſuſcepit. Hunni, cùm egeſtâ terrâ profundam foſſam egiſſent, eamque calamis conſtraviſſent, supernè terrâ injectâ intra eam ſe continuerunt, paucis emiſſis, qui hoſti occurrerent, moxque fugâ factâ per anguſtias ſibi notas evaderent. Perſæ ergò inſidiis non animadverſis, eos inſecuti, univerſi cum Rege Peroza filiiſque ejus in voraginem illam incidentes periêrunt. Barbari deinde biennium Perſas tributarios habuerunt. Perozas unionem, quem geſtabat, (id eſt, margaritam, ſic dictam, quòd in conchis nullæ duo reperiantur indiſcretæ) λευκότατον καὶ μέγαν ἐκ τῆς ἰνσιδοῦ ὠτίου ἐξελὼν [illegible], *candidiſſimum, & ingentem, & maximi pretii*, à dextra aure detractum abjecit, ne quis eum poſt ſe geſtaret, aut ipſum Regem agnoſceret, erat autem, ἀξιοθέατος, ἱκπρεπὴς, ſpectatu digniſſimus.

Tropolog. Lacus, quem fodit peccator, eſt ipſummet ejus peccatum, & pœna illud conſequens. Primò enim, peccatum eſt lacus ſeu foſſa, propter profunditatem, quâ ſeparat à Deo in infinitum, Proverb. 22. 14. *Fovea profunda os alienæ*, (id eſt, meretricis loquentis, blandientis, oſculantis. Generaliùs R. Levi vertit, os iniqui) *cui iratus eſt Dominus, incidet in eam.* Ut enim ait Beda, qui verbi vel oſcula meretricia libenter amplectitur, quaſi januam jam gehennalis pulſat abyſſi. 99. Tropol. Peccatum eſt fovea. 1. Propter profunditatem.

Secundò, peccatum eſt lacus ſeu foſſa, propter obſcuritatem, Pſ. 142. ℣. 3. *Quia perſecutus eſt inimicus*, Matth. 13. 28. Dæmon dicitur inimicus homo) *animam meam*, (alia non curat, ſicut Rex Sodomæ animas ſolas petit, Gen. 14. 21.) *humiliavit* (S. Hier. confregit) *in terra* (nervoſiùs Sept. εἰς γῆν, in terram) *vitam meam*, (quæ cœleſtia eſſe debebat, facta eſt lutea) *collocavit me in obſcuris* (S. Hier. & Chald. in tenebris) *ſicut mortuos ſæculi.* S. Hier. ſicut mortuos antiquos, id eſt, qui dudum ſunt mortui, ſepulti & putrefacti, ac ſecundùm animam ſub terra latent & gemunt. At Pſal. 87. 7. ait idem David, ſub perſona peccatoris: *Poſuerunt me in lacu inferiori*, (S. Hier. noviſſimo) *in tenebroſis.* (S. Hier. in tenebris) *& in umbra mortis.* S. Hieronymus, in profundo. 2. Propter obſcuritatem.

Tertiò, peccatum eſt lacus ſeu foſſa, ob fœtorem, Joël. 1. 17. *Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo.* S. Gregor. lib. 24. Moral. cap. 6. Jumenta, ait, in ſtercore ſuo computreſcere, eſt carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Non enim eſſe homines, ſed jumenta declarantur, de quibus per Prophetam (Jerem. cap. 5.) dicitur: Unuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat. Et de quibus Propheta alius (Ezech. cap. 23.) dicit: Ut carnes aſinorum carnes eorum, & fluxus equorum fluxus eorum, Ita Greg. In eo lacu lutoſo ſe fuiſſe David ſentiebat, cùm dicebat, Pſalm. 39. 3. *Eduxit me de lacu miſeriæ*, (S. Athanaſ. Apolog. de fuga 3. Propter fœtorem.

legit,

legit, de lacu infimo. S.Hier, de lacu ſonitûs) *& de luto fæcis*, id eſt, fæculento, fæcibus ac ſordibus pleno, & conſequenter malè olente. S.Auguſt. legit, de luto limi. S.Hier. de luto cœni. S.Thom. citat ea editione S.Hieronymi, de luto fimi.

4. Ob exeundi difficultatem.

Quartò, peccatum eſt lacus ſeu foſſa, ob exeundi difficultatem, Prov. 2. ℣. 19. *Omnes, qui ingrediuntur ad eam*, (meretricem, quæ cap. 23. 27. vocatur fovea profunda) *non revertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ*, ibi morientur ut jumenta in ſtercore. Nam luxuria facit hominem beſtialem: equum ſcilicet ac mulum, quibus non eſt intellectus: itaque non invenit *ſemitas rectas*, ut Septuag. vertunt, deinde appetitus concupiſcibilis maximè eſt inclinatus ad carnalia, ideò difficilè ab iis emergit. Tertiò, dæmon ſpecies voluptatis præteritæ ſubinde animo ingerit. Quartò denique, meretrix innumeris artibus ac blanditiis eum, quem ſemel dementavit, illaqueat, & ad piſtrinum compingit, ibi uſque ad mortem hæſurum, & in circulum cæco greſſu multum laboris ſine fructu exhauſturum, ut Dalila Samſonem.

Dupliciter autem impius in foſſam, quam juſto paraverat, incidit. Primò, proprio pondere ac deſiderio. Secundò, à Deo in eum compulſus.

Verſ. 16. II. Pars.

100. In foſſam, quam aliis parat, cadit impius proprio pondere.

Ac primò, ſeipſum in ruinam præcipitat ſceleratus, verſ. eod. 16. *Incidit in foveam, quam fecit.* Arabs, quam præparavit, ut ſcilicet alterum perderet. Sic Pſ. 56. 7. *Laqueum* (S.Hilar. *laqueos*: uno non ſunt contenti. S.Hier. rete. S. Auguſt. muſcipulam) *paraverunt pedibus meis, & incurvaverunt animam meam. Foderunt ante faciem meam*, (cognovi eorum fraudes, ideò non perii. Fruſtrà jacitur rete ante oculos pennatorum) *& inciderunt in eam*; cadentes retrorſum, & non videntes, ubi concidant. Generatim loquitur Salomon, Proverb. 26. 27. *Qui fodit foveam*, (Aquila & Symmachus, διαφθορὰν, id eſt, corruptelam, perniciem) *incidet in eam. Et qui volvit lapidem, revertetur ad eum.* Sophar, Naamathites, id eſt, Regulus urbis Naamath, quæ erat in terra Hus, agens de impio ait, Jobi 21. 10. *Manus* (hoc eſt, actiones, ait Nicetas) *illius reddent ei dolorem ſuum*, id eſt, dolorem, quem aliis intulit, ut explicat Pineda.

Senſus Pſalmi noſtri eſt, Saul *incidit in foveam*, (id eſt, in interitum, ut S.Hieron. & Chald. reddunt) *quam fecit*: mortem enim, quam Davidi parabat, ſibi ipſi intulit, victus à Philiſthæis in monte Gelboë. Cùm enim dixiſſet armigero ſuo: Evagina gladium tuum, & percute me, & noluiſſet armiger: *Arripuit Saul gladium, & irruit ſuper eum*, 1 Regum ult. 4. Itaque, ſponte ſe in foveam & ſepulchrum, ſeu interitum & exitium conjecit, quod Davidi toties & per ſe, & per ſuos paraverat. Peccâſſe Saulem ſe occidendo, docet Serarius, & quidem certum eſt, nemini licere ſe occidere, ſicut docet S.Auguſt. lib. 1. de Civit. cap. 26. Plato in Phædone Tull. 1. Tuſc. hoc fuiſſe imbecillis animi in Catone docet S.Auguſt. ibid. cap. 23. An verò Saul in foveam ignis ſemper arſuri ceciderit, eſt incertum; potuit enim actum contritionis uno momento elicere, & hoc cenſent Rabbini & Lyranus. Contra verò, damnatum eſſe putant S.Auguſt. lib. 2. ad Simplicianum, qu. 2. S.Bern. ſerm. 26. in Cant. S.Eucherius, Beda, Abulenſis, S.Brigitta lib. 5. Revel. interrog. 13. ad qu. 1. Pineda lib. 8. de rebus Salomonis, cap. 2. num. 8. & ſatis urget locus 1 Paralip. 10. 13. *Mortuus eſt ergò Saul propter iniquitates ſuas*, (Hebr. & Sept. in iniquitatibus ſuis) *eò quòd prævaricatus ſit mandatum Domini, quod præceperat, & non cuſtodierit illud: ſed inſuper etiam Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperaverit in Domino: propter quod interfecit eum, & tranſtulit regnum ejus ad David filium Iſai.*

Tropol. Nocet ſibi, qui aliis nocere cupit. S.Auguſt. in Pſal. noſtr. Lacum aperire, inquit, eſt in terrenis rebus, id eſt, tanquam in terra fraudem parare, quò alius cadat, quem vult decipere injuſtus. Aperitur autem hic lacus, cùm conſentitur malæ ſuggeſtioni terrenarum cupiditatum. Effoditur verò, cùm poſt conſenſionem operationi fraudis inſtatur. Sed unde fieri poteſt, ut iniquitas priùs lædat hominem juſtum, in quem procedit, quam cor injuſtum, unde procedit? Itaque fraudator pecuniæ, verbi gratiâ, dum cupit alium damno lacerare, ipſe avaritiæ vulnere ſauciatur. Quis autem vel demens non videat, quantum inter hos diſtet, cùm ille patiatur damnum pecuniæ, ille innocentiæ? Ita Auguſt. Herodem cupidum necis Christi ſic inſectatur S.Chryſologus ſerm. 152. *Herodes ſtridet cadens in laqueum, quem tetendit, magiſter mali, miniſter doli, iræ artifex, inventor ſceleris, impietatis author, pietatis prædo, inimicus innocentiæ, hoſtis naturæ, malus omnibus, ſuis pejor, peſſimus ſibi.* Sceleratum propriis pereuntem dolis, & in lacum, quem alii paraverat, incidentem, ſi placet pingere. Maxentium tyrannum depinge in Tiberim fluvium cadentem. Cùm enim pugnaturus in Conſtantinum illius decipiendi gratiâ naves dolosè connexas Tiberi impoſuiſſet, pontibuſque doloſis inſtraviſſet, ipſe metutus è pugna ſe proripiens, ponteſque decurrens, diſſoluta compage, ſubmerſus interiit, ἔδυσαν ὡσεὶ μόλυβδος ἐν ὕδατι σφοδρῷ, *ut plumbum in rapidum aquæ gurgitem deſcenderunt*, ipſe ſcilicet atque ejus ſatellites. Ita Euſebius lib. 9. hiſt. c. 9. & ſubdit, juſtè potuiſſe occini, *lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit.* Idem poſſet dici de Pharaone & Ægyptiis, qui, cùm merſiſſent pueros Hebræos in Nilo, Exod. 1. 22. ipſi ſe in mare rubrum præcipitârunt, quo hauſti ſunt ne uno quidem reſiduo. Exod. 14. 28. dixerat Pharao cap. 1. *Quidquid maſculini ſexûs natum fuerit, in flumen projicite*: nullus vel unicum reſervari; ideò cap. 14. habetur: *Reverſæque ſunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitûs Pharaonis, qui ſequentes ingreſſi fuerant mare: nec unus quidem ſuperfuit ex eis.*

101. Noceт ſibi, qui aliis nocet.

Maxentius ſuis artibus perit.

Si vitiorum lacus & foveas latebroſas inſpexeris, ibi ſtrictos in proprium jugulum enſes videbis, ibi propriis laqueis innexas cervices, ibi propriis manibus cor ſectum dentibúſque laniatum, ibi ſeſe magis in lutum merſantes miſeror atque illud devorantes.

102. Omnia vitia authoribus ſuis nocent.

1. Invidia.

Invidiæ quidem emblema vulgare eſt furis cor ſuum manu tenens, & dente proprio lacerans. Unde Philemon Poëta Græcus ait: *Invidia in ſeſe hoc ſolum*, ἐπιεικῶς ποιεῖ, *probè facit, quòd, qui mores illius diligit, illum*, λυμαίνεται μάλιστα, *imprimis lædit, ſemper converſans ſibi.*

2. Luxuria.

Luxuria eſt fovea lacertis, bufonibus & colubris plena, in quam laſcivus toto corpore morſibus eorum compunctus infoditur: cancroque in ore, oculis, auribus, reliquiſque partibus mirum in modum eroſus ejulat: neque inde tamen compedibus aſtrictus divelli poteſt. S.Chryſoſt. hom. quòd nemo læditur, niſi à ſe ipſo, id fusè deplorat, & ait: *Vita ad voluptates, divitias & potentiam attenta, turpis, deformis, multâ fœditate referta, moleſta, gravis, amaritudine plena*, μυρίων γέμων κακῶν, κινδύνων, ἀμαρτιῶν, κρημνῶν, σκοπέλων, *infinitis malis plena, capitis diſcriminibus, præcipitiis, ſcopulis, cædibus, timoribus, terroribus, invidiâ, livore, inſidiis, perpetuâ curâ & ſollicitudine: quòdque nullum lucrum, nullum tantorum laborum fructum afferat, niſi pœnam ac ſupplicium, & æternos cruciatus.*

3. Avaritia.

Avaritia quoque profundus gurges eſt, in quem, qui conjectus fuerit, vix enatabit. S. Chryſoſt. ibid.

ibid. *Avaritia*, ὡς τύραννος ὠμὴ, ὡς πόρνη πάνδημος ἢ πολυτελὴς, *tanquam ſævus tyrannus, tanquam meretrix publica & pretioſa dedecorat, conficit, & ſexcentis objicit periculis ac pœnis eos, qui illi ſervire in animum induxerunt. Cùmque ſit terribilis, acerba, crudelis, ſæva, valde barbarica, quàm potiùs fera, ἢ λύκη ἢ λέοντος ἀγριωτέρα, & quàm lupus ac leo teterior ac truculentior: manſueta tamen & expetenda, & μέλιτος γλυκυτέρα, melle dulcior eſſe videtur captivis ejus.* Et ad Pſalmum noſtrum aptiſſimè, ſubnectit: *Cùm etiam gladios & arma quotidie contra eos cudat*, ἢ βάραθρα ἀνορύττουσα, ἢ ποτὲ κρημνοὺς ἄγουσα, ἢ σκοπέλους καὶ μυρία αὐτοῖς πλέκουσα κολάσεως δίκτυα, *ac barathra effodiat, ad præcipitia ducat, & ſcopulos infiniti ſupplicii retia texat, beatos tamen illos præſtare cenſetur, tum ab ipſis captis, tum à capientibus capi.* Idem de ira, invidia, ſuperbia, aliiſque mentis agitationibus dici poteſt.

Secundò, ſceleratus, qui alios in ſoveam dejicere molitur, à Deo in eam projicitur tanto impetu, ut in caput cadens illud ſibi elidat verſ. 17. *Convertetur dolor ejus* (activè ſumptus, id eſt, dolor, quem juſto parat) *in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas* (Hebr. חמס *hamas*, hoc eſt, violentia ejus, ut Arias vertit, tyrannis, ut Arabs. 2. Perverſitas, ut Pagninus ἀδικία, id eſt, injuſtitia, ut Septuag.) *ejus deſcendet.*

103. In caput impii dolor vertitur, quo alios torquere vult: 1 Velut lapis in altum jactus.
Quæres: Unde ducit David ſimilitudinem Cùm ait: *Convertetur dolor ejus in caput ejus.* Primò, Heſychius cenſet deſumi à lapide, qui ex alto cadat in caput impii. Qui enim lapidem projicit in hoſtem in faſtigio turris ſtantem, aut in avem in arboris vertice ſedentem, ſæpè ab ipſo ſuo lapide læditur reſilìente in caput ſuum aut vultum. Poſſet quis comparationem à funda petere, in qua lapidem circum agens, ut in alium jaciat, aliquando læditur ab eo ipſo lapide, quem jacere moliebatur, Eccli. 27. 28. *Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput ejus cadet: &* (hoc eſt: ſic, eodem
Aut è funda excuſſus.
modo) *plaga doloſa, doloſi dividet vulnera.* Syrus vertit, qui percutit in occulto, perditioni tradetur. Et Tigurina, ictu clandeſtinus vulnus infligit, ℣. 29. *Et, qui fodit foveam, incidet in eam*, dum circa oram ejus inambulat, illius profunditatem aſpiciens, in ea ſibi complacens, eam adornans, aut ramis fallacibus contegens, ut feras vel homines capiat: *Et qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo: & qui laqueum alii ponit, peribit in illo.* Verſ. 30. *Facienti nequiſſimum conſilium*, (dolos ſcilicet) *ſuper ipſum devolvetur.* Tigurina, qui molitur mala, malis involvetur. *Et non agnoſcet, unde adveniat illi.* Adverte autem, dolorem ſumi metonymicè pro objecto dolorifico.

2. Secundò, Cajetanus cenſet eſſe continuationem metaphoræ de fovea, in quam aliis paratam cadit impius, q. d. *Convertetur dolor ejus in caput ejus*, id eſt, in foveam à ſe effoſam, ut in eam pedes aliorum delluant, ipſe capite prono & præcedente cæcus concidet.

104. 3. Velut terra aggeſta ſupra foveam, quam aliis fodit.
Tertiò, & convenientiùs, ſenſus eſt. q. d. *Convertetur dolor ejus*, id eſt, terra è foſſa extracta, ramis arborum & cæſpites, quibus foſſam texerat, ut non pateret, & ſic faciliùs in eam juſti caderent, *in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus*, hoc eſt, inique ab eo præparata, *deſcendet*, q. d. ſuis ipſe fraudibus capietur & obruetur. Speciatim autem id Sauli contigit Davidem perſequenti, Nam in caput ejus dolor, quem Davidis capiti paraverat, cecidit. Victo enim à Philiſthæis caput
Saulis mors miſera.
præciſum eſt, 1 Reg. ult. 9. *Et præciderunt caput Saul, & ſpoliaverunt eum armis, & miſerunt in terram Philiſthinorum per circuitum, ut annunciaretur in templo idolorum*, (qui non potuerat ferre Davidis laudes virtute Dei vincentis) *& in populis. Et poſuerunt arma ejus in templo Aſtaroth, corpus vero ejus ſuſpenderunt in muro Bethſan.* Tropolog. doloſos
ſuſpenditur in Bethſan, id eſt, *in domo tumultûs*, Bethſan etymon.
à *Beth*, id eſt, domus, & שאון *ſaon*, id eſt, ſonus, 2. Bethſan, idem eſt, ac *domus opulentia*, in eam libenter involat fraudulentos. 3. Bethſan, id eſt, *domus eboris*, ne innocentiæ quidem ipſi parcit nefarius. 4. Bethſan, *domus mutationis*, in Mundo nihil eſt præter verſipelles animos. 5. Bethſan, *domus dormitionis*, cave tibi à ſomnolentis, ſi vis cavere ab injuria. Quin etiam in miſeriorum cumu-
lum tres ejus filii: nempe Jonathas, id eſt, Dei Jonatha, &c. etym.
donum: & Abinadab, id eſt, Patris mei liberalitas: & Melchiſua, id eſt, conſilium ſalutis, vel Rex Salvator, Rex magnificus in eodem muro Bethſan ſuſpenduntur. Doloſus & malignus aliis exitium parans, & Dei dona, & propria bona, atque omne conſilium, ſalutem & ſplendorem perdit. Adde poſt annos aliquot Gabaonitæ traditos ſibi Dei juſſo ſeptem Saulis alios filios, ut famea ceſſaret, crucifixerunt, 2 Reg. 21. 8. *Tulit itaque Rex* (David Deo jubente) *duos filios Reſpha filiæ Aia, quos* Reſpha pietas, & miſeria.
peperit Sauli, Armoni & Miphiboſeth: & quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi, (illi quinque filii erant Merob ſororis Michol, nam maritus Merob fuit Hadriel, & maritus Michol fuit David, ſed eos adoptaverat Michol, itaque ejus filii vocantur. Ita Chald.) *& dedit eos in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos coram Domino*: nimirum ad placandum Dominum, vel in honorem Domini, ut ejus juſtitiæ vindicativæ, & offenſæ à Saule & familia ejus, per hanc familiæ ejus crucifixionem, quaſi per publicum piaculum & hoſtiam, pro peccato ſatisfieret. Ita Cornelius: Addit autem Joſephus id Deo placuiſſe, & confeſtim pluente Deo terram potito ſqualore ad priſtinam fertilitatem rediiſſe. Hebræi verò dicunt, hæc corpora in cruce manſiſſe, ſaltem filiorum Reſpha, quæ illa ab avibus ſervabat per ſex menſes, ſcilicet à menſe Martio uſque ad Septembrem.

Moraliter nota, eam eſſe Dei providentiam & juſtitiam, ut damna, quæ ſcelerati aliis parant, in eos recidant, Pſal. 9. 16. *Exultabo in Salutari tuo*, (S. Auguſt. *ſuper Salutare tuum.* Ibi non eſt timor cadendi aut pereundi) *infixa* (S. Hieron. demerſæ) *ſunt gentes in interitu*, (in fovea, ut vertunt Vatabl. Campenſ. Cajetan. Pagn. Arias) *quem fecerunt* (id eſt, aliis paraverunt) *in laqueo*, S. Hieron. in rete, S. Auguſt. in muſcipula) *quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum.* Unico ſunt pede, ſibi ſoli innitentes impii, ideò faciliè cadunt & capiuntur, verſ. 17. addit: *Cognoſcetur* (S. Hieron. & Chryſoſt. agnitus eſt) *Dominus judicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.* S. Hier. corruit impius. Trevetus ex editione Hieron. quam ſequi ſe aſſerit, ſic refert: In opere palmarum ſuarum corruit impius ſonitu ſempiterno. Itaque & pedibus, id eſt, affectibus: & manibus, id eſt, operibus, capitur.

Proverb. 22. 8. *Qui ſeminat iniquitatem, metet mala*, (Hebr. און *aven*, hoc eſt, vanitatem. 2. Calamitatem, ut reddit Vatablus; damnum, ut Aquila. 3. Injuſtitiam, ut Symmachus) *& virga iræ ſuæ conſumetur.* Pagn. vertit, deficiet. Virgam porrò iræ intelligit Aben Ezra ipſam iram, quâ iratus velut virgâ ſævit & percutit. 2. Virga iræ eſt poteſtas, cui ira & ſævities adjungitur. 3. Denique, virga iræ eſt flagellum, quo ſegetes verberantur ad grana excutienda, q. d. Qui ſeminat mala, metet illa, & flagellabitur ac triturabitur ab aliis, qui, quicquid in eo fuerit, expriment ac diſſipabunt.

In

105. Perſecutores Eccleſiæ puniri.

In caput impiorum recidiſſe eorum malignitatem, probari poteſt tum in perſecutoribus Eccleſiæ ac martyrum; tum in perſecutoribus aliorum Sanctorum.

Ac primò de Eccleſiæ inſectatoribus ait S. Cyrillus Alex. in Zachariam: *Semper perſecutoribus Eccleſiæ conatus ipſorum in caput reciderunt, & tangunt ſuammet pupillam.* Quod de facto accidit

1. Rictiovarus.

Rictiovaro crudeliſſimo Chriſtianorum perſecutori, cùm enim in urbe Sueſſionenſi generoſos Chriſti athletas S. Criſpinum & S. Criſpinianum in ferventis plumbi dolium conjeciſſet, plumbi bullientis gutta in ejus oculum involans eum excœcavit: itaque irâ ſuccenſus illæſos cernens Martyres, ipſe ſe in flammas projecit, & iis combuſtus eſt, ut Surius refert 25. die Octobr. Idem contigit

2. Tortores SS. Coſmæ & Damiani.

Sanctorum Coſmæ & Damiani tortoribus, cùm enim viderent eos non lædi in mediis flammis, lapidibus eos appetere cœperunt, ſed in ipſorum capita lapides reflectebantur divinâ virtute: Tum Lyſias juſſit ſagittas expediri, & nervum intendi, ſed in jacientes retorquebantur, eoſque configebant, ut ait Ado 27. Septembris. Sic ſudes acutæ è digitis S. Criſpini & Criſpiniani exilierunt in carnifices, eoſque partim occiderunt, partim vulnerârunt.

3. Mauri.

Inundantibus Hiſpaniam, ditâque clade vaſtantibus Mauris, lugendi naufragii reliquias collegit Pelagius, poſteà Galliciæ Rex, atque in Auſenam montem, quo nondum tantæ diluvionis fluctus evaſerant, ſe recepit; & quò tutior receptus eſſet, in ſpelæum cum mille militibus condidit. Advolant ad prædam Mauri, & locum odorati, miſſilibus, tum telis, tum lapidibus latitantes obterere moliuntur: ſed cautes tela lapideſque in authores rejiciunt, plurimoſque ſternunt. Pelagius, cui animos præſens Dei manus faciebat, velut ex inſidiis emicat è latebra, & fulminis modo medias irrumpens acies hominum viginti millia iræ Dei Vindicis mactat, cæteri montis allapſu in Devam fluvium præcipites acti ſunt, teſte Mariana,

4. S. Pantal. & S. Cathar. tort.

lib. 7. Hiſt. Hiſpan. cap. 2. Rota, in S. Pantaleonem medicum, in S. Catharinam Alexandrinam regio ſanguine ortam virginem, alioſque comparata, comminuti tortores ſunt.

106. Singulorum juſtorum perſecutores puniri.

Secundò, ſingulorum ſæpè juſtorum & aliorum etiam perſecutores injuſti & crudeles ſuis artibus afflicti ſunt. Quis non miretur fratres Joſephi ad læſi fratris genua abjici ſupplices, cujus afflicti gemitus non audièrant, & eos in carcerem detrudi, qui ipſum in ciſternam aquâ carentem

1. Fratres Joſephi.

præcipitârant, Gen. 42. 17. Notabilis eſt pœna

2. Adonibezec.

Adonibezec Regis Beſec, quæ erat urbs in tribu Juda. Nam tribus Juda & tribus Simeon ſimul junctæ pugnaverunt contra eum, & percuſſerunt Chananæum & Pherezæum, Judic. c. 1. 6. *Fugit autem Adonibezec: quem perſecuti comprehenderunt, cæſis ſummitatibus manuum ejus ac pedum. Dixitque Adonibezec: Septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum ſummitatibus.* Hebr. בהנות *behonoth*, id eſt, pollicibus, ut Pagn. Arias, Chald. Cajet. & alii vertunt. Nam pollices in manu ſummi ſunt ac potiſſimi, & S. Iſidor. ait pollicem dici, quòd inter cæteros digitos virtute polleat, & à Græcis vocatur *ἀντίχειρ*, quòd ſolus tantum valeat, quantum reliqui 4. digiti, teſte Vall. ſeu quòd quaſi altera manus ſit, quippe quo dempto manca futura ſit manus, & mancus ejus uſus: *Colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Adonibezec idem eſt, quod Domini fulgur, ſeu Dominus fulguris; id ſibi nominis probabiliter ſumpſerat, quia tot Reges, id eſt, regulos ſeu principes inſtar fulminis terrore ſuo & potentiâ proſtraverat, jam ſibi ipſi fulmini imperare, & nubes ſub pedibus habere videbatur, ſed non advertebat. *Adonibezec* etiam ſignificat

Ejus etymon.

dominum in compedibus, ab *adon*, id eſt, dominus, & זקק *zacac*, fundere: unde זקים *zicckim*, compedes, manicæ, בזק *bezec* verò, ſignificat fulmen. Vel fulminis ocyores alis à Deo ſiſtuntur & captivantur.

3. Nabuchodonoſ. ſatellites.

Nabuchodonoſoris ſatellites conflagrant Babylonicæ fornacis incendio, in quod tres pueros projecerant: nempe Sidrach, Miſach & Abdenago,

4. Cliſthenes.

id eſt, Ananiam, Azariam & Miſaëlem, Dan. 3. verſ. 6. Cliſthenes Oſtraciſmi Athenis author,

5. Perillus.

eâ lege primus ex urbe ejectus eſt. Perillus vaccam æream triſte munus Phalaridi tyranno obtulerat, ad comburendos reos, hoc illi primùm contigit petere ſupplicio, ac tandem ipſimet Phalaridi.

6. Arunt.

Aruntius Paterculus ſpe præmii propoſiti iis, qui nova ſupplicia excogitâſſent, equum æreum Æmilio Cenſorino tyranno obtulit, eoque primus

7. Galeacius.

Æmilio jubente interiit. Galeacius Vicecomes in Modœtiana arce, carcere, quem adverſarium patruum capturus paraverat, primus detentus eſt. Aman pependit in patibulo, quod paraverat Mardochæo.

8. Euthymius.

Cùm Juſtina Imperatrix, Ariana in exilium deportari optaret S. Ambroſium Mediolani Epiſcopum, qui contra hæreſim ſtabat murus pro domo Dei, & nemo id ſcelus patrare vellet, quidam Euthymius proſtitutæ famæ & conſcientiæ, dictâ die currum prope Eccleſiam collocavit, ut ex ea egredientem ſanctum virum ex improviſo adortus concitatis equis abriperet. Sed Deus ejus conatum illuſit, & anno vertente eâdem ipsâ die, ipſo eodem in curru, ex eadem ipſa domo, in exilium deportatus eſt, ut narrat Paulinus in vita S. Ambroſii, & ex eo Baron. anno 386. lepidum eſt, quod refer-

Sagittatoris cujuſdam mors mirabilis.

tur lib. 1. Anthol. c. 25. Aquilam telo cujuſdam Cretenſis confixam, in eum cadentem eodem jaculo ipſum peremiſſe.

107. Tropol.

Tropolog. Convertitur dolor & iniquitas in impii caput, id eſt, in ejus mentem, quod vulnus eſt graviſſimum. In Scriptura cùm dicitur pœna in alicujus caput converti, ingens ſupplicii genus denotatur & calamitas gravis, ut Pſ. 109. 6. Levit. 24. 14. Dan. 13. 55. & 59. Joſue 2. 19. Nulla major eſſe pœna poteſt, quàm cùm in mentem ipſam incidit, & ſuper nos fit, ad terrena & ima nos dejiciens. Sanctus Auguſt. in Pſalm. noſtr. *Convertetur*, ait, *dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet. Non enim voluit ipſe peccatum evadere, ſed factus eſt ſub peccato quaſi ſervus, dicente Domino, Joann. 8. 34. Omnis, qui peccat, ſervus eſt. Erit ergò iniquitas ejus ſuper ipſum, cùm ipſe iniquitati ſua ſubditur; quia non potuit dicere Domino quod innocentes & recti dicunt, Pſalm. 3. 4. Gloria mea, & exaltans caput meum. Ita ergo ipſe inferior erit, ut ejus iniquitas ſit ſuperior, & in illum deſcendat, quia gravat illum & onerat, & ad requiem Sanctorum revolare non ſinit.*

Concludit David pſalmum, promittitque ſe Deum laudaturum ob juſtitiam, quâ ſcilicet & ſe peccatorum affligerat, ut ait Remigius, & ſe pœnitentem juverat, ut S. Thomas explicat: ſui potiùs, quâ ſe innocentem ſervaverat, Saule proſtrato. Non enim agitur hîc de perſecutione Abſalonis, ſed Saulis, ut ſuprà oſtendi. Dicit itaque verſu 18. CONFITEBOR DOMINO SECUN- Verſ. 18.
DUM (Hebr. *be* in, ſeu propter) JUSTITIAM EJUS, 108.
PSALLAM NOMINI DOMINI ALTISSIMI, id eſt, ſupra omnes creaturas Eminentiſſimi, omnes ſapientiâ, potentiâ, bonitate, juſtitiâ ſuperantis, ſed immenſo intervallo: in cœlo ſibi thronum ſtatuentis, unde mortales omnes, etiam potentes & nobiles, velut pygmæos & locuſtas,

formi-

formicaſque deſpectet. De ejus nomine dicam, Pſal. ſeq. ℣. 1.

Crudeles rejiciendi. 1. Edgarus. 2. Seſoſtris. 3. Sapores. 4. Tamerlanes. Moraliter nota, crudelitatem eſſe quidem ad Caucaſi feras, aut Atlantis Nomades, aut Ætnæ Cyclopes ablegandam: nec probandum Edgarum Angliæ Regem, qui Scotiæ & Hyberniæ Reges captos remigare cogebat in cymba, quâ animi causâ vehebatur: nec Seſoſtrim Regem Ægypti, qui quatuor domitos Reges jugo ſubjectos currui ſuo trahendo adhibebat: nec Saporem Regem Perſarum, qui Valeriano Rom. Imp. ut ſcabello, ad inſcendendum equum utebatur: nec Tamerlanem Regem Tartarorum, qui Baiazethum Imp. Turcarum caveâ incluſum, ut feram circumducebat, eoque ad abjectiſſima quæque utebatur. *Laudandi lacrymantes in aliena clade. 1. Marcellus. 2. Scipio. 3. Titus.* Prædico in Syracuſana clade lacrymas Marcelli Rom. Ducis: in Carthaginenſi, Scipionis Africani: in Jeroſolymitana, Titi Imperatoris. Lætandum tamen eſt ob Dei juſtitiam in ſtrage ſceleratorum, unde ait David: *Confitebor Domino ſecundùm juſtitiam ejus: & pſallam* (adhibendo muſica etiam inſtrumenta) *nomini Domini Altiſſimi*, ſupple, ſecundùm juſtitiam ejus.

109\. *Exultandum tamen ob Dei juſtitiam.* Sic Pſ. 57. 11. generatim de omnibus juſtis ait: *Lætabitur juſtus, cùm viderit vindictam.* S. Chryſoſt. hom. 3. in epiſt. ad Philemon. addit: *impii.* S. Ambr. in Pſ. 118. ſerm. 7. S. Iſidorus in ſententiis lib. 3. cap. ult. addunt: *impiorum*, emendati codices Græci ἀσεβῶν. Hebræa tamen id non habent: *Manus ſuas* (Hebr. פעמיו pheamau, pedes ſuos, ut vertit Hier. Pagn. Arias, plantas ſuas, ut Felix: per eorum ſcilicet ſtrata cadavera ambulant, & ea calcant) *lavabit in ſanguine peccatoris.* *Hoc faciunt Sancti.* Pſalt. Gallicanum, Arnobius & Caſſiod. habent: *peccatorum*, quicumque ſcilicet ii ſint: ſive amici antea, ſive affines, ſive conſanguinei, ſive cives. Deum unum præ oculis habent Sancti. Vide ibi dicta.

Et Angeli. Angeli ſancti Deum ob juſtitiam laudent. Hoc expreſſit S. Joannes, Apoc. 16. cùm enim vox Dei magna de templo, id eſt, de cœlo, dixiſſet ſeptem Angelis: *Phialæ iræ Dei.* Ite, id eſt, fundite ſeptem phialas iræ Dei in terram, primus Angelus effudit (id eſt, viſus eſt effundere, hæc enim ſunt ſymbolica) phialam ſuam in terram, & factum eſt vulnus ſævum & peſſimum in homines, qui habebant characterem beſtiæ, id eſt, Antichriſti, diaboli, propriæ ſuæ concupiſcentiæ: & in eos, qui adoraverunt imaginem ejus. Et ſecundus Angelus effudit phialam ſuam in mare, & factus eſt ſanguis tanquam mortui, id eſt, quaſi ſanguis occiſorum & mortuorum, hoc eſt perinde, ac ſi multæ ibi cædes factæ eſſent: & omnis anima vivens mortua eſt in mari. Et tertius Angelus effudit phialam ſuam ſuper flumina, & ſuper fontes aquarum, & factus eſt ſanguis. Quid autem faciunt Angeli Præſides, aliique, tantam Dei vindictam cernentes? Ex duobus collige ℣. 5. *Et audivi Angelum aquarum* (certis creaturis & ſingulis elementis à Deo aſſignati ſunt Angeli Præſides, ut docet S. Auguſt. l. 83. quæſt. q. 79. S. Thom. 1. p. quæſt. 110. art. 1. Vaſq. 1. p. tom. 2. diſp. 245. Arethas, Plato, Origenes, aliique) *dicentem: Juſtus es Domine, qui es, & qui eras, ſanctus*, (Syr. pius, ſeu miſericors. Cùm iratus fuerit, miſericordiæ recordabitur) *qui hæc judicâſti. Quia ſanguinem* (ſanguis pauperum eſt ſubſtantia eorum & pecuniola) *Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti bibere: digni enim ſunt.* Hujus Angeli vocem alter Angelus excipit, & juſtitiam etiam Dei laudat ab altari egrediens, ſub quo erant conditi Martyres vindictam expoſcentes, verſ. 7. *Et audivi alterum ab altari dicentem: Etiam Domine Deus omnipotens, vera & juſta judicia tua*, id eſt: 1. Sententiæ in impios latæ. 2. Judicia, id eſt, ſupplicia & pœnæ per judicium ſeu ſententiam judicialem decretæ.

Si Angeli de juſtitia ſceleratos punientes lætantur, quantò magis homines ſancti, qui per eorum mortem ſe à tot periculis liberatos vident? 110.
Apoc. 18. 21. miſeræ Babylonis, id eſt, Romæ ad idololatriam relapſæ in fine Mundi, clades deſcribitur, additur deinde cap. 19. ℣. 1. *Poſt hæc audivi quaſi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium: Alleluja, ſalus, & gloria & virtus* Græcè δύναμις, hoc eſt, potentia & robur) *Deo noſtro eſt. Quia vera & juſta judicia ſunt ejus, qui judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua*, (id eſt, in ſua idololatria & ſceleribus) *& vindicavit ſanguinem ſervorum ſuorum de manibus ejus. Et iterùm dixerunt: Alleluja. Et fumus ejus* (Babylonis incenſæ) *aſcendit in ſæcula ſæculorum*, id eſt, durabit in æternum; quia Babylon, id eſt, ejus cives impii flammis æternis punientur, verſ. 4. & 6. additur Alleluja, ut Alleluja quadruplex denotet perfectam ac ſolidam hanc eſſe lætitiam, & in omni parte Mundi ſibi Sanctos reſpondere laudantes Deum ob juſtitiam. Notant Alcazar, Ribera & Viegas, Alleluja continere acclamationem cum exhortatione *halelu*, laudate: *ia*, Deum: eſt enim diminutivum Jehova. Imperatoribus Conſtantinopolitanis victoriâ reportatâ in urbem redeuntibus olim coronam imponebat Patriarcha, plaudente populo ob victos & attritos hoſtes, ſicut Baſilio Imperat. poſt Saracenos ſuperatos, iiſque aliquot Syriæ urbes ereptas, fecit Patriarcha Photius, teſte Zonara in Baſilio. Sic Romæ antiquæ Ducibus & Imperatoribus triomphantibus, & coronâ laureâ capiti impoſitâ, & aureâ, quam ſervus curru etiam triumphali vectus ſuſtentabat, coronatis, populus univerſus applaudebat, de calcatis, ſubjugatis, & catenatis hoſtibus exultans, metu omni depoſito, & regno tranquillato: ita dicunt Sancti, verſ. 6. ibid. *Alleluja: quoniam regnavit Dominus Deus noſter omnipotens*: regno ſcilicet ſecuro reddito poſt excidium Babylonis, quæ longè latéque dominans, veneficiis ſuis, id eſt, idololatriæ, & ſceleribus, homines dementabat. Illa vox dicitur quaſi aquarum multarum, quia erit maxima: & quaſi tonitruorum magnorum, quia terribilis erit impiis.

Lætitia cœleſtis ob Babylonem everſam. *Alleluja.* *Corona Imp. victori data.* *Et Ducibus exercituis.*

Deum unum præ oculis habentes Sancti, ejus unius voluntati adhærebunt, cætera pro nihilo ducent: carebunt illa imbecillitate & mollitie muliebri, quæ, ut ait Seneca lib. 2. de clementia, cap. 5. *Eſt vitium puſilli animi, ad ſpeciem alienorum malorum ſuccidentis. Itaque peſſimo cuique familiariſſima miſericordia eſt.* (Si de virtute miſericordiæ loquitur, errat.) *Anus & mulierculæ ſunt, quæ lacrymis nocentiſſimorum moventur, quæ, ſi liceret, carcerem effringerent.* Virilis animus generoſitatem amat, & mentis firmitatem: in cœlo ea mollities non erit. S. Bern. Pſ. 90. 8. *Tunc non erit infirmitatis humana iſta molleties, quâ tamen interim pro tempore charitas utitur ad ſalutem, ampliſſimo quodam videlicet expanſa ſagena ſinu, & bonos & malos colligens piſces, id eſt, affectus jucundos pariter & moleſtos. Verum hoc quidem in mari. Nam in littore ſolos eliget bonos, ſic videlicet gaudens cum gaudentibus, ut ex hoc jam cum flentibus flere non poſſit.*

111\. *Voluntati Dei conformantur Sancti, etiam in punitionibus.*

Etiam in hac vita lætantur juſti de clade impiorum, ut eſt effectus juſtitiæ vindicativæ Dei. Cùm Iſraëlitæ viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos; *Tunc* (non ante) *cecinit Moyſes & filii Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino*, (non nobis. Tunc apparet Dominus, cùm domat rebelles) *glorioſe enim magnificatus eſt*, (Hebr. magnificando magnificatus eſt, ut Pagn. & Arias

112\. *Etiam in hac vita.*

& Arias vertunt, hoc eſt, mirum in modum magnificatus eſt) *equum & aſcenſorem* (Pharaonem præſertim) *dejecit* (Pagn. projecit, id eſt, procul jecit, fluctibus jactatum) *in mare. Fortitudo mea*, (non formalis, ſed effectiva) *& laus mea* (materia laudis: eſt metonymia) *Dominus*, *& factus eſt mihi in ſalutem*, id eſt, Salvatorem. Iſte Deus meus, & glorificabo eum: Deus Patris mei: *Et exaltabo eum*, id eſt, ut ait Cornelius, eum Altiſſimum palàm confitebor, & quantum potero, prædicabo, quod aptiſſimè quadrat Pſalmo noſtro, ait enim David: *Et pſallam nomini Domini Altiſſimi*. Hebr. עליון *elion*, id eſt, Altiſſimus, unde quidam ἥλιον, id eſt, Solem deducunt, quòd in excelſo throno ſedens, Orbem illuſtret; Eſt unum de decem Dei nominibus, quæ S.Hier. explicat, epiſt. 136. Deus porrò eſt Altiſſimus. Primò, altitudine ſubſtantiæ, quia omnes eſſentias rerum in immenſum tranſcendit, eaſque omnes eminenter in ſe continet. Secundò, altitudine ſcientiæ, hæc enim in Deo eſt incomprehenſibilis, Rom. 11. 33. O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: *Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus*, & inveſtigabiles viæ ejus. Tertiò, altitudine poteſtatis, quia omnia, quæcumque voluit, fecit in cœlo & in terra. Quartò, altitudine majeſtatis & dominationis, eò quòd omnia ejus imperio ſint ſubdita, ipſumque omnes adorare & venerari debeant: Mihi, inquit, curvabitur omne genu, Iſai. 45. Quintò, altitudine habitationis, quia habitat in cœlo empyreo, quaſi throno gloriæ ſuæ, ubi eum celebrant omnes Angeli & Beati. Hinc monet Jeſus filius Sirach, Author Eccli. cap. 43. 32. *Glorificantes* (id eſt, glorificate. Hebræi enim aliquando ponunt Benoni ſeu participium pro imperativo) *Dominum, quantumcumque potueris*, *ſupervalebit enim* (eſt Altiſſimus. Græcè, ὑπερέξει, excedit, ut vertit Tigurina) *adhuc*, *& admirabilis magnificentia ejus*. (Supple, eſt: aut, ſupervalebit.) Verſ. 33. *Benedicentes Dominum exaltate illum*, *quantum poteſtis*; (S.Bernard. tract. de dilig. Deo: Cauſa diligendi Deum, Deus eſt. Modus diligendi Deum, eſt ſine modo diligere, *major eſt enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute*, (Græcè, πληθύνατε ἐν ἰσχύϊ, multiplicate in viribus, id eſt, vires: vel cum viribus) *ne laboretis*, id eſt, ne laborando laſſeſcatis: eſt metalepſis. Græcè, μὴ κοπιᾶτε, ne laſſeſcatis, ut vertit Tigurina) *non enim comprehendetis*, id eſt, ſemper aliquid laudandum reſtabit. Ut enim ait S.Greg. Nazianz. orat. Talis eſt Dei natura, *tantum recedit, quantum capitur*, Sicut cœlum eò altiùs apparet, quò magis ei approximas montem aſcendens, cùm in pede montis tibi proximum & facilè capi poſſe & penetrari crederes.

113. Judicis Dei celſitudo ab Iſaia oſtenditur.

Altitudinem Dei Judicis, atque ob juſtitiam laudari repræſentat Iſaias cap. 6. 1. *In anno, quo mortuus eſt Rex Ozias, vidi Dominum* (unum & trinum, in ſpecie humana, non tamen oculis corporeis, ſed imaginationis, aut potiùs mentis) *ſuper ſolium excelſum & elevatum*, (quia in cœlo. 2. Ab ipſius cœli pavimento elevatum) *& ea, quæ ſub ipſo erant*, (Symmach. & Theodotio reddunt, quæ ſub pedibus ejus erant. Hebr. שוליו *ſulau*, id eſt, fimbriæ ejus, ut vertit Pagn. hoc eſt, fimbriæ ſeu oræ veſtium ejus) *replebant templum*, in cœlo viſum ſimile Salomonico. Hebr. הבל *hecal*, palatium, ut Arias reddit. 2. Templum, & meliùs, ut etiam Pagn. habet. Licèt autem hechal ſit propriè pars templi ſecunda, quæ dicebatur Sanctum, & erat velut navis Eccleſiæ, tamen, cùm ſolùm ponitur, deſignat totum templum, id eſt, tam Sanctum, quàm Sanctum Sanctorum, quod erat velut chorus templi, in quo erat arca & propitiatorium, atque Cherubini ex auro à Moſe, & Cherubini ex oleis facti à Salomone. Iſaias itaque vidit Deum in Sancto Sanctorum templi illius cœleſtis. Cornelius ad rem noſtram ait: Solium hoc fuiſſe Dei *Judicis*, & ſignificâſſe definitam eſſe Dei contra Judæos ſententiam de eorum excæcatione & reprobatione. Juſtitiam illam Dei, ſeu Deum ſecundùm juſtitiam ſuam laudant *Seraphim*, id eſt, *ardentes*, charitate ſcilicet Dei, & zelo gloriæ ejus, ac dicunt verſu 3. *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* 114.
(Pater, Filius & Spiritus ſanctus) *Dominus Deus* Nimia benignitas in Charillo arguitur, ſic in Sciraphida.
exercituum! debellat impios ſuis exercitibus, quia Sanctus eſt, neque habitat juxta eum malignus, neque permanent injuſti ante oculos ejus. Archidamidas jure Charillum redarguit, quòd erga omnes æqualiter benignitatem & manſuetudinem exhiberet. Ephori Lacedæmone juſtam Sciraphidæ mulctam indixerunt, quòd à multis paſſus eſſet injuriam. Viri ſancti ſunt Seraphim, ut igne divino ardeant, ad eos non accedit impius, qui non ardeat eodem igne, ſi convertatur; aut igne vindictæ, ſi impœnitens obdoreſcat, Pſ. 103. 4. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus*, (Chald. Qui facit nuncios ſuos veloces ſicut ſpiritus, id eſt, ventos) *& miniſtros tuos ignem urentem*. Græcè, πυρὸς φλόγα, id eſt, ignis flammam: Angelorum zelus igneus.
in emendatis codicibus, πῦρ φλέγον, id eſt, ignem lucentem, ſplendentem, fulgurantem, micantem. 2. Urentem, flammantem, ardentem, incendentem, flagrantem. Aquila vertit, πῦρ λάβρον, id eſt, ignem vehementem, impetuoſum, voracem. Talis ignis erat Elias, de quo dicitur, Eccli. 48. 1. *Surrexit* (non jacet vir fortis) *Elias Propheta quaſi* Et Elias.
ignis, (ſemper alta petens, ut cum Deo altiſſimo & juſtiſſimo fulgeat & ardeat) *& verbum ejus quaſi facula λαμπὰς*, id eſt, fax) *ardebat*. Græcè, ἐκαίετο, ardebat & urebat. Complut. habent, quaſi fax urebat. Syr. quaſi clibanus ſuccenſus. Cùm ſcilicet dejecit verbulo ignem è cœlo in holocauſtum ſuum præſente Achab Rege Iſraël & toto populo, 3 Reg. 18. ℣. 38. & in duos quinquagenarios ad ſe capiendum miſſos ab Ochozia Rege Iſraël, & filio Achab, 4 Reg. 1. 10. & 12. Conclude itaque cum Davide: *Confitebor Domino ſecundùm juſtitiam ejus*, *& pſallam Nomini Domini Altiſſimi*, & quidem ſecundùm juſtitiam ejus.

PSALMUS OCTAVUS.

1. *In finem pro torcularibus, Pſalmus David.*

2. DOmine Dominus noſter ! quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra ?
3. Quoniam elevata eſt magnificentia tua ſuper cœlos.
4. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos: ut deſtruas inimicum & ultorem.
5. Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum : Lunam, & ſtellas, quæ tu fundâſti.
6. Quid eſt homo, quòd memor es ejus : aut filius hominis, quoniam viſitas eum ?
7. Minuiſti eum paulò minus ab Angelis, gloriâ & honore coronâſti eum : & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.
8. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves univerſas : inſuper & pecora campi.
9. Volucres cœli, & piſces maris : qui perambulant ſemitas maris.
10. Domine Dominus noſter ! quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra ?

PSALMI OCTAVI ANALYSIS.

David in feſto tabernaculorum de nocte cœlum terramque contemplans, adorat
- Deum, ob creationem totius Orbis,
  - In terra, admirabilem. 2.
  - In cœlo, magnificum. 2.
  - Ubique, ab homine laudandum. 3. contemplante
    - Cœlos. 4.
    - Lunam. 4.
    - Stellas. 4.
- Et præſertim hominis, 5. qui
  - Dei amicus. 5. à quo
    - Curâ peculiari conſervatur. 5.
    - Et donis cumulatur. 5.
  - Angelis ſuppar. 6.
    - Gloriâ. 6.
    - Et honore. 6.
  - Creaturarum omnium Dominus 7. cui
    - In terra, ſubjecta ſunt animalia. 8.
      - Domeſtica. 8.
      - Sylveſtria. 8.
    - In aëre, aves. 9.
    - In mari, piſces. 9.
    - In omni loco, ceteræ creaturæ, quas illi Deus mirabiliter ſubjecit. 10.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. *In finem pro torcularibus, Pſalmus David.*

1. PSalmo quarto explicui, quid ſignificet in finem. Nunc, quid ſit *pro torcularibus*, eſt exponendum, ad quod nota, in Hebræo eſſe על *al*, id eſt, pro, vel ſuper הגתית *gittith*, pro quo Bellarminus legi vult *gattoth*, id eſt, torcularia: & Mariana gittoth, eâdem ſignificatione; ſed arbitror eſſe retinendam vocem *gittith*: unde Pagninus eam inexplicatam relinquens vertit : *Vincenti ſuper Hagittith*. Quid ſit autem *gittith*, non levis eſt controverſia.

1. Gittith quid? Primò, multi volunt *gittith* eſſe citharam, vel à Gethæis inventam, vel à Davide allatam ex Geth, cùm fuit ad Achis Regem Gethæorum, ut Saulis furorem effugeret : eam citharam opinantur, à nobis inde etiam *guittarram* nominari. Senſus itaque erit, q. d. Pſalmus Davidis concinendus in finem, id eſt, ſemper & in honorem Chriſti, ſuper citharam Gethæam, Chald. reddit : *Pſalmus canendus ſuper citharam allatam de urbe Geth.*

2. Secundò, & meliùs, *Gittith* ſignificat torcular: unde Septuag. verterunt, *in finem pro torcularibus*. S. Hieron. *Victori pro torcularibus*. Felix, *vincenti ſuper torcularia*. Ad verbum erat vertendum, pro torculari, ſed hoc parum refert : ſciebant enim Davidem non de uno torculari agere, ſed de omnibus. Senſus itaque erit, q. d. Pſalmus hic Davidis cantatus eſt pro torcularibus, id eſt, pro & in uberi, & copioſa vindemia, ut de illa gratias ageret in feſto tabernaculorum, quod celebrabant die decimo quinto Septembris, atque per ſeptem dies durabat, ut memores eſſent Judæi protectionis divinæ in deſerto per quadraginta annos, & de fructibus terræ collectis Deo gratias referrent. Hinc dicit Deus Moſi, Exod. 23. 16. *Solemnitatem quoque in exitu anni* (illo 15. die Sept.) *cuſtodies, quando congregaveris omnes fruges tuas in agro*. In regione calida, vindemia etiam erat perfecta, eo tempore. Itaque David hunc Pſalmum compoſuit, quem omnes ad illud tabernaculorum feſtum confluentes concinerent. Ter enim in anno, nempe in Paſchate, in Pentecoſte, & in feſto tabernaculorum omnes mares in Judæa habitantes tenebantur venire Jeroſolymam in templo oraturi, & ſua dona oblaturi, Deut. 16. 16. Non placent autem Hebræi, qui cenſent hunc pſalmum à Davide factum, cùm verſaretur profugus in torcularibus Philiſthinorum, apud Argumentum Pſalmi.

quos

quos erat Geth nomen loci. Nec placet Burgenſis, qui opinatur *gubith* vocari citharam, ſeu aliud inſtrumentum muſicum, quod haberet formam torcularis.

2. Allegoricè. Allegoricè, de Chriſto hunc Pſalmum eſſe, nullus poteſt negare, cùm Chriſtus Matthæi 21. verſu 17. Principes Sacerdotum & Scribas videntes mirabilia, quæ fecerat, & pueros clamantes in templo, ac dicentes: Hoſanna filio David, atque eam ob rem indignantes, his verbis compeſcuerit: *Numquam legiſtis, quia* (quòd) *ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.* Et Paulus 1 Corinth. 15. 26. & Epheſiorum 1. 22. Chriſto tribuit verſu 8. Pſalmi noſtri: *Omnia ſubjecit*, ait, *ſub pedibus ejus.* Hebr. 2. 6. 7. 8. de eo explicat Pſalm. noſtr. verſu 5. 6. 7. & 8. *Quid eſt homo*, &c. Anaſtaſius Sinaita 4. anagog. contemplat. ait: totum hunc pſalmum eſſe de Chriſto. Hunc ſenſum arbitror à Spiritu ſancto eſſe præcipuè intentum, ut magis patebit in decurſu, & eſſe etiam literalem.

Sic autem ſenſus erit primò, Pſalmus in finem, id eſt, in Chriſtum, qui eſt finis legis ſcopus, ad quem tota refertur & tendit, & Pſalmus *pro torcularibus*, ſeu pro Gethæis (in Hebr. enim eſt *gittehuh*) aut Philiſthæis, hoc eſt, pro Gentilibus, quorum converſio futura prævidetur & decantatur. Ita Theodorus Antiochenus & Felix.

3. Crux fuit torcular Chriſti. Secundò, pro *torcularibus*, id eſt, pro cruce, coronatione, flagellatione, atque aliis Chriſti tormentis, & ſanguine in illis fuſo, ad ſalutem hominum: per hanc enim humiliationem & paſſionem meruit exaltationem ſui nominis, Philipp. 2. 9. de quo ait Vates noſter: *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!* Ideò elevata eſt magnificentia ejus ſuper cælos, ideò gloriâ & honore coronatus eſt, &c. Hic ſenſus maximè placet. Sic Iſaiæ 63. Cùm inquirerent Angeli admirantes Chriſti aſcenſionem in cælum, ut S. Hieronymus, Ambroſius, Cyrillus & Auguſtinus exponunt, verſu 1. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom* (id eſt, de Idumæa, quæ idem eſt atque ſanguinea) *tinctis* (ſanctus Hieronymus, fulvis. Hebr. rubicatus) *veſtibus de Boſra?* Quæ erat metropolis Idumææ, & ſignificat *vindemiam*, & munitionem: erat enim ſita in rupe. *Iſte formoſus* (Hebr. הדור *hadur*, decoratus, ut Arias vertit) *in ſtola ſua* (in veſte & paludamento regio. Stola eſt vox Græca, à στέλλεσθαι, hoc eſt, ab induendo) *gradiens in multitudine virtutis ſuæ.* Hebr. כחו *coho*, id eſt, potentiæ ſuæ, ut vertit Pagninus, q. d. greſſu regio, generoſo, magnifico, majeſtatis pleno, & vividum animi corporiſque robur denotante ambulans, & de hoſtibus triumphans. Ad hanc Angelorum interrogationem reſpondet Chriſtus: *Ego qui loquor juſtitiam, & Propugnator ſum ad ſalvandum.* Cùm iterum peterent Angeli, verſ. 2. Quare ergò rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Reſpondet idem Chriſtus, verſu 3. *Torcular calcavi ſolus.* Quod de cruce explicant, & de Chriſti paſſione, ſanctus Cyrillus, ſanctus Cyprianus libro 2. epiſtolâ 3. Sanctus Auguſtinus homiliâ 178. de tempore, & ſanctus Gregorius homiliâ 13. in Ezech. Torcular, inquit, Chriſtus calcavit ſolus: quia ſolus torcular, in quo calcatus eſt, calcavit: quia ſuâ potentiâ eam, quam pertulit, paſſionem vicit, & ex morte cum gloria ſurrexit: ita ipſe. Sic de Chriſto patiente in cruce agens Jacob Patriarcha, ut explicant ſanctus Ambroſius, S. Chryſoſtomus, Cyprianus, Auguſtinus ait, Geneſ. 49. 11. *Lavabit in vino* (in ſanguine ſuo ardenti charitate effuſo) *ſtolam ſuam*, (id eſt carnem ſuam, quæ eſt velut veſtis animæ & divinitatis eas occultans) *& in ſanguine uvæ* (in eodem vino) *pallium ſuum*, id eſt, Eccleſiam, quâ amicitur & ornatur. Huc alludit S. Joannes, Apocalypſis 19. verſu 13. cùm Chriſtum deſcribens ait: *Veſtitus erat veſte aſperſâ ſanguine.* Hoc de ejus cruore in paſſione explicat noſter Martinus de Roa libro 1, Singularium capite 2. Nam etiam ad pugnam procedens eam ob rem veſte purpuratâ gaudet, atque equo ruſo inſidet. Sanctus Hieronymus in caput 66. Iſaiæ: Equo ruſo, ait, ſedebat Dominus atque Salvator, humanum corpus aſſumens, cui dicitur: Quare rubra ſunt veſtimenta tua? &c. Ita ipſe. Suum quoque ſanguinem quotidie fundit Chriſtus in altaribus noſtris, velut in ſacris torcularibus, unde jugis fons ſanguinis & gratiarum in omnem Eccleſiam effunditur: tu os tuum aperi, & Chriſtus implebit illud.

4. Tropologicè. Tropologicè. Torcularia ſeu vinum ex torculari expreſſum & diffluens ſunt primò expreſſiones doctrinæ, ac verbi divini per prædicatores. Ita Auguſt. Remig. ac Titelmanus. Secundò, variæ expreſſiones operum ſpiritualium ex animæ noſtræ vinea. Ita S. Greg. Nyſſ. tract. 2. in pſalmos cap. 5. Apollinaris & Dydimus.

5. Symbolicè. Symbolicè. Torcularia ſunt variæ Eccleſiæ, in quibus boni ſunt vinum regiæ Chriſti cellæ in cœlo præſentandum; mali verò, ſunt vinacia ſegreganda & ejicienda: ſicut ex area rejiciuntur paleæ, & frumentum defertur in horreum. Sanctus Auguſtinus hîc: *Vina reconduntur in apothecis, vinacia verò pecoribus projiciuntur: ut ventres pecorum pœnis gehennarum per ſimilitudinem intelligere liceat.* Et aliquot interjectis, ſubdit: Pſallitur ergò pro torcularibus, pro Eccleſiæ conſtitutione, cùm Dominus noſter, poſtquam reſurrexit, aſcendit in cœlos. Tunc enim miſit Spiritum ſanctum, quo impleti diſcipuli, cum fiducia prædicaverunt Verbum Dei, ut Eccleſiæ congregarentur. Ita ipſe, quem ſequuntur Caſſiodorus, Euthymius, & alii. Secundò: Torcularia Eccleſiæ ſunt martyres. Solent, ait ſanctus Auguſtinus, accipi torcularia etiam martyria, tanquam afflictione perſecutionum calcatis eis, qui Chriſti nomen confeſſi ſunt: cùm mortalia eorum tanquam vinacia in terra remanſerunt, animæ autem requiem cœleſtis habitationis emanaverunt. Ita Auguſtinus, quem ſequitur Remigius & Titelm. qui etiam includit alios, qui perſecutionem patiuntur.

6. Pſalmi habentes titulum pro torcularibus, monent nos eſſe in hac vita patiendum. Nota, Pſalmus octogeſimus habet idem omninò proœmium, ſeu titulum cum noſtro: nempe, *in finem pro torcularibus, Pſalmus David:* Pſalmus verò octogeſimus tertius hunc titulum habet, *pro torcularibus filiis Chore*, id eſt, filiis Chriſti, ut explicat ſanctus Auguſtinus: ſunt enim Chriſtiani filii Chriſti crucifixi, idque præſertim obtinent per tribulationes, in quibus velut in torcularibus comprimuntur, ut fiant vinum cœleſte ac divinum. Verba ejus ſunt in enarr. Pſalm. 83. *Uva pendet in vitibus, & oliva in arboribus: his enim duobus fructibus ſolent torcularia præparari. Et quamdiu pendent in fructetis ſuis, tanquam libero aëre perfruuntur: & nec uva vinum eſt, nec oliva oleum ante preſſuram. Sic ſunt & homines, quos prædeſtinavit Deus ante ſæcula conformes fieri imaginis Unigeniti Filii ſui, qui præcipuè in paſſione magnus botrus expreſſus eſt. Hujuſmodi ergò homines, antequam accedant ad ſervitutem Dei, fruuntur in hoc ſæculo tanquam delicioſâ libertate, velut uvæ aut olivæ pendentes. Sed quoniam dictum eſt.* Eccleſiaſtici ſecundò, verſu primo: *Fili accedens ad ſervitutem Dei ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem: accedens quiſque ad ſervitutem Dei,*

Dei, ad torcularia ſe veniſſe cognoſcat, contribulabitur, contereiur, comprimetur, non ut in hoc ſæculo pereat, ſed ut in apothecas Dei deſinat. Exuitur carnalium deſideriorum integumentis, quaſi vinaceis: hoc enim ei contingit in deſideriis carnalibus, propter quæ & Apoſtolus dicit ad Coloſſenſes tertio, verſu 9. Exuite vos veterem hominem, & induite novum. Hoc totum non fit de preſſura. Propterea torcularia nominantur Eccleſia Dei hujus temporis, & in torcularibus poſiti qui ſumus, filii Chore. Sic enim additum eſt, pro torcularibus filiis Chore. Filios Chore interpretatos habemus filios Calvi, quantum nobis, qui illam linguam noverant, per miniſterium, quod Deo debuerunt, interpretari potuerunt. Ait deinde: Chore, id eſt, calvum geſſiſſe perſonam Domini, quia in Calvariæ loco crucifixus eſt: Eliſæum quoque, qui calvus erat, ejus fuiſſe typum: cavendumque eſſe, ne crucifixum in Calvaria JEſum irrideamus, ne ſicut pueri irridentes Eliſæum ab urſis devorati ſunt; ita etiam nos pereamus.

Tres ſunt numero. Nota ſecundò, tres Pſalmi, in quibus eſt titulus pro torcularibus, ad amorem Dei maximè pertinent, eumque inflammant, ut primò patebit in hujus decurſu: Secundò: Pſalmus octuageſimus continens Dei beneficia plenus eſt jubili ſpiritualis, verſu primo: *Exultate Deo Adjutori noſtro*, (ſanctus Hieronymus, laudate Deum Fortitudinem noſtram) *jubilate Deo Jacob. Sumite pſalmum, & date tympanum*, (Chaldæus, erigite vocem in laude) *pſalterium jucundum cum cithara*. Tertiò, Pſalmus octuageſimus tertius continet deſiderium ardens amantis animæ, & ad cœleſtem domum anhelantis, verſu primo: *Quàm dilecta* (ſanctus Paulinus epiſtolâ 36. amabilia) *tabernacula tua Domine virtutum*, (ſanctus Hieronymus, exercituum, in Hebræo enim eſt צבאות *ſebaoth*) *concupiſcit & deficit* (Græcè, ἐκλείπει, deliquium patitur: languens ſcilicet præ amore) *anima mea in atria* (ſanctus Cyprianus de mortalitate legit, ad atria) *Domini*; alludit ad tabernaculum Moſis, ubi erat Sanctum Sanctorum, locus arcæ ac propitiatorii: Sanctum, in quo altare thimiamatis: atrium Levitarum ſeu Sacerdotum, in quo altare holocauſtorum erat ſub dio: & alia atria, in quibus orabat populus.

Nota tertiò, tres ſunt Pſalmi pro torcularibus, ut diſcas in initio vitæ, in medio, & in fine tolerandas eſſe afflictiones. Secundò, ferendas eſſe à tribus hoſtibus: Mundo ſcilicet, carne, dæmone: vel, à Deo, à te & à proximo. Tertiò, futuras illas partim in bonis animi, partim in bonis corporis, partim in bonis fortunæ. Sed inde bonum vinum exprimendum eſſe ſanctiſſimæ Trinitati gratiſſimum, & Angelis & hominibus: in tua cogitatione, locutione & operatione. Ut in principio, medio & fine vitæ fortiter afflictiones expectemus.

DIVISIO TOTIUS PSALMI.

David duo admiratur. Primò, ſummam Dei potentiam & magnificentiam in cœli terræque creatione. Verſu 1. Secundò, ejus Dei erga homines beneficentiam & amorem, quòd donis omnibus ornatum Orbis Regem conſtituerit. Verſ. 5.

SECTIO PRIMA.

Duo continet. Primò, Deum eſſe admirabilem in cœli & terræ creatione, Verſ. 1. Secundò, propter illam creationem ab omnibus eſſe laudandum. Verſ. 3.

PARAPHRASIS.

2. Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra! Quoniam elevata eſt magnificentia tua ſuper cœlos.

2. O ſupreme rerum omnium, Angelorum præſertim & hominum, Domine! quàm admirabilis es in omnibus operibus, quæ in terra elucent: neque in terra tantùm, ſed etiam in cœlis, ubi potentia tua & magnifica liberalitas & majeſtas effulget, ſeque viſendam & admirandam omnibus exhibet.

3. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum & ultorem.

3. Adeò hæc opera tua nota ſunt atque illuſtria, ut vel illiterati ipſi & agreſtes ex cœli terræque conſpectu te laudent: ſicque ceſſare faciant impiorum & Diaboli, tibi tuiſque inſultantium, ſtultam ſapientiam.

4. Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: Lunam & ſtellas, quæ tu fundâſti.

4. Vel ex me ipſo hoc adverto, qui, cùm rudis ſim & imperitus, ad laudes tamen tuas incitari me ſentio cœli conſpectu, quòd, licèt tam vaſtæ molis ſit, magnâ tamen facilitate induſtriâque efformâſti. Ad eaſdem laudes movet Lunæ ſtellarumque mirabilis curſus, ac multitudo & ordo, quæ in cœlo fixæ ac ſtabiles perſtant tuâ unius potentiâ.

QUÆSTIO

QUÆSTIO UNICA.

Quanta Dei gloria elucet in mundi creatione?

REx David in feſto tabernaculorum ſub frondoſis tentoriis noctem traducens, & identidem cælum Luna micante & ſtellis fulgentibus admirabile contemplans, indeque in ſubjectam ſibi planitiem oculos reflectens, rerum omnium Conditorem & Gubernatorem Deum admiratur.

Primò: In terra tot plantarum, animalium, hominumque fœcunda parente ac nutrice ſuſpiciendus eſt Deus, verſu 2. *Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt Nomen tuum in univerſa terra!*

Secundò: In cælorum creatione. Ibid. *Quoniam elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos.*

Tertiò: In affuſa ſui notitia hominum mentibus, qui ex horum mirabilium contemplatione Creatorem extollant. Partim ſimplices & imperiti, verſu 3. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum & ultorem.* Partim excultiores, & rerum divinarum ſcientia illuſtrati, qualis erat David, verſ. 4. *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quæ Tu fundaſti.*

ARTICULUS I.

Mirabilis eſt Deus in terra, cæli, Lunæ, & ſtellarum productione.

Verſ. 2. 7. PSalmum præcedentem his verbis David terminaverat: *Confitebor Domino ſecundùm juſtitiam ejus, & pſallam Nomini Domini Altiſſimi.* Itaque promiſſa ſua complens, ut cenſet ſanctus Chryſoſtomus, hunc incipit à laude & admiratione Dei, verſu ſecundo. DOMINE DOMINUS NOSTER, QUAM ADMIRABILE (Hebraicè, אדיר *addir*, grande, ut ſanctus Hieronymus & Pagninus vertit. 2. Illuſtre, ut Arias. 3. μέγα, ut quidam apud ſanctum Chryſoſtomum. 4. Excelſum & laudabile, ut Chaldæus. 5. ἀγητὸν, et Patavies, id eſt, admirabile, ſicut vertit etiam Felix, & Septuaginta, qui θαυμαστὸν reddunt. Propriè *addir* ſignificat magnificum, amplum, excellentem, præpotentem, prævalidum, ab *adar* magnificatus & roboratus eſt) EST NOMEN TUUM IN UNIVERSA TERRA.

Nota cum Caſſiodoro, contra uſum & ordinariam ſyntaxim vocativo *Domine* adjungi per Sylepſim nominativum caſum *Dominus.* Clarius & ſyntaxi conformius ſanctus Hieronymus vertit: *Domine dominator noſter.* Eſt autem pſalmi exordium ad captandam Dei benevolentiam, cùm enim Deum Dominum vocat David, ſe conſequenter ſervum ejus profitetur: Unde hac voce gaudet in ſuis pſalmis, ut Deum extollat, ſe humiliet, ut jam aliàs dixi. Rupertus libro primo de operibus Spiritus ſancti capite duodecimo oſtendit, In hoc Pſalmo, abſolutiſſimæ argumentationis partes juxta præcepta Rhetorum: nam in eo eſt primò propoſitio: ſecundò, propoſitionis ratio: tertiò rationis confirmatio: quartò, exornatio: quintò, complexio. Et ſanctus Ambroſius libro ſexto de ſacrament, capite quinto docet, in uno hoc pſalmo omnes orationis bonæ partes à Paulo quæſitas primo Timotheorum ſecundo, verſu primo reperiri. Primò, orationem: Domine, Dominus noſter, &c. Secundò, obſecrationem: Quoniam videbo cælos tuos, &c. Tertiò, poſtulationem: Quid eſt homo, &c. Quartò denique, gratiarum actionem: Omnia ſubjeciſti, &c.

Nota ſecundò, hanc conduplicationem ac geminationem: *Domine Dominus* denotare: 1. Vehementiam affectus. 2. Excellentiam dominii divini. Cùm enim Hebræi careant ſuperlativo, ſæpè illud exprimunt per ejuſdem vocis geminationem, ut Pſalmo ſexageſimo ſeptimo, verſu decimò tertio: *Rex virtutum*, Hebraicè, צבאות *ſebaoth*, id eſt exercituum. Symmach. στρατιῶν, militum, *dilecti, dilecti*, hoc eſt, dilectiſſimi: ſcilicet Filii ſui, vel populi, ut explicat Emmanuel, & Pradus in Ezechielem de prima viſione Ezechielis parte ſecunda, ſectione duodecima, ubi ſic interpretatur: *Imperator exercituum dilectiſſimi ſui Iſraelis.* Et magis ad rem noſtram in eodem Pſalmo ſexageſimo ſeptimo, verſu vigeſimo primo: Deus noſter, Deus ſalvos faciendi (Chald. Deus noſtra fortitudo & redemptio) *& Domini Domini* (id eſt, Domini ſupremi & potentiſſimi) *exitus mortis*, id eſt, liberatio à morte, ut exponit Bellarm. vel etiam interfectio, jus occidendi, ut Chald. qui ſic vertit: Et à conſpectu Domini concertant in impios mors, & exitus animæ in ſuffocationem. 8. Cur dicatur Domine Dominus.

Nota tertiò, Nomen Dei ſumi aliquando pro ipſo Deo. Sic Iſaiæ 60. 9. *Me enim inſulæ* (inſulani) *expectant, & naves maris* (Hebr. naves Tharſis, id eſt, gentes transmarinæ) *in principio* (id eſt, in Oriente, ait Sanchez, inde enim Magi venerunt adoraturi natum Chriſtum, qui hîc loquitur. 2. In principio, hoc eſt, *imprimis*, ut Sept. verterunt, præcipuè ac principaliter, gentes enim vincent Judæos pietate erga Chriſtum. 3. In principio, id eſt, ſtatim ut audierint de Chriſto, ad eum advolabunt, ut ait S. Hier. hoc fecerunt Magi viſâ ſtellâ) *ut adducam filios tuos de longè: argentum eorum, & aurum eorum cum eis* (ſupple adducam: ut patuit in tribus Magis) *Nomini Domini Dei tui, & Sancto Iſraël*, id eſt, ipſi Domino, qui eſt Sanctus Iſraëlis, quem ſcilicet ſanctè colit Iſraël. Sic enim nomen & vox ſæpè pro revocata & nominata ponitur, ut annotat Cornelius. Quin etiam, et aliàs probavi, Hebræi nonnunquam abſolutè & ſine addito שם *ſem*, id eſt, nomen, pro Deo ponunt. Secundò, nomen in Pſalmo noſtro poteſt poni pro virtute, & efficacitate divina, ut ait Lorinus. Tertiò, nomen Dei ſumit hoc loco Bellarm. pro gloria & bona fama nominis divini, quæ diffuſa eſt per omnem terram, cum ingenti admiratione omnium qui illam conſiderare ſatagunt. Hic ſenſus eſt maximè literalis. Quartò nomen ſumi poteſt in propria ſignificatione. Propriè autem nomen dicitur, teſte Nonino, proprium vocabulum ſingulorum: hoc eſt, quo res ſingulæ appellantur. Feſtus nomen dici vult, quaſi novimen, quòd notitiam faciat rei cui imponitur. De duobus autem Dei nominibus admirabilibus poteſt eſſe mentio: ſcilicet vel de Jehova, vel de Nomine JEſu, de iis agam art. 2. & 3. ſatis fusè. 9. Nomen Dei ponitur 1. Pro ipſo Deo. 2. Pro efficacia divina. 3. Pro gloria nominis divini. 4. In propria ſignificatione.

Moraliter igitur adverte Primò, Deum eſſe admirabilem in terra: *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt Nomen tuum* (id eſt, tu ipſe nominatiſſimus & laudatiſſimus, & omni laude ſuperior) *in univerſa terra.* Et verò, quis, niſi cæcata prorſus animi & corporis acie, ſi montis è vertice ſubjectam in planitiem oculos circumferat, ſi ridentia aſperſis undique floribus prata videat, ſi latè fuſos campos ſegetibus albentes, ſi fluvios longo tractu totam convallem irrorantes, ſi veſtitos vineis colles, onuſtos & ornatos ſylvis montes contempletur, quis, inquam, in cælum oculos mentemque non referat, ut tantam Dei erga homines, quibus hæc conduntur, liberalitatem & magnificentiam demiretur ac prædicet? 10. Deus admirabilis eſt in terra.

Mirabilis eſt Deus in terra: Primò, ob ejus ſitum ac ſtabilitatem in medio aëre, de quo dicitur Pſalmo 23. 1. *Dominus eſt terra, & plenitudo* (Apollinaris, Primò ob ejus ſtabilitatem.

κόσμος, id eſt, ornatus: ob rerum ſcilicet copiam) ejus: *Orbis terrarum* (Hebr. תבל id eſt, terra habitabilis) *& univerſi qui habitant in eo. Quia ipſe ſuper* (Hebraicè, על *al*, ſuper, juxta, prope) *maria fundavit eum, & ſuper flumina præparavit* (יכוננה *jeconen*, id eſt ſtabilivit, ut S.Hier. vertit) *eum.* Ecclæ. 1. 4. *Terra autem in æternum ſtat.*

2. Ob mineralia. Secundò, mirabilis eſt Deus in univerſa terra, ob mineralia, aliaque in ejus viſceribus contenta: unde tantæ divitiæ regum & principum ubique eruuntur. Iſaias ait capite 2. 7. *Repleta eſt terra argento & auro: & non eſt finis theſaurorum ejus.* In ipſa Iſlandia regione frigidiſſima ſunt auri mineræ, ac ſparſim per varias Orbis regiones, ut populis omnibus conſulatur.

3. Ob fœcunditatem. Tertiò, mirabilis Deus in terra eſt, ob ejus fœcunditatem in productione herbarum, florum, ſegetum, vitium, fruticum, & arborum. Nunquam enim ceſſavit tot diverſas ſpecies gignere & alere, ex quo Deus ait Geneſis 1. v. 11. *Germinet* (materiam ſubminiſtrando prima illa vice, poſtea etiam effectivè concurrendo) *terra herbam virentem & facientem ſemen & lignum* (arbores) *pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram*, aut aliquid loco ſeminis: nam ſemine carent variæ plantæ, ut ſalices, ulmi, populi, gramen, menta, crocus, allium, arundo, &c. Sed in radicibus ſuis aut ramis habent vim ſui propagativam ad ſpeciei conſervationem. Vide S.Baſil. & Ambr. in Hexaëm.

11. 4. Ob multitudinem animalium & hominum, quos alit. Quartò, mirabilis eſt terra ob multitudinem animalium tum ſylveſtrium, tum cicurum & domeſticorum, atque hominum quos alit & ſuſtentat. Miramus Xerxem Perſarum regem, cùm centum ſeptuaginta militum myriadea, hoc eſt, decies ſepties centena millia, ſub ſignis numeraret, cibos & pecuniam eis abundè ſuppeditâſſe: priuſque, ſi vera refert Herodotus, Scamandrum, Melana, Lyſſum, Chidorum fluvios, & lacum quendam triginta ſtadiorum, ab ejus exercitu exſiccatos, quàm theſauros exinanitos. Sed quid hæc ſi cum infinita animalium & hominum multitudine & varietate conferantur? Omnibus autem Deus ſumma benignitate & facilitate varios cibos, pro diverſarum naturarum exigentia, affatim ſufficit. Pſalmo 144. 15. *Oculi omnium in te* (unus omnibus ſatis eſt) *ſperant Domine, & tu das eſcam illorum* (S Hier. ſuam, id eſt, ſingulis propriam & convenientem) *in tempore opportuno.* (S.Aug. & Pſalt. vetus, in opportunitate. S.Hier. in tempore ſuo. Appollinaris, κατὰ χρέος ἄρμενον εἶδαρ, id eſt, pro neceſſitate convenientem cibum. *Aperis tu manum tuam* (vel unicam, ut des abundè omnibus: vel, utramque: unde S.Hier. reddit, manus tuas) *& imples omne animal* etiam viliſſimum, & venenatum) *benedictione.* S.Hieron. & Biblia Complut. ac Regia, habent, refectione. S.Paulus Act. 14. 16, ait: Implet Deus cibi & lætitia corda noſtra. S. Joannes Patriarcha Alex. quotidie ſeptem pauperum millia aliquando aluit: dicebatque, ſe vel totius Orbis homines aliturum, ſi Alexandriam confluerent opem & cibum petituri: ita in Dei potentia & bonitate confidebat. Chriſtus Matthæi 14. acceptis quinque panibus & duobus piſcibus alit quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis: id prædixerat Sibylla, cujus verſus refert Lactant. lib. 4. capite 15. Apoſtoli autem tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos, quos in templo duodecim Apoſtolorum à Conſtantino Magno ædificato, eſſe repoſitos tradit Cedrenus. Et hæc miramur: ſed ut rectè admonet S.Aug. tract. 24. in Joan. cap. 6. *Majus miraculum eſt gubernatio totius mundi, quàm ſaturatio quinque millium hominum.* Et poſtea ſubtexit: *Opera Dei mira & ſtupenda ut quolibet ſemi-*

S. Joan. Patr. Alex. alebat 2. millia pauperum.

nis grano: ſed illa aſſiduitate viluerunt, ita ut penè nemo dignetur attendere. Hanc Dei ergo omnes homines profuſam liberalitatem aliquatenus poſſis explicare liberalitate Cimonis Athenienſis. qui, ut ait Theopompus libro 10. Philippicorum, in agris ſuis & hortis qui fructus cuſtodirent, nullos eſſe permiſit; ut è civibus, qui vellent, ingreſſi fructus legerent: &, ſi quo egerent quod proveniret in ſuis poſſeſſionibus, aſportarent, ut collibuiſſet. Præterea domum ſuam *omnibus communem* exhibebat, parata ſemper frugali cœna, quæ multis hominibus ſatis eſſet, ut tenuis fortunæ cives & inopes accedentes & ingreſſi cœnarent. Illis etiam favebat, qui quotidie ab eo quicquam poſcerent, & cùm per civitatem ambularet, duo vel tres adoleſcentes eum comitari ſolebant, cum minutis nummulis, quibus imperabat, ſi quis obvius egeret, ei ſtipem ut erogarent. Eum quoque tradunt mortuis ſepeliendis pecuniam contuliſſe, ac ſæpè cùm ex civibus aliquem malè veſtitum aſpiceret, adoleſcentum cuipiam ex iis qui ſequebantur, mandaviſſe, ut ſuam cum eo veſtem commutaret, ἐκ δὴ τούτων ηὐδοκίμει, καὶ πρῶτος ἦν τῶν πολιτῶν, id eſt, ex munificentia & liberalitate eſt inclaruit, & civitatis princeps habitus eſt: ita Theopompus.

Cimon agros ſuos & hortos omnibus communes eſſe volebat.

Multitudinem verò eorum, quos tot ſeculis & in tot latè fuſis regnis Deus aluit, conſidera vel ex uno regno Sinarum: aſſerit enim noſter Nicolaus Trigautius libro primo expeditionis chriſtianæ apud Sinas, capite ſecundo, legiſſe ſe in quodam Sinarum libro, cui Sinarum regni deſcriptio titulus eſt, excuſo anno 1579. hæc quæ ſequuntur: In regno illo duæ ſunt provinciæ curiales & regiæ: Nanquinum, quod regiam Auſtralem: & Pequinum, quod regiam Borealem ſonat: præter has aliæ ſunt tredecim. In his quindecim provinciis (regna eas jure dixeris) alia diviſione centum quinquaginta octo regiones, aut potiùs provinciæ minores (ipſi Fu vocant) numerantur, quarum pleræque duodecim quindecimve urbes benè magnas, præter villas, pagos, caſtella & oppida comprehendunt. In his regionibus ducentas quadraginta ſeptem urbes majores titulo Cheu inſigniunt, tametſi à reliquis urbibus ſæpè dignitate potiùs quàm celebritate vel amplitudine diſtinguuntur. Vulgares urbes reliquæ, quas ipſi Hien vocant, mille ſupra centum & quinquaginta duæ numerantur. Adultorum porrò capita, à quibus vectigal regi ſingulatim penditur, ad quinquaginta octo milliones (vulgus Su vocat) quingenta quinquaginta millia octingenta & unum, eo tempore quo liber excuſus erat, numerabantur. Sed in his neque muliebris ſexus includitur. Et, è virili pueri adoleſcentesque, eunuchi, milites, propinqui regis, literati, & alii multi excipiuntur. Ex militum quidem, tametſi alta & decrepita pax eſt (exceptis Tartarorum inſultibus) ſupra decies centena millia, ſtipendio regio aluntur, & perpetuò ſunt in armis. Quid ſunt porrò Sinæ, ſi cum omnibus aliis Aſiæ, Africæ, Europæ & Americæ populis conferantur? Omnes autem quotidie alit, veſtit, fovet, recreat & vivificat Deus. Quid verò ſunt homines, qui nunc vivunt, ſi comparentur cum omnibus qui tot retrò lapſis ſeculis vixerunt, & terram unam parentem & altricem agnoverunt, Deo illi vires & fœcunditatem ſuppeditante?

12. Sinarum regnum populoſiſſimum.

Cùm itaque Deus unus omnibus rebus ſufficiat, ipſe unus laudandus eſt, & omnia ad eum referenda ſunt. Epictetus ad Arianum: *Oportet ut omnia principia quaſi converſo Orbe, redeant ad unum principium, omnia pulchra ad unum pulchrum, omnia vera ad unum verum, omnia bona ad unum bonum, omnia divina ad unum Deum, omnia una ad unum ter unum. Nam unitas, principium, bonum, verum, Deus, eadem ſunt, unum ſunt.* Triſmegiſtus, dum detr-

derivat omnia ex mundo in Deum, ex Deo in mundum: dum colligit ex effectis facultatem, ordine divinitatem, ex multitudine unitatem, hunc Architectum appellat *mundi Patrem*, principem: gloriam, naturam, finem, neceſſitatem, *actionem omnis facultatis, facultatem omnis actionis*, ſolum Sanctum, ſolum non natum: ſolum, in quo ſola æternitas: ſolum, per quem ſolus mundus, *ſolo totum, toti ſolum, expertem nominis, meliorem omni nomine*. Itaque dicamus ei cum Vate noſtro: Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt Nomen tuum in univerſa terra?

Verſ. 2. 2. Pars.

Non in terra tantùm, ſed vel maximè in cælo mirabilis eſt Deus. Hoc vidit David, cùm ait: QUONIAM (Hebraicè, אשר *aſer*, id eſt, ut ait Franciſcus Ribera in caput tertium Abacuc, numero 24. *imò*. Mariana hoc loco, *quinimò*. Petavius vertit, *vel*, id eſt, ſanè) ELEVATA EST MAGNIFICENTIA TUA SUPER CÆLOS.

13. Magnificentia Dei.

Nota, pro *magnificentia* Hebraicè eſt הוד *hod*: id eſt,

1. primò, gloria. Sanctus Hieronymus & Pagninus vertit: *Qui poſuiſti gloriam tuam ſuper cælos*.

2. Secundò, *hod*, ſignificat laudem, confeſſionem. Syrus: *Ut dederis laudem tuam ſuper cælum*. Felix verò, quæ dedit confeſſionem tuam ſuper cælos.

3. Tertiò, *hod* idem eſt atque ſpecies, pulchritudo, decor, ſplendor. Chaldæus: *Qui conſtituiſti ſplendorem tuum ſuper cælos*. Arabs: Jam elevata eſt magnificentia ſplendoris tui ſuper cælos.

4. Quartò, *hod*, ſignificat robur, potentiam, fortitudinem, dignitatem, majeſtatem. Hinc Noſter vertit, *elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos*. Nam magnificentia eſt quaſi magna efficientia. Hanc virtutem ſic definit Tullius libro ſecundo de inventione: Magnificentia eſt rerum magnarum & excelſarum cum animi ampla quadam & ſplendida propoſitione cogitatio, atque adminiſtratio, id eſt, executio: ut ſcilicet amplo propoſito adminiſtratio non deſit. Virtus illa eſt in maximis donis & ſumptibus, liberalitas, in mediocribus, ut docet ſanctus Thomas 2.2. quæſtione 134. articulo 2. & 3. & quæſtione 152. articulo 3. atque quæſtione 160. articulo 1. Per magnificentiam fit Deus admirabilis, & nomen ejus admirabile in cælo & in terra. Ut enim ait Ariſtoteles libro 4. ethicor. capite 4. Magnificum quod eſt, admirabile eſt. Vox Græca in Pſalmo noſtro eſt μεγαλοπρέπεια, q.d. in rebus magnis decentia. Nam ut habet Ariſtoteles ibidem Magnifici viri ſumptus, μεγάλαι καὶ πρέπουσαι, *magni & decori* ſunt. Talia quoque ſunt ejus opera. Sic enim ſumptus magnus erit, ſi ad opus accommodatus ac *decorus* fuerit: ita ut & opus ſumptu dignum ſit, & opere ſumptus, aut etiam ſuperior. Hæc etiam talia vir magnificus impendet honeſti gratia. Hoc enim omnium virtutum commune eſt. Et præterea jucundè ac prolixè. Nam ſubtilius rationes ſubducere, & omnia ad calculum revocare, hominis eſt parcimoniam indecoram conſectantis. Atque etiam quo modo opus, κάλλιστον καὶ πρεπωδέστατον, *quàm pulcherrimum & quàm maximè decorum* potiùs, quàm quanti, & qua ratione minimo efficiatur, cogitabit. Ita ille. Hæc autem Deo per catachreſim applicari poſſunt: non enim facit ullos ſumptus: ſed totum hunc mundum, velut magnificum palatium extruxit, cujus pavimentum eſt terra: cælum, tectum: homines illud inhabitant: animalia iis ad famulatum ſunt, cæteræ creaturæ ad ornatum & varios uſus: illa omnia Deus alit, & conſervat, ac promovet mira potentia, liberalitate, bonitate & ſapientia. Proverbiorum 3. 19. *Dominus ſapientia fundavit* (Syrus, fundamenta poſuit) *terram: ſtabilivit* (Syrus, ordinavit, Græcè, ἡτοίμασεν, ſubitò expedivit: vel citra laborem produxit, ut ait author Catenæ Græcæ, cælos prudentia.

Nota ſecundò, τὸ *ſuper cælos* exponi poſſe. Primò, in cælis. Nam על *al* etiam pro *in* ſumitur. Secundò, ſupra cælos.

Senſus itaque eſt primò: *Quoniam elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos*, id eſt, quia magnificentia Dei eſt altior, & nobilior, atque præſtantior cælo, neque eo capitur: q. d. tanta eſt, ut totus mundus eam capere non poſſit. Ita S. Th. & Bellarm. Sic Pſ. 112. 4. dicitur: *Excelſus ſuper omnes Gentes Dominus, & ſuper cælos* (S. Hier. ſupra cælum) *gloria ejus*. Pſ. 56. 6. & 12. *Exultare ſuper cælos Deus* (Chald. ſuper angelos cælorum) *& in omnem terram gloria tua*. Abac. 3. ℣. 3. *Operuit cælos gloria ejus, & laudis ejus plena eſt terra*. 14. Magnificentia Dei quomodo eſt ſuper cælos?

Secundò: Lorinus vult eſſe parœmialem formam. q. d. David. *Elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos*, id eſt, fama nominis tui & gloriæ ad cælum uſque pervenit. Sic dicit Homerus Odyſſ. 9. μεῦ κλέος οὐρανὸν ἵκει, id eſt: mea gloria ad cælum pervenit. Et Virgil. 7. Æneid. fama ſuper æthera notus. & David ipſe Pſ. 35. 6. *Domine in cælo* (Chald. in cælis cælorum) *miſericordia tua, & veritas tua* (S.Hieron. fides tua) *uſque ad nubes*. Pſ. 56. 11. *Magnificata eſt* (S.Hier. magna) *uſque ad cælos miſericordia tua*. Pſ. 107. 5. magis ad pſalmum noſtrum: Magna eſt *ſuper cælos* miſericordia tua. Secundò.

Tertiò: Et apertius, ſenſus eſt: *Elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos*, id eſt, in cælis, q. d. admirabile quidem eſt nomen tuum in univerſa terra, ſed præcipuè in cælo, ubi oſtendis majorem potentiam ac magnificentiam: ibi enim ſunt magis magnifica & illuſtria opera regiæ tuæ poteſtatis & majeſtatis. Deinde q. d. ideò tuum nomen eſt in terra admirabile, quia in cælo tanta gloria effulges, quia tam fulgentia, pulchra & ſtupenda corpora, & tam efficacia in cælis poſuiſti, quibus & producantur ea quæ in terra te admirabilem oſtendunt, & producta videantur. Unde poſtea additur: *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum: Lunam & ſtellas quæ tu fundaſti*. q. d. In his apparet tua magnificentia. Nota, τὸ *quoniam* refertur ad ſequentia, ut ſenſus ſit: Quoniam elevata eſt, &c. ideò ex ore infantium perfeciſti laudem. Tertiò.

Allegoricè: *Magnificentia* hoc loco eſt Chriſti humanitas, ut S. Auguſtinus, Hieronymus, Bruno, Caſſiodorus, Remigius, Ludolphus, Dionyſius, Heymo, Didymus & alii exponunt. *Elevata eſt* illa magnificentia, quia ut ait Euthymius, tranſcendit omnem intellectum, etiam Angelorum, Incarnationis ſublime myſterium. Secundò, & melius, *elevata eſt* illa magnificentia, cùm ad cælos aſcendit. Ut S. Auguſtinus, S. Hieronymus, S. Athanaſius de communi eſſentia Patris, &c. S. Gregorius homilia 29. in Evang. Drogo Cardinal. de ſacram. Dominicæ paſſionis. Anaſtaſius Sinaita 4. anagog. contempl. In ea Humanitate ſunt omnes theſauri Patris, ideò eſt magnifica. Coloſſ. 2. 4. *In quo* (Chriſto ſcilicet) *ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi*. Græcè, ἀπόκρυφοι, id eſt, occulti & arcani. Eſt arca aurea continens tabulas legis & Deum ſuſtentans. Eſt templum Salomonis auro, gemmis, & lignis pretioſiſſimis ac lapidibus exornatum ſumma cum magnificentia. 15. Allegoricè. Magnificentia Dei eſt Humanitas Chriſti.

Occultam eſſe hanc magnificentiam ſuam in tot tamque illuſtrium creaturarum productione Deus noluit, ſed ita omnium oculis & tanto fulgore objecit, ut vel infantibus appareret, eorumque mentem in admirationem atque laudem Opificis raperet verſu tertio: EX ORE INFANTIUM ET LACTANTIUM (id eſt, eorum qui lac ſugunt: perperam Remigius legit *lactantium*, id eſt, lac dantium) PERFECISTI LAUDEM PROPTER INIMICOS TUOS, (Hebraicè, צורריך *ſorerecha*, id eſt, anguſtiatores tuos) UT DESTRUAS (Hebraicè, להשבית Verſ. 3. 16. Infantibus nota eſt magnificentia Dei.

lehaſbith, id eſt, ad ceſſare faciendum, ſicut Arias vertit: ad compeſcendum, ſicut Pagninus: ut reſolvas, ſicut Pacianus legit ſerm. de baptiſmo: ut quieſcat, ſicut S. Hieronymus: ut abolcatur, ſicut Syrus: ut diſſolvetur, ſicut Arabs.) INIMICUM ET ULTOREM. Hebr. pro *ultorem* eſt מתנקם *mithnakkem*, id eſt, ulciſcentem ſeipſum: eſt enim in conjugatione hithpael. Vt editio etiam habet, *εἰς παῦσαι ἐχθρὸν καὶ ἐκδικοῦντα ἑαυτοῦ*, id eſt, ut ceſſare faciat inimicum, & eum, qui ſeipſum ulciſcitur. Pſalt. Romanum, Vaticanum, & Ambroſianum, S. Aug. S. Greg. 11. Mor. cap. 19. vel. 15. legunt *defenſorem*. Qua lectione utebantur Eccleſiæ Gallicanæ ætate S. Martini, ut conſtat ea admirabili ejus in Epiſcopum electione, cui præ cæteris Epiſcopus nomine defenſor ſeſe opponebat. Nam turbatis omnibus, ac lecto libro ſacro, ſorte hæc occurrit ſententia ex pſalmo noſtro: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, *ut deſtruas inimicum & defenſorem*. Quo audito, velut Dei oraculo, rubore ſuffuſus Defenſor conticuit, & exultabundus populus & clerus Martinum in Epiſcopali throno collocavit, ut refert Sulpitius in ejus vita, capite 7. Et quidem defendere nonnunquam uſurpatur pro ulciſci, ut Romanorum 12. 19. *Non voſmetipſos defendentes*, (Græcè ἐκδικοῦντες, id eſt, vindicantes) *ſed date locum iræ*. Et Deuteronomii 32. 35. ait Deus: *Mea eſt ultio, & ego retribuam*. Tertullian. libro 2. contra Marcionem capite 18. legit: *Mihi defenſam, & ego defendam*: hoc eſt, ulciſcar.

17. Infantes & lactentes qui? Primò. Quæres: Quinam hic intelligantur infantes & lactentes? Reſpondeo primò, intelligi poſſe omnes homines, qui angelis comparati ſunt meri infantes & balbutientes in Dei laudibus, & intelligentia rerum cœleſtium atque divinarum. Senſus itaque erit, quaſi diceret, univerſarum creaturarum ornatus in cœlo & in terra efficit, ut homines te Deum ſuum laudent: ut inimici tui, nempe angeli mali confundantur: & Lucifer ſpecialis hoſtis tui, & ulciſci ſe molientis ob dejectionem è cælo, ſapientia deſtruatur, atque nulla eſſe oſtendatur. Secundò, & meliùs, infantes & lactentes ſunt Primò ſimplices & imperiti, ac rudes & agreſtes,
Secundò & melius. qui ex terræ & cæli intuitu Deum laudant. Secundò, humiles & in ſui notitia exercitati, qui omnia ſua ad Deum referunt, his oculos emundatiores tribuit Deus, ut in creaturis ipſum introſpiciant: ſuperbis verò caliginem offundit, ut media in luce cæcutiant, & videntes non videant. Matthæi undecimo, verſu vigeſimo quinto ait Chriſtus, *Confiteor tibi* (laudo te) *Pater, Domine* (Syrus, dominator) *cæli & terræ; quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus*, (qui ſibi & mundo ſapiunt) *& revelaſti ea parvulis*, puerulis, ut vertit Syrus: *νηπίοις*, id eſt, infantibus, ut vertit Arabs: hoc eſt, indoctis & humilibus: nempe Apoſtolis, diſcipulis & fidelibus.

18. Mundi aſpectus excitat ad Dei laudem. Moraliter nota: Tanta eſt creaturarum omnium, quas cæli & terræ nomine rex noſter complectitur, varietas, multitudo, atque pulchritudo, ut nullus ſit tam barbarus & rudis, qui ex earum aſpectu & uſu Deum cognoſcere & laudare non poſſit ac debeat. Zaleuchus Locrenſium legiſlator in ipſo legum ſuarum exordio ſic edicit: *Omnes qui urbem ac regionem inhabitant, perſuaſos eſſe oportet, & exiſtimare deos eſſe, quod manifeſtum ſit ex cæli & totius mundi inſpectione, rerumque in ipſis diſpoſitione pulcherrima, & ordine. Haud enim fortuita, aut humana ejuſmodi opera putare convenit*. Tullius libro 2. de natura deorum: Quis, ait, hunc *hominem dixerit, qui cùm tam certos cæli motus, tam ratos aſtrorum ordines, tamque omnia inter ſe connexa & apta viderit, neget in his ullam ineſſe rationem, eaque caſu fieri, quæ quanta conſilio gerantur, nullo conſilio aſſequi poſſumus*. Ita ipſe. Ulterius pergit Arnob. lib. 1. adverſus Gentes: *Ipſa denique, ait, hæc ipſa ſi animantia muta potuiſſent: ſi in linguarum noſtrarum facultatem ſolvi: imò & arbores, glebæ, ſaxa, ſenſu animata vitali vocis ſonitum quirent, & verborum articulos integrare, ita non duce natura & magiſtra, non incorrupta ſimplicitatis fide, & intelligerent eſſe Deum, & cunctorum Dominum, ſolum eſſe clamarent*.

Tot homini creaturæ Deum prædicant & ingerunt vel oſcitanti, & ita oculos ejus, aures, mentem, aliaque feriunt, ut eum agnoſcere & venerari cogatur, niſi prorſus deſinere & in brutum transformari velit.

Primò: In oculos hominis incurrunt creaturæ multiplicitate ſua, diſtinctione, ordinatione, ſplendore, conformatione, productione, augmentatione, aliiſque creatorem & gubernatorem ſuum, in ſpeculo repræſentantes: 1. Corinthiorum 13. verſu duodecimo: *Videmus* (Deum ac Divina) *nunc per ſpeculum* (per creaturas, ut ait ſanctus Thomas) *in ænigmate* (in obſcura oratione, cogitatione, phantaſia, ut explicat ſanctus Anſelmus) *tunc autem facie ad faciem*, radiis non amplius reflexis & obſcuris, ut fit in ſpeculo: ſed directis & claris, re ipſa ante oculos poſita. Creaturæ ſunt ſpeculum: ſeu, ut eſt in Græco ἔσοπτρον, id eſt, inſpectorium: hoc eſt id quod inſpicimus, quaſi medium alicujus rei videndæ, ut ſunt perſpicilia ſenum, ſpeculum oculare, ſive vitrum viride, quod ſcripturæ ſuperponitur, ad oculos debiles in lectione confortandos. Sicut igitur per illud inſpectorium intermedium videtur id, quod eſt in libro vel aliis re nobis objecta, ita per medias creaturas ad Deum uſque penetramus, qui retrò illas ſeſe velut occultat, ac velut per cancellos animam fidelem, ut ſponſam, intuetur. Eſt quoque Deus intra ipſas creaturas, ut in ſpeculo facies hominis, & ibi videtur obvelatus illis & implicitus, aut potiùs eas omnes involvens, penetrans, conſervans, movens, adaugens, & ex omni parte continens. Phædrus Auguſti libertus vocabat Solem *ſpeculum cæli*, rectius dixiſſet *ſpeculum Dei*. Eccleſiaſtici quadrageſimo tertio, verſu ſecundo, vocatur *vas admirabile, opus excelſi*. Itaque qui illud intuetur, debet dicere: *Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt Nomen tuum!* Non in terra ſolùm, ſed in cælo, ubi eſt illa Dei magnificentia, de qua idem author Eccleſiaſt. ſubdit verſu quinto: *Magnus Dominus, qui fecit illum*. Omnes creaturas eſſe divinitatis ſpeculum, ait Piſidas in Hexaëmero, verſu quingenteſimo octuageſimo quarto, ubi Deo loquens ait: Tu præſtantiam obtines, ἀνερμήνευτον, nulli explicabilem, eaque in rebus conditis indicas, ἐν κατόπτρῳ, *velut in ſpeculo*: ut omnes diſcendi cupidi, τὰς σὰς ἐμφάσεις, tuas imagines & repræſentationes in creaturis, quantum licet, requirerent. Non verò rationes ſupra mentem atque intellectum ſuum. Ita Piſidas. — 19. Primò enim creaturæ ſunt ſpeculum, in quo videtur Deus.

20. Secundò creaturæ ſunt echo, Dei laudes reſonans. Secundò: Auribus inſonant creaturæ & earum echo efficiuntur, ut voces laudantium in cælo angelorum & ſanctorum audiamus, & cum illis Deum veneremur. Suavem illam harmoniam etiam in terra, mari, & aëre efficiunt, quam in cælo Pythagoras & alii agnovêre; ſed tumultus curarum mundanarum, inordinatarum paſſionum, atque obſtrepentium vitiorum illam muſicam impedit. Tandem ſibi redditus Hilarius illam audivit, & ab idolorum cultura ſe ad verum Deum convertit: illam audivit Auguſtinus, & ab hæreſi Manichæorum reſiliit. Sic autem ait libro 11. Confeſſionum capite 4. *Ecce ſunt cælum & terra, clamant quòd facta ſint, mutantur enim atque variantur. Clamant etiam quòd ſeipſa non fecerint: ideò ſumus, quia facta ſumus. Non ergo eramus antequam fieremus, ut fieri*

fieri poſſemus à nobis. Et vox dicentium eſt ipſa evidentia. Ita Auguſtinus. Cælum itaque & terra duos choros efficiunt Deum laudantium, & ſibi mutuò reſponſant: idem faciant homines, Angelorum vocibus ſe conformantes, atque Dei voluntatam facientes in terra, ſicut in cælo, ubi Seraphim ſimul clamant *ſanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum.* (cæleſtium & terrenorum) *plena eſt omnis terra gloria ejus*: in cælo canunt, ut in ſacro templo, & Dei majeſtatem in terra prædicant, atque ad eam evolare parati, ad Dei voluntatem exequendam, alas extendunt. *Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum* (intellectus & voluntas hominis) *à voce clamantis*, utriuſque ſcilicet Seraphini. Iſaiæ 6. 3. clamabat enim alter ad alterum. Et nobis clamantes omnes creaturas audiamus. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

21. Tertiò: Pedibus hominum ſunt creaturæ omnes Dei veſtigia, quæ advertentes eum ſequi poſſint & aſſequi. De homine ipſo dicit ſancta Trinitas, aut Deus Pater duabus aliis perſonis, Genesis 1. ℣. 26. *Faciamus hominem ad imaginem* (Hebr. צלם *ſelem*, id eſt, umbram, ſeu adumbrationem) *& ſimilitudinem noſtram.* Rabbini quidam verterunt, *faciamus hominem ad veſtigium noſtrum.* Pedem Deus impreſſit rebus omnibus, ac ſuo ſigillo imprimens, ut in ſingulis appareat, velut cauſa in effectu, & per eas in via præceptorum ambulantes deducat, lucem etiam affundens ne in umbra & caligine aberrent. Eccli. 50. ℣. 24. *Et nunc orate* Græcè, εὐλογήσατε, id eſt, benedicite) Vatablus vertit, laudes agite: *Deum omnium, qui magna fecit in omni terra.* Vatablus, Deo per omnia magnifico. Et verſu 31. *Si enim hæc* (omnia virtutis præcepta à me data) *feceris, ad omnia valebit: quia lux Dei, veſtigium ejus eſt.* Veſtigium, hoc eſt, greſſus viri juſti, (eſt enim Metonymia) ponitur in luce Dei, nempe in ejus lege atque mandatis, & in bono uſu creaturarum. In nube adducente pluviam Judææ ad orationem Eliæ poſtulantis eam in monte Carmelo Deus ſua impreſſit veſtigia. 3 Regum decimo octavo, verſu quadrageſimo quartò: *Ecce nubecula parva quaſi veſtigium* (pedis) *hominis aſcendebat de mari.* Chald. de Occidente: id eſt, de mari Mediterraneo, quod erat Occidentale Judææ. Et ſtatim Elias ibi Deum pluviæ datorem & fertilitatis agnoſcens ait puero ſuo: *Dic Achab: junge currum tuum & deſcende, ne occupet te pluvia*: quæ tam ſubita fuit, ut ſtatim deciderit, antequam pervenirent in urbem Jezrehel, licèt propinquam. Et quaſi Deus in veſtigio pedis viſus ad Eliam deſcenderit, additur verſu 46. *Et manus Domini* (eſt catachreſis, id eſt, vis, robur, agilitas & alacritas ut curreret ſine noxa) *facta eſt ſuper Eliam, accinctiſque lumbis currebat* (cum caſtitate curre per creaturas) *ante Achab.* Sed multi illa veſtigia Dei non cognoſcunt. Pſalmo 76. ℣. 20. *In mari via tua* (ſanctus Auguſtinus, aſt via tua: Septuaginta, αἱ ὁδοί σου, viæ tuæ, ut etiam habet Pſalterium Illyricum) *& ſemitæ tuæ in aquis multis*, (idem dic de aliis creaturis) *& veſtigia tua non cognoſcentur.* Sanctus Hieronymus vertit, non ſunt agnita: perfectè ſcilicet, ita ut comprehendantur, & conſequenter longè minus Deus ipſa comprehenditur. Ex creaturis tamen, aliquatenus ejus majeſtas apparet. Quidam Mathematicus viſo Herculis veſtigio, totius corporis molem agnovit. Conſtantinus Porphyrogenitus conſpecto pollice pedis ſiniſtri Coloſſi Rhodii, ex quo pollice duæ ſtatuæ æneæ conflatæ fuerant ſolita ſtatura majores, dixit triginta camelorum millia neceſſaria fuiſſe ad Coloſſum illum avehendum: ſed deceptus eſt. Nam, ut refert Baronius anno 653. numero 15. cameli nongenti ſuffecerunt. Hoc ſumpſit ex Theophane.

22. Quartò, ſunt ſcalæ ad eum ducentes.

Quartò: Creaturæ omnes ſunt manibus hominum ſcalæ, quas arripientes ad Deum evadant. Hæc eſt ſcala Jacob Patriarchæ Geneſis 28. ℣. 12. *Vidit Jacob in ſomnis ſcalam ſtantem* (Septuaginta, firmatam) *ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum. Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Hanc ſcalam Theodoretus & Aben Ezra dicunt eſſe providentiam Dei & ordinationem omnium creaturarum: unde illi ſcalæ Deus innititur, quaſi prima cauſa & primum omnium movens. Secundò, Angeli aſcendunt & deſcendunt, quaſi miniſtri & executores providentiæ. Tertiò, à cælo ad terram pertingit, quia Deus inferiora gubernat per ſuperiora. Quartò, duo latera ſcalæ ſunt ſuavitas & fortitudo providentiæ: attingit enim à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. Quintò, varii gradus ſcalæ, ſunt variæ creaturæ. Sextò, per illos gradus ad Deum eſt aſcendendum, omnes enim creaturæ etiam minimæ & viliſſimæ ad eum nos erigunt, ut S. Ignatius Societatis JEſu Fundator ſuis inculcabat, atque in ſeipſo experiebatur, identidem ex aſpectu vermiculi, aut floſculi, alteriuſve rei quamvis exiguæ mentem ad Deum ipſum evehens. Ut enim ajebat Optatus, annuli, non ſunt minus annuli, ſive ſint ex auro, ſive ex ferro. Philo tractatu de præmiis & pœnis, argumenta ex mundi creatione deſumpta *ſcalas* vocat; noſter Theophil. Raynaudus in libello, qui inſcribitur: Scalæ à viſibili creatura ad Deum, gradus hujus ſcalæ duodecim aſſignat: Bellarminus verò quindecim, in libro de aſcenſione mentis in Deum.

23. Quintò, ſunt literæ attributa Dei declarantes.

Quintò denique: Menti hominis, creaturæ omnes ſunt literæ, ut dicebat ſanctus Antonius, in quibus Dei potentiam, ſapientiam, bonitatemque, aliaque attributa poſſit cognoſcere & amare, atque venerari. Romanorum 1. ℣. 18. de antiquis Philoſophis ait: *Veritatem Dei* (id eſt, cogitationem de Deo vero mundi opifice) *in injuſtitia detinent*, (non colentes nec aliis manifeſtantes, quem cognoſcebant) & verſu decimo nono: *Quia quod notum eſt Dei*, (Græcè, γνωστὸν τοῦ θεοῦ quod de Deo naturaliter cognoſcibile eſt) *manifeſtum eſt in illis*, in illorum mente, intellectu & conſcientia) *Deus enim illis manifeſtavit.* Et ℣. 20. *Invisibilia enim ipſius* (attributa ejus, ut ſapientia, bonitas, æternitas, &c.) *à creatura mundi* (per ipſum mundum, qui eſt creatura Dei, per res creatas in mundo exiſtentes) *per ea quæ facta ſunt, intellecta* (neceſſarius eſt diſcurſus, non enim ea ſunt per ſe nota & ex ſolis terminis) *conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus* (Græcè, δύναμις, potentia, per quam Deus eſt cauſa rerum, eas creans & gubernans) *& divinitas*, id eſt, eſſentia Dei ac majeſtas. Sic Sapientiæ 13. ℣. 5. habetur, *à magnitudine ſpeciei creaturæ* (hoc eſt, ſpeciosæ creaturæ: eſt hendyadis *cognoſcibiliter* (ἀναλόγως, per analogiam & proportionem) *poterit Creator horum videri.* Sanctus Proſper Aquitanicus Epiſcopus Rhegienſis ait, inexcuſabiles eſſe Gentiles omnes, quòd Deum non coluerint, cùm, ut ait libro quinto de vocatione Gentium, capite quinto, Propheticas voces & præcepta legalia convincerentur *in elementorum obſequiis ac teſtimoniis* accepiſſe. Piſidas in Hexaëmero ſuo verſu 587. ac ſeqq. dicit, mundum hunc ſcholam eſſe: hominem, diſcipulum: creaturas verò, eſſe ſyllabas & verba, quæ Creatoris nomen formant. *Sicut*, inquit, *juvenis traditum præceptori, atque ad prima rudimenta procurrens, inferioribus diſciplinis informatur. Sic in ſtudio creaturarum omnium te applicans*, καὶ συλλαβὰς μὲν ἐμφρόνως τὰς οὐσίας *& Syllabas quidem ſapienter ſubſtantias inter ſeſe ritè complexas perdiſcas. Ac Solis & lunæ poſitiones*, ἄρθρα χρόνων ἔγγιστα σημεῖα, *velut diſtincta ritè puncta temporum, ſignes.* Pergit deinde, oſtenduque

omnes

omnes ſcientias & artes edifci contemplatione creaturarum. Et commutem, inquit, atque catholicam Poëſim edoctus, animum adverter ad oratorios dicendi modos, atque facunda oratione celebrabit creaturas, legumque mundi peritos evadet. Tum multa peragens, ac longius progreſſus, ad alterum rerum contemplationem viam ſibi faciat, ibique ſtatutum ordinem animo volvat, & ſumat illam, μεγίςων πραγμάτων παιδεύτριαν, *maximarum negotiorum magiſtram.* Hoc pacto Grammaticam, Poëſim, Rhetoricam, Juriſprudentiam, Philoſophiam, & Theologiam à creaturis edifces: brevique, ſi mentem adverteris, Doctoris laurea donaberis.

24. Allegoricè. Allegoricè hunc noſtrum verſum: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum & ultorem*, eſſe intelligendum de Chriſto & pueris eum laudantibus in triumphali ingreſſu Jeruſolymam, & clamantibus: *Hoſanna Filio David!* Matthæi 21. 15. nemo dubitare poteſt. Non Chriſtus indignantibus eam ob rem Principibus ſacerdotum, id eſt, qui ſingularum 24. claſſium & familiarum erant primi; & Scribis, id eſt, legis Doctoribus, ait verſu 16. *Nunquam legiſtis, quia* (quòd) *ex ore infantium & lactantium perfeciſti laudem?*

Nota primò: Chriſtus non adjecit, quæ ea verſu Pſalmi ſupererant, ne nimis irritaret adverſarios ſuos, de quibus iſta intelliguntur: &, ut doceret nos cum hoſtibus noſtris modeſtè se pacificè agere. Populus Judæus, ac præſertim Phariſæi, Scribæ, & Sacerdotes, erant inimici Chriſti, & *ultores*, quia eum perſequebatur, quaſi Deum Patrem ulturi, cujus ſe Filium contra jus & fas jactabat, & legem tuentes Moſis, quam evertere ipſum clamabant. Ita ſanctus Chryſoſtomus, Caſſiodorus, Euthymius, Remigius, Haymo. Secundò, *ultor* poteſt dici diabolus, quia peccata punit, eſt carnifex vindictam ſumens de ſceleratis. Ita ſanctus Athanaſius, ſanctus Hieronymus in caput quintum Oſeæ, Euſebius, Theodoretus, Theodorus Heracleotes, & Valentis.

25. Infantes magno miraculo Chriſtum laudarunt. Quæres primò: An pueri, qui Chriſto acclamarunt: *Hoſanna* (id eſt, ſalva quæſo) *Filio David* (q.d. ſalus noſtra eſt à te Meſſia Davidis Filio) fuerint verè infantes, id eſt non fantes naturaliter, an verò jam grandiores? Reſp. S. Hilarius, Auctor Operis imperfecti in Matth. & Titelman. per infantes intelligunt pueros jam fari & loqui potentes. Quòd ſi urgeas: Quomodo igitur dicuntur lactentes, id eſt, lac ſugentes? Cajetanus reſpondet apud Hebræos lac uſque ad triennium pueros ſuxiſſe: ea autem ætate pueri & loquuntur & ambulant. Valleſius quoque philoſoph. ſacr. cap. 83, ex medicorum veterum præſcripto docet, perfectam lactationem triennio abſolvi: ac S. Aug. in Pſalm. 30. ait, eos qui diutius lactentur, vocari μαμμοθρέπτας, id eſt, ad mammas & mollius enutritos. Reſp. ſecundò, & verius, S. Chryſoſt. Euthym. & Theophylactus, pueros qui Chriſto dixerunt, Hoſanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, & ſimilia, fuiſſe infantes prorſus, qui necdum per ætatem loqui poſſent: quibus non nego alios etiam grandiores fuiſſe admixtos, qui divina virtute, non quidem loqui, ſed Chriſtum laudare didicerint. Quòd aliqui ibi loqui non potuerint naturaliter, probatur primò, quia Græcè vocantur νήπιοι, id eſt, non valentes fari, ἀνὴ, hoc eſt *non*, & ἔπω, *loquor*. Secundò, quia major inde laus eſt Chriſti, & apertius miraculum Phariſæos confundens, & divinitatem Chriſti probans. Unde S. Chryſoſt. vim magnam facit, quòd nihil tale contigerit in Veteri Teſtamento, in quo tamen Joſeph, Samuel, Daniel, & alii pueri Deum laudaverunt. Tertiò, murmuratoribus ait Chriſtus Luc. 19. 40. *Si hi tacuerint, lapides clamabunt*, q. d. ſicut illi prorſus infantes mea virtute verba in laudes meas formant: ita pari facilitate præſtare poſſem, ut lapides loquerentur. Dices עולל *alel*, ſumitur non de infante, ſed de puero grandiore. Reſp. etiam accipi de infante à rad. עול *ul*, id eſt lactare.

Quæres 2. An in illis pueris in ingreſſu illo Jeroſolymitano acceleratus fuerit uſus rationis? S. Chryſoſtomus videtur reſpondere negativè. Notat enim dici: *Ex ore* infantium perfectam eſſe illam Chriſti, quia non ex mente illorum ea verba procedebant, ſed virtute Divina tenera illorum lingua ad formanda hæc verba ducebatur. Lyranus vult eas voces in ore puerorum formatas eſſe ab ipſo Spiritu ſancto, & illos merè paſſivè ſe habuiſſe, ſicut cùm Angelus verba formavit in ore aſinæ Balaam, Num. 22. Reſpondeo tamen probabilius videri, acceleratum eſſe illis infantibus uſum rationis: Dei enim perfecta ſunt opera. Sic S. Joanni Baptiſtæ acceleratus eſt, cùm exultavit infans in utero, ut JEſum adoraret, Luc. 1.

Quæres 3. Quomodo dicatur per illos infantes Deus laudem ſuam perfeciſſe, id eſt perfectam reddidiſſe? Reſp. cum Haymone, perfectam fuiſſe & omnibus numeris abſolutam eam laudem, quia non ex humano ingenio, ſed ex operatione divina erat, neque vel inimiciſſimi hoc poterant negare. Secundò, perfecta laus illa dicitur, ut ait S. Bern. ſerm. de Innocent. quòd perfectior horum puerorum & Martyrum Innocentium laus videtur, quàm ſolorum Angelorum canentium: *Gloria in altiſſimis Deo*, Luc. 2. 14. & quòd laus Angelorum in cælo Deo exhibita, iſtius laudis acceſſione perficiatur. Prima explicatio eſt magis literalis. Nota, pro *perfeciſti laudem*, in Hebræo eſt יסדת עז *jſſadtha az*, id eſt ut explicat Pagn. fundâſti fortitudinem. ἐθεμελίωσας κράτος, fundamenta jeciſti potentiam, ut Aquila. συνεςήσω ἰσχὺν conſtituiſti robur, ut V. editio: ſecundò, *expediviſti laudem*, ut legit Tertull. lib. de Anima, cap. 19. direxiſti laudem, ut Syrus: paràſti laudem, ut Arabs. Tertiò, utramque expoſitionem ſimul jungens Petavius vertit ἡρμόσω ἐκ ςομάτων κλέος, id eſt, *firmum perfeciſti decus*, Hebr. עז az, propriè ſignificat fortitudinem, à rad. עזז azaz, fortificare, roborare. Tamen ſignificat honorem & laudem. Sic Pſal. 28. 2. *Afferte Domino gloriam &*, עז az, *honorem*. Pſ. 67. 35. *Date gloriam* (Hebr. az, Caſſiod. vertit, honorem) *Deo ſuper Iſrael.* Oz itaque eſt laus, ſive honor, & gloria orta ex potentia & fortitudine, ſive data ob potentiam in aliqua re declaratam v. gr. in illa locutione puerorum, & in miraculis à Chriſto oſtenſam.

26. Per infantes Deus laudem ſuam perfecit.

27. Symbol. Infantes fuere Apoſtoli indocti, ex quibus laus Chriſti perfecta eſt. Allegoricè, per infantes & lactentes intellige Apoſtolos, & primos Chriſti diſcipulos, qui ex piſcatoribus & imperitis ac rudibus facti ſunt doctores Orbis, eumque ad veram fidem & virtutem converterunt: unde eluxit ſumma Dei, עז oz, id eſt fortitudo & gloria, *propter inimicos*, id eſt, propter idololatras, hæreticos & ſchiſmaticos, qui Eccleſiam impugnant atque veritatem: & *ultores* ſe eſſe clamitant, defendere ſe veritatem ſimulantes, & ideò inſurgere in Evangelii præcones, quaſi illius everſores. Sic Julianus apoſtata Eccleſiam perſequebatur, & tamen illius obſequi legibus videri volebat, ut ait S. Greg. Naz. orat. 1. in Julianum. Treveros & Ricardus Pampolitanus cenſent *inimicos* Chriſti eſſe eos accipiendos, qui quolibet peccato peccant: *ultores* verò eos, qui illatas ſibi injurias ulciſcuntur non expectato Dei, qui ait Deut. 32. 35. *Mea eſt ultio, & retribuam in tempore.* Unde monet Paulus Rom. 12. 19. *Non vos defendentes* (ulciſcentes, ut legit Tertull. & Syr.) *chariſſimi: ſed date locum*

ra, (quaſi torrenti, ut explicat S.Baſil. *Scriptum eſt enim : Mihi vindictam* reſervo aut reſervare) *ego retribuam, dicit Dominus.* Quòd porrò Apoſtoli & diſcipuli poſſint dici infantes, patet Luc. 10. ubi ad Chriſtum reverſi ſunt 72. diſcipuli cum gaudio, dicentes : Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem *inimici*, & nihil vobis nocebit. Et ad rem noſtram magis, ℣. 21. *In ipſa hora exultavit Spiritu ſancto* (per Spiritum S. & ejus dona ſibi infuſa) *& dixit : Confiteor tibi Pater , Domine cæli & terræ, quod abſcondiſti hæc à ſapientibus , & prudentibus* , (Angelis apoſtatis , qui cùm lucerent ut fulgur , ceciderunt ob ſuperbiam , & Philoſophis arrogantibus & vanis) *& revelaſti ea parvulis*. Volebat diſcipulos ſuos Chriſtus in oculis ſuis eſſe parvulos: unde ſtatuens parvulum in medio eorum, S. Martialem ſcilicet, ut aliqui volunt, ait Matt. 18. 3. *Amen* (id eſt verè) *dico vobis : niſi converſi fueritis* (ab hac ambitione & æmulatione veſtra) *& efficiamini ſicut parvuli* , (Syr. ſicut pueruli) *non intrabitis in regnum cælorum.* Ejus porta anguſta eſt, non recipit niſi parvos.

Senſu accommodatitio. Chriſtus ex ore infantium & lactentium perfecit laudem , propter inimicos & ultorem , quando Innocentes Martyres ab Herodis ſatellitibus ſunt occiſi. Judæi erant inimici, Herodes ultor, qui Chriſtum ut regni ſui invaſorem perſequebatur, & ab eo ſe tueri volebat. Ita S.Chryſoſt. hom. 1. ex variis. S.Proſper, 3. part, cap. 9. Tertull. de Anima, c. 19. S. Bern. ſerm. de Innocent. Quinetiam ipſa Eccleſia in feſto SS. Innocentium iis hunc verſiculum adaptat.

28. Chriſto placent infantes. Moraliter nota: Chriſtus ſibi complacet in infantibus, ac pueris, & in eorum laude, Matth. 19. 13. *Tunc oblati ſunt ei parvuli* Græcè, παιδία, hoc eſt pueruli, Luc. 18. 5. βρέφη, id eſt infantes, fœtus recens editi, ut uſurpat Plut.) *ut manus eis imponeret, & oraret* (eis benedicendo & benè precando, ut facere ſolebant Hebræi, & fecit Jacob manus imponens Manaſſe & Ephraim filiis Joſephi, Gen. 48. 14.) *Diſcipuli autem increpabant eos*, quòd à rebus gravioribus, nempe ab iis docendis, qui adultiores eſſent, eum avocarent. Sed ſubditur ℣. 14. *Jeſus verò ait eis : Sinite parvulos , & nolite eos prohibere ad me venire; talium* (Syr. eorum qui ſunt ſicut iſti) *eſt enim regnum cælorum.* Philippus Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ, die 4. Feb. refert, quòd Gelaſius puer Placentinus , cùm S. Opilium fraterculum ſuum in cubiculo orantem inveniſſet, Angelorum multitudinem cum eo colloquentem propriis oculis vidit , vocemque audivit: *Sinite parvulos venire ad me, talium enim eſt regnum cælorum.* Statim atque conceptus eſt Chriſtus , movit Matrem, ut iret in montana (vel Hebron, ut ait Baronius: vel Judæ, ut vult Brochard. & Adrichomius) cum feſtinatione , & intrans in domum Zachariæ , quæ uno milliario diſtabat ab Emaus, juxta montana, ut tradit Bredembachius, ſalutaret Eliſabeth, Luc. 1. 41. *Et factum eſt, ut audivit ſalutationem* (Syr. pacem : nam in ſalutatione dicebant Hebræi , pax tibi) *Mariæ Eliſabeth, exultavit* (Græcè ἐσκίρτησε, ſubſiliit, exiliit, ut agni ſolent ſubſultare cùm ludunt & lætantur) *infans in utero ejus , & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth*; ſed prius Joannes puer puerum JEſum ſalutavit & cognovit , deinde Eliſabeth repleta eſt ſancto Spiritu : amat JEſus laudem parvulorum. Vide dicta Pſal. 112. 1. *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.* De S. Joanne rationis uſu donato & Chriſtum laudante in Matris utero ait S. Irenæus lib. 3. cap. 18. *Cognovit Dominum in utero, & ſalutavit exultans*, S. Leo ſerm. de Epiphania: *Nondum natus Joannes , prophetica exultatione commotus eſt , quaſi etiam intra matris viſcera clamaret: Ecce Agnus Dei.* Et S. Greg. lib. 3. Moral. cap. 5. *Intra matris uterum , Spiritu prophetiæ repletus eſt.*

Chriſtus amat laudes puerorum *propter inimicos ſuos & ultorem*, id eſt dæmonem , qui damna ſibi per Chriſti crucem illata , ulciſci molitur.

Primò , dæmonem Deus per pueros ſuperat. 29. Chriſtus per infantes deſtruit: 1. Dæmonem.
Simeon Metaphraſtes in vita S. Porphyrii Epiſcopi Gazenſis 26. Febr. & ex eo Baron. in Ann. refert, quòd cùm S. Porphyrius celeberrimum templum idolorum, Marnium dictum, Gazæ totis viribus & artibus evertere non poſſet, omneſque Chriſtiani jejuniis & orationi vacarent , repentè puer ſeptem annos natus exclamavit : Comburite templum uſque ad ſolum. Facta ſunt enim in eo multa gravia ſcelera, & maximè hominum ſacrificia. Id verò hoc modo comburite : Afferte picem humidam, ſulphur , & ſevum porcinum, & hæc tria commiſcete , & ungite portas æneas , ignemque in eas injicite, ſicque totum templum comburetur. Non poteſt enim aliter fieri. Id autem quod eſt exterius, ſinite cum ambitu: & poſtquàm fuerit combuſtum, purgantes locum ædificate illic ſanctam Eccleſiam. Hoc quoque puer ille ſeptennis iterabat : *Teſtificor vobis coram Deo, ne fiat aliter. Neque enim ego ſum qui loquor , ſed Chriſtus, qui in me loquitur.* Id primò dixit Syriaca, deinde Græca lingua , quam non callebat, reſque felicem exitum ſortita eſt. Sic deſtructus eſt inimicus & ultor , nempe diabolus.

Secundò : Ex ore infantium & lactentium Deus 30. 2 Tyrannos.
perfecit laudem , cùm pueri pro fide moriuntur, & inimicos atque ultores , id eſt tyrannos deſtruunt , cùm eorum vim & conatum faciunt irritum , & exemplo ſuo ad veram fidem amplectendam & conſervandam adultiores permovent. Ut enim ait Lyranus, pueri Deum laudant : 1. Morte, *Pro Chriſto infantes mortui.*
non ore, ut Innocentes ab Herode cæſi. 2. Ore, non morte, ut qui cecinerunt Chriſto Hoſanna. *1. Innocentes.*
3. Ore & morte , ut Pancratius duodecim annorum , Regina & Agapitus quindecim , Agnes *2 Pancratius 12. annorum.*
tredecim , quæ Symphronio Præſidi infantiam objicienti ait : Noli *infantiam corporalem* ira in me *3. Agnes 13. ann.*
deſpicere, ut putas me te velle habere propitium. *4 Regina & Agap. 15.*
Fides enim non in annis , ſed in ſenſibus invenitur: & Deus omnipotens mentes magis comprobat, quàm ætates. Ita S. Ambroſius, ſerm. 90. qui totus eſt de S. Agnete. Vide plura exempla Pſ. 43. qui eſt de Martyribus. Nunc aliquot Japoniæ flores liceat excerpere.

Jacobus & Juſtus pueri Japonenſes pro Chriſto *5. Japonenſes varii.*
capite truncati ſunt , cùm in eo mortis articulo 1.
Jacobus *annos novem* natus Jeſum & Mariam tertiò 2.
inclamaret : Juſtus verò , *annorum undecim* ſacra illa nomina primò pronunciaret , ut recitat noſter Trigautius lib. 1. Martyrum Japon. cap. 3. Nonne hoc eſt ex ore infantium & lactentium JEſu laudem perficere. Exempla ardoris maximi in tenera aſta *annorum* ætate vide lib. 1. c. 17. Vincentius puer 3.
ſexennis in eadem Japonia cùm ab avo audiſſet in 4.
crucem agendos eſſe Chriſtianos, moneretúrque ut ad eam ſe mortem compararet , ait : Parens uterque ſibi, mihique , ac familiæ univerſæ veſtes ad eam mortem decenter ſubeundam comparârunt ; ſed mora nobis moleſta eſt, cuperem jam horam adveniſſe. Infert avus , viginti cruces è metropoli miſſi: Tum puer : *Nihil* , ait , *mihi lætius dici potuit , ſpero unam quoque minorem mihi eſſe comparatam* : tantaque lætitiæ ſigna edidit , ut ipſi ethnici mirarentur, lib. 1. cap. 21. in fine.

De puero *quatuor annos* tantùm nato audi eum- 5.
dem Trig. lib. 5. cap. 14. Caſæ , inquit , in regno Bungenſi , Chriſtiani novem intra ſaccos arctiſſimè alligati abjecti ſunt in deſertum, locum,

 additis

additis cuſtodibus qui prohiberent quemquam ad eos ex urbe divertere : ergo ſine cibo potuque lupis expoſiti, quos in ea regione ferunt eſſe permultos ; dies quatuor, noctes quinque, mortem læti præſtolabantur, ſeque invicem hortabantur non ſolùm viri & fœminæ, ſed etiam pueri, quos
6. præ cæteris ſcribitur fuiſſe continuos hortatores, è quibus unus *quadriennium* tantùm vixerat : ut verum eſſet, quod ſcribitur ; *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.* Verba ſunt Trigautii, qui etiam lib. 2. cap. 4. refert, infantulos lacrymis extorſiſſe, ut pro fide cum aliis Martyribus in ſaccos immitterentur fame torquendi, & omnium ludibrio exponendi.

31. 3. Calumniatores. Tertiò : Ex ore infantium & lactentium perfecit Deus laudem, & deſtruit inimicos & ultorem, cùm per infantes aperit calumnias Sanctis ſuis impoſitas. Surius die 1. Febr. in vita S. Brigidæ, ait, quòd cùm famæ & conſcientiæ proſtituræ quoddam vile
S. Broonis innocentia per infantem detegitur. infameque ſcortum mentiretur ſe ex Epiſcopo Broone, qui erat S. Patricii diſcipulus, concepiſſe & peperiſſe, B. Brigida ad ſe infantem adduci imperavit, & manu linguam ejus conſignans, dixit : Dic nobis infantule, quis eſt tuus pater ? Cui ille : *Epiſcopus Broon non eſt parens meus, ſed deformis ille & vilis homuncio, qui in populo extremo ſedet loco.* Non minus illuſtre factum reperies apud Wandelbertum in vita S. Goaris presbyteri.

32. 4. Per pueros Deus docet Eccleſiam. Quartò denique : Speciatim Deus ex ore infantium & lactentium perfecit laudem, cùm per eos Eccleſiam ſuam docuit modum laudandi Dei. Nicephor. lib. 14. hiſt. Eccleſ. cap. 66. ait : Cùm tantus eſſet terræmotus per ſex menſes, ut penè tremore continuo Orbem univerſum ſuccuteret, pluresque inſulæ cum incolis ſubmerſæ eſſent, pagique obſorpti, παθομένης, καὶ ἀτανὲ κυματιζομένης τῆς γῆς, & terra veluti fluctuans concuteretur aliquando, atque à fundamentis civitatem Conſtantinopolim eatitpatum iri crederent, in medio campo omnes precibus cum Theodoſio Imp. & Patriarcha Proclo inſiſtebant. Subitò è medio inſpectantibus divina quadam vi puer in aërem ſublimis ad cæleſtem uſque tractum, ita ut jam non appareret, ſublatus, divinam vocem, quâ Angelis Deum laudibus ferre mos eſt, audivit : eaque voce percepta, rurſum priore per aërem via reverſus deſcendit, aitque ab Angelis canentibus ſe audiviſſe hoc canticum : Ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miſerere nobis.* Quæ ubi Proclus intellexit, ſtatim ad eum modum pſallere juſſit, terræque motus ſtatim conſtitit, omninoque conquievit. Imperator Theodoſius ſtatuit, ut per urbem omnem divinus hymnus iſte caneretur. Atque ex eo tempore Eccleſia Chriſti eum acceptum, non quolibet tantùm die uſurpat, ſed etiam cujuslibet carminis & laudis Dei initio ante omnia plenoore præmittit. Puer autem verborum eorum miniſterium executus, ſtatim vitâ functus eſt. Ita Nicephorus.

Hinc ſequitur, infantiam Deo eſſe conſecrandam, ut totam vitam Dei laudibus impendamus, & in nobis deſtruamos *inimicos*, id eſt paſſiones inordinatas, & peccata, *& ultorem*, id eſt dæmonem, 1 Corinth. 14. 20. *Fratres nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote.* Græcè, νηπιάζετε, hoc eſt, ut vertit Syrus, *infantes* in malitia eſtote, &c. ſicut S. Auguſt. legit, lib. 83. quæſtionum, qu. 61. Sicut *infantes* ſitis expertes malitiæ. Sis in malitia infans, de illa non fans, Epheſ. 5. 3. *Fornicatio autem, & omnis immunditia*, (tactuum & operum) *aut avaritia nec nominetur* (μηδὲ ὀνομαζέσθω, id eſt, ne nominetur quidem) *in vobis, ſicut decet Sanctos*, (hoc eſt Chriſtianos, qui vocatione, baptiſmo & profeſſione ſunt, id eſt, eſſe debent, ſancti, atque eo nomine appellantur) *aut turpitudo.* Syr. obſcœnitas, verborum ſcilicet. Pueri à puritate dicti ſunt. Clemens Alex. lib. 1. pædag. cap. 6. ait : Νήπιος μὲν, ὡς βρέφος τοῦ Θεοῦ, κεκαθαρμένος πορνείας καὶ πονηρίας. *Infans eſt, tanquam pupulus Dei, quicumque à fornicatione & improbitate eſt expurgatus.*

Optandum eſſet primò, ut à primo conceptionis 33. Laudavit Deum.
noſtræ puncto ad Deum mente converteremur, 1. A conceptione
ſicut accidit Deiparæ, de qua Pſalm. 86. 1. canit ſua
Propheta : *Fundamenta* (S. Hier. fundamentum) B. Virgo.
ejus in montibus ſanctis. Græcè, ἡγιασμένοι, id eſt ſanctificati, nempe Dei. Poſuit fundamentum perfectionis ac ſanctitatis B. Virgo, ubi alii verticem ſtatuerunt. Plus enim gratiæ & virtutis habuit primo Conceptionis inſtanti, quàm quilibet perfectiſſimus Seraphinus. Secundò, optandum eſſet
2. In utero poſt aliquo à concept. menſes S. Joannes. ſaltem Deum laudare in utero, ſicut fecit S. Joannes, Luc. 1. Narrat Titus Liv. lib. 24. infantem in utero matris in Marrucinis clamaviſſe, *io triumphe !* id perfectiùs fecit Joannes, cùm uſu rationis donatus Salvatorem in utero adhuc poſitum cognovit & adoravit. Tertiò, ſaltem à prima infantia lau-
3. A prima infantia S. Nicol. dandus Deus, ut fecit S. Nicolaus, poſteà *Myræ* Epiſcopus, qui diebus ſingulis Mercurii & Veneris ita ſibi temperabat, ut ad mammæ ſuctum nonniſi ſemel accederet. S. Thomas Aquinas adhuc infans dato ſibi libro lachrymas ſiſtebat, & oblatam ſibi chartam, in qua erat ſalutatio Angelica, deglutivit.
4. In prima pueritia S. Meletius. Quartò, ſaltem in prima pueritia laudandus eſt Deus. S. Meletius, poſteà Antiochenus Patriarcha, cùm ad *quintum annum* perveniſſet, literarum figuras à S. Spiritu edoctus, ſacras orationes pleraſque earum, quas Sacerdos dicit ſacria in myſteriis, pronunciabat, reſque ipſas imitabatur, panem proponens, manuque thuribulum tenens. Quintò denique, ſaltem eſt laudandus Deus in paulo grandiori ætate, & ad actiones idonea. Vox Hebr. עללים *olelim*, quam per τὸ *infantes* expreſſit noſter, deduci poteſt ab עלל *alal*, id eſt agere, moliri, conari, meditari. Vel, עולל *olel*, derivari etiam poteſt ab עול *ol*, id eſt, jugum. Ætas enim hæc eſt jugo legis Dei ſubdenda, aut in præceps devolvetur per avia. Hinc Thren. 3. 27. dicitur : *Bonum eſt viro, cùm portaverit jugum Domini ab adoleſcentia ſua.* Chald. vertit, Bonum eſt viro, ſi docuerit animam ſuam, ut portet jugum præceptorum Domini à juventute ſua. Plato in dialogo, qui dicitur Euthyphron, ait : Conſentaneum eſt primam de ipſis juvenibus curam ſuſcipere, ut quàm optimi evadant : ſicut decet agricolam novellarum plantarum primam curam agere.

Verſ. 4. 34. Infantibus ſe Deum Creatorem cæli & terræ laudantibus adjungit David, pergit enim verſ. 4. QUONIAM VIDEBO (VI editio, ὁρῶ, id eſt video) COELOS TUOS (non tantùm unum cælum, ut putare videtur Euthymius : non ſolùm empyreum, ut Burgenſis) OPERA DIGITORUM TUORUM, LUNAM ET STELLAS, QUÆ (Pſalt. Vaticanum & Caſſiodorus habent, *quas*) TU FUNDASTI. Hebr. pro *fundaſti*, eſt כוננתה *conantha*, cum he paragogico : id eſt præparaſti, ut vertit Pagn. ἡτοίμασας, id eſt paraſti, ut Aquila, ἥδρασας, hoc eſt, ſtabiliter collocaſti, ut VI editio. Rad. כון *cun*, ſignificat parare, præparare. 2. Firmare, ſtabilire, fundare, fundamentis firmis munire, immobilem, ſtabilem & firmum reddere. Particula cauſalis : *Quoniam* ad præcedentia poteſt referri. Vide Paraphraſim.

Cur cæli dicuntur fundati ? Quæres 1. Quare cæli cum ſuis planetis & ſtellis fixis dicantur fundati, cùm non ſint fundamentum mundi, ſed potiùs tectum ? Reſp. 1. Cæli 1.
dicuntur à Deo eſſe fundati & firmati, id eſt perpetua lege & immutabili ordine conſtituti. Ita S. Cyril.

S. Cyrillus Alex. S. Joan. Damaſc. lib. 2. cap. 7. Nicetas Choniata lib. 1. theſauri, cap. 17. quam legem & ordinem vocat εἱρμὸν, id eſt conſecutionem, quam à Deo acceperunt, cùm ſoliditate nulli mutationi obnoxia in curſu mutuve, & deſignandis annis ac temporibus Marſilius Ficinus hoc explicat per comparationem ad animam rationalem. Sic enim ait in Platon. 2. lib. 1. cap. 3. Cælum cogitando *mundi animam* cogitabis. Primò, illa eſt forma ſimplex, cælum eſt corpus ſimplex. Secundò, illa non habet partes, hoc nunquam ſeparatur in partes. Tertiò, illa unico actu, id eſt animadverſione ſui, præcipuum complet officium: hoc perpetua in ſeipſum converſione omnia peragit. Quartò, anima immutabilis eſt eſſentia, quamvis mutabilis quodam modo ſit quadam diſcurſionis ſphæricæ mutatione formali; cælum ſimiliter ſubſtantiâ non mutatur, dum actione revolvitur. Quintò, anima ſemper ſimiliter agit, atque in ipſa etiam formarum ſuarum diſſimilitudine, revolutionum vices reſtituit ſimiles; cælum movet quoque immutabiliter, ac dum configurationes quaſdam, & extrinſecos habitus mutare videtur, intereà centrum circumferentiamque conſervat, eiſdemque curriculis temporum, & repetit eadem & ſimilia recreat. Sextò, in anima priùs eſt intelligentiæ lumen, deinde quaſi calor eſt voluntatis affectus, in cælo lumen præcedit ubique calorem: & ſicut ibi voluntas eſt quaſi terminus intellectus, & intelligere & velle: ita hìc calor eſt quaſi quidam lucis terminus, & lucere, calere: ſed quam purè lucet, & latè, tam calet innoxiè. Hinc fit ut in materiis cælo ſimilibus, id eſt diaphanis & tranſlucidis calefactionem præcedat illuminatio, in opacis viciſſim. Ita Ficinus; Errat tamen Averroës 2. de Anima, text. 15. cùm cælo tribuit animam intelligentem. Cælum enim non eſt animatum ullâ animâ, ut forma informante; ſed habet intelligentias, id eſt Angelos, ſibi aſſiſtentes, à quibus tam admirabili & conſtanti motu agitatur.

Cælum eſt velut mundi anima.

1.

2.

3.

4.

2. Secundò: Cæli ſunt à Deo fundati, & omnis eorum ornatus: quia deorſum cadere non poſſunt, nec loco ſuo dimoveri, licèt quodammodo ſuſpenſi videantur, ut ait Euthymius.

3. Tertiò: Et meliùs, cæli à Deo fundati & firmati ſunt, quia ſunt incorruptibiles, Job 37. 18. ait Eliu: *Tu forſitan cum eo fabricatus es cælos*, (Tigurina & Regia, æthera; unde Pineda exponit de aërea regione: ſed meliùs S. Greg. S. Thom. Symmach. Nicetas, & R. Gerſonites de cælorum orbibus intelligunt) *qui ſolidiſſimi, quaſi ære fuſi ſunt.* Chald. *ſicut ſpeculum fuſile.* Pag. *ſicut* ראי *res, ſpeculum fuſum*, quod ex ære levigato & polito fiebat. Sept. ὡς ὅρασις ἐπιχύσεως, id eſt, ſicut aſpectus effuſiones. Cælum etiam ab Homero Iliad. 2. appellatur πολύχαλκος id eſt æratum, firmum, validum, ſtabile, q. d. multum æris, id eſt ſoliditatis habens. Cæleſtia corpora nil prohibet alterari alteratione perfectiva, quæ fit cùm aliquod ab alio perficitur, abſque alterius abjectione: ut Luna à Sole alteratur: alteratione autem paſſiva non alterantur, ut ait S. Thom. in 1. de cælo lib. 7. text. 22. per alterationem paſſivam intelligit alterationem corruptivam. Ratio eſt ſecundùm Albertum Magnum, quia cæli propriè non habent materiam. Cælùm, inquit, & elementa ex eadem materia fieri nihil prohibet, ſi materia ſumatur generaliter, ut materiæ ultimæ ſunt dimenſiones quantitatis, alioquin non eſt compoſitum ex materis propriè loquendo. Ita ipſe 1. de cælo, tract. 1. cap. 8. Unde tract. 3. cap. 8. ait, cæli materiam ſignificari per potentiam ad ubi: materiam autem generabilium determinari, per potentiam ad ubi, ad motum & formam. & lib. 2. de cælo, tract. 1. cap. 1. cæli materia, inquit, eſt *æquivocè* materia, ad materiam generabilium & corruptibilium. Vide S. Thom. 1. p. qu. 66. art. 2. Sic Averroës in prim. Metaph. text. 20, 4. ait cælum habere *materiam localem*, tamen non habere materiam generabilem, & de ſubſ. Orbis, cap. 2. dicit, cæli materiam, habere eſſe medium inter materiam quæ eſt in potentia, & actum purum, ſcilicet tres dimenſiones, in quibus non eſt potentia omnino. Alexander de Alex. in 5. Metaph. text. 17. docet, ideò cælum eſſe incorruptibile, quia ejus forma non eſt juncta cum privatione: & in 4. Metaph. text. 6. ait, cælum, nec ſubſtantias ſeparatas componi ex contrariis. Zabii dixerunt, quòd cælum non incepit per generationem, nec finem habebit per corruptionem. Stoici, quòd per generationem incepit, & quòd per corruptionem non finietur. Pythagorici, & per generationem incepiſſe, & per corruptionem deſiturum. Saraceni quidam, quòd per generationem non incepit, per corruptionem tamen deſiturum. Sed de ea re dicetur Pſalm. 101. 27. Qui in cælis ponunt materiam ejuſdem rationis cum elementari, dicunt tamen eſſe incorruptibiles, quia carent contrario, à quo corrumpi poſſint.

Quartò: Cæli poſſent dici fundati, id eſt conſtituti velut fundamenta, non terræ, cujus ſunt suratum tectum, ſed palatii Beatorum, nempe cæli empyrei, de quo Pſalm. 86. 1. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*, id eſt in cælis. 4.

Quæres 2. Quare cæli dicuntur *opera digitorum* Dei. Primò, Euthymius, Engubinus, Lorinus & Petavius, qui vertit χειρῶν ἔργα, opera manus, cenſent idem eſſe opus digitorum & opus manuum, nam ipſi cæli dicuntur Pſ. 101. 26. opera manuum Dei: & quando Magi Pharaoni dicunt, Exod. 8. 19. *Digitus Dei eſt hic*, nihil aliud per digitum Dei intelligunt, quàm ejus potentiam, quæ etiam per manum & brachium ſignificatur, & Luc. 11. 20. cùm ait Chriſtus: *Si in digito Dei ejicio dæmonia*, eamdem potentiam Dei intelligit. 35.

Cæli ſunt opera manuum Dei.

Secundò tamen, meliùs dicemus aliquid ſpeciale ſpectari, quòd cæli dicantur hìc potius opus digitorum, quàm manuum Dei. Cauſam primò aſſignat Elias Cretenſis in orat. Gregor. Nazian. de rectæ doctrinæ ſent. ut oſtendatur quàm prompta & expedita ſit efficacitas Dei, ſicut digitos facilè movemus: &, ut ait S. Thomas, quando quis facit elevari quod eſt grave, ſupponit humerum: quando quod leve, digitum. Sic Iſai. 40. 12. habetur: *Quis menſus eſt pugillo* (parvo pugno, ſeu pugno: eſt autem pugnus, manus clauſa & in condylus, id eſt nodos articulorum, contracta. Aquila vertit, minimo digito) *aquas, & cælos palmo* (hoc eſt, manu extenta ab extremo pollice, uſque ad extremum digitum) *ponderavit? Quis appendit tribus digitis* (id eſt facillimè, ait Cornelius, eſt enim catachreſis, cùm Deus careat membris) *molem terræ*, (Hebr. pulverem terræ, q. d. inſtar pulviſculi ſupra digitos poſiti ſuſtentat totam terram) *& libravit in pondere* (id eſt in ſtatera & bilance quâ pondera ponderantur) *montes, & colles in ſtatera?* S. Chryſoſtomus, Didymus & Euſebius conſiderant digitorum exiguitatem, & cælorum molem, dicuntque eos dici opus digitorum Dei, ut res tanta à minima quadam divinæ potentiæ particula factæ intelligantur. Secundò, & meliùs, cæli vocantur opus digitorum Dei, non tantùm ut oſtenderetur in eis creandis ipſius potentia, ſed vel maximè ut ejus eluceſcat ſapientia, ſicut opifices ac ſtatuarii ſubtiliora opera digitis efformant, Proverb. 3. 19. *Dominus ſapientia* (tum eſſentiali, quæ eſt communis toti Trinitati; tum notionali, id eſt Verbo ſuo ſeu Filio) *fundavit terram: ſtabilivit* (Syr. ordinavit) *cælos prudentiâ*, id eſt eadem ſapientia. 36.

2. Sunt opera digitorum Dei.

pientia. Si itaque verè dixit S. Hier. in Ezech. cap. 1. *Unaquæque res fulgurat Dei cogitationem:* quantò magis id faciet cælorum amplitudo, ordinatio, ſitus, pulchritudo, & ſplendor? Unde cælum contemplans, dic cum Siracide Eccli. 1.5. *Fons ſapientiæ, Verbum Dei in excelſis.* Id eſt Verbum ſeu Filius Dei in excelſis cælis habitans, & in Sole ponens tabernaculum ſuum, eſt fons ſapientiæ. Et verſu 6. *Radix* (Syr. radices, Arab. fundamenta) *ſapientiæ, cui revelata eſt? Aſtutias* (Syr. arcana. Græcè πανουργεύματα, id eſt calliditatem, ut Vatablus vertit, ſolertiam malim reddere) *illius quis agnovit?* Plutarchus & Proclus referunt hanc ſingularem & prorſus incomprehenſibilem Dei ſapientiam repræſentatam fuiſſe ab Ægyptiis ſymbolo Iſidis, ſive Minervæ Saitanæ, cujus in templo hæc eſſet inſcriptio: *Ego ſum omne quod fuit, eſt, & erit: & meum peplum nullus adhuc mortalium evolvit: quem peperi fructum, Sol eſt.* Nullo in loco Orbis dilucidiùs apparet ea Dei ſapientia, quàm in cælo. Theophil. Antiochen. lib. 1. ad Autolycum: *Vide*, ait *cæli imprimis admirandum motum, Luciferum exorientem, & perfecti ſideris* (id eſt Solis) *adventum prænunciantem. Suſpice Pleiadum & Orionis conjunctionem, Arcturum, & reliquorum aſtrorum proceſſum, qui in cæli peragitur circulo,* οἷς ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ πᾶσιν ἴδια ὀνόματα κέκληκεν, *quibus omnibus excellens Dei ſapientia nomina impoſuit.* Vide Pſ. 18. verſ. 1. ubi ait Propheta noſter: *Cæli enarrant gloriam Dei,* (Chald. vertit, qui ſuſpiciunt cælos, enarrant gloriam Domini) *& opera* (S. Hieron. *apum*, per excellentiam ſcilicet) *manuum ejus annuntiat firmamentum*, id eſt, cælum ſtellarum. S. Chryſoſt. ait ibi hanc cælorum vocem eſſe σάλπιγγος λαμπροτέραν, id eſt, tubâ ſonaciorem, ἀνθρωπίνης εὐσημοτέραν, καὶ σαφεστέραν, καὶ ἐντονωτέραν, hoc eſt, inſigniorem, clariorem, & acriorem humanâ.

37. Solis non fit hic mentio, ſed lunæ, & cur? 1. Quæres tertiò: Cur David tantùm lunæ & ſtellarum, non verò etiam Solis faciat mentionem? Reſp. primò Agellius, negando non eſſe factam Solis mentionem: ait enim, magnificentiæ nomine expreſſum verſ. 1. *Quoniam elevata eſt magnificentia* (Chald. habet, conſtituiſti ſplendorem tuum) *ſuper cælos*, id eſt, præ cæteris cælis, quibus omnibus lucem impartitur omnem, ut quidam volunt. S. Ambr. lib. 4. Hexaëm. cap. 1. ait: *Sol oculus mundi, jucunditas diei, cæli pulchritudo, naturæ gratia, præſtantia creaturæ. Sed quando hunc vides, Authorem ejus conſidera: quando hunc miraris, lauda prius ipſum Creatorem. Si tam gratus eſt Sol, qui conſors & particeps eſt creaturæ: quàm bonus eſt Sol ille juſtitiæ! Si tam velox iſte*, &c.

2. Secundò: Solis mentionem non fieri ſpecialem in hoc Pſalmo, eſt probabilius, ut patet in explicatione Verſus primi, ubi diximus, quid per magnificentiam intelligatur. Itaque S. Chryſoſt. & Euthym. dicunt, Solis hîc explicitè Davidem non meminiſſe, quia ſatis innuitur implicitè per lunam, quæ ab illo lumen mutuatur, & dicitur luminare minus, Gen. 1. 16. per habitudinem ad luminare majus, id eſt, Solem. Et quidem Plato lunam vocat ſolem alterum, & minorem, atque σελήνην dici, quia lumen à Sole habet. σελήνη enim, teſte Heſychio, deducitur à σέλας, id eſt, fulgor, lumen, ſicut luna à lucendo vocatur. Ariſtot. lib. 4. de gener. animal. lib. 4. cap. 4. Luna, inquit, eſt principium generationis propter Solis ſocietatem receptumque lucis: fit enim quaſi *alter Sol minor*: ideò conducit ad omnes generationes & perfectiones.

3. Tertiò: Lunæ tantùm fit mentio, non Solis, ut Arias, quia vulgo magis notabiles ſunt ex menſtruo celeri ue lunæ curſu concurſus, diſcur-
4. ſus, aſpectuſque aſtrorum. Quartò, quia alii à Dei opificio noctem ſeparabant, ut ait S. Chryſoſtomus.

Quintò denique, & melius, David hîc ſolius lunæ & ſtellarum, non Solis meminit; quia, ut dixi ſuprà in titulo, Pſalmum hunc compoſuit in feſto Tabernaculorum, ubi ſub dio nocte fulgens & ſerenum contemplans cælum, ſtellas mirabatur velut οὐράνια γράμματα, id eſt, literas cæleſtes, ut vocat Piſidas in Hexaëm. quibus Dei potentiam, bonitatem & ſapientiam legebat, & lunam contemplabatur, quæ eſt regina cæli. Sub eo nomine à Judæis idololatris poſteà ſummo ſtudio à Deo culta eſt. Jerem. 7. 18. *Filii colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem* (id eſt, paſtam ſeu placentam butyro commiſtam, & confertam pinguedine & adipe. Hebr. *ſubigentes conſperſionem*, ut vertit Arias: id eſt, farinam aquæ, ſali, butyro immixtam) *ut faciant placentas reginæ cæli.* Chald. ſideri cæli. Sept. & Varabl. militiæ cæli. Pagn. ſtellæ cæli. Sed meliùs Noſter & Arias verterunt, *regina cæli.* Nam etiam hoc ſignificare poteſt מלכת *melechet ſamaim.* Nam Melech. Moloch, Melcham, id eſt, Rex, probabiliter ab idololatris vocabatur Sol, aut Saturnus: & ſtella Solem præcedens dicebatur Rempham, quam eſſe luciferum cenſent S. Hier. in caput 4. Amos prophetæ, Albertus, Beda, Remig. Lyran. Remphan idem eſt ac *celſitudo oris*, quòd fortaſſe huic idolo eſſet magnum os, aut quòd velut os magnum Dei potentiam initio diei & noctis (dicitur enim etiam Heſperus) hominibus prædicaret. Lunam verò à Judæis quoque dictam Melcham, ſeu Melechet, id eſt, reginam, eſt probabile. Huic ſub nomine *reginæ cæli* 38. Luna eſt regina cæli.
ſacrificabant, ut ibi & cap. 44. ỳ. 17. 18. 19 25. patet. Philo lib. de mundi opificio, pag. 9. dicit, univerſum tempus à Deo in duas partes ſectum eſſe, in diem ſcilicet, ac noctem: diem attributum Soli, οἷα μεγάλῳ βασιλεῖ, *tanquam magno regi*: nocti verò, lunam perfectam eſſe cum cæterarum ſtellarum multitudine: velut reginam ſcilicet, quæ dimidiatæ temporis parti imperaret, & lib. 1. de monarchia, ait, Lunam ὑπηρέτιν καὶ διάδοχον ἡλίου, miniſtram Solis, & abſentis vicariam, cùm noctu præſit rebus, quibus Sol interdiu. Albertus Magn. de propr. elem. l. 1. tr. 2. c. 4. dicit, eam vocari reginam cæli, quia regit humiditates corporum inferiorum, & de juventut. & ſeneƈt. tract. 1. cap. 2. Luna, inquit, maximè *principatum habet* in corporibus terrenis, ut ait Ptolomæus, primò, propter vicinitatem: ſecundò, quia in ea congregatæ ſunt omnes virtutes moventium ſuperiorum, & quia ex lumine à Sole accepto efficitur *quaſi alter Sol.* Sic eſt etiam regina terræ, & maris quoque, ut patet ex fluxu, & refluxu ejus, quod maximè per lunæ influentias fit, ut docent Philoſophi.

Si vel in maxima nocte ſimus, luna Deum nobis in ipſa caligne mirabilem oſtendet, ita ut canamus: *Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt Nomen tuum in univerſa terra!* in qua nocte cæca eſſent omnia ſine ipſa. A Pindaro ode 3. Olympica dicitur: ἑσπέρας ὀφθαλμός, id eſt, *noctis oculus*: & à Petavio in Pſalmo noſtro: μέγα νύκτερον ὄμμα, *magnus oculus noctis.* Plinius lib. 2. cap. 9. illam admirabilitatem aperit: *Omnium admirationem, ait, vicit noviſſimum ſidus, terriſque familiariſſimum, & in tenebrarum remedium ab natura repertum, lunæ. Multiformi hac ambage torſit ingenia contemplantium, & proximum ignorari ſidus maximè indignantium, creſcens ſemper aut ſeneſcens. Et modò curvata in cornua, modò æquâ portione diviſa, modò ſinuata in Orbem, maculoſa, eademque ſubitò prænitens, immenſa Orbe pleno, ac repentè nulla: alias pernox, aliàs ſera, & parte diei Solis lucem adjuvans: deficiens, & in defectu tamen* 39. Deus eſt in luna laudabilis.
con-

conſpicua : quæ menſis extra latet, cùm laborare jam creditur. Jam vero humilis & excelſa, & ne id quidem uno modo, ſed aliàs admota cælo, aliàs contigua montibus, nunc in Aquilonem elata, nunc in Auſtros dejecta. Hactenus Plinius.

40. Et in ſtellis. Stellæ quoque caliginem noſtram in Deo cognoſcendo diſcutiunt. Triſmegiſtus & eas vocat ὀφθαλμοὺς θεῶν, id eſt, deorum oculos, quibus ſcilicet homines, & alia aſpiciant : ſunt & oculi hominum, quibus Deum videant. Sunt ſtellæ inſtar veſtis
Demetrii veſtis ſtellata. Dei, quam cùm induit, admirabilis prorſus apparet. Athenæus l. 12. ait, Demetrio regi chlamydem fuiſſe, cui intextus erat polus, in quo erant ſtellæ, ac duodecim ſigna zodiaci. Sed hæc erant tantùm umbra, & vilis atque abjecta repræſentatio cœleſtium illorum corporum, & regiæ Dei majeſtatis. Stellæ ſunt flores paradiſi mirabili ſuâ varietate & ſplendore oculos recreantes, & animam ad Deum rapientes. S. Ambr. lib. 4. Hexaëm. *Luna* inquit, *ſtellarumque fulgorem cælum, velut quibuſdam floribus, coronatum ; ita ignitis luminibus micat, ut paradiſo putes vernante depictum, ſpirantium roſarum vivis monilibus rutilare.* Albertus Magnus de veget. lib. 2. tract. 1. cap. 7. Stellas, inquit, *flores terræ* eſſe dixerunt Pythagoras, & qui eum ſecuti ſunt, & convenientiam omnem ſtellam cum aliquo flore habere, ut parentem cum prole : ac in 2. de cælo tract. 3. cap. 4. ait, ſtellam eſſe digniorem Orbis partem, in qua eſt cui præſidet motor Orbis, & per ipſam influit motum in totum Orbem. Cùm itaque ſtellam ſpectas, in ea exiſtentem & præſidentem Angelum venerare, ſed longè magis Deum ipſi Angelorum & ſapientiam neceſſariam ad tam multos, & tam mirabiles, conſtantes, & celeres motus ſuppeditantem, & clama : *Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt Nomen tuum in univerſa terra!*

41. Symbolicè, Scriptura eſt cælum. Symbolicè. S. Auguſt. per cælum & ſtellas intelligit ſanctam Scripturam, & varias ejus partes atque præcepta, quæ luce ſuâ homines illuminant : per lunam verò, accipit Eccleſiam, ſicut Pſalmo 10. 3. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt ſagittas ſuas in pharetra* (Symmach. ἡδρασαν βέλος αὐτῶν ἐπὶ τὴν νευρὰν, id eſt, firmaverunt ſagittam ſuam ſuper nervum, id eſt, funem arcûs) *ut ſagittent in obſcura* (Sept. ἐν σκοτομήνῃ, id eſt, ut legit S. Aug. *in obſcura luna*) *rectos corde.* Verba S. Auguſtini in Pſ. noſtro ſunt : *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum :* id eſt, cernam & intelligam Scripturas, quas operante Spiritu ſancto per miniſtros tuos conſcripſiſti. Poſſunt etiam ſuperiùs cæli nominari, iidem libri accipi, ubi David ait verſ. 1. Quoniam elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos : id eſt, ſuper Scripturas, quia tranſit & ſuperat omnium verborum linguarumque præconia. Inclinavit ergo Scripturas Deus uſque ad infantium & lactentium capacitatem, ſicut Pſ. 17. canitur : Et inclinavit cælos & deſcendit : & hoc fecit propter inimicos, qui ſuperbâ loquacitate inimici crucis Chriſti, etiam cùm vera aliqua dicunt, parvulis tamen & lactentibus prodeſſe non poſſunt. Ita deſtruitur inimicus & defenſor, qui ſive ſapientiam, ſive etiam Chriſti nomen defendere videatur ; ab hujus tamen gradu fidei oppugnat eam veritatem, quam promptiſſimè pollicetur. In Auguſt. Digitum quoque Dei, quo Scripturæ ſcriptæ ſunt, hîc S. Hier. intelligit
42. Luna eſt Eccleſia : ſtellæ, Doctores Spiritum ſanctum. Lunam verò, eſſe Eccleſiam, & Doctores ejus. Jacob Carpentarius in Alcinoum cap. 12. ait : ſtellas omnes Intelligentiâ non ſolùm aſſiſtente, ut placet Peripateticis, præditas eſſe, ſed etiam informante, & cujuſque ſtellæ eſſentiam conſtituente & perficiente, eo modo quo nos perficit anima noſtra, quæ intelligendi & ratiocinandi facultate prædita eſt. Jamblichus item & Porphyrius, unà cum Plotino, voluntatem electionemque ſtellis, tribuunt, ut ait Ficinus in Plot. Enn. 4. lib. 4. cap. 42. ſed errant : neque enim cælum, aut aſtra, ſive errantia, ſive fixa, ſunt animata ullâ animâ. Verum id eſt de Eccleſiæ Doctoribus, de quibus illud Baruc. 3. 34. rectè uſurpes : *Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodiis* (id eſt, ſtatione & loco ſibi aſſignato à Duce ſuo & Imperatore Chriſto. Sunt enim militia cæli) *ſuis, & lætatæ ſunt,* hoc eſt, cum gaudio obedierunt, & dederunt ſplendorem ſuum. *Vocatæ ſunt, & dixerunt, adſumus : & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum.* Græc. πρὸς αὐτὸν, *ad eum :* id eſt, qui ipſi, nempe Deo, comparari poſſit. Stellæ itaque ſint Doctores, luceant Deo, cui debent eſſe proximi per contemplationem : deſcendant quoque per actionem in terram, ſed caveant ne ejus luto inficiantur. *Stellarum radii*, ait Marſil. Ficin. in Plot. Enn. 2. lib. 3. cap. 1. nec corpora ſunt, ut liquores ; nec qualitates in corporibus, ut naturæ liquorum ; ſed actus quidam ſtellarum vitales & ſenſuales, ceu viſibiles quidam radii ex ſtellis, ut ex agri cœleſtis oculis emicantes, & conſpicientes mirabiliter omnia, qui in nullo fortis ſubjecto qualitatum more ſuſcipiuntur, ideoque nec inficiuntur, nec è priori habitu permutantur. Ita ibi. Sed malè appellantur radii actus vitales & ſenſuales ſtellarum : nam ſtellæ carent vitâ & ſenſu.

Impii atque eruditi non ſunt ſtellæ cæli, ſed vermiculi terræ, lampyrides dicti ob ſplendorem, ſed exiguum & inutilem : lux ſunt aliis, ſibi vermes, ſanie & tabo pleni. Plin. lib. 11. cap. 28. Vermiculi 43. Doctores mali ſunt vermes lucentes.
quidam *lucent ignium modo noctu, laterum & clunium colore lampyrides, nunc pennarum hiatu refulgentes nunc verò compreſſu obumbratæ, non ante matura pabula, aut poſt dejecta conſpicuæ.* Illi doctorculi non priùs lucem dant, quàm pabulum ſibi paratum ſentiunt. Sed, quod eſt notandum magis, exteriùs ſplendent, intùs cæci ſunt. Plinius lib. 11. cap. 37. ait : lumbricos carere oculis, & omne vermium genus. De Phariſæis & Scribis, qui erant Moſaicæ legis Doctores, dicit Chriſtus ipſe, Matth. 15. 14. *Cæci ſunt, & duces cæcorum.* Stellæ omnes ubique calefaciunt, non ſolùm motu, ſed etiam & præcipuè luminis naturâ, ait Ficinus in Plot. Enn. 2. lib. 3. id faciunt ſancti Doctores, ac boni Concionatores ; vani verò, qui inanem ſplendorem ſectantur, auditores infrigidant frigore lethifero. Albertus Magnus de animal. lib. 26. Stellæ figura, inquit, eſt vermis, qui nocte, ut ſtella lucet : ſed nunquam niſi poſt magnas nubes, cùm prædicit ſerenitatem : huic vermi dicitur tantum frigus ineſſe, ut extinguat ignem, ſicut glacies : & ſi ejus ſanie caro hominis contacta fuerint, omnes decidunt capilli, & quod tactum fuerit mutatur in virorem, & ex putredine generatur. De hæreticis id commodè dixeris, qui mendacem & terrenam lucem quærunt ventri incubantes, & mortem afferunt contactu. In Eccleſia Chriſti eſt vita & lux, de illo Pſal. 35. 10. *Apud te* (S. Hieron. tecum) *eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Ubi S. Auguſt. ait : Quis eſt fons vitæ, niſi Chriſtus. Venit ad te in carne, ut irrigaret fauces tuas ſitientes. Satiavit ſperantem, qui irrigavit ſitientem. Quod eſt fons, hoc eſt & lumen. Fons eſt, quia ſatiat ſitientes : lumen, quia illuminat cæcos : ibi non fatigaberis, quia fons eſt : non tenebraberis, qui lumen. Ita ipſe, S. Juſtinus Philoſophus & Martyr ſub annum Chriſti 130. cùm quærens ſapientiam varias Philoſophorum ſectas peragrâſſet, & nullibi eam inveniſſet, à ſene quodam ſibi apparente audivit : *Id quod tam anxiè quæris, nonniſi in ſchola Chriſti fas eſt reperiri. At tu votis & precibus tibi ante*

omnia

omnia lucis portas aperiri opus: neque enim ab aliquibus perſpiciuntur, aut intelliguntur: præterquàm ſi Deus & Chriſtus eis conceſſerit indulgentiam. Huic credens & obediens Juſtinus, & Chriſtianus & martyr effectus eſt. Ita refert in dialogo cum Tryphone.

ARTICULUS II.

Nomen Dei eſt admirabile: ac primò de nomine Jehova agitur.

44. NOta primò, articulo præcedenti admonui in hoc verſu: *Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt Nomen tuum in univerſa terra!* nomen accipi poſſe tripliciter. Primò, pro Deo ipſo, & ejus fama & gloria. q. d. ô Domine, quàm tu es admirabilis in univerſa terra. Secundò, nomen illud in propria ſignificatione ſumptum, poſſe accipi יהוה *jehova*. Et quidem ab ea voce Pſalmus incipit: nam pro *Domine* eſt *jehova*: & pro *Dominus*, eſt *adonai*. Ubi adverte Bellarminum in exercitatione in Pſal. 33. docet יהוה, *jehova*, quando cum *adonai* jungitur, habere puncta nominis *elohim*: cùm verò eſt ſolum, habere puncta eadem, quæ *adonai* tribuuntur. Sed hoc loco id verum non eſt: nam & in *jehova*, & in *adonai* ſunt puncta, quæ ordinariè dantur adonai.

45. Nomen Dei inſcriptum eſt omnibus creaturis. Nota ſecundò, nomen *Dei* inſcriptum & inſculptum eſt omnibus creaturis, & in iis legi poteſt. Literæ illius nominis Dei, ſunt in cælo ſtellæ: in terra, montes: in regnis, urbes: in urbibus, domus: in domibus, ſinguli homines: in hominibus, partes ſingulæ. Idem dic de animalibus terreſtribus, aquatilibus, & aereis: de herbis, floribus, ſegetibus, frutibus, & arboribus. Hæc omnia Deum loquuntur, ſine quo ne floſculus quidem in prato, aut gluma in acervo, aut arenula in littore, aut pulviſculus in plano poſſit conſiſtere. Hîc itaque accidit, quòd in figuris quibuſdam mathematicis, quas ſi ſpectes, nihil præter diſſoluta, vaga, incompoſita, informia, inculta, & oculis ingrata reſpicias: ſi verò vitrum polygonum adhibueris, collecta illa omnia ſic inter ſe uniuntur, ut pulcherrimam faciem Chriſti, aut Deiparæ, aut alicujus Sancti repræſentent, vel eorum nomen. Pari enim modo, ſi creata hac illac veluti neglectim aliquando, & ſine ordine disjecta atque diſperſa in mente colligas, & faciem, & nomen Dei potentiſſimi & ſapientiſſimi tibi figurabunt. Eccl. 1. 8. *Unus eſt altiſſimus Creator omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis*, (Syr. terribilis ſolus) *ſedens ſuper thronum illius*, (ſuum: Nam pronomen abſolutum & reciprocum unum & idem eſt apud Hebræos) *Ipſe creavit* (Syr. & Arabs, *manifeſtavit*) *illam* (ſapientiam ſcilicet, de qua agit) *in Spiritu ſancto*, (id eſt, per Spiritum ſanctum & amorem ſummum, quo voluit bona ſua communicare creaturis, & in omnibus veſtigia ſuæ ſapientiæ infinitæ relinquere. 2. *In Spiritu ſancto*, id eſt, per ſpiritalem, ſanctamque ſuam divinitatem. Pater enim etiam eſt ſpiritus, & ſanctus. *& vidit, & denumeravit, & menſus eſt*, (illam eandem ſapientiam, ut omnia fierent in menſura, & numero, & pondere) *Et effudit* liberaliter, apertâ manu) *illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem ſecundùm datum ſuum* (prout eam dare ſingulis ipſi placuit. Vatabl. pro ſua munificentia) *& præbuit* (Syr. & Arabs, multiplicavit) *illam diligentibus ſe.* Impreſſa eſt hæc Dei ſapientia rebus omnibus melius, quàm phidiæ facies ſtatuæ Minervæ, nec poteſt ab illis revelli, quin omnia diſſolvantur.

Phidiæ Minerva. De Phidia ait Ariſtot. lib. de mundo cap. 6. Fama eſt, ait, Phidiam ſtatuarium, cùm Minervam illam, quæ eſt in arce Athenienſi, coagmentaret, in medio ejus ſcuto faciem ſuam expreſſiſſe, oculoſque, διατίνος ἀφανοῦς δημιουργίας, occulto quodam artificio ita devinxiſſe ſimulacrum, eximere inde ut ipſam ſi quis cuperet, minimè poſſet, aliter quidem certè, quàm ut ipſum ſolveret ſimulacrum, opuſque ejuſmodi compactile confunderet. Hoc deinde Deo ſic applicat: *Hanc eandem rationem Deus habet in mundo, utpote qui univerſorum coagmentationem cohærentem cohibeat & coarctet, incolumitatemque univerſitatis conſervet: niſi quatenus non medio ille loco, in terra ſcilicet, ubi turbida regio eſt: ſed in excelſo ſitus eſt, purus ipſe in puro loco.* (Errat, Deus enim ubique eſt, ſed ubique purus.) *Quem locum tam* οὐρανὸν, ἀπὸ τοῦ ὅρος εἶναι τῶν ἄνω: *Uranon ob originem vocis dicimus, quaſi terminum extimum ſupremorum corporum: tum etiam* ὄλυμπον, οἷον ὁλολαμπῆ *Olympum, ut uſquequaque lucidum, ab omni caligine ſecretum, motuque omni inconditio, cujuſmodi ſunt qui apud nos venti fiunt & tempeſtates.* Hæc Ariſtoteles.

Nota tertiò: Res omnes creatæ cùm ſint finitæ, nomine aliquo exprimi poſſunt: Deus verò cùm ſit infinitus, nullius nominis anguſtiis illigari & coarctari poteſt. Eſt enim incomprehenſibilis, & conſequenter innominabilis. Nam non eſt prius verbum oris quàm verbum mentis. Eccl. 43. 34. *Exaltantes eum replemini virtute* (Græcè ἐν ἰσχύϊ, in viribus) *ne laboretis* (id eſt, ne in labore fatigemini & laceſcatis. Græcè μὴ κοπιᾶτε, hoc eſt, ne laſſeſcatis, ut vertit Tigurina) *non enim comprehendetis*, Et ✝. 35. *Quis magnificet eum, ſicut eſt?* A Triſmegiſto vocatur Deus, ὁ ὢν ἀνώνυμος, id eſt, *ens ſine nomine.* Rationem petit S. Dionyſius ab ipſius infinitate. Sic enim ait lib. 1. de divinis nominibus cap. 1. *Ut*, inquit, *neque ea qua ratione intelliguntur, ab iis quæ ſub ſenſum cadunt, comprehendi atque poſſunt: nec ab iis quæ ficta figurataque ſunt, eorum quæ corpore vacant, forma vacuitas, quæ nec tractari, nec figurari poteſt. Sic & eſſentias vincit & ſuperat, quæ termino caret immenſitas: & mentes, quæ mente ſuperior eſt, unitas: & unum quod cogitationem ſuperat, in cogitationem nullam cadere: & bonum quod orationem vincit, nullâ oratione exprimi poteſt.* ἑνὰς ἑνοποιὸς ἁπάσης ἑνάδος, καὶ ὑπερούσιος οὐσία, καὶ νοῦς ἀνόητος, καὶ λόγος ἄρρητος, ἀλογία καὶ ἀνοησία, καὶ ἀνωνυμία, κατὰ μηδὲν τῶν ὄντων οὖσα. *Unitas unitatis omnis effectrix, eſſentia ſuperior, & mens quæ mente concipi non poteſt, & verbum quod exprimi nequit, verbi, intelligentiæ, nominiſque vacuitas & privatio, quæ nullo modo eſt quo ea quæ ſunt.* S. Maximus in Scholiis ad S. Dionyſ. ait, Deum uno nomine comprehendi non poſſe, quòd ipſe unus ſit omnia: Ἀνώνυμος ὁ Θεός, ait, διὰ τὸ πάντα εἶναι, καὶ μηδὲν τῶν ὄντων εἶναι, ἀλλὰ πάντα ἐξ αὐτοῦ εἶναι. *Nomine caret Deus, quia eſt omnia, & nihil eſt eorum quæ ſunt, ſed omnia ex ipſo ſunt.* 46. Deus nullo nomine ſatis exprimi poteſt.

Nota quartò: Homines cùm ſint finitæ & limitatæ admodum virtutis, alii ob ſapientiam dicti ſunt Cati, & Catones, & Catuli. Catus enim callidum & ſagacem ſignificat: alii ob humanitatem dicti ſunt Æmylii: αἱμύλος, id eſt, blandus, affabilis: alii Lepidi, ob facetias, elegantiam, urbanitatem. Piſo dictus eſt Frugi, à temperantia: Scipio à charitate erga patrem, cui erat ſcipio ac baculus, vocatus eſt. Naſica, corculum nominatus eſt propter amorem omnium erga ipſum. Alphonſo Caſtiliæ regi caſtitas caſti nomen dedit. Ludovico XIII. regi noſtro juſtitia nomen juſti. 47. Hominum varia nomina ob ſapientiam, &c. data.

Deus verò, cùm ſit infinitus, omnibus nominibus appellari debet. Nam omnes rerum omnium perfectiones continet. Itaque S. Dionyſius lib. 1. de divin. nomin. c. 1. jam citato: *Theologi divinitatem*, ait, καὶ ὡς ἀνώνυμον ὑμνοῦσι, καὶ ἐκ παντὸς ὀνόματος, *laudant, & ut nomine carentem, & ex omni nomine.* Manue patri Samſonis apparens Angelus, ſanctus Michaël, ſi Serario credimus, ait: *Cur quæris nomen meum,* 48. Deo omnia ſimul nomina danda ſunt.

menum, quod eſt mirabile, 2. ſignificatione, quia naturam Angeli mirabilem, & dotes illud nomen deſignat. 2. modo ſignificandi, nempe ſpirituali, & immateriali, & hominibus incognito. 3. efficacitate. 4. repræſentatione. Angelus enim repræſentabat Deum & Chriſtum: imò S. Aug. opinatur hunc Angelum mirabilem, fuiſſe Chriſtum; ſed verius eſt fuiſſe verum Angelum. Pro *mirabile* Chald. vertit, *arcanum*. Si autem nomen Angeli eſt mirabile & arcanum, quid de Dei nominibus dicetur? Dicebant Platonici, nomina eſſe ὀχήματα τῆς οὐσίας id eſt, *vehicula eſſentiæ*, quibus ſcilicet abſtruſa, & in latebris recondita eſſentia foras educta ad oculos aureſque primùm, deinde ad animum cognoſcenda deportaretur. Philoque rectè ait, rem eſſe eò nobiliorem in ſua eſſentia, quò pluribus nominibus poteſt nuncupari. S. Dionyſius multa nomina coacervat, quæ de Deo dicuntur, ſive in concreto, ſive in abſtracto. Vocatur enim vita, lux, Deus, veritas, bonus, pulcher, ſapiens, diligendus, Deus deorum, Dominus dominantium, Sanctus ſanctorum, æternus, qui eſt, ſeculorum author, vitæ largitor, ſapientia, mens, verbum, cognitor, vis, potens, Rex regnantium, antiquus dierum, immutabilis, ſalus, juſtitia, ſanctificatio, redemptio, qui omnibus magnitudine antecellit, in quo ſunt theſauri univerſæ ſapientiæ, ſol, ſtella, ignis, aqua, ſpiritus, ros, nebula, lapis, &c. πάντα τὰ ὄντα, καὶ οὐδὲν τῶν ὄντων, *omnia quæ ſunt, & nihil eorum quæ ſunt.* In his & ſimilibus nominibus, quæ Deo S. Dionyſius tribuit, & pag. 157. & 158. atque Ariſtotel. lib. de mundo, cap. 7. id notandum eſt, quod ait S. Thom. 1. p. q. 13. art. 3. In nominibus, inquit, quæ Deo attribuimus, eſt duo conſiderare, ſcilicet perfectiones ipſas ſignificatas, ut bonitatem, vitam, & hujuſmodi: & modum ſignificandi. Quantum igitur ad id quod ſignificant hujuſmodi nomina, *proprie* competunt Deo, & magis propriè, quàm ipſis creaturis; & per prius dicuntur de eo. Quantum verò ad modum ſignificandi, non propriè dicuntur de Deo: habent enim modum ſignificandi, qui creaturis competit. In art. verò 4. docet, nomina, quæ propriè de Deo dicuntur, non eſſe ſynonima, licèt ſignificent unam rem, quia ſignificant eam ſub rationibus multis & diverſis. Licèt enim divina natura ſit ens ſimpliciſſimum, continet tamen infinitas perfectiones.

49. Decem Dei nomina. Nota quintò, Hebræi decem nomina præſertim
1. Deo tribuebant. Primum erat, אל, *el*, id eſt, fortis.
Aquila, ἰσχυρὸν, id eſt, robuſtum, validum, potentem vertit. Septuag. ſæpè θεὸν, *Deum*. Secundum
2. erat, אלוה, *eloha*, quod deducitur ab אל, *el*, &
אלה, *ala*, adjuravit, obligavit, aſtrinxit, q. d. *fortis, adjurans*, & aſtringens, eò quòd Deus potentiam ſuam, virtutem, & bona omnia det & conſervet creaturis: & per hoc eas ſibi quaſi juramento obſtringat ad ſui cultum, obedientiam, timorem, fidem, ſpem, invocationem, gratitudinem. Eloah itaque, Deum ſignificat providentem, gubernantem,
3. judicantem, & vindicantem. Tertium Dei nomen
eſt אלוהים, *elohim*, quod eſt plurale nominis
4. eloah. Quartum eſt צבאות, *Sabaoth*, id eſt, exercituum, vel copiarum, ut reddit Aquila. Ubi adverte, hoc non eſſe Dei nomen ſed cognomen, & eam ob rem cum alio Dei nomine ſemper conjungi. Nam dicitur *adonai ſabaoth*, id eſt, Dominus exer-
5. cituum. Quintum eſt עליון, *elion*, id eſt, excelſus, Gen. 14. 22. In Deo autem eſt triplex celſitudo atque ſublimitas: 1. entis, Deus enim eſt primum & ſummum ens. 2. cauſalitatis, quia Deus eſt prima cauſa, à qua omnes aliæ cauſæ dependent.
6. 3. perfectionis, quia Deus eſt ſumma & infinita perfectio. Sextum Dei nomen eſt אהיה אשר
אהיה, *eie aſer eie*, id eſt, ſum qui ſum. R. Salomon

& Burgenſis exponunt, *ego ero*, ſupple, vobiſcum in hac tribulatione id enim dicit Deus Moſi per Angelum, Exod. 3. 14. propriè ad verbum redderes, *ero qui ero*. Sed Hebræi futuro ſæpè utuntur pro tempore præſenti, quando continuatio, duratio & con-
ſtantia rei denotatur. Septimum nomen eſt 7.
אדני, *adonai*, id eſt, Domini mei: ſeu potius, Dominus meus, aut, Dominus: licet enim ſit plurale & cum affixo, oni tamen Deo tribuitur honoris cauſâ, & tanquam abſolutum ab affixo: ſicut in plurali ſæpè principes viros alloquimur, & in lingua Gallica penè omnes etiam mediocris fortunæ homines: non etiam dicimus, *tu as fait cela*; ſed quaſi
multis loqueremur, *vous avez fait cela*. Octavum eſt 8.
יה, *jah*, quod eſt abbreviatum *jehova*. Arias in illud: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, advertit, infantes in quacunque gente vocem יה, *jah*, ſonare: ſicque nominis ſui admirabilis initia & fundamenta, vel ab ipſo infantium ore firmi-
ter jacta, Deum ſibi vendicare. Nomen eſt שדי, 9.
ſaddai, id eſt, munificus, liberalis, omnipotens, ſibi
& aliis ſufficiens, mammeus. Decimum denique 10.
eſt, nomen tetragrammaton & ineffabile *Jehova*.
His poſitis, Dico nomen maximè proprium Dei 50. Jehova eſt nomen maximè proprium Dei.
eſſe *Jehova*. Non enim ſignificat contritorem, ut voluit Oleaſter, qui deducit à rad. הוה, *hava*, id eſt, conterere: ſed ſignificat *qui eſt*. Non *qui eſt* glorioſus, terribilis, & miraculorum patrator, ut opinantur Rupertus & Burgenſis. Non *qui eſt* conſtans & verax in ſuis promiſſis, ut cenſent Vatablus, & R. Salomon. Non *qui eſt* redemptor Iſraëlis de manu Pharaonis & Ægyptiorum, ut voluit noſter Hieron. Pradus in Ezech. ca. 1. pag. 47. Sed *qui eſt*; id eſt, *ipſa eſſentia*, qui per ſe eſt, qui eſt independenter ab omni alio, qui eſt ſuum eſſe. Nam *Jehova* eſt nomen ſubſtantivum, & proprie eſſentiam ſignificat in abſtracto. Hoc modo Ariſtoteles lib. 1. de cœlo vocat Deum αἰῶνα, quaſi ἀεὶ ὄντα, id eſt, ſemper exiſtentem: & lib. 2. cap. 3. θεοῦ ἐνέργεια, ἀθανασία, τοῦτο δὲ ἐστι ζωὴ ἀΐδιος, *Dei operatio, immortalitas eſt: hoc autem eſt perpetua vita*. Et Triſmegiſtus. Deus unus nomine non eget: eſt enim ὁ ὢν ἀνώνυμος, id eſt, ens ſine nomine. Deus ipſe Moſi, Exod. 3. poſtulanti quid reſponſurus eſſet Iſraëlitis, ſi peterent nomen ejus: ait verſ. 14. *Ego ſum qui ſum*: ſive ut eſt in texto Hebræo, *ero qui ero*: id eſt, ſum æternus, ut explicat S. Gregor. Nazianz. 2. ſum immutabilis & ſtabilis, ut S. Gregor. Papa homil. 2. in Ezechiel. 3. & melius, *ſum qui ſum*, id eſt, ſolus ſum, qui à me habeo eſſe independenter ab omni alio, ut ait S. Hieron. in cap. 3. ad Epheſios. Deum vocari, *ens*, vel, *eſſe*, potius quàm quidlibet aliud, docet S. Dionyſ. cap. 5. de divinis nominibus. Primò, quia eſſe advenit primum cuilibet rei, & ultimum ab ea recedit. Secundò, quia eſſe eſt maximè intimum eujus rei. Tertiò, eſt maximè independens. Quartò, eſt maximè neceſſarium. Quintò, eſt univerſaliſſimum. Sextò, eſt ſimpliciſſimum. Septimò, eſt quodammodo infinitum. Octavò, cætera ſunt participatio entis & eſſe, ens verò nullius eſt participatio. Nonò, eſt perfectiſſimum: quia eminenter & virtute continet alias perfectiones. S. etiam Thomas 1. part. quæſt. 13. artic. 11. *qui eſt*, ait eſſe maximè proprium Dei nomen. Primò propter ſui ſignificationem. Non enim ſignificat formam aliquam, ſed ipſum eſſe. Unde, cum eſſe Dei ſit ipſius eſſentia, inter alia nomina hoc maximè propriè nominat Deum. Unumquodque enim denominatur à ſua forma. Secundò, propter ejus univerſalitatem. Omnia enim alia nomina vel ſunt minus communia: vel ſi convertantur cum ipſo, tamen addunt aliqua ſupra ipſum ſecundùm rationem. Unde quodammodo informant & determinant ipſum. Intellectus autem noſter non poteſt ipſam Dei eſſen-

eſſentiam cognoſcere in ſtatu viæ ſecundùm quod in ſe eſt: ſed quemcunque modum determinet circa id quod de Deo intelligit, deficit à modo quo Deus in ſe eſt. Et ideò quantò aliqua nomina ſunt minus determinata & magis communia & abſoluta tantò magis propriè dicuntur de Deo à nobis. Unde & S. Damaſcenus lib. 1. orthod. fidei cap. 12. dicit, quod principalius omnibus quæ de Deo dicuntur nominibus, eſt, *qui eſt*: totum enim in ſeipſo comprehendens, velut quoddam pelagus ſubſtantiæ infinitum & indeterminatum. Quolibet enim alio nomine determinatur aliquis modus ſubſtantiæ rei: ſed hoc nomen, *qui eſt*, nullum modum eſſendi determinat, ſed ſe habet indeterminatè ad omnea. Et ideò nominat ipſum, pelagus ſubſtantiæ infinitum. Tertiò verò, ex ejus ſignificatione. Significat enim eſſe in præſenti. Et hoc maximè propriè de Deo dicitur, cujus eſſe non novit præteritum vel futurum, ut dicit S. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 2. tom. 3. & lib. 83. quæſt. 17. tom. 4. *Jehova* autem eſt idem Dei nomen atque *qui eſt*, &, *ego ſum qui ſum*, ut patet Exod. 3. & 6. hæc enim duo nomina ſua revelavit Deus Moſi, quæ antè non revelaſſet Prophetis & Patriarchis: in capite autem 3. verſ. 14. ait, *ego ſum qui ſum*, & Moſem monet, ut dicat filiis Iſraël, *Qui eſt* miſit me ad vos, capite autem 6. verſ. 3. ait: *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Jacob, in Deo omnipotente* (id eſt declarans & oſtendens me eſſe Deum שדי *ſaddi*, id eſt munificum, liberalem, omnipotentem, mammeum) *& nomen meum* יהוה *Jehova Adonai* (ſic ſemper legitur Jehova, ut mox dicam) *non indicavi eis*. Abulenſis quæſt. 8. in cap. 3. Exodi probat hoc Dei nomen. Jehove ſcilicet, eſſe perfectiſſimum. Inter omnes formas, inquit, perfectiſſima & ſimpliciſſima eſt eſſe: quia in qualibet alia forma includitur: In hoc enim, quod eſt eſſe omnipotentem, includitur eſſe: & in hoc quod eſt eſſe ſapientem, bonum, æternum, infinitum, immenſum, immortalem, &c. Dicendo igitur ſimpliciter, Deus eſt qui eſt, attribuitur ei eſſe ſine aliqua limitatione aut reſtrictione eſſe, quod includit eminenter omnium perfectionem, & S. Aug. *Eſſe*, ait, *nomen eſt incommutabilitatis. Omnia enim, quæ mutantur, deſinunt eſſe quod erant, & incipiunt eſſe quod non erant. Eſſe verum, eſſe ſyncerum, eſſe germanum non habet, niſi qui non mutatur. Ille habet eſſe, cui dicitur: mutabis ea, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es. Quid eſt, ego ſum qui ſum, niſi æternus ſum? Quid eſt, ego ſum qui ſum, niſi mutari non poſſum.* Neque æternitatem tantum & immutabilitatem Dei dicit ego ſum qui ſum, ſicut etiam Jehova; ſed etiam ipſius Dei eſſentiam ab omni alio independentem & per ſe ſubſiſtentem: & hoc propriè ſignificat, ut dixi.

In templo Apollinis inſcriptum ει. Hinc crediderim in templo Delphico ſcriptam eſſe hanc Græcam vocem εἶ, id eſt, *es*, q. d. tu Deus verè & ſolus exiſtis, cætera nihil ſunt. In hunc modum hoc exponit Plutarch. opuſculo de ſyllaba εἶ, atque eam de Deo dici, ὡς ἀληθῆ καὶ ἀψευδῆ καὶ μόνην μόνῳ προσήκουσαν, προσαγόρευσιν, *quaſi verum, ac proprium, adeoque ſolum, atque ſoli convenientem appellationem*, ἡμῖν γὰρ ὄντως τοῦ εἶναι μέτεστιν οὐδέν. *Nos enim verè nullo modo ſumus, ſed omnis omnino natura mortalis, in quodam interitus ortuſque medio conſtituta, umbram ſui duntaxat aliquam, exilemque ac lubricam opinionem oſtendit: quam ſi intendente in eam animo comprehendere volueris, tum verò quemadmodum aquam ſi manu vehementius retinere coneris, dum premis, dum in unum cogis, effluit illa pereuntque dilabitur, &c.* Deus itaque eſt eſſentia ipſa, nos ex innumeris non entibus conſtamus. Homo enim non eſt Sol, non eſt Luna, non ſtellæ, non cœlum, &c. Deus verò eſt hæc omnia.

Quæres: Qua ratione ſit nomen illud Dei tetra- 51.
grammaton pronuntiandum? Primò, Græci qui- *Quomodo eſt pronunciandum nomen* יהוה*.*
dam, ut ait S. Hier. ad Marcellam, in Græcis libris
hoc nomen Hebræum legentes, juxta Græcas lite-
ras, quibus hæ quatuor Hebrææ ſimiles ſunt, pipi
legerunt. Secundò, S. Juſtinus contra Tryphonem
fol. 58. pro nomine tetragrammaton nomen *JEſus* 1.
legit & intelligit. Tertiò, S. Iſidor. hoc nomen pro- 2.
nunciat *Jodiod*: ait enim hoc nomen confici ex du- 3.
plici litera *jod*. Verum hi omnes à literis Hebraicis
nominis tetragrammati vel abeunt, vel aberrant.
Quartò, S. Irenæus illud effert *Jaoth*: quod, in- 4.
quit ipſe, ſignificat præfinitam menſuram; vel,
ſi per amicron ſcribatur, eum qui dat fugam
malorum. Sic & Gentiles hoc nomen pronun-
tiaſſe videntur: unde Diodorus Siculus lib. 1.
ait: Moſem legem accepiſſe à Deo *Jao*: & Apollo
Clarius rogatus: quis eſſet Deus Jao? Reſpondit:
Summum cunctorum divum in dici Jao. Teſtis 5.
eſt Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 18. Quintò Theo- 6.
doret. in Exod. q. 15. Nomen tetragrammaton, ait,
à Samaritis vocatur *Jave*, ab Hebræis *Ja*. Sextò, re-
centiores aliqui à centum annis, hoc nomen juxta
puncta ei à Maſſoretis ſubjecta, pronunciant *Jeho-
va*. Verùm hæc puncta non ſunt puncta nominis
tetragrammati, ſed nominis Adonai: unde & ipſi
Maſſoretæ, omneſque Hebræi, pro nomine tetra-
grammato legunt Adonai. Errant ergo qui à *Je-
hova*, ſive *Jova* per craſim) Jovem ſummum Gen-
tilium Deum deducunt: hic enim Latinum habet
nomen, non Hebræum, & à juvando dicitur. Erra-
vit & Varro, qui teſte S. Auguſt. lib. 1. de conſenſu
Evangeliſt. cap. 22. putavit Judæos coluiſſe Jo-
vem Deum Romanorum: putavit autem id Varro,
non quod ab Hebræis audiſſet Deum appellari
Jehova, vel Jovem: ſed quia cenſuit à Judæis coli
ſummum Deum, quem ipſe non alium eſſe puta-
bat, quàm Jovem. Ita Pererius in cap. 3. Exod. Bel-
larmin. in exercit. in Pſalmum 34. Genebrard. præ-
fat. in Pſalmos Cornel. in Exodum, qui cenſent
non *Jehova* eſſe pronuntiandum, ſed יהוה *jejove*,
vel יהוה *jeheve*, & Cornel. poſtea legit *jeheva*,
ſed opinor eſſe legendum *Jehova*. Non enim tan-
tum à centum annis ſic legitur, cum ipſi Maſſoretæ
ſic puncta poſuerint. Non quod immutaverunt
modum priorem legendi, ſed quod ante ipſos ſic
legeretur. Unde *Adonai* efferunt, qui ipſum *Jeho-
va* pronuntiant: quia ſunt eadem utriuſque pun-
cta, niſi quod ſub jod in voce *Jehova* eſt ſeva ſim-
plex: ſub Aleph verò in voce *Adonai* eſt chateph
patach, quod eſt ſeva compoſitum ex patach & ſe-
va, quia Aleph eſt litera gutturalis.

Quæres ſecundò: Quid ſit admirabile in nomi- 52.
ne Jehova, ut de eo dicatur *Domine*, (Hebr. eſt *Quænam miranda in nomine Jehovæ? Primò. Secundò Myſterium Trinitatis.*
יהוה jehova) *Dominus noſter, quam admirabile eſt
nomen tuum in univerſa terra?* Primò, Jehova eſt
maximum Dei nomen, ut oſtendi, & perfectiſſi-
mum. Secundò, varia continet myſteria admirabi-
lia R. Haccados in prima perſitione libri qui גלי
רזיא *gale razeia*, id eſt revelator arcanorum, in-
ſcribitur, expreſsè hoc docet: *Animadverte*, ait, *no-
men quatuor literarum, prout ſcriptio ejus eſt: Sic
enim ſcribitur in lingua noſtra hebraica* יהוה *Jeho-
va ipſum Deum generantem ſignificare. Et quia non
poteſt eſſe generans abſque generato, neceſſariò amor
à generante in generatum, & è converſo procedere de-
bet: quoniam ſi hoc non eſſet, non generaret. Et ſi non
procederet amor à generato in generantem, diſtin-
gueretur que generatus à generante, dum ſubſtantia
uſſine. Ideò nos volumus generantem & generatum
unum eſſe ſubſtantiam. Idcircò neceſſe eſt, ex altera
in alterum procedere amorem.* Ita ille: Generans
porrò eſt Deus Pater: generatus, eſt Filius: Amor,
eſt Spiritus ſanctus, Galatin. lib. 2. de arcanis ca-
thol.

thol. verit. c. 10. notat, ineptè Jehova vocari nomen tetragrammaton uno ſenſu: neque enim ibi ſunt niſi tres literæ: nempè, *jod, he*, & *vau*: ſed *he* bis repetitur. Per tres autem has literas, tres in Trinitate hypoſtaſes ſeu perſonæ denotantur. Nam prima, *jod* ſcilicet, quæ principium interpretatur, rectiſſimè Patrem in divinis inſinuat. Secunda verò, nempe ה *he*, quæ *eſſe* vel vivere ſignificat, Filium in divinis aptiſſimè innuit, per quem omnia, quæ facta ſunt, eſſe ceperunt: & quicquid factum eſt, in ipſo vita erat, Joan. 1. Tertia litera, ſcilicet ו *vau*, quæ eſt copulativa dictio, atque ſignificat *&*, denotat Spiritum ſanctum: qui cum ſit amor Patris & Filii, qui ſe invicem amant, rectè copula, id eſt nexus utriuſque, nuncupatur. Secunda porrò hujus nominis litera, nem ה *he*, geminatur, ad inſinuandum ſolum Filium, qui ſecunda eſt in Trinitate perſona, duplicem habere reſpectum. Nam Pater ſolùm eſt producens, Spiritus ſanctus eſt ſolùm productus, Filius verò & productus à Patre, & cum Patre producens Spiritum ſanctum, vel certè, quod Deus ſit & homo.

Trinitas perſonarum & unitas eſſentiæ. In antiquis quoque Hebræorum codicibus, hoc nomen tetragrammaton per tria jod ſcriptum reperitur, quæ & circulo clauduntur, ׳ & eis camee punctum ſupponitur, hoc modo (׳׳׳) ut denotent trinam & unam eſſe Deitatem. Nomina autem tria, quæ formant ex nomine Jehova, ſunt primò יה *jah*, id eſt Deus ſeu Dominus: & Patrem deſignat, qui eſt totius Trinitatis fons, & cui attribuitur poteſtas in omnia. Deinde הו *hu*, id eſt *ipſe*: & Filium ſignificat, ille enim erat venturus. Denique, והו *vehu*, *& ipſe*, atque Spiritum notat, qui poſt Filium venit.

Ex nomine *Jehova* rurſus Hebræi formant tria tempora: 1. præteritum היה *haia*, id eſt fuit: 2. præſens הוה *hove*, id eſt exiſtens: 3. futurum יהיה *jye*, id eſt erit, ad innuendam Dei æternitatem, quæ omnia tempora complectitur.

Omnes literæ quieſcentes ſunt in Jehova. Notabile etiam eſt, quod omnes hujus nominis literæ ſunt quieſcentes, quod in Deo ſolo ſit vera & perfecta quies, & beatitudo æterna à qua tumultus omnis exulat. Hæc negligenda non ſunt, licet nonnihil Rabbiniſmum oleant.

35. Tertiò. Tertiò nomen Jehova eſt admirabile, quia ineffabile: onde vocatur à S. Hieron. ἀνεκφώνητον, id eſt non effabile: à Theodoreto ἄφραστον, id eſt non explicabile: à S. Damaſceno ἄῤῥητον, id eſt non eloquibile. Plato in Parmenide ait Deo nullum inditum eſt nomen, Deus non poteſt definiri, non ſcientia capi, non in ſenſus noſtros incurrere, nulla de eo haberi opinio: quocirca neque nominari, neque dici, neque cogitatione comprehendi, neque cognoſci, neque ab ullo ente ſentiri poteſt. Ita ipſe, & Syneſ. orat. de regno. Οὐδὲν οὐδαμῆ που πέφηνεν ὄνομα τῆς ἰδίας ἁπτόμενον τοῦ θεοῦ. *Nullum nomen uſquam inventum eſt, quod Dei naturam aſſequeretur: ſed cum ab ea exprimenda homines aberrarent, per ea, quæ ab illo fiebant, ipſum attingere conati ſunt.* S. Chryſoſt. jure comparat Deum immenſo & infinito oceano, cujus nec littora nec fundum poſſit quis pertingere: *Sicut*, inquit, *qui innavigabilem Oceanum navigare ſe uſurpat, dum non poteſt eum tranſire, neceſſe eſt per eandem viam redeat, ubi ingreſſus eſt. Sic antiqui Philoſophi de Dei natura quærere contendentes victi ſunt ingenio, defecerunt ſermone, in ultimo nihil ſe amplius invenire potuiſſe confeſſi ſunt, niſi quod Deus ſit incognoſcibilis.* Et conſequenter innominabilis. Ægyptii

Deum per ciconiam & crocodilum figurant. Deum figurabant per Ciconiam, quia hæc caret lingua: item per Crocodilum, propter eandem rationem. Illis Symbolis ſignificabant & Deum tacito ſilentio omnia perficere, & non debere nos de eo loqui, quem nulla vis humani ingenii poſſit

ſatis admirari. Judæi nunc non audent expreſſè jurare per nomen tetragrammaton, ſed hac formula per illud jurant, & quidem rarò: *Juro per jod, he, vau & he*, hæ ſunt quatuor literæ nominis יהוה *Jehova*) illudque juramentum apud eos ſummum & ſacratiſſimum habetur. Philo lib. de vita Moſis pag. 529 olim id quoque fuiſſe vetitum docet: *Si quis*, inquit, *non dico blaſphemaverit hominum deorumque dominum, ſed auſus fuerit vel nomen ejus intempeſtivè promere, noxam luat capite.* Id illuſtrat hac ſimilitudine: Parentes non appellamus proprio nomine, ſed patrem matremque nuncupamus, non verò aut Jacobum, aut Iſaacum, &c. tum ſubdit: *Quomodo igitur*, συγγνώμης ἀξιοῦνται, *veniam merentur, qui temere abutuntur ſanctiſſimo Dei nomine tantùm ad explendum ſermonem, non aliter quam profanis vocibus?* In eodem libro etiam docet, ſolis ſacerdotibus licitum fuiſſe ſacrum illud nomen *Jehova* effari, & quidem in ſacris, puta in ſacrificiis, & in ſolemni benedictione populi, maximeque in ingreſſu in Sancta Sanctorum.

ARTICULUS III.

Nomen JEſu eſt admirabile in cœlo & in terra.

VErſum hunc, quem contemplamur, *Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt Nomen tuum in univerſa terra*, de Chriſto dici cenſet S. Athanaſius tract. de communi eſſentia Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: indeque probat eſſe magnum Deum, non minus quàm Patrem, de quo habetur Pſalm. 75. 2. *notus in Judæa* (Chald. in domo Juda) *Deus: in Iſrael magnum nomen ejus.* Et S. Ambroſ. lib. de Spiritu ſancto dicit, Chriſti nomen ante ejus adventum in Iſraëlitico populo, quaſi in vaſe, clauſum, poſtea per omnem creaturam ſe extendiſſe, replens vacua, ut eſſet admirabile nomen ejus in univerſa terra. Chriſtum ipſum vocat *admirabilem* Iſaias cap. 9. 6. Quomodo autem ſit admirabilis in ſua nativitate, proficiens ætate, docens, tacens, agens, patiens, reſurgens, aſcendens, judicans, vide apud S. Bonaventuram in caput 2. Lucæ. Illum admirata eſt in templo inter Doctores reſpondentem & interrogantem B. Virgo cum S. Joſeph. Luc. 2. 33. & mutos, cæcos, claudos, debiles, Græcè κυλλούς, id eſt, mancos, membris captos) & alios multos ſanantem miratæ ſunt turbæ, Matth. 15. 30. & concionantem Nazareni concives ejus cap. 13. 54. ubi illud, *ita ut mirarentur*, vertit Arabs, ita ut obſtupeſcerent. Pilatus miratur eum inter innumeros accuſatores ſilentem, cap. 27. 13 & S. Athanaſ. ſerm. de paſſ. & cruce vocat illud ſilentium, magnum & mirificum. Nomen ejus eſt admirabile, hoc eſt nomen JEſu, ut hoc loco explicat S. Chryſoſtomus. 54. JEſus eſt toti mundo admirabilis.

In nomine etiam ſuo, nempe in nomine JEſu, Salvator noſter eſt admirabilis. Primò in terra. *Domine, Dominus noſter* (Chald. apud Nebienſem habet, Deus præceptor) *quàm admirabile eſt Nomen tuum in univerſa terra!* Secundò, in cœlo ibid: *Quoniam elevata eſt magnificentia tua ſuper cœlos.* Tertiò, in inferis, quibus eſt terribile & funeſtum hoc nomen, Verſ. 3. *Ex ore, &c. ut deſtruas inimicum & ultorem.* Quartò, Mirabile eſt nomen JEſu, non tantum ratione loci, in quo laudatur aut timetur, ſed etiam ratione perſonarum, à quibus laudatur; nempe, ab infantibus & imperfectis in virtute: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*: & à perfectis, Verſ. 4. *Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.* 55. Nomen JEſu eſt admirabile. 1. *In terra.* 2. *In cœlo.* 3. *In inferis.*

Primò. Nomen JEſu majus eſt glorioſius, & admirabilius omni nomine hominibus attributo. *Jo* 56. Homi-

nes varia ſibi honoris ſumpſerunt nomina. 1. Sibi vocarunt Joves. 2. Domini orbis. 3. Cæli filios. 4. Solis & Lunæ fratres. 5. Magnos & max. 6. Prœliatores. 7. Urbium domitores. 8. Armorum diluvium. Commodi Imp. varia cognomina. 9. Canazzani Gaura.

ves ſe nuncupabant pleriquc paganorum regesunde treccntos aut quadringentos Joves agnovit antiquitas. *Dominum univerſitatis* ac *cæli filium* Rex Sinarum ſe nuncupat, ut refert noſter Trigautius in tract. de expedit. Chriſtiana ad Sinas. Reges verò Perſarum ſe Fratres Solis & Lunæ indigitabant. Modeſtius ob præclarè geſta Conſtantinus Imp. Carolus & Henricus Franciæ reges, Alphonſus Rex Hiſpaniæ, aliique, dicti ſunt *Magni*. Fabius verò qui prudentia ſua & longanimitate Annibalem in Italia fregerat, appellatus eſt *Maximus*. Jacobus Aragoniæ Rex *Prœliator* nomen obtinuit, quod tricies cum Mauris proſperè ſigna contuliſſet, ut memorat Mariana lib. 14. hiſt. Hiſpan. cap. 2. Demetrius rex teſte Plutarcho in Demetrio, dictus eſt πολιορκητὴς, id eſt urbium expugnator. Qui Sinas à Tartarorum jugo liberavit, ideoque regnum obtinuit, curavit vocari ſe *Hamru*, id eſt *armorum diluvium*, ut ait Trigautius lib. 1. c. 6. de exp. Chr. Nomina nonnunquam nominibus, ut montes montibus, inepti gigantea & cœlo ſe exæquare cupientes imponunt. Commodus unus in titulis ſuis & inſcriptionibus ſe vocabat Amazonium, invictum, felicem, pium. Lucium, Ælium, Aurelium, Commodum, Auguſtum, Herculem Romanum, Superantem. Putabat, quod ſcripſit Philo, eò eum eſſe præſtantiorem, quò pluribus appellationibus nuncupari poteſt. Lege (& riſum contine, ſi potes) titulos quos ſibi arrogat Ægypti Sultanus Canazzans Algaurus (ſive Gaurus, ut alii malunt) ſcribens Julio II. Pontifici anno 1504. ut refert Barrius, qui ſe literarum exemplar vidiſſe dicit. Hujuſmodi autem tituli ſunt: *Magnus Rex, dominus dominantium, nobilis, excelſus, ſapiens, juſtus, & victor: Rex Regum, gladius mundi, princeps fidei Mahometica, & illorum, qui ei adhærent: vivificator toto Orbe: ſucceſſor regnorum, Rex Arabia, Gemia, Perſia, & Turcia: umbra Dei in terris, cunctorum bonorum operator, ſive ſint ab eo præcepta, ſive non: alter in hoc mundo Alexander, à quo multa bona procedunt: Rex eorum, qui ſedent in tribunali, & ferunt coronam: dator regionum, terrarum, civitatum: perſecutor rebellium & hæreticorum infidelium: conſervator diverſorum locorum peregrinorum, ſummus ſacerdos templorum ſacrorum, quæ ſunt ſub ſuo imperio, & continent fidem Mahometis: ſparſor juſtitia & bonitatis, ſplendor fidei, pater victoria, Canazzans Algaurus, cujus imperium Deus perpetuet, ſedemque ſupra planetam Geminorum exaltet.* Eadem refert Spondan. Eccl. hiſt. anno 1504. num. 8. atque hunc Canazzanum à pluribus vocari Campſonem, eumque in Scythia ortum, ex humili fortuna per omnes militiæ gradus ad eam dignitatem invitum evectum eſſe.

57. 1. Jeſu nomen his omnibus eminet.

Vel unicum Jeſu nomen his omnibus eminet, Philipp. 2. 9. *Donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen*, Pſal. 71. 19. vocatur nomen majeſtatis: *Benedictum nomen majeſtatis* (Sept. δόξης, id eſt *gloria*, ut S. Hieron. S. Auguſt. & Tertull. lib. 5. contra Marcion. cap. 9. legunt) *ejus in æternum, & replebitur majeſtate ejus.* (Chald. ſplendore gloriæ) *omnis terra*. Guidacerius ibi per nomen majeſtatis intelligit Filium Dei, quem S. Paulus Hebr. 1. verſ. 3. vocat *ſplendorem gloria Dei*. Sed commodius ſumetur pro ejuſdem filii nomine, nempe pro nomine Jeſu. De Joſue, qui erat typus Chriſti, dicitur Eccli. 46. 1. *Fortis in bello Jeſus Nave* (id eſt filius Nave, ſic enim vocant Sept. quam in Hebr. Chald. & Latin. bibl. eſt filius Nun cap. 13. Num. 18. & alibi paſſim) *ſucceſſor Moyſis in Prophetis* (id eſt inter Prophetas, ſæpius enim cum Deo locutus eſt, & ab eo directus ut patet Joſue 1. 2. & ſeq.) *qui fuit magnus ſecundum nomen ſuum. Maximus in ſalutem electorum Dei, expugnare* (expugnando) *inſurgentes hoſtes, ut conſequeretur hæreditatem Iſrael*, id eſt, populus Iſraëliticus, nam Iſraël eſt ibi in nominativo. Nomen autem primum Joſue filii Nun erat *Oſee*, id eſt *ſalva*, ſed Moſes addita una litera è nomine tetragrammato ſumpta vocavit eum יהושע *Jehoſua*, id eſt Dei ſalus, q. d. Jaho ſua, ut ait S. Hier. in cap. 1. Aggæi, & Euſeb. 4. demonſtr. Evang. cap. ult. nomen enim tetragrammaton putat fuiſſe *Jaho*. Mutationis illius cauſa fuit, ut certius oſtenderet Moſes, & ipſi Joſue & populo, per eum dandam eſſe ſalutem & reportandam de Chananæis victoriam: deinde, ut eum eſſe typum venturi Meſſiæ demonſtraret. Nam Joſue & Jeſus idem ſunt prorſus. Magnus fuit Joſue dando ſalutem temporalem, ſed major fuit Jeſus dando ſpiritualem. De eo prædicit Deiparæ Gabriel Angelus Luc. 1. 31. *Ecce concipies in utero* (Arab. recipies graviditatem) *& paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur*, Hoc conſiderans S. Bern. ſerm. 3. ſuper *Miſſus eſt*, ait, *Magnus*, qui magnus Deus erat, magnus homo futurus eſt, magnus Doctor, magnus Propheta, imò Meſſias mundi Salvator. Ita ipſe. Magnum eſt nomen Jeſu. Primò ſignificatione, quia *ſalvatorem* ſignificat. Ut autem ait Seneca lib. de Clementia: *Nullum ornamentum Principis faſtigio dignius pulchriuſque eſt, quam illa corona, ob cives ſervatos: non hoſtilia arma detracta victis, non currus barbarorum ſanguine cruenti, non parta bello ſpolia. Hæc divina potentia eſt, gregatim & publicè ſervare: multos autem occidere, incendii ac ruina potentia eſt.* Et Tullius C. Julio Cæſari, pro Ligario cauſam agens, dicit: *Nulla re propius ad Deum accedes, quam ſalute hominibus danda.* Romanis & Græcis in pretio fuerunt Juppiter Soter, Juppiter Eleutherius, Minerva Soter Minerva Soſpita, Salus Dea: quin etiam, teſte Strabone lib. 17. Æſculapium & Herculem σωτῆρας appellarunt. Vide Giraldum de diis Gentium, Syntagmate primo pag. 35. & Synt. 2. pag. 106. & 107. & Synt. 3. pag. 121. Secundò, Jeſu nomen magnum eſt efficacitate, Pſal. 53. 3. *Deus in nomine tuo* (per nomen Jeſu) *ſalvum me fac* (Chald. redime me) *& in virtute tua* (S. Hier. in fortitudine tua) *judica me*: ſed ut condemnes hoſtes meos, ac me liberes ab eorum tyrannide. Caſſiodor. Pſalt. Rom. & Ambr. vertunt, *libera me*, S. Chryſoſt. in Pſalmo noſtro virtutem ac poteſtatem nominis Jeſu exponit his verbis: Ἐν τῷ ὀνόματι τούτῳ θάνατος ἐλύθη, δαίμονες ἐδέθησαν, οὐρανὸς ἠνεῴχθη, παραδείσου θύραι ἀνεπετάσθησαν, πνεῦμα κατεπέμφθη, &c. *In nomine iſto mors victa & fracta eſt, vincti ſunt dæmones, cœlum apertum eſt, fores paradiſi patuerunt, ſpiritus demiſſus eſt: ſervi, facti ſunt liberi: inimici, filii: alieni, hæredes: homines, Angeli. Quid dico, Angeli? Deus homo factus eſt, & homo Deus: cœlum accepit naturam à terra ſumptam, terra eum ſuſcepit, qui ſedet ſuper Cherubim cum exercitu Angelorum, quæ intercedebat maceria diruta eſt, ſublata eſt ſepes: quæ diviſa & disjuncta erant, unita ſunt: tenebræ ſunt extinctæ, lux reſplenduit, mors abſorpta eſt.* Itaque hoc unum Jeſu nomen prævalet aliis omnibus triumphantium regum & principum, quæ ſibi à devictis nationibus ſumunt: ſunt enim illa nomina egena elementa: Jeſu nomen eſt efficax. S. Chryſol. ſerm. 57. de ſymbolo. Sicut inquit reges triumphorum ſuorum titulis nuncupantur, ſubjectarum gentium nominibus conquirunt numeroſiſſima cognomenta, Chriſtus bonorum ſuorum titulis nuncupatur; à Chriſmate enim vocatus eſt Chriſtus, qui divinitatis unguentum aridis jam mortalium membris pius medicator infudit: & ut à chriſmate Chriſtus, ſic Jeſus vocatus eſt à ſalute, qui ob hoc nos divinum infudit unguento,

1. Significatione.

2. Efficacitate.

to, ut ægris certam ſalutem, perditis perpetuam
redderet ſanitatem. Ita ipſe.

58. Secundò, JEſu nomen non tantum excellentius
2. Jeſu nomen eſt excellentius Dei ipſius nominibus.
eſt omnibus hominum nominibus, ſed etiam
omnibus nominibus Dei, & Chriſti ipſius: quia
nomen Jeſu eſt nomen proprium Verbi incarnati,
ſicut meum nomen eſt Thomas, alterius Matthæus,
vel Joannes. Itaque continet univerſam œconomiam
Incarnationis & redemptionis Chriſti. Unde
dicitur Philipp. 2. 9. *Propter quod exaltavit*
(Græcè ſignificantius ὑπερύψωσε, id eſt ſuperexaltavit)
*illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne
nomen.* Quod fusè amplificat S. Bern. ſerm. 15.
in Cant. Omnia, inquit, nomina Dei aut pietatis
gratiam, aut potentiam majeſtatis ſonant. Nomen
potentiæ eſt Emmanuel, nomen pietatis eſt Jeſus.
Rurſum Propheta inquit, Vocabitur nomen ejus
admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri
ſeculi, princeps pacis. Primum, tertium, quartum
majeſtatem ſonant, reliqua pietatem. Quid horum
ergo effunditur? Profectò majeſtatis ac potentiæ
nomen in id, quod eſt pietatis & gratiæ,
quodammodo transfunditur, ipſumque effunditur
abundè per JEſum Chriſtum Salvatorem noſtrum.
Et ſerm. 2. de Circumciſione, cum multa
accenſuiſſet Chriſti nomina, ſubtexuit: *Magna quidem
nomina, ſed ubi eſt Nomen quod eſt ſuper omne
nomen, nomen Jeſu in quo omne genu flectitur? Forſitan
in his omnibus unum illud invenies, ſed expreſſum
quodammodo & effuſum.* Hebræi decem nomina
Dei in Scripturis reperiunt, ut retuli art. 6.
illis omnibus præſtat nomen JEſu.

59. Tertiò, JEſu nomen eſt præſtantius ipſo nomine
3. Jeſu nomen eſt excellentius ipſo Jehova.
tetragrammato, id eſt *Jehova*, quod hic ſubindicat
Propheta noſter, cum ait: *Domine, Dominus noſter*
(Hebr. eſt *Jehova*, adonenu) *quam admirabile eſt
Nomen tuum in univerſa terra:* veluti ſubſternit *Jehova*,
& Adonai nomini admirabili, id eſt nomini
Jeſu. Nomen enim illud admirabile intelligi nomen
Jeſu vult S. Chryſoſtomus, ut jam dixi. Excellentia
autem nominis Jeſu ſupra Jehova eſt Pri-
1. mò, quia *Jehova* ſignificat eum qui eſt. *Jeſus* verò,
eum qui perditos ſalvat, vivificat, juſtificat, & bea-
2. tos facit. Secundò, *Jehova* eſt fons & principium
entis. Jeſus eſt immenſus gratiæ & gloriæ oceanus.
Rom. 7. 24. *Infelix* (Græc. ταλαίπωρος, id eſt ærumnis
oppreſſus) *ego homo, quis me liberabit de
corpore mortis hujus?* id eſt, de corpore mortali,
obnoxio morti, & corporali, ut explicat S. Hieron.
& mortem ſpiritualem inducenti, ut ait Photius:
Gratia Dei per Jeſum Chriſtum, ſupple, me liberabit,
dando corpus immortale & glorioſum in futura
reſurrectione, & per totam æternitatem. Ter-
3. tiò, *Jehova* dejecit ac protrivit variis plagis Ægyptios,
atque Pharaonem in mare rubrum dejecit,
velut plumbum in aquis vehementibus. *Jeſus* Luciferum
impunè per Orbem graſſantem in tartarum
dejecit, ibique alligavit catenis flammeis, &
exercitus ejus vires infregit virga crucis. Quartò,
4. *Jehova* paucos Hebræos per mare & deſertum ac
Jordanem deduxit in terram Chanaan, ut eam
excolerent & poſſiderent. *Jeſus* omnes omnium
gentium & ſeculorum homines per mare Sanguinis
ſui, per deſertum mortificationis & contemplationis,
per aquas compunctionis & gratiam
ſacramentorum ad terram cœleſtem fluentem
lacte & melle deportat. Apocal. 7. 17. *Agnus, qui
in medio throni eſt*, (id eſt inter thronum, in quo
vidit S. Joannes Deum ſedentem: & inter quatuor
animalia, id eſt quatuor angelos primarios, qui ſub
forma leonis, vituli & aquilæ atque hominis apparebant,
ſicut Ezechieli) *reget* (Græcè, ποιμανεῖ,
paſcet) *illos: & deducet* (ὁδηγήσει per viam ducet)
eos ad vitæ fontes aquarum (ad fontes aquæ

vivæ & vivificantis, id eſt gratiæ omnis & gloriæ.
Et ipſe Chriſtus ait, cap. 2. 7. *Vincenti* (mundum,
carnem & dæmonem, qui ſunt Chananæi, Jebuſæi,
Philiſthini, & aliæ gentes peccatrices Chananitidis)
*dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo
Dei mei*, id eſt, in cœlo, quod eſt hortus Dei, in
quo ſunt poma omnis generis, & omnia vivifica.
Quintò, *Jehova* Hebræos ſuos collocat in Chana- 5.
næa, quæ erat exigua terræ lacinia, quam ab Occidente
mare mediterraneum tundebat & corrodebat,
ab Oriente mare mortuum & mare Tiberiadis.
Tempeſtatibus variis non carueruni, cum
ex omni parte hoſtes haberent. Ab Occidente quidem
Philiſthæos: ab Oriente Syros, Ammonitas,
Moabitas: Meridie Idumæos: à Septentrione Tyrios,
Sydonios, Aſſyrios, Chaldæos, à quibus ſunt
everſi & mactati. *Jeſus*, quaquaverſus imperium
ſuum per totum Orbem ad ultimos uſque Sinas, &
regnum Preſtejannis, atque Japoniorum inſulas
extendit, & omnes hoſtes ſibi obſtantes ſtarnit, ut
non dicam. Itaque Jehova eſt adumbratio, typus
& imago quædam nominis Jeſu, & quaſi quoddam
ænigma, ac viciſſim nomen Jeſu, eſt declaratio
nominis Jehova. Nam illud continet, & aliquid
aliud. Et quidem יהושע *jehoſua*, id eſt Jeſus,
continet tres literas nominis Jehova: nempe
jod, he, & vau, aliaſque ſibi & proprias ſuperaddit.
Ubi obiter nota errare Valentiam, qui cenſet Jeſum
& Jehova eſſe idem, quod verum eſſe non poteſt.
Nam Jehova deducitur ab היה *haia*, vel
הוה *hava*, fuit: Jeſus verò à ישע *jaſa*, ſalvavit.
Cujus ſaluris admirabilitate ſic afficiebatur S. Fran- *S. Franciſci*
ciſcus, *ut* teſte S. Bonaventura in ejus vita, cum no- *fervor in*
men Jeſu exprimeret vel audiret, *jubilo quodam re- pronunciatione*
pletus interius totus videretur exterius alterari, ac ſi nominis
melliſluus ſapor guſtum, vel harmonicus ſonus ipſius Jeſu.
immutâſſet auditum. Cum etiam Domini nomari in
Pſalmis occurrebat præ ſuavitatis dulcedine labia
ſua lingere videbatur. Quanta igitur ſuavitate replebatur,
cum legebat in Davide noſtro: *Domine
Dominus noſter quam admirabile eſt Nomen tuum in
univerſa terra!*

Vel in ſola Bethlehem ſpelunca (ubi in Circum- 60.
ciſione octavo die impoſitum eſt Jeſu nomen à *Jeſu nomen in*
Deipara, ut ipſi ab Angelo erat prænunciatum) *toto orbe*
vel in ſola Judæa, fuiſſet Jeſu nomen admirabile: *adoratur.*
ſed longè magis augetur admiratio, quod per Orbem
univerſum ſacri inſtar unguenti ſeſe effuderit,
ut ab omnibus ubique adoraretur, & omnes reſiceret:
Admirabile eſt Nomen tuum in univerſa terra.
Hoc poſtea expreſſius declaravit Propheta Malachias,
id eſt Angelus Domini cap. 1. verſ. 11. *Ab
ortu Solis uſque ad occaſum, magnum eſt Nomen
meum* (Arabs, nomen meum glorificatur) *in Gentibus,
& in omni loco ſacrificatur* (loquitur Prophetice
de futuris ſicut de præſentibus) *& offertur nomini
meo oblatio munda.* Sept. Sacrificium mundum:
nempe ſacrificium Euchariſtiæ incruentum,
quod fit in memoriam ſacrificii cruenti in cruce
oblati, in qua Chriſtus perfectè & completè fuit
Jeſus, id eſt redemptor & Salvator. Opus enim redemptionis
humanæ non eſt completum, niſi in
morte: unde in cruce ait Chriſtus Ioan. 19. 30.
Conſummatum eſt, id eſt omnia tormenta quæ debeo
perferre, & omnia myſteria quæ debeo complere,
ſunt conſummata & perfecta: nihil reſtat,
niſi ut morte totum curſum conſummem. Itaque
paulò poſt dixit: In manus tuas &c. & inclinato
capite tradidit ſpiritum.

De Jehova olim dicebatur Pſal. 75. 2. *Notus in
Judæa Deus* (Chald. in domo Juda: ad unam Jacobi
familiam: & ex illa familia ad domum Juda,
quæ etiam continebat tribum Benjamin ſibi præmixtam,
fuit Dei cognitio reſtricta ſtatim ac di-

viſerunt ſe decem tribus à Roboam filio Salomonis. Nam Jeroboam tea duos vitulos aureos propoſuit adorandos in Dan & in Bethel) *In Iſrael magnum nomen ejus.* (itaque magnum illud nomen valdè arctabatur, in tam anguſta terra: præſertim cum Iſraël propriè dictus, id eſt decem tribus, idola coluerint) *Et factum eſt in pace* (Hebr. בשלם *be Salem*, hoc eſt in Salem, ut vertit Hieron. Felix, Pagn. id eſt in Jeruſalem, ubi David extruxit tabernaculum Arcæ, & Salomon templum) *locus ejus, & habitatio ejus* (S. Hieron. habitaculum) *in Sion*, id eſt in monte Sion, cujus pars erat mons Moria, ubi templum eſt extructum.

Nunc verò de Jeſu dicitur Pſal. 112. 3. *A Solis ortu uſque ad occaſum* (quod ſpatium magis habitatur quam à meridie ad ſeptentrionem ob zonas frigidas propè polos: ideò ſynecdochicè pro tota terra ſumitur, *laudabile* (Hebr. מהלל *mehulla*, id eſt laudatum) *nomen Domini. Excelſus ſuper omnes gentes Dominus.* Sinarum Rex *Dominum univerſitatis* ſe nuncupat. Ante ſex annos, priuſquam Luſitani regem ſibi proprium crearent prædicabant Hiſpani orbem integrum decurrere ſe poſſe

61. *Principes qui latè diffuſum habuere imperium.* nullos alienæ ditionis portus ſubeundo. Nam Olyſippone in Luſitania ſolventes pergebant ad Fortunatas inſulas & Africæ varios portus, flexu deinde ad Spei promontorium admirabili Mozambicum tenebant, inde Goam & Malacam: tum per Philippinas Mollucaſque inſulas ad mare pacificum pergentes intrare poterant fretum Magellanicum, ac poſtea devictam totam penè Americæ oram radendo, Olyſipponem unde ſolverant redire. Pompeius de Aſia, Africa & Europa, tribus orbis partibus, triumphavit, Romani in Aſia poſſidebant Aſiam minorem, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Lyciam, Ciliciam, Pamphyliam, Syriam, Arabiam, Meſopotamiam, Judæam, &c. In Africa Ægyptum, Cyrenem, Carthaginem, Barbariæ univerſum tractum. In Europa Italiam, Hiſpanias, Galliam, Angliam, Hyberniam, Scotiam, Germaniæ partem, Pannonias, Thraciam, Macedoniam, Græciam, Ephirum, Illyrium, & inſulas Ægei ac Mediterranei maris. Sed hæc ſi cum Jeſu imperio conferantur, nihil ſunt. Nam 1. Pompejus de paucis populis, & quidem paucis diebus tres triumphos egit. 2. Hiſpani paucas arces in littoribus vel inſulis habebant in Africa, Aſia, & America, in ipſa continente ad mediterranea non penetrant, vel in paucis regionibus. 3. Romani Americam ne noverant quidem, & maximam Aſiæ & Africæ partem non luſtraverant, nedum domuerant. At verò Jeſu nomen longè lateque per omnes orbis univerſi nationes ſeſe effudit, ubique regnat & dominatur Jeſus, Iſaiæ 24. 15. *In doctrinis* Hebr. באורים *beurim*, id eſt in luminibus, ſeu in ignibus: ſcilicet in luce Evangelii & doctrina per orbem deportanda, *glorificate Dominum in inſulis maris* (Hebræi inſulas vocant omnia regna, ad quæ debent navigio pergere, v. g. Græciam, Italiam, Hiſpaniam &c.) *nomen Domini Dei Iſrael* (nomen Jeſu) *A finibus terræ* (ab extremis Indis, Sinis, Japonibus, Braſilis, Peruania) *Laudes* (Sept. miracula) *audivimus gloriam juſti.* Chriſtus eſt ſol juſtitiæ, Malach. 4. 2. qui illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, Joan. 1. 8. apud eum non eſt Judæus, neque Græcus (id eſt Gentilis; quia poſt Alexandrum Græci latè in Aſia & Ægypto dominati ſunt, atque in ipſa Judæa, & erant idololatræ) *Omnes vos unum eſtis* (unitate fidei & charitatis, ait S. Anſelmus) *in Chriſto Jeſu.* Gal. 3. 28. Non eſt qui ſe abſcondat à calore (id eſt charitate) ejus, Pſal. 18. 7. Hoc calore excitatæ & luce illuſtratæ nationes omnes ad Eccleſiam Chriſti venient, ſub nomine Jeſu militaturæ, aut potius in pace quieturæ, Jerem. 3. 17. *In tempore illo vocabunt Jeruſalem* (ſpiritualem ſcilicet: id eſt Eccleſiam) *Solium Domini: & congregabuntur ad eum omnes Gentes in nomine Domini in Jeruſalem, & non ambulabunt poſt pravitatem cordis ſui peſſimi.*

Moſes à Deo in Ægyptum deſtinatus, & nomen *Jehova* edoctus audit illum eſſe Deum trium virorum, Exod. 3. 15. *Dixit Deus ad Moyſen: Hæc dices filiis Iſraël, Dominus* (Hebr. eſt Jehova) *Deus patrum veſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob)* quorum alius doctrina, alius natura, alius meditatione quæſitæ virtutis eſt regula. (*miſit me ad vos. Hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum*, id eſt, quo mei recordabuntur, & me laudabunt atque invocabunt) *in generationem & generationem.* Hebr. in ſeculum ſeculi, id eſt per omnia ſecula ſingulis ſeculis. Cum verò Angelus revelat Deiparæ nomen Jeſu, declarat eum fore Deum & Dominum totius orbis, Luc. 1. 31. *Ecce concipies in utero* (itaque fuit Mater Dei, quod negabat Neſtorius: nec attulit carnem phantaſticam, ut aſſerebat Manes) *& paries filium, vocabis nomen ejus Jeſum. Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus.* (erat è tribu Juda, & de familia regis Davidis) *& regnabit in domo Jacob* (id eſt, in Eccleſia ut ait Beda & Titus) *in æternum, & regni ejus non erit finis.* Sedes ſeu thronus Davidis, ſicut & domus Jacob ſpiritualiter ibi accipitur: nempe Eccleſia, per Davidis regnum figurabatur, & eſt thronus Chriſti: ibi enim regnat atque dominatur. Iſaiæ 9. 7. *Multiplicabitur ejus imperium* (Hebr. לםרבה *lemarbe*, id eſt ad multiplicandum, ut Pagn. vertit.) Ubi nota, *marbe*, præter morem ſcribi per *mem* quadratum: primò, ut denotetur virginitas Deiparæ, clauſo enim utero Chriſtus exiit. Secundò, ut per quatuor orbis partes Chriſti imperium dilatandum denotetur. Tertiò, ut imperii illius ſtabilitas pateat: cubus enim ſemper eadem ſoliditate & conſtantia manet, *& pacis* (ſpiritualis in mentibus juſtorum, ut S. Cyrill. Alex. & S. Baſil. explicant) *non erit finis: ſuper ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit:* (id eſt, ſemper in hoc regno rex permanebit, ut ait S. Chryſoſt.) *ut confirmet illud, & corroboret in juſtitia* (id eſt, juſto judicio, eſt enim Hendiadis) *amodo & in ſempiternum.*

Admirabile itaque eſt nomen JEſu, & ipſe JEſus in terra. Primò, amplitudine imperii, *in univerſa terra.* Secundò, duratione, in ſempiternum, in æternum, ut Iſaias & Angelus dicunt. Tertiò, miraculorum multitudine, adeò ut etiam ſcelerati illo invocato mira operentur. Matth. 7. 22. dicent impii in die judicii: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus* (nunc ipſi ethnici in Martinica inſula JEſu nomine invocato dæmonem ſibi infeſtum fugant, ut docet noſter Jacobus Bouton in epiſtola anni 1640.) *& in nomine tuo virtutes* (miracula) *multas fecimus.* Quartò admirabile eſt nomen JEſu in univerſa terra, ob morborum curationem, Act. 3. verſ. 6. ait S. Petrus cuidam claudo ex utero matris ſuæ, quem ponebant quotidie ad portam templi Jeroſolymitani, quæ dicitur Speciosa ob pulchritudinem, & à Joſepho vocatur Corinthia quod ex ære Corinthiaco præſtantiſſimo & laudatiſſimo facta eſſet: eam in atrio Gentium collocat Adrichomius, & ait extimam fuiſſe, alii putant fuiſſe interiorem in atrio Judæorum mundorum. Quicquid ſit, ait mendicanti claudo Petrus: *Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo* (non per habitum quia nullus habitus eſt Phyſice productivus quorumlibet miraculorum: ſed inſtar habitus, quia aſſiſtentiam Dei habebat, ut quoties vellet miracula faceret) *hoc tibi do. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni* (id eſt floridi & floridos

62. *Deus Abraham, Iſaac & Jacob.*

63. 4. JEſu nomen admirabile. 1. ob amplit. imperii. 2. ob durationem æternam. 3 ob miraculorum multitudinem. 4 ob morborum curationem.

ridos efficientis) *ſurge & ambula* : ſtatim ſanctus, & in templum intravit exiliens, & eſt ad fidem converſus : omneſque repleti ſunt ſtupore & extaſi : Tigurina vertit, *admiratione* & ſtupore. Extaſis enim ibi ſignificat admirationem maximam, qua attoniti & perculſi, quaſi emotæ mentis extra ſe fiunt. Cum idem S. Petrus veniſſet Lyddam urbem inter Joppem & Jeruſalem ad mare ſitam, quæ erat una ex undecim Judææ toparchiis, invenit ibi hominem quendam, nomine Æneam (Syr. Aniam) ab annis octo jacentem in lecto, qui erat paralyticus, & ait illi : *Ænea, ſanat* (S. Greg. legit, ſanet) *te Dominus JEſus Chriſtus : ſurge, & ſterne tibi.* (id eſt ſtratum tuum collige & tolle, apta grabatum & complica ut illud hinc auferas) *& continuò ſurrexit* : Sunt, qui ἰησοῦν ab ἰάσασθαι id eſt, mederi, & ſanare deducant, Clemens Alex. lib. ſtromat ἰώμενος ἡμῶν, ait, καὶ σῶμα καὶ ψυχήν, τὸν ἴδιον ἄνθρωπον, ἰησοῦς. *Qui medetur & corpori & animæ noſtræ, proprio noſtro homini, JEſus* : alii à voce Syriaca אסא *aſa*, id eſt, ſanavit, derivant. Sed ab Hebr. ישע *jaſa*, id eſt ſalvavit, oritur, ut jam dixi.

64. *Nomen Jeſu ex opere operato agere putat Serarius.* Serarius noſter in Joſue eam vult eſſe vim nominis JEſu, ut vivifica illa nuncupatio morbos ex opere operato, ſicut loquuntur, expellat, quod ex eo infert, quia in ore etiam impiorum vim ſuam obtinet atque efficaciam, licet non tam infallibili pacto quam in ſacramentis. S. Aug. lib. 83. quæſt. 79. ait, nomen JEſu etiam ab infidelibus uſurpatum valuiſſe, propter honorem excellentiſſimi Imperatoris. Plin. lib. 28. cap. 2. quærit, utrum medendi vis aliqua ſubſit verbis quibuſdam, verèque ſubjicit, ſapientiſſimi cujuſque fidem id reſpuere, atque ad aniculas amandare : energiam verò illam omnem ab invocatione nominis, ut bonorum omnium originis, fluere. Multa deinde acervat, quæ ſine dubio acciderunt maleficio dæmonum : unum refero, Attalus affirmat, ſcorpione viſo ſi quis dicat *duo*, cohibere, nec vibrare ictus. Potuerit hoc dæmon, id verò non poſſit JEſus : Poterit verò : S. Chryſoſt. hom. 8. in cap. 4. ad Rom. Τοῦτο τὸ ὄνομα καὶ δαίμοσι φοβερὸν, καὶ πάθεσι, καὶ νοσήμασι. *Hoc nomen & dæmonibus terribile, & perturbationibus, & ægritudinibus.* Et de corpore apertius. ταῖς νόσοις ἐπιτασσόμενον φοβερὸν τὸ ὄνομα, *morbis imperat reverendum illud nomen.*

65. 5. Jeſu nomen eſt admirabile, ob curationem morborum mentis. Quintò, non morbos tantum corporis, ſed etiam morbos mentis ſanat hoc JEſu nomen, Cant. 1. 2. *Oleum effuſum* (Syr. unguentum myrrhæ. S. Ambr. in Pſal. 118. unguentum exinanitum) *nomen tuum.* Sic autem ait S. Ambr. ſerm. 1. in Pſal. 118. *Unguentum exinanitum nomen tuum : hoc eſt, totus immundus impuritatibus diverſorum facinorum fœtebat hic mundus, nunc ſpirat ubique ſuavitate pudicitiæ unguentum fides, flos integritatis.* Idem lib. de Iſaac & anima c. 3. *Aſpirat in verbo odor gratiæ & remiſſio peccatorum, quæ in totum diffuſa mundum, tanquam exinanitæ replevit unguento : quia per univerſos gravis vitiorum colluvies deterſa eſt.* Et S. Bern. ſerm. 15. in Cantica : *Nomen JEſu, ait, eſt & medicina. Triſtatur aliquis veſtrum? Veniat in cor JEſus, & inde ſaliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen, currit inſuper ad laqueum mortis deſperando? Nonne ſi invocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam?* Et infra addit. *Nihil ita iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat livoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem.* Imitare itaque Davidem ſpiritu Propheticovim illius nominis cognoſcentem, Pſ. 62. 5. *Benedicam te in vita mea, & in nomine tuo levabo manus meas.* Tam dextram, quam ſiniſtram, ut nihil vel in proſperis vel in adverſis fiat, niſi invocato JEſu nomine, Pſ. 32. 21. *In eo lætabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto ejus* (in nomine JEſu) *ſperavimus.* Bibliothecam multis inſtructam libris vocat Diodorus Siculus lib. 1. ψυχῆς ἰατρεῖον, id eſt, *medicamentorum animæ officinam.* In uno JEſu nomine tibi bibliothecam repræſento, in qua & de Dei trini & unius natura atque perfectionibus, & de omnibus fidei myſteriis, infinita & admirabilia reperire poſſis.

Sextò, Admirabile eſt JEſu nomen in terra, quia dat virtutes, & ad eas conſervandas & augendas gratiam infundit, 1 Cor. 1. 2. *Sanctificatis in Chriſto JEſu* (per JEſu, id eſt Salvatoris, merita) *vocatis ſanctis* (qui vocatione ſunt ſancti) *cum omnibus qui invocant nomen Domini noſtri JEſu Chriſti.* Et deinceps vidius verſ. 4. & 5. *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei* ἐπὶ τῇ χάριτι, id eſt, propter gratiam) *quæ data eſt vobis in Chriſto JEſu* (per JEſum.) *quod in omnibus divites* (in donis ſpiritualibus) *facti eſtis in illo* (per illum) *in omni verbo* (prædicationis Evangelii) *& ſcientia*, & ſpiritali ejus intelligentia. Ipſum JEſu nomen ſæpè pronunciatum ad virtutum acquiſitionem multum juvat. Origines lib. 1. contra Celſum : *Nomen JEſu miram quandam manſuetudinem, morumque honeſtatem, humanitatem, benitatem, placiditatem dat omnibus, qui non propter vitæ curas, humanaſve alias neceſſitates fucatè, ſed ex animo ampleǂuntur prædicationem Dei Chriſtique, atque futuri judicii.* 66. 6 Eſt admirabile, quia dat virtutes.

Non in terra tantum, ſed etiam in cœlo, eſt admirabile nomen JEſu : *Quoniam elevata eſt magnificentia tua* (id eſt nomen JEſu, ad quod acquirendum, Sanguinem fudit in Circumciſione, & in cruce. Sine Sanguine enim non fit remiſſio, neque nullus eſt Salvator) *ſuper cœlos.* Huic enim nomini divino ſeſe inclinant cœli, id eſt cœleſtes ſpiritus, Philip. 2. 9. *Ut in nomine JEſu omne genu flectatur* (ut omnes JEſu nomen, hoc eſt JEſum, cum ſumma humilitate adorent. Eſt catachreſis, nam Angeli & dæmones non habent genua) *cœleſtium terreſtrium* (ἐπιγείων, id eſt, hominum in terra viventium) *& infernorum*, καταχθονίων, id eſt degentium ſub terra, ſive, ut ait S. Anſelmus, ſint homines, ſive dæmones. *Et omnis lingua* (in cœlo, terra & inferis) *confiteatur ; quia* (quod) *Dominus JEſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris* : æquali, ut Deus eſt : maxime, ut homo eſt : ſedet enim ad dexteram Patris, id eſt præcipuis donis cumulatus. Exultabundus Propheta noſter invitat cœli principes, ut regem ſuum ac Dominum JEſum adorent, Pſal. 96. 7. *Adorate eum omnes Angeli ejus.* Sic melius vertes, quam cum S. Hieron. omnes dii. Nam Elohim non tantum deos aut Deum, ſed etiam Angelos ſignificat. De JEſu hunc locum explicat S. Paulus Hebr. 1. 6. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Primum, in Incarnatione & Nativitate introductus eſt in mundum JEſus : iterum introductus eſt in Reſurrectione, atque introducetur in die judicii. Verbum æternum ſemper quidem adoraverunt Angeli, ſed nunc incarnatum ſub JEſu nomine adorant, ut docet S. Athanaſ. orat. 2. in Arianos *Gloria noſtra eſt, noſtraque ſublimatio, quod cum Poteſtates, Angeli, Archangeli eum ſemper adoraverint, nunc adorent ſub nomine JEſu Chriſti, eo quod Filius Dei homo ſit factus.* 67. 7. In cœlo ipſo eſt admirabile nomen Jeſu.

Choros duos efficiunt Angeli & homines JEſum laudantes & ſibi reſpondentes. Pſ. 150. 5. *Laudate Dominum in cymbalis beneſonantibus* (Hebr. שמע *ſema*, id eſt auditus, ut Arias vertit : ſonoris, ut Pagn. *tantummodò ipſum reſonantibus*, ut Chald. apud Nebienſem. Tunc benè ſonabis, cum JEſum ſonabis) *Laudate eum in cymbalis jubilationis.* Hebr. הרועה

נערות *terva*, id eſt orationis, ut habet Arias: altè ſonantibus, ut Pagninus. Angeli jam triumphant & altè ſonant in cœlo, hic etiam nos illis jungamus, ſi non altè, ſaltem benè reſonantes: in cœlo hæc duo cymbala ad Jeſu honorem gratiſſimam efficient melodiam. S.Greg. Nyſſ. tract. 2. in Pſalmos. *Cymbalum unum, ait, eſt cœleſtis illa Angelorum natura: alterum cymbalum, eſt rationalis humana creatura. Cantabunt hæc cymbala, ἐπινίκιον, carmen victoriale, tanquam partis victoriis, ob communem jam concordiam, abolito, & profligato omni bello.*

68\. *1. Jeſu nomen eſt inferis terribile.* Inferos & dæmones nomen Jeſu exterret, ac vincit, verſ. 3. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, ut deſtruas inimicum & ultorem*, id eſt dæmonem, ut dixi articulo primo. Nomen Jeſu ſuperat dæmones, Primò, ne impetendo nos ſuperent. Secundò, ut à nobis impetiti proſternantur & fugiant.

2. Eſt clypeus in dæmones. Primò itaque, nomen Jeſu eſt Clypeus, qui hoſtilia tela frangat, & ſervum Chriſti à vulneribus liberet, Pſal. 19. 2. de rege, id eſt affectiones ſuas regente, dicitur: *Exaudiat te* (clamantem ſcilicet atque orantem) *Dominus in die tribulationis* (Tertull. 5. contra Marcion. cap. 14. in die preſſuræ. Cum ſcilicet maximè premit tentatio, & ſuccum exprimit ut in torculari, & tribulat ut triticum ferreo carpento aut boum pedibus) *protegat te nomen Dei Jacob*, id eſt, ſola invocatio nominis Dei Jacob, ut ait Euſebius. Deus Jacobi dicitur, id eſt, quem coluit & adoravit Jacob, hoc eſt ſupplantator vitiorum. Succumbere non poteſt tentationi, qui hunc clypeum obtendit hoſti, Pſal. 39. 5. *Beatus vir, cujus eſt Nomen Domini* (nomen Jeſu) *ſpes ejus: &* (ideò) *non reſpexit in vanitates* (cum habeat veritatem: S Hieron. ad ſuperbias) *& inſanias falſas*. S. Auguſt. legit, mendaces. S.Hier. vertit, pompas mendacii. Non reſpicit vana, qui in luce eſt veritatis & radiis ejus ut clypeo cingitur, & tenebriones ſtygios fugat. Eſt in fabulis principem quendam virum extitiſſe, qui ſecum ſingulari certamine pugnare cupientes miro artificio ſuperabat. Scutum enim cryſtallinum geſtabat, ſed ſemper obtectum, donec in arenam deſcenderet: tum verò tegmen auferebat, & inopinato lumine ita cæcatum hoſtem aut jugulabat, aut ſibi ſupplicem ad genua accidere cogebat. Chriſtus eſt lux vera. Joan. 1. hac te arma, & ſine difficultate dæmonem deteges & vinces.

69\. *3. Eſt lorica.* Secundò, Nomen Jeſu eſt lorica, qua munitus Chriſti athleta eſt impenetrabilis hoſtium globis igneis, Mich. 6. 9. *Vox Domini ad civitatem* (ad Samariam, ut ait Remig. vel potius ad Jeruſalem, ut S. Hieron. & Rupertus) *clamat, & ſalus erit timentibus nomen tuum.* Sept. vertunt nomen ejus, nempe Dei. Senſus eſt idem: nam poteſt ibi Propheta loqui Deo, q. d. Vox domini, id eſt, vox tua, ô Domine! clamat, & ſalus erit timenti, id eſt reverenti & colenti, nomen tuum: vel poteſt Propheta loqui populo Iſraël, & tunc clarius erit, ſi ponatur, *nomen ejus*. David de Iſraelitis Pharaonem perſequentem fugientibus ait Pſal. 105. 8. *Et ſalvavit eos propter nomen ſuum, ut notam faceret potentiam* (S.Hieron. fortitudinem) *ſuam*, ne exercitus quidem integer dæmonum ei nocebit, qui nomine Jeſu armabitur, ut ſæpè patuit in S.Antonio, S. Hilarione, & aliis. Cæſarius lib. 12. cap. 38. refert, eos qui terrificam illam Hiberniæ ſpecum, quæ

S. Patricii purgatorium intrantes, Jeſu nomine ſervantur, vulgò purgatorium S. Patricii dicitur, ingredi vellent, præmoneri ſolitos eſſe ab antiſtitibus loci illius, fore ut intendentibus ſe noctis tenebris, graves hoſtis tartarei inſultus ſentirent, cruciatuſque viderent horrificos: nihil eſſe tamen cur timerent, modò ab ore & corde nomen Jeſu non diſcederet, ſed ſemper in eo hæreret. *Non poterunt*, inquiebant, *te lædere dæmones, ſi nomen Jeſu ſemper habueris in ore. Quod ſi dæmonibus blandientibus ſive terrentibus conſenſeris, & Jeſum invocare neglexeris, peribis.*

Tertiò, Nomen Jeſu eſt murus & turris, ubi ſecurè non tantum lateas; ſed etiam hoſtem deſpicias & rideas. Prov. 18. 10. *Turris fortiſſima* (Hebr. turris fortitudinis. Aquila potentiæ) *nomen Domini*, (Hebr. nomen Jehova) *ad ipſum* (Dominum ſcilicet. Chald. & aliqui alii. *ad ipſam*, ſupple turrim) *curret juſtus, & exaltatur*. Syr. & fortis erit. Tigurina, extra telorum jactum eſt. Nomen Domini eſt primò, ipſe Dominus: ſic dicitur, *ſanctificetur nomen tuum*, id eſt, tu, q. d. fac ut ſanctus eſſe cognoſcaris, atque ut talis adoreris. S.Aug. in illud Pſal. 60. 4. Turris fortitudinis à facie inimici, ſic ait: Chriſtus nobis factus eſt turris à facie inimici, cave ne feriaris à diabolo, fuge ad turrim. Secundò nomen Domini, id eſt robur & omnipotentia Dei: ſic dicimus: *In nomine* (id eſt in virtute & potentia) *Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Tertiò, nomen Domini eſt nomen Jehova, quod exprimitur in Hebr. Quartò, & præcipuè, eſt non Jeſus, quod eſt nomen proprium Verbi incarnati, ut dixi ſuprà, & ſignificat Salvatorem. S. Abramius à dæmone agitatus dicebat, ut ait S. Ephrem, *pro muro munitiſſimo atque tutiſſimo eſt mihi Nomen Domini mei & Salvatoris Jeſu Chriſti, quem dilexi ac diligo: in quo te nomine increpo immundiſſime carnis ac miſerabiliſſime.* Tunc fumi inſtar omnis nequiſſimi hoſtis machinatio evaneſcebat. 70. *3. Eſt murus & turris.* *S. Abramius Jeſu nomine ſe tuebatur.*

Quartò, Nomen Jeſu eſt ſacrum carmen quo viperas, ſcorpiones, & baſiliſcos tartareos ſepimus, ne mordeant, aut venenum aſpirent. Rom. 10. 13. *Qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Pſal. 123. 8. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* Pſal. 118. ℣. *memor fui nocte* (in rebus adverſis, & tentationibus nocturnis, ut ait Dydimus. 2. nocte, id eſt, in canticis nocturnis, ut S.Chryſoſt.) *nominis tui Domine, & cuſtodivi legem tuam*, nemo eam mihi eripere potuit de corde, id eſt affectu: & de manibus, id eſt operibus. S. Chryſoſt. hom. 8 in cap. 4. epiſt. ad Rom. *Sunt nobis*, ait, ἐπῳδαὶ πνευματικαὶ, *incantationes ſpirituales ipſum nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ipſius Crucis potentia.* 71. *4. Eſt carmen ſacrum.*

Quintò, Nomen Jeſu non tantum à muris animæ noſtræ arcet hoſtem, ſed etiam caſtra ejus invadit, eum fugat & jugulat. Matth. 7. 22. etiam impii in die judicii dicent: *In nomine tuo dæmonia ejecimus*, Malach. 1. 14. *Nomen meum horribile.* (Hebr. נורא *nora*, terribile, ut vertit Pagninus. Sept. ἐπιφανὲς, id eſt, illuſtre) *in Gentibus*, quæ vident quanto terrori ſit dæmonibus, ideóque illud cum tremore reverentur. Pſal. 110. 9. clarè. *Redemptionem* (Jeſum, qui, ut ait Paulus 1 Cor. 1. 30. factus eſt redemptio noſtra) *miſit Dominus populo ſuo, mandavit in æternum teſtamentum ſuum* (legem novi teſtamenti, id eſt, fœderis & pacti ſanxivit, & durare ſemper faciet, ei enim alia non ſuccedet. S.Hieron. & Pagn. vertit, pactum) *ſanctum & terribile nomen ejus*. Sanctum eſt Chriſti nomen, ait Euthymius, quia per illud innumera effecta ſunt miracula: terribile verò ac timendum, quia dæmones expellit & ægritudines. Figuratum eſt hoc in Davide Goliathum dejiciente atque jugulante. Armatus gigas ille procedebat, omnibus ſtupendus: erat enim altitudinis ſex cubitorum & palmi, & caſſis ærea ſuper caput ejus, & lorica ſquamata, id eſt ſquamis æreis contexta & munita induebatur, ocreas habebat in cruribus, & clypeus æreus tegebat humeros ejus, haſtile autem haſtæ ejus erat, quaſi liciatorium texentium, id eſt ſicut lignum craſſum, cui textores telam jungunt, unde jugum vocatur, & 72. *5. Caſtra hoſtium invadit.*

circa

circa quod telam convolvunt. Ipſum ferrum haſtæ ejus, ſexcentos ſiclos habebat ferri, id eſt 25. libras; nam ſiclus eſt ſemuncia, id eſt dimidia uncia, libra autem continet uncias duodecim. David verò adoleſcens annorum viginti duorum, in hanc turrim carneam, aut ferream potius, inermis prodibat, manu paſtoritiam fundam ferens. Quis non judicet cum Goliatho, Davidem abjiciendum volatilibus cœli & beſtiis terræ? Sed ipſe ait 1 Reg. 17. 45. *Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſraël, quibus exprobrâſti.* Lapides deinde quinque accepit de torrente, & primo jactu dejecit gigantem; lapis enim infixus eſt in fronte ejus. Philo ait primum eorum lapidum fuiſſe inſcriptum nomine Abrahami: ſecundum, nomine Iſaaci: tertium, nomine Jacobi: quartum, Moyſis: quintum denique, quo uſus eſt, habuiſſe nomen Joſuæ: id eſt, JEſu. Nam, ut dixi, Joſue & JEſus idem ſunt. Salvatoris eſt dæmonem ſuperare. S. Auguſtinus ſerm. 197. *David,* inquit, *geſſit typum Chriſti. Quis enim contra Goliath, id eſt diabolum, pugnare poterat, antequam Chriſtus Dominus genus humanum de poteſtate diaboli liberaret? David enim interpretatur manu fortis. Quid eo fortius, fratres, qui univerſum mundum vicit armatus non ferro, ſed ligno? Stabant ergo filii Iſraël contra adverſarios quadraginta diebus. Quadraginta dies propter quatuor tempora & quatuor partes Orbis terræ, vitam præſentem ſignificant, in qua contra Goliath & exercitum ejus: id eſt, contra diabolum & angelos ejus, Chriſtianorum populus pugnare non deſinit.* Hæc Auguſtinus.

73. 6. Proſternit hoſtes. Sextò denique, Nomen JEſu proſternit ejus inimicos, nempe idololatras & hæreticos, aliosque Eccleſiæ hoſtes. Memini me alias retuliſſe exempla de hæreticis, qui obmutuerint nomine JEſu adjurati à ludioribus, ut verum ſit Pſalmi noſtri dictum: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum & ultorem,* id eſt dæmonem eorum ducem & inſtigatorem: Nunc de Paganis agamus. Nicephor. lib. 8. cap. 15. Alexander Patriarcha Conſtantin. ait, argutum philoſophum ethnicum uno verbo perculit, garrienti enim dixit: Ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ χριστοῦ ἐπιτάττω σοι μὴ λαλεῖν, id eſt, *In nomine JEſu Chriſti præcipio tibi ne loquaris.* Tum miſer ille ſtatim conticuit, nec prius linguæ uſum recepit, quàm veræ fidei aggregaretur. Idem feciſſe S. Spiridonem Epiſcopum celeberrimo in Niceno Concilio, refert. Cùm enim Sophiſta quidam acri ingenio ac vivido, logicæ fallaciis omnia argumenta eruditorum diſſolveret aut implicaret, Spiridon licet omnis doctrinæ expers imperitus ob ætatem & ſanctimoniam loquendi facultate, ait: Ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ χριστοῦ φιλόσοφε ἄκουσον. id eſt, *In nomine JEſu Chriſti, philoſophe, audi. Unus eſt Deus cœli & terræ, viſibiliumque & inviſibilium omnium conditor, qui univerſa hæc virtute Verbi produxit, & ſuſtinet, & ſanctitate Spiritus ejus ſtabilit & confirmat. Id Verbum quod à nobis Filius Dei nominatur, errorem & ſeductionem generis humani miſeratum, natum eſt ex muliere, & humanum ſubſtantialiter recepit corpus: mortuum etiam eſt pro nobis, & reſurrexit: & veniet primo quoque tempore, factorum cujuſque quæſitor & judex. Hæc ſic ſe habere citra curioſam inquiſitionem dignoſces: ita credimus. Nec tu quomodo hæc ſint quære: neque rationem eorum urgere aut explorare aude. Superant enim hæc rationem & cognitionem omnem longè antecedunt. Et paulatim conticeſcens, dixit: Credis hæc? reſponde.* Ad hæc primum ille hianti ore conſternatus ne verbum quidem reddebat: deinde credere ſe, victumque eſſe ſtatim profeſſus eſt, & omnia quæ divinus ille ſenex ſentire ſe quoque aſſeruit: atque ut alii eundem reciperent animum, operam dedit, jurejurando confirmans omnibus, religionem Chriſtianam non ſine divino nomine ſe eſſe complexum, ſed, ἀῤῥήτῳ θείᾳ τινὶ τὰ χριστιανῶν μετα. θεωθῆναι, *arcanâ quâdam vi ad ſacra Chriſtianorum eſſe traductum.*

74. JEſu nomen adorant infantes, id eſt, Primò, pueri, qui fari non poſſunt. Locis expoſitis, in quibus nomen JEſu adoratur, & poteſtate ipſius explicatâ, reſtat ut de perſonis, à quibus honorandum eſt cum Davide, agamus. Ac primò, ait verſ. 3. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.* Infantes & lactentes intellige primò eos, qui prorſus fari non poſſunt, & eos, qui lac matrum adhuc ſugunt, illi venienti Chriſto Jeroſolymam diebus ſex ante Paſſionem dixerunt, Matth. 21. 9. *Hoſanna filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini; hoſanna in altiſſimis.* Hoſanna interjectionem gaudentis & obſecrantis, qualia eſt euge, eja, S. Aug. ait tract. 51. in Joannem. Significare laudem putat Euthymius: ita ut derivetur ab עז, *oz*, id eſt, fortitudo, laus ob fortitudinem: & חנה, *anna*, id eſt, gratia. Græci efferunt Hoſanna per duas dictiones. 3. & melius, Hoſanna, ut docet S. Hieron. Franciſcus Lucas, & Caninius, ſignificat, *ſalva quæſo*: vel, *ſalva nunc*, ab הושע *hoſu*, id eſt, *ſalva*, ſalutem da: eſt enim Imperativus in conjugatione Hiphil, à radice *jaſa*, ſalvavit, à qua *Jeſus deducitur*: & נא, *na*, id eſt, nunc: vel, quæſo. Senſus autem eſt, q. d. Hoſanna filio David, id eſt, ſit ſalus & proſperitas Meſſiæ noſtro, qui deinde eam in nos refundat, & ſit Salvator noſter. Sic Regi urbem intranti acclamarunt: *Vivat Rex!* Videant parentes, ut ab ipſo lacte nomen JEſu pueri pronunciare diſcant, ut fecerunt parentes B. Franciſci Borgiæ: unde notatum eſt prima hæc verba ore formâſſe, *JEſus Maria*, S. Auguſt. lib. 3. Confeſſ. cap. 4. de ſe ait: *Hoc nomen Salvatoris mei, filii tui, in ipſo adhuc lacte matris tenerum cor meum præbiberat, & altè retinebat, & quidquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamvis literatum, & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.* S. Auguſtinus amat nomen Jeſu. Aruit poſteà in eo hic ſuccus pietatis, ſed ab ea radice novi ſubinde ſurculi, Eccleſiæ feliciſſimam & fœcundiſſimam arborem progerminârunt. Dic itaque omnibus ex Pſ. 134. 1. *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.* Vide ibi fusè dicta.

75. Secundò, in fide ſimplices. Secundò, per infantes & lactentes intelligi poſſunt in fide ſimplices, non eruditi, non ita pridem converſi, plebeii, & in Scripturæ, & Sacramentorum, aliorumque myſteriis non verſati, neque de iis loqui & diſſerere valentes. Franciſcus Solier lib. 10. hiſtoriæ Eccl. Japon. cap. 29. ait: tantum eſſe in Japonia nominis JEſu cultum, ut quidam illud nunquam pronunciaret, quin ſeſe profundè in terram inclinaret. Illuſtre eſt quod Poiræus refert in libro de triplici corona Deiparæ, tract. 4. cap. 8. Annales noſtri, ait, teſtantur anno 1621. aquis ſalutaribus baptiſmi tinctam fœminam Japonem, quæ ita cultui Amidæ Japoniorum Dei addicta fuerat, ut in ejus honorem, quod propè incredibile videtur, nomen ipſius centies & quadragies millies ſingulis diebus proferret, ſummo manè lecto ſe proripiens: quod ut commodè poſſet exequi, à dæmone ut plurimùm excitabatur. Japonica fœmina mira pietas. Cùm ſacris fidei noſtræ myſteriis eſt imbuta, ſuperſtitionem devotione commutavit: ſeque ex piis in Deum affectu, acceptique beneficii notitia, aſtrinxit, toties quotidiè ſacra JEſu & Mariæ nomina iterare, quoties priùs Amidæ nomen efferebat: quæ pietas ita placuit Angelo ejus cuſtodi, ut dum vixit, eam quotidie excitaverit ſummo manè, ut penſo perſolvendo ſatis eſſet temporis. Ubi adverte, quod ait Salomon Prov. 3. 32. *Et cum ſimplicibus* (Syr. cum juſtis, Chald. cum rectis) *ſermocinatio ejus.* Hebr. ואת

inde,

todo, id eſt, ſecretum ejus. David Pſ.70. 15. ait: *Os meum annuntiabit* (S.Auguſt. legit, pronuntiabit, S.Hieron. vertit, narrabit) *juſtitiam tuam: tota die ſalutare tuum*, id eſt, ſalutem à te datam: quòd tu ſis Jeſus, id eſt, Salvator noſter. *Quoniam non cognovi literaturam.* Sep. literaturas. Sept. γραμματείας; id eſt, ſcientias ſeculares, ait Bruno. Vide ibi dicta. Hæc etiam, & fortaſſe melius, poſſunt jungi ſequentibus, q. d. Quoniam non cognovi literaturam, *introibo in potentias.* (S. Hieron. in cap. 2. ad Galat. vertit, in fortitudinem) *Domini*, id eſt, adhærebo penitus omnipotentiæ Dei, in illa confidam, in illa quaſi in arce munitiſſima abſcondar, ut explicat Bellarminus, qui optimè cenſet literaturam poni pro humana ſapientia & aſtutia, quali abundabat Achitophel.

76. Eccleſia jubet nomen Jeſu honorari præ cæteris nominibus.

Eccleſia univerſalis nomen Jeſu præ cæteris Dei nominibus honorari vult. *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum: lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.* S. Auguſt. hîc intelligit per lunam Eccleſiam univerſalem: per ſtellas, Eccleſias particulares. Quòd Eccleſia nomen Jeſu coli velit, habes in Concilio Lugdunenſi, ut refertur cap. Decet, de immunitate Eccleſiarum, lib. 6. ubi præcipitur, ut, cùm ſublime illud nomen Jeſus pronunciatur, omnes illud veneremur, ſaltem capita inclinando. Toſtatus in cap. 20. Exodi cap. 6. ait: Non debet nomen Salvatoris noſtri accipere ſine reverentia: ſive in vanum, quia valdè magnum peccatum eſt: imò majus peccatum eſt accipere iſtud nomen Jeſus in vanum, quàm nomen iſtud Deus. Et ratio eſt, inquit, quia *Eccleſia communis & laudabilis conſuetudo magis honorat iſtud nomen Jeſus, quàm iſtud nomen Deus*: unde audito iſto nomine Jeſu devoti fideles aut caput inclinant, aut genua flectunt: ſed audito iſto nomine Deus non flectimus genua, nec capita inclinamus: qui ergo contra hoc offendit dehonorando, magis peccat, quàm ſi dehonoret illud nomen Deus. Ita ipſe: qui cap. 7. cauſas majoris honoris in hoc nomine Jeſus, quàm in hoc nomine Deus, affert. Primò, quia hoc in privilegium donatum eſt à tota Trinitate, propter duram obedientiam, quam complevit, Philip. 2. 8. & ſeq. *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Ut in nomine Jeſu flectatur omne genu cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*, &c. Secundò, quia iſtud nomen Jeſus eſt ſolum nomen, in quo ſalvamur, Act. 4. 12. ait S. Petrus principibus ſacerdotum, & ſenioribus Scribis congregatis Jeroſolymæ contra Apoſtolos captos, atque in carcerem dejectos: *Non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Tertiò, quia iſtud nomen Deus importat nobis Deum per modum creatoris, iſtud nomen Jeſus importat nobis Deum, cùm ſit nomen ſuppoſiti divini, & hoc quantum ad opus redemptionis, de quo ait S. Greg. in Paſt. & recitatur in benedictione cerei Paſchalis: *Nihil naſci profuit, niſi redimi profuiſſet.* Quartò, nomen Jeſus ſignificat Deum ſub pluribus perfectionibus, quàm iſtud nomen Deus.

77. Nomen Jeſu venerati ſunt, 1. In veteri teſtamento Proph.

Sancti quoque ſummam venerationem exhibuerunt nomini Jeſu. Primò, Sancti veteris teſtamenti, qui ejus excellentiam prævidebant. Abacuc 3. 18. *Ego autem in Domino gaudebo*, אעלוזה, *eeloſa*, unde deducitur Græcum ἀλαλάζω, q. d. clamabo alala, quod fit in victoria, & magna exultatione: hîc Pag. vertit, *exultabo*. & Sept. ἀγαλλιάσομαι, id eſt, exultabo, cum gaudio jubilabo, & *exultabo*. (Hebr. אגילה, *agila*, id eſt, agiliter ſubſiliam, exiliam, exultabo. Pagn. vertit, lætabor: ſed *agila* eſt lætari cum inſolita & magna alacritate, ita ut excitatis & calefactis ſpiritibus vitalibus & animalibus corpus ipſum ſubſultet, ac veluti tripudiet, *in Deo Jeſu meo*: qui ſe meum fecit, 1. ad me veniens per incarnationem. 2. ſe mihi oſtendens per nativitatem. 3. me docens per vitæ exempla & prædicationem. 4. ſe in meos uſus totum expendens in cruce. 5. ſe mihi donans in ſacramento Euchariſtiæ. 6. me quærens perditum, & ad caulas reducens per pœnitentiam. 7. ſe mihi omnia per gloriam, ubi erit ſalus conſummata. Arab. Alca. vertit, *Exultabo in Deo ſalutis meæ.* Syr. *Exultabo in Deo ſalvatore meo.*

Ab eo Salvatore opem expectans dicebat David Pſ. 37. 23. *Intende* (Hebr. חושה *hus*, id eſt, feſtina, ut vertit S.Hieron. & Pagninus. Chaldæus reddit זריז *zeriz*, id eſt, accingere, velut ad bellum ſcilicet) *in adjutorium meum, Domine Deus ſalutis meæ*, hoc eſt, Deus ſalvator meus. Arias vertit, ſalus mea. Quàm efficax ſit in hoc ſpirituali bello Jeſus, aperit idem Propheta Pſal. 139. 8. *Domine, Domine* (id eſt, maximè, optime, veriſſime Domine. Hebræi enim ſuperlativum aliquando per geminationem ejuſdem vocis exprimunt. S.Auguſt. ait denotari, quòd ſit veriſſimus, non quales Domini qui emunt ſacello, ſed qualis Dominus, qui emit ſanguine) *virtus* (Hebr. עוז, fortitudo, ut vertit S.Hieron.) *ſalutis meæ. Obumbráſti* (velut galea aut clypeus, aut hyperaſpiſtes toto corpore. S.Hieron. reddit, protexiſti) *ſuper caput meum in die belli*, id eſt, in tota hac vita, quæ eſt tantum velut unus dies, & dies belli continui. Militia enim eſt vita hominis ſuper terram.

Secundò, in cæca nocte Gentilitatis fuerunt Sibillæ inſtar ſtellarum, ſed ſublunarium & erraticarum. Hæ tamen oſtenderunt Jeſum. Erythræa quidem Sibilla de fine mundi quædam carmina conſcripſit, ex quorum primis literis hujuſmodi verba eruuntur: Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς, σωτὴρ, σταυρὸς, *Jeſus Chriſtus, Dei Filius, Salvator, Crux.* Extant hæc carmina libro 8. oracul. Sybill. quæ ſic incipiunt: 78. 2. Ipſæ Sybillæ inter paganos.

> Ἰδρώσει δὲ χθὼν κρίσεως σημήϊον ὅτ' ἔσται,
> Ἥξει δ' οὐρανόθεν, &c.
>
> *Judicii ſignum tellus ſudoribus udet,*
> *Exque polo veniet Rex tempus in omne futurus.*

Tertiò, in lege gratiæ Sancti, velut ſtellæ lucidiſſimæ, Jeſum ut ſolem ſuum coronant, ejuſque 79. 3. Sancti, In lege gratia.
nomen venerantur, ut divinâ ejus luce ardeant & ſplendeant. Hoc maximè patuit in S. Ignatio martyre, qui nomen illud ſanctiſſimum ſemper in ore habebat: neque id erat mirum, cùm illud gereret in corde inſcriptum literis aureis: erat ejus theſaurus, quem in corde abſconderat, ut eripi non poſſet, niſi cum vita. Hic ardor erga Jeſum, & ejus nomen etiam patuit in S. Ignatio, Societatis Jeſu Fundatore, qui eo nomine à ſe inſtitutam Societatem appellari voluit divinitùs edoctus, & animatus mirabili viſione cum Romam pergeret. S. Ignatii viſio mirabilis.
Tunc enim ipſi apparuit Jeſus cruce onuſtus, & Pater æternus, qui ei Ignatium, & ſocios in peculiarem tutelam commendaret, quod mandatum benignè ſuſcipiens, & vultum ad Ignatium convertens, ait: *Ego Romæ vobis propitius ero.* Rationem aliam, cur Societas Jeſu dictus ſit Ordo à S. Ignatio inſtitutus affert Orlandinus lib. 2. hiſt. ejuſdem Soc. num. 63. *Omnes*, inquit, *ut hujus diſciplinæ aſſeclæ intelligant, non inceptum Ignatii, neque ad ſua duntaxat ſtudium ſalutis, ſed in filii Dei peculiarem quandam Societatem ac militiam ſe vocari ad geſtandam poſt eum crucem ad bellum, ad aciem, contra vitia & Satanam: atque ad illud urgendum diviniſſimum opus, propter quod Jeſus ipſe lapſus è cælo vitam & ſanguinem fudit: ſub illius militantium*

anga-

Auguſtiſſimis ſignis, illa omnibus inſerenda terrarum gentibus. Auſpice & Præſide Jeſu audendum, confidendumque. &c.

80. An congregatio aliqua dici jure debeat Societas Jeſu. Propoſiſe, à ſimili. 1. S. Columbini relig. vocantur Jeſuatæ in Italia.

Dices, hoc eſſe arrogantis animi, Societatem Jeſu vocare cœtum aliquem particularem, cùm ſit hæc appellatio communis omnibus Chriſtianis: injuriam itaque fieri cæteris, qui hac ratione ab hoc ſancto nomine rejiciantur. Reſp. negando eſſe arrogantiam, ſed eſſe demonſtrationem peculiaris affectûs erga ſanctiſſimum nomen JEſu, quod S. Ignatius voluit alumnis ſuis ſemper in oculis, & corde. Sic S. Joan. Columbinus eſt Fundator *Jeſuatorum*, nec ſine ſingulari Dei providentia factum arbitror, ut eo ipſo die, quo feſtum S. Ignatii celebratur, nempe trigeſimo primo Julii, fiat quoque memoria ipſius. Sic enim habetur in Martyrolog. Rom. 31 Julii: *Senis in Tuſcia natalis B. Joannis Columbini Inſtitutoris Ordinis Jeſuatorum, ſanctitate ac miraculis clari.* Geſta ipſius ſcripſit Phæus Belcharius.

2. In Luſitania ſunt equites Chriſti. 3. Fratres militiæ Jeſu Chriſti.

In Luſitania etiam tempore Joannis XXII. Papæ, ejuſque authoritate Ordo militaris *ſub Chriſti nomine* inſtitutus eſt, rubram crucem auro finitam in pectore ferens, cujus milites etiamnum *Equites Chriſti* nuncupantur. Eodem in regno Ordo eſt *Fratrum militia Chriſti reformatorum.*

4. In Hiſpania, Ordo de militia Jeſu Chriſti.

In Hiſpania, S. Dominicus adverſus graſſantes hæreticos inſtituit Ordinem militarem *de militia JEſu Chriſti cruce ſignatorum*, probatum à Pontificibus, ferentium ſuper veſtes quibuſdam diebus crucem albam & nigram deſinentem in lilia, & deauratam.

5. In Italia. Canonici regulares Salvatoris.

In Italia, Gregorius XII. anno 1407. Lucæ ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini aſſumpſit Stephanum Senenſem, alioſque ſex ejuſdem familiæ Patres, eoſque Canonicos regulares inſtituit habitu mutato, vocavitque eum Ordinem: *Canonicorum regularium Salvatoris.* Ravennæ quoque eſt Collegium, ſeu ſodalitas religioſa *ſub nomine boni JEſu.*

6. In Francia ſunt amici Dei. Filiæ Dei. Equites Spiritus ſancti. In tota Eccleſia religioſi Trinitatis.

In Francia, Religioſi ſunt Pariſiis, qui *Amici Dei* nuncupantur. Moniales ibidem, quæ *Filiæ Dei* dicuntur. In toto regno Ordo eſt *Equitum Spiritus ſancti*, in quem non admittuntur, niſi Rex ipſe, Principes, aut Nobiles præ cæteris familiæ ſplendore, virtute bellicâ, aut Regis peculiari amicitiâ illuſtres.

In tota Eccleſia ſunt Religioſi Trinitatis, qui redimendis captivis ſunt deſtinati, aliiſque piis operibus.

81. Jeſu nomen cordi, oris & manui eſt inſcribendum.

Ex his ſequitur, cordi, manui debere nos illud ſacrum nomen veluti ſignaculum & characterem apprimere, ut in hoſtes ineatur, & gratiores faciat cœlo, & præſertim ipſi JEſu qui ait Cant. 8. 6. *Pone me ut ſignaculum* (Hebr. חותם, *hotham*, id eſt, ſignum, ſigillum, annulum: ſignatorium propriè, ut ait Cavallerius) *ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* Primò, *ſignaculum* idem eſt quod ſigillum, q. d. JEſus animæ ſanctæ ſponſus: *Pone me ut ſignaculum*, id eſt, ut ait Guilielmus. Imprime mihi intus me jugiter cogitando: Imprime te mihi foris, propter me ſtrenuè operando, ut pia cordis interna cogitatio in externam brachii operationem emanet. Ita ipſe. Secundò, *ſignaculum* ſignificat ſtigma & ſignum, quo ſervi, milites, oves, boves, panni, & alia notantur ab earum rerum domino. Antichriſtus ſervis ſuis imprimet characterem ſuum, & ab illis geſtari volet, ut habetur Apocal. 13. 16. quem characterem putat Alcazar fore nomen vel numerum nominis beſtiæ. 2. Viegas fore imaginem Antichriſti. 3. Ribera fore formam draconis. 4. S. Hippolitus lib. de conſummatione ſeculi, fore ἀρνοῦμαι, id eſt, nego. 5. Primaſius Ambertus, & Cornel. hunc Antichriſti characterem dicunt fore hunc * ubi duæ lineæ tranſverſæ efficiunt χ Græcum, tertia linea recta inter duas tranſverſas media eſt *Iota* Græcum; litera ſuperpoſita ρ eſt ρ Græcum, hæ autem ſunt literæ initiales nominis χριστός, id eſt, Chriſtus, unctus Meſſias: hæc enim tria idem ſunt. Se autem Antichriſtus prædicabit eſſe Meſſiam Judæis promiſſum, & ut talis ab eis recipietur: contrà verò, ſervi Chriſti ferent nomen JEſu, & illo gloriabuntur, atque ſigno Crucis. Apocal. 7. aſcendit ab ortu Solis Angelus, id eſt, 1 Conſtantinus Magnus, qui Maxentium vicit conſpectu ſigno Crucis, ut vult Aureolus. 2. S. Franciſcus, magnus amator Crucis, ut ait S. Bonaventura in prologo vitæ ejus. 3. Spiritus ſanctus, qui fideles ſignat ſeipſo, & ſuâ gratiâ, ut Alcazar. 4. Elias in fine mundi prædicator crucifixi, ut Victorinus. 5. Et verius Angelus, hic erat verus Angelus, ut Pererius, & Ribera docent. 6. Ad rem noſtram, hic Angelus eſt Chriſtus, qui ab Iſaia cap. 9. juxta Septuag. dicitur *magni conſilii Angelus*, ac ſuâ cruce & ſuo nomine JEſu ſignat fideles, ut paſtor oves: unde fit, ut eas cognoſcat, & cognoſcibiles omnibus faciat. De illo igitur dicit S. Joannes verſ. 2. *Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis habentem ſignum Dei vivi* (id eſt, crucem, aut nomen JEſu) *& clamavit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.* Græcè σφραγῖδα, id eſt, ſignum, ſigillum, nota, quæ rei imprimitur, ut dignoſci queat. Sæpè ſumitur pro ſigno, quod annulo ſignatorio epiſtolæ imprimitur, ſicut apud Thucydidem lib. 1. Japones in æſtu ipſo perſecutionis nonnunquam ferro candendi nomen JEſu, aut crucem inſcripſêre, ut Chriſtiani apparerent. Ita nomen JEſu in corde & ore habebant, ut Matthiæ Xiquitohioye martyris caput præciſum ter illud clarâ voce protulerit, ita ut tertiâ vice clarius reſonaret.

Cave, ne vita tua ſit dedecus JEſu. S. Cyrillus Jeroſol. catech. 10. *Credens in Dominum Jeſum Chriſtum, agnoſcat cujus habet appellationem: Chriſtianus vocatus es*, φεῖσαι τοῦ ὀνόματος: μηδιὰ σὲ βλασφημεῖσθω ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. *Parce huic nomini, ne propter te blaſphemetur Dominus noſter JEſus Chriſtus, filius Dei.*

Nomen denique JEſu ſtudioſiſſimè venerare. 82. Magnorum virorum nomina veneranda ſunt.
Seneca dicit epiſt. 64. *Si Conſulem videro, aut Prætorem, omnia quibus honor haberi ſolet, faciam, equo deſiliam, caput adaperiam, ſemitâ cedam. Quid ergo? Marcum Catonem utrumque, & Lælium ſapientem, & Socratem cum Platone, & Zenonem Cleanthemque in animum meum ſine dignatione ſumma recipiam? Ego verò illos veneror, & tantis nominibus ſemper aſſurgo.* Quid verò faciemus JEſu noſtro, & ejus nomini? Imitare Davidem Pſal. 7. 18. *Pſallam* (adhibitis etiam muſicis inſtrumentis) *nomini Domini Altiſſimi*, & conſequenter nomini Altiſſimo. Unde dicit Pſal. 33. 4. *Magnificate Dominum mecum* (non ſufficio ſolus) *& exaltemus nomen* (voce & verbis magnum pronuntiemus) *ejus in idipſum*, id eſt, ſimul, ut vertit S. Hieron. ὁμοθυμαδόν, id eſt, unanimiter, ut Aquila vertit. Hoc à nobis ſibi depoſcit JEſus. Hinc Propheta monet Pſal. 95. 8. *Afferte Domino gloriam, & honorem* (S. Hieronymus, & fortitudinem) *afferte Domino gloriam nomini ejus.* Et Eccleſiaſtici 39. 20. *Date nomini ejus magnificentiam.* Sed cùm nos Pygmæi Herculem exaltare non poſſimus, dicamus ipſi JEſu. Pſal. 113. 1. *Nomini tuo da gloriam*: tu ſolus noſti quàm tam merearis, & ſolus potes illam dare.

SECTIO

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

Duo diverſiſſima in homine David prædicat. Primò, illius utilitatem, ſi cum Deo comparetur, verſ. 5. Secundò, maximam ejus dignitatem, ſi cum animalibus conferatur, verſ. 6. uſque ad finem.

PARAPHRASIS.

5. Quid eſt homo, quòd memor es ejus? Aut filius hominis, quia viſitas eum?

5. Cum tanto fulgore, Domine Deus, nomen tuum, & majeſtas cœlo, terris, ipſiſque inferis longè latèque infuſa ſplendeſcant: quid eſt, cur de viliſſimo pulviſculo ſollicitus, hominem paternâ curâ providentiâque foveas? Eumque tanto donorum affluxu, ac præſertim Incarnationis myſterio viſites?

6. Minuiſti eum paulò minus ab Angelis: gloriâ & honore coronâſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

6. Hominem terrena mole abjectum ad infima, animæ præſtantiâ ſupparem Angelis præſtitiſti: ac Regis inſtar, pulchritudine, majeſtateque radiantis Orbi univerſo præfeciſti, ejuſque in uſum & commodum effectas creaturas cæteras ei ſubjeciſti.

7. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves, & boves univerſas: inſuper & pecora campi.

7. Ejus dominio ſubduntur omnia, eique ſubſerviunt, præſertim animalia, tum domeſtica, tum ſylveſtria.

8. Volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.

8. Nec non aperto cœlo ſpatiantes aves, atque maris, in profundo latitantes, ſecuróque curſu vagantes piſces.

9. Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!

9. Omnibus in creaturis tuis, Domine, tua elucet potentia, ſapientia, & bonitas: nihilque eſt, quod admirationem maximam non excitet tua opera contemplanti.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta hominis vilitas & dignitas?

83. Hominis vilitas & celſitudo.

PRima in Sectione, in terra, cœlo, & Orbe reliquo admirabilem Deum eſſe dixit David: nunc ad hominem, qui eſt præcipuum Dei opus, delabitur, quem in eoque Deum eſſe admirabilem prædicat. Eum autem depingit velut imaginem, quæ faciem duplicem prorſus variam, è diverſo loco ſpectantibus, oſtendit.

Primò quidem ait, nihil eſſe homini abjectius, ſi humum, unde deducitur, ſpectes, verſ. 5. *Quid eſt homo?* Sic abjectum tamen amat & complectitur Deus, 1. animo bona ejus verſando, ibid. *quòd memor es ejus.* 2. Opere illum juvando, ibid. *aut filius hominis, quoniam viſitas eum?*

Secundò, homine nihil eſt excelſius, ſi animam donis Dei radiantem conſideres. Nam mente comparatus homo ſibi ſuperioribus, proximè ad cœli Principes accedit, verſ. 6. *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis:* imò ad Deum ipſum quodammodò aſcendit, Hebr. eſt, מאלהים, *me elohim* id eſt, à Deo, ut S.Hieronymus, Felix, & Arias vertunt. Secundò, ſi ipſa anima in ſe ſpectetur, regina eſt, omni gratiarum decore exornata, verſ. eodem 6. *Gloriâ & honore coronâſti eum.* Tertiò, ſi comparetur homo cum ſibi inferioribus, Orbi univerſo ut Rex præſidet, verſ. 7. *Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum,* &c. Nam 1. in terra dominus eſt animalium, partim cicurarorum & domeſticorum, verſ. 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves, & boves,* partim ſylveſtrium & efferatorum, ibid. *inſuper & pecora campi.* 2. In aëre, dominus eſt avium, verſ. 9. *Volucres cœli.* 3. In mari, dominus eſt piſcium, ibid. *& piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.* Et quidem ex hoc hominis dominio in omnia, Dei gloria & majeſtas eluceſcit. Unde Propheta Pſalmum concludit, verſ. 10. *Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!* Quid enim eſt mirabilius, quàm quòd homo ſine plumis, cornibus, unguibus, aliiſque penè omnibus naturæ præſidiis, omnia tamen domet, atque in ſuos uſus convertat, ſolius rationis beneficio.

ARTICULUS I.

Quanta hominis vilitas?

PEdes ſtatuæ Nabuchodonoſoris erant lutei, licèt capite aureo, pectore argenteo, & brachiis, ventre, & femoribus æreis, ac tibiis ferreis fulgeret, atque in pretio eſſet. Ita homo licèt innumeris dotibus naturæ & gratiæ ornatus, tamen eſt luteus imâ ſui parte, nempe corpore. Unde exclamat Propheta verſ. 5. QUID EST HOMO, QUOD MEMOR ES EJUS AUT FILIUS HOMINIS, QUIA VISITAS EUM?

Nota primò, per *hominem*, & *filium hominis*, David intelligit ſeipſum, cujus Deus fuerat memor, data victoriâ de Goliatho gigante, ita Guilielmus Sceprius. Secundò, & melius, de toto hominum genere mentionem fieri vult S Chryſoſtomus, & S.Anaſtaſius 5. Hexaëm. per *hominem* autem Arias opinatur Adamum jam lapſum intelligi: per *filium hominis*, Adami poſteros, eidem damnationi obnoxios: qui, ut ait Bellarminus, ita ſunt homines, ut ſint etiam filii hominis, nempe Adami: cum Adam ſit homo, ſed non filius hominis, qui immediatè fit à Deo productus. 2. Dydimus opinatur *hominem* dici, ſecundùm animam, quæ à ſolo Deo creatur: & *filium hominis*, ſecundum corpus, quod ab aliis hominibus producitur. 3. S.Thomas. Cajetan. & Titelm. *homine* volunt deſignari abjectam conditionem naturæ ſecundùm ſe: *filio hominis* autem denotari vilitatem originis & nativitatis ejus. 4. Chald. idem omnino in prima parte & in ſecunda intelligit, cùm ubique vertat, ברנש, *barnas*, id eſt, *filius hominis.* 84. Quid homo & filius hominis. Primò. Secundò.

Tertiò, S.Auguſtinus, S.Cyrill. S.Hieron. S. Chryſoſt. Tertiò.

Chryſoſt. S. Thomas, S. Bonav. S. Bern. ſerm. 12. in Pſ. 90. & alii multi de Chriſto id ſumunt: quorum plerique *hominem* hîc dicunt eſſe Adamum, qui eſt terrenus & vetus homo: filium verò hominis eſſe Chriſtum, qui eſt novus homo, & filius veteris S. Aug. verba ſunt: *Novus homo ex vetere naſcitur, quoniam ſpiritalis regenerata vita terrena atq́ ſecularis inchoatur, & ideò iſte filius hominis nuncupatur*, Et poſteà ſubdit: *Filius hominis primus viſitatus eſt in ipſo homine Dominico, nato ex Mariâ Virgine. De quo propter ipſam infirmitatem carnis, quã ſapientia Dei geſtare dignata eſt, & paſſionis humilitatem rectè dicitur: Minuiſti eum paulò minus ab Angelis.* Itaque Chriſtus dicitur filius hominis, i. e. filius Adami primi omnium hominum, qui ſimpliciter & abſolutè, atque κατ' ἐξοχὴν, vocatur homo, cum ab eo omnes homines originem duxerint. Et quidem אדם, *Adam*, etiam appellativè ſumptum idem eſt quod homo. Et hîc habetur בןאדם, *ben Adam*, id eſt, filius Adam. Theophylact. cenſet Chriſtum vocari filium hominis, i. e. beatæ Virginis, ſed Matth. 8 v. 20. eſt articulus maſculini generis, ubi Chriſtus ſe vocat ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου id eſt, filium hominis, & dicit non habere ſe ubi caput reclinet: cùm vulpes, hoc eſt, divites, aſtuti, & rapaces: foveas, Græc. φωλεοὺς cavernas, & ſpeluncas habeant: & volucres cœli, id eſt, nobiles ſuperbi, & ſcioli arrogantes, nidos, Græcè. κατασκηνώσεις, id eſt, umbracula ex ramis & foliis arborum facta. S. Cypr. l. 1. ad Quirinum cap. 11. vertit, diverſoria. Voluit Chriſtus homo factus humanitatis noſtræ ſuſcipere miſerias & abjectionem: unde ſummæ humilitatis ac benignitatis eſt, ut qui non rapinam arbitrabatur eſſe ſe æqualem Deo, toties ſe filium hominis appellet: nempe in ſolo Evangelio Matthæi ſaltem trigeſies, cap. ſcilicet 8. 20. cap. 9. 6. cap. 10. 23. & ſic de cæteris. De eo dicit Paulus Philipp. 2. 6. *Qui cum in forma* (in natura. Forma enim dat eſſe rei) *Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt* (ſe ſcilicet facere Deo Patri, ſi diceret ac ſentiret) *eſſe ſe æqualem Deo* (nempe Patri) *ſed ſemetipſum exinanivit:* ἐκένωσε, id eſt propriè, evacuavit, Tertull. legit. exhauſit) *formam ſervi*, id eſt, naturam humanam, per quam fuit homo, & filius hominis) *accipiens, in ſimilitudinem hominum factus*, (id eſt ſimilis ſubſtantialiter cæteris hominibus) *&* *habitu* (Græcè σχήματι, id eſt, figurâ & ſpecie externâ) *inventus ut homo.* Hujus humiliationis Chriſti Domini typus fuit Elias Propheta ſe corpori puerili adaptans, quem ſuſcitavit 3. Reg 17. 21. *Et expandit ſe, atq́ menſus eſt ſuper puerum.* Chald. aptè ad rem noſtram vertit, coarctavit ſe ſuper puerum) *tribus vicibus.* Elias idem eſt atq́ *fortis Dominus*: eſt typus Chriſti incarnati, qui ab Iſaia cap. 9. 6. vocatur fortis. Vide S. Auguſtinum ſer. 201. de tempore, & S. Proſperum part. 2. Prædict. cap. 31. Eliſeus, id eſt, Dei ſalus, vel Deus ſalvans, idem fecit 4. Reg. 4. 34. ubi expreſſius dicitur: *Incubuit ſuper puerum: poſuitq; os ſuum ſuper oculos ejus. & manus ſuas ſuper manus ejus, & incurvavit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri*, &c. S. Auguſtinus ſerm. 11. de verbis Apoſtoli id de Chriſto humanato ſic exponit: *Quid ſignificavit mortuus puer, niſi Adam? poſuit baculum ſupra mortuum, non ſurrexit. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet vivificare, omnino ex lege eſſet juſtitia. Non ergo potuit lex vivificare. Venit ipſe grandis ad parvulum, Salvator ad ſalvandum, vivus ad mortuum, venit ipſe. Et quid fecit? Juvenilia membra contraxit, tanquam ſeipſum exinaniens, ut formam ſervi ſuſciperet. Juvenilia ergo membra contraxit, parvum ſe parvo coaptavit, ut efficeret corpus humilitatis noſtræ cõforme corpori gloriæ ſuæ. Itaque in iſto typo Chriſti propheticè expreſſo ſuſcitatus eſt mortuus, tanquam juſtificatus eſt impius.* Vide illum ſerm. 106: de tempore, & S. Bern. ſerm. 6. in Cantica.

Nota ſecundò, Deum *memorem* eſſe hominis, & eum *viſitare*, eſt idem: niſi quod viſitatio dicit ſpecialem quandam, & magis ſollicitam curam ejus. Deus dicitur *memor* eſſe alicujus, cùm ei benefacit, memoria enim ipſius non eſt ſterilis: ſicut dicitur oblviſci, cum bonis privat, & patitur in afflictione & calamitate permanere *Viſitat* quoq; ſicut amicus amicum, rex ſubditum paſtor oves, medicus ægrotum, pater filium, cùm curam habet & ſingularem providentiam contra aliquem, ut eum à peccatis, ſervitute, calamitate, morbis liberet. Eſt Metalepſis, ponitur enim ãtecedens pro conſequente: nempe viſitatio pro liberatione, Secũdò, memoria illa Dei & viſitatio rectè intelligitur de Incarnatione, in qua naturam humanam aſſumpſit, & ſupra naturam Angelicam evexit, ſibi uniendo. Sic ait David Pſ. 143. 3. *Domine, quid eſt homo, quia innotuiſti ei?* per legem datam Moſi, ut explicat Cajetanus: per Incarnationem, ut S. Hilar. & melius: per hanc enim tota Trinitas innotuit, (ut docet S. Bonav.) *aut filius hominis, quia reputas* (S. Hieronymus computans, S. Auguſt. & Proſper, & vetus Pſ. habent æſtimas) *eum*, ſcilicet, velut rem magni pretii, quam proprio ſanguine redimis, pro ove perdita exponens te lupis, & pro margarita in terra & terrenis defoſſa, dans omnia tua ut eam emas & in theſauros cœleſtes in æternum conſervandam depones. Typus hujus liberationis fuit viſitatio Dei in Ægypto, ubi captivi tenebantur Iſraelitæ viliſſimis in miniſteriis occupati. Exod. 3 16. ait Deus Moſi: *Vade. congrega ſeniores* (ſenatores & principes) *Iſrael, & dices ad eos: Dominus Deus patrum veſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob, dicens: Viſitans viſitavi* (ſtudioſè, & cum magno amore & deſiderio juvandi. Chald. *recordatus ſum veſtri*: ſed non ſatis exprimit viſitationem) *vos: & vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Ægypto. Et dixi* (ſtatui, decrevi) *ut educam vos de afflictione Ægypti* (non poteſt Deus viſitare filios ſuos afflictos, quin manu paternâ eos è fornace Babylonica & Ægyptiaca, atque è lacu leonum eripiat: ſicut non viſitat peccatores, quin confundat eorum linguam in Babel: evertat ut Sodomitas & Homorrhæos) *in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi. & Jebuſæi: ad terram fluentem lacte & melle*, id eſt, fertiliſſimam? eſt enim locutio proverbialis. Chananæa abundabat melle etiam in ipſis ſylvis & rupibus, ibi apes mellificabant: & habebat optima paſcua, ubi oves & vaccæ abundabant lacte.

Tertiò, notat Caſſiodorus S. Auguſtino inſiſtens hemiſtichium primum: *Quid eſt homo quòd memor es ejus;* eſſe pronunciandum cum deſpectu; ſecundũ verò. *aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* eſſe efferendum cum voce magis elata, & veluti aſſurgendo. Malim tamen Remigium ſequi, qui cenſet totam hanc ſententiam cum admiratione & gaudio legendam eſſe.

Moraliter nota, hominem eſſe viliſſimum, ſive corpus, ſive animam poſt Adami lapſum ſpectes. 26.
Primò, corporis miſerias clarè exprimit *Tò homo*, Homo
q. d. *Quid eſt homo*, niſi vilis humus & lutum, niſi eſt abjectiſſima.
vas fictile & contritum, niſi ſaccus pulveris & ſtercorum, niſi eſca vermium & ſerpentum? Eandem Primò
quæſtionem proponit & ſolvit Seneca lib. de conſolatione ad Marciam cap. 11. *Quid eſt homo? quodlibet quaſſum vas, & quodlibet fragile. jactatu, non* in corpore.
tempeſtate magnâ ut diſſiperis, opus eſt. Ubicumque arietaveris, ſolveris. Quid eſt homo? imbecillum corpus & fragile, nudum, ſuapte naturâ inerme. alienæ opis indigens. ad omnem fortunæ contumeliam projectum: cum benè lacertos exercuit, cujuslibet feræ pabulum,

bulum cujuslibet viliſſimæ ex infirmis ſluidiſq; con textum, & lineamentis exterioribus nudum: frigoris, æſtus, laboris impatiens, ipſo rurſus ſitu & otio, aſtutum in tabem, alimenta metuens ſua, quorum modò inopiâ, modo copiâ rumpitur: anxia ſollicitaque tutela, precarius ſpiritus, & malè hærens. In ſecundo hemiſtichio homo vocatur filius hominis. Hebr. filius אדם. *Adam*, id eſt, terreni, è terra producti. Nam אדמה *adama*, eſt terra rubra, ex ea formatus eſt primus homo, & eam ob rem dictus eſt Adam.

87. Secundò, animæ humanæ miſerias vox Hebraica
Secundò. in anima. exprimit: *Quid eſt* אנוש *enos*, id eſt, obliviosus, ut ait Euſebius lib. 11. de Præparatione Evangelica, cap. 4. q. d. David: Quid eſt homo, Dei beneficia, ipſumque Deum obliviſcens, ut tu Deus memor ſis ejus, eumque cures, & ei provideas, etiam cùm tui non recordatur, ſed ad vilia & abjecta mentem ſuam convertit? Tu ubertim dona cœleſtia illi affundis: ipſe verò dolium eſt Danaidum, ex quo vix ingeſta diffluunt. Tu fons es ſalubres aquas continenter ubere alveo largiens: ipſe arena eſt bibula, atque ad exortum ardoris tartarei ſic ceſcens: aut verius, homo obliviosus eſt ciſterna hians & divulſa, quæ continere non valet aquas è cœlo cadentes, & ſolo luto completur ac fœtore voluptatis & iniquitatis. Jerem. 2. 13. *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ* (ſemper fluentis, limpidæ, ſalubris, vitam dantis & conſervantis. Arab. aquæ dulcis & laudabilis] *& foderunt ſibi* [ad ſuas delicias, non mihi] *ciſternas, ciſternas diſſipatas* [Syr. conquaſſatas, Arab. ſciſſas) *quæ continere non valent aquas*, gratiæ ſcilicet divinæ & conſolationis Ciſternæ illæ diſſipatæ ſunt primò, animus ad vana diſſipatus, atq; deſideriis futilibus hians, & in multa diviſus. Secundò, res ipſæ vanæ & idola cupiditatum quæ nihil habent ſolidæ delectationis, ſed in ſe ingredientes mergunt in cœnū luti, & ſitientem miſerè cruciant. Theophylactus in cap. 12. Matth. homines nuncupat σκεύη δαιμόνων, id eſt, *vaſa dæmonum*. Clemens Alexandrinus de vera pulchritudine, hominem comparat Proteo mutabili, & chimeræ multiformi. S. Bern. lib. 3. de conſid. cap. 9. varia tempora hominis conſiderat, & in omnibus miſerum eſſe proclamat: *Homo*, inquit, *natus de muliere, & ob hoc cum reatu: brevis vivens tempore, ideoque cum metu: repletus multis miſeriis, & propterea cum fletu. Et verè multis, quia corporis & animæ ſimul. Quid enim calamitate vacat naſcenti in peccato, fragili corpore, & mente ſterili? Verè ergo repletus, cui infirmitas corporis, & fatuitas cordis cumulatur traduce cordis, mortis addictione.* Conſiderato itaque cum S. Greg. Naz. carm. 14.

Τίς γενόμην; τίς δ' εἰμί; τί δ' ἔσσομαι, ...

Quis fui prius? quis ſum? quis mox ero?

88. Totam vitam tuam ab initio uſq; ad finem decurre, & continuum miſeriæ fluxum contemplaberis.
Et quidem per totam vitam.
1. In conceptione.

Primò. Homo miſer eſt ac vilis in conceptione, cujus fœditatem, ſi corpus attendis, nemo auſit conſiderare: in ea quoque ſumma eſt miſeria animæ, quæ in peccato originali ſtatim à primo ſuæ creationis inſtanti jacet. De corpore ait Plinius lib. 7. cap. 7. *miſeret atque etiam pudet æſtimantem quàm ſit frivola animalium ſuperbiſſimi origo.* De anima autem Propheta noſter dicit, Pſ. 50. 7. *Ecce enim in iniquitatibus* (parentum, qui ſæpè peccant in actu generationis. 2. & melius, in iniquitatibus, id eſt, in peccato originali, quod eſt quodammodo omnia peccata: eſt enim omnium veluti ſemen, radix, fons, & parens. S. Hier. vertit, *in iniquitate*, S. Auguſtinus 4. contra duas epiſt. Pelag. cap. 10. in facinore, & in Enchirid. cap. 44. monet eſſe enallagen numeri, nempe pluralis pro ſingulari, & quidem Hebr. eſt בעוון *be avon*. id eſt, in iniquitate) *conceptus ſum, & in peccatis*, (Hebr. ובחטא *be-hetb* id eſt, *in peccato*, ut S. Hieron. Felix, & Pagn. vertunt, nempe in peccato originali) *concepit me mater mea.* Vide ibi dicta.

Secundò, homo miſer eſt in nativitate, & quidem præ cæteris animalibus, quæ natura ut parens ſtatim à partu veſtit teſtis, coriis, ſpinis, villis, ſetis pilis, pennis, ſquamis, velleribus: hominem verò videtur ut noverca nudum, & omni ope deſtitutum abjicere, ut fœtum abortivum & rejectaneum. Salomon Sap. 7. 1. de ſe Rege Feliciſſimo & ditiſſimo ait: *Sum quidem & ego mortalis homo*, ἄνθρωπος, 89.
2. In nativitate. quam vocē Gonſalvus Cervantes deducit ab ἄνθρακι id eſt, carbone accenſo 2. carbunculo gemma. 3. ulcere quodam, ſive exulceratione ſimili eis quæ uſta ſunt, ut eſt apud Paulum Ægin. & Galenum. Sis ἄνθρωπος, id eſt ἄνω ἀθρῶν hoc eſt, ſurſum aſpiciens, & eris carbunculus gemma radiis cœleſtibus & divinis ardens ac lucens in manu Seraphin, & in altari thymiamatis & holocauſtorum. ſi verò terram ſpectes, eris ulcus teipſum inflammans, corrodens putrefaciens, & alios ad te accedentes) *ſimilis omnibus. & ex genere terreni* (Græc. γηγενοῦς, id eſt, terrigenæ, ut Pagnin. Janſen. Vatabl. & Petrus Nannius vertunt: nempe Adami ex terra à Deo formati) *illius qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum* [Græc. ἐγλύφην, id eſt, exſculptus, cælatus inſtar ſculpturæ, figuræ, ac ſtatuæ myſterii pleniſſimæ, & ſummo artificio atq; ſapientia Dei tot membris & organis, nervis, venis, arteriis, tendinibus, fibris, aliiſque tum intus, tum in extrema ſuperficie diſtinctæ, ſed tamen) *caro. Decem menſium tempore coagulatus ſum* (Gr. ἐπάγην id eſt, compactus, effictus, efformatus. Sed cum, ſicut ait Galenus lib. de ſemine, *prima ac recens fœtura lactis recenti coagulato*, id eſt, conſtricto & fixo, *ſimilis fit*, vertit noſter interpres *coagulatus ſum*. Sic, Job. 10. v. 10. *Sicut caſeum me coagulaſti.* (Coagulum à cogendo, id eſt, denſando ſive ſtringendo, dicitur illud, quo ad denſandum lac utimur, *preſſura*, & per metaphoram, quicquid connectit atque conjungit] *in ſanguine, ex ſemine hominis, & delectamento ſomni* (S. Ambroſius, & S. Bonav. *ſomnij*, voluptas eſt ſomnium, & ut ſomnium avolat, & ex ea natus homo eſt σκιᾶς ὄναρ, id eſt, umbræ ſomnium, ut vocat eum Pindarus ode 8. Pythiorum) *convenientes*, Nannius vertit, voluptate cum ſomno congrediente. Vatablus, voluptate concubitus comitante. Concubitus, præſertim illicitus, eſt merum inſomnium ſibi delectationem fingit ac ſperat, & dolorem ac mortem generat; & filios miſeros & ploratum edentes. Ad rem verò noſtram accommodatius Salomon ſubdit verſ. 3. *Et ego natus accepi communem aerem, & in ſimiliter factam decidi terram* (Græc. ὁμοιοπαθῆ, id eſt, ſimiliter paſſam, id eſt, ſimilibus obnoxiam paſſionibus, æqualiter plenam miſeriis, pro rege, & pro pauperrimo homuncione) *& primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans* Tertul. lib. de anim. c. 19 hâc primâ voce, inquit auguratur infans incommoda. Et S. Auguſtinus lib. 21. de civit. cap. 14. ait: infantia non à riſu, ſed à fletu ordiitur hanc lucem, quo quantum ſit ingreſſa malorum neſciens prophetat quodammodo. Ita ipſe Plinius id deplorat lib. 7. cap. 7. *Hominem tantum natura nudum, & in nuda humo natali die abjicit ad vagitus ſtatim & ploratum, nullum tot animalium aliud ad lacrymas. & has protinus vitæ principio. At hercule riſus præcox ille & celerrimus ante quadrageſimam diem nulli datur.* Nota Ariſtot. lib. 7 hiſt. anim. cap. 10. ait: Primis quadraginta diebus infantes vagire quidem, ſed non lacrymari; ſed Salomon

lomon filius Regis potentiſſimus, & Rex futurus eò potentiſſimus, & ditior, & in pace penè perpetua quietior, flet in ipſo vitæ exortu & lacrymas fundit, ut Principum & Regum magis quam cæterorum deploranda conditio videatur.

90. 3. In infantia. Tertiò, homo miſer eſt in infantia. Nam à carcere ventris materni in faſciatum carcerem & compedes atq; manicas incidit. Sap. 7. verſ. 4. ait idem Salomon. *In involumentis* (Gr. [illegible], id eſt, in faſciis) *nutritus ſum, & curis* (Græcè [illegible], id eſt, cogitationibus, [illegible] aliquando eſt cogitare. Latinè ſignatius, nam *cura* dicitur, quaſi cor urens & excoquens) *magnis*, tum parentum ac nutricum, & pædagogorum, tum meis. Ac ſubdit verſ. 5. quod faſtum & arrogantiam omnem debeat reſcindere. *Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium*: cùm ipſæ pecudes in tanta miſeria non edantur, ut advertit Plin. lib. 7. cap. 7. *Ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus. Itaque feliciter natus jacet manibus pedibuſque revinctus animal cæteris imperaturum, & à ſuppliciis vitam auſpicatur, unam tantum ob culpam, quia natum eſt. Heu dementiam ab his initiis exiſtimantium ad ſuperbiam ſe genitos*. Ita Plinius.

91. 4. In pueritia. Quartò, homo miſer eſt & objectus in pueritia. Quis enim ejus in ea ætate nugas, ineptias, errores, ignorantiam, inclinationem ad cibos atq; inania non rideat, aut verius defleat; De puero ait Salomon Prov. 22. 15. *Stultitia colligata eſt* (Sept. Complut. & Regia, *ſuſpenſa eſt*: ſed ſignificantius, colligata: denotatur enim pertinax adhærentia, & quæ totum ejus animum involvat & captivet) [*in corde pueri, & virga diſciplinæ* (non ratio Spt. Vaticana, *virga & diſciplina*, id eſt, correptio, caſtigatio, eruditio) *fugabit eam*. Syr. vertit: Stultitia evolare facit cor pueri, & virga diſciplinæ longè eſt ab eo, id eſt, eam fugit, quantum poteſt. Volatica atque erratica eſt mens pueri, inſtar aviculæ huc & illuc volitantis, quam tamen ſtultitia vinculis variis colligatam tenet, ut ab ejus poteſtate non recedat, ſed ubiq; garrulitatis ſuæ & ineptiarum aliqua relinquat veſtigia. Itaque per multos annos homines ſtulti ſunt, & in ſtultitiæ caſtris militant. Quis eſt ergo qui ſanior factus ſuperbiat, cùm non pennarum ſuarum oculos in virili ætate aſpicit, ſed abjectos pueritiæ, & infantiæ pedes ut pavo ſe vel invitus humilians?

92. 5. In adoleſcentia. Quintò, homo miſer eſt ac vilis in adoleſcentia ſua: tunc enim maximè vigent paſſiones, & efferantur. Gen. 8. 21. *Senſus & cogitatio humani cordis* [Hebr. יצר ieſer, deſiderium, concupiſcentia, figmentum, fictio, effotmatio, excogitatio) *in malum prona ſunt*? Sept. *incumbunt in mala*. Hebr. tantùm habetur, *ſunt mala*, ſed cauſaliter, non formaliter) *ab adoleſcentia ſua*. Eſt hæc ætas maximè plena periculis, & plena naufragiis. S Aug. 264. de temp. *O juvenes*, inquit, *flos ætatis periculum mentis!* Ratio eſt primò, quia magno ardore feruntur adoleſcentes ad ea quæ amant? ideo dæmon timet, ne ſi ſemel navis ſcopulos evaſerit, ad theſauros gratiarum veniat, & gazis cœleſtibus repleatur. 2. quia in ea ætate ob calentes ſpiritus vitales & animales ac ſanguinem bullientem magni excitantur fluctus. 3. quia navitæ carent experientiâ, ut iter ſecurum teneant, aut à periculis ſeſe expediant. S. Amb. lib. 1. de interpell. Job. cap. 7. *Adoleſcentia ſola eſt invalida viribus, infirma conſiliis, vitio calens faſtidioſa monitoribus, illecebroſa deliciis*. Quis igitur eam ætatem non judicet eſſe miſerrimam? In adoleſcentia vita hominis inæſtimabilis comparatur navi, aquilæ, & colubro, Prov. 30. 18. & 19.

93. 6. In virili ætate. Sextò, homo miſer eſt in virili ætate, ob uxoria & negotiorum impedimenta & agitationes. S. Paul. 1. Cor. 7. 28. *Si acceperis uxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis* (quæ circa carnem & carnalia verſatur: onera conjugii, liberorum, & familiæ) *habebunt hujuſmodi*. Neque tantùm in conjugio, ſed etiam extra conjugium negotia torquent mentem, Eccl. 40. 1. *Occupatio* (Gr. [illegible], id eſt, inquietudo, quietis perturbatio, moleſtia, ærumna, negotium interturbans & exagitans ſine intermiſſione) *magna creata eſt* (Tigurina vertit, deſtinata eſt) *omnibus hominibus & jugum grave ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum uſq; in diem ſepulturæ* (Sept. Rom. habent [illegible], hoc eſt, ſepulturæ. Complut. autem, [illegible] id eſt, reverſionis) *in matrem omnium*, id eſt, in terram. Nam viventium omnium mater eſt terra, & ita explicat S. Greg. lib. 2. Mor. c. 11. Addit Siracides verſ. 2. *Cogitationes eorum, & timores cordis, ad inventio expectationis* (Gr. [illegible], id eſt, imaginatio expectationis, hoc eſt imaginatio expectans, & diu rem amaram deſiderans. Rom habent, conſideratio expectationis; hoc eſt rerum expectatarum & deſideratarum: idem eſt adinventio, id eſt, excogitatio ſtudioſa & ſolers] *& dies finitionis*, hoc eſt, dies mortis. Iſta omnia ſunt jugum grave ſuper filios hominum, nunquam diſcedens à cervicibus eorum, in quocumq; ſint officio. Unde ſubditur verſ. 3. *A reſidente ſuper ſedem glorioſam* (Syr. in ſedibus regiis) *uſque ad humiliatum in terra & cinere. Ab eo qui utitur hyacintho* (id eſt, veſte hyacinthina & purpureâ Nam hyacinthus (*pavot, ou oignon de chien*, eſt genus violæ vernæ, colore obſcuræ purpuræ, quam ait Dioſcorides à Romanis vocari vacinium) *& portat coronam* (& eſt Rex) *uſque ad eum, qui operitur lino crudo*, id eſt, lino recenti, rudi, craſſo, duro, Græcè, [illegible] id eſt, lino crudo. Linum autem non accipio hic pro herba notiſſima, quæ canabis modo in lanæ mollitiem contuſa, nectur in uſum intimarum veſtium, & vernaculè vocatur *du lin*, Nam hoc lino non utuntur pauperrimi. Sed linum ſimpliciter pro filo accipio, ſicut Celſus lib. 7. cap. 14. Miſerias hominis pergit recenſere Siracides verſ. 4. & 5. *Furor* (Græcè [illegible] id eſt, indignatio, excandeſcentia, quæ homines velut in furorem agit) *zelus* (id eſt, æmulatio & invidia] *tumultus*, Græcè [illegible] turbatio) *fluctuatio* (Græcè [illegible], hoc eſt, agitatio & commotio mentis in varias partes] *& timor mentis, iracundia perſeverans, & contentio. & in tempore refectionis in cubili* (Syr. vertit, in tempore quo quieſcunt in ſtratis ſuis Græcè eſt [illegible] id eſt, in quietis tempore, cum ſpiritus vitales & animales reficit quies nocturna) *ſomnus noctis immutat ſcientiam ejus*, id eſt, hominis imaginationem & cognitionem varia & dira phantaſmata ei proponens, quibus terreatur, & à ſpe præconcepta excidat. Lege cætera. S. Greg. Papa, licet ſingularis eſſet virtutis & zeli, tanto tamen tædio rerum vetiarum & negotiorum afficiebatur, ut diceret lib. 11. epiſt. 26. ad Ruſticiam: *Ego in tanto gemitu & occupationibus vivo, ut ad dies quos ago, perveniſſe pœniteat, ſolaque mihi conſolatio ſit mortis expectatio. Unde peto, ut pro me de beatis orare, quatenus de hoc carnis carcere citius educar, ne tantis laboribus diutius torquear*. Ita Gregorius.

Septimò, miſer eſt homo & vilis in ſenectute, quæ tota eſt morbus. De ſene præſertim dices cum Propheta noſtro: *Quid eſt* אנוש *enos*, id eſt, ægrotus, infirmus, deſperatæ valetudinis, morti addictus, ærumnoſus, afflictus, non ſanabilis. A morbo ſenectutis ne ipſe quidem ſanet Æſculapius, aut Apollo. De Iſaac qui idem eſt, ac riſus, ait Scriptura Gen. 27. 1. *Senuit autem Iſaac, & caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat*. In pueritia & adoleſcentia erat 94. 7. In ſenectute.

flos atque ocellus ridens parentum, ſed in ſenectute flos ille emarcuerat, & ocellus clauſus fuit, ſaltem per 44. totos annos, qui fluxerunt ab anno 137. vitæ ejus, cum benedixit Jacob & Eſau filios ſuos, uſque ad annum 180. quo eſt mortuus. Chaldæi reges ſceptrum ferebant, in quo roſa vel flos ſimilis eſſet exſculptus, ut appareret cito ſpecioſiſſima mareſcere.

95. 8. In morte. Octavo denique, miſer eſt homo, & vilis in morte, Pſal. 143. 2. *Homo vanitati* (Theodotio, ἀτμίδι, Symm. ἀτμῷ, id eſt, vapori) *ſimilis factus eſt: dies ejus ſicut umbra prætereunt*. Hebt. בְּצֵל עוֹבֵר *che ſel ober*, id eſt, ſicut umbra pertranſiens. Non quidem eſt umbra permanens, ſed ſemper fugit velut umbra. Vide ibi dicta, Pſal. 38. 6. *Ecce menſurabiles* (S. Hier. hic, & 2. centra Pelag. vertit, breves, Chald. leves Hebr. טְפָחוֹת, *tephaboth*, id eſt, menſuram quatuor digitorum ſimul junctorum. Digitus unus deeſt, itaque operatio manca eſt: *poſuiſti dies meos, & ſubſtantia* [S. Hier. vit..] *mea tanquam nihilum ante te*, &c. Job. 25. 6. *Homo, putredo: & filius hominis, vermis*, id eſt, res viliſſima, fœtidiſſima, & eſca vermium, & humi repens velut vermiculus. Hebr. filius Adam. Utere itaque conſilio S. Vincentii Ferrerii tract. de vita ſpir. *Qui vult*, ait, *fugere laqueos, & tentationes diaboli, ſentiat de ſeipſo ſicut de uno corpore mortuo pleno vermibus & male olenti, & ſicut de uno cadavere, quod dedignatur videre, & intueri, imò ſuper quod claudit nares propter ejus peſſimum odorem & fœtorem, & a quo avertit faciem, ut non videat talem abominationem. Sic oportet, chariſſime, facere ſemper mihi & tibi: ſed plus mihi, quia tota vita mea fœtida eſt, totus fœtidus ſum, & corpus meum, & anima mea, & omnia quæ intra me ſunt, fæce & putredine peccatorum & iniquitatum fœtidiſſima & abominabiliſſima ſunt: & quod deterius, quotidie hunc fœtorem in me ſentio recentius & anguſtius revocari*, &c. fusè. R. Levitat in Pirke-avoth. c. 4. *Curva admodum*, ait, *& demiſſo ſpiritu ambules, expectatio enim omnis hominis, vermes.*

ARTICULUS II.

Quanta hominis, præſertim Chriſti, dignitas & excellentia, ſi cum Angelis & rebus aliis conferatur.

96. Verſ. 6. 1. pars. Summa eſt hominis dignitas. POſt declaratam hominis abjectam conditionem, & Dei bonitatem, qui memor eſt ejus, & eum viſitat dona ſua conferendo, oſtendit David nunc ejus dignitatem ac nobilitatem. Primò, illum conſiderando ſecundum ea, quæ ſupra ipſum ſunt. Secundo, conſiderando ſecundùm ea, quæ habet in ſe præciſè ſpectatus. Tertiò conſiderando ſecundùm ea, quæ ipſi inferiora ſunt. Sacrum itaque illud oumiſma contemplemur in facie magis fulgenti & amabili, magis oculos & animum rapiente.

Primò, Propheta hominem comparat Angelis, V. 6. *MINUISTI EUM PAULO MINUS* (Hebt. מְעַט, *meat*, id eſt, paululum, ut Pagn. Arabs. Ubi adverte, *meat*, ſicut Græcum βραχύ τι & Syriacum קְלִיל *kalil*, denotare parvitatem tam temporis, quàm quantitatis; itaque aliqui vertunt, pauliſper, ſeu parvo tempore: alii, & melius, in parva re) *AB ANGELIS*, ſic habet Chald. Arab. Syr. Pſalt. Æthiopicum, & Rabbini omnes.

Nota, pro *ab Angelis*, in Hebræo eſt מֵאֱלֹהִים *me elohim*, vox autem *elohim* ordinariè ſignificat Deum ut gubernantem, judicantem, præſidentem orbi, & ejus curam gerentem: ſicut apud Chald. & Syr. *elaha*, ideo Theodotio & V. editio vertunt, παρὰ θεοῦ id eſt, *a Deo*, ut S. Hieron. Felix. & Pagn. etiam reddunt. Secundò tamen, *elohim* ſignificat Angelos, principes, judices, Pſ. 81. 1. *Deus ſtetit in ſynagoga deorum* (Chald. in congregatione juſtorum) *in medio autem deos dijudicat*. Chald. in medio judicium in veritate judicat. Exod. 22. 28. *Elohim*, id eſt, *diis* (nempe judicibus, ut Chald. vertit) *non detrahes*. Pſ. 96. 8. *Adorate eum omnes Angeli* [elohim. S. Hier. vertit, dii] *ejus*. Pſ. 143. 1. *In conſpectu* (elohim) *Angelorum* (Chald. coram judicibus. S. Hier. & Felix, in conſpectu deorum) *pſallam tibi*. Ubi vides, vocem *elohim*, & pro Deo, & pro Angelis & pro judicibus ac principibus ſumi.

Nota ſecundò. Ejuſdem loci Scripturæ duos poſſe eſſe ſenſus literales, potiſſimum quando unus eſt alteri ſubordinatus, & res una in altera continetur quaſi ſpecies in ſuo genere, aut individuum in ſua ſpecie.

Hoc poſito, dico, primum ſenſum literalem hujus loci, *Quid eſt homo*, &c. *Minuiſti*, &c. eſſe de quolibet homine. Cùm enim Propheta Dei creatoris præſtantiam atque magnificentiam oſtendat initio Pſalmi, ex contemplatione cœli & terræ, poſtea delabitur ad hominem, ut ex ejus conſideratione idem probet, ut S. Greg. Naz. Euſeb. Theodoret. Apollin. Petavius, & Magnetius exponunt. Dico ſecundò, ſecundùm ſenſum literalem, ac præcipuè intentum, eſſe de Chriſto. Ita S. Cyrill. S. Hieron. S. Aug. S. Chryſoſt. Caſſiodor. Remig. Rupertus, Haymo, Ludolphus, & alii: nec dubitari poteſt, cùm Paulus Hebr. 2. 6. textum illum de Chriſto citet, eſſe de eo ſaltem ſenſu allegorico, ex quo argumentari licet: ſed malo dicere eſſe literalem.

Quæres. Quomodo Chriſtus ſit minutus ſeu minoratus ab Angelis, id eſt, præ Angelis, ſeu infra Angelos? Primò, ob incarnationem præcisè, quia corpus humanum eſt minoris excellentiæ, quàm ſit ſubſtantia Angelica, quæ eſt immortalis & glorioſa; unde ait Paulus Philip. 2. 7. *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam* (id eſt, naturam) *ſervi accipiens*. Exinanivit ſe, ait Cornel. id eſt, inanem & vacuum affecit, ut qui erat plenus majeſtate, gloriâ, robore, adeoque plenitudo totius entis, ea ſe evacuârit, & ex omni quaſi ad nihilum ſe redegerit: factuſque ſit ex Domino ſervus, ex Deo homo, ex creatore creatura: ſicut enim nomen creatoris eſt, *Ego ſum, qui ſum* ſive τὸ ens, & oceanus ipſius eſſe: ita creaturæ nomen eſt, *non ſum*: ex ſe ipſa enim creatura nihil eſt: nam omne eſſe quod habet, à Deo habet, illudque aſſiduè à Deo accipit, adeò ut ſi Deus in illam deſinat influere ſuum eſſe, & ſubtrahat manum ſuam, ſtatim creatura in nihilum, unde venit, recidat, & evaneſcat: perinde ut ſole abeunte, vel radios retrahente, lux omnis in hoc aere evaneſcit: 97. Chriſtus eſt minoratus ab Angelis 1. In incarnatione.

Secundò, in Paſſione præſertim eſt minoratus ab Angelis, qui ſunt impaſſibiles & immortales. De Chriſto autem ait Iſaias c. 53. 4. *Verè languores noſtros ipſe tulit*, (id eſt, extulit, exportavit, ejecit, ut explicat Foretius. 2. & melius, *tulit*, i. e. portavit, geſtavit tanquam onus grave. Languores autem intelligit *peccata*, ut Sept. vertunt, & eorum pœnas, ærumnas ſcilicet, afflictiones, morbos, & alia. Non quod ægrotaverit Chriſtus: nam id non decebat corpus divinum, & perfectiſſimè formatum; ſed quod tanta ſit paſſus, ut meritum ſit ut illa abolerentur vel in hac vita, vel ſaltem in altera, *& dolores noſtros ipſe portavit. Et nos* (Judæi) *putavimus eum quaſi leproſum* (id eſt, immundum, abominabilem, horribilem aſpectu, à nobis ejiciendum) *& percuſſum*. Theodotio, *flagellatum à Deo, & humiliatum*. Tertiò, in anima etiam Chriſtus fuit minor Angelis, quoad naturam. Lege S. Bernard. ſerm. 1. de S. Michaele. 98. 2. In Paſſione

99. 3. Chriſtus eſt. Nota, minoratus eſt Chriſtus præ Angelis, ſed *paulo minus* ſeu βραχύ τι id eſt, primò, pauliſper, parvo tempore, nempe in hac vita. Secundò, in

par:

Angelis præſtantior.

parvare, nempe in natura humana. Sed in aliis multis, Chriſtus eſt Angelis ſuperior.

1. Ob Deitatem.

Primò, quia Deus eſt, ita enim ſeſe dejecit infra Angelos, ut altitudinem & majeſtatem ſuam priorem non amiſerit: ſemper enim Deus fuit, Verbum, & Filius Patris æterni ipſi conſubſtantialis. S. Athan. in Symbolo: *Æqualis Patri ſecundùm divinitatem.*

2. Ob unionem hypoſtaticam.

Secundò, major & præſtantior eſt Angelis ratione unionis hypoſtaticæ. Nam cum per illam natura humana ſubſiſtat ſubſiſtentia Verbi, ideò eſt Filius Dei naturalis etiam ut homo: quia etiam ut homo involvit ſuppoſitum divinum. Unde Hebr. 1. 4. *Tanto melior* (κρείττων, præſtantior, dignior) *Angelis effectus, quanto differentius* (Græc. διαφορώτερον, excellentius, ut Syr. vertit) *præ illis nomen* (ſcilicet filii Dei) *hæreditavit.* Græc. κεκληρονόμηκε, id eſt ſortitus eſt, hoc eſt hæreditate accepit. Nam hæreditas dividebatur ſorte inter plures hæredes: hinc ſors ſæpe ponitur pro hæreditate. Angeli autem ſunt adminiſtratorii ſpiritus & ſervi Chriſti, & ipſi miniſtraverunt poſt ſuperatum dæmonem Matth. 4. 11.

3. Ob gratiam.

Tertiò, Chriſtus ratione gratiæ ſanctificantis, donorum Spiritus S. virtutum omnium eſt longè excellentior Angelis: habet enim illa omnia, ut fons & radix: Angeli, ut rivi & rami. Nam omnis eorum gratia à Chriſto profluit & ideo eſt caput Angelorum, ut docet S. Thom. 3. p. quæſt. 8. art. 4.

4. Ob dominium.

Quartò, ratione dominii, quod habet Chriſtus in omnes creaturas, eſt major Angelis, Pſal. 8. 7. *Conſtituiſti eum* (Hebr. dominari eum facies) *ſuper opera manuum tuarum.* Et verſ. 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* Vide ibi mox dicenda.

5. Ob gloriam.

Quintò, major eſt Chriſtus Angelis ob gloriam in cœlo, etiam in corpore glorioſo, quod aſcendit ſuper omnes cœlos & Angelos: Unde ait Paulus Hebr. 1. 13. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis*, Id eſt in ſumma Patris gloria & excellentiſſimis bonis, in loco cœlorum honoratiſſimo. Vide Pſal. 109. 1.

6. Ob judiciariam poteſtatem.

Sextò, Chriſtus major eſt Angelis, ob judiciariam poteſtatem. Jacobi 4. 12. *Unus eſt legiſlator & judex* (nempe Chriſtus, qui eſt Deus homo) *qui poteſt perdere & liberare.* Joan. 5. 22. Chriſtus probat ſe eſſe Deum ob illam judicandi poteſtatem: *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio.* Angeli verò judicabuntur etiam ab Apoſtolis, aliiſque ſelectiſſimis ſanctis in die judicii, 1 Cor. 6. 3. *Neſcitis quoniam Angelos judicabimus?* Malos ſcilicet Angelos, ut ait S. Chryſoſt. S. Anſelm. Theophylactus & Theodoretus, eos propriè condemnando, ut reos: & exprobrando, quod cum eſſent jam in cœlo, & incorporei, totque donis ornati, lapſi ſint: cum homines fragili corpore & mente in mediis tentationibus victores evaſerint: Secundo, etiam boni Angeli à Chriſto & ſanctis ejus aſſeſſoribus judicabuntur judicio approbationis, Laudis & glorificationis. Angelis autem ſanctis non competit judicare: quia cum Chriſtus ſecundùm humanam naturam ſit judex, oportet aſſeſſores ejus habere humanam naturam, in qua poſſint ab omnibus, bonis & malis videri, ut habetur in Supplem. S. Thomæ quæſt. 89. art. 3.

100. Homo minoratus eſt ab Angelis. Primò, quia poſt eos creatus eſt.

Quæres ſecundò: In quibus rebus homo ſit minoratus ab Angelis? Primò, in tempore creationis. Nam homo primus, nempe Adam, creatus eſt die ſexto, Gen. 1. 26. poſt producta eodem die animalia terreſtria: Evam ſeptimo die productam ex coſta Adami, putat Catharinus, ſed perperam: eodem ſexto die, & quidem in paradiſo formatam docent S. Baſil. Ambroſ. & Thomas. Angeli verò creati ſunt ante cœlum & terram, ut docet Orig. hom. 4. in Iſaiam. S. Baſil. hom. 1. Hexaem. S Greg. Naz. orat. 38. de Nativ. & orat. 42. in Paſcha. S. Chryſoſt. lib. 1. de Provid. S. Ambr. lib. 1. Hexaem. S. Hilar. lib. 12. de Trinit. Seu verius, creati ſunt Angeli cum ipſo mundo corporeo, quia Deus creavit hoc univerſum per modum unius perfecti artificii ex variis partibus conſtantis. Ita S. Thom. 1 par. quæſt. 61. art. 3. S. Aug. lib. 11. de Civit. cap. 6. & 9. & 33. & omnes Theologi moderni cum Magiſtro in 2. diſt. 2.

2. In modo productionis.

Secundò, Angeli excellentiores ſunt hominibus, ob modum productionis eorum. Primo quia omnes facti ſunt immediatè à Deo, homines autem abjectiſſimo modo à ſe invicem generantur. Unus verò tantùm eſt à Deo ipſo productus. Secundò, per creationem, id eſt productionem ex nihilo, facti ſunt Angeli, Adami corpus ex præexiſtente vili ſubjecto. Tertiò, omnes Angeli cum ſua omni perfectione naturali producti ſunt: homines, præter Adamum, infantes naſcuntur cum magnis & multis defectibus.

3. In loco.

Tertiò, Angeli excellentiores ſunt hominibus, ob locum in quo producti ſunt. Nam Angeli in aëre creati ſunt, ut putat Rupertus lib. 1. in Geneſ. cap. 11. Eugubin. lib. 7. de perenni philoſophia cap. 38. Vel, & probabilius, in cœlo ſidereo, aut in eo quod empyreo proximum eſt, ut cenſet Suarez tract. de Angelis lib. 1. cap. 4. & Lorin. in 2. Petr. 2. Vel, in cœlo ipſo empyreo, ut S. Thom. 1. par. quæſt. 61. art. 4. Magiſter in 2. d. 2. Alenſis 2. p. quæſt. 19. membr. 3. art. 2. cum Gloſſa initio Geneſis. Adam verò in terra creatus eſt, & quidem extra paradiſum, ſive juxta Hebron, ut volunt Hebræi, & ex eis S. Hieron. in quæſt. hebraicis: ſive in alio loco. Nam dicitur Gen. 2. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis*, id eſt voluptuoſo, delicioſo. Ergo extra illum erat creatus, cum in eum fuerit translatus.

4. In natura.

Quartò, Angeli ſunt excellentiores hominibus in natura & ſubſtantia ſua. Homo enim conſtat materia corporea & forma incorporea. Angelus verò eſt ſubſtantia omnino ſpiritualis & incorporea: id eſt, in ſua naturali & intrinſeca conſtitutione compoſitionem ſubſtantialem ex corpore, & parte incorporea non habens, ut definitum eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innoc. III. & refertur in cap. Firmiter, de Trinit.

5. Ob incorrupt.

Quintò, Angeli ſunt hominibus excellentiores: quia homo eſt ab intrinſeco corruptibilis ob pugnam contrariarum qualitatum, & ob appetitum materiæ varias formas deſiderantis. Angelus verò eſt ab intrinſeco incorruptibilis, cum careat materia, & qualitate omni corporea & contraria. Itaque poſtquam productus eſt, connaturalis ei eſt immutabilitas, ſeu perpetuitas in eſſe, ſeu neceſſitas eſſendi, ut docet S. Thom. 1. p. q. 50. art. 5. Cajetan. Ferrar. Durandus, & alii.

6. Ob ſpecies infuſas.

Sextò, Angeli ſunt hominibus excellentiores: quia paulatim homines acquirunt ſpecies rerum quas cognoſcunt: Angelo autem ſunt concreatæ & infuſæ in primo ſuæ creationis inſtanti: & ſpecies illæ, formæ ſunt connaturales Angelo: ita ut ſine miraculo & aliqua violentia naturali eis negari non poſſint de rebus intelligibilibus ordinis naturalis.

7. Ob actualem intellig.

Septimò, Angeli ex quo exiſterunt, ſemper fuerunt, ſunt, & erunt actu intelligentes. Homines verò tot rebus ab intelligendo ea quæ vellent, conſiderare impediuntur: morbis ſcilicet, ſomno, & innumeris nugis.

8. Ob locutionem in diſtans.

Octavò, Angeli loqui poſſunt diſtantibus à ſe Angelis, quod ſentit etiam Suares, licet velit loqui ſibi mutuo per impreſſionem ſpeciei in intellectu audientis: quia, inquit, talis actio ad medium nullam habet habitudinem. Lege illum lib. 2. cap. 28. de Angelis. Homines verò non loquuntur, niſi præſentibus.

9. Ob celeritatem res cognoſcendi.

Nonò: Angeli ſunt hominibus perfectiores in potentia ſua intellectiva; quia homo cognoſcit etiam naturalia cum diſcurſu: Angelus verò non diſcurrit in cognitione rerum naturalium, quas evidenter & prout in ſe ſunt, cognoſcit: in materia tamen ſupernaturali, & in omnibus, quæ non evidenter ſed per conjecturam cognoſcit, verè diſcurrit.

10. Ob conſtantiam in deliberatis.

Decimò: Angeli volunt efficaciter, eligunt non quidem omnino immobiliter, ſed non ita fluctuant & variant in ſua electione ſicut homines, qui inſtar fluctuum maris nunc huc nunc illuc feruntur, nunc fluunt nunc refluunt, nunc elevantur, nunc deprimuntur, & ferè nunquam in eadem voluntate conſiſtunt.

11. In potentia motiva.

Undecimò: Angeli ſunt hominibus perfectiores in potentia motiva, tum ut ſeipſa moveant celerrimè, tum ut cœlos aliáque moveant ſummâ facilitate, velocitate, conſtantiâ, & admirabilitate. Homines verò tardè & cum difficultate atque fatigatione movent ſe & alia à ſe diſtincta. Hæc potentia motiva in Angelis eſt diſtincta ab eorum intellectu, ut tradit Suares metaphyſ. diſput. 35. ſect. 6. nu. 21. & ſeqq. Aureolus in diſt. 8. quæſt. unic. art. 3. Henric. quodlib. 13. qu. 6. Gofredus quodlib. 1. quæſt. 4. Mairo in 1. diſt. 43. quæſt. 5.

12. Ob innocentiam.

Duodecimò: Angeli præſunt rebus variis & ſpeciebus, atque ipſis hominibus. Denique, quod maximi faciendum eſt, Angeli beati nunquam peccârunt: omnes autem homines peccârunt, vel actuali peccato, ut Adamus: vel ſaltem habent originale peccatum, ut parvuli: vel habent & originale & actuale, ut grandiores. Excipe ſemper Chriſtum, qui ab intrinſeco fuit impeccabilis ob unionem: & Deiparam, quæ per ſingularem Dei providentiam & benevolentiam liberata eſt ab omni prorſus peccato.

101. Homines viciſſim ſunt Angelis præſtantiores.

Quæres tertiò: In quibus rebus homines ſunt Angelis ſuperiores? Reſp. Sicut in naturæ perfectionibus homo ſuperatur ab Angelo: ita in ſtatu gratiæ, Angelus ab homine ſuperatur in multis.

1. Ob unionem hypoſtaticam Chriſti.

2. Deipara eſt regina Angelorum.

Primò: Humana natura in Chriſto unita eſt Verbo, & elevata ſupra choros omnium Angelorum, ut dixi quæſito primo. Secundò: Deipara eſt Mater Dei & Regina Angelorum, de qua vide Pſ. 44. 10. Sancti ſunt fratres Chriſti, Matth. 28. 10. Chriſtus ipſe gloria reſurrectionis refulgens ait mulieribus: *Nolite timere: ite, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Fratres vocat, quia ſunt filii ejuſdem patris, ſed adoptivi per gratiam, cùm ipſe ſit filius naturalis per Deitatem, quam ab eo accepit, ut Deus: & per unionem hypoſtaticam cum Deitate, quam ab eo accepit, ut homo: Nam ut homo includit etiam perſonam divinam, in qua & per quam ſubſiſtit natura humana, quæ caret propriâ ſubſiſtentiâ; & ſic non ſubſiſtit in ſe, ſed in Verbo. Angelis autem hoc nomen fratrum Chriſti non convenit, neque ſic appellati reperiuntur, quia non habent eandem naturam.

3. Homines dant remiſſionem peccati & gratiam.

Tertiò: Homines peccata remittunt, & cœlum authoritativè aperiunt, ſententiam abſolutionis ferendo: aut claudunt, eam negando. Vel etiam ſententiam condemnationis ferendo per excommunicationem, Matth. 18. verſ. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Inde poteſtatem ſacerdotum remittendi peccata per Sacramentum pœnitentiæ & contumaces excommunicandi colligunt S. Aug. S. Hilar. S. Chryſoſt. & alii. Concilium autem Baſileenſe in oratione Henrici adverſus 3. art. Bohemorum notat ex S. Thoma triplicem ligandi & ſolvendi poteſtatem. Primò: Poteſtatem authoritatis, quæ ſoli DEO competit. Secundò: Poteſtatem excellentiæ, quæ Chriſto eſt propria. Tertiò: Poteſtatem miniſterii, quæ ſolis ſacerdotibus, non item Angelis conceſſa eſt. Malachias Propheta ait de ſacerdote, cap. 2. 7. *Sacerdos Angelus Domini exercituum eſt.* Sept. ad rem noſtram aptè reddent: *Angelus Domini omnipotentis eſt*, q. d. ſacerdos non eſt quilibet Angelus, ſed quo, & per quem Deus omnipotentiam ſuam probat.

4. Homines conſecrant Chriſti Corpus.

Quartò: Homines ſunt præſtantiores & potentiores Angelis, quia habent poteſtatem in ipſum Chriſti corpus, quod conſecrant, ubi, quando, & quoties volunt, quod Angeli omnes ſimul juncti facere non poſſunt. Verè itaque S. Greg. Nazianz. Apolog. 1. *Veritatis Antiſtes & propugnator, cum Angelorum claſſe atque ordine eſt; cum Archangelis Deum celebrat, ad ſupremum altare ſacrificia tranſmittit, ſimulque cum Chriſto fungitur ſacerdotio, figmentum inſtaurat, imaginemque Creatori ſiſtit, & ſupernum mundo opificem agit, &, ut quod majus eſt, dicam, DEUS eſt, alióſque deos efficit.* Ita Gregorius.

5. Conferunt alia Sacramenta.

Quintò: Hominum etiam eſt, non Angelorum, Sacramenta Baptiſmi, confirmationis, extremæ unctionis, & cætera miniſtrare, in quibus gratia datur ex opere operato; cum Angeli ſuis monitionibus & illuſtrationibus tantùm excitent ad actus virtutum, quibus gratiam acquirimus, conſervamus & augemus.

6. Faciunt miracula.

Sextò: Hominibus quoque data eſt virtus miraculorum, v. g. mortuos ſuſcitandi, illuminandi cæcos, leproſos mundandi, &c. quod Angelis non videmus ſæpè eſſe conceſſum.

7. Per Virginitatem glorioſius vincunt.

Septimò: Per virginitatem, & alias virtutes, homo fit ſuperior Angelis, ut patet in B. Virgine, & quibuſdam ſanctis excellentibus, qui multos Angelos in gloria ſuperabunt. S. Thomas vocatus eſt Doctor Angelicus; S. Bonaventura Doctor Seraphicus: de aliis omnibus piè viventibus dicit S. Greg. Naz. carmine 14.

Magnus homo eſt, imò novus Angelus, ipſe ſenecta

Si poſita, ut ſerpens, ſidera ſumma petat.

Neque tamen approbo Originis opinionem, dicentis corpus terreoum non habituros beatos in cælo: Dixit Chriſtus Matth. 22. 30. *In reſurrectione* (hoc eſt in futuro ſeculo, ut exponit Lucas cap. 20. 35.) *neque nubent* (viri) *neque nubentur* (fœminæ) *ſed erunt ſicut Angeli* (inſtar Angelorum, ut reddit Arabs) *Dei in cælis.* Sed hoc intelligendum eſt primò de puritate: Secundò: De vita ſpirituali. Tertiò: De incorruptione & immortalitate. Quartò: De felicitate & gloriâ. Etiam in hac vita virgines Angelis etiam præſtantiſſimis æquiparat. S. Baſil. de Virginitate, cap. 79. *Hi, ait, qui continentiam ſervant, profectò Angeli ſunt, qui viventes in carne corruptibili mortalium vitam illuſtrando tuentur. Sunt autem Angeli non ex infimo quovis ordine, ſed certè illuſtriſſimi & nobiliſſimi. Illi enim carneis nexibus liberi integritatem ſuam in cælis ſervant, & loco & natura inviolabiles, & apud ſummum regem omnium Deum conſiſtunt. At verò illi in terra carnis illecebris & voluptatibus diu reluctantes, ac diaboli tentamenta perpetua exercitatione vincentes, incorruptionem Angelicæ puritati parem, virtute præcipua ante Creatoris oculos cuſtodierunt.*

8. Myſteria norunt.

9. Erunt aſſeſſores in die judicii, & Ang-

Octavò: Aliqua myſteria didicerunt Angeli per Eccleſiam, ut habetur Epheſ. 3. 10. Nonò denique, Apoſtoli aliique excellentiſſimi ſancti in die judicii erunt aſſeſſores Chriſti, ut jam dixi, & Angelos tam bonos quàm malos judicabunt, 1 Cor. 6. 3. Igitur vitam vivamus Angelicam, Angeli

im-

gelos judicabunt. immateriales pinguntur forma humana & corporea, cujus rei cauſas fusè & piè proſequitur, S. Dionyſ. lib. de cæleſti hier. num. 144. nos in humano corpore mentem & ardorem lumenque Angelorum conquiramus.

102. Homo eſt Deo ſimilis. Angelorum & Seraphinorum aliis aſſumptis homo altius evolat, in Deum ſeſe immittit, & in eum transformatur, fitque ſimilis altiſſimo. Hoc etiam à Propheta noſtro diſcimus: *Minuiſti eum paulo minus* מאלהים *me elohim*, id eſt *à Deo*, ut vertit Theodotio, S. Hieron. Felix, Pagn. Arias; ſed perperam Cajetan. Eugubin. & Clarius hanc verſionem Vulgatæ præferunt: & longè deterius Faber & Cætus Burgenſis noſtram de codicibus & ora noſtro tollendam putant.

Eſt parvus Deus. Moraliter hinc diſce, hominem eſſe non ſolùm parvum mundum, ſed etiam parvum Deum, ſi rectè vivas. S. Greg. Naz. orat. 16. de pauperum amore, hominem vocat, μοῖραν θεοῦ, id eſt *partem Dei*: atque, ἄνωθεν ἐῤῥυηκότα, id eſt, *qui supernè fluxit*. Quæ Nicetas explicans, ait, nos dici portionem Dei. Primò, quod noſtri rationes in Deo

Pars Dei & cur.

1. prius extiterint: supernè verò defluxiſſe, quod non ſecundum rationem eam, quæ in Deo prius erat, &
2. ſecundùm quem facti ſumus, nati ſumus. Secundò, quod Dei verbum virtutis illius, qua præditus eſt, eſſentia eſt, per virtutem verò particeps eſt Dei
3. vir pius. Tertiò, quia propter eam animæ partem, qua intelligimus, ipſius propriè ſumus: ſiquidem Deitatis propriæ ſunt eæ naturæ quæ intelligentia
4. prædiræ ſunt. Quartò principatus ratione, per quem ſcilicet ad Dei imaginem facti fuiſſe dicimur: supernè fluere anima dicetur apertius, quod à Deo ſolo infuſa ſit, & creata. Vide quæ dixi Pſal. 81. 6. *Ego dixi, dii eſtis, & filii excelſi omnes.* In quo conſiſtat ratio imaginis & ſimilitudinis cum Deo, vide apud Cornel. Geneſ. 1. 26. in illud. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* S. Epiphanius hominem vocat lib. 2. adverſus hæreſes μίμημα τῆς ἰδίας εἰκόνος ἐμφερὲς, id eſt, ſimulacrum quoddam ad Dei effigiem effictum. S. Baſil. Seleuciæ Epiſc. orat. 2. vocat eum, εἰκόνα τοῦ πλάσαντος, id eſt animatum fictoris ſignum. S. Greg. Nyſſ. orat. in eos, qui ægrè ferunt reprehenſ. ait: *Vere divina & ſacra res eſt ratio.* Et Philo in Coſ-

Eſt imago Dei. mopœia pag. 11. *Dicitur, ait, homo imago Dei, juxta mentem rectricem animæ: ad illud enim ſingulare veu archetypon, in unoquoque mens effigiata eſt, quodammodo Deus ejus, qui ipſum circumfert, ac ſtatuam. Sicut enim ſe habet magnus ille Imperator ad univerſum mundum, ita ſe habere videtur humana mens ad hominem. Inviſibilis enim eſt videns ipſa omnes res.* Imago Dei eſt in donis naturalibus, ſimilitudo in gratuitis. De ſimilitudine ait S. Ambroſ. lib. de dignitate humanæ conditionis, cap. 3. *Sicut Deus creator, qui hominem ad ſimilitudinem ſuam creavit, eſt charitas, eſt bonus & juſtus, patiens atque mitis mundus & miſericors, & cætera ſanctarum virtutum inſignia, quæ de eo leguntur. Ita homo creatus eſt, ut charitatem haberet ut bonus eſſet & juſtus, ut patiens atque mitis, mundus & miſericors foret. Quas virtutes quanto plus quiſque in ſemetipſo habet, tantò propiùs eſt Deo, & majorem ſui conditoris gerit ſimilitudinem.*

103. Verſ. 6. 2. Pars. Homo in ſe ſpectatus, gloria coronatur. Secundò: Propheta noſter poſtquam conſideravit hominem comparatum Angelis & Deo ipſi à quibus eſt minoratus, ſpectat eum ut in ſe eſt. Verſ. eod. 6. *Gloria & honore* (Hebr. הדר *hedar*, id eſt decore, ut vertit S. Hieron. 2. Gloria, ut Syr. 3. Pulchritudine, ut Sept. reddunt Pſal. 95. 6. 4. magnificentia, ut Sept. Pſal. 110. 3. denique S. Chryſoſt. refert in Pſal. noſtro legentes auctoritate) *coronaſti eum*, id eſt cinxiſti, ut vertit Syrus. Hoc enim etiam ſignificat Hebr. עטר *atar*, unde vernaculè dicimus *entourer*, hoc eſt cingere, circumdare. 2. Et melius. Noſter, S. Hieron. Felix, & plerique reddunt *coronaſti*, & alii apud S. Chryſoſt. coronabis, & Pagn. coronatum es. Unde ab עטר *atar*, etiam deducimus *atour*, id eſt, ornatus quo collum, brachium, ac præcipuè caput decoratur.

Nota. Gulielmus Sceprius cenſet, poſſe Davidem videri loqui de ſeipſo propter victoriam de Goliatho reportatam, 1 Reg. 17. Secundò: Certum eſt maximè propriè agi hic de Chriſto, cum Paulus hunc de eo locum citet Hebr. 2. Tertiò: Etiam agitur de omni homine, qui eſt à Deo gloria & honore coronatus. 1. Quia factus eſt ad Dei imaginem & ſimilitudinem, ita S. Cyrill. S. Chryſoſt. S. Thomas. 2. Quia mentem habet libertatis, ratiocinationis, gratiarum, beatitudinis, & Dei ipſius capacem. 3. Quia conſtituit eum Deus ſuper opera manuum ſuarum, ut dicetur infra. 104. Præcipuè Chriſtus, cujus

Quæres: Quot coronis coronatus ſit Chriſtus, cum dicatur Apocal. 19. 12. *In capite ejus diademata multa* διαδεῖν, ſignificat obligare, circumligare: hinc διάδημα, eſt redimiculum & obligaculum: diadema itaque regium erat faſcia candida, quæ Regum capitibus obligabatur: poſtea mutata eſt illa faſcia in coronam auream & gemmatam. Reſpondeo. Primò, Chriſtum coronatum eſſe ſtola humanæ naturæ: hanc enim ſibi Verbum divinum circumpoſuit ut coronam, in primo Incarnationis puncto. Hac corona donatus eſt à matre ſua Deipara, Cant. 3. 11. *Egredimini & videte filiæ Sion* (animæ ſanctæ) *Regem Salomonem* (Jeſum pacificatorem cœli & terræ) *in diademate, quo coronavit illum mater ſua, in die deſponſationis ſuæ*, (In Incarnatione eum ſe univit naturæ humanæ per unionem hypoſtaticam: ſolebant autem à matribus coronari filii, cum fierent Sponſi in nuptiis) *& in die lætitiæ cordis ejus*. Prov. 8. 3. ait Sapientia increata, id eſt Verbum divinum, *deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*. Hanc coronam, quomodo dederit Virgo, exponit S. Ambroſ. de inſtit. Virg. cap. 16. *Beatus, ait, Maria uterus, qui tantum Dominum coronavit, quando formavit: coronavit eum, quando generavit, quia etſi eum ſine aliqua operatione ſui formaverit, quia Spiritus ſanctus ſupervenit in Virginem: unde & ipſe in Pſalmo 138. ait: Imperfectum meum viderunt oculi tui, tamen hoc ipſo quod ad omnium ſalutem eum concepit & peperit, coronam capiti ejus æternæ pietatis impoſuit, ut per fidem credentium fieret omnis viri caput Chriſtus.* Si hunc in caput noſtrum ſumamus, eique nos uniamus & ſubjiciamus, habebimus caput coronatum.

Coronæ ſunt variæ.

105. Prima Chriſti corona eſt ejus Humanitas.

Secunda Chriſti corona, ſcilicet corona ſpinea, qua coronatus eſt à malis, ſeu potius à noverca ſua ſynagoga: nempe à Judæis, per quorum invidiam, malitiam & calumnias eſt ea corona cinctus & appenſus cruci, quæ ejus thronus fuit, ut dicam Pſ. 9. Hæc verò ſpinarum corona, etiam gloriæ & honoris corona fuit Chriſto. Theodoretus in Cantica: *Matrem, ait, appellat Salomon Judæam, quantum pertinet ad Chriſti humanitatem, quæ charitatis coronam illi invita impoſuit: ſpinis enim illum contemptus cauſa coronavit*, αὐτὸς διὰ τῶν ἀκανθῶν τὸν τῆς ἀγάπης ἐδέχετο στέφανον, *ipſe verò per ſpinas ſuſcepit diadema charitatis.* Dixerat Deus Adamo poſt admiſſum peccatum. Gen. 3. 17. & 18. Maledicta terra in opere tuo, *ſpinas & tribulos* germinabit tibi. Chriſtus, qui in hunc mundum venerat, ut languores noſtros & dolores ipſos portaret, ſpinas ipſas vertit in gloriam & coronam. S. Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſtol. 95. id viderat, cum dicebat: Quia execratione illius, qua terra poſt mandatum à nobis violatum mulctata, ſeges ſpinea erat: Dominus autem, ut omnem in ſeipſo morbum curaret, advenerat, idcirco corona ſpinea,

106. Secunda eſt corona ſpinea.

nea ὡς νικηφόρος *victor*, redimitus eſt: quemadmodum ſcilicet clari ac celebres victores faciunt, qui hoc ipſum telum aut inſtrumentum, cujus ope victoriam conſecuti ſunt, in triumphum geſtant. Confidite, ait Dominus, ego vici mundum. Ita Iſidor. Infigebatur autem capiti illa corona, ut Chriſti regnum ſtabile atque æternum declararet. Dies erat deſponſationis, tunc enim dealbabat ſponſam ſuam in Sanguine ſuo, eam oſculans, ut efficeret ſibi eam ſponſam non habentem maculam neque rugam.

107. 3 Corona gloriæ in reſurr. & aſcenſ. Tertia Chriſti corona, fuit corona gloriæ in reſurrectione & aſcenſione, cùm de morte & diabolo triumphans ſedit ad dexteram Patris omni honore decoratus. De illa præſertim corona hîc agit David, cum ait: *Gloriâ & honore coronâſti eum.* Et Hebr. 2. 9. *Eum autem qui modico* (id eſt paulominus) *quàm Angeli minoratus eſt, videmus JEſum propter paſſionem mortis* (quia paſſus & mortuus eſt) *gloria & honore coronatum, ut gratia Dei* (gratuita Dei miſericordia) *pro omnibus* (Græc. ὑπὲρ παντὸς, id eſt, pro omni, pro quolibet) *guſtaret mortem*, q.d. videmus JEſum coronatum ob paſſionem ſuam & mortem, quam non ex neceſſitate, ſed ex mera gratuita charitate guſtavit paulisper, mox poſtea reſurgens glorioſus: ſic non erat neceſſarium hyperbaton, quod admittit Cornelius, verba tranſpoſita eſſe aſſeverans.

4. Corona dominii. Quarta Chriſti corona, eſt corona dominii & regni, qua etiam eſt coronatus ego ipſo die, quo ſedit ad dexteram Patris in throno regio: & conſtitutus eſt Rex hominum & Angelorum, qui ſtatim illi homagium exhibuerunt; &, ut ſic loquar, in verba ejus jurarunt. Die Pentecoſtes miſſo Spiritu S. cœpit in terris corona illa magis clareſcere, & in dies ſingulos magis magiſque per Orbem univerſum dilatari: Paulus Theſſalonicenſibus, quos Deo lucratus erat, ait 1 epiſt. 2. 19. *Quæ eſt noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ?* (id eſt corona glorioſa, ſplendida & illuſtris) *Nonne vos ante Dominum* (id eſt, in conſpectu Domini, coram Domino) *noſtrum JEſum Chriſtum in adventu ejus?* Hoc eſt, in die judicii. Sic tota Eccleſia eſt corona Chriſti, & gemmæ illius coronæ ſunt omnes Chriſtiani, & eorum virtutes. S.Ambroſ. ſerm. 15. in Pſal. 115. Quæ eſt corona, quâ coronatur Chriſtus, niſi corona gloriæ? Joſeph coronam habuit caſtitatis, Paulus juſtitiæ, Petrus fidei, ſingularum virtutum coronæ ſunt: ſolus Chriſtus habet coronam gloriæ, qua eum Eccleſia coronavit. In hac corona omnes coronæ ſunt: quia gloria non portio unius coronæ, ſed præmium omnium coronarum eſt. Ita Ambr. Illa Chriſti corona erit perfecta poſt diem judicii, cum omnes electi corpore & animo glorioſi eum circumſtabunt, laudabunt, & coronas ſuas ad pedes ejus adjicient. Ap. 4. 10.

5. Corona ſacerdotali. Quinta Chriſti corona, eſt corona ſacerdotalis. Eſt enim ſummus Pontifex, qui ſolus intravit in ſancta ſanctorum propriis poteſtate, & illa aperuit omnibus velo reſciſſo. De eo ſub typo JEſu filio Joſedec habes Zachar. 3. 5. *Et dixit* (Angelus Michael) *ponite cidarim* (mittam, ſicut tiaram pontificiam) *Mundam ſuper caput ejus. Et poſuerunt cidarim mundam ſuper caput ejus, & induerunt eum veſtibus, & Angelus Domini ſtabat* ut ſervus ante regem. Nota, in tiara Pontificia erat Lamina aurea annexa, cui erat inſculptum nomen Jehova. JEſus autem cum ſit Verbum divinum, eſt etiam Jehova, & per ſe exiſtens. 2. Illa tiara erat facta in formam triplicis coronæ; ut denotaretur, ait Philo, pontificem eſſe eminentiorem omnibus regibus. Vide plura de variis Chriſti coronis. Pſal. 20. 4. *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo.*

Quæres ſecundò: Quomodo putas homines gloria & honore *coronavit* Deus in hac terra? Reſp. Corona regius eſt ornatus: coronavit Deus hominem, cum eum orbis Dominum ac regem conſtituit. Gen. 1. 28. ait Deus Adamo & Evæ: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite terram* (illam colite ejectis ac domitis feris) *& dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* S.Epiphan. hominem vocat *mundi mundum alterum*, in ſe enim continet omnes perfectiones rerum creatarum: eſt enim corpus, ut in animat vivit, ut plantæ: ſentit, ut animalia: intelligit, ut Angeli. Philo clarè regem hominem appellat in Coſmopœia. *Homo*, inquit, ἡγεμονικὸν φύσει ζῶον, *animal ad imperandum natum, non natura tantum & re ſed & verborum authoritate*, ἁπάντων βασιλεὺς, *omnium rex conſtitutus eſt exiſtentium ſub Luna: terreſtrium, aquatilium & volucrum.* Deinde addit, οἷα ὕπαρχός τις τοῦ πρώτου καὶ μεγάλου βασιλέως, *tanquam ſubpræfectus quidam primi & magni Imperatoris.* Hinc S.Greg. Nyſſ. lib. de hominis opificio cap. 2. ait, hominem fuiſſe productum à Deo poſt productionem cœli, terræ, Solis, lunæ, ſtellarum, animalium omnium & rerum cæterarum; ut palatium in quo quieſceret, & populum cui præſideret, extructum & paratum ſibi reperiret. Neque enim decens erat, ut omni ſatellitio deſtitutus, princeps ſolus crearetur. 108. Homo eſt rex orbis.

109. Ejus palatium eſt totus mundus. Primò itaque, Aula regia hominis eſt univerſus hic mundus: Pavimentum aulæ, eſt terra herbis floribus, & plantis ornata & ſua mole firmata. Parietes in altum erecti, ſunt montes cacumen nubibus inferentes. Laqueare ac tectum ſunt cœli ſtellis tum errantibus tum fixis radiantes, Jerem. 10. 12. *Qui facit terram in fortitudine ſua, præparat* (Hebr. מכין *mechin*, id eſt ſtabiliens) *Orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua, extendit cœlos.* Palatium illud homini paravit Deus. S.Epiph. lib. 2. adverſus hæreſes: προητοίμασε, ait, ὡς οἰκίαν αὐτῷ, καλλίστην τὸ πᾶν. *Totum hunc mundum velut egregium quoddam prætorium præſtruens, hominem Deus tanquam ſimulacrum quoddam ad ſui effigiem expreſſum in Orbem induxit, ac velut exquiſitum ſignum manibus ſuis elaboratum præclaro in templo conſtituit.* S.Gregorius Nyſſenus ſignatius ad mentem noſtrã. Idcircò, inquit, univerſitatis Creator ei qui imperaturus erat, τινὰ βασίλειον καταγωγήν, *quandam ſedem regiam* præſtruxit. Ea verò terra erat, & inſulæ, & mare, & ipſum cœlum, quo hæc omnia, tanquam tecto, concamerantur.

110. Ejus ſupellex ſunt omnes res mundi. Secundò, Non eſt illa aula inanis & vacua, ſed periſtromatis, tapetibus, auro, argento, gemmis, omnique regia ſupellectile exornata: nempe herbis, floribus, arboribus, vineis, avibus, piſcibus, cæteris animalibus & rebus in imis vallium, in ſummis montium, in medio aëris, in penetralibus terræ, in planitie camporum, in fundo maris. Hæc omnia Dei ſunt, & ea dat homini, Pſ. 23. 1. *Domini eſt terra, & plenitudo ejus* (id eſt, rerum omnium copia, quibus terra & mare, quod cum ea unum globum efficit, implentur. Apollinaris vertit, κόσμος, id eſt, ornatus) *Orbis terrarum* (οἰκουμένη id eſt terra habitata) *& univerſi, qui habitant in eo. Quia ipſe ſuper maria fundavit eum: & ſuper flumina præparavit eum:* hominibus ſcilicet, & quidem conſtanter duraturum: pro *præparavit* Hebr. eſt יכוננה *jeconen*, id eſt, ſtabilivit, ut vertit S. Hier. firmavit, præparavit, inſtruxit. S. Gregor. Nyſſenus lib. de hom. opific. regias opes in mundo eſſe advertit, atque claudi in terræ ſinu, καθάπερ τισὶ βασιλικοῖς θησαυροῖς, id eſt, *velut in theſauris regiis.*

111. Homo. Tertiò, Homini Deus dedit formam regiam, erectam in cœlum, feris ipſis & aliis animalibus ve-

neran-

minis forma eſt regia

netandam, Eccli. 17. 1. *Deus creavit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum*, ut etiam dicitur Gen. 1. 16. Imago illa Dei eſt in homine ſive ſpectes animam ſecundùm perfectiones naturales, ſive ſecundùm ſupernaturales. Naturalis imago Dei in anima eſt, quod ſit ſpiritualis, habens intellectum, voluntatem, memoriam, libertatem, dominium in cætera animalia & creaturas: imago autem ſupernaturalis conſiſtit in gratiæ habitualis pulchritudine, in virtutibus tum Theologicis, id eſt fide, ſpe, & charitate, tum intellectualibus, tum moralibus, ſive à Deo infundantur, ſive labore acquirantur. Sic homo ſuo exemplari Deo ſimilis ſit, quantum creaturæ ratio patitur. S. Epiphan. lib. 2. adverſus hæreſes ait, hominem eſſe Divinitatis venerandum ſimulacrum, quod Deus hoc in orbe, velut in templo, poſuit, ut ab omnibus creaturis honoretur. [illegible], inquit, [illegible]. *Velut exquiſitum ſimulacrum manibus ſuis elaboratum præclaro in templo conſtituit.* S. Chryſoſt. in Pſalm. 9. dicit, hominis fabricam immenſum pelagus narrationum ſuppeditare. Plotinus omnia verba concludit, cùm ait: *Homo tam pulchrum opificium eſt, quàm pulchrum eſſe poteſt.* S. Greg. Nyſſenus de hom. opific. cap. 5. animæ pulchritudinem ſtatuit in immunitate à perturbationibus, beatitudine, conditione omnis mali expertè, ac ſimilibus, [illegible], *per quæ ſimilitudo & conformatio cum Deo efficitur.* Ad iſtum præſentem aptè hominem vocaverat cap. 4. [illegible], id eſt, *vas & inſtrumentum regno adminiſtrando idoneum.* In corpore hominis non eſt quidem Dei ſimilitudo; ſed ipſa corporis conformatio, majeſtas, vultus, ſermonis facultas, cæteraque, regium neſcio quid ſpirant.

112. 4. Thronus eſt regius.

Quartò, Thronus in quo regina ratio reſidet, atque unde reddit oracula & leges ſancit, caput eſt: quod celſiſſimo in loco corporis poſuit natura, ut inde cætera circumſpectans omnibus provideret. Plato in ſecunda Timæi parte appellat caput *membrum diviniſſimum, reliquorumque membrorum princeps, cui totum corpus connexum Deus ſubeſſe & parere juſſerit.* Caſſiodorus vocat *animæ tribunal.* In capite enim omnes ſenſus vigent, qui inſtar ſatellitum thronum hunc ambiunt, ac tuentur, & ad principem ac Regem animum, & ad reginam rationem omnia deferunt, quæ foris adveniunt, ejuſque mandata omnibus perferunt. Hinc caput pro toto homine ſumitur. Proverb. 10. 6. *Benedictio* (affluentia bonorum omnium) *Domini ſuper caput juſti*, id eſt, ſuper juſtum; ſupple, deſluet.

113. 5. Veſtis regia.

Quintò, Chlamys regia & paludamentum hominis, eſt in corporis & animæ pulchritudine. De fœmina forti, id eſt anima ſancta, ait Salomon Proverbiorum 31. 22. *Stragulatam veſtem* (id eſt, veſtem diverſis figuris, coloribus, liciis variegatam & ornatam per variam ſive texturam, ſive acupicturam, ſive inciſuram, &c. Hebr. מרבדים *marbaddim*. R. Levi ait eſſe ornamenta pulchra tecti. R. Emmanuel clarius dicit eſſe pannos aut cortinas lecti. Syrus vertit, lectum, id eſt, lectiſternium, ſeu lecti ſtragula. Chald. ſtrata. Symmach. tapetes. Theodotio, periſtromata. Noſter hoc loco benè reddit, ſtragulatam veſtem) *fecit ſibi*: (per varietatem omnium virtutum) *byſſus* (id eſt, pudicitia) & *purpura* (id eſt, amor ſeu charitas) *indumentum ejus.* Sic non timet ſibi à frigoribus nivis. Non eſt ornatus ejus mollis, ſed virilis verſ. 25. additur: *Fortitudo & decor indumentum ejus*, (Septuag. fortitudinem & honeſtatem induit) decor enim ibi ſignificat morum honeſtatem, decus & gratiam (*& ridebit in die noviſſimo*:) etiam in eo retinebit decorem & alacritatem, ac majeſtatem vultus manantem ex interiori mentis fortitudine. Syr. *Exultabis in die extremo*, id eſt, in ſenectute, & ipſa morte. De Chriſto dicitur Pſal. 44. ℣. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum, &c.* Chald. vertit, *Pulcher es animo & corpore, Rex Meſſia, præ reliquis hominibus.* Hebr. יפיפית *iophiaphitha*, propriè ſignificat valde pulcher extitiſti, pulchritudine maximè excelluiſti. Hebræi enim per geminationem primæ & ſecundæ literæ radicalis denotant intenſionem, corroborationem ac præſtantiam rei alicujus, & cùm careant ſuperlativo, nonnunquam per illam iterationem eum exprimunt. De Sanctis præteris habes, Eccl. 44. 6. *Homines divites in virtute* (id eſt, in fortitudine & robore, omnibuſque virtutibus) *pulchritudinis ſtudium habentes, pacificantes* (à pace mentis oritur pulchritudo & decor vultus totiuſque corporis) *In domibus ſuis* (in animæ potentiis, & in ſua familia) *Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis*, (id eſt, dum vivunt) *habentur in laudibus.* S. Gregorius Nyſſenus lib. de Opificio hominis, docet virtutes eſſe animæ, inſtar veſtis purpureæ, ſceptri Regii ac diadematis. Sic enim cap. 4. ait: [illegible]. *Pro purpura, hæc Dei imago* (homo ſcilicet) *amicta eſt virtutibus, quo cultu nihil magis regium eſſe poteſt. Pro ſceptro, immortali beatitate ſuffulta. Pro regia faſcia juſtitia corona exornata. Denique de omnibus, quæ majeſtati regiæ conveniunt, apparet unam hanc imaginem*, [illegible], *pulchritudinem principis exemplaris accuratè referre.* Ita Greg. Nyſſenus.

Sextò, Hominis regis arma regia ſunt: non cornua, ut tauro; non ungues, ut aquilæ; non venenum, ut ſerpentibus; non velocitas, ut cervis; non proboſcis, ut elephantis; non dentes, ut canibus; non pennæ, ut volucribus; non pinnulæ, ut natatilibus; ſed ingenioſa rationis inventa, quibus & taurorum infringat cornua, & aquilarum ungues implicet, & venena colubri eximat, cervorum curſus elidat, proboſcidem elephanti ſuos in uſus convertat, canes ad famulitium ſuum adhibeat, celeri volatu aerem ſulcantes aves, & in mari remigantes piſces, laqueis, retibus, globis æneis, aliiſque innumeris modis præveniat, occupet, invadat & & abſumat, ab iiſque omnibus in terra, aere, & mari diſperſis, tanquam Rex omnium, debitum vectigal repoſcat. In ipſa creatione hanc ſolertiam Deus indidit Adamo & Evæ, de quibus dicitur Eccleſiaſtici 17. 5. *Cor dedit illis excogitandi: & diſciplina intellectus* (id eſt, ſcientia intelligentiæ, ut alii vertunt: id eſt, cognitione rerum naturalium) *replevit illos. Creavit illis ſcientiam ſpiritus* (id eſt, rerum ſpiritualium: nempe Dei, Angelorum, virtutum, gratiæ, beatitudinis æternæ, myſteriorum cæterorum. Syr. reddit, ſapientiam: Tigurina, ingenioſam ſcientiam) *ſenſu* (id eſt, prudentiâ. Syr. conſilio) *replevit cor eorum, & bona & mala oſtendit eis.* Hæc una perſpicacitas & induſtria, ac ſapientia pro omnibus armis eſt. Lactantius lib. primo de Opificio Dei, capite ſecundo. *Hominem*, ait, *Deus ſtatuit nudum & inermem, quia & ingenio poterat armari, & ratione veſtiri. Hominem quoniam æternum animal atque immortale fingebat, non forinſecus ut cætera, ſed interius armavit: nec munimentum ejus in corpore, ſed in animo poſuit.* Et cap. ſeq. fusè eos arguit, qui novercam homini naturam fuiſſe effutiunt. 114. 6. Arma regia, ſunt rationis inventa.

Septimò, Hominis regis ſatellites, ſunt ſenſus omnes, tum interni, tum externi, & membra corporis, atque appetitus cum ſuis paſſionibus. Eccl. 17. 1. 115. 7. Satellitia regia.

Conſilium

gii, ſunt ſenſus omnes.

Conſilium (hoc eſt, vim & facultatem conſolandi, deliberandi, eligendi. Tigurina reddit, judicium) *& linguam, & oculos, & aures dedit illis.* Adamo Deus ſcilicet & Evæ, & poſtea ejus poſteris. Conſilium ſeu judicium mentis eſt veluti prima horologii rota, ad cujus motum ac nutum cæteræ vertantur: vel, eſt primus princeps in regno, vel moderator in aula, cujus gubernationi ac voluntati omnes nobiles, cuſtodes ac milites ſubſint. Voluntas eſt regina aut gubernatrix imperans ſecundùm judicium prævium, ad ejus imperium clauduntur & aperiuntur oculi, aures eriguntur, manus operantur, pedes ambulant, lingua loquitur, & cætera fiunt. Ita autem aptè Deus in corpore humano omnia diſpoſuit, ut non tantum ornamento, ſed etiam ſecuritati providerit. Id accuratè & ingenioſè oſtendit Theodoretus l. 3. de Providentia: Ἐγκέφαλον, ait, οἷόν τινα πλοῦτον ἐν τῇ κεφαλῇ, καθάπερ ἐν ἀκροπόλει, φυλάττεται. *Cerebrum inſtar theſauri in capite, tanquam in arce, cuſtoditur. Quandoquidem autem arcis præfecto, menti ſcilicet, ſpeculatoribus opus erat, ſimul & hos addidit rerum conditor. Nec uni ſolum hanc ſpeculam concredidit, ſed binos excubitores conſtituit aut vigiles: & hunc quidem eu, qua ad ſiniſtram ſunt, alterum autem, qua à dextra conſiſtunt, obſervare & ſpeculari juſſit.* Quia verò iidem illi cuſtodibus ſimul ac pinnis atque propugnaculis, & vallo opus habebant, nec in his conſtituendis urbis hujus conditor negligentior viſus eſt; ſed quibus videndi ſenſus commiſſus erat, pinnarum & propugnaculi loco, *ſuperciliorum caſtella* impoſuit, quibus hi protecti, ea quoque quæ longius diſtant, tutò proſpiciunt. Illis ipſis autem vel pinnis vel propugnaculis, recti loco, quod supernè delabentes pluvias arceat, tenues quosdam, & ad exteriores faciei partes vergentes pilos inſevit, qui à fronte defluentem ſudorem excipiant, & inter ſe diviſum per tempora diſtillantes, hac quoque moleſtiâ vel damno oculos liberent. Porrò cùm *armatura* quoque muniendi eſſent illi cuſtodes, palpebrarum tunicis illos induit, illiſque ceu *haſtilia quædam & tela*, pilos & cilia vocant, dedit: qui nequaquam ut ſuperciliorum pili inflexi ſunt, ne ex propugnatoribus hoſtes, vel inſidiatores reddantur. Nec etiam ſecundùm rectam lineam extenduntur, ne in palpebrarum conjunctione ſeſe invicem atterant; ſed foras nonnihil extenduntur, ut ea quoque, quæ ex tenuiſſimis corporibus damna accidunt, oculis arcerent. Cùm enim ventus vehementiori flatu obruitur, non tenuior modò, ſed & craſſior pulvis, tum feſtucæ etiam, & ſi quæ ſunt alia hujuſmodi excitantur, imò culices quoque & quæcunque ſunt his ſimilia animalcula in oculos involant: ubi verò cilia, inſtar palorum & ſudium, præfixa conſpexerint, retrò fugiunt. Ita Theodoretus de oculis, per alios ſenſus excurre. Deſcriptionem partium corporis & admirationem habet S. Ambr. in Hexaem.

Reſtat denique, ut hominis regis ſubditos videamus, quos illi attribuit Propheta noſter verſu
Verſ. 7. 7. *ET CONSTITUISTI* (Hebr. תמשיל *thamſil*,
id eſt, dominari facies, ut vertit Pagninus, conſtituiſti dominatorem, ut Felix, dabis ei poteſtatem, ut S. Hieronymus) *EUM SUPER OPERA MANUUM TUARUM*, id eſt, ſuper omnes creaturas in hoc Pſalmo recenſitas, ſi de puro homine agatur: ſuper omnes omninò, ſi agatur de Chriſto, ut dicetur infra.

116. Conſideranda eſt multitudo illorum ſubdito-
Verſ. 8. rum, verſ. 8. *OMNIA SUBJECISTI SUB PEDIBUS EJUS, OVES ET BOVES, INSUPER ET* (Id eſt, item, Hebr. eſt וגם *vegam*, hoc eſt, & prætereà) *PECORA CAMPI.* Et Verſ. 9. *VO-*
Verſ. 9. *LUCRES COELI* [hoc eſt, aeris] *ET PISCES MARIS, QUI PERAMBULANT SEMITAS MARIS.* Nota, pro *oves* Hebr. eſſe צנה *ſone*, quæ vox, ſicut etiam *ſon*, ut docet R. David, Pagn. Mercerus, ſumitur propriè de minutis & paſcualibus animalibus: puta de ovibus, agnis, capris, ac ſimilibus. 2. Pro *boves* Hebr. eſt אלפים *alaphim*, id eſt armenta, ut S. Hieron. & Arias vertunt. Armentum, ut ait Feſtus, id genus pecoris dicitur, quod eſt idoneum ad genus armorum, ut ſunt equi & boves. Nam equis in bellum curritur, clypei verò boum coriis armantur. Varro autem boves, armenta vocari voluit, quaſi aramenta, tertiâ litera ſublatâ, quod eorum præcipuè opera in arandis agris utamur. Unde Columella li. 7. ait, Jumenta & armenta nomen à re traxêre, quod noſtrum laborem vel onera ſubvectando, vel arando juvarent. Propriè itaque armenta boves & equi vocantur, quamvis etiam alia majora animalia eo nomine dici poſſint, quamvis ſint ad arandum, aut ad geſtanda arma inutilia: ſic cervos inter armenta computat Maro lib. 1. Æneid. melius in armentis numerantur cameli, muli, aſini, & ſi quæ ſunt majora animalia paſcualia.

3. Pro *pecora campi* Hebr. eſt בהמות שדי *bahamoth ſadai*, hoc eſt, animalia campi, ut vertit S. Hier. quadrupedes campi, ut Felix, θῆρας ἀγρείους, id eſt, *feras agreſtes*, ut rectè Petavius: Pagn. etiam vertit, beſtias agreſtes. Et quidem cum David priùs mentionem feciſſet pecorum ſub nomine ovium, armentorum ſub nomine boum, hoc unum inter animalia terreſtria ſupererat, ut nominaret feras. Vox Hebraica בהמה *behema*, ut docet Mercerus, ſignificat beſtiam terreſtrem ſive domeſticam aut cicuratam, ſive feram & agreſtem, rectis pedibus gradientem, quadrupedem dicere potes: nec aves, nec reptilia complectitur. De beſtiis montanis & agreſtibus uſurpatur Pſalm. 49. 20. de domeſticis Prov. 12. 10.

Notat 2. S. Baſil. epiſt. ad Amphilochium con- 117. Aves & piſces ex aqua creavit Deus.
junctim nominari aves & piſces; quia ex eadem materia, id eſt, ex aqua, facti ſunt. Idem docent S. Hieronymus, Cyrillus, Auguſt. Damaſcen. S. Thomas 1. p. quæſt. 71. articul. unico, & Philo lib. de mund. opif. vocat aves, ἀδελφὰ τῶν καθ' ὕδατος, *piſcium germanas & ſorores*, atque S. Ambroſius lib. 5. Hexaem. cap. 14. ait magnam eſſe avium & piſcium cognationem: quod enim avibus ſunt alæ, hoc piſcibus ſunt pinnæ & ſquamæ, quodque eſt natatus piſcibus, hoc volatus eſt avibus: ita ut videantur piſces eſſe aves aquatiles, & viciſſim aves videantur eſſe piſces aerii: Prætereà tam aves, quàm piſces caudâ ſuum iter & curſum dirigunt: ita ut ab iis, ac nominatim à milvo, navigandi artem homines didiciſſe videantur, ait Plinius lib. 10. cap. 10. Adde, multas aves eſſe aquatiles, ut cygnos, anſeres, anates, fulicas, mergulos, alcyones. Ita Pererius, Cornel. & alii, in illud Gen. 1. 20. *Producant* (Hebr. ישרצו *jiſreſu*,) (hoc eſt, ebulliant & ſcaturiant in magna copia: hoc verbum eſt proprium piſcium & ranarum) *reptile animæ viventis* (hoc eſt, reptile habens animam viventem: piſces autem reptile vocantur, quia non habent pedes, ſed ventre aquis incubant, quaſi repentes & remigantes) *& volatile ſuper terram ſub firmamento cœli*, id eſt, in aere. Hebr. enim eſt רקיע *rakia*, id eſt, expanſio, extenſio: ſeu res extenſa & diſtenta, pro aere ſumit Aben Ezra. Hoc loco Pagn. & Arias vertunt, *ſuper facies expanſionis cœlorum.*

Nota denique, *Τὸ, qui perambulant ſemitas maris*, in Hebræo haberi in numero ſingulari, *perambulans ſemitas maris*: ita Aben Ezra vult intelligi de homine maria tranſeunte. Sed hoc ad rem non videtur, cùm referantur ea quæ ſubſunt homi-

homini. 2. Chald. apud Nebienſem id explicat de balæna ſive aquatico dracone, cùm vertit, *Leviathan tranſeuntem ſemitas maris.* 3. Melius Bellarminus ſenſum eſſe putat, q. d. Non ſolum piſces propriè dictos, ſed omne per ambulans, ſive omnia perambulantia (Græcè eſt in neutro genere, τὰ διαπορευόμενα) ſemitas maris, id eſt, quicquid movetur in mari, ſive ſint piſces, ſive monſtra, ſive quid aliud. Hæc ſententia eſt probabilis. 4. Tamen conformius noſtro interpreti dicemus *To qui perambulans ſemitas maris*, eſſe epithetum & explicationem piſcium, qui per omnia maria (Hebr. enim eſt ימים *jammim*, id eſt maria) diſcurrunt, vagantur, nutriuntur, & hominum recreationi utilitatique deſerviunt. Piſces quoque fluviatiles, & piſces ſtagnorum & lacuum hic includuntur: nam Hebræi congregationes omnes aquarum vocant maria: & fluvii ſunt velut maris ſemitæ, id eſt, ſemiter, quod in mare aquas ſuas deportent, & in eos refluat mare tum apertè infuſis aquis in ſuo fluxu & refluxu, tum præſertim per occultos meatus: ſunt quoque fluvii ſemitæ ſeu viæ maris, quia per fluvios in mare deſcendunt naves, & ex mari in terram aſcendunt.

118. Cur hic non ſit mentio ſerpentium.

Quæres. Cur ſerpentium non ſit facta mentio? Reſpond. Per ſynecdochen ſatis intelligi recenſitis aliis animalibus: nam etiam in ſerpentes homo dominium habet, & ex iis variis utilitates deſumit, ut ſuo loco dicetur. Specialis tamen eorum non eſt facta mentio, quod ſub ſpecie ſerpentis à dæmone homo deceptus amiſerit ea parte uſum dominii ſui in varia animalia. Secundò, quod non ſit magnæ dignitatis ſub ſe habere ſerpentes, bufones, aliaque reptilia. Tertiò, quia non ita ſubſunt homini ſerpentes, ſed ei inſidiantur, & veneno conantur nocere, eſtque ſpecialis antipathia & inimicitia inter homines atque ſerpentes. Dixit enim ſerpenti Deus Geneſ. 3. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius; ipſa*, (ſic legit SS. Ambroſius, Chryſoſt. Auguſtin. Gregor. Bernard. & penè omnia Biblia Latina. 2. Pagnin. & Arias, Lipoman. imò & S. Leo legunt *ipſum* nempe ſemen. 3. Septuag. & Chald. habent *ipſe*, nempe homo) *conteret caput tuum.* Experientiam mirabilem refert Rupertus lib. 3. cap. 20. ſcilicet quod ſerpentis caput difficillimè gladiis, vectibus & malleis ita conteri poſſit, ut totum corpus enecetur: ſi tamen mulier dentem ſerpentis nudâ plantâ prævenerit, & caput ejus preſſerit, ſtatim cum capite totum corpus planè interire. Ariſtoteles lib. 8. hiſt. animalium, cap. 29. tradit, ſalivâ hominis cruciari multos ſerpentes.

Nec herbarum, florum, arborum?

Quæres 2. Cur David mentionem non fecerit herbarum, florum, fruticum & arborum? Reſp. Cum S. Chryſoſtomo, ex parte totum ſignificari: & ſtudioſis, de aliis quid dicerent relinquere. 2. Ex præteritis: quæ Geneſ. 1. 28. nominatim dicuntur eſſe ſub hominis dominio & poteſtate. 3. Plantæ & arbores ſerviunt animalibus ad cibum, ad nidos, ad umbram, aliaque: & conſequenter homini mediatè ſubſerviunt, cum animalibus dominetur. 4. Non poterat eſſe dubium de plantis & arboribus, ſicut poterat eſſe de animalibus terreſtribus, aereis, & aquatilibus? nam loco movere ſe non poſſunt, & hominis dominio ſubducere, ſicut faciunt animalia. Itaque non fuit neceſſarium illa exprimere. 5. Quia, ut ait S. Thomas 1. p. qu. 96. artic. 2. homo dominatur plantis & rebus inanimatis, non per imperium, vel immutationem, ſed abſque impedimento utendo eorum auxilio. Nam non ſunt capacia imperii, quæ non ſunt capacia cognitionis.

Nec Angelorũ?

Quæres 3. Cur David non fecerit mentionem Angelorum? Reſp. Quia ne in ſtatu quidem innocentiæ fuerunt Angeli ſub dominio hominis, cum ſint altioris ordinis & naturæ. Neque id fuiſſet conſentaneum divinæ Providentiæ, quæ inferiora gubernat per ſuperiora, non contrà. Dices, Hebr. 1. 14. vocantur miniſtri. Dicitur enim: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi*, (etiam Cherubin, ut Gen. 3. 24. Seraphini, Iſai. 6. 2. imò S. Michael, qui à multis putatur eſſe primus Angelorum, Dan. 10. 13. & 21.) *propter eos qui hereditatem capient ſalutis*, id eſt, qui ſalvabuntur: non quod Angeli non juvent reprobos, ſed quòd eorum opera maximè appareant in Electis. Reſp. Angelos vocari miniſtros, ſed Dei, non hominum ad quos à Deo mittuntur, ut eos moneant, dirigant, gubernent, puniant, protegant, ut pædagogi & tutores atque curatores.

Quæres 4. An adhuc duret idem dominium in animalia, quod habuit Adamus in ſtatu innocentiæ? Reſpond. Tria poſſe in hoc dominio diſtingui: Primò, capacitatem dominii, quæ homini competit ex eo quod ſit factus ad imaginem Dei, & ſit ratione ac libertate præditus. Gen. 1. 26. ait Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit* (Hebr. וירדו *vejirdu*, id eſt, *præſint*, Pagnin. *& dominentur*: nempè Adam & Eva) *piſcibus maris*, *&c.* q. d. faciamus eos ad imaginem noſtram, ut præeſſe poſſint: quæ enim animalia carent ratione & libertate, non ſunt capacis dominii. Secundò, in dominio eſt poteſtas utendi rebus; & in illa poteſtate eſt propriè ſitum dominium. Definitur enim Dominium jus utendi aliqua re. Dominium, ait Barthol. eſt jus de re corporali perfectè diſponendi, niſi lege prohibeatur. Ex vi creationis & naturæ ſuæ homo quilibet habet poteſtatem & dominium in omnia animalia, & res alias in terra & mari poſitas, iiſque uti poteſt in quemcunque honeſtum uſum. Illa poteſtas ſeu dominium manſit etiam poſt peccatum Adæ. Unde Ariſtoteles lib. Polit. cap. 5. ait: Naturam omnia inferiora, hominum cauſâ feciſſe: ideoque venationem, piſcationem, & omnem aliam ſimilem rerum acquiſitionem ex natura rei juſtam eſſe. Ut enim ait S. Thomas 1. p. q. 96. art. 1. in Corp. Sicut in generatione rerum intelligitur quidam ordo, quo proceditur de imperfecto ad perfectum: nam materia eſt propter formam, & forma imperfectior propter perfectiorem, ita etiam eſt in uſu rerum naturalium. Nam imperfectiora cedunt in uſum perfectiorum. Plantæ enim utuntur terrâ ad ſui nutrimentum, animalia verò plantis, & homines plantis & animalibus unde naturaliter homo dominatur animalibus. Tertiò, in dominio eſt uſus, qui eſt dominium in actu ſecundo, ſeu redactum ad actum. Hic uſus multum eſt imminutus per peccatum: idque, ut advertit Hugo, maximè circa animalia extrema: ſcilicet maxima, ut leones: & minima ac viliſſima ut culices, pulices. &c. Illum tamen uſum ex parte recuperârunt ſancti viri, ut Noemus in omnia arcæ animalia, Eliſæus in urſos, Daniel in leones, Paulus in viperam, S. Franciſcus Aſſiſias in piſces & aves, S. Franciſcus de Paula, & B. Joſephus Anchieta penè in omnes creaturas. Subjectio hæc animalium, ut advertit Cajetanus, in ſtatu innocentiæ, & in ſtatu naturæ lapſæ naturalis eſt: tamen in executione, ſeu in modo obedientiæ, aliquid ſupernaturale erat in ſtatu innocentiæ, quia nunc eſt cum aliqua contradictione & repugnantia, tunc autem nihil homini repugnaret, quod ei naturaliter debet eſſe ſubjectum. Cùm autem inſtatur, ait Suares lib. 3. de Opere ſex dierum, ca. 16. numer. 2. quia hoc fuiſſet perpetuum miraculum, reſpondemus, ſi per miraculum dicatur quicquid eſt quoad modum ſupernaturale, verum quidam eſſe

Margin notes (right): 119. Dominium hominis in animalia, quatenus durat? — *Tria ſunt in dominio* 1. 2. 3. — *Dominium S. Franciſci & aliorum in animalia.*

eſſe, privilegium illud ſupernaturale fuiſſe, tanquam naturæ non debitum, nec conſequens puram naturam ipſorum animalium. Nihilominus tamen tunc non potuiſſet vocari miraculum, quia non eſt rarum, nec præter communem & conſuetam legem illius ſtatus. Tunc enim non quidem per inhærentem habitum, ut probabilius videtur, ſed per providentiam peculiarem Deus induxiſſet phantaſiam brutorum ad eam apprehenſionem, & appetitum eorum ad eam inclinationem, quæ ad patendum homini ſine contrarietate, vel repugnantia magis eſſet accommodata. De dominio quod acquiritur jure gentium: nempe occupatione, inventione, alluvione, traditione, &c. & de dominio quod acquiritur jure civili: ſcilicet uſucapione, præſcriptione, legato, aditione hæreditatis, arrogatione, & aliis modis, dicetur fortaſſe alias: quæ dixi, ſpectant tantùm dominium naturale præcisè ſumptum, cujus vi ſinguli homines habent non tantum capacitatem dominii, ſed etiam dominium in omnia & ſingula animalia, & in res inanimatas in terra, vel mari, poſitas. Unde ait S. Chryſoſtom. homil. 7. apud populum Antiochen. ὥσπερ οὐδεὶς ἀνώτερος θεοῦ ἐν οὐρανῷ: οὕτως οὐδεὶς ἀνώτερος ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς. *Sicut nullus in cœlo eſt Deo ſuperior: ita ſuper terram nullus eſt homine ſuperior.*

120. Io dominio hominis eſt admirabilis. 1. Multitudo ſubditorum. 2. Excellentia poteſtatis.

In hoc autem admirabili dominio contemplare primò multitudinem ſubditorum, verſ. 8. *Omnia ſubjeciſti* (nihil excipit) *ſub pedibus ejus: oves & boves, &c.* Secundò, ſupremum eſſe illud dominium cum jure vitæ & necis, & omnis uſus honeſti. Hoc declaratur illis verbis, *ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, 1. quaſi vilia reſpectu hominis Regis. 2. Quaſi non repugnatura, nec curatura quibus in rebus ſerviant, ſed in omnibus etiam abjectiſſimis ſervitura. 3. Quaſi ad Deum elevatura, ſed hoc ultimum eſt myſticum. Omnia itaque ſunt veluti ſcabellum pedum hominis in rationis throno quieſcentis atque dominantis. Poſſeſſio, ut aliquibus placet, eſt quaſi pedis ſeſſio, ſeu poſitio in aliqua re. Seu melius, poſſideo, ut habetur in Pand. eſt, in dominio ſeu poteſtate mea habeo: ex antiquo nomine pos, quod potentem ſignificabat, & verbo ſedeo: ut poſſidere dicatur, qui poteſt ſedere: id eſt, ſedem atque habitationem ſuam aliquo in loco collocare. Poſſeſſio ait Bartholus, eſt jus inſiſtendi rei prohibitæ poſſideri. Dominium verò, ut ait Apellus, eſt jus de re corporali perfectè diſponendi, ſi rei copiam habeas: ſi minus, vendicandi, niſi vel lege, vel conventione prohibearis. Eſt enim dominium ipſiſſima cauſa rei vendicationis, cùm videlicet quiſpiam nobis invitis vel poſſidet, vel detinet, ut ait Jacobus Spiegelius. Ubi vides dominium à poſſeſſione differre.

3. Diuturnitas

Tertiò, perpetuum eſt illud hominis dominium in creaturas, neque ab eo tollitur, dum vivit. Unde S. Chryſ. hom. 7. illud præfert ſceptris & coronæ imperatorum, quia facilè defluunt. Ut enim ait, Τὰ αὐτὰ τὰ μὴ φύσει προσόντα, ῥᾳδίως δέχεται τὴν μετάθεσιν καὶ μετάστασιν. *Talia exiſtant quæ non naturæ adjunt, ut facilè admittant mutationem & tranſlationem.*

4. Tributi præſtantia.

Quartò, obediunt animalia, & homini ut Regi, tributum pendunt: lanam ſuam, pellem, carnem laborem offerunt, Philo lib. 2. de mundi opific. *Aſſuefacta* ait, ſicut *urbes ac populi*, ἑκόντες ἀποδιδόντες δασμὸν τῷ βασιλεῖ φύσει, *annuum tributum pendere ſuo Regi à natura impoſito*. Si quæ rebellant, ab ipſo homine justè puniuntur, & nonnunquam ab ipſo Deo Phile ſapiens, tract. de Animal. propriet. cap. 5. ait eſſe album ſerpentem, ſuperbum ob caput cornutum, qui, [illegible] ubi momordit hominem, moritur. S. Ambroſius lib. 6. Hexaëm. c. 6. meritò admiratur, qua ratione elephanti & leones obediant hominibus. Sic verò ait: *Videbatur nihil elephantis creaturis habere robuſtius, nihil tam terribile vel procerum: nihil tam ferum quàm leones & tigrides ſunt: & hæc ſerviunt homini, & naturam ſuam humana inſtitutione deponunt: obliviſcuntur quod nata ſunt, induunt quod jubentur. Quid multa? Docentur ut parvuli: ſerviunt ut infirmi, verberantur ut timidi, corriguntur ut ſubditi, in mores tranſeunt noſtros: quoniam motus proprios perdiderunt.* Ita Ambroſ.

121. Allegoricè. Omnia Chriſto ſunt ſubjecta.

Alleg. Imò etiam literaliter, de Chriſto intelligi debent. *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Et de eo ſolo perfectè explicari poteſt & adæquatè, quod ſequitur. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* 1. Enim eſt Dominus rerum inanimatarum. 2. Animalium omnium. 3. Hominum. 4. Angelorum. Et quidem Paulus etiam Angelis Chriſtum eſſe præpoſitum docet ex hoc loco: ait enim Hebr. 2. 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. Ideò enim quod omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia ſubjecta ei*, q. d. ſunt quidem ſubjecta ipſi, ſed hoc adhuc non videmus, multa enim tolerat, quæ obſcurant hanc noſtram cognitionem, & obvelant quodammodo ejus poteſtatem. De Chriſto ad literam locum Pſal. noſtri debere explicari cenſent S. Baſilius, S. Chryſoſt. Apollin. Didymus, Theodorus Heracleotes, Theodoret. Janſen. Cajet. Genebr. & multi alii interpretes: item S. Ambr. 1. offic. ca. 28. l. de Noe & arca, c. 10. S. Greg 4. Mor. cap. 31.

122. Chriſtus eſt caput Angelorum.

Quæres. An Chriſtus, ut homo, ſit caput Angelorum? Reſp. eſſe, quia, ut ait S. Thom. 3. p. q. 8. art. 4. ubi eſt unum corpus, neceſſe eſt ponere unū caput. Unum autem corpus ſimilitudinariè dicitur una multitudo ordinata in unum ſecundùm diſtinctos actus, ſive officia. Manifeſtum eſt autem, quod ad unum finem, qui eſt gloria divinæ fruitionis, ordinantur & homines & Angeli. Unde corpus Eccleſiæ myſticum, non ſolùm conſiſtit ex hominibus, ſed etiam ex Angelis. Totius autem hujus multitudinis Chriſtus eſt caput: quia propinquius ſe habet ad Deum, & perfectius participat dona ipſius, non ſolùm quam homines, ſed etiam quam Angeli: & de ejus influentia non ſolùm homines recipiunt, ſed etiam Angeli. Ita S. Thom. deinde illud probat ex loco Pſ. noſtri. S. Anſelm. in epiſt. ad Epheſ. ca. 1. ait, *omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, i. e. ſub humanitate ejus. Remig. Haymo & Bruno in Pſ. noſtr. omnia ſubjecta ſub pedibus interpretantur, ſub myſterio incarnationis & Humanitatis, quia per hanc Divinitas ad nos deſcendit: & Suar. in 3. diſp. 23. ſect. 1. ait, Chriſtum ut hominem, i. e. ſecundùm humanitatem ſpecificativè (ut loquitur) eſſe caput Angelorum: hoc eſt, in ipſa humanitate habere hanc dignitatem, & per eam munus capitis exercere. Probari id poteſt ex ca. 2. ad Coloſſ. ℣. 10. *Eſtis in ipſo* [per Chriſtum] *repleti* (omni gratia & donis) *qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis*, ac cæterorum Angelorum. Et Epheſ. 1. 21. *Conſtituens* (Chriſtum) *ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem* (Græc. δύναμιν, i. e. potentiam, robur, fortitudinem) *& dominationem*, & conſequenter ſupra omnes choros Angelorum: eſt enim ſynecdoche. Non enim ibi tantùm docet eum eſſe ſupra omnes principes, potentes, dominantes, & ſupra omnia quantumvis potentia & eminentia, ut putavit Adamus: ſed etiam ſuperiorem eſſe quatuor illis ordinibus Angelorum quos principatus, i. e. principes: poteſtates, i. e. poteſtate præditos: virtutes: id eſt, robuſtos ac fortes: dominationes, id eſt, dominantes, vocamus. Nam pro concretis ponuntur ſæpè abſtracta apud Hebræos. De i[illegible]

Ange-

Angelis hunc locum exponunt S. Dion. Areop. S. Chryſ. S. Hier. S. Greg. S. Thom. & alii. pergit Paulus. *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus*, ergo & angelos, ait S. Chryſoſt. & Theophylact. *& ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam* (ex hominibus & Angelis conflatam) *quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo ejus* (πλήρωμα, id eſt, complementum. Tunc enim completum eſt caput, cùm habet omnia corporis membra ſibi unita, ut dicit S. Thom. & S. Anſelmus) *qui omnia* [id eſt, quoad omnia, hoc eſt, quoad omnes gratias, virtutes. Eſt Græciſmus) *in omnibus adimpletur*. Nam dum ſinguli ſuis virtutibus corpus Eccleſiæ perficiunt, ornant, & complent, etiam caput cujus eſt corpus, adimplent, nempe Chriſtum. S. Hier. hoc illuſtrat duent comparatione. Sicut, inquit, adimpletur Imperator, ſi quotidie ejus augeatur exercitus, & fiant novæ provinciæ: ita & Chriſtus. Et Theophylactus. Chriſtus, inquit quoad manum, impletur in homine miſericordi: quoad pedem, in eo qui Chriſti amore peregrinatur, vel viſitat ægros: quoad linguam, in Doctore, ita ipſe. Sed præſertim Chriſtus in cœlo quoad omnia in omnibus adimplebitur, cùm thronis Angelorum rebellium repletis una voce homines & Angeli una Eccleſia & Reſpublica effecti triumphatori Chriſto dicent gloriam, atque cum Davide canent: *Domine Dominus noſter quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra*: & in terra ſublunari, & in cœleſti: & ubique in tota earum amplitudine & vaſtitate. Hebr. כול *col*, & totum, & omne poteſt ſignificare.

Symbolicè. Per oves, boves, &c. quid intelligitur,

123. Symbolicè. Primò S. Athanaſius per *oves & boves* ait innui eos, qui ex Iſrael crediderunt: per cætera, indicat intelligi eos qui ex Gentilibus. Secundò, Heſychius *oves* explicat eſſe innocentes: *boves*, qui mandata obſervent: *pecora*, peccatores qui per pœnitentiam ſubditi Deo poſſunt: *volucres*, contemplantes cœleſtia: *piſces qui perambulant ſemitas maris*, qui in negotiis mundi natantes, per baptiſmum & pœnitentiam vias tantum ejus pertran-
1. ſeunt. Tertiò, Euthymius *oves* attribuit his qui cre-
2. dunt Evangelio de Gentilibus, quos errantes in
3. collibus, & montibus paſtor Chriſtus invenit. Luc. 15. 4. & in ovile reduxit, *boves*, qui de Judæis grave jugum legis trahentibus: *pecora*, qui in idolorum cultu perſeverant: & prout juxta etymologiam κτήνεα, voluptati terrenæ vacent: *volucres cœli*, angelos *piſces maris*, dæmones qui inter fluctus præſentis vitæ ſubſiliunt, atque in amara pravarum actionum ſalſugine vivunt, omnes tandem ſubjiciendos Chriſto, ut ei omne genu flectatur cœleſtium terreſtrium & infernorum. Quartò,
4. Jacobus de Valentia, *oves* ſumit populos, & ſtatus inferiores hominum: *boves*, reges, principes & majores: *pecora campi*, gentes barbaras, ut Scythas Æthiopes, Nomades, &c. per campos, deſerta & nemora vagantes: *piſces maris* habitantes in inſulis maris: *qui perambulant ſemitas maris*, navigantes: *volucres cœli*. Angelos tum bonos, tum malos.
5. Quintò denique S. Auguſtinus ait: *Oves & boves intelligamus animas ſanctas, vel innocentia fructum dantes, vel etiam operantes, ut terra fructificet: id eſt ut terreni homines ad ſpiritualem ubertatem regenerentur. Has ergo animas ſanctas non hominum tantùm, ſed etiam omnium Angelorum oportet accipere: ſi volumus hinc intelligere, omnia eſſe ſubjecta Domino noſtro Jeſu Chriſto.* Probat autem Angelos etiam vocari poſſe oves, cum dicatur Lucæ 15. 4. Chriſtus reliquiſſe nonaginta oves in montibus, id eſt, in cœlis: & deſcendiſſe propter unam, id eſt, humanam animam. Poſſe etiam Angelos vocari boves ait: quia homines non ob aliud boves dicti ſunt. 1. Cor. 9. v. 9. niſi quod Evangelizando verbum Dei Angelos imitantur. Pergit deinde, *Pecora campi congruentiſſimè accipiuntur homines in carnis voluptate gaudentes: ubi nihil arduum, nihil laborioſum aſcendunt. Campus eſt enim etiam lata via qua ducit ad interitum. Et in campo Abel occiditur. Gen. 4. Quare metuendum eſt: quiſque deſcendens à montibus juſtitia Dei* (*Juſtitia enim inquit, tua velut montes Dei*) *latitudines & facilitates voluptatis carnalis eligens à diabolo trucidetur. Vide nunc etiam volucres cœli ſuperbos, de quibus dicitur Pſal. 72. 9. Poſuerunt in cœlum os ſuum Vide quam in altum vento portentur, qui dicunt, Pſal. 11. 4. Linguam noſtram magnificabimus labia noſtra nobiſcum ſunt, quis noſter Dominus eſt: intuere etiam piſces maris; hoc eſt, curioſos: qui perambulant ſemitas maris: id eſt, inquirunt in profundo hujus ſeculi temporalia Quæ tanquam ſemita in mari tam cito evaneſcunt & intereunt, quàm rurſus aqua confunditur: poſtquam tranſeuntibus locum dederit vel navibus vel quibuſcunque ambulantibus aut natantibus. Non enim tantum ambulant ſemitas maris, ſed perambulant dixit: oſtendens pertinaciſſimum ſtudium, inania & præterfluentia requirentium Hæc autem tria genera vitiorum, id eſt, voluptas carnis, & ſuperbia, & curioſitas omnia peccata concludunt.* Quæ mihi videntur à Joanne Apoſtolo enumerata, cum dicit 1. ep. 2. 15. Nolite diligere mundum. Quoniam omnia quæ in mundo ſunt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſeculi. Per oculos enim maximè curioſitas prævalet. Reliqua vero quo pertineant, manifeſtum eſt. Et illa Dominici hominis tentatio tripartita eſt. 1. Per cibum id eſt, per concupiſcentiam carnis: ubi ſuggeritur Matthæi quatto. Dic lapidibus iſtis, ut panes fiant. 2. Per inanem jactantiam, ubi in monte conſtituto, oſtenduntur omnia regna hujus terræ, & promittuntur, ſi adoraverit. 3. Per curioſitatem, ubi de pinna templi admonetur, ut ſe deorſum mittat: tentandi gratia, utrum ab Angelis ſuſcipiatur. Hactenus ſanctus Auguſtinus in Pſalmo noſtro; libro autem quinto Confeſſionum capite tertio, arguit eos qui non ſe occidant Deo, & trucident exaltationes ſuas ſicut volatilia cœli; & curioſitates ſuas ſicut piſces maris, quibus perambulant ſecretas ſemitas abyſſi: & luxurias ſuas, ſicut pecora campi, ut Deus ignis edax conſumat mortuas curas eorum recreans eos immortaliter.

Ex his omnibus conſequens eſt, ut omnes in- 124. Verſ. 10
clamemus cum Propheta noſtro verſu decimo & ultimo. *DOMINE DOMINUS NOSTER QUAM ADMIRABILE* [Chaldæus, quam excelſum & laudabile) *EST NOMEN TUUM IN UNIVERSA TERRA.* Quis enim cœlum, terram, lunam & ſtellas & cæteras creaturas, ac præſertim homines & Chriſtum, Dei potentiam, ſapientiam & bonitatem non prædicet? Vide dicta verſu primo. Eſt enim omnino idem verſus, ut diſcas ab initio vitæ uſque ad finem Deum cognoſcere in creaturis, admirari, amare, colere atque venerari, & prædicare. Dei operantis notitiam vocat Piſidas in Hexaem. ἀνέκφραστον καὶ θείαν γνόφον Id eſt, inexplicabilem & ſacrã caliginem. Si tamen ſæpè mundum contempleris, lux tibi aderit, & intelliges, quod ait Triſmegiſtus, ſicut mundus propter hominem, ita homo eſt propter Deum. S. Baſilius Seleuciæ rectè admonet. *Non fruſtra homo vectigal de creaturis legere doctus eſt, neque ſine cauſa mundus univerſus hujus uſibus ſubſervire juſſus. Nam ſi Solem loquaris, ideò curſus ſui peragenda mandata cepit: Si terram, ideò fructum homini ſufficere juſſa eſt.*

Si mare, hominum curſibus ſubſtratum eſt. Si aërem, ſuas auras ſurſum ventilatas offert, quo creatura fruens homo, creatorem agnoſcat, & gratitudine creatori reſpondeat.

125. Homo Deum laudat ex ſui ipſius conſideratione.

Ex ſui præſertim conſideratione, Deum laudet homo. Theodoretus ſerm. 3. docet, eos qui providentiam Dei omnem in corporibus humanis notare velint, perinde facere atque eum qui *Arenas maris* in litore velit numerare. S. Ambroſ. lib. de dignitate conditionis humanæ dicit, hominem tanto artificio eſſe factum, *ut tantò ardentius amaret conditorem, quantò mirabilem ſe ab eo eſſe conditam intelligeret.* Seneca lib. 2. de Beneficiis, cap. 29. Jure eos reprehendit qui conqueruntur, quod non magnitudine corporis æquemos elephantos, velocitate cervos, levitate aves, impetu tauros: quod ſolidior ſit cutis belluis, decentior damis, denſior urſis, mollior felibus: quod ſagacitate nos narium canes vincant, quod acie luminum aquilæ, quod ſpatio ætatis corvi, multa animalia nandi facilitate. &c. Sed rectè ſubdit: *Quantò ſatius eſt ad contemplationem tot tantorumq; beneficiorum reverti, & agere gratias quod nos in pulcherrimo domicilio voluerunt dii ſecundas ſortiri, quod terrenis defecerunt? Proinde quiſquis es iniquus æſtimator ſortis humanæ, cogita quanta nobis tribuerit parens noſter? quanto valentiora animalia ſub jugum miſerimus, quanto velociora conſequamur? quam nihil ſit mortale, quod non ſub ictu noſtro poſitum? Tot virtutes accepimus. tot artes, animum denique cui nihil non eodem quo intendit momento pervium eſt, ſideribus velociorem, quorum poſt multa ſecula futuros curſus antecedit: tantam denique frugum, tantum opum, tantum rerum aliarum ſuper alias acervatarum. Circumeas licet cuncta: & quia nihil totum invenies, quod eſſe te malles, ex omnibus ſingula excerpas, quæ tibi dari velles. Ita bene æſtimata naturæ indulgentia confitearis neceſſe eſt, in deliciis te illi fuiſſe.* S. Baſilius Seleuciæ Epiſcopus orat. ſecunda, Deum in homine, velut regem in ſua imagine aut ſtatua admirandum eſſe ait: Sicut enim qui imaginem videt regis aut imperatoris, & conformationem membrorum ejus, vultus pulchritudinem, diadematis, ſceptri veſtiſque ſplendorem oculos ac mentem refert in ejus exemplar: *Ita*, inquit, *qui hominem in media rerum univerſitate, tanquam animatam creatoris ſignam, ambitioſe decoratam, intuetur, mirari quidem exiſtime ſigni recenter effecti dignitatem*, [illegible] *ſed creatoris magis obſtupeſcere dexteritatem, qui cum omni ſapientia, parique benevolentia, varia artis opus fabrefecerit.* S. Chryſoſt. homil. 7. ad populum, dicit: hominem fuiſſe à Deo conditum regem orbis, [illegible], id eſt, ſuperabundantia divinæ dilectionis & providentiæ. Hinc ſapienter David Deum admirans & laudans dixit in Pſalmo noſtro. *Quid eſt homo*, &c.

126. S. Trophimi fervor & charitas.

Imitemur itaque S. Trophimum, qui mediis in cruciatibus animo ad Deum elevato, cùm nervis cæderetur, aceto & ſinapi nares opplerentur, latera ſulcarentur, clara ac libera voce intonabat: *Obliviſcar citius eſſe homo, quàm meum ignoravero Dominum & creatorem*, ut narrat Metaphraſtes decimo nono Sept. Finxere veteres jubente Minerva ſcientias in unum congregatas variis modis hominem definiviſſe. Primò, Dialectica ait: *Homo eſt breve quoddam enthymema*: hoc eſt, velut brevis oratio, in qua nihil eſt præter antecedens & conſequens: antecedens, eſt ejus nativitas: conſequens, eſt mors, quæ omnia terminat & concludit. Secundò, Aſtrologia dixit: *Homo eſt*

Scientiæ vario modo hominem definiunt.

mutabilis ſicut Luna. Hæc enim ſua habet incre- 1.
menta & decrementa. Tertiò, Phyſica adjecit: 2.
Homo eſt animal rationale mortale. Mathematica 3.
tandem: ſic definivit: *Homo eſt velut figura ſphæ-* 4.
rica, hanc definitionem præ cæteris Minerva approbavit: ſicut enim figura ſphærica in idem quo incipit, punctum, deſinit & terminatur: ita homo incipiens ex terra eſſe, ut dicitur Geneſis 2, in terram tandem deſinit. Geneſ. 3. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Deinde hominis anima à Deo incipit, ejuſque eſt veluti quædam portio, ad eum redire debet, & ſic efficere amoris circulum æternum, & indiſſolubilem. Præter dicta ab illis veteribus, Adde Muſicam, quæ ſic hominem aptius definiat. *Homo eſt animal ad Deum amandum, colendum, & laudandum natum.* Hoc declaratur Eccli. 17. 7. ubi de hominibus dicitur: *Poſuit oculum ſuum* (id eſt, curam & providentiam ſuam Deus) *ſuper corda illorum oſtendere illis magnalia operum ſuorum* (in creatione, & gubernatione mundi, in redemptione & cura ſpeciali hominum) *ut nomen ſanctificationis* (Syrus, nomen ſanctitatis. Tigurina, nomen ſanctum) *collaudent, & gloriari* (ut glorientur) *in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus.* Nonne id noſter David faciebat, cùm dicebat. Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra? Piſidas in Hexaemero dicit, corpus hominis eſſe [illegible], id eſt, *pſalterium canorum*: quid verò de anima dicemus, niſi eſſe lyram angelicam & divinam? Utroque authorem & parentem celebramus, velut utraque manu.

Corpus hominis eſt lyra.

COMMENTARII
IN PSALMOS.
PSALMUS NONUS.

1. ***In finem pro occultis filii. Pſalmus David.***

2. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.
3. Lætabor & exultabo in te: pſallam nomini tuo altiſſime.
4. In convertendo inimicum meum retrorſum: infirmabuntur, & peribunt à facie tua.
5. Quoniam feciſti judicium meum & cauſam meam: ſediſti ſuper thronum qui judicas juſtitiam.
6. Increpaſti gentes, & periit impius: nomen eorum delêſti in æternum, & in ſæculum ſæculi.
7. Inimici defecerunt frameæ in finem: & civitates eorum deſtruxiſti.
8. Periit memoria eorum cum ſonitu: & Dominus in æternum permanet.
9. Paravit in judicio thronum ſuum, & ipſe judicabit orbem terræ in æquitate: judicabit populos in juſtitia.
10. Et factus eſt Dominus refugium pauperi: adjutor in opportunitatibus in tribulatione.
11. Et ſperent in te qui noverunt nomen tuum: quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.
12. Pſallite Domino qui habitat in Sion: annuntiate inter gentes ſtudia ejus.
13. Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt: non eſt oblitus clamorem pauperum.
14. Miſerere mei Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis.
15. Qui exaltas me de portis: ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.
16. Exultabo in ſalutari tuo: infixæ ſunt gentes in interitu quem fecerunt.
17. In laqueo iſto quem abſconderunt: comprehenſus eſt pes eorum.
18. Cognoſcetur Dominus judicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.
19. Convertantur peccatores in infernum: omnes gentes quæ obliviſcuntur Deum.
20. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.
21. Exurge Domine non confortetur homo: judicentur gentes in conſpectu tuo.
22. Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos: ut ſciant gentes quoniam homines ſunt.
23. Ut quid Domine receſſiſti longè: deſpicis in opportunitatibus in tribulatione?
24. Dum ſuperbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in conſiliis quibus cogitant.
25. Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ: & iniquus benedicitur.
26. Exacerbavit Dominum peccator: ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret.
27. Non eſt Deus in conſpectu ejus: inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.
28. Auferuntur judicia tua à facie ejus: omnium inimicorum ſuorum dominabitur.
29. Dixit enim in corde ſuo: non movebor à generatione in generationem ſine malo.
30. Cujus maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo: ſub lingua ejus labor & dolor.
31. Sedet in inſidiis cum divitibus in occultis: ut interficiat innocentem.
32. Oculi ejus in pauperem reſpiciunt: inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua.
33. Inſidiatur ut rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum.
34. In laqueo ſuo humiliabit eum: inclinabit ſe, & cadet cùm dominatus fuerit pauperum.
35. Dixit enim in corde ſuo, oblitus eſt Deus: avertit faciem ſuam ne videat in finem.
36. Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua: ne obliviſcaris pauperum.
37. Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde ſuo, non requiret.
38. Vides quoniam tu laborem & dolorem conſideras: ut tradas eos in manus tuas.
39. Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adjutor.
40. Contere brachium peccatoris & maligni: quæretur peccatum illius, & non invenietur.
41. Dominus regnabit in æternum & in ſæculum ſæculi: peribitis gentes de terra illius.
42. Deſiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.
43. Judicare pupillo & humili: ut non apponat ultra magnificare ſe homo ſuper terram.

PSALMI NONI ANALYSIS.

- David varia Redemptionis noſtræ per Chriſtum, contemplans myſteria.
  - Gratias de illis agit. 2.
    - Cordis confeſſione. 2.
    - Oris narratione. 2.
    - Voluntatis lætitia. 3.
    - Corporis exultatione. 3.
    - Manuum plauſu pſalterium aſſumentium. 3.
  - Laudat Chriſtum in hac vitæ militia. 4.
    - Vincentem in Cruce. 4.
      - Impiis
        - In fugam verſis. 4.
        - Conciſis. 4.
        - Deletis funditus. 4.
      - Juſtis
        - A juſto judice adjutis. 5.
        - A juſto rege protectis. 5.
    - Triumphantem in fidei propagatione. 6.
      - Apoſtolis
        - Idololatras increpantibus. 6.
        - Dæmonem extrudentibus. 6.
        - idolorum cultum deſtruentibus. 6.
      - Dæmone
        - Armis omnibus ſpoliato. 7.
        - Civitatibus expulſo. 7.
        - Oblivione æterna ſepulto. 7.
    - Regnantem in Eccleſiæ pace. 8.
      - Ubi ipſe
        - Populorum judex juſtus. 8. 9.
        - Pauperum aſylum ſecurum. 10.
        - Tribulatorum adjutor opportunus. 10.
      - Populi
        - Sperant in eum nunquam ſuos deſerentem. 11.
        - Laudant ſecum habitantem in Euchariſtia. 12.
        - Prædicant varias gratias largientem. 12.
        - Timent pœnas ab impiis repetentem. 13.
        - Amant pauperes juvantem. 13.
  - Prædicat in æterna retributione. 14.
    - Juſtos juvantem. 14.
      - Miſerias eorum ſublevando. 14.
      - Hoſtes atterendo. 14.
      - A morte præſervando. 15.
      - Ad cœleſtem patriam ducendo. 15.
      - Lætitia æterna eumplendo. 16.
    - Condemnantem impios. 16. qui
      - Punientur in hac vita. 16. in qua
        - In foveam cadunt à ſe paratam. 16.
        - Laqueo capiuntur quem abſconderunt. 16.
        - Aperta omnibus vindicta punientur. 17.
        - Artibus ſuis & fraudibus irretientur. 17.
        - Brevi morientur Dei obliti. 18.
        - Juſtorum felicitatem irati videbunt. 19.
        - Judicem & vindicem ſentient. 20. 21.
      - Peccant in hac etiam vita.
        - Contra Deum.
          - Per ſuperbiam & vanitatem. 23. 24.
          - Per blaſphemias & infidelitatem. 25. 26.
          - Per ſcelera & oblivionem judicii. 26.
        - Contra proximum 26. quẽ
          - Animo ſuperbo conterere appetunt. 26.
          - Corde vano, pro nihilo ducunt. 27.
          - Ore.
            - Maledictis proſcindunt. 28.
            - Amaris verbis irritant. 28.
            - Minis & contumeliis affligunt. 28.
          - Senſibus venantur, ut occidant. 29.
          - Paſſionibus leoninis, rapiunt, &c. 30. 31.
          - Cogitatione, à Deo negligi putant. 32.
      - Punientur in alia vita. 13.
        - Cùm exurget Deus. 33.
          - Memor pauperum. 33.
          - Vindex impiorum. 34.
        - Videbit
          - Malitiam impiorum, quos puniet. 35.
          - Miſeriam pauperis & orphani quos juvabit. 35.
          - potentiam peccatorum, quos damnabit. 36.
        - Regnabit
          - E regno ſuo impios extrudens. 37.
          - Pauperes exaudiens in illud aſſumens. 38.
        - Judicabit
          - Orphanis & pauperibus favens. 39.
          - Superbos & divites humilians. 39.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem pro occultis filii, Pſalmus David.

Pro occultis filii, variè explicatur.

NOta in Hebraico textu nunc habetur *al muth labben*, quod Pagninus non interpretatur, ſed ſimpliciter non explicatum relinquit, quo indicat ſe per *To* מות *muth* intelligere inſtrumentum muſicum. q. d. Pſalmus can-
1. tandus in finem, id eſt, ſemper, ſuper muſicum inſtrumentum, quod *muth* appellatur, & inventum
2. eſt; vel nunc pulſatur à Labben. Secundò, Arias vertit *ſuper mortem Laban*, & Symmachus, περὶ θανάτου τοῦ υἱοῦ id eſt, *de morte filii*. Nam לבן *labben* etiam ſignificat *To filii*. Lamed enim eſt articulus genitivi aliquando, ut patet in variis titulis pſalmorum, ubi *mizmor le David* redditur, *Pſalmus David*. Labben porrò dicitur pro *le habben*, ideoque lamed habet punctum He demonſtrativi, nempe pathach; alioqui dicendum fuiſſet לבן *le ben* cum ſeva.

Tertiò,

3. Tertiò, Aquila legerat unica voce עלמות *almuth*, id eſt, pueritia, adoleſcentia. Unde vertit, νεανιότητος τοῦ υἱοῦ, id eſt, *juventutis filii* & Theodotio ac V. editio ὑπὲρ ἀκμῆς τοῦ υἱοῦ, id eſt, *pro vigente ætate filii*. Et ideo de Davide victore in juventute hunc pſalmum explicat Burgenſis.

4. Quartò, & melius, R. Salomon, & R. David Kimhi legunt una voce עלמות *alamoth*: & hoc modo legerant Septuaginta, ſeu potius *al alamoth*, unde & hic & in Pſalmi 45. titulo, ubi adhuc eſt *al ala moth* verterunt eodem modo, ὑπὲρ τῶν κρυφίων, id eſt, *pro occultis*. Itaque videtur in Pſalmo noſtro excidiſſe propoſitio על *al*, id eſt, *pro*, quia ſimilis eſt initio vocis *alamoth*, itaque facilè fuit decipi amanuenſes. Septuaginta autem interpretum, qui erant linguæ ſuæ peritiſſimi, & in regione ſua ſpectatiſſimi, codices emendatiſſimos fuiſſe quis dubitet?

Quis eſt ille filius; Quæres primò, quis ſit ille filius, cujus fit mentio hic? Reſpondet primò Trevetus, filium illum eſſe populum Iſrael, qui liberatus eſt ab Ægypto cæſis omnibus Ægyptiorum primogenitis. Sed, ut

1. videbitur in decurſu, pſalmus hic altiora continet myſteria.

2. Secundò, filium hunc eſſe Laban putat Eugubinus, cùm habeatur לבן *Labben*, in Hebræo. Eum autè fuiſſe principem, qui bellum contra Iſraelitas geſſerit, & ſuper cujus morte pſalmus cantatus ſit. Sed hoc gratis dicitur: neque enim illius Laban, vel belli ab eo geſti, vel mortis ejus meminit Scriptura.

3. Tertiò, Richardus Cenomanus, Arias, Titelmanus, Felix, Genebrardus, Druſus obſervat capite ſeptimo & octavo, filium illum volunt eſſe *Nabal* qui per metathesim, id eſt, transpoſitionem literarum vocatur *Laben*, ſive *Labben*. Sed durior eſt hæc metatheſis: & hic non agitur tantùm de morte unius hominis, ſed de fugato atque profligato exercitu univerſo hoſtium.

4. Quartò R. Joſeph cenſet Lamed in *Labben* eſſe ſervile, & *Ben* eſſe nomen cantoris. In id quoque aliqui inclinant, qui illum *Ben* cantorem putant etiam eſſe vocatum Benjamin: aut fuiſſe filium Heman, qui erat princeps inter filios Core, ſive Cusitarum, & curabat ab illis hunc Pſalmum cantari. Et confirmant ex titulo Pſalmi quadrageſimi quinti, ubi habetur: *Vincenti filiorū Core ſuper occultis canticum*, ut Felix vertit: Vel, *Victori filiorum Core pro juventutibus canticum*. Sed hæc conjectura levis eſt: & cum expoſitione Septuaginta interpretum hæc expoſitio ſtare non poteſt.

5. Quintò, filium hunc aliqui volunt eſſe Saulem, qui primo Regum decimo tertio, verſu primo vocatur filius unius anni. Sed nec bene Saul ſocer, à Davide genero ſuo diceretur filius, nec de morte ejus canticum triumphale ſed lugubre cecinit, ſecundo Regum primò, verſu decimo octavo, & Amalecitam, qui à ſe occiſum Saulem eſſe dixerat, curavit ſtatim interfici.

6. Sextò, Sanctus Thomas opinatur filium hunc intelligi Abſalonem, qui occiſus eſt fuſo etiam ejus exercitu. Sed in ejus morte David non exultavit, ut hic dicitur: ſed maximè luxit, ſecundo Regum decimo octavo, verſu trigeſimo tertio, & decimo nono, verſu primo, &c.

7. Septimò, filium illum vult Cajetanus accipi Hamon regem Ammonitarum, ad quem poſt mortem Naas patris officii & conſolationis cauſa David miſerat legatos, quos ille ignominia affecit: raſit enim dimidiam partem barbæ eorum, & præſcidit veſtes eorum medias uſque ad nates, ſecundò Regum 10. v. 4. ideo David bellum geſſit contra Ammonitas, & variis prœliis eos attrivit. Sed non apparet Hamon fuiſſe in illis prœliis occiſum, neque eſt ſatis magna ratio cur ſimpliciter vocetur filius.

8. Octavò, Agellius de Goliathi nece, & fuſo Philiſthinorum exercitu vult hic agi, & favet Chaldæus, qui vertit apud Nebienſem, *Ad laudandum ſuper morte viri, qui egreſſus eſt de medio caſtrorum* De Goliatho enim dicitur primo Regum decimo ſeptimo, verſu quarto: Et egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſthinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis ſex cubitorum & palmi: ſtanſque clamabat adverſum phalanges Iſrael. Hunc occidit David, unde ſecuta eſt de toto exercitu victoria. Itaque filium in Pſalmo noſtro intelligi volunt illum gigantem: occaſionem forſan, ut ait Lorinus, ſumentes ex eo, quòd in hiſtoria Regum, qui *vir ſpurius* latinè dicitur, vocatur Hebraicè *is benim*, quaſi eſſet *banim*, id eſt, *vir filiorum*. Sed non advertit Lorinus ibi non eſſe *benim*, ſed בנים *benaim*. Id eſt primò intermedius, ut Arias vertit: *ſtans inter duas acies*, ut Pagninus reddit. Secundò, *benaim*, id eſt, *inter duorum*, q.d. æquivalens duobus ob robur & molem corporis: ideò Sept. habent, δυνατός, id eſt, potens. Tertiò *benaim*, id eſt, *inter duos*, patres, videlicet conceptus, q.d. conceptus ex patre incerto: Nam *benaim* eſt duale: ideo rectè Noſter interpres vertit *ſpurius*, un baſtard Modeſt. Juriſconſ. ſpurios eos dici æſtimat, quos & vulgo conceptos appellamus: eos videlicet qui incerto patre nati ſint: vel qui eum habeant patrem, quem habere non liceat Plutarchus in quæſt. Romanis de hoc verbo loquens ita ait: Spurius proprium nomen eſt apud Romanos, ut Sextus, & Decimus, & Cajus. Prima autem nomina non tota ſcribunt; ſed aut una litera, ut T. Titum: aut duabus, ut Cn. Cneum: aut tribus, ut Sex. Sextum. Sic Spurius Sp. ſcribebatur. Eos autem, qui ſine patre erant, qui ἀπάτορες Græcè dicuntur, S. & P. deſignabant, quaſi *ſine patre*. Hoc errore factum eſt ut Spurii, qui ſine patre ſunt, dicerentur. Itaque non apparet cur in hoc Pſalmo Goliath poſſit dici filius.

9. & veri ille filius eſt Chriſtus Dico itaque cum S. Hier. S. Auguſt. S. Gregor. Nyſſ. tract. 2. in Pſ. cap. 5. S. Ambr. in Pſ. 45. Euſeb. Theodoreto, Didymo, Euthym. Caſſiod. Bellarm. Lorino, & aliis permultis, filium hîc antonomaſticè intelligi Chriſtum. Nam, ut ait S. Aug. hîc: *Ipſe Dominus cùm ſine additamento ponit filium ſeipſum unigenitum vult intelligi, ut ait Joannis 8. verſu 36. Si vos filius liberavit, tunc vere liberi eritis. Non enim dixit, filius Dei: ſed tantùm dicendo filius, dat intelligi cujus ſit filius. Quàm locutionem non recipit niſi excellentia ejus, de quo loquimur: ut etiamſi non eum nominemus, poſſit intelligi. Ita enim dicimus: Pluit, ſerenat, tonat, & ſi qua ſunt alia, nec addimus quis id faciat: quia omnium mentibus ſponte ſeſe offert excellentia facientis, nec verba deſiderantur.* Itaque Lyrano & Valentiæ hunc Pſalmum ad literam de Chriſto explicantibus aſſentior.

Quæres ſecundò, Quænam ſunt occulta filii, pro quibus cantatur hic Pſalmus; Reſp. primò, illa occulta ſeu myſteria, eſſe myſteria Incarnationis Domini & totam ejus œconomiam. Incarnationem vocat Paulus μυστήριον, id eſt, rem ſacram, arcanam, & paucis cognitam, neque communicandam niſi initiatis, ut uſurpat Herodianus lib. 8. à μυέω, id eſt, doceo ea quæ ad res ſacras ſeu divinas pertinent: vel à μύω, id eſt, claudo. Undè Euſtath. dicit myſtas, id eſt, qui initiantur ſacris dici ἀπὸ τοῦ μύειν τὸ στόμα, id eſt, à claudendo os, quòd arcana ſuæ religionis occultarent, nec illa docerent niſi paucos, qui ſacerdotes vel ſapientiores erant. Paulus autem ait 1. Corinth. 2. v. 7. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt quam prædeſtinavit Deus*

Occulta filii, id eſt, Chriſti, ſunt.

1. Myſteria incarnationis.

ante ſecula in gloriam noſtram. Quam nemo principum hujus ſeculi cognovit, Sapientia in myſterio, id eſt, ſapientia myſterii, illius ſcilicet magni & arcani conſilii divini de Verbi incarnatione & redemptione hominum per Chriſtum, ut intelligitur à S. Ambroſio, S. Hieronymo, & S. Leone: nec enim cognoſci poteſt ratione naturali ab homine, aut etiam ab Angelo, 1. Timoth. 3. v. 16. ait idem Apoſtolus Verbum incarnatum, ſeu Deum hominem naſcentem, conviventem, hominibus patientem, &c. eſſe magnum ſacramentum, id eſt, rem ſacram & myſticam ſeu arcanam. Non enim ſumit ibi ſacramentum pro ſigno rei ſacræ, ſed pro ipſa re ſacra & arcana. Verba ejus ſunt: *Manifeſtè* (Græcè, ὁμολογουμένως, id eſt, circa controverſiam, ut vertit Eraſmus: omnium confeſſione, ut S. Ambroſius) *magnum eſt pietatis* (id eſt, miſericordiæ, 2. Dei cultûs & religionis id propriè ſonat Græca vox εὐσεβείας) *quòd manifeſtatum eſt in carne* (Græcè Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, id eſt, Deus apparuit in carne) *juſtificatum eſt in ſpiritu*, id eſt, declaratum eſt per Spiritum ſanctum, illud Dei de Verbi incarnatione conſilium eſſe juſtum, ſanctum, ſapiens, Deoque dignum) *apparuit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria.*

2. Paſſionis. Secundò, præcipuè occulta filii Dei, ſeu Verbi incarnati eſt ejus Paſſio & mors. Hoc illud eſt incomprehenſibile myſterium: ut Deus, qui eſt ſuum eſſe, moriatur. Undè nunc pro עלמות *alamoth*, id eſt, occultis habent: על מות *al muth*, *ſuper morte*, id eſt, de morte *filii*. Et S. Hier vertit, *Victori ſuper morte filii canticum David.* Et in ſuo commentario dicit, Septuaginta interpretes, Chriſti paſſionem & reſurrectionem, quæ ignota prius mundo fuit, per verbum abſconſionis cælare voluiſſe, ne à Gentibus illo tempore facilè noſceretur. Ipſis Apoſtolis erat paſſio Chriſti abſconditum myſterium, Luc. 18. 31. cùm Chriſtus dixiſſet: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellaverint, occident eum, & tertiâ die reſurget, additur verſ. 34. *Et ipſi* [Apoſtoli] *nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur*: ter, id eſt, omnimodè, erat illis occultatum, triplex velum illis erat oppoſitum, ne illis pateret hoc myſterium. 1. imbecillitas ſuæ naturæ. 2. excellentia Chriſti. 3. abjectio admirabilis patientiæ. Deus lucem habitat inacceſſibilem ob excellentiam Deitatis incomprehenſibilem: ſed caligo ſub pedibus ejus, Ps. 17. 10 propter dejectionem & humilitatem humanitatis Chriſti. Ibi apparet Deus in caligine nubis, & quodammodo difficilius id cognoſcitur quàm ejus divinitas Dixerat Petrus Matth. 16. v. 16. *Tu es Chriſtus* (ὁ χριστὸς id eſt, ille Chriſtus, nempè Meſſias à Deo promiſſus] *filius* [Græcè, ὁ υἱὸς, id eſt, ille filius q. d. filius Patri conſubſtantialis, & ejus unigenitus) *Dei vivi*, in ſe vita increata formaliter viventis, & res omnes extra ſe vivificantis. Et fons vitæ ac lucis. Hæc tamen tam ſublimis aquila Petrus in paſſionis Chriſti contemplatione caligat. Cùm enim Chriſtus dixiſſet verſ. 21. *Quia* (quòd) *oporteret eum ire Jeroſolymam, & multa pati à ſenioribus & ſcribis, & principibus ſacerdotum, & occidi*, ſtatim verſ. 22. habetur: Aſſumens eum (ſeorſim ſcilicet ab aliis) Petrus, cepit increpare eum, dicens: *Abſit à te Domine* (Græcè ἵλεώς σοι, id eſt, propitius ſit tibi, nempè Deus. Syrus, parce tibi) *non erit tibi hoc*, id eſt, non tibi eveniet mors tam indigna, cùm ſis Dei filius. Unde à Chriſto vocatur ſatanas hoc eſt, adverſarius.

Tertiò denique, occulta ſeu myſteria Verbi incarnati, ſunt judicia ejus pro bonis, & contra improbos, de quibus fusè agit in Pſalmo noſtro. 3. Judicium. Sic Pſ. 35. v. 7. dicitur: *Judicia Dei abyſſus multa*, id eſt ſine fundo, & conſequenter obſcura & impenetrabilis Eccl. 24. v. 39. *A mari* (hoc eſt, præ mari) *enim abundavit præparatio ejus* (Syrus, præ mari magno multiplicata eſt ſapientia) *& conſilium illius ab* [præ] *abyſſo magna.* Sic Paulus Roman. 11. 33. *O altitudo divitiarum* (ô altas divitias, ut S. Ambroſius & S. Auguſtinus explicant) *ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia* (Tertull. contra Hermogen. inventibilia) *ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles* (Græcè ἀνεξιχνίαστοι id eſt, modi operandi. Cur hunc vocet, illum non vocet ſaltem efficaciter: cur hunc puniat, non illum &c. De illis judiciis Pſ. noſtr. explicant S. Hieronymus, & S. Auguſtinus. Et quidem S. Hieronymus ſic loquitur, *Scimus duos adventus, primum & ſecundum. In primo adventu, & manifeſtus & occultus venit. Manifeſtus carne, occultus divinitate. Et in ſecundo adventu, & occultus & manifeſtus veniet. Occultus, quia neſcimus diem neque horam. Manifeſtus, quia videbit eum omnis oculus. Et alio modo occultus, quia neſcimus occultum judicium Dei: hoc eſt, quia repudiati ſunt Judæi, electæ ſunt Gentes. Aliter. Videmus ſanctos tribulari; & neſcimus an pro probatione, aut pro emendatione, ut ad melius creſcat eorum gloria. Videmus alios tribulari quorum pœna hic incepit, & in futuro cum ipſis permanet. Videmus alios nec tribulari, nec injuriam pati: ſed ſanos corpore, lætitiâ corporali omnibus abundare. Iſti tales periculoſi ſunt: quia credimus quòd ipſos Deus non viſitat, quia non ſunt digni viſitari, ut poſtmodum ſine fine puniantur.* Lege S. Auguſtinum piè & ingenioſè iſta tractantem.

Argumentum itaque Pſalmi eſt gratiarum actio de Incarnatione, Paſſione, & aliis humanæ ſaluti ſubvenientibus myſteriis, ac præſertim de occultis Dei judiciis ad tutelam juſtorum, & ad punitionem impiorum. Pſalmi argumentum.

HEBRÆI Pſalmum hunc duos in Pſalmos nunc dividunt: ſed magis eſt credendum Septuaginta interpretibus, utpotè antiquioribus, & codices meliores habentibus, qui non diviſerunt illum: & Eccleſiæ, quæ eos ſecuta eſt, patebitque in decurſu, nihil eſſe cur illa fiat diviſio.

DUAS itaque in partes præcipuas, & ſibi conjunctas, Pſalmus hic ſecari poteſt, Primò à verſu 1. uſque ad 13. gratias agit David ob accepta beneficia, præſertim in Paſſione & morte filii Dei, in promulgatione Evangelii, in quotidiano judicio contra impios, Secundò, à verſu 13. uſque ad finem, auxilium ſibi adverſus præſentes futuraſque anguſtias depoſcit, Plures in Sectiones perſpicuitatis gratiâ dividemus.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Duo facit; Pollicetur David ſe laudaturum Chriſtum, ut Salvatorem, & nomen ejus Jeſum, quòd in Cruce altiſſimus factus adæquatè meritus eſt, verſu 1. & 2. Secundò, Victoria Chriſti in eadem Cruce reportata, hoſtes ejus fugatos eſſe docet verſu 3. & 4.

PARAPHRASIS.

1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.*

1. Toto mentis affectu tibi Domine gratias agam: & contendam pro viribus omnia opera tua admirabilitatis pleniſſima ac præſertim in Cruce, quæ mirabilium tuorum compendium, & fons ſalutis humanæ extitit, prædicare.

2. *Lætabor & exultabo in te: pſallam nomini tuo Altiſſimo.*

2. Non in vanis terræ nugis & quiſquiliis, ſed in te uno lætabor interius, & exterius ſubſiliam: tuumque in honorem, & nominis Jeſu, Pſalmos contexam & concinam.

3. *In convertendo inimicum meum retrorſum: infirmabuntur & peribunt à facie tua.*

3. Cùm tuâ virtute, ô Salvator, inimicus meus diabolus in fugam converſus fuerit, tuâ cruce & morte contritus: tunc omnes ejus milites, nempè mundus & caro, debiles reddentur, dilabentur, atque evaneſcent, ad ſolum tui & tuæ crucis conſpectum.

4. *Quoniam feciſti judicium meum, & cauſam meam: ſediſti ſuper thronum qui judicas juſtitiam.*

4. Quidni verò diabolus & totus ejus exercitus diffugeret, quia tu abſolviſti judicium, litemque & controverſiam diremiſti, pro me ſatisfaciens, quem captivum ſuum diabolum aſſerebat: In throno crucis conſidens juſtiſſimè judicâſti, me liberans, hoſtem verò prædâ ſpolians.

QUÆSTIO UNICA.

Quàm venerandum Crucis & Paſſionis myſterium, & quanta ab eo in nos utilitates dimanant.

1. Agi hic de Christi Paſſione, probatur.

DAVID varia narraturus Chriſti myſteria reliquorum fontem aperit, nempè Paſſionem ac mortem. Quod autem initio de illa agatur, patet primùm ex titulo, qui nunc eſt in Hebræis codicibus, ſcilicet: *Victori* עלמות, *al muth, labben*. id eſt, *ſuper morte filii* (Chriſti, ut probavi ibi fusè) *canticum David.* Secundò, colligitur ex

1\.

2\.

verſ. 3. *Pſallam nomini tuo altiſſime*, agit enim de nomine Jeſu, cujus in laudes effuſus Pſalmo præcedenti, cum finierat his verbis: Domine Dominus noſter, *quàm admirabile eſt nomen tuum* in univerſa terra. Quod dixerat admirabile, hoc nomen Jeſu nunc laudat. Non fuit autem Chriſtus completè & perfectè Jeſus, id eſt, Salvator, niſi in cruce & morte. Tunc enim pretium oblatum pro ſalute noſtra à Patre æterno acceptatum eſt. Tertiò, quæ

3\.

habentur verſ. 4. & 5. *In convertendo*, &c. exponit Bellarmin. & alii, de victoria Chriſti in cruce, ut videbitur.

Ordo autem Sectionis hujus eſt: Primò, Propheta noſter ex vehementi animi ardore erumpit in gratiarum actionem, quam ait præſtiturum ſe, 1. Corde, verſ. 1. *Confitebor tibi in toto corde meo.* 2. Ore, ibid. *Narrabo omnia mirabilia tua.* 3. Opere, verſ. 3. *Lætabor, & exultabo in te. Pſallam nomini tuo Altiſſime.*

2\. Ordo Sectionis primæ.

Secundò, Effectus mirificos Paſſionis recenſet tres: 1. Fugam dæmonis, verſ. 4. *In convertendo inimicum meum retrorſum.* 2. Infirmationem ejus, ac totius exercitus, ibid. *Infirmabuntur.* 3. Deletionem ejus omnimodam, ibid. *& peribunt à facie tua.*

Tertiò, Cauſam horum effectuum in dæmones, & exultationis in ſeipſo, notat eſſe Chriſti paſſionem, per quam abſolvit Chriſtus litem, quæ erat inter Deum & hominem: item inter hominem, & dæmonem. Tunc enim pretium perſolvit ad captivos liberandos, Verſ. 5. *Quoniam feciſti judicium meum, & cauſam meam*, atque ut victor ſuper thronum crucis ſedens pœnam debitam remiſit, & dæmonem condemnavit ad prædam reddendam, ibid. *Sediſti ſuper thronum, qui judicas juſtitiam.*

ARTICULUS I.

Gratiarum actio Chriſto debita ob Paſſionem, & qualis?

CUm tribus rebus homo valeat: nempè mente, locutione, & operatione, tria hæc Chriſto crucifixo ſunt conſecranda, verſ. 1. *CONFITEBOR TIBI DOMINE* (Chald. *coram Domino*: præſentia Dei in oratione & Dei laude maximè juvat) *IN TOTO CORDE MEO, NARRABO OMNIA MIRABILIA TUA.* Verſ. 1. 2. Pars.

Quæres primò. Quis hic loquitur? Reſp. 1. Remig. Euſeb. Aſterius, & alii, Chriſtum ipſum loqui Patri æterno. Ste Matth. 11. 25. *Confiteor tibi Pater* (qui me Filium tuum unicè amas) *Domine cœli & terræ*, & Angelorum hominúmque in iis conventorum. Idem habetur Luc. 10. 21. Secundò, S. Hieronymus & Rupertus dicunt eſſe vocem Eccleſiæ. Tertiò, & melius, Theodoretus, Origenes, & Didymus, ac Bellarm. cenſent Davidem loqui, & ſe ad ipſum Chriſtum convertere. Hoc tamen & ſinguli fideles, & tota Eccleſia poteſt uſurpare, & in eorum perſona David loquitur.

3\. Quis hic loquitur?

Quæres ſecundò. De qua confeſſione agitur, cùm dicitur: *Confitebor tibi.* Ad reſponſionem Nota cum S. Thoma 2. 2. qu. 3. art. 1. ad 1. quòd triplex eſt confeſſio, quæ in Scripturis laudatur. Una eſt confeſſio eorum, quæ ſunt fidei: & iſta eſt proprius actus fidei, utpotè relata ad fidei finem. Alia eſt confeſſio gratiarum actionis, ſive laudis: & ipſa eſt actus latriæ; ordinatur enim ad honorem Deo exteriùs exhibendum, quod eſt finis latriæ. Tertia eſt confeſſio peccatorum: & hæc ordinatur ad deletionem peccati, quæ eſt finis pœnitentiæ; undè pertinet ad pœnitentiam. Dico itaque in hoc Pſalmo agi de confeſſione laudis, ut patet ex ſequentibus, nempe: *Narrabo omnia mirabilia tua*: & ex verſ. 3. *Lætabor & exultabo in te*, quæ non ſunt propriè pœnitentium, quorum eſt lugere & flere, non verò lætari & exultare ac pſallere; undè pia magis quàm ſolida eſt annotatio S. Hieronymi, qui ait hic contineri trinam confeſſionem: *Trina*, inquit, *confeſſio hic ſonat; id eſt, peccatorum, Martyrum, Confeſſorum.* Niſi fortè omnia de Dei laude accipit, addit enim: *Gratiarum actio, ſive laus, ut in Evangelio: Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ. Et hic trina dilectio intelligitur, id eſt, di-*

Triplex eſt confeſſio.

1\.

2\.

3\.

liges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex
tot· animu tua, & ex totis viribus tuis. Hebr. eſt,
אודה *ode*, id eſt, laudabo, ut Arias vertit, hinc [illegible]
id eſt, *odu*, canticum. Syr. & Arab. *gratias agam*
tibi. Rad. ידה *juda*, id eſt, projicere: in Hiphil
facit הודה *hoda*, id eſt, gratias agere, confiteri,
laudare, prædicare, celebrare. Junge utramque
ſignificationem Kal & Hiphil: ſcito Dei laudem &
gratiarum actionem eſſe tela acutiſſima & maximè
penetrantia cor Dei, ſi illas projicias ut oportet, &
animo ardenti, ut & ipſæ ardeant, ulta petant ut
centrum ſuum, ac Deum inflamment in ejus ſinum
advolantes, & ibi quieſcentes.

4. Confiteri toto corde eſt.

Quæres tertiò. Quid eſt confiteri, id eſt, lauda-
re Deum in toto corde, cùm dicatur: *Confitebor ti-
bi Domine in toto corde mea?* Reſpondet primò S.
Auguſtinus eum confiteri toto corde, qui *omnia ad*
1. *divinæ providentiæ regimen transfert*, quæ ſtulti
quaſi caſu & temerè, & nullâ divinâ adminiſtratio-
ne fieri putant. Ita ipſe, ubi monet ceroenda eſſe
occulta ſapientiæ Dei, cùm Paulus dicat Rom. 5.
3. Gloriamur in tribulationibus: & conſiderun-
dum, omnes cruciatus corporaliter inferri, aut ut
exerceant conversos ad Deum, aut ut convertan-
tur, admoneant, aut juſtè damnationi ultimæ præ-
parent obduratos. Inſiſtit S. Auguſtino Remigius,
cùm dicit eos confiteri toto corde, qui divinæ di-
ſpoſitioni in nullo contradicunt.
2. Secundò, confitetur *toto corde*, qui id facit
3. quantum poteſt, ait ſanctus Thomas. Tertiò, qui
confitetur omni tempore, nempe in proſperis &
adverſis, ut explicant ſanctus Chryſoſtomus, &
4. S. Baſilius. Quartò, qui nullis mundanis cogita-
tionibus fluctuat, ut dicunt Bruno, Haymo, &
Caſſiodorus.
5. Quintò, *confitetur toto corde*, qui cor ſuum non
dividit Deo & creaturis, ſed tantùm uni conſecrat
& ejus cultui, ut exponunt Origenes, Didymus,
Remigius, Lyranus, Theodoretus, qui ait, [illegible]
[illegible] *proprium eſt perfectorum hominum, to-
tum cor Deo*, [illegible] *dedicare*, (ut ſit ſcilicet
anathema Jeſu) *& omnem mentem ipſi conſecrare.
Qui autem*, [illegible], *partitur cogitationes in mam-
monam & Deum, in Chriſtum & aurum, in præ-
ſentem vitam & futuram, non poteſt verè dicere:
Confiteor tibi Domine* [illegible] *corde meo*. Quid eſt
humani cordis anguſtiis contractius? quid Deo dif-
fuſius & majus? cùm non modò cœlum & terram
impleat. Jerem. vigeſimo tertio, verſu vigeſimo
quarto, ſed etiam ſit excelſior cœlo, & profundior
inferno? ut ait Sophar Naamathites Jobi undeci-
mo, verſu octavo. Itaque Deus indignans Judæis
quòd ſecum idola colerent, amarent, & adorarent,
dicit Iſa. 28. 20. *Coangustatum* (Pagnin. brevius)
eſt stratum, ita ut alter decidat (vel ego, vel idola,
non manet area cum Dagone) *& pallium breve*
(Pagnin. operimentum anguſtum, id eſt, ſtragula
& indices lecti: hoc eſt, affectus, & præcipuè amor
animæ, ut ſponſæ) *utrumque operire non poteſt*.
Sponſum ſcilicet Deum, & adulterum, nempe
dæmonem. Auſonius verè dicit: *Duos ſocios non
recipiunt: amor & principatus*. Deus ſolus vult
rapere totum cor. Vetitum olim erat, Deuteron.
vigeſimo ſecundo, verſu decimo. *Non arabis in*
(id eſt, cum) *bove & aſino*. 1. Quia vires eorum
ſunt inæquales. 2. Quia bos erat animal mundum
atque aptum oblationi in holocauſtu & aliis ſacrifi-
ciis: aſinus erat immundum animal, & à ſacrificiis
excluſum. Ne Deum jungas in eodem jugo cum
diabolo, ut te ſimul trahant: probroſa eſt & ſtulta
hæc conjugatio. Quæ conventio Chriſti ad Belial?
Neque etiam munda & immunda cogitatione ad
Deum accedas; quia non habitabit juxta eum ma-
lignus, neque permanebunt injuſti ante oculos
ejus. Sanctus Antioch. homilia octuageſima prima
orationem illam in bove & aſino applicans tropolo-
gicè, ait: *In munda & immunda cogitatione non
offeres cogitationem*.

Sexto denique, confitetur Deo *ex toto corde*, 6.
qui & totâ intenſione cordis ſeu affectus, & totâ
extenſione confitetur; ita ut neque ullum actum
exerceat anima niſi propter Deum, & actus illos
quos propter Deum exercet, perfectiſſimè & ar-
dentiſſimè exerceat.

Septimò denique, & preſſius, atque Pſalmo ac- 7. Et
commodatius, confitetur *toto corde* Chriſto cruci- uptius.
fixo, de quo hic agitur, qui eum laudat ex animo,
omnes gratias, virtutes, dona, benè vivendi &
tentationes ſuperandi vires, aliaque ei accepta re-
ferendo, omniaque ad eum ut ad fontem refun-
dendo, ſe ſuaque omnia illi uni conſecrando & of-
ferendo, de eo uno cogitando, eum unum mag-
nifaciendo, cætera deſpiciendo & pro nihilo du-
cendo, eum amando, & per amorem intimè cordi
uniendo & imprimendo: ita ut ab eo diſcedat.
Apollinaris vertit: *Confitebor tibi Domine*, [illegible]
[illegible], id eſt, *indeſinenti corde*: ſic Chriſtus crucifi-
xus occupabit longitudinem cordis, ſed latitudi-
nem quoque & profunditatem atque altitudinem
teneat, ut ſive alta, ſive demiſſa cogites, ſemper
ſis memor illius, eumque laudes. Canticor. octa-
vo, verſu ſexto ait ſponſus, id eſt, Chriſtus animæ
ſanctæ: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum*.
Hæc verba tribuunt ſponſæ Chald. & Arabs, ſed
malim cum ſancto Anſelmo, ſancto Ambroſio,
Caſſiodorus, Beda, Juſto, Ugone Cardinali, &
aliis, tribuere ſponſo, id eſt, Chriſto, qui, ut ait
Ugo, vult ut ſui pro nobis crucifixi memoriam fa-
ciamus. Sanctus Ambroſius libro de Iſaac, capite
octavo. *Signaculum*, ait, *Chriſtus in fronte eſt, ſig-
naculum in corde. In fronte, ut ſemper confitea-
mur: in corde, ut ſemper diligamus. Signaculum
in brachio, ut ſemper operemur. Luceat ergo ima-
go ejus in confeſſione noſtra: luceat in operibus & fa-
ctis: ut fieri poteſt, tota ejus ſpecies exprimatur in
nobis. Ipſe ſit caput noſtrum, quia caput viri Chri-
ſtus: ipſe oculus noſter, ut per eum videamus Pa-
trem: ipſe vox noſtra, per quam loquamur ad Pa-
trem: ipſe dextera, per quam Deo Patri ſacrificium
noſtrum offeramus: ipſe quoque eſt ſignaculum no-
ſtrum, quod eſt perfectionis & charitatis inſigne,
quâ diligens Pater ſignavit Filium, ſicut legimus:
Quem Pater ſignavit Deus*, Joannis ſexto. Nota *Stigma-*
ſunt ſtigmata ſancti Franciſci, in manibus, pedi- *ta va-*
bus, & pectore ſigillata. Hoc ipſum ſanctæ Catha- *riis*
rinæ Senenſi, beatæ Helenæ virgini Hongaricæ, ex *Sanctis*
Ordine ſancti Dominici; Gertrudi de Oeſten, Lu- *impreſ-*
ciæ virgini Narnienſi tempore Alexandri VI. con- *ſa.*
tigit. In ſancto tamen Franciſco magis conſpicua
& illuſtria fuerunt hæc ſtigmata quàm in aliis.
Thomas Cantipr. lib. 2. Apum aſſerit, abſolutiſſi- *Imago*
mam Jeſu Chriſti imaginem, *inſtar ſigilli*, cordi *Chriſti*
Martyris cujuſdam inſitam fuiſſe repertam. Bo- *in corde*
zius l. 15. de ſignis Eccl. c. 33. ait, vidiſſe ſe cor S. *Marty-*
Claræ virginis è Montefalcone, in eoque inſcul- *ris.*
ptum Chriſtum cruci ſuffixum: ex eadem carne *Chri-*
flagella, quibus cæſus eſt: columnam, cui adſtri- *ſtus*
ctus eſt: omnia denique ſimulacra, quibus ejus *cruci*
perpeſſiones referuntur. Serarius noſter libro 5. *affixus*
rerum Moguntiacarum, Archiep. 33. fol. 837. *in corde*
recitat, *oſſeam crucem* cum liliis in pectore Vol- *de S.*
crandi viri picturis ſtudioſi familia ſancti Dominici *Claræ.*
repertam eſſe. Eam verò ſe vidiſſe ait Thomas *Oſſea*
Cantipr. qui erat ejuſdem familiæ, & citatur à Se- *crux in*
rario, qui ſubdit: *Quid inſigne corporea crucis in corde*
oſſe pectoris niſi mortis Chriſti, in mente priùs habitæ Vol-
ſtigmata crandi.

ſtigmata Paſſionis? Et quid in foliis repandi lilii in crucis extremitatibus deſignatur: niſi mundiſſima caſtitatis inſigne, quod cum memoria mortis Chriſti ſundatiſſimè gerebat in corde? Notat autem Volcandum illum ſive ſederet, ſive ambularet, ſolitum eſſe ſignum crucis frequenter ſibi in pectore depingere.

5. Memoriâ Paſſionis Christi eſt cor ſignandum. Moraliter nota, nihil eſſe Deo acceptius, quàm memoriâ & amore Chriſti crucifixi cor noſtrum ſigillare, & ibi cruce defixâ nos in perpetuam victimam & juge holocauſtum immolare, ut fecit pro nobis Chriſtus in ipſa cruce. Ex ejus vulneribus ſanguis defluens in totum cor, & omnes mentis potentias, & corporis totius venas, arterias, tendines, fibras, cutem, membra omnia, ſenſus & appetitus, te in alterum Jeſum convertet, & candidum ſimul & rubicundum præſtabit per innocentiam & charitatem. S. Leo ſerm. 8. de Paſſione Chriſti, vocat ejus crucem, *aram mundi*, quòd in ea omnis labis expers Agnus oblatus, totum mundum expiâerit. Cor tuum ſit *ara ipſius Chriſti*, ut in te jugiter immoletur. Exod. 29. 38. *Hoc eſt quod facies* (id eſt, immolabis, ſacrificabis) *in altari* (holocauſtorum) *Agnos anniculos duos per ſingulos dies jugiter: unum agnum manè, & alterum veſperè.* Et illud agni ſacrificium matutinum & veſpertinum ſemper primum fiebat ante omnia ſacrificia neomeniæ, id eſt, primæ diei menſis, Sabbathi, aut cujuſcunque alterius feſti etiam Paſchatis. Prima cogitatio tua manè, & in proſperitate: & veſperè, atque in adverſitate ſit de Agno pro te immolato, ut tu te illi tuaque in ara cordis tui immoles. S. Aug. lib. 10. de Civitate Dei, cap. 4. *Dei altare*, inquit, *cor noſtrum: ejus unigenito cum Sacerdote placamus, ei cruentas victimas cædimus, quando uſque ad ſanguinem pro ejus veritate certamus: ei ſuaviſſimum adolemus incenſum, cùm in ejus conſpectu pio ſanctoque amore flagramus; ei dona ejus in nobis, noſque ipſos vovemus & reddimus: ei beneficiorum ejus ſolemnitatibus feſtis, & diebus ſtatutis, dicamus ſacramusque memoriam, ne volumine temporis ingrata ſubrepat oblivio: ei ſacrificamus hoſtiam humilitatis & laudis in ara cordis igne fervidæ charitatis.* Quàm grata ſit præſertim memoria Paſſionis Chriſto ipſi, diſce ex Ludolpho à Saxonia tract. de vita Chriſti, cap. 58. ubi refert, Jeſum cuidam Eremitæ ſanctiſſimo aſtitiſſe mendici habitu, vili vix contectum veſte, ac præ frigore rigeſcentem, tremenſemque, & crucis magnæ pondere degravatum. Cumque vir pius rogaret, quis eſſet, eum dixiſſe: Jeſum ſe Chriſtum eſſe, qui optatis ejus ſatisfacturus veniſſet. Cùm ille inſtaret, Quid ſibi eſſet jucundius? ait: *Nihil ſe optare magis, quàm ut quis juvet ſe portare crucem meam, & vulnera, & paſſionem in corde ſuo.* Deinde dicit Ludolphus ex S. Bernardo, quotidianam lectionem Chriſtiani debere eſſe recordationem Dominicæ Paſſionis: *Nihil enim ita accendit cor noſtrum*, ait S. Bernardus, *quemadmodum ſæpè & ſedulò recogitata Paſſio & Humanitas Salvatoris.*

6. Non ſolùm corde, ſed etiam ore laudandus eſt
Verſ. 2. Chriſtus. Unde David addit verſ. eod. 2. *Narrabo*
2. Pars. (Hebr. אספרה *aſaffera*, id eſt, ſigillatim recenſe-
Chriſtus eſt bo. Petavius, [illegible] catalogum inſtituam) *om-*
ore laudandus. *nia mirabilia* (Cajetan. ſeparata: quia quæ ab hominum captu ſunt ſegregata, mira ſunt: ſed noſtra verſio eſt melior) *tua.* Hanc oris laudem aliqui volunt expreſſam eſſe in primo hemiſtichio: *Confitebor tibi in toto corde meo.* Sic dicit Paul. Coloſſ. 3. 16. *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter* [illegible], id eſt, opulenter, copioſè (*in omni ſapientia docentes, & commonentes voſmetipſos, in gratia*) id eſt, cum gratia & venuſtate, ut explicat Theophylactus. 2. Ex gratia & afflatu Spiritûs S. ut S. Chryſoſt. 3. Magis ad rem noſtram: cum gratiarum actione (*cantantes in* (id eſt, *ex*) *cordibus veſtris Deo.*) Sed melius & in Pſal. noſtro, & apud Paulum, *in corde*, ſumetur propriè: niſi enim intus Deo & Angelis canteur, ingrata eſt ipſis omnis exterior melodia. Cor eſt fons & abyſſus, lingua eſt canalis & rivus.

7. David mirabilia Dei ſe narraturum dicit, & quænam illa ſint. Quæres 1. Quænam Dei mirabilia narraturum ſe dicit David? Reſp. primò, ait ſe narraturum mirabilia creationis & gubernationis mundi, de quibus etiam vult hîc agi S. Chryſoſt. qui ſic e[illegible] loquitur, quod terra, [illegible], *fontes & fluvios, velut mammas lac fundentes immittit*, & vix ullus eſt, qui Deum latiorem laudet. In hiſce enarrandis innumeri tempus conterunt, de Solis, Lunæ, ſtellarum, cœlorum pulchritudine, amplitudine, admirabilitate, de nubibus, tonitru, fulmine, ventis, tot terræ frugibus, plantis, gemmis, mineralibus & metallis, aliiſque, vix ullus ſermonem inſtituit, ut de iis Deum laudet. Ea tamen de cauſa Deus cor hominis intelligentiâ replevit, ut à corde in linguam laus dimanet, ob tot mirabilia ejus cauſa confecta, Eccli. 17. 7. & 8. *Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum* (hominum ſcilicet) *oſtendere* (ut oſtenderet) *illis magnalia operum ſuorum, ut nomen ſanctificationis* (id eſt, ſanctum) *collaudent: & gloriari in mirabilibus illius ut magnalia enarrent operum ejus.* S. Ambr. lib. 6. Hexaem. c. 9. linguam vocat plectrum loquentis, & Tull. lib. 2. de Natura Deorum, linguam ait eſſe plectrum oris: chordas verò, dentes. Optimè ſonat os tanquam Dei cithara, dum plectrum, i. e. linguam tenet ac movet cor Spiritu ſancto animatum & exultans. S. Ambr. in illo Hexaem. loco: *Soli homines*, ait, *ore exprimimus quæ corde ſentimus: itaque cogitationes tacita mentis, oris ſermone ſignantur. Quid igitur os hominis, niſi quoddam ſermonis adytum, fons diſputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis. Abſolvimus velut quandam humani corporis regiam, in qua licet ſit quædam quantitas portionis, forma tamen univerſitatis eſt.* Hæc Ambroſ.

2. Secundò, Trevetus cenſet per *omnia mirabilia* Dei, quæ David narraturum ſe ait, intelligi plagas Ægypti, ſubmerſionem Pharaonis, & Ægyptiorum in mari rubro, & alia opera ſtupenda, de quibus dicit Deus Moyſi quem legatum mittebat ad Pharaonem, ut populum ſuum liberaret, (de qua liberatione Pſal. noſtrum Trevetus explicat) *Extendam manum meam* (i. e. magna potentia faciam opera admirabilia, q. d. virtutem meam & oſtendam, vel gravi plaga feriam, velut elevato extra brachio. Eſt catachreſis) *& percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus ſum in medio eorum.* Poſſis addere ad Trevetum, agere Davidem de mirabilibus in deſerto, & cùm lex dabatur in monte, de quibus Eccl. 17. 10. & 11. habes, *Teſtamentum æternum* (id eſt, pactum & fœdus duraturum dum lex Moyſi aſtaret) *conſtituit cum illis, & judicia ſua* (i. e. leges judiciales) *oſtendit illis. Et magnalia honoris* (i. e. honorificam & glorioſam Dei Legislatoris magnificentiam & honorem) *ejus vidit oculus illorum, & honorem vocis* (i. e. majeſtatem vocis divinæ. Syr. honorem ſermonis) *audierunt aures illorum.* Græca habent [illegible], i. e. magnitudinem ſeu magnificentiam gloriæ viderunt oculi eorum, &, [illegible], gloriam vocis ejus audivit auris illorum.

3. Tertiò generatim loquitur Remigius, & per *omnia mirabilia*, quæ David ait ſe narraturum, intelligit omnia tam viſibilia, quàm inviſibilia: tam ſpiritualia, quàm corporalia. De illis explicat Eliphaz Themaniteſ. Job. 5. 8. & 9. *Ad Deum ponam eloquium meum. Qui facit magna* (cœlos ampliſſimos)

mus) & *inſcrutabilia*(abyſſos inpermeabiles) & *mirabilia nbiq; numero*, in cœlo, terra, aquis, ubique: in operibus naturæ, & gratiæ, & gloriæ quæ etiam ſunt magna & inſcrutabilia.

4. Et optimè. Quartò, & melius, atque ad totum pſalmum accommodatius, *omnia mirabilia*, quæ David ait ſe narraturum, ſunt ea quæ continentur in toto myſterio redemptionis noſtræ. Verè, ait Bellarmin. quaſi *compendio* quodam comprehendit omnia opera mirabilia Dei redemptio generis humani, opus ſummæ miſericordiæ, in quo recapitulantur omnia beneficia Dei. Et quidem Epheſ. 1. 7. *In quo* (per quem Chriſtum) *habemus redemptionem* (paſſivam ſcilicet: id eſt, per quem redimimur) *per ſanguinem ejus*(&)*remiſſionem peccatorum*(ſupple, habemus)*ſecundùm divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit*(theſauro aperto in cruce, & è plagis copiosè fluente) *in nobis*) id eſt, in nos, ſuper nos pedi crucis hærentes) *in omni ſapientia & prudentia* (id eſt, cum omni Dei ſapientia) *ut notum faceret Sacramentum* (arcanum conſilium & decretum] *voluntatis ſuæ* (de vocandis ad fidem gentibus: de quo myſterio mirabili etiam agit pſalmus noſter] *ſecundùm beneplacitum ejus, quod propoſuit*(ſtatuit, decrevit) *in eo*(h. e. per illum: ſupple exequi) *In diſpenſatione plenitudinis temporum*[i.e. donec tempora, quæ ante Chriſtum debebant præcurrere, plenè eſſent diſpenſata: h. e. ordinata, evoluta, expenſa. *Inſtaurare* (Græc. ἀνακεφαλαιώσασθαι, id eſt, in ſummam & compendium ac recapitulationem redigere: recapitulare, ut legit S. Hier.) *omnia in Chriſto*. Eſt enim ſumma & recapitulatio omnium operum Dei tam viſibilium quàm inviſibilium, Chriſtus, ut ait Theophylactus, eſt verbum conſummans, & abbrevians in juſtitia. Unde addit Paulus, *quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo*. Nota, *Tò, in ipſo*, redundare per pleonaſmum hebraicum. Solent enim Hebræi repetere pronomen cum ſuo antecedente: itaque ſine jactura ulla ſenſus poſſet tolli *Tò in ipſo*. Sed, ut notat Cornel. ita nomine Chriſti non poterat Paulus ſatiari, ut eum, ut ita dicam, ſuperfluè, & ſingulis ſæpe verſibus nominaret. Hinc nomen Jeſu in parvis & paucis quatuordecim epiſtolis ſuis reperit ducenties decies novies, Chriſti nomen quadringenties & ſemel.

5. In Paſſione ſunt mirabilia. Quæres, Quænam mirabilia ſunt in Chriſti Paſſione & Morte? Reſpondeo primò, nihil in ea non eſſe admirabile & ſtupendum. Secundò, Abjectionem ipſam & humilitatem dejicientis ſe Dei ad tam dira tormenta eſſe vel ipſis Angelis inſcru-
1. tabilem. Tertiò, tantam in tam horrendis ſup-
2. pliciis patientiam, conſtantiam, charitatem, perſe-
3. verantiam. Quartò, mirabilis fuit everſio Judæo-
4. rum capere volentium Chriſtum in monte Oliveti, & Malchi ſanatio, impreſſio faciei ſuæ in linteo
5. Veronicæ. Quintò, mirabilis fuit latronis, centu-
6. rionis & aliorum converſio. Sextò, mirabilis fuit Solis eclipſis, in qua ſeptem miracula recenſet S. Dionyſius Areopag. epiſt. 7. ad Polycarpum, & ex eo Cornel. in cap. 27. Matth. verſ. 15. præſertim quòd per tres horas duraverit, cum eclipſis Solis parùm duret, & facta ſit in plenilunio primi menſis Niſan. In plenilunio autem non poteſt fieri eclipſis Solis, quia tunc Luna à Sole longiſſimè diſtat, imò eſt in oppoſito Solis: quare eclipſis Solis non
7. fit niſi in conjunctione Solis cum Luna, quæ fit in novilunio: tunc enim Luna Soli vicina facilè ſe illi ſupponit, ipſumq; eclipſat. Septimò, mirabilis fuit terræ motus, concuſſio & confractio rupium,
8. apertio ſepulchrorum, & ſuſcitatio mortuorum. Octavò, mirabile fuit, imò miraculum, quomodo Chriſtus ob triſtitiam & agoniam ſummam in monte Oliveti, ſudorem ſanguinis, plagas & dolorem flagellationis, coronationis, crucifixionis & aliorum tormentorum non fuerit citius mortuus. Hæc aliaque mirabilia expende, jugiter contemplare & enarra. S. Franciſcus ſæpè dicebat alumnis ſuis, ut librum crucis inſtar librorum omnium haberent, idque unum maximè attenderent, ut Chriſtum crucifixum laudarent, & eum imitarentur, ut ait S. Bonavent. in ejus vita. S. Cyrill. Jeroſolym. Catech. 13. crucem vocat, καύχημα καυχημάτων, id eſt, *gloriationem gloriationum*. Ex Paulo id ſumpſit, qui dicebat Galat. 6. 14. *Mihi autem* [alii jactent quæ volent] *abſit gloriari niſi in cruce* (hoc eſt, in fide crucis, in grata memoria, contemplatione narratione & exaltatione ac prædicatione per totum orbem) *Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus* (id eſt, mortuus) *eſt, & ego mundo*, ſcilicet ſum crucifixus & mortuus; itaq; nec mundum curo pluſquam cadaver putridum, neque ille me. S. Ignatius epiſt. ad Romanos dicebat: *Amor meus crucifixus eſt, non mihi placet cibus corruptionis, neque voluptas vitæ hujus: panem Dei volo, panem cœleſtem, qui eſt caro Chriſti, Chriſto crucifixus ſum*. Ut bene crucem laudes, eam adora: id eſt, ad os tuum pone cum interno cultu & reverentia, ibi cœleſtis apicula mel divinum ſuge ex arbore vitæ defluens. Tunc erit mel & lac ſub lingua, & favus diſtillans erunt labia tua, & diffundetur gratia in labiis tuis. Andreas Cretenſis orat. de exaltatione Crucis, ait: *Adorate crucem, quia per ipſam Dominum cognovimus. Adoranda Crux, quia per ipſam benedictionem accepimus & à maledicto liberati ſumus. Adoranda crux, quoniam per ipſam, cùm amarum ligni inobedientiæ evomuiſſemus cibum, ſuavitatem ſalutis deguſtavimus*.

A corde & ore tranſit ad totum corpus Pro- 9.
pheta, & ait ſe totum illud expenſurum in Chriſti Verſ. 3.
ſui honorem, Verſ. 2. *LÆTABOR ET EXUL-* I. Pars,
TABO Hebr. אעלצה *celſa*, id eſt, ſubſiliam ſub- Toto
ſaltabo *IN TE* (Chald. vertit, in verbo tuo, id eſt corpore
1. in promiſſione tua. 2. In Chriſto tuo ac filio uni- eſt in
genito) *PSALLAM NOMINI TUO* (Nomini Deo ex-
Jeſu) *ALTISSIME*. Tu es Altiſſimus. 1. Subſtan- altan-
tiâ. 2. Perſonalitate Verbi. 3. Attributis divinis. 4. dum.
Unione hypoſtaticâ. 5. Gratiis & virtutibus. 6. Poteſtate excellentiæ. 7. Gratiâ capitis. 8. Exaltatione nominis. 9. Elevatione in crucem. 10. Aſcenſione ſuper omnes cœlos. 11. Seſſione ad dexteram Patris, ubi habes ſub pedibus omnes hoſtes tuos.

Tria autem in corpore deſignat David ſe conſecraturum Chriſto. Primò, faciem, in qua velut in ſpeculo elucet mentis lætitia, ad hoc dicit: *Lætabor*. Secondò, membra cætera, cum ait, *Exultabo*. Septuag. ἀγαλλιάσομαι, quod deduci poteſt 1. ab ἀγάλλω id eſt, orno, inſignio, decoro, ut apud Plat. de Leg. lib. 11. vel 2. ab ἀγάλλομαι, glorior, me jacto, ut apud Herod. Thucid. item, lætor, exulto, ut apud Xenophontem. 3. Ab ἄγαμαι, id eſt, demiror, Homer. *r*. vel 4. ἀγαλλιάω exulto, derivatur ab ἄγαν, h. e. valde, vehementer, ut uſurpat Xenoph. & ἅλλεσθαι, id eſt, ſaltare, ſubſilire, apud Xenoph. eundem. Et vox Latina exultare, ſaltum quendam & motum denotat, primò cordis. Virg. libro 5. Æneid. *Exultantiaque haurit corda pavor*. Tull. li. de Rep. *Eſt igitur quoddam turbulentum in hominibus ſingulis, quod vel exultat voluptate, aut moleſtiâ frangitur*. Secundò, exultatio motum aliarum corporis partium oſtendit: qui enim exultat, geſtit, i. e. geſtus quoſdam facit ob delectationem & lætitiam vehementem. Tull. l. 1. offic. *aut voluptate nimia geſtiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, ſtatusq; mutantur*: Tertiò, exultare eſt aliquando gloriari, ut uſurpat Tull. in Catone: *Annibalem juveniliter exultantẽ patientia ſua molliebat*

Fabius

Fabius ſcilicet Maximus. Tu in Chriſto, & quidem crucifixo, gloriare cum Paulo, qui ait: Abſit mihi gloriari, &c. ac 2. Corinth. 12. 9. ait: *Libenter gloriabor in infirmitatibus* (id eſt, afflictionibus) *meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti*, id eſt crux.

Tertium quod in corpore ſuo conſecraturum ſe Deo David indicat, eſt manus, cum ſubdit, *& pſallam nomini tuo altiſſime* Hebr. אזמרה *azammera*, vertit Pagn. cantabo. Arias. & S. Hieron. canam. Nam *zamar* propriè ſignificat amputare, incidere, putare. Unde metaphoricè volunt ſumi pro cantare cum inciſione muſica & modulatione vocis, & diſtinguunt שיר *ſir* à *zamar*, quod *ſir* ſignificet quaslibet cantilenas vulgares & ſolutas: *zimmer* verò in conjugatione Piel ſignificet cantare cantica arte elaborata, quæ ſuos numeros habent & cæſuras. Secundò tamen Septuag. *azammera* reddunt ψαλῶ, id eſt pſallam. Nam *zimmer* propriè ad inſtrumenta muſica refertur, ut docet Mercerus, & ſic uſurpatur Pſ. 91. 2. & 46. 7. atq; aliis locis.

10. In uno Deo lætari magnũ eſt.

Nota primò, magnum eſt in uno Deo lætari & illi uni pſallere, neque eſt cujuſvis dicere cum Davide noſtro, *Lætabor & exultabo in te: pſallam nomini tuo Altiſſime*. Hoc declarat S. Chryſoſt. hic Οὐ μικρὸν, inquit, τοῦτο φιλοσοφίας εἶδος, τὸ ἐυφραίνεσθαι ἐπὶ τῷ θεῷ. *Non eſt parvum Philoſophiæ genus, in Deo lætari. Omnem enim ſecularem voluptatem expellis, qui in Deo ſuam omnem reponis lætitiam. Hæc ſublimé & excelſum hominem efficit. Hæc animam liberat à corpore: hæc efficit, ut ad cælum aſpires: hæc terrenis & iis quæ ad victum pertinent, altiorem conſtituit: hæc à vitiis liberat.* Cæteros omnes voluptatum pruritus & ineſcationes atque larvas jure vocat idem ſanctus Pater, ὀνόματα μόνον ἡδονῆς, *ſola vocabula voluptatis*: ſunt nomina, non res. Deliciæ verò in Deo ſitæ, ſunt ſolidæ & ſucci plenæ ac medullæ, iiſque dæmon expellitur & conficitur, atq; anima ſtudio ſapientiæ & cognitione completur. Lege eum locum. Hinc S. Paulus ita inculcat Philippenſibus, id eſt, civibus Philipporum primæ urbis Macedoniæ, ſic appellatæ à Philippo Rege Patre Alexandri, cum prius Dathos diceretur: inculcat, inquam, ut ſemper in Deo gaudeant, Philipp. 4. v. 4. *Gaudete in Domino* (in fide, cultu, & amore tanti Domini, & ob ejus promiſſiones & protectionem) *ſemper, iterum dico, gaudete*. Bis gaudete, nempe anima & corpore.

11. In Chriſto crucifixo eſt lætandum

Nota ſecundò, non tantùm in Deo glorioſo & glorificante atque proſperitates dante lætandum eſt, & pſallendum, ſed etiam in Chriſto crucifixo & in cruce inſtar cœleſtis citharæ diſtento, atque intra ejus vulnera exſultandum & cantandum.

Crucis pſalterium ut bene reſonet, eſt accipiendũ.

1. Cum fide.

Crux verò, ut divinum pſalterium, manibus, id eſt operibus, capienda eſt. Primò cum fide, quæ virtus primam chordam pulſans cantabit cum centurione admirante prope crucem ea quæ in ipſa fiebant, & in toto orbe ac dicet Matth. 27. 54. *Verè filius Dei erat iſte*. Baronius, Metaphr. Surius, aliiq; cenſent hunc centurionem fuiſſe S. Longinum, qui relictà militiâ ſeceſſerit in Cappadociam, ibiq; Deo ſerviens & Chriſtum laudans, à Judæis martyrio ſit coronatus. Magnam itaque fidem eſſe oportuit, qui etiam pro crucifixo mori voluerit. S. Hier. id admirans ait: *Conſiderandum quod Centurio in ipſo ſcandalo paſſionis verè Dei Filium confiteatur & Arius in Eccleſia prædicat creaturam*. Et S. Bernardus ſerm. 2. de Epiphan ingenioſè & piè: *Videte*, ait, *quam oculata ſit fides, cognoſcit Dei Filium lactentem, cognoſcit in ligno pendentem, cognoſcit morientem. Siquidem latro in patibulo, Magi in ſtabulo cognoſcunt: Centurio verò agnovit vitam in morte, latro Regem Centurio Dei Filium ſimul & hominem pronunciat*, Ita Bernardus.

12. 2. Cum ſpe

Secundò, Crucis pſalterium, ut benè reſonet, accipiendum eſt cum Spe, quæ ſecundam chordam pulſans cantabit cum Propheta noſtro Pſal. 26. 3. *Si conſiſtant* (S. Cypr. in Exhort. Mart. cap. 10. legit: Si directa fuerint) *adverſum me caſtra* (Chald. Si caſtra metabitur adverſus me exercitus impiorum) *non timebit cor meum. Si exurgat adverſum me prælium, in hoc* (meo corde, ut ait Euthymius. 2. In Deo. 3. In hac ſpe, ut Theodoretus. 4. In hac petitione, ut S. Auguſt. 5. In hac re, ut alii. 6. & melius, in hoc prælio) *ego ſperabo*. Cum S. Martinus peteret à Juliano apoſtata miſſionem à militia, & Julianus interpretaretur metum pugnæ, quæ cum Barbaris erat ineunda ſequenti die, Vir ſanctus ait: *Si hoc ignaviæ aſcribitur, non fidei, craſtina die ante aciẽ inermis aſtabo, & in nomine Domini Jeſu, ſigno crucis non clypeo protectus, aut galeâ, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus*, id refert Sulpit. in ejus vita, c. 3. Et verò, ſi, ut ait Salomon, Prov. 30. 5. *Omnis ſermo Dei ignitus* (Heb. צרופה *ſeraphu*, conflatus, conflando excoctus) *clypeus eſt ſperantibus in ſe*, quod erit ipſum Dei Verbum in conflatorio crucis? Hoc ſe clypeo & totum corpus muniant Chriſtiani. Totum corpus cruce ſignabat S. Maximinus Martyr in tyrannos & tormenta pugnaturus. Eſt ſignum Thau, quod reperiens in fronte, ut in domus ſuperliminari, vaſtator Angelus nocere non poteſt. Dic ſub brachiis crucis cum Maria & Joanne ſtans, Pſ. 56. 2. *Miſerere mei Deus miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea* (non tantum labia mea) *& in umbra alarum tuarum ſperabo*, id eſt, ut ait Ugo Cardin. in protectione crucis contra diabolum. Alæ enim expanſæ crucem faciunt & umbram, & Dominus alas ſuas expandit in cruce, ſicut dixit Iſai. 65. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum*. & Sponſa id ſciens ait Cant. 2. 3. *Sub umbra illius quem deſideraveram ſedi*. At abs vertit, concupivi obumbrari umbrâ illius, & ſedi. Tunc poteris ſedere & quieſcere, cùm in crucifixi eris umbra & protectione. In ipſo enim bello te ſervabit, Pſ. 139. 8. *Domine, Domine, virtus* (S. Hier. fortitudo) *ſalutis meæ* [id eſt virtus me ſalvans. Eſt Hebraiſmus] *obumbraſti ſuper caput meum* (es enim in cruce exaltatus, & altiſſimus. S. Hier. vertit, protexiſti caput meum) *in die belli*: id eſt, in hac vita quæ tota eſt bellum, militia, & prælium. 2. In afflictione corporali. 3. In afflictione ſpirituali, id eſt, in die & hora tentationis, præſertim carnalis, cui maximè crux opponitur, ſuâ umbrâ refrigerans ardores tartari.

13. 3. Cum charitate.

Tertiò, crucis pſalterium, ut benè reſonet, accipiendum eſt cum charitate, quæ decachordi pſalterii tertiam chordam pulſans cantabit cum Apoſtolo Rom. 8. 38. & 39. *Certus ſum* (Græc. πέπεισμαι id eſt confido, ut legit S. Ambr.) *quia neque mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; virtutes neq; inſtantia* [id eſt præſentia bona vel mala, ait S. Anſelmus] *neq; futura, neq: fortitudo, neq: altitudo* (id eſt cœli) *neq; profundum* (id eſt inferi) *neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate* (ſed ut illa charitas, aut charitate ardens anima, poſſit hoc dicere, oportet ut teneat crucem Chriſti, eique adhæreat; unde additur) *quæ eſt in Chriſto Jeſu* (intra ejus latus & cor, patens in cruce.) *Domino noſtro*. Tunc ibi anima ſancta, ut columba divina, reſponſat Sponſo dicenti, Cant. 2. 14. *Columba mea in foraminibus petræ* (Hebr. in ſciſſuris petræ. Origen. in velamento petræ. Syr. *in velamine ſepis*, id eſt coronæ ſpineæ) *in caverna maceriæ* [in vulnere lateris, ut explicat Rupertus: in abſcondito gradus, ut vertit Pagninus: in receſſu ſcalarum, ut Vatablus: juxta præmunitionem, ut S. Ambr. ſer. 6. in Pſ. 118. juxta promurale, ut Sept. Vatican. in hærens antemurali, ſicut Complut. Noſtrum ante-

antemurale eſt cor & amor Chriſti crucifixi, qui eſt maceria, i.e. paries ſeu murus ex lapidibus, i.e. virtutibus ſolidis & firmitate impenetrabili factus.

14. 4. Cum religione. Quartò, crucis Pſalterium, ut benè reſonet, accipiendum eſt cum religione, quæ quartam decacordi illius Pſalterii chordam pulſans cantabit cum Moyſe patratricem miraculorum virgam, i.e. crucem, tenente ſupra litus maris rubri, i.e. mundi vitiis pleni, Exod. 15. 2. *Fortitudo mea* (cauſalis ſcilicet, i.e. cauſa fortitudinis meæ, non autem formalis) *& laus mea* (Hebr. eſt tantum זמרת *zimruth*, unde tantùm vertit Pagn. *laus*: ſed arbitror Moyſem dixi cum affixo primæ perſonæ *zimruthi*, i.e. canticum meum: hoc eſt materia & objectum mei cantici) *Dominus, &* (id eſt, quia) *factus eſt mihi in ſalutem* (eſt enim Jeſus, id eſt, Salvator) *Iſte Deus meus* (Heb. אלי *eli*, i.e. Deus meus: vel, fortis meus) *& glorificabo eum* (Hebr. אנוהו *anvehu*, hoc eſt, decorabo eum, ut reddit Varabl. 2. Habitabo eum, ut Cajetan. intra ejus vulnera manebo conſtanter. 3. Tabernaculum faciam ei, ut Pagn. in corde ſcilicet meo crucem & Jeſum crucifixum defigens, ut in loco ſancto, & per ejus ſanguinem conſecrato atque purificato. Chald. vertit, ædificabo ei ſanctuarium, Hebr. *navu* ſignificat conſtruere habitaculum, habitare, decorare, & glorificare. *Deus Patris mei, & exultabo illum*, me ei ſupponens atque ſubjiciens, ut homini Deo.

15. 5. Cum patientia. Quintò, crucis Pſalterium, ut benè reſonet, ſecipiendum eſt cum patientia, quæ quintam chordam tangens cantat cum Jeſu filio Sirach. Eccli. 2. 4. *Omne quod tibi applicitum fuerit* (Græc. ἐπαχθῇ, i.e. adductum & impactum fuerit) *accipe* (Græcè, δέξαι ἀσμένως, h. e. accipe libenter: Arabs, tolera cum gratiarum actione) *& in dolore*, (id eſt, cùm doles, cùm cruciaris doloribus) *ſuſtine* (ut columna firma & ſtabilis) *& in humilitate* (h. e. humiliatione, dejectione, calamitate. Syr. in paupertate. Arab. in languore & neceſſitate. Græc. ἀλλάγμασι, id eſt, in mutatione: fortunæ ſcilicet) *tuâ patientiam habe.* Syr. longanimis eſto. Tigurina, fortem te præbens. Ad hoc autem ut patientiam teneas, tene, & brachiis ſtringe Jeſum crucifixum, qui eſt patientiæ cauſa exemplaris & efficiens, Eccli. ibid. ℣. 3. *Suſtine ſuſtentationes Dei*, hoc eſt, afflictiones tibi à Deo impoſitas, ut explicat Palacius: vel expecta Dei auxilium. Tigurina vertit, Deum ſuſtine patienter *conjungere* (Gr. κολλήθητι, i.e. conglutinare) *Deo, & ſuſtine* (Græcè, μὴ ἀποστῇς, i.e. ne apoſtates, ne ſis apoſtata.) Apoſtata citò fit, qui crucem abjicit: ſicut nemo poteſt venire poſt Jeſum niſi crucem ſuam tollat, *ut creſcat in noviſſimo* (hoc eſt, in extremo, in eo quod ſequitur. Tropolog. in loco abjectiſſimo) *vita tua*, tum præſens, tum futura. Hanc patientiam exercuit B. Coleta, ſingulis enim diebus hora meridianâ, quâ Chriſtus cruci appenſus eſt, doloris morſum ſentiebat vehementiſſimum: idque feriâ præſertim ſextâ à primo diluculo antemeridianis horis, uſque ad horam ſextam veſpertinam, ut docet Stephanus Juliacenſis in ejus vita. Philippa autem Gueldria ex Duciſſa Lotharingiæ religioſa monaſterii S. Claræ Muſſiponti, adeò crucis amore & patiendi deſiderio æſtuabat, ut ſi inter prandendum de cruce verbulum inaudiſſet, ſtatim velut extra ſe rapta, cibo potuque abſtineret, confectaque lacrymis deliquium animi pateretur: annis verò ſeptem vitæ ejus extremis, à veſpera diei Jovis, uſque ad crepuſculum diei ſequentis acerbiſſimos dolores perferebat, ſicut habet noſter Chriſtoph. Merigot lib. 11. vitæ ejus. Vult Deus patientiam Sanctorum coronare, quia patientia opus perfectum habet.

B. Coleta Christo crucifixo comparatur.

16. 6. Cum fortitudine. Sextò, crucis Pſalterium, ut benè reſonet, accipiendum eſt cum fortitudine, quæ ſextam chordam manu pulſans cantet cum Paulo. 1. Cor. 1. 23. & ſeq. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixũ, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam. Ipſis autem vocatis* (ad fidem) *Judæis atque Græcis* (id eſt, Gentilibus) *Chriſtum Dei virtutem* (Gr. δύναμιν, id eſt, potentiam) *& Dei ſapientiam. Quia quod ſtultum eſt* (id eſt putatur eſſe, eſſe dicitur) *Dei ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei* (nempe humanitas, mortalitas, paſſio, crux) *fortius eſt hominibus*, quia faſtum humanum contrivit. 2. Dæmonem ſuperavit. 3. Homines à captivitate ejus liberavit. Tu quoque fortiter crucem ſtringe, eaque ut gladio ſpiritus & telo potentiſſimo utere, & teipſum cruce edoma. Dicit idem Apoſtolus per crucem ſecurus, Galat. 6. 17. *De cætero nemo* (Judæorum, ait Cornelius. 2. & meliùs, omnium) *mihi moleſtus ſit. Ego enim ſtigmata* [plagas & cicatrices ex vulneribus pro Chriſto ſuſceptis impreſſas] *Domini Jeſu in corpore meo porto.* Vide de S. Franciſco Bonaventuram c. 13. vitæ. S. Radegundis regina Franciæ flammantes carni cruces imprimebat. Japones noviter converſi, inciſione aut uſtione, etiam fronti inſculpebant crucis notas, ut à tyrannis ipſis Chriſtiani cognoſcerentur. Olim non Martyres tantum, ſed alii omnes, ita fortes erant in ferendis adverſis, & tanto robore crucem ferebant, ut eos appellet Tertull. in Apolog. n. 238. *Religioſos crucis.* S. Euſtachius Dux & martyr fortiſſimus, cùm inter cervi cornua vidiſſet è cruce pendentem Salvatorem, converſus ad fidem jacturam bonorum, uxoris, ac liberorum, diu forti & infracto pectore toleravit, tandem uxore & liberis repertis, cum iis mortem acerbiſſimam conſtanter pertulit, tauro æneo ardenti incluſus, in quo expiravit, ut habetur in ejus Actis die 20. Septemb. Si Æthiopes Reges aliquod membrum truncatum haberent, eorum familiares illud ſibi ſtatim reſecabant, & ſe eorum amicitiâ indignos putabant, niſi id facerent, & cum morientibus occumberent, ut ait Diodor. Sicul. lib. 3. Cùm Mahometes III. Princeps Turcarum circumciſus eſt, quatuor juvenum millia ſe obtulerunt, ut circumciderentur, ut ait Baudier in Deſcript. aulæ Imp. Turc. Ut amatam à ſe Dinam filiam Jacob Patriarchæ retinere Sichem poſſet in uxorem, circumcidi ſe paſſus eſt, & ad id patrem ſuum Hemor, & omnes cives ſuos impulit, Geneſ. 34. tu pro amore Chriſti præeuntis tibi, hoc non facies?

Christiani ſunt religioſi crucis Chriſti, ut ait Tertull.

Æthiopum mira conſuetudo.

17. 7. Cum tranquillitate mentis. Septimò, crucis Pſalterium, ut benè reſonet, accipiendum eſt cum mentis tranquillitate, quæ ſeptimam chordam pulſans cantabit, Eph. 2. 13. *Nunc autem in Chriſto Jeſu* [per Chriſtum Jeſum] *vos, qui aliquando eratis longè* [à Deo. 2. A ſpe promiſſæ beatitudinis. 3 A teſtamentis & pactis. 4. Ab Eccleſia Judæorum. 5. A Chriſto, & ſalute, eratis enim Gentiles] *facti eſtis prope, in ſanguine* (per ſanguinem & mortem) *Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra* (cauſalis, non formalis: i. e. cauſa pacis noſtræ) *qui fecit utrumque unum* (ex Judæis & Gentibus unam Eccleſiam) *& medium parietem maceriæ ſolvens* (Gr. μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, i. e. interſtitium maceriæ, id eſt, ſepti aut muri: hoc eſt, ſeptum, murum qui medius erat, & dividebat parietem unum ab altero: deinde qui eſſet ille murus intermedius exponit, cùm addit: *Inimicitias in carne ſua:* per carnem ſuam & mortem tollens inimicitias & mutuum contemptum, & odium Judæorum & Gentilium, quæ inimicitiæ eos ab invicem dividebant, nec patiebantur eos in unam fidem, legem & gentem convenire. Turbari à nemine poteſt, qui cruci innititur. S. Macarius hom. 47. [illegible], inquit, [illegible], crux *hoſtium eſt mors; ſpiri-* [illegible]

tuum nempe malitia. Τῶν δὲ ψυχῶν βακτηρία, ἡ ἕδρα καὶ ἀσφαλὴς ζωὴ ἐφ᾽ ἧ ἀναπαύονται. *Animarum vero noſtrarum baculus, ſedes tuta & vita, in qua conquieſcunt.* Vel in mediis fluctibus maris rubri, quibus mergitur Pharao cum exercitu Ægyptiorum, Moſes & populus Dei ſecurus & tranquillus ambulabat, quia ferr virgulam ſymbolum crucis Chriſti.

18. 8. Cum lætitia. Octavò, Crucis pſalterium, ut benè reſonet, accipiendum eſt cum lætitia & alacritate ſpirituali, quæ octavam chordam pulſans cantet cum Abacuc 3. 18. *Ego autem in Domino gaudebo* (Sept. ἀγαλλιάσομαι, id eſt, jubilabo, exultabo) *& exultabo,* (Tigurina, geſtiam) *in Deo Jeſu meo.* Vatablus, *in Deo ſalute mea,* & Salvatore, quod nemo perfectè implevit in cruce; unde dixit, conſummatum eſt, Chald. reddit, *in Deo factore redemptionis meæ.* Syr. *in Deo Salvatore.* Arab. Antioch. *in Deo Domino dominorum* (*Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi cervorum*) ſuper montem Calvariæ: montes enim excelſi cervis. Pſ. 103. 18. *& ſuper excelſa mea deducet me victor* (in cruce triumphans de dæmone) *in pſalmis canentem.* Chald. vertit, coram eo ego fides pulſo cum hymno meo. Origenes ad eam ſpiritualem lætitiam omnes hortatur hom. 8. de diverſis: *Chriſti humilitas,* ait, *noſtra ſublimitas eſt; illius crux noſtra victoria eſt: illius patibulum noſter triumphus eſt. Gaudentes levemus hoc ſignum: in humeris noſtris victoriarum vexilla portemus. Immortale lavacrum portemus in frontibus noſtris.* Et Guarricus Abbas Igniacenſis ſer. 2. in ramis palmarum: *Vade ſecurus,* inquit, *vade gratulabundus, ubi judex tuus eſt advocatus tuus; tantummodo ſignum crucis mortificationem Jeſu quam circumfers in corpore tuo, ſecum deferat ſpiritus tuus.* Et ad locum Abacuc & pſalmi noſtri aptiùs ait Andreas Cretenſis orat. 2. de Exalt. S. Crucis: *Moveamus labia ut cytharam: aſſumamus pſalterium, & cytharam; pſallamus Deo, pſallamus ſapienter,* ob victoriam ſcilicet in cruce reportatam. In ea crucis recordatione lætabantur Sancti inter medios morborum & martyriorum dolores, inter contumelias & opprobria. S. Lydwinæ nihil erat jucundius memoriâ vulnerum Chriſti, & lachrymas Jeſu in cruce pendentis vocabat *roſas ſuas,* ut ait Joan. Brugmanus in ejus vita, ea meditatione ſoffulta morbos varios per annos plurimos fortiſſimè, & magnâ mentis alacritate toleravit. Hac crucis contemplatione Religioſum quendam in ſummam triſtitiam dejectum ita ut nec orare, nec meditari poſſet, ad mentis lætitiam revocatum eſſe tradit Ludolphus de Saxonia part. 2. de vita Chriſti, cap. 58. S. Elzearius ita conſortabatur memoriâ Paſſionis Chriſti, ut cùm menti recuſabat, cò plus lætaretur, quò gravioribus injuriis afficiebatur.

S. Lydvvina amat crucem.

19. 9. Cum deſiderio conformandi ſe Chriſto. Nonò, Crucis pſalterium, ut benè reſonet, accipiendum eſt cum deſiderio & aviditate patiendi, ut conformes Chriſto patienti reddamur. Anima hoc deſiderio æſtuans cantat cum Sponſa, Cant. 1. 6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi cubes.* (S. Ambroſ. lib. de Iſaac & anima c. 4. ubi manes) *in meridie;* id eſt, in æſtu tribulationum, ac præſertim in cruce. Ut enim ait Philo Carpathius, *Aurora vitæ Chriſti, fuit in Nativitate; dies, in prædicatione: meridies, in cruce: veſpera, in ſepulchro.* Lege epiſtolam S. Ignatii martyris ſcribentis ad Romanos, ubi ardentiſſimum patiendi, & pro Chriſtò moriendi deſiderium reperies, loca varia aliàs attuli. Cùm S. Xaverius vidiſſet ſibi à Deo oblatos omnes labores, quos in India erat perpeſſurus, exclamavit: *Amplius Domine, amplius.* De eodem & Simone Roderico uno è decem primis S. Ignatii alumnis, in Luſitania concionantibus ſummo omnium applauſu & gratulatione ait Orlandinus l. 2. hiſt. Soc. Jeſu, n. 105. *Dum in Luſitania eis ingenti populi plauſu ad voluntatem fluunt omnia, unum illud crucis amatores angebat, quod in ſectationibus nullis exercerentur: quibus ſi diu carerent, dicebat Xaverius, videri ſibi nequaquam fideliter militare.* Crux enim eſt character Chriſti & Chriſtianorum. 1. Theſſal. 3. 3. ait Paulus: *Nemo moveatur in tribulationibus iſtis: ipſi enim ſcitis, quod in hoc* (id eſt, ad hoc: nempe ut tribulemur) *poſiti ſumus.* Syr. ad hoc deſtinati ſumus. Qui Doctorem & Regem ſuum coronatum ſpinis, clavis terebratum aſpicit, à ſe omnes mundi delicias & voluptates rejicit, & crucem amat ac dolores. Hoc accidit S. Eliſabethæ Thuringii Principis uxori, quæ in Eccleſiam ingrediens, viſo crucifixo à ſe abjecit omnia mundi ornamenta & exanimis concidens, poſteaque ſibi reddita ſeverum ſibi vitæ genus præſcripſit ac ſervavit, ut narrat Hier. Platus tract. de Dignit. Cardinal. Lecto titulo crucis votum caſtitatis & paupertatis emiſit Catharina Godines, & in clauſtrum ſe conjecit, variis conflictata morbis plurimum in iis lætabatur, eratque ei ſumma dolor nullo dolore torqueri, ut ait Ribera lib. 3. Vitæ S. Tereſæ cap. 3. Et ipſa S. Tereſa ſæpè dicebat: *Aut pati, aut mori.*

Decimò denique, Crucis pſalterium, ut benè reſonet, accipiendum eſt cum magnanimitate, quâ in ipſa cruce gloriemur aliis omnibus deſpectis. Philip. 3. 3. ait Paulus: *Nos enim ſumus circumciſi* (id eſt, circumciſi ſpiritu) *qui ſpiritu* (πνευματικῶς, ut ait S. Chryſoſt. id eſt, ſpirituali fide, ſpe, charitate, & virtutibus aliis) *ſervimus Deo* (Græc. λατρεύοντες, id eſt, latriâ colentes) *& gloriamur in Chriſto Jeſu* (Meſſia Salvatore & Redemptore noſtro, ait Cornel.) *& non in carne* (in rebus carnalibus v. gr. carnis circumciſione, nobilitate, legis ſcientiâ, phariſaiſmo, & ſimilibus) *fiduciam habentes.* Reges & Pontifices crucis inſignibus gloriantur, atque omnia ſua ornamenta cruce exornari arbitrantur, S. Auguſt. *Reges,* ait, *ſignum crucis Chriſti in fronte jam portant, pretioſius ſignum quàm qualibet gemma diadematis.* Pectus quoque loricâ muniendum eſt & exornandum. Et quidem Eccleſiæ primipili Apoſtoli palliola crucibus intexta ad humeros & pectus geſtabant, ut patet in nummis Fulvii Urſini, ubi ſic pinguntur SS. Joannes & Philippus Apoſtoli. A tergo quoque vallum illud hoſti objiciendum eſt. Rabanus Maurus ait olim in ſummorum Pontificum palliis à tergo & pectore fuiſſe cruces purpurei coloris. Omni denique ex parte corporis crux nobis eſt circumponenda, ut illæ religioſæ, quarum veſtia omnibus penè in locis eſt ſignata crucibus, de iis aliàs dicam. Conſtantinus Imp. ubique ſignum crucis inſculpi curabat: nempe in galea ſua, diademate, clypeo, labaro, globo imperatorio, & aliis: quaſi nihil verè imperatorium & regium eſſe cenſeret, quod ſummi Regis Chriſti charactere non fulgeret. Hic character noſtris actionibus eſt imprimendus, ſi cum Chriſto regnare volumus, Rom. 8. 17. *Si filii* (Dei ſumus) *&* (id eſt, igitur) *heredes:* ſupple, ſumus Dei, *ſi tamen compatimur* (id eſt, ſimul patimur cum Chriſto) *ut & conglorificemur.* Ad imitandum Jeſum patientem hortatur Guarricus Abbas Igniacenſis ſerm. 2. in ramis palmarum: *Ut,* ait, *exemplum Crucifixi ad juſtificationem ſuam imprimant moribus, qui ſignum crucis ad munimen ſui imprimunt frontibus, ut illius vivant lege, cujus armantur fide. Alioquin fallaciter miles characterem Regis geſtat, cujus præſcriptum non obſervat: nec rectè ſe tuetur illius ſigno, cujus non paret imperio.* S. Leo ſer. 4. de Paſſione docet nos ita debere vivere, ut Jeſum habitare in nobis ipſa converſatione noſtræ probitate monſtremus. 20. 10. Cum magnanimitate.

Die itaque cum Davide agente de morte Filii Dei hic: *Pſallam nomini tuo Altiſſime.* Pſalmus, ut notat S. Thomas, eſt opus manuale; & ſymbolum eſt operationis bonæ. Pulſa pſalterium decachordum crucis, in ſingulis Chriſti vulneribus duas chordas ponens, ſingulas in ſingulis extremitatibus, id eſt, virtutes decem à me recenſitas exerce in contemplatione crucifixi. Gaude in torculari crucis, unde ſuave muſtum diſtluit. Sonum ſuavem ede laudis divinæ, cùm inſtar cœleſtis pſalterii pulſaris. Author imaginis primi ſæculi Societatis Jeſu toto libro quarto Societatem illam ſub Ducis Jeſu vexillo patientem fuſe deſcribit, in fine ponit ad rem noſtram aptiſſimum anagramma: *Ignatius, Xaverius*(hi duo in oriente & occidente Sole multa paſſi ſunt) *gaviſi ſunt vexari.* Ubi nulla prorſus litera eſt mutata. Deinde ponitur in emblemate id illuſtrante Angelus, qui pulſat clavarum cymbalum, quod non ſonat niſi percuſſum. Adduntur hæc verba, ut anima emblematis, *Multo ſit plauſus ab ictu*, & hi verſus ſubjiciuntur:

Cymbala pro pulſu plauſum clavata refundunt:
Verbera ſi ceſſes ingeminare ſilent.
Ars ibi naturam, ſed virtus vincit utramque,
Sub multo quoties verbere dulce ſonat:
Hoc IGNATIUS, hoc XAVERIUS, hoc ſimul ambo,
Nomine cum factis conveniente notant.
Gaviſi ſunt vexari, lætique paternos
Ad mores ſocii compoſuère ſuos.
Nempe ſolent fortes fortꝫ de ſtirpe creari,
Imbelles aquilis non generantur aves.
Euge Japon gelida diſtentum percute corpus,
Ut ſubitò ruptis bulliat illa labris.
Si lentum hoc, age diſtricta mete colla ſecuri,
Innexumve trabi cuſpide fige latus.
Quo rapior; ſtrictis vicina ſtat hæreſis armis;
Ni ferit hic, rabido, quo valet, ore ferit.
Aude, & utriſque feri, feriendo cymbala pulſas:
Subſilit ad pulſus orbis uterque tuos.
Nempe nihil tali valet eſſe ſuavius ictu.
Quod neque, plus cunctis qui dolet, ille dolet.

Concludere etiam potuiſſet, *Quo gravius cunctis, qui dolet, ille canit.* Aliud deinde ibidem ponitur emblema, ubi paſtor utrem paſtoritium premens oves circumpoſitas ſuavi ſono demulcet. Epigraphe eſt, *Preſſus dulce ſonat.* Vide ibi verſus, & alia multa emblemata, quibus utilitas & ſuavitas tribulationum depingitur.

ARTICULUS II.

Cruce dæmon fugatur, & cum ſuo exercitu ſuperatur.

21. Triplex effectus Crucis. Verſ. 4. DAvid poſt præmiſſam gratiarum actionem, & declarationem internæ ſuæ lætitiæ, ejus rationem affert: nempe triplicem crucis effectum. Primò enim ea hoſtem ipſo aſpectu fugat, verſ. 4. *IN CONVERTENDO INIMICUM MEUM RETRORSUM.* Secundò, fugatum enervat, ibid. *INFIRMABUNTUR.* Tertiò, enervatum ſternit & confodit, *ET PERIBUNT A FACIE TUA.*

1. Dæmonem fugat. Ac 1. Crucis virtute dæmon in fugam vertitur, *In convertendo inimicum meum retrorſum.* Nota, Converti retrorſum eſt 1. cadere retrorſum, id eſt, non in faciem, ut videas ubi cadas; ſed in dorſum & occiput, ut quo præceps feraris & corruas non poſſis cernere, nec te brachiis ac manibus ſuſtentare ne colliſdaris: atq; hic caſus & converſio ſemper in malam partem ſumitur. Sic Judæi, qui venerant Chriſtum capturi, licèt armati, ad unicam ejus vocem, *Ego ſum: abierunt retrorſum*, Joan. 18. 6. ejus voce, ut fulmine repulſi, retroacti & ſupini in dorſum proſtrati. Juſti verò proni in faciem ſuam cadunt. S. Greg. l. 13. Moral. c. 10. id tropologicè explicans ait: *In faciem cadere eſt in hac vita ſuas unumquemque culpas agnoſcere, eaſque pœnitendo deflere. Retrò verò, quo non videtur cadere, eſt ex hac vita repentè decedere, & ad quæ ſupplicia ducatur, ignorare.* Secundò, converti retrorſum, eſt fugere ex acie, hoſti victori terga dare, & hic ſenſus eſt magis proprius hujus loci, in quo deſcribitur victoria & triumphus Chriſti per crucem & mortem. Sic dicitur Pſ. 128. 4. *Dominus juſtus concidit cervices peccatorum* (ambulant in Deum erecto collo) *confundantur* (qui impudenter ei in faciem reſiſtunt) *& convertantur retrorſum* (id eſt, fugiant) *qui oderunt Sion.* De Ammonitis & Syris devictis & fugatis, id explicat Cajetanus.

Nota ſecundò *Tò in convertendo* poſſe ſumi pro tempore futuro, q. d. cùm convertentur, infirmabuntur, &c. Unde Chald. vertit, *Quando revertetur Dominus auctor inimicitiæ meæ retrorſum.* Secundò, & meliùs, *in convertendo*, eſt ſumendum pro tempore præterito, gratias enim agit David, quaſi victoria jam per Chriſtum in cruce parta, & ſibi in viſione repræſentata, q. d. Cùm jam dæmon hoſtis meus primarius ſit debellatus & in fugam conjectus, omnes ejus milites erunt infirmi, corruent, & victoris Chriſti ad aſpectum interibunt. Hinc S. Hieronym. vertit: *Cùm ceciderint inimici mei retrorſum.* Et Symmach. [illegible], id eſt, cùm reverſi ſint inimici mei retrò. 22. Eſt inimicus hominis

Quæres, de quo inimico David loquitur? Reſp. primò, Eugubinus cenſet agi de Laban. Secundò, Trevetus de Pharaone. Tertiò, Arias de Nabal. Quartò, Cajetanus, de Hanon Rege Moabitarum, qui legatos Davidis ignominiâ affecerat. Quintò, Caſſiodorus, & Genebr. de Saule. Sextò, Agellius, de Goliath proſtrato. Septimò, S. Thomas, de Abſalone domito, & ejus exercitu fugato. Sed hæc refutavi in titulo ejus Pſalmi. Octavò denique, cum S. Hier. S. Aug. S. Chryſ. Aſterio, Euſeb. Euthym. Ruffin. Remig. Haymone, Gloſſa, Lombardo, Lyrano, Joanne à Paſtura, Genebrardo, Bellarmino, & aliis, inimicum hunc, qui à Chriſto fugatur, cenſeo eſſe diabolum, qui Matth. 13. 28. *Inimicus homo*, & 1. Petr. 5. 8. *adverſarius*: hoc ſignificat vox ſatan. Hunc Chriſtus è mundo fugavit ſuâ morte, Joan. 12. 31. *Nunc judicium* (id eſt, condemnatio, ut explicat S. Chryſoſt. 2. & meliùs, abſolutio & liberatio. In utraque expoſitione eſt Metonymia) *eſt mundi* (id eſt, omnium gentium in toto orbe) *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* 1. è multis hominum corporibus. 2. Ex animabus. 3. Ex aris & templis ei dicatis. 4. Ex tota terra in inferos detruſus, & ibi religatus rudentibus inferni. A tempore enim Chriſti Paſſionis Lucifer non egreditur ex tartaro, neque egredietur niſi per tempus & tempora & dimidium temporis, id eſt, per duos annos cum dimidio, quibus in fine mundi dominabitur & ſæviet Antichriſtus. S. Proſper in dimidio temporis c. 2. legit: *Nunc princeps hujus mundi miſſus eſt deorſum*: nempe, in tartara, id eſt, infimum locum inferorum. Jam eum à ſe fugaverat Chriſtus poſt varias tentationes in deſerto, cùm illi ait Matth. 4. ℣. 10. *Vade Satana*, id eſt, diſcede à me, faceſſe hinc. Græcè [illegible] id eſt, apage, recede, te hinc proripe: & additur, [illegible] id eſt, *poſt me.* Quàm efficacia fuerint hæc pauca verba, declaratur ℣. 11. *Tunc reliquit eum diabolus* [virtute Chriſti excuſſus, ut ait S. Chryſoſt.] *& ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Et tu generosè certa in tentatione. Origen. homil. 31. in Lucam & Abulenſis cenſent, dæmonem de uno vitio tentan-

tem

tem, ſemel ab aliquo perfectè victum, de eo amplius ipſum non tentare. Probabilius eſt hoſtem illum infeſtiſſimum recedere tantum ad tempus; Unde Lucæ 4. v. 13. dicitur; *Et conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab illo uſq; ad tempus.* Et figuratur Matthæi 12. v. 43. & ſeq. in dæmone, qui cùm exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non inveniens, aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & intrantes habitant ibi. Itaque nunquam ſecurum te crede, donec ad portum perveneris: venti qui ſedati ſunt, momento poſſunt excitari.

Crucem videns dæmon fugit.

43. Moraliter diſces, quanta ſit crucis in dæmonem potentia, ut eum effuget. Nam furcam aſpiciens prædo intremit. Jugum, ſub quod miſſus eſt, contemplans miles exhorret. Stridor catenæ, cui reus ad tranſtra & remos ducendus, illigatus eſt, ei intimas medullas commovet: ita Crucem timet dæmon.

1. Sicut Amalec orante Moſe in modum Crucis erectis brachiis.

Chriſtum cruce eum ſuperantem depinge per Moſem manibus in formam crucis in oratione extenſis populum Dei roborantem, & Amalecitas fugantem & proſternentem. Exodi 17. v. 10. *Fecit Joſue ut locutus erat Moyſes, & pugnavit contra Amalec: Moyſes autem & Aaron & Hur* (avus Beſeleel illius, qui plurima tabernaculi ornamenta perfecit capite 31.) *aſcenderunt ſuper verticem collis* (in Raphidim) *Cumq; levaret Moyſes manus* (tenens virgam Dei intra illas, ut colligitur ex verſ. 9.) *vincebat Iſrael: ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec.* Qua de re agens Gregentius Archiepiſcopus Tephrenſis in diſputatiône cum Herbano Judæo, ait: *Cùm Moſes Crucis in modum manus extendens Amalecum in fugam vertebat, nonne Crucem forma quadam præmonſtrabat.*

2. Sicut Madianitæ, Gedeone lagenas frangente.

Secundò, Gedeon cum trecentis militibus manu tubam portans & lagenam teſtaceam, in cujus medio lampas ardebat, figurat Chriſtum cum Martyribus, qui corporum ſuorum confractione dæmones fundunt. Judicum 7. verſu 20. *Cumque per gyrum caſtrorum in tribus perſonarent locis, & hydrias confregiſſent, tenuerunt ſiniſtris manibus lampades & dextris ſonantes tubas, clamaveruntque, Gladius Domini & Gedeonis.* Lagena Chriſti terrea erat ejus corpus, quod in cruce contritum eſt: Lampas ardens, erat ejus Divinitas, quæ emicans hoſtes exterruit. De martyribus id explicat S. Greg. lib. 30. Mor. cap. 17. *Cecinerunt tubis,* inquit, *ut lagenæ frangerentur: lagenæ fractæ ſunt, ut lampades apparerent; apparuerunt lampades, ut hoſtes in fugam verterentur: id eſt, prædicaverunt Martyres, donec eorum corpora in morte ſolverentur: corpora eorum in morte ſoluta ſunt, ut miraculis coruſcarent: coruſcaverunt miraculis, ut hoſtes ſuos ex divina Luce proſternerent; quatenus nequaquam Deo erecti reſiſterent, ſed enim ſubditi formidarent.* Ita Greg.

3. Sicut Philiſthæi Jonatha in montem adrepente.

Tertiò, figurat Chriſti montem Calvariæ ſcandentis, & inde hoſtes ſuperantis eſt Jonathas filius Saul, qui ſolus cum armigero integrum Philiſthinorum exercitum fugavit, 1. Reg. 14. 4. *Erant autem inter aſcenſus per quos nitebatur Jonathas tranſire ad ſtationem Philiſthinorum, eminentes petræ ex utraq; parte & quaſi in modum dentium ſcopuli hinc & inde prærupti: nomen uni Boſes* (id eſt, cœnum vel in ipſe flos: flores in ſpinis quærendi ſunt) *& nomen alteri Sene* (hoc eſt, rubus.) Chaldæus vertit, Nomen unius lucubratio, & nomen alterius conculcatio. *Unus ſcopulus prominens ad Aquilonem* (qui eſt ſymbolum afflictionis) *ex adverſo machmas* (id eſt percuſſionis, id enim machmas, ſignificat) *& alter ad meridiem contra Gabaa* (hoc eſt, è regione urbis Gabaa, quæ idem eſt atque excelſitas, ſeu collis) verſ. verò 13. additur: *Aſcendit autem Jonathas & manibus & pedibus reptans, & armiger ejus poſt eum. Itaq; alii cadebant ante Jonathã, alios armiger ejus interficiebat ſequens eum.* Haſta Chriſti fuit ejus crux, qua ſolus etiam ſine alio armigero dæmones proſtravit, S. Athanaſ. citatus in 7. ſynodo habita imperantibus Conſtantino & Irene matre, ait: Τιμῶμεν τὸν σταυρὸν, ὡς καθαιρέτην τοῦ διαβόλου. *honoramus crucem, ut diaboli victricem.* Quod eò eſt admirabilius, quod antea lignum Crucis eſſet probroſum, nunc verò, ut idem ſanctus Pater ſubdit, ſit ζωοφόρον ὅπλον, δυνατώτατον τε καὶ φοβερώτατον τοῖς ἐχθροῖς. *vitalis armatura, imperioſiſſima, & hoſtibus maximè formidanda.* Origenes quoq; homilia octava de diverſis; *Cum, ait, dæmones crucem viderint, contremiſcunt. Qui aurata Capitolia non timent, crucem timent. Qui contemnunt ſceptra regalia & purpuras Cæſarum & dapes, Chriſtiani ſeraes & jejunia pertimeſcunt.* Illuſtrem victoriam beneficio Crucis obtinuit Conſtantinus Magnus, qui antequam cum Maxentio decertaret in Italia, eumque pugna decretoria ſuperaret, vidit ingentem crucem in aere, cum hac inſcriptione, ἐν τούτῳ νίκα, *in hoc vince:* ſeu, in hoc ſigno vinces. Illuſtre eſt, quod noſter Antonius Vaſconcellius refert in hiſtoria Luſitaniæ anacephal. 2. de Alphonſo primo. Luſitaniæ rege, qui celeberrimam ope crucis de quinque Saracenorum regibus victoriam retulit, cum mille tantùm equites, pedites verò decies mille ſub ſignis numeraret: hoſtium verò tantus eſſet numerus, *ut indubitata fides fuerit ſingulis Chriſtianis centenos mauros congreſſuros.* Summo mane è tentorio exiit Alphonſus à pio eremita admonitus, ut id faceret. Ecce porrò tibi prodigium: *aſpicit è cælo Chriſtum optimum, ea ſpecie qua olim fuerat in Crucem actus,* qui eum benevole affatus, ac ſingulari munere proſecutus, *ſcuto quinis vulneribus interpuncto,* quale poſtea Luſitaniæ reges in regium ſtemma coaptarunt, monuit ut deinceps Regis titulo uteretur, id etiam petentibus, ac benè faventibus civibus. Hoc animatus viſo pugnam cum hoſtibus conſeruit, eoſque ingenti clade proſtravit & fugavit. Thomas Bozius libro decimo ſeptimo de ſignis Eccleſiæ pro ſcuto vexillum ponit, & dormienti oſtenſum à Chriſto putat fuiſſe, ac datum. Idem tibi eveniet, ſive nocturno ſive diurno prælio cum dæmonibus dimices: clypeum Crucis obtende: & ſecurus eris. Tunc cum gaudio dices duci tuo Chriſto: *In convertendo inimicum meum retrorſum, infirmabuntur* [Hebr. יכשלו *iccaſelu,* id eſt, dejicientur, præcipitabuntur, detrudentur. Eſt enim paſſivum in Niphal. S. Hieronymus vertit, corruerint. Felix, corruent. Pagninus impingent. Et ipſi hoſtes fugati præ trepidatione in ſaxa occurrentia impingent, & ab inſequentibus à tergo victoribus impellentur, itaque corruent) *& peribunt à facie tua:* id eſt, ante te, ut explicat Mariana, coram te, ut Emmanuel Sà, aſpectum tuum non ferentes, ut ſanctus Chryſoſtomus, ideò vertit Syrus, *à conſpectu tuo.* Solis enim aſpectum noctua non ſuſtinet. In Hebræo eſt מפניך *miſſanecha,* id eſt, à *faciebus tuis,* id eſt, Primò, ſive humanitatem tuam, ſive divinitatem objicias dæmonibus peribunt. Gregentius Archiepiſcopus Teph. præfert Chriſtum Joſue ducenti Iſraelitas in terram promiſſam, & Chananæos vincenti, quod Joſue homines à Deo perterrefactos vicerit, Chriſtus dæmones in orbe dominantes: Joſue habuerit magnum exercitum, Jeſus verò ſolus id fecerit. *Jeſus,* ait, ἀνθρώπους δαίμονας, *cacodæmones in cinerem redegit,* μόνος μᾶλλον δὲ διπλοῦς κατά τε θεότητα καὶ ἀνθρωπότητα, *Solus exiſtens, imò verò duplex: nempe, & ſecundum divinitatem & ſecundum humanitatem.* Deinde, peribunt *à faciebus tuis,* quaſi diceret in quamcunque te faciem verteris, peribunt, ſive humas faciem judiciis, ſive regis, ſive domini, peribunt judicio condemnationis & pœna merita im-

impoſita: ſi ſumus perſonam & faciem patris, medici, paſtoris, amici, &c. peribunt, ſed peccatores, remanebunt verò homines ad pœnitentiam converſi. Hic ultimus ſenſus eſt tropologicus, & eum ſequitur S. Auguſtin: *Qui*, ait, *infirmabuntur & peribunt, niſi iniqui & impii? Infirmabuntur, dum nihil valebunt. Et peribunt, quia non erunt impii, à facie Dei, id eſt à cognitione Dei: ſicut periit ille, qui dixit ad Galatas ſecundo: Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Chriſtus.* Jonas Aurelianenſis Epiſcopus lib. 2. de cultu imaginum, & utilitatem Crucis pro hominibus, & terrorem in dæmones exprimit his verbis: *Crux eſt humilium invicta ruitio, ſuperborum dejectio, victoria Chriſti, perditio diaboli, infernorum deſtructio, cœleſtium confirmatio, mors infidelium, juſtorum vita.* Sanctus Athanaſius tractatu de Incarnatione Verbi, vocat crucem, κατὰ τοῦ θανάτου τρόπαιον, id eſt, *de morte excitatum trophæum.* Et S. Leo dicit, clavis in cruce confixum eſſe dæmonem. Auguſtus Cæſar ſubacta Ægypto crocodilum pingi curavit palmæ alligatum, cum hac epigraphe, nemo antea religavit: id fecit Chriſtus dæmoni ad crucem ligato: aut prope crucem mortuo, ut ſic loquar: ut contigit Leoni vaſtatori agrorum, ad crucem à S. Chryſoſtomo poſitam jacenti. Cum enim, ut in illius ſancti Patris vita legitur, Leo quidam efferata rabie omnes diſcerperet, neque ullis humanis remediis impediri poſſet, crucem ille erigi curavit, quam cùm Leo eſſet intuitus, eſt mortuus, & manè proſtratus prope illam repertus.

4. *Sicut Philiſthæos Samſone moriente.* Quartò, figura Chriſti hoſtes in morte & cruce ſuperantis fuit Samſon, qui plures occidit moriens quàm vivens. Cùm enim Gazam convenissent principes Philiſthinorum, ut immolarent hoſtias magnificas Deo ſuo Dagon, id eſt, Jovi Aratrio, ſeu frumentario, id eſt, frumenti præſidi, ut putat Lilius Gyraldus de diis Gentium Syntagm. 2. pag. centeſima nona. ſeu potius Dagon, id eſt, Veneri, quæ etiam Dercete vocabatur, & inſtar Nereidum, Tritonum & Sirenum pingebatur, hoc eſt, media ex parte forma humana, & media parte piſcis. Cùm, inquit, ſic convenissent Philiſthini principes, & tria millia plebis confluxiſſent, Samſon populi Iſraelitici Judex, id eſt, princeps, excæcatus cogebatur coram iis ludere, id eſt, ſaltare, ac veluti morionem agere. Hoc indignè ferens vir fortis rogavit puerum, à quo ducebatur, ut eum ad modicam quietem applicaret columnis: quibus fulciebatur domus, hoc eſt, templum: nam dicuntur immolaſſe victimas Deo ſuo Verſu 22. & teſte Philone ſolebant convivari in templis: deinde domus privata non poteſt capere tria millia ſpectantium Samſonem ſaltantem. Verſu autem vigeſimo nono habetur: *Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alterumque earum dextera, & alteram læva tenens* (ſi extenſis manibus erat conformatus in modum Crucifixi) ait: *Moriatur anima mea* [id eſt, ego. Eſt ſynecdoche. anima enim ponitur pro toto homine) *cum Philiſthiim, concuſſiſque fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes principes, & cæterum multitudinem quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens quàm ante vivus occiderat.* Quod longè veriùs eſt de Chriſto, cujus mors fuit mors mortis, & diaboli, atque omnium ejus ſatellitum. S. Paulinus epiſtola quarta. *In Chriſti paſſione zaboli* (hoc eſt, diaboli: Æolicè enim zabulus idem eſt quod diabolus: nam Æoles pro διὰ dicunt ζα] *domus recidit, & regnum mortis ſolutum eſt. Itaque mortem ipſam moriendo deſtruxit, ſolvens inimicitias in carne ſua, & faciens utraque unum, id eſt, hominem & Deum, quem in ſeipſo connexuit Deus & homo Chriſtus Jeſus.* Mahumetani ipſi, in Tarich Perſici proœmio hoc Chriſti elogium ponunt: *Propheta Iſai, ſuper quem ſalus;* ubi Vitus Marchtaler folio ſeptuageſimo nono, Iſai ibi intelligi Jeſum, & quidem utrumque deduci à rad. ישע *jaſa*, id eſt, ſalvavit. Illud autem elogium ex Alcorano petitum eſt.

ARTICULUS III.

Chriſtus in cruce Judex eſt ſupremus: & Rex orbis.

Superiori articulo David nobis Chriſtum exhibuit, ut ducem exercitus, qui de hoſtibus victoriam reportet, & hæc prima fuit cauſa gratiarum actionis. Nunc nobis eum proponit, ut judicem devictorum hoſtium, quibus prædam malè captam eripit, & ut regem juſtorum liberatorum per crucem, & hæc eſt ſecunda ratio gratiarum actionis: rectè enim poſtquam dixit David, Confitebor tibi Domine, &c. addit cauſam Verſu quinto. *QUONIAM FECISTI* (Hebraicè, עשית *aſitha*, perfeciſti, abſolviſti) *JUDICIUM MEUM ET CAUSAM MEAM, SEDISTI SUPER THRONUM, QUI JUDICAS JUSTITIAM.* 24. Verſ. 5. 1. Pars.

Senſus eſt primò, *feciſti judicium meum, & cauſam meam:* id eſt, judicium illud in quo judicari viſus ſum, meum feciſti. Et cauſam illam in qua me juſtum & innocentem homines damnaverant, meam feciſti: ſicut & nautæ dicunt ventum ſuum, quo utuntur ad benè navigandum. Ita S. Auguſtinus. Sed hoc eſt paulò ſubtilius. Secundò itaq; clarè, ſenſus eſt, *feciſti judicium meum & cauſam meam*, quaſi diceret, pro me judicâſti, mihi cauſam adjudicâſti. Unde Arabs vertit, *judicaſti mihi* (id eſt pro me, ad meam utilitatem) *& vindicaſti me*, & quidem apud ſanctum Chryſoſtomum, ἐνεδίκησας μοι, id eſt, judicaſti pro me. Ut enim ait ſanctus Thomas, Chriſtus ſanctus eſt pro nobis officio judicis, advocati, & teſtis. Adde & ſolutoris ac redemptoris: perſolvit enim pretium, quod debebamus, atq; ex juſtitia ſatisfecit: deinde tulit ſententiam contra dæmonem adhuc captivos retinere volentem.

Nota, Lis erat, & quidem graviſſima, homines inter ac dæmonem: cùm hic genus humanum in ſervitutem ſuam aſſereret, ſuumque ſibi vendicaret: homines verò nativæ atque ingenitæ libertatis in primævo parente memores, jugum illud grave excutere molirentur, Chriſtus in Crucis bilance examen ad libellam ſuſtinens, miſericordiæ pondus ad nos acclinat, ſeveritatis momento in diabolum devoluto. Ibi cauſa pro nobis judicata ſchedulas omnes obligatorias perfregit, ut liberi prorſus eſſemus, Galatas 4. verſu 31. *Itaque, fratres non ſumus ancillæ* [ſynagogæ) *filii, ſed liberæ* (Eccleſiæ in Sara uxore Abrahæ figuratæ) *qua libertate Chriſtus nos liberavit.* Tertullianus legit, *nos manumiſit*, cùm antea eſſemus captivi dæmonis & mortis. Liberationem illam & manumiſſionem fecit Chriſtus in cruce, ut docet idem Apoſt. ad Coloſſ. 2, 13. *Et vos cùm mortui eſſetis in delictis* [ob peccata veſtra) *& præputio carnis veſtræ* (id eſt, gentiliſmo, & in circumciſione carnis ſequendo ejus effrænes concupiſcentias) *convivificavit cum illo* (id eſt, cum Chriſto) *donans* (Græcè, χαρισάμενος, id eſt, condonans) *vobis omnia delicta.* Modum autem aſſignat Verſu 14. *Delens, quod adverſus nos erat chirographum decreti* (hoc eſt, reatum & obligationem ac debitum pœnæ æternæ, perinde certum atque ſi manu propria illud chirographo & ſchedula obligante ſcripſiſſemus. Ad illum enim tenebamur ſecundum decretum & ſententiam Dei latam in Adamum & omnes ejus poſteros) *quod erat contrarium nobis. Et ipſum tulit de medio* 25. Lis inter homines & dæmones.

(ipſum

(ipſum chirographum abſtulit) *affigens illud cruci*; illud caſſans & annulans, & cruci velut tropheo fractum appendens, ut tanquam crucifixum & abolitum eſſe omnes ſciant & videant. *Et expolians principatus & poteſtates*, id eſt, dæmones ſpolians omni dominio in homines, eiſque prædam ſuam auferens. Qua ratione judicium noſtrum & cauſam fecerit Chriſtus apud Patrem piè & ingenioſè exponit Hugo à S. Victore. Fecerat diabolus, inquit, injuriam Deo, hominem fraudulenter abducendo, & violenter tenendo: homo, præceptum contemnendo, & ſe alienæ ſervituti ſubdendo: rurſus diabolus homini, falſis præceptis decipiendo, & mala poſtea inferendo. Hominem juſtè ſubjectum diabolo, propter culpam, licèt injuſtè ob diaboli fraudulentiam, nullus à ſervitute potuit liberare niſi Deus. Deus cauſam hominis ſuſcipere noluit, adhuc ei pro culpa iratus: Deo illatum damnum reſtituere, & pro contemptu ei ſatisfacere homo non poterat. Dedit homini Deus juſtitiam, tribuens ei hominem, quem pro homine ſibi redderet, priore majorem: utpote ſimul Deum, ut digna recompenſatio fieret: & pro contemptu pœnam ſponte ſubivit moriendo. Judicium denique noſtrum factum eſt, quando hic homo Chriſtus deſcendens ad inferos, & portas mortis frangens, captivitatem, quæ ibidem tenebatur, liberam eduxit. Hæc fermè Hugo. Ubi adverte, judicium factum eſſe in cruce, ſed executionem illius judicii factam in hac liberatione animarum è limbis & purgatorio, atque in apertione cœli, aliiſque. Hoc judicium in Cruce agnovit S. Leo, cum ait ſerm. 8. de Paſſione: *O admirabilis potentia Crucis! O ineffabilis gloria Paſſionis! in qua & tribunal Domini, & judicium mundi, & poteſtas eſt Crucifixi.* S. Auguſtin. tract. 31. in Joannem. *ipſa crux*, ait, *ſi attendas, tribunal fuit: in medio enim judice conſtituto, unus qui credidit, liberatus; alius* (Latro) *qui inſultavit, damnatus eſt: jam ſignificabat, quod facturus eſt de vivis & mortuis, alios poſiturus ad dexteram, alios verò ad ſiniſtram.* Sed hoc judicium eſt terribile, judicium verò de quo loquimur, eſt ſuave, & optabile, ac favorabile.

Secundò, non judex tantùm, ſed etiam Rex apparuit Chriſtus in cruce, ut jam probavi Pſalmo 2. ℣. 6. ſatis fusè, ubi oſtendi in Nativitate, vita, paſſione, reſurrectione, &c. regnum illud Chriſti
Verſ. 5. apparuiſſe. Nunc verò etiam declaratur Verſ. 5.
2. Pars. *SEDISTI SUPER THRONUM, QUI JUDICAS JUSTITIAM*, id eſt, juſtè, quaſi diceret, qui ex juſtitia & æquitate judicas, tu es judex juſtus. Nota Hebr. כסא *chiſſe*, ſumitur pro tribunali judicis Pſ. 121. 5. unde hic Syrus vertit *tribunal*. Secundò, *chiſſe* ſignificat thronum regis. 1. Reg. 10 18. 1. Paral. 29. 23. Gen. 41. 40. Pſ. 88. 37. Hinc Sept. Noſter, & Arabs, vertunt *thronum*, & meliùs. Primò, ut dignitas regia Chriſti melius denotetur. Secundò, ut evitetur hyperbaton, quod admittit Lorinus, Sedit prius, inquit, deinde fecit judicium & cauſam, ita ut ſit hoc loco hyperbaton. Ita ipſe. Sed aptius & concinnius erit, ſi dixerimus, prius Chriſtum à Davide fuiſſe declaratum judicem, deinde facto judicio etiam regem apparuiſſe, qui liberatos à diabolo regeret atque tueretur, & donis locupletaret.

Crux autem eſt thronus regius Chriſti, ibi enim
27. ſedens meruit dominium totius creaturæ. Hinc à
Crux eſt S. Ambroſio lib. 10. in Lucam vocatur *patibulum*
thronus *triumphale*. Illud eſt ferculum ſeu thronus trium-
Chriſti. phalis veri Salomonis, de quo Cant. 3. 9 *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani.* Ferculum à ferendo dicitur. Tria porrò ſignificat. Primò lecticam, id eſt, geſtatorium vehiculum, quod vel ab equis & mulis, vel à bajulis ſuccollantibus defertur: unde S. Ambroſius lib. 3 de Virginibus legit, *Lectum fecit ſibi Rex Salomon.* R. David vertit, lectum quo deferuntur Sponſæ. Secundò, ferculum ſignificat geſtamen ad pompam compoſitum: hinc R. Salomon reddit, *thalamum honorificum*. Tertiò denique, ad rem noſtram ferculum, & Græcè φορεῖον, quod à φέρειν vel φορεῖν, geſtare dicitur, ſignificat currum & thronum triumphalem: & in eo ſenſu exponunt S. Greg. Nyſſ. Theodoretus, atque alii Græci Patres, & Syr. vertit, *Thronum*. Currum verò illum triumphalem Salomonis & thronum ait Aponius eſſe crucem Chriſti. *Ferculum crucis*, inquit, *de lignis cedrinis factum, in cujus columnis argenteis veram immaculatumque à contagio peccati corpus candeſcit, & glorioſa animæ auri rutilat fulgor, in qua uſque nunc Dei ſermo reclinatorium habere probatur, & corporeus regaliſque Deitatis coruſcat ſenſus.* Varias Chriſti virtutes in hoc crucis ferculo & throno poſſis advertere. Primò, conſtantiam & perſeverantiam. Eſt enim factum de lignis Libani imputribilibus, à vermibus ac tineis rodi poteſt, penetrari non poteſt. Clamabant Judæorum quiſquiliæ & plebs infima Matth. 27. 40. *Vah!* (eſt interjectio irridentis, objurgantis, inſultantis, exprobrantis, & deteſtantis) *qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas* [jactas te poſſe ædificare] *Salva temetipſum; ſi Filius Dei es, deſcende de cruce.* Similiter & principes ſacerdotum & illudentes cum ſcribis & ſenioribus dicebant Verſu 42. *alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere: ſi Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Sed voces impiorum, ut morſus tinearum, non ſenſit arbor vitæ, perſtitit in throno ſuo rex Chriſtus. Nam ſicut monet S. Bernardus ſerm. 1. in die Paſchæ. *Quid conſequentia videtur habere, ut deſcendas de cruce, ſi Rex Iſrael eſt, & non magis aſcendat? Sic tibi Judæe excidit quod audiſti, quia Dominus regnavit à ligno: ut regem abneges, quid manet in ligno? Imò quia rex Iſrael eſt, titulum regni non deſerat; virgam imperii non deponat, cujus imperium ſuper humerum ejus. Si Pilatus quod ſcripſit, ſcripſit, Chriſtus non perficiet, quod incepit?*

Crux eſt ferculum Salomonis & quomodo?

Primò, ob maturiam.

Secundò, de throno illo geſtatorio, ait Salomon ipſe capite eodem 3. ℣. 10. *Columnas ejus fecit argenteas.* Columnæ illæ in Chriſto crucifixo argenteæ fuerunt, ſumma ejus ſapientia, quæ per admirabile hoc medium attigit à fine uſque ad finem fortiter: & juſtitia, qua Patri ad æqualitatem ſatisfecit. Vel, columnæ illæ pondus tormentorum ſuſtinentes fuerunt ejus humilitas & obedientia, ad Philippenſes 2. ℣. 7. *Habitu* (σχήματι, id eſt, figura & ſpecie externa) *inventus ut homo* (apparens verus homo, ſicut internam etiam hominis formam & animam habebat) *humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Acceperat enim à Patre præceptum moriendi; alioqui non fuiſſet in hoc obediens: quia formale objectum obedientiæ, eſt præceptum ſuperioris. Non obedivit autem qua Deus, ſed qua homo.

Secundò, ob columnas argenteas.

Tertiò, in throno illo geſtatorio Salomonis, eſt *reclinatorium aureum*. Septuag. vertunt ἀνάκλιτον, id eſt, acclinatorium, nempe poſterior pars in lectica, vel curru, vel throno, ubi dorſo ſuo acclinati Sponſus & Sponſa, decore & ſuaviter recumbunt. Hebraicè, רפידה *rephida*, id eſt, ſtratum, ut Pagn. Arias, Syrus, Vatablus vertunt. Illud reclinatorium in cruce erat invicta Chriſti patientia, quæ ei tormenta molliebat, & in iis ut perſtaret, faciebat. Ut enim ait S. Auguſt. tract. 37. in Joannem. In cruce Chriſtus *patientiam docebat*. Et S. Gregorius hom. 21. in Evang. *Si tunc de cruce deſcenderet, nimirum inſultantibus cedens, virtutem*

Tertiò, ob reclinatorium aureum.

nobis patientia non demonſtraret: ſed expectavit paululum, toleravit opprobria, irriſiones juſtinuit, ſervavit patientiam, diſtulit admirationem: & qui de cruce deſcendere noluit, de ſepulchro ſurrexit. Plus igitur fuit de ſepulchro ſurgere, quàm de cruce deſcendere. Plus fuit mortem reſurgendo deſtruere, quàm vitam deſcendendo ſervare. Ita Greg.

Quartò, ob aſcenſum purpureum.

Quartò, in throno illo geſtatorio Salomonis erat, *aſcenſus purpureus*, id eſt, gradus, per quos ad thronum illum aſcenditur, ut explicat S. Greg. & Hortulanus. Unde Septuaginta vertunt, ἐπίβασιν πορφυρᾶν. 2. *aſcenſus*, id eſt, throni tegmen ſeu cœlum & pars ſuperior, quæ ſupra columnas argenteas eminet, & ex purpura eſt. Unde Syrus & Arabs vertunt, velum purpureum. 3. *aſcenſus*, id eſt, ſella, locus in quo ſedetur. Hebr. מרכב *merkab*, propriè ſignificat ſellam, ut R. David vertit, & Septuaginta vertunt ſtragulum Levitici 15. 9. S. Hieronymus Sagma. Aſcenſus autem ille ſeu ſella, ad quam aſcendit, & in qua ſedit Chriſtus in cruce, eſt ſumma mentis pax & tranquillitas, quæ mollem ei ſeſſionem & gratiam præſtabant in tot tormentis. Sive erat filialis fiducia in Patris auxilio. Ideò ait Lucæ 23. ℣. 46. *Pater in manus tuas commendo* (veluti depoſitum. Arabs vertit, pono, Tertullian. lib. contra Praxeam, cap. 25. *depono.* Hæc erat mollis culcitra, manus & amor patris) *ſpiritum meum.*

Quintò, ob pavimentum.

Quintò, in throno illo geſtatorio Salomonis, ſuppedaneum quoque ipſum ſeu pavimentum erat purpureum: additur enim *media* (Hebr. תוכו *thoco*, id eſt, medium ejus) *charitate conſtravit* (Hebraicè רצוף *raſuph*, id eſt, ſuccenſum, ut vertit Arias: & quidem רצף *reſeph*, ſignificat prunam ſeu carbonem ignitum) *propter filias Jeruſalem*, id eſt, ob animas ſanctas, ob quas Chriſtus mortuus eſt per infinitam & inexplicabilem charitatem. Nam, ut ipſe ait Joan. 15. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis*, id eſt, pro iis, quos diligit, ſive ipſum redament & ſint amici: ſive oderint, & ſint ex parte ſua inimici. Omnes enim amavit Chriſtus, & pro omnibus mortuus eſt, ac ſpeciatim dicitur Romanorum 5. verſu 6. *pro impiis mortuus eſt.* Et quidem ex charitate, unde additur ℣. 7. & 8. *Vix enim pro juſto* [id eſt, pro juſtis, ut explicat S. Hieronym. 2. Pro viro ſancto, ut Catharinus, & melius] *quis moritur: nam pro bono* (id eſt, benefico: ſic accipitur, 1. Reg. 25. 15. Pſal. 72. 1. ad Galatas 5. 22. Liberalitas enim amorem conciliat) *forſitan quis audeat mori* (ſed hoc adhuc fit raiò, & tantùm à viris audacibus, id eſt, generoſis & fortibus) *commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis* (in nos, erga nos) *quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Jeſus eſt totus amor, ſed præſertim in cruce: unde S. Ignatius dicebat, *Amor meus crucifixus eſt*, & locus Cant. verti poteſt: *Medium tenet ipſe incenſus amore filiarum Jeruſalem.* Hinc Hebræorum Gloſſa in ea verba Geneſis ſecundo, germinare fecit Dominus de terra, ſic habet. In medio thalami Meſſias filius David, qui eſt diligens filios Iſraël, ſicut dictum eſt Canticorum 3. medium charitate conſtravit propter filias Jeruſalem. 2. verti poteſt cum Soto majore, *medium ejus ſtratum amori*, id eſt, Chriſto ipſi Sponſo, vel animæ Sponſæ ejus dilectæ & diligenti. Amor enim debet amore compenſari: & jure illa dolens clamabat, amor non amatur. 3. Septuag. reddunt: *medium ejus gemmis conſtruxit ad amorem à filiabus Jeruſalem*, ſupple obtinendum. Vel, ſic verti poſſunt verba Septuag. *In medio ejus poſuit amorem, ſive charitatem*: id eſt, effigiem, ſive picturam aut ſtatuam amoris aut charitatis, ut ſemper ipſi eſſet præ oculis ac Sponſæ, ut diceret: Dilectus meus mihi & ego illi. 4. Hebraicè verti poſſunt: *Medium ejus conſtravit lapidibus amoris*, id eſt, gemmis ardentibus & ſcintillantibus, quales ſunt carbunculi & pyropi, quibus amor figuratur. Septuaginta reddunt, λιθόστρωτον, hoc eſt, lapidibus teſſelatis conſtratum. S. Ambr. gemmatum ſtratum. V. editio, è calculis compoſitum. Omnia ſunt in charitate pretioſa. Throni itaque geſtatorii Salomonis materia erant ligna Libani, Latera exornabant columnæ argenteæ, reclinatorium erat ex auro, Sella ex purpura, pavimentum ex lapidibus pretioſis. Thronus autem Chriſti ex virtutibus totus eſt confectus, quarum baſis & ſuſtentaculum eſt charitas, qua prior dilexit nos, & quæ eum ad tam ignominioſam mortem dejecit. Ut enim ait Aponius in Cant. *Eſt firma charitas inter medium humanitatis & majeſtatis conſtructa, ut aſſumendo hominem, paradiſo redderet, quod homini tulerat hoſtis, media charitate conſtravit humilitatio ſe charitas Dei, uſque ad ignominiam crucis, pro ſua majeſtatis imagine reparanda; media charitate conſtravit reſurrectionis accelerando myſterium, ne inter mora electi etiam ejus, incredulitatis offendiculo colliderentur. Hæc ſunt procul dubio tapetia charitatis, quæ media humanæ naturæ & majeſtatis conſternuntur, propter ſanctarum animarum ſalutem, & gaudia filiarum illius ſupernæ Jeruſalem. Hæc eſt utique conſtrata charitas, quæ omnia ſuſtinet, ſecundùm Apoſt. Paulum 1. Corinth. 13. quæ calcata nunquam cadit, ſed alliſos erigit ſua humilitatis exemplo.* Hæc Aponius.

28. Crux Chriſti eſt ſceptrum.

Crux non tantùm eſt thronus regius, ſed etiam ſceptrum, Pſ. 44. 7. *Virga directionis virga regni tui*, S. Hier. vertit, Sceptrum æquitatis ſceptrum regni tui. Andreas Cret. orat. de exaltat. Crucis, ait crucem eſſe illam virgam directionis regni. Et S. Leo ſerm. 8. de paſſione ſic loquitur: *Cùm Dominus lignum portaret crucis, quod in ſceptrum ſibi converteret poteſtatis, triumphi ſui portabat trophæum, & invicta patientia humeris ſignum ſalutis adorandum regnis omnibus inferebat.* Ita Leo.

Et corona regia.

Præterea crux eſt corona regis. S. Cyrillus Jeroſolymitanus catech. 13. στέφανος ἐστιν ὁ σταυρὸς οὐκ ἀτιμία, *Crux eſt corona, non ignominia*: ibi probat nullum Chriſti miraculum eſſe majus iis, quæ in cruce facta ſunt, omnes homines redimendo. Vide illum. Gillebertus ſerm. 20. in Cant. illud adducens Galat. 6. 14. Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, ait: *Crux ipſa corona eſt, & diadema regni.*

29. Ex crucis throno Chriſtus orbi dominatur.

Ex illo ſuo throno, ſceptro & corona decoratus, Jeſus orbem totum ſibi ſubjicit, quod quatuor crucis cornua denotant. Jonas Aurelianus Epiſc. lib. de cultu imaginum: *Crucis ipſius*, ait, *poſitio talis erat: ut pars ejus ſuperior cœlos ſpectat, inferior terras non deſerat: fixa, ima contingat, & voluit quibusdam brachiis extenſis, latitudo ejus totius partes appetat mundi: jacens verò, quatuor cardines orbis deſignat. Sic in parvo poſita, cuncta videtur eſſe complexa.* Paulò aliter Sedulius cecinit lib. 5. Carminum:

Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis,
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous,
Occiduo ſacræ lambuntur ſidere plantæ:
Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem,
Cunctaque de membris vivit natura creantis,
Et Cruce complexum Chriſtus REGIT undique mundum.

Spectabat quippe Jeſus in cruce Occidentem, itaque dextera porrigebatur verſus Septentrionem, læva verſus Meridiem, ut illis velut polis totus orbis niteretur & volveretur. Crux quoque commodè

modè in medio terræ ſita eſt, ut ex omni parte imperium regis facilius audiatur, & facies atque amor ſpectetur, ſicque vitia fugentur; ut enim ait Salomon 20. 8. *Rex qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Vatablus vertit, intuendo. Sed oculos ne claudas Soli te illuminanti, & purganti. S. Athan. vocat crucem, [illegible], id eſt, medelam atque remedium omnium creaturarum.

In cruce regem Chriſtum omnes venerantur.

Regem ſuum Chriſtum in cruce omnes creaturæ agnoverunt. Sol, ſcilicet, Luna, terra, homines, Angeli. S. Athanſ. tract. de Incarn. Verbi. *In morte, vel potiùs in tropbæo de morte (Crucem intelligo) univerſa rerum fabrica confitebatur eum, qui in corpore apparebat & ſupplicia patiebatur, non hominem ſimpliciter, ſed Dei filium ac Salvatorem eſſe omnium:* terra enim tremuit, ſol obſcuratus eſt, &c. omniaque hæc vociferantur, ut loquitur, [illegible], id eſt, *rerum naturam omnem ejus ancillam eſſe.* Crux etiam ipſa, ut regis Thronus, ab omnibus Chriſtianis adoratur. Nicol. Trigaut. tract. de Chriſtiana exped. apud Sinas, docet thronum regis Sinarum etiam abſente rege honorari. Sic enim ait lib. 1. c. 7. pag. 75. Magiſtratus omnes, in urbe ſua quiſq; in unum locum conveniunt, in quo regius eſt thronus, regiaque inſignia, cælati dracones & inaurati cum aliis ad elegantiam cælaturis: coram eo ſæpius inclinantur, & genua incurvant gentes ritu, & peculiari quadam compoſitione corporis, ad modeſtiam ac venerationem aptiſſima: quo tempore regi decem annorum millia ſucclamant. Idem quoque fit in die natali regis.

SECTIO TERTIA.

Devicto per Crucem dæmone, miſſos per orbem Apoſtolos ait Propheta, qui victoria uſi reliquias belli profligarent, verſ. 6. Secundò, arma victis eriperent, verſ. 7. Tertiò, arces impietatis deſtruerent, ibid. Quartò, verum Dei fidem plantarent. ibid.

PARAPHRASIS.

6. *Increpaſti gentes, & periit impius: nomen eorum deleſti in æternum & in ſæculum ſæculi.*

6. Domine Jeſu, crucis in curru ſubactis hoſtibus, duces Apoſtolos in omnes orbis nationes ſparſiſti, qui immerſas in lutulenta ſcelera nationes arguerant, atque impietatem omnem delerent à dæmone tranſfuſam. Collectam enim multis laboribus tam dæmonis quàm idololatrum famam & ſplendorem ſuſtuliſti, oſtenſis eorum erroribus atque ſceleribus.

7. *Inimici defecerunt framea in finem, & civitates eorum deſtruxiſti: Periit memoria eorum cum ſonitu.*

7. Hoſtis illius ſtygii retuſus eſt gladius, quo per orbem cruentos graſſabatur: excuſſus eſt ex ejus manibus in æternum. Civitates enim idolorum ipſi addictiſſimas tuum ad cultum convertiſti, ejecta inde impietate & omnium dæmoni militantium memoria deleta eſt, & magnus ille ſonus, quo obſtrepebant Deo ejuſque ſervis, in auras abiit, ac prorſus evanuit.

8. *Et Dominus in æternum permanet.*

8. Tua verò fidas mentibus inſculpta ſemper manebit, & tuum nomen & gloria per totam æternitatem durabit.

QUÆSTIO UNICA.

Quàm perfectè per Apoſtolos idololatria deſtructa eſt?

PRopheta noſter ſuperiori ſectione Imperatorem noſtrum Jeſum in cruce, velut in curru bellico, hoſtes fugantem & proterentem, atque velut in throno ſervos ſuos victores regentem & tuentem deſcripſit. Nunc fructum victoriæ colligentes Apoſtolos deſcribit: eos enim tanquam ſelectos duces Jeſus per orbem miſit, ut hoſtem ſuum & totius humani generis, ex omni ſua ditione, quam tyrannicè invaſerat, expellerent.

Primò itaque David ait, miſſos Apoſtolos, qui ſcelera arguerent atque ſceleratos verſu 6. *Increpaſti gentes.*

Secundò, Apoſtolorum prædicationem, licèt aſperam efficacem fuiſſe oſtendit, dæmone profligato. Ibid. *Et periit impius.*

Tertiò. Sigillatim totius exercitus cladem enucleat. Primò, idolorum & idolis ac dæmoni ſervientium fama detrita. Ibid. *Nomen eorum deleſti in æternum, & in ſæculum ſæculi.* Secundò, armis ablatis rebellibus verſ. 7. *Inimici defecerunt framea in finem.* Tertiò, propugnaculis ipſorum dirutis. Ibidem. *Et civitates eorum deſtruxiſti.* Quartò, memoria omni ablata idolorum. Ibid. *Periit memoria eorum cum ſonitu.* Quintò, fide Chriſti ſtabiliter fundata. Verſ. 8. *Et Dominus in æternum permanet.*

ARTICULUS I.

Magnitudo victoriæ & perennitas.

UTrumque declaratur verſu 6. *INCREPASTI GENTES, ET PERIIT IMPIUS* (dæmon 30.
præcipuè. 2. omnis impius idololatra. S. Hier. Verſ. 6.
reddit, perdidiſti impium, & hoc ſonant Hebraica: 1. Pars.
ſed Noſter interpres indicat ab ipſo impio oriri ejus perditionem) *NOMEN EORUM* (& gentium & impii) *DELESTI IN ÆTERNUM, ET IN SÆCULUM SÆCULI*, id eſt, in totam æternitatem. S. Hier. vertit, *in ſempiternum & jugiter.* Felix, *in ſæculum & ſemper.* Pagnin. *in ſæculum & in ſempiternum.* Ut enim ait Mariana:

In ſæculum ſæculi quid ſignificet.

Quoniam vox *holam*, pro qua Noſter *æternum* poſuit, non ſemper æternitatem ſignificat, quæ nullis finibus circumſcribitur, ſed ſæpè longum tempus: cùm volunt ſacri ſcriptores veram æternitatem ſignificare, vocem alteram ועד *ve ad*, adjungunt ut hic, pro qua Noſter *ſæculum ſæculi* poſuit, ita Mariana. Origenes quoque in illud Exod. 15. 18. *Dominus regnabit in æternum & ultra.* Sic ait homil. 6. in Exod. Quando *in ſæculum* dicitur, notatur quidem aliqua temporis diuturnitas, ſed finis tamen futurus eſt. Si verò in aliud ſæculum dicatur, aliquis ſine dubio, longior quidem, ſed tamen determinatur finis & quoties *ſæcula ſæculorum* nominantur, fortaſſe licèt ignotus nobis, tamen à Deo ſtatutus aliquis terminus indicatur. Quòd verò addit in hoc loco, *& adhuc*, nullus ſenſus termini aut finis alicujus relinquitur. Semper enim quicquid mente revolveris, reſtat dicendum, *& adhuc.* Ita Origen. ſed paulò ſubtilius: nam cùm dicitur, in ſæculum & in ſæculum ſæculi: vel in ſæcula ſæculorum, cenſeo æternitatem denotari.

Gentes porrò & Impius qui hic increpandi dicuntur (nam *increpaſti* ponitur propheticè: id eſt,

præteri-

à Deo redargutæ.

præteritum pro futuro) ſunt Ægyptii, & impius
Pharao, ut cenſet Trevetus. 2. qui in diluvio pe-
rierunt, & Sodomitæ, ut vult Arias. 3. Philiſthæi
& impius Goliath, ut Chald. paraphr. apud Aug.
1. Juſtin. Epiſc. Nebienſ. 4. Judæi ſicut opinatur S.
2. Chryſoſt. 5. & plenius atque anguſtius, gentes in-
3. telliguntur omnes, in quibus vigebat idololatria.
4. Notus enim in ſola Judæa Deus. 6. adæquatè &
5. pleniſſimè, per *gentes* & Gentiles idololatræ, &
6. Judæi ſceleribus cooperti intelliguntur. Hi enim
omnes egebant expurgatione per Jeſu Chriſti ſan-
guinem & ejus Evangelium.

Increpavit autem Deus Gentes, non puniendo & caſtigando, ut S. Chryſoſt. Lorin. Emman. & Mariana exponunt. Sed prædicatione verbi Dei, ut S. Thomas & Bellarminus.

32. Idololatriæ per Apoſtolos eversio figuratur. Primò, per eversionem urbis Jericho tubis ſonantibus.

Nota 1. Apoſtolos pro armis omnibus linguam Spiritu S. plenam habuiſſe. *Increpaſti* Gentes, verbis ſcilicet eorum ſcelera & idolorum abominationes arguendo, & ſolo tubæ ſono muros Jericho, exercitum Madianitarum, & Moabitarum regionem evertendo. His tribus ſymbolis everſio idololatriæ figuratur.

Ac primò, Jaſue 6. 20. *Omni populo vociferante* (qui arcam aut præcedebat, aut ſequebatur. ℣. 9.) *& clangentibus tubis*, Vatabl. vertit, cornibus: erant enim tubæ Jubilæi, in quo pro tubis utebantur cornibus, non arietum, ut cenſet Chald. ſed boum, (ut S. Hieron.) *muri corruerunt*. Sept. vertunt. Cecidit murus circumquaque. Hebr. eſt, cecidit murus, תַּחְתֶּיהָ *thateha*, i. e. *ſub ſe*, ut vertit Pagn. & Chald. Unde ſuſpicatur Cajetanus, quòd vel in foſſam circumcirca, vel majori miraculo ſub terram caſurus erat murus, ut Iſraëlitæ non impedirentur à ruinis muri, ſed liberum haberent ingreſſum circumcirca in civitatem. Notat autem S. Ambr. in cap. 10. Luc. ℣. 10. ſacerdotes tunc uſos eſſe tubis Jubilæi, i. e. quibus utebantur tempore Jubilæi anno 50. quia *Religionis inſignia, arma ſunt ſacerdotum*. Et S. Aug. ſerm. 106. de tempore, ut denotetur tuba converſio peccatorum futura per Apoſtolos. *Tuba*, inquit, *peccatoribus neceſſaria eſt, quæ non ſolùm aures eorum penetret, ſed & cor concutiat: nec delectet cantu, ſed caſtiget auditu, & ſtrenuos quoſque hortetur in bonis, & remiſſos terreat pro delictis. Nam ſicut in prælio tuba formidoloſi militis mentem dejicit, & animum fortis accendit: ita ſacerdotalis tuba mentem peccatoris humiliat, animum viri ſancti corroborat: nec parcit voci, ut pariat ſaluti. & uno eodemque ſono iſti adhortationem dat, quemadmodum ſit fortior ad vincendum, illi terrorem incutit, quemadmodum ſit tardior ad peccandum.* Addam aliqua art. ſeq. commodius, ubi oſtendam ab Apoſtolis civitatem mundi eſſe deſtructam, tuba prædicationis Evangelicæ.

Secundò, per ſtragem Madianitarum territorum tubis & facibus Gedeonis.

Secundò, de Gedeone Iſraëlitici populi Judice, id eſt, principe dicitur Judicum 7. 16. *Diviſitque trecentos viros* (qui lingua lambuerant aquas, ſicut ſolent canes lambere, manu aquam in os injiciendo, ſicut canes lingua ſua faciunt: non verò os aquæ applicando ad eam ſugendam, ut faciunt equi & boves) *in tres partes* (ut majori terrore ex tribus partibus tubali ſono hoſtes terrerent) *& dedit tubas in manibus eorum lagenaſque vacuas, ac lampades in medio lagenarum*: lagenis autem fictilibus fractis, luce lampadum apparente, & tubarum ſono perſtrepente Madianitarum caſtra ita turbata ſunt, ut ex 135. millibus militum 120. millia ceciderint, ac poſtea reliqua quindecim millia quæ fugerant ultra Jordanem. Illi autem tria ſymbola ſunt Apoſtolorum. Primò, fractio lagenarum, id eſt, corporum mortificatio neceſſaria eſt viro Apoſtolico. 2. ad Corinth. 4. ℣. 7. de ſeipſo ait Paulus: *Habemus autem theſaurum iſtum* [Evangelii miniſterium & prædicationem nobis creditam à Deo] *in vaſis fictilibus* ὀστρακίνοις, teſtaceis (hoc eſt, corpore luteo, fragili, caduco, ut explicat S. Chryſoſtumus: tales erant lagenæ à Gedeone datæ) Et ℣. 10. fractionem vaſorum per mortificationem declarat ℣. 10. *Semper mortificationem Jeſu* (Græcè, νέκρωσιν, id eſt, mortem, ut legit S. Ambroſius. 2. melius Noſter vertit mortificationem, quæ eſt longa & viva mors, ſic Suidas etiam exponit) *in corpore noſtro circumferentes* (velut inſigne ac ſtigma Domini Jeſu, ut per illam ſervus ejus & ovis agnoſcat) *ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Tum futura, ut nimirùm cum Chriſto reſurgamus ad gloriam ℣. decimo quarto, tum præſens, ut ſcilicet adinſtar reſurrectionis Chriſti, corpora noſtra, licèt afflicta, vegetiora fiant ex Spiritu ob ſpem reſurrectionis & opem Dei, qua nos à tot periculis liberat & roborat. Ita Cornelius. 2. ad rem noſtram; ut ipſa corpora noſtra manifeſtent omnibus vitam Jeſu doloribus & afflictionibus fuiſſe plenam: ut corpora noſtra plagis livida & confoſſa vulneribus repræſentent corpus ejus flagellatum, ſpinis coronatum, atque clavis & lancea confoſſum: ut quot ſint in corporibus noſtris vulnera & cicatrices, tot ſunt ora Deum laudantia & Jeſum Chriſtum prædicantia. Secundò, lux lampadum in oculos Madianitarum incurrens, eoſque terrens, rectè denotat lumen Evangelii peccatores illuſtrans, & oſtenſa ſcelerum fœditate & ſuppliciorum æternorum atrocitate perterrefaciens. Ubi obiter adverte, lampades illas non fuiſſe ſimiles noſtratibus, quæ injecto oleo ardent: nam per comploſionem lagenarum & agitationem fuiſſent extinctæ: ſed fuiſſe torres ligneos ex pino, cupreſſo, cedro aut ſimili oleaginoſa & pingui arbore, quæ ignem concipere, fovere ac diu conſervare poſſet, ventu obluctante excitandum augendumque potiùs quàm extinguendum. Et quidem vox Hebraica לפיד *lappid*, & Græca λαμπάς deducitur, ſignificat potiùs tædam aut facem, quàm lampadem noſtratem, ut ait Pagninus. Et quidem Arias vertit titiones: R. David in lib. radicum linum ardens. S. Gregor. 3. Moral. 17. meditatur milites illos tenuiſſe ſiniſtris manibus lagenas & lampades, & dexteris ſonantes tubas: quia Chriſti Martyres pro magno habent prædicationis gratiam, corporum verò vilitatem pro minimo. Tertiò, tubæ denotant Evangelii ſonum. Origenes vim facit in eo quòd eſſent buccinæ, id eſt, tubæ factæ ex recurvis animalium cornibus, ſic enim Chriſti crucem deſignare, de qua in hoc Pſalmo agitur: eſt enim nobis cornu ſalutis. Verba Origenis ſunt homil. 7. in l. Judicum. *Quæ ſunt autem buccinæ corneæ, ex quibus tubæ canunt? Qui de cœleſtibus loquitur, qui de ſpiritualibus differit, qui myſteria regni cœlorum revelat, ille buccina concinit, ille de tuba loquitur, qui de magnis & maximis loquitur, qui ſcientiam Chriſti humanis auribus pandit. Sed cur & cornea dicitur buccina? Quia & de functo dicitur Pſal.* 111. *9. cornu ejus exaltabitur in gloria. Unde & uniuſcujuſque buccina dicitur cornea, in eo quòd multiplicem ſcientiam Chriſti, & crucis ejus, quæ in cornu deſignatur, differit ſacramenta. Cum hac ergo buccina militantes, & cum hac pugnantes vincimus alienigenas & hoſtes in fugam vertimus, etiamſi fuerit multitudo eorum ſicut locuſtæ Locuſtis enim comparata eſt dæmonum multitudo, quibus neque in cœlo, neque in terris ſedes. Præcedat ergo & nos hoc bello operum lux, ſcientia virtus, divini verbi prædicatio.* In nocte ſumus hujus vitæ, & peccatores in nocte ignorantiæ & vitiorum. Cōcionator lucernam bonorum operū manu teneat, & tuba prædi-

cationis

cationis ſomnum excutiat. Nota enim Gedeonem ſuo exemplo alios animaſſe. dicitur enim verſu decimo nono, *Ingreſſusque eſt Gedeon, & treceni viri qui erant cum eo, in partem caſtrorū* (Hebr. Septuag & Chald. habent. Venit Gedeon, & centum viri, & qui erant cum eo. Cùm enim in tres turmas illos trecentos diviſiſſet, Gedeon cum ſua turma primus in hoſtium caſtra penetravit. Id Prælatus imitetur, omnes præeuntem ſequentur) *incipientibus vigiliis noctis mediæ* (etiam in media nocte, & ſumma caligine ac ſomno, non deſperet de emendatione) *& cuſtodibus ſuſcitatis, cœperunt buccinis clangere, & complodere inter ſe lagenas,* &c. Magna vis eſt mortificationis & prædicationis, cùm è ſancta communitate fit unanimiter, & nemo ſibi parcit, ſi vel ſit morbis & dolore corpus atterendum: vel in ipſa confractione anima magis lucebit & ardebit, atque alios illuminabit & inflammabit, ut in ſancto Bernardo patuit, in ſancto Paulo, in ſancto Gregorio, in ſancto Ignatio & aliis corpore luteo lux animæ velatur, eo fracto morbis & vulneribus, veluti per rimas ſplendor apparet.

Tertiò, per clangorem Moabitarum in clangore tubæ.

Tertiò, figura peccatorum tuba prædicationis & igne Spiritus ſancti ardentium & excitatorum, ſunt Moabitæ vaſtati per Naburhodonoſor & Chaldæos, Amos 2. verſu 2. *Mittam ignem in Moab* (Moab idem eſt quod *à patre*, etiam Gentiles à patre æterno creari, & ad ipſum pertinebant: ideo ais ſuccurrit Chriſtus) *& devorabit ædes Carioth*, id eſt, urbium Moabiticæ provinciæ, nam קריה *Kirta*, ſignificat urbē: in plurali קריות *kirioth*, ſeu Carioth, urbes: ſicque poſſet dici Carioth eſſe nomen appellativum. 2. & melius, eſt nomen propriū urbis unius: ſive ob magnitudinem & divitias dicta ſit *Carioth*, quaſi ea una eſſet inſtar multarum urbiū, ſive quod ex pluribus urbibus conflata eſſet, ut Pariſii, Praga, Cracovia, Leodium) *& morietur in ſonitu Moab, in clangore tubæ*, ſolus tubæ clangor multos exanimabit. 2. clangor ille denotat validū, potentem, intrepidum & victorem exercitum hoſtium, 3. diffuſionem cladis longe lateque per varias regiones. In Evangelii prædicatione vaſtatur Moab, occiduntur peccatores, & fiunt juſti. Sic in Pſalmo noſtro explicat ſanctus Auguſtinus, id quod dicitur: *Increpaſti gentes, & periit impius:* ſic enim loquitur: *Increpatione periit impius: quia juſtificatus eſt impius, & factus eſt pius. Nomen eorum deleſti in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Deletum eſt nomen impiorum. Non enim appellantur impii, qui Deo vera credunt.*

33. *Paulus fuit tuba Evangelica. Varia ejus laudes.*

Talis Evangelica tuba fuit Paulus, de quo ſanctus Chryſoſtomus tomo 6. pagina 977. Ecloga de ejus laudibus καὶ τόξα, καὶ δόρατα, καὶ βέλη, καὶ πάντα ἡ γλῶττα Παύλου *pro arcubus verò, & ſagittis, haſtis, atque omnibus, lingua Pauli erat. Nam tantummodò loquebatur, & expugnatione*, πυρὸς σφοδρότερον, *quovis igne vehementiores, in hoſtem incidebant.* Leoni deinde ipſum confert ſtrendenti, &, φλόγα ἀπὸ τῆς γλώττης φέρων. *& flammam ex lingua emittens.* Neque enim ullus erat, qui illius impetum ſuſtineret: cùm triumphator modò hos, modò illos tranſiliret atque ſubjugaret. Athletam poſtea vocat, cum aliis pugilibus in arena certantem, alioſque ſternentem. Denique dicit eſſe militem generoſum nunc in hoſtium mœnia aſſultantem, nunc aperto in campo pedem pede, & manum manu prementem, atque concludit, ἐνὶ σώματι καταλαμβάνων τὴν οἰκουμένην, καὶ μιᾷ γλώττῃ πάντας τρεπόμενος, *unico corpore totum orbem terrarum invadebat, & lingua una omnes in fugam vertebat* Eum jure poſſis vocare Aſiaticum, Arabicum, Phrygium, Macedonicum, Achaicum, &c. S. Ambroſius libro 2. de pœnitentia capite 6 vocat Apoſtolos *os Chriſti*, atque ſanctus Chryſoſtomus in eorum ore à Spiritu ſancto formatam eſſe vocem, πάσης σάλπιγγος λαμπροτέραν, *omni tuba clariorem & penetrabiliorem.* Ideò idola concuſſa ſubverterunt, atque ad fibras ultimas cultum eorum fanaticum extirparunt: neque id fecerunt humana nixi induſtria, ſed unico Jeſu, ut monet ſanctus Ambroſius libro 1. de fide capite 5. Qui eos in hymno qui ab Eccleſia canitur in eorum feſtis, vocat *belli triumphales duces.* Poloni in principio prælii nomen Jeſu inclamant laudabili conſuetudine, ſicut Hiſpani nomen ſancti Jacobi: unde illis ſæpè cauſa victoriæ extitit. Paulus nomen Jeſu in ſuis quatuor decim epiſtolis, non magnis, repetit ducenties decies novies: Chriſti verò nomen, quadringenties & ſemel. In concionibus verò, quoties? Hinc tanta illi vis in hoſte ſternendo. David Goliathum ſtravit cum lapide, in quo erat nomen Joſue, id eſt, Jeſus: ſed hæc victoria, ut ſanctus Chryſoſtomus citatus, ſi cum victoria S. Pauli de dæmonibus & ejus aſſeclis conferatur, eſt, παιδὸς ἔργον, *opus puerile*: [illegible] *& quantum diſtat paſtor ab imperatore: tantum & ille ab hoc abeſt:* [illegible], &c. *& ſicut unicam domum, aut navim unam, totam orbem terrarum regebat. eos qui mergebantur eripiens, haſitantes ſtabiliens & confirmans, nautas adhortans, in gubernaculo ſedens, proram circumluſtrans, funes tendens, remum ducens, velum protrahens, in cœlum aſpiciens. Omnium ipſe unus vicem ſubibat, & nauta, & rector navis, & proreta, & velum, & navis, & omnia ferens, ut omnia diſſolveret.* Ita Chryſoſtomus.

Nota ſecundò, eò mirabiliorem eſſe dilatationem Evangelii, quòd ad aſpera vocet, atque à deliciis abſtrahat, & quidem non blandiendo, ſed arguendo & increpando. *Increpaſti gentes, & periit impius.* Sic ait Chriſtus Apoſtolis ſuis Joannis 16. verſu 8. de Spiritu ſancto, quem aſcendens ad cœlum erat illis miſſurus, ut per os eorum converteret totum orbem. *Cùm venerit ille* (in die Pentecoſtes) *arguet*, increpabit, reprehendet, 2. arguendo convincet) *mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio.* Quæ explicans ſubdit verſu 9. & ſequent. *De peccato quidem, quia non crediderunt in me:* eorum infidelitatem redarguet, ut S. Auguſtinus & ſanctus Chryſoſtomus exponunt. 2. omnia peccata ex quibus non poſſunt ſurgere, ſine fide in Jeſum redemptorem. *De juſtitia verò*, (per me perfecta & conſummata, & omnibus alumnis meis danda) *quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me:* itaque ex hac aſcenſione mea, patebit mea juſtitia & virtus, atque ſpes firmabitur donorum per me obtinendorum. *De judicio autem* (per me ſceleribus omnibus faciendo) *quia princeps hujus mundi jam judicatus eſt*, hoc eſt, condemnatus, ut per Apoſtolos ex idolis, aris & templis, ubi adorabatur, ejiciantur & compellatur in inferos: quòd cùm populi viderint, ad fidem veram à ſuo principe, id eſt, dæmone convertentur.

34. Evangelium Chriſti vocat ad aſpera,

Et peccatores increpat.

1. Sanctus Petrus, os Apoſtolici ſenatus & ejus caput, ipſo die Pentecoſtes plenus Spiritu ſancto ait Judæis; audito ſono facto de cœlo confluentibus, Actorum 2. 23. *Hunc definito conſilio* (Dei decreto paſſionem Chriſti futuram determinante) *& præſcientia Dei traditum* (ἔκδοτον) id eſt, datum, à Patre æterno Romanorum 8. 32. à ſeipſo. Galat. 2. 20. à diabulo. Joan. 13. 2. à Juda, Judæis & Pilato Matthæi 26. 15. & ſeq.) *per manum iniquorum affigentes interemiſtis.* Et verſu 40. *Salvamini à generatione iſta prava*, id eſt, à Judæis & Gentilibus infidelibus & impiis. Increpant tamen verbis tam aſperis ita fuit efficax, ut hac una concione appoſitæ fuerint ad numerum fidelium, *animæ*, circiter

1. *Hoc facit S. Petrus Judæos exhortans.*

cret tria millia. Itaque dici tunc poterat: *Increpaſti gentes, & periit impius.* Ita perierat in iis impietas, ut facti eſſent non animæ: ut nihil in illis niſi anima reſtare videretur, ſicque vocari poſſent animæ, veluti corporibus carentes.

2. S. Stephanus. 2. S. Stephanus formam Concionatoribus & Prælatis dans liberè vitia increpandi, & tamen miſericorditer pro increpatis orandi, præbens: in medio concilio Judæorum cinctus accuſatorum multitudine qui erant de ſynagoga, id eſt, de ſynagogis libertinorum, hoc eſt, eorum Judæorum, qui à Pompejo aliiſque Romam abducti in ſervitutem, fuerant poſtea donati libertate: & Cyrenenſium, Id eſt, eorum qui à provincia & urbe Cyrene, quæ eſt in Africa venerant: & Alexandrinorum, qui ex Alexandria Ægypti orti erant: & eorum qui erant à Cilicia atque Aſia, minori ſcilicet, quæ Ciliciæ eſt proxima, & nunc vulgò Turcia nuncupatur, liberè ait Actorum 7. 51. *Dura cervice* (qui collum & caput non poteſtis ſubjicere juga Dei, ob duritiem & obſtinationem veſtram) *& incircumciſis cordibus & auribus*, quibus infidelitatis pellem obduxiſtis quam tollere & amputare non vultis, ut verba Dei vos tangant, *vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut Patres veſtri, ita vos. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri?* (Iſaiã ferra medium diſſecuerunt, Jeremiam lapidaverunt, Zachariam peremerunt inter templum & altare holocauſtorum, &c.) *& occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Juſti* (id eſt, Chriſti: qui à Daniele novo, verſu vigeſimo quarto dicitur, Sanctus ſanctorum, & juſtitia ſempiterna, Nullus enim niſi per ipſam fit aut eſt juſtus: *cujus vos nunc proditores & homicidæ feciſtis*: cum enim prodidiſtis Pilato, dum coegiſtis ut mortis ſententiam ferret. Illi ſeveræ correctioni attribuit ex parte efficaciam orationis S. Stephani pro ſuis inimicis, S. Fulgentius ſerm. de S. Stephano: *Ideò* inquit, *in oratione quam poſteà pro eis fudit audiri meruit lenitas ejus, quia ſine charitate non fuit in correctione ſeveritas: & Eccleſiaſticum diſpenſatorem erudit, ut ad corrigendum cujuslibet peccati errorem non deſit increpatio, & ad Deum pro eo ſupplex effundatur oratio, ut qui malum fecit, per increpationem de malis operibus confundatur, & per orationem apud Deum adjuvetur*, Hæc Fulgentius. Orbem decurramus, & Sanctorum intrepidam in arguendis vitiis fortitudinem videamus.

55. *3. S. Germanus in Gallia Regem Germaniæ arguens.* 3. In Francia noſtra, S. Germanus Altiſſiodor. Epiſcopus verbis ardentibus increpavit Eocharich Regem Germaniæ populantem Britanniam; cùmque ille rapinam ſitiens ulterius pergeret, dicta pro nihilo pendens, in equi frænum vir fortis inſiliit, atque eum ſubſiſtere coegit, iram Dei interminatus, niſi mentem illam deponeret. Armatus barbarus in veſtigio hæſit, & retrò iter flexit, exercitumque prædæ avidum alio deduxit, ut docet Sur. in ejus vita. S. Lambertus acriter reprehendit Pepinum ob Alpaidem concubinam.

4. S. Dunſtanus in Anglia. 4. In Anglia, S. Dunſtanus Archiep. Cantuar. Ethelſtano Regi à ſe coronato, infauſtum regni exitum prædixit, ob fratris cædem. S. Thomas, Arch. item Cant. fortiter obſtitit Henrico II. Angliæ etiam Regi. Thomas Morus regni Cancellarius non diſſimili vigore ſe oppoſuit Henrico VIII. ſe ab Eccleſia ſeparanti.

5. Jacobus Arch. in Polonia. 5. In Polonia, Jacobus Arch. Geſnenſis Uladiſlaum XI. Poloniæ Principem, fratres ſuos regno paterno excludere molientem diris devovit, exercitumque ejus univerſum execratus, inde exceſſit innoxius. Nam neque ipſe Uladiſlaus praefero ci ingenio vir, neq; ullus alius è tanto exercitu, quicquam ei injoriæ aut moleſtiæ intulit. Adeò forte ac virile robur, hoſtium etiam ardentiſſimorum iram frænat. Vide Cromerum in hiſt. Polon.

6. S. Chryſoſt. in Græcia. 6. In Græcia, S. Chryſoſtomus ſe opponit Arcadio Imp. & Eudoxiæ præſertim ejus uxori. Polyeuctus Patriarcha etiam Conſtant. arcet templo Joan. Zimiſcam imp. ob Phocam occiſum. Maris Epiſc. Chalcedon. acriter Julianum apoſtatam increpavit. S. Iſaacius monachus, Valentem Imp. Arianum.

7. S. Ambroſius in Italia. 7. In Italia, S. Ambroſius objurgavit Theodoſ. Imp. & alios. S. Benedictus Totilam Regem Gothorum, qui Italiam vaſtabat. S. Romualdus Othonem imp. Vide plura Pſ. 118. 46. *Loquebar de teſtimoniis tuis* (id eſt de lege tua, quâ teſtaris quid fieri exoptes, & conteſtaris omnes, ut tibi ſerviant) *in conſpectu regum, & non confundebar*. Syr vertit, non erubeſcam.

Nota tertiò, illa increpatione mundum eſſe digniſſimum, ob ſcelera, ac præſertim ob multitudinem idolorum. Trecentos Joves fuiſſe Varro aſſerit. Memini me legere in una urbe Roma ad quatuor Deorum millia eſſe numerata. Oenomaus dicit ſummam Deorum initam ad triginta millia excreviſſe, quem portantoſum numerum affirmat quodque Heſiodus in Theogonia. 56. *Deorum prodigioſa multitudo.*

> Τρὶς γὰρ μύριοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
> Ἀθάνατοι Ζηνὸς, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.
> *Tres ſunt myriades, in terra fertili,*
> *Deorum immortaliũ, qui homines mortales cuſtodiant.*

Ibi ait Oceani ter mille filias eſſe ac totidem filios, qui veluti Dii & Deæ colantur. Volve S. Auguſt. lib. de Civit. Dei, ac præſertim 4. cap. 8. quænam verborum & numinum portenta ibi comperies? Cluacinam, Volupiam. Libentinam, Vaticanum, Cuninam, Ruſinam, Jugatinam, Collatinam, Vaſoniam, Seiam, Segetiam, Tutilinam, Proſerpinam, Nodotum, Volutinam, Patelenam, Hoſtilinam, Floram, Lacturciam, Maturam, Runcinam, plures uni rei vel minimæ illigatos?

His monſtris deformata erant omnia, nulluſque erat penè locus, qui ab his ſeſe ſpurcitiis liberum indemnemque vendicaret. Tertull. l. de Spectaculis cap. 18. hoc deplorat: *Et platea*, ait, *& forum, & balnea, & ſtabula, & ipſa domus noſtra ſine idolis omnino non ſunt: totum ſeculum ſatanas & Angeli ejus repleverunt.* Ideò omnes gentes erant increpandæ, ut ubique periret impietas: *Increpaſti gentes, & periit impius.*

57. *Deorum veterum nomen deletum eſt.* Nota quartò, Nomen idolorum deletum eſt in æternum, Nomen poteſt, ſumi pro fama, excellentia, præſtantia. 2. In propria ſignificatione. Quis enim jam ſcit nomina veterum idolorum, & quæ ſciuntur quis honorat? Ubi ſunt Veneris fornices? Ubi Martis fana, Jovis delubra, Apollinis oracula, Cereris myſteria, Bacchi orgia? Hæc omnia deſierunt. Nomina ipſa ex omnibus ædibus eraſa ſunt, & quæ reſtant Jeſu aut Sanctorum nomine ſunt expiata. Ubi adverte morem hunc fuiſſe & eſſe victorum Regum & Imperatorum, ut de ſuo & ſuorum nomine populos & urbes nuncupent. Hungaria ab Hunnis nomen accepit, cùm prius Pannonia diceretur. Anglia ab Anglis Saxonibus eſt appellata, quæ Britannia vocabatur. In Francia, Italia, Sicilia, & pleriſque populis hoc notari poteſt. Triumphatorum verò Principum inſignia & ſtemmata, nominaque ipſa, ex urbium portis, templorum altaribus, arcuum triumphalium frontibus, palatiorum propylæis eraduntur, eorumque loco nomen victoris inſculpitur. Hoc in hiſtoria Auguſta: hoc eſt in Suetonio, Spartiano, Lamprid. Capitolin. Vopiſco, & aliis ſæpè reperies. Heliogabali cognomen, propter impuros mores, Senatus conſulto eraſum eſt ex omnibus publicis operibus, vetitumque eſt ne ullus princeps poſteà Antonini nomen aſſumeret. Maximiani

miani Imp. nomen ex ædibus publicis eraſum eſt, ſtatuæ ejus atque imagines ablatæ, ob inſidias Conſtantino genero ſuo factas. Nomen autem & memoriam alicujus interire, gravis eſt pœna. Omnes enim immortalitatis deſiderio tenemur. Senatorum Romanorum nomina tabulis æneis inſcripta erant, & quidem aureo charactere, ut ait hîc Thomas Anglicus Cardinalis, ut ob dignitatem literæ eſſent aureæ: ob æternitatem verò, tabulæ æreæ. De idololatris & eorum idolis ait David noſter: *Nomen eorum deléſti in æternum æternum, & in ſæculum ſæculi.*

ARTICULUS II.

Civitas impietatis deſcribitur, évertitur regno Chriſti per Apoſtolos ſtabilito.

Verſ. 7. 1. Pars, NOn eſt ſatis hoſtem viciſſe, rebellio impedienda eſt. Hoc facit Chriſtus primò ei arma eripiendo. Secundò, urbes ejus evertendo. Tertiò, memoriam ejus delendo. Quartò, regnum ſuum firmiter ſtabiliendo.

Ac primò, dæmonem ſpoliat Chriſtus, neque ei
38. Dæmoni arma detrahit Chriſtus. vel gladium relinquit, ℣. 7. *INIMICI DEFECERUNT* (Hebr. תמו *thammu*, id eſt, completæ, ut vertit S. Hier. a. Conſummatæ, ut Arias. 3. & meliùs. finitæ, ut Pagninus) *FRAMEÆ IN FINEM* (id eſt, Chriſtum, ut indicat S. Auguſt. ſed hoc eſt myſticum. a. In finem, id eſt, uſque ad finem in ſempiternum, penitùs. Hebr. לנצח *lanesa*, hoc eſt, in æternum, ut Felix: in ſæculum, ut Pagn. vertit) *ET CIVITATES EORUM DESTRUXISTI, PERIIT MEMORIA EORUM CUM SONITU.*

Nota, *Tò inimici* cenſet primò Folengius eſſe numeri pluralis. Sed eſt difficile ſenſum adaptare. Secundò, Campenſis, Cajetanus, Clarius, Vatabl. Felix, Pagnin. Arias volunt, *Tò inimici* eſſe vocativi caſus, q. d. ô inimici, defecerunt frameæ veſtræ in finem, id eſt, in æternum, ut dixi, & quidem R. David Kimhi ait נצח *neſach*, denotare veram æternitatem. Tertiò, & meliùs, S. Auguſt. Caſſiod. Mariana, Emmanuel, Bellarminus, Genebrard. Petav. Magnet. dicunt *Tò inimici* eſſe genitivi ſingularis, & clarè oſtendunt Septuag. cùm vertunt τοῦ ἐχθροῦ hoc eſt, inimici, adverſarii, hoſtis. Quæres. Quis hic ſit hoſtis? Reſpondeo breviter eſſe dæmonem, ut oſtendi ſuprà, rejiciendo contrarias ſententias, & de eo explicat Chald. qui vertit, *Dum caderet auctor inimicitiæ* (ſic ſæpè vocat dæmonem) *deſtructi ſunt*: à dæmone incepit omnia inimicitia: ſerpens eſt, antiquum venenum invidiæ & odii Camo & aliis infundens.

Nota 2. Pro *framea* habetur Hebr. חרבות
39. חרבות quæ vox ſecundùm variam punctationem varia poteſt ſignificare. Nam ſi cum S. Hieronymo, Vatablo, Pagnin. & cum codicibus hodiernis legas חרבות *haraboth*, verte eum iiſdem *ſolitudines*. Symmachus vertit ἐρείπια, id eſt, collapſi ædificii reliquiæ, rudera, ut uſurpat Pauſanias. Vertere poſſis *horaboth*, deſerta, ſolitudines, deſolationes, vaſtitates, ita ut ſenſus ſit: *Inimici defecerunt framea in finem*, id eſt, ceſſaverunt deſolationes, quas afferre ſolebat hoſtis diabolus: non poterit amplius vaſtare, deſolare, & in ſolitudinem redigere ſervientes Deo, cùm ſit cruce Chriſti victus, & in inferis religatus, unde per ſe non exibit Lucifer ante tempus Antichriſti, per ſatellites verò ſuos non poterit tanta mala inferre, cùm fractum ſit eorum robur per crucem. Secundò, & meliùs, Septuaginta legerant חרבות *haraboth*, id eſt, gladii: *hereb* enim *gladius* habet in plurali terminationem fœmininam. Senſus autem eſt, *inimici defecerunt framea in finem*, q. d. Inimicus diabolus amiſit gladios ſuos, neque unquam illos recuperabit: fortior enim eo ſupervenit Chriſtus, qui eum ſemper catenatum retinebit. Tertiò, dicere quis poſſet Septuag. etiam legiſſe *horaboth*: & *horaboth* ſignificare gladios, cùm ab eadem radice oriatur atque *hereb*, & gladii ſit proprium deſolare.

Nota 3. *Framea* eſt vocabulum germanicum, 40. Framea eſt telũ germanicum, & quale?
quo haſtam ſignificabant. Sic enim ait Cornel. Tacit. lib. de moribus Germanorum. Ne ferrum quidem ſupereſt, ſicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis, aut majoribus lanceis utuntur: haſtas, vel ipſorum vocabulo *frameas*, gerunt anguſto & brevi ferro: ſed ita acri & ad uſum habili, ut eodem telo, prout ratio poſcit, vel cominus, vel eminus pugnent: & eques quidem ſcuto *frameâque* contentus eſt. Ita ipſe. Secundò tamen, framea ſumitur etiam pro gladio, ut à Juvenale Satyr. 13. qui Marti frameam tribuit, cujus inſigne erat gladius. Ulpianus ff. de vi, & de vi armata l. 3. § Armis, ait romphæam & frameam idem eſſe. S. etiam Iſidorus hoc aſſerit, atque *frameam* eſſe gladium utraque parte acutum, quam vulgò ſpatam vocant: & ita dici, quòd *ferrea* ſit. Malim dicere cum Caſſiodoro frameam eſſe vocem Hebraicam. Neque hoc Lorino debetur videri mirum: Nam *roma* ſignificat haſtam, lanceam, pugionem, gladium. Num. 25. 7. de Phinees Eleazari Pontificis filio ſequenti Zambri fornicari volentem cum Cozbi filia Ducis Madian, quos uno ictu interfecit ſimul peccantes, dicitur, *Et arrepto* רמח *roma, pugione* ingreſſus eſt poſt virum Iſraëlitem in lupanar. Sept. ibi habent, & accipiens σειρομάστην, id eſt, pugionem, vel lanceam cum ferro. Ex *roma* autem fit *framea* adjectione unius radicalis ב id eſt, f, ſicut ab eodem vocabulo *roma* formatur græcum ῥομφαία, additione ejuſdem literæ in medio. Nam ſæpè in derivatis ab Hebræa lingua additur vel perit una radicalis, etiam ex iis, quæ perire vel addi non ſolent, cùm Hebraica vocabula ab Hebraicis derivantur, v. gr. ex שכב *ſacab* deducitur *cubo*, per aphæreſim ש ablato, quòd perire non ſolet apud Hebræos ab הבט *habat*, excutere, cadere, fit *batere*, amiſſo ה ab צנים *ſenim*, fit ſpinæ. addito p כים à *cos*, fit *calix*, & gallicè *caliſo*. addito l. Et ſic de plurimis. Sept. autem hic uſi ſunt voce ῥομφαία. Ut autem ait Gellius lib. 10. cap. 25. *Romphæa genus teli eſt Thracæ nationis, poſitumque hoc vocabulum in Q. Ennii Annalium 14.* Multi pro gladio ſumunt. Vide Pſ. 34. 3.

Quæres, Quænam ſunt iſtæ frameæ & rom- 41. Quænā ſunt dæmonis frameæ?
phææ (ſive tela velis, ſive gladios, quos Chriſtus dæmoni eripuit in cruce moriens? Reſpond. eum ſunt Bellarm. eſſe tentationes, ſive ſuggeſtiones, & quaſi verba diaboli, ſicut *gladium ſpiritus* vocat Apoſtolus verbum Dei, & tentationes diaboli ait eſſe *tela ignea*. Dicuntur autem iſtæ frameæ defeciſſe, quia nihil poſſunt nocere armatis fide JESU Chriſti. Unde dicitur Epheſ. 6. 16. *In omnibus* (in omni tentatione & opere, ut ait S. Hieron.) *ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi* (τοῦ πονηροῦ, id eſt, illius mali vel ſceleſti, nempe diaboli) *ignea extinguere* in Chriſti ſcilicet ſanguine, & in oleo miſericordiæ ejus, cùm ſit Salvator: iis enim hic clypeus ungitur, itaque ignes tartari extinguit. Non clypeo tantùm, ſed etiam gladio ſuos armat Jeſus: unde additur ℣. 17. *Et galeam ſalutis aſſumite & gladium ſpiritus* (id eſt, ſpiritalem) *quod eſt verbum Dei.* S. Antonius probare volens, tentationes diaboli facillimè repelli ſigno crucis, ait viſum à ſe dæmonem fuiſſe, qui diceret: Cur mihi fruſtrà imputant monachi? cur mihi omnes Chriſtianorum populi maledicunt? Tunc illi à ſe reſponſum eſſe: Juſtè faciunt, tuis enim frequenter moleſtantur inſidiis. Rurſus verò dæmonem addidiſſe: Nihil ego facio, ſed ipſi ſe invicem

con-

conturbant: nam ego miſerabilis factus ſum. Rogo, nonne legiſti, quia *defecerunt inimici framea in finem, & civitates eorum deſtruxiſti?* Οὐκέτι τόπον ἔχω, οὐ βέλος, οὐ πόλιν, πανταχοῦ χριστιανοὶ γεγόνασι. En nullum jam habeo locum, nullam poſſideo civitatem: *jam mihi nulla ſunt arma:* ubique Chriſtiani ſunt, ſolitudines quoque ipſæ monachorum implentur choris. Ipſi ſe, quæſo, tueantur, & me ſine cauſa non lacerent. Ita S. Athanaſius cap. 20. in vita ejus: ubi ſubdit ſancti viri reſponſum, mirantis cum alacritate Dei gratiam, & adeò commodam pſalmi explicationem jam novam, & jam inauditam, non illius virtuti, quæ nulla ſit, adſcribentis; ſed quòd, cùm fallaciæ caput ſit, hoc ſine mendacio coactus ſit conſiteri. Dæmon hæc dicens ipſi apparuerat, ut gigas habens porrectum caput uſque ad cœlum.

Chriſtus in hunc mundum veniens, in eum, velut in dæmonis arcem, intravit, (Erant enim dæmones κοσμοκράτορες, id eſt, mundi principes) atque inde eum expulit armis ſpoliatum. Arabs vertit, Tu perdidiſti arma inimici, Syr. *Hoſtes mei defecerunt gladio in ſempiternum:* in finem, ut habet Noſter, id eſt, in Chriſtum, qui finis & ſcopus legis Moſaicæ: ſed hoc eſt myſticum. De eo dicitur Matth. 12. 9. *Quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis,* (Syr. ſtrenui) *& vaſa* (id eſt, arma & ſpolia, ut S. Lucas explicat cap. 11. 21.) *ejus diripere, niſi prius alligaverit fortem, & tunc domum illius diripiet.* Ut à S. Antonio non recedam, dicebat teſte Athan. cap. 6. vitæ ejus: *Diabolus hamo crucis, ut draco aduncatus à Domino eſt, & capiſtro ligatus, & quaſi mancipium fugitivum vinctus, circulo & labia armilla perforatus, nullum omnino fidelium devorare permittitur. Nunc miſerabilis ut paſſer ad ludum irretitus a Chriſto eſt. Nunc comites ſuos, quaſi ſcorpiones & ſerpentes, & calcaneo Chriſtianorum ſubſtratos gemit. Ille, qui univerſa maria à ſe deleta plaudebat, ille, qui orbem terrarum manu ſua teneri pollicebatur, ecce à vobis vincitur, ecce me adverſum ſe prohibere non poteſt diſputantem.*

45. Draconis barbara machina. Ablatio illa gladii, id eſt, poteſtatis vulnerandi animas per tentationes explicari poteſt per ereptionem gladii de ore draconis, qui Romæ ſatanico artificio puellas ſibi oblatas trucidabat. Rem ſic narrat S. Proſper lib. 3. de Promiſſ. & Prædict. c. 38. *Apud urbem Romam,* inquit, *ſpecus quidam fuit, in quo draco mira magnitudinis mechanica arte formatus, gladium ore geſtans, oculis rutilantibus, gemmis metuendus ac terribilis apparebat. Huic annuæ devotæ virgines floribus exornatæ, eo modo in ſacrificio dabantur. Quatenus inſcia muneris deferentes, gradum ſcalæ, quo totus ille diaboli arte draco pendebat, contingentes, impetus venientis gladii perimeret, ut ſanguinem funderet innocentem.* Deinde modum, quo fraus detecta eſt, aperit. *Hunc,* ait, *quidam monachus benè ob meritum cognitus Stiliconi tunc patricio, eo modo ſubvertit. Bacula, manu ſingulos gradus palpando, inſpiciens, ſtatim ut illum tangens fraudem diabolicam reſpexit, eo tranſcenſo deſcendens, draconem ſcidit miſitque per partes. Oſtendens & hic Deos non eſſe, qui manu fiunt.* Ita Proſper.

Verſ. 7. 2. Pars. Direptis hoſtilis aciei armis, poſſet tamen oriri rebellio, fugiente victo Duce atque ejus militibus in civitates populoſas, & ipſo ſitu, murorumque & munitionum excelſitate, atque hominum multitudine inexpugnabiles. Itaque ut ne hiſcere quidem dæmones audeant, Chriſtus civitates eorum evertit, verſ. 7. ET CIVITATES EORUM DESTRUXISTI. Hebr. נתשת nathaſta, id eſt, eradicâſti, fundicâſti, exſtirpaſti, funditùs & ſtirpitùs convelliſti. Syrus: עקרת acarth, id eſt, evelliſti, exſtirpâſti, eradicâſti. Nam Syr. echuro, radicem & ſtirpem ſignificat.

43. Civitates à Chriſto deſtructæ. Quæres, Quænam ſint hæ civitates à Chriſto deſtructæ? Reſp. 1. S. Gregorium Nazianz. orat. 2. in Julianum, intelligi impias civitates partim mari obrutas, partim terræ motu proſtratas: ut ſi quis earum inſtaurationem aggredi audeat, multo tempore ad eam rem opus futurum ſit. Cùm Chriſtus in cruce penderet, ut ait Matth. 27. 51. *Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.* Phlegon libertus Adriani Imper. quem citat Euſebius ad ann. Chriſti 33. & Origen. in Matth. ſcribit illo terræ motu, extra Judæam multas domos Nicææ in Bithynia fuiſſe everſas. Plinius etiam lib. 2. cap. 84. tradit, ſub Tiberio Imperat. (ſub quo paſſus eſt Chriſtus) terræ motu everſas fuiſſe multas urbes. *Maximus terræ,* ait, *memoriâ mortalium extitit motus, Tiberii Cæſaris principatu, duodecim urbibus Aſiæ una nocte proſtratis:* fortaſſe noctem vocavit tempus tenebrarum, cùm eſſet in cruce. Primò.

2. Secundò meliùs, has dæmonis civitates dices eſſe urbes idola colentes, quorum everſis aris, fanis ac delubris, atque funditùs ex toto propemodum orbe exterminatis civitates dæmonis & arces deſtructæ ſunt, & factæ ſunt civitates Dei, ædificatis ibi templis & aris ad ejus cultum, vel templis idolorum expurgatis, conſecratis, cruce Chriſti inſignitis, ipſius imaginibus & Sanctorum, ejectoque inde dæmone & omnibus ejus ſacrificulis, & omni ſuperſtitione atque abominatione. Sic everſum eſt templum Dianæ Epheſi, Serapidis Alexandriæ, Marnæ in urbe Gaza, & alia paſſim.

Verſ. 7. 3. Pars. Nota, in Hebr. & Græc. habetur tantùm, *civitates deſtruxiſti:* ſupple, inimici, id eſt, dæmonis, de quo priùs erat dictũ, *inimici defecerunt frameæ in finem.* Noſter tamen addit *To eorum,* ut indicaret dæmonem milites multos ſecum ductare, & integrum exercitum, & ipſum ſimul cum ſervis ſuis & ſatellitibus periiſſe: itaque nihil eſſe amplius timendum. Et quidem in Hebr. ſtatim ſequitur, *periit memoria eorum cum ſonitu.* Ubi adverte, Hebræos facillimè tranſire de numero in numerum, nempe à plurali in ſingularem, & contra.

44. Perit memoria. Civitates impietatis everſas eſſe non eſt ſatis, expungenda eſt hominum ex mentibus earum recordatio, ne qua illas reparandi oriatur cupiditas. Ideo addit Vates noſter, *Periit* (id eſt, peribit: ſemper enim loquitur propheticè) *memoria eorum cum ſonitu.* Nota, pro *cum ſonitu* Hebr. nunc eſt הֵמָּה hemma, id eſt, ipſis, ut vertit Arias, cum ipſis, ut S. Hieron. Chald. Felix, Pagn. Quidam apud S. Chryſoſtom. Sed meliùs Septuag. vertunt *cum ſonitu.* Nam הָמָה hama, ſignificat ſonare, reſonare, ſtrepitum & tumultum facere. Hinc הֵמָּה hemma, ſonitus, ſtrepitus, tumultus. Adverbialiter autem Hebræi ſæpè ſumunt nomina: itaque *hema* effertur commodè, *cum ſonitu.*

1. Quæres. Quid ſit perire memoriam cum ſonitu? Reſp. 1. *Perire memoriam, & deleri nomen,* quod præcedenti dictum eſt verſu idem eſſe videtur. Ita Lorin. favet Syr. qui vertit, Perdidiſti nomen earum. Secundò, alii per memoriæ interitum intelligunt poſteritatis obſcuritatem & paucitatem. Unde Iſai. 26. 14. ubi habemus: *Morientes non vivant, gigantes* (tyranni potentes) *non reſurgant: propterea viſitâſti & contriviſti eos, & perdidiſti omnem memoriam eorum.* Septuag. vertunt, ἦρας πᾶν ἄρσεν αὐτῶν, ſuſtuliſti & perdidiſti omnes mares eorum. Ibi eſt *zecher,* id eſt, memoria, & Symmach. vertit μνήμην. Aquila & Theodotio, μεμνημένον. Obiter nota, maſculum ab Hebræis vocari זָכָר zachar, q. d. memoriale, vel, in memoriam revocans, memoriam retinens & conſervans. 2.

vans, à rad. Zachat, recordari: quod, ut ait S. Hier. & Mercerus, in genealogiis & numerationibus fiat maſculorum mentio, non fœminarum. Tertiò, & melius, perire memoriam non eſt tantùm deleri nomen, nec tantùm interire mares, ſed omnem omnino recordationem tolli earum civitatum dæmonis: id eſt cultus dæmonis & ſacrificiorum in civitatibus, ita ut nullus ſciat amplius quinam ibi ritus ſacrilegi & impii viguerint.

45. Petit memoria cum ſonitu. Reſp. 2. *Perire cum ſonitu memoriam*, eſſe primò, & ipſam memoriam, & ſtrepitum impiorum ſimul interire. Ut, ſicut loquitur S. Auguſtinus, pereat memoria impiorum etiam ipſo ſtrepitu pereunte, in quo tumultuatur impietas. Arabs vertit, *præterire feciſti memoriam eorum*. q. d. impii ſunt inſtar torrentis ex alta rupe deſilientis, & cum fragore & ſtrepitu omnia vaſtantis, ſed brevi ſimul cum ſuo ſono & fremitu abſorpti, & in voragines dejecti, Job 21. 13. *Ducunt in bonis dies ſuos* (ecce ſonitum) *& in puncto ad inferna deſcendunt*, ecce ſonitus & memoriæ perditionem. S. Hieron. ſonum illum accipit de doctrina idololatrarum vel hæreticorum, quàm inaniter reſonant.

2. Secundò, *perire cum ſonitu*, eſt perire ita ut celebris, clarus, conſpicuus, evidens, publicus, admirabilis ſit interitus. Ita Bruno, S. Chryſoſtomus, S. Athanaſ. & S. Gregor. Nazianz. orat. 20. cum plauſu, fama, & admiratione orbis. Sept. habent μετ᾽ ἤχου quod verti poteſt *cum echo*, ita ut echo per vicinas urbes, atque ab illis ad alias reſonet, id eſt, ita ut omnes de hac cæde cum ſtupore loquantur. Sic ait Deus Samueli de exciſione familiæ Heli Pontificis ob peccata Ophni & Phinees filiorum ejus, 1. Reg. 3. 11. *Ecce ego facio verbum* (Hebr. דבר *dabar*, i. e. rem) *in Iſrael, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus.* Id eſt, totus exhorreſcet & ſubito horrore percelletur, velut audita ingenti bombarda vel tonitru. Rem illam ait eſſe filiorum cædem, Abulenſis. 2. Omnia enarrata cap. 2. per alium Prophetam ad Heli miſſum, Angelomus. 3. Arcæ, per Philiſthæos cæſo Iſraëlitarum exercitu, captivationem, Lyranus. 4. & melius, omnia illa ſimul. Tale echo declaratur civitatem Moab vaſtatoram per Nabuchodonoſor, Iſai. 16. 7. *Ululabit Moab ad Moab* [id eſt, cives unius civitatis ad cives alterius civitatis] *univerſus ululabit.* De everſione idolorum vide S. Proſperum de promiſſ. & prædict. Dei, part. 8. cap. 38. ubi præclara affert exempla, & locum Pſalmi noſtri.

3. Tertiò, *perire cum ſonitu*, idem eſt atque perire cum gemitu proprio, clamore & ululatu. Theodoretus ait peti metaphoram à domibus, quæ terræ motu concidunt, πολὺν ἐργαζόμεναι κτύπον, *& magnum ſtrepitum efficiunt.* Nam, ut dicitur Iſa. 9. 5. *Omnis violenta prædatio cum tumultu*, quod S. Baſilius, S. Hieron. Rupert. Sanchez aliique explicant de Chriſti victoria in dæmones, quibus prædam ex unguibus eripiet, eoſque ad inferos detrudet. Sic in Pſalm. noſt. S. Thomas & Euthymius, *perire cum ſonitu*, dicunt eſſe perire cum clamore, quem ejecta emittebant dæmonia. Marc. 9. 26. Luc. 4. 41. vel cum quo falſi ſacrificatores vociferabantur. 3. Reg. 18. 28. Sed melius dicetur de ululatu dæmonum & idololatrarum in everſione ſuorum templorum, ararum, & univerſæ ſuperſtitionis. Figuratum hoc cùm vaſtata eſt Moabitis Iſa. 15. 2 *Aſcendit domus* (i. e. familia regia, vaſtata urbe Ar, quæ erat metropolis Moab: ir enim ſignificat Hæbraicè urbem, & *ar* Moabiticè ſic autem dicta eſt antonomaſticè ſicut Roma apud Romanos) *& Dibon* (urbs alia) *ad excelſa in planctum ſuper Nabo, & ſuper Medaba. Moab ululavit.* Et ℣. 3, *Super tecta ejus* (quæ erant plana in Judæa) *& in plateis ejus omnis ululatus deſcendit in fletum.*

Verſ. 4. pergit: *Clamabit Heſebon, & Eleale, uſque Jaſa audita eſt vox eorum: ſuper hoc expediti Moab* (i. e. milites ad pugnam parati & expediti) *ululabunt: anima ejus* (i. e. ſingulorum in particulari) *ululabit ſibi*: id eſt, in ſinu ſuo, ob peculiarem ſuam cladem, q. d. nulla domus carebit calamitate, nullus evadet illæſus & indemnis. Vide cætera.

Quartò, peribit idololatria *cum ſonitu*, id eſt, 4.
cum prædicationis Evangelicæ ſono. Pſ. 18. 5. *In omnem terram exivit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba* (Tertull. 3. contra Marcion. c. 21. voces) *eorum*. De Apoſtolis id explicat Paulus, Rom. 10. ℣. 18. De hoc Evangelii ſono mox dixi, & de ejus efficacia. Verſ. 5. *Increpaſti gentes, & periit impius.* Quatuor iſtæ expoſitiones bonæ ſunt, prima eſt maximè litteralis De eo ſono Evangelii, Iſa. 27. 13. & de converſione populorum per illum, habes.

Idolis ex orbe disjectis, Chriſtus Rex pacatus manet, quod inchoatè fiet in hac terra, perfectè in cœlo, Verſ. 8. *ET DOMINUS IN ÆTER- Verſ. 8.
NUM PERMANET. Magnerius explicatè ait: 1. Pars.
At Domini manet imperium, æternumque manebit. Non eſt contentus deſtructione civitatum inimicarum, victor de ſuo nomine, aut de novo condere aut indigitare exoptat, ut patuit in Alexandro, Cæſare Auguſto, & aliis. Chriſtus autem civitatem ſibi condit novam, Eccleſiam ſcilicet ſuam Joan. 21. 2. *Et ego Joannes vidi ſanctam civitatem, Jeruſalem novam* (id eſt, Eccleſiam militantem, ut cenſent Primaſius & Beda: vel triumphantem, ut alii, & melius. Utriuſque typus fuit verus Jeruſalem) *deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Hujus & Babylonis, i. e. civitatis diaboli antitheſes habet Pannonius: Illa civitas ſancta facta eſt ex vivis lapidibus, hoc eſt, hominibus. S. Auguſtin. lib. de Civit. c. 24. *Ædificatur*, inquit, *domus Domino civitas Dei, quæ eſt ſancta Eccleſia in omni terra: poſt eam captivitatem qua illos homines, de quibus credentibus in Deum, tanquam lapidibus vivis, domus ædificatur, captos dæmonia poſſidebant.* Ex iis itaque libertate donatis eam civitatem Chriſtus compoſuit. In Eccleſia etiam militante Chriſtus eſt Rex orbis. In nummis antiquis una cum cruce ſæpè reperiuntur hæ literæ C.O.N.V.O. id eſt, *Civitates omnes noſtræ venerationi obediant.* Nonnunquam hæ tantùm quatuor ſcribebatur C.O.N.O hoc eſt, *Civitates omnes nobis obediant.* Jure hæc Chriſto aptabuntur, qui ipſis Regibus & Imperatoribus dominatur, quique orbi quem inſigne poteſtatis gerunt, crucem appingunt, ut ſub ea ſe ſuoſque militaturos deſignent. In ea Chriſtus civitate, nempe Eccleſia, omnem poteſtatem Apoſtolis ſuis commiſit. Primò S. Chryſoſt. tom. 5. ſerm. 50. vocat, ἱερατικὴν ὑπατείαν, i. e. *Conſulatum ſpiritualem.* Secundò, carcerem eis concedit, ac debitorum ſolutionem Chriſtus, Joan. 20. 23. cùm dat ligandi & ſolvendi authoritaté. Tertiò, gladio eos ſuccingit, nempe verbo Dei, Epheſ. 6. 16. atque S. Chryſoſt. ait ipſis, ἀντὶ τῆς χειρὸς γλῶτταν, τὰ ῥήματα ἀντὶ τῆς μαχαίρας. id eſt, pro manu iis linguam eſſe, verba loco gladii. Quartò, baltheum eis dat, quo ſuccingantur, cùm à fide vera non poſſint in œcumenicis Synodis aberrare, nec Pontifex ex cathedra, id eſt, authoritate Pontificia aliquid decernens. Quintò, carnifices iis ſubjecit, nempe dæmones, quibus per excommunicationem reos objiciant excarnificandos, ad imitationem Pauli. Sextò denique, Apoſtoli pro præcone non vocalem quendam hominem, ſed Spiritum ſanctum habebant: qui, ut S. Chryſoſt. ὥσπερ σάλπιγγος λαμπρότερον ἠφίει φωνήν, *quavis tuba clariorem vocem mittebat, atque iter viam illis ubique faciebat.*

46. Tropol. 1. Homines infideles ſunt urbis diaboli.

Tropolog. Civitates diaboli, quæ à Chriſto crucifixo deſtruuntur, ſunt homines infideles, in quibus diabolus liberè regnat. Huncſenſum putat eſſe literalem Bellarminus, ſed verius eſt moralis. Civitatem in ſingulis ſceleratis reperit & oſtendit S. Auguſtinus in Pſal. noſtr. *Civitates in quibus diabolus regnat, ubi doloſa & fraudulenta conſilia tanquam curia locum obtinent: cui principatui quaſi ſatellites & miniſtri adſunt officia quorumcunque membrorum, oculi ad curioſitatem, aures ad laſciviam, vel ſi quid eſt aliud quod in malam partem libenter auditur, manus ad rapinam vel quodlibet aliud facinus aut flagitium, & membra cætera in hunc modum tyrannico principatui, id eſt perverſis conſiliis militantia. Hujus civitatis quaſi plebs eſt omnes delicatæ affectiones & turbulenti motus animi, quotidianas ſeditiones in homine agitantes. Ergo ubi Rex, ubi curia, ubi miniſtri, ubi plebs invenitur, civitas eſt. Neque enim talia eſſent in malis civitatibus, niſi prius eſſent in ſingulis hominibus, qui ſunt tanquam elementa & ſemina civitatum. Has civitates deſtruit, cum excluſo inde principe dictum eſt, Joan. 12. Princeps hujus ſeculi miſſus eſt foras. Vaſtantur hæc regna verbo veritatis, ſopiuntur maligna conſilia, turpes affectiones edomantur, membrorum & ſenſuum miniſteria captivantur, & ad juſtitiæ & bonorum operum militiam transferuntur: ut jam, ſicut Apoſtolus dicit Rom. 6. Non regnet peccatum in noſtro mortali corpore.* Hactenus Auguſt.

47. 2. Civitas diaboli ſunt omnes ſimul impii.

Ex illis civitatibus particularibus, id eſt ex ſingulis hominibus, fit una civitas totalis diaboli, hoc eſt multitudo omnium ſceleratorum, quam vocamus mundum. Ab Iſaia appellatur civitas vanitatis, cap. 24. 10. *Attrita eſt*, ait, *civitas vanitatis*, i. e. Tyrus, ait Sanchéz. 2. Babylon, nempe Roma ethnica in fine mundi, ut explicat S. Hieronymus, & S. Thomas. 3. Ipſe immundus, de quo ait Salomon, Ecclæ. 1. ℣. 2. *Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Nihil enim eſt in mundo ſolidum aut durabile, longè minus in impiis. Unde ait Iſaias cap. 25. 2. *Poſuiſti civitatem in tumulum*, id eſt, orbem terrarum redegiſti in acervum lapidum, ante diem judicii. *Poſuiſti* porrò, hoc eſt pones, apud Prophetas, ut jam monui, *urbem fortem in ruinam, domum alienorum*, eundem orbem, qui factus eſt domus impiorum, ſicut reddunt Septuag. Impii autem dicuntur alieni, [quòd à Deo ſe alienaverint, & præcipuè quòd Deus eos à ſe rejecerit] *ut non ſit civitas, & in ſempiternum non ædificetur.* Hæc mundi civitas figurata eſt in urbe à Caini filiis impiis extructa, Geneſ. 4. 17. in Sodoma & Gomorrha, Gen. 18. & 19. in Babylone, Iſa. 14. & 21, aliiſque.

Hujus abominandæ civitatis breviter videamus, 1. Conditorem. 2. Situm. 3. Fundamenta. 4. Muros. 5. Foſſas. 6. Turres. 7. Portas. 8. Domos. 9. Plateas. 10. Forum. 11. Delubrum. 12. Leges. 13. Cibos. 14. Regem.

48. 1. Civitatis conditor eſt amor ſui.

Ac primò, Conditor civitatis illius eſt amor ſui, qui magno ſtudio ſolum delicioſum eligit, ſelectos lapides convehit, vicos, plateas, fora, domos delineat & deſcribit, operas urget, & omnia provehit. S. Auguſt. lib. 14. de Civit. Dei, ca. 18. hoc aſſerit: *Fecerunt*, ait, *civitates duas, amores duo, terrenam ſcilicet, amor ſui uſque ad contemptum Dei: cæleſtem verò, amor Dei uſque ad contemptum ſui.* Utramque deinde variis ornat elogiis. Vide lib. 11. 12. 13. 14. in quibus fusè agit de exortu illarum, lib. 15. 16. 17. 18. de Progreſſu, libris 19. 20. 21. 22. de fine earundem. In Angelis malis, & in Eva atque Adamo primis hominibus initium ædificandi fecit amor ſui, per univerſam deinde hominum ſeriem progreditur, nec ante finem mundi deſinet.

49. 2. Situs incommodus.

Secundò, Situs civitatis illius malæ eſt paludoſus, lutoſus, fœtidus, in eo 1. Aër eſt peſtilens. 2. Aquæ veneno infectæ. 3. Terra frequenti concuſſu tremit. 4. Venti tanto impetu bacchantur, ut omnia in horas emoturi videantur, Iſa. 13. 2. *Super* [hoc eſt, contra] *montem caliginoſum levate ſignum*, i. e. elevate vexillum. Perſæ & Medi duce Cyro & Dario contra Babylonem quæ mons videtur ob excelſitatem turrium, murorum, palatiorum, & hortorum, præſertim penſilium, quos fecerat Rex Nabuchodonoſor in gratiã Nitocris uxoris ſuæ. Caliginoſus verò mons ille dicitur. 1. Id eſt calamitoſus, ait Sanchez. 2. Plenus tenebris errorum & idololatriæ. 3. Ob confuſionem rerum omnium Babel enim ſignificat confuſionem. 4. Ob paluſtre ſolum, & inde exhalantes nebulas. De ventis in ea mundi civitate omnia turbantibus habes Iſa. 21. 1. *Onus* (i. e. oneroſa & minax prophetia) *deſerti maris* (hoc eſt Babylonis, quæ dicitur mare, 1. Quia omnium opes abſorbebat, ut mare flumina, & non redundabat, nec dicebat, ſufficit. 2. Ob multitudinem incolarum & advenarum, opum, & aliarum rerum. 3. Præſertim propter varias agitationes atque fluctus bellorum, quibus jactabat cæteros populos, & jactabatur) *Sicut turbines ab Africo* (Auſtro, qui flat à parte meridionali) *veniunt* (ita: nota enim ſimilitudinis ſæpe intelligitur) *de deſerto venit* (illud onus veniet à Perſide, inter quam & Babylonem eſt deſertum) *de terra horribili:* turbo autem ille ortus à Perſide Babylonem evertet.

50. 3. Fundamenta ejus in arena fluitant.

Tertiò, Fundamenta illius civitatis diabolicæ, quam jure Ponèropolim appellaris, id eſt malorum aut malitiæ civitatem, non in rupe quapiam inconcuſſa, aut in ſtabili aliquo loco plano ſunt poſita: ſed in argento vivo, aut in mobili arena fluitant, unde facile muri, palatia, curia, domus, templa corruunt, Matt. 7. 26. comparatur perverſus & ſceleratus legem Dei non audiens, & non faciens, viro ſtulto ædificanti domum in arena, & additur ℣. 27. *Et deſcendit pluvia* (id eſt tentationes mundi, ex alto, id eſt, à divitibus venientes, & terram fœcundantes) *& venerunt flumina* (tentationes carnis: ex ipſa terra, id eſt, ex corpore, orientes, & circumlambendo blandientes) *& flaverunt venti* (tentationes vanæ & ſuperbi dæmonis inviſibiliter, & ad latus inſufflantes) *& irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Sicque tota domus in pulverem & arenam ex magna mole recidit, Jerem. 9. 11. *Dabo Jeruſalem* (animã antè piam) *in acervos arenæ* (in arena ſunt innumera grana, ſic in peccatore infinita deſideria, & omnia inſtabilia, & ad minimum ventum hac illac volitantia) *& cubilia draconum: & civitates Juda dabo in deſolationem, eò quòd* (id eſt, ita ut) *non ſit habitator.* Hebr. abſque habitatore.

51. 4. Muri luti.

Quartò, Muri illius Ponèropolis in ſpeciem aurei, ſed advertenti ſunt paleacei ac lutei, vilique ex glarea, cui viſcus tenax adhæſit, totiq; ex ſanguine ſunt coagmentati: omnis enim materia pro aqua infuſum ſibi habet ſanguinem. Idem puta de parietibus ſingularum domorum qui de ſanguine pauperum ſugunt, eoq; turgeſcunt. Ezech. 22. 2. ait Deus Ezechieli ceſſanti ab increpatione Jeroſolymitarum proximi bona rapientium: *Et tu fili hominis nonne judicas* (i. e. reprehendis, increpas: nam *judicare* pro omni actu judicis uſurpatur) *civitatem ſanguinum?* cujus cives fundunt ſanguinẽ innoxium inopes occidendo, & eos expilando. Sed fortunis ſuis ipſi evertuntur, quod explicatur c. 24. 6. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Væ civitati ſanguinum, olla cujus rubigo* (impietas tenax & cum obſtinatione ollam ipſam excedens) *in ea eſt* (habet hoſtem in anima intus) *& rubigo ejus non*

exivit

exivit ab ea: per partes & ſuas (modò hunc, modò illum civem mortuum, aut ad inopiam redactum) *eſſe, non occidit ſuper eam ſors*: ita ut aliqui ſortitò ad mortem aut ſervitutem deprehenſi aliis ſervatis, ſed omnes peribunt.

52. 5. Foſſæ tetros odores exhalant.
Quintò, Foſſæ Ponitopolis illius fæcibus, & limo fœtido, & cadaverum tabo oppletæ tetram mephitim, & fumidos olidóſque & exitiales vapores inhalant, ac per totam civitatem & domos ſingulas effundunt: unde fit, ut morbi, languores, deliquia cordis & peſtes oriantur. Ezechielis 32. 6. ait Deus de Pharaone Vafre, ſeu Aprie, rege Ægypti: *Irrigabo terram fœtore ſanguinis ſui ſuper montes, & valles implebuntur ex te*: id eſt cadaveribus militum tuorum, qui proſternentur ab exercitu Nabuchodonoſoris Regis Babyloniorum. Ubi adverte pro *fœtore* צפה *ſapha*, id eſt inundans, ut vertit Pagnin. 2. Natatio ut vertit Arias. Inter impios omnia natant ſanguine & tabo ac ſanie occiſorum juſta Dei vindicta, ſicut ipſi ſanguine innocentium paſcuntur.

53. 6. Turres ſunt ruinoſæ.
Sextò, Turres Ponitopolis illius ſunt immenſum uſque ad nubes erectæ: ſed cùm ad libellam & perpendiculam factæ non ſint, ruinam minantur: & in ima ejus parte multi operarii lapides tollunt, & fundamenta concutiunt, ut ruinam accelerent. Turrim Babylonicam à Nemrod authore factam ante hominum per varias terras diſperſionem ferunt, in altitudine quatuor paſſuum millia tenuiſſe. Arphaxad Medorum Rex in civitate Ecbatania fecit muros cubitorum ſeptuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta: turres verò in altitudinem cubitorum centum, ut habetur cap. 1. Judith, verſ. 2. Sed brevi faſtus hic detumuit, quia Arphaxad, id eſt Arbaces ut putat Serarius: vel Diocles ſive Dejoces, ut Bellarminus, victus eſt à Nabuchodonoſora, non illo magno in Babylone dominante, ſed alio qui Rex Aſſyriorum regnabat in Ninive: unde Bellarm. cenſet eſſe Merodach Baladan, quem Ptolemæus in Almageſto vocat Mardocempad. 2. Nabuchodonoſorem hunc putat Serarius fuiſſe filium Aſarhaddonis Sarphedonis, ut vocant Sept. id eſt Sardanapali. 3. Cornelius opinatur, Nabuchodonoſorem hunc fuiſſe aliquem è principibus & præfectis Xerxis, cui ob merita, robur, & potentiam Xerxes, vel potiùs pater Xerxis Darius Hyſtaſpis regnum Ninives & Aſſyriæ conceſſerit, ſed ſub vectigali & tributo: qui videns Xerxem victum à Græcis, tributum hoc negavit, ſeque Regem abſolutum effecit, ac ſenſim creſcens armis, viribus, & gentibus, Arphaxad Regem mediæ invaſit atque ſuperavit. De urbe Tyro Deus ait Ezech. 26. 4. *Diſſipabunt muros Tyri, & deſtruent turres ejus.* (Chaldæi qui poſt obſidionē tredecim annorum eam ceperunt) *& radam pulverem ejus de ea* (domos everſas in mare projiciendo juſſu Nabuchodonoſoris Magni) *& dabo eam in limpidiſſimam* (Sept. in nitidiſſimam) *petram*, q. d. Nihil ibi remanebit præter rupē: omnis terra ad turres, muros, domos, hortos aliaque, evertetur. Eſt hyperbole.

54. 7. Portæ ſemper patent.
Septimo, Portas habet biſores & ampliſſimas Ponitopolis, ſed convulſis cardinibus nullo fulcimento ſuſtentantur, nullis repagulis firmantur, nulla ſera occluduntur, atque bipatentem aditum omnibus feris & monſtris pandunt. In eas verò nihil præter fæces & ſtercora; atque tabo & ſanie fluentia cadavera, importatur. Plutarchus ait Romæ fuiſſe quaſdam portas dictas [illegible], id eſt ſceleratas, quòd per illas emitterentur ii qui ad ſupplicium ducebantur, execrationis ac maledictionis hoſtiæ, atque ſordes urbis: nihil verò mundum aut ſacrum per illas importaretur. Sed impiæ hujus civitatis ſceleratiores ſunt portæ, quia per Romanas efferebantur ſcelerati & alia immunditia, per has autem inferuntur. Jeroſolymis quoque erat porta ſterquilinii, 2. Eſdr. 3. 13. Impii ſunt ſtercorei, aut potiùs ſtercus, & omni ſtercore fœdiores & fœditiores, Pſalm. 82. 11. *Facti ſunt ſtercus terræ.* Chald. ſicut ſtercus conculcatum in pulvere. Ipſa gloria eorum eſt ſtercus, 1. Machab. 2. 62. ait Mathathias pater Machabæorum moriens, & filios ad virtutem animans: *A verbis viri peccatoris* (Antiochi Epiphanis impii Regis) *ne timueritis: quia gloria ejus ſtercus* (fœtet Deo & Angelis) *& vermis eſt.* Ipſum pungens & mordens atque abſumens.

55. 8. Domus malè ſunt coagmentatæ.
Octavò, Domus Ponitopolis illius ex funerea cupreſſo & taxo factæ ſunt, ſed malè coagmentatæ, & omni ex parte hiulcæ & fatiſcentes atque ruinoſæ, Cubicula omnia plena ſunt lupis, tigridibus, leonibus, aliiſque feris: feneſtras, areas, hortos corvi, ululæ & ferales aves inceſtant, bubum colubri, ſcorpii, baſiliſci, aliiſque ſerpentes infeſtam reddunt. Quare ſi jurè Philoſtratus lib. 7. vitæ Appollonii, urbes ac mœnia nuncupavit [illegible] id eſt *communes carceres.* Domos verò privatas, *ergaſtula*, quid de illa Babylone dices? De Ninive everſa habes Sophon. 2. 14. *Accubabunt in medio ejus greges, omnes beſtiæ gentium* (animalia gentium vicinarum, ait Chriſtophorus à Caſtro) *& onocrotalus* (Sept. hîc vertunt Camæleon, in Pſ. 101. 7. pellicanus. Vide ibi dicta) *& ericius in liminibus ejus morabuntur: vox cantantis* (avicularum cantantium, id eſt adulatorum) *in feneſtra, corvus in ſuperliminari. Hæc eſt civitas glorioſa habitans in confidentia.* quæ ſibi condebat, antequàm deſtrueretur. Sed talis eſt adhuc ſtans civitas ſuperbiæ. Ninive ſignificat pulchram, ſpecioſam, vel habitaculum. Talis etiam eſt civitas carnalis voluptatis. id eſt Babylon, quæ ſignificat confuſionem doloris à *Babel*, id eſt confuſio, & *on*, hoc eſt, dolor.

56. 9. Plateæ ſunt monſtris plenæ.
Nonò. Plateas vicoſque Ponitopolis illius Harpiæ, Gorgones, Lamiæ, & Chimæræ obſident, & albentia oſſibus & putridis occiſorum cadaveribus occupant, ut nullus earum ungues, dentes, aut venena effugiat. Vide pulcherrima de Idumæa, quæ eſt typus mundi, à Nabuchodonoſore vaſtata, Iſai. 34. 11. & ſeq.

10. Forum in labyrinthi formam.
Decimo, Forum in trium labyrinthorum formam implexum involutumque tria hominum genera circumeunt. In primo labyrintho ſunt avari, qui maſſam auri fugacem inſequuntur, & jam manu prehenſam ſibi effluere, aut ab alio rapi inclamant: ibi ſunt fontes argentei & gemmei, ſed factum eſt cùm ſe ad potandum aperto ore & exertâ linguâ incurvant in medio luto, aqua ſeſe abſcondit, & eorum attractum refugit, ſicque ſemper ſitibundi anhelant. In ſecundo illius fori labyrintho ſunt ſuperbi, qui volatilis honoris fatuos ignes ſectantur ſed cùm ad eos acceſſerint, diffugiunt, eoſque inopinantes in lacus cœnoſos adducunt; ubi merguntur. In tertio labyrintho ſunt luxurioſi, qui per iter lubricum & luti plenum ambulant, prata deinde penetrant, ſed ſerpentibus ſub herba latentibus periculoſa. S. Joan. 1. epiſt. 2. 16. *Omne quod in mundo* [id eſt in hoc orbe. 2. In mundana concupiſcentia. 3. In mundanis hominibus & amatoribus mundi vitioſi) *eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Illius mundi quatuor elementa aſſignat S. Antonius de Padua. Terra, inquit, eſt avaritia: aqua, eſt luxuria: aër, eſt inconſtantia: ignis, & ſuperbia.

57. 11. Cibi ſunt venena.
Undecimò, Cibi venales Ponitopolis, ſunt venena & aconita; primo guſtu ſuavia, ſed quæ intima depaſcantur, & ſummam amaritudinem ingenerent. S. Cyprianus epiſt. ad Donatum: *Malorum*, inquit, *blandientium virus occultum eſt, & arridentis*

nequitia facies quidem leta ſed calamitatis abſtruſa illecebroſa fallacia: inſtar cujuſdã veneni, ubi in lethales ſuccos dulcedine aſperſa calliditate fallendi ſapore medicato, poculũ videtur eſſe quod ſumitur: ubi epotaveris, perniciës hauſta graſſatur. Pſ. 13.3. *Venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Aſpis pungendo dolorem non facit, ſed tamen morſus eſt inſanabilis.

12. Centaurorũ forma ſunt cives. Duodecimò, Cives Poniropolis illius biformi centaurorum habitu horrorem ingenerant, cutem habent Pantheræ inſtar variegatam, ungues Harpyarum, dentes Lupi, cor Leonis, & quidem geminatum, naſo omnes carent. Crederes cives eſſe rhinocoluræ urbis in extremitate Ægypti, ſic dictæ ob graſſatores, quos eò in exilium præfectũ ſingulis naſo deportari juſſit Actiſanes Rex Æthiopum, ut dicit Diodor. Sicul. l. 1 Bibliothecæ.

13. In templo 3. ſunt idola. Decimo-tertiò, Templum illius Poniropolis tribus idolis eſt ſacrum: nempe honori, voluptati, & divitiis, ibi innumeri homines cernuntur plenâ manu thus, ſed ſtygium & tetros fumos atque odores intolerabiles exhalans, offerentes, & modò huic, modò illi dolo humanas victimas mactantes. Iſai. 13. 22. *Reſpondebunt Sirenes* (Hebr. תנים *thannim*, id eſt dracones, ut Pagn. Arias, & Chald. vertunt. 2. Ericii, ut Sept. ibi ſunt venena & ſpinæ) *in delubris voluptatis*, agit de urbe Babylone everſa.

58. 14. Leges ſunt Chriſti legibus oppoſitæ. Decimo quartò, Leges illius Poniropolis ſunt è diametro legibus Chriſti oppoſitæ: ait Chriſtus Matth. 5. 39. *Ego autem dico vobis: Non reſiſtere malo* (πονηρῷ, id eſt, homini malo & verbis injurio) *ſed ſi quis percuſſerit dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Dæmon ait, Infer omnibus injuriam, nullam vel leviſſimam ab ullo tibi illatam tolera, ſed triplicatam, aut ſi potes centuplicatam redde, ut diſcat ſapere, & ſibi temperare. Secundò, dicit Chriſtus, ut avaritiam coërceat, & nimiam opes aggerandi cupiditatem, ibid. verſ. 40. *Et ei, qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere dimitte ei & pallium*: id eſt veſtẽ extimam da ei, qui petit interiorem. S. Lucas optimè ordinem illum invertit cap. 6. 29. & ait: *Ab eo qui aufert tibi veſtimentum* (Græc. ἱμάτιον, id eſt pallium) *etiam tunicam noli prohibere*: hoc eſt, petenti a te minora bona, da etiam majora & chariora. Dæmon verò ait; Tibi provide; tua bona tibi ſerva, rape potiùs aliena; quàm des tua. Tertiò, dicit Chriſtus Matt. 5. 44. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus* (Græcè, ἐπηρεαζόντων, id eſt, pro vexantibus, & damno atque incommodo afficientibus) *& calumniantibus vos.* Græcè adjungitur, εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς hoc eſt, benedicite iis qui vobis maledicunt. Alia Chriſti, & diaboli, ſeu mundi axiomata & leges vide apud Cauſſin. in Aula ſancta, tom. Integro.

59. 15. Rex ibi eſt dæmon. Decimo-quintò, Rex Poniropolis illius eſt dæmon, qui in ſpelunca tenebroſa, & hydris atque draconibus horrifica, manet. Throno in ferreo flammantibus reſidens, flammas ore naribuſque effundit, monſtroſa cornibus fronte, crinibus in angues deſinentibus, & colla humeroſque allambentibus. Aſtant ferrata tricuſpide armati cyclopes, fuliginoſa flammantique vultu terribiles, qui accedentes impios tyranni poplitibus pede proterant, & fuſtibus contundant. Cæci tamen ſceleratæ urbis cives turmatim advolant, ut monſtro huic ſeſe inclinent, Job 41. 25. de Leviathan, id eſt dæmone, dicitur, *Ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ*: hoc eſt, ſuperbos. Nam Hebræi vocant filium alicujus rei eum, qui illius amore tenetur, & ejus ſtudio & exercitio addictus eſt. Hinc 2. Paral. 25. 15. milites dicuntur filii exercitus, 1. Reg. 18. 17. vir fortis vocatur, filius fortitudinis, Pſ. 88. 23. ſceleratus, filius iniquitatis.

Sed finis hujus civitatis impiæ eſt interitus cum ſonitu. *Civitates eorum deſtruxiſti, periit memoria eorum cum ſonitu.* Apoc. 18. 21. *Et ſuſtulit unus Angelus fortis lapidem quaſi molarem* (Græc. ὡς μύλον, velut molam) *magnum, & miſit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon* (Arabs, ſic caſu cadet Babylon, & projicietur in lacum profundum) *civitas illa magna. & ultra jam non invenietur. Et vox citharœdorum, & tibia canentium, & tuba non audietur in te amplius: & vox molæ non audietur in te amplius, &c.* Beda, Aretas & alii cenſent ibi agi de toto mundo & cœtu impiorum, quia addunt, in ejus veneficiis, id eſt illecebris peccandi, erraviſſe omnes gentes, & ſanguinem Prophetarum, Sanctorũ & omnium qui interfecti ſunt in terra ibi eſſe inventum. Scipio du Pleix tom. 2. Hiſt. Franc. anno 1023. ait, in pago Porcheria prope Aureliam in aëre viſam eſſe urbem muris ſuis, turribus & propugnaculis militibuſque munitam, quæ momento evanuit, hoc contigit Rege Roberto. Quicquid eſt in mundo, eſt aëreum & nubuloſum: tranſivi & ecce non erat. Cave tu nitaris reædificare Jericho à Joſue, id eſt Jeſu everſam, Joſ 6. 26. ait ipſe Joſue: *Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit & ædificaverit civitatẽ Jericho In primogenito ſuo* (intellectu, qui excæcatur.) *fundamenta illius jaciat, & in noviſſimo liberorum ponat portas ejus*: in ſua voluntate, quæ per peccata moritur. Vel, duo illi liberi, ſunt appetitus corporeus, & ſpiritualis: ſeu pars inferior & ſuperior: aut corpus & anima, Jericho ædificavit Hiel. 3. Reg. 16. 34. *In diebus ejus* (Achab impii Regis Iſrael) *ædificavit Hiel de Bethel, Jericho: in Abiram primogenito ſuo fundavit eam* (id eſt mortuus eſt Abiram initio ædificationis ejus) *& in Segub noviſſimo ſuo* (ultimo filiorum) *poſuit portas ejus* (civitate extructa) *juxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Joſue*: id eſt, per Joſue. Ubi adverte, Jericho Lunam ſeu lunaticum ſignificat, 2. Hiel, vitam Dei, ſeu viventem Deo, 3. Bethel, Domum Dei. 4. Abiram, patrem celſitudinis. 5. Segub, fortificatum & exaltatum. 6 Joſue, ſeu Jeſus, Salvatorem. Hiel itaque de Bethel ædificans Jericho contra mandatum Joſue, & amittens Abiram & Segub filios ſuos, eſt religioſus, qui prius vivens vitâ divinâ in religione & domo Dei, proprio ſe judicio abduci ſinit, & fingit, ut dicitur, caſtella in Hiſpania, officia & occupationes ſibi mente deſtinans, aut per egreſſum ex ordine dignitates quærens & honores: et enim omnem quam collegerat gloriam, perdit, & robur omne quod habebat ad animas ſalvandas, dum JESU præcepta ſibi imperantis ſequebatur, amittit.

60. Perit cum ſonitu civitas diaboli.

SECTIO TERTIA

8\. *Paravit in judicio thronum ſuum.*

8\. Chriſtus qui Rex æternus eſt, in cœlum victor aſcendit, ibique thronum ſuum ſtabilivit ad Patris dexteram, ut inde regat & judicet ſubditos ſuos.

9\. *Et ipſe judicabit orbẽ terræ in æquitate: judicabit populos in juſtitia.*

9\. Inde univerſum orbem terræ, & ſingulos ejus populos cum juſtitia æquiſſima judicabit.

10\. *Et factus eſt Dominus refugium pauperi: adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.*

10\. Ad ejus tribunal, velut ad tutiſſimum aſylum, confugient, ibique ſecuri erunt Apoſtolici viri, omneſque pauperes: ipſe enim adjuvat, cùm res exigit, & aliqua urget calamitas.

11\. *Et*

11. *Et ſperent in te qui noverunt nomen tuum: quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.*

12. *Pſallite Domino, qui habitat in Sion; annunciate inter gentes ſtudia ejus.*

13. *Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt, non eſt oblitus clamorem pauperum.*

11. In eo ſperabunt Chriſtiani omnes, qui ſub vexillis ejus militant, ipſi uſque nomine gloriantur: neque enim eos deſerit, qui ex animo ipſum requirunt, & Dominum ſibi exoptant.

12. Laudes itaque, omnes Chriſti ſervi ipſi ut Domino veſtro in Eccleſia præſidenti accinite: annunciate Gentilibus omnibus Incarnationem ejus, Paſſionem, aliaque myſteria, & illi etiam curam quâ pauperes tuetur.

13. Si enim quia hæc ignorant aut contemnunt, Apoſtolos illa prædicantes occiderit, Deus eorum ſanguinem ulciſcetur: & orationes exaudiet, contra perſecutores & Evangelii cultum impedientes, effuſas.

QUÆSTIO UNICA.

Quàm ſedulus pauperum adjutor Chriſtus.

PRima ſectio hujus Pſalmi, Paſſionis Chriſti victoriam extollit. Secunda, illius & cæterorum myſteriorum prædicationem per Apoſtolos. Nunc in hac ſectione tertia, præconum ſuorum aliorumque pauperum protectorem Chriſtum Propheta depingit.

Primò itaque, Judicem ſtatuit Chriſtum, qui ſibi in cœlum aſcendens thronum ponit, v. 8. *Paravit in judicio* [ad judicium] *thronum ſuum.*

Secundò, contemplatur eum è throno illo judicantem, v. 9. *Et ipſe judicabit orbem terræ in æquitate: judicabit populos in juſtitia.*

Tertiò, Litigatores duos proponit, Apoſtolos ſcilicet ſeu Apoſtolicos viros pauperes, & tyrannos potentes ac divites. Primò, Apoſtolos alioſque pauperes ait, in Chriſti tribunali aſylum reperire, verſ. 10. *Et factus eſt Dominus refugium pauperi:* & ab eo obtinere auxilium in neceſſitate: ibid. *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Quorum in compenſationem exigit, ut pauperes Chriſto ſerviant, 1. Mente, in eum ſperando, verſ. 11. *Et ſperent in te, qui noverunt nomen tuum.* Cauſam adjicit *Quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.* 2. Opere, illi gratias actiones alacriter faciendo, verſ. 12. *Pſallite Domino, qui habitat in Sion.* Pſallere, eſt opus manuale. 3. Sermone, illius benignitatem, amoremque, & beneficia laudando, Ibid. *Annunciate inter gentes ſtudia ejus.* Secundò, punitionem annexit potentum ac divitum, qui pauperes oppreſſerint, v. 13. *Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt, non oblitus clamorem pauperum.*

ARTICULUS III.

Chriſtus judex pauperes adjuvat.

Verſ. 8. 2. Pars. THronum, ſeu tribunal aſſignat David Chriſto Judici, v. 8. *PARAVIT IN JUDICIO* (Hebr. למשפט *lammiſpath*, id eſt ad judicium) *THRONUM SUUM.* Hebr. כסא *chiſſe*, Pſalt. Roman. S. Auguſtinus habet, *ſedem*, Septuag. θρόνον. Hebr. vox tam de throno Regis, quam de tribunali Judicis uſurpantur. Syr. & Arabs vertunt, paratum eſt tribunal ad judicium.

61. Judex Chriſtus parat ſuum tribunal. Quæres, de quo judicio agitur? Primò, S. Auguſt. Caſſiod. Ruffin. Bruno, Beda, Remig. Ludulphus, & Haymo dicunt, Chriſtum ſibi paraviſſe thronum patientiæ ſub iniquo judice, atque ſententia. Verba Auguſtini ſunt: *Paravit cum judicatus eſt, ſedem ſuam. Per illam enim patientiã homo cœlum acquiſivit, & Deus hominibus credentibus profuit. Et hoc eſt occultum ſibi judicium.* Sed *Tò in judicio*, idem eſt atque *ad judicium*, ut patet ex Hebræo, itaque non eſt mentio illius judicii, in quo eſt Chriſtus condemnatus, non enim ad illud paravit thronum ſuum. Secundò. Sanctus Chriſoſtomus agi putat de judicio extremo, ad illud enim ſibi paravit thronum Chriſtus, Tertiò, & melius Bellarminus explicat de judiciaria Chriſti poteſtate, quam exercuit poſt mortem ac reſurrectionem, ait enim ipſe Matthæi ultimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & terra.* Quartò denique plenius & adæquatè, *Tò in judicio* intelligitur tam de judicio, quod exercet Chriſtus in hac vita juvando afflictos, puniendo impios, quàm de judicio extremo, in quo præſertim in throno conſpicuus toti orbi apparebit.

Nota, pro *paravit*, Hebraicè eſt כונן *conen*, id eſt 1. Stabilivit, ut vertit ſanctus Hieronymus. 2. direxit, ut Felix. 3. paravit, ut etiam vertunt Pagninus & Arias. Nam rad. כן *cun* ſignificat primò, præparare: ſecundò, firmare, ſtabilire: hic Symmachus & Aquila vertunt ἥδρασε, id eſt, firmavit: tertiò, dirigere, rectificare. Tropol. adverte primò, præparationem illam throni monere nos prudentem, maturam, & juſtam à Chriſto ferendam eſſe ſententiam, non præcipitem, non temerariam tumultuariam: præparat judicium atque illud meditatur. Licet peccata Sodomitarum cœlos penetrarent & vindictam celerem expoſcerent; dicit tamen Deus per Angelum ſuum Abrahamo Geneſis decimo octavo, verſu vigeſimo. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis. Deſcendam & videbo* (per duos Angelos ipſe tertius Angelus nobilior Deum repræſentans rò miſit) *utrum clamorem, qui venit ad me* (1. per Angelos. 2. per vicinos populos ab illis murmurantes. 3. per ipſa peccata clamantia in cœlum) *opere compleverint: an non eſt ita ut ſciam.* Primò, id dicit Abrahamo, ut opponat pro Sodomitis, ſi quid ſciat. 2. ut oret pro illis. Secundò, viſitat Sodomam ipſam, ut contempletur rem omnem ſtudioſius ante punitionem, ne quid temere factum putetur. 62. Inde monemur, Chriſtum ſapienter judicaturum.

Secundò. Hinc debemus diſcere, præparandum eſſe thronum judicii, & ipſum judicium judicibus, ut ſtabiliatur, neque ſine magna conſideratione ferendam eſſe ſententiam. Seneca libro ſecundo de ira: *Veritatem dies aperit. poteſtque pœna dilata exigi, exacta revocari non poteſt.* Job de ſe dicebat capite vigeſimo nono, verſu decimo ſexto. *Cauſam* (id eſt, litem. Septuaginta vertunt, *judicium*: id eſt, contentionem forenſem) *quam neſciebam, diligentiſſimè inveſtigabam.* 2. Judices non debere temerè judicare

Tertiò, S. Hieronymus, S. Chryſoſtomus, & ſanctus Joannes *Damaſcenus* libro 1. de fide capite 18. docent, *præparatione* hac throni *Dei* in judicio, ſeu *ad judicandum*, ut vertit Hieronymus, moneri nos, ne ante tempus judicemus, ſed relinquamus Chriſto judicium, qui ſecundum proprium & conveniens tempus ad locum reddet unicuique quod ſuum eſt. Hoc ait Apoſtolus 1. Corinthiorum. 4. verſu 5. *Nolite ante tempus judicare quoad uſque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum:* hoc eſt, tenebroſas & abſconditas hominum cogitationes, affectiones, & actiones, omnibus faciet eſſe manifeſtas. 3. De nullos eſſe temerè judicandum.

Quartò, Præparatio illa throni divini ad judicandum, viciſſim nos admonet debere nos paratos eſſe ut ab eo judicemur. Lucæ 12. verſu 40. *Et vos parati eſtote.* 4. Providendum ut parati ſimus ad

Comparendum in die judicii.

eſtote parati, quia qua hora non putas, filius hominis (Chriſtus filius Virginis: timete luxurioſi.) *veniet.* Nemo itaque ſibi fidat, aut adulatoribus applaudentibus. Iſaias cap. 3. v. 12. ait: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt* (Plato in Phædro adulatorem vocat beſtiam humano generi peſtilentem) *& viam greſſuum tuorum* (id eſt, vitæ tuæ rationem & agendi modum) *diſſipant. Stat ad judicandum Dominus, & ſtat ad judicandos populos* 1. per titum excindendo Jeruſalem. 2. in extremo judicio, omnes gentes judicando) *Dominus ad judicium veniet cum ſenibus* (id eſt ſenatoribus: nempe cum Apoſtolis, Patriarchis, Prophetis & aliis ſanctis ſelectioribus, qui erunt aſſeſſores ejus. 1. contra ſeniores & ſenatores, ut explicat S. Hier.) *populi ſui & principibus ejus.* Si illis non parcit, quid aliis fiet?

Verſ. 9. 63. Rei coram Chriſto ſtabunt omnes homines.

Throno judicis præparato & firmato, ſiſtendi ſunt rei. Hos ait David fore omnes homines totius orbis Verſu 9. *ET IPSE JUDICABIT ORBEM TERRÆ* (id eſt, homines orbis. Eſt metonymia) *IN ÆQUITATE, JUDICABIT POPULOS* (id eſt, eoſdem homines) *IN JUSTITIA.* Nota, in æquitate & in juſtitia, id eſt, in æquitate juſta, ſive in juſtitia æqua. Eſt enim hendiadis: id eſt, unum per duo. Nam pro *æquitate* eſt Hebr. צדק id eſt, juſtitia, ut vertit S. Hier. Felix, Pagn. & Septuag. habent ἐν δικαιοσύνῃ. id eſt, cum juſtitia. Pro *juſtitia* Hebr. eſt במישרים id eſt, *rectitudinibus*, ut Arias reddit. *rectitudine*, ut Pagn. & Felix. *æquitatibus*, ut S. Hier. ἐν εὐθύτητι, ut Sept. id eſt cum rectitudine S. Aug. legit, cum juſtitia. Ex his patet in præſenti verſu æquitatem & juſtitiam pro eodem prorſus accipi. Si ſtrictè velis ſumere, æquitas eſt lenis interpretatio aut remiſſio ſummi juris & benignitas.

Æquitas quid.

Æquitas, ut ait S. Thomas eth. 5. lib. 16. eſt directio juſti legalis. Vel, ut ait Boeth. in topic. lect. 3. æquitas eſt, quòd naturalis ratio perſuaſit. Æquum, ut dicit Ariſtoteles libro 1. Rhetor. eſt rebus humanis ignoſcere: nec legem, ſed legis latorem ſpectare: non verba, ſed ſententiam: nec actionem, ſed prælectionem: nec partem, ſed totum: nec qualis nunc, ſed qualis ſemper, aut, plerumque extitit: & memoria tenere potius commoda, quam incommoda: & quæ accepit commoda, quam quæ attulit: & *ad arbitrum*, quàm *ad judicem* accedere malle: æquum enim arbiter intuetur, judex legem: & ideò arbiter inventus eſt, ut æquum valeat. Ita Ipſe. Juſtitia itaque eſt ſtrictior, atque exactior, æquitas laxior & moderatior, & interpretationi dans locum: itaque non ſequitur moroſè ſummum jus, ſed utitur ἐπιεικείᾳ: aut verius, æquitas eſt ipſa ἐπιείκεια, id eſt decentia ſummi juris temperatio prudens & bona. Quia enim, ut docet S. Thomas. 2. 2. quæſt. 120. humani actus, de quibus leges dantur, in ſingularibus contingentibus conſiſtunt, quæ infinitis modis variari poſſunt, non fuit poſſibile aliquam regulam legis inſtitui, quæ in nullo caſu deficeret. Sed legis latores attendunt ad id quod in pluribus accidit, ſecundum hoc legem ferentes: quam tamen in aliquibus caſibus ſervare eſt contra æqualitatem juſtitiæ, & contra commune bonum quòd lex intendit. Sicut lex inſtituit, quòd depoſita reddantur: quia hoc ut in pluribus, juſtum eſt. Contingit tamen aliquando eſſe nocivum; puta, ſi furioſus depoſuit gladium, & eum repoſcat dum eſt in furia: vel ſi aliquis repoſcat depoſitum ad patriæ impugnationem. In his ergò & ſimilibus caſibus, malum eſt ſequi legem poſitam. Bonum autem eſt prætermiſſis verbis legis, ſequi id, quod poſcit juſtitiæ ratio, & communis utilitas. Et ad hoc ordinatur epiikia, quæ apud nos dicitur æquitas, ita S. Thomas. Unde concludit epiikiam eſſe virtutem, & in art. 2. eſſe partem ſubjectivam juſtitiæ. Pars autem ſubjectiva alicujus virtutis eſt illa, de qua eſſentialiter prædicatur totum.

64. Symbolicè, orbis terræ & populi quid.

Symbolicè, per *orbem terræ* intelligit Euthymius & Origenes fideles: per *populos*, alios. 2. *orbe terræ*, bonos & perfectos, *populos*, malos ac tumultuantes figurari vult Beda. Sic enim loquitur: Ego Dominus & judex omnium, judicabo manifeſto judicio in fine *orbem terræ*, id eſt, illos qui *cùm prius eſſent terra, id eſt, terreni, fient per bona opera orbis, id eſt, perfecti:* illos judicabo *in æquitate*, id eſt in æqualitate, conformando eos ſcilicet mihi, in gloria ibi: quia hic ſe mihi conformaverunt per bona opera: *& populos*, id eſt, malos, tumultus & ſeditiones agitantes, judicabo *in juſtitia*, id eſt, in comparatione juſtitiæ perfectorum: quia hic ipſis perfectis ſe non conformaverunt, non aſſociabuntur illis ibi in gloria. Non enim ibi erit judicium, niſi in conſcientia, qua ſe quiſque ſociabit ibi ſive bono ſive malo, cui ſe hic conformavit. Hæc Beda.

Nota, Chriſtus non judicat ſecundùm allegata & probata, quia intuetur cor: ideò judicat *in* id eſt, cum *juſtitia* &, ut Hebræa ſonant *in rectitudinibus*, hoc eſt, cum omni rectitudine, rectiſſimè, non obliquè, non deflectendo à vero, aut ob ignorantiam, aut ob pravam affectionem: habet rectitudinem intellectus, rectitudinem voluntatis, rectitudinem operationis. Pſalmo nonageſimo octavo, verſu quartò & quinto. *Honor* (Hebraicè עז *oz*, dignitas, majeſtas, auctoritas, ſanctitas) *regum judicium diligit*, quaſi diceret, tua majeſtas, ô rex, eſt juſtiſſima: id eſt, tu es juſtiſſimus, & juſtitiam ex ſolo amore juſtitiæ, non ob tuam utilitatem diligis. *Tu paraſti directiones* (S. Auguſtinus & Caſſiodorus, æquitatem. S. Hieronymus, tu fundaſti æquitates) *judicium & juſtitiam* (hoc eſt, judicium juſtum. Et hendiadys) *in Jacob tu feciſti*, inter Jacobitas, id eſt, Iſraëlitas tam corporales ſeu Judæos, quàm ſpirituales ſeu Chriſtianos, qui filii ſunt Abrahæ, Iſaac & Jacob per fidem & conſequenter expectat repromiſſiones iis factas, & à juſto judice reddendas.

Verſ. 10. 1. Pars

Aſſeſſores duos throno judicis Chriſti proximos aſſignat Propheta: nempe miſericordiam, qua injuſtè oppreſſos ſuſcipiat & tueatur: atque juſtitiam, qua ſceleratos condemnet: illa dextram, hæc lævam ejus occupat. De juſtitia dicetur verſu 15.

65. Miſericordia aſtat Chriſti judicio

Miſericordia ſeſe offert vel pauperrimis, & ab omni humana ope deſtitutis, eiſque præſidium eſt & aſylum tutiſſimum. Verſu decimo. *ET FACTUS EST DOMINUS REFUGIUM PAUPERI: ADIUTOR IN OPPORTUNITATIBUS IN TRIBULATIONE.*

Hæc eſt aſylum 1. neceſſarium.

Nota, perfugium illud & aſylum Dei eſt pauperibus primò: neceſſarium. Secundò, glorioſum. Tertiò, ſemper paratum.

Primò eſt neceſſarium, quia pauperes patent injuriis, contumeliis, vexationibus, oppreſſionibus rapinis potentiorum. Hoc denotat vox Hebraica *dach*, quæ hic ponitur. *Factus eſt Dominus refugium.* לדך *laddach*, id eſt, *tenui*, ut vertit Arias. 2. fracto, ut aliqui apud ſanctum Chryſoſtomum, contrito, ut Cajetanus. 3. oppreſſo, ut ſanctus Hieronymus. Hæc omnia eſt pauper, eſt enim tenuis, quia ejus ſanguinem, adipem, medullam ſuxit & devoravit avarus dives: eſt oppreſſus, fractus & contritus, quia in ejus caput omne pondus dignitatis, auctoritatis & divitiarum devolvit, ut eum dejiciat ſub pedibus ſuis & ejus ruina magis increſcat. *Dach* deducitur à rad. דוך *duch*, id eſt contundere. Pauperes à potentioribus, velut in mortario, contunduntur, ut ſuccus omnis exprimatur. Vox Syriaca מסכנא *meſchina*, id eſt, *pauper*, quæ hic habetur,

betur, derivatur à rad. סכן *ſocan*, id eſt, periclitari, tentare, probare, experiri. Itaque *meſchino*, ſignificat eum qui probatur & tentatur, tales autem ſunt pauperes: ſunt enim poſiti in paupertate, velut in fornace probatoria, & in igne tentationis. Dracula præfectus Hungariæ omnes mendicos lauto convivio exceptos comburi juſſit, ut refert Bonfinius libro 10. decad. 3. rerum Hungar. Tamerlanes quoſcunque leproſos nactus erat, velut lucem orbis, mactari curabat, ut ait Chalcochondylas lib. 3. hiſt. Turcicæ.

66. 2. Glorioſum. Secundò, aſylum illud Chriſti eſt glorioſum pauperibus. *Factus eſt Dominus refugium pauperi*, Sed refugiū in arce excelſa, firma, ſecura, inacceſſibili, ornatiſſima. Pro *refugium* Hebraicè eſt משגב *miſgab*, id eſt, exaltatio, elevatio 2. locus exaltatus, elevatus, munitus: hoc eſt arx, propugnaculum, munitio. Rad. *ſagab*, elevare, exaltare. S. Hieronymus vertit *elevatio* Pagninus, *exaltatio* Felix, *munimentum*. Syrus. בית גוסא *beth guſa*, id eſt, domus refugii à rad. גוס *gus*, confugere, refugere. Pſalmo quadrageſimo quinto, verſu octavo, ubi habemus, *Suſceptor noſter Deus Iacob*, pro *ſuſceptor*, eſt Hebr. *miſgab*, id eſt, elevatio, ut vertit Pagninus & Arias, vel, protector, ut S. Hieronymus, & verſu 12. ubi idem habetur verbum, idem Hieronymus vertit, fortitudo. Deus dedit veræ paupertati magnum robur mentis, ut tantum det ſpiritualium divitiarum, quantum tollit temporalium. Archeſilaus dicebat, paupertatem eſſe quidem duram inſtar Ithacæ, ſed ἀγαθὴν κουροτρόφον ἢ γυμνάσιον ἀρετῆς ἐμπρακτον, præclaram adoleſcentum nutricem & gymnaſium virtutis efficax. Diogenes dictabat eſſe, αὐτοδίδακτον ἀρετήν, virtutem per ſe doctam. Minutius Felix In Octavio ait proprium eſſe paupertatis ſublevare: divitiarum autem, auri pondere deprimere. Unde Æneas Gazæus in Theophraſto, id eſt, in libro de animarum immortalitate, ait: *Socrates in paupertate quaſi ſuperbiebat, eamq. divitiarū nomine dignum dicebat*, ἢ φιλοσοφίας φίλην *& philoſophiæ ſociam atque amicam appellabat*. S. Chryſoſtomus in Pſalmum noſtrum, ait, afflictionem eſſe φιλοσοφίας μητέρα *philoſophiæ & ſapientiæ matrem*. Et Minutius citatus: *Fortitudo infirmitatibus roboratur, & calamitas ſæpius diſciplina virtutis eſt*. In Chriſti latus ſe facilius pauper injicit, lenior eſt promptior, atque magis ſimilis pendenti in cruce, & omnibus bonis ſpoliato: ibi ars ejus eſt, ibi domus, ibi familia. Ut enim quidam veterum Patrum dixit, πᾶς πένης ἀδελφός ἐστι τοῦ Χριστοῦ, *omnis pauper frater eſt Chriſti*: nec frater tantùm, ſed *filius*, ut ait S. Franciſcus. In corde ejus generatur, & geſtatur, velut in divino utero.

67. 3. Semper paratum. Tertiò, aſylum illud Chriſti ſemper paratum & apertum eſt pauperibus. Hoc enim promiſit Matthæi 11. v. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis* (Syrus, qui feſſi eſtis. Arabs, labore attriti) *& onerati eſtis, & ego reficiam vos*. (Græcè, ἀναπαύσω, id eſt, requiem dabo, ut vertit Syrus. Et in Pſ. noſtro dicitur: *Et factus eſt Dominus* (Chald. reddit, מימרא דיי *memera dadonai*, id eſt, verbum Dei) *refugium pauperi*. Verbum illud Dei, vel poteſt intelligi Chriſtus, vel promiſſum Dei. Sequitur in Pſalmo, *Adjutor in opportunitatibus* (id eſt) *in tribulatione*: eſt enim hendiadys, eſt tunc maximè tempus opportunū adjuvandi, cùm tribulamur. Secundò tamen, non eſt prorſus rejiciendus Euthymius, qui *in opportunitatibus*, explicat *in proſperitatibus* Neque enim, ait, ſolùm auxilio indigent, qui in calamitatibus ſunt: ſed illi etiam qui in proſperitatibus, ut felicitatem ſuam conſervent, & ne in ignaviam *calamitatum mutrē* decidant. Græca vox εὐκαιρία, & opportunitatem, & felicitatem ſignificat. Aquila vertit, εἰς καιρούς, id eſt, in tempus opportunum. Symmachus, εὐκαίρως, id eſt, opportunè. Hebraicè לעתות *ittoh*, in tempore, id eſt, in tempore commodo & opportuno: illud autem tempus maximè opportunum eſt adverſitas. Unde clarè vertit S. Hieronymus, *Elevatio* (pro *adjutor* eſt vox *miſgab*) *opportuna in anguſtia*: qui eſt in tribulatione & anguſtia, dejicitur, conteritur, deprimitur, ſub pedibus jacet, iiſque calcatur: ſed ſtatim invocatus Deus accurrit, elevat & exaltat ſibi eum uniens, & quodammodo incorporans in cruce, ſibi reddi rum ſimilem per afflictiones. Itaque primus ſenſus eſt melior & ſuavior. S. Joannes Chryſoſtomus in Pſal. noſtrum ait. *Sicut eſt artificis ædificare, & gubernatoris navem dirigere, & Solis illuminare: ita etiam tuum eſt, Domine*, ὀρφανοῖς παρίστασθαι, πτωχοῖς χεῖρα ὀρέγειν, *ſubvenire orphanis, manus præbere pauperibus. Nemo eſt qui eorum curam gerat, ſed tu ſolus*. Juvat autem præſertim in opportunitate, & neceſſitate, cùm deeſt omne humanum auxilium. Sic ſæpè pecuniam, cibos & alia ſuppeditavit ſervis ſuis egentibus, ſancto Dominico, Franciſco, Ignatio, cæteriſque, ut oſtendam fusè Pſ. 54. verſu 23. & 144. verſu 15. Item à periculis caſtitatis & mortis ſanctos Martyres ſæpè liberavit, Leonibus, urſis, tigribus, variſque feris; & quod deterius erat, Leonum & petulantium impuritati & libidini objectas. Sancta Lucia ad Lupanar juſſu tyranni trahebatur, ſed à Deo in tempore opportuno facta eſt immobilis. Sancta Theodora in ipſum uſque turpitudinis locum deducta, ſed à milite veſtes cum ea commutante erepta eſt. Sancta etiam *Daria* locum illum intravit, ſed à leone ab amphitheatro elapſo conſervata eſt, & illæſa in totum receptum educta.

ARTICULUS II.

Pauperes Chriſto adjutori ſuo ſervire oportet.

CHriſtus pauperes juvat, ut vidimus, viciſſim cultum ab iis repoſcit. *David* tria ab illis poſtulat. Primò, ut habeant ſpem in cor. Secundò, diligentiam & alacritatem in opere. Tertiò, laudem in ore. Verſ. 11.

Ac primò, Spes eſt anchora, pauperes Dei cœlo illigans, ut tempeſtate non fluctuent, & in ſcopulos à portu abrepti non propellantur. Verſu 11. *ET SPERENT* (S. Hieron. *confidant*. Hebraicè יבטחו *ibtechu*, id eſt, ſperabunt: ſed futurum ſæpè ponunt pro imperativo) *IN TE, QUI NOVERUNT NOMEN TUUM DOMINE: QUONIAM NON DERELIQUISTI* (Pſalt. Ambroſ. *non derelinques*, in tempore futuro. Pſalt. Rom. *non derelinquis*, in tempore præſenti. Omni tempore adeſt Deus alumnis ſuis) *QUÆRENTES TE* (non ſua, qui ſunt vere pauperes, & Deum unum amant) *DOMINE*. Græcè, ἐκζητοῦντας, id eſt, ſtudioſè perquirentes, quærentes, σπουδῇ καὶ προθυμίᾳ, id eſt, cum ſtudio & animi promptitudine, ut ait S. Chryſoſt. qui ſic quærentes dicit à Deo non relinqui, ſed effici ut non augeatur. 2. non relinquuntur, quia bona ſpiritualia iis largitur Deus, ut explicat S. Auguſtinus. 3. adeſt illis in morte, ut exponit Dydimus. 4. non relinquuntur in die judicii, ut Euſebius. 5. in nullo horum relinquuntur, ſed ſemper illis præſto eſt Deus. Sed ut auxilium illud obtineas ſpera in Deo, & in oratione perſeveras, in ea enim perſeverantes non relinquit, cùm dixit: *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui quærit accipit*, &c. Matthæi ſeptimo, verſu ſeptimo. Deo & patre: id eſt, potente & amante, digna 68. Spes eſt anchora.

Ll 4 /pro-

promiſſio. Eccleſiaſtici 2. verſu 11. *Reſpicite filii, nationes hominum* Græcè ἀρχαίας γενεάς, hoc eſt, antiquas generationes, & ſic legit ſanctus Ephrem.) *& ſcitote quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt. Quis enim permanſit in mandatis ejus* (Græcè in timore) *& derelictus eſt? aut quis invocavit eum, & deſpexit illum? Quoniam pius* (ἐλεήμων, id eſt, clemens) *miſericors* (Complut. addunt μακρόθυμος καὶ πολυέλεος, id eſt, longanimis & multæ miſerationis) *eſt Dominus.*

69. Dei nomen eſt cognoſcendum Primò nomine. Quæres primò, de quo nomine Dei hic loquitur? Primò, Hoc poteſt accipi de omni Dei nomine ab Hebræis uſitato. Hæc enim omnia ſpem erga Deum fovent & accendunt. Nam ſi vocea Deum אל *el*, id eſt, fortem, poteſt juvare: ſi אדני *adonai*, hoc eſt, Dominus, ſervos ſuos juvat: ſi voces שדי *ſaddai* id eſt, qui ſufficit: ſibi ſcilicet atque aliis: vel, mammuum, vult juvare. Vide cætera nomina Pſalm. 8. ſect. 1. art. 2.

Secundò, Dominus. Secundo, S. Auguſtinus dicit nomen Dei eſſe *Dominus*, & ego ſum qui ſum, illa eſſe cognoſcenda, ut benè in eo ſperemus. Verba ejus infra afferam.

Tertiò, & optimè, nomen Jeſu. Tertiò denique, Sancto Thomæ, Valentiæ, Richardo Pampolitano me adjungo, nomen illud Dei de nomine Jeſu intelligentibus, de quo ſanctus Bernardus ſerm. 15. in Cantica: *Cui, quæſo, in dubiis æſtuanti & fluctuanti, non ſubitò ad invocationẽ clari nominis emicuit certitudo? Cui in adverſis diffidenti, jamjamque deficienti, ſi nomen adjutoris ſonuit, defuit fortitudo? Nimirum morbi & languores animæ iſti ſunt, illud medicina.* Lege totum illum ſermonem. Plura dixi de illo ſacro nomine Pſalmo 8. ſectione 2. artic. 3.

70. Nomen Dei cognoſcere oportet 1. notitia ſpeculativa. Quæres ſecundo, de qua notitia nominis Dei eſt ſermo; Reſp. cùm dicitur: *& ſperent in te qui noverunt nomen tuum*, hoc poteſt intelligi primò de notitia ſpeculativa excellentiæ nominis Dei, & ipſius Dei (Nam nomen Dei ſæpè pro Deo ipſo ponitur, ut alias annotavi.) Etenim illa cognitio ſpem in Deum cæteraſque virtutes excitat: ſicut contra ignoratio Dei ſpem & virtutes alias tollit. Ut enim ait Boethius 5. de conſolat. proſa 3. Qui Dei non agnoſcunt providentiam, ſed neceſſitati omnia fatoque adſcribunt, auferunt unicum illud inter homines Deumque commercium, ſperandi ac deprecandi. Impii timent lucem & ardorem illius cognitionis, ne ſi illam habeant Deo ſervire cogantur, ideò dicunt Jobi 21. 14. 15. *Recede à nobis* (ne mentibus ultrò inſinua divinum lumen, ſed aliorſum diverte, ut ait Pineda) *& ſcientiam viarum tuarum* præceptorum tuorum) *nolumus. Quis eſt Omnipotens, ut ſerviamus ei: & quid nobis prodeſt, ſi oraverimus illum.*

2. notitia practica. Secundò, cùm dicitur, *& ſperent in te, qui noverunt nomen tuum*, præcipuè hoc intelligendum eſt de notitia practica, id eſt de iis, qui Deum colunt, de iis qui fidem Chriſti ſequuntur eique ſerviunt, de eo enim eſt hic Pſalmus, ut vidimus initio. Debent enim & poſſunt præ cæteris Chriſtiani in eo ſperare, cùm ejus veſtigia ſequuntur, & eum ſemper præ oculis habent, ut Jeſum, id eſt, Salvatorem ſuum, cujus mores ac vitam imitentur, & voluntatem cognoſcere & exequi enitantur. Triſmegiſtus pietatem dicebat eſſe cognitionem & ſcientiam Dei, practicam ſcilicet. Oſeæ 4. (verſ. 6. *Conticuit* Hebraicè נדמו *nidmu*, id eſt, ſucciſi ut Arias vertit, ſucciſus eſt, ut Pagninus, rectè etiam vertit Noſter, conticuit) *populus meus, eò quòd non habuerit ſcientiam. Quia tu ſcientiam* (nempe ſcientiam Dei practicam, id eſt, virtutem: unde Chaldæus vertit, quia tu repuliſti timorem Dei. Arabs verò, quia in ea qui dilexiſti ſeculum, & conſolationem ejus) *repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.* Ubi agit de vero ac divino ſacerdotio, ut rectè colligit noſter Chriſtophorus à Caſtro ex particula *mihi*: non de falſo & idololatrico, ſicut cenſuit Albertus. Abiato autem ſacerdotio à populo perit fides, cultus Dei atque religio. Ne itaque in hæc mala incurramus, Dei ſcientia amanda, quærenda, poſtulanda, & ad praxim redigenda eſt. De illa cognitione practica ſermonem hic loſtitui ſic oſtendit S. Auguſtinus: *Dictum eſt, Dominus nomen eſt illi. Quapropter qui ſi libenter Deo famulum ſubdit, cognovit hoc nomen. Et ſperent in te, qui cognoſcunt nomen tuum. Item Dominus dicit ad Moyſen, Ego ſum qui ſum. Et dices filiis Iſrael. Miſit me qui eſt, Exodi tertio. Sperent ergo in te, qui cognoſcunt nomen tuum: ne ſperent in his rebus, quæ temporis volubilitate prætérfluunt, nihil habentes niſi erit & fuit. Quoniam quod in illis futurum eſt, cùm venerit, fit ſtatim præteritum. Et expectatur cum cupiditate, amittitur cum dolore. In Dei autem natura non erit aliquid, quaſi nondum ſit, aut fuit, quaſi jam non ſit: ſed eſt tantùm id quod eſt, & ipſa eſt æternitas. Qui eum quærunt, jam tranſeuntia & moritura non quærunt.* S. Johannicius ſæpè dicebat, Spes mea *Deus*, refugiũ meum Chriſtus, protectio mea Spiritus S. ut refert Metaphraſtes quarto Novẽbris. Veri pauperes ſpiritu *Deũ* unũ quærunt, quia unũ amant, & vident unũ eſſe neceſſariũ, cætera pro quiſquiliis habent. S. Joannes Climacus grad. 16. *Nuditas*, ait, *rerum omnium curarum eſt depoſitio: ſecuritas vitæ, viator omnibus impedimentis liber; mœroris alienatio, mandatorum fides. Nudus monachus, mundi totius eſt dominus. Deo enim curam ſui credidit, & per fidem omnes poſſidet ſervos.* Qui novit *Deum* & ejus nomen, ſcit hoc nomen *Deus* Deus unde dictus. dici à *dando*, vel à די *dai*, id eſt, abundantia, ſufficientia: itaque ſibi nihil eſſe defuturum, ſi *Deum* quærendo invenerit. Othomannus Imperator Othomanni benignitas & liberalitas. Turcarum per Pruſiam urbem inambulans, dicebat: qui fame aut ſiti premitur, aut veſtibus indiget, aulam petat, ubi omnia abunde accipiet ſibi neceſſaria. Ob eam magnificentiam ita charus fuit ſuis ſubditis, ut etiamnum in coronatione Imperatoris Turcarum ab eorum Pontifice, quem Mophti vocant, dicatur, *Det tibi Deus Othomanni bonitatem.* & Veſpaſiani Imperatoris. Veſpaſianus Imperator Romanorum, cùm eſſet in Ægypto, dicebat: *Haurite à me tanquam ex Nilo.* Quære Chriſtum crucifixum, perforatas habet manus, ex quibus dona & fluenta gratiarum jugiter fluunt, Iſaiæ duodecimo, verſo ſecundo. *Ecce Deus Salvator meus* (Hebraice *ieſuathi*, id eſt, ſalus mea, ut vertit Arias & Pagninus: vel Jeſus meus, ut alii) *fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea* (cauſalis: id eſt, dans robur) *& laus mea* (objectum ac materia laudis) *Dominus* (cui ſervum me eſſe gaudio & profiteor) *& factus eſt mihi in ſalutem, Haurietis aquas* (Sacramenta, ut ait S. Ambroſius in Pſalmum 37. doctrinam evangelicam, ut Procopius in caput 1. Geneſis, gratias omnes, ut alii, & melius) *in gaudio de fontibus Salvatoris* Jeſu ſcilicet in cruce pendentis, de quo agitur in pſalmo noſtro, Quinque fontes ex eo jugiter manant ex ejus vulneribus. Vide S. Bernardum ſermone 1. de nativit. ubi varias aquas inde fluentes recenſet, & ſerm. 66. inter parvos, ubi varios fontes exponit.

Secundò, Cordi jungenda eſt manus. Et quidem primò cum diligentia: ſecundò, cum alacritate. Utrumque nos docet Propheta. 71. Verſ. 11. 3. Para.

Primò enim, de diligentia & ſtudio ſerviendi Deo & ejus voluntati ſequendi, ait: *QUONIAM NON DERELIQUISTI QUÆRENTES TE DOMINE*, Græcè, ut jam monui, habetur ἐκζητοῦντας, id eſt, perquirentes, ſtudioſè & naviter quærentes, Quod Euthymius expendens ait: Non dixi ζητοῦντας,

ζητοῦντες, id eſt, quærentes, ſed *ἐκζητοῦντες*, id eſt, exquirentes, *ut inveſtigationem quandam ex tota anima faciendam eſſe demonſtraret*. Non per ſeipſos ſolum, ſed etiam aliorum ope, ut ait S. Chryſoſtomus: animum avertendo, ut qui ante oculos noſtros eſt, intra nos, & ubique præſens Deus, propter inconſiderantiam, & occupationes in alienis rebus, ne videatur quidem à nobis, ſicut accidit circumcurſando, ut ante oculos poſita non percipiantur.

Quo ſtudio quærendus Deus.

Nota ſecundo, Syr. בעא *bea*, ſignificare primò quærere, requirere, poſtulare, orare, obſecrare. Secundò neceſſarium: Deum tu quære, ut tibi neceſſarium. Quære illum, ut cervus vulneratus dictamnum, ut cervus ſitiens fontes, ut puer matris mammam, ut avarus nummos, ut ambitioſus dignitates, ut delicatus voluptates. In uno Deo hæc omnia, ſed ſolida, certa, ſtabilia, æterna, caſta & ſancta reperies. Lucæ 10. v. 4. *Reſpondens dixit illi Dominus: Martha, Martha* (repetitione indicat dilectionem, ut ait S. Auguſtinus ſermone 26. de verbis Domini, vel excitat attentionem) (*ſollicita es & turbaris*, Græcè. *τυρβάζῃ*, id eſt, tumultuaris *erga plurima*. Arabs, circa res plurimas. *Porrò unum eſt neceſſarium*. (Græcè. *ἑνὸς ἐστι χρεία*, hoc eſt, uno eſt opus. Illud unum 1. eſt unus cibus, quaſi diceret Chriſtus, quid turbaris, ut multa fercula mihi appares, unus mihi & facilè parabilis cibus ſufficit. Ita ſanctus Baſilius in reg. fuſius diſp. & ſanctus Hieronymus epiſtola ad Euſtochium, ac Theophylactus. 2. *unum*. id eſt, unius Dei cognitio, cultus & amor. Ita Euthymius, Beda, Sanctus Auguſtin. ſermone 26. de verbis Domini, ad locum pſalmi noſtri aptiſſimè vertit Syr. Æthiop. Ægypt. Perſicus interpres, *At unum eſt quod requiritur*. Et quidem animos addit Arabs, cum reddit, *Quod autem neceſſarium eſt, facile eſt*. Quid igitur ſudas & angeris in non neceſſariis? Nota tertiò paupertatem & afflictionem eſſe acerrimum ſtimulum, ut ab hominibus & creaturis aliis relicti ad Deum fugiamus, & ad eum cum Moſe curramus in rubo & ſentibus lucentem & ardentem, Deuteron. quarto, v. vigeſimo nono. *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum. ſi tamen tota corde quæſieris, & tota tribulatione* (id eſt, in vera contritione & converſione) *anima tua*. Hebraicè, in tota anima tua, ut vertit Pagninus. Sed anima tribulata ſit oportet. Sponſus vocat Sponſam ſuam, & rogat ut veniat ad ſe de cubilibus leonum, de montibus pardorum, Cant. 4. 8. De monte Calvariæ clamat ſpinis coronatus & cruce extenſus: in cruce, & ab iis qui crucem ferunt, & in ea fixi ſunt, reperitur, non eſt ei locus in diverſorio. Luc. 2. 7. non inter cognatos & notos invenitur, ibid. Verſu 44. non in terra ſuaviter viventium. Job. 28. 13.

Verſ. 12 1. Pars. 72. Quærendus eſt Deus cum alacritate

Secundò quæri ſe vult Deus, & ſibi ſerviri cum alacritate: hilarem datorem diligit. Unde addit Propheta Verſ. 12. *PSALLITE DOMINO QUI HABITAT IN SION, ANNUNCIATE INTER GENTES STUDIA EJUS*. Nota, Pſalm. eſt opus manuale, plectro enim per manum directo chordæ feriuntur, ſicque eſt ſymbolum actionis. 2. ſonus jucundus ex pſalterii pulſatione oritur, ideo pſalmus ſymbolum eſt alacritatis, ſeu actionis cum gaudio ex alacritate factæ.

Pauperes 1. facil. canunt,

Moraliter nota, Pauperes rebus terrenis non gravati. Primò facilè & ſuaviſſimè canunt & pſallunt. Nam ſemper læti ſunt, nihil habent quod timeant. Charmides apud Xenophontem in Convivio rogatus, quanam re ſe potiſſimum efferret, *Paupertate*, ait tum Socrates: *jucundam certè*, inquit, *gratamque ob cauſam*. De Chriſtiana autem paupertate quid dices aut ſenties. Audi S. Chryſoſtomi verba aurea & ſuaviſſima, hom. de avaro. *Paupertas eſt tutum aſylum, portus tranquillus, perpetua ſecuritas, deliciæ periculorū expertes, voluptas ſyncera, vita turbationum neſcia, fluctuum ignara, copia inexpugnabilis, philoſophiæ parens, frenum intemperantiæ, ſupplicii ſublatio, radix modeſtiæ*. Hæc Chryſoſt.

73. 2. Deo canunt.

Secundò Pauperes non ſibi pſallunt, ſe enim abnegarunt & ſua, ſed Deo pſallunt, cui pſalmus eorum gratus eſt. Nudi erant Seraphini Iſaiæ 6. 2. & pro veſtibus alas tantùm habebant: omnia quæ ſibi circumponunt pauperes ſpiritu, alæ ſunt, ut ad Deum, quem unum quærunt, ſurantur, & ei cantent Verſu 3. *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum*. miles non quærit veſtes pretioſas, ſed loricam impenetrabilem: Sanctus à Græcis dicitur hic *ἅγιος*, id eſt, ſine terra, non recipit eos qui ſe involvunt denſo luto, ſic vocat divitias Habacuc 2. 6. mundi ſunt oculi ejus cap. 1. 13. non poſſunt aſpicere lutoſos, & lutum ore, corde, manibus, pedibus toto corpore verſantes. Manus lutea non benè pulſat & reſonare facit pſalterium. Seneca divina ait epiſtola 18. *Nemo alius eſt Deo dignus, quàm qui opes contemnit*. Quid ſi crucifixum nudum, & pro nobis nudatum vidiſſet, ad nudem nudus evola, te Evangelii lectio ſpoliet. Idem Seneca epiſt. 20. multa congerit ad voluntariæ paupertatis laudem, eumque Deo proximum eſſe dicit, qui ſeipſo contentus vivat. Xenophon verò libro 1. memorabil. fact. & dict. Socratis, ſic loquentem inducit Socratem: *Videris Antipho, felicitatem deliciis atque ſumptuoſo apparatu metiri*. [Greek illegible] *Ego verò arbitror, nulla re indigere divinum eſſe, quàm paucißimis verò egere, proximum Dei naturæ: ac divinum quidem quod ſit, præſtantißimū eſſe quod autem divino proximum id etiam à præſtantißimo proximum eſſe*. Itaque verè Salomon ait Prov. 12. 9. *Melior eſt pauper* (Hebr. נקלה *nikle*, id eſt abjectus, ut vertit Chaldæus & Vatablus 2. obſcurus, ut Tigurina. 3. *qui flocci pendat ſe*, ut Pagninus. 4. deſpectus, ut Arias) *& ſufficiens* (Hebraicè. עבד *vebed*, id eſt, ſervus ſibi [ſed ita ut ſibi ſufficiat, ne plura quærat ut alia non egeat, ſed ſibi ſit tonſ vitæ Syr, qui ſibi uſui eſt, & ſervit) *quam glorioſus, & indigens pane*. Semper avarus eget, ut eſt in parœmia. Contra verò, ut ait ſanctus Leo. ſerm. 4. de quadrageſ. *Semper dives eſt Chriſtiana paupertas*. Nam. ut ait Plato apud Clement. Alex. 2. Strom. [Greek illegible] *Non eſt paupertas paucitas pecuniæ, ſed inſatiabilitas: quæ ſi receſſerit, qui bonus eſt, dives ſacrie*.

Tertiò, pauper ſpiritu pſallit Deo, qui habitat in Sion, hoc eſt in cœlo. Ut enim dicitur Matthæi 5. v. 3. *Beati pauperes ſpiritu* (libera voluntate & affectione à Spiritu ſancto inſpirata) *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*, id eſt, beatitudo cœleſtis conveniens enim eſt, ut qui terram contempſerunt, cœlum poſſideant: & qui hic eſſe contemptibiles voluerunt, ibi regnent. Lege Cornelium à Lapide in illum locum. Paupertate emitur regnum: unde S. Auguſtinus ſermone 29. de verbis Apoſtoli, ait: *Felicitas magna Chriſtianorum, quibus datū eſt ut paupertatem faciant pretium regni cœlorum*.

Quartò, pauper ſpiritu pſallit Deo, qui habitat in Sion: id eſt, qui eum contemplatur & continuò aſpicit, & aſpectu illuminat, recreat ac reficit. Sion enim ſignificat ſpeculam ſive ſpeculationem. Et Chriſtus ſibi in aſpectu pauperis, velut ſpeculi ſui, ſibi complacet. S. Gregorius Naz. orat. de amore pauperum. vocat pauperes leproſos *ſpeculum Chriſti*: in iis enim ſe Chriſtus patiens repræſentat, eos aſpiciens, & in illis commorans, ſub ea ſpecie apparuit ſancto Franciſco & aliis. Similis eſt pauper martyribus cum dolore, tormentis, carnifice, tyranno congredientibus & Dei conſpectu recreatis.

tis. Minutius Felix in octavio: *Quàm pulchrum, ait, ſpectaculum Deo, cùm Chriſtianus cum dolore congreditur; cùm adverſum minas, & ſupplicia, & tormenta componitur? cùm ſtrepitum mortis & horrorem carnificis irridens inculcat? cùm libertatem ſuam adverſus Reges & principes erigit? Soli Deo cujus eſt, cedit.* Hæc Minutius.

Verſ. 12 2. Pars. 74. Tertiò, Lingua cordi & manui addenda eſt, ut pauperes perfectè Deo ſe gratos exhibeant, atque ſerviant. Verſu eodem 12 *Annunciate inter Gentes ſtudia ejus.* Hebraicè בעמים *baammim*, id eſt, *in populis*, ut vertit S. Hieronymus, Felix, & Pagn. unde Lorinus putat per gentes etiam accipi Judæos cum aliis nationibus. 2. Tamen cum S. Thoma cēſeo, cum Haymone, & Remig. ſpecialiter hic intelligi Gentiles. q. d. etiam Deo in Sione ob arcam inter Judæos habitanti, & jam inter eos annunciato, laudes dicite inter Gentiles, iiſque myſteria jam revelata Judæis & ſtudia *Dei* prædicate.

Nota, pro *ſtudia* Hebr. eſt עלילות *aliloth*, id eſt 1. actiones: unde Petavius vertit ἔργα, *opera*, ut etiam reddit Pagn. Felix, Vatabl. Cajetan. 2. *aliloth* non ſunt quælibet actiones, ſed cum conſilio, & meditatione & conatu factæ. Nam עלל *alal* ſignificat agere, moliri, conari, meditari ideo S. Hier. vertit, cogitationes. Campenſis, conſilia. Noſter, ſtudia: id eſt, actiones cum ſtudio & affectione factas: quidam apud S. Chryſoſt. μηχανήματα, hoc eſt, molitiones, machinationes. Magnetius eleganter exprimit, cùm canit:

Arcanaſque artes & inextricabile mentis.
Conſilium ignotis alacres evolvite regnis.

3. quia quæ cum conſilio, ſtudio, meditatione & contentione fiunt, præclara ſunt, ideo Pſalt. Rom. & Arab. & S. Auguſt. habent, *mirabilia*.

75. Studia Chriſti quæ. Quæres, Quænam ſunt illa Dei ſtudia? Voce *ſtudiorum* Propheta ſignificat non ſolas voluntates, ut voluit Remigius: non ſolam ſollicitudinem curamque ut S. Thomas: non tantùm affectiones charitatis in redimendo ac præmiando, adhibendo ad id magnum ſtudium ac potentiſſimam rationem, ut Bruno: non mandata Dei quibus ſtudendum ſit nobis, ut Ludolphus: non legem Evangelicam, & triomphos Martyrum, ut Valentia: non virtuoſa opera & beneficia Dei ut Dionyſius: non diſpenſationes, ut aliqui apud Titelmanum, & Genebrardus declarant: ſed iſta omnia, & opera mirabilis ac ſolertis providentiæ divinæ, in liberandis ſuis de varia tribolatione, ut & ipſi veram religionem amplectantur tanta bonitate allecti, tantæ potentiæ cognitione convicti. Eandem vim habent, ut Septuaginta vertunt, ἐπιτηδεύματα, ſignificat enim illa vox, quæcumque ſtudiosè ſectamur, inſtituta, mores, conſilia, quæ profitentur dedito ſtudio & opera. Sed etiam Cicero libro tertio de Inventione, *Studium* definit, animi aſſiduam & vehementem ad aliquam rem applicatam magna cum voluptate occupationem. Delectatus videtur Jeremias nomine ſimili Hebræo *maalal*, quod perpetuò interpres per *ſtudium* vertit, & Septuaginta per ἐπιτηδεύματα, nempe capite 7. verſ. 3. capite 11. v. 18. & 18. 11. & 21. 12. aliiſque, ita Lorinus. Malim per hæc *Dei* ſtudia præſertim hic intelligi totam humanæ Redemptionis œconomiam, & poſt Aſcenſionem ſpecialem providentiam ad conſervandos, juvandos & animandos pauperes Apoſtolos, ut toto orbe diſcurrentes fidem in Chriſtum Gentilibus prædicarent & perſuaderent.

Notat Theodoretus pro ἐπιτηδεύματα id eſt, *ſtudia* Symmachum vertiſſe μηχανὰς id eſt, *artes*, (ſic etiam vertit Arab) Aquilam verò, ἐναλλαγὰς, id eſt, *commutationes*. Ac deinde piè & ingenioſè oſtendit à Chriſto per crucem factas eſſe in toto orbe mirabiles mutationes. *Qui, ait, quondam inimici erant, amici ſunt: qui longinqui, propinqui: qui ſervi, filii: qui in ignorantia erant, in cognitione ſunt: qui in tenebris, in luce; in ſpe vitæ, qui mortui erant pauperes, hæredes regni cælorum: Judæi procul, & gentes prope; filii* ... *Et hæ Salvatoris artes decoræ. Immortalitas per mortalitatem donata eſt, & per mortem vita, per dedecus decus; benedictionem per maledictionem*, διὰ σταυροῦ σωτηρία, *per crucem ſalus. Hæ ſunt artes, hæc ſunt Dei noſtri ſtudia.* Hæc Theodoretus.

Concludamus, Deum ob hæc omnia eſſe laudandum, & cum Propheta omnibus dicamus: *Annunciate* (Syrus חוו *hauue*, ſignificat indicare, annunciare, oſtendere, demonſtrare, quaſi diceret, ita annunciate, ut oſtendatis & demonſtretis, atque ipſæ videant) *inter gentes ſtudia ejus.* Syrus, artes ejus. Inſtituit Jeſus moriens univerſitatem miſericordiæ, in qua omnes artes doceantur hominibus hactenus incognitæ & ab eo ſolo adinventæ: unde ab Iſaia vocantur adinventiones ejus capite duodecimo, verſu quarto. *Confitemini Domino, invocate nomen ejus* (nomen Jeſu) *notas facite adinventiones ejus* Hebraicè ſicut hic, eſt, *aliloth*, id eſt, opera, ut vertit Pagn. ſtudia, ut Arias: variè poſſis vertere, ut ſupra vides) *memento te quoniam excelſum eſt nomen ejus*, ſupra crucem ſcriptum, & ab Angelis in cœlo adoratum. Adinventiones ejus, ut explicat Cornelius, ſunt conſilia, cogitationes, viæ & multimoda ejus in redemptione generis humani. Sept. vertunt *glorioſa ejus*, ſcilicet opera ejus miraculoſa, & maximè à nobis glorificanda.

ARTICULUS III.

Oppreſſores pauperum punit Deus.

Vidimus articulo primò pauperes à Deo juvari. Articulo ſecundo pauperes Deo gratos debere eſſe, eique ſervire. Nunc videndum eſt, quomodo ſe gerat Deus erga eos, qui pauperibus ſunt injurii. Verſ. 13.

Illos Deus in homicidarum loco reponit, ut David declarat Verſu 13. *QUONIAM REQUIRENS SANGUINEM EORUM* (Chald. ſanguinem mundorum & juſtorum) *RECORDATUS EST, NON EST OBLITUS CLAMOREM PAUPERUM*, Hebr. in textu eſt עניים *anijim*: id eſt, pauperum, ut Noſter & S. Hieron. & Pagn. vertunt. 2. afflictorum, ut Arias. 3. humilium ut Felix. In margine autem eſt ענוים *anauim*, & ſic legendum eſſe denotat circulus oppoſitus ſupra *Ta anijim*, in textu. Nam circulus ille oſtendit eſſe aliam diverſam lectionem. Hæc autem lectio ut plurimum ad marginem ſcribitur ſuppoſita litera ק id eſt, קרי *Keri*, *lectio*: ſic enim vox illa in margine vocatur. Quæ autem in ipſo textu eſt cum hoc circulo n dicitur כתיב *chetib*, id eſt, *ſcriptio*, quod nempe, licet ita ſcripta ſit ea vox, non eſt tamen ita legenda, ſed ſicut eſt in margine. *Anauim* porrò ſignificat primò pauperes; ſecundò, mites, manſuetos, modeſtos. Tertiò pauperes modeſtos, manſuetos & humiles: tales enim eſſe eos decet, & Deus clamorem eorum qui tales ſunt exaudit, & ad eos juvandos ſtatim accurrit. 76. Pauperum oppreſſores ſunt homicidæ.

Quæres, de quo clamore pauperum hic eſt ſermo? Reſpondeo primò, clamorem poſſe intelligi ferventem orationem, preces in afflictione effuſas. Unde Caſſiodorus legit, *orationem*. Vel unicam Deus audit: longè magis ſi plures fundant. Pſalterium Romanum habet, *orationem inopum*, Græca Sixtiana, δεήσεως id eſt, indigentiæ & egeſtatis, ut 77. Clamor pauperum qui?

uſu-

uſurpat Antiph. ſecundò, & melius hic, *ἐνδείας*, id eſt, orationis in egeſtate & indigentia effuſæ. Hanc enim exaudit Deus, & ad opem ferendam accurrit. Sic poſtea dicit in Pſalmo noſtro ℣. 39. *Deſiderium pauperum* (ut ait S. Bernardus ſerm 9. in Cant. Non exſpectat Deus verba, ſed ſolis cogitationibus advocatur) *exaudivit Dominus. Præparationem cordis eorum audivit auris tua*: cùm ſe præparant ad preces, antequam illas ore proferant, jam poſtulatis annuit. Pro præparationem Symmachus vertit propoſitum: Caſſiodorus: concupiſcentiam. Pſalterium Romanum, deſideria.

2. Secundò, clamor pauperum intelligi poſſunt eorum maledicta & imprecationes cum ira & vociferatione conjectæ in crudeles avaros & illiberales. Hæc enim maledicta ſæpè Deus immittit in divites tenaces ac duros. Eccli. 5. 4. *Rogationem contribulati* [Tigurina, afflicti. Syrus, pauperis] *ne abjicias* (gemma eſt pretioſa tibi oblata) *& non avertas faciem tuam ab egeno. Ab inope ne avertas faciem tuam propter iram* (Dei & pauperis. Secundò, propter iram, id eſt, per iram, nempe tuam) *& non relinquas* (cauſam juſtam) *quærentibus tibi* [à te eleëmoſynam petentibus] *retro maledicere. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ ſuæ* (Arabs, præ iracundia enim maledicit de extremis cordis ſui) *exaudietur deprecatio illius* (*Tò illius* redundat per pleonaſmum Hebraicum) *exaudiet autem eum qui fecit illum*, quaſi diceret, tenetur quodammodo eum audire ut pater filium, ut creator creaturam: ejus eſt enim qui creavit, providere, ut qui eſt creatus habeat neceſſaria ad victum, veſtitum & alia. Lege cætera. Neque fidas tuis divitiis, dignitati, poteſtati. Nam ut habetur ibidem cap. 35 ℣. 16. *Non accipiet Dominus* (ſupremus & ab omnibus independens) *perſonam* (divitis & potentis) *in pauperem & deprecationem læſi* (*ἀδικουμένου*, id eſt, injuria affecti) *exaudiet*. Syrus vertit. Non eſt coram eo acceptio perſonarum, Ingredietur coram eo oratio pauperis, & deprecationem merentium, eorum qui merentur exaudiri, audit. Illuſtre eſt exemplum quod refert Hadrianus Junius in Batavia capite 20. Meyerus in Annal. Flandriæ, Gaufredus Villarienſis monachus epiſtola ad S. Idam: nempe Margaretam Comitiſſam Hollandiæ, cùm pauperculam fœminam gemellos enixam & lactentem, à ſe petentem eleëmoſynam rejeciſſet & adulteram vocaviſſet, ab ea maledictam peperiſſe 364. infantes vivos, qui baptizati ſunt ab Epiſcopo Guidone, & ſtatim cum matre mortui tam mares quàm feminæ. Oraverat illa paupercula his verbis. *Si caſta ſum, non adultera, ſicut ſum, precor ut tot pariet filios, quot ſunt dies in anno.* Aliud exemplum refert Sigibert. in Chron. anno 605. & Baronius de nautis quibuſdam, qui cùm pauperi eleëmoſynam poſtulanti fatuè dixiſſent ſe in navi nihil niſi lapides habere, reſpondens ille imprecando ſubjecit: Verum eſto, quod dicitis. Vix ea protulerat, cùm omnia prorſus in lapides verſa ſunt, colore tamen priſtino & forma eadem in ſingulis remanente. Mitto Deo ultore, avaro cuidam, & crudeli in pauperes quinque millia modiorum tritici in horreo germinaſſe, & inutilia eſſe reddita, ut ait Sophronius capite 85. à dæmonibus abſumpta alteri avaro frumenta in horreo, ob quam jacturam inciderit in amentiam, ut narrat Martin. Delrio tom 2. à muribus alium avarum pauperibus injurium, fuiſſe occiſum devoratum ut ait Genebrard. in Chron.

Irriſores pauperum graviter puniti.

Avarorum bona perdita.

3. Et optimè. Tertiò, clamor pauperum intelligi poteſt, & meliùs, gemitus eorum partim internus, partim externus, & querimoniæ vi doloris expreſſæ. 2. Ipſa afflictio & calamitas: ipſis enim etiam ſilentibus clamat & cœlos penetrat, piique patentis viſcera concutit. Sic Geneſ. 4. ℣. 10. dicitur à Deo ipſo: *Vox ſanguinis* (Chaldæus, ſanguinum. Hebræi enim ad emphaſim vocant homicidium effuſionem ſanguinum, id eſt, ſanguinis) *fratris tui clamat ad me de terra*, ut ſcilicet vindictam ſumam: terram illam in qua eſt Abel occiſus juxta Hebron, ubi etiam creatus eſt ac vixit Adam, dictam inde fuiſſe Damaſcum, quaſi diceres: ſanguinis ſaccum, volunt Borchardus & Adrichomius, & Abulenſis. Inſtar enim ſacci impleta eſt Abelis ſanguine, Ita ſanguis pauperum & miſeria ad Deum clamat judicem & vindicem, ut puniat injuſtè affligentes.

78. Quæres 2. De quo ſanguine pauperum eſt ſermo, cùm dicitur: *Requirens ſanguinem eorum recordatus eſt*? Reſpondeo primò, & maximè litteraliter, ſanguinem ibi in propria ſignificatione ſumi. Agit enim Propheta præcipuè de pauperibus Apoſtolis & Apoſtolicis viris, qui Chriſti legem promulgantes multas plagas percipiunt, & ſæpè occiduntur. Locum Pſalmi 43. verſu 23. attribuit ſibi & aliis Apoſtolis Paulus. *Propter te mortificamur* (S. Cypr. legit, occidimur) *tota die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.* Tertull. jugulatinnis, q. d. ſicut oves neci deſtinatæ & in lanienа jugulandæ & excoriandæ. Deus verò recordatur eorum. Primò vires, patientiam, alacritatem ſuppeditando, & victoriam illuſtrem de tormentis & tyrannis. Unde addit ℣. 37. *Sed in his omnibus ſuperamus* (Græcè, *ὑπερνικῶμεν*, id eſt, ſupervincimus, illuſtrem ſcilicet victoriam obtinemus. 2. *ſupervincimus*, hoc eſt, ita victores ſumus de iis quæ toleramus, ut poſſimus adhuc majora tolerare, ut poſſimus adhuc manentes, hoſtes alios depoſcamus cum quibus pugilatu & pancratio, id eſt, omni genere certaminis dimicemus) *propter eum* [Græc. & Syrus habent, *per eum*: per ejus gratiam] *qui dilexit nos*: & dilectionem oſtendit nos in arenam compellendo, ut poſt pugnam coronemur, & ei ſimiles evadamus. Secundò, recordatur pauperum afflictorum & ſanguinis eorum, puniendo eorum carnifices & hoſtes, ut patuit in Nerone, Diocletiano, Maximiano, Maximino, Juliano Apoſtata, & aliis, qui omnes miſerrimè perierunt.

Sanguis pauperum & vita ab impiis quæritur.

75. Secundò, ſanguis pauperum poteſt ſumi pro eorum ſubſtantia, & pecuniola qua ſe ſuoſque ſuſtentant. Metonymicè enim id quod ſuſtentat vitam appellatur vita: deinde ſanguis pro vita ponitur, in eo enim maximè conſiſtit, & eo fuſo ſtatim deperit. Hinc monet Eccleſiaſticus capite 34. ℣. 24 *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat* (Græca tollunt *quaſi* & abſolutè habent, *θύει*, id eſt, mactat, victimat, ſacrificat) *filium in conſpectu patris ſui*, id eſt, Chriſtum coram patre ejus, ut explicat noſter Salazar in Prov. 21. 27. q. d. admittit Chriſticidium: nam Chriſtus eſt & vivit in paupere, & pauper Chriſtum repræſentat, & tibi velut alter Chriſtus proponitur: ideo quod illi fit, ipſe ſibi fieri dicit Matthæi 25. 40. Secundò, & ſimplicius, *quaſi qui victimat filium in conſpectu patris*, id eſt, ipſum pauperem, qui eſt filius Dei, ab eo ſpecialiter adoptatus. Nam ut ait David Pſal. 9. 35. *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.* Et Pſal. 67. 6. vocatur *pater orphanorum.* Itaque Cornelius in hac victima de ſubſtantia pauperum oblata notat quinque crimina. 1. rapinæ. 2. homicidii, quia eripiens bona pauperi, vitam eripit. 3. parricidii, quia occidit in oculis patris filium in quo vivit. 4 deicidii, quia pauper eſt filius Dei, & conſequenter in ejus nece Deus tangitur atque violatur. 5. Sacrilegii,

2. Sanguis pauperum eſt pecunia eorum.

legii, quòd de injuſtitia holocauſtum offerat. Ratti additur ℣. 25. *Panis egentium, vita pauperum eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt.* Tigurina vertit, vir ſanguinarius eſt. Idem dicitur ℣. 26. & 27. *Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum. Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario* (Græcè, qui fraudat mercedem mercenarii) *fratres ſunt*, hoc eſt, ſimiles ac penè pares in ſcelere, ut explicant Rabanus & Lyranus, Syrus vertit: *Qui effundit ſanguinem innocentem, Deum orbat ſuo filio atque herede* (talis eſt vir juſtus, imò homo eſt hæreditas & peculium Dei ut ait Sapiens) Qui fraudat mercedem mercenarii, fraudat creatorem ſuum, & ipſe recepit retributionem malam.

80. *Tributa nimia ſanguine pauperum exhaurient. Sanguis è pecunia profluens.*

Quod pauperum ſubſtantia & pecunia ſit eorum ſanguis, Deus oſtendere voluit Ferdinando regi Neapolitano. Cùm enim S. Franciſc. de Paula illum moneret, ut novum tributum tolleret; pecuniam injuſtè extortam eſſe *ſanguinem ſubditorum*, qui divinam vindictam accelerent, nec vanos metus injicere videretur, numum aliquem ad ſe afferri curavit, quem cùm fregiſſet, ſanguis inde profluxit: eo miraculo sea attonitus in exigendis tributis moderatior extitit. Ludovicus d'Artichy hiſt. minim. folio octuageſimo ſeptimo. Temerarios & impudens fuit miles ille, qui Manueli Imperatori inſultavit ob nimias exactiones. Cùm enim ad Myrocephalam luctuoſa cruentaque clade exercitum propè omnem amiſiſſet, & labore æſtuque fractus aquam peteret, vix primis admotam labiis abjecit, quod ſanguine tinctam ſenſiſſet, altaque ducens ſuſpiria, ait: *Infeliciter Chriſtianorum ſanguinem guſtavi*, tum verò miles quidam importunus ac temerarius ſubjecit. *Non nunc primùm, ſed & olim ſæpè, & ad ebrietatem uſque, Chriſtianorum ſanguinem hauſiſti, dum pauperes ſubditos exactionibus vexas & deglubis?* Vocem preſſit Imperator, & majoris acerbitatis clade perculſus, ad verba illa mentem non advertit. Ita Nicetas Choniata libro ſexto. Sed quid reſpondebunt populi ſanguiſugæ, cùm in die judicii circa ſe poſitam videbunt multitudinem innumeram pauperum quos exhauſerunt, & à quibus ſanguinem ſuxerunt? quid verò dicent, cùm eos videbunt ſuos eſſe judices. S. Ambroſius libro primo offic. cap. undecimo pauperes vocat *communes judices*: eoſque conciliandos monet, ut ſint culparum interceſſores atque advocati. Vide Pſalmo quadrageſimo primo. Sed quale ſupplicium non ſuſtinebunt feræ illæ belluæ, quæ Joſephum vendiderunt, & tunicam ejus ſanguine tinxerunt? S. Aſterius homilia de divite & Lazaro: *Is quem alterius inopia atq; ægritudo commiſeratione non tangit, fera ſanè eſt rationis expers, perperam humanam induens formam, ipſamque naturam prava voluntate fallens, ac denique feris ipſis atque belluis immanior.*

81. Sanguine pauperum requirit Deus.

Quæres 3. Quomodo requirit Deus ſanguinem pauperum? Reſpondeo primò, *requirit*, ſanguinem, id eſt, inquirit modum quo effuſus eſt ſanguis, & omnes videt circumſtantias aggravantes tum ex parte occidentis vel expilantis, cùm verbi gratia eſſet dives, neque eſſet læſus ulla injuria, neque præcipiti ira abriperetur, ſed ex malitia deliberata in omnes involaret: tum ex parte occiſi aut depauperati, qui verbi gratia, erat placidis moribus, plures habebat liberos & uxorem qui ejus labore ſuſtentabantur, & eo dejecto in maximas anguſtias inciderunt. Secundò, *requirit ſanguinem* Deus: id eſt, punit ob fuſum ſanguinem, vel ob mortem etiam ſine ſanguinis effuſione illatam, aut ob gravem & atrocem injuriam, aut damnum cauſatum. Eſt enim Metalepſis, in qua ponitur antecedens pro conſequente: requirere ſcilicet, pro punire. Alludit autem ad morem Judæorum, quo interfecti conſanguineus occiſorem perſequebatur fugientem, ut de illo vindictam ſumeret. Hic vocatur ultor ſanguinis, Numerorum 35. verſu 27. licebat porrò cognatis occiſi interficere homicidam quocunque in loco extra urbes refugii. In urbibus autem refugii non licebat eum interficere ante ſententiam judicum, qui homicidam innocentem & involuntarium prorſus tutari debebant; nocentem verò & voluntarium tradebant cognatis & propinquis occiſi, ut ab illis jugularetur, ad ſatiandam eorum iram & offenſam. Numer. 35. ℣. 19. dicitur: *Propinquus occiſi, homicidam interficiet* (id eſt, interficere poterit, non eſt enim conſilium, ſed promiſſio) *ſtatim ut apprehenderit eum, interficiet.* Quàm ſeverè Deus requirat, id eſt, puniat, ob fuſum ſanguinem humanum, patet ℣. 31. *Non accipietis pretium* (pecuniam, qua vitam ſuam redimat) *ab eo, qui reus eſt ſanguinis* (i.e. homicidii: eſt metonymia) *ſtatim & ipſe morietur. Exules & profugi ante mortem pontificis nullo modo in urbes ſuas reverti poterunt* (etiam innocentes homicidæ ſi egreſſi fuiſſent ex urbe refugii ſeu aſyli, occidi impunè poterant à propinquis & cognatis occiſi) *Ne polluatis terram habitationis veſtræ, quæ inſontium cruore maculatur, nec aliter expiari poteſt, niſi per ejus ſanguinem; qui alterius ſanguinem fuderit. Atque ita emundabitur veſtra poſſeſſio, me commorante vobiſcum. Ego enim ſum Dominus qui habito inter filios Iſrael.*

Ultor ſanguinis erat conſanguineus in Judæa

SECTIO QUARTA.

Duo docet. Primò, A Deo liberandos eſſe pios à periculo cadendi in inferos, & felicitate æterna beandos. Verſ. 14. Secundò, ſceleratos vitæ hujus variis moleſtiis & cladibus exercitos, tandem dejiciendos eſſe in infernum. Verſ. 16.

PARAPHRASIS.

14. *Miſerere mei Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis.*

14. In promulgatione Evangelii tui deſudantis miſeratio te tangat ab hoſtibus legi tuæ meæque ſaluti infeſtis proſtratum aſpice & juva.

15. *Qui exaltas me de portis mortis: ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.*

15. Qui me ex variis, ac præſertim æternæ mortis periculis eripis: ut dum vivam, laudes tuas prædicem in medio Eccleſiæ tuæ, & cùm è vivis exceſſero, me choris cœleſtibus adjungam, laudes tuas tota æternitate cantaturis.

16. *Exultabo in ſalutari tuo: infixæ ſunt gentes in interitu, quem fecerunt. In laqueo iſto quem*

16. Ibi ſolutus tot vitæ hujus periculis, in te uno Jeſu meo ob conceſſam ſalutem exiliam, & gaudium æternum poſſidebo. Hoſtes mei in eam foſ-

ſam

abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum.

17. *Cognoſcetur Dominus judicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.*

18. *Convertantur peccatores in infernum; omnes gentes quæ obliviſcuntur Deum.*

19. *Quoniam non finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.*

20. *Exurge Domine, non confortetur homo: judicentur Gentes in conſpectu tuo.*

21. *Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos: ut ſciant gentes, quoniam homines ſunt.*

ſam inciderunt, quam mihi aperuerant; Et in occultas pedicas, quas mihi præparaverant, ita ſeſe induerunt, ut pedem inde avellere non poſſint.

17. Ex hac ſapienti ſeveráque impiorum punitione, Dei ſapientia, potentia, & juſtitia innoteſcet: cum iis ipſis quæ plexuerant, tetenderantque retibus, ſcelerati teneantur.

18. A ſuis deliciis & honoribus, abſtracti peccatores in inferos convertentur, & in eos contrudentur: quacunque ex natione ſint, ſi Dei fidem rejiciant, aut receptam ſceleribus polluant, ac Deum pro nihilo ducant.

19. Non enim ſemper patietur Deus affligi Juſtos, & impiorum hoſtes exultare: ſed patientia ſanctorum, licet pauperum, præmia æterna ſibi debita percipiet dejectis ſceleratis.

20. Sed quid tamdiu poſtularis? aſſurge in tribunal tuum, & dextera vindice nefariorum vires infringe, ne in te inſolquit robur obtineant. A te juſto Judice ſcelerumque exploratore impii illi condemnantur.

21. Oſtende Domine, te legis Evangelicæ authorem eſſe, teque tanquam ſupremum Regem a te ſancita præcepte curaviſſe illis promulgari, & te Judicem totius orbis iis exhibe, ut intelligant omnes ſe viles atque abjectos eſſe homulos, qui inſulsè Deo bellum ejuſque legi indixerint.

QUÆSTIO UNICA.

Quàm ſecura Deo tutante virtus, & infelix Deo contraria ſceleratorum calliditas?

PRopheta prius explicavit Chriſti victoriam in cruce, Evangelii per Apoſtolos promulgationem, judicii etiam in hac vita ſeveritatem erga impios, æqualitatem & facilitatem erga juſtos. Nunc in hac ſectione quarta aperit, quid in fine vitæ accidat piis & impiis.

82. Totum ſe Deus expendit in uſus Juſtorū. Ac primo, Deum totum in uſus piorum intentum deſcribit, qui primo miſericordiam corde exhibeat, verſ. 14. *Miſerere mei Domine.* Miſericordia eſt veluti cordis miſeria: qui eſt miſericors, alienam miſeriam ponit in ſuo corde. Secundo, oculis, aſpiciat eorum afflictionem, ibid. *Vide humilitatem*, id eſt humiliationem, *meam.* Tertio, Manu erigat labantes, atque ab æterna ruina impediat, verſ. 15. *Qui exaltas me portis mortis.* Quartò, Pedibus proſequatur euntes, donec videant Deum Deorum in Sion, verſ. ibid. *Ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* Quinto denique, Aures ſuavi eorū æternæque melodiæ intendat, verſ. 16. *Exultabo in ſalutari tuo.*

Secundo, Impios in omnimodum exitium ruentes depingit. Nam primo, Corpore toto in foveam à ſe paratam lapſos proponit, verſ. eod. 16. *Infixæ ſunt gentes in interitu quem fecerunt.* Secundo, pedibus in laqueum à ſe occultatum innexos, ibid. *In laqueo iſto quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorū.* Tertio, lingua omnibus inclamantes, Deo ſe juſto vindice puniente ſcelera ſua, hoc perpeti, verſ. 17. *Cognoſcetur Dominus judicia faciens.* Quarto, manibus vinctos, ne evadant, ibid. *In operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.* Quintò denique, hujus illius captivitatis impiorum eſt æternus carcer, verſ. 18. *Convertantur peccatores in infernum: omnes gentes quæ obliviſcuntur Deum.*

Tertio, Cauſas & effectus punitionis impiorum declerat, quia primo mente recordabitur Deus juſtorum, verſ. 19. *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis.* Secundo, Manu præmia illis dabit rependere, ibid. *Patientia pauperum non peribit in finem.* Tertio, pedibus, in eorū auxiliū aſſurgere, verſ. 20. *Exurge Domine, non confortetur homo.* Quarto, Lingua, ſceleratos ipſorum hoſtes condemnabit, ibid. *Judicentur gentes in conſpectu tuo.* Quinto, denique, hujus litigationis erit in die judicii extremi, ubi impii à Chriſto judice conterentur, verſ. 21. *Conſtitue legiſlatorem ſuper eos, ut ſciant gentes, quoniam homines ſunt.*

Nota, Quod nunc optantis, mox imperantis mox indicantis modo utitur Propheta, in pſalmis frequens eſt, neque ſenſum immutat, ſed elegantiam affert & motum cantico. Deinde apud Hebræos eſt frequens enallage modorum, quæ apud eos non variantur niſi certis adhibitis particulis.

ARTICULUS I.

E Portis mortis ad vitæ portas juſti perveniunt.

Verſ. 14. I. Pars. 83. PAuperem Evangelicum ad cælos tendentem adhoſque ducentem multæ calamitates impetunt,

ideò ſuis viribus diffidens, ad Deum clamat, Verſ. 14. MISERERE MEI (יהוה jehova) DOMINE. Sept. κύριε, id eſt, *Domine*: ſic enim ſemper reddunt vocem *jehova*, ſicut Judæi pro ea legunt *adonai*, hoc eſt *Domine*. Nomen enim tetragrammaton erat ineffabile, ut dixi Pſ. 8. ſic etiam Romani teſte Plinio lib. 3. cap. 5. & lib. 28. cap. 2. Solino cap. 2. Plutarch. quæſt. Rom. q. 61. nolebant Dei ſui tutelaris nomen ſciri, & quoddam etiam aliud magis arcanum civitatis ſuæ. Petavius vertit ἄναξ, id eſt, *Rex*, Marg. *parens*: ſenſum, non vim voci, attendentes. Nota, Vox Syr. & Arabica רחם *reham*, quæ hic ponitur, ſignificat amare, diligere, & quidem propriè amare magno affectu, ex intimis animi viſceribus. 2. Miſereri, miſericordia commoveri. 3 Clementem eſſe, parcere, clementiâ uti 4. Gratioſum eſſe. Hæc omnia in hoc loco quadrare poſſunt. Miſeretur Deus, ut patet: id eſt ex ſummo amore & cordis penetralibus. Vox verò Hebraica חנן *hanan*, ſignificat miſereri. 2. Parcere, in gratiam recipere. 3. Largiri, donare, beneficum eſſe. 4. Gratioſum eſſe. 5. Rem gratam facere. 6. Gratis dare. Ut advertas primò miſericordiam Dei eſſe merè gratuitam: non enim poteſt peccator mereri de condigno ſuam juſtificationem: ſecundò, miſericordiam illam non eſſe inanem & ſine fructu, ſed per eam peccata remitti, dona conferri, & Deum nobis amicum fieri. Domini eſt gratis miſereri: potentis & benigni Domini eſt miſereri, & dona elargiri ſervo in gratiam recepto, quod facit Deus in juſtificatione: nunquam enim remittit peccata per ſolam condonationem extrinſecam, ſed per gratiæ novæ infuſionem, qua homo fit amicus Dei, filius, & hæres. Pauper Evangelicus dicit, *Miſerere mei Domine*, primò ut purgetur à peccatis. Ut enim ait S. Joannes 1. epiſt. 1. 6. *Si dixerimus* (licèt ſimus Apoſtoli) *quoniam* (quòd) *peccatum non habemus* (non facimus aliquando ſaltem leve ac veniale) *ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* De peccatis venialibus explicat Conciliū Milevitanum can. 6. Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 23. S. Auguſt. de perfect. juſtitiæ, cap. 21. S. Hieron. dialog. 3. contra Pelag. & alii. Secundo, dicit *miſerere mei*, ob afflictiones corporales, tormenta à tyrannis inflicta, paupertatem, morbos, fatigationem, & cætera, & hic ſecundus ſenſus eſt melior. Non deeſt Dei miſericordia. Aquila legit, *Miſertus eſt mei Dominus*. Miſericordie Dereſt Gratuita.

Verſ. 14. II Pers. 84. Unde ſubditur verſ. eod. 14. VIDE (Aquila legit, vidit) HUMILITATEM MEAM, id eſt, virtutem humilitatis quam habeo, me ſervum, te Dominum agnoſcens, & tui unius non meam gloriam quærens. Ita S. Gregor. epiſt. 24. lib. 2. S. Thomas, Remigius, & Richardus Pampolitanus. Secundo, & melius, *vide humiliationem*, id eſt humiliationem meam. S. Hieron. afflictionem meam. Arabs contemptum. Syr. ſervitutem) DE (מן *min*, id eſt ab, ut vertit Pagn. & Arias, *ex*, ut S. Hieron. & Felix) INIMICIS MEIS, hoc eſt, quæ orta eſt ab iis qui me oderunt. Vox Hebr. עני *oni*, propriè ſignificat afflictionem, oppreſſionem, dejectionem, humiliationem, & Mercerus rectè negat ſumi pro virtute humilitatis. Græca vox ταπείνωσις, & de abjectione, depreſſione, dejectione atque humiliatione dicitur, & de ipſa virtute humilitatis: ſicut etiam latina dicto humilitas, quam Cicero Tuſcul. 5. opponit altitudini, & lib. 1. Offic. ſumit pro obſcuritate. Patres Græci & Latini volunt hic Prophetam loqui de afflictione ac depreſſione.

I.a S Chryſ. S. Aug. Didymus, Theodoretus, Caſſiod. S. Thomas, & alii. Vox Syriaca שעבודא ſanbodo, ſignificat ſubjectionem, ſervitutem, à rad. שעבד ſaabed, ſubjicere, ſervire facere. Vox denique Arabica דלה dolle, ſignificat dedecus, ignominiam, vilitatem, contemptum, humilitatē, abjectionem, ærumnam. Hæc omnia paſſi ſunt Evangelici præcones. Vide quid de ſe dicat Paulus 1. Cor. 4.

Verſ. 14. 1. Pars. 81. Rationem deſumit David à potentia Dei, ut eum flectat ad opem ferendam, vel ab ejus bonitate & amore, Verſ. 15. QUI EXALTAS ME (id eſt exaltare potes, & nullus alius: vel qui jam exaltaſti & nunc exaltas, ut ſentio per auxilium mihi datum & robur animo meo indutum) DE PORTIS MORTIS (id eſt mortiferis) UT ANNUNTIEM OMNES LAUDATIONES (Pſalt. Rom. & Ambroſ. S. Hier. S. Aug. laudes. Eſt metonymia, ponitur enim actus pro objecto: nempe laudatio pro re laudanda) TUAS IN PORTIS FILIÆ SION.

Portæ mortis ſunt. 1. Iniqui judices. 2. Perſecutores. 3. Mortis pericula. Quæres primo, Quænam ſunt portæ mortis? Reſp. 1. Remigius cenſet portas mortis eſſe iniquos judices. Sic erit metonymia, cùm portæ, in quibus ſedebant judices & jus reddebant, pro ipſis judicibus ſumantur. Cur autem in portis urbium redderentur judicia, dixi aliàs. Secundo, S. Cyrill. Alex. & Caſſiod. portas mortis ajunt eſſe perſecutores & hoſtes, vel corporis, vel animæ. Tertiò, & melius, Mariana & Emmanuel, portas mortis ajunt eſſe ſumma pericula & morti vicina. Ab iis exaltat Deus, cùm à periculo liberat. Quartò, ſimplicius ac verius, portæ mortis dicuntur ipſa mors, ſeu ipſe tranſitus hominis 4. Ipſa mors. per mortem, quæ eſt veluti porta qua tranſitur ab hac vita ad aliam. Ab ea porta exaltat Deus, cum efficit ut generoſè & fortiter cum victoria, alacritate & perſeverantia finali tranſeatur. Sic ſenſus plenus eſt: *Qui exaltas me de portis mortis, ut* (poſt mortem ſcilicet) *annuntiem laudationes tuas in portis filiæ Sion*, id eſt, cæli ut infrà videbitur.

86. Tropol. Portæ mortis ſunt peccata. Tropol. Portæ mortis ſunt animæ interius, atque peccata, quæ nos ad mortem animæ adigunt, cæteraque pericula, & occaſiones, & prava doctrina. Ita Lorinus, qui hunc ſenſum putat eſſe literalem, ſicut etiam Bellarm. ſed eſt moralis. *Mors eſt jam*, ait S. Auguſt. *ipſo lætitio in perfruendo, cùm quiſque acquiſcitur, quod per malam concupivit. Radix eſt enim omnium malorum cupiditas*, 1. Timoth. 6. 10. *& propterea porta mortis eſt, quia mortua eſt vidua quæ in delictis vivit. Ad quas delicias per cupiditates tanquam per portas mortis pervenitur.* Exaltat autem Deus de portis mortis ſuos alumnos, id eſt, ut ait Bellarm. ſolet eos longè facere à portis mortis: & quia portæ illæ intelliguntur eſſe in loco inferiori, & eædem cum portis inferi, ideo exaltare dicitur, ut longè fiant ab illis. Per portas mortis ſive inferi videtur intelligenda multitudo internalium hoſtium noſtrorum. Quia enim multitudo populi ad portas convenire ſolebat apud Hebræos, ſive ad judicium, ſive ad alia publica negotia, ideo multitudo nomine portarum ſignificatur, Matth. 16. *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Eccl. ult. *De portis tribulationum, quæ circumdederunt me.* Ita ipſe: & Caſſiodorus, ac Gloſſa. Exaltat etiam Deus à portis mortis, cum quos liberat admirabiles, inſignes, clariores reddit: &, ut addit Haymo, elevat ad portas Sionis.

Duas porrò aſſignat portas mortis Hugo à S. Victore lib. 1. Miſcellan. tit. 133. nempe concupiſcentiam & timorem. Tres vero profert Bruno in Pſal. 22. ſcilicet ſuperbiam, cupiditatem & avaritiam, & in Pſ. 106. dicit portas illas eſſe æreas, cùm obduruerint aſſuetudine ſcelerum, vectes vero ferreos, eſſe ſpiritus immundos, qui clauſas eas teneant, ne pia confeſſione aperiantur. Plures portas oſtendit. S. Ambroſ. lib. 6. in Lucam cap. 9. nempe ſingula peccata, quæ mortis & inferorum portas nuncupat.

87. Symbol. Portæ mortis ſunt ſenſus. Symbolicè, portæ mortis ſunt ſenſus corporis. Ita S. Aug. & Ugo Card. per eos enim mors inſidiatrix irrepit, aut violenta irrumpit, Jerem. 39. 2. de irruptione Chaldæorum in urbem Jeruſalem dicitur: *Undecimo autem anno Sedeciæ menſe quarto* (id eſt menſe Thammuz, qui noſtro Junio ex parte reſpondet) *quinta* (die) *menſis, aperta eſt civitas* (rupto muro per crebram arietationem. Chaldæi ſignificant, quaſi dæmones: arietatio, eſt tentatio: frangitur animæ murus per conſenſum) *Et ingreſſi ſunt omnes Principes Babylonis, & ſederunt in porta media* (quæ erat inter duas alias portas: nempe inter portam muri exterioris, & portam templi: Nam ea parte urbs cingebatur duobus muris) *Neregel, Sereſer, Semegarnabu, Sarſachim, Rabſares, Neregel, Sereſer, Rebmag, & omnes reliqui Principes Regis Babylonis.* Ubi nota, quòd Neregel idem eſt atque explorans. 1. Pedeſter à רגל regel, id eſt pes. 2. Lucerna diſcooperta, à נר ner, hoc eſt lucerna, & גלה gala, detegere, diſcooperire. Symbolum eſt ſuperbiæ, quæ aditus explorat, & eſt lucerna, & lux volatica & omnibus aperta, & ſplendore ſuo nititur illudere. De illa habetur etiam Pſ. 35. 12. *Non veniat mihi per ſuperbiæ.* Alta loquitur & ambit: ſed eſt pes, id eſt infima. Secundò, Sereſer idem eſt ac princeps theſauri vel cellarii, à שור ſur dominari, imperare, principem eſſe. Inde ſar Hebr. ſir Arab. ſer, Chal. princeps dicitur, & ab אצר oſar, theſaurus, cellarium. Itaque Sereſer repræſentat avaritiam ſolis theſauris intentam. 2. Sereſer idem eſt atque caſtrametatio anguſtiantis, ex Chald. & Syr. שרא ſera ſeu שרי ſere, id eſt habitavit, manſit, caſtra poſuit, & Hebr. ac Chald. צור ſur, id eſt obſidere, arctare, anguſtiare, oppugnare, ligare, colligare. Avaritia ſemper in armis ſtat, & ſe & alios coarctat. Tertiò, Semegarnabu, id eſt deſolans peregrinum fructificantem: Avaritiam quoque figurat omnia vaſtantem & expilantem, præſertim ab iis, qui ope humana ſunt deſtituti. Quartò, Sarſachim, ſignificat præpoſitum unctionum. Quintò, Rebſares, præpoſitum eunuchorum. Sextò, denique Rebmag. magiſtrum liquefactionis, principes liquoris, principem liquefactum aut tabefactum. Symbolum luxuriæ ſunt iſtæ tres. Nam luxuria delicias ſectatur & unguenta effeminat & enervat. Obſtrue itaque portas ſenſuum tuorum, ne per eas in urbem mentis tuæ irrumpant principes Babylonis, & per eos confundaris, atque potentiæ tuæ. Hoc admonet Iſaias cap 6. 20. *Vade populus meus* (eſt vox Dei ad Sanctos, qui in Domino moriuntur, ait Cornel. *intra in cubicula tua* (Tertull. lib. de Reſurr. carn. 27. legit, *cellas promas*: id eſt cellaria ſive penuaria) *claude oſtia tua ſuper te.* S. Greg. lib. 4. Moral. c. 24. *Cubicula*, inquit, *ingredimur, cùm ſecretum mentis noſtræ intramus. Oſtia autem claudimus, cùm deſideria illicita coërcemus.* Clauſo oſtio orandus eſt Deus, id eſt, clauſis ſenſibus corporis, ut ad mana mens vegetur.

88. Urbes dolo captæ per portas. 1. Ambianum. 2. Carnutes. 3. Patavium. Ut intret hoſtis, ſenſibus noſtris illudit objecta delectatione. Ambianum capitur ab Hiſpanis, dum cuſtodes portæ *nucibus* colligendis intendunt. Carnutum portam curru *piſcibus* onuſto Franci impediunt, & urbem invadunt, ut refert Paulus Æmylius lib. 20 Andreas Grittus Venetorum poſteà Dux, curribus *frumento* oneratis Patavii portam implevit, & urbem occupavit, ut ait Bembus lib. 8. Hiſt. Venetæ currus fœno plenos in ſpeciem, ſex militibus ſingulos oppleverat Maxius, ut Taurinum reciperet: dolo detecto irritus & noxius conatus extitit. Ezechiel Propheta inducit Gog principem terræ Magog, & principem capitis, id eſt principem capitalem ſive ſupremum regni Moſoch, hoc eſt Cappadociæ, & regni Thubal, hoc eſt Iberiæ regionis Aquilonaris juxta Pontum, dicentem cap. 38. 11. *Aſcendam ad terram* (ad animam terream) *abſque muro* (protectionis divinæ) *veniam ad quieſcentes* (per pigritiam) *habitanteſque ſecurè* (per præſumptionē) *hi omnes habitant ſine muro; vectes & portæ non ſunt eis.* Non eſt firmum reſiſtendi propoſitum, ſed omnia ſunt aperta & pervia. Gog autem eſt typus diaboli, qui cùm ingreſſus fuerit in animam, omnia ibi vaſtat, unde ſubditur: *Ut diripias ſpolia*, &c.

89. 2. Portæ mortis ſunt hæretici. Secundò, Portæ mortis ſunt hæretici. Origen. lib. 1. in Job: *Hæretici*, ait, *ſunt veræ januæ mortis, & viæ inferi.* Ibi eſt multitudo & robur irruentium in Eccleſiam: ſed, ut dicitur Matth. 16. 18. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi* (id eſt poteſtas, & principes inferorum. 2. Hæretici, ſchiſmatici, &c.) *non prævalebunt adverſus eam.* hoc eſt, eam non ſuperabunt, ſed ipſa illos Eſt enim Meioſis; nam parum dicitur, & plus ſignificatur. Rectè S. Chryſoſtomus ait hom. 4. de verbis Iſaiæ: *Facilius eſt Solem extingui, quàm Eccleſiam obſcurari.* Portæ enim mortis aut inferi nihil poſſunt in ſingulos Eccleſiæ filios; quia ut dicit Theophylact. [illegible]: *Eſt unuſquiſque noſtrûm Eccleſia, ſive domus Dn.* Vide alios ſenſus apud Bedam.

Verſ. 15. 2. Pars. Finis exaltationis è portis mortis aſſignatur, ut ſcilicet in excelſa Sione Deus laudetur, verſ. eod. 15. UT ANNUNCIEM OMNES LAUDATIONES (laudem, ut Felix: laudes, ut S. Hier. & Pagn. Vide imo verſus. Mirabilia, ut Syrus) TUAS IN PORTIS FILIÆ SION.

Quæ-

90. Portæ Jeruſalē cœleſtis, quid

Quæres, Quid ſunt portæ filiæ Sion, id eſt Jeruſalem? Reſp. Primo, hic intelligi Sionem, id eſt Eccleſiam cœleſtem: unde bene opponuntur ejus portis mortis. 1. Quia portæ mortis ſunt depreſſæ, illæ excelſæ. 2. Portæ mortis ſunt tenebroſæ, illæ ſunt portæ lucis non deſituræ. 3. Portæ mortis auferunt vitam & bona omnia vitæ: illæ ſunt portæ vitæ æternæ. Reſp. Secundò, Portas Sionis cœleſtis dici ipſum aditum paradiſi. Exaltat autem Deus de portis mortis, ut quis annunciet laudes ejus in portis filiæ Sion: quando efficit, ut per generoſam mortem tranſeat ad poſſeſſionem beatitudinis in aula cœliſti. Tertio itaque, adhuc melius, portæ Sionis uſurpantur pro toto illa ſanctiſſima civitate, per ſynecdochen: pars enim ponitur pro toto.

91. In portis illis laus Dei annunciatur, & cur.

Neque enim in portis & ingreſſu tantùm laudatur ibi Deus, ſed *per vicos ejus alleluja cantabitur*, Tob. 13. 22. In portis tamen dicuntur annunciari laudes Dei primo, quia ob admirabilitatem tantorum bonorum, gloriæ, ſplendoris, civium, domorum omnium, in tantæ civitatis ingreſſu ſtatim Sancti in laudes Dei erumpent: ſecundò, non tantùm ob bona præſentia Deum exoltabunt, ſed etiam ob evitata pericula: cùm oculos retrò flectentes videbunt præcipitia, per quæ ad ſecuritatem pervenerunt: tertiò, alluſio ſemper fit ad portas urbium in Judæa, propè quas erant fora, mercatus & tribunalia judicum, & conſequenter fiebant conciones & judicia, ad quæ maxima multitudo confluebat & civium, & advenarum ex agris vicinis. Itaque annunciare *in portis*, eſt annunciare in frequentiſſimo populo. Nota, eſſe *portas Sionis*, id eſt contemplationis, ſeu contemplatricis, 1. Quia inde nos Deus & Sancti aſpiciunt, oculis ſemper in noſtras actiones & cogitationes intentis, 2. Reg. 18. 24. *David ſedebat inter duas portas* (ut è prælio redeuntes exciperet, ac præmiis afficeret) *ſpeculator verò, erat in faſtigio portæ*: & aſpiciebat currentem Achimaas, id eſt fratrem conſilii, q. d. virum prudentem, qui nunciabat victoriam de rebellibus partam: de eo ait David, vir bonus eſt: itaque admiſſus eſt ad colloquium Regis: aſpiciebat etiam Chuſi, id eſt Æthiopem, ſeu nigrum, currentem. Sic currite ut comprehendatis, & Dei oculis placeatis. Chuſi poteſt eſſe ſymbolum peccatoris, tum ob nomen, tum quia triſte nuncium attulit de morte filii, nempe Abſalonis. 2. Portæ Sionis, id eſt contemplationis monent nos, ut eo noſtros oculos ſæpè erigamus, ut ſicut dicitur Pſ. 52. 3. *Dominus de cœlo proſpexit* (ἐκκύψε, aſpexit capite exerto, ut eſt apud Xenoph. item, inclinavit, ſe ad reſpiciendum, attentè ex alto deſpexit) *ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt.* Chald. converſi ſunt retrorſum. Ut uxor Loth: ideò non aſpicit urbem aſyli ſibi aſſignatam, neque intrat in eam. Dic cum Davide Pſ. 134 *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* (Hebr. נכר *necar*, id eſt, alienigenæ.) *Si oblitus fuero tui, Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea.* Pſalt. vetus, Rom. Ambroſ. S. Proſper habent, oblivilcatur me dextera mea: hoc eſt, omnes vires meæ, robur, potentia, efficacia, reſiſtendi & aggrediendi vis concidat. Dic, ſed verè cum eodem Pſal. 24. 15. *Oculi mei ſemper ad Dominum*: ſupple intenduntur: tunc poteris verè addere: *quoniam ipſe evellet* (evellere poteſt. 2. Evellet de facto) *de laqueo pedes meos.* S. Hieron. vertit, educet de rete. Sive ſit magnus laqueus, ſive parvus: ſive opus ſit eductione facili, ſive avulſione, inde eripieris, ſi Deū patrem optimum oculis filialibus aſpicias.

92. Tropol. Portæ Sionis ſunt virtutes omnes.

Tropol. Portæ Sionis, ſunt omnes virtutes; &, ut loquitur S. Aug. omnia optima ſtudia, per quæ venitur ad viſionem pacis in ſancta Eccleſia, id eſt omnes ſtudioſæ actiones, per quas in cœleſtem Jeruſalem quis ingreditur. Duas virtutum portas aſſignat Hugo à S. Victore, tom. 1. qu. 47. in epiſt. ad Philippenſes: nempe primò timorem; ſecundò, amorem ejuſdem. Item lib. 3. Miſcellan. tit. 91. cœli portas ait eſſe duas, ſcilicet, 1. Humilem potentiam, quæ eſt porta ferrea ducens ad civitatem. 2. Amoris concordiam, quæ eſt porta orientalis: ſicut duas inferorum portas profert: cæcam nimirum deſperationem, & duram obſtinationem. Duas item portas mundi: ſenſualitatem corruptam, & inceſtatam cupiditatem.

93. 3. Cœli portæ ſunt fides, ſpes, charitas.

Tres cœli portas S. Greg. dat hom. 19. in Ezech. Primò fidem, quæ ſtat ad Orientem, & lucem invehit, Secundò ſpem, quæ ad Septentrionem, & gelidos Aquilones infringit, & urbem ſubire non ſinit. Tertiò charitatem, quæ eſt ad Meridiem, atque amorem Dei recipit, lege ipſum; *Porrò, ait, in Oriente eſt fides, quia per ipſam lux vera naſcitur in mente. Porta ad Aquilonem ſpes, quia unuſquiſque in peccatis poſitus, ſi de venia deſperaverit, funditus perit. Unde neceſſe eſt, ut qui per ſuam iniquitatem extinctus eſt, per ſpem miſericordiæ reviviſcat. Porta ad Meridiem charitas, quia igne amoris ardet. In meridiana etenim parte Sol in altum ducitur, & quia per charitatem lumen fidei in Dei & proximi dilectione ſublevatur.* Hæc Gregorius.

94. 4. Cœli portæ aliæ.

Quatuor cœli portas affert Hugo à S. Victore, lib 1 Miſcellan. tit. 21. Primò pœnitentiam. 2. Obedientiam. 3. Conſtantiam. 4. Puritatem. Janitorem pœnitentiæ eſſe compunctionem: Obedientiæ, carnis mortificationem: Conſtantiæ, devotionem: Puritatis gaudii cœleſtis recordationem. Septem portas cœli, nempe ſeptem Sacramenta, cum S. Auguſt. in Pſal. noſtr. potes aſſignare.

12. Cœli portæ à S. Joann. viſæ.

Duodecim cœli portas aſſignat S. Joan. Apoc. 21. 12 hoc eſt, duodecim Apoſtolos, ut S. Hier. in cap. 48. Ezech. S. Auguſt. & Rupertus explicant. Secundò, portæ cœli duodecim, ſunt duodecim ſigna Zodiaci ſpiritualiter intellecta, ut ait Georg. Ven. Cant. 1. tom. 8. cap. 12. Tertiò, & melius per cœli portas duodecim, intellige univerſitatem virtutum, & univerſitatem ſalvandorum; quia ter quatuor ſunt duodecim: totus autem mundus in fide Trinitatis ſalvatur. Apoſtoli quidem portæ ſunt, quia per eorum doctrinam patet aditus in cœlum. Jure eos voces *portas doctrinæ*, ſicut ſe vocant Judæi Sinenſes linguâ Sinenſi: nempe *kia moen*: ut ait noſter Alvares Semedo in hiſt. Sinarum, ſed tamen ſine virtutibus nemo intrabit in regnum cœlorum. Hæ ſunt portæ juſtitiæ, Pſ. 117, 19. *Aperite mihi portas juſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino.*

Quæres 2. Quare Jeruſalem vocatur filia Sion? Reſp. primò Trevetus, quòd ſit intima monti Sion: quo pacto, inquit, *filius mortis* dicitur, qui obnoxius eſt morti. Sed hoc videtur longè petitum. Secundò, Jeruſalem, ut ait Cajet. & Cornel. in cap. 1. Iſaiæ, dicitur *filia Sion*, id eſt Sionis: quod urbs Jeruſalem monti Sion ſubjecta ſit, ut ex eo quaſi filia deſcendere & naſci videatur. Sed ipſamet Jeruſalem dicitur filia Jeruſalem, Zach 9. v 9. *Exulta ſatis* (Chald. vehementer) *filia Sion: jubila filia Jeruſalem.* Ubi Sion & Jeruſalem clarè non ſunt in genitivo, ſed in nominativo per appoſitionem. Tertiò itaque melius, Jeruſalem vocatur Sion per ſynecdochen; nam propriè civitas David ſita in monte Sion, dicebatur Sion; pars verò urbis inferior, dicebatur Jeruſalem: ſed hæc ſæpè confunduntur, Sion autem vocatur filia, primò ob decorem & pulchritudinem, unde pictores ſæpè pingunt urbes formâ puellarum: ſecundò, quia Deus eam civitatem tenerrimo amore dilexerat, ut pater, aut mater potius filiam ſuam. Eadem de cauſa vocatur Iſaiæ 37. 22. *Virgo filia Sion.* Ac prætereà, quòd Deus vellet eam in fide ac moribus maximè impollutam ſervari ſibi, cùm in ea habitaret manens in templo & propitiatorio.

ARTICULUS II.

Impii laqueis ſuis irretiti & artibus, pereunt.

Verſ. 61 1. Pars.

91. תבע

QUinque pauperum juſtorum commoda David ſuprà protulerat. Primò, miſericordiam Dei erga ipſos. 2. Sedulam eorum curam. 3. Eductionem è portis mortis. 4. Deductionem ad cœleſtis vitæ portas. 5. Denique, exultationem æternam. Nunc viciſſim quinque miſerias & puniſtiones affert eorum divitum & potentum, à quibus perſecutionem paſſi ſunt pauperes Evangelii præcones.

Ac primò, In foveam quam paraverant pauperibus, incidunt. Verſ. 16. *INFIXÆ SUNT GENTES IN INTERITU QUEM FECERUNT.*

Nota, pro *infixæ ſunt*, Hebr. eſt טבעו *tabeü*, 1. demerſæ ſunt, ut vertit S. Hier. immerſæ ſunt, ut Felix. ἐβαπτίσθησαν, hoc eſt, ſubmerſæ ſunt, ut quidam apud Chryſoſtomum. 2. *tabeü*, id eſt Infixæ ac defixæ ſunt: hoc eſt ita immerſæ ſunt, ut non tantum in aquam ceciderint qua ex omni parte operiantur, ſed etiam ſua gravitate in lutum inciderint, ab eoque ſe avellere non poſſint, ſed ibi fixæ hæreant. Sept. ἐνεπάγησαν, id eſt impactæ, depactæ, compactæ, immiſſæ, coagmentatæ, inſertæ, implantatæ ſunt. Itaque *infigo* non ſumitur hîc pro configo, pungo, transfodio, neque enim id patitur Hebr. & Syr. *taba*, ut patet, neque Græc. ἐμπήγνυμι.

Nota 2. pro, *in interitu* Hebr. eſt בשחת *be ſcha-hath*, id eſt in foveam, ut Syrus, Pagn. vertunt: in fo-

vea, ut Felix. 2. Sahath, ſignificat etiam corruptionem, perditionem, interitum: unde Noſter & S. Hier. Petav. vertunt, in interitu, Sept. ἐν διαφθορᾷ, hoc eſt, in corruptione, internecione, ſtrage, cæde, pernicie. Unde Arabs & S. Auguſt. reddit, in corruptione. 3 Itaque *ſahath* eſt fovea diſperdens, foſſa in quam fera concidens, perimenda ſit. Sumitur enim hîc metaphora à venatoribus, qui feræ alicui foveam præparaverint ad eam capiendam & jugulandam: ſed dum illam clamoribus, armis, canibus, equis incitatis urgent, præcipites & incauti in foſſam ſuam cadunt fera evadente. Hæc foſſa vocatur Pſal. 54. puteus interitûs. Sic enim ait David verſ. 23. *Non dabit* (Dominus) *in æternum fluctuationem* (Hebr. מוט *mot*, id eſt nutationem: Sept. σάλον, id eſt, jactationem in tempeſtate, agitationem in mari) *juſto. Tu verò Deus deduces eos* (Hebr. תורדם *thoridem*, deſcendere facies eos: Alii, præcipitabit eos) *in puteum interitûs.* Pagn. in puteum foveæ: hoc eſt, ut explicant Euthym. & Nicephorus, in vaſtas atque ob loci profunditatem inevitabiles pœnas.

96. Verſ. 16. 2. Pars.

Secundo, Cùm impii in foveam, quam juſto pauperi foderant, inciderint, laqueo etiam quem ibi paraverant, capientur, verſ. eod. 16. *IN LAQUEO ISTO QUEM ABSCONDERUNT,* (Hebr. in reti, ut S. Hieron. & Pagn. habent: vel, in rete, ut Felix: in muſcipula, ut S. Auguſt. legit: ſceleratus, eſt mus omnes arrodens, muſcipula fœdis deliciis illita capitur,) *COMPREHENSUS EST PES EORUM.* Impius, avis eſt per ſuperbiam alta petens, & per gulam ac luxuriam ad ima ſe dejiciens, laqueum abſcondit dæmon & eſcam offert: imprudens ſceleratus, dum toto corpore & animo in eſcam devolat, capitur & conſtringitur, atque à Deo punitur.

Laquei varii peccatorum.

Tropolog. Itaque, laqueus peccatoris ſunt divitiæ, honores, blanditiæ, voluptates, quibus ab hoſte ſtygio detinetur, ut mactetur. S. Ambr. lib. 4. in c. 4. Lucæ: *Multi*, ait, *laquei quacunque progredimur. Laquei in corpore, laquei in lege, laquei in pinnis templorum, in crepidinibus parietum tenduntur à diabolo, laquei in Philoſophis, laquei in cupiditatibus,* &c. Eò autem difficilius eſt laqueos illos evitare, quo nobis ſunt propiores: nam in nobis ipſis enaſcuntur. S. Laurent. Novar. Epiſc. hom. 1. de pœn. *Quis eſt*, inquit, *iſte laqueus, niſi caro, quæ animam ſuam in propoſito ſuo benè currentem urget ſemper, carpit jugiter, capit frequenter? Eſt enim unus ſtimulus per membra inſidians.* Singulatim deinde cuncta pertexit. *In oculis eſt laqueus gravis.* &c. De lingua ſpeciatim ait S. Aſterius, *Lingua tua laqueus eſt inſanabilis.*

97. *Venus compedita apud Lacedæmonios.*

In laqueis illis animæ *pes*, id eſt affectus, illigatur: cum is hæſerit, cætera conſtringantur & capiantur neceſſe eſt. Venerem Lacones ſedentem pingebant cum galericulo & compedibus, ut habet Pauſanias in Laconicis: quo declarabant ſtatarias & ſedentarias fœminas eſſe oportere, firmaque & immota erga viros ſuos fide: ſeu verius, ut oſtenderent facile & proclive eſſe amore captivari, ſed cùm in ejus laqueos incideris, perdifficile eſſe te expedire. In dies funis ſit craſſior & fortior, fila enim filis innectuntur, atque de funiculis junceis ferrati tandem rudentes fiunt, adeò ut infringi niſi ſumma vi & contentione non poſſint. S. Chryſoſt. in Pſalm. noſtr. docet, peccatorem, niſi ſibi maturè conſulat, ſtringi δεσμοῖς ἀλύτοις, id eſt, vinculis quæ ſolvi nequeunt, & in quibus ſitu pædoreque vincta mens conficiatur & putreſcat. Vim facit in voce, διαφθορᾷ, id eſt corruptio, ſicut legit S. Auguſt. ut dixi, unde ait: οὐδὲν οὕτω διαφθείρει, ὡς κακία. *Nihil æquè corrumpit, ut vitium.*

Moraliter nota, Laqueis propriis ſæpè homines capi, ſi aliqua ſe rapi paſſione permittant. Hoc expertus Carolus, cognomento Audax, Dux ultimus

Caroli Burgundi ruina.

Burgondiæ, qui poſt occupatam Lotharingiam, Helvetios durum à ſtirpe genus, gentem ruſticam, omniumque tunc rerum inopem, nullis propè de cauſis, niſi ambitionis, aggreſſus eſt. Sibi enim finxerat animo non ſolum totum regnum Burgundiæ & Arelatenſe aſſerere, verùm etiam ſubactis Helvetiis in Inſubres evadere (cùm Dux Mediolani Galeatius fœdere ei conjunctus eſſet) atque in Italiam penetrare: denique vaniſſima læſi jam cerebri hallucinatione univerſam Europam amplectebatur. In eos movens, capto caſtello Granſonio, cunctos ejus propugnatores, numero circiter quingentos, ad unum laqueo necavit. Sed cum à paucis Helvetiis in obſeſſorum auxilium venientibus victus eſſet fugatuſque, amiſit ipſe omnia bellica inſtrumenta, ſarcinas omnes, ſupellectilem copioſam, vaſa aurea & argentea, monilia, gemmas, uniones pretioſiſſimas. qui verò Granſonium defendebant Burgundi omnes, *iiſdem laqueis* ſuſpenſi ſunt, quibus prius Helvetii pependerant. Ita Sponden. tom. 2. Annal. anno 1476. n. 7.

Beſtiales affectus, quibus peccator tenetur, rectè compares laqueis ferarum, in quos incidit Aquitimus filius Regis Congi. Cùm enim Rex Congi Joannes nomine, fidem Chriſtianam ſuſcepiſſet, eum ſecutus Alphonſus filius divino zelo mirandum in modum ardebat, adeò, ut patre in veteres errores prolapſo, in fide vera conſtans permanſerit, aliosque multos præ timore fluctuantes in ea confirmarit. Sed Panſa Aquitimus frater ejus minor natu, qui ab impietate revelli ne paterna quidem authoritate & exemplo prius potuerat, ita calumniis egit apud Regem, ut Alphonſus crederetur regnandi cupiditate inſaniens, Regi ipſi necem moliri. Itaque in regni angulum rejicitur, omnibus dignitatibus & reditibus privatus. Sed brevi detectis calumniis in aulam revocatus eſt, ardentior Dei novo munere effectus, edictum in cultores idolorum in terris ſibi attributis promulgat, eiſque cultum omnem impium prohibet. Rex indignatur, ſed brevi moritur. Aquitimus interim regnandi cupidine æſtuans, Proceres multos ſuas in partes trahit, exercitumque cogit. Alphonſus in urbe regia Rex acclamatur: ſed ab armis imparatus, omnique penè præſidio nudatus à fratre invaditur: tum temporis armatos tantùm triginta ſex milites habebat, & plebeculam quæ timore conſternata, in arcem confugerat: hoſtium autem tanta affluxerat copia, ut tela immiſſa nubis inſtar, umbram facerent. Nihil his territus vir fortis, cum ſuis Jeſum Chriſtum, & S. Jacobum ex Luſitanica diſciplina ingeminat. Tum crederes ad hanc vocem trepidantes hoſtes ictos fulmine: vix reſtiterunt, ſed in fugam effuſi ſylvas petierunt, in quibus Aquitimus Deo ſic providente, *in laqueos à venatoribus ad feras capiendas paratos ſe induit*; ibique hærere coactus ab Alphonſi Ducibus repertus eſt in omnibus corporis partibus vulneratus, paucisque poſt diebus in ſceleribus obſtinatus, ex vulnerum dolore interiit. Ita Petrus du Iarric. 2. part. hiſt. Ind. Orient. lib. 3. c. 3. Rem eandem narrat Petrus Maffæus lib. 1. hiſt. Ind. pag. 17.

Aquitimus rebellis in laqueos cadit.

Tertiò, In foveam dejectos, & laqueis ſuis conſtrictos peccatores, omnium oculis deridendos exponit Deus, Verſ. 17. *COGNOSCETUR DOMINUS* (S. Hier. agnitus eſt. Pagn. notus eſt: in præterito. Septuag. γινώσκεται, cognoſcitur: in tempore præſenti. Hebr. נודע *noda*, eſt temporis præteriti in Niphal, ſed apud Hebræos ſæpè fit enallage temporum, & eorum verba pro omni temporis differentia ſumuntur *JUDICIA FACIENS*, id eſt puniens juſtè; judicium enim hîc metonymicè accipitur pro punitione per judicium decreta. Cognoſcitur autem Deus juſtè puniens, & cùm id facit, & poſtea. Quidam apud S. Chryſoſt. vertit, *cognitus eſt judicium fuiſſe.* q. d. Tanta & tam juſta erit punitio, ut omnes cogniturі ſint eam à Deo veniſſe. Secundò, q. d. Hæc punitio oculos aperiet peccatori & aliis qui Dominum cognoſcentium ſpeculativè ejus potentiam, ſapientiam, juſtitiam admirantes, tum practicè ipſi ſervientes, eumque adorantes, cùm pœnam inflictam ob ſcelera perſpexerint, Iſai. 28. 18. dicit Deus Judæis: *Flagellum inundans* (per Chaldæos & Romanos urbem Jeroſolymam vaſtantes) *cùm tranſierit, eritis in conculcationem. Quandocunque pertranſierit, tollet vos: quoniam manè diluculo* (id eſt celerrimè) *pertranſibit in die & in nocte* (& diu perſeverebit) *& tantummodò ſola vexatio dabit intellectum auditui*: id eſt, efficiet ut audita per Prophetas credatis, & Deo uni, non idolis ſerviatis. Et quidem poſt captivitatem Babylonicam non coluerunt Judæi principes idola. Plato in Sympoſio ait: Stultus poſt acceptam plagam ſapit. Sic cap. 26. 9. ait Iſaias Deo: *Anima mea deſideravit te in nocte*, (id eſt in tribulatione & cruce ut explicat Sanches) *& ſpiritu meo in præcordiis meis de manè* (quod nox præceſſit) *vigilabo ad te. Cùm feceris judicia tua* (vindictam publicam in impios, ait S. Thom. & Adamus) *in terra, juſtitiam diſcent habitatores orbis.*

98. Verſ. 17. 1. Pars.

Murium eſt, ac formicarum, & pulicum, clandeſtinis morſibus vellicare: clarum lucentemque meridiem amat Leo, ut in hoſtes inſiliat. Peccator odit lucem, ſed in luce ſunt opera Dei. Nathan Propheta Dei legatus ad Davidem poſt adulterium miſſus, ait 2. Reg. 12. verſ. 12. *Tu enim feciſti abſconditè: ego autem faciam verbum iſtud* (rem hanc) *in con-*

in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu Solis, ut narratur cap. 16. Juſſit Deus ſuſpendi peccatores Soli obverſos, Num. 25. 4. ut qui cum Moabiticis & Madianiticis puellis fornicati fuerant in umbra & caligine papilionum, punirentur in oculis Solis, & in omnium conſpectu.

Anagog. Hæc longè veriore erunt in die extremi judicii. Tunc enim maximè cognoſcetur ab omnibus Deus judicia faciens, & judiciorum ejus juſtitia apparebit.

Verſ. 17. 2. Pars. Quartò, Nihil erit excuſationis impio, cùm propriis artibus ſe irretitum videbit. Verſ. eod. 17. *IN OPERIBUS MANUUM SUARUM COMPREHENSUS EST PECCATOR.* Syr. vertit, *in opere.* Aliquando peccator in primo peccato graviter punitur, & quidem pœna etiam æterna. Qui enim promiſit pœnitenti miſericordiam, non promiſit peccanti pœnitentiam; ſed qui peccaverit captivatur, & ſæpe perit penitùs. S. Hier. reddit, *corruit impius.*

Quæres, De quonam peccatore agitur? Reſp. primò, Trevetus & Folengius interpretantur de Pharaone & ſubmerſis Ægyptiis in mari rubro: cùm enim exitium Iſraelitis pararent, perierunt. 2. Cajet. explicat de Ammonitis, qui ea paſſi ſunt, quæ contra Davidem meditabantur. 3. De quolibet peccatore, ſed præſertim in pauperes Evangelicos ſæviente, agitur, ut patet ex præcedentibus.

Peccator ſibi laqueos texit. Nota, pro *comprehenſus eſt.* Hebr. eſt נוקש *nokes*, id eſt, illaqueatus eſt, ut Pagn. & Felix vertunt. Efficaciam verò laquei aperiunt Sept. cùm reddunt, συνελήφθη hoc eſt, comprehenſus eſt, ſimul prehenſus & captus eſt, ex omni parte & à toto laqueo captus & conſtrictus eſt. Ubi adverte, peccatorem ſua ſibi vincula atque retia texere, iiſque ſe obvolvere & intricare. Arabs vertit, *retribuet peccatori id quod operatæ ſunt manus ejus.* Itaque, ſi facit laqueos, & laquei reddentur & carcer æternus, ubi laqueis ſuis vinciatur, 10. 7. *Pluet* (Deus) *ſuper peccatores laqueos* (Chald. pluvias vindictæ ſpirantes ignem) *ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum* (id eſt ventus procelloſus) *pars calicis eorum*: id eſt pars ſupplicii illis debiti. Quid faciet miſer pluviis laqueorum igneorum, aut igne ſaltem ſuperfuſo ardentium & ſulphure fœtentium, & vento huc illucque agitatorum, circumdatus? laqueum habebit in collo libertatem nimiam detrahendi: in manibus, ob rapinas, cædes, &c. in pedibus, deſidiam, torporem, aut ad impia diſcurſum: in renibus, ob luxuriam. Ut enim ait Salomon, Prov. 5. 22. *Iniquitates ſuæ capiunt impium* (velut lictores & tortores) *& funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*; Primò, capitur; unde Symmach. vertit, comprehenditur. Secundò, captus vincitur. Arab. ligatur. Tertiò, ligatus magis indies arctatur. Sept. implicatur. Vatabl. irretitur. Quartò, providetur ne funes & retia rumpantur. Pagn. tenetur. Quintò, dolore efficitur & torquetur. R. Salomon ſuſpenditur. Hebr. eſt *iſſameche*, id eſt fulcietur, tenebitur in alto ne cadat. Superbia ipſa in alto cùm liget, cauſat dolorem: non poteſt enim terra teneri in ſublimi ſine violentia: homo humi ſe cum humilitate teneat, & inveniet requiem animæ ſuæ.

Nota 2. Peccata vocantur propriè & accommodatè, opera manuum noſtrarum, quia verè noſtra ſunt, & à nobis oriuntur, & non à Deo. Deus enim non auctor peccati, ſed nos ſoli, Pſal. 27. 4. *Secundùm opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum* (id eſt meritum. 2. Pœnam debitam. Nam actus ponitur pro objecto, nempe retributio pro re quæ eſt retribuenda) *ipſis.* Thren. 3. 64. *Reddes eis vicem Domine juxta opera manuum ſuarum.*

Nota 3. Poſt hæc verba, in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator, addi in textu Hebræo, הגיון סלה *higgaion ſela*, quod primo S. Hier. vertit, *meditatio ſemper.* q. d. Hæ impiorum pœnæ ſunt totâ vitâ meditandæ, ut evitentur. Secundò, Felix vertit, *Canticum, Sela.* Græca in Sixtinis Bibliis, ᾠδὴ διαψάλματος, *canticum, diapſalmatis.* Eſt autem διάψαλμα, ut ait Suidas, melodiæ & cantus modulationiſque immutatio. Symmach. vertit, μέλος διαψάλματος, id eſt contentus ſeu melodia diapſalmatis. q. d. cantum & melodiam eo in loco eſſe immutandam. Syr. & Arab. eas voces prorſus omittunt. Vide dicta de Sela Pſal. 3. Tertiò, Aquila vertit, ᾠδὴ ἀεί, *canticum ſemper*, ſupple, cantandum: quod magis exprimit. Chald. *exultabunt juſti in æternum*: cum ſcilicet viſa impiorum ſe perſequentium ruina, ſecuritatem ſuam æternam intelligent.

100. Nota 4. Ubi habeamus verſ. 19. *Patientia pauperum non peribit in finem*, id eſt, in æternum, textus Hebræus caret τῷ *non*, ſed ex alio membro eſt repetendum. Hoc enim frequens eſt apud Hebræos, ut negatio poſita in præcedente ſententia vel parte, ad ſequentem extendatur, ſicque ſit vice duarum, ut Pſ. 1. v. 5. *Non reſurgent impii in judicio, &* (pro. *& non*: ſive, neque) *peccatores in conſilio juſtorum.* Pſ. 44. 19. *Non eſt converſum retrò cor noſtrum, &* pro, *& non*: ſive, neque) *declinaſti ſemitas noſtras à via tua.* Dicitur Eccli. 1. 29. *Uſque in tempus ſuſtinebit patiens* (Græc. ἀνθέξεται, id eſt perferet, tolerabit) *& poſtea redditio jucunditatis.* Græc. ἀναδώσει εὐφροσύνην. id eſt, pullulabit ſeu germinabit ei lætitia. Ibi enim ἀποδίδωμι, id eſt reddo: capitur pro ἀναδίδωμι, id eſt pullulo, germino, ait Cornelius. Eſt itaque, inquit, metaphora appoſita & elegans ab arboribus, quæ in hyeme patiuntur gelu, nives, frigora, quæque ſpoliatæ foliis & frondibus quaſi caneſcunt & emoriuntur; ſed tunc introrſum vires ſuas recipiunt, ut omnis calor cogatur in radicem, quâ à terra humorem ſugant: itaque radix fœta & gravida, in vere quaſi radiis Solis vivificata germinet, & in lætas frondes, flores & fructus erumpat. Pari enim modo patiens in adverſis, quaſi in hyeme, introrſum per patientiam ſe recipit in animæ penetralia, ibique vires ſuccumque patientiæ, humilitatis, cæterarumque virtutum colligit, quæ mox parient ei meritos lætitiæ & gloriæ fructus. Hiſce enim Deus remunerebitur & præmiabit dolores, & patientiam. Juſtus eſt ergo inſtar palmæ plantatæ ſecus decurſus aquarum, quæ fructum dabit in tempore ſuo, id eſt in tempore noviſſimo, ait S. Aug. in Pſ. 1. Unde Tigurina vertit: *Qui patiens eſt uſque ad tempeſtivitatem, præſtat tolerantiam, & poſtea exorietur ei lætitia.* q. d. Vir juſtus afflictus & tentatus patiendo ſuſtinebit, uſquequo tranſeat afflictionis tempus, tunc pro illa ſuccedet tempus hilaritatis: ſicut enim nocti ſuccedit dies, hyemi ver, tempeſtati tranquillitas, pluviæ & caligini ſerenitas; ita tentationi jucunditas. Expectandum eſt itaque tempus conſolationis & ſerenitatis, ut monet Abacuc Propheta cap. 2. v. 3. *Adhuc viſus* (id eſt viſio. prophetia enarrata) *procul, & apparebit in finem*, (tandem & in fine ſeculi) *& non mentietur: ſi moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet*, (pro certo veniet) *& non tardabit. Ecce qui incredulus eſt* (Nabuchodonoſor, ut ait Vatablus. 2. Sedecias, vel Jechonias, ut R. Moyſes. 3. Quilibet peccator non habens fidem de extremo judicio, in quo ſua cuique reddentur pro ratione operum, de quo judicio S. Hieron. Rupert. & Ribera exponunt hunc locum) *non erit recta anima ejus in ſemetipſo: juſtus autem in fide ſua vivet*, id eſt ut ait Chriſtophr. à Caſtro, juſtus fide bonorum ſibi appromiſſorum animatus, omnes perferet ærumnas, omnes calamitates ſuperabit, & ita victor evadet. De patientia Martyrum, & illius fructibus vide Pſal. 43. integrum. De patientiæ floribus & fructibus vide Pſal. 91. 15.

Exempla porrò peccatorum, qui in operibus manuum ſuarum ſint comprehenſi, vide Pſ. 7. 17. in illud: *Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet.* Duo tantùm addo. Primum ſuppeditabit Paulus Diaconus lib. 2. c. 14. qui necem Roſimundæ, Reginæ Longobardorum, quæ cum jam per Helmigem interfeciſſet Alboinum Regem maritum ſuum, ipſum Helmigem veneno tollere volens veneno interiit à ſe oblato. Verba authoris ſunt: *Longinus Præfectus, qui miſſus ab Imperatore Juſtino Juniore Hierarchus morabatur Ravennæ, ſuadere cepit Roſimundæ, Helmigem interficeret, & ipſius ſe nuptiis copularet. Illa ut erat ad omnem nequitiam facilis, cùm affectaret Ravennatium domina fieri, ad tantùm facinus perpetrandum, aſſenſum præbuit: atque dum Helmigis ſe in balneo ablueret, egredienti mortis poculum, quod ſalutare aſſeruit, propinavit. Ille ubi ſenſit ſe mortis poculum bibiſſe, Roſimundam (evaginato ſuper eam gladio) quod reliquum erat bibere coegit. Sicque omnipotentis Dei judicio Regis interfectores nequiſſimi uno momento perierunt.* Alterum exemplum ſumam à Cardano lib. 12. de rerum varietate, cap. 53. Cùm, ait, Simon Turca ſimultatem in Baptiſtam Deodatum coqueret Antverpiæ, illum in amœnum viridarium invitat. Cathedram illic ſeu ſellam collocaret, eo artificio factam, ut, quamprimum aliquis ſellam ſe recepiſſet, ſella ſponte clauderetur, & ſeſſorem arctè undique conſtringeret. Hoſpitem perfidus ille prius honoris cauſa ſedere compulit, moxque vinculis ferreis conſtrictum, multis vulneribus confodit. Sed diutinam moram gloriandi vindex Deus non dedit. Deprehenſus, in eadem omnino cathedra, totidem confectus vulneribus, ſupplicium quod excogitavit ſuſtinuit.

PSALMUS DECIMUS.
ſecundùm Hebræos.

201. Sicut omnes in Decalogo agnoſcunt eſſe decem præcepta, illum tamen denarium numerum variè aliqui conſtituunt, ſicut docet R. Abraham Aben Ezre in cap. 20 Exod. & Deut. 5. eodem modo omnes conveniunt in numero centum & quinquaginta Pſalmorum; in modo autem eos partiendi inter ſe diſſentiunt. R. David Kimhi ſcribit patrem Rabbinorum docuiſſe, ex primo & ſecundo pſalmo, nempe ex *Beatus vir*, & ex ſequenti, *Quare fremuerunt*, non eſſe conſtituendum niſi unum pſalmum, atque notatum eſſe cunctas ſectiones antiquas Davidi charas incipere à beatitudine, & deſinere in beatitudinem, ſicque duos illos Pſalmos in unum junctos habere initium. *Beatus vir*, & finem, *Beati omnes qui confidunt in eo*. Pſalmum etiam 41. id eſt, *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum*, & quadrageſimum ſecundum, id eſt, *Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam*, non diſtingui apud Hebræos docet Lyranus natione Judæus, neque hoc negat Paulus Brugenſis, ex Judaiſmo ſimiliter converſus, qui Lyranum ſolet in leviſſimis reprehendere. Nunc tamen pſalmum 41. & 42. à ſe invicem Hebræi ſicut nos ſeparant, ſicut Pſalmum 1. & 2. Sed hunc nonum dividunt, & Pſalmum 113. nempe, *In exitu Iſrael*; alium enim inchoant ab illis verbis: *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*. Contrà verò conjungunt Pſal. 114. & 115. nempe: *Dilexi quoniam exaudiet*, &, *Credidi propter quod locutus ſum*. Denique etiam conjungunt. Pſal. 146. & 147. nempe: *Laudate Dominum quoniam bonus eſt pſalmus*. Et, *Lauda Jeruſalem Dominum*. Sic æqualem pſalmorum numerum nobiſcum habent, nempe 150. cùm duos pſalmos, quos conjungimus, in quatuor dividant: & viciſſim quatuor alios in duos uniant.

202. Quæres, A quo tempore facta eſt illa diviſio? Reſp. Genebrardus, quòd certè conſtitutum hoc non erat tempore R. David Kimhi, id eſt, ante annos circiter trecentos. Sed longè antiquior eſt diviſio ſaltem hujus Pſalmi noni: ſic enim ait Theodoretus in proœmio pſalm. 115. nempe: Credidi propter quod locutus ſum. *Hebræus, cæterique interpretes, atque etiam Syrus, hunc pſalmum præcedentibus connectunt: quandoquidem eundem ſenſum habet, & nonum pſalmum biſariam dividentes, horum duorum pſalmorum conjunctione æqualem pſalmorum numerum conſervant*. Chaldaica etiam paraphraſis habet eandem diſtinctionem, & textus Hebræus in Exaplis Origenis, & S. Hier. illam ſequitur in ſua verſione item ſcolion græcum in Catena Græca, & aliud ſcolion Græcum inſertum notationibus Bibliorum Sixtianorum editionis 70. ad Pſal. 113. Septuaginta tamen interpretes hunc pſalmum nonum non dividunt, nec 113. ſicut alios non conjungunt cum Hebræis, ſed noſtra lectio latina cum illis convenit in tota illa partitione. Manifeſtum etiam eſt S. Chryſoſt. non feciſſe ex pſalmo noſtro duos, cùm nuncupet illum *pſalmum longiſſimum*: Ubi cum ipſo nota, ex ſapientiæ Spiritu proficiſci, ut aliqui Pſalmi ſint longi ad excitandam longitudine ſocordiam: quidam breves, ad levandum laborem.

Quæres 2. Quare Hebræi hunc pſalmum in duos dividunt? Reſp. quia materiam dicunt eſſe diverſam. Nam in iis quæ jam decurrimus, Eccleſia exultat ob victoriam de hoſtibus ſuis reportatam: in ſequentibus verò gemit, quòd hoſtes ejus proſperentur, adverſus quos auxilium implorat. Sed reſpondeo, non eſſe hìc variam materiam, ſed varia Eccleſiæ tempora deſignari. Nam initio exultat David in perſona Eccleſiæ ob occulta Filii Dei in cruce morientis myſteria, qui paſſione ſua & morte, dæmonem contrivit, & idololatriam peſſumdedit: in poſteriori parte explicat ejuſdem Eccleſiæ perſecutiones per tyrannos aliosque hoſtes, in quibus tamen ei Deum adfuturum, & victoriam daturum promittit, verſ. 37. & ſeqq. *Dominus regnabit in æternum, &c.* Sit itaque. 203.

SECTIO QUINTA.

Tria proponit. Primo, Impios tyrannos pauperum Chriſtianorum oppreſſores diutius tolerari, Verſ. 22. Secundo, eos in omnibus animæ & corporis facultatibus eſſe corruptos, Verſ. 26. Tertio, crudelitatem eorum oſtendit, & comparat ipſos leoni ſævienti, Verſ. 29.

PARAPHRASIS.

22. vel 1. *Ut quid Domine receſſiſti longè, deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?*

22. Quid eſt cauſæ, cur tibi conſecratos Chriſtianos, ab impiis furiis tamdiu laniari patiaris, neque in auxilium advoles? Cur cùm maximus eſt perſecutionis æſtus, & graviſſima tempeſtas bacchatur, te ſubducis, præſentiſſimam licèt opem res exigere videantur?

23. vel 2. *Dum ſuperbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in conſiliis quibus cogitant.*

23. Dum fluentibus è voto rebus turgeſcunt ſcelerati tyranni & barbari, fidei tuæ ſectatores, & præſertim Evangelicæ paupertatis & pœnitentiæ præcones incendio tribulationum concremantur. Sed impii cogitationibus ſuis implicantur & illaqueantur, dum felicitatem ſibi deberi putant, & ob illam in ſua malitia obſtinatiores fiunt.

24. vel 3. *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicetur.*

24. Cùm præcipuè fortuna arridente felices impii, in omnibus quæ facere voluerint, ab adulatoribus laudentur, beatique prædicentur.

25. vel 4. *Exacerbavit Dominum peccator: ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret.*

25. Ideò inani mendacium laude ſubvecti, te ipſum Domine impetunt, & blaſphemiis, & ſacrilegiis, omni impietate ad iram concitant: tantæque in ſcelus & barbariem rabie feruntur, ut ne quidem judicem te atque ultorem curent, aut quid tibi ſit placitum inquirant.

26. vel 5. *Non eſt Deus in conſpectu ejus: inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.*

26. Oculis mentis Deum operum omnium & cogitationum ſpectatorem non proponunt: eam ob rem omnes eorum actiones & conſilia, atque machinationes affectioneſque, ſemper ſcelerata voluntate peccandi polluuntur.

Auferuntur judicia tua à facie ejus: omnium inimicorum ſuorum dominabitur.

Extremi judicii diem, & illata nefariis ſupplicia etiam viventibus, à ſua memoria, quantum poſſunt excludunt: inde fit, ut metu ſoluti, hoſtes ſuos omnes, & idolis bellum indicentes, pro viribus conterere moliantur.

27. vel 6. *Dixit enim in corde ſuo: Non movebor à generatione in generationem, ſine malo.*

27. Apud ſe enim reputarunt, te non eſſe tantæ poteſtatis, ut eos de ſua felicitate dejicere poſſis, neque credunt poſt vitam eſſe ullum ſupplicium reſervatum ſceleratis: ſicque ſe tota vita beatos fore, & tota æternitate nihil mali experturos, opinantur.

28. vel 7. *Cujus maledictione os plenum eſt, & amaritudine & dolo: ſub lingua ejus labor & dolor.*

28. A corde ad os impietas evolat: Deum enim blaſphemiis, conviciis homines impetunt: amari omnibus; per ſupplicia quæ iis inferri jubent: & doloſi; variis artibus eos

ad

ad idolorum cultum trahant, aut ſeſe occultantes intercipiant. Non loquuntur, niſi ut ſæviant: adeò ut labor & dolor in eorum ore habitare, & ad ſingula verba erumpere videantur.

29. vel 8. *Sedet in inſidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.*

29. Adjungunt ſe potentioribus, ut occultis inſidiis innocenti vitam eripiant.

30. vel 9. *Oculis ejus in pauperem reſpiciunt: inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua, inſidiatur ut rapiat pauperem: rapere pauperem, dum attrahit eum.*

30. Leonis inſtar oculis voracibus pauperem prædæ ſuæ deſtinant, dolis occultiſque artibus perverſam mentem tegunt. Ideoque fraudibus res agitur, ut incautus tunc maximè juguletur, cùm allectus fallacibus blanditiis tuta omnia arbitratur.

31. vel 10. *In laqueo ſuo humiliabit eum; inclinabit ſe & cadet, cùm dominatus fuerit pauperum.*

31. Retibus ſuis implicitum atterunt, celerique motu ad capiendam prædam ſeſe acclinant, in eamque irruunt, cum variis artibus doliſque illum ſibi ſubjecerint.

32. vel 11. *Dixit enim in corde ſuo, Oblitus eſt Deus, avertit faciem ſuam ne videat in finem.*

32. Arbitrantur enim Deum humanis de rebus parum ſollicitum, priora ſua ſcelera jam oblitum eſſe; neque futura unquam in jus vocaturum.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta avarorum in Deum impietas, & homines furor?

104. IN prima hujus Pſalmi ſectione fructum Paſſionis Chriſti nobis Propheta prædixit. In ſecunda, Evangelii per divinos præcones promulgationem. In tertia, Judicium ſeverum etiam in hac vita contra ſceleratos tyrannos, & de Chriſtianis pauperibus paternam curam. In quarta, Punitionem impiorum in alia vita, & juſtorum licèt pauperum felicitatem. In hac autem Sectione quinta amanter conqueritur, quòd hæc ſceleſtorum ſupplicia tamdiu Deus differat, licèt tanta cum impietate graſſentur in ſervos ejus. Vides hæc eſſe connexa, nec Pſalmo novo opus eſſe.

Ordo Sectionis.

Primò, petitionem ſuam per filialem expoſtulationem aperit, verſu 22. *Ut quid Domine receſſiſti longè: deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?*

Tria autem motiva affert, quibus probet celeritate vindictæ opus eſſe, contra illos tyrannos, crudeliter ſævientes in Chriſtianos.

Ac primò quidem, id videtur eſſe è re Chriſtiana, cùm inde quilibet impius occaſionem ſumat inſurgendi contra proximum, ac præſertim contra pauperes Evangelii præcones, verſu vigeſimo tertio. *Dum ſuperbit impius incenditur pauper, &c.* Secundo, ſeipſum ſuamque impietatem extollit, verſu vigeſimo quarto. *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur:* ab aliis ſcilicet & à ſeipſo. Tertio, Deum ipſum aggreditur, verſu vigeſimo quinto. *Exacerbavit Dominum peccator, ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret.*

Secundo, Oſtendit omnibus modis ſceleratos illos peccare. Primò, mente tum intellectum excæcando, Deumque præſentem non cogitando, aut ne credendo quidem Deum eſſe, verſu vigeſimo ſexto. *Non eſt Deus in conſpectu ejus:* tum voluntatem fœdis affectionibus polluendo. Ibidem. *Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore:* tum denique, è memoria judicium Dei expungendo. Ibidem. *Auferuntur judicia tua à facie ejus.* Secundò, Opere peccant impii, proximum ſuum opprimendo, verſu eodem vigeſimo ſexto. *Omnium inimicorum ſuorum dominabitur*, id eſt, dominari contendet, ſuperbè & crudeliter ſe erga eos geret. Superbiam ejus & arrogantiam declarat verſu vigeſimo ſeptimo. *Dixit enim in corde ſuo: non movebor à generatione in generationem ſine malo.* Tertiò, Locutione peccant impii, ſeipſos execrationibus implicando, diriſque devovendo, verſu vigeſimo octavo. *Cujus maledictione os plenum eſt.* Deum blaſphemiis acerbando, *& amaritudine.* Proximo laqueos tendendo, *& dolo.* Unde in aſperrima quæque illum ſeque induat. Ibid. *Sub lingua ejus labor & dolor.*

Tertio, Rem totam illuſtri leonis venatoris ſimilitudine ob oculos ponit, ut nefarii juſto inſidias molientis pateat. Primò obſtinatio, qua diu inſidiatur, donec noceat in mala ſua voluntate obfirmatus, verſu vigeſimo nono. *Sedet in inſidiis cum divitibus in occultis.* Secundò, crudelitas, cum occidere cupiat. *Ut interficiat innocentem.* Tertiò, Vigilantia, dum hinc illuc reſpicit, ne præda evadat, verſu trigeſimo. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt.* Quartò, arrogantia, quod leonino ſe ſaltu circumagat Ibidem. *Inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua.* Quintò, Calliditas in blanditiarum illecebris & fallaci aucupio, verſu eodem trigeſimo. *Inſidiatur ut rapiat pauperem: rapere pauperem, dum attrahit eum.* Sextò, Robur, quòd nullus ſit qui pedicas ejus frangere valeat, verſu 31. *In laqueo ſuo humiliabit eum.* Septimo, Celeritas in executione, ſtatim atque ſe dat opportunum inſiliendi tempus. Ibid. *Inclinabit ſe, & cadet, cùm dominatus fuerit pauperum.*

Denique, Radicem malorum iſtorum adjicit: inanem ſcilicet ac ſtultam perditorum opinionem, Deo humana curæ non eſſe, verſu trigeſimo ſecundo: *Dixit enim in corde ſuo, oblitus eſt Deus: avertit faciem ſuam, ne videat in finem.*

ARTICULUS I.

Divitum arrogantia pauperibus exitialis eſt, ſed punitur.

ANtequam Propheta in perſona Eccleſiæ, & juſti cujuſlibet, afflictionis ſuæ vehementiam & acerbitatem declarat, imploret Dei auxilium, & conqueritur quòd differatur, verſu vigeſimo ſecundo. UT QUID (Hebraicè לָמָּה lamma, id eſt, quale) DOMINE RECESSISTI (Hebraicè תַּעֲמֹד thaghamod, ut vertit Arias: ſtas, ut S. Hier. manes, ut Pagninus: ſtetiſti, ut Syrus: permanebis, ut Felix: id eſt, diu & conſtanter manebis, Auxilium ſuum ſenſibile, & ſenſibilem præſentiam aliquando ſubſtrahit Deus: ſed ſtat tamen, ut ſpectet, & cum tempus erit, advolet) Verſ. 22. 105.
LONGE: DESPICIS (Hebraicè, תַּעְלִים thahlim id eſt, abſcondes te. Chaldæus, *abſconderis in tabernaculo ſanctorum.* Ab eo non recedit, ſed reſpicit per cancellos, & in nube, atque videtur in ænigmate, & in caligine. Syrus *avertiſti aſpectum tuum* (poſteriora tantum ejus aſpicimur.) IN OPPORTUNITATIBUS, IN TRIBULATIONE.

Quomodo recedit Deus à nobis.

Quæres. Quid ſit Deum longè recedere? Reſpondeo primo certum eſſe Deum ubique eſſe præſentem, nec poſſe ullum locum relinquere, cum per ſuam immenſitatem per omnia ſpatia realia & imaginaria in infinitum diffundatur. Hinc Sophar Naamathites, ait Jobi 11. verſu 7. *Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & uſque ad perfectum* (id eſt perfectè) *omnipotentem reperies? Excelſior cælo eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces? longior terra menſura ejus, latior mari.* Reſpondeo ſecundo, Deum tunc dici longe eſſe à nobis, cum non magis juvat quàm ſi longe abeſſet. Eſt metalepſis. Cum enim non detur actio in diſtans, eſt conſequens, ut qui non eſt propè ſaltem contactu virtutis, non juvet. Dicitur vero longe recedere, cùm qui antea ſenſibiliter juvabat, deſinit juvare: tunc enim velut ex arena vel acie videtur ſe ſubducere, & ſuis viribus pugilem & militem ſuum relinquere. Humano autem more hæc dicuntur. Sic Chriſtus ait Pſalmo vigeſimo primo, verſu primo. *Deus Deus meus reſpice in me: quare me dereliquiſti? longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* שַׁאֲגָתִי ſaagathi, id eſt, rugitus mei, quaſi dicere, Inſtar leonis vulnerati quanta poſſum voce rugio, & tamen ita longè es à me, ut etiam ſalus mea procul à me recedere videatur, nec eam poſſint preces meæ obtinere.

Quæres ſecundo. Quid eſt, Deum deſpicere in opportunitatibus? Reſpondet S. Auguſtinus deſpicere in opportunitatibus, eſſe deſpicere, opportunè, ita ut inde anima magis ad Deum quærendum & amandum inflammetur. *Deſpicis, ait, in opportunitatibus, in tribulationibus: id eſt, opportunè deſpicis, & facis tribulationes ad inflammandos animos in deſiderio adventus tui, quo enim jucundior eſt fons ille vitæ, quo multum ſitiveris.* Illum ſequuntur S. 106.

Deſpicere in opportunitatibus quid.

Thomas, Alcuinus, Remigius, Ludolphus, & alii.

Secundò, & germaniùs, Titelman. Euthymius, Foleng. Bellarminus, Turrecremata, Caſſiodorus, Haymo, Dionyſius, dicunt *deſpicere in opportunitatibus* eſſe, Deum diſſimulare, ac veluti non attendere ut adjuvet, cùm maxime tempus urget, & afflictio eſt vehemens, quæ ejus præſens auxilium requirit. Itaque, *deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione* eſt Hendyadis: id eſt, unum per duo: unde S. Hieronymus, Chaldæus, Syrus vertunt, *in temporibus anguſtiæ*. Arabs, *in tempore tribulationum*: Aquila, [illegible] id eſt, ad tempus & opportunitatem. Notat Agellius, aptiſſime dictà Septuaginta [illegible] hoc eſt, *ſuper vides*, quaſi oculos à nobis avertis. Sed hæc notatu eſt ſubtilior. Propriè, [illegible] eſt ultra ſeu ulterius aſpicere, & conſequenter contemnere, negligere, & quaſi ad majora oculos convertere. Pſal. 118. verſu 126. David petit auxilium in opportunitate, cùm ait: *Tempus faciendi* (id eſt, hoſtes conterendi) *Domine: diſſipaverunt* (S. Hieronymus, prævaricati ſunt) *legem tuam*: legem charitatis, te deſpiciendo, & me perſequendo. Vel, totam legem à Deo ſancitam, & omnia ejus præcepta.

Verſ. 23. 2. pars. 107. Auxilii implorati neceſſitatem aperit David, cùm ait pauperem, id eſt, ſeipſum, ſeu potius pauperem evangelicum, in cujus perſona loquitur, ardere. Itaque veluti clamans ad ignem, ad ignem dicit verſu vigeſimo tertio. DUM SUPERBIT (id eſt, bonis fortunæ abundat, & illis in ſuperbiam erigitur) IMPIUS, INCENDITUR PAUPER. PRO *incenditur* Hebraice eſt *iidlach*, quod duo ſignificat. Primo, accendere, ſuccendere, inflammare, ardere: unde S. Hieronymus vertit. In *ſuperbia impii ardet pauper* Syrus & Arabs, incenditur pauper. Septuaginta, [illegible] Aquila, [illegible] Symmachus, [illegible] Secundo, *iidlach* ſignificat ardenti & infeſto animo inſectari, cum ira & furore perſequi, ſicut apud latinos dicimus ira in aliquem inflammari. Hinc Felix vertit, *In ſuperbia impii perſecutionem patietur pauper*. Arias, *in ſuperbia impius perſequetur afflictum*. Hebraice עני *ani*, & pauperem & afflictum ſignificat: inde Græcum fit [illegible] mœror, triſtitia: [illegible] moleſtia & dolore afficio, lædo, dolorem infero.

108. Superbiente impio pauper incenditur, & quomodo. Quæres, Quo igne incenditur pauper, dum ſuperbit impius? Reſpondet primò Ugo Cardinalis, *incenditur pauper* ſpiritu, id eſt, purgatur. Vel incenditur amore Dei, ſicut pugil inflammatur, dum pugnat. Ita ipſe. Ignis itaque ille erit charitas, de qua Cant. 8. verſu 7. *Aquæ non potuerunt* (Hebraicè, non poterunt: Syrus & Arabs, non poſſunt, q. d. nullo tempore potuerunt) *extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*: potius augetur ille ignis charitatis per frigus & impetum perſecutionum. Chal-

1\. dæus ad rem noſtram aptè. *Dixit dominator ſæculi populo ſuo domui Iſraël: quamvis congregentur omnes populi, qui comparati ſunt aquis maris, quæ ſunt multæ, non poterunt extinguere miſerationes meas à te* (Charitas Dei erga nos eſt incendium inextinguibile) *& ſi congregati fuerint omnes Reges terræ qui comparati ſunt aquis fluminis, quod deſtillat cum impetu, non poterunt evellere te à ſæcula*. Charitas etiam ſanctorum erga Deum eſt ignis, qui victor ad cœlum tendit, & viam ſibi facit, atque per antiperiſtaſim contrariorum augetur; lampades ejus lampades ignis atque flammarum, vento ipſo lampas benè accenſa magis accenditur. S. Thomas & Didymus incendi hic volunt pauperem zelo pio.

Secundò, & melius, ignis ille quo pauper accen-

2\. ditur dum ſuperbit impius, à S. Thoma ſumitur de qualibet tribulatione & à quolibet illata: anguſtius enim ad Philiſthæos coarctat Agellius: ad Pharaonem atque Ægyptios Trevetus: ad Antichriſtum Lyranus, Dionyſius, Valentia, & S. Hieronymus. Quod autem afflictio ſit ignis, habes Pſalmo 16. verſu 3. *Probaſti cor meum & viſitaſti nocte: igne me examinaſti* (S. Hieronymus, conflaſti me: ſicut Abraham in Ur, id eſt, in flamma Chaldæorum: & Hebræos in fornace ferrea Ægypti, Deut. 4. 20.) *& non eſt inventa in me iniquitas*. Vide dicta Pſal. 65. 10.

3\. Tertiò, aptiſſimè Bellarminus, Petavius & Magnetius, *incenditur pauper*, id eſt, ſcandalizatur & uritur æſtu cogitationum, & ira atque indignatione ſuccenditur, dum ſuperbit impius dives & inſano ſe faſtu jactat ob potentiam ſuam & dignitates atque opum copiam. Pſal. 72. verſu 2. *Mei autem pene moti ſunt pedes* (S. Auguſtinus, commoti, id eſt, valdè moti. Septuaginta, [illegible] fluctuaverunt, quaſi in ſalo & fluctu maris agitati ſunt) *pene effuſi ſunt* (ut in lubrico loco) *greſſus mei quia zelavi ſuper* (S. Hier. contra) *iniquos* (Hebraicè, הוללים *holelim*, inſanos, ut vertit Pagninus, inſipientes, ut Felix. irriſores ut Chald. Superbit impius in felicitate, & miſeros deſpicit) *pacem peccatorum videns*. Pax ab Hebræis pro felicitate & omni bono ſumitur.

Quartò, pleniſſimè, *incenditur pauper*. 1. afflictione externa morborum, paupertatis, ignominiæ. 2. propriis cogitationibus ac dolore interno. 3. irriſione & intolerabili faſtu & arrogantia potentiorum, qui jam dejectum calcant ac vulneratum transfodiunt. Sic ex omni parte miſeriis circumdatur, ſive ſupra ſeaſpiciat, ſive intra ſive circa, ſive infra. Pſalmo 17. verſu 5. *Circumdederunt me dolores*. S. Hieronymus, funes) *mortis & torrentes iniquitatis* (torrentes diaboli, ut reddit S. Hieronymus, congregationes Belial, ut Felix, caterva peccatorum, ut Chaldæus, *conturbaverunt me dolores* (S. Hieronymus, funes) *inferni circumdederunt me, præoccupaverunt* (Pſalterium Romanum, & Ambroſius, prævenerunt) *me laquei mortis* S. Bernardus in ſententiis, ait, Torrentes iniquitatis, de temporalium preſſurarum moleſtiis: dolores mortis, de corruptibilibus carnis anguſtiis: dolores inferni, de occultis hoſtis inſidiis: laqueos mortis, de deceptoriis faciebus mundanæ gloriæ eſſe accipiendos. Sed hoc eſt myſticum. 4.

109. Dives facilè ſuperbit. Moraliter nota primò, facile ſuperbit dives, & per ſuam ſuperbiam fit impius in Deum ipſum. S. Gregorius lib. 2. in Ezech. homil. 19. *Abundantia*, inquit, *ſuperbiæ vicina eſt*. S. Cyrillus Alexandrinus in cant. Habacuc. nu 46. [illegible] ait [illegible] *ubi fortunæ majores ſunt, ibi ſuperbia*. Marcus eremita in diſputatione cum cauſidico, [illegible] *pecuniæ cupiditas & coacervatio eſt vanæ gloriæ & voluptatis materia*. Pavo pennis lucentibus oculatus facilè ſe circumſpicit, rotat, & aliis oſtentat. S. Jacobus cap. 4 verſu 16. *Nunc autem exultatis* (Græc. [illegible] id eſt gloriamini) *in ſuperbiis veſtris*, hoc eſt, in divitiis quæ faciunt ſuperbos, & in quibus ſuperbitis, ut Gloſſa & Thomas Angelicus explicant. Et vero, ut ait S. Aſterius homilia in avaritiam. Quis eorum palatia, *parvarum inſtar urbium* ſine muſſitatione perferat? Quis epularum veſtiumque luxuriam, atque aſſeclarum pompam? Clemens Alexandrinus lib. 2. pædag. cap. 3. non ſine ſtomacho reprehendit divitum vanitatem, qui ad virorum uſum habeant, [illegible] argentea urinæ receptacula, & ad mulierum ſentinam exhauriendam, [illegible] ex auro excrementorum facta receptacula: quas inanes & ridiculas pecuniæ profuſiones jure S. Baſilius vocat homilia contra diteſcentes [illegible], *diaboli methodum*.

110. Superbia divitis eſt ignis. Nota, Superbia divitis ignis eſt, Primò, quia ſicut ignis aſcendit ſemper, ita etiam ſuperbia, quia majora ſemper & altiora quærit: item majora & graviora ſemper facit ſcelera, & aſcendit ut Deum ipſum appetat inſtar Luciferi aſcendere volentis ſemper altitudinem nubium. Pſal. 73. verſu. 23. *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper*. Græcè [illegible] id eſt, *per omnia*, ſeu in omnibus. S. Auguſtinus & Caſſiodorus legunt. *Aſcendit ſemper ad te*. Secundo, ſicut ignis omnia quæ aſſequi poteſt, devorat, & in cineres redigit; ita avarus dives abſorbet quæcunque tangit, & alios ad paupertatem reducit. Ætnæ flammanti eum comparat Boëthius lib. 2. conſul. Philoſoph. metro 5. *Sævior ignibus Ætnæ, Fervens amor ardet habendi*. Tertio. ſicut ignis quo plura injiciuntur, plura deſiderat: & quo altior flamma cernitur, eò majus eſſe incendium ſcitur, & capax plura abſorbendi: in quo excellior eſt dives avarus. eò pabulum copioſius appetit & devorat, neque unquam ſaturatur. Proverb. 30. 16. *Ignis nunquam dicit ſufficit*. Igni inferni avarum comparat S. Aug. lib. de ſalutaribus documentis c. 30. *Avarus vir inferno eſt ſimilis. Infernus enim quantoſcunque devoraverit, nunquam dicit, ſatis eſt. Sic ſi omnes theſauri confluxerint in avarum, nunquam ſatiabitur*. Egregiè etiam S. Theophilus Alexandrinus epiſt. 3. de digna paſchæ celebratione, ait: *Infernus eſt avaritia, ſemper immenſa, ſemper immodica, ardorem peccatoris opum magnitudine non reſtinguens, &c. Non eſt compos mentis, ſed quaſi ebria fluctuat, unam habens menſuram, extra menſuram ſemper inquirere*.

Internus ille ſuperbiæ, avaritiæ, & furoris ignis in animo ſceleratoru permixtus eos primum vorat & abſumit. Verſ. eod. 23. COMPREHENDUNTUR Verſ. 23. 2. Pars.

TUR (Chald. capientur. Felix , capiantur) IN CONSILIIS. QUIBUS COGITANT , i. e. quæ cogitant. Eſt enim Græciſmus, ponendo relativum in caſu ſui antecedentis.

Senſus eſt primò. Tam impius glorioſus, quàm
111. juſtus pauper comprehenditur & illaqueatur, conſilio, & cogitatione ſua. Nam impius cogitat ſibi deberi illam felicitatem, & ipſe ſe decipit : juſtus verò videns impium proſperè agere, cogitat quid hoc ſibi velit, & magis ſe involvit. Ita Bellarm. Suis ambo conſiliis [illegible], id eſt, aberrarunt, ait Petavius. Hæc expoſitio eſt probabilis. Sic enim nulla eſt enallage ſeu mutatio numeri , quæ non eſt ponenda ſine cauſa. Secundo tamen , probabilius de ſolo impio hæc explicant S. Hier. S. Aug. Caſſiod. Titelm. Genebr. Magnetius, & alii. q. d. *comprehenduntur in conſiliis quibus cogitant*, id eſt, impii iis ipſis conſiliis quæ in ſanctos & pauperes meditabantur, irretiuntur. *Malæ cogitationes eorum vincula illis ſunt.* Suis fraudibus juſto Dei judicio pereunt, ait Genebrardus : proprio gladio interficiuntur , ſicut Goliath 1. Reg. 17. ait Ugo Card. *pœnis quaſi quibusdam uncis apprehenduntur* , ut loquitur Caſſiodorus , comprehendentur, illaqueabuntur , atque irretientur *quaſi vinculis quibusdam damnationis ſuæ*, in ſceleratis cogitationibus ſuis atque conſiliis : quibus cogitaverunt de pauperum oppreſſione, ut dicit Titelmannus.

Nota, pro *conſiliis*. In Hebr. eſt מזמות *mezimmoth*, id eſt primo *cogitationes* & hic ſumitur etiam in bonam partem *mezimma*. Prov. 2. 11. & Jobi 42. 2. Unde Pagninus vertit : *Capiantur in cogitationibus quas cogitaverunt*. Secundò, *mezimmoth*, id eſt, abominationes , ſcelera, cogitationes pravæ. Pſ. 36. 7. Prov. 12. 2. Unde hic S. Hier. vertit, *Capiantur* (Felix, comprehendantur) *in ſceleribus quæ cogitaverunt*. Tertiò, *mezimmoth*, id eſt, conſilia, meditationes, excogitationes ſolertes, calliditas, prudentia, ſolertia. Unde noſter vertit, in conſiliis. Arabs & Syrus, in conſilio. Chaldæus, in *verſutia, quam moliti ſunt patrare*. Rom. 8. 6. ait Apoſtolus : *Prudentia carnis* (id eſt, carnalis. Græcè, [illegible] hoc eſt, ſapere carnalia) *mors eſt*. Græca vox Pſalmi noſtri, nempe [illegible] ſumitur. 1. pro conſilio. 2. pro conſultatione & deliberatione. 3. pro temerario conſilio. Suidas enim ait, [illegible] eſſe [illegible], id eſt, offenſiones & lapſus ex abſurdis ratiocinationibus. Tales ſunt ratiocinationes & cogitationes avarorum ſua ſemper augere cupientium, & de temporalibus perinde ſtabilientis cogitantium , ac ſi æterni forent , cum ſæpe ſint unius brevis horæ floſculi. Lucæ 12. jure ſtultus vocatur dives, qui nocturna ſecum verſans conſilia cogitabat intra ſe dicens : Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos ? Et dixit : Hoc faciam , deſtruam horrea mea *& majora faciam* (Græcè *majora ædificabo*. Nunquam eſt contentus ſtultus) & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi. Sed illi ait Deus Verſu 20. *Stulte hac nocte* (id eſt in perpetua nocte peccator) *animam tuam* (hæc ſola tua eſt) *repetent à te* (Deus ſcilicet atque Angeli , & quidem ab invito, velut exactores) *& hæc quæ paraſti cujus erunt?* nihil tibi dabunt auxilii. Itaque pro *comprehenduntur*, in pſal. noſtro quidam vertunt *coadjuvantur* in conſiliis quæ cogitant, quæ Folengius explicat de hujus vitæ proſperitate : ſed magna miſeria eſt quæ ad flammas æternas ducit , & vinculis æternis ligat. Verè ait Deipara, Lucæ 1. verſu 51. *Diſperſit* (Syrus, diſſipavit) *ſuperbos mente cordis ſui*. Græcè [illegible] id eſt, per cogitationem ipſorum : quia , ut ait Curn. ſuperba eorum conſilia & machinationes in ipſorum met exitium retorquet, ut eos diſpergat juxta illud Job 5. 13. *Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum*. Pſalmo noſtro quadrat , quod quidam *ſuperbum* deducunt à Græca voce [illegible] id eſt, *ſupervolentus* , hoc eſt, valde violentus. Sic enim verè dicemus, *Dum ſuperbit impius, incenditur pauper*.

Moraliter , nota divitem avarum & ſuperbum
112. Conſiliis ſuis avarus & ſuperbus capiuntur. iis ipſis comprehendi conſiliis quæ cogitat. Nam unde ſibi gaudium & exultationem ſperabat , inde mœrorem & luctum percipit. Palladas lib. 1. Anthologicæ cap. 66. facit aurum aſſentatorem patrē, ſed [illegible], id eſt, doloris & curæ filium. Mallem doloris & curarum parentem dixiſſet , cùm S. Gregorius Nyſſ. lib. de vita Moſis folio 212. ſic loquatur. [illegible] *Crudelis domina avaritia ; quippe nullam unquam requiem ſervientibus præbere aſſoles.* Alios, & præſertim pauperes , in domunculis ſuis, ut cavernulis , latitantes, avarus diripit, ſed præda
Avari, ſua non gaudet : eum jure compares felibus Africis, quibus Gymneſiarum incolæ os ligant , cùm eos ad cuniculos capiendos adhibent , & in cavernas ipſorum immittunt, ut ait Strabo lib. 3. pag. 135. Ava- ſunt ſimiles felibus Africæ.
rum vero qui ſimul ſuperbiat, confer ranis in luto coaxantibus : magnum enim ſtrepitum edunt, & lutum ſuum non relinquunt, id eſt aurum , quod eſt lutum, & ſæpe voluptatibus & ſceleribus fœdum. Habacuc 2. verſu 6. *Væ ei* (Nabuchodonoſori aut Balthaſari regibus Babylonis) *Qui multiplicat non ſua: uſquequo & aggravat* (id eſt, multiplicat : eſt enallage quantitatis continuæ pro diſcreta) *contra ſe denſum lutum*, id eſt, numeroſam opum & pecuniarum multitudinem, ait Chriſtophorus à Caſtro ; Arias Montanus per denſum lutum intelligit negotia, in quibus laboris multum abſque ullo fructu inſumatur , ut Ezechielis 13. verſu 10. *Ipſe* (primus pſeudo propheta) *ædificabat parietem , illi autem liniebant eum luto abſque paleis.* Tullius negotia laborioſa & infrugifera, lutea vocat. Talia erant opera Iſraelitarum in Ægypto, id eſt, in mundo corrupto Pharaoni ſervientium. Divitiæ porro lutum ſunt, & lutum platearum. 1. ob vilitatem. S. Bernardus ſerm. 4. de Adventu. *Quid ſunt aurum & argentum ? nónne terra rubra & alba, quam ſolus hominum error facit (aut magis reputat) pretioſam?* 2. divitiæ ſunt lutum, quia animam inquinant. Chald. Væ qui multiplicas divitias non tuas, uſquequo aggregaturus es in te gravitatem peccatorum? Sunt verò divitiæ lutum denſum. 1. quia avari conantur aurum auro addere. 2. quia non facile penetratur divinis radiis qui illa cupiditate circumdatur. 3. quia degravat & dejicit. Sept. vertunt, *Uſquequò aggravat ſe quem ſuam graviter ?* ex ſuo auro ſibi avarus ſuperbus parat munilia quibus luceat, & funes facit atq; vincula quibus conſtringatur. Remigius, Opes, inquit, ſunt denſum lutum, quia ſinceritatem mentis contundunt , & graviſſimo pondere iniquitatis mentem premunt. Dei eſt ſolius ex eo luto eripere. Habacuc 3 verſu 15. *Viam feciſti in mari* (rubro : id eſt, in avaritia, in auri colore rubro ſibi applaudente) *equis tuis* (Apoſtolis) *in luto aquarum multarum.* Vide S. Gregorium lib. 31. Mor. 10. & lib. 34. c. 14. Ipſi mari omnia flumina in ſe recipienti, & inde non diteſcenti avarum comparat S. Antiochus homil. 8. & [illegible], id eſt, fontibus ranas habentibus, Pallad. hiſt. Lauſiacæ c. 95.

Cauſam & efficientem primò , & conſervantem poſtea divitum avarorum & ſuperborum ſcelera , Verſ. 24.
aſſignat David adulationem. Verſu 24. QUONIAM LAUDATUR PECCATOR IN DESIDERIIS ANIMÆ SUÆ (id eſt, animalitatis ſuæ, appetitus ſui inferioris : ſic ſæpe animus ab anima diſtinguitur ; ut pars ſuperior ab inferiori) ET INIQUUS (S. Auguſtinus & Pſalterium Roman. atque in Ambroſ. qui iniqua gerit) BENEDICITUR. 113. Adulatio fovet ſcelera potentium.

Nota primo , *Id quoniam* poteſt referri ad præcedentia & ad ſubſequentia. Nam primo poteſt reddere cauſam cur ſuperbiat impius , & in conſiliis ſuis comprehendatur. Utriuſque enim cauſa eſt laus falſa & fallens adulatorum , ut patuit in Roboamo filio Salomonis , cui applaudentes juniores & ſtræ ejus in Iſraelitas abblandientes , ab eo decem tribus abalienarunt nunquam poſtea ipſius regno uniendas. 3. Reg. 12. verſ. 16. Patuit etiam in Herode Agrippa, qui cum à Judæa deſcendiſſet Cæſaream, quæ prius Stratonis turris dicebatur, (ubi ſolemnes ludos celebravit pro ſalute Cæſaris , eo confluente magna multitudine nobilium & procerum ex tota provincia , ut ait Joſephus libro 19. Antiquit. Judaic. cap. 8.) ob adulationes populi , & ſuperbiam inde enatam, ab Angelo percuſſus interiit. Actorum 12. verſ. 21. *Statuto autem die* (Syrus, die perceleb i ; nempe , ut ait Joſephus, die ſecundo ludorum) *Herodes veſtitus veſte regia* (ſceptrum etiam manu tenens , & corona effulgens, his enim ornati, in ſignum ſupremæ poteſtatis reges judicabant) *ſedit pro tribunali* (ut cauſam Tyriorum & Sidoniorum ſibi ſupplicum definiret , quibus erat iratus) & *concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat , Dei voces , & non hominis. Confeſtim* (Syrus, eadem hora) *autem percuſſit eum Angelus Domini*, plaga ſcilicet lethali. Plaga hæc fuit dolor viſcerum & tormina, ut tradit Joſephus : item corporis putrefactio & fœtor, unde enim vermes ebullierunt , ſicut in primo Herode Aſcalonita, ſeu Idumæo dicto , qui innocentes pueros jugulavit , & filium habuit Herodem Antipam , cujus hic Agrippa fuit ex fratre nepos , & filium habuit Herodem Agrippam Juniorem , de quo Actorum 25. verſu 16. Quatuor autem Herodes fuerunt, Cauſa percuſſionis additur ; *eo quod non dediſſet*

dediſſet honorem Deo, ei ſuum eloquentiam, poteſtatem & majeſtatem regiam tribuendo, & ſe Deum negando.

Secundò, *Tò quoniam* poteſt reſpicere ſequentia, q. d. *exacerbavit Dominum peccator, quoniam laudatur in deſideriis animæ ſuæ*, & iniquus benedicitur, inde enim præſumptio & faſtus oritur: atque præceps, inſana, & furibunda quidlibet faciendi audacia. Hinc *Tò, & iniquus benedicitur*, multi junxerunt, cùm *exacerbavit Dominum*. Campenſis quidem vertit, Laudatur prædo, quique Dominum blaſphemat. Secundo, quòd hæc laus ſit cauſa execrationis & maledictionis exprimit Chaldæus cùm vertit, Qui benè precator homini perverſo, abominatur verbum Domini, & Vatablus, qui avarum beatum dicit, blaſphemat Dominum. Tertiò, avarus ipſe hoc maximè facit ſibi blandiens & ſe palpans. Unde Eugubinus vertit, *Avarus benedicens munera, blaſphemat Deum*: & cum Aben Ezra & Cajetano ſumens benedicere pro maledicere, ut accipitur Jobi primo, verſu quinto reddit. Avarus maledixit ſeu exprobaverit, blaſphemavit, aut ſprevit Deum. Felix verò, iniquus benedicit blaſphemanti Domino. Quartò, viciſſim adulator in ſe concitavit Deum. Pagn. vertit. Avaro benedixit, iraſci fecit Dominum. Ut enim ait S. Aug. *Adulantium linguæ alligant animas in peccatis. Delectat enim facere in quibus non ſolùm non metuitur reprehenſor, ſed etiam laudator auditur*. Ob eas. laudes ait peccatorem comprehendi in cogitationibus ſuis. Hinc Deus ait Iſaiæ 3. verſu 52. *Popule meus qui te beatum dicunt* (& à Deo benedictum ob aliqua dona & ſacrificia oblata) *ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum* (vitæ tuæ rationem & actiones) *diſſipant*. Plutarchus libro de diſcrimine adul. & amici vocat adulatorem, patriæ & virtutis inimicum, & Diogenes ait eſſe mellitum laqueum: putatur enim blandiri, & occidit. Pſalmo 34. verſ. 19. & ſeq. *Qui oderunt me gratis*, (Hebr. חנם *hinnam*, id eſt, ſine cauſa) *& annuunt oculis*. S. Hieron. conniventes oculo q. d. me oderunt, & tamen videntur amicè annuere & approbere ea quæ facio) *Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, & in iracundia terræ* (id eſt, terrena, q. d. qualem habent homines terreni & terram ſolam ſpectantes (*loquentes dolos cogitabant*, &c. Vide illum locum, ubi probavi adulatorem eſſe monſtrum portentoſum, cui ſint 1. corpus draconis. 2. cor Lupi. 3. oculi crocodili. 4. lingua Sirenum. 5. vultus Lamiarum. 6. rictus Leonis. 7. dentes canis. 8. anima dæmonû. Plato in Menexeno ait, ſimilem eſſe præſtigiatoribus: poſſis dicere, eſſe deteriorem Circe, quæ oleo ſuo & unguento magico illitos homines in porcos, lupos aliaſque feras commutat, ſed in externa tantum ſpecie, ipſe verò id facit in mente interius. Vide etiam dicta Pſ. 140. verſu 6. *Corripiet* (S. Auguſtinus, *emendabit*, correctio juſti emendat ac meliorem facit) *me juſtus in miſericordia* (corripere delinquentes eſt magna miſericordia. Hinc quidam apud S. Chryſoſtomum vertit, miſereatur mei juſtus miſericordiæ) *oleum autem peccatoris non impinguet* (S. Cyprianus epiſtola 70. non ungat. Optatus Milev. libro 4. contra Parmenianum, *non unget*. Hoc enim non patiar, 2. quia oleum illud non ungit, ſed laceret & excoriat, ac ſuccum omnem pietatis abſumit (*caput meum*.

114 Nota ſecundò, Pro *laudatur* Hebr. eſt הלל *hillel*, in conjugatione tertia, quæ maximè actionem ſignificat. Itaque S. Hieronymus vertit, *laudavit impius deſiderium animæ ſuæ*. 1. apud ſe ſibi applaudens de inventione nova, fraude, artificio reperto ad pecunias corradendas. 2. aliis aperuit cum gloriatione & oſtentatione. Syrus, *gloriatur impius* (Arabs, *impii*, nullum excipit) *in libidinibus animæ ſuæ*. Probabile eſt quod ait noſter Umfridus in commentario manuſcripto, & Bellarminus, legiſſe Septuag. הלל *hullal*, laudatus eſt. Nam eſt io conjugatinne quarta, id eſt, Pual, quæ eſt conjugatio paſſiva correſpondens activæ Piel. Dicere enim Piel aliquando reperiri in ſignificatione paſſiva non placet, cùm verba quæ in Kal ſunt neutra, ibi ſint activa: & quæ in Kal ſunt activa, vehementiorem actionem ibi denotent, ut *ſabar* in Kal ſignificat fregit: שבר *ſibber*, in Piel ſignificat confregit, penitus fregit: *maſar* in Kal, tradidit. מסר *miſſer* in Piel, diligenter tradidit. Verterunt igitur Septuag. ἐπαινεῖται ὁ ἁμαρτωλός, id eſt, *peccator laudatur*, &c. primò à ſe, quaſi diceret, laudat ſeipſum. Secundò ab adulatoribus, qui eum laudando peccatorem faciunt. Ut enim ait S. Greg. 4. Mor. 29. *Creſcit culpa favoribus nutrita; curari vulnus negligitur, quod dignum præmio laudis videtur*. Applauſus hic currum malitiæ in omnes invehit omnia vaſtaturum, ſed ipſum Pharaonem in mare rubrum, excuſſurum. S. Bernardus ſer. 19. in Cantica, hunc currum ſic deſcribit, & locum pſalmi noſtri attexit. *Accipe*, inquit. *quales hic ſuis principibus Pharao præparaverit currus ad perſequendum populum Dei. Habet namque malitia currum ſuum rotis quatuor conſiſtentem, ſævitia, impatientia, audacia, impudentia Valdè etenim velox eſt currus iſte ad effundendum ſanguinem, qui nec innocentia ſiſtitur, nec patientia retardatur, nec timore frænatur, nec inhibetur pudore. Trahitur autem duobus admodum pernicibus equis, & ad omnem perniciem paratiſſimis, terrena potentia & ſæculari pompa. Tunc namque quadriga iſta malitiæ currit valdè velociter, cùm hinc quidem potentiæ affectus ſubeſt ejus adimplendis malitioſis conatibus, inde plauſus pompæ arridet perpetratis ſceleribus, ut ſermo impleatur qui ſcriptus eſt, Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur*, Hactenus Bernardus.

115 Nota tertiò. *Deſideria animæ* ſunt, quæ ex appetitu proficiſcuntur cum brutis communi. Ita Lorinus. Et quidem Chaldæus vertit: *Iactat ſe improbus ob concupiſcentiam animæ ſuæ*, Hebraicè vox נפש *nephes, anima* quæ hic uſurpatur, ut ait Mercerus, ſæpè anhelitum tantum ſonat, ut Iſaiæ tertio initio Geneſis omnes animæ facultates ſignificat. Pro præcipua hominis parte quæ & Spiritus vitalis eſt ſæpè ſumitur. Item pro facultate appetente ſeu concupiſcente: atq; ita pro voluntate, animo, affectu, deſiderio, appetitu, concupiſcentia, anhelatione, aſpiratione ad aliquid ponitur pro loci differentia. Dicitur & hoc nomine promiſcuè ſanguis & vita. Geneſis 9. Levit. 17. & paſſim alias, etiam in novo teſtamento. Item pro altera parte hominis ex utroque compoſiti, corpore ſcilicet in quo eſt ſpiritus. Sic ſumitur affligere animam, & alias: etſi ad animæ facultatem etiam refertur. Apertè ubi anima mori dicitur Jobi 36. verſ. 14. vernaculè poteſt reddi per id quod dicimus *perſonne*. Interdum ergo ponitur per catachreſim pro corpore exanimi, in Levitico. Denique pro toto compoſito, animante, vel homine, à nobiliori parte. Sic Paulus, Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſit ſubdita. Et interdum collectivè. Geneſis 14. Hæc pro locorum ratione diſcernes. Ita Mercerus. Differt *nephes* à *neſama*, ut multi Doctores Hebræi volunt, quod נשמה ſpecialiter animam rationis participem, id eſt, νοῦν, ſignificet, ut cum nomine שמים *ſamaim*, id eſt, *cœli*, habeat ſimilitudinem, נפש *nephes* autem ſenſitivæ animæ nomen ſit. Utramque deſignatam quidam volunt Actorum. 17. verſu 25. ubi Paulus in Areopago diſſerens, ait: *Cùm ipſe* (Deus) *det omnibus vitam & inſpirationem*. Græcè, πνοὴν id eſt, halitum, ſpiritum, Syrus, animam ſenſitivam, & 1. Corinth. 15. verſu 45. *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem* (id eſt, Adam factus eſt anima, id eſt animal vivens vita ſenſitiva & vegetativa: ac proinde cibo, potu, aliiſque fomentis alendum, & in animali hac vita ſua conſervandû. Eſt ſynecdoche. Contra *noviſſimus Adam*, id eſt, Chriſtus, *factus eſt in ſpiritum vivificantem*, ut ſcilicet haberet poſt reſurrectionem animam glorioſam, quæ inſtar vivifici ſpiritus corpus planè vivificaret, illudq; redderet ſpirituale, id eſt, inſtar ſpiritus glorioſum, cibi expers, impaſſibile & immortale: corpus inquam tum ſuum, tum noſtrum. Eſt rurſus hic ſynecdoche: Chriſtus enim dicitur factus in ſpiritum vivificantem: id eſt, factus eſt ſpiritus vivificans, quia recepit ſpiritum, id eſt, animam vivificantem, tam ſe quàm ſuos. R. Abraham Gen. 2. collocat רוח *ruah*, in corde: נשמה *neſama* in cerebro, נפש *nephes*, in hepate. Hæc ſæpè confunduntur.

116 Nota quartò. Pro *iniquus* Hebr. eſt. בצע *boſea*, quæ vox ſignificat. 1. vulnerantem, in fruſtra concidentem. 2. opprimentem, vim facientem. 3. calumniantem. 4. concupiſcentem, deſiderantem, avarum, quæſtui ſordido inhiantem. Unde Pagn. vertit, *avaro benedixit*. Vatablus, avarum beatum dixit. Secundò, Campenſis reddit, Laudatur prædo. Nebienſis, raptorem benedicens. Arabs, oppreſſor benedicitur 3. generatim Noſter reddit, *iniquus benedicitur*. q. d. avarus tam multa habet vitia, ut antonomaſticè poſſit dici iniquus, velut ex vitiis totus conflatus, *le mechant*. S. Aug. legit, *qui iniqua gerit*: per fas enim & nefas pecuniam corradit. Syrus, *aualo*, id eſt, iniquus, perverſus, qui alios defraudat. Itaque avarus & iniquus ſunt ſynonima, 1. Tim. 6. 9. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli* (id eſt, in ſuperbiam, ut aliqui explicant. 2. in infidelitatem, ut S. Chryſoſt. 3. in damnationem æternam, ut Haymo. 4. in capti-

Avarus eſt iniquus.

captivationem mentis, quæ ad cœleſtia & divina evolare non poteſt. 5. in deſideria innumera acquirendi hoc, deinde illud ſine ullo termino: unde ſequitur, *& deſideria multa* (Hebr, ut dixi, *boſea*, avarum & concupiſcentem ac deſiderantem ſignificat) *inutilia & nociva, quæ mergunt* (Græcè βυθίζουσι, demergunt in profundum, q. d. [illegible], dejiciunt) *homines in interitum & perditionem*. Et maximè ad rem noſtrã ſubdit cauſam. Verſ. 10. *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas*, Græc. φιλαργυρία, id eſt, amor & cupiditas argenti, hoc eſt, pecuniæ: & ſic ibi cupiditas pro avaritia propriiſſimè dicta accipitur à S. Ambr. S. Chryſoſt. & Theophylacto in eum locum. Et quidem S. Ambr. ait: Avaritia, quia omnia mala poteſt admittere, ideo radix omnium malorum eſt: quia ut *deſiderio ſuo* expleat (quod tamen impoſſibile eſt, ut reipſa aſſequatur) & maleficia, & homicidia, & obſcœnitatem, & quicquid ſceleris eſt, perpetrat. Eam vocat Bias, [illegible] *metropolim omnis malitiæ*. Et Timon ad hoc pſalmo noſtro conformiter ubi habemus, *Dum ſuperbit impius* (id eſt, avarus) *incenditur pauper*. Dicit, duo eſſe malorum elementa, ἀπληστίαν & φιλοδοξίαν, id eſt, inexplebilem opum cupiditatem, & gloriæ appetentiam. Avaritia gladius eſt in manu dæmonis, omnes animæ facultates vulnerans & confodiens. *Boſea*, avarum & vulnerantem ſignificat quomodo etiam ſit oppreſſor videbitur infra.

Verſ. 25.
117.
Avarus eſt Deo injurius.

Non tantùm proximo nocet avarus, dives ac potens præſertim, ſed etiam Deo eſt injurius, & eum ad iram concitat. Verſ. 24. *Exacerbavit* (S. Aug. irritavit, Pagn. iraſci fecit) *Dominum peccator ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret*. Quis non quæret, & quid non quæret? Primò, de Deo id explicant S. Hieron. S. Auguſt. Ugo, Euthym. Agellius, ſed variis modis. Nam id in bonam partem ſumit Euthymius, quaſi diceret, Deus ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret, id eſt, *non exiget Deus pœnas iræ ſuæ condignas*. quod Didymus ait verum etiam fore in die extremi judicii, ubi miſcebit ſeveritati & furori miſericordiam: in ipſis item inferis punit citra condignum, ut loquuntur Theologi. Pſal. 129. 3. ait David: *Si iniquitates obſervaveris* (Hebr. תשמור *thiſmor*, id eſt, cum cura, ſollicitudine & indigentia inveſtiges. 2. in memoria tua accuratè & ſtudioſè retineas) *Domine, Domine quis ſuſtinebit?* Græcè, ὑποστήσεται, ſubſiſtet, conſiſtet, ſtabit, quaſi diceret, nemo poterit ſtare coram te, omnes corruent, & peribunt. Secundò, Euthymius aliter etiam explicat, *ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret*, Deus ſcilicet, quaſi diceret. Deus per pœnitentiam non exquiret, qui ita eum irritavit. Ita ipſe. Hæc autem maxima pœna eſt. Nam ſicut ait S. Petrus 1. epiſt. 2. 25. ſumus ſicut *oves errantes*, converti debemus ad paſtorem animarum noſtrarum, niſi velimus à lupis devorari, ſed id facere non poſſumus, niſi prius nos quærat & ad caulas ſuas reportet. Lucæ 15. Unde David ait Pſalm. 118. 176. id eſt verſu ultimo illius pſalmi longiſſimi, in quo totius vitæ ſpiritualis curſus continetur. *Erravi ſicut ovis*. Hebraicè, שה *ſe*, agnus, hædus) *quæ periit* (agnus perditus minus ſcit viam ad ſtabulum quàm ovis grandior: itaque ſine ulla ſpe eſt perditus, niſi à paſtore reportatur) *quære ſervum tuum* (non ſtatim tibi occurret, quia te fugit: opus eſt ut quæras) *quia mandata tua non ſum oblitus*: licet pars inferior erret per deſerta cum feris, tamen pars ſuperior tui memoriam retinet: priuſquam omnia pereant, & tui perdam imaginem & characterem, quo agnoſcar eſſe tuus, accurre ut me poſſis recuperare. Tertiò, Theodoretus ſic diſpungit: *Exacerbavit Dominum peccator ſecundum multitudinem iræ ſuæ: non quæret*, & arbitratur, *Tò non quæret* eſſe verba peccatoris, qui dicat Deum non quæſiturum, id eſt, non puniturum ſua peccata, [illegible] ait, [illegible], *furore atque rabie utens, tanquam nemine proſpiciente, in omnem iniquitatem fertur, non putans judicem ea quæ patrantur inquirere*. Sententiam hanc ſequitur Agellius, ſed videtur violenta, ut patet ex contextu, & interpunctione noſtra. Quarto denique, S. Auguſtinus & Ugo Cardinalis etiam de Deo non quæſituro, id eſt, non punituro, impios in hac vita, explicant: ſed id fieri dicunt ob ſummam Dei iram, ne corrigantur, quæ punitio ſumma omnium eſt. Hinc enim licentia majori acceptâ ſine fræno ad inferos currunt. Eccleſiaſtæ octavo, verſu undecimo, *Etenim quia non profertur citò contra malos ſententia* (Hebraicè פתגם *phithgam*, id eſt, negotium, res, verbum, ſententia cum executione ejus. Pagninus vertit etiam *ſententia*, Arabs reddit, quia non fit contra operantes malum inſultatio converſationis citò. Symmachus, ἀπόφασις, ſententia & decretum. Septuaginta, ἀντίρρησις, contradictio) *abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala*. Aquila, [illegible], id eſt, auſi ſunt. Symmachus [illegible], id eſt, intrepido corde, quaſi diceret, non modo illis non tremit manus, ſed nec cor quidem palpitat. Iſaiæ 26. v. 10 *Miſereamur impio, & non diſcet juſtitiam: in terra ſanctorum iniqua geſſit*. (id eſt, in terra tota, in qua ſunt multi ſancti, ut Adamus explicant, 2. & benè, in Judæa ubi Prophetæ ſunt & Dei notitia, ut Forerius. 3. ad rem præſentem aptè vertit Vatablus, *in terra* נכוחות *nechoboth*, *rectitudinum*, hoc eſt, recta, plana, expedita: in qua nihil eſt aſperum, nihil ſalebroſum. Oſeæ 4. verſ. 16. *Sicut vacca laſciviens declinavit Iſrael*, in prata voluptatis, ubi rident omnia. Chaldæus vertit. Sicut bos qui ſaginatur & recalcitrat. Deuter. 32. v. 15. *incraſſatus eſt dilectus*, & (id eſt, ideò) *recalcitravit*. Cauſa, vel occaſio ſaltem recalcitrationis eſt ſaginatio. S. Bern. ſerm. 42. in Cant. hanc Dei iram in ejus patientia & miſericordia agnovit. *Tunc magis iraſcitur Deus, cùm non iraſcitur: miſereamur, inquit, impio, & non diſcet juſtitiam. Miſericordiam hanc ego nolo, ſuper omnem iram miſeratio iſta, ſepiens mihi vias juſtitiæ. Satius profectò mihi juxta Prophetæ conſilium apprehendere diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & peream de via juſta*. Lege cætera. Ventus neceſſarius eſt, ut portum teneas: malacia ſummum eſt in mari malum. Maxima Dei ira fuit, cum deſiit punire adulteras per aquas maledictionis apud Judæos.

Secundo, & ſimplicius ac verius, *non quæret*, ſupple peccator, idque ſecundum, id eſt, propter multitudinem, id eſt, magnitudinem (eſt enallage quantitatis diſcretæ pro continua) iræ ſuæ, hoc eſt, quia furibundus, & rabie magna correptus S. Hier. vertit: *Impius ſecundum altitudinem* (hoc ſignificat Hebraicè גבה *goba*) *furoris ſui*. Hebr. אפו *appo*, id eſt, naſi ſui, ut vertit Vatablus) *non requiret*. S. Auguſt. ſerm. 37. de verbis Domini: *Præ magnitudine iræ ſuæ non exquiret*, id eſt, non quæret ſollicitè & diligenter, imò ne quæret quidem: aut potiùs etiam inventa rejiciet atque conculcabit, omnia enim præ ſe contemnit. Vatablus reddit, *Impius in altitudine naſi ſui* (vertit alius, *propter ſuperbiam*, id enim etiam ſignificat *goba*) *nihil penſi habet*. Superbia, ut ait Genebrardus, ſicut latinè dicitur ſupercilium, metaphora ab oculorum ſuperioribus pilis: ita hic altitudo naſi, à naſi elevatione & motu, quaſi diceret. Palam & externis ſignis ſuam contra Deum impudentiam ſceleratus oſtendit. Syrus habet. *Impius in ſuperbia ſua non perpendit*. Et mala libra, omnia illi impoſita defluunt ex alto.

Petes, Quid non quærit peccator, id eſt, avarus, ſuperbus, de quo præcipuè eſt quæſtio? Reſpondeo primò, præ nimio ſuo faſtu & ea quæ ex faſtu oritur in tenuiores ſævitia, non quæret quid ſit licitum, quid non: Ita Janſenius. Secundò, non quæret Deum ipſum, neque curabit illi ſe per pœnitentiam reconciliare: imò eum contemnet ac pro nihilo ducet. Ita Bellarm. Foleng. Janſen. Lyr. Petav. Titelm. Magn. S. Thomas, S. Chryſoſtomus. Et quidem pro *exacerbavit Dominum peccator*, avarus ſcilicet, cùm immediatè ante vocavarit *boſea* id eſt concupiſcentem, avarum, &c. ut dixi. Euſebius refert Aquilæ verſionem, *convitiatus eſt Dominum impius*, & Hebr. נאץ *nier*, quod Noſter reddit, *exacerbavit*, propriè ſignificat ſpernere, contemnere, flocci facere, reprobare, contumeliis & convitiis irritare, blaſphemare, exprobrare, negare: unde vernaculum *nier*. Avarus negat Deum, eſt enim idolorum ſervitus, ut ait Apoſtolus, & dicitur articulo ſequenti. De Antichriſto hæc omnia explicant S. Hieron. S. Aug. Caſſiod. Valent. Dionyſ. Ugo Card. ſed latius patent.

ARTICULUS II.

Avaritia intellectum, voluntatem, memoriam, linguam & actiones corrumpit.

Verſ. 26. 1. Pars. 118. Avaritia totum hominem corrumpit.

IN Deum & proximum injurios eſſe avaros vidimus articulo ſuperiore; nunc quantum ſibi ipſi noceant diſpiciamus.

Primò, Intellectus, qui eſt luminare majus & lux cœleſtis virtutum, in avaro extinguitur. Verſ. 26. 46. NON EST DEUS IN CONSPE-

CTU

CTU EJUS, id eſt, Deum non aſpicit, Deum ſibi ob oculos non ponit, oculos ſuos Deo ubique præſenti, ut Soli, claudit, ne lucem ejus videat, & ea admille incaleſcat. Hebr. *Non Deus omnes cogitationes*
1. Ejus intellectum. *ejus*, id eſt, nullæ ejus cogitationes Deum, ut characterem ſacrum præferunt. Ubi adverte, *non omnis* apud Latinos idem eſt atque, *aliquis non*: apud Hebræos vero idem eſt ac *nullus*. Sic Pſalm. 49. 18. dicitur, Cum interierit non ſumet omnia: hoc eſt, nihil ſumet, nihil ſecum dives auferet. Arabs vertit, *Non eſt Deus ante eum*, illi enim tergum obvertit ut ſenes illi fatui altari ipſis Jeroſolymitano, ut adorarant Solem orientem, id eſt, ſpes mundanas ſemper orientes, ſed nunquam ad perfectum diem pervenientes. Ezech. 8. v. 16. *Et introduxit me* (Angelus) *in atrium domus Domini interius* (in atrium Levitarum, ubi erat altare holocauſtorum ſubdio) *& ecce in oſtio templi Domini* (in veſtibulo Sancti, id eſt, primæ, partis templi, inter veſtibulum & altare holocauſtorum) *quaſi viginti quinque viri dorſa habentes contra templum Domini* (& conſequenter contra arcam, & Deum ſedentem in ejus propitiatorio) *& facies ad Orientem* (cùm altare thymiamatis & arca eſſent in parte occidentali templi) *& adorabant ad ortum Solis*, more ſcilicet Gentilium, qui Solem Orientem adorabant, ut ait Triſmegiſtus in fine Aſclepii, & patet Jobi 31. 26. Lucem & radios auri amat avarus, & eos ſolos aſpicit. S. Baſil. hom. in diteſcentes fol. 388. ἀνόμαστος ἡ ἀμείλικτος ... τὰ χρυσᾶ βλέπεις: *inflexibilis & duri cordis, omnia aurum vides*. Læſa eſt phantaſia avari, in omnibus aurum videre ſe & ejus acquirendi occaſionem, arbitratur: vel ipſam terram, mare, & Solem ſibi in aurum verti optaret, ut ait S. Chryſoſtomus.

Secundò, Avarus Deum non videt ante ſe in omnibus poſitum, quia cæcus eſt. S. Ambroſ. ſerm. 59. *Avaritia cæcitas eſt*. Aureos quidam ſe oculos habere ſomnians, excæcatus eſt. Antiphanes poeta Græcus ait: *Divitiæ*, ... *tanquam malus medicus*, ... *quos acceperint videntes, excæcare conſueverunt*. S. aſpiciuntur, faſcinant, & excæcent. Menander id ſcripſit, & experientia quotidiana edocet. *Cæcæ*, ait *divitiæ ſunt*, ... *atque eos qui ſe intuentur, cæcos reddunt*. Sic excæcati oſſeſi in terram ſe infodiunt, ut talpæ, ne vel quædam ſaltem maligna lux cæcutientibus oboriatur, aut à cæcitate ſanati cœlum videri poſſint. S. Ægidius S. Franciſci ſocius dicebat: Hominem avarum jure comparaveris talpæ, nam hoc ſolum putat bonum, evertere humum, & in ea demorari, cum ſint multa alia longè potiora, quæ is ignorat.

Tertiò, Avarus excæcatus, omnes ſibi hoſtes eſſe putat ac Deum ipſum, à quo ſe videri non credit. Chaldæus in pſalmo noſtro vertit: *Dicet in corde ſuo, quod non ſint manifeſtæ ante Dominum omnes cogitationes ſuæ*. Sicque avarus eſt infidelis. S. Maximus hom. 2. de avaritia. *Qui*, ait, *pecuniam appetit, fidem perdit*. Et S. Ambroſius ſerm. 59. *Avaritia cæcitas eſt, errorem religionis inducit*. S. Petrus Damiani avarum vocat *nummicolam*, opuſculo 12. cap. 6. & virtutis amentes appellat Chriſticolas. S. Gregorius Nazianzenus orat. 15. in plagam grandinis. *Altare Dei*, ait, *eſt cor noſtrum, cùm aurum illi argentumve ſuperponimus, Baal & Aſtarten, & execrandum illum Chamos adoramus*. Nicetas in orat. 39. ejuſdem ſancti Patris ait, aurum ab avaris recondi, quaſi ſacrum quoddam donarium. Epheſiorum 5. 1. ait Paulus clare: *Hoc ſcitote intelligentes* (totus legentes, exteriori luce auri non cæcati) *quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus* (Græce, ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης, idololatra, idolorum ſervus. Sed Noſter ſignatius avarum vocat ſervitutem idolorum, quia ad idololatriam alios impellit, inſtar Nabuchudonoſoris cogentis populum ad ſtatuam auream adorandam) *non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei*: & juſtè quidem, ut qui cœlum præ terra contempſit, à cœlo contemnatur, atque ab eo rejiciatur. Ingenioſe Theophylactus in locum illum Pauli ait: Quod David dixit Pſalmo 113. *Simulacra Gentium argentum & aurum, hoc magna ſapientia invertit Paulus, aiens: Argentum & aurum ſunt ſimulacra & idola avarorum*.

Verſ. 26. 2. Pars. 119. 2. Voluntatem inficit avaritia. Secundo, obſcurato intellectu, ut Sole: voluntatem quoque, ut Lunam, avaritia obſcurat & terra interpoſita eam efficit fuliginoſam, cineream, & ingrati coloris. Aut potius, voluntas excæcata in lutum ſe ac ſordes præcipitat. Verſu eodem 26. INQUINATÆ SUNT VIÆ ILLIUS IN OMNI TEMPORE. De diabolo id explicat Dionyſius. Nam diabolus ſemper peccat, tamen nunquam bonam facit actionem. Secundò, de Antichriſto, S. Aug. S. Hier. Caſſiod. Dionyſ. & alii multi. Hic enim vocatur 2. Theſſ. 2. 3. homo peccati, ait enim Paulus non fore judicium extremum, *niſi venerit diſceſſio primum* (id eſt, Antichriſtus, ut ait S. Auguſt. qui legit, *refuga*: ſed Græcè eſt ἀποστασία id eſt, diſceſſio, rebellio, apoſtaſia: illa ſcilicet generalis plurimorum gentium rebellantium contra Romanum imperium, ut ait S. Ambroſius: & contra Papam, ut S. Anſelmus) *& revelatus homo peccati, filius perditionis*, id eſt, perditiſſimus, & veluti totus conflatus ex peccatis, adeo ut tota peccati univerſitas in eo habitatura ſit, ut ait S. Irenæus. Suares 3. p. tom. 2. diſp. 54. ſect. 3. Thomas Maluenda 2. de Antichr. cap. 19 Viegas in cap. 1. Apocal. 13. com. 3. ſect. 4. Pererius 12. in Dan. in eam ſententiam inclinant, ut dicant Antichriſtum nullum prorſus unquam opus bonum facturum, ſic benè illi pſalmi noſtri verba congruent, *inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore*, infantiæ ſcilicet, pueritiæ, adoleſcentiæ, juventutis, virilis ætatis, proſperitatis, adverſitatis, privatæ vitæ & regiæ, de die, nocte, Dionyſius ait, à primo inſtanti quo cœperit uti ratione, per totam vitam peccaturum eſſe, quia Lucifer deſcendat in eum in utero matris, & diriget eum in omnibus. Sed hoc dicitur ſine fundamento.

Tertio, generatim loquitur de omni peccatore, ſed præſertim de avaro. Cùm autem dicitur, *Inquinatæ ſunt viæ ejus omni tempore*, eſt hyperbole, id eſt, ſæpiſſime, pene ſemper q. d. eſt ſordidiſſimus & inquinatiſſimus; actiones ejus (ſunt enim viæ per quas ambulat) & agendi modi, polluuntur & fœdantur innumeris peccatis. Divitiæ enim terrenæ ſunt ſordes. Oſeæ 4. 11. *Calumniam patiens eſt*. Hebr. עָשׁוּק *aſuc*, oppreſſus, ab Aſſyriis ſcilicet & eorum rege Salomanaſare. *Ephraim* (decem tribus Iſraëlitarum) *fractus judicio*. (Hebr. רָצוּץ *Rezuz*, id eſt, concuſſus, conculcatus, proſtratus Dei judicio juſto, & injuſto Aſſyriorum) *quoniam cœpit abire poſt ſordes*, id eſt, poſt idola, ut explicat S. Hieronymus, Haymo, Albertus, Lyr. Dionyſ. ſecundo, poſt avaritiam: unde Chaldæus vertit: Oppreſſus Ephraim, oppreſſus judiciis, quia ſe verterunt judices eorum, *ut errarent poſt mammona iniquitatis*. Nec judices tantùm, ſed populus adorans vitulos aureos à Jeroboamo poſitos in Dan & in Bethel, id eſt, apud ſæculares qui ſunt Dan, id eſt judicium, aut judicans: & apud Sacerdotes, qui ſunt Bethel, id eſt domus Dei. Pagn. vertit, *cœpit abire poſt præceptum*, id eſt, adorandis ſcilicet illius vitulis aureis, ut explicant Vatabl. Arias, & Clarius.

Sophon. 1. 12. eorum turpitudo & pœna ponitur: *Scrutabor Ieruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis*, Hebr. קֹפְאִים *Kophim*, id eſt coagulatos, ut vertit Arias, ſeu incubantes fæcibus ſuis; hoc eſt, ut explicant R. Kimhi, Vatabl. Iſidorus, Robertus, qui ſummo otio & tranquillitate potiuntur in divitiis ac deliciis ſuis. Et quidem apertè Chald. vertit: *Animadvertam in viros, qui ſumma tranquillitate fruuntur in divitiis ſuis*; ibique figuntur toto corde & corpore, Hebr. *Kapha*, ſignificat coagulare, condenſari, compingi, concreſcere, congelari. Avarus eſt Tantalus in luto equarum multarum. S. Chryſoſt. in Pſ. 4. 5. in illud, *Filii hominum uſquequò gravi corde, &c.* vocat cor avari, ..., cor luteum. Deſcendit in Ægyptum, ut bibat ibi aquã turbidam: S. Zeno Veron. Epiſt. 1. de avaritia, dicit ab ea fundi *criminum fluenta*. S. Valerian. hom. 20. vocat criminum ſylvam. à S. Paulo vocatur immunditia, Epheſ. 4. 19. *Semetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in avaritiam*. Græc. ἐν πλεονεξίᾳ, id eſt in avaritia: hoc eſt, ut explicat Cornelius, avariſſime cupidiſſimè, & cenſet avaritiam ibi ſumi pro intenſa cupiditate libidinis; ſed melius ſumetur in propria ſignificatione, quia avaritia eſt etiam ſordida. & S. Ambroſius legit, inoperationem immunditiæ omnis & avaritiæ. Et cap. 5. verſ. 5. ſimul junguntur fornicator, immundus, & avarus: mulus mulum fricat. S. Joan. Climacus grad. 16. ait, avaritiæ eſſe multiplicem ſpiritum: quia ſcilicet ex ea omnia vitia pullulant.

Nota, pro *inquinatæ ſunt*, Hebr. eſt. יָחִילוּ *jahilu*, id eſt primo polluuntur, ut legit Caſſiod. contaminantur, ut S. Auguſt. & quidem ſicut inquinantur mulieres quæ pariunt. Hinc S. Hieron. vertit, parturiunt. Cajetan. parturient. 2. *jahilu*, id eſt, dolore afficient, ut reddit Pagninus: dolore afficiunt, ut Vatablus: moleſtæ ſunt, ut Arias. 3. *jahilu*, id eſt, proſperabuntur, ut Felix habet: proſperantur, ut Chald. Hæc omnia ſignificat *ḥul*: ex quo in Hiphil

ſi

fit jabilu. A proſperitate porrò ipſa oritur inquinatio. R. David de Pomis notat עבטית *abtit*, apud Hebræos ſignificare lutum multum, & divitiarum copiam. Ex abundantia auri & opum ſæpè fit vita lutea & ſordida.

Nota 2. Ex variis illis verſionibus, & in tempore præterito, & in præſenti, & in futuro, oſtendi in divitiis eſſe inquinationem & dolorem, ut de avaro poſſis dicere: *Inquinatæ ſunt viæ illius omni tempore*. Deinde divitiæ primò dum acquiruntur moleſtiam & peccata afferunt, & in locis lutoſis habitantes accipi vix poſſunt, niſi te inquines. S. Aſterius hom. de divite & Lazaro: *Divitias, ait, accumulare ſine peccato impoſſibile.* Secundò, divitiæ cùm retinentur, manum & cor inquinant, & illud grave reddentes in lutum demergunt, Pſal. 4. 3. *Filii hominum, uſquequò gravi corde* (Chald. uſquequò honor meus ad vituperium?) *ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* id eſt, fallaces divitias, ut eas vocat Chriſtus, Matth. 13. 22. Vide illum pſalmum. S. Hieron. epiſt. 13. ad Paulinum, & epiſt. 33. ad Julianum refert Cratem Philoſophum ingens auri pondus in mare abjeciſſe, dicentem: *Mergo illud, ne mergat me.* Et S. Chryſolog. ſer. 29. *Aurum, ait, naturâ grave, cœleſtes animos ad inferna deponit, obſcurat ſenſus ſemper, alta mentium ſemper in terram demergit.* Tertiò, Divitiæ cùm recedunt ab avaro, illi cauſa ſunt doloris maximi & peccatorum. In diſceſſu enim, inſtar ſervi fugitivi, ne in fuga retineantur, poſſeſſorem ſuum variis vulneribus confodiunt, & humi proſtratum in pulvere & luto relinquunt. S. Chryſoſt. hom. in illud: Aſtitit Regina à dextris tuis, ſic ait: *Videte divitias, quas ſemper vocabam ſervum fugitivum: nec fugacem modò dixerim, ſed & viricidam: non enim ſe poſſidentes deſerunt ſolùm, ſed & ipſos jugulant: Cùm enim eas quis ſolerti magis ſtudio coluerit, tunc vel maximè proditionem moliuntur in ſuum cultorem.* Sic ait Salomon Prov. 21. 7. *Rapinæ* (divitiæ rapinâ quæſitæ) *impiorum detrahunt eos* (Rabbi Aben Ezra vertit, *ferrabunt*, id eſt ferrâ divident, qui dolor eſt maximus. Hebr. יגורם *jegorem*, ſi ſumatur à גרה *gara*, id eſt, detrahere, attrahere, ſerrare, ſignificat detrahent eos, vel ſerrabunt eos. 2. Si à גור *gur*, id eſt, peregrinari, habitare, pavere, contrahere, ſignificat terrebunt, &c. eos, vel, habitabunt cum eis, ut vertit R. Salomon. 3. Si à גרם *garam*, id eſt exoſſare, ſignificat exoſſabunt eos: ne unum quidem os integrum illis relinquent, omne robur auferent iis, *qui noluerunt facere judicium*, hoc eſt, præſtare id quod juſtum eſt. Ubi adverte etiam, quod pro *rapinæ*, in Hebr. eſt שוד *ſod*, id eſt 1. Rapina. 2. Vaſtitas, vaſtatio, perditio, pernicies: unde Septuag. vertunt, ὄλεθρος, hoc eſt perditio: vel, peſtis & exitium, ut vertit author Catenæ Græcæ. Qui itaque divitias malè partas aſſervat, peſtem & mortem domi habet. In Catena enim illa ſic vertit totum verſum: *Peſtis apud impios morabitur, ut qui æquum & juſtum facere non velint.*

Itaque rectè concludes cum Davide: *Inquinatæ ſunt viæ illius omni tempore*, & cum S. Joanne Climaco grad. 16. *Neque fluctus unquam deerunt mari, neque avaro iracundia & mœror deeſſe poterunt.*

Nota tertio, ex hoc antecedenti, *non eſt Deus in conſpectu ejus*, benè ſequi illam conſequentiam. Ergo, *inquinatæ ſunt viæ illius omni tempore*. Sicut enim Pſ. 15. 8. in illud, Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, *ne commovear*, fusè oſtendi, à Deo in virtute conſervari eos, qui ſe præſentem ubique ſpectent: ita qui Deum non conſiderant ubique adeſſe, facilè commoventur, & in præceps ruunt. Cain dicebat Deo Gen. 14. *Ecce ejicis me hodie à facie terræ*, id eſt, à patria mea jucundiſſima & fertiliſſima, ait Oleaſter & Pererius, *& à facie tua abſcondar*, cura, favore, & tutela tuâ deſtituar, ut dicit S. Chryſoſtom. & Cajetanus; atque ego veluti reus præſentiam tuam, ut judicis mihi irati, fugiam, ut ait S. Ambroſius. Et verſ. 16. dicitur: *Egreſſusque Cain à facie Domini, habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.* Hebr. eſt, habitavit in terra נוד *nod*, id eſt, agitationis & commotionis, & quidem vehementis. Nam *nod*, & נוע *nua*, in hoc differunt, quod *nua* ſit generaliter moveri: *nod* verò, moveri cum crebriori agitatione & concuſſione. Ridiculum eſt quod quidam Rabbini ſomniarunt, terram in qua habitavit Cain, ideò dictam eſſe terram nod, id eſt agitationis, quod quæcunque terra Caini pedibus calcaretur, fluctuaret & tremeret; Dicta eſt nod, quod in ea terra Cainus ipſe contremiſceret à DEO rejectus. Signum enim in eo poſuerat Deus quo cognoſceretur, nempe continuum tremorem mentis corporis vultusque conſternationem: timebat namque ne occideretur, ut dicitur verſ. 14. *Omnis igitur qui invenerit me, occidet me*, cum ſcilicet ero remotus à te. Hoc in peccatore verum eſt, qui à Dei præſentia ſeparatus, à quacumque tentatione transfoditur. Didymus vocat Cainum hujus impietatis patrem, qua homo ſe à Deo avertit.

Primò, Averſio illa à Dei conſpectu cauſa eſt ſuperbiæ, Pſal. 53. 5. *Alieni* (Chald. זדונין *zedanim*, id eſt, ſuperbi) *inſurrexerunt adverſum me, & fortes* (Hebr. עריצים *ariſim*, id eſt, violenti, formidabiles) *quæſierunt animam meam: &* (id eſt, quia) *non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.* Arnob. legit, ante oculos ſuos. Eum non ſpectant, ſed ſe & ſua: id patuit in Pharaone & Nabuchodonoſore ſuperbientibus, quod Deum neſcire vellent, & eam ob rem pereuntibus, poſtquam populum ejus afflixerunt.

Secundo, Averſio illa à Deo, eſt cauſa luxuriæ, & totalis ruinæ animæ, ut apparet in prodigo recedente à domo & oculis patris, Luc. 15. 13. *Congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam* (S. Auguſt. lib. 2. quæſt. Evang. c. 33. *Regio, ait, longinqua eſt oblivio Dei*) *& ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam* (dona naturæ & gratiæ) *vivendo luxuriosè* (ἀσώτως, id eſt, cum libidine & cum luxu) *poſtquam omnia conſummaſſet* (Græc. δαπανήσαντος, id eſt conſumpſiſſet) *facta eſt fames valida in regione illa, & cœpit egere.* Ubi Deus eſt, ibi abundantia & vita eſt: ubi Deus non eſt, ibi fames eſt & mors. Pſalm. 72. 27. *Ecce, qui elongant ſe à te*, (Chald. impii qui abhorrent à cultu tuo. Unum ex altero ſequitur: Nam, ut dicitur vulgari parœmia: procul ab oculis, procul à corde) *peribunt: perdidiſti* (Hebr. הצמתה *hiſmattha*, id eſt tabeſcere feciſti, ſuccidiſti, occidiſti) *omnes qui fornicantur abs te*, per idololatriam, quæ, ut ait S. Thomas, eſt fornicatio ſpiritualis. Chriſtus enim eſt Sponſus animæ; quæ ad idola vertitur, adulteram quærit. Et ſæpè utraq; fornicatio erat ſimul juncta; ut patet in populo Iſraël peccante cum puellis Moabiticis, & earum idola colentibus, nempe Beelphegor, id eſt Priapum, qui fuit Bacchi & Veneris filius, & præſes obſcœnitatis, atque hortorum Deus. Sic enim habetur. Num. 25. 3. *Initiatusque eſt Iſraël Beelphegor*, id eſt, conſecravit ſe illi, & addixit. Vatablus vertit, *Conjugatus eſt Iſraël ipſi Beelphegor*, q. d. conjugium cum eo iniit, eum in ſponſum accepit relicto Deo. Nam idololatra, ut ait Cornelius, quaſi conjugium & copulam init cum idolo, præſertim Priapo. Ibi enim colebatur copula meretricia. Facilè ſe alteri jungit, quæ à Sponſi conſpectu ſæpè recedit. De muliere mala, id eſt concupiſcentia, vel mala & erratica voluntate, dicitur Eccli. 25. 35. *Si non ambulaveris ad manum tuam* (ſecundùm directionem tuam, & imperium) *confundet te in conſpectu inimicorum*, & cum eos aſpiciat, & cum ab iis aſpicietur. Et accommodatius huic loco adulteram deſcribens Salomon, qui irretire juvenem ſtultum conatur, eam ſic loquentem inducit, Prov. 7. 19. *Non eſt vir in domo ſua: abiit viâ longiſſimâ. Sacculum pecuniæ ſecum tulit, in die plenæ Lunæ reverſurus eſt* (ejus tacum referens cornua. Pagn. in die ſtatuti temporis. Sept. in neomenia, ſive novilunio. Noſter, in die plenæ Lunæ, id eſt in plenilunio) *in domum ſuam.* Tunc peccat adultera, cum virum ſuum præſentem non videt: ita anima, cum Deum velut longè à ſe poſitum ſpectat. Cætera vide percurre.

A voluntate ad memoriam gradum facit David. Verſ.
Nam avarus nititur Dei judicia oblivisci, & Deum 26.
ipſum, ut liberius graſſetur verſ. eod. 26. AUFERUNTUR JUDICIA TUA A FACIE EJUS. Senſus eſt primo, beneficia tua non recordatur, ut explicat S. Thomas. Secundò, leges tuas penitus deſpicit, ut Theodoretus: Longè ſunt ab illius animi atque cogitatione præcepta tua, nil minus quàm tuas leges cogitat, ut loquitur Agellius: jura, præcepta tua & leges tuas negligit, neq; conſiderat, ut Genebrardus. Hæc omnia aliquando ſignificant judicia Dei; ſed tamen tertiò melius hic judicia ſumemus in propria notione cum S. Hier. S. Auguſt. Caſſiodor. Titelm. Petav. Magn. Bellarm. ſic autem ſenſus erit primo, ut ait S. Aug. *Animus malè ſibi conſcius, dum ſibi videtur nullam pœnam pati, credit quòd non judicet Deus: & ſic auferuntur judicia Dei à facie ejus, cùm hoc ipſo ſit magna damnatio.* Secundò, cum in Hebræo pro *auferuntur* ſit מרום *marom*, id eſt altitudo. Arias Montanus vertit. *Altitudo judicia tua è regione ejus.* Felix, excelsè judicia tua à conſpectu ejus. Vatabl. & cum pentus: Alte ſublata ſunt judicia tua à facie ejus. Eugubinus, qui hæc jungit cum præcedentibus, In omni tempore longè ſunt judicia tua

3. Pars. 120.
4. Avaritia memoriam corrumpit.

à facie ejus, id eſt, ait Folengius, ardua illi ſunt tua judicia, quæ minimè apprehendere poteſt: quid de ſe ſtatuas, ignorat prorſus. Tertiò, & ſimpliciſſimè, ſenſus eſt, non meminit tuorum judiciorum, ſive condemnationum & pœnarum, ut ait S. Baſilius, præſertim extremi judicii, quo ſceleratorum omnes actiones examinabuntur, omnium oculis exponentur, reprobabuntur, condemnabuntur, & ad ignem æternum eos præcipitabunt, hanc memoriam à ſe quàm longiſſimè poteſt, impius rejicit, ut liberius peccet; ideò S. Chryſoſtomus notat, ejus actiones eſſe inquinatas omni tempore. Contrà verò David ait, eâ ſe memoria judiciorum Dei ſuam innocentiam conſervaſſe, Pſ. 17. 23. *Quoniam omnia judicia ejus* (judicialia præcepta, ait Lorin. 2. Remuneratio Sanctorum, & damnatio peccatorum in alia vita, ut S. Auguſt.) *in conſpectu meo: & juſtitias ejus* (præcepta ejus, ut S. Hieronymus vertit. 2. Pœnas impiis illatas) *non repuli à me* (à Deo, ab Angelis, à Concionatoribus animo noſtro objiciuntur) *&* (id eſt, ideò) *ero immaculatus cum eo* (Chal. Et fui perfectus in timore ejus) *& obſervabo me* (Pagn. & cuſtodivi me) *ab iniquitate mea*: adulterii ſcilicet & homicidii, quæ iterum vellet in arcem mentis meæ penetrare, ut hoſtis infenſus quòd è ſuo domicilio eſt expulſus.

Quartò, & optimè, *Auferuntur judicia tua à facie ejus*, q. d. tolluntur & à Deo, & ab ipſo peccatore, & à dæmone cogitationes de judiciis divinis ex ejus memoria. Hoc ſignificat Græcum ἀνταναιρεῖται, id eſt vicissim auferre, q. d. peccator vult non meminiſſe illorum, & viciſſim Deus tollit gratias ſuas, quibus ablatis animo ejus non occurrunt, dæmon verò fit potentior, ut penitus ea deleat ex ejus phantaſia. Paulo aliter explicat Heſychius: cum, ait, Deus judicii comminatione peccatum velit auferre, diabolus ex adverſo aufert memoriam illius comminationis. Itaque non dicitur, Aufert judicia tua à facie ſua, ſed *auferuntur*.

Moraliter nota, Avaritia tollit memoriam judiciorum Dei. S. Chryſoſtomus tom. 6. Ecloga de Avaritia ex ejus ſcriptis excerpta, *Pecuniæ cupitus eſt*, [illegible], *futurorum omnium contemptio*, & in pſalmum noſtrum, cæcitatem hanc demiratur, [illegible], ait, [illegible], *Sole clariora obnubilas, propter mentis ſuæ orbitatem*. S. Baſilius inculcat homil. in diteſcentes, oblivionem illam divinorum per avaritiam.

Verſ. 26. 4. Pars. 121. 4. Avaritia deprayat actiones. Actiones impii corruptionem ſequuntur intellectus, voluntatis, & memoriæ ejus. Unde ſubdit David, verſ. eod. 26. *Auferuntur judicia tua à facie ejus* (ideò OMNIUM INIMICORUM SUORUM DOMINABITUR, id eſt, dominari contendet. Secundò, verè omnium aut penè omnium hoſtium ſuorum colla calcabit. Sic explicare videtur Theodoretus, qui ait: Tamen & hæc faciens felix erit. Sed primus ſenſus magis placet.

Nota, pro *dominabitur* Hebr. eſt יפיח *japhiah*, id eſt, primò ſufflabit, q. d. flatu proſternet, ut vertit Felix: id eſt, tantæ erit arrogantiæ, ut jactet ſe omnes hoſtes ſuos poſſe dejicere, & fugare uno flatu, id eſt, uno verbo, unico imperio: ut ille qui jactabat ſi pede terram percuſſiſſet, totam Italiam pro ſe in armis fore: qui tamen advenienti Cæſari eam ſine prælio reliquit. Secundò, *japhiah*, id eſt, ſufflabit, præ ira: in hoſtes ſuos fumabit. Hinc Chald. vertit, in omnes inimicos ſuos iraſcetur. Tertiò, *japhiah*, poteſt deduci à פח *phah*, id eſt, laqueus, unde R. Abraham reddit, illaqueabit. Quartò, *japhiah*, S. Hieron. & Syr. vertunt, *deſpicit*: id enim eſt neceſſarium, ut putet ſe eos poſſe ſolo halitu & flatu, velut homines plumeos aut paleaceos & pulvereos diſpergere atque diſſipare. Quintò, *japhiah*, Sept. & Arabs vertunt *dominabitur*. Eſt id conſequens ex dejectione eorum.

122. Nota, S. Auguſt. Caſſiod. Remig. Ludolphus, & alii, hoc intelligunt de Antichriſto, qui verè & propriè ſit futurus domitor atque dominator omnium inimicorum ſuorum. Quæres an ſit futurus totius orbis monarcha? Reſp. S. Auguſt. in eam ſententiam videtur inclinare; ait enim pſal. noſtr.

Antichriſtus an toti orbi imperaturus. *Traditur quod Reges omnes ſuperaturus ſit, & ſolus regnum obtenturus: quando etiam ſecundùm Apoſtolum, qui de illo prædicat, in templo Dei ſedebit, extollens ſe ſuper omne quod colitur, & quod dicitur Deus*, 2. Theſſ. 1. Dicitur Dan. 11. 43. *Dominabitur theſaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretioſis Ægypti: per Lybiam quoque & Æthiopiam tranſibit*. Sunt qui hæc de Antiocho Epiphan. Explicent, qui ſpoliata Ægypto videtur in Lybiam & Æthiopiam excurriſſe; ſed veriora ſunt in Antichriſto, de quo ait S. Anſelmus, in Elucidario, quòd dæmonum induſtria, omnis pecunia occulta, erit ei manifeſta. Et S. Hieron. & Theodoretus cenſent tres Reges ex decem ab Antichriſto ſuperandos & occidendos, fore Regem Libiæ, Regem Ægypti, & Regem Æthiopiæ. Ope dæmonum poſſet quidem Antichriſtus univerſum omninò orbem domare, non per ſe, ſed per duces ſuos, & toti prorſus orbi imperare, ſed hoc non videtur credibile: cùm dicitur itaque toti orbi dominaturus, hoc intellige de Romano Imperio, & provinciis, Aſiæ, Europæ, & Africæ, in quibus diu fides & Eccleſia floruit. Vide Suares 3. p. tom. 2. diſput. 54. ſect. 5. Dan. 7. 24. *Cornua decem ipſius regni, decem Reges erunt, & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit, prioribus, & ipſe tres Reges humiliabit*: decem Reges illi erunt ſubditi Romano Imperio, ſed Antichriſtus veniens poſt eos, tres ex illis vi domabit, alii territi ſponte ſe illi ſubdent. Unde id totum obtinebit, quod olim Romani poſſidebant, & fortaſſe aliquid ampliùs, non verò totum omninò orbem, cùm ſit regnaturus tantùm per tempus, & tempora, & dimidium temporis verſ. 25. id eſt per annum, & duos annos, & dimidium annum hoc eſt per tres annos cum dimidio. De illo etiam agitur Apoc. 17. 16. & 17. Collige autem, quàm pro nihilo ſint reputandæ divitiæ & honores, quos Deus homini omnium peſſimo dare velit, ſed brevi tempore: unde ſit magis cruciandus in æternum.

Moral. Nota, ex illo antecedenti, *auferuntur judicia tua à facie ejus*, ſequitur illa conſequentia, *omnium inimicorum ſuorum dominabitur*, id eſt, dominari cupiet atque contendet. Itaque cùm quis hoſtes ſuos odit, dejicit, conterit, ſignum eſt quòd Dei judicia præ oculis non habet. Ut illos igitur ames, & iis benefacias, tibi extremam illam horam & terribile tribunal propone, in quo niſi peccatis tuis ignoſcat Deus, ſed omnia in rigore judicet & condemnet ac puniat, quid de te fiet? & tu fac aliis, quod tibi tunc fieri cupies.

Secundò nota, dives avarus, & ſuperbus & crudelis eſt. Conſtantinus Manaſſes, *O aurum*, ait, *tyranne crudelis, hominum perſecutor audaciſſime, fraudulente, arx malorum omnium, caſtellum perniciei, vaſtator urbium propugnaculorum everſor, qualibus malis mortales divexas?* S. Baſilius hom. 10. [illegible], inquit, [illegible], *avarus nónne eſt lupus rapax?* Et S. Gregor. Nyſſ. hom. 1. in ea verba, Geneſ. 1. 26. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, ait: *Quid avarus ipſe? Nónne lupus eſt rapaciſſimus?* ac Marcellus Palingenius id verſibus ſic expreſſit:

Avarus

Heu quid non audet ſceleris? Lupus iſte cruenta
Ore furens nulli non inſidiatur ovili,
It præceps, quocumque rapit ſcelerata cupido.

Sed illa cupiditas ſcelerata quâ omnibus dominari contendit, eum ſibi ſervum facit, & ut ſervum viliſſimum ſub ſe comprimit. S. Chryſoſtom. hom. 14. in Joan. *Gravis* ait, *morbus eſt avaritia; gravis, inquam, & qui oculos cæcat, & aures obſtruit, & ferâ ſæviores reddit: non conſcientiam, non amicitiam, non conſuetudinem, non propriæ animæ ſalutem cognoſcere ſinit: ſed ſemel ab omnibus dirimens, in ſervitutem ſibi, quos cepit, more ſæviſſimi tyranni, vendicat.* Clemens Alex. lib. 2. pædag. cap. 2. eam inſanam auri cupiditatem vocat, [illegible], id eſt, *arcem vitii*. Diogenes Cynicus apud Laertium, [illegible], *metropolim omnium vitiorum*. Quam vilis igitur ac dura eſt ſervitus ejus, qui ſcelerum omnium parenti, & conſequenter ipſius filius, ſervire debeat?

Oſtendit David, quomodo auferantur judicia Dei à cognitione & memoria impii, & cur obſtinate hoſtes ſuos opprimere cupiat; quia ſcilicet non putat ſe ob ſua ſcelera eſſe puniendum, verſ. 27. DIXIT ENIM IN CORDE SUO (non auſus dicere ore, ne in eum ultrices creaturæ irruerent) NON MOVEBOR (ibi pone virgulam: nam in Hebr. & Græc. eſt ibi diſtinctio) A GENERATIONE IN GENERATIONEM SINE MALO, ſupple *ero*, ut addit Hier. Sic ſanctus clarus eſt. q. d. impius apud ſe dixit & credidit, fore ut nunquam à ſua felicitate moveretur, ſed ſtabilis in ea perſeveraret multos annos vivens eodem fortunæ proſpero flatu ſubvectus, ſine timore ullius tempeſtatis. Ita Janſen. Titelm. Foleng. Bellarm. Agell. Euthym. Genebr. Bruno Lyrannus, Ludolph. Dionyſius, Theodoretus, S. Thomas. Nota, *Tò à generatione* Verſ. 27. 123.

neratione in generationem ſumit S. Hieronymus pro, ab una gente in aliam. Secundo, Didymus, ab una ætate hominum in aliam. Tertio, & melius, Euthymius, Heſychius, S. Auguſtinus, Beda, & alii ab hac præſenti vita ad aliam. Quarto, optimè Lorinus, *Id à generatione in generationem* ſumit pro longa duratione, tum finita tum infinita, q. d. impius: nulla rerum mearum converſio erit, nullam ſubibo adverſam fortunam, nullum experiar malum: fixum obtinebo ac florantem ſtatum, ſemper potens, ſemper felix. q. d. Nullus eſt qui velit, aut etiam poſſit, me dejicere de meo ſtatu tam bene firmato. Clarè, vertit Symmachus: [illegible] *Non conculcabor in generatione & generationem, neque ero in afflictione.*

Secundò, *Non movebor à generatione in generationem ſine malo*, id eſt ſine malitia, q. d. niſi malitiam fecero non movebor, id eſt non promovebor, non proficiam & amplificabor divitiis, & honoribus, nominisque fama per omnes gentes & ætates conſequentes. Hoc optimè congruit Antichriſto, de quo id explicant S. Auguſtinus, S. Hieron. Beda, & alii. Verba Auguſt. ſunt: Fama mea, & nomen meum de hac generatione in generationem poſterorum non tranſiet: niſi artibus malis adipiſcar tam excelſum principatum, de quo poſteri tacere non poſſint. Animus enim perditus & expers bonarum artium, atque à juſtitiæ lumine alienus, malis artibus ſibi aditum molitur ad famam tam diuturnam, ut apud poſteros etiam celebretur. Et qui non poſſunt benè innoteſcere, cupiunt vel malè de ſe homines loqui, dummodo nomen eorum latiſſimè pervagetur. Quod hic arbitror dictum eſſe, non movebor de generatione in generationem, ſine malo. Ita S. Auguſt. quem ſequitur Beda, & Arabs vertit, *Non movebor à generatione in generationem abſque malitia*. Hoc de avaro aptè dicetur, qui videt ſe non poſſe diteſcere ſine rapina, & ideo ſtatuit furari, & inimicorum ſuorum ſpoliis diteſcere per fas & nefas. Sed primus ſenſus eſt melior, nam moveri hic non ſignificat promoveri, ſed agitari, concuti, proſterni, ut patet ex verſione Septuag. [illegible], id eſt, non vacillabo, non fluctuabo, non agitabor ſalo & tempeſtate, non patiar naufragium: & Hebr. מוט *mot*, ſignificat nutare, titubare, labi, cadere.

Tertiò, alium ſenſum dat S. Auguſt. de generatione mortali ad æternitatis generationem ſe venire non poſſe, vanus & erroris plenus animus arbitratur, niſi artibus malis, ita ipſe: quod probat exemplo Simonis Magi, qui magicis artibus in cœlum evolare tentavit. Idem faciet Antichriſtus, ſed à Chriſto dejicietur & occidetur, 2. Theſſal. 2. 8. *Tunc revelabitur ille iniquus* (Græc. [illegible], ille ſingulariter iniquus, & Rex iniquorum, nempe Antichriſtus (*quem Dominus JESUS interficiet* (Græc. [illegible], id eſt abſumet, conſumet, perdet) *ſpiritu oris ſui*: id eſt adventu ſuo, ut ait Lactantius lib. 7. cap. 19. vel meliùs, per S. Michaëlem, cui id Chriſtus imperabit, ut explicat S. Thomas. 3. *Spiritu oris ſui*, id eſt ſuo imperio, juſſu, ſententia: ſed modus eſt incertus. *Sufficiet ſolum jubere*, ut ait S. Chryſoſt. hom. 4. in 2. ad Theſſalon. Additur à Paulo, *& deſtruet illuſtratione* (Græcè [illegible], id eſt revelatione aut apparitione, ut vertit Syrus. 2. Claritate, ut Vatablus. 3. Illuminatione, ut legit S. Auguſt. lib. 20. de Civit. cap. 19.) *adventus ſui*, id eſt, ait Suares in 3. part. diſp. 54. ſect. 6. aliquo ſigno & præſagio, quod erit quaſi ſplendor quidam appropinquantis adventus ipſius. Vel potiùs vero ſplendore & fulgure lucenti, quo perſtrictus impius cadet; hæc autem lux erit prænuncia adventus & poteſtatis Chriſti, omnes malos in judicio puniturі, ita ut *ſolo timore* Chriſti adventantis, moriatur peſtifer ille, ut ait S. Anſelmus. Ibi adverte, cauſam ruinæ fore ejus ſuperbiã, ut accidit Babyloni oblivіſcenti Dei judicia, & hoſtibus ſuis dominanti, Iſai. 4. 47. 7.

Verſ. 28. 1. Pars. 124. Quartò, alium ſenſum dat Beda, *non movebor à generatione in generationem ſine malo*, id eſt, ut ait, non movebor à pravo propoſito meo, id eſt, ſemper malè agam: quia ſicut ſum in hac generatione ſine malo, ita etiam tranſibo ab hac generatione in futuram generationem ſine malo, id eſt nullam in futuro pro peccatis patiar pœnam. Chald. adhuc apertiùs, ſed paulò aliter vertit, *Non movebor de generatione in generationem à malè agendo*. Sed primus ſenſus ſuprà allatus eſt magis literalis & naturalis.

Denique, poſtquam oſtendit David cogitationes & affectiones impii eſſe corruptas & ejus actiones; aperit linguæ etiam corruptionem, verſ. 28. CUJUS MALEDICTIONE OS PLENUM EST, ET AMARITUDINE ET DOLO: SUB LINGUA EJUS LABOR ET DOLOR.

Quinque mala linguæ hic vides. Primò, maledictionem. Secundo, amaritudinem. Tertio, dolum. Quarto, laborem. Quintò, dolorem. Linguæ mala quinque. 1. Maledictio.

Ac primò, per maledictionem intelligit Cajetanus contumeliam, imprecationem, detractionem, ſuſurrationem, &c. 2. Lorinus, ſumit pro maledictione & execratione atque conviтiis in homines, & in Deum ipſum quem impius blaſphemat. Bellarminus etiam idem ſentit. Ubi rectè notat Folengius non abs re poſitum eſſe *Tò impletur*, ſive plenum eſt: cùm is mos & conſuetudo illis ſit, qui Deo & hominibus infenſi ſunt, quòd non tantùm pejerare contenti ſunt, niſi pleno ore multaque obteſtatione præ ſe ferant ſeſe ex animo, & verè pejerare. Vocem Hebr. אלה *ala* vertit ipſe Folengius, *perjurio* Arias, *execratione*, id eſt, juramento execratorio. Nam ut docet Mercerus, *ala* ſignificat imprecationem, & juſjurandum, quo quis aſtringitur ad pactum vel aliquid ſervandam cum devotione & imprecatione. Magnet. elegantèr reddit, *Os putre exhalat diras*. Syriaca vox לוטתא *levatha*, ſignificat maledictionem, execrationem, diras. Sed hæc maledictio in caput impiorum recidit, ut tela in Lunam aut Solem conjecta. Zachar. 5. 1. ait: *Et converſus ſum* (ab Angelo excitatus ad videndam novam viſionem) *& levavi oculos meos: & vidi, & ecce volumen volans* (Hebr. מגלה *megilla*, id eſt charta, membrana, volumen, id eſt, liber convolvilis, ſicut Syr. & Arabs. Antioch. vertunt. 2. Symmachus reddit, [illegible], id eſt capitulum, initium, ſumma, compendium. 3. Sept. & Arabs. S. Cyrill. Theodor. vertunt *falx*, legerunt *maggal*) *& dixit ad me* (Angelus) *Quid tu vides? Et dixi: Ego video volumen volans: longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum. Et dixit ad me: Hæc eſt maledictio* (Hebraicè, אלה *ala*, id eſt execratio, ut vertit Arias: maledictio ſeu execratio, id eſt condemnatio, ſupplicium: & omne malorum genus, ut explicat Theodoretus) *quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ: quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, judicabitur* (id eſt, condemnabitur & punietur) *& omnis jurans, ex hoc ſimiliter judicabitur*. Rectè jungit furem juranti, quia avari perjuriis ſibi opes comparant. S. Theophilus Patriarcha Alex. epiſt. 3. de Paſchæ celebratione, ait, *Fraudibus, & perjuriis divitiarum jaci inexplebilia fundamenta.* Sed hæc jurandi conſuetudo, & perjurandi maximè Deo diſplicet, eamque falce vindictæ ſuæ demetit. S. Chryſoſtomus ad populum. Falx, inquit, volans velociſſimum ultionis incurſum ſignificat, juramentum ſequentem: multorum vero cubitorum longitudo & latitudo vehementiam indicat & magnitudinem malorum. At, ex cœlo volare, ſignificat è ſuperno tribunali judicium ferri: falcata vero forma, inevitabilem ſupplicii ſortem. Sicut enim quocumque falx incurrerit, non ſolum ſecum arripit, verum & caput amputat: ita & pœna jurantibus ingruens eſt difficillima, nec prius abſiſtit, quàm quod ſuum eſt, perfecerit. Ita ipſe. Etenim ſi vapulabat apud Romanos, qui per genium Principis juraſſet falſum. L. ſi duo D. De Jurajur. quid fiet ei qui per Deum & ejus attributa audet jurare & pejerare? Pericles ab amico rogatus, ut pro ra cauſaque ipſius falſum juraret, ait: *Oportet me commodare amicis, ſed uſque ad aras*, ne, ſcilicet amici cauſa pejerem, vel inhoneſti quid agam, quo numinis reverentiam violem & offendam. Olim jurantes aram manu contingebant. Conſule Gellium lib. 1. noct. Attic. cap. 3.

Secunda depravatio in lingua impii eſt amaritudo. CUJUS MALEDICTIONE OS PLENUM EST, ET AMARITUDINE, id eſt amarulentia, ut ait Janſenius, & apertè Euthym. & Genebr. iracundiá: cùm ſcilicet iracundè ad omnes loquitur. Secundò Reolg. intelligit voces contra Deum jactatas. Tertio, planiſſimè & pleniſſimè Bellarminus, ad amaritudinem, ait, pertinent detractiones, murmurationes, & alia, odium & rancoram teſtantia. Nihil eſt illis amarum magis: ſive Deum ultorem ſpectes, quem, ut loquitur Beda, impius plenariè facit ſibi amarum & aſperum; ſive naturam rancoris & odii, ex quibus illa verba detractoria, & alia, promanant. Sunt radices abſynthii. Hinc S. Paulus Hebr. 12. 15. monet ſedulò videndum, ne hæ malæ plantationes in animo noſtro oriantur. *Contemplantes* ([illegible], id eſt, invigilantes, & aliis intendentes) *ne quis deſit gratiæ Dei* (quæ ut mel cœleſte cor humanum implet) *ne qua radix amaritudinis*, id eſt, amara ſeu amaricans, id eſt, peccatum quod per remorſum Verſ. 28. 2. Pars. 125. 2. Amaritudo.

conſcientiæ, & reatum pœnæ animam amaritudine replet, ut ait S. Chryſoſtomus, *furſum germinans* (ſemper augetur amaritudo, ſi peccatum creſcit) *impediat, & per illam inquinentur multi*. Generatim ibi amaritudo ſumitur pro omni peccato. Aptius ad pſalmum noſtrum gradus iræ aſſignat idem Apoſtolus Epheſ. 4. 31. *Omnis amaritudo* (cum cor incipit ægreſcere, & amareſcere, id eſt non ita dulcem & ſapidum guſtum habere de actibus alicujus.) *& ira* ([illegible] exandeſcentia & effervescentia animi, *& indignatio* [illegible], tota ira accenſa, quâ iratus vindictam quærit: furor, inde per metatheſim *rage*.) *clamor, & blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia*. S. Petrus Simoni mago dolenti, quòd per impoſitionem manuum Apoſtolorû deſcenderet viſibiliter Spiritus ſanctus in fideles, ait Actor. 8. 23. *in felle amaritudinis* (Græc. [illegible], id eſt, acerbitatis) *& in obligatione* (Syr. in vinculis Græcè, [illegible], id eſt in colligatione ſæpe, enim [illegible] ponitur pro [illegible]) *iniquitatis video te eſſe*. Illud fel amaritudinis alii de quolibet peccato, alii de hypocriſi alii de ſimonia explicant. Vatablus ad rem noſtram de ira & invidia ſumit. Iræ enim ſedes & materia eſt fel. Indignabatur ſcilicet, quod videret fore ut deſtitutus illâ poteſtate quam habebant Apoſtoli, deſpiceretur præ illis, & ab omnibus delereretur. De impiis ait David Pſal. 13. 3. *Venenum aſpidum ſub labiis eorum.*

Nota, pro *amaritudine* nunc in Hebr. eſt מרמות *mirmoth*, id eſt dolis, ut S. Hier. Pagn. fraude, ut Felix, legerant Septuag. מרירות *merimoth*, unde vertunt [illegible], id eſt acerbitate, amaritudine. Et Petavius, [illegible], id eſt amaris ſermonibus. Magn. ſenſum ſecutus non vim verbi vertit, *rixa*.

Verſ. 28. Tertia depravatio in ore & lingua impii eſt dolus,
3. Pars. verſ. eod. 28. *Cujus maledictione os plenum eſt, & amari-*
126. *tudine ET DOLO*. Pro dolo Hebr. eſt תך *thoch*, id eſt
3. Dolus pravitate, ut vertit Felix, fraude, ut Pagninus: avaritia, ut S. Hieronymus. Ad rem noſtram, cùm de avaro maximè totum hunc locum explicem, verti poterit, *uſura*: eam enim ſignificat etiam *thoch*, unde à Græcis appellatur [illegible], licèt alii à [illegible] id eſt pario, eam vocem derivent, quod uſura ſtatim ut nata eſt pariat fructum ei qui dat ad uſuram, & luctum ac damnum pauperi. Nequi refert quod [illegible] non ſcribatur per χ cui æquivalet caph Hebræum. Nam ſæpè caph non redditur per ch. ut patet in voce Cylus, Cappadoces, Cozbi, Carith, Carmel, Cethim, & aliis.

Moraliter nota, ſub doli vulpina pelle latitant creſcuntque calumniarum, mendaciorum, perjuriorum portenta & monſtra, & alia peccata, quibus armata avaritia pugnat & ſævit, atque in orbem peſtes innumeras invehit, ut refert Aurel. Prudentius in Pſychomachia, his verſibus:

Cura, fames, metus, anxietas, perjuria, pallor,
Corruptela, dolus, commenta, inſomnia, ſordes,
Eumenides variæ monſtri comitatus aguntur.
Nec minus intereà rapidorum more luporum
Crimina perſultant toto graſſantia campo,
Matris avaritiæ nigra de lacte creata.

Avari divitiis inhiantes & moribus perditi, ut ait Clemens Alexand. vulpes ſunt illæ, de quibus ait Chriſtus Matth. 8. 20. *Vulpes foveas* ([illegible], id eſt cavernas, ſpeluncas) *habent, & volucres cæli nidos* ([illegible], id eſt, ombracula ex ramis & foliis arborum aptè compoſita) *filius autem hominis* (ego filius virginis) *non habet ubi caput reclinet*: cùm enim ſit columba, non invenit ſimplicitatem in terra, ſed fraudes & dolos, velut arola & tabida cadavera: itaque ad arcam Noë, id eſt in ſinum Patris ac cœlum revolat, ut ibi quieſcat. Noë ſignificat requiem, & quietem.

Verſ. 28. Quarta & quinta depravatio linguæ & oris im-
4. Pars. pii declaratur verſu eod. 28. SUB (Pagn. vertit, in)
127. LINGUA EJUS LABOR ET DOLOR, ſive paſſi-
4. Labor vè, ſive activè ſumptus, Senſus itaque eſt primo, His
5. Dolor. memoratis, nempe maledictione, amaritudine & dolo linguam ſuam, ut felle ſibi ipſi amariſſimo, aſpergit impius. Sic explicat S. Auguſt. cùm ait: *Nihil laborioſius iniquitate & impietate: quem laborem ſequitur dolor: quia non ſolùm ſine fructu, ſed etiam ad perniciem laboratur*. Beda ipſum ſequens de otore, ait: *Labor & dolor tantùm eſt ſub lingua ejus quia tantùm tractat de terrenis, quæ ſunt labor in acquirendo, & dolor in amittendo, ut in his dolosè cum proximo agat ſub lingua ſua*. Sic labor & dolor ſumuntur paſſive, id eſt labor & dolor, qui in ipſis ſceleratis manent, & à quibus patiuntur.

Secundò, & melius, *ſub lingua ejus labor & dolor*, id eſt, ea loquitur, quæ laborem & dolorem iis pariunt, quibus inſidias tendit, ut loquitur Euthym. eò ejus verba referuntur, ut malè faciat, ſicut ait Mariana. Lingua effrænis in ipſo laborem & dolorem in oralibus noxium concoquit, ut Petavius. Subeſt ejus linguæ labor & dolor, quibus alios vexat: habet hæc perpetuò in ore, hoc unum loquitur, hoc unum meditatur, ut explicat Genebr. Sub lingua ejus latet afflictio & dolor, dum per linguam ſuam illa in pauperes loqui meditatur, quibus eos affligat & cruciet: hoc eſt blaſphemias, convitia, improperia, aliaque ejuſmodi, ut exponit Titelmannus. Quæ omnes explicationes in idem redeunt, & laborem ac dolorem activè ſumunt, ſicut Bellarm. Janſen. & alii.

Tertiò, Folengius utramque expoſitionem ſic conjungit: Iniquus nihil non moleſtum, & *quod prius tuſe, tu alter poſteà*, laborem doloremve pariat, loqui poteſt. Hebræi habent: Sub lingua ejus moleſtia & pravitas, ſeu injuria: nam quicquid lingua ejus profert, injuria eſt ac pravitas. Linguæ ejus tam præſentaneum virus per ſeodmodum exitiale eſt, ut meritò ſerpentibus illis comparari queat, qui in ſiticuloſis Africæ littoribus enutriuntur: quique, ut ſcribit Plinius, ſolo ſibilo cæteros ſerpentes fugant, frutices ne contractos necant, afflatos verò exurunt. Ita ipſe. Addere poterat venenum illud eſſe exitialius veneno ſerpentum, quod ſerpentibus non nocet, ſed iis prodeſt: virus verò illud maleficæ linguæ, & domino ſuo & aliis perniciem lethalem affert.

Nota 1. Linguam hic pro corde ſumi cenſet Vatablus, & quidem S. Hier. vertit, *ſub corde*. Sed conſtanter Sept. Syr. Chald. Arabs, S. Auguſt. Caſſiod. Euthym. Theodor. & alii *ſub lingua* reddunt. Nec benè lingua pro corde ſumitur. Quod autem Pſal. 36. v. 30. dicitur: *Os juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium*, non ſatis probat os aut linguam pro corde poni, quòd illi tribuatur meditatio. Senſus enim eſt tantum, quòd os ejus nihil proferet, niſi prius in corde ſeu animo fuerit expenſum, nihil illi effluet, eſt vas ſapiens & fidele os juſti, nihil illi excidit, rimas non habet.

Nota 2. Dicitur *ſub lingua*, & non *in lingua*, ut dolus ſcelerati pateat, & quisq; ſibi ab eo etiam blandiente præcaveat, Prov. 16. 29. *Vir iniquus* (Hebr. vir violentiæ, ut Arias vertit, id eſt violentus: vir raptor, ut Chald. & hoc aptè quadrat avaro) *lactat* (Hebr. יפתה *jephatte*, id eſt decipit, allicit, ſeducit, Sept. [illegible], id eſt, ut Complut. habent, tentat. Rom. palpat.) *amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam*. Et cap. 10. 18. dicitur: *Abſcondunt odium* (Syr. inimicitiam) *labia mendacia*. Theodotio vertit, labia injuſta. Talia ſunt labia avari de illaqueando paupere ſemper cogitantis, Pſal. 13. 3. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis dolosè agebant: venenum aſpidum ſub labiis eorum*. Vide ibi dicta. Habere produntur, ſicut ait Lorin. in eo loco, animalia venenoſa in veſica *ſubtus linguam* venenum, quæ veſica rumpatur, cùm mordent, ac mordendo illud infigunt. Gyllius ſcribit in Additione ſua ad Ælianum, ex tunica, quæ *quatuor maxillæ dentes contegit*, virus aſpidem emovere.

Nota 3. *Sub lingua* impii labor eſt ac dolor, in ejus cogitatione, in pectore, ut S. Gregor. Agellius. Ludolph. Bruno, Remig. Caſſiod. exponunt: ita ut lingua ſit clavis arcæ malitiam cordis occultam aperiens vel claudens. S. Greg. eam fallacem ſuavitatem linguæ ſceleratæ expendit in illud Jobi 20. 12. Cùm dulce fuerit in ore ejus malum, abſcondet illud ſub lingua ſua. Sic autem loquitur: *In ore hypocritæ malum dulce eſt: quia ei eſt iniquitas ſuavis in mente. Os quippe cordis, cogitatio eſt: de qua ſcriptum eſt, Pſ. 11. 3. Labia doloſa in corde, & corde locuta ſunt mala. Sed hoc malum quod in ore hypocritæ dulce eſt, ſub lingua ejus abſconditur, quia aſperitas malitiæ quæ latet in mente ſub tegmine blandæ locutionis aperitur Malum namq; in lingua, & non ſub lingua eſſet, ſi loquens hypocrita malitiam ſuæ pravitatis aperiret. Sed ſicut plerique juſtorum, cùm quoſdam agere perversè conſpiciunt, qui duris ſunt increpationibus feriendi, linguæ aſperitatem ſumunt, ſed ſub lingua mentis ſuæ benignitatem contegunt Unde & ſanctæ Eccleſiæ ſponſi voce dicitur Cant. 4. 11. Mel & lac ſub lingua tua. Qui enim mentem ſuæ dulcedinem aperire infirmis nolunt, ſed loquentes quadam eas aſperitate feriunt, & tamē inter verba aſpera quaſi latenter quiddam dulcedinis intermittunt, hi videlicet non in lingua, ſed ſub lingua habent dulcedinem; quia inter dura quæ proferunt, emittunt quædā blanda & dulcia, quibus contriſtati mentem poſſit ex benignitate refoveri. Ita perverſi quique; quia*

malum

malum non in lingua, ſed ſub lingua habent, ſermonis dulcia prætendunt, & cogitationibus perverſa moliuntur. Hinc eſt enim quod Joab Amaſæ mentum dextera tenuit, ſed ſiniſtram ad gladium latenter mittens, ejus viſcera effudit. 2. Reg 20. 10. *Dexterâ quippe mentum tenere, eſt quaſi ex benignitate blandiri. Sed ſiniſtram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit. Hinc de ipſo quoque eorum capite ſcriptum eſt : Sub lingua ejus labor & dolor. Qui enim apertè mala quæ cogitat oſtendit, laborem ac dolorem eorum, quorum mortem appetit, non in lingua exerit, ſed ſub lingua premit.*

128. In peccato eſt labor & dolor. Moraliter note, In peccato laborem eſſe & dolorem. Quod enim noſter vertit, *Sub lingua ejus dolor & labor.* Folengius reddit, moleſtia & pravitas. S. Hier. dolor & iniquitas. Arias, & Cajet. labor & iniquitas. Vatablus, afflictio & vanitas. Chald. iniquitas & falſitas. Pagnin. perverſitas & iniquitas. Nam pro labor Hebr eſt עמל *amal*, id eſt labor, fatigatio, afflictio, transgreſſio, perverſitas, iniquitas, malum. Unde deducitur hæc latina vox *malum*, & vernacula *mal* : quæ de culpa & pœna eam ſequente dicuntur. Sic Pſ. 7. 15. *Concepit dolorem.* R. David vertit, iniquitatem, mendacium. R. Emmanuel, & Pagninus perverſitatem. R. Salomon, prævaricationem, transgreſſionem, Arias, laborem. Vide ibi dicta Iſaiæ 10. 1. *Væ qui condunt leges iniquas : ſcribentes, injuſtitiam ſcripſerunt.* Pro *injuſtitiam* eſt *amal*, quod R. David vertit iniquitatem. Alii, mendacium. Arias, laborem. Vox Chaldaica ליעות *leiuth*, quæ eſt in pſalmo noſtro, ſignificat laborem, fatigationem : & metaphoricè iniquitatem. Rad. *Lea*, fatigari, laborare: unde vernaculum *Laſſer Las.*

Pro *dolor* Hebr. eſt און *aven*, id eſt labor, fatigatio, ærumna, afflictio, luctus, vanitas, pravitas, perverſitas, mendacium, iniquitas. Hæc omnia eſt peccatum. Vide dicta Pſalm. 4. 3. *Filii hominum, uſquequò diligitis vanitatem?* Syrus reddit hic, *ſub lingua ejus ſcelus atque dolus.* Chald. *iniquitas, &* שקר *ſecar*, id eſt, mendacium, dolus, perfidia, falſitas. Anatomici aſſerunt, cor & linguam nervo unico colligata eſſe, ſibique mutuo reſpondere. Cùm itaque impiorum cor ſit doloſum, lingua etiam eſt doloſa. Nam, ut ait Chriſtus Matth. 15. 19. *Ex abundantia cordis, os loquitur.* Et Jeſus Syrach, Eccl. 21. 29. *In ore fatuorum cor illorum.*

ARTICULUS III.

Leoni & aucupi avarus comparatur.

A Corde & lingua avari tranſit David ad ejus opera, in quibus oſtendit primo patientiam & perſeverantiam, donec præda potiatur, *Sedet.* Secundò, calliditatem & malitiam fraudulentam, *in inſidiis.* Tertiò, prudentiam carnalem, *cum divitibus*, ut hoc ſocietate ſit ſecurus. Quarto, timiditatem & abjectum animum, *in occultis.* Quinto, crudelitatem, *ut interficiat.* Sextò, injuſtitiam contra *innocentem.* Septimò, perſpicacitatem & diligentiam, *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt.* Octavò, ſordidam mentem, *in pauperem.* Nono, feritatem & rabiem, *Inſidiatur in abſconditis quaſi Leo.* Decimò, moroſitatem, *in ſpelunca ſua.* Undecimò, ſolertiam & induſtriam, *In laqueo ſuo.* Duodecimò, ſuperbiem, *humiliabit eum*, omnes vult videre infra ſe. Decimò tertiò, aviditatem prædæ, & celeritatem in rapiendo, *Inclinabit ſe, & cadet, cum dominatus fuerit pauperum.*

Vers. 29. 129. Avari varia vitia,

Ac primò, verſ. 29. dicit : SEDET IN INSIDIIS CUM DIVITIBUS IN OCCULTIS, UT INTERFICIAT INNOCENTEM. NOTA, pro *divitibus*, in Hebræo eſt חצרים *aſerim*, *atria*, veſtibula, loca ſubdialia ante domos magnatum, Principum & Regum, villæ abſque muro, caulæ & ſepta ovium. Hinc primò vertit Vatablus, *Sedet in atriis inſidians.* Et S. Hieron. *Sedet inſidians juxta veſtibula in abſconditis*, & Syrus, *Sedet in inſidiis in atrio.* Secundo, Felix reddit, Sedebit in inſidiis pagorum. Cajetanus & Pag. villarum. Campenſis, verſatur foris circum cortes ad inſidiendum. Ubi adverte cohors ſive cors, *cour*, eſt locus cinctus parietibus, quo gallinas, anates, & id genus reliqua habere ſolemus. Illis avarus inſidiatur, ut vulpes. Cohors porrò dicebatur locus ille, quod circa eum coerceretur pecus, ne lupus illud invaderet. Avarus eſt lupus in cortes & caulas irrumpens, ut oves juguletinnocentes ac rapiat. Tertiò, Noſter, Sept. Arabs, Petavius vertunt, *cum divitibus*, non quod, ut cenſet Bellarm. legerint Sept. עשרים *aſirim*, id

130. Cohors quid.

eſt. divitibus, pro *aſerim*, vel אוצרים *oſerim*, id eſt, theſaurizantibus, ut opinatur Lorinus : aut *barſim*, *atſim*, *pranim*, *hanſim*, aut quid ſimile ut alii ; ſed quod *aſerim*, id eſt atria ſeu veſtibula eſſent in domibus divitum prima pars earum, & in illas aditus. Metonymicè itaque ponitur locus pro iis qui erant in eo loco : ibi divites avari excubant ut videant tranſeuntes per viam, eoſque ad ſe alliciant, ut uſuris, fraudibus, iniquis contractibus illos ſpoliet. Hæc eſt ipſorum ſpelunca, in cujus ore inſidiantur, ut in prædam inſiliant. Hæc prima pars domus, quæ atrium dicebatur, continebat mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia deſcendit, & in qua priſci, ut ait Cato, aperto oſtio epulabantur, ubi etiam pecunias & cætera pretioſiora ſervabant, ſervoſque quibus tanquam honoratioribus earum rerum cuſtodiam committebant, Atrienſes vocabant. Avari pauperes ruſticos, in menſa præſertim liberalius bibentes, decipiunt, & ab iis vili pretio coëmunt, aut caro pretio illis vendunt. Atrium dictum eſſe ab Atriatibus Hetruriæ populis, putat Varro lib. 1. de lingua latina, quia id genus ædificii Atriæ primùm in Hetruria ſit inſtitutum : vel quod oriatur à terra, quaſi aterrium : vel quod atrum eſſet ex fumo culinæ. Nam in atrio tria erant habitacula : veſtibulum, locus ſportularum, qui & ipſe ſportula dicebatur, ubi proponebantur ea die quæ dono danda erant, & culina. Avarus terrenus eſt ac fuliginoſus. Veſtibulum propriè locus erat ante ædium januam, inter ædes ipſas & viam relictus, enim inulum, ut qui ædium dominum ſalutatum veniſſent, neque in via ſtarent, neque in ipſis eſſent ædibus. Plaut. in Moſt. *Videns veſtibulum ante ædes hoc, & ambulacrum cujuſmodi ſit.* Dictum eſt autem veſtibulum à ve & ſtando, quod multum in eo ſtaretur. Græci vocabant πρόθυρον, licèt autem extra januam domus ſit, ædibus tamen adſcribi, & ceu earum membrum exiſtimari debet. ut docet Alciatus L. fin. de Verb. ſignif. Quid ſentiat Bart. vide in L. inter quos ff. de Dam. infect. Ex his facilis ſenſus elicitur verſiculi noſtri, *Sedet in inſidiis* in atriis, ut eſt in Hebr. ſeu *cum divitibus*, ut eſt apud Septuag. & in Noſtro, *ut interficiat innocentem.* In atriis enim illis principum, divitum, nobilium ſtant harpyiæ, quæ adventantes pauperes ac rudes decipiant, emungant, ſpolient.

Atrium quid.

Secundo, Oculos lynceos avaros habet, verſ. 30 OCULI EJUS IN PAUPEREM RESPICIUNT. Hebr. חלכה *helecha*, id eſt, inopem, humano auxilio deſtitutum, ægrotum, infirmum, imbecillum, ut aliqui volunt : itaque eſt crudele ei malum moliri. 2 Contrario prorſus ſenſu vertit Hier. robuſtum : *Oculi ejus robuſtos circumſpiciunt* : itaque eos non debellabunt, aut ſi corpus atterant, apud Deum preces robuſtas & potentes fundent, quibus dives dejiciatur & pereat. Deduxit חלכה *helecha*, ab *hail*, id eſt exercitus, fortitudo, robur. Quot gemitus & lacrymas emittit pauper, tot ſunt tela avarum fodentia, & milites eum proſternentes, & nudum in terram abjicientes, in eaque defodientes. Unde monet Salomon Prov. 22. verſ. 22. *Non facias violentiam.* (Hebr. non deprædêris) *pauperi, quia pauper eſt : neque conteras egenum.* (Septuag. imbecillum) *in porta* (id eſt, in judicio : In portis enim urbium lites dirimebantur) *Quia judicabit Dominus cauſam ejus, & configet* (en telum) *eos, qui confixerunt animam ejus* : cor pauperis confodit, qui ei ſubſtantiolam ſuam eripit. Chald. vertit, Ulciſcetur ultiones animarum eorum. Vatablus, Spoliabit ſpoliatores eorum vitâ : Et Jeſus Sirach. Eccl. 35. 18. & 19. *Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio ejus* (gemitus viduæ) *ſuper* (id eſt contra) *deducentem eas* (per illatas injurias & rapinas.) *A maxilla enim aſcendunt* (Tigur. redundant) *uſque ad cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis*, iis viſis in oppreſſores iraſcetur : ſeu vocæ calidæ aſcendunt in cœlum, à Deo, ut miſericordiæ Sole, attractæ per fiduciâ quam dat viduis, orphanis, pauperibus, qui ipſi relicti ſunt : ſed ubi in altum illi vapores venerint, à juſtitia Dei formantur in nubes, tonitrua, fulgetras, fulmina, grandinem, quibus obſcurentur, terreantur, excæcentur, ferientur & conterantur avari divites & injuſti raptores.

Vers. 30. 1. Pars. 131.

Nota ſecundò, pro *reſpiciunt*, Hebr. eſt, יצפנו *iiſphenu*, id eſt, reſpicient abſcondite, inſidiabuntur. Cum maximè oculos apertos habent, ut pauperem deglutiant, ſe abſcondunt, & in abſcondito loco ponunt, & fingunt ſe de illo ne cogitare quidem. Arias vertit *abſcondent ſe.* Syr. *intenti ſunt.* Felix, *Oculi ejus ad pauperem innuens*, velut illi applaudentes & opem pollicentes, dum ſe parant ad in-

132. Avarus occultè nocet.

invidendum & ex improviſo ſpoliandum ipſum S. Hier. Oculi ejus robuſtos *circumſpiciunt*, in quæ via ſit animus cuſtodita advertant, eaque ſe inſinuent: deinde ut cum circumquaque reſpexerint, nihil eorum manus & ungues evadat. Ubi adverte cum S. Chryſoſtom. avarum eſſe pauperrimum, cùm inſidias ſtruat pauperibus, & horum egeat pecuniola: & crudelem, cum nec illis parcat. S. Auguſt. in Pſal. 32. *Non ſunt illæ divitiæ, ſed mendicitas, quia quantò magis abundant, tantò magis creſcit inopia.* Et ſerm. 212. de tempore: *In carne crepat, & in corde mendicat. Inflatus eſt, non plenus. Utres autem duos ſi videris, unum plenum, alterum inflatum: in utroque eadem eſt magnitudo, ſed non in utroque eadem eſt plenitudo: ſi attendis, falleris: ſi appendis, invenies.* Alienis noli quærere ditari, tua habe in animo tuo, velut in theſauro, & dives eris. Claude concupiſcentiæ fontem, & tuis contentus eris, Hebr. עין *ain*, oculum & fontem ſignificat: oculos domi contine, & bona vicinorum non devorabunt tuis deſideriis. Sed, proh dolor, verè ait S. Joan. 1. epiſt. 2. verſ. 16. *Omne quod in mundo* (in mundana vita) *eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Oculi, ut ait S. Auguſtinus in pſ. 41. membra carnis ſunt, feneſtræ ſunt mentis. Ita ipſe, claude feneſtras, & hoſtis non intrabit. Oculus concupiſcat omnia concupiſcibilia, nihil poterit ipſe oculus ſibi retinere, ſi vel micam auri, vel argenti in eum injeceris, ſtatim dolebit, & lacrymas fundet, nec priùs à dolore & lacrymis deſiſtet, donec aurum inde & argentum extraxeris. Nihil avaro remanet ſine dolore, & tandem omnia effluunt, & aliena rapiens, ſua perdit: itaque pauperrimus. S. Chryſoſt. tom. 6 homil in terræmotum: *Ait dives, deinceps verò pauper, imò verò tum opibus abundabat, pauper erat. Quid enim prodeſt homini, ſi aliena habeat, & ſua non habeat? Quid prodeſt homini, ſi pecunias poſſideat, virtutem verò non poſſideat: cur ea quæ ſunt aliorum accipit, & ſua perdit?* Vilia habet avarus & lutea, cœleſtia & divina perdit, & in iis contemplandis talpa eſt. itaque nunquam ea poterit reperire. S. Maximus hom. 2. de Avaritia: *Cæca eſt*, ait, *avaritia: ſed diverſis fraudum oculata ingeniis, non videt quæ divinitatis ſunt, ſed quæ cupiditatis.* Deinde, pauper eſt avarus, in ſua opinione ac deſiderio; ſemper enim ampliora deſiderat, & quæ habet, parva aut nulla ei videntur. S. Ambroſ. ſerm. 6. in pſal. 118. *Quantacumque*, inquit, *ſpatia domus ſuæ porrexerit, clauditur anguſtis opinionis ſuæ finibus, cui quod habet, non eſt ſatis.* S. Baſilius in ditēſcentes, Avem Seleucidem ait à Deo inexſaturabilem eſſe conditam ad hominum uſus: at verò avaritiam eſſe inexplebilem ad hominum exitium: *Quæcumque enim oculis avarus aſpicit, hæc concupiſcit. Neque viſu expletur oculus, neque acceptione avaritia ſatiatur. Avarus, velut infernus, nunquam dicit, ſufficit.* Ut ab oculo non recedas, Lynci ſimilis eſt avarus; nam non meminit acquiſitorum bonorum, ad nova ſemper pergens cum aviditate & rapacitate. S. Hier. ad Chryſogonum ep. 44. *Naturâ*, inquit, *lynces inſitum habent, ne poſt tergum reſpicientes meminiſſe priorum, & mens perdat quod oculi videre deſierint*: aliter tamen applicat, nempe ad immemorem amicitiæ priſtinæ: deinde ait, lynces meminiſſe prædandi cum venter vacuus ſiccum fame gutturexaſperat: ubi vero ſunt ſaturæ, non recordari venationis. Sed avarus nunquam prædarum obliviſcitur, quia nunquam ſatiatur.

Verſ. 30. 2. Pars. 133. Tertiò, Avari naturam Propheta exprimit, Leoni illum comparans, verſ. eod. 30. INSIDIATUR IN ABSCONDITO QUASI LEO IN SPELUNCA SUA, (Hebr. *in* סכה *ſucco*, tugurio ſuo, ut vertit Arias & Felix: in cubili, ut S. Hier. & Pagnin. *ἐν σκηνῇ*: in ſpelæo, ut Petavius) *ἐν μάνδρᾳ*, in ſpelunca, ut Sept. (*Inſidiatur ut rapiat pauperem: rapere* (id eſt ut rapiat. Græciſmus eſt) *pauperem, dum attrahit eum*, addit S. Hier. *ad rete ſuum*, ſed melius hæc pertinent ad verſum ſequentem, ut patebit ibi.

Leoni avarus comparatur. 1. Ob viſum. Avarus rectè comparatur leoni. Primò, ob cautum viſum. Nam de avaro mox vidimus, *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt.* Leo autem Græcis dicitur *λέων* à *λάω*, id eſt video; unde *ἀλαὸς* cæcus, ut cenſet Manethon in lib. ad Herodot. & Varinus. Eſt enim acutiſſimi viſus. Præfulgidas habet, & quodammodo igneas pupillas. Dormit apertis oculis. Avarus etiam in ſomnis aurum videt: quod oculis aſpexit, hoc cineres redigit inſtar ignis. Leoni, ut ait Plinius lib. 8. c. 16. *Omnis vis conſtat in oculis*: unde fit, ut ſi pallium ejus capiti injicias, ſtatim feritatem deponat, *Vix credibili modo torpeſcente tanto illa feritate, quamvis levi injectu operto capite, ita ut devincatur non repugnans.* Claude oculos, ne te ſplendor auri efferatum faciat, ut monui in primo hemiſtichio. Sunt qui ארי *ari*, id eſt leo ab *ur*, id eſt flamma, deducant. אור *ur* habet vau pro jod.

Secundò, Avarus leoni ſimilis ob inſidias. Leonem ait S. Cyrillus, etiam ut inſidias. Tectus enim latet, donec commodè minores feræ approximent, tunc ſaltu in eas irruens & rugitu intonans illas invadit atque diſcerpit. Innumeras avarorum technas & fraudes nemo non ſuget, Caius Caligula hæredem ſe à multis ſcribi curabat, deinde veneno illos tollebat, à quibus eſſet renunciatus, deriſores eos vocans quòd paſt declarationem illam ac teſtamentum vivere perſeverarent. Alexius Commenus Imp. Orientis falſos creditores contra quoſdã inducebat, qui ſuas res illis auferrent, cùm iis nihil deberetur. 2. Ob inſidias.

Tertiò, Avarus leoni ſimilis eſt ob aviditatem prædæ, de illa dicam pſal. 21. 14. *Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.* Ubi etiam dicetur de rugitu. Minus etiam & clamoribus ſternantur pauperes à divite. 3. Ob aviditatem prædæ.

Quartò, Avarus ſimilis eſt leoni ob crudelitatem. Hebr. leonem hîc vocant אריה *arie*, q. d. rapientem, diſcerpentem. Rad. *ara, rapere*, carpere, colligere, decerpere, propriè fructus, ut ait Mercerus Avarus pauperum fructus omnes ſtatim rapit, & ipſum diſcerpit, Prov. 28. 15. *Leo rugiens, & urſus* (Hebr. דוב *dob*, lupus, ut vertunt Sept.) *eſuriens* (Hebr. שוקק *ſokec*, id eſt frendens, ut Reddit R. Salomon. clamans, ut Chal. avidus, ut Pagn. eſuriens, ut Noſter, ſitiens, ut Sept. cum fremitu diſcurrens, ut Vatabl. & quidem ait Mercerus eſſe propriè excurrere, & ut quidam volunt ad prædam graſſari: à שוק *ſoc*, id eſt crus, q. d. crus aſſiduè movere, curſitare. R. Aben Ezra ad rem noſtram aptè vertit, more ſermo diripiens) *princeps impius ſuper populum ſuum.* Ubi vides ex hoc loco poſſe te avarum comparare leoni, urſo & lupo. Nam, ut ait, S. Chryſoſt. tom. 6. de eclog. de Avaritia: *Οὐκ ἀφίησιν ἀνθρώπους εἶναι τοὺς ἀνθρώπους ἀλλὰ θηρία καὶ δαίμονας.* *Divitiæ* (nimis amatæ ſcilicet: *non ſinunt homines eſſe homines, ſed feras atque dæmones.* Avarus pauperem devorat inſtar hinnuli aut capreæ vel onagri, id eſt aſini ſylveſtris, Eccli. 13. 23. *Venatio leonis onager in eremo: ſic & paſcua divitum ſunt pauperes.* Hoc patheticè & ad noſtra tempora non ineptè, Salvian. amplific. lib. 4. de providentia. Venatio leonis, inquit, onager in eremo, ſic paſcua ſunt divitum pauperes. Quamvis tyrannidem hanc non pauperes tantùm ſed penè univerſitas patiatur generis humani. Quid enim omnium aliud dignitas ſublimium, quàm proſcriptio civitatum; aut quid aliud quorundam, quos taceo, præfectura, quàm præda; Nulla ſi quidem major pauperculorum eſt depopulatio, quàm poteſtas. Ad hoc enim honor à paucis emitur, ut cunctorum vaſtatione ſolvatur. Quo quid eſſe indignius, quid iniquius poteſt? Reddunt miſeri dignitatum pretia, quas non emunt. Commercium neſciunt, & ſolutionem ſciunt. Ut pauci illuſtrentur, mundus evertitur. Ita Salvianus. Avarorum barbariem conſiderans. S Chryſolog. ſerm. 29. ait: *Avarus crudelitatis dominus, ſævus hoſtis, amando lædit, trudat vitando, ipſum etiam captivat aſpectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem turbat quietem, adimit innocentiam, docet furtum, ſuadet fraudes, imperat latrocinium.* 4. Ob crudelitatem.

134. Avari ſunt teriores leonibus. Primò. Quin etiam deteriores ſunt avari leonibus & crudeliores. Primò, quòd leones in ſylvis & ſolitudinibus graſſentur, vix unquam pagos vel urbes adeant: at verò avarus in mediis civitatibus & oppidis ſine pudore ſæviat. S. Cyprian. ad Demetrianum. *Prædandi*, ait, *diſſimulatio nulla, nulla cunctatio, nulla formido eſt: quaſi oporteat, quaſi ille qui non rapit, damnum & diſpendium proprium ſentiat: ſic unuſquiſque rapere feſtinat. In latronibus eſt utcunque aliqua ſcelerum verecundia, avios fauces & deſertas ſolitudines deligunt: & ſic illic delinquitur, ut tamen delinquentium facinus tenebris & nocte veletur. Avaritia palam ſævit, & ipſa audacia ſua tuta, in fori luce abruptæ cupiditatis arma proſtituit.* Secundò, Avarus eſt leone truculentior, quia nunquam miteſcit aut cicuratur. Julius verò Capitolinus ait, ſub Gordiano juniore Imp. Romæ fuiſſe leones manſuetos ſexaginta, decem archileontes. Egnatius leones jubatos eſſe putat, Geſnerus leonum genus forma grandiore. Paulus Venetus ait, Magnum Cham Imp. Tartarorum leones maximos atque pulcherrimos habuiſſe, quibus manſuefactis ad venandum uteretur. Leones in India, ut ait Ælianus, ſi capiantur, manſueſcunt, Secundò. *Leones variis in locis manſuefacti.*

ſunt, modò ne maximi ſint: tunc autem a ſe dillos aſſuefaciunt loro, ut facilè ſimiliter atque canes ad venandos cervos, apros, tauros & alinos ſylveſtres duci queant. Hanno Carthaginenſis leonem, quo ad vectionem ſarcinarum utebatur, habuit, unàque cum Berenice manſuefactus leo vivebat, linguaque ejus faciem blandiebatur, leniter abſtergens, ac complanans rugas, demulcebat, cum eaque in menſa convivebat, humaniter & aptè comedens. Onomarchus Cataniæ tyrannus etiam leones habuit convictores. Muliebribus verbis leones in Mauritania repelluntur à pagis, ut ait idem Ælianus. Sed avarus præſertim viduarum bona exhaurit. Apollinem fingit Ovid. lib. 6. Metam. fuiſſe mutatum in leonem, & Hippomenem, de quo idem lib. 10. & Atalantam, quam ibidem dicit in leænam fuiſſe mutatam: ſed Apollo formam recuperavit humanam, illi in feræ forma remanſerunt. Si leonina tibi forma placet, ut Empedocli, qui poſt vitam hanc tranſmutationem in leonem præſtantiſſimam eſſe ſentiebat, imitare Amaſim Ægyptiorum legem, quem fabulæ in leonem deformant, ſed manſuefactum, qui loro inſtar canis duceretur.

135. Verſ. 31. A ferarum ſimili David tranſit ad venatorem vel avibus vel potius feris ipſis laqueo inſidiantem Verſ. 31. *IN LAQUEO SUO HUMILIABIT EUM*, (nempe pauperem: itaque malè vertit Arias, atteret ſe: & Pagnin. contritum humilemque ſe oſtendet, licèt enim apud Hebræos idem ſit pronomen reciprocum & abſolutum, tamen eas verſiones ſenſus non patitur) *INCLINABIT SE, ET CADET* (id eſt irruet cum præcipitatione & ardore) *CUM DOMINATUS FUERIT PAUPERUM*, id eſt, hujus pauperis, eſt enallage numeri. Petavius vertit. Tunc autem pronus incumbet, cum captum ſub manu tenebit. S. Hier. cum verſu præcedenti jungens ſic reddit. Rapiet pauperem, cum attraxerit eum ad rete ſuum. Et confractum ſubjiciet, & irruet viribus ſuis valenter. Secundò, *Tà cùm dominatus fuerit pauperum*, ſic explicare poſſis, q. d. cùm ſciat jam antea ſe ſic captos pauperes oppreſſiſſe; vel, cùm videat ſe in uno patreſamilias, aliosve capto, multos tenere, & eorum bona obtinere poſſe. Sed primus ſenſus magis placet.

Nota pro *in laqueo ſuo* S. Auguſt. legit *in muſcipula ſua*. Nam dives pro nihilo reputat pauperes, ut viles mures deſpicit, irridet, aggreditur, capit, occidit. Sanctus hic Pater qui locum noſtrum de Antichriſto exponit, ſic ait: *Cùm ſigna illa facere cœperit, quantò mirabiliora videbuntur hominibus: tantò illi ſancti qui tunc erunt, contemnentur, & quaſi pro nihilo habebuntur.* Sed à muribus corroduntur, qui pauperes inſtar murium habent, ut exemplis patuit.

Nota ſecundò, avarus dives dominando cadit & concidit, ut dominetur, & per ſuam illam ipſam excellitatem, qua pedibus premit guttur pauperis, humiliatur. Pro *inclinabit ſe* S. Aug. legit *inclinabitur*. Euthym. quoque ait: *Inclinabitur & cadet cùm dominatus fuerit pauperum, id eſt; Ubi potens iſte pauperum dominatus fuerit, tunc hac ipſe humiliatus inclinabitur & peribit. Nam qui cadunt, prius inclinantur. Hæc autem omnia fient, & immedicabile ejus vitium pateat, ut & Dei pariter longanimitas, & pauperum oppreſſorum patientia, & eorundem demum vindicta.* Ita ipſe. Ubi nunc eſt Froto IV. Danorum Rex, qui tam duro Saxones victos premebat jugo, ut primum pro quolibet homine, deinde pro cubitalium membrorum quolibet, indicem ſervitutis pecuniam, exigeret: ut ait Saxo Grammaticus. Ubi Peſcenninus Niger qui Judæis rogentibus, ut tributi aliquid remitteret, ait: Vos terras veſtras levare vultis, ego etiam aërem veſtrum cenſere cuperem? ſicut tradit Ælius Spartianus. Quid contigit ſtulto Roboamo regni Judææ dicenti 3. Reg 12. 10. *Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei* (id eſt, longè ſum Salomone patre meo excellentior & fortior. Chald. vertit. Debilitas mea fortior eſt robore patris mei) *Pater meus cecidit vos virgis, ego cædam vos ſcorpionibus*, id eſt, flagris aculeatis, ait Vatablus. Excidit poteſtate ſua in decem tribus, neque eam recuperare unquam potuit, neque ulli poſterorum.

SECTIO SEXTA ET ULTIMA.

Tria proponit. Primo, Rationes affert Propheta, cur Deus pauperibus debeat ſuccurrere. Verſ. 33. Secundo, Poſtulat pauperum oppreſſores conteri. Verſ. 36. Tertio, Prædicat fore, ut Deus pauperes juvet, & impios atterat. Verſ. 37.

PARAPHRASIS.

33. *Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua; ne obliviſcaris pauperum.*	33. Tu verò, Domine Deus, in iram vindictamque celerem aſſurge, potentiæ tuæ majeſtatiſque dexteram ſubrige, ut haſta tua & fulmine impios atteras. Ne pauperculos laudum tuarum præcones à nefariis tyrannis comminui diutius, velut eorum oblitus, patiaris.
34. *Propter quid irritavit impius Deū? dixit enim in corde ſuo; non requiret.*	34. Quid enim tantæ eſt audaciæ impius, te ut ad iram concitet? Una hæc eſt cauſa quod ſibi penitus perſuaſerit, ſcelerum te ſuorum ultorem non futurum.
35. *Vides, quoniam tu laborem & dolorem conſideras, ut tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.*	35. Sed decipitur ſceleratus. Tum enim omnia intueris, pauperumque afflictionem conſideras, ut pro afflictionis & injuriæ illatæ gravitate illum ejuſque ſatellites & ſcelerum participes puniās. Ab omnibus deſerti pauperes, tuæ ſolius curæ paternæque providentiæ relinquuntur: ideoque tu illorum ac præſertim orphanorum eris adjutor.
36. *Contere brachium peccatoris & maligni: quæretur peccatum illius & non invenietur.*	36. Potentiam ſceleratorum ſua vi & authoritate pauperibus Apoſtolis reſiſtentium, & malevolentia illis inſidiantium, infringe. Hoc ſi feceris, idolorum cultus, omniſque ex eo venenato fonte malitiæ profluens, evaneſcet: neque idololatrarum poſteri, licèt id tentaverint, ea in uſum inducere poterunt.
37. *Dominus regnabit in æternum & in ſeculum ſeculi: peribitis gentes de terra illius.*	37. Tu verò, Domine Deus, ſubrutis dæmonum eris unus orbi univerſo imperabis, ac leges æternas ſancies. Gentilitatis omnia prorſus veſtigia à tua Eccleſia eliminabis, & ex hoc orbe, qui tuus eſt, idolorum amatores & cultores fautoreſque exterminabis, atque è terra cœleſti, ubi ſervos tuos beas.
38. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.*	38. Apoſtolorum tuorum, cæterorumque fidelium preces audiviſti: adeoque promptum te ad eorum vota præbuiſti, ut orationibus annueris, cum primum eas animo conceperunt.
39. *Judicare pupillo & humili: ut non apponat ultra magnificare ſe homo ſuper terram.*	39. Ad judicandum in favorem pupillorum, id eſt, omni ope deſtitutorum, & afflictorum: ne homines, qui ſunt vilis pulviſculus, magnum quid ſibi arrogent, ſeque plus quàm par eſt efferent.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta cura Deus pauperum & orphanorum rebus provideat?

136. Ordo Sectionis. CUm ſuperiori Sectione conqueſtus eſſet David, quòd Deus tamdiu Evangelii ſui præcones à tyrannis opprimi pateretur; nunc munet auxilio ipſis certo affuturum. Hoc autem facit more ſuo eleganter, venuſta figurarum harmonia, ſibi mutuo correſpondentibus omnibus, ut patebit.

Primò itaque, petit à Deo, ut pauperibus ſubſidio ſit: quod in tria poſtulata dividit. Primum eſt, ut exurgat alacer ad bellandum, Verſ. 33. *Exurge Domine Deus.* Secundum, ut hoſtem dextra feriat. *Exaltetur manus tua.* Tertium, ut ſiniſtræ clypeo præcones ſuos & pauperes tegat. *Ne obliviſcaris pauperum.*

Tribus his poſtulatis tres rationes ſubjicit, miro artificio ſingulas ſingulis reſpondentes. Primo enim, cùm à Deo petiiſſet, ut exurgeret, rationem ad id moventem attexit, quòd impii eum dicerent humanis rebus indormiſcere. Verſ. 34. *Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde ſuo: non requires*, cum petiiſſet, ut Deus *manum* ad hoſtes feriendos erigeret, cauſam addit, quòd ſervos ejus attererent, Verſ. 35. *Vides, quoniam tu laborem & dolorem conſideras, ut tradas eos in manus tuas.* Tertiò denique, cùm petiiſſet, ut Deus pauperi ſuccurreret, cauſam profert, quòd ab omnibus expulſis ad Deum remittatur, veluti peculiarem pauperum protectorem. Verſ. eod. 35. *Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adjutor.*

Secundò, à Deo petit David, ut ſceleratos prorſus obterat, Verſ. 36. *Contere brachium peccatoris & maligni.* Rationem attexit, ut illis deletis idololatria prorſus peſſumdetur, atque ex hominum memoria excidat. Ibid. *Quæretur peccatum illius, & non invenietur.*

Tertiò denique, quatuor illas petitiones à Deo exaudiendas eſſe prædicit. Primo, Deum ſurrecturum, ut regnet. Verſ. 37. *Dominus regnabit in æternum, & in ſæculum ſæculi.* Secundò, manum in hoſtes exaltaturum. Ibid. *Peribitis gentes de terra illius.* Tertio, Deum recordaturum pauperis, Verſ. 38. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Quartò denique, effecturum, ut contrito peccatore, peccatum illius non inveniatur. Verſ. ult. *Judicare pupillo & humili, ut non apponat ultra magnificare ſe homo ſuper terram.*

ARTICULUS I.

Pauperis Deus juvat.

POſtquam egit Propheta de judicio occulto in perſecutores Apoſtolorum & virorum Apoſto-
Verſ. 33. 1. Pars. licorum, atque fidelium, nunc agit de judicio manifeſto & punitione omnibus manifeſtanda. Verſ. 33. *EXURGE DOMINE DEUS.* Primò, ex-
137. urge velut à ſomno, putant impii te veluti dormientem non invigilare rebus mortalium, ſed in cœlo tua beatitudine contentum, cætera negligere, aut etiam non videre: exurge & te illis oſtende vigilem & ſedulum proviſorem etiam in his terris. Ita Bellarmin. Folengius, Titelmannus, Janſen. Beda & alii. Secundò, *Exurge*, id eſt, cum hactenus ſumma patientia toleraveris afflictiones ſervorum tuorum & ſcelera impiorum, velut ſpectator exiſtens certaminis, nunc aſſurge, ut athletas pro te certantes adjuves & pro iis pugnes. Ubi nota, pro *Deus* Hebr. eſt אל *el*, id eſt, *fortis.* q. d. fortis es, robur illud exere. Aquila vertit, ἰσχυρέ, id eſt, fortis, potens. Deinde nota, Septuaginta & Syrus addunt *meus.* q. d. Tu te noſtrum feciſti per Incarnationem, adjuva nos, quia etiam tibi ſumus & tibi perimus. Arabs bis ponit *Tò meus*, vertit enim, *Surge ô Domine meus, & Deus meus.* q. d. tu es bis meus: primò, per creationem: ſecundò, per recreationem. Vel, meus es, per redemptionem omnibus communem: deinde, meus es, per vocationem particularem ad tuam Eccleſiam & religionem. Itaque bis ſervus tuus ſum: primò, anima: ſecundò, corpore. Vel, ut creatura, deinde, ut Chriſtianus aut religioſus. Tertiò, *Exurge*, ad judicium, q. d. conſcende tribunal judicii, ut rei tibi ſiſtantur ſcelerati & puniantur.

Non eſt ſatis exurgere, ut regia majeſtate impius
territus fugiat aut ſapiat: nimis enim efferatus eſt Verſ. 33. 1. Pars.
atque impudens: à ſæviendo non deſiſtet, niſi percuſſus. Ideò additur: *EXALTETUR MANUS TUA.* S. Hier. *Leva*, (Pagninus, aleva: Felix, exalta. Petav. attolle) *manum tuam.* Primò, Beda *manum* interpretatur Chriſtum, ait enim. Exurge, id eſt, altus eis appare in tuo manifeſto judicio: & exaltetur manus tua: id eſt, ego quem tu miſiſti ad debellandas aëreas poteſtates, prius miſſus in humilitate: exaltet nunc miſſus ad judicandum in majeſtate, cum frequentia angelorum atque ſanctorum. Ita Beda. Sed hoc eſt myſticum. Secundo, *exaltetur manus tua*, id eſt, tu Chriſte, eleva dexteram tuam gladio tuo & fulmine armatam, ut vehementiorem plagam inferas: quo enim altius brachium erigitur, eò majus vulnus infligitur. Ita Bellarm. Janſenius, Lorinus, Ugo Cardinalis, Titelmannus, Folengius, Euthym. qui rectè ait, per manum Dei ejus potentiam intelligi. Ingenioſè S. Auguſtinus de more oſtendit, agi hîc de punitione manifeſta nefariorum. Superius, ait, dixerat, Exurge Domine, non prævaleat homo, judicentur gentes *in conſpectu tuo, id eſt, in occulto, ubi ſolus Deus videt.* Hoc factum eſt, cùm impii ad magnam quæ videtur felicitatem pervenerunt, ſuper quos conſtituitur legiſlator qualem habere meruerunt. De quo dicitur, conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos: ſciant gentes, quoniam homines ſunt. Nunc autem poſt illam occultam pœnam atque vindictam dicitur. Exurge Domine Deus, & exaltetur manus tua, non utique in occulto, ſed in manifeſtiſſima gloria. Ita Auguſtinus. Nota, non ſapiunt obſtinati, niſi Deus extenta manu feriat. Exodi. 3. v. 20. *Extendam manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus ſum in medio eorum, poſt hæc* (non prius) *dimittet vos.* Doctrina calcitrantium eſt ſtimulus. Unde Hebraicè dicitur מלמד *malmad*, q. d. doctrinale, inſtructorium, eruditio. Idem eſt in obſtinatis. Non ſapiunt, niſi pungantur.

Cauſam addit illius ſurrectionis, & exaltationis Verſ. 34.
manus, ut ſcilicet oſtendat Deus ſe curam gerere pauperum afflictorum. Verſ. eod. 33. *NE OBLIVISCARIS PAUPERUM.* In Pſalterio Romano additum eſt, ne obliviſcaris pauperum in finem. Urget Deum, quod impius fide careat. Verſ. 34. *PROPTER QUID IRRITAVIT* (Pagninus, Syrus, Arabs, iraſci fecit. S. Hieronymus, quare blaſphemavit) *IMPIUS DEUM. DIXIT ENIM IN CORDE SUO: NON REQUIRET.* Hebraicè, non requires: ſeu, non inquires, id eſt, non punies. Eſt enim Metalepſis, in qua ponitur antecedens pro conſequente. Syrus vertit, *non retribuet.* Petavius, ἐκδικήσει, id eſt, *non vindicabit.* Deinde ait, impios non ſolùm fide, ſed etiam charitate deſtitui,
& bonos affligere. Verſ. 35. *Vides quoniam* (Hebr. Verſ. 35. 1. Pars.
כי *chi*, id eſt, quippe, ut vertit Arias. *Tò chi*, po- 138.
teſt eſſe cauſale, & ſignificare *quia.* q. d. Vides, nam conſideras eorum actiones & mala quæ aliis faciunt) *tu laborem & dolorem conſideras, ut tradas eos in manus tuas*: ut potentiæ & juſtitiæ tuæ, quæ ſunt manus tuæ, eos puniendos committas: non ſufficit una manus ad tantum ſcelus expiandum, utreque feriendi ſunt. Nota *Tò laborem & dolorem*, poteſt primo ſumi paſſivè. q. d. tu attentè contemplaris labores & dolores quos ſervi tui ac præcones Evangelici pauperes patiuntur. Hunc ſenſum maximè videtur exigere latina verſio, & ſequuntur Bellarmin. Petavius, Magn. Janſen. & alii, & ego ſecutus ſum in paraphraſi. Secundo, tamen magis appoſitè & concinnè, *Tò laborem & dolorem* ſumemus activè, id eſt, pro labore & dolore quem impii inferunt: unde ſtatim ſequitur, *ut tradas eos*, impios ſcilicet, à quibus hic labor & dolor emanat. Hunc ſenſum petunt Hebraica. Primo enim loco pro *laborem* eſt עמל *amal*, id eſt, labor, perverſitas, iniquitas, injuſtitia: de ea voce dixi ſupra verſu vigeſimo octavo. Secundò, loco pro *dolorem* eſt כעס *caas*, id eſt, ira, indignatio, provocatio, irritatio, extimulatio. Itaque S. Hieronymus vertit, *Quia tu laborem & furorem reſpicis.* Sanctus Auguſtinus legit: *Quoniam tu laborem & iram & dolorem conſideras.* Arias vertit: *Quippe tu laborem & iram reſpicies.* Pagninus, perverſitatem & iram. Syrus, crimen & indignationem. Chaldæus, dolorem & iracundiam. Arabs, *Et tu domine, vides iniquitatem ejus, & malitiam operis ejus.* Et addit dictum notabile, *Si agnoviſſet animam ſuam, invenisset*

veniſſet Saulum (nam ira furor brevis eſt, & ſibi dolorem parit, aliis volens illum inferre) *& ſcivisſet ſe traditum eſſe in manus tuas.*

Tertiò, pleniſſimè, *Tò laborem & dolorem* ſume tam activè quàm paſſivè, id eſt, pro labore & dolore, tam prout procedit ab impiis furentibus & in pios agentibus, quem prout recipitur in piis patientibus. Sic Folengius explicat. Vides, ait, laborem doloremque hominum omnium injuria affectorum conſpicis: iramque & furorem illorum, qui injurias inferunt, optimè conſideras. Et quidem *amal*, ſignificat etiam fatigationem, laborem, malum paſſivè ſumptum: *Caas* mœrorem, moleſtiam, perturbationem, afflictionem, perturbationem, dolorem paſſivè acceptum.

Verſ. 35. 2. Pars. 140. Pauperi ſolus Deus auxilio eſt. Primò. Rationem maximè urgentem affert, quæ Deum veluti cogat ſuccurrere pauperi, quia nullus præter ipſum ejus curam gerit. Verſ. eod. 35. *TIBI DERELICTUS EST PAUPER.* Primò, derelictus eſt ab aliis. Cùm enim divitiæ affluant, turba amicorum circumſtat, & multi ad radios honorum accedunt, ut iis luceant: atque ubi ſunt eſcæ multæ, corvi advolant, ut iis ſaginentur: ſed ubi te fortuna deſtituerit, omnes avolant & ſibi conſulunt, à ruinoſa domo tua recedunt, ne ea obruantur: nec fulcra quærunt, ut eam ſuſtentent: in naufragio tuo, etiam ſibi quæ poſſunt rapiunt, & te nudum in arena, aut etiam in fluctibus periclitantem relinquunt. Salomon Prov. 14. v. 20. *Etiam proximo ſuo pauper odioſus erit; amici autem divitum multi.* Socion apud Maximum ſerm. 11. Delphinis comparat amicos fugaces. Delphini, ait, quamdiu unda ſubeſt, navigia comitantur natantes, in litus verò nunquam egrediuntur. Sic adulatores in ſecunda fortuna manent, in adverſa deſerunt. Tullius lib. 4. ad Herennium, eos confert hirundinibus in hyeme deſerentibus domum hoſpitis ſui. *Ut hirundines*, ait, *æſtivo tempore præſto ſunt, ita falſi amici ſereno vitæ tempore præſto ſunt: ſimul atque fortunæ hyemem viderint, evolant.* Eleganter etiam Epictetus in altercatione cum Adriano Imperatore, pauperem comparat puteo derelicto. *Quid eſt*, inquit, *homo pauper? quem in puteum deſertum omnes aſpiciunt, & ſuo loco illum relinquunt.* Ad quos hoc pauperibus nomen in Pſalmo noſtro extendatur, dicetur articulo ſeq.

141. Secundò. Secundò, Non tantùm ab aliis pauper Deo relinquitur, ſed ipſe pauper ad unum Deum fugit, cùm ſe ab aliis deſertum videt. Unde clarè Syrus vertit: *Tibi ſe committet inops.* Pagninus, *Tibi relinquit cauſam ſuam pauper.* Ad verbum Arias reddit, *Super te relinquet pauper*, ſupple ſeipſum & ſua omnia, ut ſuper brachia & ſinum matris ſuæ ac nutricis. Dicit enim Deus Oſeæ 11. v. 3. *Et ego quaſi nutritius* תרגלתי *thirgalthi*, pro *hirgalthi* in Hiphil, id eſt, ambulare facit, ſumunt R. Salomon, R. Abraham, Vatablus & Arias; ſed 2. meliùs R. David Kimhi, & R. Moyſes accipiunt pro pedetione ſeu aſſuefactione ambulationis. 3. optimè *thirgalthi* eſt idem atque תרגלת *thirgegeleth*, id eſt, nutrix, quæ puerum docet ambulare, Job enim ibi eſt paragogicum. Deducitur à רגל *regel*, id eſt, pes) *Ephraim, portabam eos in brachiis meis.* Sed illi Judæi ſtupidi erant: ideò conquerens ſubdit: *Et neſcierunt quòd curarem eos.* Non deterrit tamen inſipientes & ſe ſubducentes pia & ſedula mater, ſed eo ſollicitius filios ſtringit brachiis, petit oſculis, ad mammas premit, verſu 4. eddit Deus. *In funiculis Adam* (Septuaginta, Symmachus & Syrus in funiculis hominis) *trahebam eos, in vinculis charitatis.* Chald. vertit, Sicut moris eſt trahi filios dilectos, traxi eos fortitudine charitatis. Hoc in Joſepho Patriarcha, cùm ab ipſis fratribus eſſet derelictus & venditus, videre poſſis Geneſ. cap. 37. & 39. & ſeqq. Pſalmo 79. 2. *Qui deducis velut ovem Joſeph*, hoc eſt, ejus poſteros. Synecdochicè per eos deinde intelligit decem tribus Iſrael, quia Jeroboam primus rex decem illarum tribuum fuit ex tribu Ephraim filii Joſeph. Conſtantinopoli quidam juvenis malens Chriſtum tutorem quàm patris divitias, ob eo uxorem ditiſſimam accipit ut refert Joan. Moſchus in prato ſpirit. cap. 21.

142. Divitum eſt pauperes juvare. Moraliter hìc diſce. Si dives es, non relinquere pauperem. Nam, ut ait Propheta noſter Pſalmo 40. verſ. 1. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* (Chald. qui cogitat de rebus pauperis) *in die mala* (Theodoretus, ἐν ἡμέρᾳ πονηρᾷ in die afflictionis) *liberavit eum Dominus, &c.* Vide ibi dicta. Contra verò habes Prov. 14. v. 31. *Qui calumniatur egentem* (Pagninus, qui aufert quid à paupere. Tigurina, vim faciens pauperi) *exprobrat factori ejus: honorat autem eum qui miſeretur pauperis.* S. Chryſoſtomus hæc interpretans in Catena Græcorum, Duo, inquit, peccata hoc locus aſſignat, nempe pauperum calumniam, & Dei offenſionem. At quomodo convitiator pauperum irritat Deum qui fecerat illum? Quia Deus non modò ſecundùm animam & corpus condidit illum; verùm etiam condidit talem, nempe pauperem & miſerum, eoque modo comparatum, qui lingua maledica facilè carpique poſſet. Dices rurſum: Si Deus quoſdam creat inopes, inopemque & miſeram vitam ducere illos pro ſapientia ſua ordinat, quorſum nos eorum miſeremur? Etenim audivi non paucos, qui ita dicerent: Quo jure obligamur nos in pauperes liberales & miſericordes eſſe? ſi Deus illos amaſſet, pauperes non feciſſet. Quouſque contra ſalutem noſtram ludimus? quouſque de his ridemus, propter quæ meritò nos tremere, formidare, & horrere oportebat? ſordidumque, ac mille malis repletum ludibrio habemus? utrum Deus magis amabat Lazarum mendicum & ulceroſum, an vero divitem epulonem? Nimirum hoc nos perdit, quòd divina quoque eloquia in facetias & dicteria vertamus. Ita Chryſ.

Secundò, Si pauperes, diſce Deo te totum credere, tibi enim providebit. Primo, te in animo roborando. Arabs vertit, *In te conſolatur pauper.* Et S. Hieronymus, *Tibi relinquuntur fortes tui.* Sic verſ. 30. ubi habemus, oculi ejus in pauperem reſpiciunt, reddit ipſe. *Oculi ejus robuſtos circumſpiciunt.* Vide illum locum, & time dives robur illud, quia divinum eſt: potes humanas vires dejicere, divinas non potes. Secundò. pauperi ſuccurrit Chriſtus, etiam in corporis & fortunæ bonis. Salvianus lib. 4. de provid. *Sunt quibus & ſi deſint multa, non deſunt omnia. Chriſtus tantummodo ſolus eſt, cui nihil eſt quod in omni humano genere non deſit. Nullus ſervorum ſuorum exulat, nullus frigore ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat. Solus cum eſurientibus eſurit, ſolus cum ſitientibus ſitit.* Itaque iis ut ſibi ſuccurri optat, & illis providet cum humana deſunt auxilia, ut oſtendi Pſal. 54. v. 23. & ſupra v. 13. *Non eſt oblitus clamorem pauperum.*

ARTICULUS II.

Orphanorum curam ſuſcipit Deus.

Verſ. 36. 2. Pars. INter pauperes maximè opis indigent orphani, ideo Deus iis præſertim providet. Verſ. eodem 36. ORPHANO TU ERIS (Hebraicè היית *haiitha*, id eſt, fuiſti: S. Hieronymus, tu es factus. Syrus, tu es. Septuaginta, ἐκεῖ, tu eras. Omni ſcilicet tempore) ADJUTOR. Arabs, *adjutorium.* Nota, Græca vox ὀρφανός, & Hebraicè יתום *iathom*, quæ hic uſurpantur, redduntur *orphanus*, infra verſu ultimo, *pupillus*, & ſic paſſim in Scripturis permixtim mox altera earum vocum exprimuntur: atque hæ duæ dictiones ſynonimæ ſunt in illis, & in aliis etiam authoribus ſæpiſſimè. Sic definit orphanum & pupillum Spiedelius in lexico juris. Orphanus eſt, qui caret patre præſidioque paterno, & qui ſummopere deſiderat illius opem, cùm ſine eo male habeat. Pupillus dicitur propriè is qui cùm impubes eſt, deſiit in patris poteſtate eſſe, vel morte vel emancipatione. Vide Ant. Fumæum in Tractatu de Subſt. Maſculus uſque ad 14. Puella vero uſque ad 12. ſic vocatur. Ea autem ætate ſinitur tutela ſecundum jus commune, ſive ſit in poteſtate patris, ſive extra. l. ſi. paragrapho pupillus. de ver. Obli. D. & l. ſin infanti. paragrapho penultimo de Jure delibe. libro 6. C. orphanus caret etiam præſidio paterno, id eſt, tutore: & ſic appellatur poſt dictam ætatem. Sanctus Hieronymus in Pſalmi noſtri commen pupillum & orphanum definit. *Pupillus dicitur, qui non habet patrem: orphanus, qui nec patrem nec matrem habet.* Sed magis placet definito Spiedelii ſupra allata. Ingenioſe S. Auguſtinus tractatu 75. in Joan. & S. Iſidorus lib. 11. orig. cap. 2. pupillum dictum volunt à pupilla, q. d. ſine pupilla, id eſt, ſine oculis: unde etiam dicitur orbatus parentibus. Terent. Adelph. Hæc Virgo orba eſt patre. Simpliciter quoque orbus pro pupillo ſumitur. Idem Terent. in Phormione. *Lex eſt, ut orbæ qui ſint genere proximi, his nubant.* Et verè quidem oculi liberorum ſunt parentes, illis illuminari, ambulare, dirigi, promoveri, pericula evitare, & ad utilia quærenda duci debent. His privati ſunt orbi, id eſt, Orphanus & pupillus quis?

oculis

oculis privati, quaſi amiſſis orbibus. Veriùs pupillus deducitur à *pupus*, quæ vox ſignificat puerum parvulum & tenellum: unde etiam pupilli vocantur minores. Hebr. יתום *iathom*, pupillus, orphanus, q. d. conſumptum: vel cujus parentes ſunt conſumpti. Rad. *Thamam*, conſumere. Hinc in futuro *iithom*, conſumetur.

Quæres, Quis hîc pauper & orphanus intelligitur? Reſp. primò S. Auguſt. pauperem enim vocat hîc, qui omnia hujus mundi temporalia bona contempſit, ut Deus ſit tantùm ſpes ejus. Orphanum verò, cui pater mundus eſt mortuus, ei adhærent Bruno & Caſſiodorus. Verba autem S. Auguſtini ſunt: *Pupillo tu eris adjutor: id eſt, ei cui moritur pater hic mundus, per quem carnaliter genitus eſt, & jam poteſt dicere, Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo. Talibus enim pupillis pater fit Deus. Docet quippe Deus pupillos fieri diſcipulos ſuos, quibus dicit, Matthæi 20. v. 9. Ne vobis dicatis patrem in terris. Cujus rei exemplum præbuit prior ipſe dicendo: Quæ mihi mater, aut qui fratres? Matthæi 10. v. 48. Unde volunt quidem pernicioſiſſimi hæretici aſſerere, non eum habuiſſe matrem, nec vident eſſe conſequens ſi hæc verba attendant, ut nec diſcipuli ejus patres habuerint. Quia ſicut ipſe dixit, quæ mihi mater eſt: ſic illos docuit, cùm ait: Nolite vobis dicere patrem in terris.* S. Hieronymus pupillum ait dici, qui patrem diabolum non habet. Beda duos patres impiorum aſſignat, mundum ſcilicet atque diabolum. Sunt enim nati ex adulterio. *Pauper*, inquit, *derelictus eſt à ſeipſo tibi: id eſt, abnegavit ſe & mundum propter te, & ideò tu eris adjutor ipſi facto propter te orphano. Orphanus propriè dicitur, qui caret patre in pupillaribus annis: tamen ad hanc ſimilitudinem dicitur orphanus, quicumque ſe pro Deo abnegat: quia jam ſpoliatus eſt priore patre, mundo ſcilicet, juxta quem carnaliter genitus eſt: & diabolo, qui eum in concupiſcentiis carnalibus generavit. Unde dictum eſt, Vos ex patre diabolo eſtis.* Ugo Cardinalis & patrem & matrem eſſe relinquendum edocet, ut ſimus veri orphani. Sic autem loquitur: *Orphanus eſt, cui pater mundus, & concupiſcentia mortui ſunt. De quibus Ezechielis decimo ſexto, Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethea. Amorrhæus interpretatur amaricans. Hic eſt mundus, qui multis amaritudinibus & doloribus ſuos afficit. Cethea interpretatur tenebreſcens, & ſignat carnem ſive carnalem concupiſcentiam, quæ lumen rationis abſorbet, & obtenebrat. Pſalmo quinquageſimo ſeptimo. Supercecidit ignis (concupiſcentiæ) & non viderunt Solem juſtitiæ.* Sed hæc eſſe tropologica planum eſt.

Secundò, Janſenius *pauperem* intelligit virum pium ab omnibus deſertum, *orphanum* verò eum qui omni hominum ope deſtitutus eſt. Ut enim ait Folengius, Pauper, orphanus, pupillus, vidua, in Scripturis pro quocunque ab omnibus deſtituto, & qui omnibus omnium injuriis facilè obnoxius eſt, accipi ſolet. Et quia Deus his potiſſimum, qui ab hominibus prorſus deſeruntur, citiùs conſulere opemque ferre conſuevit, Scriptura propè adagii loco, eum judicem eſſe viduarum, pauperum orphanorumque, omnium ſcilicet afflictorum, jactitat.

Tertiò, Titelmanus, Euthymius, & Joannes à Paſtura per *pauperem* ſumunt fidelium populum: per *orphanum* verò, ope humana deſtitutos.

Quartò denique, pauperes & orphani poſſunt in propria ſignificatione accipi. Sed præſertim arbitror intelligi Apoſtolos, qui orbati Chriſto patre ſuo, in cælos abeunte, in magna paupertate orbem decurrebant, omnium tyrannorum crudelitati, & nationum ferocitati expoſiti. 1. Corinth. 4. v. 11. ait Apoſtolus, *Uſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus* (Græcè ἀστατοῦμεν, id eſt, certam & fixam ſedem non habemus, incertis ſedibus erramus & vagamur) Ex v. 13. *Tanquam purgamenta* (Græcè ὡς περικαθάρματα, id eſt, tanquam ſordes undique everrendo collectæ. Syrus, tanquam ſtercus) *hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema*, περίψημα, id eſt, ut S. Chryſ. Theoph. & Anſelm. exponunt, abjecta ſcobs, ramentum, reſque viliſſimæ, quæ abjiciuntur & calcantur ab omnibus. Quomodo Deus illos adjuverit, ipſe ſæpiùs inculcat. ad Philippenſ. 4. 13. ait: *Omnia poſſum* (nihil excipit) *in eo* (per eum) *qui me confortat*. Græcè ἐνδυναμοῦντι, id eſt, qui me interius corroborat, qui per gratiam ſuam validum me ac robuſtum facit. Ex 2. Corinth. 4. v. 8. *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur* (Græcè οὐ στενοχωρούμενοι, id eſt, non coarctati, non anxii redditi. Syrus, premimur, ſed non ſuffocamur) *aporiamur* (Græcè, ἀπορούμενοι, ad anguſtias detruſi inexplicabiles hæſitamus, animo fluctuamus neſcii quò nos vertamus) *ſed non deſtituimur*: id eſt ait S. Chryſoſtomus Oecum. Theophylactus, non deſperamus, ſed in Deo conſilium, auxilium, remedium malis noſtris, & felicem in rebus exitum ſperamus & invenimus, ſicque victores evadimus. *Perſecutionem* (ut à tergo inſtantem hoſtem) *patimur, ſed non derelinquimur*. Deus enim nobis ſemper adeſt dux & comes, qui vires ſuppetit, ut perſecutio non ſit aſſecutio, ſed tantùm ad hoc proſit, ut gradum in cœlum urgeat. Adrianus Papa VI. in eo ſibi præſidio ſpem reponens, id ſumpſit Symboli: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.*

Moraliter hîc diſce, Deum eſſe adjutorem: ſive ut Arabs vertit, *adjutorium* ipſum orphanorum & pupillorum. Primò, eſt eorum pater. Pſal. 67. 6. dicitur pater orphanorum (S. Hieron. vertit, pupillorum) & judex viduarum. 145. Deus eſt orphanorum. Primo, pater.

Secundò, Mater eſt etiam orphanorum. Pſ. 145. v. 9. *Pupillum & viduam ſuſcipiet*, in ulnas ſcilicet ſuas, ut mater pupulum. Hebraicè, יעודד *ieoded*, id eſt, *eriget*, ut vertit S. Hieronymus, confirmabit, fulciet, ſuſtentabit, ut alii) *& vias peccatorum diſperdet*. S. Hilar. legit, exterminabit. S. Hier. conteret. Chald. יתלתל *ietaltel*, id eſt, amovebit, auferet. Velut benigna & amore ſaucia mater, non poteſt Deus lacrymas pupi ſeu pupilli ſui ferre, quin ſtatim eum exaudiat. Eccli. 35. 17. *Non deſpiciet preces pupilli.* Secundò, mater.

Tertiò, Deus eſt tutor orphanorum, atque curator, *Orphano tu eris adjutor*. Aptiſſimè ad rem noſtram vertit Magnetius, *tutoris arbos*. Oſeæ 14. 4. *Aſſur non ſalvabit nos* (id eſt, ſpem ſalutis non reponemus in Aſſyriis) *ſuper equum non aſcendemus* (ab Ægyptiis qui equitatu valebant, opem non petemus) *nec dicemus ultra, Dii noſtri opera manuum noſtrarum: quia ejus, qui in te eſt, miſereberis pupilli*. q. d. ait Cornelius, Miſereberis, ò Domine, Iſraelis, qui quaſi ſine patre & matre, ac ab omnibus derelictus, quaſi pupillus *eſt in te*, id eſt, tuus eſt, ac *tuæ curæ* relictus & creditus, ideoque in te uno omnes ſpes ſuas reponit. Vides Deum fieri à Magn. tutorem orphanorum, à Corn. autem curatorem. S. Chryſoſtomi locum eximium in eam rem mox afferam. 3. Tutor & curator.

Quartò, Deus eſt orphanorum nutrix. Pſal. 146. v. 9. *Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum* (qui à parentibus velut orphani deſeruntur) *invocantibus eum*. S. Hieronymus vertit, filiis corvi clamantibus. Se profitetur Deus Oſeæ 11. 3. nutritium Ephraim, id eſt, populi Iſraël derelicti ab omnibus, ut dixi ſupra. 4. nutrix

Quintò, Deus eſt patronus orphanorum. Philo tractat. de victimas offerentibus. *Pupillorum*, ait, *atque viduarum patrocinium profitetur Deus, quia hæ maritis, illi parentibus, orbati ſunt: quibus humana ope deſtitutis nullum præterea relinquitur auxilium.* [illegible] *Ideo maxima in divino ſpes ſupereſt. Quia propitium numen non averſatur hujus generis patrocinium.* Hæc Philo. 5. Patronus.

Sextò, Deus judex eſt favorabilis orphanis, v. 39. hujus Pſalmi ait David: *JUDICARE* (ut judices) *PUPILLO ET HUMILI*, id eſt, in gratiam pupilli & afflicti, orphanis victoriam adjudicans & eorum adverſarios & oppreſſores condemnans, qui hoc unum intendunt, ut malitia ſua, violentia, litibus, & variis artibus miſeros atterant. Pro *humili* ſanctus Hieronymus vertit *oppreſſo*, alius apud ſanctum Chryſoſtomum, τεθλασμένῳ, id eſt, *confracto*, Arias, *tenui*. Pagninus, *pauperi*. Hebr. & Chald. דך *dach*, propriè ſignificat contuſum, contritum, comminutum. Hinc Hebraicè, מדכה *medoca*, & Chald. מדוכתא *meduchtha*, mortarium ſignificat. Mortarium itaque ferreum, eſt paupertas inſuperabilis & inevitabilis, in ea pauper clauditur & arctatur velut granum aromaticum; divitis potentia & crudelitas eſt piſtillum ferratum, quo conteritur granum illud, ſed ſuavem odorem fundit Deo & hominibus verus pauper, per orationes & pios affectus in mediis tribulationibus: unde fit ut exaudiatur, ſicut verſu trigeſimo octavo dixerat David. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Præparationem porrò cordis intelligit, ſive qua præparamur à Deo, ſive qua per gratiam ejus præparamus nos: ita ut deſiderium illud bonum ſit ex præparatione Dei, ut ait ſanctus Thomas, Verſ. 39. 146. 6. Deus eſt judex favorabilis orphanis.

præter

præter communiorem ſenſum de oratione, ut petamus quæ ſunt illi grata. & ad quæ libenter attendat, ſeu ut quàm citò quis velit petere, tam citò Deus dignetur exaudire: patientem expectationem divinæ opis ac judicii interpretantur S. Auguſt. Remigius, Ruffinus, Ludolphus, juxta illud Pſal. 58. v. 6. & Pſal. 107. v. 2. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Euthymius, cor rectum, nullo vitio impeditum: vel Prophetarum deſiderium de Incarnatione, & promptos animos ad ſuſcipiendam fidem Chriſti. Beda, bonam affectionem: iterum Remigius, meditationem: Haymo id, ad quod omni conatu virium nititur quis orando aſſequi. Rupertus in lib. 1. Reg. cap. 11, cogitationes ſanctas, quæ præcedant petitionem, quod etiam innuit S. Bern. ſerm. 9. in Cantica, tractatus de piis ſermonibus euntium in Emaus Lucæ ult. 1. & ſeq. Dionyſius, promptitudinem adhærendi Deo in adverſis fideliter. Valentia, cum deſiderio rerum cœleſtium præparationem operum bonorum, quibus obtineantur. Ita Lorinus. Adhæreo autem Genebrardo, Bellarmino, Magn. Petavio, qui *præparationem cordis* interpretantur de præparatione ad orandum. q. d. antequam orent, Deus exaudiet: ſtatim atque videbit eos habere alicujus rei obtinendæ deſiderium, & ſe parare ut illam petant, eam dabit. Iſaiæ 65. 24. *Antequam clament, ego exaudiam.* Prov. 10. 24. *Quod timet impius, veniet ſuper eum* (Syrus, Impius ad perditionem trahetur) *deſiderium ſuum juſtis dabitur:* Septuaginta, deſiderium juſti acceptabile, interpres Catenæ Græcæ, deſiderium juſti Deo eſt gratum & acceptum. Pſal. 144. 19. *Voluntatem* (S. Hieronymus, placitum) *timentium ſe faciet, & deprecationem eorum* (δέησιν, indigentiam, preces expulſionem mali petentes) *exaudiet, & ſalvos faciet eos.* S. Auguſtinus, *ſalvabit eos.* S. Bernardus ſerm. 9. in Cant. Non expectat Deus verba, ſed cogitationibus advocatur, Nota rem pauperi jucundiſſimam & faciliſſimam. Non tantùm Deus illam præparationem cordis exaudit, ſed etiam facit. Hebræis inſiſtens S. Hier. vertit. *Præparaſti cor eorum.* Pagn. *parare facies*, per Angelos ſcilicet, concionatores, gratias. Chaldæus, *aptabis*, velut lyram & cytharam, ut bonam faciat concordantiam & conſonantiam. Felix, *diriges*, ut cor non aberret à ſcopo, non vagetur per inania, non petat inſulſa & ingrata Deo. Sicque voti fit compos, non tantùm unius ſed omnium. Arabs vertit, *Intendis aurem ſuam voluntatibus cordium eorum.* Non audit ſolum ſed avidè & attentè audit, ne quod deſiderium non exaudiatur.

147. 7. Deus eſt legiſlator favorabilis illis. Septimò, Deus eſt legiſlator favorabilis orphanis, & iis ſollicitè providens. Ut enim ait S. Chryſoſt. in Pſalm. noſtr. ſubvenire pupillis eſt. [illegible], id eſt, *opus egregium & palmarium:* additque, eſſe Dei proprium & ſingulare. *Sicut enim, inquit, artificis eſt ædificare, & gubernatoris navem dirigere, & Solis illuminare;* [illegible]. *Ita etiam ſuum eſt ſubvenire orphanis, manus præbere pauperibus. Nemo eſt, qui ſic eorum curam gerat, ſed tu ſolus.*

Hebræis, & omnibus, præcepit Deus, Exod. 22. v. 22. *Viduæ & pupillo non nocebitis.* Quo præcepto negativo ſemper & pro ſemper obligante, miſerabiles illas perſonas maximè munit, velut muro inexpugnabili. Et Eccleſiaſtici 4. v. 10. *In judicando eſto pupillis miſericors ut pater* (Arabs vertit, eſto orphanis loco patris) *& pro viro matri illorum.* Statim mercedem exquiſitiſſimam attexit v. 11. *Et eris tu velut filius Altiſſimi obediens* (Arabs & Syrus, & eris Deo veluti filius) *& miſerebitur* (Græcè, ἀγαπήσει, id eſt, diliget) *tui magis quàm mater.* Complut. [illegible] *quàm mater tua.* Principem dat Deus, ut dicebat ille, qui erga hominum genus vice ſua fungatur, & S. Greg. Naz. orat. 16. de pauperibus fovendis ait: *Nihil adeò divinum habet homo, quàm benefacere. Fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando, &c. Neque enim ullo omnino eſt, quæ Dei benevolentiam perinde conciliet, ac miſericordia.* Clemens Alex. lib. 1. Stromatum. *Dei,* ait, *imago eſt homo benefaciens.* Enitantur itaque judices, principes, reges divinitatem hanc conſequi. Theodoricus Gothorum Rex apud Caſſiod. lib. 3. variar. cap. 29. ait: *Inter glorioſas Reipublicæ curas, quas perpeti cogitatione Deo auxiliante revolvimus, cordi noſtro eſt levamen humilium, ut contra potentiam ſuperborum noſtræ pietatis erigamus obſtaculum, nec liceat quicquam apud nos audaciæ, cujus eſt propoſiti ſuperba calcare.*

8. Vindex eſt eorum. Non tantùm leges ſancivit Deus pro pupillis, ſed etiam violatores earum graviter punivit, ut patet in Heliodoro, qui miſſus fuit à rege Seleuco Philopatore, fratre ſeniore Antiochi Epiphanis, ad expilandum templum Jeruſalymitanum: Cum enim ab Onia ſummo Pontifice audiviſſet, ea quæ erant in templo, depoſita eſſe, & *victualia viduarum & pupillorum*, ab impietate ſua non deſtitit, ſed quæ habebat in mandatis à rege exequi per fas & nefas volens in illud irrupit, & jam cum ſatellitibus ærarium cœpit exhaurire. Quid verò acciderit, refertur 2. Machab. 3. 24. *Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit ſuæ oſtenſionis evidentiam, ita ut omnes, qui auſi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in diſſolutionem & formidinem converterentur. Apparuit enim illis quidam equus terribilem* (armis ſuis fulgentibus, vultu & geſtu minaci atque truculento) *habens ſeſſorem* (Angelum ſcilicet, probabiliter templi cuſtodem) *optimis operimentis adornatus: iſque cum impetu Heliodoro priores calces eliſit.* Hoc eſt, illiſit, impegit, quaſi diceret, prioribus pedibus in eum impactis illum attrivit. Græce habetur, Invectus autem cum impetu concuſſit in Heliodorum priores ungulas, *qui autem ei ſedebat, videbatur arma habere aurea. Alii etiam apparuerunt duo juvenes* (duo Angeli forma juvenum) *virtute decori* (qui decorem & robur præ ſe ferebant, ac cœleſtem indolem oſtendebant) *qui circumſteterunt eum* (Heliodorum) *& ex utraque parte flagellabant* (habentes ſcuticas ſeu flagella in manibus, ut ait Joſephus Gorionides) *ſine intermiſſione multis plagis verberantes.* Erant hi boni Angeli, ſunt enim pupillorum & viduarum defenſores. Seleucus ipſe Rex occiſus eſt ab eodem Heliodoro, eique ſucceſſit frater junior Antiochus Epiphanes.

148. Variæ nationes favent orphanis, & leges pro eis ferunt. Deus præterea inſpiravit omnibus populis, ut leges pupillis favorabiles ſancirent, eoſque ſollicitè tuerentur.

1. Lacedæmonii. 1. Apud Lacedæmonios, Quinqueviri, Bidiæi dicti, curæ orphanorum præficiebantur.

2. Athenienſes. 2. In Attica, Rex ſacrificulus orphanis pro tutore & curatore erat, qui tuitioni eorum atque patrocinio intenderet.

3. Romani. 3. Apud Romanos, ſi cui nullus omninò tutor fuit, ei dabatur à Prætore in urbe, aut à majore parte Tribunorum plebis: in provinciis autem à Proconſule, ab ejus legato, à Præſidibus, à Præfecto Ægypti: & in municipiis ab omni magiſtratu, ut Imperatoriæ leges variis in locis edicunt. Et quia nonnunquam abſentes tutores nominabantur, ne pupillo interim id fraudi eſſet, dando temporarium tutorem, qui tutela fungeretur, ex reſcripto divi Pii Ulpianus ſenſuit. Quinetiam præterea inducti ſunt honorarii tutores, honoris videlicet cauſâ non oneris, ut eruditiſſimi homines dicunt, qui otioſi obſervarent gerentes tutelam. Ut quoniam pupilli ipſi in teneritudine annorum, & ingenii imbecillitate providere ſibi non poſſent, Dei nutu & legum inſtinctu, multi oculos intenderent, ad eos tuendos atque juvandos. Nam præclarè Theodoricus Rex apud Caſſiod. lib. 4. epiſt. 9. *Adoleſcentia, inquit, pericula videtur incommodis, cum facilè poſſit ſurripi, vel juventutis deſtitutis.* Unde etiam circumſcriptio adoleſcentium Lectoria lege fuit prohibita. Viduæ & pupilli apud Juriſconſultos inter perſonas miſerabiles, id eſt, miſeratione dignas numerantur. Eorum cauſas ſibi principes vendicant L. un. C. quando Imp. ita noſter Cieſolius lib. tertio Myſtag. capite 47.

4. Plato. 4. In Republica illa perfecta, cujus ideam Plato delineavit, quanta cura proviſum vellet pupillari ætati, declarat lib. 11. de legibus circa medium. Vult enim quindecim Senatores aut Magiſtratus cæteris ſeniores omnium orphanorum per quinquennium ita curam habere, ut terni pro dignitate ſingulis annis eos curent: & exacto quinquennio ſimiliter quindecim alios, atque ſic deinceps. Illorum autem prudentiæ vult relinqui electionem ſingulorum tutorum, quos vult, primò habere pietatem erga Deũ. [illegible], inquit, [illegible], *deos ſuperos primùm revereantur, qui pupillorum curam habent.* Secundò, amare parentes defunctos eorum pupillorum quos dirigunt & tuentur. *Deinde etiam mortuorum manes,* ait, *quibus natura ineſt, ut præcipua illorum cura teneantur, qui ab iis geniti ſunt: adeò ut honorantibus eos propitii, contemnentibus infenſi ſint.* Tertiò, ut exiſtiment ſeniorum voluntati ubſecundandum, qui ſummis in civitate funguntur honoribus. Quartò, ut putent, [illegible], *orphanos eſſe maximum & ſacratiſſimum depoſitum.* Quintò, ita pro viribus diſciplinæ atque educationi orphanorum providere, [illegible] *ut ſibi & ſuis providere videantur quilibet.* Sextò denique,

ut

ut eos ament velut proprios filios. *Qui fœminam, inquit, maremve tutatur,* [illegible] *, non minus eos diligat quàm ſi genuiſſet; neque res illorum pejus quàm ſuas gubernet, imò etiam affectu animi melius.*

5 Franciæ. 5. In Francia noſtra ſemper ſummæ curæ fuit pupillorum tuitio, eorum ſpecialem curam olim habebant Epiſcopi. Definitum eſt in Concilio Matiſconenſi undecimo, canone duodecimo, ne Magiſtratus prios viduas & pupillos aggrediantur, quàm Epiſcopo, aut ejus vices gerenti eo abſente, nuntiarint. Verba canonis ſunt. *Decernimus, ut judices non prius viduas & pupillos conveniant, quàm Epiſcopo nuntiarint, cujus ſub velamine degunt. Quod ſi is qui judex eſt, aut impetitor, eis aut injuriam aliquam ingeſſerit, aut definitionem ſancti Concilii transgreſſus fuerit, à communione ſuſpendatur.* Celebratum eſt illud Concilium anno Chriſto 585. Gontramni Regis juſſu, anno regni ejus vigeſimo quarto. Pelagii undecimi Papæ anno 8. Leges etiam politicæ plurimæ favent pupillis.

6 Epiſ. Sancti curam orphanorum commendant. 6. In Eccleſia univerſa ſapientiſſimi juxta ac piiſſimi Præſules orphanis ſubvenerunt. S. Ignatius Martyr Epiſcopus Antiochenus, epiſtola decima ad Heronem Diaconum, inquit, [illegible] *pupillis aſſiſtito,* [illegible] *. Deus enim eſt pater orphanorum.* S. Juſtinus Martyr apol. 2. ait piorum Antiſtitum, qui ſingulas Eccleſias moderabantur, fuiſſe munus, [illegible] *, opitulari pupillis & viduis.* S. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis epiſtola quinquageſima ſexta, generatim loquitur, & omnibus prorſus curam orphanorum & viduarum prætendam docet. *Quos, ait, Epiſcopi magis, quàm pupillos debemus tueri? Scriptum eſt enim: Judicate pupillo, & juſtificate viduam, & eruite injuriam accipientem.* Et ne rem putaremus eſſe exigui momenti, ait S. Auguſtinus ſermone decimo de verbis Apoſtoli. *Pro magno commendantur Epiſcopis patrocinia pupillorum.* Quare cùm in Canonibus Apoſtolorum prohiberentur Clerici in ſæculi rebus negotiiſque occupari, in Concilio Chalcedonenſi, canone tertio, excipiuntur tutelæ pupillorum, & viduarum cura: non ſpe lucri, aut inanis gloriæ cupiditate: ſed, [illegible], *propter timorem Dei.* Ubi etiam tutela nominatur, [illegible], inexcuſabilis cura, & non defugienda ſollicitudo.

PSALMUS DECIMUS.

1. *In finem, Pſalmus David.*

2. IN Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem ſicut paſſer?

3. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum: paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde.

4. Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt: juſtus autem quid fecit?

5. Dominus in templo ſancto tuo: Dominus in cœlo ſedes ejus.

6. Oculi ejus in pauperem reſpiciunt: palpebræ ejus interrogant filios hominum.

7. Dominus interrogat juſtum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

8. Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.

9. Quoniam juſtus Dominus, & juſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.

PSALMI DECIMI ANALYSIS.

David invitatus à Gad Propheta, ut in Judæam rediret, deſcribit
- Tentationem ſuam gravem. 2. ob
  - Amicos, 2. qui.
    - Cor ſuum evoment querelis ſuis. 2.
    - Et timores varios ingerunt. 2.
  - Et hoſtes 2. qui
    - Arcum in ipſum intentum tenent. 3.
    - Sagittas acervant ad ſæpius feriendum. 3.
    - Innocentis bona & honores deſtruunt. 4.
- Fiduciam ſuam generoſam. 5. ob
  - Majeſtatem Dei. 5.
    - In cœlo habitantis. 5.
    - Indeque in omnes dominantis. 5.
  - Providentiam ejus. 5.
    - Aſpicientis juſtos, ut eos juvet. 5.
    - Et impios, ſibi ipſis nocentes. 5.6.
  - Et juſtitiam. 7.
    - Impios variis ſuppliciis, afficit. 7.
    - Et ſecundùm opera judicat. 8.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. *In finem, Pſalmus David.*

1. Argum. Pſalmi. TItulum hunc explicui pſalmo quarto. Argumentum vero hujus pſalmi vult eſſe Eugubinus, de laude Dei res humanas juſtè gubernantis, maximè puniendo injuſtos. 2. Secundo, Cajetanus cenſet, nihil aliud agi niſi de utilitate juſtitiæ divina ſpe formatæ. 3. Tertiò, Dionyſius Carth. intelligit de Davide prævidente legem Evangelicam, à qua perverſi Judæi conarentur avertere, & ad montem Sina revocare, ubi lex vetus data fuerat, Exod. 20.

Quarto, & veriùs ad literam, David à Saule exagitatus, & ab amicis ad fugam in ſecuriores montes incitatus, ſpem ſuam in Deo fixam & ſtabilitam declarat: itaque nullo ſe terrore concuti. Deum enim Judicem ſanctiſſimum & potentiſſimum è cœlo contemplari omnes actiones, & tela inevitabilia in caput impiorum dejecturum. Ita Hebræi, S. Thom. Arnob. Lorin. Valentia, Janſen. Magn. Genebrardus.

Quintò, & maximè appoſitè, Lyranus opinatur pſalmum hunc eſſe de Davidis reverſione ex fuga in perſecutione Saulis. Hanc enim reverſionem in Judæam diſſuadebant amici, ſed Gad Propheta, Authore Deo imperabat. Dei itaque voluntati parere volens David ait, ſe Deo fretum nulla hoſtium tela, nullas inſidias vereri, Deum è cœlo excubantem, & hominum intimas cogitationes, & occultiſſimas molitiones intelligentem rebus ſuis invigilaturum & proviſurum. Pro quo nota. Cùm Saul dediſſet Davidi Michol filiam ſuam in uxorem, anno regni ſui undecimo, ſtatim anno ſequenti miſit ſatellites de nocte, qui eum domi ſuæ confoderent, ſed uxoris ope elapſus, & de ira obſtinata Saulis ab amico ſuo Jonatha monitus, fugit ad Samuelem in Ramatha & Naioth. Inde in ſpeluncam prope Gabaa, poſteà ad Achis, deinde ſe recepit in ſpeluncam Odollam (erat autem Odollam vicus in terra Juda, ad dexteram euntibus ex Jeruſalem in Hebron.) Quod cùm audiviſſent fratres ejus, & omnis domus patris ejus, deſcenderunt ad eum illuc. Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo: & factus eſt eorum princeps, fueruntque cum eo quaſi quadringenti viri. Et profe-

profectus David in Maſpha, quæ eſt Moab, id eſt, quæ eſt civitas regionis Moabiticæ (hoc autem dicit ad diſtinctionem urbis Maſpha in tribu Benjamin, ubi Samuel conventum populi habuit, lib. 1. Reg. 7. 6.) Et dixit ad Regem Moabitarum: Maneat, oro, pater meus & mater mea vobiſcum, donec ſciam quid faciat mihi Deus. Illis benignè à Rege admiſſis, ut tradit Joſephus, David aliquamdiu manſit in præſidio, id eſt, in aliqua arce vel urbe munita Moabitarum (Vatablus ſuſpicatur fuiſſe ipſam urbem Maſpha) deinde Gad Propheta ait Davidi, 1. Reg. 22. 5. *Noli manere in præſidio, proficiſcere, & vade in terram Juda.* Itaque tunc probabile eſt multos, timore Saulis adhuc furentis exterritos diſſuaſiſſe illum reditum in Judæam; Davidem verò confidentem Deo, ſtatim obtemperaſſe Prophetæ; additur enim, *Et profectus eſt David, & venit in ſaltum Haret*, qui locus deſertus erat, invius & incultus, nonnihil ſentibus & vepribus perhorreſcens. R. Salomon ait, adveniente in eum locum Davide ac ſociis, divina virtute factum eſſe abundantem fructibus, & animalibus, & irriguum fontibus, ut Davidem & viros ejus non ſolùm ſuſtentaret, ſed etiam mirificè recrearet. In Moabitide manſit David diebus multis, ut ait Abulenſis: per paucos menſes, ut Torniellus: aliquot menſes, ut Salianus, qui putat eſſe mortuos ibi patrem & matrem ejus prius quàm exiret, & veniret in ſaltum Haret. Joſephus lib. 6. cap. 14. ait, veniſſe in oppidum Sarim. Sept. vocant Sarec. Complut. & regia Hebræum ſequuntur, ut ſolent. Exiſtimat Abul. Hareth fuiſſe quandam civitatem, quæ Mareth quoque diceretur, ad quam denſæ erant ſylvæ, quæ nomen ab oppido acceperant, ſicut ſpelunca Odolla habuit ſibi cognominem civitatem. Erat proprie in tribu Dan; ſed dicitur in tribu Juda, quod, juxta primariam terræ diviſionem, tota illa terræ pars, quæ Simeoni & Dan attributa eſt, Judæ fuerit aſſignata. Adrichomius tamen ſaltum Hareth à civitate Sareth ſive Sarim & Saraim valde disjungit. Pſalmus itaque hic mihi videtur factus & cantatus in ipſo præſidio Moabitarum, cùm hinc Gad urgeret profectionem in terram Juda, inde amici trepidi objectarent certa pericula: hinc Gad Dei opem promitteret, inde verò amici poteſtatem Saulis & rabiem proponerent. David enim ſe totum in Deum conjiciens, & ejus amore & ſpe plenus dixit & cecinit: *In Domino confido: quomodo dicitis*, &c. Vix ullum tempus iſti pſalmo accommodatius reperiri poteſt.

Tropolog. Vir juſtus à ſe malignorum dæmonum, atque perverſorum noxias ſuggeſtiones, quibus eum à Deo revellere moliuntur, rejicit, & ſe totum in ejus ſinum conjicit, & uni fidens, cæteros Deo tutus contemneus. Ita Titelmannus, Janſen. Bellarm. Folengius.

Allegoricè. De Chriſto in paſſione poſito explicat Ugo Cardinal. quem Judæi fugam in montem, id eſt ad ceremonias legis invitarent. Mallem dixiſſet, quem Phariſæi & Sacerdotes, aliique invitabant, ut de cruce deſcenderet, Matth. 27. 40. Marc. 15. 29. & ſeq. Secondò, Janſenius & Valentia commodè exponunt de Chriſto, cui ſuadebant Phariſæi, ut ob furorem Herodis Antipæ, Regis Galilææ, fugeret ex Galilæa, ſive ex Peræa, quæ etiam illi parebat, Luc. 13. 31. quem contra diſcipuli monebant, ne peteret Jeroſolymam ad paratam ſibi necem, Matth. 16. 22. Joan. 11. 8

Symbolicè, invitatus Catholicus, ut ad hæreticorum montes è Dei domo avolet, ibique vagus, inſtar paſſeris è nido ſuo dejecti, huc illuc per varias opiniones oberret, ſtat in Dei ſui fide conſtans & immotus, & voces ſibi hæc inſpirantium, ut ſerpentis flatum, fugit atque execratur, omnibusque palàm profitetur ſe in Eccleſia, ut ſanctuario & aſylo divino, ſecurum & vivere & mori exoptare. Ita S. Auguſtinus, S. Hieronymus, S. Thom. Caſſiodorus, Lombardus, Remig. Bruno, Ugo Card. Dionyſius, Rupert. Haymo, Ruffin. Turrecrem. Beda, Ludolphus.

Nota, S. Hieronymum, & S. Auguſt. videri hunc pſalmum explicuiſſe de hæreticis, potiſſimum ob illa verba, *quomodo dicitis animæ meæ; Tranſmigra in montem ſicut paſſer?* Eorum enim tempore vigebant & furebant hæretici Donatiſtæ, qui etiam dicti ſunt Montenſes, Campenſes & Rupitani, ut dicam pluribus in illum verſum. Hieronymum autem & Auguſtinum ſecuti ſunt cæteri.

DIVISIO TOTIUS PSALMI.

Duo continet. Primò, David oſtendit hoſtes ſuos omnibus viribus eniti, ſibi ut noceant, ideoque ſe ab amicis incitari ad fugam, Verſ. 2. Secundò, ſe tamen Deo juſto & potente judice atque ſcelerum ultore fretum eos non timere.

SECTIO PRIMA.

Tria dicit. Primò, refert timidorum amicorum verba, Verſ. 2. Secundò, Hoſtium cogitata crudelia ſe, Verſ. 3. Tertiò, Facta in Deum impia, Verſ. 4.

PARAPHRASIS.

3. *In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: Tranſmigra in montem ſicut paſſer?*

2. Quid amici & domeſtici mei intempeſtivis hortationibus obſtrepunt, ut inſtabilis aviculæ in morem per montium variorum cacumina huc illuc vagus circumvolitem? Deo circumſcriptus obi locorum præſente quid verear? in eo uno ſpes omnes meas defixi.

3. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum: paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde.*

3. Tendunt vel contento arcu præſentem mortem intentantes hoſtes: movet animumque labefactat, ſagittarum in pharetra conditarum multitudo: qua ubi ſemel aberraverint, ictum iterent, & clandeſtinis inſidiis eos occupent, quos luce palam vincere non valent.

4. *Quoniam quæ perfeciſti, deſtruxerunt? juſtus autem quid fecit?*

4. Mentem concutit, quòd ea ipſa quæ fecit Deus de mea in Regem electione, impii diſturbare moliantur, & leges divinas, deſtructæ Nobe cæſisque Sacerdotibus, polluerint: Sed cùm nullius me ſceleris conſcium mens mordeat, oculum illum vindicem cauſæ meæ advigilare ſentio.

QUÆSTIO UNICA.

Quàm efferum & periculoſum hæreticorum in fideles bellum?

2. Finge tibi animo virum fortem in areis medio ſtantem de hoſtium exercitu advenante nuncium accipere, atque interitum dicere, Verſ. 2. *In Domino confido*, Secundò, amicos & milites metu conſternatos fugam in avia & præruptos montes ſuadere, ipſum verò hilari & ſerenato vultu primum, deinde ſeveriori, ſed amico ſemper, iterare. *Quomodo dicitis animæ meæ: Tranſmigra in montem ſicut paſſer?*

Tertiò, hoſtes circumfuſos caſtello arcus ſuos & ſagittas apparare, & in præſidiarios pro muris ſtantes ejaculari, Verſ. 3. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcû, paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde.*

Quartò, Villas & viculos adjacentes, & jam ma-

turas ſegetes ferro flammiſque vaſtare, verſ. 4. *Quoniam quæ perfeciſti, deſtruxerunt.* Itque nullâ provocatos injuriâ, *Juſtus autem quid fecit?*

ARTICULUS. I.

Eccleſia eſt arx Deo tuente inexpugnabilis.

3. Eccleſia in Deo fundata eſt.

APertâ fœcundâque in planitiæ rupem, & in ea rupe arcem defixit Deus, quæ molliter eminens oculos ſui admirabilitate paſcit: ex omni parte eam circumdat fluvius leni murmure & jucundo per prata circumfluxu ſpectabilis. Oculos recreat hinc pratorum ſubjectorum florea amœnitas, illinc clivi fœcundis vitibus divites, inde abundantes ſegetes, & palmis, olivis cæteriſque arboribus frugiferis conſita pomaria. Unicè Aquilonis latus vulpeculæ infeſtant, quæ in aſpretis paſſim obviis cavernulas decurrunt, quaſi excuſſeris acrius, in ſalebroſos & obſcuros montes non ita diſſitos curſu ſe proripiunt.

Inſtar arcis munitiſſimæ.

Arx hæc, Eccleſia eſt Catholica, ſupra petram Chriſtum fundata, quæ nulla arietatione conquaſſari aut diffindi, nullis ſuffodi cuniculis poteſt. Muris ambitur celſiſſimis, qui ſcalas omnes rideant. Propugnacula ejus quatuor impenetrabilia reperio. Primo, Dei Majeſtatem. 2. Ejus Poteſtatem. 3. Sapientiam. 4. Fidelitatem. Quæ omnia in uno verbulo ex variis verſionibus reperio, verſ. 2. *In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: Tranſmigra in montem ſicut paſſer?*

4. Propugnaculum 1. eſt Dei majeſtas.

Primum propugnaculum Hebræi nobis oſtendunt, nempe Dei majeſtatem, verſ. 2. IN DOMINO CONFIDO. Hebr. יהוה *jehova*, ſignificat eſſentiam ipſam, eſſentiam ab omni alio independentem, per ſe exiſtentem, eum qui eſt. Vide dicta Pſal. 8. lect. 1. art. 2. *Domine Dominus noſter quàm admirabile* (Chald. quàm excelſum & laudabile) *eſt nomen tuum in univerſa terra?* id eſt in tota Eccleſia. Illud nomen radiis divinis micans aſpicere non poſſunt tenebriones tartarei: itaque, cùm inſcriptum ſit ubique in illo primo arcis noſtræ propugnaculo ex parte Meridionali, de occupatione ejus per eam partē, deſperant. Fidelis verò juſtus ibi ſecurus gaudet, Pſ. 61. 7. *Ipſe Deus* (S. Hieron. fortis) *meus, & Salvator meus: adjutor meus* (S. Hieron. altitudo mea) *non emigrabo* (fruſtra dicitis animæ meæ, Tranſmigra in montē, ſicut paſſer) *In Deo ſalutare meum, & gloria mea: Deus auxilii mei* (Hebr. צור *ſur*, Deum, rupem, petram, arcem, ſignificat. S. Hieron. robur fortitudinis meæ) *ſpes mea in Deo eſt*: non in homine. Et Pſ. 60. v. 4. *Factus eſt* (S. Hier. fuiſti: Sed *factus es*, denotat Incarnationem) *ſpes mea: turris fortitudinis* (id eſt munitiſſima, ut S. Hieronymus vertit) *à facie inimici*, ut ne aſpicere quidem audeat. Vide ibi dicta, & Pſalm. 90. 1. ubi Deus dicitur altiſſimum refugium. Spe illa in Deum Daniel in medio leonum quietè dormivit. S. Chryſoſt. in Pſal. noſtr. *Magna*, inquit, *ſunt vires ſpei in Deum*, ὀχύρωμα ἀχείρωτον, τεῖχος ἀμαχον, ὅπλα ἀκαταμάχητα, λιμὴν εὔδιος, πύργος ἀκαταμάχητος, *præſidium quod ſuperari non poteſt: murus inexpugnabilis, arma impenetrabilis, portus tranquillus, turris invincibilis*, ὅπλον ἀήττητον, δύναμις ἀμαχος, *armorum ſuperabilia, vires invictæ, & quæ in rebus difficillimis & impeditiſſimis exitum inveniunt. Per eam, inermes armatos, & fœminæ viros ſuperaverunt: & pueri, iis qui in rebus bellicis exercitati fuerunt, faciles ſuperiores fuere. Quid mirum autem ſi hoſtes vicerunt, quando ipſum quoque mundum ſuperarunt? Elementa enim propriam ſuperantia naturam, ad id quod erat illis utile mutata ſunt: & feræ, non amplius erat feræ: nec fornax fornax. Omnia enim componit ſpes in Deum. Dentes erant acuti, & arctus carcer, naturæ immanitas, & fames naturam terrens: nuſquam autem erat, quod eius carcer ſeptum, & ora Prophetæ carceri erant proxima: ſed ſpes in Deum quæ eſt* χαλινοῦ παντὸς ἰσχυροτέρα, *quovis fræno potentior, inferis ore trahens, ear retrorſum abebat.* Saraceni multi ſymbolis ſuis teſtari voluerunt, ſe in Deo ſpem ſuam ponere, quid facient Chriſtiani? Georgius Elmacinus in hiſtoria Saracenica Arabicè ſcripta lib. 1. ait, Symbolū Sulemani decimi quarti Cholifæ fuiſſe, *Credo in Deum Salvatorē noſtrum.* Lib. 2. cap. 2. dicit Abdallā Saffahum Abulabbā 22. Chalifā in ſigillo ſuo exprimi voluiſſe, *Deus fiducia eſt Abdallæ, ot que in eum credit.*

5. 2. Eſt

Secundum Eccleſiæ propugnaculum Syri offerunt, nempe Dei Domini poteſtatem, hoc etiam Noſter oſtendit, *In Domino confido.* S. Hieron. *In Domino* הסיתי *haſithi*, *ſperavi*, ab *aſa* etiam commodè derivabis Gallicum *oſer*, id eſt, audere. Qui in Deo ſperat & confidit, nihil non audet. *Felix, in Domino confiſus ſum.* Syriaca vox מריא *morio* D. dominum ſignificat: ſicut מר *mar*, & מרא *mare.* Maria verò, Dominam: Marua, maruath, & marvetha, dominium, principatum, ſicut etiam Chaldaicè. Ubi autem Dominus eſt armatus, iratus, miſſilia poma igniaria ejaculans, & tormenta bellica diſplodens, quid faciet ſervus inermis, & ad omnem greſſum cæſpitans? S. Athanaſius Patriarcha Alex. in mediis periculis dicebat ſæpè cum Davide noſtro, Pſalm. 26. 1. *Dominus illuminatio mea,* (S. Hieron. lux mea) *& ſalus mea* (Sept. σωτήρ μου, id eſt Salvator meus, ut vertit S. Hieron. in cap. 51. Iſaiæ: ſalutaris meus, ut hîc legit S. Auguſt.) *quem timebo? Dominus protector vitæ meæ* (Aries ad verbum Hebr. exprimens vertit, fortitudo vitarum mearum: corporis ſcilicet & animæ) *à quo trepidabo? Si conſiſtant* (S. Cypr. Exhort. ad Martyres cap. 10. legit, *Si directa fuerint*, etiam cum prudentia carnali, verſutia, & diuturna experientia) *adverſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* Muſa Alhadis filius Mahadis 25. Chaliſa hanc ſententiam pro ſymbolo elegit. *Deus eſt Dominus, meus*, ut ait Georg. Elmacinus hiſt. Sar. lib. 2. cap. 5. Illius Domini poteſtatem agnovit Abugiafar Heron Raſidus 26. Chaliſa, qui hoc ſymbolum habuit in ſuo ſigillo: *Magnitudo & potentia Dei ſunt.* lib. 2. c. 6. Quæ verò ſpes Chriſtiano eſſe debeat in Deo ac Domino ſuo præclarè probat S. Chryſoſtomus in Pſalm. noſtr. cum oſtendit, Deum omni exercitu eſſe potentiorem, & conſequenter Deo undique circumſeptum minus debere timere, quàm eum qui eſt in medio exercitu militum. Verba ejus ſunt: *In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem, ſicut paſſer? Quid dicis? Eum qui eſt orbis terræ Dominus, habeo adjutorem: eum qui ubique omnia facilè facit, habeo ducem, & à partibus meis ſtantem, & me mittis ad terram inhabitabilem, & ex ſolitudine cautionem comparas? Majusne fuerit ex ſolitudine auxilium, quàm ex eo qui omnia poteſt quàm facillimè? Quid me pulchrè ornatum, tanquam nudum & inermem ad fugam incitas, & tranſmigrare jubes? Deinde eum quidem qui habet exercitum, muriſq; & armis munitus eſt, non juberes fugere in deſertum, ſed videreris ridiculus eſſe ſi hæc conſuleres. Eum autem qui habet ſecum orbis terræ Dominum, exterminas, & mittis in exilium, & jubes ei auſmigrare propter bellum, quod peccatores inferunt? Cum breuium quæ dicta ſunt, hæc etiam alia cauſa eſt, cur non fugiam. Quando enim & Deus fert auxilium, & peccatores ſunt ii, qui bellum gerunt, quomodo non longè eſt omnium ſtultiſſimus, qui jubet imitari avium timiditatem? Non conſideras quomodo exercitus, qui contra me ſtat in acie, eſt*, ἀραχνῶν ἀσθενέστερος, *debilior araneis? Si enim Imperatoris terreni inimicus, ubicumque fuerit, in periculo vivit, timet, & contremiſcit: multò magis Dei univerſorum. Quocumque enim venerit, omnes habet inimicos, atque adeò ipſam etiam creaturam.* Hactenus Chryſoſtomus. Dei poteſtas.

6. 3. Eſt Dei ſapientia.

Tertium Eccleſiæ propugnaculum aperiunt nobis Arabes, nempe Dei ſapientiam. *In Domino confido*, Arab. *rabbon*, Dominum & præceptorem ſignificat. Hebræi, doctores ſuos, Rabbinos vocant. q. d. magnos doctrinâ, ſcientiæ multitudine præſtantes. Syriacè loquens Magdalena Chriſtum poſt Reſurrectionem vocavit, Joann. 20. 16. *Rabboni, quod dicitur Magiſter*, propriè ſignificat *magiſter mi.* Arabs etiam reddit, *magiſter.* Chald. quoque *Rabba*, ſignificat magnum, majorem, amplum, magiſtrum, præceptorem, doctorem, Dominum, Ducem, principem. Caninius in Nomin. Hebr. c. 6. ait, *Rabboni* ſignificare magiſtrum, Dominum, principem, eſſeque nomen auguſtius quàm Rabbi. Ideo nonnulli poſt reſurrectionem à Magdalena Chriſto glorioſo tributum fuiſſe, cùm ante eam Chriſtus vocaretur tantum Rabbi, Joan. 1. Sed difficile eſt probare, Rabboni eſſe auguſtius quàm Rabbi: Unde Buxtorfius ſimpliciter, Rabboni vertit magiſter, in ſuo Lex. Chald. & Syr. Vox etiam Rabbi vertitur *præceptor* à noſtro interprete, Luc. 5. verſ. 5. & 24. & 9. 53. & 17. 13. Ejus luce egemus in nocte hujus vitæ, Luc. 5. 5. Sanctus Petrus à Chriſto monitus, ut navem duceret in altum, & laxaret retia in capturam, ait: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete.* q. d. in nocte fuimus, ideò nihil cepimus: tu lux es, tecum ſpero fore, ut aliquid capiamus. Magis aptè ad arcem noſtram & pro-

propugnaculum fulgentis ſapientiæ Dei, ait Deus ipſe de Jeroſalem, quæ eſt typus Eccleſiæ, Zachar. 2. 5. *Et ego eroet, ait Dominus, murus igneus in circuitu.* Chald. vertit, *Verbum meum* erit ei, dicit Dominus, velut murus igneus illam per circuitum ambiens. Primò, *Verbum* interiùs & immediatè à Deo ipſo inſpiratum eſt murus, quia tuetur animam, & totam Eccleſiam eſt ignis, quia intellectum illuſtrat, voluntatem accendit, memoriam & imaginationem purgat, cor dilatat, renes exurit, frigus totius corporis pellit, & flammas cœleſtes in omnes venas, arterias, muſculos, tendines, fibres immittit, quibus ardens vir juſtus lucet, ardet, currit, volat, omnia perrumpit & penetrat. Secundo, *Verbum* per Angelos nobis immiſſum etiam eſt murus, ignis in circuitu, Hebr. 1. 7. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.* Tertiò, *Verbũ* per Concionatores nobis immiſſum murus eſt igneus, & magno fulgore coruſcans. S. Petrus ep. 2. c. 1. 19. *Habemus firmiorẽ* (id eſt firmiſſimum, ut explicat Gagneius. Sic 1. Cor. 13. Major (id eſt maxima) horum eſt charitas) *propheticum ſermonem cui benefacitis attendentes* (Græc. προσέχοντες, id eſt, intendentes, ſicut legit S. Auguſt. tract. 23. in Joan.) *quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco* (Græc. ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ. id eſt, in loco ſqualido, horrido, obſcuro, tenebroſo. *Donec dies* (æternæ beatitudinis, ubi non erit nox,) *& Lucifer* (id eſt ſtella matutina, ſeu Phoſphorus in aurora lucens. Syrus vertit, *Sol*, & Suidas ait φωσφόρον, id eſt Luciferum, ſignificare etiam Solem, quia φωσφορεῖν eſt illucere, & diem inferre, Tull. 2. de Nat. Deorum vocat Lunam, Luciferam) *oriatur in cordibus veſtris*, per lumen gloriæ in cœlo. Vide Pſ. 118 verſ. 104. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Ibi plura de ſplendore verbi Dei reperies. Job ait cap. 9. v. 9. *Qui facit Arcturum.* Hebr. עש *as*, id eſt congregationem ſtellarum, ſcilicet. Sept. *Pleiades* vertunt: alii, Vergilias. R. Mardochai ait eſſe caudam Arietis. R. Aben Ezra, eſſe urſam ſeu plauſtrum. Mercerus eſſe totum ſidus Septentrionum, ſeu ſeptem Trionum, id eſt ſeptem ſtellas, ex quibus quaſi juncti Triones figurantur (Varro autem ait triones dici boves, quaſi teriones à terra aranda) Græci vocant ἄμαξαν, id eſt plauſtrum, quia ſidus illud figura ſua videtur eſſe ſimile plauſtro. Alii dicunt, eſſe ſtellam in ſigno Bootæ poſt caudam majoris Urſæ: dicitur Arcturus, παρὰ τὴν ἄρκτου οὐράν, id eſt, ab urſinæ caudæ ſimilitudine) *& Oriona*, (Orion eſt conſtellatio in ſigno Tauri vel Geminorum, alii in Cancro conſtituunt) *& Hyadas* (Hebr. *chima*, alii dicunt eſſe Vergilias, quæ ſunt ante cornua Tauri, vel in capite: alii Succulas, vel hœdos appellant: alii conſtellationem ſeptem ſtellis pertinentem ad plauſtrum) *& interiora Auſtri.* Pagn. vertit, *& plagas Auſtrales*, Arias, *penetralia Auſtri*, id eſt ſtellas quæ ſunt in polo Antarctico, ſeu Auſtrali, qui eſt oppoſitus Arctico, qui ab urſa nomen habet. S. Greg. lib. 9. cap. 7. Tropologicè hæc ad rem noſtrã explicat. Nam per Oriones intelligit Martyres; per Hyadas, Doctores, qui Martyribus ſucceſſerunt. Oriones enim in hyeme, Hyades verò poſt hyemem initio veris oriuntur, & quaſi evigilant. Verba Gregorii ſunt: *Qui ita poſt Oriones Hyadum nomine, niſi Doctores ſanctæ Eccleſiæ deſignantur? Qui ſubductis Martyribus eo jam tempore ad mundi notitiam venerant, quo fidei clarius eluces, & repreſſa infidelitatis hyeme altius per corda fidelium Sol veritatis calet.* Vide cætera.

7.
4. Eſt Deifidelitas. Quartum Eccleſiæ propugnaculum nobis declarent Chaldæi, nempe Dei fidelitatem in promiſſis. *In Domino confido.* Chald. vertit, *In verbo Domini ſpei ai.* In verbo Domini, id eſt 1. in Chriſto, qui eſt Verbum Dei in excelſis, & Patri conſubſtantiale. 2. In verbo, id eſt in promiſſis, quæ mihi in ſegetua, & per Filium atque Apoſtolos, aliosque declaravit, Pſal. 18. 8. *Teſtimonium Domini fidele.* Lyranus id ſumit propriè de Prophetarum libris, quorum, ait, dicta fideliter implentur. De tota Scriptura poteſt intelligi, quæ, ut ait Lorinus, teſtatur nobis Dei voluntatem, continetque divina promiſſa & minas Pſ. 88. 38. *Thronus ejus* (Chriſtus) *ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum: & teſtis in cœlo fidelis:* in cœlo Sol & Luna ſunt teſtes fideles, & dant teſtimonium clarum, & apertum, atque indubitatum de Dei ſapientia bonitate, & potentia, ut Vatablus, & alii explicant. 2. Et melius, teſtis in cœlo fidelis, & certus, & in fide conſtans eſt Chriſtus, qui ſimilis eſt Soli & Lunæ ſtatis atque conſtantes curſus habentibus, ut Theodoretus, Euthymius, atque Rickelius exponunt. Illa fidelitas declaratur etiam Pſ. 110. 8. & 144. 13. Sed adhuc magis fidelis eſt Deus in verbis, quàm Sol, Luna, & alia aſtra in ſuis radiis, Matth. 24. 35. *Cœlum & terra tranſibunt* (ab uno ſitu in alium: id eſt movebuntur) *verba autem mea non præteribunt;* ſunt cœlis ipſis ſolidiora & firmiora, & in ſua luce conſtantiora.

ARTICULUS II.

Ab arce Eccleſiæ ad montem hæreſis tranſire fideles incitantur à fictis amicis.

DAvid à Propheta Gad, ut vidimus in titulo, incitatus ut abiret in terram Juda, & obedire deſiderans, rejicit à ſe timidos amicos ad montes varios ſecedere cupientes, verſ. eod. 2. QUOMODO DICITIS ANIMÆ MEÆ, TRANSMIGRA IN MONTEM SICUT PASSER; Nota, dicitis animæ meæ, id eſt mihi. Eſt Synecdoche, pars enim, nempe anima, ponitur pro toto homine. Hoc eſt frequens in Scripturis, ut homo intelligat, ſe præſertim eſſe animam, corpus pro nihilo eſſe reputandum, atque ut nihil conculcandum. Secundò *dicis animæ*, qui verbis ſuis, precibus, rationibus, querelis, monitis, terriculamentis cor & animam penetrat atq; concutit. Tales ſunt amicorum trepidorum admonitiones, inſtantiæ, objectiones, conatus importuni, narrationes fictæ, periculi commemorationes. Cum enim illis diſplicere non vult vir fortis, & aliunde à Deo, vel bono publico & ratione, ad aliquid agendum impellitur, dolet, & in anguſtias redactus gemit. Sic Paulus Cæſareæ admonitus ab Agabo Propheta ſibi pedes & manus ligante, & prædicente fore ut ſi aſcenderet Jeroſolymam, in vincula conjiceretur, ac traderetur in manus gentium, Chriſtianis rogantibus ne eò pergeret, dicebat, Act. 21. 13. *Quid facitis flentes, & affligentes* (Syr. contundentes: Græce, συνθρύπτοντες id eſt contribulantes, ſimul tribulantes, confringentes, conterentes, contundentes, diſcerpentes) *cor meum: Ego enim non ſolum alligari, ſed & mori in Jeruſalem paratus ſum propter nomen Domini Jeſu.* Ita David mortem non timens, Deum monentem, ut in terram Juda pergeret, ſequi volebat periculorum ſecurus. Verſ. 2. 2. pars.

8. Nota Secundo, pro *Tranſmigra* Hebr. in textu eſt נודו *nudu*, id eſt tranſmigrate: ſed eſt manifeſtus error, ideò in margine ponitur נודי *nudi*, & ſic legendum eſſe denotat ק adſcriptum, id eſt *Keri*, ſeu lectio. *Nudi* autem ſignificat *tranſvola*, ut vertit S. Hier. & Arias, *tranſmigra*, ut noſter, Felix, & Sept. [illegible], id eſt, *fuge*, ut Petavius, μεταναστεύειν, id eſt, *tranſmovere*, ut quidã apud S. Chryſoſtomum. Hinc conſequenter alius vertit, [illegible] id eſt, *exula.* Quæ verſio rectè exprimit ſtatum Davidis, qui tunc erat in Meſpha urbe Moabitarum exul, q. d. ſatius eſſet te apud Moabitas, vel in ipſis montibus latere, & ab uno in alium tranſmigrare & ibi exultare, quàm Judæam, ubi Saul vitæ tuæ inſidiatur redire.

9. Variè in loca fugit David. Nota tertiò, alludit hîc David ad frequentes ſuas mutationes è loco in locum, ex quo aufugerat nocte ſe proripiens, & mortem certam evitans Michol uxoris ſuæ auxilio, anno 12. regni Saulis, ſuæ verò ætatis 24. matrimonii cum Michol initi primo, aut ad ſummum ſecundo, inde abiit ad Samuelem, à quo fuerat inauguratus in Regem poſt mortem Saulis. 1. Samuel tunc erat in Ramatha: inde ambo receſſerunt in Najoth. Eum locum, ut notat Salianus, Sept. appellent [illegible], Comeſtor Nabaioth, Joſephus Galbaath, non ſine ſuſpicione mendi. Cùmque Scriptura dicat aliquoties Naioth fuiſſe in Ramatha, Abulenſis putat Naioth non fuiſſe locũ diſtinctũ à Ramatha, niſi ut partem à toto, & contentũ à continente: ſicut Gabaa fuit collis intra urbẽ Cariathiarim, & Ramam Gabaa Benjamin. Idem ſentit Dionyſius, & ante utrumque Comeſtor, qui ait Naioth fuiſſe collem in Ramatha. Vatablus, cui conſentit Serarius, ex Hebræis refert hunc locum ſitum fuiſſe in agro urbis Ramatha, quæ utique Joſephi mens eſt, & ſignificata locũ ſtudioſorũ, ut mirum ſit Adrichõ Naioth verſus Jeroſolymã transferre. Amœnũ fuiſſe locum cum horto & pomario ſuſpicatur Cajetanus. Chald. interpretatur, domũ doctrinæ, ubi Samuel doceret eos, qui mox dicuntur prophetaſſe: eorumque collegia agnoſcit Abul. & Serarius.

2. Secundò, cum Saul poſt miſſos tertiò ſatellites ad capiendum Davidem, ipſemet in Najoth venisse,

niſſet, fugit David ad Jonatham amicum ſuum, per quem reconciliatus eſt Saüli. Sed mox ad ingenium Saül rediit, & Davidem morti deſtinavit per aliquot ſicarios.

3. Tertiò itaque, David occultavit ſe in ſpelunca juxta urbem Gabaa, ubi erat Rex Saül, ibi à Jonatha reſcivit Saülis iram & furorem eſſe implacabilem, 2. Reg. 20.

Quarto, David vix ab amico Jonatha avulſus,
4. venit in Nobe ad Achimelech ſummum Pontificem, à quo accepit panès propoſitionis (id eſt, qui per totam hebdomadam ponebantur ſuper menſam auream in Sancto, prope altare thymiamatis) & Goliathi gladium, quem Deo poſt victoriam conſecraverat. Inde adiit Achis Regem Gethæorum Philiſthinum, ubi furorem & amentiam ſimulare coactus eſt, ut evaderet, 2. Reg. 21.

5. Quintò, inde fugit in ſpeluncam Odollam, à Geth urbe ferè itinere bidui diſtantem, quam Joſephus ſtatuit in tribu Juda. Temporibus Joſue, ut patet Joſue 12. verſ. 15. erat urbs regia illius nominis, cujus Rex peremptus eſt ab ipſo. Temporibus etiam Machabæorum urbs illa durabat, lib 2. Machab. 12. 38 Inde factum eſt ſpeluncæ nomen. Nota, quantæ Davidis anguſtiæ in tot & tam frequentibus ac periculoſis mutationibus? Uno enim anno hæc omnia contigerunt.

6. Sextò, anno ſequenti, id eſt regni Saülis 13 ætatis David 25. ex ſpelunca Odollam fugit Ad Regem Moabitarum, qui Saüli videtur infenſus fuiſſe, quod ab eo eſſet bello appetitus & vexatus. Vide dicta in argumenti explicatione. Nam in Maſpha urbe Moabitica pſalmum hunc videtur ſcripſiſſe.

Septimò, Ex Maſpha recedens venit in ſaltum
7. Hareth, qui erat in terra Judæa, eo modo quo ibi explicui. Atque hæ tranſmigrationes eſſent tantùm huic pſalmo neceſſariæ. Utile tamen erit retexere, uſui ſæpè futuras.

Octavò, Cùm David in ſaltu Hareth. innotuiſſet
8. Saüli, & Philiſthæi oppugnarent Ceilam urbem tribus Juda, eò ſe contulit bis conſulto per Prophetam Deo, & vicit Philiſthæos. 2 Reg. 23. Docent S Hieron. in locis Hebraicos, & Adrichomius in typographia Judæ, Num. 78. Ceilam diſſitã fuiſſe octavo milliari ab urbe Hebron, ſeptimo ab Eleutheropoli.

Nonò, cognito quòd Saul venturus eſſet ad eum
9. capiendum, & quod tradendus eſſet à Ceilanis (habebat enim tunc Abiatharem ſummum Pontificem filium Achimelech occiſi in Nobe, per quem conſuluerat Deum) Ceilam deſeruit, & poſt varias vagationes venit cum ſexcentis circiter viris in deſertum Ziph, anno regni Saülis 14. ætatis ſuæ 26. Notat Adrichomius in tribu Juda, Num. 246. & ſeq eodẽ nomine Ziph dictam fuiſſe civitatem, montem, deſertum & ſylvam. Ex libro Joſue cap. 15. 24. patet eum locum fuiſſe Idumææ, modò Judææ. Ibi erat collis Hachila, ut clarum eſt, 2. Reg. 23. 19.

10. Decimò, à deſerto Ziph abiit David in deſertum Maon ad dextram Ieſimon. Adrichomius illa duo deſerta, Ziph nempe & Maon, locis diſcernit in tribu Juda, Abulenſis verò cenſet Maon fuiſſe partem aliquam latius patentis deſerti Ziph. Ibi cinctus à Saülis exercitu deſperabat David ſe poſſe evadere.

11. Undecimò, Dei ſingulari ope evadens cum ſuis ex deſerto Maon, fugit in deſertum Engaddi. Erat porro Engaddi olim urbs nobiliſſima, dicta Haſaſonthamar, ut ait S. Hieronymus in tradition. Hebraicis: id eſt urbs palmarum, quòd nimirùm palmis floreret & balſamis, non longè à mari mortuo. Brochardus, Breidemb. & Andrichomius dicunt eam civitatem habuiſſe deſertum ejuſdem nominis, frequens altiſſimis montibus prærupti ſque, imò ita prominentibus, ut ruinam minari viderentur, & iter agentibus metum afferent, ne in ſe ſubjectaſq; valles immania ſaxa præcipitarent.

12. Duodecimò, Saule ad eum intercipiendum cum tribus hominũ millibus advolante, ex Engaddi fugit David cum ſuis militibus in deſertum Pharan, quod eſt deſertum maximum, ut ait Salianus, cujus extrema in terrã Juda, ac tribum Simeonis ſe porrigunt: reliqua pars per longiſſimos tractus tenditur Ægyptum verſus, & in multa partialia deſerta diſtribuitur, putà deſertũ Cades, Sin, Sinai, &c. prior autẽ illa pars continit deſertu Ziph, & in eo deſertũ Maon: pro Pharan Sept. habent Maon. In deſerto autẽ Maon erat Carmelus mons & civitas, in qua habitabat Nabel, multumque diſtat à Carmelo monte tribus Iſſachar, qui ad mare uſque mediterraneũ protenditur. Ea migratio contigit anno regni Saülis 16. ætatis Davidis 28.

Decimò-tertiò denique, ex deſerto Maon receſſit David ad Achis filium Maoch Regem Geth. 2. 13.
Reg. 28. 2. Comeſtor & Dionyſius cenſent illum Achis fuiſſe diverſum à ſuperiore, quem dudum adierat David, & apud quem periculum vitæ adierat. Sed cùm ſex tantùm anni interceſſerint ab eo tempore, rectus Abulenſis, Serarius, & Emanuel Sa opinantur Regem eundem eſſe. Migratio illa facta eſt anno ætatis Davidis 30. regni Saulis 18. & ultimo, eo enim occiſus eſt Saul à Philiſthæis in monte Gelboë, fuſo & cæſo ejus exercitu & occiſis filiis. Quis non miretur tot ſanctiſſimi Prophetæ, & innocentis vagationes, & pericula? Sic Deus athletas & pugiles ſuos exercet, ut coronet. Vides ex his, per ſex præſertim annos Davidem huc illuc vagatum eſſe.

Nota quartò, pro *ficut paſſer*, in Hebr. eſſe tantùm, *paſſer*. Ratio eſt, quia textus Hebræus corruptus eſt: habet enim, *tranſvola*, הרכם צפור id eſt *in montem veſtrum paſſer*, pro, tranſvola montem כמו צפור *bemo ſiſſor*, id eſt, *ficut paſſer* Itaque *chem* nunc eſt pro. *bemo*, & jungitur cum *har*, id eſt mons, à quo debet ſeparari, ſicut Septuag. S. Hieron. Felix, Arabs, Syrus, & alii. Conjunxit tamen Chaldæus Paraphraſtes, qui vertit, *Migra ad, turecan bech ſiſſara*, id eſt ad *montem veſtrum ficut paſſer*. Itaque legerat. *harchem chemo*, ſed vel erat tantùm *har*, vel tunc excidit *chemo* ob inſcitiã amanuenſiũ, & vocum ſimilitudinem.

Senſus porrò eſt, Quomodo vos amici mei dicitis 10.
animæ meæ, id eſt mihi, ita dicitis ut dolor & angor Senſus
veſter penetret animam meam, cum trepidi hæc hujus lo-
verba timoris plena iteratis: Tranſmigra de loco ci.
tuo in montem aliquem ſicut paſſer, aut quævis avicula, cui inſidias & laqueos tendunt ancupes, cuique tutum & ſecurum locum ad nidulandum non relinquunt. q. d. Nuſquam conſiſte, ſed de loco in locum, de monte in montem ſemper dimigra, ut Saulem tibi per ſe ſuoſque ſemper inſidiantem evites. Ita Agellius Janſen. Lorinus. Et quidem *ſiſſor*, etiam pro minutis aviculis ſumitur.

Secundò, & profundius, ſenſus eſt: Quomodo di- 2. Et me-
citis animæ meæ: Tranſmigra in montem ſicut paſ- lius.
ſer? id eſt, quare mihi dicitis, Cur ex hoc optimo præſidio apud Moabitas vis deſcedere unius Gad monitu, hîc quieti & ſecuri ſumus in urbe Maſpha cum Rege amico, tu in Judæam redire vis, ubi Rex Saul mille oculis te quærit, & mille manibus te tuoſque confodiet. Si in ea mente perſtas, *tranſmigra in montem ficut paſſer*, q. d oportet ſis paſſer, aut avis alia, ut per aërem voles, & ex monte uno ſtatim in alium exilias; nam in terra nullus locus eſt, in quo ſine vitæ præſenti periculo figas pedem. Eſt itaque permiſſio ironica & indignabunda. Hic ſenſus magis placet. Unde ſequitur, *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum*, &c. q. d. Nonne vides in te ex omni parte intentos Saulis ſatellites, ut te noſque omnes confodiant?

Tropol. *Tranſmigra in montem ficut paſſer*. Id eſt pri- 11.
mò, ut ait Folengius in propriuos conſilium, in pro- Tropol.
prium amorem. Secundò, Titalmannus explanati- Trans-
us de amore gloriæ vanæ & amore deliciarum acci- migrant
pit. Vos nunc, inquit, O tentatores mei, ſive blandi- in mon-
entes amici, ſive ſævientes inimici, quomodo adhuc tem.
mihi mala ſuggeritis quæ ſemel abdicavi, dicentes 1. Suî ip-
animæ meæ per iniquas ſuaſiones veſtras, ut relicta ſorum
Dei ſervitute (quæ arcta videtur) tranſvolet, ſeque amato-
conferat ad eam quam reliquit gloriam ſeculi, quæ res.
eſt veluti mons altus, latus, amœnus, & ſpatioſus, 2. Ama-
utque ad mundi celſitudinem, pompam, delicias & tores i-
voluptates denuò revertatur: ad eum modum quo nanis
avis inſtabilis, & paſſer libidinoſus. per inſtabilitatẽ gloriæ.
concupiſcentiæ ſuum locum facilè deſerit, & in alium tranſvolat, ubi id quod ſenſui gratum eſt, fortè conſpexerit. Fruſtrà enim omninò iſta ſuggeritis animæ meæ, quæ ut caſta turtur in Domino ubi nidum fixit, manſionem ſtabilem elegit, non emigratura in perpetuum. Ita ipſe, & benè. S. Hier. de Tranſmigratione ad ſuperbiam explicat.

Tertiò, Alter Bellarm. interpretatur de vagis & 3. Vagi
inſtabilibus, in hunc modum, *Tranſmigra in mon-* & inſta-
tem ficut paſſer, id eſt, ait, deſere vocationem, & biles.
hominum conſortium, & abi ad locum, ubi nulla ſunt pericula, nullæ tentationes. Paſſeres enim, cùm timent aucupes, volant ad cacumina montium, ad quæ aucupes aſcendere non poſſunt. Tales montes reſpectu tentationum nulli ſunt, niſi in imaginatione hominum: qui, cùm tentantur graviter, imaginantur mutatione locorum poſſe moleſtiam illam declinari: & quia deſperant, ipſam

euam

etiam violentam mortem eligant, ad quam fugiant, tanquam ad montem. Juſtus autem conſtans eſt, & locum ſuum non deſerit, ſciens ubique tentationes, & ubique adjutorium Dei eſſe. Ita Bellar. Rectè dicebat Seneca ep. 2. *Nuſquam eſt, qui ubique eſt: in peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Non prodeſt cibus, nec corpori acceditur, qui ſtatim ſumptus emittitur: nihil æquè ſanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio: non convaleſcit planta, quæ ſæpè transfertur. Nihil tam utile eſt, quod in tranſitu proſit.* Sed adhuc ad pſalmũ noſtrũ accommodatius dixit Salomon, Prov. 27. 8. *Sicut avis transmigrans* (Hebr. נודדת *nodedeth*, id eſt vagans, ut vertit Arias: fugiens, celeriter tranſiens, ut alii) *de nido ſuo: ſic vir qui derelinquit* (Hebr. נודד *noded*, id eſt vagans) *locum ſuum*. Arab. nidum ſuum. Vatablus vertit, Homo qui de loco ſuo migrat, ſimilis eſt paſſerculo derelinquenti nidum ſuum. Septuag. verò reddunt, ſicut cùm avis devolarit à proprio nido, ſic homo ſervus fit, cùm peregrinatus fuerit à propriis locis. Author Eccleſiaſtici fuſè exagitat homines vagos cap. 29. v. 29. & ſeqq. *Melior eſt*, ait, *victus pauperis ſub tegmine aſſerum*, (Syr. ſub umbra trabium ſuarum) *quàm epulæ ſplendidæ in peregrè* (apud exteros) *ſine domicilio*. Syr. quàm divitiæ multæ in peregrinatione. Lacedæmoniis non erat licitum per varias regiones peregrinari, ne mores peregrinos addiſcerent, & patriã diſciplinam corrumperent. Peregrinos præterea ex urbe expulerunt, ne paulatim adventantes magna copia, malis inſtitutis cives inficerent. Quemlibet autẽ civem, qui liberos non inſtitueret ſecundum patrios ritus, jure civium privabant, ut ait Plutarchus in Laconicis. Cùm invitaretur Diogenes Cynicus à Cratero Alexandri Magni Præfecto, reſpondit. Malo Athenis ſalẽ lingere, quàm apud Craterum opiparâ frui menſâ. Sanctus quidam ſenex Ægyptius dicebat: *Quoniam magnam habent impudentiam dæmones, & ipſi rurſus clamant dicentes, Transmigra in montem ſicut paſſer. Idcircò & nos ad illos dicere debemus: Nam & ipſe Deus meus & Salvator meus; adjutor meus, non emigrabo.* Dicebat quidam ſenex. Sicut arbor fructificare non poteſt, ſi ſæpiùs transferatur, ſic nec monachus frequenter migratus poteſt fructificare. In Vitis Patrũ lib. 5. libello 7. n. 36. Additur autem n. 38. Dixit ſenex: Cella monachi eſt caminus ille Babylonius, ubi tres pueri Filium Dei invenerunt, ſed & columna nubis eſt, ex qua Deus locutus eſt Moyſi. Vide libello undecim. n. 51. & paſſim alibi varia de cuſtodia cellæ. Illuſtre eſt exemplum, quod refert Cyrillus in vita S. Joannis, qui ob ſilentium perpetuum vocatus eſt Silentiarius. Hic enim dum Alamundarus cum ſuis Saracenis invaderet Paleſtinam, cæteris fugientibus, ſolus ipſe in monaſterio remanſit, dicens: *Si Deus mei curam non gerit, ut quid vivo?* Nec eum ſpes aut Deus feſellit. Miſit enim illico leonem, qui Joannem cuſtodiret die ac nocte, eumque ubique comitaretur, & contra Saracenos tutaretur. Ejus rei teſtis fuit oculatus ipſe Cyrillus, qui hoc refert. Poterat dicere cum Salomone, Prov. 28. 1. *Juſtus quaſi leo confidens* (Arab. *domans*, ſemper victor eſt, qui cum Deo eſt) *abſq; terrore erit*. Et cum Daniele noſtro: In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem, ſicut paſſer? Et cum Jeſu Sirach Eccli. 34. 19 *Dominus protector potentiæ* (id eſt, potens: quia ſervos ſuos defendit à malo) *firmamentum virtutis* (hoc eſt roboris: robuſtum, ſcilicet, quia ſtabilit in bono) *tegimen ardoris* (Græc. [illegible] id eſt, tegumentum ab æſtu, ut vertit Tigurina) *& umbraculum meridiani* (Græc. [illegible], umbraculum à meridie.) *Deprecatio offenſionis* [illegible], ab offenſione: Deus autem dicitur deprecatio, id eſt objectum deprecationis, is quem deprecamur: Eſt metonymia. 2. Deprecatio, id eſt deprecator, hoc eſt depulſor ac propulſator offenſionis, lapſus, ruinæ, caſus, offenſæ, *& adjutorium caſus*, [illegible], id eſt, à caſu. *Exaltans animam* (per gratiam ſuam) *& illuminans oculos* (per ſapientiam) *dans ſanitatem, vitam & benedictionem*. Syrus vertit, *Eſt ſanitas vitæ & benedictionis*: id eſt omne bonum, tam præſentis vitæ, quàm futuræ.

Lacedæmoniis non licebat peregrinari.

Cellæ cuſtodia neceſſaria.

12. Allegor. Chriſtus ad fugã incitatur. 1. Allegoricè. Valentia exiſtimat, cùm vellent Judæi Jeſum apprehendere, & is exiviſſet de manibus eorum, abiiſſe trans Jordanem, ubi ſolebat Joannes baptizare, Joan. 10. 41. juxta ſpeluncam Odollam, ad quam olim fugerat David à facie Saul, & hinc juſſu Gad Prophetæ redierat in Judæam, quamvis illi ei dehortarentur, 2. Reg. 22. 1. & ſeq. atque ita Chriſtum, diſcipulis licet diſſuadentibus, reverti ſe in Judæam, ubi ſciebat ſibi parari inſidias, Joan. 11 8. & 9. Secundo, Chriſto applicabitur 2.
ſtatus cummunde, cum eſſet in Galilæa, ſicut cenſet Maldonatus, aut in Peræa Judææ vicina, ut vult Franciſcus Lucas. Nam tunc ad eum acceſſerunt quidam Phariſæorum dicentes illi: *Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere*, ſicut occidit Joannem Baptiſtam præcurſorem tuum. Sed Chriſtus noluit transmigrare in montem ſicut paſſer, ſed ait v. 32. *Ite & dicite vulpi illi* Herodi, ut Beda explicat. 2. Phariſæo prope exiſtenti, quem Chriſtus oſtendebat, ut Cyrill. & Theophyl. 3. Illi qui mendacium hoc finxerat. Emmanuel Sa. 4. Ei qui ipſos miſerat, ut Chriſtum terreret, & ad fugam impelleret, *Ecce ejicio dæmonia, & ſanitatem perficio* (id eſt perficere pergã ſanationes & miracula) *hodie & cras*, id eſt, aliquot diebus, aliquanto tempore) *& tertia die conſummor*, id eſt, brevi poſteà conſummabor.

13. Symbol. Hæreſis eſt mons. 1. Symbolicè. Mons eſt hæreſis: ad montem invitatur, qui ad hæreſim ire promiſſis, donis, fallaciis, terrore, minis, tormentis compellitur. Primò, mons eſt ſimilis hæreſis ob altitudinem ſuperbiæ: *Transmigra in montem*; id eſt ad nos, qui ſumus magni & literati, ut explicat Ugo Card. qui ait: *Mons ſignificant elevatam ſuperbiam mentis, quã ſola hæreſis incurritur, dum hæretici humilibus conſentire nolentes, ſuper Eccleſiam ſe erigere conantur*. S. Ignatius epiſt. ad Epheſ. hæreticorum ſpiritum ait, [illegible], faſtu & tumore plenum eſſe. Tertull. de Præſcriptionib. cap. 41. *Omnes tument*, inquit, *omnes ſcientiam pollicentur*. Hoc nunc videmus apud Calviniſtas, apud quos cerdones, ſartores, opifices, mulierculæ altiſſima myſteria & Scripturarum arcana abſtruſiſſima ſe intelligere, & aliis explicare poſſe gloriantur. S. Chryſoſtomus hom. 3. de incompreh. natura Dei, confert hæreſim Anomæorum arbori à ſuperbia irrigatæ. *Hanc*, inquit, *arborem non Paulus plantavit, non Apollo rigavit, non Deus auxit, ſed* [illegible], *plantavit rationum intempeſtiva ſcrutatio, rigavit ſuperbia ſtolida, auxit ambitioſa cupiditas. Itaque flammâ Spiritus ſancti opus eſt, ut non ſolùm extrahamus peſſimam iſtam radicem, ſed etiam perurамus.* Hæc Chryſoſtomus.

2. Secundò, Hæreſis mons eſt præcipitiis interciſus, ob inſanas opiniones & conſtragolas, in quibus nihil conſequens, nihil planum, nihil rectum, ſed omnia prærupta, lubrica, devia, & ad lapſum prona. Lactantius lib. 4. inſtit. cap. ult. *Deſerta*, ait, *itinere cœleſti, vias ſibi devias per anfractus & præcipitia condiderunt.* 3.

4. Tertiò, hæreſis mons eſt cavernis plenus ob fraudes. Quartò. Leonum, tigridum, urſorum, lupurum, 5. & cæterarum ferarum receptaculum, ob crudelitatem. Quintò, ſemper tremens, ob ventos inanis glo- 6. riæ intus latentes. Sextò, ignes internos alens & flammas eructans, ob concupiſcentiam in animo & corpore ardorem ſuum ubique prodentem.

7. Septimò, hæreſis eſt mons Gelboë infrugifer, in quem neque ros, neque pluvia cœleſtis decidit, quia ibi ceciderunt fortes Iſraël. Theophil. Antiochenus lib. ad Autolycum, hæreſim comparat *ſaxoſis inſulis*, quibus ne ad potum quidem aqua dulcis ſuppetit. S. Cyprianus lib. de unitate Eccl. docet apud hæreticos eſſe omnia infructuoſa & inutilia, ipſumque quoque Martyrium. *Ardeant licèt flammis*, ait, *& ignibus traditi, vel objecti beſtiis animas ſuas ponant, non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ: nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt.* Hæretici fructus ſunt poma Sodomæ, pulchra in ſpeciem, ſed plena cineris, & fœtore ſulphureo ingrata. Montes Gelboë poſt mortem Saülis & Jonathæ occiſorum à Philiſthæis, ſic maledicuntur à Davide, 2. Reg. 1. 21. Montes Gelboë nec ros, nec *pluvia veniant ſuper vos, neque ſint agri primitiarum*, (id eſt, ſint infrugiferi, ita ut ex nullis agris ibi conſitis poſſint ullæ frugum primitiæ Deo offerri) *quia ibi abjectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul, quaſi non eſſet unctus oleo.* Brochardus, Bredembachius & Adrichomius dicunt montes Gelboë multis in locis eſſe petroſos, aridos & ſteriles, idque ab ea Davidis maledictione contigiſſe, ait Rabanus & Gloſſa, cùm anteà eſſent maximæ fertilitatis: ſed probabilius eſt fuiſſe etiam anteà ſteriles. Neque enim ſeriò David illis montibus maledixit,

Digitized by Google

ſed hâc loquendi formâ dolorem animi ſui declaravit. q. d. digni eſſetis, qui ob tantam cladem populi Dei omni fertilitate privaremini. Et quidem Abo-
Gelboë etymon. lenſis tradit ſe cognoſcere viros, ſuper quos pluvia ceciderit in monte Gelboë. Ad rem noſtram, Gelboë ſignificat primò revolutionem inveſtigationis, vel ſcrutationis. Rad. [Hebrew] *galal*, volvere, revolvere, & [Hebrew] *baa* quærere, inquærere, inveſtigare, ſcrutari. De hæreticis benè dixerim cum Paulo, 2. Timoth. 3. 7. *Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes*, id eſt, pervenire valentes: in Græco enim eſt *δυνάμενα*. Itaque labor ille eſt infrugifer. Gnoſtici hæretici qui ſe ſapientes & ſcientes vocabant, veritatem & pietatem non percipiebant, neque ſuis inſtillabant. De iis Paulum explicat S. Epiphanius. hær. 26. Secundò; *Gelboë* ſignificat acervum tumoris. Rad. [Hebrew] *gal*, acervus, cumulus, & [Hebrew] *baa*, bullire, fervere, tumere, inflare. Vel, revolutionem inflationis. Nihil enim eſt inconſtantius & volubilius cogitationibus ſuperbi hæretici, qui ne in laqueos apertos & inevitabiles incidat, huc illuc ſe verſat & convolvit, & ab uno Scripturæ loco ad aliũ tranſilit, errorem errori immiſcet atque implicat. Vel, Gelboë eſt cumulus fervoris, aut ardoris. Sed bulla eſt, & ampulla, quæ in aqua bullienti aſcendit, volvitur, citò detumeſcit, & in ollam recidit aut in cineres. Hebr. illa bulla dicitur *ababua*, ab eadem radice *baa*. Hæreticus ollam amat, in ea ardet, ſaltat, ſtridet, cadit & evaneſcit. De illo dic cum Jerem. 1. 13. *Ollam ſuccenſam* (Nabuchodonoſorem) *ego video, & faciem ejus* (id eſt ipſam. Eſt ſynecdoche: facies enim pro toto homine, vel aliare ponitur) *à facie Aquilonis*, id eſt, ab Aquilone, à Babylone, quæ eſt Orientalis & Septentrionalis Jeroſolymæ: Ab Aquilone, id eſt à diabolo, venit globus hæreticorum, de quibus affer illud, Joëlis 2. 6. *Omnes vultus redigentur in ollam*, id eſt reſpicient culinam: unde hæreticus non admittit abſtinentiam à cibis, nec Quadrageſimam. Senſus hic eſt accommodatitius, literalem aliàs attuli. Sed illa olla erit illis olla vulcania in monte Æthna, & ignibus æternis.

14. Hæretici ſunt ſuperbi. Nota, pro *transfmigra in montem*, legit S. Auguſt. *in montes*, & applicat hæreticis, hoc modo: *Unum montem teneo in quo confido, quomodo dicitis, ut ad vos tranſeam quaſi multi ſint Chriſti. Aut ſi vos montes eſſe dicitis per ſuperbiam, oportet quidem eſſe paſſerem pennatum virtutibus & præceptis Dei. Sed ea ipſa prohibent volare in iſtos montes, & in ſuperbis hominibus ſpem collocare, Habeo domum ubi conquieſcam, quia in Domino confido. Nam & paſſer invenit ſibi domum. Et factus eſt Dominus refugium pauperi.* Huic inſiſtens Beda, ut aſſolet, ait; Unum montem teneo. In Domino, qui mons montiũ eſt, confido. Quomodo vos ergo dicitis: id eſt, quâ fiducia dicere præſumitis animæ meæ. Tranſmigra in montem, id eſt, relinque vallem humilitatis in qua es, & appone noſtram eminentiam, cum vos potius omnium infimi ſitis. Animæ meæ dico quæ eſt ſicut paſſer, id eſt, cauta à laqueis & pennata virtutibus & divinis præceptis: & quæ jam ſibi certam domum, id eſt Eccleſiaſtica inſtituta, invenit, ita Beda. Tranſmigra in montem, id eſt, ait Remig. tranſi ad nos, ubi eſt mons, ubi eſt Chriſtus, quaſi de valle & de humili loco. de ſimplicitate fidei illius quam tenes, in qua facilè potes decipi. Apud nos bene inſtrueris, ubi eſt mons: id eſt celſitudo virtutum, & perfecta vita, ubi nemo valet te ſeducere. Non omnium eſt fides, nos ſoli habemus eam: *Soli juſtificare poſſumus, quia juſti ſumus.* Sic ipſe. Hæc applica Calviniſtis, & fidei eorum juſtificanti. Sed fac illis ſecundùm Chriſti præceptũ, Matthæi 24. v. 23. *Si quis vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere.* Joannes Bocoldus Rex Anabaptiſtarum, occupato Monaſterio, urbe Weſtphaliæ, ibi ſe Chriſtum regem conſtituit, ac duodecim Apoſtolos creavit, quos ad omnes vicinas urbes miſit, ut ad ſuum Chriſtum omnes adducerent: ſed à Catholicis obſeſſus & captus, vivus in crate viminea ex apice turris ſuſpenſus, à muſcis, apibus & veſpis corroſus interiit anno 1537. Vide Spond. anno
15. 1534. Arnold. Meshovium libro 6. & 7. Roverum Pontanum libro tertio rerum memorabilium hujus temporis, & alios. Fuerat is Bocoldus ſartor ſeu ſarcinator Leidenſis: polygamiam induxit, uxores ſexdecim ſibi habuit, titulum ſibi indidit, *rex juſtitiæ hujus mundi.*

Paſſer eſt hæretici ſymbolum. 1. Ob libidinẽ. Paſſer quoque hæretici eſt ſymbolum. Primò, quia paſſer admodum libidinoſus eſt, ut ait author de natura rerum, unde Proverbium, paſſere ſalacior. Athenæus & Euſtathius referunt perdices mares, ſicut etiam paſſeres, ſemen emittere, non tantùm viſis feminis, ſed ſola illarum voce percepta. Orus ait paſſerem pyrgitem, id eſt, turriculam, quem Galen. ait in turribus ſeu locis excelſis nidulari, ſepties in hora coire cum femina, & copioſum confertimque ſemen effundere. Albertus dicit, adeò ſalacem eſſe, ut in una hora fortè vigeſies feminam ineat. Urſinus aſſerit aliquos dicere, trecenties uno die id facere, quod creditu eſt difficile. Terpſiles & Marcellus eos qui paſſeribus veſcantur, procliviores in Venerem fieri. De paſſere aſſo hoc confirmat Kiranides, de ejus ovis, Avicenna, Antonius, Gazius, Hali; de eorum cerebellis, Sylvius. Hinc à ſalacioribus inventum eſt paſſeres pinguiuſculos manducare, ut ait Alexander Benedictus. Euſtathius dicit, paſſerem à Græcis vocari *ϛρϑϑὸς*, ex eo quòd *μετὰ ὁρμῆς*, cum furore feratur, in libidinem ſcilicet. Hæreticus nihil eſt ſalacius, hoc œſtro omnes incitati inſaniunt, unde ſemper ſecum greges muliercularum habuerunt. S. Hieronymus ad Cteſiphontem. *Simon magus, ait, hæreſim condidit Helenæ meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor, choros duxit femineos. Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos ſibi animos præpararet. Apelles Philomenem ſuarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi ſpiritus prædicator multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam nobiles & opulentas feminas primùm auro corrupit, deinde hæreſi polluit.* Jovinianum gulæ addictum, jejuniorum oſorem acerrimum ac virginei pudoris, vocat, idem ſanctus Pater, *Epicurum Chriſtianorum*. Non eſt neceſſe recurrere ad Gnoſticos, à Carpocratem, Baſilidem, & priſcos hæreticos, quis non horreat cùm legit Lutheri ſpurcitias, Calvini, Bezæ & ſectariorum noſtrorum, præſertim Adamitarum & Anabaptiſtarum. His chartam non inquinabo, aliqua referunt Spond. in Annal. tomo 3. Prateolus in elencho hæretic. Florim. Remund. in ortu hæreſis. & alii plurimi. Sappho ait, à paſſeribus trahi currum Veneris, hæretici eam in orbem inducunt votorum religioſorum ſolutione, & ſacerdotali puritate contempta.

Secundò, paſſer eſt breviſſimæ vitæ ob ſalacitatẽ. 16.
Mares negantur anno diutius durare, argumento, 2. Ob
quia nulla veris initio appareat nigritudo in roſtro, brevem
quæ ab æſtate incipit, feminis longiuſculum ſpati- vitam.
um. Ita Ariſtoteles de hiſtoria animalium & Plinius. Hunc vitæ annum computat à tempore nativitatis Epheſius, à tempore autem coitus, tantum petendũ initium illius anni opinatur Albertus. Hæc non mediocris eſt hæreſis nota, quòd citò perit, vel in aliam mutatur. Ubi ſunt nunc Simones, Carpocrates Neſtorii, Eutychetes, & ſimilia portenta? Imò ubi Lutheri, Zwinglii, Calvini? cùm enim eorum libri afferuntur, ſtatim à ſectariis rejiciuntur: & quot ſunt capita, tot ſenſus.

Tertiò, Paſſer in anno bis aut ter parit, in ſingulas 17.
vices ſeptena ut plurimum, ut minimum quaterna 3. Ob
ova, ut ait Albertus: ad ſummum octona parere tra- fœcun-
dit Athenæus, & citat Ariſtotelem. Hæreſis dum vi- ditatem.
vit fœcunda eſt. A Luthero, ut Stygis, fuote, aut Hydra multicipite, pluſquam ducentæ ſectæ diverſæ prodiiſſe feruntur. De confeſſione Auguſtana refert Spondanus tomo 3. Annal. anno 1561. mirã fuiſſe varietatem: unde, inquit, vocabant ipſimet Proteſtantes hanc Confeſſionem, *cothurnum*, calceamenti ſcilicet genus utrique pedi aptum. Alii porrò *Iſidem*, *Confuſio magna ſectarum inter Lutheranos* Magnam matrem, tot filiorum procreatricem. Zuingliani verò & Calviniani *Sphingem*, monſtrum olim apud Thebas, cujus caput & manus puellæ, corpus canis, alæ avis, vox hominis, ungues leonis, cauda draconis. Secti verò fuêre Confeſſioniſtæ in tres quaſi cohortes: *Mollium*, quorum decem: *Rigidorum*, quorum quatuordecim: & *Extravagantium*, quorum ſeptem ſectæ numerabantur, quas omnes diligentiſſimè adnotavit Andreas Fabritius Leodius in Harmonia ſua Evangelica, ubi Auguſtanæ Confeſſionis exemplaria omnia contulit, & quàm magno intervallo, & in quibus capitibus una diſſideat ab altera explicavit. Ita Spondanus. Vide etiam Gretſerum de libr. proh. lib. 2. cap. 11. Variæ deinde novitates inter illos exortæ ſunt.

Quartò, Ex hac paſſeris fœcunditate oritur, ut 4. Cæcos
cæcos pariat pullos. Nam Ariſtoteles à Geſnero parit
citatus, ſic ait: Aves nonnullæ imperfectos & cæ- pullos.
cos pariunt pullos, videlicet quæ cùm parvæ corpore ſint, multos progenerant, ut paſſer & hirundo. Cæca eſt hæreſis, & cæcos parit, ſine judicio

ſæpè

ſæpè ſibi ipſi contrariis ſententiis oculos configens. Hoc in Luthero fusè probat Cuccius in ſuo Theſ. Cathol. ubi oſtendit penè omnes fidei articulos eum aſſerere & negare, verbi gratia, purgatorium eſſe & purgatorium non eſſe reliquias eſſe honorandas, & non eſſe honorandas,& ſic de cæteris.

18. 5. Ob furorem. Quintò, paſſeres in furorem citò concitantur, ut ait Author de natura rerum. Quis hæreticorum furorem & rabiem explicet, nulla ſæpè de cauſa ſævientium? Lutheri ſcriptis Germanicè editis pro libertate Evangelica coierunt ruſtici magno numero paſſim in Suevia, ad Danubium, ad Lacum Conſtantienſem, in Franconia, Lotharingia, Thuringia, aliis provinciis: eratque per Germaniam triſtis rerum facies: hominibus efferatis ferro flammaque vaſtantibus omnia, & exempla edentibus horrendarum atque inauditarum crudelitatem. Memorantque, in una Franconia monaſteria & caſtra nobilium ultra ducenta, vel ut quidam habent, trecenta diripuiſſe ac diruiſſe, præter oppida occupata. Ubi autem ventum eſt ad Barones, Comites & Principes (quorum unus Comes Heſfenſteinius, qui in matrimonio habebat filiam notham Maximiliani Imperatoris Lancearum ictibus expoſitus miſerè periit) tum verò de injuriis vindicandis cœptum eſt cogitari. Feruntur que paucis menſibus à diverſis Principibus cæſa ſupra centum, vel etiam centum triginta, aut centum quinquaginta, ut diverſi numerant, eorum millia. Ita Spondanus anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto, num. 15.

19. 6. Ob rixas. Sextò, Paſſeres etiam inter ſe certant. Hoc longè verius in hæreticis, ut patet in Luthero, Caroloſtadio, Zuinglio, Oſiandro, Melanchthone, Calvino, & cæteris. Sunt vulpes Samſonis, ſegetem Eccleſiæ comburunt, & ſe mutuò mordent & inflammant.

7. venatur muſcas. Septimò, paſſer vermiculis veſcitur, ut Ariſtoteles & Albertus notant, & muſcas venatur, & monet Obſcurus, & oculis cernitur. Hæretici terræ hærent & vana atque inania conquirunt. Vitulo aureo à Jeroboam poſito in Bethel poſſis conferre, de quo Oſeæ octavo, verſu ſexto dicitur; *In aranearum telas erit vitulus Samariæ*, id eſt, à decem tribubus Iſraël cultus. Pro *telas aranearum*, Hebraicè eſt שבבים *ſebabim*, id eſt, contritiones, ut vertit Arias in fruſta, in fragmenta, in ſciſſilia, ut R. David Kimhi, Vatablus, & Rob. in aſſeres, ſeu ſcobinas tabularum, ut Chaldæus, inſtabilis, ut Symmachus, vagus & fluctuans, ut Quinta Editio. πλανῶν. id eſt, ſeducens, decipiens, ut Septuaginta. R. David, R. Abraham, & ex ais Pineda in Jobi decimum octavum verſu quinto vertunt, in ſcintillas, quaſi diceret, Samaritæ fecerunt vitulum aureum, ſplendentem & ſcintillantem: ſed ſcintillæ ſplendoris in ſuos cultores deſævient, velut ſcintillæ ſtatim peribunt & extinguentur. Moraliter peccator per uſuras, fraudes, &c. parans ſibi opes, præbendas, dignitates magnis laboribus & moleſtiis, quid niſi telas aranearum texit? quæ mox vento caſuum humanorum, ac præſertim mortis, diſſlabuntur & evaneſcent, nec eum in Dei judicio tegere aut veſtire poterunt; imò quæ quas: ſcintillæ ignem gehennæ illi ſuccedent. Ita Cornelius. Fient *in aranearum telas*, ut Chriſtophorus à Caſtro, id eſt, in aranearum fila per aërem volantia, quæ dum videntur intereunt: & in atomos atque in nihilum diſſolvuntur. Ita à Caſtro Vel, *in aranearum telas* erunt: id eſt, ad nihil aliud conducent, niſi ut muſcas captent & inutilia, atque mox vento auferenda. Unde ſequitur apud Oſeam verſu ſeptimo. *Ventum ſeminabunt, & turbinem metent; culmus ſtans non eſt in eo germen non faciet farinam*; Hæc hæreticis adapta, quæ ſuis ſeditionibus ſæpè pereunt, in quorum doctrina nihil ſtat, ſed omnia jacent, & nihil mentem ſolidè nutrit.

20. 8. Ob levitatem. Octavò denique, paſſeris & hæretici levitatem, inconſtantiam, inſtabilitatem conſiderant Gloſſa, Caſſiodorus, Beda, Joannes à Paſtura, & alii, & maximè convenit verbis amicorum Davidis. *Transmigra in montem, ſicut paſſer*. Nota Hebraicè, צפור *ſiſſor*, Chaldæus, *ſiſſara*. Syrus, *ſeſſora*. Arabicus, *aſphur*, alii malè legunt *aobor*; de qualibet ave minuta dici ſpeciatim de paſſere. In aviculis autem illis rectè levitas & inconſtantia figuratur. Et ad rem Bruno ait: *Paſſer hæreticum ſignat, qui ad nequiſſimas prædicationes inconſtantis animi levitate transfertur. Inſtabilis enim avis paſſer, & alii in foraminibus petrarum, alii in roſcidis vallibus, nonnulli in ſqualidis montibus habitant.* De paſſere in bonam partem accepto dixi Pſalmo 83. v. 4.

Nota, S. Auguſtinus, & S. Hieronymus hunc pſalmum aptiſſimè expoſuerunt de hæreticis, ob Donatiſtas, qui etiam Montenſes dicebantur, & eorum ætate tanta erant copia, ut in Conciliabulo Carthaginenſi contra Cæcilianum Epiſcopum Carthaginienſem (cui Majorinum Epiſcopum oppoſuerant in ejus ſede collocatum) convenerint eorum Epiſcopi ducenti & ſeptuaginta, ſicut tradit S. Auguſtinus epiſtola 48. Dicti ſunt Donatiſtæ à Donato dicto à Caſis nigris, ſicque filio tenebrarum, ſed quod conſtaret à Melchiade Papa eſſe damnatum, maluerunt ipſi dicere ſe nomen accepiſſe à Donato Epiſcopo Carthaginenſi, qui Majorino ab ipſis intruſo ſucceſſit: eum enim tanti faciebant, ut dicat S. Auguſtinus tom. 6. edit. Plant. in fragm. cap. 6. *Donatum Donatiſtæ pro Chriſto habent: ſi audiant aliquem paganorum detrahentem Chriſto, forſitan patienter ferant, quàm ſi audiant detrahentem Donato.* Per ſuum ipſius nomen, tanquam numen, ſuos jurare docuerat idem Donatus, ut ait Baronius anno 348. num. 23. Quod ad nomen ſpectat vocati ſunt Montenſes à ſancto Hieronymo epiſtola 133. Gennadio de Script. Eccl. capite quinto quòd ab Urbe Roma excluſi in montibus proximis agerent, atque conventicula celebrarent. Dicebant itaque ſuis: *Transmigra in montem ſicut paſſer*: quaſi prudens & pennatus virtutibus, & gaudens locis altis atque cœleſtibus. Nam, ait idem ſanctus Hieronymus in Pſalmum noſtrum, *ſæpè paſſerem loco prudentiæ poni legimus.* In libr. adverſus Luciferianos, vocat Donatiſtas ſeu Donatianos (ut eos mavult vocare Creſconius) Campitas, quod in campis ſuos colligerent. Sanctus Auguſtinus de unitate Eccl. cap. 3. eos præterea vocat Rupitanos, à rupe ſcilicet, cæteras hæreſes Donatus dicebat, minorem patre filium, & minorem filio Spiritum ſanctum, rebaptizans ea de cauſa Catholicos, qui ab Eccleſia ad ejus ſectam deficiebant, dicens eos priùs non ſuſcepiſſe baptiſma, ut refert Prateolus in Donatiſtis.

ARTICULUS III.

Hæreticorum arma & furor.

POſtquàm David declaravit fiduciam ſuam in Deum, & amicorum aperuit monita, periculum ſuum exponit Verſ. 3. QUONIAM ECCE PECCATORES (Hebraicè, רשעים *reſaim*, id eſt, impii, inquieti, perturbatores) INTENDERUNT (Hebraicè. ידרכון *iedrecun*, id eſt, omnibus viribus intenderunt. Syrus, impleverunt) ARCUM (Syrus, *arcus ſuos*: uno non ſunt contenti. Magn. flexo minitatur ut impius arcu. Petavius, καμπύλα τόξα, curvos arcus. Ubi ſtaus denotatur, eſt enim obliqua & flexa, PARAVERUNT SAGITTAS SUAS IN PHARETRA, ut multis in ea aptatis poſſent ſæpius jaculari. Nota, pro *pharetra* in Hebræo eſt יתר *iether*, id eſt 1. chorda, funis, nervus, virga. 2. pharetra. Nam, ut rectè notat Bellarminus, licèt in dictionariis non ponatur, quòd *iether* ſignificet pharetram, tamen authoritas Septuaginta interpretum, qui verterunt φαρέτραν, illis prævalet. Erant enim doctiores omnibus, qui ſcripſerunt dictionaria Hebraica. Arabs quoque reddit: *Paraverunt ſagittas ſuas in pharetris ſuis*, ſinguli ſaltem ſuam habent. Primæ ſignificationi inſiſtens, S. Hieronymus vertit: *Poſuerunt ſagittam ſuper nervum*, id eſt, ſuper funem arcus. Felix verò, præparaverunt ſagittam eorum ſuper nervum. Syr. Aptarunt ſagittas ſuas ad nervum, Pagn. paraverunt ſagittam ſuam ſuper chordam. Utramque verſionem complexus Petevius rectè vertit: 21. Verſ. 2.

Ἐκ δ' ἰοὺς φαρέτρης, νευρῇ τ' ἐπιθέντο ὀιστόν,

Extraxerunt autem è pharetra, nervoque admoverunt ſagittam.

Non ut otioſam & innoxiam ibi relinquant, pergit enim cauſam eddere Propheta, *ut ſagittent in obſcuro rectos corde*. Nota, pro *in obſcuro* Septuaginta habent, ἐν σκοτομήνῃ, id eſt, *in obſcura Luna*, ut legit S. Auguſtinus, hoc eſt, in nocte illuni. Hebraicè eſt במו אפל *bemo ophel*, id eſt, in ipſa caligine, ut vertit Arias. Vox *ophel*, denſat tenebras & caliginem ſignificat. Jobi 3. verſu 6. & 10. verſu 22. Pſalmo 90. verſu 6. Iſaiæ 29. verſu 18. Idem ſonat Chaldæus קבלא à rad. *kebal*, id eſt, obſcurari, obtenebrari, teneb reſcere, tenebris inhorrere. Et Syriacum

riacum עמשׂא *ammo*, caliginem etiam & ſpiſſas tenebras ſignificat. Sagittent autem impii juſtos in obſcuro, id eſt, Primo, juſtos, qui ſe occultant in Dei præſidiis, ubi latent. Secundo, & potiùs, *To in obſcuro*, ad impios refertur, quaſi diceret, impii in obſcuro, id eſt, occulto, exiſtentes, ſeſe occultantes, per fraudem & dolum agentes, ſagittant, hoc eſt, ſagittare nituntur, pios. Unde Arabs vertit, *ut jacularentur eloim in rectos cordibus*. Alludit ad venatores, qui ſeſe in condenſas alicujus ſylvæ arbores abdunt, ut feras aut aves jaculis impetant: aut ad graſſatores, qui mercatoribus aliiſque viatoribus inſidiantur, eoſque incautos telo conficiunt.

Verſ. 4. Secundò oſtendit, impios non tantùm hominibus, ſed etiam Deo eſſe injurios. Verſ. 4. QUONIAM QUÆ PERFECISTI (Hebraice, השׁתות *haſſathoth*, id eſt, fundamenta, ut vertit Flaminius: alias verſiones afferam commodius infra) DESTRUXERUNT. Tertiò, declarat ſe eſſe innocentem. *Juſtus autem quid fecit?* Nota, pro *haſſathoth*, id eſt, fundamenta, legerant Septuaginta, השׁתות *haſſathotha*, id eſt, poſuiſti, depoſuiſti, concinnaſti, perfeciſti, in conjugatione Hiphel, à verbo שׁתת *ſathath*, quod ſignificat idem quod *ſuth*. Illos etiam ſecutus eſt Syrus, & vertit. *Quoniam quod paraſti, deſtruxerunt*. & Arabs, *ipſi deſtruxerunt quod aptaſti*.

22. Quis hic loquitur? 1. Quæres? Quis loquitur ab illis verbis, Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum? &c. Reſp. primò, David ipſe loquitur, & reddit rationes tres cur in Deo confidat: nempe quia illi qui ipſum aggrediuntur, nempe Saul & ſatellites ejus, ſunt peccatores. 2. quia deſtruxerunt ea quæ Deus perfecit, leges ſcilicet quas ſervandas conſtituit, ut ait Janſenius vel ſacerdotes in Nube illos interficiendo, ob datum panem Davidi, eos intelligit Agellius & Davidem ipſum per rectos corde: vel potiùs ea quæ Deus perfecerat, puta honores ac dignitates Davidis in aula, conjugium ejus cum Michol filia regis Saulis: data eſt enim alteri viro, nempe Phalti, filio Lais, qui erat de Gallim civitate tribus Benjamin, de qua mentionem facit Iſaias cap. 10 v. 30. Ab illo Phalti intactam eſſe conſervatam opinantur non pauci Hebræi, quos ſequuntur Abulenſis & Lyranus: ſed repugnant lacrymæ ejus, cùm illam coactus eſt reddere Davidi. Saul in ea re peccavit dando filiam alteri viro, priore adhuc vivente. Nam illam non repudiaverat David, nec Michol repudiare poterat Davidem, id enim non licebat uxoribus: peccavit etiam Phalti & Michol, & mori potius debebant, quàm ſcelus illud patrare. 3. quia David non læſerat ulla in re Saulem; itaque ait, *Juſtus autem quid fecit?* Ubi nota ejus modeſtiam, quid de ſe in tertia perſona loquitur in re ſibi honorifica. Juſtum autem ſe dicit, non reſpectu Dei, ſed reſpectu Saulis, quem injuria nulla affecerat. Hoc ſecutus ſum in paraphraſi.

2. Secundò Reſp. probabilius amicos Davidis hìc loqui, & reddere rationem cur ſit fugiendum, quaſi diceret. *Quomodo dicitis animæ meæ. Transmigra in montem ſicut paſſer*, & quomodo hanc rationem datis, *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt ſagittas ſuas in pharetra*, &c. Ubi nota cum Euthymio & Folengio, per arcum, ſagittas & pharetram, totum belli apparatum intelligi, quia olim ordinaria arma erant arcus & ſagitta. Eſt itaque Synecdoche. Ea de re dixi Pſalmo ſeptimo. Vel certè, adverte cum Agellio, aptè ad ſimilitudinem paſſeris: ſubjici ſimilitudinem arcus & ſagittarum. Nam ut volantem paſſerem, quia apprehendere manu nequeunt, aucupes jaculis dejicere moliuntur: ita Saul, & cæteri Davidis hoſtes, cum eum vi capere propter ejus vigilantiam & prudentiam non poſſent, artibus & dolis circomveniebant, & quo vires pertingere nequibant, aſtu & fraudibus pervenire conabantur. Quòd autem *in pharetra*, dixerunt Septuaginta, hoc Hebraizantes plerique vertunt *in nervo*, id eſt, in fune arcus, ut periculum magis augeant, & præſens eſſe oſtendant.

23. Tropologicè. Tropologicè. Bellarminus rationem eſſe putat, cur ſit fugiendum ad montem, id eſt, deſerenda vocatio præ nimio timore, quem tentatio ſuggerit: videlicet quia mali homines aſſiduè perſequuntur juſtos ſive calumniis, ſive alia ratione. Comparat autem calumnias, ſive alias perſecutiones ſagittis, q[illegible] tur in obſcuro, ut ſignificet eas calum[illegible] tiones, non ſolùm graviter feri[illegible] ſe caveri. Ita ipſe, & putat eſſ[illegible] ed veriùs eſt moralis, ut pa-te[illegible] em quæ Deus *perfecit*, intel-li[illegible] ſimas, nec non conſilia &

ordinationes ejus omnes, quas poſuit in populo ſuo. Illas enim ſcelerati deſtruunt, dum non ſolum non reddunt bona pro malis, ut Deus jubet: ſed reddunt mala pro bonis, ſine ulla cauſa calumniando, & perſequendo juſtos. Titelmannus autem ſic explicat, quaſi diceret, Maligni dæmones eorumque miniſtri homines perverſi parati exiſtunt ad perimendas ſimplicium animas, ad modum ejus qui arcum tenſum manu tenet, ad aves ſagittis perfodiendas: occultaverunt ſub boni qualibet ſpecie peſtiferas & noxias ſuaſiones ſuas, ut ſic in occulto ac velut latenter per inſidias interficiant animas innocentium, eorum qui bona & recta ſunt voluntate: quemadmodum qui ad aves perimendas exeunt, ſagittas in pharetris abſconditas geſtant, ut in promptu habeant, cùm opportunitatem viderint nocendi. Et quidem illa quæ tu veluti ad perfectum adduxiſti, per benignum favorem tuum & ſalutarem tuam gratiam (quibus adjumentum præbes ſervis tuis) ipſi ſuis pravis machinationibus per invidiam ad nihilum deducere conantur, ſemper laborantes quæ per gratiam tuam in hominibus plantantur atque ædificantur, ſuis pravis ſuggeſtionibus inficere, aut eradicare, aut deſtruere, proque bono ſeminato tritico mala ſuperſeminare zizania. Et hunc literalem ſenſum putat eſſe Titelm. ſed eſt etiam moralis.

Sic autem impii juſtis injurii, non ſunt timendi, quia ſunt peccatores, & legem Dei deſtruunt. Hoc fusè amplificat S. Chryſoſtomus atque ſibi objicit. *At habent arcus, & pharetram, & eis parata ſunt omnia. Paratum enim, inquit, ea in pharetra. ſed nullæ ſunt eorum vires, nec eos propterea timemus. Nam neque ſi viderem quempiam qui haberet* [illegible] *ſolum arcum, timerem. Quid enim juvant arma, ſi non ſit virtus? Neque hic ergo, ſi non adſit Dei benevolentia. At dolos ſtruunt, & non rectè aggrediuntur, & propterea eos maximè rideo. quòd* [illegible]*, ſagittant in tenebris. Nihil enim imbecillius viro qui ſtruit inſidias. Non opus habet ut armis aliorum capiatur: ſed cadit manu propria, & ſua ipſius fraude evertitur. Quid ergo poſſit eſſe eo imbecillius quando ſæpius à propriis machinationibus. Cum his autem poſſumus etiam aliud dicere, quod non ſolùm bellum gerunt adverſus eos quibus Deus fert auxilium, ſed quod etiam adverſus innocentes, & qui eos nulla affecerunt injuria: Hoc autem eos non parum reddit imbecilles. Quemadmodum enim qui adverſus ſtimulos calcitrant, illos quidem non lædunt, ſed ſuos pedes cruentant: ita hi etiam.* Deinde oſtendit aliam impiorum imbecillitatem, nempe quòd in Deum gerant bellum, deſtruendo ea quæ perfecit, nempe legem ejus ac præcepta. Itaque negligendam eſſe nec timendam ſceleratorum potentiam, gloriam, opulentiam: hæc enim omnia eſſe, [illegible] genera imbecillitatis. *Quid eſt ergo, ait, quòd multi vincunt, qui tales ſunt? Quoniam tu rectè pugnare neſcis. Quoniam tu quoque de eis decertas, ex quibus illi ſunt imbecilliores, nempe de gloria & potentia. Fuge canſam certaminis, & alia parte fert eos qui te invadunt, arrogantem moderatione ac lenitate, avarum paupertate, incontinentem continentiâ, inhumanum humanitate, & ita eum vinces facilè. Vide etiam quomodo juſti quoque dicit armaturam. Subjungit enim, Juſtus autem quid fecit? Hoc eſt, Cùm illi autem ſic inſtruerent aciem, quæris undenam ſe juſtus armaverit? Audi. Dominus in templo ſancto ſuo: Dominus in cælo ſedes ejus. Vides quàm paucis narravit ejus auxilium? Quid feceris, rogas? Ad Dominum confugis, qui eſt in cælis, qui eſt ubique præſens. Non arcum intendit, nec pharetram paravit ſicut ille, nec aciem inſtruxit in occulto: ſed his omnibus ſpem in Deum in omnes objecit, & eum illis oppoſuit, qui nullo horum indiget, non loco, non tempore, non armis, non pecuniis, ſed ſolo nutu omnia peragit. Vidiſti,* συμμαχίαν ἄμαχον *auxilium inexpugnabile, & expeditum ac facilè.*

Symbolicè. Hæretici hic intelliguntur Eccleſiam perſequentes. Bruno ſic explicat. Ecce peccatores, id eſt, hæretici, intenderunt *arcum*, id eſt, verba ſua contra Eccleſiam. Intenderunt arcum, id eſt, potentiam verboſitatis ſuæ. Paraverunt *ſagittas*, id eſt, verba venenoſa. *In pharetra*, id eſt, in corde, *ut ſagittent*, &c. id eſt, cùm viderint in Eccleſia obſcuratos imperitia vel ſimplices, laqueis doloſis vel occultis illiciant. *Recti corde* ſunt dicti, qui nulla iniqua perſuaſione decipi poterunt: vel *in obſcuro*, id eſt, obſcuris & ambiguis ſententiis eorum, vel cum perſecutionibus tetris perturbatur Eccleſia. Quando timore periculi carnalis homines creduntur faciliùs immutari. Ita Bruno, qui ſecutus eſt Hier. Melius tamen cum Dionyſio Carthuſiano per arcum intelliges flexuoſum & contortum hæretici ingenium. per ſagittas verò, ejus verba. 24. Symbolicè. Hæreticorum arcus & ſagitta. 1. Verba venenata.

Secun-

25. **2. Arcus eſt Scriptura: verba ſunt ejus ſententiæ.**

Secundò, Caſſiodorus, Remigius, Ugo Cardinalis, & alii ſequentes S. Auguſt. per arcum accipiunt Scripturam: per ſagittas, ejus ſententias. Et quidem Remigius, Peccatores, ait, qui ſe juſtos faciunt, & montes nominant, *intenderunt arcum*: Scripturæ ſacræ rigorem, ſiniſtræ interpretationis nervo incurvaverunt. *Sagittas ſuas*, id eſt, toxicatas ſententias, paraverunt perverſo intellectu: in pharetra, id eſt, in corde: ad hoc, *ut ſagittent rectos*, id eſt, ſimplices, & regulam fidei directos, *in obſcuro* poſitos, id eſt, in ignorantia, non valentes adhuc illa altiora diſcutere. Paulò aliter Ugo Cardinalis. Ecce peccatores, inquit, id eſt, hæretici, intenderunt *arcum*, id eſt, ſacram Scripturam ad ſe diſtorſerunt, id eſt, ad voluntatem ſuam exponendam ſumpſerunt, ut vos inde decipiant. Unde addit, *Paraverunt ſagittas ſuas*, id eſt, verba venenoſa & acutas ſententias, & argumentationes ſophiſticas, *in pharetra*, id eſt, in abſcondito. Et hoc, *ut ſagittent in obſcuro*, id eſt, in ambiguis Scripturæ, quia obſcuritate Scripturæ decipiunt minores, eam pravè exponendo. Vel, in obſcuro, id eſt, in ſimplici ſenſu, quia ſimpliciores decipiunt.

26. **Hæretici crebra Scripturæ mentione decipiunt.**

Nota primò. Hæretici crebra Scripturarum mentione fucum multis facere ſolent. Eorum voces refert S. Ignatius epiſtola ad Philadelphios. Niſi, inquiebant, Evangelium invenero in archivis, non credo, ſanctus autem hic Pater: *Talibus ego dico, quòd Jeſus* (à Jeſu dimanans traditio) *mihi pro archivis eſt*. Sed ut rectè annotat Vincentius Lirinenſis, ita de Scriptura loquuntur, ut in uno loco pedem non figant, ſed ſubſultim ab uno in alium evolent. Sic enim loquitur in Commonitorio 1. pro Catholicæ fidei antiquitate. *Videns eos volare per ſingula quæque ſanctæ legis volumina, per Moyſi, per Regnorum libros, &c.* His ait dæmon, Transmigra *in montes* ſicut paſſer, ut legit S. Auguſtinus.

27. **Eam depravant & corrumpunt.**

Nota ſecundò, Hæretici deſtruunt Scripturam, quam ita inflectunt, & Dei legem. *Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt.* Tò quæ perfeciſti, Beda, Caſſiodorus, Remigius, Ugo, Bruno, de Scripturis & præceptis Dei explicant. Acutè Remigius. *Quæ perfeciſti deſtruxerunt, præcepto illo quæ tu ô Domine perfeciſti, id eſt, digito tuo ſcripſiſti immutabilia & indiſſolubilia: quia quod ſemel juſtum eſt apud te, nunquam erit injuſtum, & è converſo.* Secundò, *Tò quæ perfeciſti*. S. Hieronymus de Eccleſia exponit, quam Deus in unitate perfecit. Hæretici autem eam deſtruere volunt & in ſe & in aliis, quia unitatem ſcindunt. Quòd vero additur, *Juſtus autem quid fecit?* De Chriſto qui ſimpliciter & abſolutè atque κατ' ἐξοχὴν juſtus eſt, & quem nemo poteſt arguere de peccato, explicant Caſſiodorus, Beda, Remigius, Hieronymus, Ugo, & alii. Sed nonnihil variant in expoſitione. Primò ait Hieronymus, *Juſtus quid fecit?* hoc eſt, mundum redemit & ſeipſum dedit pro mundo. q. d. vos intendiſtis arcum, & ſagittas ponitis in veſtra pharetra, id eſt, in corde maligno, ut ſagittetis rectos corde & Eccleſiam perdatis. non eſtis imitatores Chriſti, qui pro illa & ſingulis hominibus ſanguinem ſuum fundit. Secundo, Ugo Card. *Juſtus autem quid fecit?* id eſt, quid faciet? Et reſpondet, quia reddet bona bonis, & mala malis. Dominus in templo ſuo, &c. Tertiò, Beda planiſſimè, Juſtus autem quid fecit vobis? id eſt, quid Chriſtus commeruit apud vos, propter quod vos depravantes Scripturas, unitatem quam ipſe reliquit, deſtruxiſtis.

Nota tertiò, pro *quæ perfeciſti*, in Hebræo eſt שתות *ſatboth*, id eſt, leges, fundamenta, retia, doctrinæ, traditiones. Primò, *ſatboth* propriè ſignificat poſitiones, fundamenta. Rad. *ſuth*, ponere. Itaque Aquila, R. David, R. Abraham, Chaldæus, Felix & Arias vertunt *fundamenta*. Secundò, *ſatboth* ſignificat concinnationes, compoſitiones, diſpoſitiones: ideo etiam R. David in lib. Rad. & in comment. Flamin. Pagn. reddunt *retia*. Tertiò, metaphor. S. Hieronymus vertit, *leges* diſſipatæ ſunt. Sexta editio, παράδοσεις, *traditiones*. Hoc commune eſt hæreticis, ut traditiones rejiciant. Quidam apud S. Chryſoſtomum, [illegible], doctrinæ conterentur. Ubi nota, leges Dei eſſe retia, quibus è mari peccatorum nos Apoſtolici piſcatores ad portum adducant. Marci 1. v. 17. *Faciam vos fieri piſcatores hominum*: deinde eaſdem leges eſſe fundamentum fidei & virtutis; ſupra quod domus fundata non diruitur ventis flantibus, & pluvia in eam irruente. Quartò, *ſatboth* ſymbolicè ſacerdotes eſſe ait R. Salomon, cum ſic vertit: *Quoniam per manus veſtras occiſi ſunt ſacerdotes Domini, qui ſunt fundamenta mundi.* Sunt dii fortes terræ, Pſal. 46. v. 10. Hoc præcipuum fuit Calviniſtarum ſtudium, ut ſacerdotes dejicerent, perverterent, contererent, atque occiderent. Ablato paſtore, pereunt oves: ablato fundamento ruit domus.

28. **Hæretici occultè graſſantur.**

Nota quartò, Hæretici clandeſtinis inſidiis Eccleſiam Dei & fideles ejus aggrediuntur. Ut ſagittent *in obſcuro* rectos corde, id eſt, clam, ut vertit Arabs, S. Auguſtinus legit, *in obſcura Luna*. Ut, ſicut ait ſanctus hic Pater, cùm ſenſerint Eccleſiæ lumine propter multitudinem imperitorum & carnalium obſcurato, non ſe poſſe convinci, corrumpant bonos mores colloquiis malis. Lunam autem ait eſſe ſymbolum Eccleſiæ: ſive Luna habeat lumen à ſeipſa, ſed unica tantum parte ſit lucida, ſive habeat totum lumen ſuum à Sole, quod eſt longè probabilius. Primo, modo ſentiendo ſic Eccleſiæ applicat. *Luna in allegoria ſignificat Eccleſiam: quod ex parte ſpirituali lucet Eccleſia: ex parte autem carnali, obſcurata eſt. Et aliquando ſpiritalis pars in bonis operibus apparet hominibus: aliquando autem in conſcientia latet, ac Deo tantummodo nota eſt, cum ſolo corpore apparet hominibus: ſicut contingit, cùm oramus in corde, & quaſi nihil agere videmur, dum non ad terram, ſed ſurſum cor habere jubemur ad Dominum.* Secundò, autem modo lumen Lunæ à Sole mutuatum eſſe ſentiendo, id facilè applicat Eccleſiæ, quæ ſuum lumen non habet, ſed ab unigenito Dei filio, qui eſt Sol totius orbis. Vide Pſal. 18 v. 6. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Nota autem cum Ugone Cardinali, quòd Luna tribus modis fit obſcura. Primò, per eclipſim. Secundò, per interpoſitionem nubium. Tertiò, finitis menſium decurſibus. Quod Eccleſiæ triplici ſtatui congruit, *quia in tempore perſecutorum fuit cruenta, fraude hæreticorum rubiginoſa, corruptione falſorum fratrum lutoſa. Et eſt ſenſus. Ut ſagittent in obſcura Luna, id eſt, in Eccleſia cruentata, rubiginoſa, lutoſa.* Ita Ugo, quòd paulò aliter S. Auguſtinus exponit, qui ſagittantes illos interpretatur Martyrum perſecutores, qui ſagittare volunt in obſcura Luna rectos corde. *Sive*, ait, *adhuc in Eccleſiæ novitate, quia nondum terris major effulſerat, & gentilium ſuperſtitionum tenebras vicerat: ſive linguis blaſphemantium, & Chriſtianorum nomen malè diffamantium, quaſi nebulis cum terra obtegeretur, videri perſpicua Luna non poterat: id eſt, Eccleſia: ſive ipſorum Martyrum cædibus, & tanta effuſione ſanguinis, tanquam illo defectu & obſcuratione, qua cruentam faciem Luna videtur oſtendere, à nomine Chriſtiano deterrebantur infirmi. In quo terrore verba doloſa & ſacrilega jaculabantur peccatores, ut etiam rectos corde perverterent. Poteſt & de his peccatoribus intelligi, quos Eccleſia continet, quod tunc inventa occaſione hujus Lunæ obſcuræ, multa commiſerint, quæ nobis opprobria nunc objiciuntur ab hæreticis, cùm eorum auctores ea feciſſe dicantur.* Ita Ugo.

Diabolus ſerpens vectis.

Iſaias capite vigeſimoſeptimo, verſu primo, vocat diabolum, *ſerpentem vectem*, id eſt, ut vertit Theodotio, ſerpentem robuſtum, qui ſcilicet inſtar vectis ferrei firmus eſt, & frangi non poteſt: vel, ſerpentem concludentem, ut vertit Symmachus: vel, ſerpentem fugientem, ut Septuaginta, vel denique ſerpentem ſubſilientem, ut Syrus, aut teretem ſive lubricum, ut Forerius. Robur enim dæmonis per fraudes evenit: quod melius declarat Propheta, cum eundem diabolum vocat *ſerpentem tortuoſum*, id eſt, inſidioſum & callidum, ut vertit Arabs. Venenum illud ſuum & fraudes, quo non tantum Evam, ſed quamlibet fidelem animam decipiat, hæreticis infundit virulentus ſerpens, ſicut per eunuchum Vagao conatus eſt decipere Juditham illam pudicam & fortem fœminam, quæ operata conſilio manuum ſuarum ſalutem attulit Bethuliæ, quæ virginitatem ſonat: animi ſcilicet, per fugam fornicationis cum idolis & erroribus; atque corporis per caſtitatem.

Et ſerpens tortuoſus.

Serpenti ſe occultanti Valentinianos comparat Tertullianus, libro in Valentinianos cap. 2. *Abſcondat ſe, ait, ſerpens quantùm poteſt, totamque prudentiam in latebris ambagibus torqueat, altè habitet, in cæco detrudatur, per anfractus ſeriem ſuam evolvat, tortuosè procedat, nec ſemel totus, lucifuga beſtia. Noſtræ columbæ domus ſimplex, etiam in editis ſemper & apertis, & ad lucem: amat figuram Spiritus ſancti, nihil tenebris eruberſcit, niſi ſolummodo abſcondi.* Et cap. 1. dixerat. Valentiniani nihil magis curant, quàm occultare quod prædicant, ſi tamen prædicant qui occultant. Ita ipſe. In umbra Scripturæ ſeſe occultat ſerpens ille vafer, ipſum enim paradiſum intrat, & cum filiis Dei reperitur, ſed larvatus, & humana voce loquens, ut decipiat. Vincentius Lirinenſis Commonitorio 1. pro catholicæ fidei antiquitate c. 35. Tanto magis, ait, cavendi & pertimeſcendi ſunt, quanto be-

ſo ocenſtius ſub divinæ legis umbraculis latitant. Sciunt enim ſuos fœtores nulli ferè citò eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur, atque idcirco eos cœleſtis eloquii velut quodam aromate aſpergunt. Ita Vincentius. Hæreticorum ſpiritum vocat S. Ignatius epiſt. 14. ad Epheſios, [illegible], &c. *mendacem, fraudulentum, aſſentationis & adulationis amantem, ſubdolum, verſutum, conſarcinatorem, nugacem*, &c. Lupi quidem ſunt hæretici, ſed ſub pelle ovium. Matth. 7. v. 15. *Attendite* (Syrus, cuſtodite vos Græce, [illegible] id eſt, cum attentione cavete) *à falſis Prophetis* (id eſt, Doctoribus. Nam Propheta in Scriptura ſumitur pro Doctore, cantore, patratore miraculorum, viro pio & ſancto) *qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Vulpes ſunt hæretici, & vineam Eccleſiæ vaſtant. Cantic. 2. v. 15. *Capite nobis vulpes parvulos, quæ demoliuntur* (Septuaginta, exterminant. Symmachus, corrumpunt) *vineas: nam vinea noſtra floruit.* Septuaginta, Vineæ noſtræ [illegible], id eſt, germinant & florent inſtar cyprorum. S. Auguſtinus in Pſ. 80. Vulpes, inquit, inſidioſos, maximéque hæreticos fraudulentos ſignificant, doloſos, cavernoſis anfractibus latentes, & decipientes, odore retro putentes. Contra quem odorem dicit Apoſtolus 2. Cor. 2. 14. Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco. Iſtæ vulpes ſignificantur in Canticis Canticorum, ubi dicitur: Capite nobis vulpes puſillas exterminantes vineas, latentes in cavernis tortuoſis. Capite nobis, convincite nobis; capis enim eum, quem de falſitate convincis. Sic Auguſtinus. Ut à marietiam ſimile petamus. Hæretici ſimiles ſunt ſepiis, quæ infuſo prius atramento, quòd pro ſanguine illis eſt (ut ait Plinius lib. 9. cap. 29. aquas commaculant, quàm venationi piſcium inſiſtant. Tunc enim cæca in caligine ſtupentes invadunt ac devorant. Denique à ſerpente cum ceperimus, per ſerpentem deſinamus. S. Epiphanius hær. 65. Paulum Samoſatenſem comparat ſerpenti qui Dryinas appellatur. *Viperæ, ait, quoddam genus eſt, Dryinam vocant, illi hæreſis conatoris quàm ſimillimum. Quod in plurimum in herbis, aut quercubus delitеſcit: unde et Dryinæ nomen eſt; eò quòd arbores conſectetur, atque inter folia quæ ex arbore decidunt, jacens, cujuſque in ſe viriditatem exprimat. Ac licèt non adeò acerbum dolorem inurat hoc animal, tamen ſi diutius ei ut adhæſerit, lethum affert. Eodem prorſus modo hæreticus iſte, cùm ſecta ſua ad omnia ſeſe genera inſtitutorum applicans*, [illegible], *ſe quàm ſimillimum efficit. Nam & Chriſti ſi appellationem impoſuit, & Judæorum dogmata profitetur*, &c. Hæretici ſeſe omnibus inſinuant pro eorum moribus, ut facilius impellant incitatos. Mahometes ſe attemperavit Arabibus, Lutherus Germanis, Calvinus Gallis, cæteris nationibus & ſingulis hominibus quibuſcum verſantur, ut ſagittent in obſcuro. Hæc jaculatio ſerpentina & in obſcuro vix melius poteſt exprimi, quàm per Jaculum ſerpentem in arboris opacæ foliis latentem, & inde in viatores deſilientem ex improviſo. De illo Plinius lib. 8. cap. 23. *Vulgatum eſt Jaculum ex arborum ramis vibrari; nec pedibus tantùm pavendas ſerpentes, ſed & miſſili volare tormento.* Prius dixerat Ceraſtis in corpore eminere cornicula ſæpè quadrigemina: quorum motu, *reliquo corpore occultato*, ſollicitent ad ſe aves. Geminum caput amphisbænæ, hoc eſt, ad caput & caudam. Hæc quoque hæreticorum fraudis eſſe poſſunt ſymbola. Labia enim doloſa in corde, & corde loquuntur, modò rem unam aſſerunt, modo prorſus oppoſitam.

Itaque ſi orcui & ſagittis placet alia arma dare hæretico. Primò, aſſigna mendacium pro gladio ancipiti, quo omnes fallens omnes perimit, qui illi aures & jugulum præbent. S. Cyprianus epiſt. 49. ad Cornelium Papam agens de Novato, ſic eum depingit. *Curioſus ſemper, ut prodat; ad hoc adulatur, ut fallat; nunquam fidelis, ut diligat: fax & ignis ad conflanda ſeditionis incendia; turbo & tempeſtas ad fidei facienda naufragia, hoſtis inquietis, tranquillitatis adverſarius, pacis inimicus.* Gladius ſpiritus, id eſt, ſpiritalis, eſt verbum Dei. Epheſior. 6. verſu 17. gladius carneus & tartareus eſt verbum dæmonis, id eſt, mendacium. 3. Reg. 22. verſu 22. ait dæmon. *Ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus*, id eſt, Pſeudoprophetarum Achab regis Iſraël. Mendacium autem diabolicum gladius fuit, nam miſer ille rex eo deceptus interiit, & exercitus cæſus & fugatus eſt à Benadab rege Syriæ. Mendacium primum dæmonis omnes homines occidit, in mundum mortem inducens. Joan. 8. 44. *Ille homicida* (Arabs, occiſor hominum) *fuit ab initio* (mundi) *& in veritate non ſtetit* (id eſt, in vera citate non manſit, fuit mendax, ut Toletus & S. Irenæus lib. 5. cap. 22. & 23. exponunt. 2. in veritate, id eſt in integritate, rectitudine & perfectione: nempe in gratia, in juſtitia & ſanctitate, ut S. Auguſtinus, S. Chryſoſtomus, & S. Leo explicat: ſed Irenæum ſequere) *quia non eſt veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur* (ex iis quæ invenit, ut Origenes & S. Auguſtinus volunt. 2. extrinſecis & intimis animæ ſuæ penetralibus, ſumma animi propenſione, ut Cornel.) *quia mendax eſt, & pater ejus*, nempe mendacii. 29. *1. Hæretici gladius eſt mendacium.*

Secundò, Galea ſalutis, id eſt, ſalutifera, vitam & caput animæ ſervans (hoc eſt, finem & intentionem) eſt ſpes in Deo: galea autem orci ac Plutonis, qua te occultes ne noceas aliis & ipſe pereas, eſt hæretica præſumptio. Hoc vitium eſt innatum hæreſi, ut alta ſapiat. Leontius lib. in Neſtor. & Eutych. *Seipſos, inquit, ſapientes eſſe jubent, & ſunt tanquam ex juſſione & edicto prudentia præditi, quos eruditos eſſe effecit velle tantùm, ſicut eos quidem ex hominibus urbanis lepidè & venuſtè*, [illegible], *id eſt, ſummos philoſophos, vocavit.* 30. *2. Galea ejus eſt præſumptio.*

Tertiò, Lorica juſtitiæ, & ſcutum fidei protegunt fideles: hæreticis verò eſt infidelitas pro ſcuto & injuſtitia omnia jura humana & divina violans pro lorica. 1. Petr. 2. 16. *Velamen habentes malitiæ libertatem.* De Manichæis ait S. Cyrillus Jeroſol. catech. 6. *Gentiles non ſunt illis magis* [illegible] *odibiles; non Samaritæ magis athei: non Judæi magis impii: non adulteri, magis impuri.* De Luthero, Anabaptiſtis, Calvino, aliiſque, vide Spond. tom. 3. Annal.

Nota quintò, licèt hæretici ſagittent in obſcura Luna, id eſt, Eccleſia, tamen inſani ſunt qui Lunam ſagittis ſe poſſe impetere arbitrantur. Iſaias cap. 60. 20. prædixit. *Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.* Sol noſter eſt Chriſtus. Malach. 4. 2. Luna verò eſt Eccleſia. Pſalm. 88. 38. Hunc cœleſtem ſplendorem denotat Propheta in Pſalm. noſtr. cum ſubdit: *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes ejus.* De Eccleſia ait S. Chryſoſtomus tom. 3. hom. in verba Iſaiæ, Vidi Dominum, &c. [illegible], *Eccleſia cœlo ipſo firmius eſt fundata.* Itaque fruſtra hæretici nituntur illa fondamenta deſtruere, in Domino ac Deo cœli confidentium.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

Tria continet ſpei in Deum fulcra. Primò, Majeſtatis ejus conſiderationem. Verſu 5. Secundò, Providentiæ erga juſtos, ibid. Tertiò, Juſtitiæ in ſceleratos. Verſ. 6. uſque ad finem.

PARAPHRASIS.

5. *Dominus in templo ſancto ſuo: Dominus in cœlo ſedes ejus.*

5. Quidni confidam in Deo rege meo ac Domino, qui cœleſti in throno ſuo, velut in ſanctiſſimo templo reſidens, omnibus hoſtibus meis licèt potentibus eſt ſuperior, iſque pro nutu poteſt imperare & effrænem furorem comprimere.

Ea eſt

Oculi ejus in pauperem reſpiciunt, palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Ea eſt in tanta majeſtate benignitas, ut etiam pauperrimos, & omni humana ope deſtitutos aſpiciat, atque divinis radiis ſuis recreet: ea ſedulitas ac providentia, ut actiones omnium hominum attentiſſimè conſideret, eas judicaturus.

6. Dominus interrogat juſtum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

6. Illas autem actiones conſiderat tam in piis quàm in impiis, & ſingulos meritis præmiis afficit. Itaque qui amat & ex interno affectu operatur iniqua, ille ſeipſum odit, & in ſe cœleſtem vindictam provocat.

7. Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

7. Nimbi enim inſtar vehementis, ultio divina in ſceleratos irruet, eoſque ita implicabit & irretiet, ut ſe nequeant expedire. Sodomitis ſuppares ignis ardore, fœtore ſulphuris, venti procelloſi nunquam ceſſaturo turbine & tempeſtate, torquebuntur. Hæc omnia illorum erunt hæreditatis & mercedis particula.

8. Quoniam juſtus Dominus & juſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.

8. Quid enim aliud à Deo exſpectet impius, cum Deus ſit ipſa juſtitia, vitæque rectitudinem amet, ac benigno vultu aſpiciat & approbet?

QUÆSTIO UNICA.

Quanta curâ ſervis ſuis providet Deus contra impios eorum perſecutores?

31. Fiduciæ in Deum cauſæ quatuor. SECTIONE ſuperiori David fugiens Saulem, declaravit ſe in Deo ſpem ſuam ponere, nec timere ſagittas hoſtiles. Nunc illius fiduciæ quatuor cauſas aſſignat.

1. Primo, quòd Deus ſit omnium rex ac Dominus, in cœlis habitans: unde uno lapidum jactu, ipſorum gigantum capita poſſit obterere. Verſ. 5. *Dominus in templo ſancto ſuo; Dominus in cœlo ſedes ejus.*

2. Secundò, quòd Deus ſit cuſtos providus & oculatus ac pervigil, qui ſemper præ oculis ſuis oves habeat, Verſ. eod. 5. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt.*

3. Tertiò, quod Deus ſit examinator prudens omnium actionum cujuſlibet hominis, Ibidem. *Palpebræ ejus interrogant filios hominum.* Sive ſint juſti, ſive non. Verſ. 6. *Dominus interrogat juſtum & impium.* Unde rectè concludit ſceleratos ſibi ipſis nocere. Ibid. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.*

4. Quartò denique, quod Deus ſit judex ſeverus, impios puniens, Verſ. 7. *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Et Verſ. 8. clariſſimè. *Quoniam juſtus Dominus & juſtitias dilexit; æquitatem vidit vultus ejus.*

ARTICULUS I.

Deus eſt in cœlo, ſicut in templo ſuo, unde homines aſpicit.

UT firma in Deo ſpes collocetur, neceſſarium eſt ut juvare poſſit & velit. Poteſtatem declarat ejus majeſtas, voluntatem benevolentia erga pios ſeveritas erga impios.

Verſ. 5. 1. Pars. 32. Prima cauſa ſpei in Deum eſt ejus majeſtas. Majeſtatem divinam, ut ſupremi totius orbis Domini, aperit Propheta, cùm eum in excelſiſſimo ejus loco thronum regium occupantem deſcribit, Verſ. 5. *DOMINUS IN TEMPLO SANCTO SUO* (ſupple, eſt, habitat, ſedet) *DOMINUS IN CÆLO SEDES EJUS.* id eſt, Dominus ſedes eſt in cœlo. Eſt Hebraiſmus. Solent enim Hebræi nomen antecedens ponere in nominativo, ipſius verò relativum in genitivo, ut jam aliàs monui. Sic Pſal. 56. verſ. 5. habetur. *Filii hominum dentes eorum arma* (Hieronymus lanceæ) *& ſagittæ*, id eſt, illorum hominum (hoc eſt, hominum) dentes ſunt inſtar armorum atque ſagittarum per detractiones, contumelias, fraudes, jocos, blaſphemias, imputitates famam meam & animam vulnerantium. Et Pſal. 102. 15. *Homo, ſicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri ſic efflorebit*, id eſt, dies hominis cujuſlibet ſunt ſicut fœnum, quod citiſſimè areſcit. S. Hieronymus aliter diſpungit & vertit: *Homo quaſi herba: dies ejus ſicut flos agri ſic efflorebit.* Sed noſtra verſio bona eſt ac retinenda. Non tantùm Hebræi ponunt relativum in genitivo, ſed etiam in alio caſu, & antecedens in nominativo, ut Matth. 12. v. 36. *Dico autem vobis, quoniam* (quod) *omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem* (Arabs, reſponſum) *de eo in die judicii*, id eſt de omni verbo otioſo, &c. reddent rationem. Non video tamen cur Lorinus ad has loquendi formulas revocet ea quæ ſequuntur in Pſalmo noſtro. Oculi ejus in pauperem reſpiciunt, palpebræ ejus interrogant filios hominum. Item, Juſtus Dominus, & juſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus. Præterea illud Lucæ 1. v. 49. Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. Nam hæ locutiones ſunt maximè latinæ, & explicatu faciles.

Quæres, Quodnam eſt illud templum, in quo Deus eſſe dicitur ac ſedere? Reſpond. primo cum Theodoreto, Theodoro Antiocheno, Euthym. Titelmanno, Clario, Oſorio, Cajet. Aria, & aliis, per templum intelligi materiale templum, id eſt, tabernaculum Moſaicum, aut etiam ipſum templum quod jam animo David prævidebat & extruere decreverat. Ibi enim Deus habitabat ſpecialiter, in propitiatorio, velut throno, ſuper alas Cherubim reſidens, & inde reddens oracula. 33. Templũ Dei eſt 1. Locus materialis, ubi colitur.

Secundò, & meliùs, cum S. Hieronymo, ſancto Gregorio, Lyrano, Petavio, Bellarmino, Magn. Janſenio, Agellio, Genebrardo & aliis, per templum intellige cœlum ſupremum, quod eſt templum non manufactum. Itaque ſecunda pars, *Dominus in cœlo ſedes ejus*, eſt explicatio prioris. Per Dominum denotari Filium vult Chaldæus cùm vertit, verbum Domini. Valentia autem, Patrem æternum. Ego totam Trinitatem accipio, cur enim Spiritus ſanctus excluderetur cùm de ſanctitate & loco ſancto agitur, cùm illi ſanctificatio tribuatur. Et quidem ter repetitur vox Domini, ut Trinitas perſonarum declaretur, *Dominus* (Pater) *in templo ſancto ſuo: Dominus* (Filius) *in cœlo ſedes ejus. Dominus* (Spiritus ſanctus) *interrogat juſtum & impium.* Aliter poſſis hæc diſtribuere. 2. Cœlũ.

Quæres ſecundò, Cur cœlum vocetur templum? 34. Cœlum vocatur templũ, & cur.

Primo, quia templum propriè eſt locus vel in cœlo vel in terra deſignatus ab augure: à *tuendo*, id eſt, contuendo ſeu conſpiciendo dictus, quòd, ſicut dicit Donatus, ex omni parte vel ex eo omnis pars poſſit aſpici. Hoc autem primum cœlo competit, quia ipſum primo tuemur, id eſt, intuemur. Unde Ennius cecinit: *Contemmit templum magnum Jovis altitonantis.* Templum Jeroſolymitanum erat in monte ſitum, ut qui ex imo valle illud aſpicerent, ſimul cœlum viderent, & ſcirent preces in templo & ſacrificia eſſe viam in cœlum. 2. ut ibi poſiti liberius ac ſine ullo obſtaculo cœlum contemplarentur. 3. ut inde terram ſibi ſubjectam deſpicerent ac pro nihilo reputarent. Sæpe etiam Chriſtiani templa in excelſis locis poſuerunt, & Pagani; unde etiam ſacella idolorum ſæpe vocantur excelſa in Scripturis. Primo.

Secundò, cœlum eſt templum, quia eſt ab omni cultu profano remotum. Apoc. 21. 27. *Non intrabit in eam* (cœleſtem civitatem Jeruſalem) *aliquid coinquinatum*, id eſt, aliquis coinquinatus. Arabs reddit, Non intrabit in eam mendax: practicè ſcilicet mendax, id eſt, ſceleratus. Nam eſt mendacium oris, cordis & operis, ut dixi Pſal. 7. Debebant ſacerdotes Judæi lavare pedes & manus, id eſt, affectiones & operationes, in labro ſeu concha & vaſe æneo, quod erat inter altare holocauſtorum & tabernaculum ſive templum propriè dictum, antequam intrarent ad offerendum thymiama ſeu incenſum in altari thymiamatis, quod erat in Sancto, id eſt, in prima parte tabernaculi Moſaici ſeu templi Salomonis. S. Anno Archiepiſcopus Colonienſis à cœlo, ubi S. Heribertus, Arnulphus, Bardo, aliique Epiſcopi apparebant glorioſi, ſibique ſolium auguſtum paratum videbat, excluditur, eò quod veſtem ejus cæteroqui pulcherrimam turpis macula fœdaret. Macula autem illa erat memoria injuriæ ſibi illatæ à civibus Colonienſibus, qui eum Colonia expulerant. Evigilans ergo pœnituit, civeſque à ſe excommunicatos boniſque ſpoliatos abſolvit, boniſque reſtituit, ut tradit Lambertus Schafnaburgenſis in hiſt. German. anno 1075. Secundò.

Tertiò,

Tertiò, Tertiò, Cœlum eſt templum, quia ibi manet Deus, & ſua reddit oracula, ſeque videndum exhibet, longè magis quàm in propitiatorio arcæ, quæ erat in Sancto Sanctorum, id eſt, in loco ſanctiſſimo templi ſeu tabernaculi, ubi nulla erat feneſtra, & quò cùm ſemel in anno penetrabat ſummus Pontifex in die expiationis (id eſt, purgationis & emundationis generalis tabernaculi, & totius populi, decima die menſis ſeptimi, hoc eſt, Septembris) debebat ſtatim thus offerre, ut nube illa thurifera impediretur, ne videret Angelum ſedentem vice Dei in propitiatorio, ne moreretur. Levit. 16. 13 & quidem ait Deus, id eſt, Angelus ejus vicarius. Verſu 2. *In nube apparebo ſuper oraculum*, id eſt, ſuper propitiatorium. q. d. mihi formabo corpus aërum, & ſedebo ſuper arcam in propitiatorio, ſuper alas duorum Cherubim aureorum, qui in ea ſtant ex utraque parte, arca autem erit ſcabellum pedum meorum. Deinde in Sancto ſanctorum nulla erat lucerna, ſed candelabrum aureum ſepticeps erat in Sancto. Tertio, cùm Pontifex ingrediebatur Sanctum ſanctorum, ne alii quidem ſacerdotes poterant manere in Sancto, ne vel minimam partem illius viderent. At verò in cœlo empyreo eſt lux æterna & nunquam extinguenda ipſe Deus & Agnus, non jam in nube & per Angelum apparens, ſed *ſicuti eſt*, 1. Joan. 3. 2. & *facie ad faciem*. 1. Cor. 13. 12. & quidem *revelatâ facie*. 2. Cor. 3. 18.

Quartò. Quartò, Cœlum eſt templum, quia eſt locus laudibus Dei deputatus. Sic in cœlo, ut templo vidit Iſaias Deum, & Seraphim alternis choris ei accinentes, *Sanctus ſanctus, ſanctus* (Pater, Filius, ac Spiritus ſanctus) *Dominus Deus exercituum* (cœleſtium, & terreſtrium) *plena eſt omnis terra gloriâ ejus.* Totam Trinitatem David noſter contemplatur & prædicat, ut vidimus, & Iſaias etiam, ut docent Tolet. & Maldon. in cap. 12. Joan. neque tantum per concomitantiam unius perſonæ, putà Patris; ſed per ſe, primariò, directè & expreſſè. Quòd autem cœlum Iſaias viderit inſtar templi, patet c. 6. verſ. 1. *In anno quo mortuus eſt Rex Ozias* (qui & Azarias dicebatur, & regnavit annos 52.) *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, & ea quæ ſub ipſo erant*, (Hebr. שוליו *ſulau*, id eſt fimbriæ ejus, hoc eſt veſtium ejus) *replebant templum*, non Salomonis, ut putavit Pradus in prima viſione Ezech. ſect. 6. ſed cœli, ut Cornelius exponit. In cœlo enim vidit templũ auguſtum, quod tamen erat ſimile templo Jeroſolymitano. Unde vidit in eo altare, & Solium Dei inſtar propitiatorii, id eſt, aurei operculi arcæ, & Seraphinos inſtar Cherubinorum Moſaicorum ex auro, & Salomonicorum ex olea, qui in Sancto ſanctorũ erant ex utraque parte arcæ.

Quintò. Quintò, Cœlum eſt templum, quia in cœlo Sancti orant pro nobis, ut vidit S. Joannes Apoc. 4. vidit enim in cœlo templum, vel potius ipſum cœlum empyreum, velut templum pulcherrimum ſimile Salomonico: conſpexit enim ibi thronum inſtar propitiatorii, ſeptem lampades inſtar candelabri aurei, mare vitreum pro mari æneo, animalia pro Cherubinis. Et cap. 5. *Cùm aperuiſſet librum* (Agnus id eſt Chriſtus, Apocalypſim) *quatuor animalia* (quatuor Angeli, qui repræſentabant quatuor Cherubim Sancti ſanctorum: duos ſcilicet aureos Moſis, & duos oleaginos Salomonis) *& viginti quatuor ſeniores* (principes, in templo erant 24. principes Sacerdotum, qui in vice ſua omnibus præerant, omniaque in templo dirigebant, ſupremi claſſis ſuæ Sacerdotes, quia erant 24. familiæ ſacerdotales ex Eleazar & Ithamar filiis Aaron procedentes, qui ſic diſtributi non per ſe, ſed per Sadoc & Achimelech) *ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas & phialas aureas, quæ ſunt orationes Sanctorum*: id eſt, ſymbolum ſunt orationum quas Sancti fundunt: ſunt eorum orationes ſuaviſſimum thymiama & ſuffitus Deo. In cœlo non ſunt phialæ aureæ, ad offerendas orationes; ſed hæc viſio S. Joannis erat imaginaria, non realis.

Dices, S. Joannes deſcribens ſanctam civitatem

35. Cur in cœlo non viderit templũ S. Joan. Jeruſalem, ait Apocal. 21. 22. *Templum non vidi in ea, Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt & Agnus.* Reſp. non vidiſſe tunc S. Joannem locum ullum ſpecialem, qui templum eſſet, quia tota illa civitas eſt templum: Nam ubique Deum omnes tuentur, id eſt intuentur. Et hoc eſt quod dicit, Dominus Deus templum illius eſt, id eſt, in ſeipſo ubique videtur à Beatis Deus, & in ſeipſo, ut loquitur Cornelius, majeſtatem omnem templi continet, eamque quaſi omnipotens totam Beatis fruendam & poſſidendam communicat. Pari modo Agnus & templum Beatorum: tum quia Chriſtus quà Verbum eſt Deus, Deoque Patri æqualis: tum quia quà homo, ſua gloriâ animæ & corporis mirè recreat Beatos, ab eiſque quaſi Salvator & Redemptor colitur & adoratur. Alcazar Chriſtum hominem comparat Sancto: Deum autem Sancto ſanctorum. Supervacaneum ergo in cœlo eſt templum, ubi Dei & Chriſti claritas immenſa Beatos tenet in ſui contemplatione defixos, ita Cornelius.

Nota, cùm dicitur hic *Dominus in templo ſancto ſuo*, in textu Hebr. Chald. Syr. Arab. pro templo eſt היכל *hecal*, quæ vox licèt ordinariè ſumatur pro Sancto, id eſt prima templi parte, in qua erat altare thymiamatis, menſa panum propoſitionis & candelabrum (ſicut Sanctum ſanctorum vocatur דביר *debir*, id eſt, oraculum: ubi erat arca cum propitiatorio & Cherubinis) tamen ſæpè ſignificat, totum templum, quatenus continet & Sanctum, & Sanctum ſanctorum. Propter י *jod*, ait Mercerus, ſunt qui reducant ad radicem יכל *jocol*, id eſt, potuit, quòd hoc nomine Baſilica ſeu Regia, Aula Atrium, Palatium ſignificetur, ubi Rex aut Dominus aliquis prævalet, potenter regnat aut dominatur. Hinc & tabernaculum fœderis ſeu conventus, & poſteà templum Salomonis hoc nomine dictum eſt, quod ibi tanquam in aula peculiarem Deus majeſtatis ſuæ præſentiam & potentiam exhiberet & declararet. 36. היכל

Franciſcus Raphelengius in lexico Arabico ait *hecal* ſignificare majeſtatem & præſentiam Dei. Illa autem ſe maximè in templis. & in cœlo præſertim oſtendit. Syr. autem & Chald. *hecal* etiam ſignificat templum & palatium, ut ait Joannes Buxtorfius. Itaque eâ ſe reverentia in templis gere, qua coram Rege in throno ſuo regio ſedente aſtantibus principibus, & Deum Regem in cœlo contemplare orbi dominantem, pios tutantem, coram quo ne hiſcere quidem audeat vel poſſit ſceleratus, Habacuc 2. 20. *Dominus in templo ſancto ſuo, ſileat à facie ejus omnis terra.* Eſt metalepſis. Sileat, id eſt timeat, revereatur, honoret, colat, obſtupeſcat. Arabs vertit, *timeat ante eum univerſa terra.* Syrus, contremiſcat coram eo. Septuag. revereatur enim omnis terra, id eſt, omnis homo. 2. Præſertim homo terrenus & peccator. 3. Omnes creaturæ, & ſic erit ſynecdoche & catachreſis. Antiochus Epiphanes, licèt impius, à Deo tamen percuſſus dicebat, 2. Mach. 9. 12. *Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire*, & Nabuchodonoſor à ferina forma & vita ſibi reſtitutus, clamabat, Dan. 4. 31. & 32. *Ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum levavi, & ſenſus meus redditus eſt mihi* (quamdiu oculos in cœlum non levavit, beſtia fuit) *& altiſſimo benedixi, & viventem in ſempiternum* (Chald. viventem ſæculorum, id eſt, per infinita ſæcula. Syri Deum nuncupant gigantem ſæculorum, qui ſcilicet ſua æternitate major eſt omni duratione, ut dixi aliàs,) *laudavi & glorificavi: quia poteſtas ejus poteſtas ſempiterna, & regnum ejus in generationem & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt: juxta voluntatem enim ſuam facit tam in virtutibus* (חיל *hel*, id eſt exercitu, ut vertit Pagnin) *cœli, quàm in habitatoribus terræ: & non eſt qui reſiſtat manui ejus* (vel nutu aliquid deſignantis, & digiti motu tantum abeſt, ut quis fulmini poſſit reſiſtere) *& dicat ei: Quare feciſti?* Et verſ. 34. ſubjicit: *Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico glorifico Regem cœli, &c.* Unde rectè colligunt S. Epiphanius in vita Danielis. Lyranus, Dyoniſius Card. probabiliter habuiſſe contritionem de peccatis, juſtificatum fuiſſe & ſalvatum, cum paulo poſt ſit mortuus. Cur Deus in cœlo dicatur habitare, dixi Pſ. 2. 4. Qui habitat in cœlis, irridebit eos. Vide ibi dicta.

Allegoricè. *Dominus in templo ſancto ſuo*, id eſt, 37.
in Eccleſia. q. d. Propheta. Quamvis vos hæretici Alleg.
averſemini Eccleſiam, tamen Dominus in templo Eccleſia
ſancto ſuo ſedet, & in templo erit; hoc eſt in Ec- eſt Chri-
cleſia, 2. Corinth. 6. 16. Vos eſtis templum Dei ſti tem-
vivi. Dominus in templo ſancto ſuo: id eſt in Ec- plum.
cleſia, quam ſibi exhibuit ſanctam. Ita S. Hieron. Templum Dei violat, qui violat Eccleſiæ unitatem, ut ait S. Auguſt. id autem faciunt hæretici, de quibus eſt hic pſalmus initio. Secundo, Templum ſanctum Dei, ait Lyranus eſſe humanitatem Chriſti: quia ut ait Paulus Coloſſ. 2. 9. *in ipſo inhabitat* (κατοικεῖ, habitat permanenter) *omnis plenitudo divinitatis* (id eſt, plena & tota divinitas) *corporaliter*, id eſt realiter ac ſubſtantialiter: per unionem veram, propriam, realem, & ſubſtantialem: non

vero

verò phantaſticè; ut docuerunt Manichæi: non tantum per accidens, nempe per motum atque operationem, ut Neſtoriani: non umbraticè, ſicut ſediſſe in propitiatorio arcæ Judaicæ diximus ſuprà.

38\. *Trop. Templum eſt anima juſti 1. quia eſt Deo conſecrata.*

Tropologicè. Caſſiodor. Beda, Remig. Gloſſa, Ugo Cardin. & alii, per templum & cœlum intelligunt animam juſti: quæ quomodo ſit cœlum, dicam Pſ. 18. 1. Eſt vero templum primò, quia eſt conſecrata Deo, 1. Corinth. 3. 17. *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* cap. 1. 2. & 3. eos ſic ſalutat: *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto JESU, vocatis ſanctis* (id eſt vocatione ſanctis, vocatis ad ſanctitatē, Syrus vertit, vocatis & ſanctis) *Gratia vobis & pax* (ſit) *à Deo Patre noſtro, & Domino JESU Chriſto.* Lege S. Bern. ſerm. 1. de Dedicatione templi & materialis, & ſpiritalis.

2. In ea Deus ſpecialiter habitat.

Secondò, Deus ſpeciali modo in tabernaculo Moſaico & templo Salomonis, & longè magis in noſtris ſe præſertim exhibere eſt dignatus. Ita in anima juſti, ut oſtendi aliàs. Et Paulus mox cit. 1. Corinth. 3. 17. docet: *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* per fidem, ſpem, charitatem, gratiam, virtutes omnes ac dona ſua, ut S. Anſelm. & cæteri exponunt.

3. Ibi eſt altare holocauſti, per jugem mortificationem.

Tertiò, in tabernaculo ſeu templo erat altare holocauſtorum, ubi victimæ Deo offerebantur in igne perpetuo. Ita mortificatio victimas offert in anima juſti per ignem charitatis, ſive igne afflictionis. 1. Rom. 12. 1. Obſecro itaque vos fratres, *per miſericordiam* (Græc. διὰ τῶν οἰκτιρμῶν, id eſt, per miſerationes) *Dei, ut exhibeatis* (παραστῆσαι, id eſt, ut ſiſtatis, ſicut vertit Syrus) *corpora veſtra hoſtiam viventem*, id eſt, charitate formatam, ut aliqui explicant: vel potius, viventē per viva opera novæ viæ ſpiritualis, nempe per opera charitatis, eleēmoſynæ, orationis, & aliarum virtutum, ut Origenes, & S. Chryſoſtomus exponunt. *ſanctam, Deo placentem, rationabile* (moderatum & rationabile, non nimium, ut ait S. Thomas) *obſequium veſtrum* Pſ. 50. 18. declarat David, illud animæ ſacrificium Deo eſſe acceptius, quàm ſacrificia illa cruenta, ait enim: *Si voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus* (id eſt, ut explicat Petavius, ſpiritus dolens de peccatis eſt Deo inſtar omnis ſacrificii) *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Eſt Mioſis, ſeu imminutio: parum enim dicitur, & multum intelligitur. Non deſpicies, id eſt, recipies cum affectu & magna charitate, ut patuit in prodigo. Luc. 15. 20. & ſeq.

39\. *4. Ibi eſt labrum æneum, pœnitentiæ, quæ animam purificat.*

Quartò, in tabernaculo Moſaico erat labrum æneum, & in templo Salomonis mare æneum, de quo 3. Reg. 7. 23. dicitur: *Fecit quoque Salomon mare fuſile, decem cubitorum à labio uſque ad labium, rotundum in circuitu, quinque cubitorum altitudo ejus.* Mare vocat concham ingentem, quæ magnā vim aquarum capiebat, ad manus & pedes Sacerdotum (hi enim nudis pedibus miniſtrabant in templo) aqua inde profluente abluendum. Unde vocatur *Luter*, id eſt, lavacrum à fine & uſu, ſed à capacitate hic vocatur *mare*, idque *fuſile*, id eſt fuſum ex ære. Erat *rotundum*: unde diameter ejus erat decem cubitorum à labio uſque ad labium, id eſt, ab uno extremo peripheriæ, uſque ad aliud ei oppoſitum: altitudo ejus erat quinque cubitorum. Rurſum inſiſtebat duodecim bobus ex ære fabrefactis, qui vultibus ſuis reſpiciebant quatuor mundi plagas. Adde, huic mari, ſive conchæ, inſculptæ erant effigies Cherubim, leonum, boum, & palmarum. Denique mare hoc erat in atrio Sacerdotum juxta altare holocauſtorum, ita Cornel. Per illud mare pœnitentiam rectè accipies, ſicut per labrum ſive luterem æneum Moſis ſumpſit S. Gregor. homil. 17. in Evang. & Beda lib. 3. de Tabernaculo, cap. ult. Et quidem primò dicitur mare ob amaritudinem pœnitentiæ. 2. Fuſile, ob laborem inflectendi mentem, & domandi pravos habitus. 3. Decem cubitorum, quia lavat omnia peccata in Decalogum admiſſa. 4. Rotundum in circuitu, quia debet eſſe perfecta, & de omnibus peccatis. 5. Quinque cubitorum altitudo, quia quinque ſenſus purgat. 6. Totum eſt æneum, ob conſtantiam & robur mentis. 7. Ponitur ſupra duodecim boves æneos, quia domat undecim paſſiones & amorem proprium eas exacerbantem & inficientem, atque in obſtinatione confirmantem. 8. In mari hoc erant inſculptæ effigies *Cherubim*, ob prudentiam, quæ debet dirigere pœnitentiam: *Leones*, ob juſtitiam quam ſumit de peccatore: *boves*, ob temperantiam: *palmæ*, ob fortitudinem, quā victoriam obtinet. 9. Mare illud erat prope altare, quia à Deo petenda eſt efficacitas pœnitentiæ.

40\. *5. Eſt candelabrum fides, & menſa ſpei.*

Quintò, In Sancto ipſo erat primò candelabrum aureum cum ſeptem ſuis lucernis, id eſt, fides cum ſeptem donis Spiritus ſancti. Secundò, menſa aurea, cui ſuperponebantur duodecim panes propoſitionis (id eſt, qui ante Deum in propitiatorio reſidentem ponebantur: qui etiam dicebantur panes facierum, quia erant poſiti ante faciem & conſpectum Dei (erat ſymbolum ſpei, quā à Deo nobis neceſſaria ad cibum & ſpiritualem & corporalem expectamus, & ſymbolum duodecim fructuum Spiritus ſancti: ponebantur enim ibi ſingulis ſabbathis calidi panes duodecim, qui manebant totā ſeptimana) id eſt totā vitā noſtrā, quæ repetitis ſeptimanis volvitur.

Et altare aureum charitatis.

Tertiò, in Sancto erat altare aureum, ubi quotidie manè & veſperi offerebatur ſuffitus ſeu thymiama factum ex ſtacte, id eſt, myrrhæ prima gutta, onyche, Galbano & thure ſimul confuſis: pœnitentia perfecta habet auream charitatem cum oratione contrita. De illis fusè Pſalm. 140. 2. & alibi.

41\. *6. Arca aurea, id eſt obſervatio legis. Urna habens manna id eſt, Euchar. Cherubim, id eſt contemplatio Dei.*

Sextò denique. In Sancto ſanctorum erat arca aurea intus & foris legem continens. Pœnitentia perfecta non tantùm emendat præterita, ſed totam legem in poſterum ſervare proponit, cum ſapientia quam aurum figurat, & cum incorruptione in lignis etiam arcæ repræſentata: ſtatuit enim potius mori, quàm peccare. Secundò, ibi erat urna aurea continens manna. Pœnitentia ardorem ingenerat percipiendi manna cœleſte in Euchariſtia. Tertio denique, erant duo Cherubim aurei, ſedem Deo, id eſt, Angelo ejus vicario, facientes ſuis alis. Pœnitentia præparat mentem, ut Deum contempletur, cognoſcat, in animo collocet, eum retineat, cum eo colloquatur, eoque in æternum fruatur. Vide Riberam quem tibi intactum relinquo: de his agit lib. 2. de templo, cap. 17.

42\. *Vir juſtus eſt templū & cœlum.*

Ludolphus ait, virum juſtum eſſe *templum*, ob fidem: cœlum verò, ob contemplationem. Bruno, *templum* eſſe ob fidem in Deum, à quo noſcuntur corda rectè credentium poſſideri, *cœlum* verò, ob inhabitationem Dei in illis, quod Lorinus interpretatur de beatis in cœlo; ſed credo Brunonem loqui de Sanctis in hac vita, certum enim eſt, in cœlo longè præſtantiores fore cœlo. S. Thomas ait, virum juſtum eſſe *templum*, propter devotionem: *cœlum*, propter ſapientiam. Remig. autem ſic diſtinguit: *Fideles, ait, vocat David & templum, & cœlos; ſed minores poſſunt dici templum: majores, cœla.* Sinarum Regem domeſtici omnes eunuchi & nobiles fœminæ vocant *Chu*, id eſt dominum: vel *Thienzu*, id eſt, filium cœli. Semedo lib. 1. cap. 22.

Verſ. 5. 2. pars.

43\. Poſt majeſtatem Dei ac poteſtatem juvandi cognitam, videnda eſt ejus voluntas benigna ad juvandum. Hanc declarat Propheta verſ. eodem. 5. OCULI EJUS IN PAUPEREM RESPICIUNT: PALPEBRÆ EJUS INTERROGANT FILIOS HOMINUM. q. d. Dominus eſt in templo ſancto ſuo, nempe in cœlo, ibique toti orbi dominans ſedet in throno regio, non ſolùm rebus cœleſtibus, ſed etiam terrenis intentus, & abjectiſſimos quoque & ope deſtitutos aſpicit, ut eos adjuves: itaque nihil eſt, cur timeant arcus & ſagittas & pharetras aliaque arma hoſtium ſuorum. Ita Janſen. Angel. Bellarm. Foleng. Titelmannus, Petavius.

Benignis oculis Deus pauperes aſpicit.

Nota, in Hebr. Chald. & Syr. tantùm eſt, *oculi ejus reſpiciunt.* Theodoretus legit, ἐπιβλέπουσι τὴν οἰκουμένην, *reſpiciunt in orbem terræ.* Sept. verò, ἀποβλέπουσιν εἰς τὸν πένητα, *reſpiciunt in pauperem*: perinde quaſi omnis Dei aſpectus benignus ad pauperes & afflictos dirigatur, & Deus ſe orbi ſuccurriſſe cenſeat, cum ſubvenit pauperibus, *Tò, in pauperem* legit S. Chryſoſtomus, S. Baſilius, S. Greg. Nyſſen. orat. de paupert. amand. Origenes, Euſebius, Didymus, S. Auguſt. Arabs, & alii. Hunc autem pauperem intelligunt populum Chriſtianum Hiero. Auguſtinus, Bruno. De omni paupere accipe etiam cum Bellarm. Magn. Genebr. & aliis. De paupere ſpiritu exponit Joan. de Paſtura: Nullum excludo, ſed præſertim pauperibus ſpiritu Deus in cœlo ſedens providet, quia ſcit eorum eſſe regnum cœlorum, Matth. 5. 3.

44\. *Oculi pauperem*

Quæres, Quibus oculis Deus aſpicit pauperem? Reſp. 1. Suā providentiā. Oculi ejus reſpiciunt, id eſt, Deus omnibus providet, ait Mariana. Non cœ-

aſpicientes ſunt 1. Providentia. eſt iſta tantùm coram, ſed è ſupremo cœlorum conſpicit etiam quoſcunque homines, ac potiſſimum pauperes & afflictos: quorum etſi videatur aliquando oblitus, ipſe tamen eos conſiderat, & quæ illorum ſunt ab impiis tribulationes, & quæ ipſorum in malis tolerantia. Ita Janſenius: Lux ex illis oculis Dei emicat, & mentem recreat. Petavius vertit, [illegible] *Curam autem gerens, ad mendicum vertit oculos ſerenos.*

2. Miſericordia. Secundò, oculi Dei ſunt ejus miſericordia. Deus, ait Beda, miſericordiæ reſpectum exhibet circa pauperem ſuum ſalvandum. Et Remigius: *Sedet*, inquit, *in cœlo Deus, hoc eſt, in ſanctis, ſed quos ipſe oculos fecit reſpectu miſericordiæ ſuæ, non merito illorum.* Hoc viderat Propheta, cum dicebat, Pſ. 32. 18. *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum & in eis qui ſperant ſuper* (Tertull. lib. 2. contra Marcion. cap. 19. legit *in*) *miſericordia ejus* (facile equitat, quem gratia Dei portat) *ut eruat à morte animas eorum.* Pſal. 33. 16. *Oculi Domini ſuper juſtos: & aures ejus in preces eorum.* De auribus dixi, Pſ. 9. 12. & 41. De oculis, Eccl. 34. 15. dicitur: *Spes illorum* (timentium Deum) *in ſalvantem illos, & oculi Dei in diligentes ſe.* De Sponſa, id eſt, anima ſancta, ait Sponſus, Cant. 9. 4. *Vulneraſti cor meum* (Sept. [illegible]) id eſt, ex corde aſtinos Vatabl, abſtuliſti mihi cor. S. Ambroſ. in Pſ. 118. ſerm. 16 Cor meum cepiſti. R. David, transfixiſti mihi cor) *ſoror mea ſponſa vulneraſti cor meum in uno* (per unum) *oculorum tuorum.* Id eſt, per cor mundum, ut explicat Aponius: in cura ſalutis. ut Richard. à S. Victore: in contemplatione cœleſtium, ut Theodoretus: in intentione rerum ſpiritualium & æternarum, ut Juſtus Orgelitanus: in ſtudio virginitatis, ut S. Hieron. lib. 1. in Juvinianum. De ſponſo dicat Sponſa, ſe in uno ictu oculi miſericordiæ ejus ſpem & amoris flammam concipere Lombardus Epiſc. Pariſienſis, ſententiarum magiſter cognominatus, in Pſalmo noſtro, ait: *Reſpectus Dei, & auxilium, & lux ſua eſt. Et ideò non ſunt timendi tumultus tribulationum qui in ratibus ſunt, antequàm ad littus æternitatis veniatur.* Oculos Dei ait eſſe ejus miſericordiam: In fluctibus ac tempeſtate ſumus, ſi Chriſtus nos aſpicit, ut ſtella polaris, non tantum portum videmus, ſed etiam ſecuri tenemus. Aſpiciendo enim juvat, & ad navem intrat pauperum Apoſtolorum, etiam cùm fluctuat de nocte, Marc. 6. 51. Illuſtre eſt quod refert Sponden. an. 1527. de Petro Cordubenſi Ord. S. Dominici, qui in Hiſpaniolam inſulam miſſus, multis Indorum ad Chriſti fidem converſis, plurimiſque monaſteriis & Eccleſiis ædificatis, provinciam S. Crucis ibi condidit. Aliquando navi omni apparatu nautiſque vacua, Chriſto Domino & S. Dominico, altero in prora, altero in puppi apparente, ducentas leucas ſpatio viginti quatuor horarum confecit. De ſene quodam, & Chriſto ducente ejus navem, aliàs rem adhuc admirabiliorem attuli.

45. 3. Providentia & miſericordia ſimul. Tertio, & melius, Dionyſius Carth. duos oculos dat Deo nempe miſericordiam, & providentiam ejus. Hi ſunt oculi columbæ, quæ ſedent ſuper (id eſt juxta) aquas, hoc eſt, afflictiones juſtorum, ut in iis formam ſuam imprimant, & ſua memoria doloré molliant, atque opem afferant. Cant. 5. 12. ait Sponſa Sponſum alloquens: *Oculi tui ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ*, (hoc eſt, quæ ſunt candidiſſimæ atque puriſſimæ, perinde ac ſi eſſent ablutæ lacte, & lacteum candorem imbibiſſent) *& reſident juxta fluenta pleniſſima.* Noto, vox *columbæ* non eſt genitivus ſingularis, ſed nominativus pluralis, ut patet ex Hebræo יונים *jonim*, & Græco [illegible]: unde & ſubditur, quæ lacte ſunt lotæ in plurali, non quæ lota eſt. Comparantur ergo oculi ſponſi duabus columbis, quæ reſident ſuper rivulos aquarum, & fluenta pleniſſima: tum quia columbæ delectantur aquis, ut in iis ſeipſas velut in ſpeculo ſpeculentur, utque iis ſe abluant: ſunt enim nitoris amantiſſimæ. tum ut in iis videant umbrã accipitris, itaque ejus ungues avolando effugiant: tum quia oculos in ſuo orbe & cavitate humida reſidens & innatans, ſimilis eſt columbæ reſidenti & innatanti aquis, ex orbe enim hoc oculorũ ſtillant lacrymæ, ceu aquæ ex fonte. Unde Hebræum עין *ain*, tam oculum quàm fontẽ ſignificat. Quod enim fons eſt in terra, hoc in homine eſt oculus: ille ſtillat aquam, hic lacrymas: ille orbicularis eſt, hic rotundus: Dicit ergo, oculos ſponſi explere ſignificatũ nominis ſui *ain*, quia ſimiles ſunt fonti: Nam in urbe ſive cavitate ſua natant quaſi aquæ in fonte, ex eoque aquæ lacrymarũ emanant. Ita Cornelius: Malim nunc dicere, oculos Chriſti eſſe fontes miſericordiſſimæ pietatis & providentiæ erga omnes quos aſpicit, ut patet in Samaritana quam vidit, cùm ſederet ſupra fontem, Joan. 4. 6. *Erat autem ibi fons Jacob* (prope Sichar, id eſt, Sichem, ubi fuit corrupta Dina filia Jacob à Schem filio Hemor, nunc vocatur Peloſa vel Napoloſa Jacob foderat puteum, qui hic fons dicitur. Ut enim ait S. Auguſt. Omnis puteus eſt fons, non autem omnis fons eſt puteus: & Feſtus dicit fontem appellari à fundendo, quòd effundat aquas) *Jeſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Suprà, id eſt, juxta, vel certè omnino ſupra lapidem puteo circumpoſitum. Venientem autem Samaritanam miſericordiæ aquà ſaliente in vitam æternam potavit & ſalvavit. Hæc eſt aqua viva ex fonte vivifico fluens. Erant oculi Jeſu ſicut columbæ, quæ lacte ſunt lotæ juxta fluenta pleniſſima, cùm Petrum & Andream ad ſe vocavit, Matth. 4. 18. *Ambulans autem Jeſus juxta mare Galilææ*, id eſt, mare Tiberiadis, ſeu lacum vel ſtagnum Geneſareth ſic enim etiam vocatur, & adjacet urbi Capharnaum, in qua Chriſtus domum habebat) *vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare* (omnia ſua mari-mandi committentes) *erant enim piſcatores. Et ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Quàm potens fuerit hic aſpectus, ſubditur verſ. 20. *At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Potentior adhuc fuit in Joanne & Jacobo, nam retia, navem & patrem reliquerunt, verſ. 21. Et in Matthæo telonario, Matth. 9. 9. qui multam pecuniam reliquit. & in Zachæo, Luc. 19. 8. qui dimidium bonorum ſuorum dedit pauperibus, & ſi quid defraudaſſet, reddit quadruplum. Et in ipſo Petro ad pœnitentiam aſpectu provocato. Luc. 22. 61. *Et converſus Dominus reſpexit Petrum* (qui eum negaverat etiam cum execratione) *& recordatus eſt Petrus verbi domini, &c. & egreſſus foras flevit amarè.* Oculis Jeſu miſericordis has aquas & torrentes elicuit, & eum impetu fluere fecit.

Non tantùm Chriſtus aſpicit juſtos, ut eos illuminet & recreet, foveatque, ſed etiam impios, ut opera tenebrarum aperiat & confundat, verſ. eod. 5. Verſ. 5. 3. Pars. 46.
PALPEBRÆ EJUS INTERROGANT FILIOS HOMINUM, id eſt, de veteribus regeneratos per fidem, ut S. Auguſt. explicat: id eſt, ait Beda, qui per pœnitentiam veteris hominis ſunt regenerati in novum hominem: hoc eſt, bonos ut ait Lombardus. Secundo, *filios hominum* intelligit plebeios & ignobiles, Mariana: & probat, quia in Hebræo eſt *filios Adam*. Tertiò, melius Euthymius *filios hominum* ſimpliciter intelligit omnes homines tam bonos quàm malos. Huic malim hærere, quàm Magnetio, qui de malis tantùm exponit. Nam 1. ſequitur, *Dominus interrogat juſtum & impium*, quod videtur explicatio iſtorum verborum, *Palpebræ ejus interrogant filios hominum.* 2. Filii hominum ut Syr. Arab. Hier. Noſter, Muſius, ponuntur pro hominibus, ſicut filii Achivorum pro Achivis. Felix vertit, filios hominis, id eſt, Adami.

Palpebræ 3. ſignificant. Nota, Palpebræ tria poſſunt hic ſignificare. Primò, oculos, & erit ſynecdoche. Ita S. Greg. Nyſſ. & Bellarm. 2. Palpebras alii ſumunt pro ciliis, id eſt, pro pilis qui ſunt in extremitate palpebræ. Tertiò, palpebræ ponuntur pro ipſis genis cum pellibus oculos tegentibus. Tull. ait in Piſonem. M. Regulus, quem Carthaginenſes reſectis palpebris vigilando necaverunt. Et lib. 2. de Nat. deorum: Munitæque ſunt palpebræ, tanquàm vallo pilorum. Dictas cenſet eſſe palpebras Caſſiod. & Bruno, à palpitando, id eſt, tremendo; aliqui à palpando hoc eſt prætentando, derivant. Eas enim natura dedit hominibus, velut quoddam vallum oculorum, & prominens munimentum contra occurſantia animalia, vel alia fortuitò incidentia. Ab Hebræis palpebræ vocantur עפעף *aphaph*, à celeri vibratione ac motu. Rad. עיף *aph*, volare. Significat enim *aphaph* fulgorem, claritatem ſplendorem, papillam oculi, ut ait R. David in lib. Rad. & Pagn. in theſauro. Sic Job 41. 9 de Leviathan dicitur: *Sternutatio ejus, ut ſplendor ignis, & oculi ejus, ut palpebræ* (Hebr. *aphaphe*, id eſt, ſplendores, ut vertit Pagn.) *diluculi*; id eſt, auroræ, ſicut Aria. & Pagn. habent.
1.
2.
3.

47. Interrogare. Quæres, Quid eſt Deum *palpebris interrogare* filios hominum? Reſp. 1. pro *interrogare* eſſe in Hebr. & Chald. בחן *bahan*, id eſt, probare, ut vertit Muſius, Felix, Pagn. Arias, S. Hier. Item Syr. בחר *bevar*,

bahar, probare, explorare, animadvertere, perſpicere contueri, attentè intueri. Inde *voir* Gallis non malè deduces. Lorinus & Agellius dicunt Hebr. *bahan*, indicare probationem quæ fit in metallis per ignẽ. Sicut autem igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus. Confirmari poteſt illa ſignificatio ex cap. 23. 10. Job. & Zachar. 13. 9. Metaphoricè porrò dicitur interrogare, ſive probare, id eſt tentare, ſive examinare, quando perfectè diſcernit ac dijudicat, quod homines non poſſunt ſæpenumerò facere, niſi interrogando & examinando. Ita Bellarm. Non tantùm eſt metaphora, ſed etiam metalepſis, quia ponitur antecedens pro conſequente, nempe interrogare pro perfectè cognoſcere. Ubi nota, prudentiam & moderationem nos inde edoceri, ut non prius de re aliqua judicemus quàm de ea diſquiremus. Venerunt Angeli Sodomam, antequam illam everterent, ut rei veritatem diſcerent, Gen. 18. 21.

48. Interrogare palpebris eſt 1. Reſp. 2. Deus *palpebris interrogat* filios hominum id eſt, primò ſumma facilitate & claritate videt, q. d. ait Theodor: *Sufficiunt tibi ſolæ oculorum palpebræ, ut humana omnia pernoſcas.* q. d. ait Titelman. Non dico oculis (ſed modo quodam humano per exceſſum loquendo) ipſis etiam palpebris perſpicere valet Deus, quæ ſunt in filiis hominum, eoſque ſecundùm juſtitiam & injuſtitiam diſcernere, ita ut hoc ei pro minimo ſit, & omninò facillimum. Ita ipſe Palpebræ ipſæ oculorum Dei ſunt luminoſæ, non eſt neceſſe, ut pupilla utatur ad cernendum, Eccl. 23. 25. *Omnis homo qui tranſgreditur lectum ſuum* (Tigur. temerator throni ſui) *contemnens animam ſuam, & dicens: Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me* (Syr. *tectum domûs meæ ſuperjacet mihi*: ſic ſe putat latere Deum è cœlo intuentem, ob tectum interpoſitum) *& nemo circumſpicit me* (longe minus videt intus) *quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus. Et non intelligit* (non conſiderat, non credit) *quoniam vidit oculus* (vel unicus) *illius*, &c. *& non cognovit* (non cogitat) *quoniam oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper Solem* (Græc. millies Sole ſplendidiores eſſe) *circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* Arabs in Pſalmo noſtro. *Ictus oculi ipſius inveſtigat filios hominum.* In ictu oculi videt omnia etiam abdituſſima.

2. Secundò, *palpebris interrogare*, eſt cum ira interrogare, diſquirere, inveſtigare. Nam qui iratus eſt crebris ciliorum ſeu palpebrarum motibus dolorem ſuum indicat, præſertim cum adhuc peccantem videt. Hoc ſenſu Magn. dixit. *Fulmineus ſuorum oculus explorat* Vocat fulminea tum ob crebram agitationẽ, tum ob ſcintillas inde emicantes, quod ſæpe fit in furore. Alludit ad ſignificatum Hebr. *aphaph*, pro fulgore, ut dixi ſupra, & locus Jobi allatus ad hoc juvat. Fulmen illud oculorum Dei alio loco declarat idem Job. cap. 24. 23. *Dedit ei* (impio) *Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam, oculi autem ejus ſunt in viis illius. Elevati ſunt* (eſt enallage numeri, quod ſæpe fit apud Hebræos) *ad modicum, & non ſubſiſtent, & humiliabuntur*, ecce fulmen oculorum: eo ipſo quod Deus iratus impios aſpicit, illos dejicit.

3. Tertiò, *palpebris interrogare*, contrario prorſus ſenſu ſumit Dionyſius Carth. pro interrogare cum patientia & longanimitate. Sic enim ait: *Palpebræ ejus, id eſt patientia & longanimitas Dei, qua diſſimulat peccata hominum, differendo vindictam, qua etiam differt reddere juſtis mercedem, interrogant, id eſt, examinant filios hominum, inquirendo & quaſi probando, an peccatores omnino obſtinati exiſtant: &, an juſti veraciter juſti exiſtant.* Nam ex dilatione vindictæ ſumunt impii occaſionem peccandi. Eccli. 8. 11. *Quia non profertur citò contra malos ſententia* (Veneta habet. Non eſt ſumpta ultio repentina propter opus malum) *abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Et ipſe Propheta Habacuc cap. 1. 13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas* (id eſt, approbes & faveas. Eſt Catachreſis, ſeu metalepſis, ea enim quæ probamus & amamus, libenter & ſæpe aſpicimus) *malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris* (q. d. eam adverteris, tibi placere non poteſt) *quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces devorante impio juſtiorem ſe?*

4. Et genuine Quartò, & optimè, *palpebris interrogare*, eſt exactè & intima quæque ſcrutari attentè, & ut loquitur Theodoretus, ἀκριβῶς id eſt diligenter, accuratè, exquiſitè. Palpebræ, inquit Bellarm. ponuntur pro oculis & oculi pro mente: & interrogare pro exactè cognoſcere, ac ſi exactiſſimè prius interrogaſſet & examinaſſet. Palpebras itaque Dei S. Hier. & Bruno dicunt eſſe ſubtilitatem divini judicii, & judicia Dei occulta: itaque tunc conſideret filios hominum, ut ait Caſſiod. cum eos negligere quaſi dormiens æſtimatur; atque, ut loquitur Euthym. Per palpebras ſignificare voluit, quòd ſi quando videtur Deus non aſpicere: ſed in abſconditis animi ac mentis morari, tunc tamen nihilominus videt. Qui enim attentè rem conſiderare vult ac diu, palpebras ferè conjungit, ut vis ſit magis unita & potentior, & oculus non diſſipetur ad alia objecta, & variis intercurrentibus ſpeciebus attentio non minuatur.

Symbolicè. S. Aug. *In ſacris libris*, inquit, *crebra operta atque adapertio tanquam palpebræ ſunt Dei.* Nam ut ait Lombardus qui Aug. conſentit. *Scripturæ quaſi oculi Dei ſunt.* Ugo Cardinalis duas Dei palpebras ait eſſe *duo teſtamenta quæ dicuntur palpebræ, quia modo ſe aperiunt, modo ſe claudunt noſtro intellectui.* De obſcuritate Scripturæ vide dicta Pſ. 50. 8 Occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. De luce autem ejus Pſ. 118. 105. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. De ſcripturis rectè Beda dicit. *Ob hoc teguntur, ne vileſcant: ad hoc aperiuntur, ut nutriant.* Deinde ſequens Aug. explicat quomodo illæ palpebræ Dei interrogent filios hominum. Hæ palpebræ, inquit. id eſt, obſcuritates & apertiones Scripturarum interrogant, id eſt probant, filios hominum: in hoc ſcilicet, quia illi nec fatigantur obſcuritatibus Scripturarum, ut rejiciantur: ſed exercentur, ut quærant: nec cognitione Scripturarum inflantur, ſed confirmantur. Sicut è contra mali rejiciuntur obſcuritatibus, & non exercentur: inflantur cognitione, & non confirmantur. In quo utrique rectè probantur. Sicut enim aliquis Dominus ſervos ſuos excludens à ſecreto conſilio ſuo, probat illos quos poſtmodum vult admittere, ſcilicet qui patienter repulſam ferunt: probat etiam illos quos rejicit, ſcilicet qui non patienter ferunt ſed indignãtur: & qui quod aliquando admiſſi ſunt, non gratiæ Domini, ſed ſuæ arrogantiæ attribuunt: ita Dominus per palpebras ſuas, id eſt, per obſcuritates Scripturarum ſuarum probat ſuos, probat etiam non ſuos. Ita Beda. 49. Symbolice. Palpebræ Dei

ARTICULUS II.

Impii laqueis implicantur, igne & ſulphure uruntur, turbine æterno agitantur, & conſequenter qui peccat odit animam ſuam.

POſtquam dixit David oculis apertis, id eſt benignis, faventibus, & luce ſuâ recreantibus, à Deo pauperem aſpici: palpebris autem, id eſt semiclauſis oculis filios hominum interrogari, id eſt, attente conſiderari & excuti, ut oſtendat apertè quinam ſint illi filii hominum, ſubdit verſ. 6. DOMINUS INTERROGAT. Hier. probat. Pagn. & Felix probabit, JUSTUM ET IMPIUM, interrogat autem illos per palpebras ſuas, ut ait Remigius: quia, ut ait Lombart. *Dominus ſolus de conſcientiis utriuſque judicat.* q. d. in conſcientiam ipſam & intima mentis penetralia intrare eſt actus ſupremi Domini: mar- Verſ. 6. 1. pars.
50.
cana illa ſervi non intrant. Symbolice, Dominus interrogat juſtum & impium, id eſt per tribulationes probat quis eſt juſtus & impius, ut ait Ugo. de illa probatione dixi fuse Pſal. 138. 1. *Domine probaſti me, & cognovisti me.* Interrogat, id eſt, ut ait Lombardus, per tribulationes & hæreſes probat. S. Greg. Pœna inflicta interrogat, ſi quis in proſperitate politus Deum veraciter amet. Sap. 2. 19. de Chriſto & juſto dicunt impii. *Contumelia & tormento* (S. Bonaventura implicat, contumelia verborum & tormento verberum) *interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus* (Complut. Vatabl. Guarinus, atque Janſen. habent, ut cognoſcamus manſuetudinem ejus) *& probemus patientiam illius.* Guarinus exponit, tolerentiam ejus judicemus. Græca verti poſſunt, adducamus in quæſtionem & diſcuſſionem patientiam ejus. Ut ſcilicet velut in eculeo vis animi ejus eluceſcat. Hæreſes quoq; probant ingenium om-

Comment. In Pſalm. Tom. I. Pp 2 nium.

ſed hâc loquendi formâ dolorem animi ſui declaravit. q. d. digni eſſetis, qui ob tantam cladem populi Dei omni fertilitate privaremini. Et quidem Abolenſis tradit ſe cognoſcere viros, ſuper quos pluvia
Gelboë etymon. ceciderit in monte Gelboë. Ad rem noſtram, Gelboë ſignificat primò revolutionem inveſtigationis, vel ſcrutationis. Rad. גלל *galal*, volvere, revolvere, & בעה *baa* quærere, inquærere, inveſtigare, ſcrutari. De hæreticis benè dixeris cum Paulo, 2. Timoth. 3. 7. *Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes*, id eſt, per venire valentes: in Græco enim eſt *δυνάμενα*. Itaque labor ille eſt infrugifer. Gnoſtici hæretici qui ſe ſapientes & ſcientes vocabant, veritatem & pietatem non percipiebant, neque ſuis inſtillabant. Deus Paulum explicat S. Epiphanius. hær. 26. Secundò; *Gelboe* ſignificat acervum tumoris. Rad. גל *gal*, acervus, cumulus, & בעה *baa*, bullire, fervere, tumere, inflare. Vel, revolutionem inflationis. Nihil enim eſt inconſtantius & volubilius cogitationibus ſuperbi hæretici, qui ne in laqueos apertos & inevitabiles incidat, huc illuc ſe verſat & convolvit, & ab uno Scripturæ loco ad aliũ tranſilit, errorem errori immiſcet atque implicat. Vel, Gelboë eſt cumulus fervoris, aut ardoris. Sed bulla eſt, & ampulla, quæ in aqua bullienti aſcendit, volvitur, citò detumeſcit, & in ollam recidit aut in cineres. Hebr. illa bulla dicitur *ababaa*, ab eadem radice *baa*. Hæreticus ollam amat, in ea ardet, ſaltat, ſtridet, cadit & evaneſcit. De illo dic cum Jerem. 1. 13. *Ollam ſuccenſam* (Nabuchodonoſorem) *ego video, & faciem ejus* (id eſt ipſam. Eſt ſynecdoche: facies enim pro toto homine, vel alia re ponitur) *à facie Aquilonis*, id eſt, ab Aquilone, à Babylone, quæ eſt Orientalis & Septentrionalis Jeroſolymæ: Ab Aquilone, id eſt à diabolo, venit globus hæreticorum, de quibus affer illud, Joëlis 2. 6. *Omnes vultus redigentur in ollam*, id eſt reſpicient culinam: unde hæreticus non admittit abſtinentiam à cibis, nec Quadrageſimam. Senſus hic eſt accommodatitius, literalem aliàs attuli. Sed illa olla erit illis olla vulcania in monte Æthna, & ignibus æternis.

14. Hæretici ſunt ſuperbi. Nota, pro *transmigra in montem*, legit S. Auguſt. *in montes*, & applicat hæreticis, hoc modo: *Unum montem teneo in quo confido, quomodo dicitis, ut ad vos transeam quaſi multi ſint Chriſti. Aut ſi vos montes eſſe dicitis per ſuperbiam, oportet quidem eſſe paſſerem pennatum virtutibus & præceptis Dei. Sed ea ipſa prohibent volare in iſtos montes, & in ſuperbis hominibus ſpem collocare, Habeo domum ubi conquieſcam, quia in Domino confido. Nam & paſſer invenit ſibi domum. Et factus eſt Dominus refugium pauperi.* Huic inſiſtens Beda, ut aſſolet, ait: Unum montem teneo. In Domino, qui mons montiũ eſt, confido. Quomodo vos ergo dicitis: id eſt, qua fiducia dicere præſumitis animæ meæ. Transmigra in montem, id eſt, relinque vallem humilitatis in qua es, & appone noſtram eminentiam, cùm vos potius omnium infimi ſitis. Animæ meæ dico quæ eſt ſicut paſſer, id eſt, cauta à laqueis & pennata virtutibus & divinis præceptis: & quæ jam ſibi certam domum, id eſt Eccleſiaſtica inſtituta, invenit, Ita Beda. Transmigra in montem, id eſt, ait Remig. tranſi ad nos, ubi eſt mons, ubi eſt Chriſtus, quaſi de valle & de humili loco. de ſimplicitate fidei illius quam tenes, in qua facilè potes decipi. Apud nos bene inſtrueris, ubi eſt mons: id eſt celſitudo virtutum, & perfecta vita, ubi nemo valet te ſeducere. Non omnium eſt fides, nos ſoli habemus eam: *Soli juſtificare poſſumus, quia juſti ſumus.* Sic ipſe. Hæc applica Calviniſtis, & fidei eorum juſtificanti. Sed fac illis ſecundùm Chriſti præceptũ, Matthæi 24. v. 23. *Si quis vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere.* Joannes Bocoldus Rex Anabaptiſtarum, occupato Monaſterio, urbe Weſtphaliæ, ibi ſe Chriſtum regem conſtituit, ac duodecim Apoſtolos creavit, quos ad omnes vicinas urbes miſit, ut ad ſuum Chriſtum omnes adducerent: ſed à Catholicis obſeſſus & captus, vivus in crate viminea ex apice turris ſuſpenſus, à muſcis, apibus & veſpis corroſus interiit anno 1537. Vide Spond. anno
15. 1534. Arnold. Meshovium libro 6. & 7. Roverum
Paſſer Pontanum libro tertio rerum memorabilium hujus
eſt hære- temporis, & alios. Fuerat is Bocoldus ſartor ſeu ſar-
tici ſym- cinator Leidenſis: polygamiam induxit, uxores ſex-
bolum. decim ſibi habuit, titulum ſibi indidit, *rex juſtitiæ hu-*
1. Ob li- *jus mundi.*
bidinẽ. Paſſer quoque hæretici eſt ſymbolum. Primò, quia paſſer admodum libidinoſus eſt, ut ait author de natura rerum, unde Proverbium, paſſere ſalacior. Athenæus & Euſtathius referunt perdices mares, ſicut etiam paſſeres, ſemen emittere, non tantùm viſis fœminis, ſed ſola illarum voce percepta. Orus ait paſſerem pyrgitem, id eſt, turriculam, quem Galen. ait in torribus ſeu locis excelſis nidulari, ſepties in hora coire cum fœmina, & cumulum conſertimque ſemen effundere. Albertus dicit, adeò ſalacem eſſe, ut in una hora fortè vigeſies fœminam ineat. Urſinus aſſerit aliquos dicere, trecenties uno die id facere, quod creditu eſt difficile. Terpſiles & Marcellus eos qui paſſeribus veſcantur, proclivíores in Venerem fieri. De paſſere aſſo hoc confirmat Kiranides, de ejus ovis, Avicenna, Antonius, Gazios, Hali; de eorum cerebellis, Sylvius. Hinc à ſalacioribus inventum eſt paſſeres pinguiuſculos manducare, ut ait Alexander Benedictus. Euſtathius dicit, paſſerem à Græcis vocari *σποῦν*, ex eo quòd *μετὰ ὁρμῆς* cum furore feratur, in libidinem ſcilicet. Hæreticus nihil eſt ſalacius, hoc œſtro omnes incitati inſaniunt, unde ſemper ſecum greges mulierculaorum habuerunt. S. Hieronymus ad Cteſiphontem. *Simon magus, ait, hæreſim condidit Helenæ meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor, choros duxit femineos. Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos ſibi animos præpararet. Apelles Philomenem ſuarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi ſpiritus prædicator multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam nobiles & opulentas feminas primùm auro corrupit, deinde hæreſi polluit.* Jovinianum gulæ addictum, jejuniorum oſorem acerrimum ac virginei pudoris, vocat, idem ſanctus Pater, *Epicurum Chriſtianorum.* Non eſt neceſſe recurrere ad Gnoſticos, à Carpocratem, Baſilidem, & priſcos hæreticos, quis non horreat cùm legit Lutheri ſpurcitias, Calvini, Bezæ & ſectariorum noſtrorum, præſertim Adamitarum & Anabaptiſtarum. His chartam non inquinabo, aliqua referunt Spond. in Annal. tomo 3. Prateolus in elencho hæretic. Florim. Remund. in ortu hæreſis. & alii plurimi. Sappho ait, à paſſeribus trahi currum Veneris, hæretici eam in orbem inducunt votorum religioſorum ſolutione, & ſacerdotali puritate contempta.

Secundò, paſſer eſt breviſſimæ vitæ ob ſalacitatẽ. 16.
Mares negantur anno diutiùs durare, argumento, 2. Ob
quia nulla veris initio appareat nigritudo in roſtro, brevem
quæ ab æſtate incipit, fœminis longiuſculum ſpati- vitam.
um. Ita Ariſtoteles de hiſtoria animalium & Plinius. Hunc vitæ annum computat à tempore nativitatis Epheſius, à tempore autem coitus, tantum petendũ minimum illos enim opinatur Albertus. Hæc non mediocris eſt hæreſis nota, quòd citò perit, vel in aliam mutatur. Ubi ſunt nunc Simones, Carpocrates Neſtorii, Eutychetes, & ſimilia portenta? imò ubi Lutheri, Zvvinglii, Calvini? cùm enim eorum libri afferuntur, ſtatim à ſectariis rejiciuntur: & quot ſunt capita, tot ſenſus.

Tertiò, Paſſer in anno bis aut ter parit, in ſingulas 17.
vices ſeptena ut plurimum, ut minimum quaterna 3. Ob
ova, ut ait Albertus: ad ſummum octona parere tra- fœcun-
dit Athenæus, & citat Ariſtotelem. Hæreſis dam vi- ditatem.
vit fœcunda eſt. A Luthero, ut Stygis, fonte, aut Hydra multicipite, pluſquam ducentæ ſectæ diverſæ prodiiſſe feruntur. De confeſſione Auguſtana refert Spondanus tomo 3. Annal. anno 1561. mirã fuiſſe varietatem: unde, inquit, vocabant ipſimet Proteſtantes hanc Confeſſionem, *cothurnum*, calceamenti
ſcilicet genus utrique pedi aptum. Alii porrò *Iſidem*, *Confeſſio*
Magnam matrem, tot filiorum procreatricem. Zu- *magna*
ingliani verò & Calviniani *Sphingem*, monſtrum olim *ſectarum*
apud Thebas, cujus caput & manus puellæ, corpus *inter Lu-*
canis, alæ avis, vox hominis, ungues leonis, cauda *theranos*
draconis. Secti verò fuêre Confeſſioniſtæ in tres quaſi cohortes: *Molium*, quorum decem: *Rigidorum*, quorum quatuordecim: & *Extravagantium*, quorum ſeptem ſectæ numerabantur, quas omnes diligentiſſimè adnotavit Andreas Fabritius Leodius in Harmonia ſua Evangelica, ubi Auguſtanæ Confeſſionis exemplaria omnia contulit, & quàm magno intervallo, & in quibus capitibus una diſſideat ab altera explicavit. Ita Spondanus. Vide etiam Gretſerum de libr. proh. lib. 2. cap. 11. Variæ deinde novitates inter illos exortæ ſunt.

Quartò, Ex hac paſſeris fœcunditate oritur, ut 4. Cæcos
cæcos pariat pullos. Nam Ariſtoteles à Geſnero parit
citatus, ſic ait: Aves nonnullæ imperfectos & cæ- pullos.
cos pariunt pullos, videlicet quæ cùm parvæ corpore ſint, multos progenerant, ut paſſer & hirundo. Cæca eſt hæreſis, & cæcos parit, ſine judicio

ſæpè

ſæpè ſibi ipſi contrariis ſententiis oculos configens. Hoc in Luthero fusè probat Coccius in ſuo Theſ. Cathol. ubi oſtendit penè omnes fidei articulos eum aſſerere & negare, verbi gratia, purgatorium eſſe & purgatorium non eſſe reliquias eſſe honorandas, & non eſſe honorandas, & ſic de cæteris.

18. 5. Ob furorem. Quintò, paſſeres in furorem citò concitantur, ut ait Author de natura rerum. Quis hæreticorum furorem & rabiem explicet, nulla ſæpè de cauſa ſævientium? Lutheri ſcriptis Germanicè editis pro libertate Evangelica coierunt ruſtici magno numero paſſim in Suevia, ad Danubium, ad Lacum Conſtantienſem, in Franconia, Lotharingia, Thuringia, aliis provinciis: eratque per Germaniam triſtis rerum facies: hominibus efferatis ferro flammaque vaſtantibus omnia, & exempla edentibus horrendarum atque inauditarum crudelitatem. Memorantque, in una Franconia monaſteria & caſtra nobilium ultra ducenta, vel ut quidam habent, trecenta diripuiſſe ac diruiſſe, præter oppida occupata. Ubi autem ventum eſt ad Barones, Comites & Principes (quorum unus Comes Heſfenſteinius, qui in matrimonio habebat filiam notham Maximiliani Imperatoris Lancearum ictibus expoſitus miſerè periit) tum verò de injuriis vindicandis cœptum eſt cogitari. Feruntque paucis menſibus à diverſis Principibus cæſa ſupra centum, vel etiam centum triginta, aut centum quinquaginta, ut diverſi numerant, eorum millia. Ita Spondanus anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto, num. 11.

19. 6. Ob rixas. Sextò, Paſſeres etiam inter ſe certant. Hoc longè verius in hæreticis, ut patet in Luthero, Carolſtadio, Zuinglio, Oſiandro, Melanchthone, Calvino, & cæteris. Sunt vulpes Samſonis, ſegetem Eccleſiæ comburunt, & ſe mutuò mordent & inflammant.

7. venatur muſcas. Septimò, paſſer vermiculis veſcitur, ut Ariſtoteles & Albertus notant, & muſcas venatur, & monet Obſcurus, & oculis cernitur. Hæretici terræ hærent & vana atque inania conquirunt. Vitulo aureo à Jeroboam poſito in Bethel poſſis conferre, de quo Oſeæ octavo, verſu ſexto dicitur: *In aranearum telas erit vitulus Samariæ*, id eſt, à decem tribubus Iſraël cultus. Pro *telas aranearum*, Hebraicè eſt שבבים *ſebabim*, id eſt, contritiones, ut vertit Arias in fruſta, in fragmenta, in ſciſſilia, ut R. David Kimhi, Vatablus, & Rob. in aſſeres, ſeu ſcobines tabularum, ut Chaldæus, inſtabilis, ut Symmachus, vagus & fluctuans, ut Quinta Editio, [illegible] id eſt, ſeducens, decipiens, ut Septuaginta. R. David, R. Abraham, & ex eis Pineda in Jobi decimum octavum verſu quinto vertunt, in ſcintillas, quaſi diceret, Samaritæ fecerunt vitulum aureum, ſplendentem & ſcintillantem: ſed ſcintillæ ſplendoris in ſuos cultores deſævient, velut ſcintillæ ſtatim peribunt & extinguentur. Moraliter peccator per uſuras, fraudas, &c. parans ſibi opes, præbendas, dignitates magnis laboribus & moleſtiis, quid niſi telas aranearum texit? quæ mox vento caſuum humanorum, ac præſertim mortis, diſſlabuntur & evaneſcent, nec eum in Dei judicio tegere aut veſtire poterunt: imò quæ quas: ſcintillæ ignem gehennæ illi ſuccedent. Ita Cornelius. Fient *in aranearum telas*, ut Chriſtophorus à Caſtro, id eſt, in aranearum fila per aërem volantia, quæ dum videntur intereunt: & in atomos atque in nihilum diſſolvuntur. Ita à Caſtro Vel, *in aranearum telas* erunt: id eſt, ad nihil aliud conducent, niſi ut muſcas captent & inutilia, atque mox vento auferenda. Unde ſequitur apud Oſeam verſu ſeptimo. *Ventum ſeminabunt, & turbinem metent; culmus ſtans non eſt in eo germen non faciet farinam*: Hæc hæreticis adapta, quæ ſuis ſeditionibus ſæpè pereunt, in quorum doctrina nihil ſtat, ſed omnia jacent, & nihil mentem ſolidè nutrit.

20. 8. Ob levitatem. Octavò denique, paſſeris & hæretici levitatem, inconſtantiam, inſtabilitatem conſiderant Gloſſa, Caſſiodorus, Beda, Joannes à Paſtura, & alii, & maximè convenit verbis amicorum Davidis. *Transmigra in montem, ſicut paſſer*. Nota Hebraicè, צפור *ſiffor*. Chaldæus, *ſiffara*. Syrus, *ſeffora*. Arabicus, *uſphur*, alii malè legunt *aſbar*: de qualibet ave minuta dici ſpeciatim de paſſere. In aviculis autem illis rectè levitas & inconſtantia figuratur. Et ad rem Bruno ait: *Paſſer hæreticum ſignat, qui ad nequiſſimas prædicationes inconſtantis animi levitate transfertur. Inſtabilis enim avis paſſer, & olim in foraminibus petrarum, aliàs in roſcidis vallibus, nonnulli in ſqualidis montibus habitans.* De paſſere in bonam partem accepto dixi Pſalmo 83. v. 4.

Nota, S. Auguſtinus, & S. Hieronymus hunc pſalmum aptiſſimè expoſuerunt de hæreticis, ob Donatiſtas, qui etiam Montenſes dicebantur, & eorum ætate tanta erant copia, ut in Conciliabulo Carthaginenſi contra Cæcilianum Epiſcopum Carthaginienſem (cui Majorinum Epiſcopum oppoſuerant in ejus ſede collocatum) convenerint eorum Epiſcopi ducenti & ſeptuaginta, ſicut tradit S. Auguſtinus epiſtola 48. Dicti ſunt Donatiſtæ à Donato dicto à Caſis nigris, ſicque filio tenebrarum, ſed quòd conſtaret à Melchiade Papa eſſe damnatum, maluerunt ipſi dicere ſe nomen accepiſſe à Donato Epiſcopo Carthaginenſi, qui Majorino ab ipſis intruſo ſucceſſit: eum enim tanti faciebant, ut dicat S. Auguſtinus tom. 6. edit. Plant. in fragm. cap. 6. *Deorum Donatiſtæ pro Chriſto habent: ſi audiant aliquem paganorum detrahentem Chriſto, forſitan patienter ferant, quàm ſi audiant detrahentem Donato.* Per ſuum ipſius nomen, tanquam numen, ſuos jurare docuerat idem Donatus, ut ait Baronius anno 348. num. 25. Quòd ad nomen ſpectat vocati ſunt Montenſes à ſancto Hieronymo epiſtola 133. Gennadio de Script. Eccl. capite quinto quòd ab Urbe Roma excluſi in montibus proximis agerent, atque conventicula celebrarent. Dicebant itaque ſuis: *Transmigro in montem ſicut paſſer*: quaſi prudens & pennatus virtutibus, & gaudens locis altis atque cœleſtibus. Nam, ait idem ſanctus Hieronymus in Pſalmum noſtrum, *ſæpè paſſerem loco prudentiæ poni legimus*. In libr. adverſus Luciferianos, vocat Donatiſtas ſeu Donatianos (ut eos mavult vocare Creſconius) Campitas, quod in campis ſuos colligerent. Sanctus Auguſtinus de unitate Eccl. cap. 3. eos præterea vocat Rupitanos, à rupe ſcilicet, cæteras hæreſes Donatus dicebat, minorem patre filium, & minorem filio Spiritum ſanctum, rebaptizans ea de cauſa Catholicos, qui ab Eccleſia ad ejus ſectam deficiebant, dicens eos priùs non ſuſcepiſſe baptiſma, ut refert Prateolus in Donatiſtis.

ARTICULUS III.

Hæreticorum arma & furor.

21. Verſ. 2. POſtquàm David declaravit fiduciam ſuam in Deum, & amicorum aperuit monita, periculum ſuum exponit Verſ. 3. QUONIAM ECCE PECCATORES (Hebraicè, רשעים *reſaim*, id eſt, impii, inquieti, perturbatores) INTENDERUNT (Hebraicè, ידרכון *iidrecun*, id eſt, omnibus viribus intenderunt. Syrus, impleverunt) ARCUM (Syrus, *arcus ſuos*: itno non ſunt contenti. Magn. flexo minitatur ut impius arcu. Petavius, [illegible], curvos arcus. Ubi fraus denotatur, eſt enim obliqua & flexa, PARAVERUNT SAGITTAS SUAS IN PHARETRA, ut multis in ea aptatis poſſent ſæpius jaculari. Nota, pro *pharetra* in Hebræo eſt יתר *iether*, id eſt 1. chorda, funis, nervus, virga. 2. pharetra. Nam, ut rectè notat Bellarminus, licèt in dictionariis non ponatur, quòd *iether* ſignificet pharetram, tamen authoritas Septuaginta interpretum, qui verterunt [illegible], illis prævalet. Erant enim doctiores omnibus, qui ſcripſerunt dictionaria Hebraica. Arabs quoque reddit: *Paraverunt ſagittas ſuas in pharetris ſuis*, ſinguli ſaltem ſuam habent. Primæ ſignificationi inſiſtens, S. Hieronymus vertit: *Poſuerunt ſagittam ſuper nervum*, id eſt, ſuper funem arcus. Felix verò, præparaverunt ſagittam eorum ſuper nervum. Syr. Aptarunt ſagittas ſuas ad nervum. Pago. paraverunt ſagittam ſuam ſuper chordam. Utramque verſionem complexus Petavius rectè vertit:

[illegible]

Extraxerunt autem è pharetra, nervoque admoverunt ſagittam.

Non ut otioſam & Innoxiam ibi relinquant, pergit enim cauſam addere Propheta, *ut ſagittent in obſcuro rectos corde*. Nota, pro *in obſcura* Septuaginta habent, [illegible], id eſt, *in obſcura Luna*, ut legit S. Auguſtinus, hoc eſt, in nocte illuni. Hebraicè eſt במו אפל *bemo aphel*, id eſt, in ipſa caligine, ut vertit Arias. Vox *aphel*, denſat tenebras & caliginem ſignificat. Jobi 3. verſu 6. & 10. verſu 22. Pſalmo 90. verſu 6. Iſaiæ 29. verſu 18. Idem ſonat Chaldæus קבלא à rad. *kebal*, id eſt, obſcurari, obtenebrari, tenebreſcere, tenebris inhorrere. Et Sy-

riacum עמשׁנא *amtona*, caliginem etiam & ſpiſſas tenebras ſignificat. Sagittent autem impii juſtus in obſcuro, id eſt, Primo, juſtos, qui ſe occultant in Dei præſidio, ubi latent. Secundò, & potius, *Tò in obſcuro*, ad impios refertur, quaſi diceret, impii in obſcuro, id eſt, occulto, exiſtentes, ſeſe occultantes, per fraudem & dolum agentes, ſagittant, hoc eſt, ſagittare nituntur, pios. Unde Arabs vertit, *ut jacularentur clam in rectos cordibus*. Alludit ad venatores, qui ſeſe in condenſas alicujus ſylvæ arbores abdunt, ut feras aut aves jaculis impetant: aut ad graſſatores, qui mercatoribus aliiſque viatoribus inſidiantur, eoſque incautos telo conficiunt.

Verſ.4. Secundò oſtendit, impios non tantùm hominibus, ſed etiam Deo eſſe injurios. Verſ. 4. QUONIAM QUÆ PERFECISTI (Hebraicè, השתות *haſſathoth*, id eſt, fundamenta, ut vertit Flaminius: alias verſiones afferam commodius infra) DESTRUXERUNT. Tertiò, declarat ſe eſſe innocentem. *Juſtus autem quid fecit?* Nota, pro *haſſathoth*, id eſt, fundamenta, legerant Septuaginta, השתות *haſſathatha*, id eſt, poſuiſti, depoſuiſti, concinnaſti, perfeciſti, in conjugatione Hiphel, à verbo שתת *ſathath*, quod ſignificat idem quod *ſuth*. Illos etiam ſecutus eſt Syrus, & vertit. *Quoniam quod paraſti, deſtruxerunt*. & Arabs, *ipſi deſtruxerunt quod aptaſti*.

22. Quis hic loquitur? 1. Quæres? Quis loquatur ab illis verbis, Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum? &c. Reſp. primò, David ipſe loquitur, & reddit rationes tres cur in Deo confidat: nempe quia illi qui ipſum aggrediuntur, nempe Saul & ſatellites ejus, ſunt peccatores. 2. quia deſtruxerunt ea quæ Deus perfecit, leges ſcilicet quas ſervandas conſtituit, ut ait Janſenius: vel ſacerdotes in Nobe illos interficiendo, ob datum panem Davidi, eos intelligit Agellius & Davidem ipſum per rectos corde: vel potiùs ea quæ Deus perfecerat, puta honores ac dignitates Davidis in aula, conjugium ejus cum Michol filia regis Saulis: data eſt enim alteri viro, nempe Phalti, filio Lais, qui erat de Gallim civitate tribus Benjamin, de qua mentionem facit Iſaias cap. 10 v. 30. Ab illo Phalti intactam eſſe conſervatam opinantur non pauci Hebræi, quos ſequuntur Abulenſis & Lyrenus: ſed repugnant lacrymæ ejus, cùm illam coactus eſt reddere Davidi. Saul in ea re peccavit dando filiam alteri viro, priore adhuc vivente. Nam illam non repudiaverat David, nec Michol repudiare poterat Davidem, id enim non licebat uxoribus: peccavit etiam Phalti & Michol, & mori potius debebant, quàm ſcelus illud patrare. 3. quia David non læſerat ulla in re Saulem; itaque ait, *Juſtus autem quid fecit?* Ubi nota ejus modeſtiam, quid de ſe in tertia perſona loquitur in re ſibi honorifica. Juſtum autem ſe dicit, non reſpectu Dei, ſed reſpectu Saulis, quem injuria nulla affecerat. Hoc ſecutus ſum in paraphraſi.

2. Secundò Reſp. probabilius amicos Davidis hîc loqui, & reddere rationem cur ſit fugiendum, quaſi diceret. *Quomodo dicitis animæ meæ. Transmigra in montem ſicut paſſer*, & quomodo hanc rationem datis, *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt ſagittas ſuas in pharetra*, &c. Ubi nota cum Euthymio & Folengio, per arcum, ſagittas & pharetram, totum belli apparatum intelligi, quia olim ordinaria arma erant arcus & ſagitta. Eſt itaque Synecdoche. Ea de re dixi Pſalmo ſeptimo. Vel certè, adverte cum Agellio, aptè ad ſimilitudinem paſſeris ſubjici ſimilitudinem arcus & ſagittarum. Nam ut volantem paſſerem, quia apprehendere manu nequeunt, aucupes jaculis dejicere moliuntur: ita Saul, & cæteri Davidis hoſtes, cum eum vi capere propter ejus vigilantiam & prudentiam non poſſent, artibus & dolis circumveniebant, & quo vires pertingere nequibant, aſtu & fraudibus pervenire conabantur. Quòd autem *in pharetra*, dixerunt Septuaginta, hoc Hebraizantes plerique vertunt *in nervo*, id eſt, in fune arcus, ut periculum magis augeant, & præſens eſſe oſtendant.

23. Tropologicè. Tropologicè. Bellarminus rationem eſſe putat, cur ſit fugiendum ad montem, id eſt, deſerenda vocatio præ nimio timore, quem tentatio ſuggerit: videlicet quia mali homines aſſiduè perſequuntur juſtos ſive calumniis, ſive alia ratione. Comparat autem calumnias, ſive alias perſecutiones ſagittis, quæ jaciuntur in obſcuro, ut ſignificet eas calumnias, vel perſecutiones, non ſolùm graviter ferire, ſed etiam vix poſſe caveri. Ita ipſe, & putat eſſe ſenſum literalem, ſed veriùs eſt moralis, ut patet ex dictis. Per ea autem quæ Deus *perfecit*, intelligi-[illegible] Dei perfectiſſimas, nec non conſilia & ordinationes ejus omnes, quas poſuit in populo ſuo. Illas enim ſcelerati deſtruunt, dum non ſolùm non reddunt bona pro malis, ut Deus jubet: ſed reddunt mala pro bonis, ſine ulla cauſa calumniando, & perſequendo juſtos. Titelmannus autem ſic explicat, quaſi diceret, Maligni dæmones eorumque miniſtri homines perverſi parati exiſtunt ad perimendas ſimplicium animas, ad modum ejus qui arcum tenſum manu tenet, ad aves ſagittis perfodiendas: occultaverunt ſub boni qualibet ſpecie peſtiferas & noxias ſuaſiones ſuas, ut ſic in occulto ac velut latenter per inſidias interficiant animas innocentum, eorum qui bona & recta ſunt voluntate: quemadmodum qui ad aves perimendas exeunt, ſagittas in pharetris abſconditas geſtant, ut in promptu habeant, cùm opportunitatem viderint nocendi. Et quidem illa quæ tu veluti ad perfectum adduxiſti, per benignum favorem tuum & ſalutarem tuam gratiam (quibus adjumentum præbes ſervis tuis) ipſi ſuis pravis machinationibus per invidiam ad nihilum deducere conantur, ſemper laborantes quæ per gratiam tuam in hominibus plantantur atque ædificantur, ſuis pravis ſuggeſtionibus inficere, aut eradicare, aut deſtruere, proque bono ſeminato tritico mala ſuperſeminare zizania. Et hunc literalem ſenſum putat eſſe Titelm. ſed eſt etiam moralis.

Sic autem impii juſtis injurii, non ſunt timendi, quia ſunt peccatores, & legem Dei deſtruunt. Hoc fusè amplificat S. Chryſoſtomus atque ſibi objicit. *At habent arcum, & pharetram, & eis parata ſunt omnia. Paratum enim, inquit, ea in pharetra: ſed nullæ ſunt eorum vires, nec eos propterea timemus. Nam neque ſi viderem quempiam qui haberet* [illegible] *ſolutum arcum, timerem. Quid enim juvant arma, ſi non ſit virtus? Neque hic ergo, ſi non adſit Dei benevolentia. At dolos ſtruunt, & non recta aggrediuntur, & propterea eos maximè timeo, quòd* [illegible] *ſagittant in tenebris. Nihil enim imbecillius viro qui ſtruit inſidias. Non opus habet ut armis aliorum capiatur: ſed cadit manu propria, & ſua ipſius fraude evertitur. Quid ergo poſſit eſſe eo imbecillius quando capitur à propriis machinationibus. Cum his autem poſſumus etiam aliud dicere, quod non ſolùm bellum gerunt adverſus eos quibus Deus fert auxilium, ſed quod etiam adverſus innocentes, & qui eos nulla affecerunt injuria: Hoc autem eos non parum reddit imbecilles. Quemadmodum enim qui adverſus ſtimulos calcitrant, illos quidem non lædunt, ſed ſuos pedes cruentant; ita hi etiam.* Deinde oſtendit aliam impiorum imbecillitatem, nempe quòd in Deum gerent bellum, deſtruendo ea quæ perfecit, nempe legem ejus ac præcepta. Itaque negligendam eſſe nec timendam ſceleratorum potentiam, gloriam, opulentiam: hæc enim omnia eſſe, [illegible] genera imbecillitatis. *Quid eſt ergo, ait, quòd multi vincunt, qui tales ſunt? Quoniam tu rectè pugnare neſcis. Quoniam tu quoque de eis decertas, ex quibus illi ſunt imbecilliores, nempe de gloria & potentia. Fuge cauſam certaminis, & alia parte feri eos qui te invadunt, arrogantem moderatione ac lenitate, avarum paupertate, incontinentem continentiâ, iniquum humanitate, & ita eum vinces facilè. Vide etiam quomodo juſti quoque dicit armaturam. Subjungit enim, Juſtus autem quid fecit? Hoc eſt, Cum illi autem ſic inſtruerent arcum, quæris undenam ſe juſtus armaverit? Audi. Dominus in templo ſancto ſuo: Dominus in cœlo ſedes ejus. Vides quàm paucis narraverit ejus auxilium? Quid fecerit, rogas? Ad Dominum confugit, qui eſt in cœlis, qui eſt ubique præſens. Non arcum intendit, nec pharetram paravit ſicut ille, nec aciem inſtruxit in occulto: ſed his omnibus ſpem in Deum in omnes objecit, & eum illis oppoſuit, qui nulla horum indiget, non loco, non tempore, non armis, non pecuniis, ſed ſola nutu omnia peragit. Vidiſti,* [illegible] *auxilium inexpugnabile, & expeditum ac facilè.*

Symbolicè. Hæretici hic intelliguntur Eccleſiam perſequentes. Bruno ſic explicat. Ecce peccatores, id eſt, hæretici, intenderunt *arcum*, id eſt, verba ſua contra Eccleſiam. Intenderunt arcum, id eſt, potentiam verboſitatis ſuæ. Paraverunt *ſagittas*, id eſt, verba venenoſa. *In pharetra*, id eſt, in corde, *ut ſagittent*, &c. id eſt, cùm viderint in Eccleſia obſcuratus imperitia vel ſimplices, laqueis doloſis vel occultis illiciant. *Recti corde* ſunt dicti, qui nulla iniqua perſuaſione decipi poterunt: vel *in obſcuro*, id eſt, obſcuris & ambiguis ſententiis eorum, vel cùm perſecutionibus teteris perturbatur Eccleſia. Quando timore periculi carnalis homines creduntur facilius immutari. Ita Bruno, qui ſecutus eſt Hier. Melius tamen cum Dionyſio Carthuſiano per arcum intelliges flexuoſum & contortum hæretici ingenium: per ſagittas verò, ejus verba. 24. Symbolicè, Hæreticorum arcus & ſagitta. s. Verba venenata.

Secun-

25. 2. Arcus eſt Scriptura: verba ſunt ejus ſententiæ.

Secundò, Caſſiodorus, Remigius, Ugo Cardinalis, & alii ſequentes S. Auguſt. per arcum accipiunt Scripturam: per ſagittas, ejus ſententias. Et quidem Remigius, Peccatores, ait, qui ſe juſtos faciunt, & montes nominant, *intenderunt arcum*: Scripturæ ſacræ rigorem, ſiniſtræ interpretationis nervo incurvaverunt. *Sagittas ſuas*, id eſt, toxicatas ſententias, paraverunt perverſo intellectu: in pharetra, id eſt, in corde: ad hoc, *ut ſagittent rectos*, id eſt, ſimplices, & regulam fidei directos, *in obſcura* poſitos, id eſt, in ignorantia, non valentes adhuc illa altiora diſcutere. Paulò aliter Ugo Cardinalis. Ecce peccatores, inquit, id eſt, hæretici, intenderunt *arcum*, id eſt, ſacram Scripturam ad ſe diſtorſerunt, id eſt, ad voluntatem ſuam exponendam ſumpſerunt, ut vos inde decipiant. Unde addit, *Paraverunt ſagittas ſuas*, id eſt, verba venenoſa & acutas ſententias, & argumentationes ſophiſticas, *in pharetra*, id eſt, in abſcondito. Et hoc, *ut ſagittent in obſcuro*, id eſt, in ambiguis Scripturæ, quia obſcuritate Scripturæ decipiunt minores, eam pravè exponendo. Vel, in obſcuro, id eſt, in ſimplici ſenſu, quia ſimpliciores decipiunt.

26. Hæretici crebra Scripturæ mentione decipiunt.

Nota primò. Hæretici crebra Scripturarum mentione fucum multis facere ſolent. Eorum voces refert S. Ignatius epiſtola ad Philadelphios. Niſi, inquiebant, Evangelium invenero in archivis, non credo, ſanctus autem hic Pater: *Talibus ego dico, quia Jeſus* (à Jeſu dimanans traditio) *mihi pro archivis eſt*. Sed ut rectè annotat Vincentius Lirinenſis, ita de Scriptura loquuntur, ut in uno loco pedem non figant, ſed ſubſultim ab uno in alium evolent. Sic enim loquitur in Commonitorio 1. pro Catholicæ fidei antiquitate. *Videas eos volare per ſingula quæque ſanctæ legis volumina, per Moyſi, per Regnorum libros, &c.* His ait dæmon, Tranſmigra *in montes* ſicut paſſer, ut legit S. Auguſtinus.

27. Eam depravant & corrumpunt.

Nota ſecundò, Hæretici deſtruunt Scripturam, quam ita inflectunt, & Dei legem. *Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt*. Tò quæ perfeciſti, Beda, Caſſiodorus, Remigius, Ugo, Bruno, de Scripturis & præceptis Dei explicant. Acutè Remigius. *Quæ perfeciſti deſtruxerunt, præcepta illa quæ tu ô Domine perfeciſti, id eſt, digito tuo ſcripſiſti immutabilia & indiſſolubilia; quia quod ſemel juſtum eſt apud te, nunquam erit injuſtum, & è converſo*. Secundo, *Tò quæ perfeciſti*. S. Hieronymus de Eccleſia exponit, quam Deus in unitate perfecit. Hæretici autem eam deſtruere volunt & in ſe & in aliis, quia unitatem ſcindunt. Quòd vero additur, *Juſtus autem quid fecit?* De Chriſto qui ſimpliciter & abſolutè atque κατ᾽ ἐξοχὴν juſtus eſt, & quem nemo poteſt arguere de peccato, explicant Caſſiodorus, Beda, Remigius, Hieronymus, Ugo, & alii. Sed nonnihil variant in expoſitione. Primò ait Hieronymus, *Juſtus quid fecit?* hoc eſt, mundum redemit & ſeipſum dedit pro mundo. q. d. vos intenditis arcum, & ſagittas ponitis in veſtra pharetra, id eſt, in corde maligno, ut ſagittetis rectos corde & Eccleſiam perdatis. non eſtis imitatores Chriſti, qui pro illa & ſingulis hominibus ſanguinem ſuum fundit. Secundo, Ugo Card. *Juſtus autem quid fecit?* id eſt, quid faciet? Et reſpondet, quia reddet bona bonis, & mala malis. Dominus in templo ſuo, &c. Tertiò, Beda planiſſimè, Juſtus autem quid fecit vobis? id eſt, quid Chriſtus commeruit apud vos, propter quod vos depravantes Scripturas, unitatem quam ipſe reliquit, deſtruxiſtis.

Nota tertiò, pro *quæ perfeciſti*, in Hebræo eſt שתות *ſathoth*, id eſt, leges, fundamenta, retia, doctrinæ, traditiones. Primò, *ſathoth* propriè ſignificat poſitiones, fundamenta. Rad. *ſuth*, ponere. Itaque Aquila, R. David, R. Abraham, Chaldæus, Felix & Arias vertunt *fundamenta*. Secundò, *ſathoth* ſignificat concinnationes, compoſitiones, diſpoſitiones: ideò etiam R. David in lib. Rad. & in comment. Flamin. Pagn. reddunt *retia*. Tertiò, metaphor. S. Hieronymus vertit, *leges* diſſipatæ ſunt. Sexta editio, παραδόσεις, *traditiones*. Hoc commune eſt hæreticis, ut traditiones rejiciant. Quidam apud S. Chryſoſtomum, [illegible], doctrinæ conterentur. Ubi nota, leges Dei eſſe retia, quibus è mari peccatorum nos Apoſtolici piſcatores ad portum adducant. Marci 1. v. 17. *Faciam vos fieri piſcatores hominum*: deinde eaſdem leges eſſe fundamentum fidei & virtutis; ſupra quod domus fundata non diruitur ventis flantibus, & pluvia in eam irruente. Quarto, *ſathoth* ſymbolicè ſacerdotes eſſe ait R. Salomon, cum ſic vertit: *Quoniam per manus veſtras occiſi ſunt ſacerdotes Domini, qui ſunt fundamenta mundi*. Sunt dii fortes terræ, Pſal. 46. v. 10. Hoc præcipuum fuit Calviniſtarum ſtudium, ut ſacerdotes dejicerent, perverterent, contererent, atque occiderent. Ablato paſtore, pereunt oves: ablato fundamento ruit domus.

28. Hæretici occultè graſſantur.

Nota quartò, Hæretici clandeſtinis inſidiis Eccleſiam Dei & fideles ejus aggrediuntur. Ut ſagittent *in obſcura* rectos corde, id eſt, clam, ut vertit Arabs, S. Auguſtinus legit, *in obſcura Luna*. Ut, ſicut ait ſanctus hic Pater, cùm ſenſerint Eccleſiæ lumine propter multitudinem imperitorum & carnalium obſcurato, non ſe poſſe convinci, corrumpant bonos mores colloquiis malis. Lunam autem ait eſſe ſymbolum Eccleſiæ: ſive Luna habeat lumen à ſeipſa, ſed unica tantum parte ſit lucida, ſive habeat totum lumen ſuum à Sole, quod eſt longè probabilius. Primo, modo ſentiendo ſic Eccleſiæ applicat. *Luna in allegoria ſignificat Eccleſiam: quod ex parte ſpirituali lucet Eccleſia: ex parte autem carnali, obſcurata eſt. Et aliquando ſpiritalis pars in bonis operibus apparet hominibus: aliquando autem in conſcientia latet, ac Deo tantummodo nota eſt, cum ſolo corpore apparet hominibus: ſicut contingit, cùm oramus in corde, & quaſi nihil agere videmur, dum non ad terram, ſed ſurſum cor habere jubemur ad Dominum*. Secundò, autem modo lumen Lunæ à Sole mutuatum eſſe ſentiendo, id facilè applicat Eccleſiæ, quæ ſuum lumen non habet, ſed ab unigenito Dei filio, qui eſt Sol totius orbis. Vide Pſal. 18 v. 6. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*. Nota autem cum Ugone Cardinali, quòd Luna tribus modis fit obſcura. Primò, per eclipſim. Secundò, per interpoſitionem nubium. Tertiò, finitis menſium decurſibus. Quod Eccleſiæ triplici ſtatui congruit, quia *in tempore perſecutorum fuit cruenta, fraude hæreticorum rubiginoſa, corruptione falſorum fratrum lutoſa. Et eſt ſenſus. Ut ſagittent in obſcura Luna, id eſt, in Eccleſia cruentata, rubiginoſa, lutoſa*. Ita Ugo, quòd paulò aliter S. Auguſtinus exponit, qui ſagittantes illos interpretatur Martyrum perſecutores, qui ſagittare volunt in obſcura Luna rectos corde. *Sive, ait, adhuc in Eccleſiæ novitate, quia nondum terris major effulſerat, & gentilium ſuperſtitionum tenebras vicerat: ſive linguis blaſphemantium, & Chriſtianorum nomen malè diffamantium, quaſi nubilis cum terra obtegeretur, videri perſpicua Luna non poterat: id eſt, Eccleſia: ſive ipſorum Martyrum cædibus, & tanta effuſione ſanguinis, tanquam illo defectu & obſcuratione, qua cruentam faciem Luna videtur oſtendere, à nomine Chriſtiano deterrebantur infirmi. In quo terrore verba doloſa & ſacrilega jaculabantur peccatores, ut etiam rectos corde pervertérent. Poteſt & de his peccatoribus intelligi, quos Eccleſia continet, quod tunc inventa occaſione hujus Lunæ obſcuræ, multa commiſerint, quæ nobis opprobria nunc objiciuntur ab hæreticis, cùm eorum authores ea feciſſe dicantur*. Ita Ugo.

Diabolus ſerpens vectis.

Iſaias capite vigeſimo ſeptimo, verſu primo, vocat diabolum, *ſerpentem vectem*, id eſt, ut vertit Theodotio, ſerpentem robuſtum, qui ſcilicet inſtar vectis ferrei firmus eſt, & frangi non poteſt: vel, ſerpentem concludentem, ut vertit Symmachus: vel, ſerpentem fugientem, ut Septuaginta, vel denique ſerpentem ſubſilientem, ut Syrus, aut teretem ſive lubricum, ut Forerius. Robur enim dæmonis per fraudes evenit: quod melius declarat Propheta, cum eundem diabolum vocat *ſerpentem tortuoſum*, id eſt, inſidioſum & callidum, ut vertit Arabs. Venenum illud ſuum & fraudes, quo non tantùm Evam, ſed quamlibet fidelem animam decipiat, hæreticis infundit virulentus ſerpens, ſicut per eunuchum Vagao conatus eſt decipere Juditham illam pudicam & fortem fœminam, quæ operata conſilio manuum ſuarum ſalutem attulit Bethuliæ, quæ virginitatem ſonat: animi ſcilicet, per fugam fornicationis cum idolis & erroribus; atque corporis per caſtitatem.

Et ſerpens tortuoſus.

Serpenti ſe occultanti Valentinianos comparat Tertullianus, libro in Valentinianum cap. 2. *Abſcondat ſe, ait, ſerpens quantùm poteſt, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, altè habitet, in cæca detrudatur, per anfractus ſeriem ſuam evolvat, tortuosè procedat, nec ſemel totus, lucifuga beſtia. Noſtræ columbæ domus ſimplex, etiam in editis ſemper & apertis, & ad lucem: amat figuram Spiritus ſancti, nihil veritas erubeſcit, niſi ſolummodo abſcondi*. Et cap. 1. dixerat. Valentiniani nihil magis curant, quàm occultare quod prædicant, ſi tamen prædicant qui occultant. Ita ipſe. In umbra Scripturæ ſeſe occultat ſerpens ille vafer, ipſum enim paradiſum intrat, & cum filiis Dei reperitur, ſed larvatus, & humana voce loquens, ut decipiat. Vincentius Lirinenſis Commonitorio 1. pro catholicæ fidei antiquitate c. 35. Tantò magis, ait, cavendi & pertimeſcendi ſunt, quantò be-

ò occultius ſub divinæ legis umbraculis latitant. Suum enim ſuos fœtores nulli ferè citò eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur, atque ideò eos cœleſtis eloquii velut quodam aromate aſpergunt. Ita Vincentius. Hæreticorum ſpiritum vocat S. Ignatius epiſt. 14. ad Epheſios, [illegible] &c. *mendacem, fraudulentum, aſſentationis & adulationis amantem, ſubdolum, verſutum, conſarcinatorem, nugacem,* &c. Lupi quidem ſunt hæretici, ſed ſub pelle ovium. Matth 7. v. 15. *Attendite* (Syrus, cuſtodite vos Græce, προσέχετε, id eſt, cum attentione cavete) *à falſis Prophetis* (id eſt, Doctoribus. Nam Propheta in Scriptura ſumitur pro Doctore, cantore, patratore miraculorum, viro pio & ſancto) *qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Vulpes ſunt hæretici, & vineam Eccleſiæ vaſtant. Cantic. 2. v. 15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur* (Septuaginta, exterminant. Symmachus, corrumpunt) *vineas; nam vinea noſtra floruit.* Septuaginta, Vineæ noſtræ [illegible], id eſt, germinant & florent inſtar cyprorum. S. Auguſtinus in Pſ. 80. Vulpes, inquit, inſidioſos, maximéque hæreticos fraudulentos ſignificant, doloſos, cavernuſis anfractibus latentes, & decipientes, odore retro putentes. Contra quem odorem dicit Apoſtolus 2. Cor. 2. 14. Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco. Iſtæ vulpes ſignificantur in Canticis Canticorum, ubi dicitur: Capite nobis vulpes puſillas exterminantes vineas, latentes in cavernis tortuoſis. Capite nobis, convincite nobis; capis enim eum, quem de falſitate convincis. Sic Auguſtinus. Ut à mari etiam ſimile petamus. Hæretici ſimiles ſunt ſepiis, quæ infuſo prius atramento, quòd pro ſanguine illis eſt (ut ait Plinius lib. 9. cap. 29. aquas commaculant, quàm venationi piſcium inſiſtant. Tunc enim cæca in caligine ſtupentes invadunt ac devorant. Denique à ſerpente cùm cœperimus, per ſerpentem deſinamus. S. Epiphanius hær. 65. Paulum Samoſatenſem, comparat ſerpenti qui Dryinas appellatur. *Viperæ, ait, quoddam genus eſt, Dryinam vocant, illi hæreſis conditore quàm ſimillimum. Quod ut plurimum in herbis, aut quercubus delitеſcit: unde et Dryinæ nomen eſt, eò quòd arbores conſectetur, atque inter folia quæ ex arbore decidunt, jacens, cujuſque in ſe viriditatem exprimat. Ac licèt non adeò acerbum dolorem inurat hoc animal, tamen ſi diutius virus adhæſerit, lethum affert. Eodem prorſus modo hæreticus iſte, cùm ſecta ſua ad omnia ſeſe genera inſtitutorum applicans,* [illegible], *ſe quàm ſimillimum efficit. Nam & Chriſti ſi appellationem impoſuit, & Judæorum dogmata profitetur,* &c. Hæretici ſeſe omnibus inſinuant pro eorum moribus, ut facilius impellant incitatos. Mahometes ſe attemperavit Arabibus, Lutherus Germanis, Calvinus Gallis, cæteris nationibus & ſingulis hominibus quibuſcum verſantur, ut ſagittent in obſcuro. Hæc jaculatio ſerpentina & in obſcuro via melius poteſt exprimi, quàm per Jaculum ſerpentem in arboris opacæ foliis latentem, & inde in viatores deſilientem ex improviſo. De illo Plinius lib. 8. cap. 23. *Vulgatum eſt Jaculum ex arborum ramis vibrari; nec pedibus tantùm pavendas ſerpentes, ſed & miſſili volare tormento.* Prius dixerat Ceraſtis in corpore eminere cornicula ſæpè quadrigemina: quorum motu, *reliquo corpore occultato*, ſollicitent ad ſe aves. Geminum caput amphiſbænæ, hoc eſt, ad caput & caudam. Hæc quoque hæreticorum fraudis eſſe poſſunt ſymbola. Labia enim doloſa in corde, & corde loquuntur, modò rem unam aſſeruut, modo prorſus oppoſitam.

29. Itaque ſi arcui & ſagittis placet alia arma dare hæretico. Primò, aſſigna mendacium pro gladio ancipiti, quo omnes fallens omnes perimit, qui illi aures & jugulum præbent. S. Cyprianus epiſt. 49. ad Cornelium Papam agens de Novato, ſic eum depingit. *Curioſus ſemper, ut prædet: ad hoc adulatur, ut fallat: nunquam fidelis, ut diligat: fax & ignis ad conflanda ſeditionis incendia; turbo & tempeſtas ad fidei facienda naufragia, hoſtis inquietis, tranquillitatis adverſarius, pacis inimicus.* Gladius ſpiritus, id eſt, ſpiritalis, eſt verbum Dei. Epheſior. 6. verſu 17. gladius carneus & tartareus eſt verbum dæmonis, id eſt, mendacium. 3. Reg. 22. verſu 22. ait dæmon. *Ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus*, id eſt, Pſeudoprophetarum Achab regis Iſraël. Mendacium autem diabolicum gladius fuit, nam miſer ille rex eo deceptus interiit, & exercitus cæſus & fugatus eſt à Benadab rege Syriæ. Mendacium primum dæmonis omnes homines occidit, in mundum mortem inducens. Joan. 8. 44. *Ille homicida* (Arabs, occiſor hominum) *fuit ab initio* (mundi) *& in veritate non ſtetit* (id eſt, in vera citate non manſit, fuit mendax, ut Toletus & S. Irenæus lib. 5. cap. 22. & 23. exponunt. 2. in veritate, id eſt in integritate, rectitudine & perfectione: nempe in gratia, in juſtitia & ſanctitate, ut S. Auguſtinus, S. Chryſoſtomus, & S. Leo explicat: ſed Irenæum ſequere) *quia non eſt veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur* (ex iis quæ invenit, ut Origenes & S. Auguſtinus volunt 2. extrinſecis & intimis animæ ſuæ penetralibus, ſumma animi propenſione, ut Cornel.) *quia mendax eſt, & pater ejus*, nempe mendacii.

1. *Hæretici gladius eſt mendacium.*

30. Secundò, Galea ſalutis, id eſt, ſalutifera, vitam & caput animæ ſervans (hoc eſt, finem & intentionem) eſt ſpes in Deo: galea autem orci ac Plutonis, qua te occultes ne noceas aliis & ipſe pereas, eſt hæretica præſumptio. Hoc vitium eſt innatum hæreſi, ut alta ſapiat. Leontius lib in Neſtor. & Eutych. *Seipſos, inquit, ſapientes eſſe jubens, & ſunt tanquam ex juſſione & edicto prudentia præditi, quos eruditos eſſe effecit velle tantùm, ſicut eos quidem ex hominibus urbanè lepidè & venuſtè,* [illegible], *id eſt, ſummos philoſophos, vocavit.*

2. *Galea ejus eſt præſumptio.*

Tertiò, Lorica juſtitiæ, & ſcutum fidei protegunt fideles: hæreticis verò eſt infidelitas pro ſcuto & in juſtitia omnia jura humana & divina violans pro lorica. 1. Petr. 2. 16. *Velamen habentes malitiæ libertatem.* De Manichæis ait S. Cyrillus Jeroſol. catech. 6. *Gentiles non ſunt illis magis* [illegible] *ad biles; non Samaritæ magis athei: non Judæi magis impii: non adulteri, magis impuri.* De Luthero, Anabaptiſtis, Calvino, aliiſque, vide Spond. tom. 3. Annal.

Nota quintò, licèt hæretici ſagittent in obſcura Luna, id eſt, Eccleſia, tamen inſani ſunt qui Lunam ſagittis ſe poſſe impetere arbitrantur. Iſaias cap. 60. 20. prædixit. *Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.* Sol noſter eſt Chriſtus. Malach. 4. 2. Luna verò eſt Eccleſia. Pſalm. 88. 38. Hunc cœleſtem ſplendorem denotat Propheta in Pſalm. noſtr. cum ſubdit: *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes ejus.* De Eccleſia ait S. Chryſoſtomus tom. 3. hom. in verba Iſaiæ, Vidi Dominum, &c. [illegible], *Eccleſia cœlo ipſo firmius eſt fundata.* Itaque fruſtra hæretici nituntur illa fundamenta deſtruere, in Domino ac Deo cœlis confidentium.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

Tria continet ſpei in Deum fulcra. Primò, Majeſtatis ejus conſiderationem. Verſu 5. Secundò, Providentiæ erga juſtos, ibid. Tertiò, Juſtitiæ in ſceleratos. Verſ. 6. uſque ad finem.

PARAPHRASIS.

5. *Dominus in templo ſancto ſuo; Dominus in cœlo ſedes ejus.*

5. Quidni confidam in Deo rege meo ac Domino, qui cœleſti in throno ſuo, velut in ſanctiſſimo templo reſidens, omnibus hoſtibus meis licèt potentibus eſt ſuperior, iiſque pro nutu poteſt imperare & effrænem furorem comprimere.

Ea eſt

Oculi ejus in pauperem reſpiciunt, palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Ea eſt in tanta majeſtate benignitas, ut etiam pauperrimos, & omni humana ope deſtitutos aſpiciat, atque divinis radiis ſuis recreet: ea ſedulitas ac providentia, ut actiones omnium hominum attentiſſime conſideret, eas judicaturus.

6. Dominus interrogat juſtum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

6. Illas autem actiones conſiderat tam in piis quàm in impiis, & ſingulos meritis præmiis afficit. Itaque qui amat & ex interno affectu operatur iniqua, ille ſeipſum odit, & in ſe cœleſtem vindictam provocat.

7. Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

7. Nimbi enim inſtar vehementis, ultio divina in ſceleratos irruet, eosque ita implicabit & irretiet, ut ſe nequeant expedire. Sodomitis impares ignis ardore, fœtore ſulphuris, venti procelloſi nunquam ceſſaturo turbine & tempeſtate, torquebuntur. Hæc omnia illorum erunt hæreditatis & mercedis particula.

8. Quoniam juſtus Dominus & juſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.

8. Quid enim aliud à Deo exſpectet impius, cùm Deus ſit ipſa juſtitia, vitæque rectitudinem amet, ac benigno vultu aſpiciat & approbet?

QUÆSTIO UNICA.

Quantâ curâ ſervis ſuis providet Deus contra impios eorum perſecutores?

31. Fiduciæ in Deum cauſæ quatuor. SECTIONE ſuperiori David fugiens Saulem, declaravit ſe in Deo ſpem ſuam ponere, nec timere ſagittas hoſtiles. Nunc illius fiduciæ quatuor cauſas aſſignat.

1. Primo, quòd Deus ſit omnium rex ac Dominus, in cœlis habitans: unde uno lapidum jactu, ipſorum gigantum capita poſſit obterere. Verſ. 5. *Dominus in templo ſancto ſuo: Dominus in cœlo ſedes ejus.*

2. Secundò, quod Deus ſit cuſtos providus & oculatus ac pervigil, qui ſemper præ oculis ſuis oves habeat, Verſ. eod. 5. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt.*

3. Tertiò, quod Deus ſit examinator prudens omnium actionum cujuslibet hominis, Ibidem. *Palpebræ ejus interrogant filios hominum.* Sive ſint juſti, ſive non. Verſ. 6. *Dominus interrogat juſtum & impium.* Unde rectè concludit ſceleratos ſibi ipſis nocere. Ibid. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.*

4. Quartò denique, quod Deus ſit judex ſeverus, impios puniens, Verſ. 7. *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Et Verſ. 8. clariſſimè. *Quoniam juſtus Dominus & juſtitias dilexit; æquitatem vidit vultus ejus.*

ARTICULUS I.

Deus eſt in cœlo, ſicut in templo ſuo, unde homines aſpicit.

UT firma in Deo ſpes collocatur, neceſſarium eſt ut juvare poſſit & velit. Poteſtatem declarat ejus majeſtas, voluntatem benevolentia erga pios ſeveritas erga impios.

Verſ. 5. 1. Pars. 32. Prima cauſa ſpei in Deum eſt ejus majeſtas. Majeſtatem divinam, ut ſupremi totius orbis Domini, aperit Propheta, cùm eum in excelſiſſimo ejus loco thronum regium occupantem deſcribit, Verſ. 5. *DOMINUS IN TEMPLO SANCTO SUO* (ſupple, eſt, habitat, ſedet) *DOMINUS IN CÆLO SEDES EJUS.* id eſt, Dominus ſedes eſt in cœlo. Eſt Hebraiſmus. Solent enim Hebræi nomen antecedens ponere in nominativo, ipſius verò relativum in genitivo, ut jam aliàs monui. Sic Pſal. 56. verſ. 5. habetur. *Filii hominum dentes eorum arma* (Hieronymus lanceæ) *& ſagittæ*, id eſt, filiorum hominum (hoc eſt, hominum) dentes ſunt inſtar armorum atque ſagittarum per detractiones, contumelias, fraudes, jocos, blaſphemias, impuritates famam meam & animam vulnerantium. Et Pſal. 102. 15. *Homo, ſicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri ſic efflorebit*, id eſt, dies hominis cujuslibet ſunt ſicut fœnum, quod citiſſimè arefcit. S. Hieronymus aliter diſpungit & vertit; *Homo quaſi herba: dies ejus ſicut flos agri ſic efflorebit.* Sed noſtra verſio bona eſt ac retinenda. Non tantùm Hebræi ponunt relativum in genitivo, ſed etiam in alio caſu, & antecedens in nominativo, ut Matth. 12. v. 36. *Dico autem vobis, quoniam* (quod) *omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem* (Arabs, reſponſum) *de eo in die judicii.* id eſt de omni verbo otioſo, &c. reddent rationem. Non video tamen cur Lorinus ad has loquendi formulas revocet ea quæ ſequuntur in Pſalmo noſtro. Oculi ejus in pauperem reſpiciunt, palpebræ ejus interrogant filios hominum. Item, Juſtus Dominus, & juſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus. Præterea illud Lucæ 1. v. 49. Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. Nam hæ locutiones ſunt maximè latinæ, & explicatu faciles.

Quæres, Quodnam eſt illud templum, in quo Deus eſſe dicitur ac ſedere? Reſpond. primò cum Theodoreto, Theodoro Antiocheno, Euthym. Titelmanno, Clario, Oſorio, Cajet. Aria, & aliis, per templum intelligi materiale templum, id eſt, tabernaculum Moſaicum, aut etiam ipſum templum quod jam animo David prævidebat & exſtruere decreverat. Ibi enim Deus habitabat ſpecialiter, in propitiatorio, velut throno, ſuper alas Cherubim reſidens, & inde reddens oracula. 33. Templū Dei eſt 1. Locus materialis, ubi colitur.

Secundò, & meliùs, cum S. Hieronymo, ſancto Gregorio, Lyrano, Petavio, Bellarmino, Magn. Jenſenio, Agellio, Genebrardo & aliis, per templum intellige cœlum ſupremum, quod eſt templum non manufactum. Itaque ſecunda pars, *Dominus in cœlo ſedes ejus*, eſt explicatio prioris. Per Dominum denotari Filium vult Chaldæus cùm vertit, verbum Domini. Valentia autem, Patrem æternum. Ego totam Trinitatem accipio, cur enim Spiritus ſanctus excluderetur cùm de ſanctitate & loco ſancto agitur, cùm illi ſanctificatio tribuatur. Et quidem ter repetitur vox Domini, ut Trinitas perſonarum declaretur, *Dominus* (Pater) *in templo ſancto ſuo*: *Dominus* (Filius) *in cœlo ſedes ejus*. *Dominus* (Spiritus ſanctus) *interrogat juſtum & impium.* Aliter poſſis hæc diſtribuere. 2. Cœlū.

Quæres ſecundò, Cur cœlum vocatur templum? 34.
Primo, quia templum propriè eſt locus vel in cœlo Cœlum
vel in terra deſignatus ab augure: à tuendo, id eſt, vocatur
contuendo ſeu conſpiciendo dictus, quòd, ſicut dicit templū
Donatus, ex omni parte vel ex eo omnis pars poſſit & cur.
aſpici. Hoc autem primùm cœlo competit, quia
ipſum primo tuemur, id eſt, intuemur. Unde Primò.
Ennius cecinit: *Contremuit templum magnum Jovis altitonantis.* Templum Jeroſolymitanum erat in monte ſitum, ut qui ex imo valle illud aſpicerent, ſimul cœlum viderent, & ſcirent preces in templo & ſacrificia eſſe viam in cœlum. 2. ut ibi poſiti liberius ac ſine ullo obſtaculo cœlum contemplarentur. 3. ut inde terram ſibi ſubjectam deſpicerent ac pro nihilo reputarent. Sæpe etiam Chriſtiani templa in excelſis locis poſuerunt, & Pagani; unde templa aut ſacella idolorum ſæpe vocantur excelſa in Scripturis.

Secundò, cœlum eſt templum, quia eſt ab omni cultu profano remotum. Apoc. 21. 27. *Non intrabit in eam* (cœleſtem civitatem Jeruſalem) *aliquid coinquinatum*, id eſt, aliquis coinquinatus. Arabs reddit, Non intrabit in eam mendax: practicè ſcilicet mendax, id eſt, ſceleratus. Nam eſt mendacium oris, cordis & operis, ut dixi Pſal. 7. Debebant ſacerdotes Judæi lavare pedes & manus, id eſt, affectiones & operationes, in labro ſeu concha & vaſe æneo, quod erat inter altare holocauſtorum & tabernaculum ſive templum propriè dictum, antequam intrarent ad offerendum thymiama ſeu incenſum in altari thymiamatis, quod erat in Sancto, id eſt, in prima parte tabernaculi Moſaici ſeu templi Salomonis. S. Anno Archiepiſcopus Colonienſis à cœlo, ubi S. Hebertus, Arnurphus, Bardo, aliique Epiſcopi apparebant glorioſi, ſibique ſolium auguſtum paratum videbat, excluditur, eò quod veſtem ejus cæteroqui pulcherrimam turpis macula fœdaret. Macula autem illa erat memoria injuriæ ſibi illatæ à civibus Colonienſibus, qui eum Colonia expulerant. Evigilans ergo pœnituit, civesque à ſe excommunicatos boniſque ſpoliatos abſolvit, boniſque reſtituit, ut tradit Lambertus Schafnaburgenſis in hiſt. German. anno 1075. Secundò.

Tertiò,

Tertiò, Tertiò, Cœlum eſt templum, quia ibi manet Deus, & ſua reddit oracula, ſeque videndum exhibet, longè magis quàm in propitiatorio arcæ, quæ erat in Sancto Sanctorum, id eſt, in loco ſanctiſſimo templi ſeu tabernaculi, ubi nulla erat feneſtra, & quò cùm ſemel in anno penetrabat ſummus Pontifex in die expiationis (id eſt, purgationis & emundationis generalis tabernaculi, & totius populi, decima die menſis ſeptimi, hoc eſt, Septembris) debebat ſtatim thus offerre, ut nube illa thuriſera impediretur, ne videret Angelum ſedentem vice Dei in propitiatorio, ne moreretur. Levit. 16. 13 & quidem ait Deus, id eſt, Angelus ejus vicarius. Verſu 3. *In nube apparebo ſuper oraculum*, id eſt, ſuper propitiatorium. q. d. mihi formabo corpus aërum, & ſedebo ſuper arcam in propitiatorio, ſuper alas duorum Cherubim aureorum, qui in ea ſtant ex utraque parte, arca autem erit ſcabellum pedum meorum. Deinde in Sancto ſanctorum nulla erat lucerna, ſed candelabrum aureum ſepticeps erat in Sancto. Tertio, cùm Pontifex ingrediebatur Sanctum ſanctorum, ne alii quidem ſacerdotes poterant manere in Sancto, ne vel minimam partem illius viderent. At verò in cœlo empyreo eſt lux æterna & nunquam extinguenda ipſe Deus & Agnus, non jam in nube & per Angelum apparens, ſed *ſicuti eſt*. 1. Joan. 3. 2. *& facie ad faciem*. 1. Cor. 13. 12. & quidem *revelatâ facie*. 2. Cor. 3. 18.

Quartò. Quartò, Cœlum eſt templum, quia eſt locus laudibus Dei deputatus. Sic in cœlo, ut templo vidit Iſaias Deum, & Seraphim alternis choris ei accinentes, *Sanctus ſanctus, ſanctus* (Pater, Filius, ac Spiritus ſanctus) *Dominus Deus exercituum* (cœleſtium, & terreſtrium) *plena eſt omnis terra gloriâ ejus*. Totam Trinitatem David noſter contemplatur & prædicat, ut vidimus, & Iſaias etiam, ut docent Tolet. & Maldon. in cap. 12. Joan. neque tantum per concomitantiam unius perſonæ, putà Patris; ſed per ſe, primariò, directè & expreſſe. Quòd autem cœlum Iſaias viderit inſtar templi, patet c. 6. verſ. 1. *In anno quo mortuus eſt Rex Ozias* (qui & Azarias dicebatur, & regnavit annos 52.) *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, & ea quæ ſub ipſo erant*, (Hehr. שוליו *ſulau*, id eſt fimbriæ ejus, hoc eſt veſtium ejus) *replebant templum*, non Salomonis, ut putavit Pradus in prima viſione Ezech. ſect. 6. ſed cœli, ut Cornelius exponit. In cœlo enim vidit templū auguſtum, quod tamen erat ſimile templo Jeroſolymitano. Unde vidit in eo altare, & Solium Dei inſtar propitiatorii, id eſt, aurei operculi arcæ, & Seraphinos inſtar Cherubinorum Moſaicorum ex auro, & Salomonicorum ex olea, qui in Sancto ſanctoru erant ex utraque parte arcæ.

Quintò. Quintò, Cœlum eſt templum, quia in cœlo Sancti orant pro nobis, ut vidit S. Joannes Apoc. 4. vidit enim in cœlo templum, vel potius ipſum cœlum empyreum, velut templum pulcherrimum ſimile Salomonico: conſpexit enim ibi thronum inſtar propitiatorii, ſeptem lampades inſtar candelabri aurei, mare vitreum pro mari æneo, animalia pro Cherubinis. Et cap. 5. *Cùm aperuiſſet librum* (Agnus id eſt Chriſtus, Apocalypſim) *quatuor animalia* (quatuor Angeli, qui repræſentabant quatuor Cherubim Sancti ſanctorum: duos ſcilicet aureos Moſis, & duos oleaginos Salomonis) *& viginti quatuor ſeniores* (principes, in templo erant 24. principes Sacerdotum, qui in vice ſua omnibus præerant, omniaque in templo dirigebant, ſupremi claſſis ſuæ Sacerdotes, quia erant 24. familiæ ſacerdotales ex Eleazar & Ithamar filiis Aaron procedentes, qui ſic diſtributi non per ſe, ſed per Sadoc & Achimelech) *ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas & phialas aureas, quæ ſunt orationes Sanctorum*: id eſt, ſymbolum ſunt orationum quas Sancti fundunt: ſunt eorum orationes ſuaviſſimum thymiama & ſuffitus Deo. In cœlo non ſunt phialæ aureæ, ad offerendas orationes; ſed hæc viſio S. Joannis erat imaginaria, non realis.

Dices, S. Joannes deſcribens ſanctam civitatem
35. Cur in cœlo non viderit templū S. Joan. Jeruſalem, ait Apocal. 21. 22. *Templum non vidi in ea, Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt & Agnus*. Reſp. non vidiſſe tunc S. Joannem locum ullum ſpecialem, qui templum eſſet, quia tota illa civitas eſt templum: Nam ubique Deum omnes tuentur, id eſt intuentur. Et hoc eſt quod dicit, Dominus Deus templum illius eſt, id eſt, in ſeipſo ubique videtur à Beatis Deus, & in ſeipſo, ut loquitur Cornelius, majeſtatem omnem templi continet, eamque quaſi omnipotens totam Beatis fruendam & poſſidendam communicat. Pari modo Agnus & templum Beatorum: tum quia Chriſtus quà Verbum eſt Deus, Deoque Patri æqualis: tum quia quà homo, ſua gloria animæ & corporis mire recreat Beatos, ab eiſque quaſi Salvador & Redemptor colitur & adoratur. Alcazar Chriſtum hominem comparat Sancto: Deum autem Sancto ſanctorum. Supervacaneum ergo in cœlo eſt templum, ubi Dei & Chriſti claritas immenſa Beatos tenet in ſui contemplatione defixos, ita Cornelius.

Nota, cùm dicitur hîc *Dominus in templo ſancto ſuo*, in textu Hebr. Chald. Syr. Arab. pro templo eſt 36. היכל
היכל *becal*, quæ vox licèt ordinarie ſumatur pro Sancto, id eſt prima templi parte, in qua erat altare thymiamatis, menſa panum propoſitionis & candelabrum (ſicut Sanctum ſanctorum vocatur דביר *debir*, id eſt, oraculum; ubi erat arca cum propitiatorio & Cherubinis) tamen ſæpè ſignificat, totum templum, quatenus continet & Sanctum, & Sanctum ſanctorum. Propter י *jod*, ait Mercerus, ſunt qui reducant ad radicem יכל *jacol*, id eſt, potuit, quod hoc nomine Baſilica ſeu Regia, Aula Atrium, Palatium ſignificetur, ubi Rex aut Dominus aliquis prævalet, potenter regnat aut dominatur. Hinc & tabernaculum fœderis ſeu conventus, & poſteà templum Salomonis hoc nomine dictum eſt, quod ibi tanquam in aula peculiarem Deus majeſtatis ſuæ præſentiam & potentiam exhiberet & declararet. Franciſcus Raphelengius in lexico Arabico ait *becal* ſignificare majeſtatem & præſentiam Dei. Illam autem ſe maximè in templis. & in cœlo præſertim oſtendit. Syr. autem & Chald. *becal* etiam ſignificat templum & palatium, ut ait Joannes Buxtorfius. Itaque eâ te reverentia in templis gere, quâ coram Rege in throno ſuo regio ſedente aſtantibus principibus, & Deum Regem in cœlo contemplare orbi dominantem, plus tutantem, coram quo ne hiſcere quidem audeat vel poſſit ſceleratus, Habacuc 2. 20. *Dominus in templo ſancto ſuo, ſileat à facie ejus omnis terra*. Eſt metalepſis. Sileat, id eſt timeat, revereatur, honoret, colat, obſtupeſcat. Arabs vertit, *timeat ante eum univerſa terra*. Syrus, contremiſcat coram eo. Septuag. revereatur eum omnis terra, id eſt, omnis homo. 2. Præſertim homo terrenus & peccator. 3. Omnes creaturæ, & ſic erit ſynecdoche & catachreſis. Antiochus Epiphanes, licèt impius, à Deo tamen percuſſus dicebat, 2. Mach. 8. 12. *Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire*, & Nabuchodonoſor à ferina forma & vita ſibi reſtitutus, clamabat, Dan. 4. 31. & 32. *Ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum levavi, & ſenſus meus redditus eſt mihi* (quamdiu oculos in cœlum non levavit, beſtia fuit) *& altiſſimo benedixi, & viventem in ſempiternum* (Chald. viventem ſæculorum, id eſt, per infinita ſæculi. Syri Deum nuncupant gigantem ſæculorum, qui ſcilicet ſua æternitate major eſt omni duratione, ut dixi aliàs,) *laudavi & glorificavi: quia poteſtas ejus poteſtas ſempiterna, & regnum ejus in generationem & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt: juxta voluntatem enim ſuam facit tam in virtutibus* (חיל *hel*, id eſt exercitu, ut vertit Pagnin) *cœli, quàm in habitatoribus terræ: & non eſt qui reſiſtat manui ejus* (vel nutu aliquid deſignantis, & digiti motu: tantum abeſt, ut quis fulmini poſſit reſiſtere) *& dicat ei: Quare feciſti?* Et verſ. 34. ſubjicit: *Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico glorifico Regem cœli, &c.* Unde rectè colligunt S. Epiphanius in vita Danielis. Lyranus, Dyonifius Card. probabiliter habuiſſe contritionem de peccatis, juſtificatum fuiſſe & ſalvatum, cum paulo poſt iit mortuus. Cur Deus in cœlo dicatur habitare, dixi Pſ. 2. 4. Qui habitat in cœlis, irridebit eos. Vide ibi dicta.

Allegoricè. *Dominus in templo ſancto ſuo*, id eſt, 37.
in Eccleſia. q. d. Propheta. Quamvis vos hæretici Alleg.
averſemini Eccleſiam, tamen Dominus in templo Eccleſia
ſancto ſuo ſedet, & in templo erit; hoc eſt in Ec- eſt Chri-
cleſia, 2. Corinth. 6. 16. Vos eſtis templum Dei ſti tem-
vivi. Dominus in templo ſancto ſuo: id eſt in Ec- plum.
cleſia, quam ſibi exhibuit ſanctam. Ita S. Hieron. Templum Dei violat, qui violat Eccleſiæ unitatem, ut ait S. Auguſt. id autem faciunt hæretici, de quibus eſt hic pſalmus initio. Secundo, Templum ſanctum Dei, ait Lyranus eſſe humanitatem Chriſti: quia ut ait Paulus Coloſſ. 2. 9. *in ipſo inhabitat* (κατοικεῖ, habitat permanenter) *omnis plenitudo divinitatis* (id eſt, plena & tota divinitas) *corporaliter*, id eſt realiter ac ſubſtantialiter: per unionem veram, propriam, realem, & ſubſtantialem: non

vero

verò phantaſticè, ut docuerunt Manichæi: non tantum per accidens, nempe per motum atque operationem, ut Neſtoriani: non umbraticè, ſicut ſediſſe in propitiatorio arcæ Judaicæ diximus ſuprà.

38. Trop. *Templum eſt anima juſti 1. quia eſt Deo conſecrata.*

Tropologicè. Caſſiodor. Beda, Remig. Gloſſa, Ugo Cardin. & alii, per templum & cœlum intelligunt animam juſti: quæ quomodo ſit cœlum, dicam Pſ. 18.1. Eſt vero templum primò, quia eſt conſecrata Deo, 1. Corinth. 3. 17. *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* cap. 1. 2. & 3. eos ſic ſalutat: *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto JESU, vocatis ſanctis* (id eſt vocatione ſanctis, vocatis ad ſanctitatē, Syrus vertit, vocatis & ſanctis) *Gratia vobis & pax* (ſit) *à Deo Patre noſtro, & Domino JESU Chriſto.* Lege S. Bern. ſerm. 1. de Dedicatione templi & materialis, & ſpiritalis.

2. In ea Deus ſpecialiter habitat.

Secundò, Deus ſpeciali modo in tabernaculo Moſaico & templo Salomonis, & longè magis in noſtris ſe præſertim exhibere eſt dignatus. Ita in anima juſti, ut oſtendi aliàs. Et Paulus mox cit. 1. Corinth. 3. 17. docet: *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* per fidem, ſpem, charitatem, gratiam, virtutes omnes ac dona ſua, ut S. Anſelm. & cæteri exponunt.

3. Ibi eſt altare holocauſti, per jugem mortificationem.

Tertiò, in tabernaculo ſeu templo erat altare holocauſtorum, ubi victimæ Deo offerebantur in igne perpetuo. Ita mortificatio victimas offert in anima juſti per ignem charitatis, ſive igne afflictionis. 1. Rom. 12. 1. Obſecro itaque vos fratres, *per miſericordiam* (Græc. διὰ τῶν οἰκτιρμῶν, id eſt, per miſerationes) *Dei, ut exhibeatis* (παραστῆσαι, id eſt, ut ſiſtatis, ſicut vertit Syrus) *corpora veſtra hoſtiam viventem*, id eſt, charitate ſirmatam, ut aliqui explicant: vel potius, viventem per viva opera novæ vitæ ſpiritualis, nempe per opera charitatis, eleēmoſynæ, orationis, & aliarum virtutum, ut Origenes, & S. Chryſoſtomus exponunt. *ſanctam, Deo placentem, rationabile* (moderatum & rationabile, non nimium, ut ait S. Thomas) *obſequium veſtrum.* Pſ. 50. 18. declarat David, illud animæ ſacrificium Deo eſſe acceptius, quàm ſacrificia illa cruenta, ait enim: *Si voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus* (id eſt, ut explicat Petavius, ſpiritus dolens de peccatis eſt Deo inſtar omnis ſacrificii) *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Eſt Mioſis, ſeu imminutio: parum enim dicitur, & multum intelligitur. Non deſpicies, id eſt, recipies cum affectu & magna charitate, ut patuit in prodigo. Luc. 15. 20. & ſeq.

39. *4. Ibi eſt labrum æneum, pœnitentiæ, quæ animam purificat.*

Quartò, in tabernacolo Moſaico erat labrum æneum, & in templo Salomonis mare æneum, de quo 3. Reg. 7. 23. dicitur: *Fecit quoque Salomon mare fuſile, decem cubitorum à labio uſque ad labium, rotundum in circuitu, quinque cubitorum altitudo ejus.* Mare vocat concham ingentem, quæ magnā vim aquarum capiebat, ad manus & pedes Sacerdotum (hi enim nudis pedibus miniſtrabant in templo) aqua inde profluente abluendum. Unde vocatur *Luter*, id eſt, lavacrum à fine & uſu, ſed à capacitate huc vocatur *mare*, idque *fuſile*. id eſt fuſum ex ære. Erat *rotundum*: unde diameter ejus erat decem cubitorum à labio uſque ad labium, id eſt, ab uno extremo peripheriæ, uſque ad aliud ei oppoſitum: altitudo ejus erat quinque cubitorum. Rurſum inſiſtebat duodecim bobus ex ære fabrefactis, qui vultibus ſuis reſpiciebant quatuor mundi plagas. Adde, huic mari, ſive conchæ, inſculptæ erant effigies Cherubim, leonum, boum, & palmarum. Denique mare hoc erat in atrio Sacerdotum juxta altare holocauſtorum, ita Cornel. Per illud mare pœnitentiam rectè accipies, ſicut per labrum ſive luterem æneum Moſis ſumpſit S. Gregor. homil. 17. in Evang. & Beda lib. 3. de Tabernaculo, cap. ult. Et quidem primò dicitur mare ob amaritudinem pœnitentiæ. 2. Fuſile, ob laborem inflectendi mentem, & domandi pravos habitus. 3. Decem cubitorum, quia lavat omnia peccata in Decalogum admiſſa. 4. Rotundum in circuitu, quia debet eſſe perfecta, & de omnibus peccatis. 5. Quinque cubitorum altitudo, quia quinque ſenſus purgat. 6. Totum eſt æneum, ob conſtantiam & robur mentis. 7. Ponitur ſupra duodecim boves æneos, quia domat undecim paſſiones & amorem proprium eas exacerbantem & inficientem, atque in obſtinatione confirmantem. 8. In mari hoc erant inſculptæ effigies *Cherubim*, ob prudentiam, quæ debet dirigere pœnitentiam: *Leones*, ob juſtitiam quam ſumit de peccatore: *boves*, ob temperantiam: *palmæ*, ob fortitudinem, quà victoriam obtinet. 9. Mare illud erat prope altare, quia à Deo petenda eſt efficacitas pœnitentiæ.

40. *5. Eſt candelabrum fides, & menſa ſpei.*

Quintò, In Sancto ipſo erat primò candelabrum aureum cum ſeptem ſuis lucernis, id eſt, fides cum ſeptem donis Spiritûs ſancti. Secundò, menſa aurea, cui ſuperponebantur duodecim panes propoſitionis (id eſt, qui ante Deum in propitiatorio reſidenteм ponebantur: qui etiam dicebantur panes facierum, quia erant poſiti ante faciem & conſpectum Dei (erat ſymbolum ſpei, quà à Deo nobis neceſſaria ad cibum & ſpiritualem & corporalem expectamus, & ſymbolum duodecim fructuum Spiritus ſancti: ponebantur enim ibi ſingulis ſabbathis calidi panes duodecim, qui manebant totâ ſeptimana) id eſt totâ vitâ noſtrâ, quæ repetitis ſeptimanis volvitur. Tertiò, in Sancto erat altare aureum, ubi quotidie manè & veſperi offerebatur ſuffitus ſeu thymiama factum ex ſtacte, id eſt, myrrhæ prima gutta, onyche, Galbano & thure ſimul conſuſis: pœnitentia perfecta habet auream charitatem cum oratione contrita. De illis fusè Pſalm. 140. 2. & alibi.

Et altare aureum charitatis.

Sextò denique. In Sancto ſanctorum erat arca aurea intus & foris legem continens. Pœnitentia perfecta non tantùm emendat præterita, ſed totam legem in poſterum ſervare proponit, cum ſapientia quam aurum figurat, & cum incorruptione in lignis ſetim arcæ repræſentata: ſtatuit enim potius mori, quàm peccare. Secundò, ibi erat urna aurea continens manna. Pœnitentia ardorem ingenerat percipiendi manna cœleſte in Euchariſtia. Tertiò denique, erant duo Cherubim aurei, ſedem Deo, id eſt, Angelo ejus vicario, facientes ſuis alis. Pœnitentia præparat mentem, ut Deum contempletur, cognoſcat, in animo collocet, eum retineat, cum eo colloquatur, eoque in æternum fruatur. Vide Riberam quem tibi intactum relinquo: de his agit lib. 2. de templo, cap. 17.

41. *6. Arca aurea, id eſt obſervatio legis Urna habens manna id eſt, Euchar.* Cherubini, id eſt contemplatio Dei.

Ludolphus ait, virum juſtum eſſe *templum*, ob fidem: cœlum verò, ob contemplationem. Bruno, *templum* eſſe ob fidem in Deum, à quo noſcuntur cordà rectè credentium poſſideri, *cœlum* verò, ob inhabitationem Dei in illis, quod Lorinus interpretatur de beatis in cœlo; ſed credo Brunonem loqui de Sanctis in hac vita, certum enim eſt, in cœlo longè præſtantiores fore cœlo. S. Thomas ait, virum juſtum eſſe *templum*, propter devotionem. *cœlum*, propter ſapientiam. Remig. autem ſic diſtinguit: *Fideles, ait, vocat David & templum, & cœlos; ſed minores poſſunt dici templum: majores, cœlo.* Sinarum Regem domeſtici omnes eunuchi & nobiles fœminæ vocant *Chu*, id eſt dominum: vel *Thienzu*, id eſt, filium cœli. Semedo lib. 1. cap. 22.

42. Vir juſtus eſt templū & cœlum.

Poſt majeſtatem Dei ac poteſtatem juvandi cognitam, videnda eſt ejus voluntas benigna ad juvandum. Hanc declarat Propheta verſ. eodem. 5. OCULI EJUS IN PAUPEREM RESPICIUNT: PALPEBRÆ EJUS INTERROGANT FILIOS HOMINUM. q. d. Dominus eſt in templo ſancto ſuo, nempe in cœlo, ibique toti orbi dominans ſedet in throno regio, non ſolùm rebus cœleſtibus, ſed etiam terrenis intentus, & abjectiſſimos quoque & ope deſtitutos aſpicit, ut eos adjuvet: itaque nihil eſt, cur timeant arcus & ſagittas & pharetras aliaque arma hoſtium ſuorum. Ita Janſen. Angel. Bellarm. Fuleng. Titelmannus, Petavius.

Verſ. 5. 2. pars. 43.

Nota, in Hebr. Chald. & Syr. tantùm eſt, *oculi ejus reſpiciunt.* Theodoretus legit, ἐπιβλέπουσι τὴν οἰκουμένην, *reſpiciunt in orbem terræ.* Sept. verò, ἐπιβλέπουσιν εἰς τὸν πένητα, *reſpiciunt in pauperem*: perinde quaſi omnis Dei aſpectus benignus ad pauperes & afflictos dirigatur, & Deus ſe orbi ſuccurriſſe cenſeat, cùm ſubvenit pauperibus. *Tò, in pauperem* legit S. Chryſoſtomus, S. Baſilius, S. Greg. Nyſſen. orat. de paupert. amand. Origenes, Euſebius, Didymus, S. Auguſt. Arabs, & alii. Hunc autem pauperem intelligunt populum Chriſtianum Hiero. Auguſtinus, Bruno. De omni paupere accipe etiam cum Bellarm. Magn. Genebr. & aliis. De paupere ſpiritu exponit Joan. de Paſtura: Nullum excludo, ſed præſertim pauperibus ſpiritu Deus in cœlo ſedens providet, quia ſcit eorum eſſe regnum cœlorum, Matth. 5. 3.

Benignis oculis Deus pauperes aſpicit.

44. Oculi pauperem

Quæres, Quibus oculis Deus aſpicit pauperem? Reſp. 1. Sua providentia. Oculi ejus reſpiciunt, id eſt, Deus omnibus providet, ait Mariana. Non cœleſtia

aſpicientes ſunt 1. Providentia. cœleſtia tantùm curat, ſed è ſupremo cœlorum conſpicit etiam quoſcunque homines, ac potiſſimum pauperes & afflictos: quorum etſi videatur aliquando oblitus, ipſe tamen eos conſiderat, & quæ illorum ſint ab impiis tribulationes, & quæ ipſorum in malis tolerantia. Ita Janſenius: Lux ex illis oculis Dei amicat, & mentem recreat. Potavius vertit, *Καὶ ὄμματα δ' ἐπὶ πτωχὸν τρέπει ἰλαρὰ* *Curam autem gerens, ad mendicum vertit oculos ſerenos.*

2. Miſericordia. Secundò, oculi Dei ſunt ejus miſericordia. Deus, ait Beda, miſericordiæ reſpectum exhibet circa pauperem ſuum ſalvandum. Et Remigius: *Sedet*, inquit, *in cælo Deus, hoc eſt, in ſanctis, ſed quos ipſe oculos fecit reſpectu miſericordiæ ſuæ, non merito illorum.* Hoc viderat Propheta, cum dicebat, Pſ. 32. 18. *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum: & in eis qui ſperant ſuper* (Tertull. lib. 2. contra Marcion. cap. 19. legit in) *miſericordia ejus* (facile equitat, quem gratia Dei portat) *ut eruat à morte animas eorum.* Pſal. 33. 16. *Oculi Domini ſuper juſtos: & aures ejus in preces eorum.* De auribus dixi, Pſ. 9. 12. & 41. De oculis, Eccl. 34. 15. dicitur: *Spes illorum* (timentium Deum: *in ſalvantem illos, & oculi Dei in diligentes ſe.* De Sponſa, id eſt, anima ſancta, ait Sponſus, Cant. 9. 4. *Vulneraſti cor meum* (Sept. *ἐκαρδίωσας ἡμᾶς*, id eſt, excordaſti nos Vatabl. abſtuliſti mihi cor. S. Ambroſ. in Pſ. 118. ſerm. 16 Cor meum cepiſti. R. David, transfixiſti mihi cor) *ſoror mea ſponſa: vulneraſti cor meum in uno* (per unum) *oculorum tuorum.* Id eſt, per cor mundum, ut explicat Aponius: in cura ſalutis ut Richard. à S. Victore: in contemplatione cœleſtium, ut Theodoretus: in intentione rerum ſpiritualium & æternorum, ut Juſtus Orgelitanus: in ſtudio virginitatis, ut S. Hieron. lib. 1. in Juvinianum. De Sponſo dicat Sponſa, ſe in uno ictu oculi miſericordiæ ejus ſpem & amoris flammam concipere Lombardus Epiſc. Pariſienſis, ſententiarum magiſter cognominatus, in Pſalmo noſtro, ait: *Reſpectus Dei, & auxilium, & lux ſunt eſt. Et ideò non ſunt timendi tumultus tribulationum qui in rebus ſiunt, antequã ad littus æternitatis veniatur.* Oculos Dei ait eſſe ejus miſericordiam: In fluctibus ac tempeſtate ſumus, ſi Chriſtus nos aſpicit, ut ſtella polaris, non tantùm portum videmus, ſed etiam ſecuri tenemus. Aſpiciendo enim juvat, & ad navem intrat pauperum Apoſtolorum, etiam cùm fluctuat de nocte, Marc. 6. 51. Illuſtre eſt quod refert Sponden. an. 1527. de Petro Cordubenſi Ord. S. Dominici, qui in Hiſpaniolam inſulam miſſus, multis Indorum ad Chriſti fidem converſis, plurimiſque monaſteriis & Eccleſiis ædificatis, provinciam S. Crucis ibi condidit. Aliquando navi omni apparatu nautiſque vacua, Chriſto Domino & S. Dominico, altero in prora, altero in puppi apparente, ducentas leucas ſpatio viginti quatuor horarum confecit. De ſene quodam, & Chriſto ducente ejus navem, aliàs rem adhuc admirabiliorem attuli.

45. 3. Providentia & miſericordia ſimul. Tertiò, & melius, Dionyſius Carth. duos oculos dat Deo nempe miſericordiam, & providentiam ejus. Hi ſunt oculi columbæ, quæ ſedent ſuper (id eſt juxta) aquas, hoc eſt, afflictiones juſtorum, ut in iis formam ſuam imprimant, & ſui memoria dolorẽ molliant, atque opem afferant. Cant. 5. 12. ait Sponſa Sponſum alloquens: *Oculi tui ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ*, (hoc eſt, quæ ſunt candidiſſimæ atque puriſſimæ, perinde ac ſi eſſent ablutæ lacte, & lacteum candorem imbibiſſent) *& reſident juxta fluenta pleniſſima.* Nota, vox *columbæ* non eſt genitivus ſingularis, ſed nominativus pluralis, ut patet ex Hebræa יונים *jonim*, & Græco *περιστεραί*: unde & ſubditur, quæ lacte ſunt lotæ in plurali, non quæ lota eſt. Comparantur ergo oculi ſponſi duabus columbis, quæ reſident ſuper rivulos aquarum, & fluenta pleniſſima: tum quia columbæ delectantur aquis, ut in iis ſeipſas velut in ſpeculo ſpeculentur, utque iis ſe abluant: ſunt enim nitoris amantiſſimæ. tum ut in iis videant umbrã accipitris, itaque ejus ungues avolando effugiant: tum quia oculus in ſuo orbe & cavitate humida reſidens & innatans, ſimilis eſt columbæ reſidenti & innatanti aquis, ex orbe enim hoc oculorũ ſtillant lacrymæ, ceu aquæ ex fonte. Unde Hebræum עין *ain*, tam oculum quàm fontẽ ſignificat. Quod enim fons eſt in terra, hoc in homine eſt oculus: ille ſtillat aquam, hic lacrymas: ille orbicularis eſt, hic rotundus: Dicit ergo, oculos ſponſi explere ſignificatũ nominis ſui *ain*, quia ſimiles ſunt fonti: Natat in orbe ſive cavitate ſua natant quaſi aquæ in fonte, ex eoque aquæ lacrymarũ emanant. Ita Cornelius: Malim nunc dicere, oculos Chriſti eſſe fontes miſericordiſſimæ pietatis & providentiæ erga omnes quos aſpicit, ut patet in Samaritana quam vidit, cum ſederet ſupra fontem, Joan. 4. 6. *Erat autem ibi fons Jacob* (prope Sichar, id eſt, Sichem, ubi fuit corrupta Dina filia Jacob à Schem filio Hemor, nunc vocatur Peloſa vel Napoloſa Jacob foderat puteum, qui hic fons dicitur. Ut enim ait S. Auguſt. Omnis puteus eſt fons, non autem omnis fons eſt puteus: & Feſtus dicit fontem appellari à fundendo, quòd effundat aquas) *Jeſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Suprà, id eſt, juxta, vel certè omninò ſupra lapidem puteo circumpoſitum. Venientem autem Samaritanam miſericordiæ aquâ ſaliente in vitam æternam potavit & ſalvavit. Hæc eſt aqua viva ex fonte vivifico fluens. Erant oculi Jeſu ſicut columbæ, quæ lacte ſunt lotæ juxta fluenta pleniſſima, cùm Petrum & Andream ad ſe vocavit, Matth. 4. 18. *Ambulans autem Jeſus juxta mare Galilææ*, id eſt, mare Tiberiadis, ſeu lacum vel ſtagnum Geneſareth ſic enim etiam vocatur, & adjacet urbi Capharnaum, in qua Chriſtus domum habebat) *vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare* (omnia ſua maritimadi committentes) *erant enim piſcatores. Et ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Quàm potens fuerit hic aſpectus, ſubditur verſ. 20. *At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Potentior adhuc fuit in Joanne & Jacobo, nam retia, navem & patrem reliquerunt, verſ. 21. Et in Matthæo telonario, Matth. 9. 9. qui multam pecuniam reliquit. & in Zachæo, Luc. 19. 8. qui dimidium bonorum ſuorum dedit pauperibus, & ſi quid defraudaſſet, reddit quadruplum. Et in ipſo Petro ad pœnitentiam aſpectu provocato. Luc. 22. 61. *Et converſus Dominus reſpexit Petrum* (qui eum negaverat etiam cum execratione) *& recordatus eſt Petrus verbi domini, &c. & egreſſus foras flevit amarè.* Oculis Jeſu miſericordis has aquas & torrentes elicuit, & cum impetu fluere fecit.

Non tantùm Chriſtus aſpicit juſtos, ut eos illuminet & recreet, foveatque, ſed etiam impios, ut opera tenebrarum aperiat & confundat, verſ. eod. 5. Verſ. 5. 3. Pars. 46.

PALPEBRÆ EJUS INTERROGANT FILIOS HOMINUM, id eſt, de veteribus regeneratos per fidem, ut S. Auguſt. explicat; id eſt, ait Beda, qui per pœnitentiam veteris hominis ſunt regenerati in novum hominem: hoc eſt, bonos ut ait Lombardus. Secundò, *filios hominum* intelligit plebeios & tenues, Mariana: & probat, quia in Hebræo eſt *filios Adam.* Tertiò, melius Euthymius *filios hominum* ſimpliciter intelligit omnes homines tam bonos quàm malos. Huic malim hærere, quàm Magnetio, qui de malis tantùm exponit. Nam 1. ſequitur, *Dominus interrogat juſtum & impium*, quod videtur explicatio iſtorum verborum, *Palpebræ ejus interrogant filios hominum.* 2. Filii hominum ut Syr. Arab. Hier. Noſter, Muſius, ponuntur pro hominibus, ſicut filii Achivorum pro Achivis. Felix vertit, filios hominis, id eſt, Adami.

Palpebræ 3. ſignificant. Nota, Palpebræ tria poſſunt hic ſignificare. Primò, oculos, & erit ſynecdoche. Ita S. Greg. Nyſſ. & Bellarm. 2. Palpebras alii ſumunt pro ciliis, id eſt, pro pilis qui ſunt in extremitate palpebræ. Tertiò, palpebræ ponuntur pro ipſis genis ſeu pellibus oculos tegentibus. Tull. ait in Piſonem. M. Regulus, quem Carthaginenſes reſectis palpebris vigilando necaverunt. Et lib. 2. de Nat. deorum: Munitæque ſunt palpebræ, tanquàm vallo pilorum. Dictas cenſet eſſe palpebras Caſſiod. & Bruno, à palpitando, id eſt, tremendo; aliqui à palpando hoc eſt prætentando, derivant. Eas enim natura dedit hominibus, velut quoddam vallum oculorum, & prominens munimentum contra occurſantia animalia, vel alia fortuitò incidentia. Ab Hebræis palpebræ vocantur עפעפים *aphah*, à celeri vibratione ac motu. Rad. עוף *uph*, volare. Significat enim *apha*, & fulgorem, claritatem ſplendorem, pupillam oculi, ut ait R. David in lib. Rad. & Pagn. in theſauro. Sic Job 41. 9 de Leviathan dicitur: *Sternutatio ejus, ut ſplendor ignis, & oculi ejus, ut palpebræ* (Hebr. *aphaffe*, id eſt, ſplendores, ut vertit Pagn.) *diluculi*; id eſt, auroræ, ſicut Aria. & Pagn. habent. 1. 2. 3.

47. Interrogare. Quæres, Quid eſt Deum *palpebris interrogare* filios hominum? Reſp. 1. pro *interrogare* eſſe in Hebr. & Chald. בחן *bahan*, id eſt, probare, ut vertit Muſius, Felix, Pagn. Arias, S. Hier. Item Syr. בחר *bevar*,

bechar, probare, explorare, animadvertere, perſpicere, contueri, attentè intueri. Inde *veoir* Gallicum malè deduces. Lorinus & Agellius dicunt Hebr. *bahan*, indicare probationem quæ fit in metallis per ignē. Sicut autem igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus. Confirmari poteſt illa ſignificatio ex cap. 23. 10. Job. & Zachar. 13. 9. Metaphoricè porrò dicitur interrogare, ſive probare, id eſt tentare, ſive examinare, quando perfectè diſcernit ac dijudicat, quod homines non poſſunt ſæpenumero facere, niſi interrogando & examinando. Ita Bellarm. Non tantùm eſt metaphora, ſed etiam metalepſis, quia ponitur antecedens pro conſequente, nempe interrogare pro perfectè cognoſcere. Ubi nota, prudentiam & moderationem nos inde edoceri, ut non prius de re aliqua judicemus quàm de ea diſquiramus. Venerunt Angeli Sodomam, antequam illam everterent, ut rei veritatem diſcerent, Gen. 18. 21.

Reſp. 1. Deus *palpebris interrogat* filios hominum id
48. Interrogare palpebris eſt 1. eſt, primò ſummâ facilitate & claritate videt, q. d. ait Theodor: *Sufficiunt tibi ſolæ oculorum palpebræ, ut humana omnia pernoſcas.* q. d. ait Titelman. Non dico oculis (ſed modo quodam humano per exceſſum loquendi) ipſis etiam palpebris perſpicere valet Deus, quæ ſunt in filiis hominum, eoſque ſecundùm juſtitiam & injuſtitiam diſcernere, ita ut hoc ei pro minimo ſit, & omninò facillimum. Ita ipſæ Palpebræ ipſæ oculorum Dei ſunt luminoſæ, non eſt neceſſe, ut pupilla utatur ad cernendum, Eccl. 23. 25. *Omnis homo qui transgreditur lectum ſuum* (Tigur. temerator throni ſui) *contemnens animam ſuam, & dicens: Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me* (Syr. *tectum domûs meæ ſuper jacet mihi*: ſic ſe putat latere Deum è cœlo intuentem, ob tectum interpoſitum) *& nemo circumſpicit me* (longe minus videt intus) *quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus. Et non intelligit* (non conſideret, non credit) *quoniam videt oculus* (vel unicus) *illius, &c. & non cognovit* (non cogitat) *quoniam oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper Solem* (Græc. millies Sole ſplendidiores eſſe) *circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* Arabs in Pſalmo noſtro. *Ictus oculi ipſius inveſtigat filios hominum.* In ictu oculi videt omnia etiam abditiſſima.

Secundo, *palpebris interrogare*, eſt cum ira interro-
2. gare, diſquirere, inveſtigare. Nam qui iratus eſt crebris ciliorum ſeu palpebrarum motibus dolorem ſuum indicat, præſertim cum adhuc peccantem videt. Hoc ſenſu Magn. dixit. *Fulmineus ſomnum cilius explorat* Vocat fulminea tum ob crebram agitationē, tum ob ſcintillas inde emicantes, quod ſæpe fit in furore. Alludit ad ſignificatum Hebr. *aphaph.* pro fulgore, ut dixi ſupra, & locus Jobi allatus ad hoc juvat. Fulmen illud oculorum Dei alio loco declarat idem Job. cap. 24. 23. *Dedit ei* (impio) *Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam, oculi autem ejus ſunt in viis illius. Elevati ſunt* (eſt enallage numeri, quod ſæpe fit apud Hebræos) *ad modicum, & non ſubſiſtent, & humiliabuntur*, ecce fulmen oculorum: eo ipſo quod Deus iratus impios aſpicit, illos dejicit.

Tertio, *palpebris interrogare*, contrario prorſus ſen-
3. ſu ſumit Dionyſius Carth. pro interrogare cum patientia & longanimitate. Sic enim ait: *Palpebræ ejus, id eſt patientia & longanimitas Dei, qua diſſimulat peccata hominum, differendo vindictam, qua etiam differt reddere juſtis mercedem, interrogant, id eſt, examinant filios hominum, inquirendo & quaſi probando, an peccatores omnino obſtinati exiſtant: &, an juſti veraciter juſti exiſtant.* Nam ex dilatione vindictæ ſumunt impii occaſionem peccandi. Eccli. 8. 11. *Quia non profertur citò contra malos ſententia* (Veneta habet. Non eſt ſuopte ultio repentina propter opus malum) *abſque timore ulla filii hominum perpetrant mala.* Et ipſe Propheta Habacuc cap. 1. 13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas* (id eſt, approbes & faveas. Eſt Catachreſis, ſeu metalepſis, ea enim quæ probamus & amamus, libenter & ſæpe aſpicimus) *malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris* (q. d. eam adverſaris, tibi placere non poteſt) *quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces devorante impio juſtiorem ſe?*

Quartò, & optimè, *palpebris interrogare*, eſt ex-
4. Et genuine actè & intima quæque ſcrutari attentè, & ut loquitur Theodoretus, ἀκριβῶς, id eſt diligenter, accuratè, exquiſitè. Palpebræ, inquit Bellarm. ponuntur pro oculis & oculi pro mente: & interrogare pro exactè cognoſcere, ac ſi exactiſſimè prius interrogâſſet & examinaſſet. Palpebras itaque Dei S. Hier. & Bruno dicunt eſſe ſubtilitatem divini judicii, & judicia Dei occulta: itaque tunc conſiderat filios hominum, ut ait Caſſiod. cum eos negligere quaſi dormiens æſtimatur: atque, ut loquitur Euthym. Per palpebras ſignificare voluit, quòd ſi quando videtur Deus non aſpicere: ſed in abſconditis animi ac mentis morari, tunc tamen nihilominus videt. Qui enim attentè rem conſiderare vult ac diu, palpebras ferè conjungit, ut vis ſit magis unita & potentior, & oculus non diſſipetur ad alia objecta, & variis intercurrentibus ſpeciebus attentio non minuatur.

Symbolicè. S. Aug. *In ſacris libris*, inquit, *crebra operatio atque adapertio tanquam palpebræ ſunt Dei.* Nam ut 49. Symbolice. Palpebræ Dei
ait Lombardus qui Aug. conſentit. *Scripturæ quaſi oculi Dei ſunt.* Ugo Cardinalis duas Dei palpebras ait eſſe *duo teſtamenta quæ dicuntur palpebræ, quia modo ſe aperiunt, modo ſe claudunt noſtro intellectui.* De obſcuritate Scripturæ vide dicta Pſ. 50. 8 Occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. De luce autem ejus Pſ. 118. 105. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. De ſcripturis rectè Beda dicit. *Ob hoc teguntur, ne vileſcant: ad hoc aperiuntur, ut nutriant.* Deinde ſequens Aug. explicat quomodo illæ palpebræ Dei interrogent filios hominum. Hæ palpebræ, inquit. id eſt, obſcuritates & apertiones Scripturarum interrogant, id eſt probant, filios hominum: in hoc ſcilicet, quia illi nec fatigantur obſcuritatibus Scripturarum, ut rejiciantur: ſed exerceantur, ut quærant: nec cognitione Scripturarum inflantur, ſed confirmantur. Sicut è contra mali rejiciuntur obſcuritatibus, & non exercentur: inflantur cognitione, & non confirmantur. In quo utrique rectè probantur. Sicut enim aliquis Dominus ſervos ſuos excludens à ſecreto conſilio ſuo, probat illos quos poſtmodum vult admittere, ſcilicet qui patienter repulſam ferunt: probat etiam illos quos rejiciat, ſcilicet qui non patienter ferunt ſed indignãtur: & qui quod aliquando admiſſi ſunt, non gratiæ Domini, ſed ſuæ arrogantiæ attribuunt: ita Dominus per palpebras ſuas, id eſt, per obſcuritates Scripturarum ſuarum probat ſuos, probat etiam non ſuos. Ita Beda.

ARTICULUS II.

Impii laqueis implicantur, igne & ſulphure uruntur, turbine æterno agitantur, & conſequenter qui peccat odit animam ſuam.

POſtquam dixit David oculis apertis, id eſt benignis, faventibus, & luce ſua recreantibus, a Deo pauperem aſpici: palpebris autem, id eſt ſemiclauſis oculis filios hominum interrogari, id eſt, attente conſiderari & aſcutari, ut oſtendat apertè quinam ſint illi filii hominum, ſubdit verſ. 6. DOMI- Verſ. 6. 1. pars.
NUS INTERROGAT, Hier. probat. Pagn. & Felix probabit, JUSTUM ET IMPIUM, interrogat
autem illos per palpebras ſuas, ut ait Remigius: quia, 50.
ut ait Lombart. *Dominus ſolus de conſcientiis utriuſque judicat.* q. d. in conſcientiam ipſam & intima mentis penetralia intrare eſt actus ſupremi Domini: in arcana illa ſervi non intrant. Symbolice, Dominus interrogat juſtum & impium, id eſt per tribulationes probat quis eſt juſtus & impius, ut ait Ugo. de illa probatione dixi fuſe Pſal. 138. 1. *Domine probaſti me, & cognovisti me.* Interrogat, id eſt, ut ait Lombardus, per tribulationes & hæreſes probat. S. Greg. Pœna inflicta interrogat, ſi quis in proſperitate poſitus [illegible] um veraciter amet. Sap. 2. 19. de Chriſto & juſto dicunt impii. *Contumelia & tormento* (S. Bonaventura implicat, contumelia verborum & tormento verberum) *interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus* (Complut. Vatabl. Guarinus, atque Janſen. habent, ut cognoſcamus manſuetudinem ejus) *& probemus patientiam illius.* Guarinus exponit, tolerentiam ejus judicemus. Græca verti poſſunt, adducamus in quæſtionem & diſcuſſionem patientiam ejus. Ut ſcilicet velut in eculeo vis animi ejus eluceat. Hæreſes quoq; probant ingenium om-

nium. 1. Cor. 11. 19. *Oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati* (Græcè, δόκιμοι id eſt, probi, ſolidi, firmi) *ſunt, manifeſti fiant*, Nam, ut ait S. Chryſoſt. Theophyl. Oecum. Corn. hæreſes & ſciſmata declarant quinam in fide ſint conſtantes: & in illo Corinthiorum ſciſmate & diſſenſione apparebat charitas eorum divitum qui pauperes ad cœnam ſuam & agapen vocabant, inhumanitas eorum qui ipſos rejiciebant: & viciſſim elucebat patientia pauperum, qui rejecti non murmurabant: impatientia eorum qui ſe difficiles & querulos oſtendebant.

Verſ. 6. 2. Pars. 51. Peccator odit ſeipſum. Ex hac Dei exacta diſcuſſione operum juſti & impii rectè concludit Propheta peccatores eſſe ſtultos & ſui ipſorum oſoros. Verſ. eod. 6. QUI AUTEM DILIGIT INIQUITATEM (Hebr. חמס *homas*, rapinam, ut Mariana & Arias vertunt oppreſſionem, ut Arabs. de injuſtis præſertim in pauperes & afflictos agitur) ODIT ANIMAM SUAM. Ita legunt S. Aug. S. Chryſoſt. Caſſiod. beda. Remig. Arabs Septuag. Pſalt. Rom. & Gallicanum S. verò Hieron. Chald. Syr. Felix. Pagn. Muiſius, vertunt, *odit anima ejus*. Plus eſt, ut rectè ait Muiſius, quàm ſi diceret, odit ipſe: ſonat enim, odit ex animo, odit intimè & acerbè: hoc enim dicitur more humano. Nam Deus nec oculos, nec palpebras nec animam habet, velut ſui partem. Vide dicta, Pſal. 5. 6. *Neque habitabit* (Hebr. יגור *jagur*, id eſt, hoſpitabitur q. d. ne ad breve quidem tempus manebit) *juxta te malignus, neque permanebunt injuſti* (Chald. מתלעבים *mithlehabim*, id eſt, illuſores, inſanientes. Rad. *Lehab*, irriſit ſubſannavit, illuſit, inſanivit, ultus fuit: qui peccat, inſanit) *ante oculos tuos* (contra in Pſalmo noſtro dicitur, oculi ejus in pauperem reſpiciunt: timeat dives cum ſuo Plutone, id eſt, auro, à Solis divini oculis remoto, & propte tenebroſos inferos poſito) *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem*.

Nota pro *animam ſuam* in Hebr. eſt בנפשו *naphſo*, quod rectè verti poteſt *animam ſuam*, & *anima ejus*: quia illud affixum quod eſt vice pronominis (Hebræi enim rariſſimè utuntur pronominibus integris atque ſeparatis, ſed eorum loco habent affixa) eſt tam reciprocum quàm abſolutum. Itaque perperam Faber & Cæcus Burgenſis præferunt verſionem Hieronymi verſioni Vulgatæ cum Septuag. præſertim vertant, τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν.

52. Senſus hujus loci. Senſus itaque eſt, *odit animam ſuam*, id eſt, ſeipſum, ut explicant Dion. Carth. Qui enim diligit iniquitatem (id eſt, ex deſiderio & affectu peccans, ſicut ait Lombard. qui delectatur in malo, ut idem Dionyſ.) ſe totum odit. Verè S. Bern. ſerm. 6. de

s. Adventu. *Anima corrupit in culpam, fecit ut corpus quoque corrumperetur in pœnam.* Hoc patuit in Adamo peccante, qui morte eſt mortuus: nempe duplici morte, animæ ſcilicet atque corporis, quod variis doloribus morbis & incommodis ideò affligitur. Unde Sanctus hic Pater poſt nonnulla interjecta ſic corpus alloquitur. *Noli, O corpus, noli præcipere tempora: potes enim impedire animæ tuæ ſalutem, tuam ipſius operari non potes. Omnia tempus habent* (Eccl. 3. 1.) *Patere & nunc animam pro ſe laborare, magis autem collaborato, quoniam ſi compateris, & conregnabis. Quantum ejus impedis reparationem, tantum impedis tuam: quod nimirum ante reparari non poteris, donec ſuam in ea Deus imaginem videat reformatam. Nobilem hoſpitem habes, ô caro, nobilem valdè, & tota ſalus tua pendet de ejus ſalute. Da honorem hoſpiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua: anima verò peregrina, & exul apud te eſt hoſpitata. Quæſo te, quis ruſticus, ſi fortè nobilis & præpotens quiſpiam apud eum voluerit hoſpitari, non libenter in angulo domus ſuæ, aut ſub gradibus ſuis, vel in ipſis cineribus accubabit, concedens hoſpiti ſuo locum (ſicut dignum eſt) potiorem. Et tu ergo fac ſimiliter. Injuriasque vel moleſtias tuas ne reputaveris: tantum ut hoſpes tuus honorificè poſſit apud te demorari. Honor tibi eſt, ut pro eo interim te exhibeas inhonorum. Ac ne fortè deſpicias aut parvipendas hoſpitem tuum pro eo quod peregrinus tibi videtur & advena: diligenter attende quid hoſpitis hujus tibi præſentia largiatur. Ipſe enim eſt qui tribuit oculis viſum, auditum auribus præſtat; ipſe eſt qui linguæ vocem, palato guſtum, motum membris omnibus ſubminiſtrat, Si quid vitæ, ſi quid in te decoris eſt, hujus hoſpitis beneficium recognoſce. Denique diſceſſus ejus probat, quid præſentia conferebat. Protinus enim anima diſcedente, lingua ſilebit: oculi nihil videbunt; &c.* Philo in Coſmopœia, ait animam eſſe in corpore ſicut, quod Deus eſt mundo. Stoici teſte S. Epiphanio. lib. 1. adverſ. hær. dicebant eam eſſe μοῖραν θεοῦ, id eſt, particulam divinitatis, & Cleanthes Philoſophus ſentiebat, hominem eſſe ſolam animam: & bonum pulchrumque eſſe ipſiſſimam voluptatem.

Secundò anima hic propriè ſumi poteſt, ita ut ſenſus ſit: *Qui diligit*, id eſt, qui ex animo facit iniquitatem, odit animam ſuam, quia illi præponit carnem ſuam, & vilia atque abjecta bona terræ. S. Thom. 22. q. 25. art. 7. citans Pſalmi noſtri locum, docet peccatores non diligere ſeipſos, quia animam ſuam oderunt, & pro nihilo ducunt. Principale, inquit, in homine eſt mens rationalis. Secundarium autem eſt natura ſenſitiva & corporalis: quorum primum, Apoſtolus nominat interiorem hominem: ſecundum, exteriorem: ut patet, 2. Cor. 5. Boni autem æſtimant principale in ſeipſis rationalem naturam, ſive interiorem hominem: unde ſecundum hoc æſtimant ſe eſſe quod ſunt. Mali autem æſtimant principale in ſeipſis naturam ſenſitivam & corporalem, ſcilicet exteriorem hominem. Unde non rectè cognoſcentes ſeipſos, non verè diligunt ſeipſos, ſed diligunt id quod ſeipſos eſſe reputant. Boni autem verè cognoſcentes ſeipſos, verè ſeipſos diligunt. Et hoc probat Philoſophus lib. 9. Ethic. cap. 4. per quinque quæ ſunt amicitiæ propria. Unuſquiſque enim amicus primo quidem vult ſuum amicum eſſe & vivere, ſecundò, vult ei bona, tertio, operatur bona ad ipſum, quartò, convivit ei delectabiliter, quintò, concordat cum ipſo quaſi cum eodem delectatus & contriſtatus. Et ſecundum hoc boni diligunt ſeipſos, quantum ad interiorem hominem, quia etiam volunt ipſum ſervari in ſua integritate, & optant ei bona, quæ ſunt bona ſpiritualia, & etiam ad aſſequenda opera intendunt, & delectabiliter ad cor proprium redeunt: quia ibi inveniunt bonas cogitationes in præſenti, & memoriam bonorum, præteriorum, & ſpem futurorum bonorum, ex quibus delectatio cauſatur. Similiter etiam non patiuntur in ſeipſis voluntatis diſſenſionem: quia tota anima eorum tendit in unum. E contrario autem mali non volunt conſervari in integritate interioris hominis neque appetunt ejus ſpiritualia bona, neque ad hoc operantur, neque delectabile eſt eis ſecum convivere, redeundo ad cor: quia inveniunt ibi mala & præſentia, & præterita, & futura, quæ abhorrent, neque etiam ſibi ipſis concordant propter conſcientiam remordentem, ſecundum illud Pſalmi, Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.

Alia ratio itaque cur qui diligit iniquitatem, oderit animam ſuam, affertur à Janſenio, quia eam variis modis commaculat, veriſque bonis privat. Thren. 4. 8. Jerem Lugens Nazaræos à Chaldæis in captivitatem Babylonicam abductos, ait: *Denigrata eſt*) Hebr. obſcurata eſt Græcè ἐσκότασεν, id eſt, obtenebrata eſt) *ſuper carbones facies* (Pagn. forma) *eorum*. Anima peccatorum contrahit fuliginem inferorũ, & formam ac figuram ſuam amittit, atque imaginem Dei in ſe expreſſam maculat. 53. Secunda ratio, cur ſeipſum odit peccator.

Tertia ratio cur qui diligit iniquitatem, oderit animam ſuam, eſt quia peccatum in ea ponit velut tyrannum crudelem, qui eam vexat, torquet, ſpoliat. S. Chryſ. *Qui, ait, amat injuſtitiam, odit animam ſuam* πολέμιος γὰρ τῇ ψυχῇ πονηρία, ἐχθρὸς καὶ ὀλέθριος. *Eſt enim animæ inimicum vitium, infeſtum, & pernicioſum. Quare vel ante ſupplicium dat pœnas improbus.* Tertia.

Quarta ratio cur qui diligit iniquitatem, oderit animam ſuam profertur ab Euthymio, quia, inquit, Deum ſemper magis irritat & provocat adverſus animam. Quarta.

Quinta ratio quia animæ ſuæ homicida eſt, ut ait Titelmannus: proprio gladio ſe jugulat, ut loquitur Remigius. Eſt alter Saul gladio ſuo incumbens. Prov. 8. 35. ait ſapientia quod de ſapientia practica, id eſt, virtute etiam poteſt explicari. *Qui me invenerit, inveniet vitam* (Hebr. חיים *haiim*, id eſt, vitas 1. naturæ. 2. gratiæ. 3. gloriæ) *& hauriet ſalutem à Domino* (Chald. *à facie Dei*, à quo ut Sole vivificatur & augetur) *Qui autem in me peccaverit, lædet animam ſuam.* Hebr. חמס *homes*, injurius, violentus, tyrannus, crudelis eſt animæ ſuæ. Chald. vertit, diſperdet animam ſuam. 2. Arias, injurius eſt animæ ſuæ. 3. Pagn. expoliat animam ſuam. 4. Cajet. torquet animam ſuam. Omnia Quinta.

com-

complexi ſunt Aquila & Symm. cum reddunt, *ἀδικεῖ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ*, injuria afficit animam ſuam. Fontem mali aperiunt Sept. qui verterunt, *impiè agunt in ſuas ipſorum animas.* Unde S. Auguſt. diſputans contra eos, qui ſolis eleëmoſynis conſequi ſe ſalutem putabant poſſe, in Enchir. cap. 67. & 21. de Civit. cap. 67. de fide & ſpe cap. 14. *Qui* ait, *odit animam ſuam, non eſt miſericors, ſed crudelis: diligendo quippe eam ſecundùm ſeculum, odit eam ſecundùm Deum.*

Sexta. Sexta ratio, qua qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam, affertur à Caſſiodoro & Brunone, quia ſic diabolum ſequitur ducentem in perditionem æternam. Verba Caſſiod. ſunt. *Quid eſt diligere iniquitatem? Odiſſe animam ſuam. Sic enim ſe perſequitur, qui diabolum ſequitur: dum illas ſemitas commeare vult, quæ ad pœnarum loca fugienda perducunt.* Itaque, diligere iniquitatem, & odio habere animam ſunt Synonyma. Peccator enim *odit animam effectu*, ut loquitur S. Bern. de perfecti. ſuſtinenda, cap. 4. Hinc rectè concludit S. Laurentius Juſtin. de charit. cap. 17 peccatorem non habere veram charitatem erga proximum. *Quomodo*, inquit, *volebat tibi committi Proximum, ut diligeres eum tanquam te, ô homo qui perdis te? Si enim tu ipſe te diligis, ut perdas te: ſic profectò perditurus es eum, quem diligis ſicut te. Nolo autem hoc modo quemquam diligas: vel ſolus peri, aut corrige dilectionem, aut reſpue tuam charitatem.*

54. Odiſſe animam ſuam vario modo ſumitur. Quæres, Cur vitio vertitur ei qui diligit iniquitatem, quod oderit animam ſuam, cum dicat Chriſtus Joan. 12. 25. *Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Reſp. odiſſe animam diverſo modo ſumi in duobus illis locis, ut ſatis apparet. Sufficiat S. Aug. tract. 51. in Joan. *Magna & miro ſententia, quemadmodum ſit hominis in vitam ſuam amor ut pereat: odium ne pereat. Si malè amaveris, tunc odiſti: ſi benè oderis, tunc amaſti. Felices qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amando.* Bene odit animam ſuam, qui ejus concupiſcentiis & deſideriis pravis reſiſtit, & prius mori paratus eſt, quàm Deum offendere. Is poteſt dicere cum Paulo Rom. 8. 38. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto JESU.* Tale ſanctum odium ſui habebat & perfectum Dei amorem S. Tiburtius Martyr, qui Turquato judici dicebat: *Applica eculeos, ſuſpende Chriſtianos, damna, percute, incende, univerſo denique ſupplicia adhibe: ſi exitium minaris, hoc philoſophantibus eſt totus mundus: ſi mortis ſupplicium, evadimus mundi carcerem: ſi ignes, majoribus in cupiditatibus incendia vincimus; detri ne quicquid libet. Omnis nobis vilis eſt pœna, ubi pura comes eſt conſcientia.*

Multis omiſſis rationibus, propter quas qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam, magis palpabilem à pœnis per Deum vindicem inflictis David tangit.

Verſ. 7. 1. Pars. 55. Verſ. 7. PLUET (Deus) SUPER PECCATORES LAQUEOS, IGNIS, ET SULPHUR, ET SPIRITUS PROCELLARUM PARS CALICIS EORUM. Mirabilis certe pluvia, in qua cadant primò laquei, ſecundò ignis, tertiò ſulphur, quartò, ventus procelloſus hæc omnia ſimul involvat, agitet, atque in peccatores devolvat, ut eos implicet, conſtringat, dejiciat, & perdat ſine ſpe evaſionis.

Pluvia laqueorum in hac vita eſt. Quæres, Qui ſunt illi laquei? Reſp. Primò, cum Dionyſ. Carthuſ. hanc laqueorum pluviam peccatoribus immitti à Deo. 1. in hac vita. 2. in morte. 3. in judicio. 4. in inferno. Reſp. Secundò in vita pluviam illam laqueorum, eſſe *doctrinam erroris*, ut vocat Remigius;
1. doctrinam illaqueantem, ut Gloſſa
2. & Lomb. doctrinam pſeudo-prædicatorum, ut Ugo: malam doctrinam impiorum, ut Beda: hæreticorum malam doctrinam, ut S. Hieronymus. Secundò, S. Auguſtinus & Caſſiodor. laqueos illos de doctrina etiam bona explicant. Sic enim Caſſiod. *Pluit, ad verba prædicantium reſultat cœlo manantia, quæ piiſſimis imbreſcunt; perfidis autem ignem ſunt laquei. Illi enim benè intelligendo inde fructificant: iſti male eructando, animas ſuas nodo perverſitatis ſtrangulant*, S. Auguſtinus exemplum dat duplex, unum affero: *Dominus dicit Matth. 15. Non quod intrat in os veſtrum, vos coinquinat, ſed quod exit. Audit hoc peccator, & gulam parat voracitati. Audit hoc & juſtus, & à ciborum diſcernendorum ſuperſtitione munitur. Et hinc igitur eadem Scripturarum nube pro ſuo cujuſque merito, peccatori pluvia laqueorum, & juſto pluvia ubertatis infuſa eſt.* Eadem pluvia incidens in balſamum, myrrham, & caſſiam, ac cinnamomum, fit illa aromata: & cadens in aconitum, ſpinas, & carduus, in illa ſimiliter convertitur. Tortuoſum eſt malorum & impiorum ingenium, cœleſtem doctrinam in ſe incidentem corrumpunt & inflectunt, pluvia formam vaſis recipit, in quod decidit. Omne quod recipitur ad modum recipientis recipitur. Hinc de Chriſto ait Iſaias cap. 8. 13. *Dominum exercituum ipſum ſanctificate* (in eum ſperando, & ipſum colendo) *ipſe pavor veſter* (Chald. ipſe ſit fortitudo veſtra) *Et erit vobis in ſanctificationem* (Hebr. in ſanctuarium, ut Arias vertit, hoc enim ſignificat *miqdaſ*: in palatium, ut Pagn. in ſanctuarium & aſylum, ut Vatablus) *In lapidem autem offenſionis* (Pagninus percuſſionis: ad quem viator impingat, offendat, & ſe lædat) *& in petram ſcandali duobus domibus Iſrael* (id eſt, duobus regnis: nempe regno Judæ, quod habeat duas tribus, id eſt, tribum Juda & Benjamin: & regno Iſraël ſeu Samaritano, quod continebat decem alias tribus) *In laqueum & in ruinam habitantibus Jeruſalem.* De malis Prophetis, id eſt, de hæreticis & eorum laqueis, ait Jeremias cap. 5. 26. *Inventi ſunt in populo meo impii inſidiantes, quaſi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas* (Hebr. משחית *maſhith*, id eſt, exterminatorium, ut vertit Arias) *ad capiendos viros. Sicut decipula* (Hebr. כלוב *chelub*, hoc eſt, cavea ſcilicet ancupum, in quam aves cicures cantu ſuo & formæ ſimilitudine alias alliciunt deceptas) *plena avibus* (decipientibus & deceptis) *ſic, domus eorum plenæ dolo.*

3. Tertiò, pluvia laqueorum in peccatores incidens, ſunt eorum peccata. In præſenti vita, ait Dionyſ. conſtringuntur vinculis vitiorum, ita ut nil meritorium agere poſſint, neque ad Deum mentem per charitatem erigere: ſed ſerviunt diabolo, à quo ſecundum Apoſtolum captivi tenentur ad ipſius voluntatem. Verba Apoſtoli ſunt. 2. Timoth. 2. 26. *Et reſipiſcant* (Græc. *ἀνανήψωσιν*, id eſt, 1. ad ſobrietatem redeant, ſunt enim ebrii. 2. ad ſanam mentem revertantur, ſunt enim ſtulti. 3. evigilent vel expergiſcantur, ſunt enim lethæo ſomno ſepulti) *à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur* (Græc. *ἐζωγρημένοι* id eſt propriè, vivi capti, velut feræ in retibus, vel milites in bello: unde illud vulgatum fugacis Demoſthenis (ut quidam vocant) *ζώγρει*, id eſt, vivum cape. *ζωγρεῖν* dicitur, quaſi *ζωὸν ἀγρεῖν*) *ad illius voluntatem*: non Dei, ut voluit Beda: ſed diaboli, ut S. Chryſoſtomus. Servus & mancipium diaboli eſt peccator, & agit & agitur non quò ipſe vult, ſed quò diabolus impellit. Ab eo tenetur laqueis peccatorum, ut avis illaqueata à puero. S. Anſelm. lib. de ſimilitudine. cap. 189. Inſtar hujus pueri, ait, jocatur diabolus cum peccatoribus, quos irretitos ſuis laqueis, pro ſua voluntate *in diverſa vitiorum impedimenta* pertrahit. Sunt enim multi avari ebrioſi, luxurioſi, qui proponunt avaritiam, gulam, libidinem deſerere, & putant inſtar avis ſe liberè avolaturos: ſed quia pravo uſu irretiti ab hoſte tenentur, nolentes in eadem vitia dejiciuntur, ſicque hoc ſæpius, nec omnimodis liberantur, niſi magno conatu & gratia Dei funis rumpatur pravæ conſuetudinis. Ita Anſelmus. Sed hæc ſunt myſtica.

Quartò itaque, pluvia laqueorum, quam Deus in ſceleratos poſitivè immittit in hac vita, ſunt variæ pœnæ, ex quibus ſe explicare non poſſunt, lites, negotia intricata & involuta, bonorum jacturæ, morbi, infamia, & ſimilia. Verbo reos abſolvit Folengius. Laquei ſunt ea omnia, quæ nos implicant, irretiuntque, & ne evadamus periſtringunt. 4.

56 Pluvia laqueorum in morte. In morte autem, Dominus pluit laqueos ſuper peccatores, quia, ut ait Dion. poſt mortem nunquam converti poſſunt ad Dominum, ſicut nec Angeli mali poſt caſum: quoniam S. Joan. Damaſcenus ait: Quod in Angelis eſt caſus, hoc in hominibus eſt mors. Secundò, & melius, laquei peccatorum in morte, ſunt varii habitus vitiorum, qui animam circumplectuntur & multis ſpiris cingunt, remorſus conſcientiæ, fraudes admiſſæ, reſtitutiones faciendo, liberorum, uxoris, affinium, amicorum, lectio circumpoſitorum nimius amor: deliciarum, honorum, divitiarum, nimio obſervantium jactura, dolores corporis, timor ſuppliciorum æternorum. In his & aliis miſera ſe impli anima, ut in labyrintho & fune tartareo, convolvit, neque exitum videt.

In judicio extremo. In extremo judicio pluit Dominus laqueos ſuper peccatores, quia tradet eos damnationi æternæ, quam evadere non valebunt, ita Dionyſius. 2. & melius, laquei peccatorum in judicio erunt accuſationes innumeræ dæmonum, hominum, Angelorum bonorum, & conſcientiæ propriæ, quibus reſpondere, & ſolutionem invenire non poterunt: Deinde peccata admiſſa animam eorum modo indiſſolubili cingent, corpus verò catenæ flammeæ conſtringent.

Et in inferno. In Inferno denique ligabuntur impii. Matth. 22. 13. *Tunc dixit Rex miniſtris*) Deus Angelis ſuis) *ligatis manibus & pedibus* (S. Greg. hom. 38. Tunc ligat pœna, quos modò à bonis operibus ligavit culpa) *mittite eum in tenebras exteriores*, ſicut tota vita fuit in exterioribus Iſaiæ 24. 22. *Et congregabuntur in congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere.* Congregabuntur, ait Haymo congregatione unius faſcis, ut qui pares ſunt in culpis, damnentur pariter & in pœnis. Avari cum avaris, luxurioſi cum luxurioſis. Ita ipſe. Lege S. Greg. 9. Mor. 38. 39. & 40. in illud: Antequam vadam, & non revertar ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine.

57. Pluere dicuntur laquei, ob quinque cauſas. Nota primò, *pluet*, ſive, ut Hebr. habent ימטר *jamter*, id eſt, pluere faciet, denotat Primò laqueos illos ex alto devolvi in caput peccatorum. Unde Chald. vertit. *deſcendere faciet.* Syrus. *ceciderunt.* Secundùm illud Iſaiæ 24. 17. *Formido* (Græcè. μορμολυκεῖον, id eſt, terriculamentum avium & ferarum) *& fovea, & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ* (qui non te peregrinum cenſes, atque in cœlum non volas) *Erit. Qui fugerit à voce formidinis, cadet in foveam; & qui ſe explicaverit de fovea, tenebitur laqueo: quia cataractæ* (Sept. feneſtræ. Cataractes, ait Strabo lib. 5. cap. 17. eſt ad medium fere flumen petroſum quoddam ſupercilium, in ſuperiori parte planum, ut fluvium recipere poſſit, deſinens autem in præcipitio, ex quo aqua præcipitatur) *de excelſis apertæ ſunt.* ecce tibi pluviam laqueorum.

1.
2. Secundò, *Tò pluet*, nempe Deus, denotat, à Deo
3. illos laqueos immitti. Tertiò, decidere eum impe-
4. tu velut à retiario. Quartò, venire cum copia. Unde Euſeb. Orig. & Did. faciunt mentionem alterius verſionis, *ſuperfluet*. q. d. poſt unum laqueum alius decidet, Pſal. 68. 28. dicitur *Appone* (Hebr. da) *iniquitatem ſuper iniquitatem eorum*, id eſt, 1. permitte labi in varia peccata ſubtrahendo gratiam efficacē. 2. adde pœnam pœnæ; ſæpe enim iniquitas pro pœna iniquitatis ſumitur in ſcriptura, ut Ezech. 21. 2. 7 & 34. 10. Quinto, pluvia denotat lapſum improviſum illorum laqueorum. Titelm. Quemadmodū, ait, ſolet deſuper cadere pluvia ſubito ſuper homines: ita in tempore venturi judicii, ſuper peccatores iſtos qui iniquitatem diligunt, ſubito cum impetu ac terrore magno deſuper, à ſententia divinæ juſtitiæ, quaſi pluvia copioſa ſuper eos cadent laquei mortis & damnationis æternæ. Janſen. ad extremū judicium non reſtringit, ſed ſic ait: Super peccatores è cœlo Dominus immittet *ſubitam ac gravem ultionem*, eos ſic implicantem ut ſe nequeant extricare. De ruina Babylonis ait Iſaias, cap. 29. 6. *Eritque repentè confeſtim* (Ariтas in momentum ſubitò. In momento impii ad inferna deſcendunt) *à Domino exercituum viſitabitur* (id eſt, punietur. Eſt metalepſis) *in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis & tempeſtatis, & flammæ ignis devorantis*, id eſt, cum maximis plagis. Eſt Catachreſis. In Scriptura enim gravis punitiò qualiſcumque ſit, per ignem, ſulphur, gladium, tonitru, turbinem, tempeſtatem, terræmotum, grandinem, denotatur.

Note Secundò, pro *laqueos* in Hebr. eſt פחים *phaim*, quod quidam apud S. Chryſ. vertit ἄνθρακας id eſt, *carbones*, ignitos ſcilicet. Muiſius in ſingulari vertit, *pluet ſuper peccatores carbonem.* Et Chaldæus, *Deſcendere faciet ſuper impios pluvias vindictâ ſpirantes ignem*: ſed *Tò ignem* ſumit ex ſequentibus. Non video cur *phalim* vertent carbones, ſive carbonem. Nam licèt *phaham* id ſignificet, tamen longe à ſe diſtant illæ duæ voces. Itaque eum Sept. Hier. Pagn. Aria, felice, Syr. Arab. redde *laqueos* Chald. vero pluvias vindictæ ſpirantes vocans expreſſit vim rad. פוח, *phua*, flare, ſufflare, ſpirare, illaqueare. Unde פח *pha*, id eſt, laqueus, in plurali *phahim*, laquei. Apollinaris, λίνα φθ σφαγεια, id eſt, laquei in necem hominum comparati.

Secunda pœna inventata impiis in illa pluvia terribili, eſt ignis. Tertia, eſt ſulphur. Additur enim verſ. eod. 7 IGNIS, ET SULPHUR, ET SPIRITUS PROCELLARUM PARS CALICIS EORUM, ſupple, eſt, vel erit. Nota, alludit ad pluviam ignis & ſulphuris, quæ cecidit ſuper Sodomam Gumurrham, Adama, & Seboim, ac, pagos circumpoſitos, Gen. 19. 24. ut S. Hieron. S. Thomas, Theodoretus, Euſeb. Theodorus, Heracleotes, Euthym. Genebr. Janſen. Sa, & alii advertunt Si flammam internam Sodomæ non vitas, non effugies externam. Sodoma ſignificat *ſecretum eorum.* Qui malè agit odit lucem: ſed 2. ſignificat *calx eorum*, ut ait Michaël Angelus à S. Romulo: In vivam calcem & ardentem devolvetur ſceleratus, vel potius in eum calx depluet, eumque totum obvolvet & atque vivum ſepeliet. 3. Sodama ſignificat *compes eorum.* id eſt, lignum quo ſtringuntur pedes incarceratorum: id enim eſt סד, *ſad.* Pedes ſuos, id eſt, affectus, ligat luxurioſus, ſed captivus à dæmone trahitur, & ſuis laqueis perit. Pro *laqueos* vertit Petav. ἀνάγκας, id eſt, compedes. Alludi etiam vult Genebr. ad Ægyptiorum tempeſtates, & Chananæorum, Joſue 10. Exod. 14.

Verſ. 7. 2. Pars.
58. Impii igne torquebuntur.

59. 1. Cupiditatis. Primo, *ignis & ſulphur*, ut ait S. Auguſt. S. Hier. Ugo, Gloſſa, Beda, Bruno, Lomb. Caſſiod ſunt ardor cupiditatis, & fœtor malorum operum. *Ignis, cupiditas: ſulphur putredo peccatorum*, ait S. Hier. *Ignis eſt, cùm eos flammea cura conſumit cupiditatis: ſulphur. putredo peccatorum*, ait Bruno. In hos, in modum pluviæ divinitus projiciuntur concupiſcentiarum ignes atque iræ, ſulphurque deteſtandæ nominis & famæ perpetrati ſceleris, ut loquitur Joan. Bapt. Folengius.

2. Inferorum. Secundo, de igne & ſulphure inferorum loquitur David, ut Bellarmin. Dionyſ. Genebr. Titelm. Joannes à Paſtura explicant. Ut enim dicitur Apocal. 14. 9. & 10. *Si quis adoraverit beſtiam* (id eſt Antichriſtum: vel concupiſcentiam ſuam brutam) *& acceperit characterem* (impudentiam, quæ eſt notæ & character impietatis) *in fronte ſuo, aut in manu ſua* (inhumanitatem) *cruciabitur igne & ſulphure* (inter fœtidos hircos) *in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum Agni*, id eſt Chriſti caſtiſſimi. cap. 19. 20. de beſtia, & ejus pſeudopropheta habes: *Vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure.* Itaque communiter Doctores tenent eſſe in inferis verum ſulphur, ſicut eſt verus ignis. Atque ſicut unus & idem numero eſt ignis, ita unum & idem numero eſt ſulphur, quod eſt materia & fomentum illius ignis, & ſuo fœtore intolerabili torquet ſceleratos.

3. Vehementia ſupplicii. Tertio, & meliùs, per ignem, ſulphur, & ſpiritum procellarum, S. Baſil. Theodoret. S. Chryſoſt. S. Greg. Naz. orat. 40. Nicetas in cap. 8. Jub, cenſet declarari, quod illud ſupplicium ſit vehemens, inevitabile, copioſum, promptum. Verba Chryſoſt. ſunt: *Ignem, & ſulphur, & ſpiritum procellarum, & carbones, dicit eis ſuper iis pluiturum, dictionum tranſlatione volens oſtendere*, ἄφυκτον τιμωρίαν, ἀφθόνους κολάσεις, ταχεῖαν... *pœnam inevitabilem, ſupplicii profuſionem, feriendi facilitatem, & vim conſumptricem.* Quod verus & corporeus ſit ignis in inferis, vide Pſalmum 20. 10.

Verſ. 7. 3. Pars. 60. Spiritus procellarum. Quarta pœna impiis inventa eſt SPIRITUS PROCELLARUM, hoc eſt, ventus procelloſus, turbo in tempeſtate, igneum & ſulphureum fulmen, vel potius ignem & ſulphur terrareum ſuccendens & inflammans. Per illum ventum impetuoſum declaratur ad literam, ut mox dixi, vehementia ſupplicii, & ſicut loquitur Janſen. *Sempiterna, nec unquam ceſſatura tempeſtas ac perturbatio procelloſo vento ſimilis*, ut ſicut ait S. Aug. *Abrepti atque ſubmerſi ineffabiles pœnas luant.* In ſtagno ſcilicet ignis & ſulphuris, de quo Apocal. 20. 9. Ad Pſalmum noſtrum facit ſententia Leſſii lib. 13. de perfection. divinis cap. 24. docet enim infernum non eſſe aliud, quàm ſtagnum ignis & ſulphuris, eſſeque in medio terræ, ita ut centrum ſtagni, centrum inferni, centrum terræ ſit unum & idem, ſulphureo ſtagno illo circa centrum ſe in orbem colligente. Cavitatem inferni, ait, eſſe circiter unius leucæ, ſeu quatuor milliarum Italicorum. Ratio ejus eſt, quia damnati in inferno non inſiſtent pedibus, nec huc illucque diſcurrent, ſed colligentur in cumulum inſtar carbonum, vel lignorum ardentium, ut Scriptura indicat. Jam etiam ſi ſingulis corporibus damnatorum demus ſex pedes quadratos (qui abunde ſufficiunt) tamen una leuca (id eſt, menſura viginti millium pedum) cubicata, ſeu cubice multiplicata,

Inferni amplitudo.

plicata, capere poterit pluſquam octoginta millia millionum corporum, cum tamen certum videatur factâ ſubductione non futuros centies mille milliones. Poſteà adjicit: Verum, ait, quia ibi quoque ingens ſtagnum erit ignis & ſulphuris; & dæmones omnes igniteis corporibus includentur, fortaſsè erit capacior. Sic ergo diameter duarum leucarum, ſeu octo milliarium Italicorum, tunc ſuperficies concava terræ ambiens infernum erit ſex leucarum. Unde facilè poterit cavitas inferni in medio ſui continere ſtagnum, cujus profunditas ſit undique unius mediæ leucæ, quanta vix unquam eſt profunditas maris: & ſupererit adhuc media leuca vacua inter concavam ſuperficiem terræ, & ſuperficiem ſtagni. Ita Leſſius. In ſtagno ignis & ſulphuris volutabuntur corpora damnatorum, ſicut piſa & fabæ in olla modò aſcendentia ad ſummum, modò dejecta ad imum, ſicut oſtenſum eſt S. Diethelmo. Sic optimè explicatur quod attuli ex S. Auguſtino, ut abrepti atque *ſubmerſi* ineffabiles pœnas luant. Genebr. in Pſalmo noſtro: Ignis, inquit, & ſulphur ignem alens, & ſpiritus procelloſus ſive ventus atrox eum exſuſcitans, illis erunt pro mercede. Beda appoſitè ad illud ſtagnum vocat ſpiritum procellarum *gravem abſorbtionem meritis*, quando impii in ineffabiles pœnas in fine trudentur. Joannes à Paſtura vocat impetum plurimorum tormentorum. Dion. intolerabilem ſtrepitum clamoris ac ululatum miſerorum, & variorum tormentorum graviſſimum ſtrepitum. Bellarm. in inferis ponit ventum frigidiſſimum & vehementiſſimum. Nobis ſufficit quòd ſit vehementiſſimus, & ignem ac ſulphur magis ac magis ſuccendat, & ſtagnum illud convolvat, in eoque corpora damnatorum ſibi invicem colliſa, atque huc & illuc disjecta & agitata.

Nota, pro procellarum in Hebr. eſt זלעפות *zilhaphoth*, id eſt, terrorum. 2. combuſtionum. 3. plagarum. 4. procellarum. Unde Arias, R. Abraham, & R. David vertunt *ſpiritus terrorum*, id eſt, terrificus, ut ait Mariana. Secundò, Felix & Salomon reddunt, *ſpiritus combuſtionum*, id eſt, comburens. Tertiò, Syrus *ſpiritus plagæ*: ſive *ſpiritus lachrymarum*, id eſt, lachrymas excutiens, & vulnera inferens. Quartò denique, S. Hieronymus, ſpiritus tempeſtatum. Sept. πνεῦμα καταιγίδος, id eſt, ventus procellæ vehementis. Pſalter. Ambroſ. *procellæ*, Pſ. Gall. & Rom. *ſpiritus procellarum*. Effectum illius venti tartarei explicat Magnettus:

> *diræque procellæ*
> *Impia ſulphureas adigens in corpora flammas.*

61. Symbolicè. Spiritus procellarum ſint dæmones. Symbolicè, Remig. per *ſpiritus procellarum* intelligit dæmones, miniſtros tribulationum. Sic in ventorum ſymbolo figurantur dæmones, Apoc. 7. 1. *Poſt hæc vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in ullam arborem.*

Tropol. Spiritus procellarum tumultus conſcientiæ. Tropolog. Caſſiod. Bruno, *ſpiritus procellarum* eſt tumultus malæ conſcientiæ in hac vita. Hebr. impios vocant רשעים *reſaim*, id eſt, inquietos, quia nec ipſi quieſcunt, nec alios quietos eſſe patiuntur. Iſaias 57. 20. *Impii autem quaſi mare fervens* (Hebr. נגרש *nigras*, id eſt, impulſum, ut reddit Pagn. agitatum, expulſum, disjectum ventis ſcilicet, ut ait Cornel. & fluctibus agitatum & jactatum. Vatabl. vertit, *Impii autem Euripi inſtar fremunt*, id eſt, fluunt, & refluunt ſicut Euripus, qui ſepties in die refluit, & id faciunt cum fremitu atque clamoribus) *quod quieſcere non poteſt: & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum*. Pagn. vertit, *& impellent ſe aquæ ejus* Hebr. מימיו *memau*, q. d. duplices aquæ ejus, aquæ multæ ejus: in corpore ſcilicet atque animo) *cœnum & lutum*. Nihil à peccatore egreditur præter lutum fæculentum & bituminoſum. Vetter. epiſtis, *Nunquam non ſtercus & lutum ejiciunt*. Implent ſentinam, ut in ea exhaurienda toti ſint, atque ut crabones in cœno & fimo vitam agant.

Verſ. 7. 4. Perſ. Summa denique damnatorum miſeria declaratur, cùm dicitur Verſ. eod. 7. Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum PARS CALICIS EORUM.

62. Pars calicis quid eſt Duobus modis hoc poteſt explicari. Primò, ita ut pars calicis idem ſit quod calix, & ſignificet totam pœnam ſingulis damnatis debitam, ut S. Hieron. S. Chryſoſt. Lomb. Janſen. Lorin. Agell. Titelmannus, qui ſic ait: Eorum plena merces erunt, & tota retributio, totaque eorum portio, quam velint nolint gultabunt, epotabunt, & abſque redemptione perſentient ac ferent in æternum. Bellarm. item: primò, tota pœna damnatorum. Obſervandum eſt, inquit, hoc loco, nomine calicis intelligi hæreditatem, ut etiam alibi ſæpè in Scriptura, ut Pſ. 15. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Ubi idem intelligitur dictum duobus vocabulis: & ideo addit, *Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* Dicitur autem hæreditas calix, quia ſicut calix in menſa, ſaltem in cœna Paſchali dividebatur inter convivas, unde eſt illud Luc. 22. 17. *Accipite, & dividite inter vos*: ita hæreditas dividitur inter filios ejuſdem patris. Eadem quoque hæreditas vocatur pars, vel portio, ut pars mea Dominus; & alibi: *portio mea Dominus*: interdum pars hæreditatis, ut loco citato, *Dominus hæreditatis meæ*: ubi non ſignificatur Dominum eſſe partem hæreditatis, ita ut aliunde ſit quærenda alia pars, ſed ſignificatur Dominum eſſe partem quæ ſibi contigit ex hæreditatis diviſione: ita ut idem ſit hæreditas, & pars hæreditatis: ſic idem etiam eſt calix, & pars calicis: id eſt, portio illa, quæ uni debetur ex diviſione calicis. Pulchrè autem filiis diaboli, quibus Dominus ait Joan. 8. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis*, tribuitur hæreditas, quam diabolus poſſidet; id eſt, pœna horribilis ſignificata per ignem & ſulphur, & ſpiritum procellarum. Ita Bellarm. & benè. S. Hier. ſibi objicit: *Quare dixit partem?* ac reſpondet: *quia unicuique pro parte ſua quaſi de calice, id eſt, juſtam vindictam recipiet, prout geſſit unſervium ſuum, ut ait Propheta: Reddet Deus unicuique ſecundum opera ſua.*

2. Et meliùs, pars pœnæ eorum. Secundò tamen, malim cum Euthymio, Ugone Card. & Dionyſio Carthuſ. dicere, per Τὸ *pars calicis eorum* non deſignari totam pœnam damnatorum, ſed tantùm ejus partem. Nam Primò, non ſit mentio pœnæ damni, id eſt, privationis Dei, cùm ſit mentio laqueorum, ignis, ſulphuris, & venti procelloſi. Secundò, non declaratur pœnarum æternitas, & alia multa. Unde Euth. piè notat: Si, ait, vel ſola hujus calicis pars adeo intolerabilis eſt, quid dicendum eſt de reliquis ſuppliciorum partibus? hoc eſt, de aliis ſuppliciorum generibus, de quibus vide Suar. tract. de Angelis, l. 8. c. 12. S. Thomam in 4. diſt. 50. q. 2. art. 5.

Nota. Hieronymus Paphius in hunc Pſal. S. Greg. 15. Mor. 21 Rupertus lib. 1. in Matth. c. 1. *partem calicis* ſumunt de impiorum ſupplicio in hac vita. Sed melius Lyran. & Dionyſ. accipiunt de alia vita. Tertiò optimè, de utriuſque vitæ pœnis dici poteſt, ſed præcipuè de futura intellige.

63. Similitudo calicis ſumitur. Quæres. Unde illa ſimilitudo ducitur? Reſp. Primò, ut dixi, Bellarminus ſumit à calicis diviſione inter convivas in cœna præſertim Paſchali. Secundò, ſumitur metaphora, ait Lorinus, ab eo, qui præeſt convivio, & cuique partitur quod edat & bibat, quem ſympoſiarchum, modiperatorem, ſtrategum, magiſtrum convivialem vocant. Quò ſpectare videri poteſt illud Chriſti Luc. 22. 17. *Accipite, & dividite inter vos*. Et meminit Plutarchus in Sympoſiacis.

Tertiò, *partem calicis* hic poni quidam volunt petitâ metaphora ab hæreditate, cujus portiones in calicem conjicerentur, & ſortitò extraherentur. Unde illæ portionem ſubſtantiæ ſibi contingentem petebat, Luc. 15. 12. & quidam impii dicuntur partes vulpium eſſe, Pſ. 62. 11. id eſt, partem habere cum hypocritis. In eam ſententiam inclinat Lorinus.

Quartò & melius, *pars calicis* ſumitur pro ſupplicio, vel parte ſupplicii impiorum, ſumptâ ſimilitudine à veneno ſontibus dato, ut cenſet Maldonatus in cap. 20. Matthæi. Hinc jubetur Jeremias dare calicem vini furoris omnibus gentibus perituris, Jerem. 25. 15. *Sic dicit Dominus exercituum Deus Iſraël, Sume calicem vini furoris hujus de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent, & turbabuntur, & inſanient à facie gladii* (quem calicem vocavit, gladium vocat) *quem ego mittam inter eos. Et accepi calicem de manu Domini, & propinavi cunctis gentibus, ad quas miſit me Dominus: Jeruſalem, & civitatibus Juda, & regibus ejus, & principibus ejus, ut darem eos* (ut prædicarem & prophetarem dandus, ut ait Corn. à. & melius, ut verè darem, ſed in viſione quam hic explicat) *in ſolitudinem, & in ſtuporem, & in ſibilum, & in maledictionem, ſicut eſt dies iſta: Pharaoni regi Ægypti, & ſervis ejus*, &c. Varios populos, Reges, & Principes enumerat. Et Deus Jeruſalem alloquens, ait Ezech. 23. 32. *Calicem ſororis*

tuæ (tu Oolibe, id eſt, Jeroſolyma, calicem Oollæ, id eſt, Samariæ,) *bibes profundum & latum : eris in deriſum, & in ſubſannationem, quæ eſt capaciſſima. Ebrietate & dolore repleberis: calice mœroris & triſtitiæ* (Pagn. ſolitudinis & deſolationis. Arias, ſtuporis & deſolationis. Sept. *perditionis*, vel, *deletionis*: id eſt, quo es perdenda, & funditus delenda) *calice ſororis tuæ Samariæ. Et bibes illum, & epotabis uſque ad fæces, & fragmenta ejus devorabis, & ubera tua lacerabis.* Et Pſalmo noſtro convenientius dicitur, Apocal. cap. 14. 9. *Et tertius Angelus* (verus Angelus) *ſecutus eſt illos* (alios duos Angelos) *dicens voce magnâ : Si quis adoraverit beſtiam* (Antichriſtum) *& imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua. Et hic bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero* (id eſt, alio puro vino, ſic autem permiſtum vinum eſt potentius , & magis inebriat) *in calice iræ ipſius , & cruciabitur igne & ſulphure.*

Verſ. 8. 64. Juſtitia & æquitas quid. 1. Notat tamen S. Auguſtinus in Pſalmo noſtro, pœnam ac ſupplicium impiorum vocari calicem , *ne quid præter modum atque menſuram, vel in ipſis peccatorum ſuppliciis per divinam providentiam fieri arbitremur.* Deinde verſ. ult. explicans addit: Et ideò tanquam rationem reddens, quare id fiat, ſubjecit David: *QUONIAM JUSTUS DOMINUS , ET JUSTITIAS DILEXIT.* Non fruſtrà pluraliter, niſi quia homines dicit, ut pro juſtis, juſtitiæ intelligantur poſitæ. In multis enim juſtis quaſi multæ juſtitiæ videntur eſſe, cum ſit una Dei, cui omnes participant. *Tanquam ſi una facies intuea-tur plura ſpecula, quod in illa ſingulare eſt, de illis pluraliter redditur.* Propterea rurſus ad ſingularitatem ſe refert, dicendo : Æquitatem vidit facies ejus. Fortaſſe pro eo ſit poſitum, æquitatem vidit facies ejus: ac ſi diceretur, æquitas viſa eſt in facie ejus, id eſt, in ejus notitia. Facies enim Dei, eſt potentia, qua dignis innoteſcit. Aut certè *æquitatem vidit facies ejus.* quia non ſe præbet cognoſcendum malis, ſed bonis: & ipſa eſt æquitas. Sic Auguſtinus. Sed paulo ſubtilius eadem hypallage Arabs vertit, *recti videbunt faciem ejus.* Et Chald. *Juſti videbunt jucunditatem faciei ejus.*

2. Secundo, per juſtitias, opera juſta, recta & pia: per æquitatem, rectitudinem vitæ ac probitatem accipiunt, Janſen. Lorin. Titelm. Agell. Bellarminus qui ait: *Juſtus Dominus, & juſtitias dilexit*, id eſt, diligit opera juſta in omnibus aliis , quos ad ſuam imaginem creavit. Idipſum repetit, dicens : *æquitatem vidit vultus ejus.* Non per æquitatem hoc loco intelligitur rectitudo , ut ſonant vocabula Hebraicum & Græcum: rectitudo autem eſt quaſi declaratio juſtitiæ. Non enim hic agitur de juſtitia, quæ eſt una ex quatuor virtutibus Cardinalibus, quæ eſt juſtitia particularis ponens medium in commerciis hominum; ſed de juſtitia univerſali , quæ complectitur omnes virtutes , & eſt quædam rectitudo totius hominis, cujus quaſi compendium eſt charitas Dei, & proximi. Nam *finis præcepti charitas* , 1. Timoth. 1. Et, *qui diligit, legem implevit.* Rom. 13. Illud autem, vidit vultus ejus, non ſignificat ſimplicem viſionem, ſed viſionem approbationis: juxta illud Pſalmi 1. *Novit Dominus viam juſtorum.* Idem igitur eſt, juſtitiam dilexit & æquitatem vidit, id eſt, rectitudinem approbavit vultus ejus, id eſt, oculus ejus. Ita Bellarmin. & hunc ſenſum ſecutus ſum in paraphraſi.

Tertio tamen meliùs, S. Hieron. Remig. Dionyſ. 65.
Joan. à Paſtura, & alii, juſtitias, ſeu juſtitiam, & ejus 3. Et genuinè.
actus in propria & ſtricta ſignificatione accipiunt & *æquitatem* pro ipſa juſtitia, atque, ut loquitur Dionyſ. pro *æqualitate retributionis*, quâ ſingulis redditur prout digni ſunt. Sic concinnior & aptior erit Pſalmi contextus. Priùs enim dictum erat : *Pluet ſuper peccatores laqueos : ignis, & ſulphur , & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Ratio ſtatim redditur ; *Quoniam juſtus Dominus, & juſtitias*, id eſt, juſtitiam, ſeu actus & exhibitiones juſtitiæ, cujus eſt punire malos, *dilexit*; *æquitatem* , id eſt, juſtitiam *vidit*, id eſt , amavit & approbavit *vultus ejus*, id eſt, ut ait Beda , vultuoſitas & ſeveritas ejus. 2. Cognitio ejus ut Remigius explicat. 3. Cognitio & præſentia ejus , ut Joan. à Paſtura. 4. Potentia videndi, ut Euthymius. 5. Propitiatio ejus, ut Caſſiod. benignus placidusque aſpectus ejus, ut Titelmannus. 6. & melius, *vultus ejus*, id eſt, ipſe, ut exponit Emmanuel Sa. Eſt itaque ſynecdoche: ſic explicat etiam Petavius , dum vertit, γελῶν φαιδρὸν προσώπῳ, id eſt, arridens hilari vultu, & Magn. qui reddit, *& amico lumine cernit.* De juſtitia Dei erga juſtos & injuſtos ferè ſimile habes, Pſal. 1. verſ. ult. Vide ibi dicta.

Nota, pro *vultus ejus*, in Hebræo eſt פנימו , *phonemo* , unde S. Hieronymus apud Fabrum vertit, Rectum videbant *facies eorum.* Ubi, ait Faber , *eorum* reſpicit peccatores. Peccatores enim in fine ſæculorum rectum in gloria, & præmiatiorem juſtorum ad majorem eorum confuſionem viſuri ſunt. Ita ipſe, melius quàm Vatablus, qui *eorum* vult poni pro *ejus* : vel eſſe referendum ad juſtos. q. d. facies *eorum*, id eſt, juſtorum, videbunt rectum, id eſt, Deum , qui rectus & æquus. Sed juſtorum nulla priùs eſt facta mentio , ſed juſtitiarum : itaque Τὸ *eorum* non fuiſſet dicendum, ſed *earum* in fœminino. Myſterium Trinitatis hic notare poſſis. Rabbi enim Japhet , quem citat Aben Ezra , dicit hic indicari myſterium, quod Abraham Gen. 20. inſinuavit his verbis. Eduxerunt me dii (id eſt, tres divinæ perſonæ) de domo patris mei. Idem myſterium hic notant Agellius & Genebrardus , qui ait : Rectum videbunt facies eorum, id eſt, perſonæ eorum, ut Græcè τὰ πρόσωπα, quæ nomina , nempe פנים *phanim.* Hebr. πρόσωπον Græcè, perſona Latinè, inde poſteà transferuntur ad divina ſuppoſita , αὐτὰ, πρόσωπα. Mercerus verò ſic loquitur in theſ. Pagn. Hoc nomine *phanim* commodè reddes , quas Perſonas in ſacroſancta Triade appellamus , ut tres hypoſtaſes , ſeu ſubſiſtentiæ notentur, non nuda nomina ut quidam impiè שמות *ſemoth*, reddunt. Subſtantias autem intelligimus , quæ mutuum inter ſe reſpectum important ut vox Hebræa ſonat , ſed ejuſdem interim eſſentiæ, &c. Ita Mercerus, & benè.

PSALMUS UNDECIMUS.

1. *In finem pro octava , Pſalmus David.*

2. SAlvum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus : quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.
3. Vana locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum : labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt.
4. Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa : & linguam magniloquam.
5. Qui dixerunt, linguam noſtram magnificabimus: labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?
6. Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum : nunc exurgam, dicit Dominus.
7. Ponam in ſalutari : fiducialiter agam in eo.
8. Eloquia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.
9. Tu Domine ſervabis nos : & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.
10. In circuitu impii ambulant : ſecundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.

PSALMI UNDECIMI ANALYSIS.

- David in urbe Ceila periclitans declarat.
  - Spem ſe in hominibus nullam habere 2. quia
    - Deficiunt ipſi
      - In voluntate, ob ſanctitatis neglectum. 2.
      - In intellectu, ob veritatis ignorantiam. 2.
      - In lingua, ob vaniloquium. 3.
      - In corde, ob fraudium machinationem. 3.
    - Puniuntur à Deo.
      - Propter fraudes, quibus proximum decipiunt. 4.
      - Propter jactantiam & arrogantiam, quibus
        - Se extollunt. 5.
        - Pendere ſe dicunt à ſeipſis. 5.
      - Propter impietatem, quâ Deum blaſphemant & negant. 5.
  - Sed omnem in uno Deo ponere, quem
    - Movent pauperes
      - Miſeriâ ſuâ & gemitu. 6.
      - Ut eos ſalvet. 6.
    - Cogunt promiſſa
      - Veriſſima 7.
      - Et ſynceriſſima. 7.
    - Effectus veracem probat
      - In juſtorum cuſtodia. 8.
      - In impiorum oberrantium repreſſione. 9.
      - In ſervorum ſuorum multiplicatione. 9.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. *In finem pro octava, Pſalmus David.*

1. Argumentũ Pſalmi. PSalmo quarto explicui *Tò in finem* : Pſalmo ſexto *Tò pro octava*, Vide ibi dicta. Pſalmi hujus argumentum eſt oratio Davidis in urbe Ceila concluſi, & à Deo admoniti, venturum eò Saulem cum exercitu, ſi diutius ibi maneret : fore verò ut à Ceilanis Sauli traderetur, ubi adveniſſet. Ita Lyranus, & benè. Nam omnia rectè conveniunt. Primò, videbatur penè periiſſe ibi clauſus. Dixerat enim Saul exultans 1. Reg. 23. 7. *Tradidit eum Deus in manus meas, concluſusque eſt, introgreſſus urbem, in quo portæ & ſeræ ſunt.* Itaque, ſibi timens David & à Saule, & à Ceilanis, ait : *Salvum me fac Domine quoniam defecit ſanctus*: extra, furit Saul : intus, periculum eſt proditionis. Secundò, liberati Ceilani operâ Davidis, alioqui Philiſthæorum præda futuri, decreverant tamen ipſum tradere Sauli, ſi ad eos veniſſet, & fortaſſe aliqui ex ipſis Saulem monuerant, ut eâ occaſione ipſi grati eſſent. Itaque ſubdit David : *Diminutæ ſunt veritates à filiis hominum*, &c. Tertiò, è contrario videbat Deum ſibi fidelem & veracem ſemper extitiſſe. Nam prædixerat victoriam de Philiſthæis oppugnantibus Ceilam, eamque obtinuerat : & nunc Deus monebat eum ut fugeret. Cùm enim Abiathar indutus Ephod, id eſt, veſtem Pontificiam, in qua erat Ephod, id eſt, ſuperhumerale habens Rationale cum Urim & Tummim, conſuluiſſet Deum, & nomine Davidis petiiſſet, an Ceilani eum eſſentædituri, reſponſum accepit, *Tradent.* Unde dicit David in Pſalmo noſtro : *Eloquia Domini, eloquia caſta*, &c. Ad alios Davidis hoſtes, puta Ziphæos, Doëg, & alios transfert etiam hunc Pſalmum Agellius.

2. Alleg. Agitur de paſſione & reſurrectione Chriſti. Alleg. & ſenſu præcipuè intento agit de Paſſione & Reſurrectione Chriſti. Nam, ut ait Euthymius, Chriſti humanitas *finem* præſentis vitæ ſuſcepit per mortem : & *octava*, id eſt, Dominicâ die reſurrexit : quæ dies & prima dicitur, tanquam dierum omnium principium : & octava, quia rurſus poſt ſeptimam diem, hoc eſt, poſt ſabbathum, redit. Pro octava etiam, & non de octava inſcriptum eſt. Neque enim docet Pſalmus quòd ſit octava, ſed rogat diem illum citò adventare : ut homines nimirum, qui ſub ſævâ dæmonum opprimuntur tyrannide, atque idolis ſerviunt, tantò citius ſervitutis jugo liberentur, & dæmones commiſſorum in Deum criminum pœnas luant majores. Ita Euthymius.

Anagogicè, vir juſtus optat diem judicii, ut liberetur ab hominum perverſitate, quæ ſumma eſt in terra. Ita S. Auguſt. Theodoret. Lombardus. Ugo, Dionyſius, qui notat, ideò Pſalmum hunc dirigere nos *in finem*, id eſt, in Chriſtum, & diem judicii appellari *octavam*, quia poſt ſeptem mundi ætates adveniet. Et Theodoretus ait, inſcribi *in finem*, quod vaticinatio illa poſteriori tempore futura ſit. 3. Anagogicè. Agitur de die judicii.

Secundò etiam Anagog. S. Auguſt. Beda, Remig. Caſſiodor. & alii, cenſent virum perfectum ſuſpirare ad æternam beatitudinem, quæ eſt vera octava. Nam, ut ait Caſſiodor. *Octavum diem mundus iſte non recipit, ſed finito ſeptimo ſemper redit ad primum. In iſtis enim diebus pluralis eſt numerus : ille autem ſingularis accipitur, qui nulla ſuccedente narratur.* Petit itaque Propheta, iniquitatem mundi deſtrui, ut ad illam veritatem futuræ promiſſionis debeat pervenire. Sic illud imperturbabile regnum ſignificatur, quando ejus beatitudo indeſinenter experitur. Meritò igitur huic Pſalmo octavus dies aptatus eſt, ubi ſeculi iſtius conſuetudo vitioſa deſeritur, & illius venire innocentia poſtulatur. Ita Caſſiodorus. Et beatitudine æterna.

4. Tropolog. Tropolog. Bellarm. Janſen. Titelm. Emmanuël, Joan. à Paſtura & alii opinantur, Pſalmum hunc eſſe orationem viri boni petentis juvari in tribulatione contra fallacias & malitiam impiorum. Queritur, ait Janſenius, de moribus ſæculi depravatis, juſtitiam ſcilicet ac fidem ubique cecidiſſe, impios & fraudulentos omnia occupare : ac deinde Deum inducens loquentem, & opem ſuam pollicentem piis contra impios, propter divinorum verborum veritatem, promittit Dei cuſtodiam affuturam piis contra impiorum fraudes.

DIVISIO

DIVISIO TOTIUS PSALMI.

***DUO** aſſeverat. Primò, homines fallaces eſſe, Verſ. 1. uſque ad 6. Secundò, Deum veracem eſſe ac fidum, Verſ. 6. uſque ad finem.*

SECTIO PRIMA.

***DUO** continet. Primò, opem à Deo flagitat, ob juſtorum paucitatem fraudeſque impiorum, Verſ. 2. & 3. Secundò, prædicit perverſis divinam vindictam, ob eorum jactantiam atque arrogantiam, Verſ. 4. & 5.*

PARAPHRASIS.

2. *Salvum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus: quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.*

2. Domine Deus, innumeris cinctum hoſtibus in tuto colloca: vix enim reliquus ullus eſt juſtus, qui tui unius amore actiones ſuas dirigat, tuoſque ſervos amet, aut iis fidem datam ſervet. Veracitas enim, & fidelitas ab hominibus ſeſubduxerunt: neque eſt, cui tuto poſſim me credere.

3. *Vana locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum: labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt.*

3. Omnes etiam ſibi amicitiâ, & affinitate, variiſque naturæ, & gratiæ vinculis conjunctos, mendaciis in fraudem inducunt. Duplici corde ſibi invicem loquuntur, aliud volentes loqui, aliud volentes facere: ſic toti ex fraudibus ſunt.

4. *Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.*

4. Fallaces illos, & ſuperba temerè jactantes diſperdet Deus.

5. *Qui dixerunt: linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt. Quis noſter Dominus eſt?*

5. Eos præſertim, qui arroganti faſtu dicunt: liberè audacterque, quod libitum fuerit, effutiamus. Labia noſtra in noſtra poteſtate ſunt, neque ab alterius pendent imperio. Quis ergo ſibi in nos arroget authoritatem, os ut nobis occludat?

QUÆSTIO UNICA.

Quanta hominum plerorumque ſed præſertim blaſphemorum impietas?

6. CHriſtus, & Sanctus quilibet in David figuratus cinctus hoſtibus & in hac vita velut in opaca ſylva, vallatum videns ſe leonum, tigridum, urſorum, cæterarumque belluarum agmine, opem à Deo implorat, ut ab eorum unguibus & dentibus liberetur. Verſ. 2. *Salvum me fac Domine.*

Mundanorum generalis corruptio. Rationem affert, quòd corruptiſſimorum hoſtium verſetur in medio, qui voluntate, intellectu, ore, corde Dei placita rejiciant.

Primò, voluntate, ſanctitatem rejicientes. Verſ. eod. 2. *Quoniam defecit ſanctus.*

Secundò, intellectu, per varios errores obſcurato. Verſ. eod. 2. *Quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* Vide alium ſenſum in paraphraſi.

Tertiò, ore, vana & magna promittendo. Verſ. 3. *Vana locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum.*

Quarto, corde, fraudes machinando. *Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt.*

Denique, conſolatur ſe brevi futuro impiorum excidio. Verſ. 4. *Diſperdat* (diſperdet) *Dominus univerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.* Explicat deinde quid ſit illa lingua magniloqua, nempe blaſphema. Verſ. 5. *Qui dixerunt: linguam noſtram magnificabimus; labia noſtra à nobis ſunt. Quis noſter Dominus eſt?*

ARTICULUS I.

An ſanctitas vitæ & doctrinæ funditus in Eccleſia defecerit?

7. Verſ. 2. 1. Pars. DAvid ſive Chriſtus, aut vir pius (hi enim tres poſſunt conſiderari loquentes in hoc Pſalmo) videns ſe à multis deſeri, ad Deum fugit, Verſ. 2. *SALVUM ME FAC DOMINE, QUONIAM DEFECIT SANCTUS.* *Defecit*, id eſt, non invenitur inter tot malos: ſicut loquimur cùm dicimus, defecit frumentum, aut defecit pecunia. Ita S. Aug. & beat. Defecit quantùm ad paucitatem, quia pauci ſunt boni inter tot malos, ut ait Ugo Card. Secundò, *defecit ſanctus*, id eſt, à me receſſit, me reliquit, q. d. etiam ii qui ſanctiſſimi credebantur, & maximè mihi innocenti adhæſuri uſque ad finem, à me defecerunt ad Saulem, ſicque à ſanctitate ſua exciderunt. Sic poſtea Achitopel, qui pius maximè judicabatur, defecit ad Abſolonem: de illo habetur, 2. Reg. 16. 23. *Conſilium autem Achitopel, quod dabat in diebus illis, quaſi quis conſuleret Deum*, id eſt, erat inſtar oraculi: cenſebatur divinum & ſapientiſſimum: fingebat ſcilicet pietatem impius, ſed laqueo ſibi fauces præcluſit poſt ſcelerata conſilia data Abſaloni.

Quæres. Quis ſanctus hîc intelligatur? Reſp. primò, cum Bellarmin. Janſenius, Agellius, Titelm. Ugone, & aliis, intelligi virum pium, bonum, probum, innocentem, virtutibus præditum, ſimplicem, qui nihil per dolos & fraudem agat. Sanctitas, ut ait S. Thom. 2. 2. q. 81. art. 8. refert omnia virtutum opera in Deum, vel per hæc diſponit ad cultum Dei, ideo differt tantùm ratione à religione, quæ eſt circa pertinentia ſpecialiter ad cultum Dei, ut in ſacrificio. Itaque ſanctitas eſt ſpecialis virtus, ſcilicet religio: ſed eſt generalis imperio. Eſt ſanctitas, ait idem S. Doctor ibid. ad primum, quædam ſpecialis virtus ſecundùm eſſentiam. Et ſecundùm hoc eſt quodammodo eadem religioni. Habet autem quandam generalitatem, ſecundùm quod omnes virtutum actus per imperium ordinat in bonum divinum: ſicut & juſtitia legalis dicitur generalis virtus, inquantum ordinat omnium virtutum actus in bonum commune. Ita S. Thom. De illa ſanctitate propriè dicta poteſt hic locus intelligi. Unde Syrus vertit: *Salva Domine, quoniam defecit bonus*: hoc enim ſignificat טוב *tob*, Chald. verò *Redime Domine, quoniam conſumpti ſunt juſti.* Nam id ſignificat צדיק *ſaddic*, Arabs reddit, *Salva me, ô Domine mi, quia jam conſumptus eſt purus.* Hoc ſignificat טהור *tahor*, id eſt, purus, mundus, mitis, manſuetus, ſanctus. Aquila vertit ἁγνός, id eſt, purus. Septuaginta, ὅσιος. id eſt ſanctus, nullo ſcelere contaminatus.

8\. Quinam ſunt ſancti?

Sanctitas eſſentialiter eſt eadem virtus cum religione.

Secundò, Bellarm. ſanctum intelligit miſericordem. q. d. Nullus eſt qui tot miſeris & calamitati-

bus

bus meis tangatur, omnes ſuis utilitatibus intenti ad meam afflictionem ſurdi ſunt, & cæci. Vox Heb. חסיד *aſid*, miſericordem & beneficum etiam ſignificat. Unde Pagn. vertit: *Serva Domine, quia defecit miſericors.* Eſt ſilus ille bonus Samaritanus, qui oleum & vinum vulneribus affundat. Luc. 10. 34.

Tertiò, Theodoretus Antiochenus ſanctum ſeu *ὅσιον* hîc ait eſſe eum, qui mente purâ colat amicitiam, tanquam rem ſanctam & admirabilem. q. d. David, omnes amici mei me deſeruht.

9. A Dei gratia excidere poſſumus. Probatur authoritate.

Quæres ſecundò, An qui ſemel gratiam Dei habuit, & per eam eſt ſanctificatus, ab illa poſſit deficere? Reſp. eſſe de fide, quod amitti poſſit gratia Dei. S. Aug. lib. de corrupt. & grat. c. 13. *Credendum eſt*, ait, *quoſdam de filiis perditionis non accepto dono perſeverandi uſque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur incipere vivere, & aliquamdiu fideliter, & juſtè vivere, & poſtea cadere, neque de hac vita priuſquam eis id contingat, auferri.* Ezech. 18. 24. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua* (ergo illam habebat) *& fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur*, ut eum faciant ſanctum & Deo gratum: ſi deinde ſic moriatur, in æternum illa bona opera peribunt. Prius dixerat, ſceleratì malitiam et non nocituram, ſi ab ea converteatur. Igitur declarat hominem poſſe à gratia excidere, ſicut poteſt Dei ope ab injuſtitia recedere. Nec minus clarè ait S. Paulus Galat. 5. 4. *Evacuati eſtis à Chriſto* (id eſt, à gratia Chriſti, quo anteà eratis pleni) *qui in lege juſtificamini* (id eſt, qui per opera legis Moſaicæ, v. g. per circumciſionem, & alia legalia juſtitiam quæritis & ſperatis) *à gratia* (id eſt, à gratuita juſtificatione) *excidiſtis.* Quomodo poteſt quis excidere ab eo, quod non habuit? Veritatem illam probat Bellarminus tom. 4. tr. de juſtific. l. 3. cap. 14. & affert octo exempla.

Et exemplis octo.

Primò Angelorum malorum, qui ante peccatum erant juſti, ut colligunt SS. Patres ex cap. 14 Iſaiæ, & 28. Ezechiel. Secundò, Adamus ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditus peccavit, Gen. 1. 26. Tertiò, Saul Rex primus Iſraëlitarum, qui 1. Reg. 9. dicitur electus & bonus, turpiter in multa ſcelera cecidit. Quartò, David Rex omnium conſenſu juſtus fuit, cùm de eo diceret Deus: Inveni David virum ſecundùm cor meum, Act. 13. & tamen verè à juſtitia excidit. Quintò, Salomon fuit aliquando verè juſtus, atque à Deo ſingulariter dilectus, 2. Reg. 7. Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium: & cap. 12. *Vocavit nomen Salomon, & Dominus dilexit eum, miſitque in manu Nathan* (id eſt, per Nathan: quia, ut ait Cornelius, manus ſignificat medium vel inſtrumentum) *Prophetam & vocavit nomen ejus, Amabilis Domino.* Heb. ידידיה *iedidia*, id eſt, dilectus Dei, aut à Deo. Significat etiam dilectus dilecti: vel dilectus dilectus, id eſt, dilectiſſimus. Sextò, S. Petrus ſine dubio ſanctus erat, cùm ei diceretur à Chriſto, Matth. 16. Beatus es Simon Bar Jona. Et Joan. 13. Qui lotus eſt, non eget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. Poſteà peccavit, & quidem peccato lethali, ut ait S. Auguſt. tract. 66 in Joan. Septimò, Simon Magus converſus à Philippo credidit, & baptizatus Philippum ſequebatur, ut Lucas ſcribit Act. 8 & tamen hæreſiarcha factus miſerè periit. Octavo denique Judas proditor, fuit aliquandu juſtus, ut probat S. Hieron. lib 3. adverſus Pelagianos, ex illis verbis Domini, Joan. 17. Pater, quos dediſti mihi, cuſtodivi, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis. Conſtat autem eſſe damnatum, cùm dicatur filius perditionis, id eſt, perditus. Et Matth 26. Chriſtus dicat: Melius erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Quòd etiam fides perire poſſit, patet 1. Timoth. 13. *Quidam circa fidem naufragaverunt.* 1. Timoth. 4. *In noviſſimis diebus diſcedent quidam à fide.* Itaque mirum eſt Calvinum lib. 3. Inſtit. cap 2. docere fidem & juſtitiam propriam eſſe electorum, ſemel verè acceptam non poſſe ullâ ratione amitti. Sed hoc eſt perabſurdum. Nonne enim infantes fidelium verè juſtificantur in baptiſmo, imò etiam ſine baptiſmo, ut ipſi ait? unde igitur tot hæretici? Hæc conſidera, & time: cadere enim potes, licet ſtes in cœlo cum Angelo, in paradiſo cum Adamo, in cœtu diſcipulorum cum Juda.

10. Eccleſia deficere non poteſt.

Quæres tertiò, An aliquando in Eccleſia ita defecerit, aut defecturus ſit omnis ſanctus, ut nullus fidelis & juſtus vivat, ſed omnes ſint peccatores & infideles? Reſp. 5. cùm Bellarm. tom 4. tract. de Eccleſ. milit. lib 3. cap. 13 Eccleſiam viſibilem non poſſe deficere. Nam Matth. 16. 18. ait Chriſtus Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi* (id eſt, civitas inferorum. Eſt ſynecdoche. 2. principes & robur inferum, ſic erit metonymia, quia in portis eſt munimentum & robur civitatis, & apud Hebræos in portis, vel prope portas erant judices & ſeniores, id eſt, principes populi, ad jus cuique reddendum) *non prævalebunt adverſus eam.* De ea re locus commodior erit Pſal. 47. 9. *Deus fundavit eam in æternum*, civitatem ſcilicet Dei, id eſt, Eccleſiam. & Pſal. 88 38. *Et thronus ejus* (Eccleſia eſt Chriſti thronus) *ſicut ſol in conſpectu meo: & ſicut luna perfecta in æternum.* S. Hier. vertit: Sicut luna ſtabilietur in ſempiternum. Chald. quoque, ſicut luna firmata ad ſignum æternum.

Reſp. ſecundò, In ea Chriſti Eccleſia viſibili hactenus fuiſſe, & ſemper futuros multos ſanctiſſimos viros. 11.

11. In ea ſancti extiterunt omnibus ſæculis.

Hoc probat Thomas Bozius fusè & eruditè tract. de ſignis Eccl. lib. 7. cap. 1. ubi inter cætera ait, ſæculo decimo ſexto Aloyſium Bertrandum ex Ordine S. Dominici mortuum eſſe anno 1581. acta vitæ ejus examinata fuiſſe Valentiæ publicis teſtimoniis, refertur ibi eum in Indiis Occidentalibus innumeris gentibus Catholicam doctrinam tradidiſſe, & cùm loqueretur Hiſpanicè, mirabiliter tamen ab Indis variarum nationum atque linguarum eſſe intellectum, mortuam puellam revocaſſe ad vitam, venenum bibiſſe abunde ſine ullo nocumento, ad conſignandam publico hoc miraculo ſuam doctrinam. Nonnulla etiam refert de S. Ignatio, S. Franciſco Xaverio, S. Franciſco de Paulo, qui eo ſæculo cum ſuis alumnis florebant.

Etiam in ultimis.

Sæculo decimo quinto, anno 1476. mortuus eſt Jacobus Picenus, qui eſt Neapoli ſepultus, ejus laudes ſcribit Jacobus Sannazarius: is puerum à Judæis occiſum ad vitam revocavit: in Bohemia plurimi hæretici ab eo petierunt, ut poculum veneno plenum, quod ipſi miſcuerant, biberet: ſic enim dixerunt, credemus: bibit ille intrepidus maximâ multitudine ſpectante, nihilque eſt læſus. Anno 1456. obiit Joannes à Capiſtrano, qui mortuus mortuos octo à morte excitavit. Vide cæteros.

Sæculo decimo quarto, anno 1346. mortuus eſt Venturinus Bergomas ex Ordine S. Dominici: ejus ex facie, dum verba faceret è ſuperiori loco, ſæpè maximus cunctis cernentibus fulgor eluxit. In Gallia mortuum ſuſcitavit. Eo ſæculo in Gallia floruere S. Ludovicus Epiſc. Toloſatium, filius Caroli Siciliæ regis, & S. Elzearius Comes Ariani & alii.

Sæculo decimo tertio, anno 1286. Ambroſ. Senenſis obiit: is tribus cæcis viſum reſtituit, defunctos duos vitæ reddidit. anno 1275. obiit S. Raymundus à Pennaforte, qui fuit factus Epiſcopus Barcinonenſis, ſed paulò poſt illi dignitati renunciavit, ac generalatui ſui Ordinis, nempe Dominicani: fertur mortuos quadraginta ſuſcitaſſe, & aliquando ex Inſulis Balearibus pallio ſuper maris aquas injecto inſidens Barcinonem veniſſe. Eo ſæculo floruerunt S. Bonaventura, S. Cæleſtinus Papa, S. Thomas Aquinas, S. Hyacinthus, S. Franc. Aſſiſias, & alii. Vide ibi alia ſæcula uſque ad nonum incluſivè. Nam de primis ſatis patet ſanctos plurimos tunc fuiſſe.

12. Sancti in Eccleſia fuerunt iniquiſſimis etiam temporibus.

Capite ſecundo idem Bozius fusè aſtam probat iniquiſſimis Eccleſiæ temporibus fuiſſe ſanctos plurimos. Primo, hæreſis Ariana ſub Conſtantio præſertim, Valente, & aliquot Imperatoribus graviter afflixit Orientem: deinde verò irrumpentibus Oſtrogothis in Italiam, Viſigothis in Hiſpanias, Vandalis in Africam, Occidens multa paſſus eſt. Tum floruerunt S. Athanaſius Alexandriæ Patriarcha, S. Baſilius Magnus, S. Greg. Nyſſen. S. Greg. Nazianzenus, S. Jacobus Epiſc. Niſibis, S. Nicolaus Epiſc. Myræ, S. Cyrill. Jeroſ. S. Paphnutius Thebæus, S. Spiridion Cyprienſis, & alii Sanctiſſimi quoque iis temporibus floruère monachi: S. Antonius Magnus, S. Macarius, Iſidorus, Pambos, Benjamin, Joſephus, S. Aphraates, S. Abrahamus, S. Ephrem, S. Acepſimas, S. Iſaacus, & innumeri alii.

1. tempore Arianorum.

Secunda tempeſtas adverſus Eccleſiam orta eſt ab Eutychianis. Tunc verò floruere S. Flavianus Martyr, Euthychius & Gennadius Patriarchæ, S. Simeon Stylites, S. Euthymius Magnus, S. Daniel Stylites, & Sabas, & alii.

2. tempore Eutychii.

Tertia tempeſtas excitata eſt à Monothelitis, in quam hæreſim incidit Heraclius Imp. & filius ejus Conſtans, & alii Imperatores. Tunc floruère Romani Pontifices ſanctiſſimi: Martinus, Adeodatus, Leo II. Benedictus II. Conon, Sergius, Conſtantinus.

3. tempore Monothelit.

Vide

Vide tempora Iconoclaſtarum, & aliorum hæreticorum ac ſchiſmaticorum, & videbis inter medias nubes Eccleſiam, ut ſolem clariſſimum, effulſiſſe. Lege eundem Bozium lib. 7. cap. 6. & lib. 12. c. 12. præſertim, ubi docet fuſiſſimè ſanctitatem nunc militantis Eccleſiæ.

13. Dices. Elias tempore Achab regis Iſraël ait, 3. Reg. 19. 14. *Prophetas tuos occiderunt gladio* (quod ſe opponerent cultui idolorum, ac præſertim Baal) *derelictus ſum ego ſolus*: Ergo tunc Eccleſia defecerat, aut ſaltem ejus ſanctitas Reſp. Primò, tunc tantùm repertum fuiſſe in regno Achab, id eſt, decem tribuum, ſolum Eliam, qui publicè & intrepidè auderet ſe opponere idololatris, & præcipuè Jezabeli uxori Achab: alios fuiſſe Prophetas & viros ſanctos, ſed qui furori ſe regio ſubducerent: in ipſa domo Achab erat Abdias diſpenſator domûs ejus, quem Rupertus, Lyranus, & Hebræi putant eſſe prophetam, qui inter minores ordine eſt quartus: ſed melius S. Hieron. Theod. Ribera cenſent, Abdiam prophetam longè poſteà vixiſſe tempore Joatham, Achaz. & Ezechiæ regum Juda. Præterea Deus ipſe per Angelum reſpondet Eliæ ſe ſolum eſſe conquerenti, verſ. 18. *Derelinquam mihi in Iſrael* (in regno Iſraël) *ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt curvata ante Baal; & omne os quod non adoravit eum oſculans manus.* Hebr. oſculatum eſt eum, ut vertit Pagninus: ſed Noſter exprimere voluit ritum adorationis. Nam oſculabantur manum idoli, vel propriam manum ſuam eodem ritu ac veneratione, quaſi idoli oſcularentur manum, cùm ſcilicet remoti ab idolo illud commodè oſculari non poterant, ut feciſſe aliquos, eùm aſpicerent & adorarent ſolem, indicat Job cap. 31. 26. Reſp. Secundò, licèt tempore Achab eſſet ſumma perverſitas in regno Iſrael, id eſt, decem tribuum, tamen in regno Juda ſeu Jeroſolymitano floruiſſe pietatem, & verum Dei cultum ſub pio rege Joſaphat, ſic Eccleſia reſtabat viſibilis & ſancta.

14. Sine Dei gratia eſt impoſſibile inter malos piè vivere. Nota, moraliter difficile eſt, & ſine ſpeciali gratia Dei impoſſibile, inter impios piè vivere, ideò gemit David, & opem implorat: *Salvum me fac Domine, defecit ſanctus.* Hoc egregiè amplificat S. Chryſoſt. in Pſ. noſtr. *Ardua*, inquit, *res eſt virtus, & per ſe difficilis: maximè autem quando quis operatur, eſt in magna bonorum virorum paucitate. Sicut enim viæ quidem ingreſſus affert laborem, multò magis autem quando fueris ſolus viator, & nullum habet viæ comitem: ita etiam hic; non parva enim res eſt fratrum ſocietas & adhortatio. Et ideò dicit etiam Paulus, Hebr. 10. Conſiderantes vos ipſos ad provocationem dilectionis, & bonorum operum. Et ideò ſunt vel maximè beati judicandi veteres, non quòd rectè & ex virtute ſe geſſerint; ſed quòd tum, cum magna eſſet virtutis ſterilitas, & nuſquam apparerent qui ſe rectè gererent. Hoc ergo ſignificans quoque Scriptura dicebat, Geneſ. 6. 9. Noë vir juſtus, perfectus in generatione ſua. Propterea admiramur Abraham, propterea Loth, propterea Moyſen, quòd* [Greek] *, velut in profunda nocte ſtellæ apparebant,* [Greek] *, & tanquam roſæ inter ſpinas, & oves inter lupos innumerabiles, ut qui viam in omnibus contrariam ingrederentur, & cœptum iter minimè interrumperent. Hoc ipſum enim eſt difficile in multitudine: Si autem multis contrarium iter ingredientibus, qui ſolus contra tendit, magnis afficitur moleſtiis: & ſi in navigatione eſt difficile, cùm fluctus & æſtus contra feratur, navem in contrarium dirigere: multò magis in virtute.* Hæc Chryſoſtomus.

Verſ. 2. 2. Pars. Veritas inter homines imminuta. Secunda ratio, cur petat à Deo ſalvus fieri David, ſubditur verſ. eod. 2. QUONIAM DIMINUTÆ SUNT VERITATES A FILIIS HOMINUM, id eſt, per homines. q. d. vix reperitur apud homines veritas, quilibet homo propter levitatem animi vel malitiam diminuit aliquam veritatem, ſic omnes penè veritates imminuuntur, nihil propè reſtat non fucatum & adulteratum: *mutaſ*, ut ait Theodoret. *inter ſe infidelitate laborant.* Nota, pro *diminutæ ſunt*, in Hebræo eſt פסו *phaſſu*, id eſt, finitæ ſunt, conſumptæ ſunt, defecerunt. Rad. פסס *faſas*, finire, conſumere, deficere, imminuere. Ubi adverte, primariam radicem eſſe *phas*, id eſt, particula multicolor. unde tunica *phaſſim*, dicitur tunc polymita, hoc eſt, multis filis & liciis variegatis conſtans. Itaque cùm dicitur, quod veritates *phaſſu*, id eſt, defecerunt, ſeu imminutæ ſunt, ita ut non ſint unius & ſtabilis coloris, ſed colorem mutabilem habeant, quem vulgo cangiantem vocant: ſeu ſit una pars ſermonis vera, alia falſa, ſicque ſit multicolor: vel unus civis, amicus, affinis, domeſticus ſit verax, alius mendax, ſicque veritates ſint diminutæ à filiis hominum, & vix reperiatur veritas vivi & excellentis coloris, in qua nihil ſit tectum, offuſcatum, denigratum, dilutum, ac dimutum.

Nota ſecundò, pro *veritates* Hebr. eſt אמונים *emunim*, quam vocem R. Abraham. R. David, R. Emmanuël, S. Hier. Felix, Munſter, Pagn. volunt eſſe Toar, id eſt, adjectivum, & fideles ſignificare. Unde S. Hier. vertit: *Quoniam imminuti ſunt fideles à filiis hominum.* R. Aben Ezra, *exciſi ſunt fideles.* Felix & Pagn. *defecerunt fideles.* Arabs, *conſumptus eſt purus.* Vox tamen *emunim* etiam eſt ſubſtantivum, & ſignificat veritates, fidelitates, ut docet R. David in lib. Rad. ubi ait, ſignificare quoque homines veraces & fideles, & aliquando eſſe Toar. & S. Auguſt. S. Chryſoſt. Caſſiod. Theodor. Beda, Pſalt. Rom & Gallicum habent, *veritates.*

Quæres. De qua veritate hìc eſt ſermo? Reſp. 1, cum S. Aug. *Veritas una eſt quâ illuſtrantur ſanctæ animæ. Sed quoniam multæ ſunt animæ, in ipſis multæ veritates dici poſſunt; ſicut ab una facie multæ in ſpeculis imagines apparent.* Primam veritatem & fontem veritatum turbare homines non poſſunt, ſed rivos tantùm. Sol in ſe non patitur eclipſim, ſed tantùm nobis, qui terram ejus radiis ac nubes & oculorum lippitudinem aut pelliculorum opacitatem opponimus. Speculum non terſum, impolitum, & non purgatum, obſcuram & deformem in ſe facit pulcherrimam faciem. Non reddit eam illâ puritate & pulchritudine, quæ ſibi objicitur: idem accidit in hominibus à Deo immiſſas veritates corrumpentibus & obſcurantibus. Unde dicuntur, *diminutæ à filiis hominum*; quia, ut ait Caſſiod. & Lomb. Dona Dei culpâ eorum depravantur & diminuuntur.

Reſp. ſecundò, cum Dionyſio Carth. Ugone Card. Thoma Jorgio Anglico etiam Cardinale, à Paſtura, & aliis, veritatem hìc poſſe diſtingui triplicem. Primò, veritatem doctrinæ: ſecundò veritatem vitæ: tertiò, veritatem juſtitiæ, quæ omnes diminutæ ſunt inter homines, & ab ipſis hominibus. Primò, veritas doctrinæ minuta eſt: quia multiplicata ſunt documenta errorum, ait Dionyſius. Veritas hæc defecit per ſuperbiam, ait Ugo, & hoc facilè probari poteſt in hæreticis, qui tument ſemper ac ſuperbiunt, & de quibus hic locus in ſenſu allegorico intelligitur. Hæretici non tollunt prorſus veritates fidei, ſicut Pagani, ſed illas imminuunt partem aſſerentes partem tollentes ſicque Chriſtum dividunt & pro ſua phantaſia colorant. De Judæis id explicat S. Hieron. in hunc modum: *Ante adventum Chriſti, ſive prophetæ, ſive patriarchæ, tam bonæ naturæ, quàm qui ex parte dejecti videbantur ſerviregis multis modis diminuti erant; quia caput, id eſt, veritas, qui eſt Chriſtus, nondum venerat. Membra diminuta erant, uſquequò caput eorum, quod eſt Chriſtus, advenit.* Sed hoc eſt paulo acutius. Prius notaverat, propriè eſſe unam tantùm veritatem, nempe Chriſtum, qui ait Joan. 14. Ego ſum via, veritas, & vita: ſed per participationem multas dici veritates, quia multorum juſtorum opera ſunt, & multi juſti qui faciunt bonum. 16. Veritas triplex. 1. doctrinæ.

Secunda itaque eſt veritas vitæ, de qua patet loqui mox citatum S. Hieronymum. Veritas porrò vitæ eſt, cum vita reſpondet verbis, promiſſis, faciei, compoſitioni corporis, nomini Chriſtiano, officio, profeſſioni. Cum enim ab illis diſſonat, eſt mendax & fallax. Columbinam ſimplicitatem & innocentiam omnes præ ſe ferre geſtiunt, ſed plerique in gutture verſicolores plumas habent: aut aptius, multos comparabis Cygno, qui in pennis eſt candidus, in carne niger. Verba alata ſunt, & pennas habent, alba in plerisque ſunt, ſed caro & ejus concupiſcentia eſt denigrata ſuper carbonem. Jerem. cap. 4. Thren. 7. *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores. Denigrata eſt ſuper carbones* (id eſt, pluſquam carbones extincti) *facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis: adhæſit cutis eorum oſſibus: aruit & facta eſt quaſi lignum.* Per Nazaræos intelligunt Levitas & Sacerdotes Deo conſecratos Rabanus, Dionyſ. & Lyranus, nec malè: ſed melius. 2. Nazaræi, id eſt, ſeparati, conſecrati & coronati, erant qui ſe Deo devovebant, vino & ſicera abſtinendo, comam non tondendo. Num. 6. multi etiam à mulieribus ſe continendo, ut ait S. Epiph. hær. 29. & S. Aug. ſerm. 107. de tempore. Horum externam pulchritudinem notatam dicit: erant enim inter eos multi nobiles & juvenes pulchri, id 17. 2. vitæ.

eſt

eſt candore roſeo, eúmque ſua temperantia & abſtinentia, ſicut contigit Danieli & ſociis, fortè etiam arte ac ſtudio augebant, cùm ſe Deo conſecrarent, ut internam puritatem externa repræſentarent: Hi jam in fame & captivitate luridi & ſqualidi effecti ſunt. Unde dicitur, Denigrata eſt, &c. Ita Cornelius. Symbolicè, Nazaræi ſunt Religioſi, quibus verſio Arabica rectè congruit cum Alexandrina, *mundi facti ſunt abſtinentes ſe ex hominibus ejus magis quàm nix*, tum Antiochena, *mundati ſunt remoti ejus* (id eſt, qui ſe removerunt & ſubduxerunt ab hominum turba & tumultu) *& albi facti ſunt ſicut nix*. Multi religioſi & religioſæ habent veſtes interius & exterius albas, dealbent etiam ſtolas ſuas in ſanguine Agni, caveant fuliginem ullæ & carnis & tartari. S. Gregorius libro trigeſimo ſecundo Moralium capite decimo ſeptimo. *Nazaræi ſunt continentes & abſtinentes; hi in Eccleſia pleruinque tam mira opera faciunt, ut ab eis multi qui cæleſtem vitam tenuerunt* (quorum ſymbolum eſt candor nivis) *multi qui terrena benè diſpenſaverunt* (qui lacte figurantur) *ſuperari videantur. Sunt rubicundiores ebore antiquo, quia ſæpè ante oculos nonnullis præcedentibus patribus ſtudii ferventioris exiſtunt: ſapphiro ſunt pulchriores, quia ad ſuperna tendentes per cæleſtem converſationem videntur vincere: ſed dum virtutum copia in quandam ſui fiduciam mens abducitur, & præſumptione propria ſuſ atur, Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum: nigri enim poſt candores fiunt, & frigidiores carbonibus extinctis, id eſt, frigidis membris, evadunt.* Non ſunt eadem omnino verba, ſed ſenſus. Vitæ veritas è fundo cordis ſe effundat in corpus, de Chriſto transfigurante ſe in monte Thabor dicitur, Matthæi decimo ſeptimo, verſu ſecundo. *Veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix.* Sic etiam habet Evangelium Perſicum. Sed Æthiopicum habet, Veſtimenta ejus ſicut cryſtallus. Græcè ὡς τὸ φῶς, *ſicut lux*, & ſic vertêra Arabs & Syr. item Ægyptii habent. *Et rutilavit facies ejus ſicut ſol, veſtimenta quoque ſplenduerunt formâ ſolis.* Ab interiori animæ gloria ſplendor ille profluebat, itaque erat verus & non phantaſticus: in hominibus verò ſæpè eſt lux & fulgor, ſed nocturnus ſicut in lignis putridis. Sanctus Chryſoſtomus in Pſalm. noſtr. *Quid eſt*, inquit, *Diminutæ ſunt veritates. Quemadmodum enim in coloribus & aliis generibus, alia quidem vera ſunt, alia falſa, & eſt purpura vera & purpura falſa, & in croco & in lapidibus, & in aromatibus & aliis ejuſmodi: ita etiam in virtutibus. Veritas enim eſt, quod verè eſt: mendacium autem, quod non eſt. Quoniam ergo hæc inverſa & obſcurata fuerant, non quod ſuam perdiderint ſubſtantiam, ſed quod ab hominibus fuſa & fatigata fuerant: propterea non dixit ſolùm diminutæ ſunt, ſed adjecit à filiis hominum, hoc ipſum volens ſignificare. Conſidera autem, Eſt ornatus verus, eſt etiam falſus. Quis ergo eſt verus ornatus? qui eſt in anima. Quis eſt autem falſus? qui eſt in corpore. Sunt divitiæ veræ, ſunt etiam falſæ. Falſæ pecuniarum: veræ, rectè factorum. Eſt lætitia hæc quidem vera, illa verò falſa, & pulchritudines, & potentiæ, & gloriæ. Sed maxima pars hominum, horum veritate relicta, quæ falſa ſunt, perſequitur: quemadmodum enim eſt homo verus & falſus; verus quidem qui vivit & operatur: falſus autem, qui pictus eſt: ita etiam videre poſſumus in virtutibus.* Hactenus Chryſoſtomus.

18. Juſtitiæ. Tertia veritas, eſt veritas juſtitiæ, id eſt, veracitas & fidelitas in promiſſis, & de hac potiſſimùm dicitur: *Quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum*, id eſt, non eſt fidelitas & veracitas inter homines. Unde Syrus vertit, *Deſiit fidelitas de terra*, quaſi dicat, in cœlum revolavit, terras reliquit, non invenitur, amplius ullo in loco, præſertim inter aulicos Saülis. Hic ſenſus mihi maximè placet. Sic *Tò quoniam* referri poteſt Primò ad, *Salvum me fac Domine*, quaſi dicat. Egeo tua ope, ut ſalver ab hominibus fallacibus, mendacibus & perfidis, nulli poſſum fidere, involvor ex omni parte, ab hominibus mihi mira pollicentibus & abblandientibus, ſed me Saüli hoſti meo prodentibus: itaque opus eſt, ut me ſalves ab eorum inſidiis & manibus. Secundò, *Tò quoniam* referri poteſt ad *Tò, quoniam defecit ſanctus*, quaſi dicat, evidens eſt ſanctum defeciſſe, id eſt, non eſſe amplius ullum juſtum & ſanctum, quia omnes ſunt perfidi: & qui mihi opem promiſerant, me licèt innocentem contra omnem juſtitiam accuſant apud Saülem, & falſa de me in aula & in toto regno jactant. Hoc autem eſt contra veritatem & juſtitiam, ſeu contra veritatem juſtitiæ. Ut enim ait S. Thomas 2. 2. q. 109. articulo tertio. *Veritas juſtitiæ dicitur dupliciter. Uno modo, ſecundùm quod juſtitia eſt rectitudo quædam regulata ſecundùm regulam divinæ legis. Et ſecundùm hoc differt veritas juſtitiæ à veritate vitæ, quia veritas vitæ eſt, ſecundùm quam aliquis rectitudinem legis in judiciis, quæ ſunt ad alterum, ſervat. Et ſecundùm hoc veritas juſtitiæ non pertinet ad veritatem, de qua nunc loquimur, ſicut nec veritas vitæ. Alio modo poteſt intelligi veritas juſtitiæ, ſecundùm quòd aliquis ex juſtitia veritatem manifeſtat, puta cùm aliquis in judicio veritatem confitetur, aut verum teſtimonium dicit. Et hæc veritas eſt quidam particularis actus juſtitiæ, & non pertinet directè ad hanc veritatem, de qua nunc loquimur* (agit de veritate juſtitiæ) *quia ſcilicet in hac manifeſtatione veritatis principaliter homo intendit jus ſuum alteri reddere. Unde Philoſoph. libro quarto Ethic. capite ſeptimo de hac virtute determinans dicit: Non de veridico in confeſſionibus dicimus, neque quæcunque ad juſtitiam vel injuſtitiam contendunt. Veritas autem doctrinæ conſiſtit in quadam manifeſtatione verborum, de quibus eſt ſcientia. Unde nec iſta veritas directè pertinet ad hanc virtutem, ſed ſolùm veritas, quâ aliquis & vita & ſermone talem ſe demonſtrat, qualis eſt: & non alia quàm circa ipſum ſunt, nec majora, nec minora. Veruntamen quia moralia, in quantum ſunt à nobis cognita, circa nos ſunt, & ad nos pertinent; ſecundùm hoc veritas doctrinæ poteſt ad hanc virtutem pertinere; & quæcunque alia veritas quâ quis manifeſtat verbo vel facto quod cognoſcit.* Hæc S. Thomas. Unde vides à S. Doctore aſſignari quadruplicem veritatem. 1. vitæ. 2 doctrinæ. 3. juſtitiæ. 4. locutionis. In corpore autem articuli docet, veritatem etiam locutionis annecti virtuti juſtitiæ, ſicut ſecundariam principali, quod partim quidem cum juſtitia convenit, partim autem deficit ab ejus perfecta ratione. Virtus autem veritatis convenit quidem cum juſtitia in duobus. Uno quidem modo, in hoc, quod eſt alterum. Manifeſtatio enim, quam diximus eſſe actum veritatis, eſt ad alterum, in quantum ſcilicet ea, quæ circa ipſum ſunt, unus homo alteri manifeſtat. Alio modo, in quantum juſtitia æqualitatem quandam in rebus conſtituit. Et hoc etiam facit virtus veritatis. Adæquat enim ſigna rebus exiſtentibus circa ipſum. Deficit autem à propria ratione, quantum ad rationem debiti. Non enim hæc virtus attendit debitum legale, quod attendit juſtitia: ſed potiùs debitum morale, in quantum ſcilicet ex honeſtate unus homo alteri debet veritatis manifeſtationem. Unde veritas eſt pars juſtitiæ, in quantum annectitur ei, ſicut virtus ſecundaria principali. Ita S. Thomas.

Quòd hæc veritas ſit imminuta, etiam in ipſis Judicibus & Rectoribus ac Prælatis, queritur Deus, Oſeæ 4. 1. *Non eſt veritas* (morum & vitæ, ait Albert. 2. fidelitas, ſeu fides promiſſorum & factorum, ut Cornel.) *Non eſt miſericordia, &* (quia) *non eſt ſcientia Dei in terra.* Non eſt veritas juſtitiæ, (ait Ugo) miſericordia vitæ, ſcientia doctrinæ. Quanta inde peccata ſequantur, ſubdit. *Maledictum & mendacium* (ſunt duo fratres) *homicidium, &c. inundaverunt.* Quanta autem ſupplicia irrogentur à Deo, habes verſu tertio. *Propter hoc lugebit* (Chald. vaſtabitur & deſolabitur. Eſt metalepſis) *terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in* (id eſt, cum) *beſtia agri, & in* (cum) *volucre cœli.* Scriptura enim aliquando Beth ſumit pro *cum*, ut Geneſis trigeſimo ſecundo. In baculo meo tranſivi Jordanem) *Sed & piſces maris congregabuntur*, id eſt, ut ait Chriſtophorus à Caſtro, deficient, cladem ſentient, morientur, aut è medio tollentur: ut Septuaginta, Chaldæus, & omnes intelligunt, ea forma loquendi, qua decedentes è vita, ſolet Scriptura dicere colligi, aut congregari ad patres ſuos: quia ex hoc mundo ſigillatim ſeliguntur, & in collegium parentum, aut majorum ſuorum aſſumuntur. De juſtitiæ & veritatis defectu queritur Iſaias cap. 59. 14. & 15.

Quæres. An ita poſſit diminui veritas in Prælatis Eccleſiæ, ut aliquid doceant contra fidem? Reſpond. Primò, Pontificem non poſſe ulla ratione definire aliquid hæreticum, à tota Eccleſia credendum. S. Thomas 2. 2. quæſtione prima, articulo decimo, ait ad ejus authoritatem pertinere finaliter determinare ea, quæ ſunt fidei, ut ab omnibus inconcuſſa fide teneantur. Hoc autem verum non eſſet, ſi errare poſſet. Illa infallibilitas fundatur in Chriſti verbis, S. Petro dictis. Lucæ 22. verſu 32. *Ego autem rogavi* (patrem meum) *pro te* (quem caput Eccleſiæ conſtituo) *ut non deficiat fides tua.* Ubi duo S. Petri privilegia continentur. Primum perſonale, nempe ut ipſe nunquam fidem in Chriſtum — 19. Pontifex nihil poteſt docere contra fidem.

ſtum

ſtum admitteret, eam enim corde ſemper retinuit, etiam negans voce, ut S. Auguſtinus docet lib. de corrept. & gratia. cap. 8. & S. Chryſoſtomus hom. 83. in Matthæum. Secundum privilegium & certum tam ipſi Petro quàm ſucceſſoribus ejus fuit commune, ut nunquam publicè à fide deficerent, ſic ut Eccleſiam docerent hæreſim, vel errorem aliquem, qui ſit contra fidem, ut docet S. Cyprianus lib. 1 epiſt. 3. ad Cornelium. S. Leo ſermon. 2. de Natali ſanctorum Petri & Pauli, & innumeri alii. S. Bernardus in epiſt. 190. ad Innocentium. *Oportet*, inquit, *ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala regni Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum. Cui enim alteri ſedi dictum eſt aliquando: Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua?* Lege Bellarminum tom. 1. tractatu de Romano Pontifice lib. 4. cap. 3. Romanam etiam Eccleſiam non poſſe errare in fide docet cap. 4. quamdiu ſcilicet ibi Apoſtolica ſedes manebit. S. Cyprianus id docet lib. 1. epiſt. 3. *Navigare*, ait, *audent ad Petri Cathedram & Eccleſiam principalem, &c. nec cogitare eos eſſe Romanos, ad quos perfidia non poteſt habere acceſſum.* S. Gregorius Nazianzenus in carmine de vita ſua, ante medium. *Vetus Roma*, inquit, *ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & ſemper eam retinet: ſicut decet urbem, quæ toti orbi præſidet, ſemper de Deo integram fidem habere.*

20. Concilia generalia non poſſunt errare.

Reſpond. Secundo. De fide eſſe, Concilia generalia à ſummo Pontifice confirmata errare non poſſe, nec in fide, nec in moribus. 1. Timoth. 3. 15. *Hæc tibi ſcribo, ut ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt columna & firmamentum veritatis*: id eſt, columna benè firmata, & firmans veritatem. Eſt enim Hendyadis, qualis eſt, cùm dicitur, Aurum frænosque momordit, hoc eſt, frænos aureos. Rurſum Eccleſia eſt firmamentum veritatis tam activum quàm paſſivum. Eccleſia enim in fide & veritate paſſivè firmatur à Deo per infallibilem aſſiſtentiam Spiritûs ſancti à Chriſto promiſſam, ac per eam fideles omnes activè confirmat. Ita S. Chryſoſtomus, Theoph. Beda, Cornelius & alii. Alludit porrò Paulus ad duas columnas templi Salomonis, nempe Jachin & Boos, de quibus dixi aliàs. De infallibilitate Conciliorum vide Bell. tract. de Concil. lib. 2. cap. 1. & ſeqq.

ARTICULUS II.

Lingua cum vitiis ſuis tragœdias magnas excitat.

Verſ. 3. 1. Pars.

21. Lingua eſt univerſitas iniquitatis.

SAnctus Jacobus in epiſtola ſua cap. 3. 6. vocat linguam, univerſitatem iniquitatis. *Lingua*, inquit, *ignis eſt, univerſitas iniquitatis*: hoc eſt, congeries. Sic dicimus malorum Oceanum, malorum Iliadem. Græcè ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας, id eſt, *mundus injuſtitiæ*: ibi cœlum, ignis, aër, terra, aqua, & ubique tenebræ & monſtra. Sed nunc liceat ludere in *Tò univerſitas*, q. d. collegium. Lingua enim eſt veluti Academia, collegium & univerſitas, in qua omnis iniquitas & impietas docetur. Poſtim nunc eam videamus, quæ nobis tragœdiam exhibet, ut à Davide diſcimus.

22. Tragœdiam facit cum quinq; ſuis vitiis.

Primus Actus illius tragœdiæ à lingua excitatæ Mendacium oſtentat. Verſ. 3. QUONIAM DIMINUTÆ SUNT VERITATES A FILIIS HOMINUM.

Secundus Actus à Vanitate exhibetur. Verſ. 3. *Vana locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum.*

Tertius à Fraude. Ibid. *Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt.*

1. 2. 3. 4. 5.

In Actu quarto Arrogantia grandi cothurno inambulans ſeſquipedalia verba eructat. Verſ. 4. *Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.*

Quintum Actum ad cataſtrophen vergens Blaſphemia inchoat. Verſ. 5. *Qui dixerunt: Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt. Quis noſter Dominus eſt?* Finit vero vindex Deus, qui has omnes larvas & furias ultore gladio exterminat. *Diſperdat Dominus*, &c.

23. Proximus noſter eſt omnis homo.

De primo Actu dictum eſt articulo præcedenti, nunc de ſecundo agendum. Verſ. 3. VANA LOCUTI SUNT UNUSQUISQUE (ferè unusquiſque: quaſi omnes, ut loquitur Dion, A majori parte fit denominatio) AD PROXIMUM SUUm, id eſt, ad participationem ſceleris ſocietos, ut ait Bruno. 2. & meliùs, Proximum omnem hominem oportet intelligi, quia nemo eſt, cum quo ſit operandum malum. Ita Auguſtinus. Nota, Omnis homo nobis eſt proximus: Primo, cognatione gratiæ, unum parentem Chriſtum omnes agnoſcimus, qui ut ſacer Pelicanus nos mortuos ſuo ſanguine ad vitam revocat, ſi velimus: Tertiò, ſpe hæreditatis ejuſdem, in qua eidem Deo ſumus in æternum uniendi. Nota ſecundò שוא *ſau*, Bruno, ſignificare mendacium. 2. vanum, ut Noſter hic vertit. 3. nihil.

24. Vana loqui, eſt 1. loqui mendacia.

Primo itaque. *Vana loqui*, eſt loqui mendacia. Et rectè explicatio hic convenit, cum dictum ſit immediatè ante, *diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* Ita Caſſiodorus, Janſenius, Mariana, Sa, & alii. Unde Chaldæus vertit. *Mendacium loquuntur unusquiſque in proximum ſuum falſum.* Ubi adverte, mendacium & vanitas ſunt idem: vel certè ſunt frater & ſoror: ideo ſimul illa jungit Propheta Pſalmo quarto, verſu tertio. *Filii hominum uſquequo diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*: & Pſalmo ſexageſimo primo, verſu decimo. *Vani* (S Hieronymus, vanitas) *filii hominum, mendaces filii hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de vanitate,* (præ vanitate, vel per vanitatem) *in idipſum.* Hebr. יחדו *jehdau*, id eſt, ſimul. Ut mendacium vitemus monet Apoſtolus Epheſ. 4. 25.

2. Loqui inutilia.

Secundò, vana loqui, eſt loqui inutilia, frivola, inania, nullius utilitatis, ſuperflua, non ſolida. Hæc autem locutio Primò eſt index vanæ mentis. Ut enim ait Gregorius citatus ab Ugone. *Sermo vanus, vanæ mentis eſt nuncius.* Pſalmo quadrageſimo, verſu ſeptimo, ait Rex noſter de falſis amicis & vanis. *Et ſi ingrediebatur ut videret* (id eſt, ut me viſitaret, in morbo ſcilicet. S. Hieronymus vertit, ut viſitet) *vana loquebatur.* Ubi Caſſiodorus ait: Si vis ſcire de fratre tuo, quale cor habeat; attende, unde libenter loquatur, & talis eſt in corde, quia ex abundantia cordis os loquitur, dicit Ariſtoteles libro tertio, de generat. animal. capite primo, ὠὰ ὑπηνέμια, *ova ventoſa* fieri in aliquibus avibus, & hoc non eſſe in avibus boni volatûs. Secundo, verba illa vana non faciunt ullum fructum. Ova ventoſa non faciunt unquam pullos. Tertiò, tempus pretioſiſſimum miſerè perditur. S. Bernardus in ſermone de triplici cuſtodia. *Nemo, veſtrum fratres*, inquit, *parvi æſtimet tempus, quod in verbis conſumitur otioſis: ſiquidem tempus acceptabile eſt, & dies ſalutis, verbum volat irrevocabile, volat tempus irremediabile, nec advertit inſipiens, quid amittat, &c.* Quartò, id Deo diſplicet, præſertim in viris ſibi conſecratis. Idem ſanctus Pater libro ſecundo ad Eugenium Papam capite decimo tertio. *Fugienda eſt otioſitas, mater nugarum, noverca virtutum. Inter ſæculares, nugæ nugæ ſunt: in ore ſacerdotis, blaſphemiæ. Interdum tamen ſi incidant, ferendæ fortaſſis, referendæ nunquam. Magis interveniendum cautè & prudenter nugacitati. Prorumpendum ſanè in ſerium quid, quod non modò utiliter ſed libenter audiant, & ſuperſedeant otioſis: Conſecràſti os tuum Evangelio: talibus jam aperire illicitum, aſſueſcere ſacrilegium eſt. Labia ſacerdotis, ait Malach. 2. cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt de ore ejus: non nugas profectò vel fabulas.* Quintò, omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii, ut ait Chriſtus Matthæi duodecimo, verſu trigeſimo ſexto. Verbum porrò otioſum ſic definit S. Gregorius 3. parte Paſtor. Admonit. 15. Otioſum verbum eſt, quod aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Et S. Bernardus ſermone de triplici cuſtodia manûs, linguæ & cordis. *Otioſum verbum eſt, quod nullam rationalem cauſam habet: quam rationem de eo reddere poterimus, quod eſt præter vanitatem? &c. Libet confabulari, ajunt, donec hora prætereat. O, donec prætereat hora! O, donec pertranſeat tempus! Donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miſeratio conditoris indulget: donec tranſeat tempus, quo divinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam ſocietatem, ſuſpirare ad amiſſam hæreditatem, aſpirare ad promiſſam felicitatem, excitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem.* Sextò denique, ut ait S. Gregorius libro quinto Mor. Dum otioſa verba cavere negligimus, ad noxia pervenimus. Prov. 14. 23. *Ubi verba ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas*, id eſt, virtutum inopia. Chald. vertit, labia ſuperflua in egeſtate erunt.

25. 3. Loqui temporalia.

Tertiò, *vana loqui*, eſt loqui de vanis, id eſt, de temporalibus, ait Ugo Cardin. loqui vana proximo, ait Beda, eſt perſuadere ei terrena: quæ verè

vanitas

by Google

vanitas ſunt amare & deſiderare. Pſ.4. 3. Propheta noſter increpat homines hæc vana deſiderantes & amantes. *Filii hominum* (homo ab humo) *uſquequo diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Vide ibi dicta ſatis fuſè. Ex amore terrenorum ſequitur lucutio de illis. Iſaias deſtruendam à Chaldæis Jeruſalem alloquens ait c.29 4. *Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum, & erit quaſi pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muſſitabit.* q. d. O Sion, o popule Juda, qui antea attollebas criſtas, magno tonabas eloquio æquè ac ſupercilio, jam in vaſtitate pedes cryptas & cavernas atque ibi ab hoſte inventa & vulnerata ad mortem gemes de terra in quam corrues, eritque vox tua quaſi pythonis: id eſt, exilis & lugibris, qualis eſt ſpirituum vel umbrarum, quas python, id eſt, necromaticus (python enim dicitur à [illegible] id eſt, interrogo, quod animas mortuorum evocet, & interroget ſecreta quæ ſcire cupit) evocat ab inferis, & facit loqui ſub terra, vel ex ventre hominis aut animalis (quæ proinde & ipſæ pythones vocantur) harum enim vox eſt gracilis, flebilis, hiulca, confuſa, gemebunda: talis erit & vox tua, ò Sion, ſub terra morientis. Ita Corn. nota. De terra loquitur & quaſi voce dæmonis, qui de terrenis loquitur.

26. Loqui ſeductoria. Quartò denique, *vana loqui*, ut ait Titelm. eſt loqui quæ vanitatis ſunt non quæ veritatis: mendacia videlicet, fraudes, ſeductiones, & perſuaſiones malas, ſive ad ſe invicem fraudandum atque decipiendum, ſive ad maleſuadendum & in peccata pertrahendum. Ita ipſe, & hic eſt verus ſenſus hujus loci, ut patet ex ſeq. *Labia doloſa*, &c. Itaque vana loqui hic non eſt ſimpliciter loqui falſa & mendacia, ſed loqui mendacia fraudulenta & captioſa, ea promittere quæ nobis præſtare. Unde S. Hier. vertit: *Fruſtrà loquuntur unusquisque proximo ſuo.* Jerem. Propheta ingenioſè vocat voluntatem illam decipiendi per mendacia, arcum mendacii, quem fugere volens optat ab hominum cœtu tanquam ab exercitu tumultuante, aut inſidiis polito & ſagittas venenatas parante, ſeſe removere. Sic enim cap. 9.2. *Quis dabit me* (reperire) *in ſolitudine diverſorium viatorum, derelinquam populum meum, & recedam ab eis? quia omnes adulteri* (id eſt idololatræ: vel etiam propriè adulteri ad aliorum cubile adhinnientes) *ſunt, cœtus prævaricatorum* (Valla lib. 6. prævaricari ait eſſe quocunque modo à præſcripto officii ſui deflectere. In judicio prævaricatur dicitur ſimulatus accuſator vel defenſor. Utrumque convenit impiis maximè hypocritis & mendacibus ac proditoribus) *Et extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacii*, id eſt mendacem, qui ſagittas videntur in unam partem conjicere, & in aliam contorquent. 2. ut ex lingua quaſi ex arcu emittant ſagittas, hoc eſt, dolos, calumnias, & omne mendacium, quibus fratres & proximos ſuos configant atque conficiant. Sic David noſter ait: Pſal. 63. 4. *Exacuerunt ut gladium linguas ſuas, intenderunt arcum* (eandem linguam quæ gladius eſt feriens cominus per contumeliam: & arcus, feriens eminus per detractionem, & inſidioſè per proditionem) *rem amaram* S. Hier. rem amariſſimam, Symm. [illegible] id eſt, ſermonem amarum & acerbum (*ut ſagittent in occultis* (S. Hilar. in obſcuro. Symm. [illegible] id eſt, clam) *immaculatum.* S. Hier. *ſimplicem.* Ipſi verò ſunt duplices corde, in corde & corde loquuntur & agunt. Vide dicta Pſalmo 10. 3. *Paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro* (S. Aug. *in obſcuro Luna*, Lunatici ſunt illi mutabiles & verſipelles, ſtultus ut Luna mutatur) *rectos corde:* habent ipſi cor obliquum, ideò rectos corde oderunt & perſequuntur. Vanitas itaque in primo hoc Tragœdiæ actu volitat levibus pennis omne corpus aſpera, vago celerique greſſu ſeſe agitans nullo in loco conſiſtit, ſed verborum leves plumas volatico ſuo cum agmine huc illuc ſubſultim verſat, & in os oculosque & aures etiam animum comitum & auditorum difflat: quas ſibi mutuò, ut erraticas pilas, regerunt, & in intimum ſinum recondunt.

Verſ. 3. 2. pars. 27. Fraus, velut perſone tragica decertbitur. Tertium mundanæ Tragœdiæ actum incipit & dirigit Fraus, detritum gauſape, ſeu villoſam veſtem, geſtat: vultuque ad modeſtiam & gravitatem compoſito lentos greſſus infert! Bifidam habet linguam, unde ſemeſa verba frangens voces integras non ſatis commodè efformat, nec auditori concipiendas perfectè declarat: cantu tamen magico & ſuaviſſimo omnes ad ſe trahit. Cor habet duplex, unde cum quid effutiit, mox contrarium vultu obſervo dicit, & riſum prudentibus excitat, ſectatores tamen multos habet atque diſcipulos, quos loquendi & fallendi modum educet & brevi tempore Doct. facit. Verſ. eodem 3. *LABIA DOLOSA IN CORDE, ET CORDE LOCUTI SUNT.* S. Aug. legit, *locuti ſunt vana.* Pſalt. Rom. S. Chryſoſt. Caſſiod. Euthym. legunt, *locuti ſunt mala.* In Hebr. Syr. Arab. habetur tantùm *locuti ſunt*, ſive loquuntur aut loquentur. Chald. vertit: *Labiis adulationum in corde ſuo machinantur, & corde mendacium loquuntur.* Ut enim ait Caſſiodorus. Neceſſe erat ut mala loquerentur, qui duplicia corda geſtabant. Ita ipſe. q. d. eos loqui eſt malè loqui, nihil dicunt quod non ſit ſubdolum, vafrum & perfidum.

Nota ſecundò, *labia*, tripliciter ſumi poſſunt. Primo, in propria ſignificatione. Secundo, pro loquentibus. Tertiò, pro verbis & ſermonibus. Labia tripliciter ſumuntur, Primò,

Senſus itaque triplex eſſe poteſt, Primò, q d. *Labia doloſa* (id eſt, per labia doloſa eſt Græciſmus) *in corde & corde locuti ſunt*: illi ſcilicet qui vana loquuntur ad proximum ſuum. Secundo, q. d. *Labia doloſa*, id eſt, qui ſic fraudulenti ſunt, ut ipſe dolus eſſe videantur. Eſt Synecdoche. S. Paulus epiſt. ad Titum cap. 1. 12. Cretenſes vocat ventres pigros) *locuti ſunt*: id eſt, locuta ſunt, ſenſum magis quàm verba attendunt ſacri Scriptores. In Hebr. & Græco non eſt illa mutatio generis, qui ibi verba ſunt utrique generi communia. Hunc ſenſum ſequitur Euthymius. Secundò.

Tertiò, & melius, Senſus eſt q. d. illi impii & vani locuti ſunt mihi in corde & corde *labia doloſa*, id eſt, verba labiis prolata, verba fraudulenta, ſermones mendaces, adulatorios & deceptorios Eſt Metonymia. Ponitur etiam inſtrumentum pro re cujus eſt inſtrumentum. Hinc S. Hier. vertit. *Labium ſubdolum in corde & corde loquentur.* Sic Gen. 11, 1. dicitur fuiſſe terra Labii unius, id eſt, unius idiomatis, ante ædificationem turris Babylonicæ, ubi Deus confudit linguas omnium infundendo diverſus habitus & ſpecies linguarum matricum, nempe 55. quot erant ibi familiæ. Tertiò.

Nota tertiò, pro *labia doloſa*, Hebræo, eſt *labia*, הלקרת *halakot*, id eſt, 1. diviſionum 2. blanditiorum. Rad. halac. id eſt, dividere, partiri, lenire, blandiri, adulari. Unde Pagn. vertit. *Labium blanditiarum in corde & corde loquentur.* Chald. & Felix, labiam adulationum. Secundo, Syrus reddit, *Labiis diverſis*, id eſt, diviſis, modo unum, modò aliud loquentibus. Linguam habent ſerpentinam bifidam aut trifidam, & labia diviſa in multas partes, ut non ſit ſimplex: conſtans, & ſincera eorum locutio. Tertiò, Symmachus reddit, *labia lubrica*, q. d. ibi ſermo titubat, non rectà incedit, periculoſius eſt ad lapſum facilis Sic Pſal 54. 22. ubi vulgata habet, *diviſi ſunt ab ira vultus ejus* (Chald. vertit, Leniora quàm pinguedo caſeorum ſunt verba oris ejus. S Hier. nitidius butyro os ejus) *& appropinquavit cor illius* (Symm. vertit [illegible] id eſt, pugnat autem cor uniuscujusque eorum. Chald. *Et ſicut arma bellica cor ejus.* Magnum itaque periculum eſt, cum doloſi cor & amor accedit ad aliquem inſidioſè, eumque ſibi unit, ut eum confodiat, cum ſit armis, nempe dolo & odio plenum: imò cor ipſum doloſum ſit omnia arma bellica, puta gladius, haſta, arcus, &c. Labia lubrica ſunt, in illis labi facilè eſt. Symbolum fraudis ſunt ipſa labia. Nam, ut notat Arias, natura labii eſt cartilaginoſa, non oſſea, carneáve tota: nec dura nimis, nec mollior, ſed glabra & lubrica, lævis, ut aptius vocem exprimat, aëremque conformet. De meretrice ait Salomon Prov. 7. 21. *Irretivit eum* (juvenem) *multis ſermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum.* 28. Labia doloſa quænam?

Quæres, Quid eſt, in corde & corde loqui? 29. In corde & corde loqui quid?
Reſp. primò Heſychius, in corde loqui, eos qui cum magna præmeditatione loquuntur, ut labia cordi, ac vice verſa hoc illis conſonum ſit. Sed cum de doloſis agatur, non videtur apta eſſe hæc expoſitio. 1.
Secundò, S. Chryſoſt. arbitratur cor & cor pertinere ad intenſionem & gravitatem malitiæ. 2.
Non erat, inquit, *tantùm vitium, quod natabat in ſuperficiè Sed erat in profundo, & in corde. In corde & in corde: quod alius interpres dixit. In corde alio & alio: docens magnam eſſe cordis duplicitatem.*
Tertiò, Theodoretus ingenioſè duo corda ponit in diverſis perſonis ſe mutuo fallentibus. *Cum dolo*, 3.
inquit,

inquit, *invicem colloquuntur. Et iſte labiis mens in cor proximi falſo tranſmittit, & ille rurſus itidem ſimilia remittit.*

Quartò denique, & verè ac propriè, *in corde & corde* loqui, eſt loqui corde duplici, ut ait S. Aug. multiplici, ut Gloſſa & Lombardus: non toto & integro, ſed ambiguo, ut Agellius: non recto, non ſyncero, non ſimplici, dum aliud loquuntur voce oris, aliud geſtant in animi intentione, ut loquitur Titelm. id eſt, aliud loquentes, & aliud ſentientes, ut Janſen. & Emmanuel Sa: corde vario, ut vertit Arabs, [illegible], id eſt, corde verſatili, ut Petavius: ἐν καρδίᾳ ἄλλῃ καὶ ἄλλῃ, id eſt, *in corde alio & alio*, id eſt, ut ait Lorinus duplici corde, quaſi partito corde, ac ſibi intus aliquid reſervante, nec totum quod præ ſe ferre videntur verba, exprimente: perinde ac ſi quis cor unum intra thoracem retineret perverſum & malignum, aliud veluti benignum & rectum oſtentaret verbis. Idem opinatur Bede, cum duo corda interpretatur duas voluntates, quorum unam in verbis oſtendant, alium in mente habeant, & Bellarminus qui ſic explicat. *In corde & corde locuti ſunt*, id eſt, duplici corde locuti ſunt, aliud volentes loqui, & aliud volentes facere, & ſic decipere. Nota. In Hebræo ad verbum eſt, *Labium diviſionum*, ut dixi ſuprà, id eſt, labium diviſum: unum ſonans, aliud ſignificans. Labium autem diviſum, ſeu duplex, ex corde diviſo ſeu duplici oritur.

30\. Loqui poteſt quis Primò, ore ſolo.]

Nota ſecundò, poteſt quis loqui primùm *ore ſolo* ſine corde, id eſt, ſine cordis attentione ac prudentia: tales ſunt garruli & leves quibus lingua eſt loco cordis. Eccli. 21. 29. *In ore fatuorum cor illorum.* q. d. ut ait Corn. fatui quidquid habent in corde, id ore effutiunt: neſciunt enim ſenſa ſua celare: hinc videntur cor non habere intra viſcera reconditum, ſed in ore repoſitum, omnibuſque patulum & expoſitum. Tigur. vertit. *Ab ore ſtultorum pendet cor eorum.* Cor eorum eſt veluti dolium pertuſum, nihil retinet, nihil concoquit, ſed omnia per meditata effundit. Ideò natura dedit ſæpem dentium & labiorum clauſtra, ut præcipitationem illam linguæ impediant, ſicut ait S. Cæſar dialog. 3.

Secondò, corde ſolo.

Secundò alii loquuntur *corde ſolo*: Deo enim ſoli loquuntur, linguâ. Angelorum in oratione, clauſo oſtio oris, proſternentes vota ſua patri ſuo in abdito, ut ſolus ille, qui *agnitor cordis eſt*, Eccli. 7. 5. videat & intelligat. Nam, ut ait Beda in proverbiis, *Apud homines*, ait, *cor ex verbis, apud Deum verò verba penſantur ex corde.* Prudentibus & viris ſpiritualibus vicem oris cor explet. Eccli. 21. 29. *In corde ſapientum os illorum.* Tigurina vertit, in corde ſapientum os eorum ſitum eſt. Gellius lib. 1. noct. Attic. cap. 15. ait, garrulorum orationem in ore naſci, non in pectore. Contrà autem, Homerus dicit Ulyſſem virum ſapientem, vocem emittere non ex ore ſed ex pectore. Illo cordis idiomate ad Deum loquebatur Suſanna, de qua dicitur, Dan. 13. 35. *Flens ſuſpexit ad cœlum: erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino.* S. Ambr. id conſiderans lib. de Joseph. cap. 5. ait: *Suſanna dum tacet in judicio, melius locuta eſt oraculo: & ideò Propheta meruit defenſionem, quæ propriæ vocis non quæſivit auxilium.* Moyſes etiam voce cordis loquens Exod. 14. 15. obtinet liberationem de manu Pharaonis pro toto populo, & apertionem mirabilem maris rubri.

Tertiò, ore & corde.

Tertiò, alii loquuntur *corde & ore*, id eſt, loquuntur præmeditata & expenſa. Os enim cordi nectunt, velut rivum fonti, & radici truncum: trunco ramum, ramo fructum, qui in oratione, in concionibus, in privatis commerciis prudenter & ex corde agunt. Prov. 16. 23. *Cor ſapientis erudiet os ejus* (cor, id eſt, affectus, benevolentia, amor; efficit enim ut omnes difficultates ac faſtidia ſuperentur. 2. cor, id eſt, mens & intellectus) *& labiis ejus addet gratiam* Chald. & Syr. vertit, doctrinam. 1. Cor. 15. 15. *Orabo ſpiritu*) id eſt, voce, ſpiritu vitali & vocali ſono) *orabo & mente.*

Quartò, ore, & ore.

Quarto, alii *ore, & ore* loquuntur, qui modò hoc, modò illud ſine conſtantia dicunt: nunc laudantes, nunc vituperantes inſtar polyporum colorem mutantes, pro ratione & voluntate eorum quibus ſe applicuerint. Tales ſunt doloſi & fraudulenti. Jacobi 1. 8. *Vir duplex animo* (δίψυχος, bianimis, bicors, duas velut animas habens) *inconſtans eſt in omnibus viis ſuis*, id eſt, in actionibus omnibus.

Quintò, denique, corde & corde.

Quinto denique, *in ore & corde* etiam doloſi loquuntur, ut jam explicui.

31\. Alludit David ad duos cordis ſinus.

Nota tertiò, cum ait David doloſos loqui in corde & corde, alludit ad duos cordis ſinus, quos Hippocrates vocat [illegible]. Galenus [illegible], id eſt, ventres. Pollux [illegible], id eſt, ſinus. Latini etiam vocant foveas & thalamos. De illis cordis flexibus & cavitatibus, ſic ait Plin. lib. 11. cap. 37. *Cor prima domicilio intra ſe animo & ſanguine præbet, ſinuoſo ſpecu, & in magnis animalibus triplici, in nullo non gemino. Ibi mens habitat.* Periculum eſt ne in vaſe flexuoſo ac ſinuoſo, fiat etiam anima diſtorta & obliqua & in ſuo labyrintho mille dolos nectat. Paulo poſt idem author ſubdit. *In Paphlagonia bina perdicibus corda.* Illis rectè doloſos aſſimilare potes, ut mox dicem. Sæpè viſa ſunt monſtra habentia duo capita, vel duo pectora; ſed vix unquam duo corda.

Verſ. 4. 1. Pars.]

Punitio doloſorum ſubjungitur, Verſ. 4 *DISPERDAT* (Muiſius, exſcindat. Felix, perimat. Hebr. יכרת *jocreth*, id eſt, ſuccidet, ut vertit Pagn.) *DOMINUS UNIVERSA* (ne quis ſe exceptum putet, ait Auguſt.) *LABIA DOLOSA.* Nota cum S. Hier. hoc dici non optando, ſed prophetando: rationem reddit: *Non eſt*, ait, *mos ſanctorum maledicere.* Non eſt imprecatio, ait Beda, ſed divini judicii aggratulatio. Bellarm. ait eſſe imprecationem propheticam: per modum enim imprecationis, prædicit; quid ſit eventurum doloſis.

32\. Doloſos exterminat Deus.

Senſus duplex eſſe poteſt. Primò, S. Chryſoſt. ait, orare non ut doloſi perdantur, ſed ut eorum vitium de medio tollatur. Diſperdat Dominus labia doloſa, id eſt, ut ait Lombard. non ipſos homines, ſed dolos & garrulitates eorum. Secundo, & ſimplicius ac melius, Bellarm. Janſ. Titelm. Thomas Anglicus, & alii, de ipſis doloſis hoc explicant, qui in hac vita ſunt exterminandi à Deo, & in alia vita perdendi. Eccli. 2. 14. *Væ duplici corde* (S. Cyrill. lib. de adoratione in ſpiritu & veritate, legit [illegible], id eſt, væ cordibus timidis & ignavis. Dolus eſt ſignum animi abjecti & timidi, qui non audet dicere quod vult facere; ſed cum robore & ſolertia non poſſit aliquid aſſequi, id obtinet fraude ac dolo) *& labiis ſceleſtis*, id eſt, fictis & doloſis, ut explicat Cornelius. Similes ſunt illi bicordes perdicibus Paphlagoniæ, quæ ut dixi ex Plinio, cor duplex habent. Perdicem à perdendo poſſis deducere.

Perdices Paphlag habent cor duplex,

Ælianus lib. 10. de animal cap. 35. ait, eas amicis perniciem afferre, & maximè fraudulentas eſſe. Ariſt. uſurpat [illegible] pro, *perdicis* modo callidè ſubterfugere, dolis agere, de eo dolo ſed pio ad pullos ſervandos agit Plin. lib. 10. cap. 33. Proverbiorum eſt [illegible], crus perdicis: Pierius lib. 24. perdicem apud Ægyptios eſſe hieroglyphicum contumeliæ, quia maximè tumultuatur, diſſidet, atque altercatur. Nunc ad propoſitum, eſt dolus venatricis perdicis, quam aucupes in cavea includunt, ut alias ſui ſimiles ad ſe pelliciat, & in caveam vel retia fraudulenter inducat. De illa ait JESUS Sirach Eccli. 11. 32. *Sic eructant præcordia fœtentium* (Janſen. legit fœtantium, id eſt, mulierum gravidarum, quæ fœtidos vapores ore emittunt ob crudos & indigeſtos humores) *& ſicut perdix inducitur in caveam*, (Rom. perdix venatrix in cavea) *& ut caprea in laqueum, ſic & cor ſuperborum.* Græcè, ita cor ſuperbi, qui ut ſpeculator, obſervat caſum. S. Chryſoſt. ait doloſos illos eſſe, [illegible], id eſt, omnibus hoſtibus infeſtiores & acerbiores. Illi enim ſunt aperti, unde etiam facilè poſſunt caveri: hi verò cum aliam perſonam præ ſe ferant, & ſint aliud ab iis quibus tendunt inſidias, non facilè deprehenduntur, [illegible]. iis qui gladios abſcondunt multò graviores. Joan. Bapt. Folengius ſimulatores illos ait eſſe fœcem orbis terrarum ac ſentinam, omni latrina graveolentiorem. Ideo hominibus ſunt inviſi. Eccl. 5. 17. *Denotatio* (nota, ignominia, confuſio: aliqui legunt devoratio; alii, denotatio, id eſt, mali imprecatio, execratio) *peſſima ſuper bilinguem.* Tigurina vertit, peſſima vituperatio ſequitur bilinguem. Complut. damnatio peſſima ſuper bilinguem. Syr. ignominia magna ſuper eum qui ambulat in duobus. q. d. duabus viis, una oris, altera cordis. Inviſi ſunt etiam Deo doloſi. Vide dicta Pſ. 5. 7. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et Pſalm. 7. 16. *Incidit in foveam quam fecit. Convertetur dolor ejus* (quem aliis voluit inferre: dolor activè ſumitur) *in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus* (dolus eſt iniquitas, Græcè [illegible], id eſt, injuſtitia, & quidem, [illegible]) *deſcendet,*

dei, paulatim & inſenſibiliter, ſed eò periculoſius atque invitabilius. Job. 36. 13. *Simulatores & callidi* (Hebr. & Græca magis Pſalmo noſtro conveniunt: habent enim hypocritæ corde) *provocant iram Dei: neque clamabunt, cum vincti fuerint*. Vide in libris Machab. punitiones Bacchidis & Nicanoris doloſè in ipſos & populum Dei agentium.

Verſ. 4. 2. Pars. 33. Arrogantia, velut perſona tragica deſcribitur. Quartum mundanæ Tragœdiæ Actum aggreditur Arrogantia, Reginæ in morem ſceptro coronaque inſignis, ſtellæ veſtibus affuſæ, auro argentoque effulgurant, greſſu pompatico ad thronum procedit. Aſtant ex utraque parte innumeri thraſones leonis exuviis & Herculea clava ſpectabiles, qui ſeſquipedalia verba eructantes muſcis volantibus bellum indicunt, & in eas inani labore currentes ſeſe fatigant. Poſtquam igitur ait David: *Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa*, ſubjicit, *ET LINGUAM MAGNILOQUAM*, id eſt, ſuperbam, ut explicat S. Auguſtinus. De variis autem ſpeciebus ſuperbiæ varii explicant.

Lingua magniloqua 1. Eſt jactantia ſe extollens. Primò, de jactantia exponunt Janſen. Genebrard. à Paſtura, Titelm. Bellarminus *linguam magniloquam*, id eſt, ait, Janſenius, linguam magna loquentem ac ſuperba jactantem, quæ ferè conjuncta eſt labiis doloſis. Joan. à Paſtura ſpeciatim vocat linguam ſuperbam magna & alta de ſeipſa loquentem, ut ſe magnificet. Bellarm. intelligit linguam ſe jactantem ob ſuos dolos & fraudes, & juvant ſequentia. Generalius tamen linguam magniloquam accipio de eo qui ſe jactat tum ob dolos & fraudes, tum, & quidem potius, ob divitias, poteſtatem, beneſacta, & alia, ut poſſit facilius decipere. Ubi adverte, *linguam magniloquam* ſumi pro ipſo loquente & jactabundo. Hebræi enim ſæpè ſumunt abſtracta pro concretis. Sic ſumit hic Sanctus Hieronymus & Titelm. Jactabundos punit Deus, ut patuit in Nabuchodonoſore ſe ob Babylonem jactante, & dicente Dan. 4. 27. *Nonne hæc eſt Babylon magna* (audis linguam magniloquam) *quam ego ædificavi* (primus conditor fuit Nemrod ſive Belus Pater Nini, etiam auxit Semiramis uxor Nini, poſtea everſam reparavit Nabuchodonoſor, & magnificentiſſimis operibus adornavit) *in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriam* (Pagn. vertit, in gloriam) *decoris mei*. Quid inde porro? Additur, verſ. 28. Cumque ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cœlo ruit: *Tibi dicitur Nabuchodonoſor rex: Regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum beſtiis & feris habitatio tua fœnum quaſi bos comedes, & ſeptem tempora* (ſeptem anni) *mutabuntur ſuper te, donec ſcias quod dominetur excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit, det illud*. Nonne hoc eſt diſperdere linguam magniloquam? efficere ut ille mugiat cum bobus, qui ſupra hominem ſapere & loqui voluit. Fuit enim mutatus in hovem agreſtem & ferum, ut ſunt uri & biſontes, cumque mentis uſu etiam oris & linguæ uſum perdidit: nec articulatas & humanas; ſed inconditas & beſtiales voces dabat, mugiebatque, ut bos Ratio eſt, quia locutio ſequitur imaginativam: prout enim homo vel animal imaginatur, ſic & loquitur, id eſt, vocem dat: ubi ergo ferina eſt imaginatio, ſicut erat in illo Rege, ibi & ferina eſt vox. Ita S. Hier. Theod. Rudolp. Greg. 5. Mor. lib. 6. ac diſertè Ludov. Molina 1. pag. quæſt. 111. & Delrio lib. 2. De Magia quæſt. 18. atque Corn. in Dan.

Nabuchodonoſor ſe jactans ob Babylonem, ad feras amandatur.

34. 2. Eſt Lingua præſumens. Secundò, *linguam magniloquam*, id eſt, hominem præſumptuoſum, ut ait Dionyſius: præſumentem & peccata excuſantem, ut Remigius, diſperdit Deus. Præſumptio, ut ait S. Thom. 22. q. 21. art. 1. ad 4. & q. 130. art. 2. & q. 133. art. 1. dicit immoderantiam ſpei dupliciter: ſcilicet ſupra vires proprias, vel contra juſtitiam Dei. Prima opponitur magnanimitati; ſecunda verò, eſt ſpecies blaſphemiæ in Spiritum ſanctum, ideò eſt gravior quàm prima. Primam oriri ex inani gloria, ſecundam ex ſuperbia docet quæſt. 21. art. 4. De præſumptione primo modo ſumpta agit Pſalmus, ut patet verſu ſequenti. *Qui dixerunt, linguam noſtram magnificabimus*. De ſe præſumentem rectè deſcribit. S. Bern. lib. de grad. humil. grad. 7. *Qui*, ait, *alios ſe præcellere putat, quomodo non plus de ſe, quàm de aliis præſumat? Primus in conventibus reſides, in conciliis primus reſpondes, non vocatus accedis, non miſſus ſe intromittis; reordinas ordinata, reficis facta: quidquid ipſe non fecerit aut ordinaverit; non rectè factum, nec pulchrè exiſtimat ordinatum, Judicas judicantes, præjudicas judicaturis.* Quod autem linguam magniloquam, id eſt, hominem præſumentem Deus, diſperdat, docet Judith orans pro ſe & civibus ſuis ab Holoferne obſeſſis. Judith. 6. 15. *Oſtende quoniam non derelinquis præſumentes de te, & præſumentes de ſe, & de ſua virtute gloriantes, humilias.* Pavoni pedes terreos oſtendit Deus, ut alas complicet, & ab inani ratione deſiſtat.

3. Eſt Lingua arrogens. Tertiò, *linguam magniloquam* Mariana & Emmannel Sa explicant de arrogante, & quidem melius, ut patet ex verſu ſequenti. *Qui dixerunt linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt. Quis noſter Deus eſt?* Arrogantia enim eſt vitium, quo ſibi aliquis in fortunæ aut animi bonis plus tribuit, quàm oportebat. Sæpè eſt cauſa jactantiæ: Ut enim ait S. Thom. 22. quæſt. 112. art. 1. ad 3. Ex hoc quod aliquis interius per arrogantiam ſupra ſeipſum elevatur, ſequitur plerumque quod exterius majora quædam de ſe jactet, licet quandoque non ex arrogantia, ſed ex quadam vanitate aliquis ad jactantiam procedat, & in hoc delectetur, quia talis eſt ſecundùm habitum. Quod autem Deus arrogantes diſperdat, ipſe docet Iſaiæ 13. 11. *Viſitabo* (puniam. Eſt metalepſis, ut jam dixi) *ſuper orbis* (Babylonis, quæ eſt inſtar parvi mundi. 2. totius orbis) *mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.*

35. 4. Eſt Lingua his aliiſque vitiis infecta. Quartò denique, & optimè, *linguam magniloquam* interpretare generatim linguam ſeu hominem ſe jactantem, de ſe præſumentem, arrogantem blaſphemum & aliis vitiis infectum. Genebrardus linguam magniloquam, ait eſſe loquentem ſuperbè, inſolenter ſe efferentem contra proximos, ſuperba jactantem, glorianterm de ſuis rebus, factis, potentia, cum Dei contemptu, proferentem impunè blaſphemias. Varia peſſimæ illius linguæ vitia ex variis verſionibus collige. Petavius vertit γλῶτταν ὑπερηφανον, id eſt, linguam ſuperbam. Appollinaris, μεγαυχέα, id eſt, magna & grandia jactantem αὐχέω jacto me, glorior, poſſis deducere ab αὐχὴν, id eſt cervix q. d. erigo cervicem: ſic linguæ μεγαλαυχοῖς, erat lingua inſtar hydræ, cervicem & caput venenatum erigens, & quod verba tot capita nova exertans, adeo ut uno præciſo aliud ſubnaſcatur. Arabs reddit, linguas magnificantes ſe in ſermone. Chald. linguam loquentem magnifica. Quod autem Deus ſic pollutum & turgentem diſperdat, patet Dan. 4. 8. ubi poſt deſcriptos dentes ferreos, & decem cornua beſtiæ quartæ terribilis, ait: *Ecce oculi, quaſi oculi hominis erant in cornu iſto* (in cornu parvulo orto in medio decem cornuum, Anti-Chriſtum enim illud cornu repræſentat, ut ait S. Hieron. oculi verò humanam ejus ſapientiam & prudentiam, ut dicit Theodoretus, vel ſuperbiam, ut Maldonatus, ſuperbia enim in oculis & ſuperciliis maximè eminet (*& os loquens ingentia.* Contritio ejus à Deo & Angelis ac ſanctis declaratur verſ. 26. *Judicium ſedebit* (id eſt, judices. Eſt metonymia ſedebunt) *ut auferatur potentia, & conteratur, & diſpereat uſque in finem*; hoc eſt, in æternum ægyptii teſte Diodoro lib. 1. cap. 6. l. 2. cap. 3. prodentes in vulgus ſecreta, vel hoſtibus indicantes belli conſilia, linguæ privabant.

Verſ. 5. 36. Magnificare linguam quid. Tria porrò dicit lingua illa magniloqua, id eſt, illi ſuperbi & arrogantes, verſ. 5. *QUI DILEXERUNT LINGUAM NOSTRAM MAGNIFICABIMUS, LABIA NOSTRA A NOBIS SUNT, QUIS NOSTER DOMINUS EST?* Primò, linguam magnificare, eſt, magniloquum eſſe & magna loqui, ait Lorinus. 2. fortiter fallere, ut dicit Emmanuel Sa, ἀφειμένῳ στόματι ἀχρώμεθα effrenato ore utentes cum audacia loquamur quicquid voluimus, ut Theodor. corroboremus linguas noſtras, & loquamur audacter & liberè quæcunque nobis viſum fuerit, nullum metuentes, ſic authoritatem quidvis dicendi & faciendi nobis noſtra libertate parantes. Ita Janſenius & Titelmannus. In Hebræo eſt *linguam noſtram roboremus*, ut vertit S. Hieron. 3. *Linguam magnificare*, eſt linguæ tribuere omnia bona noſtra, quæ per illam lucramur, ut ait Bellarm. dicere ergò, linguam noſtram magnificabimus perinde eſt ac ſi diceremus, lingua noſtris magni potenteſque erimus, ut cenſet, Folengius. Lingua noſtra prævalebimus, id eſt, blandis verbis aſſequemur quod cupimus, ait Mariana: ſuperbus hypocritas intelligit S. Aug. qui in ſermo-

ſermone ſuo ſpem ponunt ad homines decipiendos, & Deo non ſunt ſubditi. 4. de jactabundis explicant Thomas Anglicus, Dionyſ. Ugn, S. Hieron. 5. non incommodè exponemus de iis qui magna promittunt ut decipiant: unde ſubditur, *labia noſtra à nobis ſunt*. q. d. ſine ſumptu hoc facere poſſumus, labia noſtra ſunt in noſtra poteſtate. Itaque.

Labia à nobis ſunt.

Secundò, lingua magniloqua, id eſt, homo magniloquus & ſuperbus dicit, *Labia noſtra à nobis ſunt*, id eſt, ſermo noſter eſt in noſtra poteſtate & liber, ut neque de factis alicui nobis reddenda ſit ratio. Ita
1. Genebr. 2. *à nobis ſunt*, id eſt, pro nobis faciunt, à parte noſtra pugnant, ſunt nobis optimum in-
2. ſtrumentum ad prævalendum aliis hominibus. Ita Bellarm. 3. *à nobis ſunt*, id eſt, nobis qui à parte
3. Saülis ſtamus, & illi Davidem tradere volumus, licèt omnia loqui ad placitum, & verbis vallere; nemo enim nos repræhendet. 4. *à nobis ſunt*, id eſt,
4. à nobis ipſis habemus vim eloquendi & perſuadendi quæ volumus, illam non ferimus Deo acceptam. Hi omnes ſenſus boni ſunt. Nota. Hebr. eſt *labia noſtra nobiſcum*: ſupple, ſunt, ut vertit S. Hieron. *apud nos*, ut S. Aug. legit, & quidem nunc, Græcè habetur, παρ' ἡμῖν, id eſt, apud nos, in Sixtinianis bibliis eſt παρ' ἡμῶν, id eſt, à nobis. Aquila, πάρεστιν ἡμῖν, *adſunt nobis*. Syr. *noſtra ſunt*.

17. Symbolicè. Linguã ſuam magnificant. 1. Sophiſtæ. 2. Heretici.

Symbolicè, hæc de Philoſophis, id eſt, Sophiſtis explicant Brunn. & Lombardus, nam ingenio & ſtudio ſcientias & eloquentiam acquiſitas ex ſeipſis habere putant, contemnentes eos qui illis carent. Secundò, S. Hier. & Beda, linguam magniloquam ajunt eſſe hæreticos & imitatores eorum. *Emphaticè*, ait Beda, *linguam magniloquam vocat hæreticos, & imitatores eorum, qui cauſam principatus quod perversè intellexerunt, ad perniciem aliarum aſtruere nituntur quos determinat dicens: qui non ſolùm dicunt, ſed ſemper dixerunt, ſive in corde, ſive in effectu, linguam noſtram, id eſt, ſententias, quas nullo revelante, neque Deo, neque homine, ſed ex propria interpretatione noſtra habemus; magnificabimus; id eſt, ad magnificentiam noſtram affirmabimus, quia labia noſtra, id eſt, facundia noſtra eſt à nobis, id eſt, in parte noſtra, ſcilicet nos defendit vel commendat: vel eſt à nobis, id eſt, nos ipſi, & non alius, nos eam docuimus. Quis igitur noſter Dominus eſt? quid erga nobis Hieronymus, vel Auguſtinus, vel aliquis Doctor contulit, cum à nobis omnia habeamus?*

3. Scribæ, & Phariſæi. 4. Subtilitatem affectãtes.

Tertiò, Beda etiam explicat de Scribis & Phariſæis, qui nihil Moyſi, neque cæteris Prophetis adſcribebant, ſed ſibi omnia arrogabant. Quartò, Ugo Cardin. hæc ſumit de iis qui verba ſubtilia loqui conantur, ut ſapientiores videantur. Qui, ut dicit S. Hieron. obducto ſupercilio grandia verba trutinantes, inter mulierculas de ſacris literis philoſophantur. Et comminatur eis Dominus Iſaiæ 9. 9. *Confundantur omnes qui operantur linum plectentes & texentes ſubtilia*. Et Chriſtus Matth. 23. 5. vituperat Phariſæos, *qui dilatant phylacteria ſua* (id eſt, membranas quaſdam continentes illa verba, Deut. 6. 4. *Audi Iſraël Dominus Deus noſter Deus unus eſt. Diliges Dominum Deum ex tota corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Illas autem membranas geſtabant Judæi circa frontem & brachia, ut eos ſemper admonerent legis divinæ, faciendæ. Dicebantur porro φυλακτήρια, q. d. conſervatoria (à verbo φυλάττω, id eſt, conſervo, cuſtodio) quia memoriam legis Dei illis conſervabant: vel quia legem in ſe ſcriptam ſervabant: vel quia etiam erant inſtar amoleti, ut illos à variis periculis & morbis præſervarent, & etiamnum evangelium S. Joannis collo gerimus contra incantationes atque morbos, quod laudat & ſuo tempore uſitatum fuiſſe ait S. Chryſoſtomus. Symbolicè, dilatat phylacteria, id eſt, habitum ſcientiæ quem habet de lege Dei vel aliis, qui vanè in iis gloriatur.

38. Blaſphemia velut perſona tragica deſcribitur.

Quintum denique mundanæ Tragœdiæ Actum abſolvit Blaſphemia, quæ furiali habitu ſparſis per colla ſerpentibus ſtrictum gladium terræ ac cœlo intendat, & linguam veneno fluentem ac vermibus ſcatentem exertat, Deo ipſi illudens: quot verba profundit, tot bufones, & colubros in populum ſpargit, qui inſania furentem implicant, & veneno enecant. Cingunt furiam innumeræ erebi peſtes, omnque ſerpentem vibrantes intonant eum principe ac domina ſua. Verſ. eod. 5. *Quis noſter Dominus eſt?* q. d. nullus: hoc eſt nullus eſt qui nobis poſſit ſilentium imponere. 2. ut explicat Bellarm. non agnoſcimus ullum ſuperiorem, cum per inſtrumentum linguæ omnes alios ſubjiciamus.

39. Blaſphemia oritur ex arrogantia.

Nota, ex arrogantia oritur blaſphemia: prius dixerant doloſi impii, *labia noſtra à nobis ſunt*, nunc dicunt, *quis noſter Dominus eſt?* id eſt, ut ait Petavius, quis noſter Deus eſt, qui imperet? Itaque jure dixit S. Joan. Climacus grad. 23. ὑπερηφανία ἐστὶ Θεοῦ ἄρνησις. *Superbia eſt Dei abnegatio*, & poſtea vocat, ἐσχάτην πτωχείαν ψυχῆς *ultimam mentis inopiam*, id eſt, ſummam ſtultitiam. Marcus Eremita de lege ſpirit. ait: *Opinio, & arrogantia cauſa ſunt blaſphemiæ*. S. Chryſoſt. in Pſalmo noſtro jure ait: dicentes. Quis noſter Dominus eſt? eſſe inſanos, & mente captos: & poſtea. *Quis noſter Dominus eſt*, ὢ ἀπονοίας ῥήματος! *O verbum diabolicum?* ὢ ψυχῆς δαιμονιώδους! *ô animam dæmoniacam! Vides, ô homo, univerſam creaturam prædicare domini tui potentiam, ſapientiam, curam, providentiam, corpus tuum, animam, vitam, quæ ſub aſpectum cadunt, & quæ non cadunt, omnia propemodum vocem emittentia laudare potentiam artificis, & dicis, Quis noſter Dominus eſt?* τί τῆς μανίας, τί τῆς παραπληξίας, τί τῆς διεφθαρμένης ψυχῆς. *Hoc eſt furoris, hoc ſtuporis, hoc corrupti animi. Idea mala ſunt innumerabilia.* Homilia autem prima ad populum ait idem S. Pater, blaſphemia nihil eſſe peius, & hom. 2. eſſe fontem venenatum, ex quo mors in plebem influat, quæ magnas deinde ſtrages edat. Unde hinc dat conſilii, ut aditus hic erebi occludatur. *Obſtruamus*, inquit, *ora blaſphemorum*, ἀποφράξωμεν ὡς θανατηφόρους, *velut fontes mortiferos*. Maximus Tyrius orat. 1. ait, blaſphemum eſſe cæcum, ἀποπλανώμενον τοῖς ὀφθαλμοῖς, aberrantem oculis, cum tot rerum creatarum præſtantia non tangatur: & ſurdum, qui Deum tonantem non audiat. S. Hieron. dicit in Iſaiam, nihil eſſe horribilius blaſphemia; & quidem S. Thomas 2. 2. q. 13. art. 3. docet, blaſphemiam eſſe graviſſimam omnium peccatorum. Nam ut dicit art. 1. blaſphemia opponitur confeſſioni fidei. Et ideò in ſe habet gravitatem infidelitatis, & aggravatur peccatum ſi ſuperveniat deteſtatio voluntatis, & adhuc magis ſi prorumpat in verba: ſicut & laus fidei augetur per dilectionem & converſionem. Unde cum infidelitas ſit maximum peccatum ſecundum ſuum genus, ſicut docuit idem S. Doctor q. 10. art. 3. conſequens eſt quod etiam blaſphemia ſit maximum peccatum ad idem genus pertinens, & ipſum aggravans.

Blaſphemi ſunt fontes.

1. Blaſphemis lingua transfoſſa.

Nota ſecundò, hanc linguam magniloquam præſcindit Deus, ſive per judices inſpirans regibus ut jubeant Linguas blaſphemorum reſcindi, aut candenti ferro terebrari (ſicut S. Ludovicus Rex Franciæ, & S. Elzearius Comes Ariani imperarunt) ſive per ſeipſum varia ſupplicia inferendo. Pſ. 72. 8. ait Rex noſter *Poſuerunt* (Symm. vertit ἔθεντο, id eſt, diſpoſuerunt) *in cœlum* (Chald. in ſancto cœlorum. 2. & melius, in Deum: cœlum enim pro Deo ponitur per Metonymiam, Luc. 15. 18 & 20. 4. item 1. Machab. 2. 37. & 3. 50. atque alibi) *os ſuum* (magna ſit oportet lingua, quæ uſque in cœlum empyreum porrigitur, quod à terra diſtat pluſquam centum millionibus leucarum, ut quidam docent Mathematici: ponere porrò os in aliquid ſeu in aliquo, eſt de eo loqui. Sed quid inde ſequitur. Lingua quæ in cœlum ſe efferebat, ut luce ſtellarum fulgeret & ſe Deo æquaret atque in eum pugnaret, dejecta eſt in terram & lutum. Unde additur: *Et lingua eorum tranſivit in terra*, ibique computruit, ſicut lingua Neſtorii, quæ vermibus eroſa computruit: hic dicitur à ſanctis patribus θεομάχος, id eſt, in Deum pugnans. Linguam tranſire in terra, eſt propriè eam decurrere terræ ſpatia & omnes ſibi obſtantes aggredi, penetrare, dejicere, calcare, ex uno in alium decurrere, cum inquietudine nuſquam conſiſtere, ſemper in motu eſſe S. Aug. & Caſſiod. legunt, *lingua eorum tranſivit ſuper terram*: nihil ei poteſt reſiſtere, in nobiles, prin- 40.
cipes reges, imperatores, pontifices, altaria, ſacra divinaque omnia graſſatur, ignis eſt omnia devorans & in cineres redigens. Chald. vertit, *lingua eorum ardet in juſtos terræ*: ſed eodem igne ſeipſam conſumit, & igne cœleſti deflagrat. S. Petrus Damiani lib. 2. epiſt. 15. ad Deſiderium abbatem ait, blaſphemum quendam repente per os gladio inſtar fulminis transfixum fuiſſe atque occiſum. Rodericus Sanctius Epiſcop. Palentinus in hiſt. Hiſpan. dicit, Alphonſum regem blaſphemum fulmine percuſſum eſſe, non tamen occiſum ſed uxorem

2. Blaſphemus gladio cœleſti confoſſus.

3. Alius fulmine percuſſus.

ejus

ejus ac filium: ut ſcilicet cladi ſuperſtes diutiùs torqueretur. Olympius contra ſanctiſſimam Trinitatem blaſphemans tribus jaculis, tanquam fulminibus, ictus occubuit. 4. *Alius tribus jaculis ictus.* Itaque verè dixit S. Gaudentius Epiſc. Brixienſis tract. de Paſchæ obſervatione. *Blaſphemantis furor non medelam doloribus, ſed cruciatum mortis accumulat.* Hoc ipſum probat Holofernes, 5. *Holofernes punitur.* qui, cùm dixiſſet. Judith. 6. 2. non eſſe Deũ, niſi Nabuchodonoſorem, fœminæ dextra occiſus eſt, & hoſtium ſannis expoſitus, ut poſtea cap. 13. narratur. Deinde Nabuchodonoſor alius, 6. *Nabuchodonoſor.* nempe magnus ille Aſiæ monarche & everſor Jeroſolymæ, dicebat tribus pueris in fornacem ardentem jaciendis. Dan. 3. 15. Quis eſt Deus, qui eripiet vos de manu mea? ſed ad feras ablegatur, & lingua illa ſacrilega punitur, alia addita blaſphemia ſibi tribuendo Babylonis reſtaurationem, & non Deo. Sic enim Dan. 4. 2. *Alligetur vinculo aureo & æreo in herbis: quæ foris ſunt, & rore cœli tingatur, & cum feris pars ejus in herba terræ.* Ezech. 29. 4. Pharaoni Vafres, Apries, 7. *Pharao.* ſeu Ephree regi Ægypti blaſphemanti, & dicenti: Meus eſt fluvius, & ego feci memetipſum, intentat Deus frænum. *Et ponam frænum* (blaſphemus eſt brutum efferatum & effrænatum) *in maxillis tuis.* Jubebat Deus blaſphemos lapidibus obrui. Levit. 24. 13. Antiochus Epiphanes rex Aſiæ, 8. *Antiochus.* ob blaſphemiam de curru cecidit, & ſcatens vermibus cum ſummo dolore interiit. 2. Machab. 9. 6. In Chriſtum blaſphemans Thurvaius repentè obmutuit, 9. *Thurvaius.* ut refert Spondanus in Annal. Eccleſ. Miles quidam Perſa inter blaſphemandum machinâ excuſſâ in ore vulneratus eſt, & occiſus, ut ait Theodor. in hiſtor. Eccleſ. Centurio quidam blaſphemus Armuriæ à dæmone 10. *Quidam centurio.* abreptus eſt, ut refert noſter Nicolaus Orlandinus hiſtor. Societatis Jeſu libro nooo, num. 145.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

41\. ***DUO continet. Primò, Dei promiſſum de auxilio Davidi, & ſociis ejus afflictis dando, Verſ. 6. Secundò, ſpem Davidis de auxilio illo obtinendo, Verſ. 7. uſque ad finem.***

PARAPHRASIS.

6. Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exſurgam, dicit Dominus: ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo.

6\. Non meterrent voces illæ inſanæ hoſtium meorom dicentium: Quia noſter Dominus eſt, ac mihi interitum minitantium. Nam Deum meum audio dicentem: Nunc Davidis mei, & ſociorum ejus afflictorum calamitate gemitúque excitatus, exſurgam è ſolio meo, ut illis ſuccurram: eóſque ad me aggregatos in certa ſalute conſtituem & firmabo: & quidem hoc ſummâ fiduciâ & libertete palam omnibus faciam, cùm omnium ſim Dominus.

7. Eloquia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.

7\. Hæc Dei promiſſa certam mihi ſalutis ſpem afferunt, cùm Dei verba ab omni fuco mendacióque ſint exempta. Simillima enim ſunt argento ita igne non ſemel tantùm, ſed ſæpiùs excocto & purgato, ut à cunctis terræ populis recipietur & approbetur.

8. Tu Domine, ſervabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.

8\. In te ſpes meas omnes, Domine, repoſitas volo. Tu Salvator noſter eris, & cuſtos ab hoc tempore uſque in perpetuum.

9. In circuitu impii ambulant: ſecundùm altitudinem tuam multiplicâſti filios hominum.

9\. Circumdant nos undique impii, ut in calles ſuos & laqueos conjiciant, ibique captos opprimant: ſed tu, cùm ſis potens, & immenſus, & ubique præſens, non pateris ſervos tuos ab illis intercipi, ſed eos ſemper indies magis ac magis multiplicas ad me accedentes.

QUÆSTIO UNICA.

Quàm fidelis Deus in ſanctis ſuis.

42\. *Deus juvat calumniis appetitum.* PRima ſectio hujus Pſalmi Davidem, & virum pietati deditum, ſummo in periculo conſtitutum depingit, medios inter ſanoiones & convicatores agminatim inſultaotes: nunc Deus affuturum ſe illi pollicetur.

Ac Primò, ſolio ſuo, in quo ſedens concertationem tacitus aſpexerat, ſurrecturum ſe dicit. Verſ. 6. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exſurgam, dicit Dominus.*

Secundò ait, paternâ mano ſe de prælio ſubducturum juſtos, atque in ſemoto ab hoſtibus loco, tutiſſimóque aſylo indemnes poſiturum. Verſ. eodem ſexto. *Ponam in ſalutari*: idque palam frendentibus, & pudore ſuffuſis adverſariis. Ibidem. *Fiducialiter agam in eo.*

Tertiò, hoc ſe credere David aſſerit, cùm verba Dei ſint veriſſima. Verſ. 7. *Eloquia Domini, eloquia caſta*: & ſinceriſſima atque puriſſima inſtar argenti purgati. Ibidem. *Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.*

Quartò, ſpem ſuam de futura illa ſalute confirmat, & planioribus verbis aperit. Verſ. octavo. *Tu Domine ſervabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.*

Quintò denique, non tantùm ſalutem ſperare ſe oſtendit per liberationem à malis, ſed etiam bonorum conceſſionem, licèt circumeuntium impiorum agmine valletur. Verſ. nono. *In circuitu impii ambulant: ſecundùm altitudinem tuam multiplicâſti filios hominum.*

ARTICULUS I.

Verba Dei ſunt ſimilia argento puriſſimo.

HIC Pſalmus eſt Dramaticus: in prima parte locutus eſt David pro ſe ac ſociis ſuis in urbe Ceila periclitantibus, nunc loquitur Deus, 41. & promittit illos ſe in tutum locum eſſe tranſlaturum. Verſ. ſexto. PROPTER MISERIAM Verſ. 6. (Hebraicè שד *ſad*, hoc eſt, vaſtitatem, ut explicat S. Hieronymus. 2. afflictionem, ut Symmachus. 3. violentiam, ut Chaldæus, ſed paſſivè ſumptam. 4. direptionem, ut Aquila) INOPUM, ET GEMITUM PAUPERUM NUNC EXSURGAM, DICIT DOMINUS, PONAM (eos) IN SALUTARI (Hebr. in ſalute) FIDUCIALITER AGAM IN EO, id eſt, in hac re, quaſi dicat, nemo me impediet, audacter & liberè agam in hac re, ait Bellarminus. 2. *in eo*, id eſt, in hac ſalutari, in hac ſalute, quam illis dabo:

bo: unde Symm. vertit, *ταχὺ σωτήριον ἐμφανῶς*. id eſt, *ponam ſalutare evidens*; Deo enim quis reſiſtet, quò minùs libere exequatur, quod vult. Hi duo ſenſus maximè placent. 3. *in eo*, id eſt, in paupere, & ſic eſt enallage numeri, ita Genebr. 4. *in eo*, id eſt, in impio, qui affligit pauperes: unde Chald. vertit, *Statuam redemptionem populo meo: in impios verò teſtificabor malum*. Quis ſceleratorum poſſit Deo reſiſtere? ideò dicitur Pſal. 93. 1. *Deus ultionum Dominus: Deus ultionum liberè egit* S. Auguſt. legit, fidenter egit. Eſt enim ibi verbum *παῤῥησιάζομαι*. id eſt, liberè, & fidenter, atque audacter loquor, vel ago, ſicut eſt in Pſalmo noſtro.

Nota primò, *ſalutare* & ſalus ſolent quandoque munitionem, arcem, & tutum locum ſignificare. Iſaiæ 6. 1. *Urbs fortitudinis noſtræ Sion, ſalvator* (Hebr. ſalus) *ponetur in ea murus & antemurale*, ubi Sept. vertunt, *καὶ κληθήσεται σωτήριον τὰ τείχη σου, καὶ αἱ πύλαι σου γλύμμα*. *& vocabuntur ſalutare mœnia tua, & portæ tuæ ſculptura*: Ubi manifeſtè nomine ſalutaris munitio, arx, & editus tutuſque locus ſignificatur. Ita Agellius. Locum illum Iſaiæ vertunt alii, *Deus ſalutem* Hebr. enim eſt ישרעה, *ieſua*, id eſt, ſalutem) *ponet ei in muros & propugnaculum*. Ubi apertius adhuc ſalus, & propugnaculum, ac murus pro eodem uſurpantur. Itaque pauperes *poni in ſalutari*, aut in ſalute, eſt poni intra muros & propugnaculum, ſeu in arce ac munitione tuta & firma. Pſalt. Roman. habet, *Ponam ſuper ſalutare meum*. Arnob. *in ſalutare meum*. Secundò, & ſimplicius, *ponam in ſalutari*, id eſt, ponam & faciam ſalutem, ſalvabo. Nam apud Hebræos verba contactûs ſive corporalis, ſive ſpiritualis ſæpè conſtruuntur cum Beth. Hinc Syrus vertit, *Faciam ſalutem palam*. & Arabs, *Faciam ſalutem, & pugnabo per illam*.

44. Nota ſecundò, pro *fiducialiter agam in eo*, Hebr. habetur יפיהלר, *iophialo*, id eſt laqueum injiciat illi, ut vertit Muiſius, & R. Manahem. 2. *loquetur pro ipſis*, ut vertunt Felix, R. Salomon, & R. Tobias, ac R. Abraham. Sic ab Hebr. *phua*, ſeu *fua*, deducere poſſis *fari*, id eſt, loqui. 3. *ſufflat in eum*, ut reddit Pagn. 4. & melius, *afflabit ei*, *aſpirabit ei*. Nam פרח. *phua*, propriè ſignificat flare, ſpirare. Afflare porrò & aſpirare alicui eſt votis ejus obſecundare dare proſperum fortunæ flatum, ac faventem auram cœli & populi. Id autem facit Deus fiducialiter, & ſumma cum libertate. Nam, ut Chriſtus Nicodemo. Joan. 3. 8. *Spiritus* (id eſt, anima, ut ait Maldonat. 2. ventus, ut S. Chryſoſt. & S. Cyrillus. 3. & melius, Spiritus, ut explicant S. Ambroſ. S. Gregor. Nazianz. S. Auguſt.) *ubi vult, ſpirat & vocem* (inſpirationem efficacem & diſtinctam) *ejus audis: ſed neſcis unde veniat, aut quò vadat* (neſcis quomodo animam hominis immutet, renovet, ſanctificet: neſcis ad quantam perfectionem ducat naſcentem ex ſe, ut exponit Gloſſa) *Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu*, id eſt, qui ex Spiritu ſancto in baptiſmo naſcitur cum fervore & fortitudina heroica impellitur ad ea perficienda, quæ nemo judicaſſet fieri poſſe, quia illa non agit virtute ſuâ, ſed flatu & virtute Spiritûs ſancti, ut accidit Samſoni, Judic. 14. 6. *Irruit* (Septuag. inſiliit) *Spiritus Domini in Samſon* (cùm iret in Thamata cum patre ſuo & matre ad ducendam in uxorem mulierem de filiabus Philiſthiim) *& dilaceravit leonem* (non viribus naturalibus, ſed ſupernaturaliter datis) *quaſi hædum in fruſta diſcerpens, nihil omninò habens in manu*. Nonne huc eſt fiducialiter agere? S. Ambroſ. epiſt. 24. hoc deſcribens, ait: Occurrit ei leo ferus de ſylva, agreſti libertate ſævior. Comes nullus, telum in manibus haud quaquam ſuppeditabat: cedere pudor, & conſcia virtus *fiduciam dare*. Tunc irruentem in ſe brachiis amplexus necat, & lacertorum nodo exanimatum præter aggerem ſupra ſylveſtria germina projecit ac dereliquit. Locus erat lætus pabuli herboſo gramine, vinetis conſitus. Ita Ambroſ. Leo eſt res difficilis & ardua, quam Deo juvante inopes ſuperant induti virtute ex alto. Judic. 6. 34. dicitur ſpiritus Domini induiſſe Gedeonem. 1. Reg. 10. inſiluiſſe ſuper Saulem unctum in regem à Samuële. Eodem modo cum unctus eſt David noſter ab eodem Samuële in Bethlehem coram Iſai patre ejus ac fratribus, dicitur 1. Reg. 16. 13. *Directus eſt Spiritus Domini à die illa in David, & deinceps*. Septuag. vertunt: inſiliit in eum Spiritus Domini. Abul. & Vatabl. Agitare eum cepit. De ſpiritu fortitudinis explicat Chald. qui vertit: *Manſit ſpiritus fortitudinis à Deo ſuper David*, quæ verſio maximè apta eſt Pſalmo noſtro. Hic enim ſpiritus afflabat David, ut fortitudine ſuâ hoſtium inſidias declinaret, ac vires ſuperaret: & fiducialiter ille ſpiritus agebat in Davide, ſalutem illi dando, & in eo requieſcendo vel medios inter hoſtes, quibus ſæpè cingebatur.

Deus aſpirat juſto, per gratiâ.

Samſonis pectus interritum.

45. *Allegoricè.* Alleg. De Chriſti incarnatione & redemptione hunc locum exponit S. Hieron. Aug. Ugo, Gloſſa, Lomb. Remig. Bruno, Thomas Anglicus, & alii, & quidem hic eſt ſalutare noſtrum, & JESUS, id eſt, Salvator q. d. Propter orationes & ſuſpiria pauperum atque humilium de afflictione ad me clamantium exurgam nunc in exilium eorum: ſemel quidem filium miſſurus in plenitudine temporis, in tempore acceptabili, in die ſalutis per quem genus humanum univerſum de tyrannide illa graviſſima principis tenebrarum illo foras ejecto, liberato: & item, quoties opportunum fuerit, in omnibus neceſſitatibus invocatus mox exurgam, aderoque in auxilium ſervis meis fidelibus. Auxilium & ſalvationem meam ponam in Chriſto filio meo, quem ego ſalutare & ſalvatorem præparavi ante faciem omnium populorum: & in eo, atque per eum, ut per conſubſtantialem & coæqualem mihi filium fidenter atque fortiter agam, facturus in eo potentiam magnam, ut in brachio virtutis meæ: per quem judicium illud mundi exercebo, & principis tenebrarum condemnationem, & omnia quæcunque circa humani generis redemptionem voluero operari. Dabo inſuper quotieſcunque invocatus fuero in opportunitatibus, in tribulatione per ſalutarem ſpiritum meum, auxilium invocantibus, per quem propè exiſto omnibus invocantibus me in veritate: & per eum fortiter agam pro illis, ita ut nihil debeant vel à pravitate, vel à multitudine iniquorum metuere, quoniam quidem nihil condemnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto, qui ſecundùm ſpiritum ambulant, non ſecundùm carnem. Ita Titelm. Exurgit Chriſtus è throno ſuo & ſinu Patris, ut ad nos deſcendat per Incarnationem: exurgit Chriſtus à ſua quiete, ut in crucem aſcendat: exurgit è ſepulchro, ut glorioſus ſuſcitetur à morte. Patrem æternum hic loqui cenſet Titelm. ſed malim dicere, Chriſtum ipſum loqui.

46. *Tropolog.* Tropolog. Deus propter preces juſtorum afflictorum exurgit ad ferendam opem ipſis, & ponit eos in ſalutari, id eſt, intra vulnera Crucifixi per jugem memoriam paſſionis, per quam confidant, & ſpem erigant: & fiducialiter agit in illis, dans illis libertatem ſpiritûs, quia contemptis mundi illecebris, & fractis laqueis Deo ſerviant tanquam liberi, & non ſpiritu ſervili. Hic eſt afflatus Spiritus ſancti. Tunc dicit Deus, *afflabo ei*. Illud eſt ſpiraculum vitæ & vivificans, quo homo fit in animam viventem: qui enim ſolo timore impellitur, eſt cadaver aut corpus ſemi mortuum: qui verò amat, currit, volat, & non fatigatur, nec alligari, & contineri poteſt, 2. Cor. 3. 17. *Dominus autem* (tota Trinitas, ut ait Ambroſ. 2. Spiritus ſanctus, ut Chryſoſt. & Theophylactus) *Spiritus eſt. Ubi autem ſpiritus Domini, ibi libertas*. Primò, libertas intellectûs, id eſt, notitia clara & perſpicua myſteriorum Trinitatis, Incarnationis, Paſſionis, &c. mens non ligata & compedita ignorantiâ, obſcuritate, dubiis, hebetudine, de illa libertate intellectus explicat S. Chryſoſtomus. 2. libertas voluntatis, id eſt, affectus ut ait S. Auguſtinus, & eſt amor juſtitiæ, non timor vindictæ, ut ſcilicet motu proprio, & cum libertate ad opera virtutis feramur, non ex pœnæ timore cogamur.

47. *Incarnationis executionem meriti ſunt de congruo Sancti.* Quæres, An ſancti Patres, qui Chriſtum præceſſerunt ſuis precibus, piis deſideriis & bonis operibus ſint meriti Incarnationem? Reſp. primò, nullus hominum meruit de condigno Incarnationem filii Dei, neque quoad ſubſtantiam, neque quoad accelerationem ejus, & alias circumſtantias: quia etiam acceleratio, & aliæ circumſtantiæ Incarnationis ad altiorem gratiæ ordinem pertinent, qui non debetur operibus præcedentibus à gratia creata. Secundò antiqui Patres non potuerint mereri etiam de congruo prædeſtinationem Incarnationis, quia illa prædeſtinatio Incarnationis eſt prior omni gratiâ & bono motu antiquorum Patrum, & eſt radix illius. Tertiò, antiqui Patres meruerunt de congruo executionem, ſeu exhibitionem Incarnationis,

tionis, quoad ſubſtantiam ejus. Probatur ex verbis Pſalmi noſtri: *Propter miſericordiam inopum, & gemitum pauperum nunc exſurgam, dicit Dominus.* Quartò, Antiqui Patres etiam meruerunt de congruo aliquas circumſtantias Incarnationis, & aliquo modo dici poſſunt meruiſſe ejusdem accelerationem: quia, quòd Incarnatio fiat ex tali fœmina, circumſtantia quædam eſt Incarnationis, ſed hoc meruit beata Virgo de congruo merendo maternitatem Dei. Et ſimiliter Abraham meruit de congruo, ut ex illo Chriſtus deſcenderet, quæ eſt etiam circumſtantia Incarnationis, juxta illud Geneſ. 22. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes, quia obedivisti voci meæ.* Ita Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 10. ſect. 5. & 6. quem conſule.

48. Deus juvat pauperes. Primò, ob eorū inopiā.

Moraliter nota duo motiva admirabilia, quibus Deus incitatur ad juvandum pauperes & inopes. Primò, iſtorum inopia eum movet. *Propter miſericordiam inopum nunc exſurgam.* Idem motivum affert Deus ipſe. Iſaiæ 60. 15. Jeruſolymam ſeu Eccleſiam alloquens: *Pro eo quòd fuiſti derelicta & odio habita, & non erat, qui per te tranſiret* (id eſt, qui ſe tibi auderet aggregare) *ponam te in ſuperbiam ſæculorum* (Septuaginta vertunt, exultationem æternam. Vatablus, claritatem perpetuam) *gaudium in generationem & generationem* (id eſt, in omnes generationes) *& ſuges lac Gentium* (Chaldæus vertit, ſatiaberis divitiis populorum. Nam lac ſignificat quicquid pingue, dulce, bonum, ſapidum & gratum) *& mammillâ Regum lactaberis.* Septuaginta reddunt, divitias regum comedes, id eſt, regum divitiis, opibus, ære, auro, argento affiues. Ubi adverte numen שׁד *ſod*, quod in Pſalmo noſtro Interpres noſter vertit *miſeriam*, S. Hieronymus, afflictionem; Aquila, direptionem, ut dixi ſuprà in hoc Iſaiæ loco redditur *mammilla*, ut etiam R. Salomon, & R. Abraham exponunt. Item Job 24. 6. legimus in vulgata: Vim fecerunt deprædantes pupillos. Septuaginta verò vertunt, *Rapuerunt ab ubere pupillum.* Deum habere curam pauperum & afflictorum, docet Eliphaz Themanites ibid. cap. 5. 11. *Qui*, ait, *ponit humiles in ſublime, & mœrentes* (Hebr. קדרים, *coderim*, id eſt, *pullatos*, ut vertit Pagninus, hoc eſt, nigris indutos veſtibus ob mortem patris, matris, aut aliorum, vel ob afflictionem: alii reddunt, obſcuros, denigratos. Septuaginta, ἀπολωλότας, perditos: etiam rei ſordidis & denigratis veſtibus utebantur) *eriget ſoſpitate*, id eſt, ſalute & ſalvatione; erigis ſalvando, ſalutem ſecuram, tranquillam & perfectam dando. Chald. vertit, *ut ponat humiles fame* (qui pia paupertate moriuntur fame) *in ſublime, & denigrati inopiâ confortentur ſalute.* Iſaiæ 57. 15. *vivificet* (recreat, erigit) *ſpiritum humilium* (humiliatorum, ad humum dejectorum) *& vivificet cor contritorum*, ut oſſa arida. Ezechiëlis 37. ſpiritu ſuo ad vitam revocavit illa inflando. Et Jobi 22. 29. ait Eliphaz generatim: *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinaverit oculos* (ſpontè terram ſuam aſpiciens, ad quam per afflictionem dejicitur) *ipſe ſalvabitur.* Pſ. 106. 41. *Adjuvit* S. Hier. *ſublevavit*, qui ſe humiliat, exaltabitur [Greek], id eſt, *munies*, ut vertit Symmach.) *pauperem de inopia.* Ipſa inopia & miſeria eſt murus, & ſepes ſpinea vineam animæ ſervans à vulpeculis. S. Chryſoſt. in Pſalm. noſtr. [Greek] *maximæ defenſionis loco eſt calamitas, & mala pati.*

49. Secundò, ob eorum gemitus & orationem.

Secundum motivum Dei ad juvandos pauperes, eſt eorum gemitus & oratio. *Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum* (inopes & pauperes ſunt ſynonima: vel, inops eſt, qui caret ope, id eſt, quolibet auxilio: pauper, qui caret divitiis) *nunc* (id eſt, citò) *exſurgam, dicit Dominus.* Vide dicta Pſalm. 9. verſ. 13. *Non eſt oblitus clamorem pauperum.* S. Chryſ. optimè in Pſ. noſtr. ait: *Magna eſt vis ejulatûs, qui ſupernum evocat auxilium. Timete, quicunque pauperes injuriâ afficitis. Habetis vos potentiam, opes, & pecuniam, & judicum benevolentiam: ſed habent illi* [Greek] *arma omnium validiſſima, luctus & ejulatus, & illud ipſum injuriâ affici, quæ è cœlis auxilium attrahunt. Hæc arma domos effodiunt, hæc fundamenta evertunt, hæc integras gentes ſubmergunt: gemitus dico eorum, qui injuriâ afficiuntur.* Nota etiam, pro *gemitum* eſſe 10 Hebr. אנקה *anaka*, id eſt, clamorem, qualis eſt ſauciorum animam efflantium, ut ait Mercerus. 2. *anaka* ſignificat *mugitum*, & gemitum maximum. Divites fuſtibus, ſtimulis, oneribus aggravant & obruunt affliguntque pauperes, illi verò gemunt nullam articulatam vocem ad ſe defendendum proferre audentes, ſed Deus licet abjectiſſimos exaudit, & eorum hoſtes punit. Pauperes ſunt cadavera ſpirantia, fame, ſiti, tabe, miſeriis, ſordibus horrida; ſed Deus eos vivificat, recreat, & illuſtrat, atque ut filios ſibi dilectiſſimos amplectitur, erigit, ac fovet, ſi ad ipſum acceſſerint. Ad eos etiam, qui ſunt virtutibus pauperes, & inopes ob gratiæ amiſſionem, hæc transfer, ſi cum prodigo ad genua patris ceciderint, ibique ingemuerint. Luc. 15.

Nota moraliter ſecundo, cum fiducia & ſine timore certandum eſſe cum hoſtibus noſtris, cùm Deus dicat, *fiducialiter agam in eo.* Vide dicta ſuprà. Nihil eſt difficile habenti Deum in ſe operantem. Rex noſter ait Pſal. 17. verſ. 30. *In Deo meo tranſgrediar murum.* S. Hieronymus vertit, *tranſiliam*, quaſi dicat, ſine difficultate exultans evolabo ad hoſtium murum, & arces eorum occupabo, uno ſaltu omnia obſtantia ſuperabo. Chaldæus reddit, ſubjugabo arces munitas. S. Auguſtinus lib. 10. Conf. capite 28. *Cum*, ait, *inhæſero tibi ex omni me, nuſquam erit mihi dolor & labor, & viva erit vita mea, tota plena te. Nunc autem quoniam quem tu imples, ſublevas eum, quoniam tui plenus non ſum, oneri mihi ſum. De Davide ait etiam Jeſus Sirach.* Eccleſiaſtici 47. verſ. 3. *Cum leonibus luſit quaſi cum agnis* (& cum hædis) *& urſis ſimiliter fecit quaſi cum agnis ovium.* Sic, ut ait Ruffinus libro 3. vit. Patr. num. 27. Joannes Anachoreta ab Abbate per jocum juſſus adducere leænam, protinus ad eam accedens; *Abbas meus*, inquit, *præcepit, ut alligem te, & perducam ad eum*: quare eam cepit, ligavit, & ad Abbatem perduxit. S. Geraſſimus (falſò aliqui vicinia nominis decepti id adſcribunt S. Hieronymo) Abbas leoni ſpinam è pede evellens, ita eum cicuravit, ut clitellas inſtar aſini dorſo ferret: ac moriente Geraſſimo & ſepulto, ſepulturæ ejus incumbendo leo lugens ejulánsque, eidem quaſi hero, imò patri ſuo commoreretur & conſepeliretur, ut tradit Joan. Moſchus in prato ſpirit. capite 107. Simeon Priſcus hoſpitibus à via oberrantibus duos leones viæ duces aſſignavit, qui proinde eos ſecurè recto itinere deduxerunt. Eidem leo in ſpelunca juſſus locum ceſſit, quin & botrum attulit dactylorum, ut ait Theodoretus in Philothæo cap. 6. Itaque etiam tu fiducialiter age in & cum Deo tuo. R. Juda in Pirke auoth, hoc eſt, in Apophtegmatis Patrum, Audacem, inquit, te oportet eſſe ut pardum, alacrem ad curſum & expeditum pedibus quaſi capream: ſicut aquilam regiam & ſolarem volucrem, omnia præ agilitate corporis penetrantem; denique adinſtar leonis cujusdam ſtrenuum ac bellicoſum, fortem, & magnanimum ad mandandum executioni Dei ac patris tui voluntatem. Stanislaus Reſcius libro tertio vitæ Cardinalis Hoſii egregium encomium habet Stephani Battoræi Poloniæ Regis, qui Moſchos domuit & Turcis terrori fuit. Rex, ait, omnium ſæculorum memoria & prædicatione digniſſimus. Omnium plenè regiarum & heroicarum virtutum laudibus & exemplis ad imitandum abundans. In Eccleſia Dei, pluſquam ſacerdos. In Republica, pluſquam Rex. In exercitu, pluſquam Imperator. In acie, pluſquam miles. In judicio, pluſquam Juriſconſultus. In dicendis ſententiis, pluſquam Senator. In adverſis ferendis, pluſquam vir. In publica tuenda libertate, pluſquam civis. In amicitiis colendis, pluſquam amicus. In convictu, pluſquam familiaris. *In venatione, pluſquam leo.* Ita Reſcius. Hæc imitentur omnes Principes ac Reges, præſertim Chriſtiani, ut dicat ipſis, ſicut vertit Chaldæus in Pſalmo noſtro. *Propter violentiam pauperum* (id eſt, pauperes) *& propter clamorem miſerorum, nunc exſurgam in judicium*: ipſis pauperibus judicantibus & divites crudeles condemnantibus, ut dixi de S. Paulino, & aliis Epiſcopis afflictis contra Guntharium regem Vandalorum in Africa ſedentibus in judicio divino. Hoc refert S. Greg. lib. 3. dialogo. cap. 1. ſed quis fuit ille Rex non dicit: ideo authores variant. Vide Barun. anno 431. n. 193.

50. Nihil eſt difficile Deum adjutorem habenti.

51. Leones cicures redditi 1. Joannes Anachoreta. 2. S. Geraſſimus. 3. Simeon Priſcus.

Generoſi eſſe debemus.

Battoræi regis elogium.

52. Verſ. 7.

Divini auxilii certitudinem deſumit David à Dei promiſſione. ℣. 7. ELOQUIA DOMINI, ELOQUIA CASTA, ARGENTUM IGNE EXAMINATUM, PROBATUM TERRÆ, PURGATUM SEPTUPLUM. Illa Dei eloquia ſunt hîc propriè accipienda promiſſa facta Davidi de liberatione è manibus Saulis, & monitione ejus de egreſſione neceſſaria ex urbe Ceila, in qua cum Saul concludere geſtiebat. Cum enim Abiathar ſumpto Ephod, id eſt, veſte Pontificia, in qua erat Ephod ſeu ſuperhumerale cum Rationali, conſuluiſſet Deum,

an venturus eſſet Saül, & an eum tradituri eſſent Ceilani, Deus in utroque affirmativè reſpondit; de loco ad quem iturus ſecurè eſſet petiiſſe etiam à Deo vix dubitari poteſt, ſpei itaque plenus David canit, Eloquia Domini, &c. Secundò, eloquia Dei intelligi poſſunt ſacræ Scripturæ quæ ſunt veriſſimæ, ſynceriſſimæ, & omnis labis expertes, ut cenſent Dionyſ. Carth. & Thomas Anglicus, quod Lombardus & Joan. à Paſtura ad verba prædicationis Chriſti atque ad doctrinam Evangelicam reſtringunt, ſed rectius S. Hieron. & Remig. ad utriuſque teſtamenti doctrinam extendunt.

53. Scripturæ tria eloquia. Primò, quod ſit eloquiũ Domini.

Tria itaque Scripturæ ſacræ elogia hic reperio. Primò, quod ſit *eloquium Domini*. q. d. ait Ugo, eloquia non Ariſtotelis aut Juſtiniani & aliorum, ſed Domini. Unde exultans Titelm. Audiant hæc pauperes, inquit, & lætentur, quoniam ipſe qui loquitur hæc & pollicetur fidelibus, Dominus eſt. Nota cum Ugone bis dici *eloquia*, quia duplex eſt Chriſti locutio. Interior, & exterior: ſcilicet literalis & ſpiritualis. Ezech. 2. 9. *Et vidi, & ecce manus miſſa ad me, in qua erat involutus liber*; Hebr. volumen libri. Hebræi enim veteres ſcribebant in membranis hœdinis ſive chartis, quas pergamenas vocamus, quod Pergami urbe Troadis primum inventæ putentur, eas autem in ſpiras & cylindrum convolvebant: cumque legere vellent, eas revolvebant & explicabant; *& expandit illum coram me, qui erat ſcriptus intus & foris*. Syr. ante & retrò. Arab. dorſum ejus & venter ejus: id eſt, anterior & poſterior pars. Ante, ſunt promiſſa ſanctis & vita beatorum: foris ſive retrò, ſcripta ſunt ſupplicia peccatorum, ut ait Origenes. Sic. Apocal. 5. vidit S. Joan. librum ſcriptum intus & foris. Syr. intus & retrò. Intus, ſunt ſecretæ inſpirationes cor penetrantes, foris, eſt vox concionatorum aures feriens, vel verba Scripturarum oculis lucentia. Malim tamen bis poni *eloquia*, ad denotandam certitudinem promiſſionis, & frequentiam locutionis.

54 Secundò, eloquium caſtum & quomodo.

1. Secundo, Scripturæ ſunt eloquia caſta, id eſt, Primò ſine corruptione ſimulationis, ut ait Aug. Gloſſa, Lomb. nullo mendacio, nulla adulterina falſitate fucata, ut Bruno, nihil continentia mendacii, vanitatis, iniquitatis aut cujuslibet impuritatis, ut Titelmannus. Nam, ſicut ait Caſſiod. *ſicut caſtitas ignorat pollutionem, ita eloquia Domini neſciunt cum aliqua ſorde miſceri*. S. Fulgent. de Incarn. gratia Chriſti cap. 21. *Omnis*, inquit, *Scriptura divinitus inſpirata, cuncta quæ dicit, vera dicit: quia ex veritate ſunt univerſa quæ dicit. Eloquia Domini eloquia caſta.* Vide dicta Pſal. 18. 8. *Lex Domini immaculata*. Hebr. תמימה, *themima*, id eſt, perfecta, integra. Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 1. & de pudicitia c. 6. legis invituperabilis. S. Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 16. irreprehenſibilis. Contrà verò, de hominibus ſuprà dictum, eſt: *Vana locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum*. Et Paulus 2. Cor. 2. 17. *Non ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei*. Adulterat, ait Salmeron, qui ſe uxori non ſuæ conjungit: adulterat ergo verbum Dei, qui veritati falſitatem conjungit. Unde S. Gregor. 22. Moral. cap. 17. Adulterari verbum Dei, ait, eſt aut aliter de illo ſentire, quàm par eſt: aut ex eo non ſpirituales fructus, ſed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ. Ex ſynceritate vero loqui, eſt nil aliud in eloquio, quàm oportet, ſcilicet authoris & creatoris gloriam quærere. Sed cùm in Græco non ſit μοιχεύοντες, quod propriè mœchiam & adulterium ſignificat: ſed καπηλεύοντες, id eſt, cauponantes, quibus opponit Paulus ſinceros, & ſinceritatem. Cauponantur verbum Dei, qui inſtar cauponum prædicant Evangelium, ad quæſtum ex eo colligendum, illudque referunt ad ſua lucra, ita Cornel. Nam aquam vino miſcent, illiuſque vim & ſuavitatem minuunt ac pretium juſtum: ita hæretici & concionatores vana ſanctis, vera falſis, inania ſolidis, incerta certis adjungunt. Secundò, *Eloquia caſta*, id eſt, ut ait Beda, invariabilia. Nam quod ſemel probabunt, nunquam improbabunt: & quod ſemel negabunt, nunquam affirmabunt: & in hoc erunt comparabilia caſtæ mulieri, quæ eadem ſe exhibet & abſente marito, ita Beda. Sed prima explicatio eſt maximè literalis. Tertiò, *eloquia caſta*, id eſt, omnem virtutem docentia. Caſtitas enim aliquando pro omni virtute etiam mentis ſumitur: ſic ait Auguſtinus tract. 13. in Joan. tom. 9. *Virginitas mentis eſt integra fides, ſolida ſpes, ſincera charitas*. & 2. Corint. 11. 2. ait Apoſtolus Corinthiis: *Deſpondi vos* (Græcè ἡρμοσάμην, id eſt, matrimonio junxi) *uni viro virginem caſtam* (per omnia virtutum exercitia) *exhibere* (id eſt, ut exhibeatis) Chriſto. Cum illum tangit anima, caſta eſt. Contrà verò, ſi ad alium accedit, eſt adultera. Origen. hom. 12. in Lev. cap. 2. *Si ſuſceperis, ô homo, in cubili animæ tuæ adulterum diabolum, meretricata eſt anima tua cum diabolo. Si ſpiritui iræ, ſi invidiæ, ſi ſuperbiæ, ſi impudicitiæ ingreſſus fuerit ad animam tuam, & receperis eum, & conſenſeris ei loquenti, & in corde tuo delectatus fueris his, quæ tibi ſecundùm ſuam mentem ſuggerit, meretricatus es cum eo.* Idololatriam dici & eſſe fornicationem ſpiritualem, aliàs oſtendi. Quarto denique, *eloquia caſta*, nempe cauſaliter, id eſt, caſtos ac puros efficientia, ſunt Scripturæ ſacræ, ita Thomas Anglicus, Ugo, Remig. Beda, de caſtitate corporali ſumendo. Ut enim ait S. Jacobus, cap. 3. 17. *Quæ deſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt* (Græcè, ἁγνή, id eſt, caſta, pura. S. Greg. Naz. ſapientiam & caſtitatem apparuiſſe tradit Ruffinus in prologo Apolog. & ad inſolitum puellarum conſpectum trepidanti dixiſſe: Ne moleſtè accipias juvenis, notæ tibi & familiares ſumus: altera enim ex nobis ſapientia, altera caſtitas dicitur: & miſſæ ſumus à Domino tecum habitare; quia jucundum nobis & mundum in corde tuo habitaculum præparâſti. S. Hieron. epiſt. 13. ad Ruſticum ait: *Ama ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis*. Unde S. Cæſarius ad quoſdam germanos ait: *De paradiſi floribus, hoc eſt, ſanctarum Scripturarum ſenſibus animia ſancta ſe jugiter ornare contendat, ibi caſtitatis ornamenta requiramus.* Doctores præſertim & Concionatores ſint caſti. Gen. 49. 21. *Nephtali cervus emiſſus* (Vatabl. *cerva miſſa*: Doctor etiam habeat lac) *& dans eloquia pulchritudinis*, id eſt, pulcherrima. Allegor. cervus ille eſt Chriſtus, qui venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles, ſimilis capreæ, hinnuloque cervorum. ita S. Ambroſ. & S. Hieron. Cervi quoque ſunt Doctores alta fidei myſteria, ut montes cœleſtes, decurrendo, ſint eorum eloquia pulchra & munda. Cervus amat fontes & fluvios, ut ſe abluat & refrigeret. S. Gregor. lib. 4. Mor. Qui, ait, adhuc carnalibus incubat, neceſſe eſt, ut inſtruere, proximorum mentes erubeſcat. Lineas tunicas fieri Deus jubet ſacerdotibus Hebræis, ut eos puritatis & caſtitatis admoneat. Exod. 28. 40. *Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos ac tiaras in gloriam & decorem* (ſi non ſint lineæ, erunt in dedecus) *veſtieſque his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios ejus cum eo* (ut ſit generatio caſta cum claritate.) *Et cunctorum conſecrabis manus* (caveant tactus impudicos) *ſanctificabiſque illos, ut ſacerdotio fungantur mihi. Facies & fœminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis ſuæ à renibus uſque ad femora*, Incluſivè, id eſt, ipſa femora tangendo; nam illa feminalia ſeu femoralia linea ſacerdotum deſcendebant uſque ad genua. Fiebant è lino carminato & præparato, quia caſtitas gignitur & conſervatur per jugem carnis & ſenſuum mortificationem. 2. Fiebant ex lino byſſino retorto, quia caſtitas mollis & delicata eſt: unde magis quàm aliæ virtutes muniri & conduplicari debet, ut ſit firma. 3. Fœminalibus lineis, à renibus uſque ad femora tecti erant ſacerdotes, ut ſignificarent debere ſacerdotes novi Teſtamenti, aut virgines eſſe, aut contracta cum uxoribus fœdera diſſolviſſe. Ita Beda Cornelius, & alii. Sacerdotes etiam ſimplices cingebant tunicam lineam ſtrictam zonâ lineâ, quæ eſſet etiam ſymbolum caſtitatis, Exodi vigeſimo nono, verſu octavo. *Filios quoque Aaron indues tunicis lineis, cingeſque balteo*, lineo ſcilicet, id eſt, zonâ lineâ, quam ſolam gerebat ipſe ſummus Pontifex in Die expiationis menſe Septembri. Levitici vigeſimo ſexto, verſu quarto. *Tunicâ lineâ veſtietur, fœminalibus lineis verenda celabit: accingetur zonâ lineâ, cidarim lineam imponet capiti* (omnia ſint linea, id eſt, caſta. Hæc erant quatuor veſtimenta minorum ſacerdotum, quibus alia in aliis feſtis addebat Pontifex) *hæc enim veſtimenta ſunt ſancta* (id eſt, Deo conſecrata. Corpus eſt veſtis animæ, ſit ſanctum in ſacerdote, cùm ſit conſecratum oleo ſancto, & balſamo, aliiſque) *quibus cunctis, cùm lotus fuerit, induetur*. Palladius libro primo, tradit Græcos ſolitos fuiſſe & plantare, & colligere oleas per pueros mundos & virgines. Plinius libro decimo ſecundo, cap. 14. ait thus colligi ab Arabibus Minæis, qui Sacri vocentur, *nec ullo congreſſu fœminarum, funerumque, cùm incidunt eas arbores aut metunt, polluan-*

S. Hieronymi ſententia notabilis.

tur

tur. Ferétne Deus ſacram doctrinam ſuam excipi ab hominibus impuris, ac deinde aliis tradi?

55. Tertiò, eſt argentum purgatum. Tertio, eloquia Dei comparantur argento. *Eloquia Domini caſta* (Hebr. טהרות *tehoroth*, id eſt, munda, ut S. Hier. Felix, Pagn. vertunt) *argentum* (id eſt, ſicut argentum) *igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.*

Scriptura ſacra eſt ſimilis argento. 1. Primò, ob candorem & nitorem. 2. Secundò, ob pretium. Tertiò, ob ſoliditatem. 3. Quartò, ob puritatem. 4. Quintò, ob pondus. 5. Sexto, ob ſonum. 6. Primò itaque ſplendor argenti rapit oculos & animum, ſed longè magis ſplendor veritatis in verbis divinis. Prov. 32. 11. *Mala aurea* (Syr. pomum aureum) *in lectis argenteis*. Chald. vertit, in imaginibus argenteis. Pagn. in picturis argenteis. R. Abraham, in theſauris argenti. Vatabl. in cælatis vaſis argenti Arias, in thecis transparentibus argenti) *verbum dictum in tempore ſuo*. (*Primò, enim in Scriptura eſt ſplendor veritatis.*) Quod ad rem noſtram exponit Beda: Verba, inquit, Prædicatoris appoſitè ad captum Auditorum concinnata, ſunt *mala*: quia de arbore vitæ, hoc eſt, de Dei ſapientia ſunt orta: *aurea*, quia charitatem menti infundunt. *Lectis* etiam comparantur, quia requiem præſtant animabus audientium. *Argenteis*, quia ſplendore fulgent veritatis. Mala ergo aurea ſuperaddit ornatui lectorum argenteorum, quiſquis *divina eloquia* ſpiritualibus plena ſenſibus atque myſteriis, quibus ſuaviter animus paſcitur & accenditur, opportuno tempore ſuperaddit rudioribus ac ſimplicioribus doctrinis, per quarum cuſtodiam & hîc præſtatur pax animæ & ad quietem pervenitur æternam. Ita Beda. Secundo, argenti (*Secundò, pretioſitas.*) pretium ſpectatur, Prov. 16. v. 16. *Poſſide ſapientiam* (Hæc in Dei verbis eſt) *quia auro melior eſt: & acquire prudentiam, quia pretioſior eſt argento*. Septuag. vertunt, *nidi ſapientiæ* (ſacræ Scripturæ libri) *eligendi ſunt præ auro, & nidi prudentiæ eligendi ſunt ſuper argentum*. Tertio, argento ſolidiora ſunt Dei verba: licet (*Tertiò, ſoliditas.*) enim cœli dicantur ære fuſi, tamen ait Chriſtus Matth. 24. v. 35. *Cœlum & terra tranſibunt* (hoc eſt, mutabuntur & in alium ſtratum convertentur) *verba autem mea non præteribunt*, hoc eſt, ſemper manebunt invariabilia. Poſſet etiam hæc ſententia accipi non aſſertivè, ſed comparativè, q. d. citius cœli tranſibunt & peribunt, quàm verba mea tranſeant & pereant. Sicut ergo cœli, utpote ſolidiſſimi, qui quaſi ære fuſi ſunt, ut ait Job, nunquam peribunt: ſic multò magis verba, id eſt, oracula & decreta mea, non excidant, ſed reipsà complebuntur: quia cœlis ipſis ſunt ſolidiora & firmiora, ita Janſenius. Quarto, de puritate argenti & Scripturæ mox di- (*Quartò, Puritas.*) cetur. Quinto, longe majus pondus apud nos ha- (*Quintò, pondus.*) bere debet unicum Dei verbum, quàm omnes theſauri argenti. Unde S. Franciſcus cum illud ex Evangelio Matth. 5. 4. audiſſet: *Nolite poſſidere aurum neque argentum, neque pecuniam* (aliam ſcilicet, ver. gr. æream. Nam pecunia primo fuit ærea, ſecundò, argentea, tertiò, aurea. Græcè μηδὲ χαλκὸν, id eſt, neque æs) *in zonis* (Syr. in crumenis: zonis enim intexebantur crumenæ, aut appendebantur) *veſtris, non peram* (ſacculum, in quo panes, & alii cibi ponuntur) *in via, neque duas tunicas* mutatorias ſcilicet, hoc eſt, duo paria tunicarum, ut ait S. Thomas) *neq; calceamenta* (duplicata, ſive duo paria calceorum, ut dicit idem S. Doctor) *neque virgam*, defenſoriam ſcilicet, ſive vindicatoriam, id eſt arma omnia. Eſt ſynedoche. Nam alioqui Chriſtus ipſe Marci 6. 9. permittit ferre virgam, id eſt baculum ad levandam fatigationem, & lapſum impediendum. Cùm, inquam, hæc audiſſet S. Franciſcus, finitâ Miſsâ clarius ea ſibi explicari petiit, quo facto incredibili perfuſus lætitiâ: Hoc eſt, ait, quod cupio: quod totis præcordiis concupiſco. Itaque detractis calceis, & unâ contentus tunicâ, cùm duodecim ſocios adhibuiſſet, Ordinem Minorum inſtituit, atque in ſumma paupertate vixit. Vivens & moriens diſertè aſſeruit: *Ipſe Dominus revelavit mihi, quòd deberem vivere ſecundùm formam ſancti Evangelii*. Prætulit itaque Evangelium argento, ſicut ille, qui Evangelia legens veſtem propriam pauperi dedit. Pondus etiam Scripturæ prævalet aliis ſcientiis. S. Greg. 20. Moral. c. 1. *ut de rerum pondere taceam, ſcientias tamen omnes atque doctrinas ipſo etiam locutionis ſuæ more tranſcendit: quia uno eodemque ſermone, dum narrat textum, prodit myſterium.* Sexto denique, ſonus argenti & Scrip- (*Sextò, ſonus.*) turæ eſt gratiſſimus. Vide dicta Pſ. 18. 5. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Erant columbæ deargentatæ Apoſtoli orbem pervolantes, erant tubæ argenteæ Dei verba perſonantes, ſymbolum fuit in duabus tubis argenteis à Deo imperatis Moyſi ad convocandum populum. Num. 10. 2. *Fac tibi* (primùm Concionator ſibi concionetur) *duas tubas argenteas* (ob ſonum meliorem, & reverentiam cultûs Dei) *ductiles* (id eſt, malleo attenuatas & formatas) *quibus convocare poſſis multitudinem, quando movenda ſunt caſtra*: ex præſcripto legis Dei caſtra movere, & arma ſumere, & in hoſtes ferri debemus. Uſui etiam erant illæ tubæ argenteæ in feſtis ac ſacrificiis. Inter omnia metalla nullum tinnit dulcius argento; præſtat verba Dei omnibus hominum ſcientiæ & eloquentiæ.

Tria autem in argento præſertim hic notat David, nempe 1. quòd ſit igne examinatum. 2. probatum terræ 3. purgatum ſeptuplum: quibus ſumma ejus puritas & verborum Dei, quæ illi comparantur, ab eo declaratur. 56. (*Tria præſertim in verbis Dei conſiderat David.*)

Primò itaque dicit: *Eloquia Domini, eloquia caſta* (ſicut) *argentum igne examinatum*. Hebr. צרוף *ſaruph*, id eſt, conflatum, ut vertit Pagn. 2. Igne excoctum, ut Petav. 3. Igne probatum, ut S. Hieron. 4. repurgatum, ut Chald. Rad. צרף, *ſaraph*, id eſt propriè, argentum igne urere, excoquere, examinare, & à ſcoria repurgare, ut Joannes Fuſterus in lex. ad omnia metalla malim extendere cum Mercero & Cavallerio. (*Primò, eſſe examinata igne.*)

Quæres, Quo igne eloquia Dei examinentur? Reſp. 1. S. Aug. Beda, Lomb. Remig. Thomas Angli. Joan. à Paſtura, igne tribulationis examinari, *Sicut argentum*, ait Beda, *tunſum non diſſilit, id eſt, non rumpitur, ſed in longum & latum creſcit: ita ipſi* (fideles ſcilicet) *purgati per ignem, per tribulationem; tunſi verberibus, & aliis miris modis non diſſiliant, id eſt, non deficiant, ſed creſcant in longum firmiter perſeverando, & creſcant in latum, charitatem ſuam ad inimicos etiam extendendo: ille qui pro lapidantibus dixit: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Secundo & melius S. Hieron. Ugo Card. Remig. etiam, & Thomas Anglicus, ignem illum interpretantur de igne Spiritus ſancti, ſeu igne charitatis. Huc igne labia Iſaiæ purgavit Seraphinus calculum ardentem accipiens de altari, cap. 6. id eſt, gemmam Evangelicam de ſinu Chriſti, qui ait, Luc. 12. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?* Arab. Ægypt. Æthiop. & Parſicus Interpres vertit: Quid volo, niſi accenſionem ejus? q. d. do ignem, peto flammam, ut luceat & urat. Ignem illum cenſet S. Cyrillus & Janſenius eſſe Evangelii prædicationem. S. Auguſtin. ſerm. 108. de tempore, & S. Greg. hom. 30. in Evangelia, dicunt eſſe ipſum Spiritum ſanctum, & ejus dona. S. Ignatius vir verè igneus Societ. JESU Fundator alumnis ſuis, quos per omnes propè partes terræ diſtribuit, dicebat: *Ite, incendite urbem.* De Apoſtolis dicitur Pſal. 7. 14 *Sagittas ſuas ardentibus* (non pro frigidis & ignavis) *effecit*. S. Hier. vertit, ad comburendum operatus eſt. Ubi S. Auguſtin. *quia alia ſagitta percuſſa eſt quæ dicit: vulnerata charitate ego ſum, Cant. 2. 5. & 5. 8. Græca habent, ſagittas ſuas ardentibus operatum eſt. Latina, ardentes: ſive ipſæ ſagittæ ardentes, ſive ardere faciunt: quod utique non poſſunt, niſi & ipſæ ardeant.* S. Dominicus interrogatus, ex quonam libro tam ardentes conciones hauriret? reſpondit, ex libro charitatis: *Huic uni, ait, ſtudeo, ex eoque verba non inflantia, ſed inflammantia depromo.* S. Antonius de Padua cum flammis igneis pingi ſolet ob fervorem in concionando. Hic illi fervor ob meditationem Scripturæ oriebatur: eam ita ſciebat, ut à Papa Gregorio Nono dictus ſit *arca teſtamenti*, quòd ſcilicet ſicut arca tabulas legis, ita ipſa totam Scripturam mente contineret. De ſancto Franciſco ait S. Bonaventura cap. 12. vitæ: *Erat verbum ejus velut ignis.* (Chald. purum. Aliis purgatum, depuratum. S. Hier. probatum) *eloquium tuum nimis, & (ideò) ſervus tuus dilexit illud.* Vir ardens flammas cœleſtes amat, & in iis reficitur. De Elia refert Dorothæus in Synopſi. Cum naſciturus, ait, eſſet Elias, pater ejus Sabacha vidit illum ab Angelis albicantibus ſalutari, & igne tanquam faſciis involvi, flamma ignis velut cibo ali. Et Jeroſolymam profectus rem iſtam indicavit, dictumque illi eſt ex oraculo, ne timeret. fore enim ut puer naſciturus in luce habitaret, & quæ diceret firmam ſententiam haberent, judicaretque Iraëlem in gladio & igne.

(*1. Tribulationis.*)
(*2. Spiritûs S.*)
(*S. Ignatii ignis divinus.*)
(*S. Dominici.*)
(*S. Antonii Paduani.*)
(*S. Franciſci.*)
(*Eliæ.*)

& igne. Ita Doroth. S. Franciſcus dicebat, concionatores eſſe mundi lucernas. Pſ. 76. 19. *Vox tonitrui tui* (id eſt, verbi Evangelici. Unde Joannes & Jacobus dicti ſunt Boanerges, id eſt, filii tonitrui, hoc eſt, tonantes, tonitro facientes) *in rota*, id eſt, in totius terræ circumferentia, atque omnium ſeculorum decurſu & circomvolutione: item in fervore actionis. *Illuxerunt coruſcationes tuæ* (S. Auguſt. legit, appparuerunt fulgura tua) *orbi terræ: commota eſt* (S. Hier. concuſſa eſt) *& contremuit terra* S. Auguſt. legit, contremebunda facta eſt terra. De Elia dicitur Eccli. 48. 1. *Surrexit Elias Propheta* (S. Chryſoſt. ſerm. de Elia tom. 1. vocat eum altiorem mundo, proximum cœlo) *quaſi ignis, & verbum quaſi facula ardebat*. Vatabl. vertit, Sermo ejus inſtar facis flagravit. Syr. *Verbum ejus ardens, quaſi clibanus ſucceuſus*. Habebat ille in ore eloquia Domini, quæ David vocat in Pſalmo noſtro, argentum igne examinatum. Arabs vertit: *Sermo Domini ſermo purus, velut argentum inflammatum, purgatum in terra, quod jam expurgatum eſt pro uno ſeptulum*. Syrus verò, *Eloquium Domini, eloquium eſt purum, argentum ſelectum, probatum terræ, & expurgatum ſepties*. Prov. 10. 20. ait Salomon: *Argentum electum* (Gr. πεπυρωμένον, id eſt, igne examinatum, igne purgatum) *lingua juſti: cor autem impiorum pro nihilo*. Symm. vertit, ἄτιμος, id eſt, vile ac nullius pretii. Chald. reddit, Argentum conflatum lingua juſti: cor autem impiorum contritio eſt. S. Bonaventura linguam S. Antonii de Padua integram videns & exoſculans trigeſimo ſecundo anno poſt ejus mortem ait: O lingua benedicta, quæ ſemper laudâſti Deum, multiſque eundem laudandi cauſa extitiſti, nunc clarè liquet quanti apud eum ſis meriti & pretii, qui te ad tam ſublime præconis ſui officium efformavit.

57. Secundò, verba Dei ſunt purgata terræ, id eſt.

Secundò, eloquium Dei eſt argentum *probatum terræ*. Bellarm. jure ait in Hebræo hoc eſſe valdè obſcurum. Primò, ſenſus eſſe poteſt *probatum terræ*, id eſt, incolis terræ omnibus terræ populis. Eſt metonymia, locus enim ponitur pro habitatore ejus. In ea opinione eſt Varlenius: & juvat verſio Aquilæ. χωρῶν τὴν γῆν, id eſt, permeans terram, hoc eſt, moneta communem, ut ajunt, curſum habens, quæ ubique recipitur. Secundò, *probatum*
1.
2.
terræ, id eſt, ut ait Folengius, purgatum à terra, ut omnino purum ſit. Juvat verſio S. Hieronymi, *ſeparatum à terra*. Cùm enim metalla eruantur è terra, aliquid terræ habent admixtum, ideò lavantur priuſquam in formam conjiciantur. Tertiò, argen-
3.
tum *probatum terræ*, id eſt, in terra bona receptum feliciter, ad aliquod vas efformandum. Hebr. בעליל לארץ, *balil la ares*. S. Chryſoſtomus vertit, τὸ χωνευόμενον, τὸ ῥέον εἰς τὴν γῆν, id eſt, conflatum ſeu fuſum, & fluens in terram. Quartò, alii volunt *balil*
4.
ſignificare vas chymicum, id eſt, catinum conflatorium, & jungunt cum præcedentibus, ita ut ſenſus ſit, ſicut vertit Chald. *Eloquia Domini, eloquia munda, ſicut argentum repurgatum ſuſurioſo ſuper terram*. R. Joſeph Kimchi vertit, in mortario. Sic S. Thom. Ugo, & Gloſſa ſumunt *terræ* pro ablativo, ſic erit Antiphoſis ita ut ſit ſenſus, argentum probatum terra, id eſt, in terra, per terram, in vaſe terreo, intra caminum terreum, intra fornacem argillaceam, in vaſe chymico ex terra facto, intra conflatorium terreum, *dans un cruſet de terre*, in aurariæ & argentariæ fuſuræ calice terreo. Quin-
5.
tò, *balil* Dominum ſignificat, ut cenſent R. Abraham, & R. David: Beth enim dicunt eſſe radicale; & R. Abraham ait ſenſam eſſe, q.d. Eloquia Domini ſunt argentum conflatum, purgatumque à Domino univerſæ terræ. R. David. q. d. argentum conflatum Domini terræ. Pagninus, Domino. Sexto, alii dividunt בעליל *balil*, quaſi ſit *ba*
6.
alil, & quidem Genebr. ait *alil* ſignificare opus, ita ut ſit ſenſus, conflatum in opere terræ, id eſt, in vaſe, vel camino terreo, ſicut dixi ſuprà. Rad. eſt *alal*, id eſt, operari. Alii cenſent *alil* idem eſſe quod *elion*, id eſt, excelſus, & *me ſubba*, id eſt, laudatus. q. d. Si argentum conflatum in excellentiori & laudabiliori, quod ſit in terra, ex qua faciunt vas, in qua conflatur & purgatur argentum. d. q. ait Mercerus, in præſtantiſſima & laudatiſſima terra, id eſt, vaſe ex terra.

Notat Bellarm. & benè, cùm vox balil (ſive
58.
baalul, ut ipſe legit) non habeatur, niſi ex hoc loco, nulla eſt ratio cur non debeamus acquieſcere interpretationi Septuaginta interpretum, quibus lingua Hebraica notiſſima erat. Quicquid enim alii dicant, divinatio potius erit, quàm interpretatio. Hæc notatio ad alia multa loca transferri poteſt. Nam, ut rectè advertit Pineda in Job aliqui Recentiores à vulgata, aut à Sept. Interpretibus recedunt, ut novi aliquid afferre videantur.

Nota ſecundò, pro *probatum terræ*, Sept. habent δοκίμιον τῇ γῇ. Agellius autem contendit probare δοκίμιον non bene verti *probatum*, ſed eſſe nomen & ſignificare probatorium vas, atque ſubintelligendum eſſe κατὰ, vel ἐν q. d. in probatorio. Sed primò, durius eſt illas particulas ſupplere: ſecundo, δοκίμιος hic ponitur adjectivè, ut bene monet Lorinus, & idem eſt quod aliud ſynonimum nomen δοκίμιον, id eſt, probatum: ut opponatur argento reprobo, quod vocatur, ἀργύριον ἀποδεδοκιμασμένον. Jerem. 6. 30. *Argentum reprobatum vocate eos*. Deinde δοκίμιον quando ſubſtantive ſumitur, ſignificat explorationem, probationem, experimentum, ut habetur in theſauro Græco, & docetur authoritate Herodiani, Plutarchi, Platonis, Longini, Budæi, Politiani: nec alium reperi, qui pro vaſe ſumeret, licet reipsà probatio argenti in vaſe fiat. Unde Proverb. 27. 21. ubi Græcè habetur, δοκίμιον ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ πύρωσις. Noſter vertit. *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum*. Sed inde non rectè ait Agellius δοκίμιον ſignificare conflatorium: Nam ſicut πύρωσις ſignificat apud Theophraſtum & Athenæum, coctionem & ignem: apud Heſychium, probationem quæ igne fit, & tamen Noſter vertit *in fornace*: ita, cum δοκίμιον, ſignificet probationem & explorationem, vertit explicationis gratia, *quod probatur in conflatorio*.

Tertiò, eloquia Dei ſunt argentum *purgatum ſeptuplum*, id eſt, ſepties, hoc eſt multoties perfectiſſimè, totaliter, exactiſſimè, quouſque ad purum conflatum ſit, nihilque alienæ commixtionis remaneat, ita S. Chryſoſt. Lomb. Genebr. Janſ. & alii. Nam ſeptenarius eſt numerus perfectionis & univerſitatis. Nota, in eadem vena naſcitur ſtannum, argentum & plumbum: itaque argentum diligenter purgari debet in fornace, ut ſit purum & defæcatum. Plin. lib. 16. *Plumbi nigri*, ait, *origo duplex eſt, aut enim ſuo provenit vena, nec quicquam aliud ex ſe parit: aut cum argento naſcitur, mixtiſque venis conflatur. Ejus qui primus fluit in fornacibus liquor, ſtannum appellatur: qui ſecundus, argentum: quod remanſit in fornacibus, galena, quæ portio eſt tertia addita terræ. Hæc rurſus conflata, dat nigrum plumbum, deductis partibus duabus*. Modum eruendi atque purgandi argenti idem author aſſignat, l. 33. c. 6. *Abhis*, inquit, *argenti metalla dicantur, quæ ſequens inſania eſt. Non uſſi in puteis reperitur, nulloque ſui ſpe naſcitur, nullis ut in auro lucentibus ſcintillis. Terra eſt alia roſa, alia cineracea. Excoqui non poteſt, niſi cum plumbo nigro, aut cum vena plumbi, galenam vocant, quæ juxta argenti venas plerumque reperitur: & eodem opere ignium deſcendit pars in plumbum: argentum autem ſuperne innatat, ut oleum aquis. Reperitur in omnibus penè provinciis, ſed in Hiſpania pulcherrimum*. Lege cætera, & mirare aviditatem hominum & laborem in eruendo illo metallo aliiſque.
59. Tertiò, verba Dei ſunt argentum purgatum ſeptuplum.

Symbolicè. Eloquia Dei purgata ſunt ſeptuplum, id eſt, primò per ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti. Secundo, in ſeptem beatitudinibus, quas Chriſtus ſuis Apoſtolis in monte expoſuit. Utrumque ſenſum attigit S. Auguſtinus in Pſalmo noſtro. *Eloquia, Domini*, ait, *eloquia caſta, ſine corruptione ſimulationis. Argentum igne examinatum, probatum terræ: per tribulationes probata peccatoribus. Purgatum ſeptuplum, per timorem Dei, per pietatem, per ſcientiam, per fortitudinem, per conſilium, per intellectum, per ſapientiam. Nam ſeptem etiam ſunt beatitudinis gradus, quos in eodem ſermone quem habuit in monte Dominus exequitur apud Matthæum, Beati pauperes ſpiritu, beati mites, beati lugentes, beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, beati miſericordes, beati mundo corde, beati pacifici. De quibus ſententiis ſeptem, totum illum ſermonem prolixum dictum eſſe animadverti poteſt. Nam octava ubi dictum eſt: Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: ipſum ignem ſignificat, quo ſeptempliciter probatur argentum*. q.d. Lumbardus. Octava beatitudo eſt patientia perſecutionis, qua velut igne purgatur argentum ſeptempliciter: id eſt, ſecundum illa ſeptem quæ præmittuntur in ſermone. Hoc enim igne purgantur & pauperes, & mites, & miſericordes, & alii; ideo in ſermone ſeptem præmittuntur virtutes, quæ & beatitudines dicun-
60. Symbolicè.

dicuntur, quæ conſummant & beatos faciunt. Octava autem quæ redit ad caput, examinat, & clarificat, & quod perfectum eſt demonſtrat.

61. *Verba hominũ ſunt ſcoriæ plena.* Contra vero, hominum verba ut plurimùm ſcoriam & impuritatem magnam habent. Ezechielis vigeſimo ſecundo, verſu decimo octavo. Deus conqueritur. *Verſa eſt mihi domus Iſrael in ſcoriam* (cùm prius ſua fide atque virtutibus eſſet argentum) *omnes iſti æs, & ſtannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis: ſcoria* (Hebr. סיגים *Sigim*, id eſt, ſcoriæ: omnes ſimul ſordes multi peccatores contrahunt) *argenti facti ſunt.* Gravem deinde pœnam eorum ſubtexit; eam lege. S. Gregorius 3. part. Paſtoral. capite decimo quarto locum illum expendens, ait: *Purgare eos per ignem tribulationis volui, & argentum illos vel aurum fieri quæſivi: ſed in fornace mihi in æs, ſtannum, ferrum, & plumbum verſi ſunt. Æs quippe dum percutitur, amplius metallis cæteris ſonitum reddit. Qui igitur poſitus in percuſſione erumpit ad ſonitum murmurationis, in æs verſus eſt in medio fornacis. Stannum verò, cùm ex arte componitur, argenti ſpeciem mentitur. Qui verò ſimulationis vitio non caret in tribulatione, ſtannum factus eſt in fornace. Ferro autem utitur, qui vitæ proximi inſidiatur: ferrum itaque in fornace eſt, qui nocendi malitiam non amittit in tribulatione. Plumbum quoque cæteris metallis gravius eſt. In fornace ergo plumbum invenitur, qui ſic peccati ſui pondere premitur, ut etiam in tribulatione poſitus à terrenis deſideriis non levetur. Hinc rurſus ſcriptum eſt*, Ezechielis vigeſimo quarto. *Multo ſudore ſudatum eſt, & non exivit de ea nimia rubigo ejus neque per ignem.* Hæc Gregorius.

62. *Hæretici adulterant verbum Dei.* Hæreticos atque, ex malitia peccantes, & concinnatores vana ſanctis immiſcentes, jure comparabis argentum de induſtria adulterantibus, aut alia metalla. Quod mireris, aliquando pluris æſtimantur adulterata quàm pura & defæcata. Plinius libro trigeſimo tertio, capite nono. *Tingit & Ægyptus argentum, ut in vaſis Anubem ſuum ſpectet.* Diodor. *Tingunt argentum Ægyptii.* Sicul. ait, Anubim filium fuiſſe Oſiridis, qui canem geſtabat, tanquam armorum inſignia. Ex quo Ægypti canem venerantur, & Anubim Deum canino capite effingunt. Servius dicit linguâ Ægyptiacâ Anubim dici canem, ſub cujus forma colebatur Mercurius: unde Æneidos octavo vocatur latrator Anubis. Canes ſunt hæretici, maledici, detractores, hypocritæ, doloſi, qui veritati fucum faciunt. *Et pingunt.* Pergit Plinius. *Pingitque non cælat argentum. Tranſit inde materia & ad triumphales ſtatuas, mirumque creſcit pretium fulgoris excæcati. Id autem fit hoc modo: Miſcentur argento, tertia pars æris Cypri tenuiſſimi, quod coronarium vocant, & ſulphuris vivi quantum argenti. Conflantur ita in fictili circumliſo argilla. Modus coquendi donec ſeipſa opercula operiant. Nigreſcit & ovi indurati Luteo, ut tamen aceto & creta deteratur. Miſcuit denario triumvir Antonius ferrum. Miſcent æri falſæ monetæ. Alii è pondere ſubſtrahunt, cùm ſit juſtum 84. è libris ſignari. Igitur ars facta denarios probare, tam jucunda lege plebi, ut Mario Gratidiano vicatim totas ſtatuas dicaverit. Mirumque in hac artium ſola vitia diſcuntur, & falſi denarii ſpectatur exemplar, pluribuſque veris denariis adulterinus emitur.* Hæc optimè applicabis eruditoribus curioſis, qui meras nugas & incertas fabulationes, aut inanes & ridiculas conceptiones ſenſuique Scripturæ repugnantes pluris faciunt, quàm ſolidas & divinas veritates. De illis ait Paulus 2. Timoth. 4. 3. & 4. *Erit enim tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt* (temere ac ſine delectu) *ſibi* (non Deo & ejus gloriæ, ſed ſuæ delectationi) *Magiſtros, prurientes auribus* (id eſt, ipſi diſcipuli cupiunt ſibi aures leniter ſcalpi verbis ſericis & rebus ſuavibus, magiſtri vero eorum pruriunt lingua) *& à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Sic olim Judæi inclamabant Prophetis eorum vitia increpantibus, & impendentem vindictam pronunciantibus, Iſaiæ trigeſimo, verſu nono. *Populus ad iracundiam provocans eſt*, (Hebr. populus rebellis ſeu rebellionis eſt) *& filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus: Nolite videre; & aſpicientibus: Nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores*: id eſt, falſa oracula vel dogmata, quæ fræna laxent libidini & concupiſcentiæ, ut faciunt hæretici, qui vota caſtitatis & religionis violanda, carnes omni tempore comedendas, Sacramentum pœnitentiæ ſpernendum, ſola fide nos ſalvari, opera non eſſe neceſſaria docent. Nec te moveat, quod illos & molles ac delicatulus concionatores multi ſequuntur: quia, ut rectè ait Strato Phyſicus, cùm objiceretur, quòd Menedemus plures haberet diſcipulos quàm ipſe. *Quid mirum ſi plures reperiuntur, qui lavari malint quàm ungi?* Lavantur enim delicati: unguntur vero, qui certamini ſeſe accingunt. Quo dicto declaravit, ſe non aures titillare, ſed praxim vitia debellandi & virtutes exercendi docere.

ARTICULUS II.

Impii in circuitu ambulant, & quomodo?

CUM induxerit loquentem Deum & auxilium promittentem Propheta noſter; dixitque, verba ejus eſſe inſtar argenti puriſſimi, igne examinata & purgata, ſequitur, ut effectum ſuum ſortiantur. Itaque addit, TU DOMINE (non alius, ut ait Remigius) SERVABIS NOS (à malo ut dicit Dionyſius Carthuſianus) ET CUSTODIES NOS (in bono) A GENERATIONE HAC IN ÆTERNUM, id eſt, ab hominibus hujus perverſæ ætatis ſemper ſervabis & cuſtodies me meóſque, ne nobis noceant, & nos è Ceila urbe egredientes intercipiant. Nota, in Hebr. nunc eſt *tiſmerem*, hoc eſt, *cuſtodies ea*, ut vertit S. Hieronymus & Aben Ezra: nempe eloquia tua, ut vera eſſe videantur. Vel *ſervabis eos*: nempe pauperes, ut vertit & explicat Muiſius. In idem redit ſenſus. Legerant Sept. *tiſmerenu*, id eſt, ſervabis nos. 63. Verſ. 8.

Moraliter nota, Deus ſervat juſtos per ſua eloquia. Itaque illa debent ponere in corde ſuo. Pſalmo trigeſimo ſexto, verſu trigeſimo primo *Lex Dei ejus in corde ipſius.* (Lex naturalis, ut explicat S. Ambroſius, lex Evangelica, ut Didymus: utraque, ut Euthymius) *& non ſupplantabuntur.* (S. Hieronymus, non deficient) *greſſus ejus*: ὑποσκελίζεσθαι eſt vinci ac dejici ſubjecto pede in terram proſternere. Lex Dei in corde poſita dat robur toti corpori & menti, & pedes ipſos, id eſt, affectus & cogitationes ſtabiles facit. Proverbiorum quarto, verſu quinto. Salomon ait filio ſuo: *Poſſide* (Hebr. קנה *Kene*, id eſt, eme, ut vertit Pagninus, emitur pecunia rei temporalis poſſeſſio & cognitio legis Dei labore) *ſapientiam, poſſide prudentiam: ne obliviſcaris, neque declines à verbis oris mei. Ne dimittas eam, & cuſtodiet te: dilige eam, & conſervabit te.* S. Hieronymus capite decimo octavo Ezechielis, amplexabitur te. Septuaginta, adhærebit tibi. Eſt cuſtos individuus & perpetuus, qui te nunquam deſeret, neque in die proſperitatis, neque in nocte adverſitatis.

Secundò nota, Egemus peculiari Dei cuſtodiâ, ne iniquorum hominum familiaritate peſtem contrahamus, & venenis inficiamur. *Quis in terris jam locus tutus?* ait Folenglus, *quæ urbs, quæ domus, quod tugurium etiam unius hominis vix capax, quod prorſus immune ſit ac liberum? quoque non ſubrepat aliquando vel dolus, vel fraudulentia, vel ſimulatio, vel inconſtantia, vel bellua illa, omni Lernæa hydra crudelior, perfidia?* Deus tamen ſuos conſervat. Ezech. dicit capite ſecundo, verſu ſexto. *Cum ſcorpionibus* (Vatablus, cum ſpinis) *habitas. Verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides.* Vide Viegas in Apocal. 9. comment. 2. ſectione duodecima, ubi ſex affert analogias inter hæreticos & ſcorpiones. Job queritur capite trigeſimo, verſu vigeſimo nono. *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum.* Ubi Cajetanus cenſet ſignificari barbaros & efferatos domeſticorum animos, atque ferinos mores, venenata verba, quibus afficiebatur & mordebatur: & per dracones quidem intelligi viros: per ſtruthiones autem intelligi fœminas: propterea quod in Hebr. pro ſtruthionibus, legatur *filias ſtruthionum.* Et tamen eum vel in ipſa dæmonis manu Deus ſervavit, cui ait capite ſecundo, verſu ſexto, *animam illius ſerva*: & prius cum eſſet in terra Hus, interea inter malos erat tamen ſimplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo. In medio mari naſcuntur gemmæ & in terræ gremio aurum effulgens. 64. Periculum eſt in familiaritate ſceleratorum.

Vir pius in medio impiorum eſt roſa vel lilium in medio ſpinarum. Cant. 2. 2. *Sicut lilium* (Vatabl. & Chald. ſicut roſa) *inter ſpinas* (Septuag. in medio ſpinarum) *ſic amica mea inter filias.* Quinta editio, in medio filiarum. Ubi Rupertus notat *Tò filias*, cum abſolutè ponitur ferè nunquam ſignificationem habere bonam, ſic Gen. 49. 22. dicitur. Filiæ diſcurrerunt ſuper murum & exaſperaverunt. Simon

ſenior, qui etiam juſtus eſt cognominatus, non tantùm lilio & roſæ confertur, ſed etiam ſtellæ lucenti in nocte & obſcuritate. Eccli. 50. 6. *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ*, id eſt, quaſi Lucifer ſeu Phoſphorus inter nubeculas & vapores matutinos effulget. Et v. 8. Iridi confertur. *Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ*. id eſt, glorioſas, ſplendidas, radiantes, ſed fulgore ipſius Iridis, cùm antea eſſent opacæ & obſcuræ. Hoc autem eſt admirabile, quòd tanta colorum varietas & pulchritudo fulgeat in tenebroſa nube: unde Iris vocatur à Poëtis, Thaumantias, id eſt, Thaumantis ſeu admirationis filia, à Græco [illegible], id eſt, admiror. Eſt admirabile cùm vir ſanctus emicat in medio nationis pravæ. Unde Philippenſes monet Paulus cap. 2. v. 15. *Sitis ſine querela* Græcè ([illegible], id eſt, de quibus nullus jure conqueri poſſit) *ſimplices* ([illegible], id eſt, ſinceri, candidi) *filii Dei ſine reprehenſione in medio nationis pravæ &* ([illegible], id eſt, tortuoſæ ac diſtortæ, ut Syr. & Vatabl. vertunt Impii in circuitu ambulant, ut ait David noſter) *inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo:* id eſt, ſicut faces, quales V. G. in portu ex alta turri vel pharo ſuſpenduntur, ut navigantibus noctu ad portu contendentibus præluceant, iterque ac portum eminus demonſtrent. Ita Corn. 2. & melius, *ſicut Luminaria*, id eſt, ſicut Sol, Luna, & ſtellæ. Monet, ut ait S. Chryſoſt. ut in nocte hujus ſeculi, quaſi ſtellæ reſplendeant & refulgeant. S. Anſelm. *Vult*, inquit, *ut Chriſtiani ſint quaſi ſtellæ, quæ in cœlo fixæ non curant terrena, ſed tota intendunt, ut ſuos curſus & motus peragant, lucemque ſpargant mundo.*

Verſ. 9. Hac Dei cuſtodia ſecurus David ridet impios, ſe
65. ac ſuos cum fatigatione & inutili labore conquirentes.
Filii hominum in malâ partem ſumitur hic. Verſu ultimo. *IN CIRCUITU IMPII AMBULANT*, Hebr. *ambulabunt*, eorum labor nunquam finietur: *SECUNDUM ALTITUDINEM TUAM MULTIPLICASTI FILIOS HOMINUM*, id eſt, malos. Nam filii hominum ſæpius in malam partem recipiuntur, ſic opponuntur filiis Dei, ut Geneſis 6. & Pſalmo 4.

Senſus literalis hujus loci. Senſus itaque erit: in circuitu, id eſt, circa nos, circa urbem Ceilam, in qua nunc ſum, & circa totam Judæam ſcelerati à Saüle in omnem partem miſſi circumcurſant, ut nullo in loco latere poſſim ac tutus conſiſtere: & quidem hoc facis ſecundùm altitudinem tuam, id eſt, ſecundùm profundiſſimam & incomprehenſibilem ſapientiam, & inveſtigabilia judicia tua, per quæ pateris multiplicari & exaltari hoſtes meos vitiis omnibus coopertos. Favet S. Hier. cum vertit: *In circuitu impii ambulant, cum exaltati fuerint viliſſimi filiorum hominum.* Et Muiſius, cum extullitur vilis aliquis inter filios hominum. Pagn. cum exaltant ipſi vilitas eſt filiis hominum. Syrus, Quia circumeunt impii, & ambulant quaſi altitudo obſcœna filiorum Adam. Felix, cum exaltabuntur opprobria filiis Adam. Nota nunc in Hebræo habetur זלות *zulloth*, id eſt vilitates, abjectiones, contemptus: unde R. Abraham vertit, cùm exaltati fuerint *viri vilitatis*, id eſt, viliſſimi, maximè contemptibiles, qui ſunt ipſa vilitas. 2. *zulloth*, id eſt, commeſſationes, epulæ, q. d. cùm multiplicantur & exaltantur apud Saülem epulones, commeſſatores, ventri ſuo & gulæ dediti. 3. Chald. vertit ſanguiſuga. Verba ejus ſunt: *Circumeuntes impii ambulant tanquam ſanguiſuga, quæ ſugit ſanguinem filiorum hominum.* 4. alii quos Eugubinus approbat, reddunt, ſicut Rhinuceros, devorare filios hominum. Sed *zulloth* propriè ſignificat vilitates, ut docet R. David in commentario Pſ. 108. Filios hominum in malam partem hoc in Pſalmo ſumunt S. Hier. Felix, R. Abraham, Pagn. Muiſius, ut patet ex dictis: item Genebr. Lorin. Petav. Magn. Thomas Anglicus, Ugo, & alii. Septuaginta aliter legiſſe quàm nunc, certum eſt Bellarm. & Agellius ſuſpicantur eos legiſſe דלות *dallotha*, vel *dillitha*. Dallotha ſumetur à דלל *dalal*, in Kal. id eſt, ex imo in altum trahere, elevare, ſicut ſolent aquæ cùm è puteo hauriuntur: & hoc aptè conveniet. q. d. in circuitu impii ambulant, ſicut aquæ viles in rota molendinaria ſurſum deorſum volvuntur, exaltantur, ſed ut cum ſonitu majore & ſpuma decidant, juſtos tamen ſuo motu, & impetu exagitent & impellant. *Dillitha*, verò eſt in Piel à דלה *dala*, haurire, elevare, in altum extollere, & idem erit ſenſus.

66. Secundò, & melius, cùm S. Aug. Theodoreto,
2. Ex me- S. Chryſ. Remig. Brun. Lor. Ugone, & aliis *filios*
hominum in bonam partem accipe, ut Pſ. 55. Cùm
lius, in bonam partem. enim dixiſſet immediatè antè, *Tu Domine ſervabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum*, oſtendit & neceſſitatem illius cuſtodiæ, cum ait, in circuitu impii ambulant: & modum, cum addit, *ſecundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum*, id eſt, eos qui mihi adhærent: cum enim eſſent pauciſſimi, quando de nocte fugit ob mortem ſibi certò paratam à Saüle, ſexcentos habebat fortiſſimos milites in urbe Ceila, per quos fuderat Philiſthæos illam urbem obſidentes, & ſe tutari poterat contra hoſtes ſuos. Sic pſalmus habet lætum finem, quod ferè perpetuum eſt in iis pſalmis, in quibus à Deo opem petit. Deus enim orantes exaudit. Nota, *altitudo* Dei hic duplex conſiderari & accipi poteſt, primò majeſtatis naturæ ac potentiæ. q. d. quantum altus es & immenſus, tantum ſervos tuos multiplicas & extollis: vis ut ex donis collatis ſervo, dignitas & majeſtas domini appareat: Secundò, *altitudo* ſpectanda eſt ſapientiæ & judiciorum Dei. q. d. pro incomprehenſibili ſapientia tua, atque judiciorum infinita abyſſo, dona tua elargiris, nos conſerves, exaltas & multiplicas ſine merito ſine numero. Nota enim ſecundò, pro *multiplicaſti* in Græco eſt [illegible], id eſt, multâ cura dignatus es, magnam curam geſſiſti, ut uſurpant Æſchines & Laertius. 2. honoraſti, exaltaſti, ſublimem effeciſti, q. d. [illegible] Heſiodus, Ælianus & Suidas [illegible] uſurpant pro cura & ſollicitudine affectuoſa. Heſychius & Galenus in Lex. Hippocr. [illegible] ponunt pro curam gero & cuſtodio. Cum itaque dictum eſſet in Pſalmo noſtro, *Tu Domine ſervabis nos & cuſtodies nos à generatione hac in æternum*, rectè adjungitur, *ſecundùm altitudinem tuam*, [illegible] elevaſti, alios feciſti, magna cura extuliſti, multis & excelſis donis exornaſti ſeu *multiplicaſti filios hominum.* Alleg. de Chriſto explicat Euthym. q. d. Tu ad cœlos uſque elevatus, aſcenſionis tuæ tempore, magna in humanam naturam cumulaſti beneficia, miſſo ad eam Spiritu paracleto, qui Apoſtolos illuminavit, atque in Evangelii prædicationem direxit. Anagogicè S. Hier. Secundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum. Filios Dei, ſecundùm multitudinem, juxta abundantiam miſericordiæ tuæ, qua multiplicatur Eccleſia: hoc eſt, de pietate & miſericordia ipſius: cum in retributione futuræ beatitudinis promiſſa tua percipientes, conformes effecti fuerint corpori gloriæ tuæ. Ita Hier. Tropolog. S. Chryſoſt. *Secundùm altitudinem tuam. Pro eo quod eſt, Similes tui effeciſti, quatenus fieri poteſt ut homo ſit ſimilis. Faciamus enim*, inquit, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Gen. 1. 25. Tum mirabilem ſubjexit ſententiam. [illegible] *Quod enim ipſe Deus eſt in cœlo, nos ſumus in terra. Et quemadmodum supernè nullus eſt eo ſuperior, ita nullus in terra eſt huic animali virtute ſimilis. Eſtote*, inquit Matth. 5. 45. *ſimiles patris veſtri, qui eſt in cœlis. Quin etiam nominis quoque ſui nos fecit participes. Ego dixi*, ait Pſ. 81. 6. *dii eſtis & filii excelſi omnes, Et rurſus*, Exod. 7. 1. *Conſtitui te Deum Pharaonis, & fecit eſſe opificem corporeum. Et tunc quidem mutat Moyſes creaturam; nunc autem alii alia elementa: nobis autem juſſit nos ipſos Deo templum extruere.* 1. Cor. 6. *Etſi ergò non fabriceris cœlum*, [illegible] *Dei tamen templum fabricaris. Propterea enim cœlum quoque eſt ſplendidum, quoniam habet Deum in ipſo habitantem: imò verò per Chriſtum nos unà quoque ſuſcitavit, & nos conſidere fecit in dextris in cœlis, & dedit ut majora faceremus iis, quæ ipſe fecit. Signa enim*, inquit Joan. 14. 12. *quæ ego facio, ipſe quoque faciet, & majora his faciet. Et in veteri teſtamento hic quidem mare mutavit, ille verò Solem frænavit, alius Lunam juſſit manere, alius autem rurſus in ſe radios avertit, pueri autem in fornace elementi operationem alligarunt, & flammam inſanientem ſilebat, & alligato ſibilabat. Norunt etiam feræ revereri amicos Dei: & licet fames urgeat, modeſtiores tamen fiunt. Quin etiam Angeli quoque reveriti ſunt, &* 67.
inſigniter honorarunt homines. Quidni enim honorarent, quos ipſe Dominus honorabat? Hactenus Chryſoſtomus.

Tropologicè. In circuitu impii ambulant, id eſt, cum inconſtantia & tumultu. Prima verò pars verſiculi, nempe *in circuitu impii ambulant*, ſi ſumatur Tropologicè denotat ſummam inconſtantiam, agitationem, fraudes, ſomnolentiam, fatigationem, laborem inutilem, perplexitatem aliaque mala impiorum, quæ illis partim ab intrinſeco, partim ab extrinſeco oriuntur.

1. In intellectu. Ac primò, In intellectu ſcelerati, præſertim hæretici eſt circuitus & circumvolutio erroris. Epheſ. 4. 14. *Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur* (Græcè περιφερόμενοι, circumacti) *omni vento doctrinæ in nequitia hominum*, id eſt, per nequitiam hominum, hoc eſt, per homines nequam & fraudulentos, per hæreticos & Pſuedo-Apoſtolos. In Græco eſt, ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, id eſt, in alea ſeu aleatione hominum. q. d. ne circumferamur omni vento doctrinæ ſecundùm hominum nequitiam & inconſtantiam atque deſultoriam levitatem, qui fidem ſuam velut aleam volvunt ac revolvunt ad nutum agitantes. Hoc in Arianis videre potes tempore Conſtantini & Conſtantii Imp. toties enim variis in conciliabulis fidem ſuam mutarunt, ut ſit pudendum. Vide Baron. tom. 3. Annal. De illis agit S. Hilarius lib. ad Conſtantium & Conſtantem Imp. *Periculoſum*, ait, *nobis atque etiam mirabile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates: tot nobis doctrinas eſſe, quot mores: & tot cauſas blaſphemiarum pullulare, quot vitia ſunt, dum audita fides ſcribitur ut volumus: aut ita ut volumus, intelligitur. Sic plurimæ cœperunt eſſe fides, ne ullo ſit: imò verò annuæ menſtruæque de Deo fides decernuntur: novis ſubvertuntur vetera, &c.* Vide quæ de Lutheri, Zvvinglii, Oecolampadii, Melanchthonis, Buceri, Calvini, & aliorum hæreticorum innumeris erroribus, & quotidiana penè fidei variatione habet Spond. tom. 3. Annal. De omnibus hæreticis verè pronuntiat S. Judas epiſt. Canon. verſ. 12. *Hi ſunt nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur*, à vento vanitatis, quæ omnia explicat, & inſtar fumi evanida facit. Et S. Petrus 2. epiſt. 2. 15. *Derelinquentes viam veritatis erraverunt, ſecuti viam* (agendi rationem & methodum) *Balaam ex Boſor*. Græcè τοῦ Βοσόρ, id eſt, filii Boſor, ut Boſor ſit idem atque Beor: hic enim fuit pater Balaam. Num. 22. 5. Et quidem S. Aug. quæſt. 48. in num. legit *filii Beor*. Hic Balaam fuit Pſuedopropheta, qui conatus eſt maledicere populo Iſraël in gratiam Balac regis Moab, ut ab eo honoraretur & ditaretur, addit S. Petrus v. 17. *Hi ſunt fontes ſine aqua* (ibi lutum & erroris & peccati, nec lavat ſed coinquinat, ait Gloſſa) *& nebulæ turbinibus exagitatæ*, ventis ſeſe in gyrum contorquentibus, & inter ſe confligentibus quaquaverſum agitantur & raptantur) *quibus caligo tenebrarum reſervatur*. Græcè additur εἰς αἰῶνα, id eſt, in æternum. De illis rectè dixeris cum Chriſto, Matth. 15. 14. *Sinite illos: cæci ſunt & duces cæcorum: cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.*

68. 2. In voluntate. Secundò, in voluntate, *impii in circuitu ambulant* Primò, ob inconſtantiam propoſiti in honeſtis & bonis affectionibus: ſecundò, ob perpetuam agitationem & circulationem ex uno malo deſiderio in aliud. Iſaiæ 19. verſ. 14. *Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis* Chald. & Sept. ſpiritum erroris: practici ſcilicet qui continet judicii depravationem cum affectu malo & inordinato) *& errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens. Et non erit Ægypto opus, quod faciat caput & caudam.* In circulo non eſt principium nec finis. Nihil eſt in peccatore ſanum, ſi caput, id eſt, conſilium, affectum, initium operis ſpectes: nihil eſt proſperum & felix, quod caudam, id eſt, finem operis, perficiat, & ad optatum exitum perducat. Procopius in cap. 54. Iſaiæ, hanc ebrietatem & fluctuationem impiorum deplorat. *Eſt*, inquit, *errantium cor inſtabile, ebriorumque more cupiditatibus agitatur & vacillat*, [illegible] *Quolibet enim ſpiritu circumaguntur: & quod eſt in proverbio, rapiuntur cupiditatum turbine.* Et Richardus tract. 5. de ſtatu interioris hominis cap. 34. Nuſquam modus, inquit, nuſquam certa menſura ſervatur, dum animus ſemper ex carnis impetu *turbinis more* huc illucque impellitur. Euripus ſunt plerique mortalium fluctu reciprocante in ſemet acti: ut, cum fremitus ac tumultus multum ediderint, in ſpumas eant, neque iter promoveant. Hoc Seneca notat epiſt. 120. *Nemo*, inquit, *non quotidie & conſilium mutat & votum, &c. Nunc pecuniam ſpargis, nunc rapis. Sic maximè coarguitur animus imprudens. Magnam rem puta unum hominem agere. Præter ſapientem autem nemo id facit.* Et epiſt. 49. hoc eſſe ſtultum dicit. *Inter cætera mala*, inquit, *hoc quoque habet ſtultitia proprium, ſemper incipit vivere*. Et epiſt. 59. Conſtituendum quid velimus, & in eo perſeverandum. Malè vivunt qui ſemper vivere incipiunt, quia ſemper illis imperfecta vita eſt. Hæc Seneca. Sola perſeverantia coronatur.

Tertiò in Lingua, *impii in circuitu ambulant*: quia, ut dictum eſt ſupra verſ. 1. diminutæ ſunt veritates à filiis hominum. Vane locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum. Labia doloſa in corde & corde locuti ſunt. Vide ibi dicta. Sic in circuitu ambulavit ſerpens loquens Evæ, eamque fraudibus ſuis & mendaciis decipiens. Gen. 3. 1. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Hebr. verti poſſunt, Serpens erat in multas ſpiras & gyros complicatus & involutus. Hoc enim etiam ſignificat ערום *arum*. Hunc ſerpentem exiſtimat Delrio fuiſſe viperam. Eugubinus fuiſſe baſiliſcum, eſt enim rex ſerpentum: Pererius fuiſſe ſcytalen, quia magnitudine & tergi varietate præfulgens intuentium oculos detinet. Hoc in incerto eſt: ſed certum eſt ſerpenti non eam fuiſſe vim & facultatem loquendi naturalem, ut voluit S. Baſil. ſed dæmonem in eo eſſe locutum, qui dicitur à Jobo cap. 26. 13. *coluber tortuoſus*. Cave ne ore tuo loquatur, cum fraudibus, ambagibus, dolis mendaciis, æquivocationibus, promiſſis fallacibus alios ineſcas & decipis. Eſto tu non diabolo flexuoſo, ſed Jobo ipſi humilis, de quo cap. 1. verſ. 1. *Et erat vir ille ſimplex & rectus.* Eſto ſimplex, eris rectus. Pro *ſimplex* Hebr. eſt תם *tham*, id eſt, *perfectus*, ut vertit Pagn. & noſter vertit, Gen. 6. *innocens*, ut vertit, Job 9 v. 9. *plenus*, ut Lev. 23. 15. *ſanus* ut, Iſaiæ 1. 15. *integer*, Ezech. 5. 15. *immaculatus*, Pſ. 118. 69. 3. In lingua.

Quartò, in Opere, *impii in circuitu ambulant*, quia ad centrum non tendunt, ut ait Cajetanus: neque ad viæ, id eſt, vitæ noſtræ finem, nempe Deum: ſed vorticis modo magnum murmur ac ſtrepitum edunt, neque in maris ſinum evolvuntur: vel, ſicut pinnulæ verſatiles in tecti faſtigio quietem nullam habent, & ad omnem ventum moti manent ſemper in eodem loco: vel, in labyrintho oberrant, & quo magis progrediuntur, magis ſeſe implicant. Caro aqua vorticoſa eſt ac ſpumans. Mundus ventus eſt circumvolvens. Dæmon in cæcos flexus deducit. Unde Petrus Bleſenſis ait epiſt. 138. proprium ſceleratorum eſſe ſollicitudinum Labyrinthum. S. Greg. Nyſſ. miratur quod homines velint relicto vitæ compendio in circuitu cum impiis ambulare, & cæco hujus vitæ labyrintho errare ac ſeſe implicare. Samſonis quoque excæcati circa molam concurſatio triſte peccatoris ſe circumvolventis eſt ſymbolum, Judicum 16. 21. *Quem cum apprehendiſſent Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos ejus* (juſtum ſupplicium laſcivi aſpectus, quo captus erat Dalilæ pulchritudine) *& duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere* (molas truſatiles inſtar jumenti verſare) *fecerunt*. Hoc applicans peccatori ſenſibus ſuis per creaturas oberranti S. Paulinus ait epiſt. 4. ad Severum. *Tota tibi ſpecies jumenti molentis occurrat. Ut ille pannis oculos corporis, ſic iſte ſordibus vitæ ſuæ oculos mentis obſitus, per errores ſuorum ſenſuum, quaſi circa ambages molarum laborioſo miſer ſtatione verſaturus.* Vide Petrum Bleſenſem, lib. 5. de charitate cap. 4. 70. 4. In opere.

Nota primò. Multa etiam ab extrinſeco petita efficiunt, ut impii in operibus ſuis, conſiliis, affectionibus & ſermonibus in circuitu ambulent. Primò quia viæ eorum obliquæ ac tortuoſæ. Iſaiæ 59. 8. *Non eſt judicium* (id eſt, juſtitia, *rectitudo*, æquitas, ut ait Cornelius) *ſemitæ eorum incurvatæ* (obliquæ, ut vertit Arias: perverſæ, ut Sept.) *ſunt eis*, (ſibi ipſis circuitum faciunt) *omnis qui calcat in eis, ignorat pacem*: & ſibi, & aliis. Secundò, in circuitu ambulant, quia ducem viæ ſequuntur dæmonem, qui amat ambulare in circuitu. 1. Petr. 5. 18. *Tanquam leo rugiens circuit.* Et ipſe fatetur, imò gloriatur, Job. 1. 7. *Circui terram, & perambulavi eam.* Tertiò, in circuitu impii ambulant, quia in via ſeſe implicant & illigant rebus volubilibus & circumeuntibus, S. Aug. in Pſal. noſtr. *In circuitu* (ſic ipſe legit) *impii ambulant: id eſt, in temporalium rerum cupiditate, quæ ſeptem dierum repetito circuitu, tanquam rota volvitur: & ideo non perveniunt in octavam, id eſt, æternum, pro quo iſte Pſalmus intitulatus eſt. Ita & per Salomonem dicitur* Prov. 20. 26. *Ventilator enim impiorum eſt rex ſapiens & immittit illis rotam malorum.* Hæc Auguſtinus: Noſter verò interpres vertit. *Diſſipat impios* 71. 5. Ob varia extrinſeca eos agitantia.

rex

rex ſapiens, & incurvat ſuper eos fornicem: rotæ ſcilicet, id eſt, canthum ſeu extimam ſuperficiem & curvaturam rotæ: Sept. enim habent: *immittet illis* τροχὸν, id eſt, *rotam*. Chald. vertit. Volvit ſuper eos rotam. Alludit ad plauſtra ferrata, quibus in Palæſtina frumentum triturabant: vel certè ad ſupplicium Ammonitarum impiorum, quos ſubactos David ſerravit, & circumactis ſuper eos ferratis carpentis trucidavit. 2. Reg. 12. 31. Non caret cruciatu perverſorum circuitus, ut mox oſtendam. Rectè S. Bernardus lib. de interiori domo, cap. 23. *Mundus*, inquit, *omni volubilitate circumrotatur*. Nulla eſt volubilitas, quam non habeat: nihil habet quadratum & ſtabile, omnia ſunt orbis, atque ut orbis volvuntur: divitiæ ſcilicet, honores atque voluptates.

72. Nota 2. Ex eo autem, quod impii in circuitu ambulant, conſequens eſt Primò, ut non proficiant in via, neque termino ſuo approximent: circulus enim ad punctum redit, à quo incepit. Secundò, ut multum laborent. Pſalm. 37. verſ. 11. *Cor meum conturbatum eſt in me* Hebr. *cor meum*, סחרחר *ſeharhar, circuivit*, ut vertit Pagn. agitatur huc illuc, nec reſidet præ afflictionibus, ut explicat Mercerus, *dereliquit me virtus mea*, ſtatim ut virtus nos relinquit, cor conturbatur, & agitatur; non ſtat in uno loco & in uno Deo, itaque fluctuat. Prov. 11. 18. *Impius facit opus inſtabile*. Hebr. *opus mendacii*. Pacem & quietem promittit, dat agitationem & bellum. Chald. opus iniquitatis. Syr. opus oppreſſionis. S. Greg. lib. 2. Mor. 4. *Soles, ait, per gyrum circuitus, labori anxietas deſignari*. Tertiò, in circuitu ambulantes laborant ſemper, quia, ut dixi, finem non reperiunt. Pſalm. 139. 10. *Caput* (Hebr. ראש *ros*, id eſt, fel, ut reddit Pradus in Ezech. cap 23) *circuitus eorum* (S. Hier. amaritudo conviviorum eorum. Vel in ipſis deliciis eſt labor & venenum: ſi hoc in capite ſeu initio, quid erit in cauda ſeu fine? Potatorum circulationes in mutuis propinationibus venena ſunt) *labor labiorum ipſorum operiet eos*. Undique illos involvendo. Hoc S. Auguſt. exponens ait: *Quid eſt circuitus ipſorum? ut circumeant & non ſtent, in gyrum eant erraris, ubi iter eſt ſine fine. Qui enim in longum it, alicunde incipit, alicubi finit. Qui in gyrum it, nuſquam finit: ipſe eſt labor impiorum*. Quartò denique, qui in circuitu ambulat, ſæpè cadit, & cum periculo. Explicui Pſalmo primo, verſu ultimo. *Novit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit*. Vidimus ibi, quomodo via impiorum pereat: nunc videndum eſt, quomodo ipſum impium perdat. 1. Reg. 25. 29. ait Davidi Abigail: *Anima inimicorum tuorum rotabitur quaſi in impetu & circulo fundæ*. Pſalm. 82. 14. *Deus meus pone illos ut rotam*. Vide illum locum. Quod ad lapſum attinet, dicunt impii. Iſaiæ 59. 10. *Impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui*. Cave itaque, ut monet Salomon Proverbiorum 2. 15. ab iis, *quorum viæ perverſæ* (Symmachus, σκαμβαί, id eſt, curvæ. Theodotio, ϛρεβλαί, id eſt, tortuoſæ) *ſunt, & infames greſſus eorum*. Sept. & flexuoſi greſſus eorum.

72. Hinc ſequitur, 1. ut in circuitu ambulantes non proficiant in via. 2. Ut multum laborent. 3. Ut finem non reperiant. 4. Ut ſæpe cadant cum periculo.

73. Nota tertiò, Deus fecit hominem rectum, & vult rectitudinem illam in omnibus conſervari. Primò, in corde. Pſalm. 7. 11. *Salvos facit rectos corde*, & 96. 11. *rectis corde lætitia*. Secundò, in ore. Pſalm. 32. 1. *rectos decet collaudatio*. Eccl. 28. 29. *Verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos*. Proverb. 4. 24. *Remove à te os pravum* (Aquila & Theodotio, oris obliquitatem) *& detrahentia labia ſint procul à te*. Tertiò, in oculis, verſu ſequenti. *Oculi tui recta videant* (melius eſt adverbium quam nomen. Hebr. in directum) *& palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos*. Pſalm. 111. 4. *Exortum eſt in tenebris lumen rectis*. Quartò, in manibus. Pſalm. 24. 21. ait Chriſtus: *Innocentes & recti adhæſerunt mihi*. Hinc etiam de toto corpore commode dicetur. De manibus autem Pſalm. 140. 2. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum*. Junctis & in cœlum erectis manibus orare Deo placet, & hic ſitus preces erigit, pigra directio manuum & corporis eas incurvat ac retardat. Quintò, in pedibus. Prov. 4. 26. *Dirige ſemitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ ſtabilientur. Ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram*. Ratio eſt, quia Deus ipſe rectus eſt. Pſalm. 91. 16. *Rectus Dominus Deus noſter*. Et omnia, quæ Dei ſunt, recta ſunt. Pſalm. 18. 9. *Juſtitiæ Domini rectæ*. Pſalm. 118. 137. *Rectum judicium tuum*, & 142. 10. *Deducet me in terram rectam*. Sap. 10. verſ. 10. *Juſtum deduxit per vias rectas*. Si hactenus obliquus & tortuoſus extitiſti, dic illi, Pſalm. 50. 12. *Spiritum rectum innova in viſceribus meis*.

73. Deus fecit hominem rectum. 1. In corde. 2. In ore. 3. In oculis. 4. In manibus. 5. In pedibus.

PSALMUS DUODECIMUS.

1. *In finem, Pſalmus David.*

1. USquequo Domine, oblivisceris me in finem? uſquequo avertis faciem tuam à me?
2. Quamdiu ponam conſilia in anima mea? dolorem in corde meo per diem?
3. Uſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice, & exaudi me Domine Deus meus.
4. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus: Prævalui adverſus eum.
5. Qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero: ego autem in miſericordia tua ſperavi.
6. Exultabit cor meum in ſalutari tuo, cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: & pſallam nomini Domini Altiſſimi.

PSALMI DUODECIMI ANALYSIS.

Auxilium à Deo poſtulat David ad
- Sui ipſius ſublevationem. 1. quem
  - Oblivisci Deus videbatur. 1.
  - Et adverſari. 1. cum
    - Conſilia ipſi non prodeſſent. 2.
    - Et dolor Deum movere non videretur. 2.
- Hoſtis depreſſionem. 3. qui
  - Exaltabatur ob potentiam. 3.
  - Prævalere ſe jactabat ob ſuperbiam. 4.
  - Exultaturus erat ob victoriam. 5.
- Dei gloriam. 6. cui
  - Corde, erat gratiam habiturus ob liberationem. 6.
  - Ore, laudes cantaturus. 6.
  - Opere, vitam conſecraturus. 6.

TITULUS

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. *In finem, Pſalmus David.*

1. Templum Salomonis variis modis profanatum. IN hoc Pſalmo loqui populum Judaicum cenſent Rabbini, & Trevetus, Faber, Agnonus. Implorare autem auxilium Dei contra hoſtes quatuor, unde quater repetitur *ad ana*, id eſt, *uſquequò, quamdiu?* Primò enim, Babylonii ſub Nabuchodonoſore deſtruxerunt Jeruſalem, ac templum, & populum duxerunt in captivitatem. 4. Regum ult. Secundò, Perſæ tempore Cambyſis impedierunt ædificationem templi. 1. Eſdr. 4. Tertiò, Græci, furente præſertim rege Antiocho Epiphane, variis modis Judæos afflixerunt, & idolum abominationis in templo poſuerunt. 1. Mach. 1. & ſeq. Quartò, Romani duce Tito Jeruſalem everterunt, templum ſuccenderunt, populum in captivitatem abduxerunt. Hæc omnia prævidens David populum illum miſerum inducit, opem à Deo implorantem. Ita ipſi. Sed hoc dici non poteſt. Nam in fine Pſalmi gaudet ob liberationem prævisam: Judæi autem non liberabuntur unquam à captivitate & ſervitute, in qua nunc miſeram vitam trahunt.

2. David hîc loquitur à Saüle ſibi timēs, cùm apud Ceilanos verſaretur. Secundò itaque meliùs alii, Davidem loqui volunt. A Deo autem petit, ut ſe ab inimico defendat, ut à morte liberatos, ejus beneficentiam cantet. Ita Genebr. qui generatim loquitur. De Abſalonis perſecutione explicant Euthym. Nicephor. & Theodoretus, quia videntur verba eſſe peccatoris timentis, ne à Deo relinquatur, ob adulterium & Uriæ cædem. Meliùs tamen S. Thomas, Janſen. Cajetan. Agell. & Clarius in Saülis perſecutione Pſalmum eſſe conſcriptum volunt, ſed tempus non determinant. Arbitror ego eſſe factum, quando in urbe Ceila concluſus, & admonitus Saülem cum exercitu mox adfuturum, deliberavit fugam arripere Deo monente. Unde dicit: *Uſquequò oblivisceris me in finem?* dudum enim oberrabat per varia loca. 2. Alludit ad conſilium, quod petiit per Abiathar indutum Ephod (id eſt, veſtem Pontificiam, in qua erat Ephod, id eſt, ſuperhumerale cum Rationali. Sic enim ſummus Pontifex indutus reddebat oracula, Deo eum inſpirante) cùm dicit: *Quamdiu ponam conſilia in anima mea.* 3. fugam ſuam inſtantem explicat, ob quam riſui hoſtium erat exponendus. *Qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero.* Idem itaque eſt argumentum hujus Pſalmi, atque præcedentis.

3. Allegor. Patrum in Limbo exiſtentiâ eſt oratio. Allegoricè. Pſalmus hic eſt oratio Patrum antiquorum in Limbo detentorum, & adventum celerem Chriſti poſtulantium. Ita Lombardus, Ugo, Bruno, Remig. Valentia, Arnob. Heſych. Richard. Pampolitanus, Caſſiod. Gloſſa, Burgenſis: & quidem putant ſenſum eſſe literalem, ſed verius eſt tantum allegoricus. David ipſe illum adventum poſtulabat etiam vivens. Dionyſius Carthuſianus, qui de Patribus in Limbo exponit, ait: quod Pſalmus iſte *eſt carmen ordentiſſimi amatoris, verba ignea atque omni affectu pleniſſima continens, quemadmodum verè devoto, hunc Pſalmum cordialiter decantanti, conſtat.* Et Caſſiodorus. Totus Pſalmus, inquit, de charitate loquitur Chriſti, in qua eſt totius legis perfectio: quam ſi quis habet, omnia mundi iſtius blandimenta poſtponit. Nam dum ipſa ſola ex toto corde requiritur, ejus contrarium non amatur. *Charitas enim Dei quædam vernalis eſt pluvia virtutum, ſub qua & beata voluntas germinat, & operatio ſancta fructificat, patiens hic in adverſis, temperata in proſperis, humilitate potens, afflictione lætiſſima, inimicis benevola, bonis ſuis ſuperans malos. De qua etiam ſupernæ creaturæ ſemper accenſæ ſunt, flammo reficiens, deſiderium ſalutariter creſcens. Et in Apoſtoli Joannis voce cuncta complectar, Deus ipſe charitas eſt,* 1. *Joan.* 4. *Quapropter ipſam nos docet expetere, ipſam ſine fine deſiderare, ut quia hic inde expleri non poſſumus, ſaltem ex ea in futura retributione ſatiemur.* Hæc Anagogico ſenſui rectè conveniunt.

Anagogicè enim S. Thomas, Ugo, Burgenſis cenſent expeti hic ab anima ſancta ſecundum Chriſti adventum: Joannes à Paſtura ait Pſalmum hunc eſſe orationem Eccleſiæ vel fidelis à miſeriis & periculis hujus ſæculi liberari poſtulantis, & Ruffinus eſſe deſiderium cœleſtis gloriæ, exilii nunc mala continuè deplorando. 4. Anagogicè.

Tropologicè. Pſalmus hic eſt oratio viri juſti, tentatione gravi agitati. Ita Bellarm. Foleng. Joan. à Paſtura, Titelmannus, qui ſpeciales aliquas tentationes enumerat. Pſalmus iſte, inquit, aptiſſimam dat formam clamandi ad Dominum iis, qui gravi qualibet & diuturna tentatione premuntur: utpote vel gravi longóque libidinis æſtu, vel ponderoſa nimis puſillanimitate, vel triſtitia demergente, vel acedia omne opus bonum faſtidiente, aut infidelium cogitationum angentibus dubietatibus, aut aliis cujuſvis generis malis. In quo, ſic tentatus, veluti conquerens de tentationis gravitate & prolixitate, deque abſentia ſive protractione divini auxilii, poſtulat celerem à Deo miſericordiam, & ante omnia mentis illuminationem: ne fortè pereat in morte, ſicque in poteſtatem veniat hoſtium ſuorum, & illi exultent de caſu ejus. 5. Tropologicè. Hic eſt oratio juſti in tentatione.

Ita Titelmannus.

DIVISIO TOTIUS PSALMI.

TRIA David proponit. Primò, ſummam miſeriam & anxietatem ſuam in præſenti periculo. Verſ. 1. *Secundò, opem divinam implorat. Verſ.* 3. *Tertio, ſpem in Deo figit, & gratitudinem pollicetur. Verſ.* 5. 6.

PARAPHRASIS.

1. *Uſquequò Domine oblivisceris me in finem? uſquequò avertis faciem tuam à me?*

1. Quouſque, Domine, auxilium tuum differes, quaſi mei perpetuo, penitúſque oblitus? Quouſque velut averſo vultu ſtabis, nec benigno me favore recreabis? cùm jam per multos menſes domo, uxore, bonis omnibus relictis, huc illuc Saülem perſequentem fugiam.

2. *Quamdiu ponam conſilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem?*

2. Quouſque neceſſe erit varia conſilia mente verſare, ut ab his me periculis explicem? Quouſque ſalutis meæ dubius totos dies in mœrore conteram?

3. Uſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice, & exaudi me Domine Deus.

4. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum.

5. Qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero: ego autem in miſericordia tua ſperavi.

6. Exultabit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini Altiſſimi.

3. Quouſque hoſtes mei de me ſubſultantes triumphabunt, tandem arridenti vultu me reſpice, precibúſque ſervuli tui annue, cùm ſis Dominus meus & Deus meus.

4. Mentis afflictæ tenebras vultûs tui ſplendore diſpelle, ne unquam in Saulis manus incidens crudeli morte ab ipſo afficiar: neve tandem capto illudens glorietur ſe eo potentiorem fuiſſe, cui ſpecialem opem regnúmque promiſeras.

5. Exultabunt quidem pleríque hoſtes mei, cùm me à Ceilanis deſertum viderint, & ad fugam periculoſam neceſſitate compulſum: ego verò ab omnibus humanis præſidiis deſtitutus, in tua unius miſericordia ſpes meas defigo, te uno tutante ſatis contra omnes munitus.

6. Verâ ſynceráque lætitiâ cor meum ob ſalutem à te datam exultabit; os vero meum, canticum tibi triumphale concinet, ob tot beneficia mihi ante fugam, in fuga, & poſt fugam collata, & tibi Salvatori & liberatori meo Pſalmos conſcribam, & inſtrumentis muſicis modulabor.

ORDO PSALMI.

7. DAvid ſecundo fugæ ſuæ anno Ceilam urbem tribus Juda liberarat à Philiſthæis eam obſidentibus, & in eam ingreſſus aliquantulum quietis capiebat, cùm ecce tibi nunciatur infeſtum Saulem cum exercitu adfuturum, ſtatim Deum conſulit per Abiathar ſummum Pontificem, à quo diſcit & Saulem venturum, & ſe ab Ceilanis illi tradendum eſſe, ubi venerit. Itaque fugiendum iteratò advertens, & laborum finem non videns ingemit, & opem à Deo petit.

Triplex autem motivum proponit, ut exaudiatur. Primum, petitum à ſeipſo. Secundum, ab hoſtibus ſuis. Tertium, à Deo.

Motiva tria Davidis, ut exaudiatur.

Ac Primò, ad ſuî conſolationem hoc neceſſarium oſtendit, cùm diu jam duret afflictio, adeo ut è Dei memoria excidiſſe videatur. Verſ. 1. *Uſquequò Domine oblivìſceris me in finem?* atque ejus voluntati eſſe infenſus, cùm favorem ſolitum tamdiu ſubtrahat? *Uſquequò avertis faciem tuam à me?* Unde fiat, ut ipſe in Intellectu ſuo ſit anxius. Verſ. 2. *Quamdiu ponam conſilia in anima mea?* & in voluntate ſua triſtetur. *Dolorem in corde meo per diem?*

Secundò, opem petit ad hoſtis depreſſionem, qui fortunæ, corporis & animi bonis præ ſe Dei ſervo & innocente eminere deſiderat. Primò, in bonis fortunæ divitias & honores ambiens, & in iis avidè hærens ac ſuperbe glorians. Verſ. 3. *Uſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me?* Remedium eſt favor divinus oratione quæſitus. *Reſpice & exaudi me Domine Deus meus.* Secundo, in corporis bonis exultabit, cùm vegetus & alacer me vulneribus confectum ad pedes ſuos jacentem viderit. Verſ. quarto. *Ne quando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum.* Remedium immediatè antea attulerat, petitionem ſcilicet lucis divinæ, quæ efficiet, ut non impingat. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Tertiò, in animi bonis exultabit, lætitiâ triumphans ob triſtitiam ejus & fugam. Verſu quinto. *Qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero.* Remedium eſt ſpes firma in Deum, opem enim certam impetrat. *Ego autem in miſericordia tua ſperavi.*

Tertiò, opem petit ob Dei gloriam, quæ inde exſurget, cùm eum laudabit corde, ore, opere, & gratias referet. Primò, corde exultando, & gratiam habendo propter liberationem à periculis. Verſ. 6 *Exultabit cor meum in ſalutari tuo.* Secundò, ore, ejus laudes celebrando. *Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi.* Tertiò, opere, cum alacritate illi ſerviendo. *Et pſallam nomini Domini Altiſſimi.* Pſalterium manu pulſatur, & opus deſignat, ut aliàs notavi.

USQUEQUO DOMINE OBLIVISCERIS
Verſ. 1. ME, (Hebraice, verbum eſt temporis futuri) IN
נצח FINEM (Hebr. *neſab*, id eſt, ſemper, ut Chaldæus, Syrus, in æternum, ut Felix, Arias, Muſius: uſque ad finem, ut Arabs: penitùs, ut ſanctus Hieronymus, εἰς νῖκος id eſt, ad victoriam, ut quidam apud ſanctum Chryſoſtomum. Deus enim non deſerit ſubtrahendo ſenſibile auxilium, niſi ut Sanctorum ſit illuſtrior & majoris meriti victoria) USQUEQUO AVERTIS (Hebr. תסתיר *thaſthir*, id eſt, abſcondes: longe recedit Deus in gloriæ ſuæ
8. nubes impenetrabiles nobis, Aquila etiam, Symm. ac Theod. κρύψεις id eſt, abſcondes) FACIEM TUAM A ME?

Nota primò, In Pſalmis atque etiam in aliis Scripturarum, maximè autem Prophetarum locis, cùm ad Deum iſte ponitur loquendi modus, veluti per interrogationem. Uſquequò? quamdiu, quando, propter quod, ut quid, quare, aut ſimili aliqua particula, non ſic accipi debet ſententia, quaſi ſit mera interrogatio reſponſionem exſpectans: quemadmodum cum homines quippiam interrogant proximos ſibi, reſponſionem exſpectantes: ſed tantum ut ſit mirantis & admirationem proponentis, vel deſiderium magnum & exſpectationem inſinuantis. Quemadmodum ſupra, Pſalmo ſecundo, cùm dicitur: Quare fremuerunt gentes, non exſpectatur ulla reſponſio, ſed tantùm admiratio ſic exprimitur, quaſi dicat Propheta: Miror rem tam abſurdam illos attentâſſe. Et in loco præſenti cùm dicit, Uſquequo Domine, &c. non exſpectat ipſe, ut audiat certam ſibi horam liberationis deſignari, ſed tantùm eſt expreſſio vehementis deſiderii & exſpectationis magnæ, quæ ſuam ſperat liberationem. Similiter accipi poteſt, Pſalmo tertio & vigeſimo. Domine, quid multiplicati ſunt, qui tribulant me. Deus, Deus meus, quare dereliquiſti. Et alibi. Quare oblivìſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ? Verſu tertio & quarto. Uſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me, &c. Ita Titelmannus.

Τὸ Uſquequò denotat ardens deſiderium.

Nota ſecundò, de fide eſt, Deum nullius rei poſſe oblivìſci. Eſt enim mens æterna, infinita, ſapientiæ fons & oceanus, rerum omnium tum præteritarum tum futurarum, tum præſentium lucidiſſimum ſpeculum. *Illi*, ut ait S. Ambroſius libro de interpellatione David, *omnia quæ ſunt facta & futura, præſentia ſunt.* Oblivìſci tamen dicitur Primò, cùm ob alicujus delicta eum derelinquit, tentarique permittit atque affligi, ut flagello erudiatur. Ita Euthymius. Secundo, cùm etiam ſine delicto procraſtinat invocatus, & differt juvare. Ita Theodoretus, Folengius, Paſchaſius, Radbertus, qui libro tertio in lamentationes Jeremiæ ait: *Deus theſauros memoriæ non amiſit aut ſcientiæ: ſed dicitur oblivìſci, quia differt occulto quodam judicio auxilium præſtare ſtatim, dum quaſi deſpicit obſecrantes.* Memoria eſt enim veluti fons & radix beneficentiæ: Itaque hoc obſtructo fonte & ſucciſa radice areſcant omnia neceſſe eſt. Vox Chaldaica שלה *ſela*, ſignificat oblivìſci & ſpernere, aſpernari, rejicere, reſpuere. Et Syr. טעא *teo*, oblivìſci & dimittere, deſerere, derelinquere. Unde illa oblivio Dei Sanctis fuit moleſtiſſima, ut patet, Pſalm. 41. 10. & 43. 24. ac Threnorum quinto, verſu vigeſimo. Orationibus autem ac virtutibus memoriam, id eſt, curam & beneficentiam Dei excitârunt. *Nihil*, ait ſanctus Chryſoſtomus, *apud Deum æquè memoriam parit, ac boni aliquid facere, quàm eſſe ſobrium ac vigilantem, & virtutis curam gerere: quemadmodum nihil æquè oblivionis eſt cauſa, ſicut eſſe in peccatis, avaritiæque & rapinæ eſſe deditum.* Allegoricè. Oblivìſci videbatur Deus, cum differebat adventum Chriſti. Ita Gloſſa, Lombard. Ugu, & alii.

9. Deus nullius rei poteſt oblivìſci. Dicitur tamen oblivìſci. 1. 2.

Nota tertiò. Deus à nullo hominum faciem ſuam, id eſt, intellectum divinum poteſt avertere, cùm ſit ubique præſens, & omnia ſimpliciſſimo & perfectiſſimo actu ſemper intueatur: David tamen ait: *Uſquequo avertis faciem tuam* (Chald. ſplendorem vultûs tui) *à me?* Eſt catachreſis, quia Deus facie caret. Avertere autem faciem dicitur Deus, *cùm non dat animæ notitiam ſui, quæ adhuc purum mentis oculum non habet,* ut ait S. Auguſtin. Ubi adverte cum

10. Deus quandonam faciem a nobis avertere dicitur? 1.

cum Bellarmino: qui tentetur duo mala pati ſolet,
prava deſideria in voluntate, & tenebras in intelle-
ctu. Quando prava deſideria valde urgent, tunc
videtur Deus obliviſci, & deſerere animam; quan-
do tenebræ obſcurant intellectum, videtur Deus
avertere faciem ſuam ab anima. Ipſe enim lux eſt,
& ideò illuminat, cum convertit faciem: in tene-
bris relinquit, cum avertit. Propter primum di-
cit homo in tentatione poſitus: *Uſquequò Domine ob-
liviſceris me in finem?* propter ſecundum dicit: *Uſ-
quequò avertis faciem tuam à me?* Secundo, & melius,
Deus avertit faciem ſuam, cum diſſimulat quaſi
non videns, ut loquitur Mariana: cum quaſi iratus
& vultu averſo, favorem ſuum non exhibet, ut ait
Janſen. *Facies Dei*, ait Euthymius, *potentia illa in
Deo eſt, quæ aſpicit nos, ac cuſtodit, & beneficiis donat.
Averſio autem Dei contraria operatio eſt, quando nimirum
indignos quoſque à cuſtodia & protectione ſua avertit, tan-
quam ea operentur, quæ in ipſius conſpectu abominabilia
poſſint videri.* Vide dicta Pſ. 5. 6. neque habitabit
juxta te malignus, neque permanebunt injuſti an-
te oculos tuos. Quantum autem ſit malum illa di-
vini vultus averſio, ex eo poſſis videre, quod qui
vultum avertit ab aliquo, eum neque manu juvat,
neque ſinu fovet, neque illi oculis blanditur. No-
tat tamen S. Chryſoſt. hanc Dei derelictionem &
vultus averſionem, πολλῆς κηδεμονίας, magnæ eſſe cu-
ræ ac providentiæ. Hoc autem facit Deus, ut nos
ad ſe vehementius attrahat. Nam etiam ii, qui eſt
inſano amore captus, eum qui amatur contemnen-
tem dimittit ac derelinquit, non animo quidem ex-
pellens, ſed ipſum volens ad ſe convertere & ſibi
conjungere.

Anag. *Uſquequò avertis faciem tuam à me?* faciem
gloriæ, ait Ugo, ut videam te facie ad faciem. De
illa Exod. 33. v. 13. ait Moyſes: *Oſtende mihi faciem
tuam.* Et ſignatè David Pſ. 79. 20. *Oſtende faciem
tuam, & ſalvi erimus.* Eſſentialis enim beatitudo
conſiſtit in Dei viſione.

11. Allegorice. Sancti Patres deſiderabant Chriſti adventum, & cur?

Alleg. *Uſquequò avertis faciem tuam à me?* id eſt,
præſentiam Filii tui, qui eſt facies tua, quæ homini-
bus eſt videnda. Ita Lombardus. Filium tuum, in
quo tu cognoſceris, ait Remigius. De Chriſto etiam
exponunt Caſſiod. Gloſſa, Thom. Anglicus, Ugo
Card. Sancti Patres deſiderabant adventum Chri-
ſti. Primò, propter exaltationem humanæ naturæ,
in cujus perſona dicitur Thren. 1. 11. *Vide Domine,
& conſidera quoniam facta ſum vilis.* Sed exaltata eſt
per Incarnationem. Unde Pſ. 72. dicitur: *Cum glo-
ria ſuſcepiſti me:* id eſt, facta ſum glorioſa, ſicut mu-
1. lier ignobilis ſublimatur, ſi contrahat cum nobili
viro. Inde fit ut omne peccatum poſt adventum
Salvatoris majus ſit quàm antè. Sicut magis igno-
minioſum eſt nobili quàm ignobili, ſi quid turpe fa-
ciat. Secundò, adventum illum deſiderarunt, ut li-
2. berarentur à limbo inferni captivi. Job. 17. 16. *In
profundiſſimum* (id eſt, in limbum) *infernum deſcen-
dent omnia mea, putas ne ſaltem ibi erit requies mihi?* Per
Chriſtum autem liberati ſumus ab eo. Zach. 9. 11.
*Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de la-
cu, in quo non eſt aqua.* Tertiò, propter depreſſionem
3. diaboli. Pſ. 11. *Humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum,*
id eſt, minoraſti potentiam ejus. Luc. 11. 22. *Si au-
tem fortior eo ſupervenerit, alligabit fortem, &c.* Quar-
4. tò quia per adventum Chriſti pacificatus eſt nobis
Deus. Job. 9. 33. *Non eſt, qui utrumque valeat argue-
re, & ponere manum in ambobus.* Iſtud ſcilicet non erat
ante adventum Chriſti. S. Greg. ſic exponit: Ma-
num poſuit Chriſtus in ambobus; quia & homini
exempla benè operandi tribuit, & Deo in ſe opera
quibus placaretur, oſtendit. Quintò, propter de-
5. lectationem, quam ſperabant habere in videndo &
audiendo ipſum, & cohabitando cum eo. Matt. 13.
16. *Veſtri beati oculi, quia vident: & aures veſtræ, quia
audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ &
juſti cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: &
audire quæ auditis, & non audierunt.* Cant. ult. 1. *Quis
mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut
inveniam te foris, & deoſculer te, & jam me nemo deſpi-
ciat?* Foris viſus eſt per humanitatem, & etiam de-
oſculatus. Cant. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Ideò,
jam ipſo habito dicit S. Bernardus. Meritò proto-
de ſomnia & viſiones non recipio, figuras & ænig-
mata nolo: ipſas quoque Angelicas ſpecies faſtidio,
omnes quippe ſuperat ſpecie & pulchritudine ſua
JESUS meus. Sextò propter auſteritatem legis
6. amovendam. Job. 9. 34. *Auferat à me virgam ſuam,*
id eſt, legis qua ponebat duritiem. S. Greg. eam
Chriſtus abſtulit, & per manſuetudinem vias vitæ
oſtendit. Noluit ut Deus timeri, ſed ut pater ama-
ri. Septimò, propter Scripturarum apertionem 7.
Apocal. 5. 4. *Non eſt inventus qui aperiret librum, & ſol-
veret ſignacula ejus, niſi agnus qui occiſus eſt.* Job. 38.
12. *Numquid poſt ortum tuum præcepiſti diluculo, &
oſtendiſti auroræ locum ſuum.* Auroram vocat, quia
ſicut adveniente aurora recedunt tenebræ, ſic ad-
veniente Chriſto receſſit ignorantia Scripturarum,
& Job. 31. 35. *Quis mihi tribuat adjutorem, ut deſide-
rium meum compleat opus, & librum ſcribat ipſe qui ju-
dicat?* Unde S. Bernard. Quid enim, ait, hæc ſe-
miverbia Prophetarum: nam Moyſem audio, im-
peditioris quippe linguæ factus ſum, Iſaiæ labia
immunda ſunt, Jeremias neſcit loqui, quia puer
eſt: omnes Prophetæ elingues ſunt, ipſe loquitur
quem ipſi loquuntur. Ita Ugo.

Nota quartò, Sicut lugendum eſt, cùm Deus
avertit faciem ſuam à nobis: ita timendum eſt, 12.
cùm oculos noſtros avertimus ab illo: mutuus Oculi
enim debet eſſe aſpectus: & periculoſius eſt ad noſtri
eum oculos non convertere, quàm oculos ejus & non ſunt
faciem à nobis averti: licet enim poſteriora tantùm à Deo
ejus videamus cum Moyſe, tamen lucebit facies avertendi.
noſtra ſicut Moyſis: ſed ſi dorſum illi obvertamus,
licèt cum ſtultis illis ſenibus, Ezech. 8. 16. ſpecte-
mus ſolem orientem honorum & dignitatum mun-
danarum, erimus in denſa caligine. Itaque orat
David Verſ. 4. *ILLUMINA OCULOS MEOS NE*
UNQUAM (Hebr. פן *phen*, id eſt, *ne*, ut vertit Verſ. 4.
Arabs & Syrus: *ne forte*, ut Pagn. *nequando*, ut Fe-
lix) *OBDORMIAM IN MORTE*, Hebr. המות
hamaveth, id eſt, *morte*, per mortem. 2. ad mortem,
ut Syr. 3. *ne forte dormiam mortem*, ut Arias: id eſt,
ne moriar, ne ſomno lethali obruar. Jerem. 51.
36. vocat mortem ſomnum ſempiternum. Sept.
μήποτε ὑπνώσω εἰς θάνατον Arabs verò, *ne dormiam mor-
tuus*, in ſepulchro velut lecto clauſis oculis compo-
ſitus: ſomnus eſt mors brevis, mors eſt ſomnus per-
petuus.

De oculis corporis, & de oculis mentis poteſt
hic locus explicari. Senſus itaque eſt Primò, in Senſus
his tantis malis, in hoc animi dolore, tanquam in hujus
profundiſſimis noctis tenebris, ſqualidus ac mœ- loci.
rens vivo, verſari in ſumma caligine videor, ocu-
lique fletu caligant. Verùm tu Domine Luce tui
vultûs, gratiſſimaque tua ope & favore mihi oſten-
ſo, diſpelle hanc prementium malorum caliginem,
atque his malis liberatum recrea, ne creſcentibus
malorum tenebris diuturniſſimo mortis ſomno conſo-
piar in moleſtiſſima calamitatum nocte. Ita Theo-
doretus, Euthym. Janſen. Mariana. ὕπνον κατακοιμίσας
θανάτου. id eſt, ſoporem longiſomnæ mortis vocat
Petavius. Ne unquam miſere & infeliciter moriar,
ut ait Genebr.

Secundò, *Illumina oculos meos*, id eſt, oculos
mentis; ſive, ut loquitur S. Auguſt. oculos cordis: 13.
ſive, ut ait Joan. à [illegible]ura, oculos cordis & men- Oculi
tis: id eſt, intellectum & affectum, qui illumi- mentis
nantur lumine gratiæ cœleſtis, ut videant mala vi- qui?
tanda, & bona facienda. Cognitio eſt oculus dex-
ter, affectio eſt oculus ſiniſter, qui eſt in parte
cordis, & poſt cognitionem ſequitur. Ugo Car-
din. contrarium ponit. Eſt, inquit, duplex ocu-
lus, ſcilicet interior, & exterior: & ſicut exte-
rior duplex, ſcilicet ſiniſter & dexter: ita & inte-
rior duplex, ſcilicet oculus cognitionis ſiniſter, &
oculus affectionis dexter. Oculus cognitionis ob-
ſcuratur per ignorantiam, oculus affectionis per
virtutem. Et quandoque illuminatur unus oculus,
ſcilicet cognitionis: & alter obſcuratur, ſcilicet
affectionis. Num. 24. 3. dicit Balaam: Dixit ho-
mo, cujus obſcuratus eſt oculus. Balaam inter-
pretatur vanus populus. Qui enim vanitatem hu-
jus ſæculi quærit, habet oculum affectionis obſcu-
ratum. Fœdus enim iniit cum Naas, qui eruit ocu-
lum ejus dextrum. 1. Reg. 11. 2. dixit Naas: In *Dextrum*
hoc feriam vobiſcum pactum, ut eruam omnium *oculum*
veſtrum oculos dextros. Naas interpretatur ſer- *Naas*
pens, vel auguratus eſt Evæ: Nequaquam morie- *vult erue-*
mini. Sed ad hanc obſcurationem datur remedium, *re.*
1. Reg. 14. 27. ubi dicitur quod Jonathas extendit
ſummitatem virgæ, quam habebat in manu, &
intinxit in favum mellis, & convertit manum ad os
ſuum, & illuminati ſunt oculi ejus. Jonathas in-
terpretatur donum columbæ, & ſignificat illum,

in quo eſt donum gratiæ. Virga eſt rigor juſtitiæ, cujus ſummitas eſt Evangelium, quod perfectam juſtitiam docet. Unde Matth. 5. 20. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Favus mellis eſt miſericordia, quæ eſt in duabus Chriſti naturis, figuratis per mel & ceram, manum ad os convertit, qui quod alios docet, priùs facit. Et cùm virga ſibi favum attrahit, qui per juſtitiam, quam in ſeipſum facit, miſericordiam Dei acquirit. Unde Pſal. 118. Feci judicium & juſtitiam, &c. Et alibi: Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi. Miſericordia ſcilicet Dei miſerentis, & veritas hominis ſe judicentis, & de ſe juſtitiam facientis. Et hoc modo illuminantur oculi Jonathæ.

Allegoricè. Illuminatio petitur per Chriſti Incarnationem danda. Ipſe enim eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Ita Remig. Lomb. Gloſſa, Dionyſ. & alii.

Cauſam, cur petat oculos mentis ſuæ illuminari, petit David: *Ne unquam obdormiam in morte,* id eſt, ne fide extincta mors peccati adveniat. Ut enim ait Caſſiodorus: *Oculi cordis in mortem obdormiunt, quando fidei lumine ſepulto, carnali delectatione clauduntur.* Idem dicit Bruno. Sumpſerunt ex S. Auguſtino, qui ait: Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. Oculos cordis oportet intelligi, ne delectabili defectu peccati claudantur. Ita Auguſt.

13. Moraliter. Peccatum eſt animæ ſomnus. Moraliter nota. Peccatum eſt ſomnus & mors, cùm dicatur: *Ne unquam obdormiam in morte.*

Primò, Ac Primò, peccatum ſomno comparatur, ut declarat Chaldæus, qui vertit: *Illumina oculos meos in lege tua, ne fortè peccem, & dormiam cum eis, qui ſunt rei mortis.* Primò, nox ſomnum conciliat; ita ex mentis caligine oritur peccatum: & ſicut lux magna excitat dormientem, ita & gratia Dei illuſtrans. 1. Theſſal. 5. 7. *Omnes vos filii lucis*, id eſt, Chriſti, ait S. Anſelmus: dicit enim Joan. 8. 12. Ego ſum lux mundi. 2. & meliùs, filii lucis, id eſt, Evangelicæ veritatis, ut explicat S. Chryſoſtomus, *& filii Dei: non ſumus noctis, neque tenebrarum. Ideo non dormiamus* (ſomno peccatorum, delitiæ, ignorantiæ Dei & ſalutis, ait Cornelius) *ſed vigilemus & ſobrii ſimus. Qui enim dormiunt* (qui voluptatibus carnalibus & terrenis indulgent, ut explicat S. Chryſoſtomus) *nocte dormiunt: & qui ebrii ſunt,* nocte ebrii ſunt. Lucem fugiunt veſpertiliones.

Secundò, Secundò, ſomnus uſum ſenſuum tollit, ac præſertim rationem ligat: ita & peccatum prudentiam tollit. Ut enim docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 47. 13. Prudentia propriè non eſt in peccatoribus, ſed tantùm quædam falſa ſimilitudo ejus. Unde peccator ex malis principiis tot inſulſas concluſiones practicas deducit.

Tertiò, Tertiò, ſomnus ſuavitate ſua pigros detinet, ita voluptas peccatores.

Quartò, Quartò, qui dormit, vitam vivit animalem, & pecudibus propriam; non rationalem & Angelicam: ita & peccator Pſalm. 48. 13. *Homo cùm in honore eſſet* (per generoſas actiones) *comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*: nihil agens rationale & ad vitam æternam fructuoſum. Omnis enim actio in peccato mortali facta mercedem in cœlo non habet. Quintò, dormiens variis luditur ſomniis & phantaſmatis: ita & peccator. Eccli. 34. 1. *Vana ſpes, & mendacium viro inſenſato, & ſomnia extollunt imprudentes.* Dicebat Plato: Quid ſunt omnes res & ſpes mortalium, niſi ſomnia vigilantium?

Sextò, Sextò denique, ſomnus eſt mors brevis: in hoc deterius eſt peccatum, quia eſt mors æterna, niſi Deus auxilio prorſus indebito mortuum excitet. Vivit tamen in illa morte peccator, ſed corpore, non animo, ſicut penè in ſomno accidit. S. Ambroſius libro ad virginem lapſam, capite quarto, tom. quarto. *Nunc,* ait, *plangam mortuam & non mortuam: lugent vivam & non vivam.* Ac paulò poſt: *Mortuam utique gloriâ virginitatis, vivam dedecore impudiciæ.* Peccatum eſt ſomnus lethargicus. Oritur ex copioſa & frigidiore pituita, quæ cerebrum immodicè refrigerat & madefacit, mentiſque alienationem atque oblivionem operatur. S. Ambroſius in cap. 5. ad Epheſ. dormitionem peccatoris vocat ſtuporem mentis. S. verò Chryſoſtomus comparat inſomniis ac ſopori ebrioſorum, ac peccatum ait eſſe [illegible] extremam ebrietatem, & ſummum malum. Ugo Cardinalis argutè in Pſalmum noſtrum. *Dormitat in morte, id eſt, in peccato, qui frequenter labitur, & frequenter reſurgit. Dormit, qui cùm ceciderit, non reſurgit. Obdormit obſtinatus, qui peccatum ſuum defendit, nec de facili excitatur. Hæc etiam notantur. Eccli. 43. 22. Frigidus ventus aquilo flavit, & gelavit cryſtallus ab aqua: aqua dormitationem, glacies dormitionem, cryſtallus obdormitionem ſignificat. Hæc eſt triplex mors, ſcilicet delectationis, conſuetudinis, obſtinationis. Quæ notantur. Thren. 3. 53. Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me. In lapſu notatur delectatio: in lacu, conſuetudo: in lapide obſtinatio.* Hæc Ugo.

14. Peccatum eſt mors, & cur? Primò, Secundò itaque, peccatum eſt mors: *Ne unquam obdormiam in morte,* id eſt, in peccato, ut ait Dionyſius Carthuſianus & alii. Primò, mors eſt privatio vitæ: ita peccatum eſt privatio gratiæ. Nam non poteſt ſtare gratia cum peccato. An ſit pura privatio, non diſputo. Vide S. Thomam, qui id negat. 1. 2. quæſt. 72. art. 1. ad 2. Item, quæſt. 72. art. 1. ad 2. Item, 2. 2. quæſt. 162. art. 1. Vide etiam ibi Theologos multos, qui id aſſirmant.

Secundò. Secundò, mors privat uſu oculorum, aurium, &c. ita & peccatum: terrena enim, & vana, atque inutilia videt, audit, loquitur, &c. ſed nulla divina, cœleſtia, atque æternitati utilia.

Tertiò, Quartò, Quintò, Tertiò, mortuus nihil ſentit: ita nec peccator. Quartò, mortuus computreſcit ac fœtet. Quintò, mortuus domo ejicitur. Eadem eſt ſors ſceleratorum, quos Deus & Angeli ob fœtorem atque putredinem à ſe rejiciunt. Ipſos ſubditus ſacros peccatum corrumpit. Iſaiæ 1. 14. *Calendas veſtras* (id eſt, Neomenias, quæ fiebant primo die menſis) *& ſolemnitates veſtras* (feſta omnia, etiam celeberrima) *odivit anima mea, facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens.*

15. Qui vult fugere mortem ſomnū fugiat. Nota ſecundò moraliter. Si vis mortem fugere, ſomnum fuge. Dæmon non occidit niſi dormientes, ſecundo Regum quarto, verſu quinto. *Venientes filii Remmon Berothitæ Rechab, & Baana, ingreſſi ſunt fervente die* (in æſtu tentationis vehementis) *domum Iſboſeth, qui dormiebat* (Chald. Et ille dormiens ſomnum regum) *ſuper ſtratum ſuum meridie* (Judæa eſt regio calida, in regionibus autem calidis multi levem ſomnum captant meridie.) *Et oſtiaria domûs purgans triticum* (ab eo jam triturato tollens lapillos, paleas, & alia) *obdormivit* (præ negligentia, aut fatigatione.) *Ingreſſi ſunt autem domum* (animam, ut Davidi contigit poſt ſomnum meridianum, Bethſabæam aſpicienti, oculi fuerunt duo latrones eum occidentes) *latenter aſſumentes ſpicas tritici* (ſub virtutis prætextu) *& percuſſerunt eum in inguine.* Ibi percutit dæmonium meridianum in medio proſperitatis die ſtertentes. S. Gregorius libro undecimo Moralium decimo octavo. hæc ad mores ſic transfert: *Oſtiaria,* inquit, *triticum purgat, cum mentis cuſtodia diſcernendo, virtutes à vitiis ſeparat. Quæ ſi obdormierit, in mortem proprii domini inſidiatores admittit; quia cùm diſcretionis ſolicitudo ceſſaverit, ad interficiendum animum malignis ſpiritibus iter pandit. Qui ingreſſi ſpicas tollunt, quia mox bonarum cogitationum germina auferunt: atque in inguine feriunt, quia virtutem cordis delectatione carnis occidunt. In inguine quippe ferire eſt vitam mentis delectatione carnis perforare. Nequaquam verò Iſboſeth iſte hac morte ſuccumberet, ſi non ad ingreſſum domûs mulierem, id eſt, mollem cuſtodiam ad mentis aditum deputâſſet. Fortis namque virilíſque ſenſus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ ſomnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat. Unde benè & Iſboſeth appellatus eſt, qui cuſtode fœminâ hoſtilibus gladiis nudatur. Iſboſeth quippe vir confuſionis dicitur. Vir confuſionis eſt, qui forti mentis cuſtodiâ munitus non eſt; quia dum virtutes ſe agere æſtimat, ſubintrantia vitia neſcientem necant. Totâ itaque virtute muniendus eſt aditus mentis, ne quando eam inſidiantes hoſtes penetrent foramine neglectæ cogitationis. Hinc Salomon ait: Omni cuſtodiâ ſerva cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit.* Ita Gregorius. Volens Chriſtus ipſe à tentatione ſervare diſcipulos ſuos, ait Matthæi vigeſimo ſexto, verſu quarto. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem,* id eſt, *ne tentatio vos ſuperet & vincat, & peccato irretitos intra caſſes ſuas teneat,* ut ait ſanctus Hieronymus. Et quidem ſomnolenti in tentationem intraverunt, relicto enim Chriſto fugerunt, ac paulo pòſt, eum negavit Petrus, qui ſomni illius lethiferi mala cognoſcens, monet 1. epiſt. 5. 8. *Fratres, ſobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret,* quaſi dicat, licet ſit leo, licèt circumeat, licèt quærat ſemper vigil, licet devorare exoptet, nihil efficit, ſi vigiletis; ſi verò non vigiletis, vos occidet atque devorabit. Tenebroſa præſertim vitia & nocturno ſomno nimio augentur, & fiunt lethalia. Alexander Magnus cùm

ab

Alexander cognoſcit ex ſomno ſe eſſe hominem. ab adulatoribus Deus prædicaretur, dicebat ſe cognoſcere ex duobus maximè, ſcilicet ex ſomno & concubitu, quòd mortalis eſſet: Somnus enim, mortis imago: concubitus ſpecies eſt morbi comitialis, ut ait Plutarchus in Alexandro. Salomon experientiâ propriâ edoctus, de meretrice ait, Proverb. 2. 18 *Inclinata eſt* (Hebr. incurvata, & ſic ruinæ proxima) *ad mortem domus ejus, & ad inferos ſemitæ ipſius.* Septuag. vertunt, *Poſuit juxta mortem domum ſuam, & penes infernum cum terrigenis orbitas ſuas.* Aquila, flexus ſuos. Symmach. gyros ſuos. In circuitu enim ambulat. S. Chryſoſtomus in Pſ. 50. mulierem vocat ſepulchrum: *Quid eſt*, ait, *mulier ſpecioſa? eſt ſepulchrum dealbatum.* Venerem veteres cognominabant Libitinam, quòd præeſſet mortuorum feretris & ſepulchris, in cujus templo vendebantur & locabantur ea, quæ ad ſepulturam pertinent, ut ait Plutarchus in Problem. ſeu quæſt. Rom. In ſpecubus & locis ſubterraneis, ac fornicibus erant lupanaria: unde & fornicatio nomen invenit. Qui itaque in eos ſpecus deſcendebant, velut ſepulti jam ad mortem, & inferos deſcendere incipiebant. Ad hoc alluſit Salomon, qui pergit, verſ. 19 *Omnes qui ingrediuntur ad eam* (meretricem) *non revertentur* (eſt Minotaurus labyrinthi. Chald. non revertentur in pace) *non apprehendent ſemitas vitæ.* Et cap. 5. verſ. 5. ait: *Pedes ejus* (affectus ipſius) *deſcendunt in mortem* (R. Levi, greſſus ejus mortem fovent & firmant) *& ad inferos greſſus illius penetrant.* De luxuria ait S. Cypr. lib. de Singular. Cler. Per infinita dedecora multiplices mortes invehit in perniciem perditorum. Et verſ. 6. additur: *Per ſemitam vitæ non ambulat, vagi ſunt greſſus ejus* (Septuag. lubricæ ſunt orbitæ ejus. Symm. gyri. Aquila, flexus. Unde ſæpe cadit in præcipitia & mortem) *& inveſtigabiles*, id eſt, non veſtigabiles: quia in æternam abyſſum corruit. S. Cyrill. lib. 4. Apolog. Mor. cap. 9. fingit viperam furibundam ad coitum properantem elephanto qui eſt caſtiſſimus, occurriſſe, & interroganti rem ut erat, falſam eſſe, idque ſe optare ob delectationem, quæ in coitu percipitur: tum verò aptiſſimè ad rem noſtram ſubjeciſſe elephantem: *Scio certè quòd furibunda luxuria oculos non habeat, & ob hoc non poſſis videre quò ruas. Nimirum ad occaſum amantiſſimæ vitæ tendis, ad baſium mortis amariſſimæ proficiſceris, ad morſum cruentæ Libitinis cæca ammaris, duce furore.* Incommoda verò conſequentia poſteà conglobat: *Quid enim eſt coitus, niſi delicioſa pernicies, mors latens, venenoſitas blandiens, dulcis effuſio vitam perdens, amplexus deſtructionem moliens, & ſuavitas dirè fallens? Te ſiquidem delectione contenebras, ac vita privas: canes ad morſus acutiſſimos inſtigat, equum infatuat, cattum furare tormentat, ſtultum paſſerem ſuaviter evacuat, oculos occæcat, fœtore commaculat, rationem obſcurat, beatiſſimam virginitatem violat, & vitæ horam decurtat.* Cum vipera objiceret, naturam actui venereo delectationem indidiſſe, naturæ autem ſapientiam non errare, neque ullum decipere, reſpondet elephas: ideo à natura adjectam delectationem, quòd ſine ea nullus ad eum actum deſcenderet. Viperæ autem potius, quàm alterius animalis exemplum ſumpſit Cyrillus, quia coitus viperæ & mari & fœminæ eſt lethalis, ſi Plinio credimus, lib. 10. 62. *Coeunt complexu ſerpentes, adeò circumvolutæ ſibi ipſæ, ut una exiſtimari biceps poſſit. Viperæ mas caput inſerit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine. Terreſtrium eadem ſola, intra ſe parit ova unius coloris, & mollia, ut piſces. Tertiâ die intra uterum catulos excludit, deinde ſingulos diebus ſingulis parit, viginti ferè numero. Itaque tarditatis impatientes perrumpunt latera, occiſâ parente.* Veneno prægnantes ſunt luxurioſi, & pereunt, ac perire alios faciunt.

16. **Ad ſomnum & mortem evitandam, lux Dei eſt neceſſaria.** Nota tertiò Moraliter; ut ſomnum & mortem evites, illuminatio petenda eſt à Deo, Davidis verbis: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Deus enim ſol eſt æternus, ſapientiam ut radios fundit, à ſapientia eſt hominibus lux & vita. Salomon ait, Prov. 3. 1. & 2. *Fili mi, ne obliviſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat; longitudinem enim dierum* (Septua. ætatis) *& annos vitæ* (longanimitatem, ut ait Lyran. 2. annos vitæ ordinariæ, v. g. 70. aut 80. ſicut præfinit David Pſ. 89. ita Salazar. 3. & melius, vitæ diuturnæ) *& pacem*) conſcientiæ pacem, ait Bayius, 2. Omnem felicitatem, lætitiam, tranquillitatem: hæc enim eſt pax Hebræis) *apponent tibi.* De S. Paulo, S. Chryſoſtomus homilia ultima in epiſtola ad Romanos hæc pulcherrima habet elogia: *Cor Pauli*, ait, *cœlo celſius, terrâ latius, ſolari radio lætius*, igne calentius, adamante firmius. *Cor novâ quâdam vitâ* potius, quàm hac noſtrâ. Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus, inquit. Chriſti ergo cor, erat cor Pauli, Spiritûs ſancti tabula, gratiæ lebes, &c. ita ipſe. **Cor Sancti Pauli divinis radiis lucet.** Cùm ſol ad nos redit verno tempore, incipiunt reviviſcere plantæ, herbæ, flores, arbores, omnia: cùm autem in autumno à nobis recedit, incipiunt cuncta langueſcere atque emori. De ſapientia dicit Salomon Proverb. 3. 16. *Longitudo dierum in dextera ejus, & in ſiniſtra illius divitiæ & gloria.* Solem ſub Jani ſpecie in hunc modum Romani figurabant, velut dies notantem & dantem hominibus. Plin. 34. cap. 7. *Janus geminus à Numa rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, ut 365. dierum nota, per ſignificationem anni, temporis, & ævi ſe Deum indicaret.* Pergit idem Salomon ſapientiam declarare eſſe cauſam vitæ: unde eam comparat vitæ arbori: *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam* (Sept. *qui complectuntur eam.* Non obiter & perfunctoriè eſt capienda. S. Auguſtinus in Pſal. 32. legit, *omnibus poſſidentibus eam*: non exiguo tempore eſt tenenda. S. Hieron. in Ezech. 47. vertit, *omnibus credentibus in eam*: ut magiſtram honoret audi) *& qui tenuerit eam* (recedit ab impiis. Arab. *qui innituntur ei*, ut fulcro atque ſuſtentaculo) *beatus*: non enim cadere patitur ſibi adhærentes. Hebr. lignum vitarum, id eſt, naturalis, & ſupernaturalis, & æternæ. Sapientia dat vitam moraliter, illam impetrando à Deo: dat illam phyſicè, domando paſſiones, docendo temperantiam in cibo & potu, prudentiam dando, ac providentiam in actionibus. Eſt ſapientia arbor vitæ, conſervando vigorem vitæ, id eſt, vires animæ & gratiæ: reſtaurando humidum radicale, & calorem naturalem, id eſt, moderationem in operibus & charitatem: præſervando à morte, id eſt, à peccato. Quod autem ſapientia & virtus cum vitæ donatione, lucem etiam afferat, patet, Prov. 4 18. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens* (Hebr. ארח, *ora*, ſemita: & אור, *or*, lux, habent aliquam inter ſe ſimilitudinem & paronomaſiam. Ab *or* cenſeo deduci auroram, licet alii auroram dictam velint quaſi auream horam, vel auram rorantem, vel ab Arabice voce *azobora*, quæ luciferum ſtellam ſignificat. *Lux* porro ut ait S. Auguſtinus, *Regina oculorum eſt: dies, imago vitæ; non verò mortis.* Noctem itaque & ſomnum relinque: audi Salomonem inclamantem aut verius, in Evangelio luce Chriſtum, Prov. 6. 9. *Uſquequò piger dormies?* Hebr. jacebis: quamdiu dormies, jacabis velut mortuus, vel brevi moriturus) *quando conſurges è ſomno tuo?* Et Paulum Ephel. 5. 14. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus*, ut ſol lunam, & parelium vel ſpeculum ardens & micans. Et Rom. 13. 11. *Hora eſt* (diei gratiæ) *jam nos de ſomno ſurgere:* (Græcè ἐγερθῆναι, id eſt, excitari, non noſtris ſcilicet viribus, ſed gratiæ Dei. Si teipſum non excitas, ne reſiſte excitanti Chriſto, & radiis ſuis oculos tuos aperienti. S. Chryſoſtomus homilia 62. ad popul. Nox præceſſit, inquit, expergiſcamur jam à ſomnis: etenim jucunda ſunt præſentia, ſed ſomniis nihilo minus fallacia. *Nemo debet dormire ſolem cernens.* Pſ. 62. 1. ait David: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* In luce gratiæ, viſo Chriſti ſplendore. Sanctus Hieronymus vertit, de luce conſurgam ad te. Alii, quæram te manè. Alii, ad te maturabo. S. Auguſt. in illum Pſalmum ad rem præſentem aptè inquit: *Illuminat animas Chriſtus; & facit eas vigilare: ſi autem lumen ſuum detrahat, obdormiunt: ideò enim illi dicitur in alio Pſalmo, Illumina oculos meos ne obdormiam in morte. Aut, ſi ab illa averſi obdormiunt, præſens eſt illis lumen, & non poſſunt videre, quia dormiunt. Quomodo & corpore qui dormit inter diem, jam ortus eſt ſol, jam calet dies, & ille tanquam in nocte eſt, quia non vigilat, ut videat jam ortum diem. Sic quibuſdam jam præſente Chriſto, jam prædicat, à veritate tueſt adhuc ſomnus animæ illis. Ergo vos ſi vigiletis, dicite quotidie: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Vita enim veſtra, & mores veſtri vigilare debent in Chriſto, ut ſentiant alii pagani dormientes, & ad ſonum vigiliarum veſtrarum excitentur & ipſi, excutiant ſomnum, & incipiant in*

Chriſto

Chriſto vobiſcum dicere: Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Somnus verò eſt noctis filius. Hyginus ait, lethum & ſomnum pro filiis noctis & Erebi eſſe habitos. Pauſanias in Eliacis refert, vidiſſe ſe inter ſtatuas, quæ eſſent Olympiæ, noctem habitu formâque muliebri, quæ dextrâ puerum album dormientem tenebat, lævâ nigrum dormienti ſimilem, utrumque diſtortis pedibus: fuiſſe autem alterum θάνατον, id eſt, mortem: alterum ὕπνον, id eſt, ſomnum.

PSALMUS DECIMUS TERTIUS.

1. *In finem, Pſalmus David.*

1. DIxit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.
2. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.
3. Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum: ut videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.
4. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.
5. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant: venenum aſpidum ſub labiis eorum.
6. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.
7. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt: non timor Dei ante oculos eorum.
8. Nonne cognoſcent omnes, qui operantur iniquitatem: qui devorant plebem meam ſicut eſcam panis?
9. Dominum non invocaverunt: illuc trepidaverunt timore, ubi non erat timor.
10. Quoniam Dominus in generatione juſta eſt, conſilium inopis confundiſtis: quoniam Dominus ſpes ejus eſt.
11. Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël? cùm averterit Dominus captivitatem plebis ſuæ, exultabit Jacob, & lætabitur Iſraël.

PSALMI DECIMI TERTII ANALYSIS.

David in hoc Pſalmo oſtendit
- Athei impietatem. 1.
  - Mentis
    - In intellectu Deum negando. 1.
    - In voluntate,
      - Peccatis eum corrumpendo. 1.
      - Virtutis actus omittendo. 1. 2. 3.
  - Oris,
    - Luxuriâ fœtidi. 3.
    - Dolis infeſti. 3.
    - Adulatione venenati. 3.
    - Maledictione execrabilis. 3.
    - Detractione fellei. 3.
  - Operis
    - Pedibus ad cædes currendo. 3.
    - Manibus omnia conterendo & turbando. 3.
    - Oculis vana non Deum aſpiciendo.
- Trepidationem ejus. 5. continuam inflictam à Deo. 4. quem
  - Nec in ſe, intellectu Atheus cognoſcit. 4.
  - Nec in plebe ei ſubdita, benigno affectu reveretur. 4.
  - Neque ore invocat. 5.
  - Ideo ultorem terrificum experitur. 5.
- Juſtorum exultationem, quos fovet Deus. 6.
  - In hac vita,
    - Cum illis manendo per fidem & charitatem. 6.
    - Spe certâ illos conſolando in adverſis. 6.
  - Et in futura,
    - Salute perfecta datâ. 7.
    - Captivitate mundi ſublatâ. 7.
    - Corporis exultatione conceſsâ. 7.
    - Et animi lætitiâ. 7.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. *In finem, Pſalmus David.*

1. In hoc Pſalmo David execratur impios, & quos? 1. Saulem. 2. Nabuchodonoſorem.

DE titulo actum eſt Pſalmo quarto. Argumentum Pſalmi, eſt deteſtatio impietatis eorum, qui Deum negant, & corruptis ſunt moribus. Primò, de Saüle, ac ejus familia, ac ſubditis explicat Peregrinus Heres: ſpeciatim ob conſultam Pythoniſſam Deo relicto. 1. Reg. 28. De Saüle exponit S. Chryſoſtomus. Secundò, de Sennacherib Aſſyriorum rege Judæam bello vaſtante, & Rabſacem mittente, qui civibus Jeroſolymæ blaſphemans diceret. 4. Reg. 18. *Dicite Ezechiæ: Ne te decipiat Deus tuus, cui tu ipſe confiſus es,* &c. De Sennacherib, inquam, intelligit Theodoretus, Euthymius, Nicephorus, Blemmidas, Beda, Trevetus. Tertiò, R. Salomon ait, Pſalmum eſſe ſumendum de Nabuchodonoſore rege Babyloniorum, qui blaſphemavit Deum Iſraël verbo & facto, quando juſſit incendi ejus templum per Nabuzarda, quod non feciſſet, ſi reputâſſet eum eſſe verum Deum. In eadem ſententia eſt Lyranus. Quartò, de Judæis Chriſtum eſſe Deum negantibus, eúmque contemnentibus, & perſequentibus explicant S. Auguſtinus (qui ex titulo id colligit, *in finem*, id eſt, in Chriſtum, ut ipſe ait) S. Hieronymus, Caſſiodorus, Beda, Remigius, Dionyſius, Thomas Anglicus, Burgenſis, Haymo, Ugo Cardinalis & alii multi. *In titulis*, ait Caſſiodorus, *juſtè finis frequenter repetitur; ut ſemper ad omnipotentem Chriſtum audientis animus erigatur. Sed finis iſte variis ſignificationibus ſenſum noſtrum transmittit ad Dominum: nunc tribulantium confeſſione, nunc exultatione lætantium, nunc docentis affectu, nunc comminatione judicii. Modò tamen Pſalmus hic Judæorum vesaniam vehementi increpatione caſtigat, aſper invectionibus, terribilis prophanis, amarus incredulis, ut hæc increpatio meritò ſanctæ detur Eccleſiæ: contra cujus propoſi-*

4. Judæos.

propoſitum demens perfidiæ pravas intentiones nititur exci- ture. Sed hic ſenſus eſt Allegoricus.

5. Et plenius omnes ſcelera- tos. Quintò, & meliùs, de quolibet impio, qui Deum factis, non verbis negat, intelligit Joannes à Paſtu- ra, & S. Thomas, qui præſertim de Judæis expo- nit: & Bellarminus, qui præſertim de Gentilibus: generaliter ad omnes extende. Deſcribit enim, ut ait Janſenius, multitudinem malorum, qui ſibi per- ſuadentes Deum non eſſe, nec illum agnoſcere ſtu- dentes quidvis facere & dicere pro oppreſſione ju- ſtorum non verentur: quos tandem vel ſuo malo Deum cognituros, ſub Dei introducta perſona aſ- ſerit, quando cum illorum gravi ultione, juſti à Deo liberantur ab injuſta eorum violentia. Et quidem S. Paulus Pſalmum iſtum citat, Romanorum ter- tio, verſu nono, tam contra Judæos, quam contra Gentiles, Deum non glorificantes, & malè viventes. Sexto & maximè propriè, ad omnes atheos Pſalmus extenditur.

DIVISIO TOTIUS PSALMI.

DUO continet. Primò, Athei impietatem in corde, opere, & locutione, Verſ. 1. ad 4. Secundò, ejus punitionem, & juſti exultationem, Verſ. 4. ad finem.

SECTIO PRIMA.

TRIA dicit. Primò, Atheos corruptos eſſe in intellectu, & voluntate, Verſ. 1. & 2. Secundò, eſſe corruptos in operibus ſuis, Verſ. 3. Tertiò, eſſe corruptos in ore, & lingua, Verſ. 3.

PARAPHRASIS.

1. *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.*

1. Ad tantam veſaniam prolapſi ſunt athei, ut Deum non eſſe credant. Ex hac intellectûs corruptione, tanta in voluntatem depravatio manavit, ut in affectibus ac deſideriis ſuis facti ſint putridorum inſtar cadaverum abominabiles. Nec ſit vel unus inter illos, qui ex virtute mores ſuos componat.

2. *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum; ut videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.*

2. Neque id temerè illis affingo. Deus enim è cœlo carnales hos homines aſpexit, ut videret, num quis in tanto reperiretur numero, qui majeſtatem ſuam cognoſceret, bonitatem amaret, voluntatem ſequeretur.

3. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.*

3. Sed omnes à juſtitiæ lumine, & ſapientiæ ſeminis aberrâſſe cognovit: adeóque corruptis eſſe moribus, ſibi ut prorſus inutiles, vitiis ſuis ſtudeant. Neque vel unus ex illis opus omnibus expletum numeris conficit.

QUÆSTIO UNICA.

Quàm perverſum ubi cor, lingua, & corpus integrum?

3. Atheus in omnibus eſt corruptus. PRopheta noſter atheos proponit, veluti purulentum apoſtema, quod ex omni parte ſaniem profundit: nimirum ex intellectu, voluntate, gutture, lingua, labiis, ore, pedibus, manibus, oculis, toto corpore.

1. In intellectu. Primò, intellectus eorum cæcatus eſt, ex quo tabificus fluat ſanguis impietatis. Verſ. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*

2. In voluntate. Secundò, voluntas ipſorum eſt putrida, & gangræna corrupta. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.*

3. In operibus. Tertio, Opera omnia vermibus ſcatentia, & à vermibus semeſa, venenóque ſuffuſa: *Non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.*

Certitudinem porrò aſſertionis ſuæ profert ex eo, quod Deus illos viderit, & cognoverit eſſe ſine intellectu ſano. Verſ. 2. *Dominus de cœlo proſpexit, ut videret, ſi eſt intelligens*: & ſine voluntate rectè amante, *aut requirens Deum.* Statim enim additur Verſ. 3. *Omnes declinaverunt.* In operibus quoque nihil eſſe integri vidit Deus, ſed velut paralyſi omnia membra eſſe diſſoluta: *Simul inutiles facti ſunt: non eſt uſque ad unum.*

4. In gutture. Quarto, Guttur illorum ait eſſe fœtidum, ob verba obſcœna. Verſ. 3. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.*

5. In lingua. Quintò, linguam fallacem, propter fraudes. *Linguis ſuis doloſè agebant.*

6. In labiis. Sextò, Labia venenata, propter adulationem. *Venenum aſpidum ſub labiis eorum.*

Septimò, Os maledictionis plenum, ob blaſphemias in Deum: *Quorum os maledictione* plenum eſt. 7. In ore.
Et virulentu amarore in proximum redundans, per detractiones, contumelias, jurgia, rixas, minas, aliáque: *Et amaritudine plenum eſt.*

Octavò, Pedes ſuos impendunt, ut in pauperes innoxios involent. Verſ. eod. 3. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* 8. In pedibus.

Nono, manibus utuntur, ut obvios quoſque, præſertim pauperes, obterant: *Contritio & infelicitas in viis eorum.* 9. In manibus.

Decimò, Corpore toto juſtos propellunt, & agitant, proſternúntque: *& viam pacis non cognoverunt.* 10. In toto corpore.

Undecimò, Oculos præſertim à cœlo in terram avertunt, ne terreantur, & à ſcelere avocentur: *Non eſt timor Dei ante oculos eorum.* 11. In oculis præſertim.

ARTICULUS I.

Atheus omnis eſt ſtultus.

MOnſtrum, velut vaſtâ mole Polyphemum oſtendit David atheum effoſſis oculis ſine lege vagantem errantémque, Verſu primo. DIXIT INSIPIENS IN CORDE SUO: NON EST DEUS. Primò, abſolutè, & ſimpliciter negat eſſe ullum Deum; ſed hoc vix reperitur. Secundò, negat Deum ſecundùm ſua attributa, v. g. eſſe infinitè bonum, ſapientem, juſtum, potentem, &c. Nota Hebr. אלהים *elohim*, ſignificat Deum ut judicem, & gubernatorem. Senſus itaque eſſe poteſt: dixit, id eſt, cogitavit, ſibi perſuadere conatus eſt inſipiens, non eſſe Deum, qui videat, curet, ac judicet actiones hominum, qui omnium dominium ſupremum & providen- tiam 4. Verſ. 1. 1. Pars. Atheus negat Deum, & quomodo.

tiam habeat totius mundi. Ita Janſenius, Dionyſius, Bellarminus. Hac autem cogitatione nihil eſt magis impium, nihil magis inſulſium & vecors. Plato apud Euſeb. lib. 12. de præparat. Evang. cap. 50. atheorum opinionem fortuito caſu molem hanc terream, elementaque, & cœlos factos eſſe judicantium, ait, eſſe [illegible], id eſt, *ſtultam opinionem*. Et maximus Tyrius ſui temporis gigantes cœlo bellum inferre, Jovemque inde throno dejectare molientes, orat. 1. appellat [illegible], id eſt, *mente concioſas*. q. d. eſſe veluti truncos ſine pedibus & manibus, oculiſque, unicu extuberanti ore chilones, atque labeones, linguâ exertâ putridum & ſanioſum ſputum in aërem eructantes, quod eorum in faciem eroſam, & tabo fluentem recidat. S. Joannes Damaſ. qui arcana fidei illuminatiſſimâ mente penetravit, ait, negationem Dei eſſe *ſtultiſſimum, & malorum omnium peſſimum perditionis baratbrum*. Contrà verò, ſcientia de Deo eſt ſapientia, ut docet S. Thom. 1. p. quæſt. 1. art. 6.

Maximum eſt hoc ſcelus.

Nota, Hebr. נבל *nabal*, ſignificat nebulonem, ut vertit Arias: ſtultum, ut Pagn. & S. Hieron. imprudentem, ut legit S. Auguſt. [illegible], id eſt, ſine mente, ut ſept. Rad. eſt *nabal*, cadere, emarceſcere, elangueſcere, humore & ſucco naturali deſtitui, flacceſcere. *Nabal* itaque, ait Mercerus, dicitur, qui eſt nequam, homo nihili, amens, [illegible], inſipiens, ratione & cerebro, & ingenii vigore deſtitutus, depravatus, fatuus, inſulſus, in publicam honeſtatem, vel manifeſtum Dei verbum peccans, omni ſapientia & virtute vacans, in quo ne mica quidem ſit bonæ mentis, in quo nihil ſucci eſt. Secundò, nota, Chald. טפשא *taphſa*, ſignificat craſſum rudem, ineptum, ſtultum, ſtolidum, ſtupidum, bardum: craſſo pingui, hebeti ac ſtupido ingenio. Rad. *tepha*, id eſt, impinguari, pinguefieri, incraſſari. Et metaphor. craſſum, obtuſum, ſtultum eſſe, vel fieri. De atheis prætertim divitibus dic cum Rege noſtro, Pſ. 72. 7. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum*. Et Deuter. 32. 15. cum Moyſe: *Incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum.* Syrica vox עולא, *awala*, id eſt, iniquus, perverſus, defraudator. Rad. *Juvel*, iniquè agere, defraudare: hinc etiam deducitur עולא *ula* quod ſolis punctis differt ab *aavala*, & ſignificat pullum aſini, aſellum. Athei ſunt aſelli, aut potius magni aſini. Arabica vox *giabel* ſignificat ignarum, ut vertit Gabriel Sionita, & Victorius Scialac: immanem, immitem, impium, ut explicat Aben Ezra.

5. Atheus eſt homo nihili, ſtultus, &c.

Nota itaque tertiò, Atheus 1. eſt nebulo, & homo nihili. 2. eſt imprudens. 3. ignarus. 4. ſtupidus. 5. ſtultus. 6. bardus. Alia colliga ex verſionibus illis.

6. Deum eſſe in corde ſuo negat atheus, & quomodo?

Quæres, Quare dicat inſipiens *in corde ſuo* non eſſe Deum? Reſp. 1. S. Hieronymus, qui id de infideli exponit: quia non auſus eſt dicere, nec deorum ſuorum numina violaret. Secundo, acutè reſpondet S. Chryſoſtom. *Dixit inſipiens in corde ſuo; non eſt Deus. Eſt enim ubique: ſed non eſt in corde inſipientis* Sap. 1. 4. *in malevolam* (S. Hieronymus, in c. 18. Jerem. & 8. Zachar. vertit, in perverſam) *animam non introibit ſapientia: nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*. Pſ. 57. 6. *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem*, nempe Deum. S. Hieronym. vertit: Quaſi abortivum mulieris, quod non vidit Solem. Chald. ſicut abortivum, & talpa cæca, quæ non vident. Solem. De omni peccatore hæc poſſis dicere. Nam, ut ait S. Paulus epiſt ad Tit. 1. 16. *Confitentur* (hoc, eſt, profitentur) *ſe noſſe Deum, factis autem negant: cùm ſint abominati* ([illegible], id eſt, abominabiles. S. Hieron. vertit, execrabiles) *incredibiles* ([illegible], id eſt, increduli. Syr. imperſuaſibiles. S. Hieronymus, inobedientes. Alii, intractabiles) *& ad omne opus bonum reprobi*: qui tollit radicem fidei, tollit omnem fructum operum. S. Hieron. ibi eximiè: *Chriſtus*, inquit, *eſt ſapientia, juſtitia, veritas ſanctitas: negatur per inſipientiam, ſapientia: per iniquitatem, juſtitia: per mendacium, veritas: per turpitudinem, ſanctitas: per imbecillitatem, animi fortitudo: & quoties vitiis vincimur, Deum negamus. E contrario quoties boni quid agimus, non ore, ſed reipſa Deum confitemur.* 1. ad Timoth. 5. 8. dicitur, eos qui domeſticorum curam non habent, fidem negaſſe, & eſſe infideli deteriores Inſipiens eſt omnis peccator, quia non ſapit ei ſapientia divina. 1. Cor. 2. 14. *Animalis homo* (qui non rationem, ſed concupiſcentiam ſequitur) *non percipit ea, quæ ſunt ſpiritûs Dei*. Vide S. Bernard. de vita ſolitaria, poſt initium. Peccator inſipiens eſt, quia, ut ait S. Gregorius: Quid inſanius, quàm pro momentanea delectatione æternis ſe mancipare ſuppliciis? Caret peccator prudentiâ, ut monet S. Chryſoſt. in Pſalm. ubi eam extollens ait: *Prudentia eſt*, [illegible], *lucerna animæ, regina cogitationum, magiſtra morum, quæ bona ſunt & honeſta*. Ait eum feciſſe cor ſuum, [illegible], templum impietatis. Ibi ſunt varia idola.

Tertiò, & melius S. Auguſtin. *Dixit imprudens* (ſic ipſe legit) *in corde ſuo: non eſt Deus: quia hoc nemo audet dicere, etiamſi auſus fuerit cogitare*. q. d. omnes creaturæ arguerent mendacii eum, qui hæc diceret, in illum involarent, ei os ut venenatum fontem, & ſtygis fornacem atque hiatum concluderent. Ut enim ait S. Chryſoſtomus: *Qui quinque, vel ſeptem teſtimonia vult in teſtamentis evertere, per conſenſum reprobatur & rejicitur, quando judicat veritatem* [illegible], *publicam autem totius orbis & univerſam mundi linguam ſolus vult inſipiens evertere?*

7. Deum eſſe, per ſe notū eſt, ut vult Albertus.

Quæres ſecundò, An eſt per ſe notum eſſe Deum? Reſp. primo Albertus 1. p. tr. 4. membro 2. Abulenſis quæſt. 2. in cap. 5. Exod. S. Anſelmus in proſologio cap. 3. & 4. hanc propoſitionem *Deus eſt*, eſſe per ſe notam tam ſecundum ſe, quàm ſecundum nos. Ratio eſt, quia Dei cognitio indita eſt hominibus à natura & homines naturaliter cognoſcunt Deum. Pſal. 4. 7. *Signatum eſt* (Tertull. lib. 5. contra Marcion. cap. 11. ſignificatum eſt. Symm. [illegible]. inſigne fac) *ſuper nos lumen vultus tui Domine*. Vide illum locum. Idem Tertullianus in Apolog. adverſus Gentes cap. 17. in medio ait: *Hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt*. Arnobius lib. 1. adverſus Gentes, non multum ante medium: *Quiſquam ne eſt hominum, qui non cum iſtius Principis notione, diem primæ nativitatis intraverit, cui non ſit ingenitum, non affixum, imò ipſis penè in genitalibus matris non impreſſum, non inſitum eſſe Regem ac Dominum cunctorum, quæcunque ſunt, moderatorem.* Minutius Felix in dialogo, qui inſcribitur Octavus: *Quid poteſt eſſe tam apertum, tam confeſſum, tamque perſpicuum, cùm oculos in cœlum ſuſtuleris, & quæ ſunt infra circaque luſtraveris quàm eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo omnis natura inſpiretur, alatur gubernetur.* Deinde ut ait S. Anſelmus, audito Dei nomine, omnes concipimus id, quo majus cogitari non poteſt. Itaque ſtultum eſſe oportet eum qui in corda ſuo Deum negare contendat.

Reſpondeo tamen ſecundò cum S. Thoma. 1. p. q. 2. art. 1. Durando in 1. d. 3. q. 3. Richardo d. 3. q. 2. Herveo ead. d. & q. Faiolo in 1. p. q. 2. art. 1. hanc propoſitionem, *Deus eſt*, conſideratam ſecundùm ſe, eſſe per ſe notam: ſed comparatam cum intellectu viatorum, & connaturali modu intelligendi noſtro, non eſſe per ſe notam nobis. Prima pars probatur ratione S. Thomæ, quia *ex hoc aliqua propoſitio eſt per ſe nota, quòd prædicatum includitur in ratione ſubjecti, ut homo eſt animal, eſt de ratione hominis*: Atqui in hac propoſitione, *Deus eſt*, prædicatum idem eſt cum ſubjecto, Deus enim eſt ſuum eſſe, ut docet S. Thomas quæſt. 3. art. 4. igitur neceſſe eſt propoſitionem illam eſſe notam ſecundùm ſe: eſt enim cognoſcibilis per ſolam cognitionem ac penetrationem ſuorum terminorum, id eſt, ſubjecti & prædicati, abſque ulla dependentia ab alio medio termino, cujus tertii termini notitia, præter notitiam ſuorum terminorum, ſit neceſſaria ad notificandam illam propoſitionem. Si enim eſſe pertinet intrinſecè ad rationem formalem Deitatis ita ſe habet reſpectu illius, ut ne noſtro quidem intelligendi modo cum fundamento in re poſſit in Deo concipi prior aliqua cauſa ſeu ratio, propter quam Deitati conveniat eſſe. Itaque hæc propoſitio, *Deus eſt*, propoſitio eſt immediata, id eſt, quæ non eſt à priori demonſtrabilis.

8. 2. & verius, Deum eſſe, per ſe notū eſt, non ſecundùm ſe.

Secunda tamen pars, nempe quòd Deum eſſe non ſit per ſe notum quoad nos, probatur ratione S. Thomæ, *quia*, inquit, *nos neſcimus de Deo quid eſt: ergo hæc propoſitio, Deus eſt, non eſt nobis per ſe nota; ſed indiget demonſtrari per ea, quæ ſunt magis nota quoad nos, & minus nota quoad naturam, ſcilicet per effectus.* Nullus enim creatus intellectus poteſt naturaliter habere de Deo conceptum quidditativum per ſe & immediatè, ſive intuitivè; ſed ſolum mediatè, & per aliud: id eſt, per mediatum conceptum creaturarum, à creaturis abſtractum.

9. Deum eſſe, facilè cognoſcitur per diſcurſum.

Quæ-

Quæres tertiò. Si non eſt per ſe notum quoad nos, Deus eſt: cur vocatur inſipiens, qui illum in corde ſuo negat? Reſpondeo, quia habemus naturalia principia ſenſuum, & luminis rationis quibus licèt per diſcurſum ex effectibus, tamen facilè, & abſq; ullo doctore poſſumus venire in cognitionem exiſtentiæ Dei. S. Thomas q. 10. de veritate, art. 12. ad 1. *Cognitio*, inquit, *exiſtendi Deum dicitur omnibus naturaliter inſerta: quia omnibus naturaliter inſertum eſt aliquid, unde poteſt pervenire ad cognoſcendum Deum eſſe*: Pſ. 18. 1. *Cæli enarrant* (Hebr. *me ſafferim*, id eſt, ſigillatim numerant, menſurant, velut in libro legendam exhibent) *gloriam Dei*. Chald. ad rem noſtram aptè: *Qui inſpiciunt cælos, enarrant gloriam Domini*. Apertiùs probatur ex Sap. 13. 5. *A magnitudine enim ſpeciei* (id eſt, formæ & pulchritudinis Solis, lunæ &c.) *& creaturæ, cognoſcibiliter* (ἀναλόγως, id eſt, per proportionem, ut habet verſio Latina Sixti. S. Gregor. 26. Moral. 8. intelligibiliter. S. Chryſoſtomus, hom. 4. in Geneſ. decenter) *poterit creator horum videri*. S. Dionyſ. c. 4. de divin. nomin. part. 1. Deum vocat cauſā bonitatis effectricem, & ſpeciei, & pulchritudinis omnium pulchrorum, [illegible], omne pulchrum, & ſuper pulchrum, omnium principium, velut cauſam efficientem.

Prima demonſtratio. Prima demonſtratio, quòd Deus ſit, peti poteſt à motu, ut facit Ariſtot. Phyſ. 7 & 8. & Metaph. 9. In rerum natura eſt primum aliquod movens omnia alia, quod ipſum à nullo movetur. Omnia enim quæ moveri experimur, moventur ab alio: quod enim movet, eſt actu: & quod movetur, eſt in potentia, & nihil eſt ſimul in actu & potentia ad idem. Omnis autem motus ejus, quod movetur ab alio, debet neceſſariò venire ab aliquo primo movente immobili: moventis prioris: ſicut baculus non movet lapidem, niſi per hoc quòd eſt motus à manu, neque poteſt in hoc eſſe proceſſus in infinitum: quia tunc nullus eſſet motus, cùm nunquam terminari queat proceſſus in infinitum.

Secunda demonſtratio. Secunda demonſtratio, quòd Deus ſit, petitur ex ratione cauſæ efficientis, ut docet Ariſtot. l. 2. Metaph. text. 6. & S. Anſelmus in monologio cap. 3. Nam eſt in rerum natura cauſa quædam efficiens prima, quæ ipſa videlicet non ſit ab alia, alioqui daretur proceſſus in infinitum, quod eſt impoſſibile in productionibus: quia nulla cauſa media quicquam efficit, niſi ut eſt à cauſa priore, nullus autem infinitus proceſſus poteſt unquam compleri. Sic Paulus docet ex aſpectu creaturarum Philoſophis innotuiſſe Deum & ejus attributa, Rom. 1. 19. *Quod notum* (γνωστὸν, id eſt, cognoſcibile, naturaliter ſcilicet) *eſt Dei, manifeſtum eſt in illis*, hoc eſt, illis, in eorum mente, intellectu, conſcientia) *Inviſibilia enim ipſius* (Angeli, ut dicit Origenes, 2. eſſentia divina inviſibilis, ut S. Thomas. 3. attributa Dei ſpiritualia: ut eſſe æternum, immenſum, omniſcium, optimum, maximum, ut Cornelius) *à creatura mundi* (per res creatas, & totius mundi fabricam, ut S. Chryſoſt. & S. Auguſt. tract. 2. in Joan.) *per ea, quæ facta ſunt, intellecta* (hinc poteſt eſſe opus diſcurſu) *conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus* (δύναμις, id eſt, potentia, ut S. Thomas ait) *& divinitas*, id eſt, eſſentia divina & majeſtas; nempe, Deum eſſe primum ens perfectiſſimum, à quo omnia dependent, à quo omnia bona expetuntur, & mala omnia avertuntur. Deum eſſe ultimum finem omnium rerum & operum, maximè humanorum: ideòque colendum eſſe latriâ, precibus, votis, ſacrificiis, gratiarum actione. *Ita ut ſint excuſabiles, quia, cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.*

S. Gregor. Naz. orat. 2. de Theologia, aliquantò poſt initium, ait: *Lex naturæ per ea, quæ cernitur ordine diſpoſita elegantiſſimo, Principē quondam horum auctorem eſſe, ratiocinando concludere.* Ratiocinatio autem, quæ conjungitur cum lege naturæ, eſt certa & evidens. Affert deinde ſanctus hic Pater comparationem citharæ, cujus auditâ melodiâ & grato ſono artificem & citharœdum cognoſcimus; unde concludit, eſſe hebetis ingenii, qui naturalium demonſtrationum veſtigiis Deum non agnoſcat. Orpheus ſic ait, *Mundi machina eſt muſica & admirabilis conſonantia, prædicans & laudans Deum.*

S. Chryſoſt. in Pſ. noſtr. multa coacervat, quibus ſtultitiam negantis Deum oſtendat. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus: Non eſt ſtructor, & quonam modo ſtat ædificium? Non eſt carina, & quomodo conſiſtit navigium? Non eſt fabricator navis, & quonam modo navis comparata eſt? non eſt ædificator, & quomodo domus facta eſt? Non eſt architectus, quis urbem condidit? Non eſt agricola, & quomodo agri tulêre manipulos? Non eſt muſicus, & quomodo [illegible] in mundi lyra apparet concentus? Non eſt qui provideat, & quomodo per omnia pervadit providentia? Non eſt auriga, & quomodo elementorum quatuor currus agitur? Non eſt ſtatuarius, & quomodo homines velut quædam ſtatuæ in mundo facti ſunt? Non eſt fornicis conſtructor, & quis tibi cæli fornicem conſtruxit? Non eſt aurifex, & quis [illegible], veluti diſcum aureum tanquam in menſa ſolem in cœlo poſuit? Non eſt qui ferat lampadem, & quis tibi veluti [illegible], lampadem argenteam, dedit lunam in nocte? Non eſt qui illuminet, & quis tibi clara & lucem præbentia dedit luminaria? Non eſt qui faciat ſolus magna lumina, & quis [illegible], accenſos aſtrorum lychnos tibi in cœlo poſuit? ſicut ait Propheta Pſal. 135. 7. Qui facit luminaria magna ſolus: ſolem, ut præſit diei: & lunam, ut præſit nocti. Non eſt opifex, & quomodo pulchritudo creaturarum teſtatur creatorem?* Ita Chryſoſtomus.

Tertia demonſtratio. Tertia demonſtratio petitur ex ratione entis contingentis, & entis neceſſarii. Eſt enim in rerum natura aliquod ens neceſſarium, quod fuit ſemper, & quod non habet cauſam ſuæ neceſſitatis. Omne enim contingens aliquando non fuit: ſi igitur omnia eſſent contingentia, aliquando nihil fuiſſet: ſi autem aliquando nihil prorſùs fuit, quis omnia creavit?

Quarta demonſtratio. Quarta demonſtratio petitur ab admirabili rerum gubernatione. Eſt enim aliquod ens perfectiſſimum & ſapientiſſimum, à quo res omnes naturales in fines ſuos diriguntur. Videmus enim creaturas omnes tendere ordinatè in finem ſuum, à ſe autem ipſis moveri non poſſunt, cùm ratione careant. S. Cyprian. lib. de idololatria: *Rex unus*, inquit, *eſt apibus, & dux unus gregibus, & in armentis rector unus: multò magis mundi unus eſt rector, qui univerſa quæque ſunt, verbo jubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat. Hic nec videri poteſt, viſu clarior eſt: nec comprehendi, tactu purior eſt, nec æſtimari, ſenſu major eſt: & ideò ſic eum dignè æſtimamus, dum inæſtimabilem dicimus.*

Quinta demonſtratio. Quinta demonſtratio, quòd Deus ſit, petitur à communi conſenſu nationum omnium. Urbes, ait Plutarch ſine muris, civitates ſine legibus quaſpiam fortè reperies; nationes verò ſine numinis alicujus ſenſu nullas invenies. Aliquæ non ita pridem ſine Dei cultu repertæ ſunt nationes, ſed feris ipſis pejores. Xenophon libro. 1. memorabil. Socratis: Urbes, ait, & nationes ſapientiſſimæ Deum colunt, & hominum ætates prudentiſſimæ. Atque ut ne vager per ſingulas, ab Athenienſibus vides Protagoram proſcriptum, quòd in libri ſui principio poſuiſſet: De Diis neque ut ſint, neque ut non ſint, habeo dicere. Anaxagoram Clazome-

nium, qui ſolem, quem Athenienſes ut Deum colebant, dixiſſet eſſe ſaxum ignitum, ad necem eſſe damnatum. Apud Judæos blaſphemi lapidabantur. Adde, Atheum Pharaonem cum exercitu à Deo eſſe ſubmerſum aquis maris rubri. Exercitum Sennacherib regis Aſſyriorum aër peſtilens, ut quibuſdam placet, unâ nocte delevit. Nabuchodonoſorem Babylonis regem terra fecis junxit, earumque cibo ſolo aluit. Sic omnia elementa in Atheos exurgunt, & in Dei contemptores atque cultores idolorum. Ut enim ait S. Chryſoſt. in Pſal. noſtr. *Sicut maritorum multorum multitudo efficit, ut non cenſeatur maritus: ita multorum Deorum cultus eſt impietas, & perindè eſt ac ſi nullum colas: multorum enim Deorum admiſſio, eſt unius negatio.* Ita Chryſoſt.

Conclude cum eodem ſancto Patre, qui priùs dixerat: *Quæcunque in mundo fiunt, aguntur, & exercentur, habent, qui eis præſit, eaque perficiat: & ſolus mundus non habet, qui eum adminiſtret. Si non eſt Deus, quid facis in iis, quæ Dei ſunt? In domo Dei manes, & domum Dei inficiaris? aut* [illegible] *da mercedem domus gratiarum actionem, vel domo egredere: cur etiam ſumo cruciatui maledictis atque blaſphemiis domum imples?* S. Auguſt. ait, animum ad rationem reflectenti, facilius eſſe dubitare, an ipſemet vivat, quàm utrum vivat, illa veritas æterna, cujus ſempiterna virtus & divinitas ſuis in operibus dignoſcitur. Ita Atheos cum Propheta noſtro eſſe inſipientes proclama, & cum S. Juda dic, eſſe *animales, ſpiritum non habentes.*

ARTICULUS II.

Atheus eſt moribus & affectibus corruptiſſimus.

Vers. 1. 2. Pars.

FOnte intellectûs corrupto, in voluntate & toto corpore ſequatur corruptio neceſſe eſt. Verſ. 1. *CORRUPTI SUNT* (Chald. *corruperunt opera ſua.* Ex te perditio tua. Gr. διεφθάρησαν, corrupti ſunt, in emendatis libris, διέφθειραν corruperunt: Hebr. *hiſhitu*, corruperunt, ut Felix vertit. Eſt enim verbum activæ ſignificationis in Hiphil. Pagn. corruperunt viam ſuam: vel meliùs, ſtudium ſuum: ſequitur enim) *ET ABOMINABILES FACTI SUNT IN STUDIIS SUIS*, id eſt, in deſideriis & affectionibus ſuis, in operibus ſtudiosè & ex malitia factis. S. Hier. *ſtudiosè.* Felix, *abominabile fecerunt ſtudium.* Pagn. abominabile fecerunt opus. Arias facinus. Petavius, abominabiles facti ſunt in omnibus factis & ſtudiis.

2. Atheus eſt corruptiſſimus.

Quæres, de qua corruptione & abominatione agitur? Reſp. primò Genebr. agi de corruptione intellectûs & voluntatis: ad ſolam voluntatem reſtringit Bellarm. meliùs ad illas aliaſque potentias, ſenſus omnes & opera extendes. Nihil intactum relinquit impietas; cancer, gangræna & peſtis per totius hominis animam & corpus proſerpens, omniaque corrodens & inficiens: ſicque fit abominabilis & execrabilis Deo & hominibus. Corrumpitur peccato ſceleratus, abominabilis fit conſuetudine peccandi, ut ait S. Thomas & Ugo. Corrumpitur primò in mente & voluntate: abominabilis fit, cùm corruptio ad carnem defluxit. Oſeæ 9. 10. *Quaſi uvas in deſerto, inveni Iſrael: quaſi prima poma ficulneæ in cacumine ejus, vidi patres eorum* (id eſt, mihi fuerunt grati, ſicut uvæ ſitienti viatori, & ſicut primæ & præcoces ficus eſurienti) *ipſi autem intraverunt ad Beelphegor* (id eſt, ad Priapum) *& abalienati ſunt in confuſionem* (ad confuſibile & pudendum idolum, quod libidinibus colebant) *& facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt.*

Vatab. vertit, ſecundùm amorem eorum, ſupple meretricum, quæ ad idolum attraxerunt. Arabs aptè ad Pſ. noſt. *Illuſi ſunt in operibus ſuis & aſſimilati ſunt jumentis.* Sic ſunt inſipientes & corrupti Ezechiel toto capite octavo variis emblematis depingit abominationes eorum, qui dicebant. Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram. Juſſus enim ab Angelo oculos vertere ad viam Aquilonis, vidit Primò *idolum zeli*, i. e. zelum & iram Dei provocans, *in ipſo introitu*: peccator omnis eſt idololatra, ſed præcipuè qui verum Deum negat. Secundò, poſt foramen factum in cubiculo aliquo vidit abominationes peſſimas, Verſ. 10. *Et ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium & animalium, abominatio, & univerſa idola domûs Iſrael depicta erant in pariete* (non realiter, ſed prout objiciebatur imaginationi Ezechielis, ut ait Maldonatus. 2. verè & realiter erant ibi depicta) *in circuitu per totum.* Et ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſraël, nempe ſeptuaginta ſenatores concilii magni, Sanhedrim dicti: ſtantes offerebant thus illis idolis. Tertiò, introductus per oſtium portæ domûs Domini, i. e. ad portam atrii exterioris, quod reſpiciebat ad Aquilonem, ibi videt mulieres plangentes Adonidem, qui fuit veneris amaſius. Quartò, Propheta introductus in atrium domûs Domini interius videt abominationes majores Verſ. 16. *Ecce in oſtio templi Domini inter veſtibulum* (templi) *& altare holocauſtorum* (quod erat in atrio illo interiori, i. e. in atrio ſacerdotum) *quaſi viginti quinque viri dorſa habentes contra templum Domini* (i. e. dorſum obvertentes templo & arcæ, & conſequenter Deo ſedenti propitiatorio) *& facies ad Orientem & adorabant ad ortum Solis.* Nonne hi ſunt inſipientes, qui dicunt, non eſt Deus, & ad voluptates atque honores reſpectant iiſq; 1. Idolum zeli eſt amor proprius. 2. Idola in pariete, hoc eſt in imaginatione depicta, ſunt varia eorum ſtudia & adinventiones ac ſpes iniquæ & abominabiles. Sunt enim idola reptilium, id eſt, humi repentia: & animalium, id eſt, bruta & ſtupida. 3. Adonis eſt luxuria, quam effœminatæ animæ colunt; ſed plangunt, quia illis eſt multorum cruciatuum cauſa. 4. Contemptus Dei tandem oritur, quo dorſum Deo obvertitur, ut ne videatur quidem, multò minùs colatur: ſed vanitas hæc ſunt ſemper oriens in ſpe, nunquam ad perfectionem veniens in re: ideò abominabiles ſunt Deo. Prov. 16. 5. *Abominatio Domini eſt omnis arrogans*, Sept. ὑψηλοκάρδιος, id eſt; elato corde: ille dicit in corde ſuo non eſt Deus, qui cum lucifero vult aſcendere ſuper *altitudinem* nubium, & ſedere in monte teſtamenti & ſimilis eſſe Altiſſimo. Illam impietatem odit Deus, additur Verſ. 12. *Abominabiles regi, qui agunt impiè*: intolerabilis enim eſt eorum fœtor. Joëlis 2. 20. *Aſcendet fœtor ejus* [Sennacharib, id eſt, exercitus ejus cæſi ab Angelo, ut explicat S. Hier. & Albertus. 2. Nabuchodonoſoris, hoc poſterorum ejus, ut à Caſtro. 3. Holophernis, & meliùs, ut S. Hieron. Ribera, Serarius & Canus] *& aſcendet putredo ejus, quia ſuperbè egit.*

Ezechiel Propheta videt in templo abominationes maximas.

S. Chryſoſtomus in Pſal. noſtr. egregiè illam corruptionem & abominationem ex peccato naſcentem variis ſimilitudinibus oſtendit. *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis. Cùm enim diaboli fuiſſent diſcipuli, in lapſum diaboli inciderunt: ſicut ille de cœlis, ita hi,* ἀπὸ θρόνων βασιλικῶν, *à ſedibus regalibus delapſi. Quem enim quis ſequitur, eundem cum eo partem capit. Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt. Corrupti ſunt, quoniam Deū contenti ſunt corrumpere* [per idololatriam]

latriam) *qui corrumpi non poteſt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis hominis corruptibilis. Homines mente corrupti, corrupti ſunt, ſed & abominabiles facti ſunt. Quare? quoniam abominationem deſolationis impietatem*, ἐν τῷ ναῷ τῆς καρδίας, *in templo cordis ſui collocârunt. Inſtudiis ſuis. Quamobrem? Quoniam quæ natura negavit, ea mala excogitavit affectio. Corrupti ſunt ut Pharao & Nabuchodonoſor. Corrupti ſunt, quoniam vulnerati & putrèfacti, & malè olentes, & tabo ſanièque madentes non quæſierunt medicum. Abominabiles facti ſunt, quoniam tanquam porci in peccatorum cœno volutati, & tanquam canes ad ſuum ipſorum vomitum revertentes, exoſi evaſerant. Ita enim ſcriptum eſt Eccl. 1. 26. Abominatio peccatoribus eſt pietas & Dei cultus. Quoniam ergò abominati ſunt Dei cognitionem, vos viri pii ſunt abominati, corrupti ſunt tanquam veſtis à tineis, tanquam ferrum, quod exeditur à rubigine. Abominabiles facti ſunt, ut qui oſſa & mortuos tetigerunt. Propterea enim lex Num. 19. 14. eum qui mortuum tetigerat, fecit abominabilem.* Thomas Anglicus ait peccatores eſſe corruptos quoad ſeipſos: abominabiles verò quoad Deum. 1. guſtui. 2. olfactui. 3. viſui. Et quidem guſtui ſunt abominabiles, quia ſunt inſipidi. Philipp. 3. 19 *Quorum finis interitus* (ſunt cadávera putrida) *quorum Deus venter eſt* (in ſtercore mentem habent) & gloria in confuſione ipſorum (gloriantur de peccatis turpibus.) Sues in cœno (quam in limpidis aquis malunt volutari, ut ait Pythagoras dicens, malle ſe inter mulieres quàm inter philoſophos verſari) *qui terrena ſapiunt*, habent terreſtres affectus & guſtus, in terra & luto ſerpunt eorum deſideria, ideò ſunt abominabilia, Levit. 11. 41. *Omne, quod reptat ſuper terram, abominabile erit* (quia terreſtre eſt fœdum & veneni plenum) *nec aſſumetur in cibum. Quidquid ſuper pectus quadrupes graditur* (innitens ventri ac terræ, id eſt guloſus) *multos habens pedes* (id eſt affectus in varia ſparſos ſed terrena ut vermes) *ſive per humum trahitur* (ut reptilia) *non comedetis, quia abominabile eſt.* Secundò, olfactui Dei peccator eſt abominabilis, quia fœtidus. 2. Machab. 9. ℣. 9. de Antiocho Epiphane, qui templum Jeroſolymitanum profanaverat idolis in eo poſitis, habes: *Ita ut de corpore impii vermes* (innumeri morſus conſcientiæ) *ſcaturirent, ac viventis in dolore carnes ejus effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur, & qui paulò antè ſidera cœli contingere ſe arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.* In vitis Patrum de quodam ſene referunt, cum ambulans in eremo duobus Angelis comitantibus, obvium habuiſſet cadaver putridum ac fœtens: tum ille obturatis naribus celeriter tranſivit, quod etiam Angeli fecerunt. Hoc demiratus ſenex petiit: num eo odore infeſtarentur, cum negâſſent, ſubjecerunt: odore ſe ingrato corporum non lædi, ſed fœtorem animarum peccantium horrere. Tertiò, viſui divino, Angelis & ſæpè humano horribilis & abominabilis eſt peccator, ut patet in illo Antiocho. Albert. Magnus 3. Marth. ait, quod animalia venenoſa, quæ per violentiam veneni non ſcaturiunt vermibus, mortua, ſi fulminentur, incipiant vermibus ſcaturire. Peccator aliquando non ſentit morſum conſcientiæ, ob vim veneni: ſed cum Deus ultor exurgit, tunc dolores enaſcuntur, & turpitudo animæ apparet.

Idola vocantur abominationes. Deut. 7. 25. & 12. 31. & 13. 41. luxuriæ graviora peccata nuncupantur abominatio. Levit. 18. 22. 26. 29. cogitationes malæ. Prov. 15. 26. arrogantia & ſuperbia. Prov. 6. 15. Eccli. 13. 24 mores quilibet perverſi dicuntur abominationes Gentium. 3. Reg. 14. 24. 2. Paralip. 33. 2.

S. Bern. corruptionem peccatorum mentis & abominationem peccatorum corporis ſic exponit ſerm. 37. ex parvis. *Habet anima*, inquit, *corruptionem ſuam, habet & corpus ſuam. Corruptio animæ tripartita eſt, quadripartita eſt corporis; Corpus ſiquidem conſtat ex quatuor elementis: anima verò in triplici vi ſubſiſtit. Eſt enim rationalis, concupiſcibilis, iraſcibilis. Rationalem, cujus ſanitas eſt cognitio veritatis, corrumpit ſuperbia. Corrupta, autem fallitur duobus modis: in cognitione ſui, & cognitione Dei. Concupiſcentiam corrumpit vanagloria, iram invidia. Corruptio corporis dicitur abominatio, & fit quatuor modis, ſecundùm quatuor elementa, ex quibus conſtat. Quatuor enim ſunt, quæ corpus corrumpunt, curioſitas, loquacitas, crudelitas, voluptas. Sunt autem quatuor partes corporis, in quibus ſingulis maximè vigeat ſingula elementa. Nam in oculis eſt ignis: in lingua, quæ vocem format, aër: in manibus, quarũ propriè tactus eſt, terra: in membris genitalibus, aqua. Has quatuor partes corrumpit illa quadripartita peſtis. Oculos ſcilicet curioſitas, linguã loquacitas, manus crudelitas, genitalia voluptas. Sic fiunt homines corrupti & abominabiles: corrupti in anima, abominabiles in corpore: corrupti coram Deo, abominabiles coram hominibus.* Deus eſt puriſſimus puriſſimorum, ut ait Hippocrates, pura omnia efficit, & ſordes eliminat. Ubi ejus notitia regioni alicui affulſerit, ſtatim virtutum fontem bonorumq; omnium aperit, ut docet Chryſipp. Contra verò ignoratio vitia omnia invehit. Minutius Felix in Octavo, *Niſi divinitatis rationem diligenter excuſſeris, neſcias humanitatis*: & Athenagoras tr. de Reſurrect. mortuorum. *Impietas Dei negatrix, princeps & caput ejus vitæ, in qua ſine lege vivitur.* Braſilos aſpice, qui ante Luſitanorum adventum nullos colebant deos, ut ait Nicolaus Orland. lib. 9. hiſt. Soc. Jeſu, num. 87. erant enim belluis pejores, humana carne veſcebantur & in vitia omnia ruebant.

Poſt peccata commiſſionis ponit Propheta
peccata omiſſionis. Verſ. 1. *NON EST QUI* Verſ. 1.
FACIAT BONUM (S. Aug. legit, bonitatem) 3. Pars.
NON EST USQUE AD UNUM. In textu Hebr. Chald. & Syr. Sept. τὸ non eſt uſque ad unum, non extat in hoc verſu, ſed tantùm in tertio. Sed illud habent Arab. & Chryſoſt. S. Aug. & multi alii. Nota ſecundò, χρηστότης, id eſt bonitas, bonum, benignitas, ſumitur & de bonitate ac virtute erga Deum: & de benignitate erga proximum. *Non* autem *uſque ad unum* accipi poteſt vel excluſivè vel incluſivè.

Primò enim, Senſus eſt: *Non eſt qui faciat bo-* Senſus
num, non eſt uſque ad unum: nempè Chriſtum, hujus
q. d. excepto Chriſto nullus eſt qui faciat bonum loci.
opus: ſicut cum dicitur, iſte aget uſque ad mare 1.
eſt, non utique ſimul computamus & mare. Ita S. Auguſt. Remig. Lomb. Thomas Anglicus. Sed Hebr. in tertio verſu habetur, *ne unus quidem.*

Secundò, Cajetanus ſic explicat q. d. non eſt 2.
qui faciat per omnia bonum, ut nunquam peccet venialiter: quod S. Chryſoſt. ad B. Virginem malè extendit *non dixit autem*, ait, *non eſt qui loquatur bonum. Nam & Centurio, & latro bona de eo dicebant. Memento mei Domine, quando veneris in regnum tuum. Verè hic homo filius Dei erat. Non eſt qui faciat bonum, quando & diſcipuli omnes eo relicto fugerant. Joannes nudus recedit, Petrus negat, diſcipuli fugiunt: ipſius Mariæ matris animam gladius dubitationis pertranſiit.* S. Thomas ait id & Origenis atque aliorum verba penè ſimilia eſſe intelligenda non de fidei ulla hæſitatione

tione aut infirmitate: ſed de admiratione ac ſtupore. Dicere enim S. Virginem peccaſſe veniale eſt nunc error, ut patet in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. Jan. 23. Malè etiam Thomas Anglicus de uno Chriſto locum hunc intelligit, quia B. Virgo habuit peccatum originale, quod eſſe falſum aliàs oſtendam.

3. Tertiò, Beda ait, *non eſt uſque ad unum*, dici comparatione malorum q d. tam multi ſunt mali, ut ſi cum iis comparentur boni, nulli eſſe cenſeantur. Sic Iſaiæ 54. 1 habetur: *Lætare ſterilis* (Sion ſcilicet) *quæ non paris* id eſt, quæ paucos habes liberos. S. Thomas ait, eſſe hyperbolen, & eo idem redit.

4. Quartò Dionyſ. Carth. S. Ambroſ. & Euthim. *non eſt uſque ad unum*, de ſolis impiis explicant. Non dicit ſimpliciter, ait Dionyſ. nullum eſſe operatorem boni: ſed non eſt, inquit, qui faciat bonum, ex his ita abominabilibus & corruptis: quia nullus eorum fecit bonum ſeu opus meritorium, quoniam juſtos ex fide vivit. Unde Judæis incredulis Chriſtus dixit Matth. 12. Quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? Sed ſi de ſolis impiis, non de omnibus hominibus id non diceretur non benè inde probaret S. Paulus Rom. 3. 12. omnes omninò homines fuiſſe ſub peccato & ita Dei.

5. Et optimè. Quintò denique, *non eſt uſque ad unum*, id eſt, nullus eſt qui naturæ viribus poſſit ullum bonum opus operari, ita ut per illud fiat ſanctus & juſtus, aut mereatur gratiam ſanctificantem aut vitam æternam: non quod ſolius naturæ auxilio non poſſit homo facere aliquod bonum opus minus difficile, verbi gratia honorare parentes; ſed quod per illud non fiat juſtus ſine gratia Chriſti. Caſſiodorus ingenioſe. *Non eſt qui faciat bonum*, inquit. *Quid ergo dicimus de patriarchis? Nonne bonum fecit Noe, cum Domini præceptis obediens in arcam ſalvandus intravit! Nonne idem bonum fecit Abraham, cum filium ſuum obediens divinis juſſionibus obtulit immolandum? Nonne bonum fecit Job, qui durâ paſſione percuſſus, in omnibus gratias egit? Quid dicam de Prophetis & Apoſtolis, & qui mandatis Domini famulantes, ſe ipſos glorioſos mortibus obtulerunt. Fiunt hodieque Domino largiente juſtorum operatione quæ bona ſunt: Sed ut hæc negatio veriſſimè tibi eluceat debeat, conſidera quod ſequitur. Non eſt uſque ad unum. Revera ſolus eſt Chriſtus, ſine quo bonum aliquod incipere vel implere imbecillitas humana non prævalet. Quapropter jure negatum eſt illum facere bonum, niſi uſque ad ipſum fuerit ejus miſeratione perventum. Nam cum ad eam acceditur, ne ab eo recedatur, omne bonum ſine dubitatione peragitur. Iſte eſt ergo finis qui præmiſſus eſt in titulo.* ita Caſſiod eadem mens eſt S. Auguſt in initio, titulus Pſalmi eſt *in finem, id eſt in Chriſtum, ut multi exponunt.*

Verſ. 2. Ne temerè homines accuſare Propheta videatur, indicat ſe Deo revelante ea quæ dixit accepiſſe. Deus enim aſpicit peccata hominum, & ſervis ſuis ea revelat, Verſ. 2. *DOMINUS DE CÆLO PROSPEXIT SUPER FILIOS HOMINUM: UT VIDEAT SI EST INTELLIGENS, AUT REQUIRENS DEUM.*

13. Ubi nota 1. quis aſpicit. 2. unde. 3. quomodo. 4. quos. 5. cur. 6. quid. 7. quænam in illis inveniat, ut verſ. ſeq. declaratur. *Omnes declinaverunt* &c.

1. Deus, qui nos aſpicit eſt Dominus. Primò, Quis aſpicit? *Dominus*, itaque timeant ſervi. Primò, Dominum ibi intelligit Chriſtum Dionyſius Carthuſ. *Dominus*, ait, id eſt Chriſtus verbum Dei ac Deus, *de cælo*, id eſt de humanitate aſſumpta, in qua velut in cœlo habitavit divinitas ejus, *proſpexit ſuper filios hominum*, hoc eſt attendit & conſideravit Judæos, ad quos ſpecialiter miſſus fuit, juxta illud Matthæi 15. Non ſum miſſus niſi ad oves domus Iſrael. *Ut videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum*, id eſt, an ſit aliquis per fidem cognoſcens Deum patrem, quem miſit Jeſum Chriſtum. Secundò tamen melius alii de Deo Patre, aut potius de tota ſanctiſſima Trinitate explicant. S. Chryſoſt. tom. 2. homil. 4. in Geneſ. Deum vocat ἀκοίμητον ὀφθαλμόν, id eſt, *oculum nunquam dormientem*, θεὸς ab aliquibus deducitur à θεάομαι, id eſt aſpicio. Vide Plat. & Macrob. & Pſal. 93. 8. *Intelligite inſipientes* (dixit inſipiens, non eſt Deus. S. Hier. vertit, ſtulti. Felix & Cajetan. beſtiales. Si non ſit lux in caverna cordis, ibi ſunt colubri & feræ paſſionem & vitiorum) *& ſtulti aliquando ſapite.* (S. Hieron. *diſcite.* Ne ſi is ſcioli ſuperbi) *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum non conſiderat?* S. Hier. non videbit.

2. è cælis aſpicit. Secundò, Unde aſpicit Dominus? *de cælo*, id eſt de humanitate aſſumpta, ut dixi ex Dionyſio.

Secundò, *de cælo*, ſeu de cœlis, ut vertit Pagninus, id eſt de ſanctis, per animas ſanctas, ſicut explicat S. Auguſt. hoc eſt, ut videre ſanctos ſuos faciat, per quos reſpicit, & in quibus habitat, ut ait Bruno. Quod cœli ſint ſancti vide Pſal. 18. 1. Tertiò, *de cælo*, id eſt de Angelis S. Chryſoſt. *E cælo proſpexit Dominus, non quod in cælo quod cernitur, feneſtras aut portas fecerit, & iis apertis reſpexerit: ſed quod è cæleſtibus ordinibus, intelligentibus, incorporeis immortalibus humanitatem viſitaverit. Quemadmodum enim homines terra dicuntur: Quia terra es, & in terram reverteris. Gen. 3, Et ego ſum terra & cinis. Gen. 17, ita etiam dicitur cælum cæleſtes ordines, ex quibus Deus terram & humanitatem aſpexit.* Sed hæc ſunt myſtica. Quartò itaque, propriè & ſimpliciter, *de cælo*, id eſt ex aula ſua cœleſti, in qua ſpecialiter habitat Deus & theſauros ſuos ſervis ſuis aperit. Vide dicta Pſal. 2. 4. *Qui habitat in cælis, irridebit eos*, ubi cauſas aſſero, cur Deus dicitur in cœlis habitare.

3. aſpicit etiam remotiſſima. Tertiò, Modus illius intuitus divini declaratur, ſive vim latini verbi, ſive græci, ſive hebraici, &c. conſideres. Primò, Dominus de cœlo *proſpexit*, id eſt procul aſpexit, vult ex alta turri & ſpecula longè latèque totam terram contemplatus eſt. S. Chryſoſt. *Quemadmodum ſervis inferius in atria aut in platea ſe petulanter atque inſolenter gerentibus, Dominus aut Rex ex alto proſpicit, utcum eum ſervi viderint, timeant & deſiſtant: ita etiam quando universa terra proſiliebat ad impietatem, Dominus de cælo in terram proſpexit, ut terrore affecta terra peccare deſiſteret. Hujus teſtis eſt Propheta, qui dixit Pſal. 75. 9. Terra tremuit & quievit, dum exurgeret in judicium Deus.* Orpheus apud S. Juſtinum li. 1. in Julianum, ſic Deum depingit nobis, Deum, inquit, nemo eſt intuitus ex mortalibus, ipſe verò omnes videt, ipſe firmatus eſt in æreo cœlo, aureo in throno, ſuper terram autem pedibus vadit, manumque dextram ad fines oceani undequaque extendit: tremunt autem in circuitu monteſque magni & flumina. Plutarchus libro octavo Sympoſ. multum laborat ut explicet qua ratione Plato dixerit, Deum ſemper Geometriam tractare, arbitror nihil aliud voluiſſe dicere, niſi eum res humanas perpetuo contemplari & regere: Non enim dormit oculus Jovis, ut quidam veterum dixit. Hæc vis divina proſpiciendi etiam remotiſſima denotat Dei perſpicacitatem. Secundò, ejus ſedulitatem & diligentiam in aſpiciendo decla-

4. ea aſpicit attentè.

declarat vox græca ἐκκύψε, id eſt, inclinando ſe aſpexit, ſicut ſolemus caput inclinare & oculos demittere, cum quid in fundo vaſis aut putei latens videre volumus, à κύπτω pronus ſum, inclino me vel caput. Deus ait Iſaiæ 29. 15. *Væ, qui profundi eſtis corde* (Vatabl. qui in profundum vos abſconditis. Secreta ſcilicet ineuntes & tenebroſa conſilia) *ut à Domino abſcondatis* (abſcondi poſſe puteris) *conſilium* (ut Adam in umbra arborum peccatum ſuum) *quorum ſunt in tenebris opera* (Deus eſt Sol, ſine illo eſt nox) *& dicunt. Quis videt nos, & quis novit nos? Perverſa eſt hæc veſtra cogitatio: quaſi ſi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori ſuo. Non fecisti me: & figmentum dicat fictori ſuo, Non intelligis.* Lutei ſunt peccatores, timeant ne ſicut vaſa figuli confringantur. Tertiò, ſapientiam Dei & ſuavem gubernationem denotat vox Hebraica השקיף *hiskiph*, id eſt aſpexit per feneſtras proſpectu anguſtas & cancellatas: ſic enim omnia videt nec tamen videtur: ita ſumitur Prov. 7. 6. & שקופים *ſekuphim*, 3. Reg 6. 4. ſunt feneſtræ intrinſecus apertæ & extrinſecus clauſæ. Deus autem hac ratione fortiter & ſuaviter omnia diſponit atque judicat. Videt *ſi ſit intelligens*: id eſt intus legens & Deum te videntem videas; ſic eris requirens & Deum S. Bern. in formula honeſtæ vitæ, inter decem profectus ſpiritalis documenta hoc nono loco aſſignat. *Nonum*, inquit, *eſt ut quiſquis quibuſcunque negotiis implicetur, Deum in corde memoriter ſtudeat habere, & ſemper honorem Dei omnibus anteponat: Sed ad hoc præcipuè nitatur, ut ſic ſemper Deum præſentem intelligat, ac ſi ipſum qui præſens eſt in ſua eſſentia, videret: ſicque eum timeat & revereatur, & intenſo amore in eum feratur, eoque prout poteſt in via fruatur, & in ipſa non in alio requieſcat.* S. Bernard.

5. Aſpicit, ut gubernet.

14. Quartò, Quos aſpicit Deus? *Proſpexit ſuper filios hominum*, id eſt, ſuper omnes homines. Quintò, finis illius aſpectus eſt. *ut videat*, id eſt, ut miſereatur. Sic explicat S. Chryſoſt. *Dominus è cælo in terram proſpexit, ut videret, Non ut tunc videret, ſed ut tunc ſervaret: non ut tunc diſceret, ſed ut tunc opem ferret, ut tanquam amicum amplecteretur, & ut juſtum amaret, ut diceret ſicut Noe Gen. 7. 2. Te ſolum vidi juſtum in hac generatione, & ut tanquam juſto ei appareret. Illis autem apparet, qui in eum fidem habent: Ut videat an ſit ægrotus qui curet medicum: an ſit pauper gentium populus, qui requirat Chriſtum patris theſaurum.* Ita Chryſoſt.

15. Sextò, Quid quærit Deus? *Si eſt intelligens aut requirens Deum.* Intelligens ſcilicet per fidem, meditationem, contemplationem & varios actus intellectus, eum enim videt Deus & videndo radiis ſuis illuſtrat, cum eo colloquitur & ſermonem ſerit. *Requirens Deum*, id eſt Dei mandata, leges, juſtitiam, ait Genebr. 2. Deum, id eſt Chriſtum, ait Leo Imperator, cognomento Sapiens, aut Philoſophus, qui ſcribens Omaro regi Saracenorum de veritate fidei noſtræ probat ex hoc loco Filii divinitatem. Sed hæc probatio non multum valet. 3. Deum, id eſt totam Trinitatem, quæ aſpicit an ſit requirens ipſam, ut ſe oſtendat illi. Matth. 7. ℣. 7. ait Chriſtus: *Quærite & invenietis*: & ℣. 8. *Omnis enim qui quærit, invenit.* Sed audi Iſaiam inclamantem c. 21, 12. *Si quæritis, quærite* (id eſt ſerio & ſtudioſe atque conſtanter quærite, requirite, id eſt iterum atque iterum quærite) *convertimini* (à via obliqua & tenebroſa, quæ ducit ad mortem) *venite*, ad lucem & ſolem juſtitiæ. De ſapientia generatim loquens Salomon (id eſt 1. de increata tam eſſentiali quæ eſt communis toti Trinitati, quàm notionali, quæ eſt propria Filio. 2. De incarnata, id eſt Chriſto. 3. de creata, id eſt habituali & animam juſti ornante eique inhærente) ait Prov. 2. 4. *Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros* (non uni tantum ſed multis æquivalet) *effoderis illam*, Hebr. ſcrutatus fueris eam; id enim ſignificat *huphas*. S. Chryſoſt. in catena Græca, ait; *Sicut avari quærunt argentum, ita tu ſapientiam.* Quo magis illi approximas, eò avidius & conſtantius quære, ut qui theſaurum effodiunt facere ſolent. S. Gregor. illud Job. 3. 21, Quaſi effodientes theſaurum, exponens, dicit. *Omnes qui fodiendo theſaurum, quærunt, cum fodere altius cœperint, ad laborem inſtantius inardeſcunt: quia quò magis ſe theſaurum abſconditum jam jamque appropinquare æſtimant, eo in effodiendo enixius laborant*, Et infrà. *Sapientia in rerum ſuperficie non jacet, quia in inviſibilibus latet.*

Septimò, Quid in pleriſque hominibus videt Deus. Hoc declarat David Verſ 3. *OMNES DECLINAVERUNT INUTILES FACTI SUNT: NON EST QUI FACIAT BONUM, NON EST USQUE AD UNUM*, Verſ. 3. 16.
Ubi varia impiorum ſcelera & incommoda ex variis verſionibus poſſis deprehendere. Primò enim, impii erectam in cœlum faciem ſuam & à Deo elevatam, ut excelſa ſpectet, in terram inſtar brutorum incurvant, ſic S. Baſil. ſumit ἐξέκλιναν, id eſt inclinaverunt ſe, Sic dicitur de decem tribubus. Oſeæ 4. 16. *Sicut vacca laſciviens, declinavit Iſraël.* Hoc patet in duobus ſenibus Suſannam tentantibus Dan. 13. 9. *Everterunt ſenſum ſuum* (quem Deus rectum fecerat) *& declinaverunt oculos ſuos ut non viderent cœlum*, i. e. Deum, ait Maldonatus. Sic Luc. 15. 21. dicit Prodigus, *Pater peccavi in cœlum*, h. e, in Deum; & Angelus Caninius in nomin. Hebr. docet, Deum appellari *Samaim*, hoc eſt cœlum. Secundò, & propriè; impii à via recta ſponte aberrant, & à ſemitis virtutis, juſtitiæ, ſapientiæ per quam invenitur Deus, in avia & abrupta atque præcipitia deflectunt. *Omnes declinaverunt.* Syr. vertit, *Omnes aberrarunt.* Iſaias hoc deplorat c. 53. 6. *Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit.* Vide dicta Pſal. 118. ℣. 176. *Erravi ſicut ovis quæ periit, quære ſervum tuum*: ut poſtea te quæram & inveniam. Tertiò, non tantum impii aberrant aliquantulum, longinquam viam & difficiliorem ineundo, ſed tædio & labore victi reſpiciunt retrò, & in Ægyptum redeunt, Chald. vertit. *Omnes converſi ſunt retrò*, & ſic non ſunt apti regno Dei, neque intrant in terram promiſſam. Num. 14. 4. dicunt Iſraëlitæ auditis exploratoribus qui Chananitidem luſtraverant. *Conſtituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum*, ideò ab illa fertiliſſima terra rejecti ſunt, & perierunt in deſerto. Quartò, non contenti tacita defectione & receſſu ignavo, murmurant & rebellant impii in Deum atq; ejus ſervos, ut Iſraelitæ illius Moyſem atq; Aaronem, Hebr. *Omnis*, ſit, *rebellavit*, receſſit, converſus eſt in adverſarius eſt. Quintò, ad rebellionem ſuam alios invitant, ut impetu majori in Deum & ſacra ferantur. Verſ. eod. 3. *Simul inutiles facti ſunt.* Simul, id eſt omnes pariter. 2. ſimul, id eſt ſe mutuò incitantes, ſe mutuò conjungentes, ſua illa conjunctione corrumpentes & inutiles ad omne bonum reddentes. S. Hier. vertit, *ſimul conglutinati ſunt.* Nahum, 1. 10. *Sicut ſpinæ ſe invicem complectuntur, ſic convivium* (id eſt cœtus convivarum) *pariter potantium* (ſed ſiunt inutiles: addunt enim) conſumetur quaſi ſtipula ariditate plena: ut contigit Balthaſari & principibus ejus ac Babylonis Dan. 5. 1. & ſeq. Sextò,

1. Impii à cœlo faciem avertunt.

2. A via recta aberrant.

3. reſpiciunt retrò, & à Deo recedunt.

4. Murmurant in Deū.

5. Alios ad ſcelera incitant.

6. Et mutua ſe putredine corrũpunt. impii conglutinati peſtẽ ſibi viciſſim afflant, &ſe mutua putredine corrumpunt, Hebr. *pariter neelabu*, id eſt. *fœtuerunt*, ut vertunt Pagninus, Muiſius, Vatabl. R. David, *rancidi*, id eſt putridi & putidi ob vetuſtatem præſertim peccati, *facti ſunt*. Vide Pſal. 37. 6. *Putruerunt & corrupta ſunt.* (Hier. tabuerunt) *cicatrices mea*: *à mala*, ſocietate illam putredinem & corruptionem incipere denotat S. Auguſt. lectio, *Computruerunt* (in multitudine non audentes ſe ſubducere ab aliis) *& putruerunt* (etiam ſoli, ob aſſuetudinem, & ob negligentiam ſanandi vulneris facti in malo conſortio) *Livores mei*: id eſt, plagæ lividæ.

7. Se inutiles reddunt. Septimò, hinc fit, ut ſint prorſus inutiles: unde Noſter vertit, *ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Prov. 6. ✠. 12. *Homo apoſtata*, Hebr. *Homo*, *Belial*: id eſt, inutilis: à *Beli*, id eſt ſine, & *jaal*, id eſt inutilitate. Convenit etiam in Pſalmo noſtro verſio Sept. & Syr. vir inſipiens & iniquus; & Iſidori Clarii, homo impius (*vir inutilis*,) id eſt noxius. Eſt enim mioſis, ſeu diminutio. Sept. vir iniquus, Tigur. vir vanus. Apoſtatam illum intelligit ſuperbum S. Bernardus, mendacem, R. Levi, calumniatorem. Chaldæus, eum qui ſeminat diſcordias S. Gregorius. Corruptionem & inutilem vitam ſceleratorum declarat Paulus Tit. 1. 15. & 16. *Conquinatis* (ſimul *inquinatis*) *& infidelibus nihil eſt mundum*: *ſed inquinata ſunt eorum mens & conſcientia*: *confitentur* (voce profitentur) *ſe noſſe Deum, factis autem negant, cum ſint abominati & incredibiles*, (abominabiles & increduli) *& ad omne opus bonum reprobi*: id eſt infirmi, imbecilles, inutiles: ſunt vaſa fœda & fœtenſia, in quæ Deus ſuam non immittit gratiam, ſine qua tamen non poſſunt perfecta opera & ſalute æterna digna facere.

8. Dignos ſe reddunt qui à Deo abjiciantur. Octavò denique, Deus illos impios penitus à ſe abjicit. Felix vertit, *ſimul abominabiles facti ſunt*, & conſequenter, ut vertit Arabs, *omnes ſpreti ſunt.* & Syrus, *ſimul abjecti ſunt*: in faſciculos colligantur Zizania, ut ſimul comburantur. Prov. 11. 21. *Manus in manu non erit innocens* (id eſt, impunitus) *malus.* Manus in manu ſive ad manum ut vertit Arias, ſignificare videtur conſpirationem, ſocietatem, propaginem, poſteritatem. q. d. Licet malus ſive impius multos habeat ſceleris ſocios, ſucceſſores & poſteros quaſi manus auxiliares, non tamen erit impunitus, ita Corn. qui undecim affert expoſitiones illius loci. Sic cap. 16. 5. dicitur, *Abominatio Domini eſt omnis arrogans: etiamſi manus ad manum fuerit, non eſt innocens.* Pagninus vertit, mox non erit impunitus. Manus illas omnes ſimul junctas diſſolvet & debilitabit atque concidet Deus. Eccli. 21. 10. *Stuppa* (id eſt, quaſi ſtuppa) collecta, *ſynagoga peccantium* (cœtus impiorum) *& conſummatio* (id eſt conſumptio. i. finis) *illorum flamma ignis.* Iræ Dei. 2. vindictæ. 3. conflagrationis ante judicium. 4. inferni.

Moraliter nota, Atheus eſt monſtrum ex omnibus furiis & monſtris inferni compoſitum.

17.

Atheus eſt mõſtrum & quale. **1. Caput proſerpinæ habet.** *Non eſt, qui faciat bonum* Primò, habet caput Proſerpinæ ob ſuperbiam. Eccli. 10. 14. *Initium ſuperbiæ* (id eſt ſumma ſuperbia) *hominis, apoſtatare à Deo.* Tigurina vertit, à creatore ſuo abductus animus. Philo lib de præmiis & pœnis vocat ſuperbiam incantatricem & veneficam, quæ Deo vero contempto ad inania & frivola ſimulacra homines inducit. Τύφος ἐστὶ γόης, ὃ τὰ ἄψυχα θεοπλαστῶ, id eſt, *ſuperbia eſt incantatrix, quæ idola ex rebus inanimatis plaſmavit.*

2. Manus Harpyiarũ. Secundò, atheus habet manus harpyiarum, per avaritiam (quæ eſt, *idolorum ſervitus*, ait Paulus Coloſſ. 3. 5. ſuo idolo homines immolans) rapinis & cædibus ſæviendo. S. Chryſoſt. ad Epheſ. hom. 18. docet, avarum eſſe idololatram cæteris crudeliorem.

3. Os cerberi. **4. Corpus cinctum ſerpentibus.** Tertiò, atheus habet os cerberi, per blaſphemias, contumelias, ſuſurrationes, detractiones & alia. Quartò, cingitur ſerpentibus furiarum, ob invidiam. Cætera vitia percurre. In ejus ore conſiderando & deteſtando immoremur cum Davide.

ARTICULUS III.

Lingua athei eſt corruptiſſima, ſed ſanatur Dei timore.

Verſ. 3. 2. Pars. 18.

AB intellectu & voluntate, de quorum corruptione & abominatione egit præcipuè Propheta, ad os deſcendit, ut à venenato fonte ad canalem. Verſ. eod. 3 *SEPULCHRUM PATENS EST GUTTUR EORUM, LINGUIS SUIS DOLOSE AGEBANT: VENENUM ASPIDUM SUB LABIIS EORUM. QUORUM OS MALEDICTIONE ET AMARITUDINE PLENUM EST. VELOCES PEDES EORUM AD EFFUNDENDUM SANGUINEM. CONTRITIO ET INFELICITAS IN VIIS EORUM, ET VIAM PACIS NON COGNOVERUNT: NON EST TIMOR DEI ANTE OCULOS EORUM.*

Hos verſus eſſe de hujus Pſalm. integritate cenſet Lindanus & aliis. Nota, hi tres verſus non ſunt in textu Hebr. Chald. Syr. neque apud Sept. S. Baſil. S. Chryſoſt. Theodoretum, Euthym. & alios Græcos interpretes. Quæres, an ſint de integritate Pſalmi? Reſpondet Lindanus de opt. gen. interpret. cap. 3. & Joan. Azori tom. 1. inſtit. lib. 8. cap. 2. qu. 7. ad hunc Pſalmum illos verſus pertinere, & olim fuiſſe in codicibus hebraicis, ſed vitio temporum excidiſſe aut malitia Judæorum. Certè in textu Arabico, Ægyptiaco & Æthiopico, & in codice Anglicani pſalterii Hebraici, quem citat Arias in Apparatu, hi verſus habentur. S. Auguſtinus etiam & qui illum ſecuti ſunt interpretes recipiunt veluti ad Pſalmum ſpectantes. Reſpondeo tamen cum Franciſco Luca Burgenſi, Genebrardo, Lorino, Bellarmino, Agellio, & aliis, tres illos verſus non eſſe de integritate Pſalmi. Quomodo enim excidiſſent ab omnibus hebraicis codicibus (nam Anglicani illius authoritas & antiquitas eſt incerta, & facile fuit ex Latino textu tres verſus facere hebraicos) quomodo à Septuaginta non eſſent converſi? S. Hier. in præfat. lib. 1. in Iſaiam notat, omnes Græcos tractatores verò annotaſſe hos verſiculos eoſque præteriiſſe: repertos autem in ſola editione vulgata, quæ Græcè κοινὴ dicitur. & in toto orbe diverſa eſt. Relicti ſunt hi verſus in emendatis bibliis, ob antiquitatis venerationem (nam Caſſiodorus jam ſuo tempore ait in uſum Eccleſiæ longa conſuetudine receptos eſſe) ſed abſque Arithmetica nota, qua velut proprii diſtinctique Pſalmi hujus verſus habeantur.

2. Et verius, non ſunt de illa integritate, ac probatur. Quæres ſecundò, Unde factum eſt, ut hi tres verſus huic Pſalmo infererentur? Reſpondeo, occaſionem fuiſſe, quia à S. Paulo ponuntur Rom. 3. 13. ſtatim poſt verſum hujus Pſalmi, *omnes declinaverunt, &c.* unde quidam putans ad eundem pertinere, eos illi inſeruit. Sumpſit autem illos Paulus ex variis Scripturæ locis: nempe ex Pſal. 5. 11. Pſal. 139. 4. Pſal. 9. 7. Iſaiæ 59. 7. Prov 1 16.

19.

Cum itaque hæc propriè non ſint de hoc Pſalmo, ſtrictim tantum ſunt attingenda. In illis aliqua ſcelera atheorum & reliquorum impiorum notare poſſumus, tum in locutione, tum in operatione.

In

Impiorum os eſt 1. ſepulchrũ patens.

In locutione Ugo Card. notat luxuriam in illis verbis. SEPULCHRUM PATENS EST GUTTUR EORUM. S. Auguſt. guloſitatem. alia erimina deprehendi pſal. 5. verſ. 5. ibi vide. Generatim dicitur Prov. 6. 12. *Homo apoſtata* (à Deo & ejus fide ac cultu) *graditur ore perverſo*, Rabbi Samon vertit, labiis diſtortis. Et cap. 10. 6. *Vena vitæ* (Sept. & Chald. fons vitæ) *os juſti: & os impiorum operit iniquitatem*, qua ſcilicet plenum eſt, ut ſepulchrum oſſibus mortuorum. Os impii ait Corn. eſt quaſi ſtagnum aquis mortuis, id eſt rebus verbiſque putidis, inhoneſtis, noxiis & peſtiferis, quæ in alios effundit, reſtagnans: imò os impii eſt quaſi mare mortuum omnia mortificans & jugiter ſulphureos vapores, id eſt infernales concupiſcentias & paſſiones exhalans.

Os impii eſt puteus abyſſi.

Et verſ. 16. *Opus juſti ad vitam*, [ſupple eſt,] *fructus autem impii ad peccatum*. hic eſt fructus mortifer arborum Sodomæ: cortex aſpectu gratus eſt, intus eſt cinis & favilla. Os impii eſt etiam os putei abyſſi. Apocal. 9. 2. *Et aperuit* (quintus Angelus) *puteum abyſſi: & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ: & obſcuratus eſt ſol & aer de fumo putei. Et de fumo putei exierunt locuſtæ*. Erant locuſtæ illæ ſimiles equis paratis ad prælium, quorum dentes erant ut dentes leonum. De equis verò aliis, quibus inſidebant militum vicies millies dena millia, id eſt, ducenties millena millia, ſeu ducenti miliones] dicitur verſ. 17. *Et capita equorum erant tanquam capita Leonum: & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur*. Hic erit exercitus Antichriſti. Ignis eſt luxuria. Eccli. 9. 11. *Colloquium ejus* (mulieris) *quaſi ignis exardeſcit*, fumus illius ignis eſt excæcatio mentis: ſulphur, eſt fœtor peccati & verborum obſcœnorum quæ ſunt putrida & fœtida.

20.
2. Os impiorum eſt officina fraudis.

Secundò, impii ſunt in verbis ſuis fraudulenti. LINGUIS SUIS DOLOSE AGEBANT. Hoc ſumptum eſt ex pſal. 5. 11. vide ibi dicta. Quò rectior eſt impius, eo eſt periculoſior Jerem. 9. 8. *Sagitta vulnerans* (Cald. acuta. Eſt gladius triceps ſive triſculus, tres uno ictu occidens. Vide pſal. 56. 7.) *lingua eorum*: ratio additur, *dolum locuta eſt*, dolus, eſt oleum enſem aut ſagittam acuens & poliens. Ideò impius eſt abominabilis Deo. Prov. 11. verſ. 1. *Statera doloſa, abominatio apud Dominum: & pondus æquum voluntas ejus*, id eſt, ab eo volitum & amatum. Eſt metonymia: nam potentia ſumitur pro objecto. Hebr. *Bilances doli* (duo labia fallacia) *abominatio Domini*. Lingua ſeu lingula illius libræ eſt ad nutum mercatoris verſatilis & fallax, jugum etiam ejus non eſt rectum ſed incurvatum. Contra verò, verba juſti ſunt vera, ſyncera candida, ſine mendacio & verſutia, cap. 10. 23. *Argentum electum* (Gr. πεπυρωμένον, id eſt, ignitum, igne examinatum & purgatum) *lingua juſti*: ſine ſcoria falſitatis, hypocryſis, & fraudis.

21.
3. Adulationis ſchola. ***Adulator eſt aſpis, & cur.*** **Primò, Secundò.**

Tertiò, impii ſunt adulatores. VENENUM ASPIDUM SUB LABIIS EORUM, id ſumptum eſt ex pſal. 139. 4. Adulator eſt aſpis. Primò, quia aſpis cum delectatione pungit: ita adulatio delectat. Unde Seneca. *Adulatio recipitur propriis & apertis auribus, in præcordia unà deſcendit, eo ipſo gratioſa quos lædit*. Secundò, quod aſpidis ictus vix eſt viſu perceptibilis, quia venenum ejus eſt ſubtiliſſimum ad penetrandum, & mira celeritate intima permeat neque eminet, ſed ſub cutem ſubiens intra meatus pervadit: itaque cum Cleopatra genus illud mortis ut leniſſimum & cum quadam voluptate conjunctum elegiſſet, vix deprehendi potuit locus vulneris, tandem tamen duo punctula ad videndum difficilia deprehenſa ſunt, ſic tradit Ælian. lib. de animal. cap. 21. & 23. Ab amico adulatorem ſecernere eſt perarduum, quia, ut oſtendit Plutarch. in pulcherrimo tract. de modo internoſcendi amicum ab adulatore, omnia imitatur veri amici officia: niſi diligenter animum advertamus, *idem nobis uſu eveniet*, inquit, *quod iis, qui guſtato demum veneno ſentiunt id eſſe lethale, judiciumq; ipſi hoc ſuo conſtat exitio*.

Tertiò. Tertiò, venenum ſuum aſpis occultat, ſicut etiam alia animalia venenoſa, quæ habere feruntur venenum in veſica ſubtus linguam: ita ut hæc veſica rumpatur, cum mordendo illud infigunt. Gyllius notat in Acceſſione ad Ælian. lib. 9. hiſtor. anim. ca. 28. aſpidem virus evomere ea tunica, quæ quatuor maxillæ dentes contegit. Sic Prov. 10. 18. *Abſcondunt odium* (Syr. inimicitiam) *labia mendacia* (Hebr. labia mendacii) *qui profert contumeliam* (Hebr. infamiam. Chald. detractionem) *inſipiens eſt*. de inſipiente agit David in Pſalmo noſtro. Job. 20. 12. &c. *Cum dulce fuerit in ore ejus* (impii) *malum, abſcondit illud ſub lingua ſua*. Quæ S. Greg. explicans li. 15. Mor. 5. *Aſperitas*, ait, *malitiæ qua latet in mente, ſub tegmine blandæ locutionis operitur. Malum namque in lingua & non ſub lingua eſſet ſi loquens hypocrita malitiam ſuæ pravitatis aperiret*. Sanct. Hier. ep. 14. ad Celantiam, adulatorum aſſentationes vult fugiendas eſſe veluti peſtis. Nihil enim tam facile corrumpere, *& tam dulci & molli vulnere ferire*.

Quartò. Quartò, morſus aſpidis eſt penè inſanabilis. Ariſtot. lib. 8. hiſt. anim. c. 29. ſcribit aſpidem in Africa gigni, cujus ictui nullum ſit remedium. Ælian. verò li. 9. hiſt. anim. ca. 22. nulla adjecta loci differentia. *Solus*, inquit, *aſpidis morſus curari non poteſt*, præſertim ſi ranam comederit, ut idem Ælian. ait, lib. 16. c. 56. Adulator loquax eſt periculoſiſſimus. Cælius lib. 25. ca. 31. dicit intra quatuor horas ab aſpide morſum interire, ac præfocationem mox inſequi, & ſpaſmum cum ſingultu. Plin. l. 8. 23. *Colla*, inquit, *aſpidum intumeſcunt nullo ictus remedio, præterquam ſi confeſtim partes contactæ amputentur*. Mortificatione opus eſt, ad venenum adulatorum tollendum: aliàqui de iis uſurpa dictum Moyſis, Deut. 32. 33. *Fel draconum vinum eorum* (lætitia, alacritas, converſationis ſuavitas, quam aliis propinant) *& venenum aſpidum inſanabile*.

Quintò. Quintò denique, icti ab aſpide in profundum ac lethalem ſomnum incidunt, unde ſomniculoſam Seſemus aſpidem vocavit, ita ut æterno poſt horas quatuor veterno conſopiat: ita adulator ſomnum, id eſt torporem ac pigritiam & ſalutis neglectum inducit, ardorem ac fervorem in proficiendo tollit, cum jam ad ſumma perventum eſſe mentitur, & ſibi adblandiens quis ſuis fictitiis bonis gaudet & ulteriora non cogitat.

Quartò, impii ſunt detractores de hominibus, & blaſphemi in Deum. *QUORUM OS MALEDICTIONE ET AMARITUDINE PLENUM EST*. Maledictione de detractione exponit Ugo, amaritudinem de comminatione. Hoc eſt venenum aſpidum ait S. Auguſtinus. 2. maledictionem interpretatur opprobria & blaſphemias Lombardus, amaritudinem, minas. Amarulentiam rectè exponit Janſenius eam fuiſſe in Judæis cum de nece Chriſti tractabant dicit Bruno: maledictionem & amaritudinem Gloſſa explicat de opprobriis & blaſphemiis Chriſto dictis in cruce exiſtenti. Latius hæc patent, & ad varia linguæ vitia transferri poſſunt. Vide dicta Pſal. 9. 28. unde hæc ſumpta ſunt. 22.
4. Detractionis & blaſphemiæ cathedra.

23.
Impii totis corporibus putent.

Ab ore atque mente ad opera deſcendit Propheta. Ea eſt enim vis veneni in peccato præſertim in atheiſmo ut breve totum corpus occupet.

1. In pedibus. Primò, pedes ad imos deflnit, atque inquietos & ſtare loco neſcius contra juſtum innoxium impellit. Verſ. eod. 3. id declaratur. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* Hæc & ſequentia huc inſerta ſunt ex Iſaiæ cap. 59. 7. & 8. aut ex cap. 1. Prov. verſ. 16. Equi inſtar aut Leonis furentis impetu impii feruntur, & obvium quemque dentibus, unguibus, calcibus, cauda vulnerant, dilaniant, proterunt, Jerem. 8. 6. *Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum* (ad deſideria ſua mala) *quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Lenta eſt virtus, vitium præceps, ait Origenes, Leoni & equo confertur impius Apocal. 9. 17. *Capita equorum erant tanquam capita leonum.* Et de locuſtis ex inferno prodeuntibus dixerat, verſ. 8. *Dentes earum, ſicut dentes leonum erant.*

24. 2. In manibus. Secundò, impii cruentis manibus deſæviunt, clava ferrea, ſecuri bellica, haſta, telis, gladio proſtratos contundentes, & mactantes. *Contritio & infelicitas in viis eorum*, quod dupliciter exponi poteſt, Primò paſſivè q. d. licet habeant veloces pedes ad effundendum juſtorum ſanguinem, tamen etiam ipſi contererentur & in calamitates ſummas devenient in viis, id eſt operibus ſuis: Ita S. Auguſt. Ugo Author operis imperfecti hom. 28 in Matth. qui ex hoc loco probat majores labores ac ſollicitudines eſſe peccatorum, quam ſervorum Dei: Prov. 1. 31. *Comedent fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſiliis ſaturabuntur:* Chald. vertit, ſua ipſorum impietate implebuntur. Iſaiæ 3. 9. *Væ animæ eorum, quorum reddita ſunt eis mala.* Et verſ. 11. *Væ impio in malum* (in malitiam omnem effuſo, unde Hebr. eſt, væ impio malo, vel maligno, ut ait Vatablus. 2. in malum deſtinato, ut explicat Adamus (*retributio enim manuum ejus fiet ei*, In ea via ſunt multa præcipitia. Prov. 13. 15. *Doctrina bona* (Hebr. Sept. Chald. intellectus bonus) *dabit gratiam: in itinere contemptorum* (prævaricatorum, ut vertit Arias) *vorago*, Hebr. *ethum*, id eſt dura, ut reddit Arias & Pagn. 2. aſpera, ut R. levi. 3. vis & vehementia, ut Marinus. 4. difficultas, ut R. Salomon 5. ſignatè noſter *vorago*, perditionis ſcilicet ac ruinæ, ex præcipitatione enim & violentia oritur, ut quis è rupibus ſalebroſis & lubricis in voragines cadat, aliis nocere volens ſe perdat. Syr. vertit. Iter impiorum ad perditionem. Et cap. 10. 25. *Quaſi tempeſtas tranſiens non erit* (Syr. ita profligabitur impius & non invenietur) *juſtus autẽ quaſi fundamentum ſempiternum.* Vatabl. reddit, ſicut fundamentum mundi perſeverat. Arab. dicit amplius, cum vertit. juſtus autem eum declinaverit mala, ſervabit ſe in æternam, & Syrus, juſtorum autem fundamenta in æternum ponuntur à Deo ſcilicet, non enim ſuis viribus id faciet juſtus, Secundò, & melius, activè ſumas, *Contritio & infelicitas in viis eorum*, q. d. quocunque pergunt, omnia conterunt & omnes quos reperiunt miſeros & infelices faciunt ſuis rapinis, fraudibus, contumeliis, furore, & crudelitate. Ad hoc ſe impii mutuò exhortantur. Sap. 2. 10. Et Prov. 14. 4. dicitur. *In ore ſtulti Virga ſuperbiæ* Chald. virga & tribulatio. Syr. ſtimulus & contumelia. S. Ambroſ. lib. 3. de officiis cap. 4. hinc concludit inſipientis eſſe contumeliam alteri facere. *Quæ*, inquit *pœna gravior, quam interioris vulnus conſcientiæ? quod ſeverius judicium quàm domeſticum, quo unuſquiſque ſibi eſt reus, ſeque ipſe arguit quod injuriam fratri indignè fecerit? Quod non mediocriter Scriptura commendat, dicens: Ex ore ſtultorum baculus contumeliæ. Stultitia ergò condemnatur, qui contumeliam facit. Nonne hoc magis fugiendum quam mors, quam inopia, quam exilium quam debilitatis dolor? Quis enim vitium corporis aut patrimonii damnum non ſeviùs ducat vitio animi, & exiſtimationis diſpendio?* Et Prov. 10. 23. habemus. *Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus.* Ubi oſtenditur impii pronitas & inclinatio ad malum. 2. delectatio ejus in ſcelere, ut lupi in laniena. 3. levitas, ut ait R. Salomon. 4. inconſtantia, ut R. Levi, In pauperes præſertim graſſatur. ibid. verſ. 15. *Subſtantia divitis, urbs fortitudinis ejus* (Tigurina vertit, *Opibus* velut urbe fortiſſima fidit locuples) *pavor* (Hebr. contritio) *pauperum, egeſtas eorum.* R. Salomon vertit, *egeſtas pauperũ eſt ſumma calamitas eorum.*

25. 3. In utroque mentis oculo. Dexter mentis oculus, eſt prudentia. Tertiò impii carent utroque oculo vitæ activæ, nempe prudentia & timore Dei: *Viam pacis non cognoverunt. Non eſt timor Dei ante oculos ejus* Animæ oculus dexter eſt prudentia, qui viam dignoſcere & prævidere debet corpuſque totum dirigere, ne feratur in avia & latronibus infeſta loca. Pro. v. 4. 25. *Oculi tui recta videant* [Pagn. vertit, ad rectam aſpiciant) & *palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos*; (auctor Catenæ Græcæ reddit, & palpebræ tuæ ſpectent ad juſta. Quod verſans S. Gregor. 3. parte Paſtor. admon 16 in fine ait: *Palpebræ greſſus præcedunt: cum operationem noſtram conſilia rectè præveniunt: qui enim negligit conſiderando prævidere quod facit; greſſus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit; ſed prævidendo ſibimetipſi non antecedit: atque idcirco citius corruit, quia quò pedem operis ponere debeat, per palpebram conſilii non attendit* Prudentia quoque fidus eſt ſpeculator, ne hoſtis urbem mentis intercipiat ac flammis & gladio abſumat. Ugo illud Prov. 10. 15. Subſtantia divitis, urbs fortitudinis ejus, conſiderans. *Hæc*, inquit, *affluentia eſt urbs electorum, cujus vallum eſt contemptus terrenorum. murus ſpes antemurale patientia, turris humilitas, fons turrim muniens luctus, rivulus hujus fontis aqua lachrymarum: ſpeculator prudentia, janitor obedientia, rex charitas; cuſtodes milites juſtitia, temperantia & fortitudo.* Hæc Ugo.

26. Siniſter mentis oculus eſt timor Dei. Siniſter animæ operantis oculus eſt timor Dei. Job. 28. verſ 28. *Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia: & recedere à malo, intelligentia.* Quod contemplans Iſidorus, ait: Reipſa ſumma ſapientia eſt, vera Dei opinio: ſcientia verò ſummè divina. actio optima, Illa de Deo veram ſententiam aſſequitur, hæc à malis abſtinet. Illa verbis de Deo diviniſque rebus diſputat, hæc agendi laude commendatur, Si ergò is, qui Deo charus & amicus eſt, ſcit ac ſapit, utramque eſt amplexus: virtutem, tum eam, quæ in contemplando: tum illam quæ in agendo verſatur. Et illam quidem, tanquam animam; hanc verò, veluti corpus. Sanè ſupervacanea eſt eorum hominum philoſophandi ratio, quæ optimæ diſciplinæ ac vitæ deſpicientes, In producenda tantum lingua, atque in orationis concinnitate ſtudium ponunt, ita Iſidor. Si placet alium animæ ſolem. Vide ut illum ſemper habeas ante oculos tuos, & illuminabitur intellectus tuus, purgabitur voluntas, opera fervebunt.

27. Timor Dei expellit peccata. Nota enim moraliter, cauſa peccatorum impii eſt hæc. *Non eſt timor Dei ante oculos ejus.* Si enim adſit timor, fugiunt ſcelera: ſi non adſit, ubique impunè volitant. Eccli. 1. 27. *Timor Domini expellit peccatum* [Gr. peccata: nullum habitare ſecum patitur: ſolis lucem non ferunt colubri, aſpides, viperæ, feræ) *nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* q. d. & ſine timore nihil expellet peccata. Unde S. Bernard. ſerm. de donis Spiritus S. ait. *Sicut ſecuritas vel deſidia cauſa eſt & mater omnium delictorum: ſic timor Domini radix eſt & cuſtos omnium bonorum.* Et Caſſianus l. 4. Inſtitut cap. 39.

cap. 39. *Per timorem Dei, & initium converſionis, & vitiorum purgatio, & virtutum cuſtodia his qui imbuuntur ad viam perfectionis acquiruntur.* Et quidem ſi Pſalmo noſtro placet inſiſtere, cæcitatem menti affert peccatum, ac præſertim atheiſmus: dicitur enim, Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Lumen verò affert timor Dei. Dicitur Eccli. 25. *radix ſapientiæ.* v. 22. *corona ſapientiæ.* verſ. 20. *plenitudo ſapientiæ.* Iſaiæ 33. 6. *Divitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia: Timor Domini ipſe eſt theſaurus ejus.* Hanc divinam ſapientiam ſi ſtatim peccatores non percipiant [ſunt enim aſpidibus, quibus rex noſter peccatores comparat, hebetes oculi, ut ait Plin. lib. 8. ca. 23.] paulatim ſacros liquores inſtillat. Eſt enim timor Dei *animæ ſchola*, ut ait ſanctus Ephrem. de timore Dei Fidem reparat, quæ eſt lumen animæ. S. Cypr. lib. 3. ad Quirinum. *Timor Domini fundamentum & firmamentum ſpei & fidei*: & conſequenter *fundamentum ſalutis*, ut loquitur Tertull. lib. de cultu femin. cap. 2. Secundò peccatum corrumpit voluntatem. *Corrupti ſunt*, &c. S Ephrem ſerm. de Patientia. *Timor Domini veluti gladius anceps eſt, omnem concupiſcentiam pravam excidens.* Et ſerm. aſcetico de timore Dei. *Ut faber*, ait *apud eundem vaſa utilia perficit: ita timor Domini cor expiat, impuris cogitationibus ejectis.* Tertiò, peccatum linguam corrumpit & opera. *Sepulchrum*, &c. Timor Dei his malis medetur. Vide dicta fusè Pſal. 111. 1. Beatus vir, qui timet Dominum, *in mandatis ejus volet nimis*, egebit fræno, adeo acer eſt ſtimulis, aculeus & calcar timor Dei.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

Quatuor continet. Primò, Atheum mala operari. Verſ. 4. Secundò, mala loqui, cùm Deum non oret. Verſ. 5. Tertiò, à Deo puniri terrore continuo. Verſ. 5. & 6. Quartò, juſtum virum in Deo lætari. Verſ. 6. & 7.

PARAPHRASIS.

4. *Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem: qui devorant plebem meam ſicut eſcam panis.*

4. Nonne tandem ab inſipientia ſua ſcelerati deſiſtent, oculoſque aperient, ut Deum è cœlo actiones ſuas contemplantem timeant, qui in terrena proni, ferarum inſtar in proximorum bona inſiliunt, parique facilitate & voluptate devorant atque panem?

5. *Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

5. Non in Deo, ſed in caduca ſpes ſuas collocaverunt, neque ſuis in anguſtiis opem ejus implorarunt: ideò perpetuâ trepidatione torquentur, etiam in futilibus ac minimis rebus.

6. *Quoniam Dominus in generatione juſta eſt: conſilium inopis confudiſtis: quoniam Dominus ſpes ejus eſt.*

6. Nec mirum eſt, ſi Caini inſtar perenni timore quatiuntur: Deus enim juſtos, quos ipſi perſequuntur, adjuvat, cumque iiſque manet præſidio futurus. Stultum enim eorum conſilium crediderunt, qui hominum auxilio deſtituti, illud non quærerent, ſed Deo ſolo niſi in tuto poſitos ſe crederent.

7. *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël? cum averterit Dominus captivitatem Sion exultabit Jacob & lætabitur Iſraël.*

7. Sed inanes fuiſſe cogitationes ſuas brevi cernent. A quo enim ſalus Eccleſiæ filiorum petenda eſt, niſi à Deo? Cum Deus fideles juſtos à vitiorum captivitate, atque ab impiorum perſecutione exemerit, tunc ſecuri in hac vita exultabunt, & poſtea perfectiſſimo completi gaudio in cœlis triumphabunt.

QUÆSTIO UNICA.

Quænam atheorum pœna.

18. UT Pſalmi ordinem conſideres, Nota, ſectioni præcedenti tres Verſus ſine nova arithmetica ciphra eſſe inſertos, ut dixi itaque eos ad Pſalmum noſtrum non pertinere. Nempe, *Sepulchrum*, &c. uſque ad hanc ſectionem.

His igitur tribus ablatis verſiculis hunc perfectiſſimum ordinem Pſalmi habes. Primò enim atheum oſtendit Propheta in intellectu, in voluntate, & in operum omiſſione eſſe corruptum, ut oſtendi ſuperiori ſectione.

Nunc ſecundò oſtendit eſſe corruptum in operum malorum commiſſione, verſ. 4. *Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem*, in alios ſcilicet: ſequitur enim: *Qui devorant plebem meam ſicut eſcam panis?*

Tertiò, oſtendit verborum corruptionem, verſ. 5. *Dominum non invocaverunt.* Eſt mioſis, pro, Dominum blaſphemaverunt.

Quartò, eorum punitionem alleχit, timorem ſcilicet continuum: *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Rationem addit timoris, 1. quia Deus ſtat à parte juſtorum, quos athei laceſſunt, verſ. 6. *Quoniam Dominus in generatione juſta eſt.* 2. quia ſpreverunt juſtos, quòd in Deo ſperarent: *Conſilium inopis confudiſtis, quoniam Dominus ſpes ejus eſt.*

Quintò denique, fidelium in Deo ſperantium æternam lætitiam aperit, verſ. 7. *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël? Cùm averterit Dominus captivitatem plebis ſuæ, exultabit Jacob, & lætabitur Iſraël.*

ARTICULUS UNICUS.

Quantus timor impiorum, crudelitas?

PErgit Propheta ſcelus athei aperire. 1. in proximum, quem devorat inſtar panis. 2. in Deum quem non invocat. 3. in ſeipſum, terrores vanos & Dei iram ſibi acceſſens. Verſ. 4.

19. Ac primò, generatim loquitur, verſ. 4. *NONNE COGNOSCENT OMNES* (quid cognoſcent? Deum, ait Mariana. 2. quod æquum eſt, ait Emmanuel Sa) *QUI OPERANTUR INIQUITATEM, QUI DEVORANT PLEBEM MEAM SICUT ESCAM.* (S. Aug. legit ſicut cibum) *PANIS.* Hebr. eſt: Comedentes populum meum, comederunt panem. Sed rectè noſter interpres addidit notam ſimilitudinis, quam ſæpi-

ſæpiſſimè omittunt Hebræi, præſertim in locutionibus proverbialibus, qualis eſt hæc. Id patet in proverbiis Salomonis, & Eccleſiaſtico. *Panis* porrò ſumitur ſæpè ab Hebræis pro omni cibo: ſive deducatur à Græco πᾶν, id eſt, *omne*, quòd omnium ciborū ſit loco, quòd ſapiat omnibus, quòd omnibus pulmentis adhibeatur: ſive à voce latina *paſce*, ut vult Nonius. Et quidem David rex jam duodecim tribuum, 2. Reg. 9. 7. ait Miphiboſeth filio amici ſui Jonathæ occiſi cum patre ſuo Saüle: *Tu comedes panem in menſa mea ſemper* Et Luc. 14. 15. habetur: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*. 2. tamen hoc loco panis poteſt etiam ſumi in propria ſignificatione.

30, Devoratur plebem ſi. ut eſcam, quidi 1. 2. 3. 4.

Senſus autem eſt: *qui devorant plebem meam ſicut eſcam panis*, q. d. ſicut fruſtulum panis, ſicut panem: id eſt, Primò, facilè, ſine ulla cibi reſiſtentia, ut ait Janſenius. Secundò, cum utilitate, in de ſe, ſuámque familiam, ſocios, & amicos, atque affines impinguando & ſaginando. Tertiò, cum delectatione, ait Beda Quartò, cum aviditate & cupiditate, quantâ ſcilicet à famelicis fruſtum panis arripitur & devoratur. Quare pro nibilo ducunt pauperes devorare: neque magis commoventur, quàm ſi cibum ſumerent. ita Genebrardus: & vox *devorant*, hanc aviditatem denotat. Abacuc. 18. *Velociores lupis veſpertinis*. Lupus eſt voraciſſimus, ac penè inſatiabilis, ſed præſertim veſpere & noctu: nam toto die jejunus latuit ob metum venatorum, de nocte autem diſcurrit, quia oculi ejus ſplendent, & lucem noctu jaculantur, ut ait Plin. lib. 11. cap. 37. Illam avarorum aviditatem aperit Ezech. 22. 27. *Principes ejus* (Jeroſolimæ) *in medio illius quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem,*
5. *& ad perdendas animas, & avarè ad ſectanda lucra*. Quintò, *ſicut eſcam panis*, id eſt, aſſiduè: panis enim quotidianus cibus eſt, & ſemper ſapit: ita nunquam ſatiantur impii bonis aliorum devoratis, ſed ab uno ad alium pergunt. ita S. Auguſt.
6. & optimè. Remig. Beda, Lomb. Bellarm. Sextò denique, *ſicut eſcam panis*, id eſt, ſine ulla comedentis miſericordia, ait Janſenius. Quod maximè in pane verum eſt: nam panis totus comeditur, in aliis cibis relinquuntur oſſa, ſpinæ, putamina, nuclei, & alia. Et quidem hîc dicitur: *Qui devorant plebem meam*, totam ſcilicet. Sic Pſ. 16. 14. *De abſconditis tuis* (de ſanctis, qui virtutes ſuas abſcondunt, & quos ſcuto bonæ voluntatis tegis) *adimpletus eſt venter eorum*. Et Pſalm. 26. 2. *Dum appropiant ſuper me nocentes ut edant carnes meas*. Sic Scribæ dicuntur devorare domos viduarum, Luc. 20. totas videlicet. Ugo Card. ſævitiam impiorum declarat. Devorant inquit plebem meam, ſpoliando, detrahendo, occidendo. Mich. 3. verſ. 3. *Qui violenter tollitis pelles eorum* (Jacob & Iſraël, id eſt, Samaritanorum & Judæorum) *de ſuper eis, & carnem eorum de ſuper oſſibus eorum. Qui comedunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriaverunt: & oſſa eorum confregerunt, & conciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ*. Vide dicta Pſ. 26. 2.

Nota, non dicitur devorant ſubſtantiam pauperis, aut pecuniam plebis. ſed *devorant plebem*: quia ut ait Siracides Eccli. 34. 25. & ſeq. *Panis egentium, vita pauperum eſt. qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt* (Tigurina, eſt vir ſanguinarius) *Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum. Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario fratres ſunt*. Avari

Carchariæ piſcis.

illi & rapaces ſimiles ſunt piſci carchariæ, qui aliquando ſolidum hominem cum veſtibus, imò cum armis devorat, ut refert Rondeletius de piſcibus. Vel certè illos compara vermi Indico, de quo Cteſias apud Photium. Septem, inquit, cubitos longus, adeòque craſſus eſt, ut eum decem annorum puer utroque vix brachio amplecti poſſit. interdiu in cœno fluminis deliteſcit, noctu tantùm egreditur. Tum verò, ſi bovem aut camelum nactus fuerit, morſu correptum raptat in flumen, & totum præter ventrem vorat. Ita illi prædones publici ſunt in aquis voluptatem, unde non egrediuntur, niſi ut ſæviant, & aliorum ſanguine ſaginentur. mira voracitas.

31. Symbolicè Devorant plebem ſicut eſcam, 1. detractores.

Symbolicè, *Devorant ſicut eſcam panis*, detractores, ut explicat Richard. à S. Victore lib de exercit. ſpirit. cap. 10. Vide dicta Pſ. 59. 6. in illud: *Filii hominum dentes eorum arma & ſagittæ*, &c. Ac. Pſal 63. 3. *Exacuerunt ut gladium linguas* &c. lege S. Chryſoſt. in Pſalm. noſt. ubi dirio res feris ipſis oſtendit eſſe detractores, quia nunquam ceſſant devorare, feræ verò ceſſant.

2. Paſtores mali Eccleſiæ.

Secundò, S. Bernardus ſerm. 77. in Cant. id uſurpat de paſtoribus Eccleſiæ, qui ſe paſcunt ovium carne, & tegunt vellere. *Intuere*, inquit, *quomodo incedunt nitidi & ornati, circumamicti varietatibus, tanquam ſponſa procedens de thalamo ſuo: nonne ſi quempiam talium repente eminùs procedentem aſpexeris, ſponſum potiùs putabis, quàm ſponſæ cuſtodem? Unde verò hanc illis exuberare exiſtimas rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriem, congeriem vaſorum argenteorum & aureorum, niſi de bonis ſponſæ? Inde eſt quòd illa pauper & inops, & nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida, exanguis. Propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare: non eſt cuſtodire, ſed perdere: non eſt defendere, ſed exponere: non eſt inſtituere, ſed proſtituere: non eſt paſcere gregem, ſed mactare & devorare. dicente de illis Domino, Pſal. 13. Qui devorant plebem meam ut cibum panis: & quia comederunt Jacob & locum ejus deſolaverunt*. Lege cætera Epiſtolâ autem ſecundâ ad Fulconem puerum, poſteà Lingonenſem Archidiaconum: *Dignum eſt, qui altari vivunt. Conceditur ergo tibi, ut ſi bene de ſervis de altario vivas, non autem ut de altario luxurieris, ut de altario ſuperbias, ut inde compares tibi fræna aurea, ſellas depictas, calcaria de argentata, varia griſeaque pellicea, à collo & manibus ornatu purpureo diverſificata Denique, quicquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de altario retines, tuum non eſt rapina eſt, ſacrilegium eſt. Orabat quidem ſapiens, tantùm victui meo tribue neceſſaria, non ſuperflua. Habentes ait Apoſtolus, victum & veſtitum non victum & ornatum. Et quidam alius ſanctus: Si dederit, inquit, mihi Dominus panem ad manducandum, & veſtimentum, quo operiar*. Illis Eccleſiaſticis hominibus nutritis pane, ut vocant, Crucifixi, dici commodè poteſt, quod habet Chald. in Pſalmo noſtro: *Nunquid non cognoverunt, qui operantur iniquitatem, quòd à conſpectu Dei datur nutrimentum* [ab altari ſcilicet) *Ecquid hoc eſt devorantes populum meum, comedunt panem*.

Verſ. 5. 1 pars. 32. Quoniam Deum non invocant. 1. 2.

Non tantum ſceleratí ſunt injuſti proximo, eum devorantes ſicut eſcam panis, ſed etiam in Deum peccant, ipſum negligentes, & ejus auxilium, verſ 5. *DOMINUM NON INVOCAVERUNT: ILLIC TREPIDAVERUNT TIMOR, UBI NON ERAT TIMOR*. Invocatio, ait Lorinus, includit omnem religioſum Dei cultum, ut quis non oret ſolùm; ſed prædicet, celebret, amet, colat, exequatur præcepta. Secundò, S. Chryſoſtomus invocari negat Deum, niſi bene vivant, *Dominum*, inquit, *non invocaverunt, etſi putaverunt ſe invocare: Quemadmo-*

admodum enim qui ex rapina Deo aliquid offert, nõ offert, quia Deus ea non ſuſcipit: ita qui fratrem devorant, Deum invocantes non invocant. Tertiò,
3. Ugo Card. ait, Deum ab impiis non invocari, quia in eum non verè & perfectè credunt. Dominum, inquit, non invocaverunt: id eſt, intùs non vocaverunt per puram fidem, licèt ore confiterentur. Iſa. 29. 13. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me* Quidam enim Deum negant corde, ut in hac authoritate dicitur. Quidam ore, ut Petrus negavit, Matth. 26. Quidam opere, de quibus Tit 1. 16. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negat.* Quæ tres negationes in trina Petri negatione poſſunt ſignificari. Ad veram ergò fidem neceſſaria eſt invocatio cordis, oris, operis, ſicut dicit Gloſſ. 1. Cor. 12. 3. *Nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Rom. 10. ℣. 10. Et: *Fides ſine operibus mortua eſt.* Jacob 2. 17. Hanc triplicem invocationem innuit Dominus, Matth. 7. 21 dicens: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* q. d. Non omnis, qui dicit Domine corde, Domine ore, niſi dicat etiam Domine opere. Unde addit: *Sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Joël 2. 32. *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini*, ſcilicet hoc triplici modo, *ſalvus erit.*

4. & optimè. Quartò, ſimpliciùs, & meliùs, *Dominum non invocaverunt*, id eſt, non oraverunt, non vocaverunt ad ferendum ſibi auxilium: cùm enim eò inſipientiæ venerint, ut dicant: Non eſt Deus; longè magis eum orare negligent, neque in eo ſperabunt.

VERS. 2. Pars. 33. Deum & proximum laceſſentes impii, in ſe ipſos peccant, & ſibi damnum accerſunt. Unde ſequitur verſ. 5. *ILLIC TREPIDAVERUNT TIMORE* (id eſt, plurimùm trepidaverunt. Hoc enim valet illa repetitio frequens Hebræis) *UBI NON ERAT TIMOR*, id eſt, ubi nulla erat timoris cauſa, ubi nihil erat timendum. Eſt metonymia; ponitur enim actus pro objecto. Nota *To ubi non erat timor*, non eſt in Hebr. Syr. S. Hier. Eugubinus tamen temerè dixit eſſe malè addita, & ſenſum impedire: nam leguntur etiam in textu Hebr. Pſalmi 52. & hic à Septuag. Arab. S. Auguſt. Beda, Remig. Caſſiod. Theodoreto, S. Chryſoſtomo, & aliis.

Trepidant timore, ubi non eſt timor. Senſus eſt Primò, ut ait Agellius: Timorem ſacræ litteræ quandoque Deum ipſum vocant, qui timetur & colitur. Gen. 31. 42. *niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac adfuiſſet mihi.* Et paulò pòſt: *Juravit Jacob per timorem patris ſui Iſaac*, hoc eſt, per Deum Iſaac. Ergò hac de re
1. illos accuſat, quòd earum gentium Deos colant, quæ verum Deum non habent, cum Deus verus in generatione juſta ſit: hoc eſt, tantùm in Judæa, & apud Iſraëlitas notus.

2. Secundò, & meliùs, *trepidaverunt timore ubi non erat timor.* q. d. Cùm impii non timeant & colant, quem debebant, inde fit ut magno timore frequenter trepident, ubi non eſt timoris cauſa. Timent enim ſibi ab idolis ſuis, quæ non decebat timere, & vanâ ſuperſtitione in minimis ſæpè rebus tenentur. Amoto quandoq; arboris folio conſternuntur, fugiuntque nemine illos inſequente. In adverſitatibus anxiè ſibi timent, ubi juſtis divino præſidio munitis nihil eſt turbatione dignum. In noviſſimo etiam judicii die, maximo comprehendentur horrore & timore, ubi tamen juſtis non erit timor, qui in magna fiducia ſecuri occurrent judicis aſpectui. Ita Janſen.

24. Timidi ſunt impii, & cur. Quæres Quare tam meticuloſi ſint impii? Reſpond. cauſas peti poſſe tam ab intrinſeco, quàm ab extrinſeco. Primò enim, ignavos facit impietas, & generoſos ſpiritus gulà, crapulà, deliciis, voluptatibus, ſomno, otio obruit & extinguit.
Primò, quia ſunt ignavi. S. Chryſoſt. in Pſal. noſtr. *Audaces*, inquit, *fuerunt ut leones, & tanquà lepores trepidarunt.* C. Cornelius poëta ſæpe fugientes milites jure *galeatos lepores* appellavit; unde ab iis eſt occiſus, ut tradit Euſebios. Ingenioſè autem Themiſtocles cavillari ſolebat in Eretricenſes, cùm diceret *eos ſimiles eſſe piſcium, qui gladioli vocantur: quippe qui gladium quidem haberent, cor autem non haberent*:
Themiſtoclis facetum dictum. notans illorum ignaviam, quòd armatis non eſſet animus, ut tradit Plutarch. in Apophtegmatis. Itaque, ubi venti folium inſonuerit, aut defractus ramuſculus increpuerit, cor impiis ſubſilit, palleſcit vultus, mens concuſſa evertitur: Maximus Tyrius orat. 1. quid ſit Deus, Athei meticulolum, & ignavum, ac ſocordem animum tribus ſimilitudinibus depingit: *Eſt*, inquit, *λέων ἄθυμος, βοῦς ἄκερως, ὄρνις ἄπτερος, leo ſine animo, bos ſine cornibus avis ſine pennis.* q. d. ſi verba impii, furorem, jactantiam, inſaniam, aliaque ſpectes, leonem credas: ſi in periculis ignaviam, languorem, ad aſinos ableges: ſi petulantiam, libidinis ardorem & impetum conſideres, taurus videatur indomabilis: ſed ubi reſtiteris, in fugam ſe dat cornibus deſtitutus ac robore: ſi ſuperbiam, arrogantiam, jactantiam contempleris, pavo appareat lucens pennis, & ad volatum ſeſe explicans: ſed ubi propriùs oculos adverteris, non pennas, ſed picturam tantum & apparentiam vides: & quem putabas ad ſummum aërem evolaturum, & nubes penetraturum, vides humi repere, & in luto verſari, atque inde non poſſe emergere. Græci δειλὸν appellant, tum humidum & ignavum: tum malum & improbum.

35. Secundò, eos mordet conſcientia. Secundò, impii *trepidant timore, ubi non eſt timor*, quia conſcientia eos mordet, & meritam ſe eſſe pœnas, itaque ſemper ultrices furias adeſſe putat. Venti in terræ viſceribus concluſi eam agitant, divellunt cum horrendo mugitu, fragore, & damno: ita & clauſa in mente peccata quietam eſſe non ſinunt, & quicquid in ea plantatum, aut ædificatum eſt, evertunt. Cain poſt occiſum fratrem Abel ſemper tremebat: ait illi Deus Gen. 4.
Cain tremit. 12. *Vagus & profugus* (Sept. gemens & tremens: quod Græci referunt ad tremorem corporis) *eris ſuper terram* Et. v. 15. ſubditur, *Poſuit Dominus in Cain ſignum* (non notam fronti ejus inſculptam, non faciem feram atq; truculentam, ſed tremorem corporis & mentis, vultûſque conſternationem, *ut non interficeret eum omnis* (non omnis: id eſt, nullus, apud Hebr.) *qui inveniſſet eum.* Verſ. 16. additur *Egreſſuſque Cain à facie Domini* (ſi ibi manſiſſet, & veniam petiiſſet, à vultu regis amici, & patris optimi lucem, mentis & corporis conſtantiam accepiſſet) *habitavit profugus in terra* [qui ſtabilis in cœlo & in Deo eſſe poterat. Hebr.
Terra Nod qualis. & Sept. habitavit in terra *Nod*, id eſt, in terra fluctuante: quia, ut fingunt Rabbini, quocumque Cainus pergeret, ſtatim ut ibi pedem poſuerat, fluctabat terra & tremebat. Omnis terra & tota fluctuat & tremiſcit, cùm in ea pedem, id eſt, affectum, ponit impius: nihil terrenum eſt firmum & ſecurum, Nod, ſignificat vagum, mobile, profugientem de loco in locum. Vel, *Nod* eſt ſubſtantivum, & ſignificat vagationem, commotionem, demigrationem, exilium. Cain itaque habitavit in terra Nud, id eſt, ait R. Salomon, in terra, ad quam omnes profugi ſe recipiebant. 2. Potiùs, in terra exilii ſui ad quam ipſe profugerat. Septuag. ſumunt Nod, ſeu Naid ut nomen proprium: addunt, *ad orientem plagam Eden*, id eſt, paradiſi terreſtris. Edeo ſignificat voluptatem & delicias.

Qui

Qui voluptatem ſpectat, & eam ſibi oriri cœpit, atq; ſpes volaticas ſemper orientes & nunquam venientes conſiderat, expectatione inani deluditur, & vero timore quatitur, ſi præſertim intùs ſcelera objectantem conſcientiam habet. De Nerone ait Xiphilinus in ejus vita: Nero Romanorum Imperator cùm poſt innumera facinora ſua, quibus totam ſuam vitam, atque majeſtatem imperatoriam turpiter deformavit, à deſertoribus, atq; vitæ inſidiatoribus quæreretur, ex urbe fugiens, poſteaquàm in Phaonis prædio latitaret, ſtatim ſuſpectos etiam habere cæpit ſummos amicos, qui fugæ ſocii fuerant. Omnem humanam vocem perhorreſcebat: ſi catulus paululùm latraret, aut caneret gallina, aut ſi ramus arboris vento moveretur, graviter concutiebatur malè ſibi conſcius, quibus ex cauſis conquieſcere nullo pacto poterat. Non audebat loqui cum iis, qui aderant præſentes, ne ab alio intelligeretur, Ibyci interfectores timent grues, veluti ſe accuſantes, & inde deprehenduntur.

36. 3. Timent impii, quia læſam habent imaginationem. Tertiò, impii *trepidant timore, ubi non eſt timor* quia læſam habent imaginationem & mentem: putant ea videre quæ non vident, audire, quæ non audiunt, ſentire, quæ non ſentiunt. De Ægyptiis in triduo tenebrarum trementibus, & ob varia inſomnia, phantaſmata, & terriculamenta propè exanimatis, dicitur Sap. 17. 13. *Illi autem qui impotentem* (quæ vitari, ſuperari, & illuſtrari nullo lumine aut arte poterat) *verè noctem, & ab infimis & ab altiſſimis* (id eſt, de profundiſſimis: ſunt enim hæc duo ibi ſynonima, infimum, & altiſſimum) *inferis ſupervenientem* (Græcè, ex impotentis inferni ſpeluncis ſupervenientem) *eundem ſomnum dormientes* (hoc eſt, pariter in illa nocte & tenebris dormiebant; id eſt, veluti ſomno & veterno ſepulti ac dormientes locum non mutabant, ſed ſtupefacti ſtabant, aut jacebant veluti trunci atq; ſtipites.) *Aliquando monſtrorum* (Græc. monſtris phantaſmatum, id eſt, viſionum horrendis ſpectris) *exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione* (id eſt, extra ſe eductione, vel punitione Gr. *traditione* (q.d. animi deliquium patiebantur præ pavore, penè anima corpus deſerebat) *ſubitaneus enim illis & inſperatus timor ſupervenerat. Deinde ſi quiſquam ex illis decidiſſet* (id eſt, quicunq; ibi erat, vel eò veniebat, qui in eas anguſtias labebatur, ut explicant Lorin. & Mariana, a. & meliùs, decidiſſet, id eſt, cecidiſſet, vel præ metu lapſus, ut ait Sa: vel lapſus in aliquam foveam ob tenebras) *cuſtodiebatur in carcere* (quaſi in carcere. Hebræi ſæpè ſub intelligunt notam ſimilitudinis) *ſine ferro recluſus. Si enim ruſticus quis erat, aut paſtor, aut agri laborum operarius præoccupatus* (in mediis agris interceptus, illis tenebris ex improviſo ſupervenientibus) *eſſet, ineffugibilem ſuſtinebat neceſſitatem*; ibi ſcilicet manendi, ob trepidationem atque tenebras.

Eliphaz Themanites cap. 15 Jobi, v. 21. conſternatum pavore flagitioſum, veluti fugacem lixam & calonem depingit, qui ſtatim ut gladios ſtrictos aſpexerit, ac tubæ ſonitum inaudiêrit, clamoremque hominum: & hinnitum equorum, pedibus ſalutem quærit, ſuiſq; ſemper auribus ſequacem hoſtem victorem inſonare credit. *Sonitus terroris* (Hebr. *terrorum*, omnia ſibi animo fingit pericula: ſonitus maximè terrificus) *ſemper in auribus illius: & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur.* Sopore gravi merſis non malè quis impios composuerit: quia enim dormiunt, ut ait Albertus lib. de ſomno & vigilia, cùm vel leviſſimus ſonus ea humoris exigui tinnitu, auris tympanum percuſſerit, tum ſæva mugire tonitrua mittique fulgura credunt: ſi verò pituitæ ſtilla dulcis è capite decidua linguam aſperſerit, mellita fercula, & oppiparè condìtas dapes glutire ſe opinantur. Idem accidit impiis dormiturientibus: ad omnem ſonum intremunt. Similes ſunt Artemoni cuidam Græco, ſupra modum meticuloſo: hic cùm intra domũ erat, duo ſervi æreum ſcutum capiti ejus impoſitum ſuſtentabant; ne quid noxium ſuperne decideret, caputq; obtereret. Cùm autem domo egredi cogeretur, lecticâ tectâ vehebatur, ne ab ullo injuriæ aliquid perciperet. Quid autem hâc vitâ miſerius eſſe poteſt. Artemonis pavor ridiculus. Ut enim ait S. Ambr. lib. de Joſeph. c. 4. *Nihil tam ſpeciale ſervitutis eſt, quàm timere.* Hanc autem trepidationem præſertim eſſe propriam atheis, de quibus eſt Pſal. noſter, docet S. Baſilius in Pſ. 33. vocat enim ἀπιστίας ἔγγονον, id eſt, infidelitatis fœtum. Generatim de omni peccatore ait Tullius in in orat. pro Milone: *Magna eſt vis conſcientiæ, & magna in utramque partem: ut neque timeant, qui nihil commiſſerint, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccaverint.* Proverb. 14. verſ. 15. *Omnes dies pauperis* (R. Levi, & Vatabl. inſipientis: hic eſt pauper non cenſu & pecuniâ, ſed ſenſu & mente) *mali*, id eſt, miſeri & calamitoſi) *ſecura mens quaſi juge convivium.* Ubi Ugo ait: Convivæ hujus convivii ſunt virtutes, quæ omnes propriis ferculis reficiuntur.

Quartò, impii *trepidant timore, ubi non eſt timor*: quia ambulant in via tenebroſa. Sap. 17 v. 17. 37. 4. timent ob viam tenebroſam. de Ægyptiis, & eorum tenebris inductis à Moſe dicitur: *Una enim catenâ tenebrarum omnes erant colligati, ſive ſpiritus ſibilans* (id eſt, venti & aëris quælibet agitatio & ſtridor) *aut inter ſpiſſos arborum ramos avium ſonus ſuavis* (veris tempore factæ ſunt illæ tenebræ) *aut vis aquæ decurrentis nimium* (Gr. βίᾳ, id eſt, cum impetu & violentia) *aut ſonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium curſus inviſus* (non viſus, ait Sa. inopinatus verò, Mariana) *aut mugientium valida beſtiarum vox aut reſonans de altiſſimis montibus echo.* (Græc. repercuſſa ex cavitate montium echo) *deficientes illos faciebant præ timore.* Miſeriam Ægyptiorum amplificat, quòd omnis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur. Solis autem illis ſuperpoſita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat. Deinde concludit: *ipſi ſibi erant graviores tenebris*, ob ſcelera ſcilicet, & trepidationem conſcientiæ.

Quintò, impii *trepidant timore, ubi non eſt timor*: quia ſciunt Deum ſe habere hoſtem, Angelos, Sanctos omnes, & viros pios: unde putant gladium cervicibus ſuis ſemper intentari, itaq; trepidi fugiunt. Eliphaz c. 15. Jobi 22. *Non credit quòd reverti poſſit de tenebris ad lucem, circum ſpectans undique gladium.* Antiquus ille Damocles gladium tantùm habebat ſupra verticem, ſed impii à dextris, à ſiniſtris, antè & retrò, infra, ſupraque gladiis necem præſentem intentantibus ſuccinguntur. Licèt autem Deus non feriat, nec feriendi animo gladium vibret, ſed deſiderio eos convertendi, & converſos juvandi, tamen fugiunt & trepidant. Prov. 28. 1. *Fugit impius nemine perſequente, juſtus autem quaſi leo confidens abſque terrore erit.* 5. quia ſciunt Deum ſibi eſſe infenſum.

Sextò impii *trepidant timore, ubi non eſt timor*: quia nimis amant terrana, & illa timent amittere: cùm tamen illorum, utpote vilium bonorum amiſſio non ſit timenda. S. Auguſt. in Pſal. noſtr. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor, id eſt, in damno rerum temporalium. Dixerunt enim: Si relinquimus eum ſic, credent in eum omnes: & venient Romani, & tollent nobis & locum & gentem. Timuerunt regnum terrenũ amittere, ubi non erat timor:* 6. quia nimis amant terrena.

timor: & amiſerunt regnum cœlorum, quod timere debuerant. Et hoc de omnibus temporalibus commodis intelligendum eſt, quorum amiſſionem cùm timēt homines: ad æterna non veniunt. Chriſtus ait Apoſtolis ſuis Matth. 10. 28. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timere eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Arab. vertit, in ignem gehennæ. Cætera illi collata ſunt tantùm fumus, & quidem pictus.

Verſ. 6. 2. pars. 38. 7. quia ſciunt Deum eſſe juſtorum adjutorem.

Septimò, impii *trepidant timore ubi non eſt timor*, quia Deus eſt in medio juſtorum, ſicut dux exercitûs, & rex eos regens & protegens, verſ. 6. *QUONIAM DOMINUS IN GENERATIONE* (Syr. & Septuag. Chald. juſtorum, Arabs, innocentium) *JUSTA EST*, id eſt, in medio nationis, familiæ, & animæ juſtæ. Pagn. & Felix vertunt; in generatione juſti. Cùm enim homo juſtificatur, non ſolùm Spiritus ſanctus in ejus animam infundit gratiam ſanctificantem, charitatem, & alia dona, ſed ſe ipſum illi communicat modo quidem mirabili & accidentali, vero tamen & phyſico. Eſt enim ipſe primum & ſpeciale donum in juſto inhabitans, non ſolùm per eſſentiam, potentiam, & præſentiam; ſed etiam per ſpecialem modum, velut in templo ſuo & throno, ut eam ſanctificet: tueatur, & gubernet. S. Chryſ. hîc ait: *Sicut inter milites Imperator, ſicut Rex in ſenatu, Deus eſt in generatione juſtorum, qui dixit Mat. 18. 20. Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio eorum. Si autem venit in medium duorum vel trium ſanctorum, multò magis invenitur in generatione juſtorum, ubi eſt vita inexpugnabilis, ubi converſatio quæ caret triſtitiâ: ubi eſt quies immortalis, hæreditas inſeparabilis, regnum, quod caret ſucceſſione, ad quod Chriſtus vocat dicēs, Mat. 25. 34. Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Ita Chryſoſt.

Verſ. 7. 1. pars. 39. 8. quia juſtos confundere voluerunt.

Octavò denique, impii *trepidant timore, ubi non eſt timor*: quia juſtos ipſi terrere & confundere voluerunt, Deo ſervientes, & in eo ſperantes, verſ. 6. *Quoniam Dominus in generatione juſta eſt* (& quoniam) *CONSILIUM INOPIS* (Hebr. ani, id eſt, pauperis, ut vertit S. Hier. afflict. ut Arias) *CONFUDISTIS* (confundere voluiſtis, & conati eſtis. 2. irriſiſtis, vituperaſtis, pudore affeciſtis, id ſonat Græc. κατῃσχύνατε, Arab. reddit, ſtultam fecerunt ſententiam pauperis. Chald. conſilium pauperum, quod cogitant in vos, vituperaſtis. Vel, ſtultum, ridiculum, pudendum exiſtimaſtis. 3. confudiſtis, id eſt, evertiſtis, illi vos oppoſuiſtis, conati eſtis impedire, ne ad felicem exitum perduceretur. Petav. βουλὰς ἠκύρωσαν, id eſt, conſilia diſſipaſtis: quantum ſcilicet in veſtra poteſtate fuit. Impietas autem illius voluntaris patet ex motivo ejus; additur enim: *QUONIAM DOMINUS SPES EJUS EST.* q. d. illud erit conſilium inopis, quod confundere, irridere, vile & probroſum oſtendere voluiſtis: quòd ſcilicet non in divitiis, honoribus, dignitatibus, potentia, exercitu, & armis confidat, ſed in Deo ſolo: hoc ſtultum eſſe exiſtimatis, & inſanum, ac temerarium, & ſic ſperantem atterere, & obruere, atque ad nihilum redigere nitimini, ut omnium ſannia & ludibrio pateat. Deus porrò eſt juſti viri ſpes non formalis, ſed cauſalis, id eſt, cauſa ſpei ejus, eſt id, per quod ſperat. 2. Deus eſt ejus ſpes objectivè, id eſt, objectum ſpei ipſius, eſt id, quod ſperat, eſt res ſperata q. d. vir pius unum Deum amat, quærit, optat, ad eum unum tendit, cætera pro nihilo ducit. Hoc autem videtur ſtultum mundanis, ſed tandem dicent in inferis, cum operiet confuſio faciem eorum. Sap. 5. 4. *Nos inſenſati* (Gr. ἄφρονες, ſine mente) *vitam illorum æſtimabamus inſaniam.* Gr. μανίαν, furorem, maniam) *& finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati* [æſtimati & judicati] *ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.*

Quæres, Quis eſt ille inops, cujus ſpem in Deum confundere nituntur ſcelerati? Reſp. primò Deus Euthymius, inopem illum eſſe regem Ezechiam, juvat inquem in orbe regia obſidere volebat Sennacherib rex Aſſyriorum, & quidem erat inops & ſine opem, & quêt humanis viribus comparatus regi tam potenti, qui eum ducentis circiter hominum millibus penè totam Judæam vaſtaverat & occupaverat, Tharacam regem Æthiopum prælio fuderit, & jam Jeroſolymæ ipſi imminebat. Ezechias ſpes ſuas in ſolo Deo collocabat, ut patet Iſaiæ 37. 14. ubi deſcribitur, quomodo tulerit epiſtolas Sennacherib in templum, & illas expanderit coram Domino, id eſt, ante altare, atque oraverit opem divinam implorans. Spem illam Ezechiæ confundebat, id eſt, irridebat Rabſaces, 4. Reg. 19. 10. & ſeq. inclamans propè muros Jeruſalem, & mandans Ezechiæ dici? *Non te ſeducat Deus tuus, in quo habes fiduciam, neque dicas: Non tradetur Jeruſalem in manus regis Aſſyriorum. Numquid liberaverunt Dii Gentium ſingulos, quos vaſtaverunt patres mei, Gozan videlicet, & Haran, & Reſeph, & filios Edem, qui erant in Thelaſſar? Ubi eſt rex Emath, & rex Arphad, & rex civitatis Sepharvaim, Ana & Ava.* Sed ipſe Sennacherib confuſus eſt, quia unâ nocte 185. millia in illium cæſa ſunt in ejus exercitu, & ipſe fugere cum paucis coactus eſt nemine ipſum perſequente, & cùm in ſua patria ſæviret in Judæos, paucis pòſt diebus à propriis filiis eſt occiſus. Secundò, & melius, *inops* hîc latius patet, & generatim de omni viro juſto accipitur, qui nihil præſidii quærit in hominibus, neque in ſua induſtria, ſed robur ſuum omne ſcit in Dei ope conſiſtere, quicquid fiat, novit cariturum proſpero ſucceſſu, niſi Deus manum ſuam adjecerit. Tertiò, & maximè propriè; *inops* intelligitur ipſe David, qui cogebatur cum paucis militibus vagari ob Saulis regis metum cum exercitu venturi, ut eum caperet: quò enim pergeret, & ubi auxilium in terra quæreret, neſciebat. Spes autem ipſius in Deum promittentem ipſi regnum irridebatur ab impiis aulicis Saulis, & aliis. Extende tamen, ut dixi, ad omnes juſtos, ac præſertim ad tenuiores & pauperes.

Alleg. Inops eſt Chriſtus, qui *propter nos egenus factus eſt*. 2. Cor. 8. 9. & pauperes amavit, ac beatos eſſe prædicavit, eorùmque eſſe regnum cœlorum. Mat. 5. 3. hoc ejus conſilium, & hanc agendi ac docendi rationem confuderunt, id eſt: irriſerunt, ſtultitiæ & confuſionis, atq; opprobrii plenam judicârunt Judæi & Gentiles. 1. Cor. 1. 23. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum. Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.* Sed ſtulti ſunt ipſi: & inſipientes: unde additur, *ipſis autem vocatis* (ad fidem] *Judæis atque Græcis Dei virtutem* (δύναμιν, id eſt, potentiam) *& ſapientiam.* Alludit ad paronomaſiam Hebraicam. Nam *michſal* ſignificat ſcandalum; *miſchal*, ſtultitiam: *ſechel*, intellectum, intelligentiam, ſolertiam, induſtriam, ſapientiam. Sed Deus ipſos illos mundi ſapientes confudit, & ſtultos eſſe oſtendit, atque per ſtultitiā prædicationis eorum eloquentiam, ratiocinationes, ſophiſmata, ſubtilitates evertit, atque homines ad ſalutem perduxit, ut habetur verſ. 20. & 21.

40. Deus juvat inopem, & quêt

41. Allegoricè. Chriſtus fuit inops.

Servis ſuis præſtò eſt Deus, & quos videt ciſo & opprobrio hominum patere, ac pro nihilo duci, lætitiâ cumulat. Verſ. 7. *QUIS DABIT EX SION SALUTARE ISRAEL*, id eſt, ſalutem Iſraëlis, eſt enim Græcè τὸ σωτήριον) *CUM AVERTERIT*

Verſ. 7. 42. Jacob & Iſraël

quid s. Literaliter.

RIT DOMINUS CAPTIVITATEM PLEBIS SUÆ. EXULTABIT JACOB, ET LÆTABITUR ISRAEL, id eſt, omnes tribus populi Dei. Per Jacob poſſunt ſomi duæ tribus; per Iſraël, decem aliæ, ut fit aliquando in Prophera. Vel, Jacob & Iſraël ſunt ſynonima, ùt vult S. Auguſtin. Senſus autem eſt, q. d. Quis eſt, qui nobis ex Sione ſalutem afferre poſſit, ubi Deus templum ſuum poſuit, ubi ſpecialiter in propitiatorio habitat, & invocantes ſe exaudit, & juvat? nullus id facere poteſt præter Deum; cùm autem id fecerit, & populo libertatem reddiderit ejecto Saüle, qui crudeliter in ſacerdotes, ipſum Pontificem, pròque multos deſævíit, & indies magis ac magis furit. tunc omnis populus Dei lætabitur me videns ab injuſto exilio reducem, & ad regium thronum evectum. Secundò, & melius, occaſione ſuæ captivitatis in montibus, aut Ceila, ubi veluti captus tenebatur in urbe, in qua portæ & feræ erant, ut dixit Saül 1. Reg. 23. 7 Ceilani enim metu furentis Saülis quid agerent, neſciebant & David in ſummo ſe periculo cernebat, ne vel invitus retineretur: occaſione, inquam; illius captivitatis ad altiora aſſurgebat, & partim de captivitatibus totius populi ſub Salmanaſar rege Aſſyriorum, qui Samariam evertit: & ſub Nabuchodonoſor rege Babyloniorum; qui Jeroſolymam: partim verò & præcipuè de captivitate totius generis humani ſub Diabolo agit. Et verò cùm erat in Ceila, necdum templum erat erectum in Sion, neque tabernaculum, quod ipſe ibi extruxit. Nam adhuc erat in poteſtate Jebuſæorum mons Sion, & civitas ejus. Nota porrò, *Quis dabit*, ſumi hîc pro, utinam aliquis det. Sic Jerem. 9. 1. *Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum?* Eadem formula uſurpatur Pſ. 55. 7. Pſ. 54. 7. Cant. 8. 1. Num. 11. 29. Job. 6. 8. & alibi. Quod ideò frequentiùs uſurpatur, quia Hebræi carent optativo.

Alleg.

Allegorico, & præcipuè intento ſenſu agitur hîc de Incarnatione Chriſti, & ejus Paſſione, quâ captivitatem humani generis abſtulit, & vincula diaboli diſſolvit. Vide dicta Pſ. 2. 3. *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipſorum.* Chriſtus venit *prædicare captivis remiſſionem* Luc. 4. 18. Dixit Paulus Galatis c. 5. 13. *In libertatem vocati eſtis*, & S. Jacobus c. 1. 25. legem gratiæ vocat legem perfectæ libertatis: mundi & carnis libertas, ſunt libertas imperfecta, picta, mendax, ſed vera & miſera ſervitus.

Anagogicè.

Anag. captivitas tollitur, cum ſancti vinculis corporis ſoluti ad cœlum evolant: tunc ibi lætatur *Iſrael*, id eſt, vir videns Deum: & *Jacob*, id eſt, is, qui luctatus eſt cum vitiis in hac vita. Vide Pſ. 123. 7. *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.*

Tropolog.

Tropol. Deus animæ captivitatem tollit, cum deſideria vana & noxia extirpat & divellit, quibus aſtringebatur. Captivitatis illius miſeriam explicare poſſis apologo Cyrill. lib. 3. apol. mor. cap. 12. Simia, inquit, ab hiſtrione favum mellis pro munere accipiens, illi ſe in famulam ad joculares ludos populo exhibendos obtulit; quare ab eo, ne fugeret, catenulâ illigata, atque in ludibrium populo expoſita, ſerò captivitatis ac miſeræ, duráque ſortis pœnitere cœpit: unde munus acceptum damnans exclamavit: *Ob ſubornatum deceptivæ cupiditatis hamum, lethiferum munus, munerum naturalium adeptivum graviſſimum obligationis pignus ſtulti, & ſapientis commercium minimum, maximum emptionis pretium, ſervitutis jugum, iniquitatis fermentum; captivitatis indicium, fomentum diſcordiarum, ſubverſio civitatum, omnium ſeminarium malorum, amatum venenum.* Cum verò fueris liberatus ab illa captivitate, & in ſecuritate & tranquillitate mentis conſtitutus, tunc non parvum mellis favum, ſed optimum & perpetuum convivium tibi dabit Deus. Prov. 15. ℣. 15. *Secura mens* (Hebr. bonum cor: vel, bonus corde) *quaſi juge convivium.* Pagninus vertit, jucundus corde eſt, ac ſi eſſet in jugi convivio. Iſa. 66. 23. *Et erit menſis ex menſe* (feſtum Neomeniæ ſive novilunii) *ſabbathum ex ſabbatho*, i. e. feſtum feſto continuè ſuccedunt. Ut enim ait Clemens Alexand. lib. 7. Strom. *Univerſa vita juſti eſt quidam celebris ac ſanctus dies feſtus.* Et S. Aug. in ſententiis, num. 90. Non poteſt quiſquam fraudari delectationibus ſuis, cui Chriſtus eſt gaudium. Et S. Bernard. lib. de Conſcientia: *Nihil*, inquit, *eſt jucundius, nihil tutius, nihil ditius bonâ conſcientiâ: premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit ſecura. Bona conſcientia ſecura erit, cum corpus morietur: ſecura, cùm anima coram Deo præſentabitur: ſecura, cùm utrumque in die judicii ante tribunal terrificum juſti judicis ſtatuetur. Futuræ benedictionis non eſt utilius remedium, nec certius teſtimonium bonâ conſcientiâ. Cùm mundus omni volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, tranſeat, nunquam marceſcit bona conſcientia. Subjiciatur corpus in pœna, in injuriis maceretur, verberibus laniètur, eculeo diſtendatur, gladio trucidetur, crucis patibulo affigatur, ſecura erit bona conſcientia.* Vide dicta Pſal. 125. 1. In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati.

Si benè vivas, exultabis: ſive ſis *Jacob*, id eſt, luctans cum vitiis: ſive ſis *Iſrael*, id eſt, vir videns Deum, ob perfectionem & contemplationem divinorum.

44. Lætatur io Deo Jacob. id eſt, vitæ activæ deditus.

De primo habes Prov. 14. 10. *Cor, quod novit amaritudinem animæ ſuæ* (qui de peccatis ſuis compungitur) *in gaudio ejus non miſcebitur extraneus*, id eſt, in gaudio ejus nihil alienum ſe immiſcet, ut ait Vatablus, q. d. habet perfectum gaudium ſine ulla mœroris mixtione. S. Antioch. homil. 107. de Compunctione: *Rorulenta*, ait, *aſpergines lacrymarum, ut dulcor mellis ſunt cordi, aut ſuave fragrans thymiama apud Deum.* Sanct. Ephrem ad cœlos uſque lacrymas tollit, tom. 1. orat. de extremo judicio & compunctione: *Certò, ait, ſcitote fratres, non fore in terra, quod dulcius gratiâ lacrymarum: ſi quis veſtrûm expertus lacrymarum dulcedinem mediante oratione deſideravit elevari è terris: totus hic extra corpus in cœlum fertur. Et quid dico extra corpus? imò extra ſæculum univerſum totus eſt, nec ampliùs converſatio ejus invenitur in terris.* Per Jacob poſſunt etiam figurari, qui ſunt in vita activa: vel ſunt in ſtatu hujus vitæ: his enim adhuc luctandum, laborandum, lugendum: ſed Matth. 5. ℣. 5. dicitur, *Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Ubi S. Chryſoſt. ait: Si vis conſolari, luge. Neque putes ænigma eſſe quod dixi. Quando enim conſolatur Deus, etiamſi millia mœrorum irruant, cunctis ſuperior exiſtis. Ità ipſe.

Et Iſraël id eſt, contemplativus

De ſecondo, nempe quòd *Iſrael*, id eſt, contemplativus, & Deum videns ſit exultaturus, dicitur Prov. 15. 30. *Lux oculorum lætificat animam* (Pſ. 16. 15. Satiabor, cùm apparuerit gloria tua) *fama bona impinguat oſſa*, id eſt, bonum nuncium de prædeſtinatione, electione, & felicitate æterna. Pſalmo 121. verſu 1. *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus:* hunc verſum dictâ certâ ſpe ſalutis cecinit moriens B. Petrus Alcantara. Accepto ſimili prædeſtinationis nuntio ſancta Maria Oegniacenſis, extra ſe quaſi rapta jubilando exclamabat: *Ibimus in ſancta ſanctorum. Et quid ſunt ſancta ſanctorum?* ùt ait Jacobus de Vitriaco Card. in ejus vita. Si expectatio tantum dat gaudii, quid

facict

faciet ipſa poſſeſſio? Quòd ſit Deo ſerviendum cum lætitia, probavi ſatis fusè Pſalmo nonageſimo nono, ℣. primo. *Jubilate Deo omnis terra, ſervite Domino in lætitia.* In cœlo erit perfecta. Vide Pſal. 16. verſ. 15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

COMMENTARII
IN PSALMOS.
PSALMUS DECIMUS QUARTUS.

1. *Pſalmus David.*

1. DOmine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut requieſcet in monte ſancto tuo?
2. Qui ingreditur ſine macula: & operatur juſtitiam.
3. Qui loqui veritatem in corde ſuo: qui non egit dolum in lingua ſua.
4. Nec fecit proximo ſuo malum: & opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos.
5. Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat.
6. Qui jurat proximo ſuo, & non decipit: qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.
7. Qui facit hæc, non movebitur in æternum.

PSALMI DECIMI QUARTI ANALYSIS.

David deſiderium cœli excitare cupiens, ſcalam erigit, & proponit,
- Terminum ſcalæ, cœlum, quod eſt
  - Tabernaculum Dei. 1.
  - Et mons ſanctus ejus. 1.
- Et gradus ſcalæ decem: nempè
  - Deſiderium continuum proficiendi. 2.
  - Cordis ſinceritatem. 3.
  - Verborum fidelitatem. 3.
  - Charitatem erga proximos. 3.
  - Detractorum odium. 3.
  - Fugam & odium mali conſortii. 4.
  - Amorem & æſtimationem proborum. 4.
  - Odium perjurii. 5.
  - Liberalitatem in egenos. 5.
  - Juſtitiæ perfectum amorem. 5.
  - His decem gradibus in cœlum ſcandi aſſerit.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. *Pſalmus David.*

1. PSalmi argumentum cenſet Beda eſſe verba
Argu- populi in captivitate Babyloniæ optantis
mentũ reditum ad patriam, enumerantiſque, qui-
Pſalmi bus meritis, quia ad hanc pervenire queat. Se-
quod? cundò, alii generaliùs loquuntur, & putant Da-
1. videm à Deo petere, quinam mores ſint neceſſa-
2. rii, ut quis in Judæa peculiariter ſervis Dei de-
ſtinata, ac præſertim in Jeruſalem, & monte Sio-
3. ne, ubi tabernaculum erexerat, manere dignè
poſſet, ità ut Deo placeret. Tertiò, Agellius vult
in hoc Pſalmo demonſtrari, quales eſſe debeant
ii, qui in tabernaculo in monte Sion erecto mi-
niſtrabant: Sacerdotes ſcilicet, Levitæ, & cæteri.
4. Quartò, quia & hoc tabernaculum, & mons
Sion erant figura Eccleſiæ: ideò Aiguanus ait, in
hoc Pſalmo oſtendi, quas conditiones Clerici
& Sacerdotes debent habere, ſi dignè in taber-
naculo Eccleſiæ habitare velint, & ſervire Deo:
per hoc volens oſtendere, quòd iſti majoris per-
fectionis eſſe debeant, quàm cæteri homines, ſi-
5. cut majoris ſunt dignitatis. Quintò, alii ad om-
nes Chriſtianos extendunt, quos cenſent infor-
mari, ut in Eccleſia Dei, quæ eſt ejus domus,
ambulent dignè Deo.

Sextò, S. Auguſtinus, Lombardus, Ugo, Ti- 6.
telmannus, & alii, arbitrantur declarari, qui ſint
modò veri cives domûs Dei, quæ eſt Eccleſia, &
qui ingreſſuri ſint in requiem æternam.
Septimò tamen, malim adhærere Vatablo, 7. & op-
Janſenio, & Bellarmino, aliiſque cenſentibus, hîc timè.
declarari viam ad vitam æternam, & à Deo peti certam vivendi formulam, maximè cum proximo, ut in cœleſti domo manere & quieſcere poſſimus. Hoc meliùs patebit in explicatione primi verſiculi.

Nota primò, ad titulum noſtrum, *Pſalmus* Nume-
David, addunt Euthymius, Heſich. Bellarmin. rus de-
& ipſi codices Complut. & Regii, *in finem*: cimus
quod de Chriſti in terras adventu exponit Heſy- quartus.
chius: de perfectione virtutum, Euthymius. Græca enim dictio [illegible], non tantùm finem, ſed perfectionem etiam ſignificat. In finem itaque ait Pſalmum hunc inſcribi, quia perfectiſſimè & conſummatiſſimè deſcribit, qualem eſſe oporteat virum virtute præditum.

Nota ſecundò. Eſſe quendam nexum Pſalm hujus cum præcedenti; nam in præcedenti fecerat mentionem captivitatis ob improbitatem hominum

minum, hic denotat modum, quò quis poſſit ab illa captivitate liberari, & virtutis viam ineundo ad cœlum evolare. Ità Theodoretus, & alii.

Nota tertiò. Innumero myſterium reperit S. Hieronymus. *Quartus decimus*, inquit, *Pſalmus lectus eſt, qui præſcribitur Pſalmus David. David autem noſter, Chriſtus eſt. Deindè legimus in Exodo 12. quia quarta-decimâ die agnus immolatur. Quarta-decimâ die immolatur, quando luna plena eſt, quando nihil deeſt de lumine. Videte ergò, quòd Chriſtus non immoletur, niſi in perfecto & pleno lumine. Quoniam ergò quarta-decimâ die immolandus eſt vobis agnus, nunc Propheta miratur & interrogat.* Immola teipſum in perfecta contemplationis luce, quàm dabit tibi plena Dei ſapientia, id eſt, Chriſtus Ipſe, B. Virgo, fervens religio; & domus plena atque anima reſplendens virtutibus in nocte hujus vitæ.

DIVISIO TOTIUS PSALMI.

3. *Duo patefacit. Primò, quietis terminum. Verſ. 1. Secundò, quà viâ, motúque eò perveniatur, Verſ. 2. uſque ad finem.*

PARAPHRASIS.

1. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?*

1. Domine Deus, quis ad tam felicem ſortem perveniet, tecum ut cœleſti tuo in palatio ac monte, ubi æterna quies eſt, atque felicitas, commoretur?

2. *Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam.*

2. Qui ab omni ſe vitiorum ſorde mundum ſervaverit, quique virtutum actionibus mentem ornaverit: ille æternæ gloriæ felicitatiſque particeps, cœleſte in templum admittetur.

3. *Qui loquitur veritatem in corde ſuo: qui non egit dolum in lingua ſua: Nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit adversùs proximos ſuos.*

3. Qui neque animo mendacia in proximum meditatus fuerit, neque ore ullum in fraudem induxerit: Neque opere, quicquam damni aliis intulerit; neque vel ad aures ſuas contumeliam in proximum illatam admiſerit: ſed pro virili parte detractori ſilentium impoſuerit.

4. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat.*

4. Qui vitiorum ſectatores ità contempſerit, ut ne vultum quidem ejus ſuſtineant. Virtutis verò amantes honore, laudibuſque proſecutus fuerit: eiſque animum propoſitâ virtutis dignitate & præſtantiâ addiderit.

5. *Qui jurat proximo ſuo, & non decipit, qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.*

5. Qui charitatis unius impulſu, nullâ ſpe fœnoris, pauperum inopiam ſublevaverit. Quique juſtitiæ adeò fuerit tenax, ut neque ad falſum teſtimonium dandum, neque ad ſententiam iniquam ferendam ullis muneribus aut pollicitationibus adduci potuerit.

Qui facit hæc, non movebitur in æternum.

His, qui virtutibus Deum coluerit, juverit proximum, ſibique conſuluerit, ille in monte ſancto ejus, & in cœleſti tabernaculo ſecutus, ſine ullius mutationis metu requieſcet.

QUÆSTIO UNICA.

Qualis ſcala cœli à Propheta deſcribitur?

CUm Vates noſter in Pſalmo præcedenti impiorum ſcelera & pœnas oſtenderit, è re fuit juſtorum virtutes ac præmia ſubjungere, ut hoc loco facit.

4\. Scalam itàque defigit, quæ radices in terra firmet, ac vertice cœlum contingat.

Scala virtutum in cœlum ducens. Ac primò, Scalæ terminum oſtendit, ut ejus ſplendore illecti ad eum ardentius evolemus, Verſ. 1. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?*

Gradus illius decem. Secundò, Gradus ſcalæ decem aſſignat, velut alterum decalogum, cujus tranſcurſu ad ſumma cœlorum evadamus. Totus autem penè eſt in explicandis iis, quæ ad proximum referuntur. Nam, ut ait Paulus Rom. 13. 8. *Qui diligit proximum, legem implevit.*

1\. Gradus primus ſtatuitur, deſiderium continuum peccata vitandi, & in virtute magis proficiendi, Verſ. 2. *Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam.*

2\. Secundus gradus eſt, cordis ſinceritas, Verſ. 3. *Qui loquitur veritatem in corde ſuo.*

Tertius gradus eſt, fidelitas in verbis: *Qui non egit dolum in lingua ſua.* 3.

Quartus gradus eſt, charitas erga proximum: *Nec fecit proximo ſuo malum.* 4.

Quintus gradus eſt, odium detractorum: *Et opprobrium non accepit adversùs proximos ſuos.* 5.

Sextus gradus eſt, fuga & odium mali conſortii, Verſ. 4. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus.* 6.

Septimus, amor & honoratio juſtorum: *Timentes autem Dominum glorificat.* 7.

Octavus, odium perjurii, Verſ. 5. *Qui jurat proximo ſuo, & non decipit.* 8.

Nonus, liberalitas in egenos: *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram.* 9.

Decimus denique, juſtitiæ amor perfectiſſimus: *Et munera ſuper innocentem non accepit.* 10.

Concludit, eum, qui his ſcalæ divinæ gradibus inſtiterit, ſecurâ & inconcuſsâ quiete potiturum, *Qui facit hæc, non movebitur in æternum.*

ARTI-

ARTICULUS I.

Scalæ cæleſtis terminus.

Verſ. 1. IN extaſim raptus Propheta, & paradiſi pulchritudinem mente contemplans exclamat: Verſ. 1. *DOMINE, QUIS HABITABIT* (S. Auguſt. quis peregrinabitur) *IN TABERNACULO TUO? AUT QUIS REQUIESCET IN MONTE SANCTO TUO.* Chald. vertit. Quis dignus eſt, ut habitet in tabernaculo tuo: & quis merebitur hoſpitari in monte domûs ſanctitatis tuæ? q. d. tanta eſt domûs tuæ pulchritudo, ut nemo ſit dignus, qui ad illam admittatur. Unde Paulus eâ viſâ & guſtatâ ſuavitate, & cognito ſplendore, dicebat Rom. 8. 18. *Non ſunt condignæ* [S. Aug. habet, indignæ ſunt] *paſſiones hujus temporis* [prout paſſiones humanæ ſunt & temporaneæ: ſed prout gratiâ Dei & charitate informantur, atque ab ea emanant, ſunt condignæ] *ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* S. Aug. id meditans ſerm. 2. de feſto omnium Sanctorum. Si quotidiè, ait, oporteret nos tormenta perferre, ſi gehennam ipſam parvo tempore tolerare, ut Chriſtum videre digni eſſemus venientem in gloria, & Sanctorum ejus numero ſociari; nonne erat dignum pati omne, quod triſte eſt, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur. Dicebat etiam S. Franciſcus, Tanta eſt gloria, quam expecto, ut omnis me pœna delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, perſecutio omnis, mortificatio omnis.

Tò quis, denotat paucitatem ſalvandorum. Secundò, Propheta conſiderans mores hominum depravatos, ait: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* q. d. pauci hoc merentur: pauci ad eam felicitatem pervenient. Nam nonnunquam denotat interrogatio paucitatem eorum, qui compotes futuri ſunt rei, de qua agitur. Ex ſexcentis millibus armatorum, qui ex Ægypto egreſſi ſunt, duo tantùm (ſi Levitas aliquos exceperis) in terram promiſſionis, quæ erat cœli typus, ingreſſi ſunt: nempè Caleb & Joſue, cæteris ob peccata varia excluſis, & in deſerto mortuis. Moyſes Dei juſſu ait illis murmurantibus ob ea, quæ exploratores retulerant de gigantibus illius terræ & aliis. Num. 14. 29. *In ſolitudine hac jacebunt cadavera veſtra. Omnes, qui numerati eſtis à viginti annis & ſupra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis Terram, ſuper quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem præter Caleb filium Jephone & Joſue filium Nun.* Caleb ſignificat, totum cor: & Jephone, converſio, vel converſus, ſive, aſpectus, intuitus, contemplatio. Si vis ire ad terram promiſſionis, & ibi habitare in monte, ſis Caleb, id eſt totus cor, ſervias Deo, ſed ex corde, & ex corde toto: ſis filius Jephone, benè & exactè & affectuosè contemplare terram, ut inde reporres fructus malorum granatorum, id eſt, charitatis: ſi ficuum, id eſt, pietatis & ſuavitatis morum: & palmitem cum uva ſua, id eſt, crucem cum Chriſto in ea pendente, ut ex eo ſugas vinum lætificans cor hominis & germinans virgines. Sis etiam alter Joſue, id eſt, Salvator, animæ primùm tuæ, deinde alienæ: ſis filius Nun, id eſt, æterni ſeu permanentis, nempè Dei. Sed cùm pauci ſint in hoc mundo Calebi & Joſue, ideo ait David, Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Chriſtus dicit Matth. 20. 16. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Multi, id eſt, omnes, vocantur ad vitam æternam & ad cœnam magnam, ſed pauci ſunt electi, ob ſuam pigritiam & cupiditatem. Terrificum exemplum refert noſter Platus lib. 1. de bono ſtatûs religioſi, cap. 5. ait enim, Franciſcanum quendam nomine Bertoldum, concionatorem inſignem, vi & ſpiritu dicendi mulierem peccatricem eò contritionis adegiſſe, ut in concione mortua conciderit. Hanc poſteà precibus ejus reſuſcitatam, dixiſſe: *Cùm apparui ad Dei tribunal, adducta ſunt eò ſexaginta animarum millia, quæ toto orbe è vita exceſſerant, atque ex his tres tantùm addicta fuerunt purgatorio, reliqua omnes ad ignem æternum damnata*, unum autem ex Franciſcanis fratribus, eodem quoque temporis articulo defunctum per purgatorii quidem locum tranſiiſſe aſſeruit: ſed tamen ibi non modo diutiùs non eſſe commoratum: verum etiam par animarum, quæ præcipuâ eum eo amicitiâ conjunctæ fuerant, eum in cœlum abduxiſſe. Erat ille verus Joſue, ſed tu ſaltem ſis Caleb.

Quæres, Quod tabernaculum, & quem montem hîc David intelligit? Reſpondet primò Theodoretus, per tabernaculum intelligi Dei templum: per montem verò, ſanctam Jeruſalem. q. d. Quis dignus eſt, ô Domine apud tuum templum aſſidere, atque in tua civitate degere? qualem hunc eſſe convenit, & quibus ſtudiis uti par eſt? In ea etiam opinione eſt Mariana. 7. Tabernaculũ Dei & mons quid? 1.

Secundò, S. Auguſt. S. Hieron. Remig. Caſſiodorus, Ugo, Dionyſ. & alii, per tabernaculum ſumi volunt Eccleſiam militantem his in terris: per montem verò, Eccleſiam elevatam & in æternum ſtabilitam in cœlis. 2.

Eccleſia porrò militans eſt tabernaculum Primò, quia tabernaculum eſt manſio temporaria, & propria peregrinorum. S. Hieron. hîc vertit, *Domine! quis peregrinabitur* (id propriè eſt, *jagur*, & *requieſcet*) *in tentorio tuo?* Dicit S. Paulus Hebr. 13. 14. *Non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.* Secundò, tabernaculum eſt Eccleſia militans: quia, ut ait S. Auguſtinus, cùm propriè accipitur tabernaculum, belli res eſt. Unde & contubernales milites dicuntur, tanquam ſimul habentes tabernacula. Ad tempus enim cum diabolo dimicamus, & tunc opus eſt tabernaculo, quò nos refugiamus. Job ait cap. 7. 1. *Militia* (Sept. tentatio) *eſt vita hominis ſuper terram*: id eſt, hominis, qui in terra degit, hominis terreni. Ibi homo vocatur אנוש *enos*, hoc eſt, ſemper dolens, ſemper ægrotans, perditè & deſperatè dolens, inſanabilis: in bello continuo carnis, mundi & diaboli ſæpè vulneratur, niſi utatur armis, id eſt, ſacramentis Eccleſiæ. Hæc arma ſunt valida, & hoſtes omnes repellunt. 2. Cor. 10. 3. *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt* (non humanis viribus nixa) *ſed potentia Deo*, id eſt, valida & efficacia per Deum. (Syr. ſunt virtutes Dei) *ad deſtructionem munitionum*, id eſt, caſtrorum, turrium, & arcium mundi, & dæmonis. Tertiò, ut ait Ugo, Eccleſia præſens, eſt tabernaculum; quia, ſicut, cùm aliquis eſt in tabernaculo, interponitur velamen inter ipſum & ſolem: ita in Eccleſia militante, quantumcunque ſit homo contemplator, ſemper inter ipſum & ſolem verum interponitur aliquid medium. Secundùm illud 1. Cor. 13. 12. *Videmus* (Deum & divina) *nunc per ſpeculum* (Gr. δι' ἐσόπτρου, id eſt, per inſpectorium) *in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quartò, Eccleſia in terris dicitur tabernaculum, quia ipſa 8. Eccleſia eſt tabernaculum, & cur?

eſt Paſtor Chriſtus. Nam tabernaculum eſt proprium etiam paſtori. Ezech. 37. 24. & ſeq. *Servus meus David* (id eſt Chriſtus filius Davidis: nam alioqui dudum ante Ezechielem David rex erat mortuus) *rex ſuper eos, & paſtor unus erit omnium eorum* (&c. Chriſtus ipſe Joan. 10, 16. fiet unum ovile & unus paſtor. Ex Judæis ſcilicet, atque Gentilibus) *Et dabo ſanctificationem meam* (ſanctuarium ſeu templum meum, ut vertit Chald.) *in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis: & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus.* De Chriſto paſtore vide Pſal. 22. fusè. Verſ 1. & ſeq.

9. 2. Et genuinè tabernaculum Dei eſt cœlum. Tertiò, & ſublimius veriuſque, Vatablus, Bellarm. Janſen. Mariana, Sa, & alii, per tabernaculum & montem intelligunt cœlum ſeu Eccleſiam in cœlo triumphantem. Et quidem cœlum ipſe David vocat tabernaculum Pſal. 60. 5. *Inhabitabo in tabernaculo tuo in ſecula* (Pſalterium Gallicanum & Arnobius habent, in æternum) *protegar in velamento alarum tuarum.* S. Hieron. in protectione alarum tuarum: id eſt potentiæ tuæ & miſericordiæ. Et Sanct. Paulus Hebr. 8. & 9. facit mentionem tabernaculi cœleſtis. Nota. Duplex erat à Moyſe extructum tabernaculum, ſive unius erant duæ partes: prima vocabatur Sanctum, in quo erat altare thymiamatis, menſa panum propoſitionis & candelabrum aureum: ſecunda, vocabatur Sanctum ſanctorum, id eſt locus ſanctiſſimus, in quo erat arca & propitiatorium, ubi Deus reddebat oracula ſedens ſuper duos Cherubim aureos: Sanctum, erat figura Eccleſiæ militantis, per quam tranſitur ad triumphantem, quæ eſt Sanctum ſanctorum, Dei locus ſpecialis & Angelorum. Unde Paulus Hebr. 9. 11. ait: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum* (id eſt remiſſionis peccatorum, gratiæ, virtutum, gloriæ æternæ: Aſſiſtens porrò, hoc eſt aſtans Deo Patri in cœlis: ſeu potiùs, aſſiſtens, id eſt exiſtens; & tabernaculo, id eſt Eccleſiæ in terris, aſtans & miniſtrans) *per amplius & perfectius tabernaculum* [per B. Virginem ait Catharinus. 2. per humanam naturam quam aſſumpſit, & in qua apparuit peregrinans in terra, ut explicat Primas, & Hayino. 3. per corpus ſuum, ut S. Chryſoſt. & Oecumenius. 4. per cœlos inferiores, ut S. Thomas. 5. per Eccleſiam militantem atque peregrinantem, ut Cajetanus] *non manufactum, id eſt, non hujus creationis*, hoc eſt, non humana arte, & induſtria atque ſolertia excogitatum, fabricatum & erectum, ſicut tabernaculum Moyſis à Bezeleel concinnatum & ornatum. Nam Chriſtus Eccleſiam fundavit ſupra ſeipſum, ut firmam petram. Unde dicitur cap. 8. ℣. 1. & 2. *Capitulum autem ſuper ea, quæ dicuntur* (id eſt, ſumma & compendium ſupra dictorum eſt) *Talem habemus Pontificem* (Chriſtum) *qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis* (id eſt, throni Dei Patris, qui eſt ſumma ac ſublimiſſima magnitudo & majeſtas. 2. in dextera maximi & auguſtiſſimi) *in cœlis Sanctorum* (id eſt, ſanctuarii) *miniſter, & tabernaculi veri* (tam Eccleſiæ terreſtris quàm cœleſtis) *quod fixit Deus, & non homo.* Ita non timet everſionem, cùm ſit tam benè fundatum. Ne portæ quidem, id eſt robur & principes, inferorum prævalebunt adverſus illud.

Dices. In Hebræo eſt, *Domine, quis* יגור *jagur, peregrinabitur in tabernaculo tuo?* Peregrini autem non ſunt ſancti in cœlo, ſed ad patriam ſuam pervenerunt: & ſunt cives ſanctorum & domeſtici Dei. Epheſ. 2. 19. Græca etiam vox παροικεῖν, ſignificat peregrinari. Reſpondeo cum Euſebio, hominem ab hujus terrenæ converſationis captivitate in cœleſtem habitationem emigrantem, non ſecùs atque hoſpitem & peregrinum, illic futurum, ut qui aliundè transferatur, & ex alia regione veniat, Adami, id eſt terreni ſumus filii. Homo ab humo dicitur. Inclamat homini Jeremias cap. 22. 29. *Terra, terra, terra.* Quod terra aſcendat, eſt contra aut ſaltem ſupra ejus naturam, corporeorum itaque hominum locus terra eſt, in cœlo peregrini ſunt, hoſpites & advenæ, ablatâ tamen imperfectione parvæ moræ, erunt enim ibi in æternum, & donantur jure civitatis. Sic dicitur Judæi advenæ in terra promiſſionis, quæ erat cœli typus, licèt in ea habitarent & ſedes ſuas haberent. Venerant enim ex Ægypto in illam. Levit. 25. 23. *Terra non vendetur in perpetuum, quia mea eſt, & vos advenæ, & coloni mei eſtis.* In Pſalmo noſtro dicitur, *Domine, quis* παροικήσει (id eſt, erit incola, quis peregrè adveniens habitabit) *in tabernaculo tuo?* πάροικος enim eſt, qui habitatum aliquò venit. & ſedem ibi figit: qui aliundè veniens commigravit in alienam civitatem vel provinciam, advenæ, Romani colonos vocabant.

Cœlum porrò tabernaculum vocatur. Primò, 10. Cœlum eſt tabernaculum & cur? 1.
quia in modum tabernaculi & tentorii eſt extenſum. Ita Vatablus. Pſal. 103. 2. *Extendens cœlum ſicut pellem*, atque Iſaias expreſſiùs cap. 40. 21. *Qui extendit velut nihilum* (Hebr. דק *doc*, id eſt tenue, ut vertit Arias. 2. Telam, Pagn. 3. pellem tenuiſſimam, R. David in lib. rad. 4. cortinam, R. David in commentariis, & Vatablus. 5. cameram, Septuag.) *cœlos, & expandit eos ſicut tabernaculum* (Vatabl. inſtar tentorii) *ad inhabitandum.*

2. Secundò, Cœlum dicitur tabernaculum, quia præbet umbram & refrigerium venientibus ab æſtu tentationum & pugnæ. Iſaiæ 4. ℣. 5. & 6. *Super omnem gloriam* (ſuper Eccleſiam glorioſam) *protectio* (Dei) *& tabernaculum erit in umbraculum diei ab æſtu.* Pſal. 30. 21. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum*, id eſt, intra pupillam oculi eos quietos conſervabis veluti ipſam pupillam.

3. Tertiò, Cœlum dicitur tabernaculum, non domus, ob ſummam familiaritatem, communicationem, notitiam, viſionem mutuam Dei & Sanctorum atque Angelorum inter ſe. Nihil enim ibi eſt occultum, nihil clandeſtinum, omnium omnia ſunt communia, ſeſe invicem vident, & aſpectu illo ſuaviſſimo perfruuntur, Deumque veluti cœleſtem regem in omnium medio placidiſſimè degentem, omnes beantem, & bonis omnibus doniſque ſingulos cumulantem amant, laudant, venerantur. 1. Cor. 15. 28. *Cùm autem ſubjecta fuerint illi* (Chriſto) *omnia, tunc & ipſe filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia* (ſubjectus erit, quoad naturam humanam, tradens regnum Deo & Patri) *ut ſit Deus omnia in omnibus*, id eſt, ſit omnibus vice rerum omnium: nempe, ut ſit ipſe noſtra vita, ſalus, virtus, copia, gloria, honor, pax, omnia bona, & finis atque ſatietas deſideriorum noſtrorum, ut ait S. Anſelmus. Eſt etiam Deus omnia in omnibus beatis, quia omnibus omnes communicat virtutes ut fons inexhauſtus, omnibus apertus, & in omnibus largiter fluens. S. Hieronym. epiſt. ad Amandum. *Quod Apoſtolus ait: Ut ſit Deus omnia in omnibus, hoc ſenſu accipiendum eſt. Dominus atque Salvator noſter nunc omnia non eſt in omnibus, ſed pars in ſingulis: verbi gratia, in Salomone ſapientia: in Davide, bonitas: in Job, patientia: in Daniele, cognitio futurorum: in Petro,*

fides:

fides: in Phinees & Paulo, zelus: in Joanne, virginitas: in cæteris, cætera. Cùm autem rerum omnium finis advenerit, tunc omnia in omnibus erit, ut ſinguli ſanctorum omnes virtutes habeant, ut ſit Chriſtus totus in cunctis.

4. Quartò, Cœlum vocatur potiùs tabernaculum quàm templum, ut cogitemus cœlum empyreum, licèt ſplendidum & auguſtum, minus tamen eſſe majeſtate Dei, ejuſdem non tam eſſe palatium, quàm tabernaculum & tentorium: utpote qui in ſeipſo, ſuaque immenſa eſſentia glorioſiſſimè & immensè habitat. Pari modo in beatis non tam habet domum, quàm tabernaculum: quia ejus majeſtas à beatis non capitur, ſed ipſe Deus per miram dignationem eis aliquateus ſe communicat, & præſentem exhibet. Ita Cornel. in illud Apocal. cap. 21. 3. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.*

11. Taber-naculũ in monte Sion David extruxit, & quale?

Nota, alludi ad tabernaculum Moſaicum & ad tabernaculum exædificatum ab ipſo Davide in monte Sion, ut ibi arcam collocaret. Theodoretus & Dionyſius cenſent, tabernaculum illud fuiſſe in ipſo Davidis palatio. Sed noſter Salianus probabiliùs ait fuiſſe ſeparatam domum, propè regiam: Primò ex eò, quòd non conveniebat in palatio regis collocari arcam, ad quam orandi causâ populus univerſus confluere debebat. Non deſiet autem promiſcuè omnibus aditus permitti in domum regis. Secundò, quia in tabernaculo neceſſè erat multos Sacerdotes, Levitas, janitores & cantores juxta arcam habitare, quibus regia Davidis tot uxores, concubinas, liberos & aulicos habentis, fuiſſet anguſta. Cenſet Abulenſis q. 29. in cap. 17. 1. Paral. & q. 3. in ca. 15. 1. Paral. hunc arcæ locum fuiſſe magnum quoddam palatium, in cujus medio aula quædam erat prægrandis, quæ in extremo uno habebat tabernaculum, ex pellibus hiacynthinis, quod David arcæ tetenderat. 1. Paralip. 16. 1. in medio autem arca conſtituta erat. Circumquaque autem multa erant cubicula & exedræ cantorum & janitorum, à quibus ſtatis temporibus canebatur, & januæ claudebantur, & aperiebantur: ne ad domum Dei aditus immundo cuipiam pateret. Nam David quidem non eſt auſus ingredi poſt mortem infantuli. 2. Reg. 12. 20. niſi purificatus, mutatâ ſcilicet veſte, lotus & unctus, & tunc demum *ingreſſus eſt domum Domini, & adoravit*. Cantores autem diſtributi erant per ordines ſuos ad dexteram & ſiniſtram, & in medio. Erat ibidem altare coram arca, in quo offerebantur holocauſta & pacifica, ùt habetur 2. Reg. 6. 17. 18. & 1. Paral. 16. 15. Ibi autem jus aſyli fuiſſe, Adonias & Joab, ſub initia regni Salomonis, exemplo ſuo docuerunt. 3. Reg. 1. 51. & cap. 2. 28. & ſeq. uterque enim confugit ad tabernaculum, & tenuit cornu altaris, unde cùm nollet egredi Joab, ibidem interfectus eſt; denique tabernaculo Moſaico, quod David reliquerat Gabaone, proportione aliqua reſpondebat. Ita Salian. tomo 3. anno mundi 2990. num. 6. & ſeqq. Davidis Regis anno undecimo. ante Chriſtum 1063. Ibi arca eſt collocata eo ipſo anno, hoc ſummoperè expetente Davide.

12. Cœlum eſt Sanctum ſanctorum.

Nota ſecundò, Cœlum eſt tabernaculum, ſed Sanctum ſanctorum, id eſt, ſanctiſſimum, & figuratum eſt per partem illam tabernaculi Moſaici & Davidici, quæ vocabatur Sancta ſanctorum, id eſt, ſanctuarium ſanctiſſimum. Unde Paulus de Chriſto in cœlo intrante loquens ait Hebr. 9. 11. & 12. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, &c. non per ſanguinem hircorum & vitulorum* (ùt imperabatur Pontifici Judæorum priuſquam ingrederetur Sancta ſanctorum in die expiationis, id eſt, emundationis & purgationis generalis tam populi quàm Sacerdotum & templi. Levit. 20.) *ſed per proprium ſanguinem, introivit ſemel in Sancta* [in cœlum, quod eſt Sanctum ſanctorum], *æterna redemptione* [in totam æternitatem durante, cùm levitici Pontifices annis ſingulis expiationem deberent incipere ingredientes ſanctuarium] *inventa*, veluti gemma pretioſiſſima.

Per illud figurabatur. & cur? 1.

Cœlum porrò empyreum ſignificabatur per Sanctum ſanctorum, quia Primò ſanctum ſanctorum erat quadratum. Nam decem cubitorum erat tam in longitudine & latitudine quàm in altitudine. Et Sanctum ſanctorum in templo Salomonis erat etiam perfectè quadratum: viginti enim cubitos habebat ſecundùm omnes dimenſiones. Licèt enim totum templum eſſet altum triginta cubitos, tamen ad viginti cubitos tantùm à pavimento ſurſùm tectum fuit tabulis è cedro: reliquis verò decem cubitis in altum aſſurgebat nudus paries ſive murus, ùt ait Ribera lib. 1. de Templo, cap. 6. vel potiùs, ultra viginti cubitos aſſurgebat fornix cedrina, quæ cœlorum formam imitaretur & repræſentaret: fornix autem hæc aſcendebat ad decem cubitos, qui ſupra viginti reliquos extabant uſque ad tabulatum, ùt docet Vilalpandus in cap. 41. Ezechielis. Cœlum autem empyreum, quod eſt locus beatorum, quadratum eſſe ſeu quadrangulum ſaltem quoad ſuperficiem convexam ſive extimam valde probabile eſt, & ita opinantur S. Chryſoſt. in cap. 8. ad Hebræos, & Ludovicus Molina tract. de opere ſex dierum diſp. 3. Et quidem S. Joan. Apocal. 21. 16. ait. *Et civitas in quadro poſita eſt: & longitudo ejus tanta eſt, quanta & latitudo.* Alii tamen hoc dici cenſent ad denotandam illius cœleſtis civitatis firmitatem & ornatum. Nam urbes quadratæ ſunt commodiores, pulchriores, & fortiores, quia ſinguli anguli è quatuor poſſunt ſe mutuò tueri, quod fieri non poteſt in figura rotunda.

Secundò, in Sancto ſanctorum nullum erat lumen, niſi illud, quod Deus ipſe, id eſt, Angelus ejus efficiebat ſedens ſuper propitiatorium in corpore glorioſo. In cœlo Deus unus lux eſt ſanctorum. Apocal. 21. 23. *Civitas non eget ſole, neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei* (id eſt, lumen gloriæ, quod intellectum ſanctorum elevat ad Deum videndum. 2. Deus ipſe, qui eſt Sol fulgidiſſimus) *illuminavit eam, & lucerna ejus eſt Agnus*: id eſt, Chriſti humanitas lucidiſſima, inſtar lunæ divinæ. *Et ambulabunt gentes in lumine ejus*, id eſt, ad lumen illius civitatis. Græcè enim eſt, αὐτῆς, q. d. lumen illud per fidem reflectetur uſque ad homines viatores, qui eo animati pergent ad ipſum lucis fontem. 2.

Tertiò, in Sancto ſanctorum erat arca, & in arca tabulæ legis. In cœlo eſt Eccleſia beata, ſeu cœtus ſanctorum, qui cuſtodiêrunt in animo ſuo Dei legem, & præcipuè Deipara, quæ in utero habuit ipſum legiſlatorem, & fuit aurea intùs & foris per charitatem Dei & proximi: atq; facta de lignis ſethim ob virginitatem incorruptã, & vitam nullâ vel leviſſimi peccati carie eroſam. 3.

Quartò, in Sancto ſanctorum erat propitiatorium aureum, in quo ſedens Deus reddebat oracula, & preces exaudiebat. In cœlo eſt Chriſti humanitas glorioſa, in qua Deus inhabitans omnia dat gratiæ & gloriæ dona. Romanor. 3. 25. *Quem propoſuit Deus propitiationem* (Gr. ἱλαστήριον, id eſt, propitiatorium, ùt explicant Origen. & Theodor. 2. propitiatorem, id eſt, victimam 4.

propitiantem & placantem Deum hominibus, ut ait S. Anſelmus) *per fidem in ſanguine ipſius.* hoc eſt per fidem ſui ſanguinis & paſſionis.

5. Quintò, in ſancto ſanctorum tabernaculi Moſaici erant duo Cherubini aurei inſiſtentes arcæ, utrumque latus propitiatorii tegebant expandentes alas, & operientes oraculum, reſpiciebant ſe mutuò verſis vultibus in propitiatorium. Exod. 25. 20. In cœlo empyreo ſunt Angeli ſuis alis, id eſt, officiis & obſequiis, honorantes Chriſtum: in cujus vultum oculos ſemper intendunt, ut famuli ad omnem nutum parati: & ſe mutuò reſpiciunt, per perfectam charitatē. Hebr. 1. 6. *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Et Verſ. 7. *Qui facis Angelos ſuos ſpiritus* [veloces & ſubtiles inſtar ventorum] *& miniſtros ſuos flammam ignis:* inſtar flammæ igneæ ardentes: veloces ſunt, ad obediendum: ardentes, ad amandum. Vide Pſal. 103. 4. unde hæc ſumpſit Paulus.

6. Sextò, in ſancto ſanctorum erat urna aurea manna continens, quam Deus ſervari voluerat ad memoriam tanti miraculi & liberalitatis, quâ populum ſuum per quadraginta annos pavit pane de cœlis, id eſt, de nubibus cadente. Hoc præcipit Deus Moſi Exod. 16. 32. 33. in cœlo eſt ſuavitatis omnis abundantia, & ſatietas perfecta ſine faſtidio. Pſal. 16. 15. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Et Apocal. 2. 17. *Vincenti dabo manna abſconditum:* id eſt, Chriſtum, qui fuit abſconditus in lege, carne, & Euchariſtia, ut ait S. Ambroſius & Primaſius. 2. Euchariſtiam ipſam, ut Rupertus & Ticonius. 3. ſuavitates, quæ percipiuntur in rerum cœleſtium meditatione, ut S. Bern. lib. de converſ. ad Clericos. 4. conſolationes ſpirituales, quæ percipiuntur ex victoria tentationum ut Cornelius. 5. ad rem noſtram manna abſconditum denotat arcana divinitatis atque æternam felicitatem. De manna dixi pſal. 77. 24.

7. Septimò, in ſancto ſanctorum erat virga Aaron, quæ repoſita in tabernaculo teſtimonii (hoc eſt, in ipſo ſancto ſanctorum, ubi erat arca teſtimonii: id eſt, in qua erat teſtimonium, nempe tabulæ legis, quæ erant teſtimonium fœderis initi inter Deum & populum, ac præterea voluntatis Dei, in illis enim declarabatur, quid vellet Deus fieri à populo illo) germinaverat, ita ut turgentibus gemmis erumperent flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati ſunt, ut hoc miraculo Deus declararet velle ſe, ut ſacerdotium eſſet in Aaronis unius familia, & alii miniſtri altaris in tribu levi, non verò in aliis tribubus. Voluit autem Deus virgam illam ſervari. Num. 17. 8. In cœlo ſunt corpora beatorum per reſurrectionem & gloriam florida, habentia quatuor dotes: nempe agilitatem, ſubtilitatem, claritatem, & impaſſibilitatem.

13. Tropologicè. Tabernaculū eſt. ſ. corpus piorum.

Tropolog. tabernaculum poteſt ſumi Primò, pro corpore juſtorum: in eo enim, ut in loco conſecrato, manet, orat: ſacrificat anima ſancta, veluti ſacerdos S. Petrus: 2. epiſt. 1. 13. *Juſtum autem arbitror, quamdiu ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in commonitione. Certus quod & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi,* per ſpecialem revelationem, quâ ei eſſe moriendum in cruce aperuit. Alludit præcipuè ad tabernaculum ſeu tentoria, quibus Judæi uſi ſunt per quadraginta annos in deſerto, pergentes ad terram promiſſam, ut iis poſiat ob oculos, advenas & peregrinos eſſe omnes homines in his terris. 2 tendere in cœlum debere eum ardore & deſiderio, Corpus eſt tabernaculum, primò, quia non diu ibi moratura eſt anima, ſed inde eſt emigrandum. 2. quia pelle tegitur corpus. 3. quia in illo, velut in tabernaculo peregrino, multa incomoda & anguſtias atque ærumnas anima patitur.

2. Anima ſancta.

Secundò, tabernaculum Moſis, eſt ſymbolum animæ ſanctæ. 1. Cor. 3. 16. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis* (id eſt, in quo, Deus habitat per fidem, gratiam, charitatem & dona ſua) *& Spiritus Dei habitat in vobis,* In ingreſſu hujus tabernaculi ſeu templi eſt lavacrum pœnitentiæ. Secundò, eſt altare holocauſtorum, id eſt, mortificatio, per quam homo ſe totum Deo immolet. In ipſo ſanctuario erant tria pretioſa: nempe altare thymiamatis ſeu incenſi, candelabrum ſeptem lucernarum, & menſa panum propoſitionis. Tertiò itaque, in anima ſancta eſt devotio voluntatem ejus ſuavitate divinorum aromatum reficiens. Quartò, ſapientia cœleſtis & lux Spiritus ſancti intellectum ejus illuſtrans. Quintò, multitudo piarum cogitationum & ſpecierum in memoriam ejus vult in penu & menſa remanens, ut illis reficiatur. Sextò, in Sancto ſanctorum erat arca, in qua lex: in anima eſt propoſitum firmum ſervandi legem Dei. 2. propitiatorium, eſt tranquillitas mentis, in qua ſedet Deus. 3. Cherubini ſunt contemplatio Dei. 4. urna aurea habens manna, eſt miſericordia erga pauperes. 5. virga Aaron, eſt ſeveritas erga ſe ipſum. Sic præſtabimus in anima noſtra, quod dicebat S. Petrus in monte Thabor Matth. 17. 14. *Domine bonum* [jucundum, ſuave, beatum] *eſt nos hic eſſe: Si vis faciamus hic tria tabernacula.* In tabernaculo Moſaico erat veluti triplex tabernaculum. Primum laicorum. in atrio. Secundum ſacerdotum, in Sancto. Tertium Pontificis, in Sancto Sanctorum, in quod ſolus intrabat. Tria illa tabernacula juſtus in ſe præparat Deo. 1. in vita purgativa. 2, in illuminativa. 3. in unitiva. De illis pſal. 45. verſ. 5. Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.

14. Per mōtem intelligitur cœlum.

SECUNDUM Davidis quæſitum erat Verſ. eod. 1. *Aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Per illum montem omnes Interpretes penè intelligunt cœlum empyreum & felicitatem: ibi enim eſt perfecta & ſecura quies, nullo autem alio in loco. Hîc in motu ſumus, ibi in termino: hîc in exilio, ibi in patria: hîc tempeſtas eſt. ibi portus: hîc bellum eſt ac vulnera, ibi pax & ſanitas: hîc luctus & triſtitia, ibi lætitia ſempiterna. Pſal. 86. 7. *Sicut lætantium omnium, habitatio eſt in te.* S. Hieron. vertit, Cantores quaſi in choris, omnes fontes mei in te. Agit de monte Sion, cujus fundamenta ſint in montibus ſanctis: id eſt. in Apoſtolis, Patriarchis & Prophetis. Beati qui habitant ibi, ubi in ſæcula ſæculorum laudatur Deus. Pſal. 83. 5. & unius moris omnes ſunt. Pſal. 67. 7. & vox exultationis & ſalutis. Pſal. 117. 13. denique habitant ibi recti cum vultu ejus Pſal. 139. 14. gloriam regni ejus dicentes. pſal. 144. 11. de quo glorioſa quidem dicta ſunt. Pſal. 86. 3. ſed dici plura poſſunt. Convenienter portò beatitudini quies tribuitur, ut ait Lorinus, utpote poſt tentationem ſive militiam. Job. 7. 1. poſt labores. Apocal. 14. 13. poſt navigationem fluctùſque ſicut ſe in arcam columba ad quieſcendum recepit. Gen. 8. 9. ut ſedeamus in hac requie opulenta. Iſaiæ 32. 18. ſupponendus humerus ad portandum. Gen. 49. 14. feſtinandum ingredi ad eam. Hebr. 4. 11. volandum pennis columbæ, ut requieſcamus. Pſal. 54. 7. *Requievit omnis*

Ibi eſt requies.

Iſrael

Digitized by Google

Iſrael poſt Dominum. 1. Reg. 7. Deus ipſe ait Iſaiæ 32. 18. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis* (in pace pulcherrima & jucundiſſima, & omnibus divitiis ac deliciis abundante) *& in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* S. Auguſt. lib. medit. cap. 22. & 23. *O vita*, inquit, *quam præparavit Deus his, qui diligunt vita vitalis, vita beata, vita ſecura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita caſta, vita ſancta, vita ignara mortis, vita neſcia triſtitia, vita ſine labe, ſine corruptione, ſine anxietate, ſine perturbatione, ſine mutatione: vita totius elegantiæ & dignitatis pleniſſima, ubi non eſt adverſarius impugnans, nulla peccati illecebra, ubi eſt amor perfectus, & timor nullus, ubi dies æternus & unus omnium ſpiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens ſine defectu ſatiatur.* lege cætera.

15. *In hac autem vita, nulla eſt.*

In hac autem vita, nulla eſt requies, idem ſanctus Doctor lib. 9. Confeſſ. Verſa, inquit, & reverſa in tergum, & in latus, & in ventrem, & dura ſunt omnia, & tu ſolus requies. lib. 10. de civitate cap. 16. notat, quòd Romani ſingulis pene rebus & motibus, Deos ſingulos attribuerent, ſicut Deam fecerunt Agenoriam, quæ homines ad agendum excitaret: & Deam Stimulam, quæ ad agendum ſtimularet: & ſic de aliis, quibus omnibus ſacrificia publica facerent: tamen Quietem, quæ Dea dicebatur, faciens hominem quietum, cùm ædem haberet extra portam, coluerunt quidem, publicè tamen illam recipere noluerunt. Per hoc videbantur velle innuere, quòd quieti in hac vita non liceat vacare. Nam Quietem tanquam Deam colit, quiſquis eam nimis amat: tamen extra portam civitatis hujus mundi domum habet, & ibi colitur: quia ipſa quies ſanctorum eſt eſſentia divina, & ipſe Deus, atque irrequietum ſemper erit cor noſtrum, donec in eo requieſcat: ſicut ignis: donec ad centrũ ſuum aſcendat: & magnes, donec ad polum ſuum ſe obvertat.

16. *Cœlum mons eſt 1. ob ſublimitatem.*

Cœlũ porrò monti comparatur. Primò, ob ſublimitatem. S. Auguſt. *Montem*, inquit, *intelligamus ſupereminentiam charitatis Chriſti in vita æterna.* Et Remigius. Quis, ait, requieſcet poſt laborem præſentis vitæ in monte ſancto tuo? id eſt, in excelſo habitaculo; in illo palatio cœleſtis Jeruſalem, ubi magna eſt celſitudo, magna munitio ubi nullus inimicus includitur, nullus amicus excluditur. Ubi adverte cum Ugone, mons elevatur & de terra, & ſuper terram? ità cœleſtis beatitudo ſuper vitam iſtam eſt, ſed oportet, quòd homo mereatur eam in hac vita. De iſto monte dicitur Iſaiæ 24. 23. *Erubeſcet luna, & confundetur ſol, cum regnaverit Dominus:* ſupple, perfectè cum ſuis, qui erunt ibi in corpore & anima. Erubeſcet luna, id eſt, cupidus: & confundetur Sol, id eſt glorioſus, ità Ugo.

2. ob ſtabilitatem.

Secundò, cœlum & cœleſtis beatitudo comparatur monti, ob ſtabilitatem. Qui, ait Titelm. requie tua Sempiterna tecum perfruentur in Eccleſia illa ſublimi triumphante, in qua tu quaſi in monte immobili & firmiſſimo habitaculo inhabitas. S. Hieron. notat, prius dici, Quis habitavit in tabernaculo? quàm illud, quis requieſcet in monte ſancto? quia mons eſt ſymbolum firmitatis. *Non prius in monte*, ait, *deinde in tabernaculo: ſed prius in tabernaculo, & ità in monte. Tabernaculum non eſt firma domus: tabernaculum non habet fundamentum, ſed huc illúcque mutatur & cum transmigrante migrat: quia tabernaculum non habet fundamentum, id eſt, domus incerta: domus autem firma habet fundamenta. Mons pro vita æterna ponitur.* Æternitas oritur ab immobilitate, ſicut à mutabilitate tempus. *Ratio æternitatis*, ait S. Thom. 1. q. q. 10. art. 1. *conſequitur immutabilitatem:* ſicut ratio temporis conſequitur motum. Utrumque ſimul unxit David Pſal. 111. 1: *Non commovebitur in æternum, qui habitat in Jeruſalem.*

Tertiò, cœlum & cœleſtis beatitudo monti comparatur, ob munitionem & ſecuritatem. Ità Caſſiod. Remig. & Agellus, qui *Mons ille, arx quædam atque perfugium, quò ſe recipiant ut ab invadentibus hoſtibus tuti ſint, quò velut ad inacceſſum locum, & rupem editã atque præruptam, hoſtes pervenire non poſſent: juxtà illud Pſal. 60. 3. Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me: deduxiſti me: quia factus es ſpes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* Vel capra in montis vertice prærupto, ridet fruſtrà frendentem & ululantem lupum in valle. *3. ob ſecuritatem.*

Quartò, cœlum & cœleſtis beatitudo monti comparatur, ob ſalubritatem. Thomas Anglicus Cardinalis, Loci puritas, inquit, non eſt in monte. Eſt enim aër ibi purior, quàm in valle, propter craſſorum, vaporum admixtionem, & obumbrationem ſolarium radiorum: propter quod etiam in montibus eſt habitatio melior. Unde dicit Avicenna 4. can. Quòd in locis altis habitantes ſint ſani, & fortes, & vivant diù: in locis verò profundis morantes in vaporoſitate multa exiſtant, & eorum aëres ſint mali. Sic qui habitant in hac valle miſeriæ, ſunt in magna vaporoſitate. Nam caro ipſa continuè exhalat vapores putridos, ad modum cadaveris fœtidi, ſcilicet prava deſideria: ſimiliter mundus ipſe vapores craſſos, ſcilicet inordinatas concupiſcentias, in quibus vaporibus eſt tota vita noſtra: ideò continuè ægrotat. & modicum durat, ſecundùm illud Jacobi 4. 15. *Quæ eſt vita noſtra? vapor ad modicum parens*, Habemus etiam hîc aërem pravum valdè, quia plenum immundis ſpiritibus, qui nos inficere numquam ceſſant: ſed in monte ſancto Dei, id eſt: in cœlo, ubi eſt habitatio Eccleſiæ triumphantis, inhabitantes ſunt ſani, quoad corpus, & fortes ſecundùm animam. Vivunt verò diu, quia æternaliter, ſecundùm utrumque. Iſaiæ 11. 9. *Non nocebunt, & non occident in univerſo monte ſancto meo.* Et Geneſ. 19. 17. *Ne ſtes in omni circa regionem, ſed in monte ſalvum te fac.* 17. *4. ob ſalubritatem.*

Quintò, cœlum & cœleſtis beatitudo monti comparatur, ob liberum veri ſolis aſpectum, quia nihil, inter beatos & illum mediat. 1. Cor. 13. 12. *Tunc autem facie ad faciem:* 1. Joan. 3. 2. *Videbimus eum ſicuti eſt.* In ea viſione conſiſtit eſſentialis beatitudo. Pſal. 79. 4. *Oſtende faciem tuam & ſalvi erimus.* S Baſil. in Pſalmo noſtro. Mons, inquit, locum cœleſtem illuſtrem, atque ſplendida luce conſpicuum ſignificat. *5. ob liberum ſolis conſpectum.*

Sextò, Cœlum & cœleſtis beatitudo monti comparatur, ob theſauros ibi abſconditos. 1. Cor. 2. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Matth. 13. 44 ſpectè, ait Chriſtus *Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito* Mundani ſua oſtentant, ut Pompeius in triumpho montem ſuum aureum, de quo Plin. Deus verò ſua bona ſervat æternitati. 18. *6. ob theſauros.*

Septimò. Cœlum & cœleſtis beatitudo monti comparatur, ob fontium originem Pſal. 35. 9 *Inebriabuntur ab ubertate* (S. Hieron. de pinguedine) *domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos Quoniam apud te eſt fons vitæ.* S. Auguſtinus contra Maximum lib. 3. cap. 23. ait, Filium 19. *7. ob fontes.*

Dei

Dei eſſe lucem de luce, fontem de fonte, qui unus fons, una lux ſit; quia Pater & Filius unum ſunt, ſicut eſt Deus de Deo, & ſimul ambo Deus unus, & hoc totum non ſine Spiritu amborum. Quomodò tota Trinitas ſit fons vitæ, vide in illo Pſal. Imitare Davidem, dicentem Pſal. 41. 1. *Quemadmodum deſiderat* (id eſt, feſtinat, ait Euthym. & Niceph.) *cervus ad fontes aquarum, ità deſiderat* (feſtinat) *anima mea ad te Deus.*

20. 8. ob vites & arbores. Octavò, Cœlum & cœleſtis beatitudo comparatur monti, ob vinearum, & variorum fructuum multitudinem. Iſaiæ 2. ℣. 2. *Et erit* [&, redundat, ùt ſæpè ſit apud Hebræos] *in noviſſimis diebus* (in fine vitæ & mundi) *præparatus* (ab æterno præparat regnum Deus ſervis ſuis) *mons domûs Domini in vertice montium* (ſupra omnes mundi honores ac dignitates) *& elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Vide Pſal. 67. 16. *Mons Dei, mons pinguis* (id eſt, fœcundus) *mons coagulatus* (id eſt, veluti ex lacte totus eſt factus & denſatus, ob paſcuorum ſcilicet atque pecoris multitudinem. S. Auguſtinus legit mons incraſſatus) *mons pinguis* (bis eſt pinguis. 1. pro anima. 2. pro corpore) Cauſa illius pinguedinis & ubertatis explicatur ℣. 17. *Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. To,* in eo, redundat per Hebraiſmum. S. Bern. ſerm. in illud Pſ. 23. 3. Quis aſcendet in montem Domini, ait. Erit ibi mons pacis, mons gaudii, mons gloriæ. Et hi omnes montes unus mons conſummatæ felicitatis. Montis illius ubertatem declarat ſerm. 11. in Cant. *Dic*, inquit, *nobis tu, qui præparas, quid præparas? Replebimur in bonis domûs tuæ: ſed quibus bonis? vino, oleo, frumento? ſed hæc novimus, videmus & faſtidimus. Id quærimus, quod oculus non vidit, &c. Erit,* inquit, *Deus omnia in omnibus: In hoc ſæculo & ratio ſæpè in judicio fallitur, & voluntas quadruplici perturbatione jactatur, & memoria multiplici oblivione confunditur. Triplici huic vanitati nobilis creatura ſubjecta eſt, non volens, in ſpe tamen. Nam, qui replet in bonis deſiderium animæ, ipſe rationi futurus eſt plenitudo lucis, ipſe voluntati multitudo pacis, ipſe memoriæ continuatio æternitatis. O veritas, charitas, æternitas! ô beata & beatificans Trinitas! ad te mea miſera trinitas miſerabiliter ſuſpirat, quoniam à te infeliciter exulat: diſcedens à te quantis ſe intricavit doloribus, & timoribus: Heu me qualem pro te commutavimus trinitatem! cor meum conturbatum eſt, & inde dolor: dereliquit me virtus mea, & inde pavor: & lumen oculorum meorum non eſt mecum, & indè error. En quàm diſſimilem trinitatem, ô anima mea trinitas, exaltas offendiſti.* Subtexit deindè conſolationem. *Veruntamen quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: cùm error videlicet à ratione, à voluntate dolor, atque à memoria timor omnis abſceſſerit, & ſucceſſerit illi, quam ſperamus, mira ſerenitas, plena ſuavitas, æterna ſecuritas. Primum illud faciet veritas Deus: ſecundum, charitas Deus: tertium, ſumma pietas Deus, ut ſit Deus omnia in omnibus: ratione recipiente lucem inextinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem conſequente, memoriâ veritati indeficienti æternaliter inhærente.* Hactenus Bernard.

21. 9. Ob aſcenſum arduum. Nonò denique, cœlum & cœleſtis beatitudo monti comparatur, ob aſcenſus difficultatem. Richardus à S. Victore in tract. qui dicitur Benjamin minor, ſive, de contemplationis gratia, montem illum de contemplatione explicat in hunc modum. *Quàm rari ſunt, vel quia nolunt, vel quia nequeant, qui utcunque aſcendunt. Rarum valdè in hunc montem aſcendere, ſed multò rarius in ejus vertice ſtare, & ibi moram facere: rariſſimum autem ibi habitare & mente requieſcere. Quis, inquit, aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus. Priùs aſcendere eſt, poſteà ſtare. In ſtando quidem labor, ſed in aſcendendo major. Multi quidem in ipſa aſcenſione defecerunt propter nimium laborem aſcendendi: multi ab arduo ejus vertice ocyùs deſcenderunt propter laborem ſtandi. Hoc fortaſſis eis intolerabile videbatur, quoniam non ſolùm in hunc montem, niſi per magnum laborem non aſcenditur, verùm etiam ſine magna difficultate ibi immorari non datur. Sed fortè jam aſcendiſti, jam ibi ſtare didiciſti: nec hoc ſufficit tibi. Diſce ibi habitare, & manſionem facere, & qualicunque mentis evagatione abſtractus, illuc ſemper redire. Abſque dubio per multum uſum quandoque vertetur tibi in oblectamentum, in ſaginum; ut abſque ullo laboris difficultate poſſis ibi aſſiduus eſſe: quinimò pœna potiùs tibi ſit alibi, quàm ibi moram aliquam facere. Mira jucunditas in hoc monte ſine labore morari poſſe Petro atteſtante, qui tantâ & tàm inſolitâ ſuavitate allectus exclamat: Bonum eſt, nos hic eſſe. O felicem! qui potuit in hunc montem aſcendere, & mente requieſcere. O quàm magnum, ô quàm rarum! Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Ut aſcendas ad felicitatem æternam, arcta quidem via eſt, ſed ibi quies eſt ſine labore. Eſt mons Thabor, ubi cùm Chriſtum videris, dices, Bonum eſt, nos hic eſſe. Eſt mons Carmelus, ob fœcunditatem. Eſt mons Sion, ob contemplationem & ſanctitatem. Eſt mons Hermon, rorem in ſubjectos colles demittens. Eſt mons Sinai, igne charitatis ardens. Mons thuris, ob ſuavem fragrantiam. Mons Horeb, in quo ſtat Elias coram Domino, & vocem Dei percipit. Mons hæreditatis Dei: Mons olivarum, ob miſericordiam ibi exhibitam. Mons æternus, ob durationem infinitam.

ARTICULUS II.

Scala ad cœlum ducentis primi octo gradus à Davide aſſignati.

OStenſo termino ſcalæ cœleſtis, primum gradum aut Deus ipſe, aut Propheta digito indicat, nempè deſiderium in virtute proficiendi evitatis peccatis. Verſ. 2. *QUI INGREDITUR* Verſ. 2.
(in tabernaculum, ait Gloſſa & Lombard. 2. in 21.
Deum, ùt Foleng. 3. & meliùs, viam ipſam cœli) *SINE MACULA* [.תמים *thamim*, id eſt, perfectus, ſicut vertit Arias, vel, perfectè, ùt Pagn. immaculatus, ùt Exod. 12. 5. Levit. 1. 3.] *ET OPERATUR JUSTITIAM.*

Nota primò, Per peccatum anima maculatur. Peccati
Quod ſic explicat S. Thomas 1. 2. qu. 86. art. 1. mala
Macula propriè dicitur in corporalibus, quando mentē
aliquod corpus nitidum perdit ſuum nitorem ex fœdat.
contactu alterius corporis, ſicut veſtis & aurum & argentum, aut aliud hujuſmodi. In rebus autem ſpiritualibus ad ſimilitudinem hujus oportet maculam dici. Habet autem anima hominis duplicem nitorem: unum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in ſuis actibus: alium verò ex refulgentia divini luminis, ſcilicet ſapientiæ & gratiæ, per quam etiam homo

per-

perficitur ad benè & decenter agendum. Eſt autem quaſi quidam animæ tactus, quando inhæret aliquibus rebus per amorem: cùm autem peccat, adhæret rebus aliquibus contrà lumen rationis & divinæ legis, undè *ipſum detrimentum nitoris ex tali contactu proveniens, macula anima metaphoricè vocatur*. Ita S. Thom. & q. 109. art. 7. ait maculam peccati eſſe privationem gratiæ. Omnia autem peccata mortalia maculam inducunt. Primò, Superbia inſtar fumi eſt, denigrat famam & animam. De idolis ait Baruch. 6. 20. *Nigra fiunt facies eorum à fumo, qui in domo fit.* Superbi divites ſunt idola aurea, quibus domeſtici adulatores fumum vendunt. Secundò, avaritia maculat. Eccli. 31. 5. *Qui aurum diligit, non juſtificabitur: & qui inſequitur corruptionem* (Gr. διαφθορὰν id eſt, corruptionem. Tigur. exitium: nempè aurum & opes corruptibiles & corrumpentes) *replebitur ex ea.* Et de macula apertius ℣. 8. *Beatus dives, qui inventus eſt ſine macula* (ſine peccato avaritiæ) *& qui poſt aurum nō abiit* (ut ſervus poſt dominum) *nec ſperavit in pecunia & theſauris.* Ad beatitudinem pertingit & hujus vitæ & futuræ: ſequitur enim ℣. 9. *Quis eſt hic & laudamus* (Græc μακαριοῦμεν. id eſt, beatificabimus) *eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua.* Et ℣. 10. *Qui probatus eſt in illo* (auro ſcilicet) *& perfectus eſt* (Tigur. compertus integer) *erit illi gloria æterna.* Tertiò, luxuria præſertim inquinat. Eccli. 13. 1. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Hoc dicit de ſuperbo, ſed optimè etiam quadrat luxurioſo, quia primò pix eſt nigra. Secundò, eſt viſcoſa; facilè adhæret, ac difficilè purgatur. Tertiò, eſt gravis odoris & fœtida. Denique, varia peccata inquinantia percenſet Chriſtus Matth. 15. 18. & ſeq.

23. Illa macula manet actu transeunte. Nota ſecundò. Macula peccati manet transeunte actu peccati, ùt docet S. Thomas 1. 2. qu. 68. art. 2. quia macula importat quendam defectum nitoris propter receſſum à lumine rationis, vel divinæ legis: & ideò, quamdiu homo manet extra hujuſmodi lumen, manet in eo macula peccati: ſed poſtquam redit ad lumen rationis & ad lumen divinum, quod fit per gratiam, tunc macula ceſſat, licet autem ceſſet actus peccati, quo homo diſceſſit à lumine rationis vel legis divinæ, non tamen ſtatim homo ad illud redit, in quo fuerat, ſed requiritur aliquis motus voluntatis contrarius primo motui: ſicut ſi aliquis ſit diſtans alicui per aliquem motum, non ſtatim ceſſante motu, fit ei propinquus, ſed oportet, quòd appropinquet rediens per motum contrarium. Joſue 22. 17. An parum eſt vobis; quia peccaſtis in Beelphegor, & uſque in præſentem diem macula hujus ſceleris in vobis permanet?

24. Senſus hujus loci. Senſus itàque eſt. *Qui ingreditur ſine macula*, id eſt, qui vitam cœli inire & proſequitur nullo peccato, vel actuali vel habituali maculatus & deturpatus, ille perveniet ad tabernaculum & montem ſanctum Dei, id eſt, in cœlum, ſi tamen

Juſtitiæ triplex acceptio, 1. Pro ſpeciali virtute. fugæ peccati addat exercitium virtutum. Duo enim ſunt viri juſti officia, declinare à malo & facere bonum, de quo dixi Pſ. 1. & 2. Undè hic additur, *& operatur juſtitiam.* Ubi advette, juſtitiam tripliciter ſumi poſſe. 1. ſtrictè, ùt eſt ſpecialis virtus. 2 latè, pro omni virtute. 3. pro virtute debita, & ex obligatione. Hinc Remig. Lombard. Aiguanus intelligunt. Primò, de juſtitia, quæ eſt una de quatuor virtutibus cardinalibus. Iſta juſtitia, ait Aiguan. multùm eſt diligenda, quia multas virtutes continet: quoniam primò oppreſſa juſtificat. Ad hanc enim conſtituitur judex, & portat gladium. Et Paulus monet nos debere exhibere ſicut Dei miniſtros, *per arma juſtitiæ dextris & ſiniſtris*, id eſt, tam in proſperis, quàm in adverſis, ut ait S. Anſelmus. Secundò, juſtitia rectificat ea, quæ ſunt obliqua; Unde S. Anſelm. dicit, quòd juſtitia ſit rectitudo voluntatis propter ſeipſam ſervata. Tertiò, juſtitia pacificat jurgia. Et ideò, ut ait Ariſt. lib. 1. Rhetor. omnes diligunt juſtos, quia jurgia ſedant & lites. Pſal. 84. 11. *Juſtitia & pax oſculatæ ſunt*: duæ ſunt ſorores ſeſe ſemper comitantes. Quartò, juſtitia dignificat ea, quæ bona ſunt, Eccli. 30. *Salus animæ in ſanctitate juſtitiæ.* Tullius libro 1. de Officiis dicit, quòd dum fuerint præcepta Platonis, ſecundùm juſtitiam volentibus prodeſſe Reipublicæ. Primum, ut civium utilitatem ſic tueientur, ut quæcunque agunt judices, ad juſtitiam referant, obliti commodorum ſuorum. Alterum præceptum, ut totum corpus Reipublicæ curent: ne, dum partem aliquam tuentur, alteram deſerant. Quintò, juſtitia multiplicat ſancta. Undè Seneca ait: in lib. de quatuor virtutibus. *Quid eſt juſtitia, niſi tacita naturæ conventio in adjutorium multorum adinventa?* Juſtitia hominem exornat & ſanctificat. Eccli. 27. 9. *Sequaris juſtitiam, apprehendes illam* (expectat ſequentes ſe, amplexatur & animat) *& indues quaſi poderem honoris*: id eſt honorificam. Poderis eſt tunica talaris: ità dicta, quod à collo uſque ad πόδας, id eſt, pedes & talos ſit demiſſa, quæ proinde totum hominis corpus ambit, veſtit, protegit, ornat & decorat. Undè talari veſtiuntur Doctores, Senatores, Magiſtratus, ac præ omnibus Sacerdotes. Poderis enim erat veſtis Aaronis & Pontificum, de qua dicitur Sap. 18. 24. *In veſte poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta.* Igitur ſignificat, quòd juſtitia ſit quaſi ſacra poderis ornans juſtum, eumque quaſi conſecrans ſacerdotem, juxta illud S. Petri Epiſt. 1. 2. 9. *Vos genus electum, regale ſacerdotium gens ſancta, populus acquiſitionis.* Juſtitia ergò eſt poderis, juſtum efficiens ceu ſanctum Doctorem, Senatorem, Sacerdotem & Pontificem Curiæ cœleſtis. Ità Cornel. Sextò, juſtitia in patria glorificat. Pſal. 16. 15. *Ego autem in juſtitia* [per juſtitiam & cum juſtitia] *apparebo conſpectui tuo.* S. Hier. vertit. Videbo faciem tuam Pſ. 88. 15. de Deo ipſo dicitur. *Juſtitiam & judicium* (habitus illius virtutis & actus) *præparatio ſedis tuæ.* S. Hieron. firmamentum throni tui. Chald. habitatio ſedis gloriæ tuæ.

Secundò, Ugo Card. & alii, juſtitiam generaliter ſumunt pro bonis operibus quibuſcunque, ità ut ſenſus ſit. Qui operatur juſtitiam. id eſt, omni qui benè vivit & bona opera facit, ille ſalvabitur & manebit in Dei tabernaculo & monte ſancto. Act. 10. 34. ait S. Petrus in Joppen evocatus à Cornelio Centurione gentili & ad fidem converti cupiente, eùm ob eleëmoſynas fuiſſet ab Angelo præmonitus. *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur juſtitiam*, & c. (virtutes omnes) ùt ſumpſit Chriſtus Matthæi tertio, ℣. decimo quinto; & Ariſt. 5. Ethic. c. 1. Eod. modo Siracides ait Eccli. 20. 30. *Qui operatur terram ſuam inaltabit* (altum faciet in copinſa meſſe) *acervum frugum, & qui operatur juſtitiam* (eſt bonus ager) *ipſe exaltabitur: qui vero placet* (qui placere cupit) *magnatis* (principibus) *effugiet iniquitatem.* Gr. ἐξιλάσεται ἀδικίαν. i. e. expiabit injuſtitiam, conabitur actibus heroicis ſatisfacere pro erratis admiſſis, longè magis hoc facere debet, qui ad Deū accedere & cū eo habitare cupit. 25. 2. Præ

cepit. Job. 11, 14. & 15. Sophar Naamathites, id eſt ſpeculator pulcher ſive jucundus (Erat princeps urbis Naamath, quæ pulchram ſignificat, erat aut ſe eſſe putabat ſine macula, Naamath autem erat in ſecta ſeu religione Hus, id eſt conſilii) ait. *Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua* (velut turpis macula) *abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo* (1. cordis. 2. domus & familiæ) *injuſtitia. Tunc levare poteris faciem tuam* (ad Deum & cœlum, quò tendis & aſpiras) *abſque macula* (1. culpæ, ut ait S. Thomas & Eugubinus. 2. ſine reatu pœnæ, ut Cajetan. & Græci) *& eris ſtabilis.* Hebr. מוצק *muſac*, id eſt, fortis, ut vult Pagn. firmatus, ut Arias. Prov. 10. 29. Fortitudo ſimplicis via Domini. Et ℣. 25. ad rem magis juſtus (quaſi fundamentum ſempiternum) *& non timebis*: ne cadas in via. 2. ne ab hoſtibus vincaris. 3. ne à Deo rejiciaris. 4. ne cœlum tibi non pateat. S. Greg. lib. 10. Mor. c. 11. injuſtitiam ibi ſumit pro omni peccato, & tabernaculum pro corde noſtro, internam faciem pro mente, quam levare, eſt in Deo animum per ſtudium orationis attollere. Sed elevatam faciem macula inquinat, ſi intendentem mentem reatus ſui conſcientia accuſat: quia à ſpei fiducia protinus frangitur, ſi intenta precibus, necdum devictæ culpæ memoria mordetur. Stabilis verò eſt & non timet, qui injuſtitiam, id eſt, peccatum à ſe rejecit, quia tantò minus judicem trepidat, quantò in bonis actibus ſolidius ſtat.

26. Tertiò. Bellarmin. & alii. *Qui operatur juſtitiam*, id eſt, qui facit omnia, ad quæ tenetur, non
3. Pro timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ. Sic ſæpè in
virtute Scripturis ſub nominibus miſericordiæ & verita-
debita. tis ſeu juſtitiæ omne virtutis officium continetur: ità ut per miſericordiam omne opus indebitum intelligatur, & per juſtitiam ſeu veritatem omne opus debitum, & ad quod obligamur per Dei præcepta, ſive naturalia, ſive ſcripta: Nam ſine illis cœlum non patet. Matth. 19. 17. adoleſcenti petenti quid faceret, ut haberet vitam æternam, dixit Chriſtus: *Si vis ad vitam* [in terra eſt mors, non vera vita, ſed umbra vitæ, ſeu vita umbratilis] *ingredi, ſerva mandata.* Ne fidas ſoli fidei, opera requiruntur. Quod etiam, ait David, aut Deus apud Davidem. Cùm enim quæſitum eſſet. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, &c. non dixit. Qui credit ſe eſſe de numero prædeſtinatorum, ſed: *Qui ingreditur ſine macula, & operatur.* Ille, ut explicat Folengius, *ingreditur per divinos exceſſus in Deum, egreditur verò ad res curandas proximorum, bona fide.* Et S. Baſilius etiam ingredi ſine macula vult pertinere ad cogitationes & affectiones internas: operari verò juſtitiam, ad opera exteriora. Verba ejus ſunt: *Ambulans immaculatus & faciens juſtitiam, ità ut ſit immaculatus ſecundùm interiorem & arcanum hominem, in omni virtutis genere perfectè præparatus atque inſtructus: faciens autem juſtitiam, qui ea, quæ circa corporis agibilia verſantur, in activo genere vitæ, rectè abſolverit? Oportet enim non ſolum ea, quæ ſunt recta juſtaque facere, ſed etiam juſto rectóque animo facere, ſecundùm illud Deuter. 16. 20. Rem juſtam juſtè proſequere: hoc eſt cum ratione juſtitiæ rem juſtam abſolve. Idiotam enim, verbi gratia, contingit apparare aliquam medicinam, quà opem ferat ægrotanti, non tamen hoc facit, ut medicus, cum artem non calleat, atque ideò artis finem minimè conſequitur. Ambulans itaque immaculatus, mente perfectus erit. Faciens autem juſtitiam is eſt, qui ſecundùm Apoſtoli vocem, inconfuſibilis eſt Domini operarius. Attende exactam dictionis vim. Non dixit qui ambulavit, ſed qui ambulat: neque qui fecit juſtitiam, ſed qui facit. Non enim unus actus perficit ſtudioſum virtutis operatorem, ſed per omnem vitam prorogari & extendi convenit virtutis actiones.* Hi tres ſenſus boni ſunt, magis tamen placet juſtitiam ſumi pro operibus virtutum debitis. Ob omiſſionem enim actionum non debitarum, ſed quæ ſunt meræ ſupererogationis vel conſilii, non clauditur cœlum.

Moraliter. Diſce Primò, ambulantem in via 27.
mandatorum Dei, & ad cœlum & felicem æter- In via
nitatem pergentem, ſummo ſtudio cavere debe- manda-
re omnem peccati maculam. Primò, quia via torum
ipſa, nempè lex Dei, eſt ſine ulla macula. Pſ. 18. Dei eſt
℣. 8. *Lex Domini immaculata.* Hebr. *themima*, id ambu-
eſt integra, perfecta, abſoluta, cui nihil deeſt. landum
Tertull. de Pudicitia, cap. 6. legit invituperabilis. ſine ma-
S. Ambr. ſerm. 16. in Pſ. 118. irreprehenſibilis. cula.
In Pſalmo noſtro eſt, *ingreditur* תמים *thamim*, 1. Quia
id eſt perfectus, ſeu perfectè: hoc eſt, integrè, via ipſa
innocenter, ſimpliciter, ſincerè, verè, ſine do- eſt mũ-
lo, fuco, fallacia, duplicitate. Pſalmus 118. qui da.
totus eſt de via, id eſt lege Dei, ſanctè decurrenda, beatitudinem ſtatim offert ambulantibus ſine macula. Verſ. 1. *Beati immaculati* (Hebr. *themime*, id eſt perfecti, ut vertit Chald. integri, ſinceri, maculæ expertes) *in via.* Quænam ſit via clarè explicat, cùm ſubdit, *Qui ambulant in lege Domini.* Noli timere, firma & ſolida eſt via, te ſuſtinebit. 2. amœna eſt, te recreabit. 3. lucida eſt, te illuminabit. 4. munita eſt præſidiis cœleſtibus, te conſervabit.

Secundò, ingrediendum eſt ſine macula in le- 28.
ge Dei, quia ad cœlum tendimus, in quod nemo 2. Quia
intrat vel cum leviſſima macula. Apocal. 21. 27. tendi-
Non intrabit in eam (Jeruſalem cœleſtem) *aliquod* mus ad
coinquinatum (Arab. mendax: practicè ſcilicet) cœlum.
Et abominationem faciens & mendacium, niſi (ſed tantùm illi) *qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni*: id eſt Chriſti immaculati, qui habet librum vitæ, id eſt notitiam de vita beata & felicitate æterna cujuslibet Electi in particulari. Ratio à priori, cur immundi in paradiſum non admittantur, eſt, quod locus ſit mundiſſimus. Apoc. eod. cap. ℣. 18. *Ipſa civitas aurum mundum, ſimile vitro mundo*: id eſt, diaphanum & tranſparens, ut vitrum. Et ℣. 21. *Platea* (id eſt plateæ: pavimentum ſcilicet platearum) *civitatis, aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum*, ſunt inſtar Chryſolithi. Adde muros & portas ex gemmis, aliaque, & judica, an deceat in eam civitatem aliquid immundum intrare. Surius die 4. Decemb. in vita S. Annonis ſcripta à quodam religioſo cœnobii Sigebergenſis refert lib. 2. cap. 25. Cùm S. Anno Archiep. Colonienſis poſitus eſſet in quiete noctis cujuſnam, ſomnium ſuæ feliciſſimæ diſſolutionis præſagum, in hunc modum aſpexit. Viſus eſt ſibi domum quandam, omni decore intus & foris reſplendentem, intrare: & ecce in ſubſellis judicialibus, tanquam ad concilium ſolemniter evocati, reſidebant Heribertus Colonienſis Archiepiſcopus, Bardo Moguntinus Archiepiſcopus, Poppo & Everhardus Trevirenſes Archiep. Arnulphus Wormatienſis Epiſcopus, & alii quamplures Galliarum Epiſcopi, quorum alios ipſe in carne noverat, alios famâ tantùm vel lectione compererat, amicti omnes ſtolis pontificalibus, & habentes veſtem inſtar nivis candidam. Ipſe quoque candidis admodum atque pretioſis veſtibus indutus ſibi videbatur; *ſed partem candentis veſtimenti, eam ſcilicet, qua pectus tegebatur, ſordida quædam ac fœda caligo obduxerat, Hunc cæterum cultus*

ejus

ejus ſplendorem ſuâ fœditate plurimùm offuſcabat: quam tamen ipſe nimio rubore perfuſus, objectâ manu tegere ac relare, ne inſpicientium oſtenderet obitum, conabatur. Vidit præterea inter eos ſibi quoque ſedem miri decoris paratam, quam cùm occupare, gaudio & exultatione æſtuans, properaret, ſurgens Arnulphus Vormatienſis Epiſcopus, modeſtâ voce eum prohibuit, dicens, reverendos Patres qui aſſiderent, nolle eũ in ſuum admittere conſeſſum, propterea quòd veſtem ejus hæc turpis macula fœdaret. Cùmque juſſus loco cedere, fleos confectoq; nimium animo egrederetur, inſecutus eum idem Epiſcopus: Æquo animo, ait, eſto pater. *Maculam tantùm hanc, quæ veſtem tuam infecit, maturiùs ablui præcipe*, quia non poſt multos dies beatæ hujus manſionis conſortium, & ſanctorum Patrum quos aſpexiſti, conſeſſum, voti compos percipies. Mane facto cùm familiari cuidam ſuo viſionem retuliſſet, ille ſapienter rem conjiciens: *Macula*, inquit, *hæc veſti tuæ illita, nihil aliud eſt, ut exiſtimo, quàm memoria injuriæ civium tuorum*, qui de anno ſuperiore Coloniâ expulerunt, quibus re divinæ pietatis reſpectu jam olim oportuerat admiſſi hujus veniam dediſſe. Hæc, quòd bonâ veniâ dixerim, pectori tuo tenacius, quàm æquũ ſit, reſidens, amariſſimo mœrore contra fas mentem tuam decoquens, cæteram ſanctiſſimæ converſationis tuæ claritatem moleſtâ quâdam caligine obducit & obſcurat. Archiepiſcopus conſcientiæ ſuæ teſtimonio convictus, ne inficeretur quod audiebat, reatum ſuum humiliter agnovit, ſtatimque deſtinatis circumquaque nunciis, cives omnes Coloniæ, qui ejus injuriæ participes, urbe ceſſerant, ad ſe revocavit, eiſque proximâ feſtivitate Paſchali omnia ſua, quæ direpta fuerant, benigniſſimè reſtitui curavit.

29. 3. Quia Sancti in cœlo ſunt ſine macula. Tertiò itaque, ingrediendum eſt abſque macula in via mandatorum Dei: quia Sancti in cœlo, ad quos pergimus, mundi ſunt, & ſecum immundos non admittunt, ut patet ex hiſtoria S. Annonis prædicta. Apoc. 7. 9. *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus, populis, & linguis: ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis*, i. e. veſtibus albis, quæ erant veſtes honoris, gloriæ, & triomphi. Et ℣. 14. dicitur de iis, qui erant amicti ſtolis albis: *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna* (præſertim agit de illis, qui tempore Antichriſti vixerunt) *& laverunt ſtolas ſuas* (conſcientias) *& dealbaverunt eas in ſanguine Agni*, i. e. Chriſti, 1. per Baptiſmum, 2. per Sacramenta, præſertim per pœnitentiam. 3. per contritionem, & orationem. 4. per miſericordiæ opera. 5. per exercitationem virtutum, præſertim charitatis. 6. per martyrium. Cap. 6. ℣. 6. habetur: *Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ*, h. e. ut ait Andr. Cæſarienſis, plena puritas, quies, & ſpes certa beatitudinis. 2. & melius, lumen gloriæ, viſio & fruitio Dei, quibus velut pretioſâ veſte animæ ſingulæ Sanctorum decorantur. Matth. 22. 11. & ſeqq. ejicitur in tenebras exteriores, id eſt in æternam damnationem, ut ait S. Gregorius, qui intravit in convivii locum non habens veſtem nuptialem, i. e. charitatem, & morum ſanctitatem, ut explicant S. Chryſoſt. & S. Hieron. *Veſtis nuptialis*, ait S. Hilarius, *eſt gratia Spiritûs ſancti, & candor habitûs cœleſtis, qui bonâ interrogatione confeſſionis ſuſceptus, uſque in cœleſtem cœtum immaculatus eſt reſervandus.*

30. 4. Quia pergimus ad Deum Quartò denique, ingrediendum eſt ſine macula in via mandatorum Dei, quia in cœlo Deus mundiſſimus eſt, & immaculatus, qui ad ſuam beatitudinem viſionem, & fruitionem non admittit maculatos. Pſ. 5. 6. *Neque habitabit* (Hebr. non hoſpitabitur. Ne ad breve quidem tempus) *juxta te malignus, neque permanebunt injuſti ante oculos tuos*, Apocal. 7. poſtquàm dictum eſt Sanctos dealbaviſſe ſtolas ſuas in ſanguine Agni, additur ℣. 15. *Ideò ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei die ac nocte in templo ejus: & qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos.* Non vult habitare ſuper lutum & lutoſam animam, in ea pedem non figit ſapientia. Columba Noëmi non ſedet ſuper cadavera. De pueris electis, ut manerent in aula Nabuchodonoſoris regis Babylonis, dicitur Danielis 1. 3. *Et ait* (Nabuchodonoſor) *Aſphenez præpoſito Eunuchorum* (id eſt, aulicorum, Daniel enim, & tres ejus ſocii non fuerunt caſtrati ut rectè docent S. Epiphan. Doroth. Lyr. & Maldon.) *ut introduceret de filiis Iſrael, & de ſemine regio, & tyrannorum*, i. e. principum, qui ob fortitudinem & potentiam dicebantur tyranni. Unde apud Horat. l. 3. ode 17. latè tyrannus, i. e. latè dominans) *pueros, in quibus nulla eſſet macula, decoros formâ, & eruditos omni ſapientiâ*, (id eſt, cognitione rerum ſublimium & divinarum) *cautos ſcientiâ* (id eſt, cognitione rerum naturalium) *& doctos diſciplinâ* (valdè prudentes) *& qui poſſent ſtare in palatio Regis.* Pererius putat Danielẽ tunc fuiſſe decem circiter annorum: ſed veriùs Maldonatus ait fuiſſe facilè viginti annorum, & patet ex verbis allatis. Octo habeas oportet, ut admittaris in Dei palatium. 1. ut ſis de filiis Iſrael, per baptiſmum, & fidem. 2. de ſemine regio, per charitatem. 3. ſine macula, per pœnitentiam. 4. decorus formâ, per gratiam ſanctificantem. 5. eruditus ſapientiâ, per meditationem myſteriorum ſupernaturalium. 6. cautus ſcientiâ, per conſiderationem creaturarum. 7. doctus diſciplinâ, per prudentem virtutum operationem. 8. ut ſtare poſſis per perſeverantiam finalem. Tales ſunt omnes Sancti ab omni labe puriſſimi. S. Dionyſ. li. de divin. nomin. c. 12. *Sanctitas*, inquit, *eſt ab omni immunditia libera, & perfecta, & omninò immaculata munditia.* Et S. Thom. 2. 2. q. 81. art. 8. *Sanctificatio*, ait, *eſt munditia à peccato, vel confirmatio in bono, vel deputatio ad cultum Dei.*

31. In via cœleſti laborandum Secundò moraliter nota. In via cœli laborandum eſt, *& operatur juſtitiam.* Laboranti datur beatitudo. Pſ. 127. 2. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Vide ibi dicta. Sap. 3. 15. *Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus: & quæ non concidat radix ſapientiæ.* Stat radix ſapientiæ, i. e. ſapidæ & affectuoſæ virtutis, quæ cum cognitione Dei & amore exercetur elevat truncum ſuum, & ramos uſque ad cœlum, ut fructus ſuos Deo offerat & tradat. Fructus illi bonorum operum ſunt varii. 1. Dei gloriam illuſtrant. 2. proximum juvant, hæreticos, ſchiſmaticos, paganos convertendo; fideles verò, amicos præſertim, affines, cognatos, domeſticos in fide & virtutibus confirmans. 3. de mundo, carne, & dæmone victoriam reportant. 4. nobis ipſis proſunt, partim ſatisfaciendo pro delictis præteritis, partim præſervando à futuris, augent gratiam, lætitia complent animam, dant fiduciam à Deo petita impetrandi uſque ad cœlum euntea comitantur, cœlum aperiunt, & obtinent; illud enim merentur de condigno, non in ſe præcisè ſpectata, ſed ut à gratia Dei emanantia, & illâ informata, & Chriſti ſanguine rubricata & exornata, atq; dignificata. Ea ſemente ſequitur meſſis, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Prov. 21. 5. *Cogitationes robuſti* (Hebr. חרוץ *harus*, i. e. ſtrenui, diligentis, impigri, laborioſi) *ſemper in abundantia*: Pagn. vertit, *tendunt ad ſuper abundantiam.* Deus dat menſuram conſertam & coagitatam, eamq; effundit in ſinum ſervorum ſuorum) *omnis autem piger* (Sept.

flagitinſus. Hæc duo convertũtur) *ſemper in egeſtate eſt*. Sic Sap.c.10.4. dicitur; *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa: manus autem fortium divitias parat*. Et c.12.11. *Qui operatur terram, ſatiabitur panibus: qui autem ſectatur otium, ſtultiſſimus eſt*. Et c 19.15. *Pigredo immittit ſoporem* (Hebr. תרדמה *thardema*. i.e. gravem ſoporem & veternum) *& anima diſſoluta eſuriet*. Et maximè ad rem noſtram c.21 ✝. *Qui ſequitur* (Hebr. רודף *rodeph*, id eſt, qui perſequitur, qui ardenter & conſtanter ſequitur) *juſtitiam & miſericordiam* (opera virtutis debita, & merè gratuita) *inveniet vitam* (proſperam & diuturnam) *juſtitiam* (præmium juſtitiæ) *& gloriam*, in vita & in æternitate.

Idem operationis fervor in via Dei declaratur in primo hemiſtichio. *Qui ingreditur* ſine macula. Dixit Deus Abrahamo, Gen.17.1. *Ambula corã me, & eſto perfectus*, q. d. ſic eris perfectus. Cherubini quatuor ab Ezechiele viſi propè currum Dei ſemper ambulabant, donec ad vitæ ſuæ terminum pervenirent Ezech. 1. 12. *Unumquodq; eorum coram facie ſua* (humana, quæ erat præcipua in ſingulis, licèt haberent quatuor facies) *ambulabat: ubi erat impetus ſpiritûs* (ſancti) *illac gradiebantur* (facilè equitat, quem gratia Dei portat) *nec revertebantur, cùm ambularent. Et ſimilitudo animalium, aſpectus eorum quaſi carbonum ignis* (motus parit calorem) *ardentiũ, & quaſi aſpectus lampadarum*, fervor ambulantium etiam è ſilice ſcintillas & lumen exprimit. De ſtudio ſẽper proficiendi vide S. Bern. ep.253. ad Guarinum Abb.

Secundus gradus ſcalæ ad cœlum erectæ, eſt
Verſ. 3. cordis ſinceritas, Verſ. 3. *QUI LOQUITUR*
1. Pars. *VERITATEM IN CORDE SUO, QUI NON EGIT DOLUM IN LINGUA SUA.*

32. Loqui veritatem in corde quid? Primò. Senſus eſt, Primò, ille habitabit in tabernaculo, & monte ſancto Dei, qui loquitur veritatem in corde, i.e. ex corde, ex amore & ſtudio veritatis: ita ut, ſicut dicit Mariana, cor à lingua non diſcrepet. Qui, ut ait Vatablus, bonâ fide dicit, quæcunq; dicit. Qui, ut vult Dionyſius, in ſeipſo ſincerus & verus eſt, & vera intra ſe cogitans, ut non ſit ſimulator atq; hypocrita. Ubi adverte ex Alb. Magno in 6. Et hîc tract 2.c.1. Veritas eſt triplex: prima in rebus, & cauſa aliarum, & eſt eſſe rei ſecundùm propriam rei entitatem: ſecunda, in intellectu, quæ eſt adæquatio intellectûs ad rem, & conceptus rei, ut vera eſt: tertia media eſt, & formata ſecunda, & ſignum primæ, & hæc eſt in ſermone, cùm de re, ut eſt, enunciatur: & de re, quæ non eſt, enunciatur ut non eſt. In Pſal. noſtro ponitur illa triplex veritas. Primò, operis. *Qui ingreditur ſine macula*, i. e. innocenter, ſincerè, verè, ſine fallacia, & duplicatione. Secundò, cordis: *Qui loquitur veritatem in corde ſuo*. Tertiò, oris: *Qui non egit dolum in lingua ſua*. Vel, ut ait Ugo, eſt veritas cordis ſine duplicitate, veritas oris ſine falſitate, veritas operis ſine vanitate: & hæc eſt omnis, id eſt, perfecta veritas. De qua Joan. 16. 13. *Docebit vos omnes veritatem.*

Secundò. Secundò. *Qui loquitur veritatem in corde*, i. e. ex corde, h. e. ex bono effectu, & benevola propenſione erga eum, cui loquitur. Beda ſic explicat; Poſſumus enim, inquit, verum dicere, & malâ tamen affectione: ſicut ſi alicui de duabus viis, quæ rectior eſſet quærenti, indicarem rectiorem, non quòd eſſet rectior, ſed ut incurreret in ea latrones, vel aliquod aliud malum. Verum quidem meum dictum eſſet, ſed ex mala affectione procederet. Ita ipſe. Vera dixit de populo Dei Balaam Pſeudopropheta, Num. 24. 2. & ſeqq. de Arca ſanctuarii ſacerdotes Philiſthinorum, 1.Reg.5.11. & ca.6.4. Caiphas ſummus Pontifex, de Chriſto, Joan.11.49. Diabolus ipſe eum vocat filium Dei, Math. 8. 29. ſed in nullis horum erat pius ac benevolus affectus erga Deum, aut Chriſtum, aut alia memorata: ſed vel coactè, vel fortuitò, vel cum dolo iſta faciebant.

Tertiò. *Qui loquitur veritatem in corde*, id eſt, Tertiò.
qui juſtitiam corde meditatur, ait Emmanuel Sa, q. d. qui ſtatuit virtutem amplecti & ſequi. Nam, ut dicit Bellarminus: omnis, qui res temporales pluris æſtimat, quàm valeant, non loquitur veritatem in corde ſuo: & quicunque in peccatum aliquod conſentit, loquitur falſum in corde ſuo: quia judicat expedire ſibi id, quod reverà ſibi non expedit. Ita omnia peccata cordis reduci poſſunt tanquam ad radicem ad falſum judicium.

Quartò. *Qui loquitur veritatem in corde*, i. e. Quartò
qui intellectu adhæret veræ fidei, & Chriſto, qui eſt prima veritas: ut, ſicut loquitur S. Hier. vera de veritate cogitet, qui eſt Chriſtus: nec ſe aſſertionibus hæreticis miſceat, quæ falſæ ſemper inveniuntur ac vacuæ. Ubi nota Primò ex S. Th. 1. p.q. 16. art. 1. Verum cùm ſit terminus intellectus, ſicut bonum, appetitûs, veritatem omnem in intellectu eſſe oportet principaliter: ſecundariò autem in rebus ſecundùm ordinem ad intellectum à quo dependent. Idem docet 6. Metaph. lect. 13. 4. 7. Verum & falſum per ſe in rebus eſſe non poteſt, ſed in cognitionibus ſpectatur, ut dicit Ammonius in li. de interpretat. Verum & falſum habent eſſe in re cauſaliter, in intellectu formaliter, ut ait Alexand. Alenſis 4. Metaphyſ. t. 21. Sic veritatem definit Albert. in 3. de anima tract. 2. Veritas eſt adæquatio rerum & intellectuum. Veritas igitur loquenda, i. e. concipienda & enunciandà eſt in corde, i. e. in intellectu per verbum mentis conforme objecto. Nota ſecundò cum S. Baſilio, veritatem fidei eſſe loquendam *in corde*, i.e. non temerè, & ſine prudentia omnibus. *Forſan*, inquit, *ſententiola hæc nobis repræſentat, quòd ea quæ de veritate ſunt, h. e. myſtica, loqui conveniat, non cum quolibet, ſed cum proximo: h.e. non prodenda illa eſſe vulgo, ſed narranda iis, qui myſteriis, ſeu Sacramentis communicârint. Si autem veritas eſt Dominus noſter,* [illegible], *impreſſam, & quodammodo ſignatam hanc quiſque in corde ſuo veritatem reſtituamus*. Hæc Baſilius.

Quintò denique, & meliùs. *Qui loquitur veri-* Quintò.
tatem in corde ſuo, id eſt, ut ait Janſenius, qui non cogitat in corde ſuo aliquam falſitatem, qua proximum decipiat: ſed tantùm veritatem concipit apud ſe, q. d. qui non machinatur in animo ſuo fraudes ac dolos, quibus alium intercipiat, & inopinantem laqueis ſuis irretiat, ſed ſincera tantum & candida verſat animo.

* Moral. nota, veritas & ſinceritas Deo amabilẽ 33.
faciunt, & dignum qui habitet in tabernaculo & Veraces
monte ſancto. *Veritas divinũ quiddam eſt*, ut di- Deus
cit Euſtratius in li. 1. Ethic. *Veritas omnibus bonis*, amat.
& apud Deos, & apud homines antecellit, ut loquitur Alex. Aphrod. in 1. prior. c.2. Veritas, ait Plato de legibus dialog. 5. omnium bonorum & Diis & hominibus dux eſt, cujus qui *beatus & felix*, eſſe debet, ut quàmplurimo tempore in veritate vitam degat, & hic fidus eſt. Marſilius Ficinus comparat veritatem Soli in hunc modum l. 1. Platon. Philoſ. c. 63. *Veritas eſt boni lumẽ, in mente ita menti cognatã, ut Solis lumen ſtellis, lunæ ſuperioribus: animæ verò rationali ita cõgnatũ, ut lumẽ Solis lunæ*

Nota ſecundò, Deo maximè placere cor, & ea, 34.
quæ ex corde fiunt, & illa maximè ſpectare. Prov. Cor
21. 2. *Omnis via viri ſibi recta videtur, appendit* placet
autem corda Dominus, in ſtatera ſuæ juſtitiæ, ait Deo.
Lyranus, ut ſecundùm merita vel demerita reddat eis præmia vel ſupplicia. Sept. vertunt, *dirigit autem corda Dominus*, velut gubernaculum navis, à quo cætera moveantur in eam partem, in quam inclinaverit. Pagn. verò reddit. *Numerat autem*

corda

corda Deus: id eſt, cordis cogitationes & motus. Vel, numerat an ſit duplex cor in homine, an doloſa in corde & corde loquatur, habens unum internum, & alterum externum, ſicut ſimulatores atq; hypocritæ, Verſ. 4. additur. *Exultatio oculorum eſt dilatatio cordis.* Dilatatio cordis eſt charitas ſincera, omnes in corde gerens: illa exaltat oculos, ut Deum ſecuro aſpectu intueatur, & coram hominibus nunquam confundatur: ſic à Deo quem contemplatur, lumen recipit: & ab hominibus, gratulationis & amoris teſtificationem. Cap. 20. 27. *Lucerna Domini* [i. e. cognitio Dei, ait Aben Ezra. 2. Lux etiam alia quælibet] *ſpiraculum hominis* (Sept. anima hominis, q. d. anima hominis eſt lux à Deo homini immiſſa, quâ dirigatur) *qua intelligat omnia ſecreta ventris*, id eſt, mentis: qui ſicut proles in utero concipitur, ait S. Hier. aut Rabanus in lament. Jerem. ca. 1. 20. ſic cogitatio in mente generatur: & ſicut in ventre cibi, ita continentur in mente cogitationes. De hominibus verò ait etiam Salomon c. 22. 11. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorũ ſuorum amicum habebit regem.* Per cordis munditiam intelligit Beda cordis caſtitatem; per gratiam labiorum, caſtitatem verborum. 2. R. Levi ait, munditiam cordis eſſe ſincerum amorem & charitatem: dicitq; eum fore regem amicorum, i. e. inter amicos regnaturum. Sic eſſet hypallage. 3. ad rem noſtram aptè Janſenius: Cordis munditia, inquit, *eſt ſinceritas & integritas animi ab omni fuco ac pravitate aliena*: gratia labiorum, eſt ſermonis elegantia, ſeu, ut dicunt Baynus & Cajetanus, labiorum veracitas. Regem etiam ibi Deum poſſis accipere, ut explicat R. Salomon. Qui, ait, cordis & labiorum puritate præſtat, amicum habet regem, i. e. Deum, qui & hunc amabit, & ut à cæteris ametur, procurabit. Et quidem Chald. vertit: Diligit Deus mundum corde, & in gratia labiorum ſuorum ſocius erit regis. Et Sept. Diligit Deus corda ſancta, & accepti ſunt ei omnes immaculati in viis. Eos ad tabernaculum ſuum admittit, atque in montem ſanctum, ut eum ſine ullius rei interpoſitione videant, Matth. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Ubi ait Chromatius: Munditia cordis, & conſcientiæ puritas, nullam nubem ad intuendum Deum patietur. Anton. in Meliſſa p. 2. citat S. Baſilium, qui dicit: *Primum beatiſſimum eſt, quod in corde noſtro puram: quia radix eſt omnium corporis actionum cordis conſilium.* Nec mirum eſt, ſi Deus mundum corde in ſuum tabernaculum ſeu templum cœleſte admittit eum, qui in corde ſuo loquitur veritatem, quia ipſe Deo ſe ut templum exhibuit, in quo Deum habitaret. Philo de nom. mut. *Sapiens Dei comes eſt.* Et alibi: *Domus Dei eſt cogitatio ſapientis, atque hujus propriè vocatur Deus, qui univerſorum eſt, quod Deus in ea tanquam in regia inambulat.* Ibi poſitus Deus veritatem amat, fovet, intuitur, & conſervat. Pergit Salomon ℣ 12. *Oculi Domini cuſtodiunt ſcientiam* (Beda, ſcientiam pro veritate, præſertim religionis & fidei ſumi vult. 2. Janſen. pro veritate ore prolata. 3. ſume pro veritate in corde, ut fonte, contenta, ut veritas oris & operis, velut rivi, emanant) *& ſupplantantur verba iniqui*, id eſt, mendacis deriſoris, ait Sazar.

Tertius gradus ſcalæ cœleſtis à Davide poſitæ,
Verſ. 3. eſt ſinceritas verborum, Verſ. eod. 3. *QUI NON*
2. Pars, *EGIT DOLUM IN LINGUA SUA.* Nota, pro *egit dolum*, Hebr. eſt, רגל *ragal*, quod ſignificat 1. detrahere ſeu obloqui. 2. accuſare. 3. explorare. 4. ambulare.

35. Hinc primò Chald. & Muiſius vertunt: *Non*
Ragal, *detrahit linguâ ſuâ.* Felix, non detraxit. Arias,
quid ſi- non oblocutus eſt. Vatabl. non obtrectat. Chald. אכל *acal*, propriè ſignificat, comedit, abſumpſit, gnificat
devoravit. Detractio eſt lingua ignis omnia devorans, Jac. 1. 3. *Lingua ignis eſt.* 2. *acal*, ſignificat 1.
rugire, tonare, perſonare. Detractor leo eſt medullas intimas & oſſa abſumens, & tonitru ac fulmen omnia pervadens, & in tota domo, familia, urbe, provincia & regno perſonans, & omnes exterrens. 3. *acal*, ſignificat divulgare criminationem, calumniari, delatorem ſe præſentare, obtrectare.

Secundò, *Non* (ragal) *accuſavit ſuper lingua*
ſua, ut Pagn. vertit, q. d. non ſtatim accurrit ad judicem, ut, ſi quid in alio deprehendit, eum eum 2.
atrocitate & crudelitate curet conteri. Albertus de ani. li. 2. tr. 2. c. 9. Lingua, inquit, inter dentes eſt, ut molendinarii manus, quæ imponit granum inter molares, ut granum aptè conterant. Lingua ſæpè ſine delectu & conſideratione innocentes, aut parùm nocentes conteri facit, ut fecit uxor Putipharis accuſans Joſephum Geneſ. 39. & Fauſta uxor Conſtantini deferens Criſpum.

Tertiò, Cajet. reddit: *Non exploravit ſuper lin-* 3.
gua ſua. Lingua, ut ait Ariſtot. de part. anim. 2. c. 16. data eſt homini ad percipiendos ſapores, & ad formandum ſermonem. Cùm ſapientiâ & ſapore ipſos ſermones proferat, priùs guſtet, id quod aliorum auribus & cordi propinat. Idem Ariſtoteles problem. ſec. 10. n. 21. notat, linguam nullius animalis pinguem eſſe, quia pingue unumquodq; denſum eſt: lingua verò rara eſt, ut genera ſaporum percipere poſſit. Ne ſis impinguatus & incraſſatus, ne tibi cœleſtis ſapientia non ſapiat. Explora quid dicas, ſed de vita aliorum ne ſis anxius, ne *explora ſuper lingua tua*, eorum dicta & facta, tecum habita, ne per plateas vagetur lingua, ut ſordes ubiq; contrahat: ut, ſicut agit Agellius, amicitiâ ſimulando à ſimplicioribus ſecreta elicias.

Quartò. Verti poſſit: *Non* (ragal) *inceſſit ſuper* 4.
linguam ſuam. Sic ragal deduces רגל *regel*, pes, q. d. pedibus hac diſcurrere, ſeſe in aliorum domos, amicitiam & familiaritatem inſinuare, ut ipſorum mores, imperfectiones, errata, paupertatem, ignorantiam, aliaq; videas atq; divulges. Pſ. 72. 9. *Poſuerunt in cælum* (Chald. *in ſanctos cælorum*) detractor viros pios libentiùs percutit, *& lingua eorum tranſivit* (S. Hier. deambulavit) *in terra.* Chald. vertit, Lingua eorum ardet in juſtos terræ. Sævit in humiles, ſed ſunt terra fertilis & immobilis. De lingua ambulante inſtar erucæ & millepedæ, ut civitatem everteret, dixi alias.

Quintò. Noſter omnia hæc, & alia complexus, 5.
generatim vertit: *Non egit dolum in lingua ſua*, ut in officina nequitiæ, detractionis, calumniæ, contumeliæ, accuſationis injuſtæ, curioſitatis malignæ, & cæterorum vitiorum. Sic Arabs: Non decipit linguâ ſuâ ullum. Syr. neq; fraudulentus eſt in lingua ſua. Sept. ἐδολίωσεν, id eſt, non fecit dolum, non doloſè & fraudulenter egit S. Auguſt. hîc *linguâ*, inquit, *agitur dolus, cùm aliud ore profertur, aliud pectore tegitur.* Dolum in verbis, fraudem in factis principaliter reperiri docet S. Tho. 2. 2. q. 55. 4. ad 2. & art. 5. & q. 111. art. 3. ad 2. Non tam detractionis, ait Bellarm. quàm adulationis, & alia id genus peccata linguæ, ad dolum revocari poſſunt. Doloſus linguam ſuam in omnes partes flectit, ut decipiat & ſupplantet. Albertus M. de anim. l. 1. tr. 2. c. 14. Linguam, ait, moventes muſculi ſunt novem, quorum duo ſunt latitudinales ex ſagittis, quæ dicuntur aurium additamenta, venientes, & cum duobus linguæ lateribus continuati: duo longitudinales, qui à ſupremo oſſis laudæ naſcentes cum medio linguæ continuantur: duo, qui eam ex tranſverſo movent, nati ex duobus laudæ lateribus, & penetrant linguam inter longitudinales & latitudinales muſculos: duo ſunt linguam reſupinantes, qui oriuntur

ſub locis ultimò dictorum muſculorum, & ſub eis villi eorum ſecundùm latitudinem expanduntur, & cum toto eſſe mandibulæ continuantur. His addunt quidam muſculum ſolitarium, qui inter linguam & os laudæ continuat, & unum ad aliud trahit os, ſcilicet ad linguam, atq; è converſo. Ita Albertus. Quis verò numeret fraudes & artes, quibus impii linguam ſuam flectunt ſurſum, deorſum, & in omnem partem? Vir verò juſtus in verbis ſuis rectus eſt & conſtans, illas lubricas flexiones ignorat. S. Hieron. vertit: *Non eſt facilis in lingua ſua.* Vide dicta Pſal. 11. 3.

36. Doloſos Deus à ſe rejicit.

Moral. nota. Doloſos à tabernaculo ſuo rejicit Deus. S. Baſil. *Multis, ait, locis Scripturæ dolus traducitur, ὡς ἐχθρὸς Θεοῦ, velut inimicus Dei.* Pſ. 11. 4. *Diſperdet Dominus omnia labia doloſa.* Item Prov. 12. 20. *Dolus in corde operantiū mala. Quandocunq́ enim quod bonum eſt, pejoris commixtione adulteratur, dolus dicitur. Sicut vinum dolum ſuſtinet, dum ei admiſcetur pejus: aut ſi aqua illi præter modum temperiemq́ infundatur. Item aurum falſatur, dum cū argento & ære coit. Sic & veritas dolum patitur, quando qui malè nudiunt ſermones ac reprobi, inſerti fuerint & implexi ſanctis Scripturæ eloquiis.* Illis itaque pœnis digni ſunt doloſi, quibus corruptores monetæ regiæ. Prov. 21. 6. *Qui congregat theſauros linguâ mendaci, vanus & excors eſt.* [Vatabl. eſt vanitas, & res quæ propelli ſolet. Pagn. eſt velut ſtipula propulſata] *& impingetur ad laqueos mortis.* Primò, ad angorem conſcientiæ. 2. ad horrorem mortis. 3. ad timorem infamiæ & pœnæ inter homines. 4. ad laqueos judicii divini & gehennæ. Prov. 17. 20. *Qui perverſi cordis eſt, non inveniet bonum: & qui vertit linguā* (Vatabl. perverſus linguâ ſuâ) *incidet in malum.* 1. culpæ. 2. pœnæ. Pagn. *Qui verterit ſe in linguā ſua* (fraudibus lingua involvit perverſum, qui in iis ſe verſat & implicat, velut ſtulta avis in laqueo) *cadet in malum*, in foveam à venatore diabolo præparatam vel in mortem. Alio ſimili c. 20. 17. rem explicat. *Suavis eſt homini panis mendacii* (Complut. eod. *mendax*. Auctor catenæ Gr. *mendacis*. Tigur. *fraude partus*. Panis ille ſunt opes & deliciæ) *& poſteà implebitur os ejus calculo*: i. e. lapillis: erit panis lapidoſus. Tigur. *At tandem os ejus ſcrupulis implebitur*: id eſt, conſcientiæ angoribus. Complut. & Regii codices habent, lapidibus. Alii, arenâ.

37. Doloſorum varia mala.

Varia doloſorum mala proſequitur idem Salomon. c. 26. præſertim ait ỳ. 23. dolum eſſe ignem occultum. *Quomodo ſi argento ſordido ornare velis vas fictile* (Hebr. argentum ſcoriatum obductum ſuper teſtam) *ſic labia tumentia* (Hebr. *dolechim*, i. e. ardentia, ut vertit Aquila, Theodor. & Arias, inflammantia, ut Symmach. ſuccendentia lites, ut Pagn.) *cum corde peſſimo ſociata.* Salazar ibi notat Primò, imbecillitatem & fragilitatem hypocritæ, qui exteriori ſplendore lucet, ſed fragilis eſt ut vas figuli: Pſ. 2. 9. *Tanquam vas figuli confringes eos.* Secondò, Vatablus advertit oris pravi vilitatem, quia & ſcoria argenti eſt vilis, & teſta. Chald. vertit: *Sicut argentum feculentum, quo opertum eſt vas fictile: ſic labia incenſa cum corde peſſimo.* Tertiò, R. Salomon, R. Aben Ezra, & R. Levi, Iſidor. Clarius, & Cornel. Labia tumentia intelligunt labia adulantia & blandientia: aut potius doloſa & ficta, quæ ſcilicet interiùs in corde tument: & ſicut eſt in Hebr. ardent, ita ſcilicet odio, malignitate: exteriùs autem in ore tument verbis mendacibus, & ſimulato amore. Verſ. 24. additur: *Labiis ſuis intelligitur inimicus, cùm in corde tractaverit dolos*: ut in exitio injuſtitiæ. Chald. & interioribus ſuis reponit fraudulentiam, lo ore vaſis ponit mel: in fundo venenum. Unde ſequitur ỳ. 25. *Quando ſubmiſerit vocem ſuam* (Tigur. quando voce ſuâ benignus eſt) *ne credideris ei: quoniam ſeptem* (i. e. multæ) *nequitiæ ſunt in corde ejus.* Serpens in Evam decipiens, Gen. 3. 1. Cain eſt Abelem in agrum educens & occidens, Gen. 4. 8. Levi & Simeon decipiunt Sichimitas, Gen. 34. 13. eorum furor maledicitur, c. 49. 7. Saul invidens Davidi & eum cogitans tradere in manus Philiſthinorū, ab eo pro ſponſalibus filiæ ſuæ Michol, quam ei in uxorem offerebat, petiit doloſè centum præputia eorum, 1. Reg. 18. 25. David feliciter victis Philiſthinis, ducenta eorum attulit præputia, filiam Regis ſibi obtinuit; Saul verò poſtea eorundem hoſtium gladio periit, c. 31. David ipſe amore Bethſabeæ in tranſverſum actus. Uriam ejus maritum innocentem objecit gladio Ammonitarum urbis Rabba, quæ erat totius provinciæ metropolis, in pœnam audit à Nathan propheta c. 11. 10. Non recedet gladius de domo tua uſq; in ſempiternum. Et quidem Amnon filius ejus primogenitus occiſus eſt ab Abſalone ob vitiatam ſororem ejus Thamar, c. 13. 29. & Abſalon rebellis in ipſum Davidem à Joab, c. 18. 14. Joab ipſe doloſè occidit Abner ducem exercitûs Isboſeth regis benevolentiam & amicitiam fingens, 2. Reg. 3. 27. & Amaſam principem, c. 20. 9. & 10. Sed Davidis juſſu Salomon eum curavit occidi prope ipſum altare tabernaculi, ad quod fugerat, 3. Reg. 11. 29. & ſeqq. Herodes doloſè mittit Magos in Bethlehem, & rogat ſibi rem renunciari, ut veniens etiam puerum adoret, ſed impius de cæde ejus cogitabat, Matth. 2. 5. & ſeq. ipſe ſummis cruciatibus affectus miſerè periit, ut narrat Joſephus. Judas oſculo doloſo Chriſtum hoſtibus tradit, c. 26. 50. laqueo ſeipſe ſuſpendit, c. 27. 5. Sequere itaq; Davidis noſtri conſilium Pſ. 33. 14. *Prohibe* (S. Ambr. exhort. ad Virg. cohibe. S. Cypr. ep. 42. contine. Tertull. contra Marcionem, compeſce) *linguam tuam à malo* (ad illud inclinat, fræno eget) *& labia tua ne loquantur dolum.* S. Cypr. de unit. Eccl. legit *inſidiosè*. Labia occultāt dentes, & morſum rubore ſuo & pulchritudine blandiuntur.

Quartus gradus ſcalæ cœleſtis à Davide poſitæ, eſt charitas erga proximum, Verſ. eod. 3. *NEC FECIT PROXIMO SUO MALUM*, ſive in bonis fortunæ, ſive in bonis corporis, ſive in bonis animæ. S. Baſil. ait, hoc mandatum eſſe, *δυσκατόρθωτον, obſervat difficile, & πολλῆς δεόμενον ἐπιμελείας, multâ indigens diligentiâ*, ut nulla in re ſive modica, ſive majori noceas proximo: ut neque verbo lædas, neque quicquam auferas eorum, quæ illius ſunt, neque optes illi malum, denique ut non invideas ejus rebus etiam lætis & proſperis. Verſ. 3. 3. Pars. 38.

Quær. Quis hîc proximus intelligitur? Primò, Caſſiod. qui de Chriſto Pſalmum explicat, proximum ejus ait eſſe populum Judæorum, à quo traxit originem: pro illo autem in ipſa cruce oravit. Proximus quis? 1.

Secundò, Proximum alii ſumunt pro amico & familiari, cum quo converſamur, & communiter agimus. S. Hier. vertit. *Nec fecit amico ſuo* (Forſ. & Arias, ſocio ſuo) *malum.* Seneca epiſt. 2. ad Lucil. Natura, inquit, nobis indidit amorem mutuum, & ſociales fecit, Albert. 3. de veget. ait, in omni arbore agri eſſe amputanda quæcunque in ramis & virgis aruerint, quia vicina ſibi arboris membra corrumpunt. Sic gangræna maximè ſibi vicinas partes citiſſimè corrumpit. Præcipitur Lev. 19. 18. *Diliges amicū tuum ſicut teipſum.* Hebr. רע *rea*, ibi ponitur ſicut in Pſ. noſtro, & ſignificat amicum, ſocium, & quovis modo nobis conjunctum: habet affinitatem cum רעה i. e. paſcere, *regere* (unde poteſt deduci) velle, placere, amare, ſociare. Hæc facit bonus & fidelis amicus. Item, cum רעע *roa*, i. e. conterere, confringere, malum eſſe, diſplicere, vociferari. Hæc facit amicus malus. Chald. vox חברא *habra*, in utroque etiam loco 2.

co ponitur, & ſignificat ſocium, ſodalem, contubernalem, amicum, à rad. חבר *habber*, conjungere, componere, aſſociare. Huc facit amicus fidelis. *Habber*, ſignificat etiam incantare, magicis incantationibus uti, ad animalia in unum locum congreganda. Hoc facit ſceleratus, cùm multos ſimul conjungit ad ludos, computationes, & alia his fœdiora.

3. Tertiò, ut ait S. Hieronym. Proximus noſter, omnis homo Chriſtianus eſt.

4. Quartò, & meliùs S. Auguſt. Proximum, ait,
39. omnem hominem accipi oportere, notum eſt. Il-
Omnis lum ſequuntur Mariana, Gloſſa, & alii. Et verò
homo omnis homo nobis eſt proximus: quia proximè, id
eſt pro- eſt, nullo mediante ad nos accedit, noſq; contin-
ximus git per eandem naturam humanam, Chriſti gra-
noſter. tiam, Eccleſiæ communionem, Sacramentorum participationem, gloriæ ſpem, & alia. S. Iſidor. Peluſ. in epiſt. *Proximitas naturâ æſtimatur, non virtute: ſubſtantiâ, non dignitate: compaſſione, non loco: curationis modo, & non loci propinquitate. Illum namque arbitrare proximum, qui tui maximè indigeat, & ſponte tua ad auxilium ei ferendum accede*, ut fecit Samaritanus oleum & vinum infundens in vulnera jacentis & confoſſi à latronibus, eum imponens in jumentum ſuum, dans duos denarios, duplices ſcilicet, i. e. dimidium Philippicum dalerum, ſtabulario, h. e. hoſpiti, qui ſtabulo & hoſpitio præerat, ut illius curam haberet uſq; ad ſuum reditum. His actibus charitatis ſe illius afflicti proximum probavit, ut dicitur Luc. 10. 37. Contra verò, ut ait Salomon Prov. 22. 5. *Arma & gladii in via perverſi.* Hebr. vox צנים *ſinnim*, quam Noſter vertit, *arma*: ſignificat Primò, ut vertit Pagn. R. Abraham, & R. David in libro radicum, & R. Emmanuël, qui ait id ſumi paſſivè q. d. via viri perverſi plena eſt ſpinis & laqueis, i. e. plena offendiculis. Secundò, *ſinnim* ſignificat lanceas, arma acuta, clypeos cum umbone acuminato. Sumi id poteſt tam paſſivè, quàm activè: patitur enim ſceleratus, & infert vulnera. Pro *gladii*, Hebr. eſt פחים *phahim*, i. e. laquei, ut reddit Pagnin. & alii. Præterea, laminæ, quæ inſtar laqueorum expanſæ ſunt. Exod. 39. 3. Num. 17. 3. unde Noſter vertit, *gladii*. Inquietus eſt atq; noxius omnis perverſus. Prov. 17. 11. *Semper jurgia* (Sept. contradictionem. Symm. contentiones. Theodot. exacerbationem) *quærit malus*: (Chald. vir amarus. Impii ſunt fellei) *Angelus autem Domini crudelis* (ſuper ſeverus, & quivis alius in aliquem ſæviens) *mittetur contra eum.* Comparat ſceleratum ſibi præſidentem urſæ raptis fœtibus ſævienti, ℣. 12. Angelus crudelis eſt dæmon, qui in inferos dejicier crudeles. Charitas verò nobis adducit Angelos vitæ & portas vitæ aperit. S. Antioch. hom. 1. de Fide: Ἀγάπη, inquit, ὁδὸς ἀναφέρουσα εἰς τὸν Θεόν. *Charitas eſt via ad Deum ducens.*

Proximus noſter, eſt etiam inimicus quilibet.
40. Licèt ſit hoſtis. Lev. 19. 18. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ* (Chald. non ſervabis inimicitias) *civium tuorum*, q. d. licèt læſerint, tamen cives ſunt, tibi proximi ſunt, membrū membro ſibi vicino, licèt læſerit, condonat, illud fovet, tuetur, & juvat. S. Aug. l. 1. de doctrina Chriſtiana, c. 30. *Eum*, ait, *eſſe proximum intelligamus, cui vel exhibendū eſt officium miſericordiæ ſi indiget, vel exhibendum eſſet ſi indigeret. Ex quo eſt jam conſequens, vel etiam illo à quo nobis hoc viciſſim exhibendū eſt, proximus ſit noſter: proximi enim nomen ad aliquid eſt, nec quiſquam eſſe proximus niſi proximo poteſt. Nullum autem exceptum eſſe cui miſericordiæ denegetur obſequium, quis non videat, quando uſq; ad inimicos etiam porrectum eſt? Quales erant in primis Samaritani Judæis.* Adeò erant infenſi illis, ut Samaritana Chriſto aquam petenti diceret: Non coütuntur Judæi Samaritanis, Joan. 4. 9. i. e. non habent cōmercium cum illis, non utuntur eâdem menſâ, poculo, vaſe. Erant enim diverſæ religionis Judæi ſolum Deum adorabant, & quidem in templo Jeroſolymitano: Samaritani autem etiam idola colebant, & Deum verum adorabant in alio templo extructo in monte Garizim, qui imminet urbi Sichem. Samaritanus verò pius non aquam, ſed vinum & oleum, & pecuniam, & jumentum, laboremq; ſuum, licèt non rogatus, impendit pro illo vulnerato: quem Sacerdos & Levita Judæi non juverant. Unde legiſperitus à Chriſto interrogatus: Quis horum trium videretur eſſe proximus illi, qui inciderat in latrones, reſpondit Luc. 10. 37. *Qui fecit miſericordiam in illum.* Alii removerunt ſe ab eo, & tranſierunt: ipſe acceſſit prope eum ſtetit, manibus ſaniem & ſanguinē abſterſit, brachiis amplexatus eſt, jumento impoſitum fulcivit uſq; ad hoſpitium, verè proximus illi & animo & corpore fuit. Audi Chriſtum & legiſperito & tibi ſubjicientem: *Vade & tu fac ſimiliter.* Pittacus unus ex ſeptem Græciæ ſapientibus, filii ſui interfectorem ad ſe miſſum, ut de eo ſupplicium ſumeret, causâ cognitâ dimiſit, dicens: *Ignoſcentiam eſſe potiorem pœnitentiâ.* Vel. ut alii, *Melius eſt ignoſcere quàm punire.* Julius Cæſar devictis hoſtibus Dictator perpetuus conſtitutus, ſtatuas Pompeji dejectas honorificè repoſuit. Tum Cicero: *Cæſar*, inquit, *dum Pompeji ſtatuas reponit, ſuas ſtabilit.* Cùm Alphonſus rex Aragonum reprehenderetur ob nimiam lenitatem, ait, ut refert Panormit. l. 2. de ejus geſtis: *Malo multos meâ clementiâ & manſuetudine ſervare, quàm paucos meâ ſeveritate perdere. Hominis eſt clementia, belluarū feritas. Ego juſtitiâ bonis gratus ſum, malis autē clemētiâ. Nihil enim magis adverſarios flectit, quàm placabilitatis & māſuetudinis nomen.*

Quintus gradus ſcalæ cœleſtis à Davide poſitæ, eſt detractorum odium. Verſ. eod. 3. *ET* Verſ. 3,
OPPROBRIUM NON ACCEPIT ADVER- 4. Pars.
SUS PROXIMOS SUOS.

Primò, ſenſus eſt, ait S. Hieron. Remig. Agellius, S. Baſil. *Nunquam à ſuis vicinis tanquam noxius accuſatur.* Juvat hanc explicationem quòd 41. Opprobrium non acceperit quid?
in aliquibus codicibus Sept. habent, ἐπὶ τοῖς ἐγγύτα, id eſt, à vicinis, ſeu proximis. Sed neque ulla virtus poteſt impedire linguas improborum & malevolorum, ſicut in Chriſto patuit, neque in emendatioribus codicibus eſt, ἐπὶ τοῖς, ἐπὶ τούς, i. e. 1.
contra, &c.

Secundò, ſenſus commodior eſt Euthymii: *Et* 2.
opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos, id eſt, qui opprobrium quaſi telum aliquod non ſuſcepit contra vicinos: hoc eſt, qui delinquentem proximum aut membro mutilatum, aut alio quovis infortunio oppreſſum, non opprobrio afficit, aut contumeliâ. Ubi notat: Opprobrium ad deriſionem tendere, reprehenſionem verò ad emendationem delicti. Unde reprehenſionem in bonam partem accipimus, opprobrium verò nuſquam. Arias vertit: *Opprobrium non detulit ſuper propinquum ſuum.* Campenſis: Socio ſuo non intulit opprobrium. Eugubinus: Opprobrium: dedecus, notam infamiæ non levavit, tulit, ſumpſit, inflixit contra proximum ſuum.

Tertiò, adhuc aptius Bellarm. Emman. Sa. Pe- 3.
tavius, Magnet. & alii: *Opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos*, i. e. ad aures ſuas non admiſit vituperationes, detractiones, ſuſurrationes, calumnias, ſiniſtros ſermones contra proximos, & non favit unquam malignis, ſed eos contempſit & pro nihilo duxit. S. Aug. breviter ait: Non libenter aut temerè credidit calumniatori. Illum ſequuntur Lombard. Gloſſa, Foleng. & alii. Cajetanus vertit: *Opprobrium non ſuſtinuit ſuper propinquo*

pinquo ſuo. Sancta impatientia velot onus grave tejicit à ſe detractationes & convitia.

4. Er optimè. Quartò deoique, plenè & adæquatè. Ugo Card. *Opprobrium adverſus proximum non accepit*, id eſt neque accepit in corde ad cogitandum, neque in ore ad loquendom, neque in aure ad audiendum. Et Janſen. Qui, ait, non modò ſibi ab omni in proximum maleficio temperat; ſed etiam non ſuſcepit æquo animo, neque ſuſtinuit opprobriom aliquod à quopiam jactari contra proximos ſuos, imò quantum in ſe fuit, omnem proximi contomeliam & injuriam avertere conarus eſt.

42. Detractio nō eſt audienda. Motaliter nota, Detractoribus autes ſunt obſtruendæ. Eccl. 28. v. 15. & ſeq. 42. dicitur à ſuſurrone bilingui & detractore 1. pacem turbari. 2. multos commoveri & diſpergi de gente in gentem. 3. civitates muratas deſtrui. 4. domos magnatorum effodi. 5. virtutes populorū concidi. 6. gentes diſſolvi. 7. mulieres viratas, id eſt fortes & viriles ejici, & laboribus ſuis privari. 8. amicos tollere. 9. oſſa comminuere. 10. multis cauſā mortis exiſtere. 11. jugo ferreo obruere, & vinculo æreo ligare. 12. mortem nequiſſimam, id eſt, diram, ut Tigurlna verſio habet. 13. inferno ipſo deteriorem eſſe. 14. Inſtar leonis & pardi ſævire in ore impiorum, & contra ipſos. Poſteà verò additur verſ. 28. *Sepi aures tuas* (S. Hilar. in Pſ. 140. *circum valla poſſeſſionem tuam*: id eſt, animam tuā, & virtutes quas in ea habet) *ſpinis, & linguam nequam noli audire*. Venenum ſundit lingua detractoris. Pſal. 5. 10. *Linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum*. Vide ibi dicta, & Pſal. 139. 4. *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis*. Auris dicitur ab hauriendo, ut ait S. Iſidor. in ethym. Quis diu venenum liber ſine damno? Hinc mors ſeqoitur. Prov. 24. 21. & 22. *Cum detractoribus non commiſcearis: quoniā repente conſurget perditio eorum* (tam activè, quàm paſſivè ſumpta, q. d. quam ipſi patiuntur, & aliis inferunt) *& ruinam utriuſque* (detrahentis & illum auſcultantis) *quis novit*: Ejuſdem impietatis eſt, ait Dionyſ. in Pſ. noſtr. detrahere, & detrahenti applaudere: quia utrumque ex ſuo genere mortale peccatum magis quàm furtum. Et ſi non eſſet qui audiret, non eſſet qui detraheret. S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 2. docet detractiooem, quæ eſt occulta maledictio, ad denigrationem famæ, per impoſitionem falſi, per adauctionem mali, per revelationem mali occulti, & per depravationem intentionis, de ſe eſſe peccarū mortale. Art. 3. ait, ex genere ſuo eſſe magis furto. Art. 4. ad rem noſtram probat etiam aodientes detractionem aliquando peccare mortaliter. Nam, inquit, ſecundum Apoſtolum digni ſunt morte non ſolum qui peccata faciunt, ſed etiam qui facientibus peccata conſentiunt. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo directè, quando ſcilicet quis inducit alium ad peccatum, vel ei placet peccatum. Alio modo indirectè, quando ſcilicet nō reſiſtit, cùm reſiſtere poſſit. Et hoc contingit quandoque non quia peccatum placeat, ſed propter aliquem humanum timorem. Dicendum eſt ergo, quòd ſi aliquis detractiones audiat abſque reſiſtentia, videtur detractori conſentire: ūde fit particeps peccati ejus. Et ſi quidem inducat eum ad detrahendum, vel ſaltem placeat ei detractio propter odium ejus cui detrahitur, non minus peccat quàm detrahens, & quandoque magis. Unde S. Bern. dicit lib. 1. de conſid. ad Eugen. circa finem illius: Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facilè dixerim. Si verò non placeat ei peccatum, ſed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, ſed multò minus quàm detrahens, & plerumque venialiter. Quandoque etiam hoc poteſt eſſe peccatum mortale. vel propter hoc quòd alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere, vel propter aliquod periculum, quod audiens oovit conſequens, vel propter radicem, quâ timor humanus quandoque poteſt eſſe peccatū mortale, ut ſuprà habitum eſt, q. 19. art. 3. ita S. Thom.

44. Eam S. viri horruerunt. Hinc ſancti viri adeò horruerunt vitium detractionis & detractores. David de ſe ait Pſal. 100. 5. *Detrahentē ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar*. Ubi ea de re fusè. S. Franciſcus teſte S. Bonav. cap. 8. vitæ, ſeverè detractores caſtigabat, & habitu monaſtico ſpoliandos cenſebat. *Detractionis vitium, inimicum fontis pietatis & gratiæ, tanquam ſerpentinum adhorrebat morſum, & atrociſſimam peſtem, & piiſſimo Deo abominabile eſſe affirmabat, pro eò quod detractor animarum ſanguine paſcitur, quas gladio lingua necat*. Et infrà. *Tantò major eſt* inquiebat, *detractorum impietas, quam latronum, quantò lex Chriſti, quæ in obſervantia pietatis impletur, magis animarum, quam corporum nos optat amare ſalutem*.

44. Detractio delectar, & cur? Cauſa detractionis, & detractationis in audienda detractione, eſt, Primò, levitas animi. 1. Secundò, curioſitas omnia cognoſcendi & ſcrutandi. 2. Tertiò, otioſitas. 3. Quartò, loquacitas. 4. Quintò, odium, vel invidia. 5. Sextò, vanitas, quia virtutes propriæ magis elucent defectis aliorum vitiis, & vitia noſtra apparent minora & tolerabiliora, ſi alia graviora vulgentur. 6. Septimò, ſuperbia & arrogantia, ſibi plus tribuendo, quam oporteat, & ſe meliorem aliis cenſendo. 7.

45. Remedium contra detractionem eſt, propria peccata conſiderare. Abbatis Pœmenis monitum. Remedia his oppoſita ſatis patent, præſertim propria tibi peccata ſemper ob oculos conſtitue, & alia nec videre, nec audire, nec loqui voles S. Ambroſ. lib 4. epiſt. 29. ad Florianum: *Nunquam profectò detrahes, ſi teipſum bene perſpexeris. Tantū cura corrigere vitam tuam, quantum proſpicis alienam*. Ruffin. lib. 3. de vitis Patrum n. 133. pag. 519 ait, quendam religioſum ab Abbate Pœmene petiiſſe: Quomodo poſſet homo vitare ne loquatur malum de proximo ſuo? ei autem ſenem reſpondiſſe: *Ego & proximus meus duæ imagines ſumus: cum ergo meam proſpexero, & reprehendero me, invenitur imago fratris mei apud me venerabilis. Quando autem meam laudavero, tunc fratris mei imaginem pravā reſpicio. Tunc ergo de alio non detracto, ſi ſemper meipſū reprehendo*. Num autem 136. ſubtexit idem Aorhor. Peractâ congregatione ſemel in Scithi, dum Patres de multorum vita, & de rebus plurimis loquerentur, Abbas Pior tacebat. Poſteà verò egreſſus tollens ſaccum implevit eum arenâ, & portabat in dorſo ſuo: & iterum in alio parvo panno miſit alteram arenam, & portabat ante ſe. Videntes autem cæteri fratres, requiſierunt ab eo, quod eſſet hoc exemplum, & reſpondit dicens Iſte ſaccus, qui habet multam arenam, mea peccata ſunt, quoniam plurimæ ſunt iniquitates meæ, & ecce dimiſi ea poſt dorſum meum, nolens illa videre, ut pro illis doleam, vel plangam. Et ecce pauca hæc delicta fratris mei ante oculos meos poſui, & crucior in ipſis condemnans fratrem. Sed non oportet ſic judicare, ſed magis ante me adducere, & de ipſis cogitare & rogare Deum, ut indulgeat mihi. Quod audientes Patres, dixerunt: *In veritate hæc eſt via ſalutis*. Ita ibi. Itaque qui ſic non accipiet opprobrium adverſus proximum ſuum, hic habitabit in tabernaculo Dei, & in monte ſancto ejus, *Et abbatis Pioris factum ſymbolicum.*

Verſ. 4. 1. Pars. 46. Malignus. Sextus gradus ſcalæ cœleſtis à Davide poſitæ eſt odium & fuga mali conſortii. Verſ. 4. *AD NIHILUM DEDUCTUS EST IN CONSPECTU EJUS MALIGNUS: TIMENTES AUTEM DOMINUM GLORIFICAT*. Nota, malignus eſt, ut ait Nonius, qui malo eſt, & depravato animo, & conſuetudine malevolus. Nonnunquam

nunquam idem eſt, quod iniquus & alienus. Hinc maligna lux dicitur, quæ ſub obſcura eſt: maligna via, quæ anguſta & ardua. Per *malignum* hîc intelligi poteſt primò, diabolus, qui eſt author & dux omnis malitiæ & malevolentiæ. Secundò, mundus, qui totus in maligno poſitus eſt. Tertiò, detractor, qui ex felle & veneno conflatus eſt. Quartò deniq; omnis peccator, qui de fonte ſtygis bibit, atq; aliis lethiferam aquam propinat. Ad nihilum autem debent deduci hi omnes: ſive, ut eſt in Græco, ἐξουδενῶσθαι, i.e. annihilari: 1. in intellectu, per judicium eos pro nihilo reputans. 2. in voluntate, per averſionem & rejectionem, 3. in lingua per contemptum & vituperationem. 4. in opere, per fugam prudentem, & reſiſtentiam fortem.

47. Dæmon eſt contemnendus.

Primò itaque, de diabolo interpretantur hunc verſum S. Hier. Caſſiod. Gloſſa, Ugo, Th. Angl. Lomb. & alii, q. d. ait Remig. Malignus, i. e. diabolus, in conſpectu ejus, i.e. in intellectu, ad nihilum deductus eſt, i.e. pro nihilo habetur, quia factus ex nihilo poſtquàm perdidit bonitatem naturæ, redactus eſt ad nihil. Et dum nihil eſt, fortis vir non timet eum. 2. ſic explicat: Malignus. i.e. diabolus, ad nihilum deductus eſt, cùm in nulla ſuggeſtione ei prævaluit; in conſpectu, i. e. in providentia animi ejus. 3. in conſpecto ejus, id eſt, in ejus cognitione; malignus, i. e. diabolus, qui per ſe poſſe prævalere videtur, deductus eſt ad nihilum, i. e. ad creaturas, quæ de nihilo creatæ ſunt: ſcilicet cognoſcet diabolum illos ſolummodo poſſe vincere, quos à vera & ſemper incommutabili ſpecie ad creaturam & commutabile deſiderium vertit, ut ad pecuniam, vel aliquid horum, quæ hujus mundi ſunt, eiſq; ſe ſubjicit; tunc eum quaſi ſuper ſe deducit. Ità Remig. Fortes athletæ dæmonem pro nihilo ducunt, & ejus tentationes, minas, inſultus, tumultus, vociferationes, rugitus, inſaniam & ferociam rident, ut patuit in S. Antonio, S. Hilarione, S. Coloppano, S. Patricio, S. Xaverio, & aliis. Malignus dicitur diabolus, quia malo igne cruciatur, & cruciare tentat. Ignis ille aquâ compunctionis, & aquæ etiam naturalis uſu extinguitur. Juvenes præſertim ſic ipſum vincent, 1. Joan. 2. 13. *Scribo vobis, adoleſcentes, quoniam viciſtis malignū.* Et ℣. 14. *Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis* (in fide Chriſti manetis, & ejus præcepta obſervatis) *& viciſtis malignū*, τὸν πονηρὸν, illum malignum antonomaſticè, nempe caput & principem malignitatis. S. Aug. id expēdens ait: *Scribo vobis, juvenes, etiam atque etiam conſiderate, quia juvenes eſtis: pugnate, ut vincatis: vincite, ut coronemini: humiles eſtote, ne cadatis in pugna.* Ejectus eſt dæmon de tabernaculo & monte Dei, ideò nihil factus eſt. Ezech. 28. 14 *Tu Cherub extentus.* Hebr. ממשח *mimſa*, id eſt, unctus: unctione gratiæ & ſanctificatione, ait Theodor. & S. Hier. (forſan legit Noſter interpres ממשה *minſa*. id eſt, extentus, expanſus, extractus, & alludit ad Cherubinos, qui erant alis extenſis ſuper arcam) *& protegens* (cæteros Angelos) *& poſui te in monte S. Dei* (in cœlo, ait S. Hier. mons S. eſt cognitionis Dei celſitudo, ut ait Theodoretus) *in medio lapidum ignitorum* (inter Angelorum corda charitatis igne ſuccenſa, ait S. Greg. 32. Mor. 18. 25. inter Seraphim ignitos. ait R. Jonas: erat enim primus Seraphinorum ſed dicitur Cherub ob plenitudinē ſcientiæ) *ambulāſti.* Et ℣. 16. cauſa ruinæ ejus declaratur fuiſſe peccatum, & additur: *Ejeci te de monte Dei, & perdidi te ô Cherub protegens, de medio lapidum ignitorum* Et ℣. 16. ad rem noſtram accommodatius, *nihil factus es.* Hebr. בלהות *ballaboth*, i.e. terror, ut Pagn. vertit. Vel potius, *terrores*, ut Arias, fuiſti: Quis enim non timeat videns primū Angelum, ad nihilum eſſe redactum?) *& non eris in perpetuum.* Gaude etiam, quia hoſtis tuus nihil eſt, non vincit niſi volentes,

48. Mundus etiam eſt pro nihilo ducendus.

Secundò, Ugo & Thom. Anglicus malignum hîc ſumunt mundum, de quo S. Joan. 1. epiſt. 5. 19. *Scimus, quoniam ex Deo ſumus, & mundus totus in maligno* (in dæmone, ut explicat ipſe Ugo, & Gloſſa. 2. in obſcuro lubrico, & præcipiti loco, anguſto, & arduo, ut Martin. de Roal. 2. ſingul. c. 2. Vel, in maligno, id eſt in malitia & malignitate) *poſitus eſt.* Gr. κεῖται, *jacet*, nempè velut porcus in volutabro luti, & leo inſidians in ſpelunca. Ad nihilū deducitur à viro juſto, quia omnes ejus opes, honores, voluptates, ut viles & turpes contemnūtur. Hoc repræſentatū eſt S. Anſelmo Cant. Epiſc.

Viſio notabilis S. Anſelmi.

Raptus enim in extaſim vidit fluvium immanem atq; præcipitem, in quem ſordes omnes, quæ ubique terrarum eſſent, confluerent: ità ut nihil aquis illis turpiùs ac fœdiùs fieri poſſet, quæ etiā quicquid attingerent, raperent, ac devolverent, viros, fœminas divites, inopes. Quod ille ſpectaculum miratus ac miſeratus, cùm quæſiſſet, quibus ii rebus alerentur & quomodo viverent, reſponsū eſt ei, infelices illos eodem ipſo cœno, quo trahebantur, potari & delectari. Quin etiam adjecta eſt ei myſterii hujus interpretatio, torrentem illum eſſe ipſum mundō, in quo cæci mortales ſuis divitiis, honoribus, & reliquis cupiditatibus involvuntur, cùmque adeò miſeri ſint, ut ne conſiſtere quidem poſſint, ipſos tamen ſe beatos & fortunatos putare, ità in ejus vita Surius menſe Apr. Quis cœnoſum illum gurgitem non contemnat, horreat, & fugiat? lege S. Ambr. de fuga ſæculi, & Bern. ſerm. 3. de Circumciſ. Hanc rerum mundanarum vilitatem & contemptibilitatem cognoſcebat & ſentiebat Paulus cùm dicebat Philipp. 3. 8. *Exiſtimo omnia detrimentū* (damnum) *eſſe propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei* (ob excellentem & ſublimem fidem & doctrinam Evangelii) *propter quem omnia detrimentum feci* (i.e. damnum judicavi, pro detrimento reputavi. 2. verè abjeci & conculcavi) *& arbitror ut ſtercora* (σκύβαλα. 1. i.e. excrementa & ſtercora duriora. 2. rejectamenta frumenti ſeu paleas. 3. ea, quæ ex inteſtinis boum, ovium, aut pecorum carnibus projiciuntur. Mundani inſtar canum prædas viliſſimas captant, vorant, iis ſeſe inquinant & conferciunt) *ut Chriſtum* (i.e. ait Cornel. Chriſti gratiam, juſtitiam, amicitiam, virtutes, ac dona, & tandem gloriam) *lucrifaciam.* Vis mundum deſpicere? illum conſidera, ad nihilū deducitur in conſpectu tuo i. e. in tua conſideratione & contemplatione malignus. Nahum. 3. 6. & 7. ubi minas intentans civitati Ninive regionis Aſſyriorum metropoli, ait: *Ponam te in exemplum* (Tigur. vertit, *ponam te ſpectaculum.* In hoc ſpectaculo apparebunt ſordes ejus. Pagn. reddit: Ponam te inquinamentum. Chald. ponam te exectandam, & ponam te fœdiſſimam oculis omnium videntium te) *Omnis, qui viderit te, reſiliet à te* (Tigurina, refugiet à te. Pagn. elongabit ſe à te. Fuge in clauſtrum & montem Dei) *& dicet: Vaſtata eſt* (Sept. miſera eſt) *Ninive.* Mundus & Gr. κόσμος à pulchritudine dicitur: Ninive etiam ſignificat pulchram, ſpecioſam, habitaculum pulchrum. Utrumq; eſt in malignitate & in ſordibus ac miſeria, & ad nihilum deductum. Sed ideò hoc non creditur, quia oculi fidei non aperiuntur à peccatoribus: ſed ſapiens cum Jeremia c. 4. 23. ait: *Aſpexi terram, & ecce vacua* (Pſ. 4. 3. Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem? Vide ibi dicta) *& nihil.* Chald. & deſolata. Symm. συγκεχυμένη, id eſt, confuſa. Nihil eſt præter confuſionem, deſolationem, vacuitatem, & vanitatem in mundo. Unde S. Ignatius exclamat: *Heu quam ſordet mihi terra, cum cœlum aſpicio!* Qui gemmam aſpicit, paleas contemnit: qui Solem lucentem aſpicit, lignum putridum, & vermem lucentem deſpicit & calcat.

49. Detractores ſpernendi ſunt.

Tertiò, & meliùs, *ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus*, id eſt, detractor, ut ait idem Ugo q.d. ut explicat Folengius, Iniquum calumniatorum, quamvis potentem, quamvis ferocem, quamvis divitem cõtempſit. Senſus hic eſt acutus & accomodatus. priùs enim dixerat David: *Nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium no accepit adverſùs proximos ſuos.* Nunc velut explicãs, quale ſit illud opprobrium, ait: *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus*, id eſt, qui cum malitia & male volẽtia excogitat opprobria, id eſt, calumnias & obtrectationes in aliquem. Hic malignus ad nihilum deducitur, quia non audet maledicere & detrahere corã viro juſto. Prov. 25. 23. *Ventus aquilo diſſipat pluviam, & facies triſtis* (Hebr. iracunda) *Lingua detrahentẽ.* Hebr. linguam abſconſionis, id eſt, inſtar ſerpentis occultè mordentem S. Hieronymus Epiſt. ad Ruſticum: *Sicut*, inquit, *ſagitta, ſi mittatur contra duram materiam non nunquam in mittentem revertitur, illudque completur, facti ſunt mihi in arcum pravum.* Et: *Qui mittit in altum lapidem recidit in caput ejus. Ità detractor, cum triſtem faciem viderit audientis, imo ne audientis quidẽ ſed obturantis aures ſuas, illicò conticeſcit, pallet vultus, hærẽt labia, ſaliva ſiccatur.* De S. Pachomio, & ejus odio in detractores Dionyſius in ejus vita ſic refert c. 27. *Audiens aliquem detrahentem, avertens ſe ab eo, velut a facie ſerpentis, cõtinuo abſcedebat, illud Pſalmi 100. frequenter inſinuans: detrahentem proximo ſuo occultè hunc perſequebar. Nullus, dicebat, bonus de ore ſuo profert quicquam mali, nec ſanctis Patribus venenato prorſus ore obloquitur. De quare multis quidẽ ſcripturis Dei monſtrabat indignantis offenſam. Præcipuè tamen Mariæ proferebat exemplum, quæ mox ubi adverſùs Moſẽ querelas obtrectationis effudit, divinum judicium vitare non potuit.* Nam, ut narratur Nũ. 12. leprâ cœlitùs percuſſa fuit. Prov. 24. 9. *Abominatio hominũ detractor.* Hebr. deriſor Ridet & eum, de quo detrahit: & eum, apud quem detrahit. Si homo es non beſtia, illam abominare.

Omnis peccator eſt nihili ducendus,

Quartò, plenè, & adæquatè *malignus* hic poteſt ſumi omnis peccator. q. d. ille habitabit in tabernaculo & monte Dei, in cujus conſpectu ad nihilum deductus eſt malus & iniquus, omniſque peccator. Nam vir pius primò ad nihilum deducit, id eſt, nihil æſtimat, pro nihilo ducit ſceleratos, eos contemnit. Ità Euth. Genebr. Bellar. Petav. Magn. Syr. Secondò, *ad nihilum deducit*, id eſt, à ſe rejicit eorum conatibus reſiſtit, vires infringit, illos atterit; & velut pulverem calcat illorum honores, voluptates, divitias, diſſipat ipſorum mala conſilia, machinationes, fraudes, cœtus iniquos, verba inhoneſta, opera tenebroſa & impia. Non audent mali eo præſente peccare. Prov. 20. 8. *Rex, qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malũ intuitu ſuo* Chal. à facie ſua omnes impios. Rex eſt, qui ſibi imperat. S. Greg. in Pſ. 5. Pœnit. v. 23. In conveniendo populus in unum, & reges, ut ſerviant Domino, ait. Per reges eos intelliges, qui animorum ſuorum motus ſecundũm Dei voluntatem dirigunt, eiſque regnum more dominantur, dum in rationis eminentia, quaſi ſolio regali præſidentes, repugnãtia quæque ſervituti ſubjiciunt, & pacatis omnibus æquitatis leges, & innocentiæ jura in ſeipſis diſponunt. Ità Gregorius. Notat Gloſſa in his verbis, ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignos, denotari fortitudinem ejus Cõſpectus ſapientis eſt ejus ſapientia & prudentia, illa fortis eſt, ex oculis illius fulgur egreditur exterrens ſceleratos Prov. 24. 5. *Vir ſapiens fortis eſt: & vir doctus* (Sept. vir ſapientiam habens) *robuſtus & validus.* Chald adhuc auget, enim vertit, Melior eſt vir ſapiens robuſto, & vir ſcientiæ magis, quam qui accinctus eſt fortitudine ſua. Et Syr. qui reddit, Melior eſt ſapiens forti, & doctus gigante robuſto. Contra verò, timidus eſt omnis perverſus Sap. 17. 10. *Cum ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis.* Complutenſ. Regii, & alii qui codices Græci habent ἰδίῳ μάρτυρι καταδικαζομένη, i. e. proprio teſtimonio condemnata. Job de ſeipſo dicit c. 29. *Videbunt me juvenes, & abſcondebantur.* Nec juvenes tantum, ſed etiam ſenes peccantes timent viros & ipſos juvenes ſanctos, & coram illis ſibi in verbis & operibus temperant, ut de B. Aloyſ. Gonzaga refertur, ad cujus adventum ad modeſtiam ſe aulici componebant. Virtus eſt amazon generoſa & ſemper armata atq; victrix. S. Hilar. *Non oportet humilitatem carere conſtantia. & libertas Dei à nobis in ea, quam omnibus debemus ſervitute retinenda eſt, ne ad poteſtatum impetus terreamur, ne ad malevolorum arbitria cedamus.* S. Chryſoſt. Gainam rebellem & cum exercitu Conſtantinopoli propinquum (licet ſibi infenſum, quod ei petenti Eccleſiam unam pro Arianis, reſtitiſſet) adivit, eum ad officium revocavit. S. Xaverius interrito vultu ſe inermis oppoſuit furenti exercitui barbarorum, eumq; voce & vultu repreſſit. S. Ludov. rex Francorum fulmineo vultu primus in mare deſiliens & in Saracenos pergens, qui in littore cum exercitu ſtabant, eos in fugam vertit. S. Leonem videns Attila intremuit, & ab Italia receſſit, licet jam illam ſpe devorâſſet, & prædam in ea optimam eſſe nôſſet. Lege Hilar. in illud Pſ. 124. *Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Jeruſalem. Montes, &c.*

& à nobis contemnendus.

De fuga mali conſortii vide dicta Pſ. 100. ℣. 3. 4. 5. & 6. Nota, in Pſal. noſtro pro *malignus*, in Hebræo eſſe נמאס *nimas*, id eſt contemptibilis, abjiciendus, flocci faciendus, ſpernendus, reprobandus, repellendus. Vilis eſt animi & deſipientis, peccare in Deum creatorem, conſervatorem, redemptorem, glorificatorem, &c. Prov. 24. 8. *Qui cogitat facere mala* (Chald. habens aſtutiam peſſimam Syr. iniquus) *ſtultus vocabitur.* Quomodo vocabitur, qui non cogitat tantum, ſed etiam facit: nonne hic eſt ſtultiſſimus & canis rapidus? De contemptibilitate animæ peccatricis, habes Thr. 1. 11. *Facta ſum vilis.* Et Jer. 2. 36. *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas! & ab Ægypto confunderis, ſicut confuſa es ab Aſſur*, alloquitur Jeruſalem peccatricem: illi dicit Iſaias cap. 1. 22. *argentum tuum*, (i. e. fides, ait Prado. 2. doctrina. ait Sarboot. 3. doctores, Leo Caſtrius, & benè 4. anima ipſa prius ornata virtutibus) *verſum in ſcoriam.* Unde Ezech. 22. 18. dicitur. *Verſa eſt mihi* (non ſibi, quia ſuperbit & inſanit) *domus Iſrael in ſcoriam*, talem æſtimo, & ut talem abjicio, & ab aliis abjici volo, tanquam à me cum ſuis civibus reprobatam. Jerem. 6. ℣. 30. *Argentum reprobum* (impurum & adulteratum) *vocate eos, quia Dominus projecit illos* Judæos ſcilicet, quos ejecit è templo ſuo & civitate, partim eos mactando per gladium Chaldæorum, partim in captivitatem Babylonicam mittendo.

Nota 2. Hebr. vertit Pagn. *Qui deſpicit ſe in oculis ſuis, abjicit ſe* Et Vatablus: Qui contemptibilis eſt in oculis ſuis, & deſpicabilis: id eſt, ut explicat, q. d. quamvis pareat præceptis Domini, non tamen ob id ſuperbit. Luc. 17. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Sed noſtra explicatio Vulgata eſt melior, & Vatablus ipſe in Paraphraſi ſua vertit. *Contemptus eſt in oculis ejus reprobus.* Sed ut quiſq; ſe inſtar adulteratæ monetæ mixtum eſſe ſentit multis imperfectionibus, ità ſe etiam debet reprobare & deſpicere, ſicut, imo pluſquam alios peccatores. 51. Se ipſũ deſpiciens placet Deo.

Septimus gradus ſcalæ cœleſtis à Davide poſitæ,

tæ, eſt amor & honoratio eorum, qui virtuti ſtudent, V. eod. 4. *TIMENTES AUTEM DOMINUM* (id eſt, colentes & venerantes cũ timore & reverentia filiali) *GLORIFICAT*. Timor Dei ſynecdochicè ponitur pro omni ejus cultu. Muſterus vertit, *honorat*. Nota, ſi ſtrictè loquamur, gloria, honor, laus & reverentia inter ſe differunt. S. Thomas. 2. 2. q. 103. art. 1. ſic explicat. Laus diſtinguitur ab honore dupliciter. Uno modo, quia laus conſiſtit in ſolis ſignis verborum, honor autem in quibuſcùmque exterioribus ſignis: & ſecundùm hoc, laus in honore includitur. Alio modo, quia per exhibitionem honoris teſtimonium reddimus de excellentia bonitatis alicujus in ordine ad finem ſicut laudamus benè operantem, propter finem. Honor autem eſt etiam optimorum, quæ nō ordinantur ad finem: ſed jam ſunt in fine: ut patet per Philoſophum lib. 1. Ethic. c. 12. Gloria autem eſt effectus honoris & laudis, quia ex hoc, quod teſtificamur de bonitate alicujus, clareſcit bonitas ejus in notitia plurimorum. Et hoc importat nomen gloriæ, Nam gloria dicitur quaſi claria, unde ad Rom. 2. dicit quædam gloſſa Ambroſii, quod gloria eſt clara cum laude notitia. Ibid. in reſp. ad 3. dicit reverentiam non eſſe idem cum honore, ſed ex una parte eſſe præcipuum motivum ad honorandum, in quantum ſcilicet aliquis ex reverentia, quam habet ad aliquem, eum honorat: ex alia verò parte eſt honoris finis, in quantum ſcilicet aliquis ad hoc honoratur, ut in reverentia habeatur ab aliis. Ita S. Thomas hæc tamen inter ſe ſæpiùs confunduntur.

Verſ. 4. 2. Pars. § 2. Laudis & honoris differentia.

Quod autem honor ſit cujus libet virtutis præmium, docet idem ſanctus Doctor 2. 2. q. 129. art. 4. ad 1. Honorem tamen non eſſe ſufficiens præmium virtutis, ſed ut poſſibile homini 1. 2. q. 2. art. 2. ad 1. Honor enim eſt maximum inter bona exteriora. 2. 2. q. 103. art. 1. ad 2.

§ 3. Viris ſanctis honorem detulerũt principes. 1. David

Honorem & reverentiam exhibuerunt piis viris reges ipſi. David de ſe hoc aſſerit Pſal. 138. 17. *Mihi autem* (id eſt, à me, ut Græci explicant) *honorificati ſunt* [S. Chryſ. τίμιοι ἐγένοντο, id eſt, pretioſi facti ſunt] *amici tui Deus*. Vide ibi dicta: oſtenditur præſertim à Deo ipſo eſſe honoratos 1. Reg. 2. 30. Deus miſit ad Heli Pontificem, virum Dei (id eſt, Elcanam patrem Samuelis, ut vult R. Salomon. 2, Angelum ſpecie viri, ut Abulenſis q. 22. in 1. Reg. Vel potius 3. Prophetam quendam nobis ignotum) qui nomine ejus diceret: *Quicúmque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

2. Joſaphat.

Joſaphat rex etiam Judæorum, cùm doctorem ſapientem videbat, ſurgere erat ſolitus de throno, eúmque amplexari, atque oſculari, & vocare eum Rabbi, hoc eſt, Magiſter mi. Conſtantinus Magnus honoravit in Concilio præſertim Nicæno eos qui aliquid pro Chriſto erant paſſi, eorúmque cicatrices oſculabatur. Nec prius in ſede ſua voluit conſidere, quam patres congregati annuiſſent. Theodoſius Magnus honoravit S. Ambroſium & alios. Leo Imp. S. Danielem etiam Stylitam. Maximi Imp. uxor ſummo ambitu optavit cœnam S. Martino apparare, cibos regia manu illi obtulit, famulæ inſtar miniſtrans cibos reſiduos in lautiſſimum acceptiſſimúmque epulum ſumpſit. Deum illi principes aliique in ſanctis intuebantur, & quidem certum eſt in iis ſpeciali modo habitare, & eos Deus vocat Deos Pſ. 81. 1. Silenis plerumque ſimiles ſunt ſancti viri in ſpeciem viles ſunt & contemnendi, in melotis, in pellibus caprinis, anguſtiati, egentes, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, veluti peripſema mundi, ſi autem adyta & ſecretaria mentis penetres, ibi ſub pellibus invenies arcam, propitiatorium cherubinos, & Deum ipſum oracula reddentem. Sileni porrò erant imaguncula quæpiam ſectiles, & ità factæ, ut deduci explicarique poſſent, quæque clauſæ ridiculam & monſtroſam tibicinis ſpeciem haberent, apertæ vero numen oſtenderent, ut ait Eraſmus Chiliad. 3. Cent. 3. Quis referat Abrahami gloriam, qui tamen toto penè tempore vitam egit extra patriam ſub papilionibus? Hunc vel ipſi Turcæ vix unquam nominant, quin epithetum addant amici Dei: Vide apud Spond. to. 3. Solimani ſtudium in eo & ejus poſteris honorandis.

3. Conſtantinus.

4. Theodoſius,

5. Leo.

6. Uxor Maximi.

Sileni quid,

Siracides ſapienter ait Eccli. cap. 10. 25. *Gloria* (Gr. καύχημα, gloriatio] *divitum honoratorum & pauperum, timor Dei eſt*. Tigurina vertit. Tam divitis & honorati quam pauperis decus eſt, religio Domini. Hinc rectè infert verſ. 26. *Noli deſpicere hominem juſtum* [Gr. cordatum) *pauperem, & noli magnificare virum peccatorem divitē* Gr. divitem ſceleratum honorari non convenit. Hoc egregio ſimili explicat Epictetus apud Stobæum ſerm. 2. *Sicut*, inquit, *viperam aut aſpidem in eburneo aureòque ſcrinio inſpiciens, non propter materia pretium ipſa diligis aut magnifacis: tanquam felicia animalia, ſed potius propter naturæ ipſorum exitialem vim abhorres ac deteſtaris: ſic etiam in divitiis & faſtu fortunæ malitiam videns, ineſſe non ad materia ſplendorem obſtupeſce, ſed morum pravitatem contemne*. Hæc Epictetus.

Pergit Siracides Verſ. 27. *Magnus* (Card. Sirletus legendum cenſebat, magnas. Gr. eſt, μεγιστᾶνες, id eſt, magnates, proceres) *& judex, & potens eſt in honore: & non* (eſt) *major illo qui timet Deū*, id eſt, ut vertit Tigurina, Principes, rectores & potentes floreant honoribus: attamen nemo eorum reverente Dominum major eſt. itaque concludit cum eodem authore cap. 25. 14. *Timor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit*, id eſt, novem rebus prius recenſitis, quæ hominem felicem efficiant, nempè ſapientia, ſcientia & aliis, eſt ſuperior & excellentior. Timorem intellige filialem. Unde Complut. vertunt, Dilectio autem Domini ſuper omnia ſupergreſſa eſt in claritatem: id eſt, cæteris omnibus eſt illuſtrior, ſplendidior, & glorioſior. Eſt inſtar ſolis inter ſtellas virtutum, & reginæ inter principes, atque naucleri inter navigantes, ut eos regens portum optatum reperiat, & cum gaudio eos in tuto collocet.

Impiorū itàque eſt dicere. Sap. 2. 10. *Opprimamus pauperē juſtum*. Hinc vituperandi Athenienſes, qui oſtraciſmo Ariſtidem è civitate ſua ejecerunt, quod cæteris juſtitia & virtute eminet: unde dictus eſt, Ariſtides juſtus. Erat porrò oſtraciſmus relegationis genus. Civitates enim, quæ populari ſtatu regebantur, ut ait Ariſtot. lib. 3. Politicor. eos, qui excellere videbantur, vel propter divitias, vel propter amicos, aliamve potentiam extra civitatem relegare ſolebant ad tempus, non ad criminis improbitatem caſtigandam, ſed ad potentiam moderandam. Erat autem definitum oſtraciſmi tempus apud Athenienſes, annorum decem. Oſtraciſmus porrò dictus eſt, ἀπὸ τῶν ὀστράκων, hoc eſt, à teſtulis, in quibus ſuffragia ſcribi ſolebant. Hoc autem modo oſtraciſmus fiebat. Teſtulæ viritim in concilio dabantur, in quibus quiſque nomen illius ſcribebat, quem ex urbe ejici voluiſſet. Magiſtratus verò, qui huic negotio præerant univerſos ſimul calculos recenſebant: qui niſi *ſex milliam numerum* exceſſiſſent, nihil confectum eſſe judicabatur. Qui autem hoc ſuffragiorum numero damnatus erat, eum ad decennium in certum locum relegabant, ubi bos æneus erat magnitudine viſenda. Hinc, qui illic exulabant, bovem ſervare dicebantur. Hoc Oſtraciſmo Themiſtocles, Cimon, & Ariſtides multati fuère. Ubi nota, populi inſaniam, qui virtute præditos ad bruta ablegat, & veluti ſimplices & riſu dignos contemnit

§ 4.

Oſtraciſmus.

temnit ac ſæpè à ſe rejicit. Lacedæmonii nullos Philoſophos vel oratores apud ſe manere patiebantur: Lyſimachus etiam rex è ſuis caſtris Philoſophos, id eſt, ſapientiæ ſtudioſos, expulit.

Verſ. 5. 1. Pars. 55. Senſus hujus loci. Primò

OCTAVUS gradus ſcalæ cœleſtis à Davide poſitæ, eſt odium perjurii. Verſ. 5. *QUI JURAT PROXIMO SUO ET NON DECIPIT.* Nota, legerunt forſaſſe Sept לְרֵעֵהוּ *le reen*, ideò verterunt, τῷ πλησίον αὐτοῦ, id eſt, *proximo ſuo*. nunc legitur לְהָרַע *le hara*, id eſt, Primò, ad affligendum, ad conterendum, nocendum, damnum inferendum. Hinc S. Hier. vertit. *Jurat, ut ſe affligat & nō mutat*: id eſt, qui jurat ſe per pœnitentias aliquas & mortificationes. v.g. jejunio carnem ſuam afflicturum, & in juramento ſeu voto præſtito non variat, cum ad rem veniendum eſt. Votum, eſt actus latriæ ſeu actus religionis, licet actus aliarum virtutum ſint materia ejus, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 5. fit ſoli Deo, ibid. ad 4. eſt promiſſio facta Deo de meliori bono, quod non cadit ſub neceſſitate abſoluta, neque ſub neceſſitate finis. art. 1. obligat ſecundùm intentionem voventis. art. 3. ad 3. Omne votum ritè factum obligat, ideò tranſgrediens illud, peccat mortaliter. art. 3. Vota eſſe Deo facienda & perſolvenda monet Propheta noſter Pſ. 75. 12. *Vovete & reddite Domino Deo veſtro: omnes, qui in circuitu ejus* [S. Hier. qui in circuitu ejus ſunt) *affertis munera terribili & ei, qui aufert ſpiritum principum* (Chald. comprimet tumorem ſpiritus magnatum) *terribili apud reges terræ*. Chald. ſuper reges terræ. Vide ibi dicta. Expende rationes moventes ad vota & fidelitatem in eorum redditione. Is, cui vovemus, Dominus eſt. 2. Deus. 3. noſter. 4. in circuitu ejus ſumus. 5. terribilis eſt. 6. potentiſſimus & ſeveriſſimus. 7. excelſiſſimus ſuper omnes reges.

Secundò

Secundò, Vatablus vertit. *Quodque juraverit, etiamſi id damnoſum ſibi fuerit, non mutat.* Quod, ut ait Iſidorus Clarius Epiſcopus Fulginatenſis, poteſt intelligi de quocumque juramento, quod etiam juranti grave ac damnoſum eſt: quale Jonathas Davidi fecerat, qui maluit amittere regnum, quàm violare jusjurandum. Joannes primus Rex Franciæ prælio victus, captúſque apud Pictones ab Eduardi tertii Angliæ regis filio Valliæ principe, poſteaquam magna vi auri atque locis quibuſdam redemptionem ſuam pactus datâ fide ad ea paranda, quæ ex pactione debebat, redire in Galliam permiſſus eſt: cùm domi inveniſſet nimium hac in re regnum gravari, neque ea adeſſe, quibus ſervare promiſſa poſſet, in Angliam reverti decrevit, ut fidem ſervaret: &, ſi fieri poſſet, ſummam pactam cum Anglis minueret. Itaque in Angliam reverſus, brevi in adverſam valetudinem incidit atque deceſſit, ut habent Annal. Franc. Nō minus eſt notabile factum Renati ducis Barri & Lotharingiæ. Cum enim Bellum ei eſſet cum Antonio Valdemontis comite, in prælio à militibus Philippi Burgundionum ducis captus: dimiſſus eſt: data fide, quoties vocaretur, rediturum ſe. Mox à Philippo, ut fidem ſervaret requiſitus eſt, eo tempore, quo fratre ipſius Ludovico Neapolitano rege defuncto ad regni ſucceſſionem vocabatur. Etſi autem nôrat Alphonſi Aragonii opera à Philippo ſe vocari, quod is quoque trahere ad ſe Neapolitanum regnum quærebat. & ab Eugenio IV. Pontifice propter aditam regni dignitatem, fide, quam Philippo debebat, ſolutus eſſe videretur: præpoſita rebus omnibus fide ad Burgundionum ducem reverſus eſt: ubi cuſtoditus, quanquam poſt aliquod tempus poſtea liberatus fuit, quia ob ejus tarditatem adverſariorum res invaluerant, regnum amiſit, ut refert Fulgoſ. lib. 6. c. 1. Dem. Attilio Regulo duce Romano ad Pœnos redeunte, haec graviſſimis ſe tormentis ſubjiciendum nôſſet, vide Tull. lib. 3. offic. Silium. lib. 6. Valer. Max. lib. 1. c. 1.

Joannis Franciæ regis veracitas.

Et Renati Ducis Barrenſis.

Tertiò, 56. *Conſtãs fuit amicitia in adverſis.*

Tertiò, Symmachus vertit, [illegible]: *Qui jurat amicum ſe fore, & non mutat*, q.d. conſtans eſt in amicitia jurata ſervanda, ſive amicus in paupertatem & calamitates incidat: ſive quid commodi ex infractione illius amicitiæ oriri poſſit. Amicorum paria, nempe Pylades & Oreſtes, Niſus & Euryalus, Hercules, & Theſeus, Eudamidas & Aretæus. & alii, in laude ſunt, Vide Lucian, in dialog. de amicitia, ſi tamen ibi omnia vera ſunt. Laudabile eſt, quod refert Egnat. lib. 6. c. 6. de Venetis. Ceſſerant, inquit, Veneti diuturnum gravéque cum Genuenſibus bellum in Græcis, Cæterum pace tandem inita, idque Allobrogum ducis opera, ità tamen ut Veneti ipſi præſidium ex Tenedi arce revocarent, eámque inſulam omninò liberam relinquerent: datæ fidei memor. Venetus ſenatus, quamprimùm juſſit Joannem Mutatium, arcis præfectum, inde cum omni præſidio Venetias redire. Quod cùm obſtinatus ille minimè feciſſet, & Genuenſes ipſi Venetam fidem in dubium vocarent, Florentinóſque pro hac re fidejuſſores appellarent, non dubitavit ſenatus Venetus validam claſſem inſtruere, Fantino Georgio duce, qui omni opera ac ſtudio pulſo inde Mutatio arcem eam everteret, integrámque inſulam Græcis reſtitueret. Cujus præcepti memor Fantinus Georgius, non prius inde cum claſſe diſceſſit, quam dura obſidione plurium menſium ad deditionem Mutatium ipſum premente etiam fame compulerit. Quæ res & Genuenſibus ipſis & reliquis omnibus memorabile fuit fidei Venetæ exemplum. Non minus illuſtre eſt, quod de Genuenſibus memorat Fulgoſius lib. 6. c. 6. Genuenſes, ait, poſt longum ac grave bellum, quo inter ipſos & Venetos tertiò decertatum fuerat, ubi auri atque ſanguinis vis immenſa effuſa eſt, cum occaſio ſe obtuliſſet, magno ſuo commodo, rei feliciter adverſus Venetos gerendæ, fidem, inita paulò antè pace, Venetis datam, commodis dolorique acceptorum in bello malorum antepoſuerunt. Nam Cretenſes Venetíque, qui Cretam incolebãt, conſpiratione facta, à Venetis defecerant, ac Genuam legatos viros graviſſimos miſerant, qui inſulæ deditionem facerent. Ea autem expeditio, etſi nullius periculi, magníque commodi futura videbatur, minorémque ob cauſam, finitum paulò antè bellum, adverſus Venetos ſuſceptum fuerat, tamen legatis reſponderunt: Dolere ſe vehementer, quod integra fide, ob pacem cum Venetis factam, ea, quæ Cretenſes offerebant, accipere non poſſent: quanquam adeò recens pax confecta eſſet, ut multi vulnera, quæ ab illo acceperant, nondum ad cicatricem perduxiſſent. Henricus item IV. rex Franciæ Mauris defectionem à rege Hiſpaniæ molientibus, & ad illud regnum invadendum vires ſuas, quæ erant magnæ, offerentibus, reſpondit, ſe fidem datam regi Hiſpan. Philippo II. nolle infringere, ut Scipio du Plaix ſcribit. in hiſt. Franc.

Venetorum fidelitas laudabilis.

Et Genuenſium.

4. Et optimè.

Quartò, & melius, noſter vertit. *Qui jurat proximo ſuo, & non decipit.* Nam licet legas לְהָרַע efficere potes *Le harea*, רֵעַ *rea* autem ſignificat amicum, ſocium proximum, contubernalem. Nec eſt novum duos articulos ſimul jungi. Nota autem duo dici. 1. Qui jurat. 2. qui non decipit.

57. Juramentū eſt licitum.

Quæres igitur Primò, an liceat jurare? Negant id hæretici quidam: nempè Apoſtolici, Cathari, pauperes de Lugduno, & Anabaptiſtæ. Sed eſt de fide, quod licitum ſit jurare, Cant. 6. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomē illius jurabis.* & Pſ. 62. 12. *laudabuntur omnēs, qui jurant in eo*: id eſt, per eum, non per idola. S. Paulus ſæpè jurat, ut conſtat Rom. 1. 9. & 9. 1. 2. Cor. 1. Philipp. 1. & alibi. Chriſtus ipſe toties juravit,

quo-

quoties dixit Amen.ut S.Hier.& S. Chryſoſt cenſent. Verha Hier. ſuper illud c.16.Ezech. Vivo ego dicit Dominus, ſunt: *Juramentum Dei in veteri Teſtamento erat, Vivo ego. In novo autem, Amen, Amen:&c.* Ratione probat S. Thomas 22.q.83.art 1. Juramentum enim ſecundùm ſe eſt licitum & honeſtum. Quod patet ex origine & fine Ex origine quidem, quia juramentum eſt introductum ex fide, quà homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & univerſales omnium cognitionem & proviſionem. Ex fine autem, quia juramentum inducitur ad juſtificandum homines & ad finiendum controverſias, ut dicitur ab Heb.6. Probat item art. 4, juramentum eſſe actum latriæ ſeu religiones: quia in hoc ipſo, quod homo per Deū jurat, profitesur Deum potiorem, utpote cujus veritas eſt indefectibilis, & cognitio univerſalis. Et ſic Deo aliquo modo reverentiam exhibet. Unde & Apoſtolus dicit ad Hebr.6.16.quod homines per majorem ſe jurant. Et S. Hier. dicit ſuper Matth.c.5. quod qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem jurat. Philoſophus etiam dicit in 1. Metaph.c.3.quod juramentum eſt honotabiliſſimum.

58. Nationes omnes per Deos ſuos jurant. Græci. Ægyptii. Thraces.

Hinc omnes nationes per Deos ſuos venerabundæ jurant. Plutarchus in vita Dionis ſub finem ait, apud Græcos juramensum magnum fuiſſe hujuſmodi: Qui, ait, fidem præſtat, in Cereris deſcendit templum, & quibuſdam peractis ſacrificiis. Deæ purpuram induit, tum ardentem captans facula m jurat. Diodor. Siculus lib. 1 cap. 2. ait. Apud Thebaidos (quæ civitas Ægypti ampliſſima eſt omnium) incolas, maximum habetur jusjurandum per Oſiridem in nubibus exiſtentem. Herod. lib. 5. poſt princip. hæc ſcribit: Thraces colunt hos tantùm Deos, Martem, liberum, Dianam: ſed Regea præter populares etiam Mercurium, eúmque è Diis præcipuè, per ſolum jurant, à quo progenitos ſe quoque ajunt. Maximus Tyrius Platonicus Philoſophus ſer. 38. Mos, inquit, Cappadocibus eſt Deus, jusjurandum & ſimulacrum. Mæotis Palus, & Tanais Maſſagetis.

Perſæ.

Perſas per Mithram, id eſt, Solem, quem adorabant, jurare ſolitos, tradit Xenophon in Oeconomico. Pœni per Deos ſuos jurabant, aram, & ſacra tangentes, vel agnum lævâ, ſiniſtrà ſilicem tenentes, & Deos hominèſque conteſtabantur. ut ſi illos ſcientes fallerent, ità ſe Jupiter feriret, quemadmodum ipſi agnum percuterent, ut docet Polyb. lib. 3. Livius lib. 3. decad. lib. 1.

Romani.

Romanis quoque vetus mos erat, ut juraturi per Jovem, modò ad Deorum aras ſacrificio peracto, ignem, aram, atque exta tangerent: modò ſuper cæſia hoſtiis jurarent; nonnunquam lapidem ſiliccem tenentes, hæc ad verbum præferrent, Si ſciens fallo, me Jupiter, ſalvâ urbe, arceque; bonis ejiciat uti ego lapidem hunc ejicio. Quibus enunciatis, lapidem manu emittebat: ideò per Jovem lapidem, ſolemniſſimum ſanctiſſimùmque jusjurandum veteribus fuiſſe proditum eſt. Ità Liv. 1. Decad. lib. 1. Macrob. lib. 3. c. 2. Feſtus Pompejus lib. 10. ſtatim poſt princip. Lege Polyb. lib. 3. ubi agit de fœdere Roman. & Carthaginenſium.

Nota, hæc verba Pſalmi: *Et non decipit*, poſſunt intelligi, tùm de tempore præſenti, cùm quis jurat. q.d. qui cùm jurat, non habet animum decipiendi: tùm de tempore, poſtquàm juravit. q.d. qui fideliter implet ea, quæ juravit. ille habitabit in tabernaculo & monte ſancto Dei.

59. Juramenti tres comites ſunt: juſtitia,

Quæres, an; & quomodo juramentum obliget? Nota, tres comites juramenti de bene eſſe, videlicet juſtitia, judicium, & veritas. Primò enim, ut ait S. Thom. 2 p.q.89.art.3. requiritur, ut aliquis nô leviter, ſed ex neceſſaria cauſa, & diſcretè juret. Et quantum ad hoc requiritur judicium, ſcilicet diſcretionis, ex parte jurantis. Secundò, quantum ad id, quod per juramentum confirmatur: ut ſcilicet neque ſit falſum, neque aliquid illicitum. Et quantum adhuc requiritur veritas, per quam aliquis juramento confirmat, quod verum eſt: & juſtitia, per quam confirmat, quod licitum eſt. Judicio autem caret juramentum incautum: veritate autem juramentum mendax: juſtitia autem juramentum iniquum, ſive illicitum. Hinc poſtro docet S. Doctor art.7. quod quicunque jurat aliquid ſe facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc, quòd veritas impleatur, ſi tamen alii duo comites adſint, ſcilicet judicium, & juſtitia. Et valentia tom. 3. diſp. 6. puncto 4 docet, obligationem juramenti promiſſorii ad id exequendum, quod per illud promittitur, in univerſum, & per ſe loquendo, eſſe obligationem *præcepti affirmativi* Religionis de conſervanda & procuranda gloria divina, efficiendo verum illud, in cujus confirmationem invocatum fuit divinum teſtimonium, ne alioqui ſit quis, quantum in ipſo eſt, cauſa, *ut Deus falſum ſit teſtatus.* Deinde oſtendit, ob quas cauſas poſſit juramentum non obligare.

judicium, & veritas,

60. Mendacea puniti apud Perſas & Indos.

Quodſi apud Perſas & Indos, qui ter mendacio abuſus erat, per omnem vitam ſilentio mulctabatur, nullòque magiſtratu & honore dignus habebatur, ut ait Diodor. Sicul. lib. cap. 10, Strabo lib. 15. Philoſtr. lib. 2. vitæ Apollonii. Si rex Perſarum Artaxerxes itâ mendaciū eſt averſatus, ut mendacis hominis linguam triplici clavo affigi juſſerit, teſte Plutarcho in ejus vita. Si apud Ægyptios moris erat, ut ſingulis annis omnes incolæ ad regiones præſides nomina ſua deferrent, & ſimul indicarent, unde viverent, vel qua arte vel diſciplinâ, ſe familiàmque ſuam alerent: quia ea in re mentiebatur, mortis pœnam ſubibat, ut docet Diodor. lib. 2 cap. 2. Si veteres Scythæ aſtronomos, qui falſa apud eos prædixiſſent, accenſo carro impoſitos occidebant: quid iis fiet, qui ad mendacium irreverentiam addunt & impietatem contra Deum, quem in teſtem ſui mendacii invocârunt, Eam perverſitatem nationes omnes gravibus pœnis perſecutæ ſunt.

Artaxerxes punit graviter mendacem. Ægypti, & Scythæ,

61. Perjuri ſeverè puniti 1. à Romanis. 2. ab Ægyptiis. 3. ab Indis.

Primò. Romani è loco ſuperiori perjures præcipitabant, ut ait Gellius lib, 11. cap. 18. Perjurii pœnam divinam fuiſſe exitium; humanam verò, dedecus, ait Tullius. 2. de legibus.

Secundò, apud Ægyptios perjuri capite mulctabantur, tanquam, qui duplici tenerentur ſcelere ut qui & pietatem in Deos violarent, fidem inter homines tollerent, maximum vinculum ſocietatis humanæ. Ità Diodor. Sicul. lib. 2. c 3.

Tertiò, Indi perjurii convicti, digitos extremos manuum pedúmque decurtabant, ut ait Strabo. lib. 15.

62. Deus perjuros punit variis in provinciis. 1. In Sicilia. 2. In Arcadia. 3. In Achaia.

Deus ipſe vindex contra perjuros inſurgit, & orbi univerſo patefacit, quanto odio eos proſequatur, variis & miris pœnis eos afficiens.

Primò, In Sicilia juxtà Palicos fons fuit Acadinus, qui tabellas inſcripto juramento ſibi impoſitas ſuſtinebat, ſi rectè juratum foret: ſi verò perperam, aquis haoriebat. Ità Ariſt. li. de mirab. auſcult. ſi tamen eſt ejus author.

Secundò, In Arcadia apud ſtygem aquam (quæ è petra manabat præſentiſſimi veneni, ut ait Plin. lib. 31. c. 2.) ad Onacrim. fraus & perfidia pejeranti extremi diſcriminis erat, teſte Herodoto lib. 6. & Senecâ lib. 3. natur. quæſt. Dii ipſi timebant jurare per ſtygem. ut fingit Maro lib. 6. Æn. Ridiculum verò eſt, quòd Orpheus dicit, Deos, pejerantes per ſtygem, novem nullibus annorum puniri in tartaro.

Tertiò, In Achaia erat ad Corinthum locus ſubterraneus, qui Palæmonis dicebatur, de quo Pauſanias in Corinthiacis, ſeu lib. 2. Simulacra quæ, in hoc ſunt, Neptuni, & Leucotheæ & Palæmonis.

monis. Eſt & ædificium aliud, Adyrom appellant, deſcenſu ain id ſubterraneus eſt. Ibi Palæmonem occultatum eſſe perhibent. Quicumque ibi pejeraverit, ſive Corinthius ſit, ſive peregrinus, perjurii pœnas nullâ ratione effugere poteſt.

4. In Bithynia. Quartò, in Bithynia Aſiæ provinciâ amnis Olachas Briazum alluit, quod eſt templo & Deo nomen, cujus gurgite perjuri notantur pati velut flammam urentem. Plin. lib. 31. c. 2.

5. In Cappadocia. Quintò, In Cappadocia juxta Tyanam urbem ad radices Tauri montis ſitam, aqua erat Jovi ſacrata, quæ ebulliebat non ſecus atque igne calefactus lebes. Hanc, ait Philoſtr. lib. 1. vitæ Apoll. c. 4. puris & juramenti fidem ſervantibus viris aſpectu placidam, & guſtu dulcem eſſe perhibent: perjuris verò & infidis palam adverſari. Epota namque oculos, pedeſq; ac manus pejerantis invadit puſtulis ac vomicis totum corpus inquinans: neque illic diſcedendi facultas datur; ſed ibidem permanentes coram ipſa aqua ſuam deplorant calamitatem, palàm, quòd pejerârunt, profitentes.

In Æthiopia fons erat, cujus aqua epota inſaniam vertens cogebat occulta errata palàm fateri, ità Diodor. & Dionyſ. de ſitu orbis c. 5.

6. In Italia. Sextò, In Italia, ante corpora S. Felicis Nolani & aliorum ſanctorum pejerantes, à dæmonibus obſeſſos fuiſſe tradit. S. Aug. Epiſt. 137. In ipſa urbe Roma, velut in orbis theatro, ante corpora Sanctorum Proceſſi & Martiniani pejerantes à diabolo poſſideri permiſit, ut ait S. Greg. hom. 32. in Evangelia. Et quidem ſi per ſolium regium pejerantes morte mulctabant Scythæ, ut docet Herodot. lib. 4. quem lege, quid fiet per Dei nomen falſam rem juranti.

7. In Sardinia. Septimò. In Sardinia, ut loquitur Solin. 10. in fin. ſunt fontes, qui oculis medentur, & coarguendis valent furibus. Nam quiſquis ſacramento raptum negat, lumina aquis attrectat. Ubi perjurium non eſt, cernit clarius. Si perfidia abnuit, detegitur facinus cæcitate, & captus oculis, admiſſum facinus fatetur.

8. In Judæa. Octavò, In Judæa, cum mulier erat ſoſpecta adulterii, à viro adducebatur ad ſacerdotem, qui neganti illi dabat epotandas aquas maledictionis, id eſt, maledictas ab ipſo ſacerdote: ſi mulier verum dixerat, non lædebatur ab illis aquis, & fœcunda reddebatur: ſi mentita fuerat Deo, intumeſcebat venter ejus & femur putreſcebat, ſtatimque moriebatur infamis omnibus reddita. Num. 5. 12. & ſeq.

9. In Anglia. Nonò, In Anglia punitur Elfredus & Godoinus ob perjurium, ut dicam Pſ. 23. 4. ubi aliqua alia afferam ad jam dicta pertinentia.

10. In Lacedæmonia regione. Decimò In Lacedæmonum ditione penitus eſt ob idem ſcelus Cleomenes, ut Pſ. 23. referam.

63. Adde, rejiciendos eſſe illos, qui juramenta ſua fraudulenter & vafrè interpretantur, ut qui pactus erat inducias aliquot dierum, de nocte prædas agebat. Solimanus Turcarum Imp. infenſus Ibraimo, quem antea præ cæteris dilexerat, & ad ſummum fortunæ faſtigium evexerat, ità ut omnia in ejus imperio poſſet, dormientem occidi imperavit: quod, ut ait Jovius, cum ipſe aliquando familiari ſermone à Solimano poſtulaſſet, ut non ſe tantis honoribus oneraret contenderet, ne demum amplitudine odioſa ſupra æquum florentem, è tanto faſtigio præcipitem dare atque occidere, neceſſe haberet: fidem Solimanus in ea verba dediſſe, ut nunquam ei vivo vitam ereptorum polliceretur: ſicque ne fidem datam falleret, non aliter, quam alte ſternenti necem intuliſſe: quoniam Taliſmanes quidam, ſeu ſacerdos Turcici juris interpretes, dormientem nequaquam inter vivos cenſari aſſeveraſſet. Ità Spond. to. 3. an. 1531. nu. 26. Sed hæc ad Turcas rejiciamus.

Juramenta vafrè interpretantes, rejiciendi ſunt. Solimani perfidia. Somnus eſt mors.

ARTICULUS III.

Scalæ cœleſtis duo ultimi gradus: nempè uſura & munerum fuga.

NOnus ſcalæ cœleſtis à Davide poſitæ gradus eſt, liberalitas in egenos, quibus ſine fœnore pecuniam accomodes. Verſ. 5. *QUI PECUNIAM SUAM NON DEDIT AD USURAM, ET MUNERA SUPER INNOCENTEM NON ACCEPIT.* Non dedit, id eſt, non dat, non dabit, non dedit. Hebræi enim tempora ſæpè permutant & unum pro alio, vel pro omnibus ſubſtituunt. 64. Verſ. 5. 2. Pars.

Nota, dupliciter à Theologis & juris peritis ſolere accipi vocabulum uſuræ. Primò, pro *actione* ipſa, quæ dicitur peccatum uſuræ. Et ſic *Uſura* ex ſententia omnium *eſt mutuatio, ex vi cujus aliquid ultra ſortē pretio æſtimabile pro uſu pecuniæ mutuata exigitur.* Secundò, poteſt accipi vocabulum Uſuræ pro *objecto proprio* ipſius mutuationis uſurariæ. Et ſic uſura nihil aliud eſt, quam *lucrum illud, quod quis ultra ſortem vi mutui recipit, pro uſu ſcilicet pecuniæ quam mutuò dat. Quod lucrum* etiam appellatur fœnus, à fœtura ſcilicet. quia, ut ait Philoſophus lib. 1. Polit. c. 7, in fœnore *nummus nummum parit.* Unde & Græce nominatur [illegible] quaſi partus: & [illegible] eſt fœnerari. Atque hoc poſteriori modo ſolet accipi Uſuræ vocabulum, cum dicitur, *Uſuram eſſe reſtituendam*: aut non licere mutuò dare *ſub uſura*, &c. Priori autem modo accipitur, cum dicitur Uſura eſſe peccatum, & cum dividitur in exteriorem, & interiorem ſeu mentalem. ità Valentia tom. 3. diſp. 5. q. 21. punct. 1. *Uſuræ duplex acceptio.*

Per uſuram quanta in ſingulos mutuatarios, & in univerſam Rempublicam damna oriantur, conſpicere potes ex variis ejus nominibus. 65.

Primò, Uſuram morſum eſſe cenſuerunt Hebræi, cùm eam vocaverunt נשך *neſech*, id eſt, morſum, ſcilicet canum, aît Cornel. in Deut. Cum ergò nemo cenſeri velit canis famelicus, qui alios mordendo ſeipſum paſcat, hinc ad probri effugium Judæi uſuram תרבית *tharbith*, id eſt, incrementum vocant, ſicut à latinis honeſto nomine vocata eſt Uſura. S. Baſil. hom. 2 in Pſ noſtr quæ tota eſt de Uſura nec danda nec accipienda, uſurarios pejores facit canibus. *Canes*, ait, *accipientes manſueſcunt: fœnerator autem accipiens irritatur. Non enim conquieſcit allatrans, ſed plura expetit. Si juraverit, non credet: quæ adhuc habes, diligētius perſcrutatur, tua commercia negotiaque curioſè inveſtigat. Si quopiam è domuncula progrediaris, ad ſe retrahet, denique & everret. Quod ſi introcluſeris te, en domus inſiſtet tua, fores pulſitans. Quin vel uxore præſente, pudore te aſperget, afficiet contumeliis vel coram amicis. In ipſo foro gulam obtorto collo præfocabit. In feſto, illius occurſus inauſpicatus eſt & malus.* [illegible] *Ut vita ſibi non vitalis quidem ſit, ipſe facit.* Lego totam homiliam eloquentiſſimam. Vocat etiam uſurarium, [illegible] crudelem & perniciosam feram: dicitque eum, [illegible], omne odii in homines exemplum ſuperare. *Uſura eſt fons pluris morum malorū Primò; eam eſſe morſū oſtendit vox Hebr. neſech.*

Secundò, Uſuram eſſe morſum lethalem docenti latini cum eam *fœnus* vocarunt, quaſi *funus*. Quod expendens Sanctus Ambroſius lib. de Tobia cap. 10. *Nihil*, ait, *intereſt inter fœnus & funus: nihil inter mortem diſtat & ſortem: perſonat funebrem ululatum fœnoris uſura*: eo in tractatu vocat uſurarios carnificibus diriores, & capitè Quintò uſuram comparat prælio. capitè Septimò ipſum fœneratorem feræ ſimilem depingit, cum debitori occurrit velut prædæ ſuæ. *66. Secondò uſuram afferre mortē patet ex latina.*

Alter,

Alter, inquit, *quaſi prædam requirit, alter quaſi feræ prædonem declinat. Ille quaſi leo quærit quem devoret, iſte quaſi bos juvenculus prædonis impetum reformidat. Ille quaſi accipiter unguibus olorem quærit invadere: iſte quaſi anſer aut fulica mavult ſe vel in prærupta dejicere, vel in profunda demergere, quam iſtum humani corporis accipitrem ſuſtinere.* Morſui ſerpentis & nominatim aſpidis rectè fœnus compares. Et quidem *naſach*, i. e. mordere, unde *neſech* derivatur, de ſerpente ſæpiſſimè uſurpatur: nempè Num. 21. 9. Amos 5. 19. Prov. 23. 32. Eccl. 10. 12. & alibi. R. Salomon. Incrementum, ait, uſuræ vocatur *naſech*: quia ſe habet *inſtar morſus ſerpentis*. qui mordet vulnus parvum in pede alicujus. ita ut non ſentiat: mox autem ſerpit & diffundit ſe venenum, donec perveniat ad verticem ejus: ſic quoque incrementum uſuræ ſe habet. Non enim ſentitur, neq; cognoſcitur, donec ita augeatur, ut totam ſubſtantiam alicujus exhauriat. Author operis imperfecti in Matth. hom. 12. confert uſuram aſpidi lethalem ictum inferenti. Nam ſicut ab aſpide ictus ob dulcedinem ſolvitur in ſoporem, ex quo tetriſſima mors conſequatur: ſic qui mutuam accipit pecuniam, brevi delectatione titillatur, quam exitialis excipiat triſtitia, bonorumque jactura.

Uſura varia. Si fœnerariæ crudelitatis agmen inſpexeris, putes te in Africæ arenario, medias inter feras verſari. Uſuræ quidem ſemunciæ *uſures a un demy pour cent* ut imbelles catuli allatrant: unciæ, *a un pour cent*, vellicant: trientes, *a quatre pour cent*, pungunt, quicunces, *à cinq pour cent*, mordent ut moloſſi, uſuræ quadrantes, *a ſix pour cent*, cruentant ut lupi, ſeptunces, *à ſept pour cent*, laniant ut urſi, beſſes verò & dodrantes, *a huict pour cent* devorant, ut tigrides, dextantes, deunces & aſſes, *à dix, à neuze, pour cent*, unguibus dentibuſque excarnificant, ut leopardi, ternæ, quincunces & binæ dextantes, *à quinze, à vingt pour cent*, enecant ut leones, centeſimæ deniq; binæ, quaternæ, octonæ, *à vinge cinq, à cinquante, à cent pour cent*, monſtra ſunt in orbis univerſi peſtem atque exitium enata. Ut verè dixerit S. Chryſoſt homil. 5. in Matthæum. Οὐδὲν τῶν ἐνταῦθα τοῦ τόκου ἀπηνέστερον, οὐδὲ ὠμότερον. *Nihil præſenti uſura turpius, nihil crudelius.*

67. *Alios occidit uſurarius.* Gladio evaginato uſurarium graſſantem atque acervatim obvios quoſque demetentem pingit S. Aug. epiſt. 54. ad Macedonium. *Trucidas*, inquit, *pauperem fœnore:* Seu potius, uſura eſt furia infernalis ubique furens Auſon. Idyll. 7. *Velox inopes uſura trucidat.* Tullius lib. 1. offic. ait rogatum Catonem Cenſorium, quid eſſet fœnerari, reſpondiſſe: *Quid eſt hominem occidere?* q. d. idem eſt fœnerari atque occidere: qui fœneratur, occidit, S. Greg. Nyſſ. hom. 4. in Eccleſiaſten, uſuram vocat parricidium. *Fœnus*, inquit, *qui latrocinium & parricidium nominavit, non procul ab eo quod decet, aberraverit. Quid enim refert, an clanculum perfoſſis muris, prædonis more aliena habeas, & prætereuntis cæde, te eorum quæ habeat dominum conſtituas; an fœnoris neceſſitate acquiras ea, quæ ad te non pertinent?* Ita Nyſſen.

Et ſeipſum. Quodque luctuoſius eſt, non hic ſiſtit furia, ſed reflexo in proprium pectus mucrone uſurarius tum ſe, tum eos quibuſcum ſocietatem iniit, tranſadigit, ut dum bona tenuiorum ſepelit, mortem ſibi affetat, ſicut monet S. Leo ſerm. de Jejunio. *Fœnus pecuniæ*, ait, *funus eſt animæ.* Hoc Deus declaratum voluit in morte uſurarii cujuſdam, de quo Thomas Cantipratenſis vir eruditus libro 2. apum capite 22. pa. 25. Vidi, inquit, ego ipſe in Brabantiæ partibus uſurarium nequam valde, qui multos nobiles & potentes exhæredaverat, & ſpoliaverat ſupra modum. Hic frequenter occurrens religioſis, rogabat quaſi cum lachrymis pro ſe orari, ſed in nullo ſe penitus correxit. Cumque ſuper hoc eum frequentius arguiſſem, nec in aliquo profeciſſem, accidit ut repentinâ infirmitate correptus, ad exitum appropinquaret. Et ecce ſubitò duo ingentes tenebrarum canes lectum jacentis circuitibus ambiebant. Ipſe verò protracta lingua propè ad longitudinem pedis, dehiſcens, miſerabiliter expiravit. Ita ipſe. Cæſarius verò li. 11. dialogorum, cap. 41. rem adhuc horribiliorem refert de quadam uſuraria. Fuit, inquit, in Bacheim villa proxima, famoſa quædam uſuraria: hæc cùm moritura eſſet campum totum corvis ac cornicibus vidit repletum. Et clamavit fortiter: Ecce modò appropinquant foris ad me. Et adjecit. O hui, ô hui, modò ſunt in tecto, modò in domo, modò pectus meum laniant, modò animam meam extrahunt Sicque cum ululatu efflavit ſpiritum, à dæmonibus ad inferos educendum; qui eadem nocte corpus de feretro, multis qui aderant videntibus, tollentes uſque ad tectum levaverunt: &, cùm trabi impingerent, juxta limen oſtii illud cadere ſinentes, confregerunt. Extincta ſunt luminaria, fugerunt homines, manè in jam dicto loco corpus reperientes, quod beſtiali ſepulturæ tradiderunt. Quis ad hæc non perhorreſcat? S. Ambroſ. vocat uſuram *naufragium*. S. Chryſoſt. *naufragium in portu*. Quod verum eſt, tam in fœneratore quàm in mutuatario. Plutarch. tract. de vitando ære alieno ait, fœneratoriam pecuniam eſſe æruginem omnia corrodentem, ignemque ſingula depaſcentem.

Tertiò, Uſura non tantùm interficit, ſed quos occidit fœtentes facit, & uſurarium ipſe putrefacit. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram.* Chaldaica vox הבוליא *biblulia*, ſignificat corruptionem, deperditionem, læſionem, deſtructionem, uſuram, corruptelam, labefactationem, à rad. חבל *habbel*, id eſt corrumpere, deſtruere, perdere, labefactare. Uſura corrumpit animam fœneratoris, & familiam mutuatarii. Moderatius loquitur author operis imperf. in Matth. cùm eam vocat fermentum corrumpens. Ubi, inquit, uſura in familiam aliquam immiſſum fuerit, *totam ejus ſubſtantiam ad ſe trahit: & convertit in debitum.* Et ſanguiſuga pauperum ſanguinem exugens, Eccli. 34. 25. *Panis egentium vita pauperum eſt, qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt.* Manus ejus plenæ ſunt ſanguine, id eſt iniquitate & corruptione. Uſura dicta eſt ab uſu, nam, ut ait S. Ambr. lib. de Tobia, ut veſtes uſu, ita uſuris patrimonia ſcinduntur. Ugo Card. comparat uſurarium inferno in Pſ. noſtr. ob ejus aviditatem inſatiabilem, poſſes addere ignes, fœtorem, ſerpentes, furias, & alia. Fœnerator, ait Ugo, comparatur inferno. Abacuc. 2. 5. *Dilatavit, quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors, & non adimplebitur.* Et ſicut in inferno nulla eſt redemptio, ſic in iſtis Imò pejores ſunt inferno & diabolo, quia quando Dominus deſcendit ad infernum, infernus & diabolus reddiderunt ea quæ injuſtè detinebant, id eſt, animas juſtorum. Et uſurarius quando Dominus viſitat eum per infirmitatem, vel prædicationem, vel hujuſmodi, nihil vult reddere. Unde Iſaiæ 5. 29. *Tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat.* Similes quoque uſurarios facit diabolo, quia non dormiunt, & circumeunt inſtar leonum quærentes quem devorent. Ubi adverte, quod mordet leo, hoc fœtidum facit: unde prædam ab eo ſemeſam alia animalia non attingunt. Pſal. 13. 2. *Corrupti ſunt* [Pagn. fœtuerunt] *& abominabiles facti ſunt.* Euthym. in Pſ. noſtr. Apud antiquos, ait, uſura, ſummo in dedecore erat & exprobratione.

68. *Tertiò, uſura fœtens cadaver facit, ut declarat vox Chaldaica.*

69. Quartò, uſura eſt mater ſcelerũ, ut patet ex voce Græca. [illegible]

Quartò, Uſura eſt fœconda malorum & ſcelerum procreatrix & parens. *Qui pecuniam ſuam non dedit in uſuram.* Græcè [illegible] q. d. *ad partum.* Uſura enim eo ipſo quo in lucem exit, prolem ſed viperinam gignit. S. Baſil. hom. 2. in hunc Pſalm. *Lepores ajunt ejus eſſe naturæ, ut ſimul & pariant, & nutriant, & ſuperfœtent. Sic & fœneratoribus pecuniæ ſimul tempore & dantur ad uſuram, & gignunt & ſuperfœtant. Nam nondum in manus accepiſti, & præſentis menſis lucrum quæſtumve poſtulaſti. Hæc rurſus pecunia data fœnori alterum malum eduxit, illud rurſus aliud, denique malum hoc in infinitum ſerpit. Quamobrem genus hoc avaritiæ hac appellatione* [illegible] *id eſt, partus (ut exiſtimo) ob multiplex mali germen, ſive fœcunditatem nominatur. Unde enim aliunde? aut fortè ob parturiginem ac mœrores anxios, qui in eorum mentibus gignuntur, qui gravati ſunt fœnora. Sicut enim dolores parienti, ſic tempus ſtatutum debitori exiſtit fœnus ſupra fœnus, malorum parentum mala ſoboles. Hi jam fœtus uſurarium rectè* [illegible] *genimina viperarum dicantur. Viperas enim dicunt ventrem matris perrodendo naſci. Sic item fœnora debitorum domos abſumendo naſcuntur. Semina omnia ſuo tempore naſcuntur, animalia quoque tempore præſtituto ſuos edunt fœtus. Fœnus verò naſcitur, hodie parere incipit. Animalia item quæ citò pariunt, citò etiam à partu deſiſtunt. Pecuniæ verò cum aviditate plus æquo habendi velocem trahant originem, infinitam acceſſionem tanto progredientem ulterius recipiunt. Unumquodque creſcentium, ubi ad juſtæ ſibique convenientis ſtaturæ magnitudinem pervenit, deſinit augeri: argentum verò avari omnis tempore augeſcit. Animalia ubi ſuæ ſoboli ceſſerunt pariendi vices, non jam ulterius impregnantur, fœnori trahentium pecuniæ, & quæ ſuccreverunt ſtatim pariunt, veteresque renovantur.* Lege S. Ambroſ. libro de Tobia, cap. 13. eadem tractantem.

70. *Uſuræ mater, pater, nutrix ſunt avaritia, injuſtitia, crudelitas.*

Matrem, patrem & nutricem uſuræ aſſignat S. Greg. Nyſſ. hom. 4. in Eccleſiaſten. *Animatis dixit Deus Gen. 1. 22. Creſcite & multiplicamini. auri autem fœtus, nempe fœnus, ex quonam conſiſtit matrimonio? ex quanam perficitur conceptione? Ceterum ex Propheta didici, quænam ſit hujus fœtus conceptio. Pſal. 7. 15. Ecce parturiit injuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* [illegible] *Hic eſt partus, quem parturivit quidem avaritia, peperit verò injuſtitia, & inhumana crudelitas lactavit, & obſtetricis loco ſuſcepit.* Hæc Nyſſenus.

Vox etiam Latina, fœnus, miſeram illam fœturam & multiplicationem denotat. Fœnus enim, ut docet Gellius ex lib. 3. Varronis de lingua latina idem eſt quod uſura, ita dictum à fœtu. Nam aliud eſt fœnus quàm fœtus, hoc eſt partus pecuniæ. Et dictio Syriaca רבתא *ribbitha*, quæ in Pſalmo noſtro ponitur, ſignificat fœnus, uſuram multiplicationem, augmentationem, germinationem, incrementum, productionem, à Rad. *Reba*, id eſt, multus fuit, multiplicatus eſt, magnus fuit, crevit, germinavit. Jure compares uſuras ex ſe alias novas uſuras ſubinde producentes arbori illi Muſicanæ, de qua Oneſicritus. Sunt, inquit, in Muſicana terra Indiæ arbores quædam, quarum rami cùm ad duodenos cubitos creverint, reliquum incrementum pronum faciant, deflexæ quouſque terram contingant, deinde terram ſubeant ac radices agant veluti traduces, mox rurſus in truncum exeant, à quo poſtquam auctæ fuerint eodem modo flectantur & aliam propaginem efficiant, rurſuſque aliam, & ſic deinceps, ut ab una arbore ingens fiat umbraculum, tabernaculo multis columnis nitenti ſimile.

Quintò, Uſura eſt omni jure vetita, nempe jure naturæ, jure divino, jure Eccleſiaſtico ac jure politico.

71. Uſura eſt omni lege prohibita. Primò, jure naturæ.

Ac primò, Quod uſura ſit jure naturæ prohibita, docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 78. art. 1. Accipere, inquit, uſuram pro pecunia mutuata, eſt ſecundùm ſe injuſtum: quia venditur id quod non eſt, per quod manifeſtè inæqualitas conſtituitur, quæ juſtitiæ contrariatur. Ad cujus evidentiam ſciendum eſt, quod quædam res ſunt, quarum uſus eſt ipſarum rerum conſumptio, ſicut vinum conſumimus, eo utendo ad potum: & triticum conſumimus, eo utendo ad cibum. Unde in talibus non debet ſeorſum computari uſus rei à re ipſa: ſed cuicunq; conceditur uſus, ex hoc ipſo conceditur res, & propter hoc in talibus, per mutuum, transfertur dominium. Si quis ergo ſeorſum vellet vendere vinum, & vellet ſeorſum vendere uſum vini, venderet eandem rem bis, vel venderet id quod non eſt. Unde manifeſtè per injuſtitiam peccaret. Et ſimili ratione injuſtitiam committit, qui mutuat vinum aut triticum, petens ſibi duas recompenſationes: unam quidem reſtitutionem æqualis rei, aliam verò pretium uſus, quod uſura dicitur. Quædam verò ſunt, quorum uſus non eſt ipſa rei conſumptio, ſicut uſus domus eſt inhabitatio, non autem diſſipatio. Et ideò in talibus ſeorſum poteſt utrumque concedi, puta cum aliquis tradit alteri dominium domus, reſervato ſibi uſu ad aliquod tempus: vel è converſo, cùm quis concedit alicui uſum domus, reſervato ſibi ejus dominio. Et propter hoc licitè poteſt homo accipere pretium pro uſu domus, & præter hoc petere domum accommodatam, ſicut patet in conductione & locatione domus. Pecunia autem ſecundùm Philoſophum in lib 5. Ethic. c. 5. & in li. 1. Polit. c. 6. & 7. principaliter eſt inventa ad commutationes faciendas. Et ita proprius & principalis pecuniæ uſus eſt ipſius conſumptio, ſive diſtractio, ſecundum quod in commutationes expenditur. Et propter hoc ſecundum ſe eſt illicitum pro uſu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod dicitur uſura. Et ſicut alia injuſtè acquiſita tenetur homo reſtituere, ita reſtituere tenetur pecuniam, quam per uſuram accepit. Hactenus S. Thom. Vide alias rationes apud Valentiam to. 3. diſp. 5. q. 21. puncto 1. Uſuram ait Ariſt. l. 1. polit. c. 10. eſſe maximè [illegible] i. e. *contra naturam.* S. Leo ſerm. de jejunio dicit uſurarios carere omni humanitate. Ugo Card. uſuram vocat *ſodomiam naturæ.* S. Baſil. hom. 2. in Pſ. noſtr. dicit, [illegible] *verè ultra modum vitium illud eſſe inhumanum.* S. Chryſoſt. ad populum, hom. 41. Prætextu, ait, miſerendi & opem ferendi, majorem miſero foveam crudelitatis uſurarii effodiunt. Plutarchus lib. de ære alieno, fœneratores appellat [illegible] verberones & barbaros, & S. Auguſt. in Pſal. 33. vocat deteſtabiles, odioſos, execrandos.

72. Secundò, lege Dei poſitiva in veteri teſtamento.

Secundò, Uſura vetatur lege divina veteris teſtamenti: Exod. 22. 25. ubi Deus præcipit *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes.* Vetatur etiam Lev. 25. Ezech. 18. & alibi. Unde ſapienter S. Chryſ. hom. 41. in Gen. uſurarius ait eſſe [illegible] id eſt, Judæis inhumaniores, & S. Antioch. hom. 12. [illegible] i. e. abominabiles coram Deo & hominibus. Quæres, nulliſne poterant dare Judæi pecuniam ſuam ad uſuram? Reſp. potuiſſe dare alienigenis. Deut. 23. 19. *Non fœnerabis fratri tuo* (i. e. Judæo) *ſed alieno,* id eſt, alienigenæ ſeu gentili. S. Ambroſius l. de Tobia, c. 15. per alienos ſumi vult gentes hoſtiles, ut Amalecitas, Amorrhæos, Chananæos, Pherezæos, Hevæos, Gergeſæos, &c. Verba ejus ſunt: *Quis erat tunc alienigena, niſi Amalech, niſi Amorrhæus, niſi hoſtes? Ibi, inquit, uſuram exige. Cui meritò nocere deſideras, cui jure inferuntur arma, huic legitimè indicantur uſuræ. Quem bello non potes facilè vincere, de hoc citò potes centeſima vindicare te. Ab hoc uſuram exige quem non ſit crimen occidere, Sine ferro dimicat*

qui-

qui uſuram flagitat: ſine gladio & de hoſte ulciſcitur, qui fuerit uſurarius & exactor inimici. Ergo ubi jus belli, ibi etiam jus uſuræ. Frater autem tuus omnis, fidei primum, deinde Romani juris eſt populus. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te. Deniq; in Levitico præſcripſit etiam lex uſuram à fratre non eſſe poſcendam. Sic enim habes cap. 25. *Et vivet frater tuus tecum, pecuniam tuam non dabis illi in uſuram, & in amplius recipiendum non dabis illi eſcas tuas. Generaliter hac ſententia Dei omne ſortis excludit augmentum, Unde David & benedictum æſtimavit & dignum habitatione cæleſti, qui pecuniam non dedit in uſuram. Si ergo qui non dedit, benedictus: ſine dubio maledictus, qui ad uſuram dedit. Cur ergo maledictionem potius eligis quàm benedictionem?* Sic D. Damhouderius inſignis Juriſconſultus in locis communibus admonet 9. ad uſurarios, docet cum Turca & Saracenis Chriſtianos poſſe facere uſuram, ut ſic bona Eccleſiæ recuperent, quæ Turca & Saraceni ſine ulla ratione, jure & æquitate, occiſis tot millibus Chriſtianorum hactenus invaſerunt. Qui ergo à Turca, à latrone & fure infideli uſuram acceperit, nec rapinam fecerit, nec fratri nocuerit, & Eccleſiam auxerit. Ita ipſe. An & quando poſſint captivi aut alii Chriſtiani aliquid furto capere ab Saracenis ac Turcis, vide Sanchez de conſiliis parte 1. Secundò, per alienos, melius accipe omnes paganos, nam ob duritiam cordis Judæorum permiſit Deus illis dare ad uſuram, ne lucro inhiantes, fratres ſuos Judæos ad inopiam redigerent. Ita cenſent Conradus q. 24. de contract. Joan. Medina in Cu. q. 2. de uſura. Gabriel 4. diſt. 15. Major & Abulenſis, Permiſſum à gentilibus uſuram accipere in lege veteri putant S. Thomas 22. q. 78. art. 1. ad. 2. Aleoſis 3. p. q. 36. membro 4. Valentia 22. diſp. 5. q. 21. puncto 1. Cajetanus, Soto Caſtro & alii, non quod eſſet licita, ſed minus mala: eo modo quo libellum repudii etiam Judæis permiſerat Deus.

73. Tertiò, lege Dei in novo teſtam.

Tertiò, Uſura vetatur lege gratiæ. Chriſtus enim dicit Luc. 6. v 35. *Mutuum date, nihil inde ſperantes* (ab hominibus, ut addit Syrus) *& erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi: quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos.* Conſilium eſt quidem mutuos nummos concedere: ſed poſito quod mutuum demus, præceptum eſt ſine uſura dare, ut ait S. Thomas 22. q. 78. 1. Et quidem qui ex mutuo aliquid exigit, facit contra naturam & etymon mutui. Nam ut ait Nonius Marcellus, *Mutuum* vocatur quod ſub amico affectu fiat *meum tuum*, uſu temporis neceſſarii. Tullius lib. 5. epiſt. 2. ad Metellum, Mutuum, ait, in amicitia eſt, cùm par voluntas accipitur & redditur. Itaq; jure S. Gregor. Nyſſ. orat. contra uſurarios ait: In eo qui dat mutuo ſub conditione uſuræ, cauponarius quæſtus condemnatus eſt.

Moveat te nomen filii Dei, quod tibi pollicetur Deus, ſi mutuum des gratis. Luc. 6. *Et eritis filii Altiſſimi.* Unde à contrario Concil. Pariſienſe ſextum definit cap. 53. *Gloriam Chriſtiani nominis ſibi adimere, & Deum qui charitas eſt, amittere,* omnes uſurarios. S. Bern. epiſt. 322. ad Epiſcopum, clerum & populum Spirenſem illos inter Judæos reponit & iis pejores facit. *Pejus* (Judæis ipſis) *judaizare dolemus Chriſtianos fœneratores: ſi tamen Chriſtianos & non magis baptizatos Judæos convenit appellari.* S. Hilarius in Pſal. noſtr. ex Chriſtiani titulo illos increpat, quod fratris ſui inopiam, pro quo Chriſtus mortuus eſt, theſaurum ſuum efficiant, & S. Leo ſerm. de jejunio, arguit infidelitatis damnatos illos qui non credunt Deo veraciter promittenti, & credunt homini trepidè paciſcenti.

74. Quartò lege humana Eccleſ.

Quartò, lege humana Eccleſiaſtica ubivis Gentium fœneratoria illa compendia ſunt eliminata. Primò, in Aſia Concil. Nicæn. primum tempore Conſtantini M. celebratum can. 18. jubet, ut clericus uſurarius *dejiciatur ex clero, & alienus ab Eccleſiaſtico habeatur gradu.* Secundò, in Africa Concil. Carthag. 5. can. 5. A clericis, inquit, penitus avaritia vitetur, nec fœnus de qualibet re accipiatur. Tertiò, in Europa proſtant edicta Prælatorum, & anathemata in colluviem illam hominum. 1. in Germania Concil. Salisburgenſe. *Excommunicati,* ait, *ſunt ipſofacto uſuras exercentes:* atq; ter in anno jubet populo denunciari: die ſcilicet Cœnæ Domini, & Nativitatis ejus, atq; Aſſumptionis Deiparæ. Ad Communionem altaris, ad Eccleſiaſticam ſepulturam, & ad oblationem faciendam uſurarios admitti vetat: eos verò qui ſepulturæ virus hoc tradant, ipſo facto incurrere excommunicationem decernit. Præcipit denique, ut qui patiuntur ſua in ditione latrocinia hæc urbana exerceri, *ſi ſint Epiſcopi aut eorum ſuperiores, ſuſpenſionis: alii vero inferiores, excommunicationis: communitates autem, interdicti ſententias & pœnas incurrant ipſofacto.* 2. In Hiſpania, Concil. Tarraconenſe jubet ut peſtes illæ à clero cohibeantur. 3. In Italia, Concil. Romanum ſub Martino Papa habitum ex Pſalmo noſtro probat veritas eſſe uſuras, & illas prohibet, 14. q. 4. cap. Si quis oblitus. Concil. Lateran. ſub Leone X. uſurarios deteſtatur, & aliud Lateranenſe prius ſub Alexandro III. prohibet uſurarios ad communionem aut ad Eccleſiaſticam ſepulturam admitti. Hæc concilia fuerunt Oecumenica, i. e. univerſalia. 4. In Gallia, primò Conc. Arelat. primum ſic præcipit: *De miniſtris qui fœnerant, placuit eos juxta formam divinitus datam à communione abſtineri.* Pœnæ aliquæ etiam decernuntur in Arelat. 2. & 3. Secundò, Concil. Agathenſe can. 69. ait: *Seditionarios nunquam ordinandos clericos, ſicut nec uſurarios, vel injuriarum ſuarum ultores.* Tertiò, Conc. Aquiſgranenſe primum cap. 62. laicis uſuras prohibet, atq; cauſam addit, ut omnis peccandi opportunitas adimatur, q. d. uſuram eſſe fontem & radicem ac fomitem omnium ſcelerum. Can. autem 40. A clero dejici fœneratorem mandat, & ait alienos exiſtere à regula. Quartò, in Capitulari Caroli Magni omnibus omninò interdictum eſt ad uſuram aliquid dare: citat decreta Leonis Papæ, Canones Apoſtolorum & legem Dei. Quintò, Concil Pariſienſe ſextum, quod ſub Ludovico Pio celebratum eſt cap. 53. mercedem ex nudo mutuo nuncupat, *valde execrabile Deoque deteſtabile avaritiæ genus.* Et poſtea, *turpiſſimi lucri rabiem.* Sextò, Concil. Valentinum tertium ait eſſe uſurarum turpia lucra. Deniq; colligere poſſis ex variis Conciliis, proventum & quæſtum ex merè mutuata pecunia quærentes à communione arceri, ſepultura Eccleſiaſtica privari, oblationes eorum in Eccleſia non recipi, ad Sacramentum pœnitentiæ non admitti, excepto mortis articulo, eorum teſtamenta eſſe irrita, nullum eorum teſtamento poſſe intereſſe, omnes dominos locorum teneri ex terris ſuis eos expellere, & eſſe infames. Si tamen reſtituant, vel ſufficientem dent cautionem, pleraque illis permitti.

1. In Aſia 2. In Africa 3. In Europa & quidem in variis provinciis. In Germania. Hiſpania. Italia. Gallia.

75. Quintò lege humana politicâ 1 Apud Romanos.

Quintò, lege humanâ politicâ aliquando uſura tolerata eſt, ſed ſicut lupanaria. In pleriſq; tamen populis hæ inopum hirundines adeò exoſæ fuerunt, ut eas ne ad aures quidem admiſerint. Romani, lege duodecim tabularum caverant, ne quis plus onciario fœnore fœneraret, mox tribunitiâ rogatione ad ſemiunciam fœnus redactum eſt, ſtatim ad ſemiſſem, poſtea ad trientem, demum L. Genutius tribunus plebis tulit ad populum, ne omnino fœnerari liceret: paulatim ſuccreſcens

iterum fœnus Cæſar ſuccidit. Laudati ſunt Lucullus, quod Aſiam, Cato, quod Siciliam fœnore liberâſſent. Claudius Cæſar & Veſpaſianus vetuerunt, ne quis filiofamilias ad uſuram daret.

2. apud Germanos. 2. Germanis fœnus omne ignotatum & execratum fuiſſe refert Cornel. Tacitus tract. de moribus Germanorum.

3. Perſas. 3. Perſæ cùm ſcelerum gradus aſſignabant, prima in ſede Uſuram veluti dominatricem ac reginam conſtituebant, cui deinde aſſeclam & aſſeſſorem dabant mendacium. Nam ut perenni mendaciorum æſtu jactantur, tum qui alienum æs fœneratitium contrahunt, tum qui uſuraria ... ſectantur.

4. Indos. 4. Indos nunquam admiſiſſe fœnus, illudq; odio habuiſſe tradit Ælian. variæ hiſtor. l. 4. initio.

5. Athenienſes. 5. Athenienſibus vetuit Solon, patre vivente, filio qui ſub patris jure eſt, credere pecuniam, & qui credidiſſet, petitionem non habere. Plato condendarum legum peritus artifex ingenioſo emblemate cives ſuos commonefacit, ne in eo ſe fœneratoribus in prædam dent, cùm ait: *Ne vicini aqua aliena participes fiant, niſi adinm ſuarum exhauſto ſolo uſque ad terram ceramitidem [ſic argillam vocat] id aquæ eſſe ſterile deprehenderint.* Quo ſymbolo vir ſapiens declaravit, non priùs mutuam ſumendam eſſe pecuniam, quam quis inveniendæ modum alium omnem, ut ait Plutarch. de ære alieno tentaverit. Hoc ſumpſerat à Salomone, qui ait Prov. 5, 15. *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui.* Hebr. fluenta de medio putei. Syr fluenta ex fonte tuo: id eſt, ex facultate & opibus tuis, ne quære aliena. S Baſil. in Pſal. noſtr. *Bibe*, inquit, *miſer de tuis vaſis aquam, ut ait Salomon, hoc eſt, proprias conſidera facultates & ſubſidia vitæ: non ad alienos fontes propera, ſed ex propriis fontis ſcaturigine tibi vitæ ſolatia collige.*

6. Lacedæmonios. 6 Lycurgus Lacedæmoniorum legiſlator è tota Sparta fœnus & uſuras exterminavit. Cùm poſtea irrepſiſſet, Agis eorum rex omnium fœneratorum tabulas igne ſuppoſito publicè in foro concremavit: quo igne nullum clarius lumen vidiſſe Ageſilaus dixit, ut refert Plutarch. in Agide.

7. Ægyptos. 7. Cùm Ægyptus omnis fœnore eſſet obruta, lege ſancitum fuit ut ita demum mutuam pecuniam accipere liceret, ſi cadaver patris fœneratori daretur pignori, penes quem eſſet poteſtas paterni ſepulchri debitoris oppignorati, ut habet Herodot. l. 2. & Diodor. Sicul. l. 2. c. 5. ad medium.

8. Varios populos. 8. Deniq; pleræque gentes plus odii in fœneratores, quam in fures declararunt. Nam, ut ait Cato de re ruſtica, initio, cùm furem dupli fœneratorem damnârunt quadrupli.

76. Verſ. 5. 3. Pars. Decimus & ultimus ſcalæ cœleſtis à Davide poſitæ gradus, eſt juſtitiæ amor perfectiſſimus, ſpernens corruptelam oblatorum bonorum, Verſ. eod. 5 *ET MUNERA SUPER* (contra) *INNOCENTEM* (S. Hier. adverſus innoxium. Aquila, contra humilem & ſimplicem. Symmach. contra humilem & immaculatum) *NON ACCEPIT*: ut ſcilicet innocentem, aut jus illius violet, ait Menochius. Tantùm abeſt ut bonus & æquus judex munera exigat aut poſtulet, ne oblata quidem acceptat.

Dona rotum homines corrumpunt. 1. intellectum ejus. Primò itaque, munera tenebras offundunt intellectui, & eum excæcant. Exod. 23. 8. Deus imperat: *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes* (Hebr. videntes, qui ſcilicet apertos habent oculos mentis, id eſt, ſapientes) *& ſubvertunt corda juſtorum.* Hæc ſententia, ait Cornelius, & uſu probatiſſima eſt, & veriſſima: unde ænigma: *Munegra cum murva faciunt rectiſſima curva.* Lege retrogradè, & videbis *munegra* eſſe argentum, *murva* eſſe aurum. Hoc ipſum cenſuerunt Gentiles. Audi Poetam: *Vincta eſt etiam ſapientia luero.* Et Plutarch. lib. de Iſide: Thebis, ait, judicum imagines viſuntur abſque manibus, & ſummi judicis oculi conniventes: eo quod juſtitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur. Et Themiſtium; Verus, inquit, Princeps eſt, qui auro eſt inexpugnabilis. Hinc etiam Bion dixit, oportere Principem magiſtratu diſcedentem, non ditiorem, ſed clariorem evadere. Memorabile exemplum præbuit Curius Dentatus, Senator Romanus, cui ad focum ſedenti cùm Samnites ingens auri pondus attuliſſent, eo repudiato liberè aſſeruit: *Mementote me nec acie vinci, nec pecuniâ corrumpi poſſe; neque enim præclarum eſt aurum habere, ſed iis, qui aurum habent imperare.* Teſtis eſt Cicero in Catone, & Plutarch. in apophthegm. qui & addit, Curium tunc cùm legati venerunt, rapa coxiſſe, illiſque demonſtrata dixiſſe, ſe auro opus non habiturum, quamdiu tali cibo contentus fuerit. Huic ſimiles fuerunt Fabii, qui legati ad Ptolomæum regem miſſi, munera quæ ab eo privatim acceperant, in ærarium priuſquam legationem referrent ad ſenatum detulerunt. Samuel erat perſpicaci mentis oculo, unde vocatur *videns*, id eſt, Propheta 1. Reg. 9. Ejus oculos non excæcarant munera, cùm aſſerat 1. Reg. 12. 13. ſe omnia rejeciſſe, & populus verba ejus confirmet eſſe vera. B. Thomas Morus in munerum contemptione excelluit: quâdam vice vidua, cui litem adjudicarat, obtulit ei poculum aureum: ille accepit quidem, ſed vino replens, ei præbuit & reddidit. Atque ut alia omittam, quæ cap. 3. & 8. vitæ ejus narrantur. Illud admirabile eſt, quòd cùm à prima ætate magnis in Rep. muneribus eſſet perfunctus, adeoq; totius regni eſſet Cancellarius, & cùm amplam haberet familiam, tamen totâ vitâ annuum cenſum non auxit ultra ſeptuaginta aureos annuos.

77. 2. voluntatem. Secundò, munera voluntatem inclinant, quo volunt. Partem unam bilancis etiam in juſtiſſima & fortiſſima manu poſitæ ad ſe attrahunt deorſū vergentem. S. Ambr. in epiſt. 1. ad Corinth. *Munera*, inquit, excæcant oculos *judicum. & vim authoritatis inclinant*, Exod. 22. 25. *ſubvertunt corda*, Euripides ait, πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος. *Perſuadere dona dıis fama eſt.* Hinc Michæas Propheta conqueritur cap. 3. 11. *Principes ejus* (Sionis) *in muneribus* (i. e. pro muneribus: propter munera) *judicabant, & Sacerdotes in* (i. e. pro) *mercede docebant, & Prophetæ ejus in* (i. e. pro) *pecunia divinabant.* Itaque nihil erat incorruptum: non aula, ubi Principes: non templum, ubi Sacerdotes & Prophetæ; non urbis portæ, ubi judices, quos etiam contineri puto ſub voce *principes.* Civitatem enim regunt. Caſſiod. in epiſt. oblationem munerum & acceptionem, vocat *tineam regiminis*: & Petrus Bleſenſis ad Sacellanum regis Siciliæ ſcribens: *Peremptorium*, ait, *eſt in Principe, vel auram adorare munerum, vel favorem quærere perſonarum.* Dicitur vulgari paræmia: ἕλκει λαγωὸς λέοντα χρυσῷ σχοινίῳ id eſt, *trahit lepus leonem aureo fune.* Ruſticis hominibus nihil eſt abjectius aut infirmius; ubi tamen aureos laqueos explicaverint, cor magnatum ultrò ſeſe implicantium irretiunt, & ligatum trahunt quo voluerint. Unde S. Auguſt. in Pſal. 25. ait: *Patuit illi manus ad accipiendum judicium lingua aliena, & perdidit judicium conſcientia ſua.* S. Gregorius Nazianz. in Diſtichis, auri potentiam aperit his verbis: *Auro loquente iners eſt omnis oratio: perſuadet enim illud, etiamſi nullam vocem edat. Auro capiuntur homines, ut laqueis aves. Aurum promovet mentes, mutumque ad loquendum excitat.* Præterea in carmine de vita ſua, citans diſputationem Zorobabelis & ſociorum de fortiſſimo, *Forte vinum, fortis Rex, fortes mulieres, ſed fortiſſima veritas.* 3. Eſd. 3. aurum verò illis omnibus

bus eſſe fortius dicit; *Vinum*, ait, *aſſerebat quiſpiam omnia vincere; at fœminam alter: tertius palmam dabat veritati. Ego unum poteſtatem maximam auro aſſignaſſem, quod arbitrio ſuo omnia convertat.* Orat. 24. vocat occultum tyrannum. Crudelis eſt & injuſtus ejus dominatus.

78. 3. linguam. Tertiò, munera linguam corrumpunt judicum & advocatorum. In faucibus anginam ſeu argentanginam ille orator olim paſſus eſt, cùm munera accepit, & cauſæ ſuæ prævaricator extitit. Deuteron. 16. 19. judici imperat Deus: *Non accipies perſonam, nec munera: quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum.* Ut ſcilicet ſententia mutetur in favorem illius, qui dedit munera. S. Petrus Damiani lib. 2. epiſt. 2. quæ ordine eſt. 23. *Acceptis* ait, *muneribus, ſi contra datorem quid agere volumus; mox in ore noſtro verba molleſcunt locutionis acumen obtunditur, lingua quâdam pudoris erubeſcentia præpeditur, Mens quippe percepti muneris conſcia debilitat judicialis cenſuræ vigorem, reprimit eloquentiæ libertatem. Nā etſi judicii rectitudo funditus non adimitur, judicandi tamen authoritas enervatur.* De acceptione perſonarum, & quale peccatum ſit, vide noſtrum Thomam Sanches lib. 1. Conſil. cap. 1.

4. manus, Quartò, munera manus dantis, ac præſertim accipientis corrumpunt. Pſ. 25. 10. *in quorum manibus iniquitates* (Hebr. זמה *zimma*, id eſt, ſcelus animo meditatum, machinatio) *ſunt*. mox ſubditur *& dextera eorum repleta eſt muneribus*. Quid erit ſiniſtra, quæ clanculum accipit, ſi dextera quæ palàm agit, eſt corrupta: & ædificat Sion in ſanguinibus Mich. 3. 10. id eſt, in bonis pauperum: *quia panis egentium vita pauperum eſt. qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt*. Eccli. 34. 25. Munerum acceptores ad corrumpendum judicium, comparat S. Gregor. lib. 12. Mor. proditori Judæ dicenti Matt. 26, 15. *Quid vultis mihi dare & ego vobis eum tradam?* Chriſtum ipſum in paupere exiſtentem vendunt. Sic Greg. ſic loquentes inducit: *Quid vultis mihi dare, ut abnegem? officium perdam? & Deum vendam?* Iſai. 1. 13. ait Deus, reprehendens primores Judæorum: *Manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine.* Quod ad rem præſentem pertinere patet ex ſequentibus: cùm enim illis imperat ablutionem, præcipuè admonet, ut quærant judicium, ſubveniant oppreſſo, judicent pupillos, defendant viduas.

5. pedes Quintò, munera pedes accipientis corrumpunt, & iter implicant. Prov. 17. 23. *Munera de ſinu* (id eſt clanculum è ſinu prolata) *impius accipit: ut pervertat ſemitas judicii.* Chald. vertit, ut declinet à via judicii, id eſt, juſtitiæ. Sept. impius autem declinat vias juſtitiæ: hoc eſt, leges, quas Ætius juriſconſultus apud Alciatum vocat, *vias regias & imperatorias.* Deinde autem ſubdit: Ab his quidem judices vi, aut pretio declinantes, alias vias, vel potius diverticula, contriverunt. Unde leges ut ſe tueantur, prohibent omnia prorſus munera. S. Auguſtinus ad Macedonium à Gratiano citatus in 2. Decreti parte, causâ 13. quæſt. 3. ff. non licet, ait: *Non licet judici vendere judicium juſtum, etſi liceat advocato vendere juſtum patrocinium, & juriſconſulto rectū conſilium.* Aurum enim ferro potentius inter medios ſatellites, ut tyrannus, incedens judicum cancellos effringit, & aſylum pauperum in cubile latronum convertit, ſi admittatur. S. Iſidorum profert etiam Gratianus, ff. Pauper, *Pauper*, inquit, *dum non habet quod offerat judicio, non ſolùm audiri contemnitur, ſed etiam contra veritatem opprimitur. Citò violatur auro juſtitia. nullumque reus pertimeſcit culpam, quam redimere nummis exiſtimat.*

6. domum. Sextò, munera domum accipientis corrumpunt, evertunt, & in cineres redigunt. Job. 15. 34. ait Eliphaz: *Ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt.* Hebr. eſt tantum, *tabernacula munerum*, id eſt, è muneribus conſtructa ut vertit Pagninus. a. quæ munera receperant, ut ſpeluncæ latronum & arces.

Septimò, munera totum virum ea accipientem à tabernaculo & monte ſancto Dei excludunt, quæcumque perdunt, ac maledictioni æternæ ſubjiciunt. Deutero. 27. 25. *Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam innocentis.* Et Iſa. 5. 23. *Væ qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo.* 7. reliqua omnia.

Contra verò, habitat in Dei tabernaculo qui munera ſuper innocentem non accepit, ut hic dicitur, & Iſaiæ 33. 15. *Qui ambulat in juſtitiis* [id eſt, ſervans juſtitiam (*& loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia.* (Hebr. qui reprobat avaritiam oppreſſionum, ut vertit Pagnin. id eſt? opes per vim & calumniam extortas) *& excutit manus ſuas ab omni munere* [velut à ſorde, veneno, & flamma) *qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem* (Hebr, ſanguines, ut vertit Arias, id eſt, cædes) *& claudit oculos ſuos ne videat malum. Iſte in excelſis habitabit* (in Deo & Chriſto, ait S Cyril. 2. in cœlo) *munimenta Saxorum* (mons & arx cœleſtis) *Sublimitas ejus.* Vatabl. vertit, aſylum ejus. *Panis ei datus eſt* [Chald. cibus ſufficiens datus eſt ei (*aquæ ejus fideles* (Pagn. ſtabiles) *ſunt.*

Quàm ſtabiles ſint illi montes, & fontes ſtabiles, id eſt, jugiter manantes, & quam ſecurè in iis manſurus ſit, qui ſcalam illam cœleſtem à Davide poſitam aſcenderit, declaratur in Pſalmi clauſula: *QUI FACIT HÆC, NON MOVEBITUR IN ÆTERNUM.* Non movebitur ab alio, quia erit in monte ſtabili: non movebitur à ſe ipſo, quia erit in medio fontium jugiter vitam & ſuavitatem influentium Hebr. *Non mutabit.* Magnet, nunquam corruet. Sept. σαλευθήσεται, id eſt, non fluctuabit. Pſ. 54. 23. *Non dabit in æternum fluctuationem juſto.* Syr. non terrebitur. Ibi nullus eſt pirata, in portu eſt, eſt beatus. Arabs, non diſſolvetur. Jacobi 1. 17. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*, Tabernaculum Dei ſecurum eſt, & quietum. Pſ 90. 10. *Flagellum* (Chald plaga & nocumentum) *non appropinquabit tabernaculo tuo*, etiam in hac vita: de cœleſti tabernaculo ait Iſaias c. 33. 20. *Reſpice Sion* (eſt vocativi caſus, ô Sion, ô Iſraelitæ, ô cives Sionis) *civitatem ſolemnitatis noſtræ* id eſt, Eccleſiam militantem, ut ait S. Hieron. quia juſto eſt perenne feſtum. 2. & melius, Eccleſia triumphans in cœlo ut S. Cyrill. & Adamus) *Oculi tui videbunt Jeruſalem* (quod dicitur viſionem pacis) *opulentam, tabernaculum: quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur clavi ejus in ſempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur.* (Alludit ad tabernacula paſtorum, militum, & viatorum, quæ ex loco in locum transferuntur) *quia ſolummodo ibi magnificus eſt Dominus noſter: locus fluviorum rivi latiſſimi & patentes* vide Pſal 25. 10. ubi de fonte vitæ. Pſal. 45. 5. ubi de flumine lætificante illam civitatem) *non tranſibit per eum navis remigum* (ut quid interturbet) *neq; trieris* (id eſt, triremis, navis oblonga habenarres remorum ordines) *magna tranſgredietur eum.* 79. Verſ. 5. 4. Pars. Juſti non fluctuatio.

Reſtat, ut cum Angelis à Jacobo viſis ſcalam cœleſtem quam firmat Deus, alacri & conſtanti peda aſcendamus. Dicendum eſt cum Rege noſtro Pſ. 16. 5. *Perfice* [S. Hier. ſuſtenta) *greſſus meos* (id eſt pedes meos. Eſt metonymia) *in ſemitis tuis, ut non moveantur* [ἵνα μὴ σαλευθῶσι, ut non fluctuent] *veſtigia mea.* Hoc ſymbolum ſibi aſſumpſit Cœleſtinus Papa III. Honorius III. & Grego- 80. Cœleſtis ſcala eſt conſcientia.

tius X. teſte Alphonſo Ciaccano. De illa ſcala cœleſti ait S. Bern. tract. de modo benè vivendi ſermone 53 initio: *Vidit Jacob ſcalam ſtantem ſuper terram, Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & cacumen illius cœlos tangebat. In hac ſcala ſunt poſiti omnes ad vitam æternam prædeſtinati: & omnis qui ſpectat ad regnum cœlorum, in hac ſcala habet locum. Scala iſta generalis eſt Eccleſia, quæ ex parte adhuc militat in terris, & ex parte jam regnat in cœlis. In hac ſcala ſunt tres ordines hominum: ſcilicet ſeculares, activi, & contemplativi. Seculares ſunt in minori gradu. Activi ſunt in altiori loco. Contemplativi vero ſunt in ſummo.* Ibi Deus innititor ſcalæ, & illam ſtabilit. Scalam Chriſti propriam habes apud Ugonem Card. in cap. 28 Geneſis. Scalam Deiparæ apud S. Bern. ſerm. de B. Maria: ſi tamen eſt Bernardi ille ſermo. Scalam religioſorum, apud Ugonem loco citato Geo. Scalam denique omnium Chriſtianorum, apud Bellarmin. tr. de aſcenſione mentis in Deum. Scalas illas, & earum gradus contemplare, & conſcende, ſed conſtanter & perſeveranter, quia *impius facit opus inſtabile: ſeminanti autem juſtitiam merces fidelis*, Prov. 11. 18. Hoc eſt, ſtabilis & ſolida. Peccator eſt inſtabilis. *Peccatum peccavit* (id eſt, perpetuò, aſſiduè, & graviter peccavit, ut ait Vatablus, q. d. peccatum peccato addidit, 2. peccatum, id eſt, idololatriam) *Jeruſalem* (amando creaturas pluſquam Deum) *propterea inſtabilis facta eſt.* Reſpiciens retrò ut uxor Loth, & deſcendens ut Lucifer. Contra verò: *Non commovebitur in æternum qui habitat in Jeruſalē.* Pſ. 124. 1.

PSALMUS DECIMUS QUINTUS.

1. Tituli inſcriptio ipſi David.

1. Conſerva me Domine, quoniam ſperavi in te: dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.
2. Sanctis qui ſunt in terra ejus: mirificavit omnes voluntates meas in eis.
3. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: poſtea acceleraverunt.
4. Non congregabo conventiculam eorum de ſanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.
5. Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.
6. Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.
7. Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum: inſuper & uſque ad noctem increpuerunt me renes mei.
8. Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi ne commovear.
9. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.
10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.
10. Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: delectationes in dextera tua uſque ad finem.

PSALMI DECIMI QUINTI ANALYSIS.

David Chriſtum exhibet, felicitatis ſuæ
- Sollicitum. 1. eamque petentem,
  - Ob ſpem ſuam in Deum. 1.
  - Humilitatem in ſeipſo. 2.
  - Charitatem erga Sanctos. 3.
  - Infidelium & impiorum odium. 4.
- Et ſecurū, 5. propter
  - Bona, ut ſic loquar, fortunæ,
    - Hæreditate cœleſti obtenta. 5.
    - Et à Deo data
      - Cum fidelitate. 5.
      - Et liberali amore. 6.
  - Bona animi,
    - Intellectu,
      - Deum laudante. 7.
      - Et cognoſcente. 7.
    - Voluntate,
      - Ad bonum incitata. 7.
      - Et in eo per præſentiam Dei firmata. 8.
  - Bona corporis
    - Corde, lætitiâ completo. 9.
    - Linguâ, exultante. 9.
    - Carne, quieſcente.
    - Animâ, è limbis eductâ. 10.
    - Corpore, incorrupto & vitæ reddito. 10. 11.
    - Vultu exhilarato ob Dei viſionem. 11.
    - Omnibus potentiis, gaudio æterno triumphantibus. 12.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. Tituli inſcriptio ipſi David.

1. *Michtham* quid ſignificat? Primò.

IN Hebræo eſt מכתם *michtham le David*, quod varii variè vertunt. 1. S. Hieron. reddit, *Humilis & ſimplicis David.* Sic michtham deducetur à voce מך *mach*, pauper, humilis: atque à voce תם *tham*, perfectus, immaculatus, ſimplex. 2. R. Emmanuel, & alii multi ſumunt *michtham* pro auro optimo, ſeu ornamento aureo: & R. Abraham cauſa aſſignat, cur hæc vox in hujus Pſalmi titulo ponatur: quod eſſet Pſalmus hic Davidi pretioſus, ſicut aurum optimum & obrizum. 3. Malim dicere, verti poſſe, *Coronatio Davidis*, ſeu corona, diadema, inſigne aureolum Davidis: & alludi

Secundò.

Tertiò, & optimè

alludi ad laminam auream (quæ erat inſtar coronæ poſitæ io fronte Pontificis Hebræorum, & his verbis inſcriptæ: *Sanctum Domino*) atque ad coronas tegum. Factumq; opinor eſſe hunc Pſalmum, cùm poſt evitatas ſæpiùs Saulis inſidias, David coronatus eſt Rex in Hebron, & hæreditatem ſibi promiſſam adiit. In eo autem Chriſtus Rex æternus figurabatur, & de illo præcipuè eſt Pſalmus: quod inde evidenter probatur, quod S. Petrus quatuor verſus ultimos de eo explicet, Act. 2. ℣. 29. & S. Paulus verſum decimum, Act. 13. ℣. 36.

2. Argumentum Pſalmi. Argumentum itaque Pſalmi, eſt oratio Chriſti ad Patrem, quâ & conſervationem ſuam petit, ſibique gratulatur. 1. ob tantam juſtorum multitudinem, ex legis Judaicæ jugo, & Gentilium ſuperſtitionum vanitate ad veram legis novæ libertatem, traducta. 2. ob animæ ſuæ beatitudinem, corporis reſurrectionem & gloriam, cùm victor ad Patrem aſcendens cum eo lætabitur totâ æternitate. Vox στηλογραφία quâ uſi ſunt Septuaginta interpretes, dici etiam poteſt de titulo ob victoriam erecto, aut ob rem aliquam illuſtriorem geſtam, qualis eſt hæreditatis Chriſti adeptio, quæ in faſtos cœleſtes referatur, & quo tempore, quantòque plauſu initium habuerit hoſte prorſus ſubacto. Idem de Latina voce *inſcriptio*, non immeritò dixeris. Niſi malis cenſere cum Bellarmino Septuaginta legiſſe מכתב *michthab*, ſcriptura, inſcriptio: ſed nulla cogit neceſſitas; ſenſus enim nonnunquam magis, quam verba reddunt.

DIVISIO TOTIUS PSALMI.

Duo continet. Primò, Orationem Chriſti, qua conſervationem ſuam poſtulat. Verſ. 1. ad 5. Secundò, Exauditionem orationis perfectiſſimâ hæreditate obtentâ, Verſ. 6. ad finem.

SECTIO PRIMA.

Duo proponit. Primò, Conſervationis ſuæ petitionem. Verſ. 1. Secundò, Rationes propter quas eam poſtulat, verſ. 1. & ſequentibus.

PARAPHRASIS.

1. *Conſerva me Domine, quoniam ſperavi in te: dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

1. Pater mi & Domine, Chriſtum tuum quem hoſtes perditum volunt, tuere, cùm io in te uno ſpem ſuam locatum habeat. Quæcunque in me bona congeſſeris, ea omnia in tui unius gloriam refundam, cùm Deum te meum agnoſcam, nulliuſque rei indigum.

2. *Sanctis qui ſunt in terra ejus: mirificavit omnes voluntates meas in eis.*

2. Io Sanctis quos ad vitam æternam prædeſtinaſti, quique in hac exulum terra adhuc verſantur, quicquid volui, executus es, eo ſplendore & majeſtate, omnibus ut admirationem moverit.

3. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: poſteà acceleraverunt.*

3. Variis licet jactati cladibus, & tormentis diriſſimis exterriti, ad meam tamen fidem atque Eccleſiam, magno ardore veniunt, agnita ſcelerum ſuorum & idolorum fœditate.

4. *Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

4. Neque tamen illos ex Judæia & Gentilibus ita io unam congrego Eccleſiam, ut pecudum ſanguinem offerri mihi velim, ſicut ſuis in cœtibus facere ſoliti erant: Quorum cœtuum & conventiculorum ne nomen quidem uſurpari amplius volo, illius ut fundendi ſanguinis mentio ulla habeatur. Aliud enim erit commune corporis & ſanguinis mei ſacrificium.

QUÆSTIO UNICA.

Quantâ curâ Deus juſtos tuetur virtutibus exornatos?

4. CUm Pſalmo præcedenti ſcalam erexerit David, quâ ad cœlum tenderemus, nunc ſe illius beatitudinis certum eſſe profitetur; & præſertim Chriſtus, de quo præcipuè eſt hic Pſalmus.

Prima autem in ſectione adverſus hoſtes invadentes conſervari flagitat, Verſ. 1. *Conſerva me Domine.*

Quatuor rationes ſuggerit, quibus conſervationem illam ſibi deberi oſtendat. Primò, quod ſpem io uno Deo poſuerit, verſu eodem primo: *quoniam ſperavi in te*, non in humanis præſidiis. Secundò, quod humilitate perfecta Deo ſe ſubjecerit. Ibi: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Tertiò, quod charitate ardenti, Sanctorum ſalute procurata, Dei gloriam promoverit, Verſ. 2. *Sanctis qui ſunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.* Eos mediis in afflictionibus juvando, & ad Patrem ſuum trahendo, Verſ. 3. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſteà acceleraverunt.* Quartò, quod fidei repugnantia omnia oderit & expugnârit, Verſ. 4. *Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

ARTICULUS I.

Deus ſervat ſperante in ſe, & humiles.

5. Chriſti vultus quadruplex. SCala cœli in Pſalmo præcedenti poſita nobis Chriſtum nunc ſpectandum Propheta exhibet, velut ex myſticis illis Ezechielis animalibus ſacris maximum, qui facie quadruplici omnem in partem excubans ad ſuma non interrupto curſu evolet. 1. Spem aſſignat, ſupera ſpectantem, ut Aquilæ vivacis faciem. 2. Humilitatem, à ſiniſtra excubantem, ut Bovis labori ſuo & terræ excolendæ intenti formam. 3. Charitatem, ab anteriori parte juſtos animantem, ut Hominis benignum vultum. Quartò denique, idololatriæ odium, à dextra interminans, ut Leonis oculos ſcintillantes. Hac ſpecie hoſti terribilis, Deo, Sanctiſque amabilis Jeſus, ad montis cœleſtis apicem, io quo Dei tabernaculum viſitur, per difficiles gradus evadit.

6. 1. Deus eſt cu- Aſtant omni ex parte hoſtiles cunei: unde ut Dux exercitus trepidanti metuens tyroni ſeſe conſectanti, Deum Patrem interpellat, Verſ. 1. *Conſerva*

ſtos pervigil.

ſerva me Domine. Hebr. שמרני *ſomreni*, conſerva me. Rad. שמר *ſamar*, cuſtodivit, obſervavit, curam & ſollicitudinem ac diligentiam ed͡horar, ne quid amittatur aut excutiatur. Unde משמרת *miſmereth*, ſtatio vigilum שמורה *ſemura*, vigilia. Syriaca etiam vox *netar* in hoc loco poſita ſignificat cuſtodire, obſervare, vigilare: unde *methurto*, vigilia, cuſtodia. Deus eſt virga vigilans, quam cervicibus impiorum imminentem vidit Jeremias c. 1. ℣. 11. Nec minus advigilat, ſuis ut alumnis conſulat, ut idem Propheta à Deo ipſo audivit cap. 31. 28. *Sic non vigilavi ſuper eos ut evellerem, & demolirer, & diſſiparem, & diſperderem, & affligerem: ſic vigilabo ſuper eos, ut ædificem & plantem, dicit Dominus.*

7.
2. Eſt cuſtos fortis.

Si noſtræ Deus intendat cuſtodiæ, quia ad ſupercilia montis erepentes deturpet in præceps, cùm divino robori nihil ſit quod æquari poſſit? & quidem in verſiculo noſtro Deus vocatur אל *el*, quæ dictio & Deum & fortem ſignificat: ideo Aquila & Theodotio vertunt, ἰσχυρὸς. id eſt, fortis, validus, potens, robuſtus.

Ex ejus manu nemo juſtos rapiet.

Tam arcto preſſu eos ſtringit Deus, qui manibus ejus ſe permiſerunt, ut nullus ipſos ab hac tutela divellat. Hoc præ ſe fert Chriſtus ipſe, Joan. 10. 28. *Et non rapiet eas* [oves] *quiſquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi majus omnibus eſt* (Sol ipſe, luna, ſtellæ, gemmæ omnes & opes mundi, non ſunt cum unica anima radiis cœleſtibus fulgente, conferenda) *& nemo poteſt rapere de manu Patris mei*: cùm hinc Pater æternus & omnipotens, inde Filius hominum Redemptor, & ſapientiſſimus amator, manu prehenſos viæ cœleſtis peregrinos ad alta ſubvehet, quis aut viæ pendentis ac præruptæ, aut inſultorum & propellentium hoſtium terror ſuberit? Promiſit Deus opem, eam præſtabit, Pſ. 83. 12. *Miſericordiam & veritatem diligit Deus.* Hebr. Solem & clypeum. 1. Miſericordia ſol eſt, tenebras mœroris & invidiæ ſtygis removens. 2. Veritas ſeu veracitas, & fidelitas divina clypeus eſt corpus atq; animam contegens: Deus Filius, ſol eſt, ut laqueos evitemus cœleſti ſapientia; Deus Pater clypeus eſt, ut inſultum ſuſtineamus divinâ omnipotentiâ. Itaque, ſapienter admonet Idiota in Pſalm. noſtrum, cùm veniam anteactorum ſcelerum petere volumus, ſæpiùs eſſe iterandas has Davidis noſtri voces; cùm verò de virtutibus colligendis cogitamus, ſæpè dicendum: *Conſerva me Domine*, ut navim auro gemmiſq; onuſtam ex Peruano regno aut ora Malabarica in patrium portum ſeſe cum applauſu civium inferentem. Inclama Deo te ſemper expectanti: *Conſerva me*, non mea. Nihil enim homini bonum ſine ſe bono: quid prodeſt dives arca, ubi pauper eſt conſcientia?

Non iners opem poſtulat Chriſtus, aut juſtus quilibet, ſed in hoc Pſalmo noſtro quatuor ſibi virtutes comites adjungit, quibus non tantùm veluti faciebus pericula proſpectet, ſed etiam veluti pedibus & manibus in montis aſcenſu, ſicut alter Jonathas, utatur, & objectos Philiſthæos proſternit.

8.
Verſ. 1.
2. Pars.

Primò, Pes dexter, ſpes eſt ad motum incipiendum: ſpe enim ad res ſuſcipiendas incitamur? In eam rem ait David: *Conſerva me Domine, quoniam ſperavi in te.* Hebr. חסיתי *haſithi*, ſperavi, hoſpitatus ſum, velut in latibulum & aſylum ac refugium me recepi, in quo contegar, & ſecurus degam. In alarum divinarum tegmine quis non confidat? Pſ. 35. 8. *Filii hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt*, ut pulli ſub alis gallinæ matris ſuæ, Pſ. 62. 8. hinc de ſeipſo profitetur: *In velamento alarum tuarum ſperabo, adhæſit anima mea poſt te*: hoc omnibus auxilium ac tegmen pollicetur, Pſal. 90. 4. *Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis ejus ſperabis.* Vide illum locum. Alæ illæ ſunt ſedula providentia, & amabilis benevolentia Dei. Alludit autem ad alas Cherubinorum, quæ thronum Dei in propitiatorio ſedentis efficiebant; & arcam, id eſt, animam juſtam, lege divina locupletatam contegebant. Alæ illæ primò totæ ſunt aureæ, quia Deus charitas eſt, 1. Joan. 4. 16. Secundò, extentæ ſunt, quia ad omnes volant, & umbram ſuam ac protectionem omnibus offerunt. Tertiò, in illis ſedet Deus, quia factus eſt in pace & amore locus ejus, neque à charitate unquam diſcedit. Alas non diſſimiles dat in ſe confidentibus, ut ait Iſaias 40. 40, *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem: aſſument pennas ſicut aquilæ*: anteà cum multo labore pugnabant in terra, ſed jacentes hoſtes deſerent, & tela ab imbelli dextra emiſſa ſublimes ac ſecuti in ſupremo æthere ridebunt ſoli juſtitiæ proximi, atque ejus radiis collucentes, *current, & non laborabunt*, cùm per charitatem proximo ſuccurrerent, *ambulabūt, & non deficient.* Ezech. 1. 14. *Animalia ibant & revertebantur, in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.* 1. Cum celeritate. 2. Sine fatigatione. 3. Cum ſplendore. 4. Cum hoſtium trepidatione.

In alis Dei eſt ſperandum.

9.
Spes eſt juſtorum pes dexter.

Spem eſſe juſtorum pedem, quo in hæreditatem promiſſam inſerantur, habes Deut. 11. 24. *Omnis locus quem calcaverit pes veſter*, ſpes veſtra terram calcans, & cœlum petens, *veſter erit*: non vos ejus, per nimium affectum. *A deſerto, & à Libano, à flumine magno Euphrate, uſque ad mare occidentale erunt termini veſtri.* Incipe à deſerto, ſpolians te rebus ſuperfluis & inutilibus, aſcende ad Libanum montem puritatis & candoris, tunc patebit tibi fluvius Euphrates, id eſt *fructificans* gratia, atque ipſum mare vaſtiſſimum Dei ipſius, in quod te immerges, ubi cætera tibi occiderint. *Nullus ſtabit contra vos*, multò minus vos proſternet: *terrorem veſtrum*, quo anteà ad folii motum timebatis, *& formidinem dabit Dominus Deus veſter ſuper omnem terram* (non homines tantùm, ſed terra ipſa vobis tremet atque inſtabilis apparebit) *quam calcaturi eſtis.* Dabit Deus terrorem veſtrum hoſti, ut ampliùs vos non trepideris: & dabit terrorem veſtri, ut ipſi ad aſpectum veſtrum concidant. 1. Deſertum ſit in Meridie, vacuando nos mundi deliciis, quarum ardor pleroſque concoquit. 2. Sit Libanus, id eſt, candor à Septentrione, unde hoſtiles tenebræ & frigus animam invadunt, ut innocentiam tollant. 3. Sit Euphrates ab Oriente, Chriſtus gratias ſuas jugiter infundens in animam, velut in paradiſum terreſtrem, quem ſemper alluit & fœcundat. 4. Sit mare ab Occidente, i. e. divinitas in morte, in quam tota æternitate immergaris. Vel, ſit in vita purgativa deſertum: in illuminativa Libanus: in unitiva dum vivimus, Euphrates: poſt mortem, Mare. Vel denique, in pueritia eſt deſertum, ſe ſubducendo à malo conſortio: in adoleſcentia Libanus, per morum candorem: in virili ætate Euphrates, per fœcunditatem virtutum: in ſenectute denique Mare, per profundam ſapientiam. Spem porrò eſſe pedem noſtrum, diſertè docet S. Bernardus in Pſal. 90. Pes vaſter, ſpes veſtra eſt, & quantumcunque illa proceſſerit, *obtinebit: ſi tamen in Deum tota figatur, ut firma ſit & non titubet.*

10.
Spes juvat impetrationem.

Rationem verò Davidis eſſe optimam, quâ conſervationem à Deo poſtulat, quia in eo ſpem ſuam defixit, dicit Idiota hoc loco: *Hæc, inquit, una res eſt, quæ facit nos à Deo ſperare quod petimus, cùm nos impetraturos ſperamus.* Elegantius hoc docet S. Chryſoſt. homil. 69. in cap. 21. Matthæi;

Matthæi: *Noli*, ait, *de rebus tuis curare, ſed omnia tua Deo commenda. Si enim tu curas, curas ut homo: ſi verò Deus providet, ὡς Θεὸς προνοεῖ providet ut Deus. Noli tu majoribus prætermiſſis de illis curare, ne Deus minus de illis provideat. Ut igitur magna cura res tuas complectatur, ipſi ſoli univerſa committes. Nam ſi ſpiritalibus omiſſis ea tractabis, minorem Deus de ipſis curam habebit.* Neque enim ſolùm de charitate dicitur Pſalmo 144.20. Dominus cuſtodit omnes *diligentes ſe*. Non tantùm de timore Dei habetur Eccli. 33.1. *Timentis* Dominum non occurrent mala; ſed etiam de ſperante pronunciatur ibid. c. 32.28. *Qui confidit in Deo, non minorabitur.* Et c. 33.17. *In benedictione Dei & ipſe ſperavi: & quaſi qui vindemiat, replevi torcular:* ob mentis lætitiam, & gratiarum ubertatem. Unde Sancti ſpem ſuam in uno Deo ſuo à quo ſalutem expectant, reponunt. Eccli. 34.15. *Spes illorum in ſalvantem illos*, Pſ. 61.8. ipſe David hoc prædicat, *Deus auxilii mei, & ſpes mea in Deo eſt.* Pſ. 24.5. *Tu es Deus Salvator meus.* Pſal. 26.9. *Deus ſalutaris meus*, Pſal. 30.3. *Eſto mihi in Deum protectorem*, Pſal. 37.23. *Domine Deus ſalutis meæ*, Pſ. 45.1. *Deus noſter refugium & virtus, adjutor in tribulationibus.* Et ℣. 8. *Suſceptor noſter Deus Jacob.* Poteſt & vult ſalvare, Pſal. 61.1. *Poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia.* De protectione Dei per multiplicem gratiam vide Caſſianum integra collat. 13. In tribulatione præſertim conſervat Deus, Eccli. 39.22. *In verbo ejus ſtetit aqua, ſicut congeries: & in ſermone illius, ſicut exceptoria aquarum.* Sicut in vaſe concluſa aqua maris rubri ſtetit, ut daret aditum populo Iſraël in deſertum, Exod. 14.22. *Ingreſſi ſunt filii Iſrael per maris medium*, in medio tribulationis Deus vivificat: *erat enim aqua quaſi murus à dextera eorum, & læva.* tribulatio ipſa animam munit in temporalibus & ſpiritualibus. Olaus Magnus Archiepiſc. Upſalenſis Sueciæ & Gothiæ Primas aſſerit lib. 11. pag. 377. quibuſdam in Septentrionis regionibus fieri *muros glaciales* tempore obſidionis in hyeme, & l. 1. pag. 19. caſtella nivalia à juvenibus extrui, & *aqua firmari*, quæ ita gelatur, ut globi ænei non penetrent. De qua Jordanis fluvii partim in mare mortuum defluente, partim ſtante, & ad modum montis intumeſcente, habes cap. 3. libri Joſue ℣. 15. *Ingreſſiſque ſacerdotibus Jordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis ſteterunt aquæ deſcendentes in loco uno, & adinſtar montis intumeſcentes apparebant procul, ab urbe quæ vocatur Adom uſq; ad locum Sarthan: quæ autem inferiores erant, in mare ſolitudinis, quod nunc vocatur mortuum, deſcenderunt, uſquequò omnino deficerent.* De qua Jordanis ab Elia ſciſſa vide 4. Reg. 2. 8. ab Eliſæo, ibid. ℣. 14. Nota porrò mare & Jordanem triplici modo eſſe diviſa. 1. A Moyſe mare per virgam. 2. Jordanem per pedes Sacerdotum & Arcam. 3. Eundem fluvium per Eliæ pallium. Primò, in principio viæ, potenti Chriſti virgâ opus eſt, per aliquam gravem calamitatem, per mortis, judicii, & inferorum metum, ut mundi fluctus tranſeamus, & deſertum ſeu ſolitudinem mentis, ut etiam religionis petamus, ubi Deus ad cor loquatur. Secundò, in progreſſu viæ, opus eſt Sacerdotibus, qui duces ſint & præeant, pedeſque in aqua tingant, atque legem in Arca potiùs quàm explicent, ut in terram promiſſionis introeamus, ibiq; virtutum fructus colligamus. Tertiò, in fine viæ & vitæ, ut cum Elia curru igneo ad Deum ferventes ejus amore rapiamur, pallium ipſum eſt à nobis rejiciendum, omnibus rebus terrenis nudandus affectus, 4. Reg. 2. 8. *Tulit Elias pallium ſuum, & involvit illud, & percuſſit aquas, quæ diviſæ ſunt in utramque partẽ, & tranſierunt ambo per ſiccum.* Vir perfectus & ſibi & ſuis providet. 1 Adjunge te Sanctis, nihil tibi ad Deum progredienti obſtabit, Exod. 19.24. Moyſi dicitur: *Aſcendes tu, & Aaron tecum.* Et c. 24. 13. *Surrexerunt Moyſes & Joſue miniſter ejus:* ſimul aſcenderunt in montem Sinai, Aaron deinde ad populum deſcendit, & cum populo Idololatra turpiter lapſus eſt: Joſue verò ſuaviſſimis Dei contemplationibus per 40. dies mentem pavit, & Moyſes cum Angelo colloquens, legem accepit. Jonatha in montem ad ſuperandos Philiſthæos manibus & pedibus repente, 1. Reg. 14.13. dicitur: *& armiger ejus poſt eum.* Sic conjuncti integrum exercitum fuderunt, & in fugam verterunt. Gedeoni dicit Deus, ut deſcendat in caſtra Madianitarum, quæ erat traditurus in manu ejus, ſed non vult ut ſolus deſcendat, Judic. 7.10. *Deſcendat tecum Phara puer tuus.* Hoc facto cum trecentis militibus malè armatis penè ad internecionem delet pluſquàm centum & triginta hoſtium millia.

Et ipſe Chriſtus ac David in Pſal. noſtr. orant, *Conſerva me Domine*, id eſt, ſimul ſerva. Ugo Card. *Simul*, ait, *me cum meis ſerva.* Vult amantiſſimus Jeſus ſervos ſuos ſibi in prælio adjunctos, tutos & incolumes præſtari, ut ſimul cum illis triumphet. Orat Patrem Joan. 17. 9. *Non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt, & clarificatus ſum in eis. Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo:* terrore tui nominis, hoſtes effuga, dominium te & partem oſtende: ut impios perſternas, filios tuos adjuves & conſerves.

Secundò, Pes ſiniſter cœleſtis viatoris, per me- 11.
dios hoſtes ad æterna præmia pergentis, eſt humi- Verſ. 1.
litas, quæ terræ infigitur, & mentem firmat, dum 3. Pars.
ſpes deſiderio divinorum elevatur. Poſtquàm di- Humi-
xit David initio Pſalmi, conſerva me Domine, & litas eſt
primam rationem reddidit, quoniam ſperavi in te, pes ſini-
ſecundam attexit in eodem ℣ 1. *DIXI DOMI-* ſter ad
NO, DEUS MEUS ES TU: QUONIAM cœlum
BONORUM MEORUM NON EGES. Con- ducens.
ſerva me, quoniam dixi & profeſſus ſum te Deum meum eſſe: hoc autem dixi, quia vidi te bonorum meorum non indigere: ſive ſermo ſit de bonis fortunæ, ſive de bonis corporis, ſive de bonis animæ. Arabs vertit: *Tu non es indigens operum bonorum meorum.* Deus eſt Saddai, id eſt, ſibi ſufficiens.

Non augetur fons aquâ rivorum à ſe decurrentium, nec Deus bonis creaturarum à ſe dimanantium. Fluxum hunc rerum omnium à Deo, hic oſtendit Syrus, cùm reddit: *Bonum meum à te eſt.* & Chald. *Bonum meum non eſt datum niſi à te:* atque S Hier. *Benè mihi non eſt ſine te:* & velut fonte, ne areſcam, & velut mari, ut in te defluam, tibique intimè uniar: tu es in ore melos, jubilus in corde, in oculis lumen, in manu fortitudo, in toto corpore & animo felicitas ſuprema.

Duos itaque humilitatis greſſus in hemiſtichio 12.
noſtro annotare poſſis. Primò, cognitionem ſu- 2. Sunt
premi dominii Dei, & infinitæ ejus excellentiæ, à humili-
quo omnia pendeant, atq; continuò dimanent, ut tatis
eam revereantur & colant, *Dixi Domino Deus* greſſus.
meus es tu. Tu es אדנ *adon.* Dominus baſis & co- 3. Cog-
lumen rerum, ſine quo in nihilum refluerent. Rad. nitio
אדנ *eden*, baſis, fundamentum, fulcimentum Deo Dei.
orbis terræ immenſa moles, cœlorum latiſſimè fuſa *Deus eſt*
ſpatia, oceani vaſti gurgitem cæteraq; omnia inni- *noſter*
tuntur. Quilibet Chriſtianus ipſi dicat cum Davi- *per per*
de noſtro, *Deus meus es tu.* Primò, meus in crea- *creatio-*
tione, ſine te enim nunquam extitiſſem. Rom. 11. *nem.*
36. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſæcula.* Job. 10. 8. *Manus tuæ fecerunt me.* Alteri hanc curam dare noluiſti, ſed utramque manum in me formando adhibuiſti, & *plaſmaverunt me totum in circuitu:* nihil prorſus eſt quod à te factum non ſit, ad extremos uſq; ungues ſtatuam tuam poliviſti: totum corpus & animam,

mam, ut ait Pineda. Manus intelligit S. Auguſt. ſapientiam & potentiam, illis fecit Deus hominem, & quidem ornatè & politè, ut vox Hebraica עשה *oſa* ſignificat, perficere perfectè, efficere, exornatè facere & accuratè.

Redemptionem. Secundò, Deus eſt noſter per redemptionem, pro nobis ſanguinem fundendo, & ſalutem dando, Iſaias 9.6. *Parvulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus* Euſebius Emiſſenus, aut ut variis placet S.Eucherius hom. 1. id piè amplificat: *Natus eſt*, ait, *nobis qui ſibi erat: datus eſt ergo ex divinitate, natus ex Virgine. Natus qui ſenteret occaſum, datus, qui neſciret exordium. Natus, qui & Matre eſſet junior: datus, quo nec Patre eſſet antiquior. Natus, qui moreretur: datus, ex quo vita naſceretur. Ac ſic qui erat, datus eſt: qui non erat, natus eſt. Illic dominatur: hic humiliatur: ſibi regnat & mihi militat.* Vide S.Aug. ſer. 27. de Tempore, & S.Bern. ſerm. 4. ſuper Miſſus eſt. Principatus autem quem non ut cæteri Reges capite, ſed humero fert, eſt crux in qua fixus regnavit à ligno Deus, ut S.Baſil. & S.Cyrillus exponunt. Illi dic cum Davide Pſ. 3. 8. *Salvum me fac Deus meus.* Si pereo, tibi pereo: & mecum ſanguis tuus perit, quo intinctus ſum.

Sacramenta. Tertiò, noſter eſt Deus, in Sacramentis, ac præſertim in Euchariſtia, ſe nobis tradendo, Pſ. 4.2. *Deus juſtitia mea*, cùm abſolvit à peccatis, Pſ. 72. 26. *Deus cordis mei*, cùm in corpus noſtrum intrat, & in eo manet, Joan. 6. 57. *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Sic & meus fit, & ego illius. Sponſa dicebat Cant. 2. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Eſt faſciculus myrrhæ inter ubera commorans, c. 1. 12. botrus Cypri os ſuavi nectare recreans, ℣. 13. Venit in cor ejus, ut in hortum ſuum, c. 5. 1. Oculos ad ſe rapit & ſecum ducit ad vineas, c. 7. 10. *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus*: brachia ejus fulcit inter ambulandum, c. 8. 5. *Innixa ſuper dilectum*, aures ſuavitate vocis demulcet, cap. 5. 2.

Prudentiam Quartò, Deus noſter eſt, nos regens & gubernans, Pſ 5. 3. *Rex meus & Deus meus.* 1. Dat lumen, Pſ. 17. 29. *Tu illuminas lucernam meam.* Sine te luce, extinguitur lampas etiā virginum: oleo Meſſiæ, i. e. Chriſti ſeu uncti non repleverant fatuæ virgines vaſa, neq; lumine lychnum accenderunt; ideo in nocte tardius ad januam nuptiarum agni pervenerunt, & ad hœdos amandatæ ſunt; adde cum eodem Propheta: *Deus meus illumina tenebras meas.* Te lucente, tenebræ paupertatis & afflictionis meæ fient lux, imo ex caligine peccati exurget fax notitiæ meæ. 2. Juvat Pſ. 17. 3. *Deus meus, adjutor meus.* 3. Obſtantia removet aut perrumpit, ibid. ℣. 30. *In Deo meo tranſgredior murum.* Cùm me in Deum immiſceo, atq; in eo manſero ſimul cum ipſo omnia penetrabo, ut globus æneus & ignitus in tormento bellico poſitus, & Igne undequaq; ſuccinctus. 4. Ungit pugiles ſuos pugnaturos. 2. Cor. 1 21. *Qui unxit nos Deus.* Spontè defluit illud unguentum à barba Aaron in fimbriam veſtimenti & totum Eccleſiæ corpus, ex quo tempore Jeſus è cœlo defluxit in terras, Cant. 1. 2. *Oleum effuſum nomen tuum.* In illis odorem eſt currendum, ut majori in dies amore inardeſcamus. Præcipit Chriſtus, ut hoc oleo faciem noſtram ungamus, Matth. 6. 17. Id fecit Judith in Holofernem pugnatura, Judith 16. 10. *Unxit faciem ſuam unguento*, & uncta victoriam reportavit. Unguentum ſit in capite, Pſ. 132. ℣. 2. in amore cœleſtium, non cadat divinum oleum in terram. Quintò denique Deus noſter erit in Pſ. 72. 26. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Hac de re infrà ℣. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.*

13. Secundus humilitatis greſſus ſeu paſſus eſt, cog-
2. *Cognitio ſui.* noſcere vilitatem noſtram tantam eſſe, præ Dei præſtantia & perfectione infinita, ut noſtris bonis non poſſit creſcere, ℣. eod. 1. *Quoniam bonorum meorum non eges.* Se ſolo enim Deus perfectiſſimus eſt, ſive dominium ejus ſpectes, ſive vim & efficaciam in agendo, ſive ſapientiam in ordinando, ſive aliud quippiam, Primò, Dominus eſt omnium & ab omnibus independens. Eſther Regina pavens ob periculum quod immnebat, ob decretum de occidendis omnibus Judæis, inſtigante Aſſuerum impio Aman, depoſuit veſtes regias, cinere & ſtercore implevit caput, ut coram Deo ſe ſiſteret, ſeque vilem terram profitens, eum unum Regem omnium proclamaret. Sic enim orationem incipit, Eſth. 14. 3. *Domine mi, qui Rex noſter es ſolus, adjuva me ſolitariam.* Ezechias rex Juda acceptis literis Sennacherib regis Aſſyriorum minas intentantis, & exitium parantis ait 4. Reg. 19. 15. *Domine Deus Iſrael, qui ſedens ſuper Cherubim, tu es Deus ſolus Regum omnium terræ.* Et ℣. 19. ait eſſe ſolum Dominum. Sic dicit David Pſalmo 82. 19. *Tu ſolus Altiſſimus in omni terra.* Alia omnia præ illo jacent & concidunt, Pſal. 148. 13. *Et exaltatum eſt nomen ejus ſolius*, Pſalmo 75. 15. *Quis Deus magnus, ſicut Deus noſter.* Dic itaque cum S. Michaele in rebelles Angelos & thronum Dei affectantes, Quis ut Deus? Plutarchus in Iſide & Oſiride ait, fuiſſe fanum Iſidis, in quo hæc inſcripta eſſent: ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον. *Ego ſum omne quod fuit, eſt, & erit.* Author Eccli. hoc celebrat c. 43. 29. *Conſummatio ſermonum, ipſe eſt in omnibus:* hoc eſt, ſicut explicat Tirinus, finis & ſumma verborum ſit, quòd Deus, τὸ πᾶν id eſt, omnia, ſit in omnibus, & omnia ex ipſo, in ipſo, & per ipſum ſubſiſtunt. Eſt, ut habetur in verſiculo Pſalmi noſtri, *Jehova*, per ſe exiſtens, ipſa eſſentia ab omnibus independens, & ſeipſa perfecta & omnibus numeris abſoluta. Secundò, ſe ſolo Deus omnia creavit, nullius egens auxilio, Gen. 1. 3. *Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux;* idem accidit in productione firmamenti, ℣. 6. ſolis, & lunæ ac ſtellarum, verſ. 14. Piſcium & avium, ℣. 20 & animalium, ℣. 24. Evam educit è coſta Adami, ſed dormientis, ne cooperatione ejus Deus egiſſe videretur, c. 2. 21. Hanc ſuam potentiam prædicat Deus, & ad illam contemplandam Jobum excitat, Jobi 38. 4. *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ?* Lege totum caput, ubi plurima Dei opera enarrantur. Omnia verbo abſolvuntur, Eccli. 3. 21. *Magna potentia Dei ſolius.* Et Pſalmo 71. 18. *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Cum aliis facit parva miracula, cooperatur enim nobiſcum in omnibus noſtris operibus. Verè enim dixit Joannis 15. 5. Sine me nihil poteſtis facere: ſive parvum, ſive magnum: & S. Paulus in Areopago concionem habens Athenis, ait Act. 17. 25. *Nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cùm ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia.* Tertiò denique, ſapientiſſimus eſt, ut ſolus omnia à ſe creata gubernet. Eccli. 42. 19. *Cognovit Dominus omnem ſcientiam & inſpexit in ſignum ævi. Non præterit illum omnis cogitatus, & non abſcondit ſe ab eo ullus ſermo. Magnalia ſapientiæ ſuæ decoravit, & non eget alicujus conſilio.* Romanos ad illius ſapientiæ contemplationem atque admirationem impellit Apoſtolus, Rom. 11. 34. *Quis conſiliarius ejus fuit?* Ab eo omnem eſſe petendam ſapientiam, eamque dari affluenter docet S. Jacobus epiſt. 1. ℣. 5.

His greſſibus humilitatis, ſine lapſu viam cœlorum decurremus, & gloriam à nobis obtinebimus. Nam, ut ait Salomon Prov. 15. 33. *Gloriam præcedit humilitas.* Humilitatem gloria ſequitur coronata, ut regina cœleſtis. Socrates ipſe vidit ad gloriam via humilitatis perveniri: dicebat enim teſte Xenophonte l. 1. memorabilium. Οὐκ ἔστι καλλίων ὁδὸς ἐπ᾽ εὐκλείαν. *Non eſt ulla ad gloriam via præſtantior, quam virtuti inſiſtere, & virtutem ſuam occultare.* 14. *Humilitate ad cœlum pervenitur.*

cultare. Frater Pacificus unus è ſociis S. Franciſci vidit in cœlo multas ſedes poſitas, unam cæteris digniorem gemmis ornatam, & omni gloria fulgentem. Audivitque vocem: Sedes iſta unus de Angelicis mentibus fuit, & *nunc humili ſervatur Franciſco.* Statim frater petiit, quid de ſeipſo ſentiret. Ad quem ſanctus: Videor mihi maximus peccatorum: cui Pacificus: Non poſſe, ait, id ſalva conſcientia dicere: tum Franciſcus: Si quantumcunque ſceleratum hominem tanta fuiſſet Deus miſericordia proſecutus, arbitror ſanè quòd multò quàm ego Deo gratior foret, ut refert Tho. Waddingus tom. 1. Annal. Min. pag. 100. Si Benedictus eam humilitatis viam in terris tenuit, unde cùm eſt mortuus, viſa eſt anima ejus per viam lucidam in cœlum aſcendere. Ut eamdem gloriam filii quoque obtinerent, id præcepti poſuit c. 7. regul. ut humilitatem ſectarentur. *Scala,* inquit, *creata, noſtra vita in ſeculo, qua humiliato corde à Domino erigitur ad cœlum. Latera enim hujus ſcalæ, dicimus noſtrum eſſe corpus & animam, in qua latera diverſos gradus humilitatis vel diſciplinæ evocatio divina aſcendendos inſeruit.*

S. Franciſci humilis in cælo thronus ornatiſſimus.

ARTICULUS II.

Mirabiles ſanctos ſuos efficit Deus in omnium voluntatum ſuarum executione.

15. verſ. 2. SPem & humilitatem ſuperiori articulo vidimus eſſe pedes ſanctorum, quibus ad viam cæli percurrendam utuntur. Nunc mirabilem illis fervorem addit David, quo velut dextera in locis difficillimis cautes prehenſent, ut ad Chriſtum in apice montis coronas tenentem evadant, calle ab ipſo monſtrato, & ſanguine ejus intincto, feliciter emenſo. Verſ. 2. *SANCTIS QUI SUNT IN TERRA EJUS, MIRIFICAVIT OMNES VOLUNTATES MEAS IN EIS.* Hebraiſmus eſt: i. e. In ſanctis voluntates meas omnes mirabiles effecit. Loquitur Chriſtus, cujus efficacem omnem voluntatem Pater æternus complevit, & quidem in ſanctis modo mirabili.

Quæres, quænam ſint illæ Chriſti voluntates? Reſpondet Bellarminus intelligi benevolentiam ejus omnem, omniaque ſtudia erga electos, declarando illa tum per Prophetas & varias veteris teſtamenti figuras: tum per Chriſti ipſius & Apoſtolorum miracula: præſertim autem intelligi mirabilem ejus erga ipſos benevolentiam, cum pro iis animam ſuam ponere voluit. Hic ſenſus mihi maximè literalis videtur. Non placet autem quòd arbitratur in textu græco eſſe mundum, cùm habeatur *voluntates ſuas;* idem enim eſt ſenſus, cum ſit una Patris & Filii voluntas. S. Thomas accipit quoque de voluntate patiendi, moriendi & reſurgendi, ut nos vivificaret. Remigius addit, Incarnationem. Thomas Jorgius Anglicus, opera omnia redemptionis: hoc enim maximè appetit Deus ut ſanctitate fulgeamus 1. Theſſal. 4. 3. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* Voluntates varias Chriſti, & quidem mirabiles poſſis contemplari, ut ad perfectam & conſummatam perfectionem ſanctos ſuos perduceret. Primò, quòd cùm eſſet Deus Patri æqualis, nec rapinam arbitraretur eſſe ſe æqualem Deo, tamen ut ait Paulus Philipp. 2. 7. *Semet ipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Secundò, quòd non ex parentibus honore & opum copia præſtantibus naſci voluit, ſed pauper cum pauperibus degere, 2. Cor. 8. 9. *Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt cùm eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis.* Tertiò, quòd cùm illi ob viſionem beatificam deberetur gloria corporis & impaſſibilitas, tamen pro nobis carnem paſſibilem aſſumere voluit, & per continuum miraculum ſic eam conſervare, Hebr. 12. 2. *Aſpicientes in auctorē fidei, & conſummatorē Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.* Quartò, quod pati voluit tanquam reus mortis & ſceleratus Iſaiæ 53. 12. *Et cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit.* Quintò quòd hæc omnia præſtitit, cum inimici eſſemus. Rom. 5. 8. *Commendat charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Alias ejus voluntates etiam mirabiles in ſanctorum conſervatione & gubernatione ſuſpicere poſſis. Cenſet porrò Ugo Cardinalis hic agi de ſanctis, qui adhuc vivunt & in terra militant: Idiota autem, de iis qui in cœlo regnant. Arbitror ad utroſque locum hunc extendi poſſe. Dicitur enim, *Sanctis qui ſunt in terra ejus,* in terra promiſſionis, quæ eſt figura Eccleſiæ militantis & triumphantis. De tota terra etiam potes accipere: Domini enim eſt terra & plenitudo ejus: id eſt, ſancti pleni virtutibus. Pſ. 23. 1.

16. Variæ Chriſti voluntates, quibus ſanctos ad perfectionem ducit.

1.

2.

3.

4.

5.

17. Tropologicè. Tropologicus ſenſus eſt, Deus Pater in ſanctis omnibus voluntates meas mirificavit, efficiendo ut mirabiliter eas exequerentur, per conformitatem & unionem cum illis. De illa conformitate voluntatis noſtræ cum divina ob creationem, redemptionem, & ſanctificationem egi ſatis fusè Pſal. 61. v. 1. in illud: *Nonne Deo ſubjecta erat anima? ab ipſo enim ſalutare meum. Nam & ipſe Deus meus, & ſalutaris meus, ſuſceptor meus.* Et Pſalmo centeſimo quadrageſimo ſecundo, verſ. 10. in ea verba: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Nonnulla hic addam.

18. In ſanctis ſuis exiſtit Deus. Deus in animo, velut regem in throno, collocare debemus, atque ejus ſanctiſſimam voluntatem veluti reginam. Tobias ſenior dicebat filio ſuo, Tob. 4. 6. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Sol ille faciet mentem tuam cœlū & in eo diem continuum, & vitam ſine morte. Hinc Abraham qui coram Deo ambulavit, ab eo illuminatus atque eum videns, moritur *plenus dierum,* Gen. 25. 8. & Iſaac 35. 29 & Jacobum benedicens ait 27. verſu 27. *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit,* in eo exiſtens. Nihil in juſto eſt vacuum & inane Spiritus ſanctus replet totam domum. Act. 2. verſ. 2. & Apoſtoli muſto illo cœleſti pleni erant, verſu 13. cùm eſſent *repleti Spiritu ſancto* verſ. 4. & ſeptem diaconi eliguntur *pleni Spiritu ſancto* Act. 6. 3. & ſpeciatim ſanctus Stephanus dicitur verſ. 5. *plenus fide & Spiritu ſancto,* & verſu 8. *plenus gratiā & fortitudine.* Sed jure nunc poſſimus dicere cum Pharaone admirante Joſephi ſapientiam. Gen. 41. 38. *Num poterimus invenire talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit?*

Imprimenda eſt mens tota Deo, ſicut erat ſigillo regis. S. Bonaventura Proceſſ. 7. Relig. cap. 15 *forma animæ Deus eſt, cui debet imprimi ſicut ſigillo ſignatum.* Alludit ad locum Canticorum 8. 6. ubi Sponſus imperat Sponſæ, *pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* Ut voluntas Dei ſit in nobis interius, & appareat aliis exterius.

19. Eiſque ſuavum ſe præbet. Cùm Deum in te habueris, eique junctus fueris, guſtabis quam ſuavis ſit Dominus. S. Thereſia in itinere perfectionis cap. 28. & 29. docet Deum ſuavum guſtandum eſſe in nobis exiſtentem S. Auguſtinus ait, eum ſe variis in locis quæſiviſſe, & in ſeipſo repeririſſe. Itaque inſipiens eſt, qui extra ſe multo cum labore bona quærit, cùm in ſe habeat bonum omnis boni. Sic autem loquitur ſanctus hic Doctor, tract. de ſpiritu & anima cap. 54. *Quid per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? Ama unum bonum, in quo ſunt omnia bona, & ſufficit: deſidera ſimplex bonum quod eſt omne bonum, & ſatis eſt.* Cùm in te erit fons ille bonorum

omnium,

omnium, re bonis replebit & bonum efficiet. Mercurius Triſmegiſtus c. 11. Pimandræ c. 51. *Intellige quod audacius dico, attamen verius. Sicut abſque vita homo vivere non poteſt: ita nec Deus eſſe poteſt quin bonum efficiat.* Dicit Chriſtus Joan. 5. 17. & patrem ſuum, & ſe ſemper operari. Jugiter autem in ſe operantem Deum patrem & filium atque amorem ſuum producentem, & flores atque aromata virtutum ſpargentem ſentiens, dicit cum Sponſa Cant. 6. 1. *Dilectus meus deſcendit* (per incarnationem, eucharistiam & gratiam) *in hortum ſuum ad areolam aromatum, ut paſcatur in hortis, & lilia colligat. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Ibi Sponſus lævam ponit ſub capite ſponſæ, id eſt, in parte ſuperiori animæ, & dextera ſua totam amplexatur: ibi Sponſa tenet ſponſum, nec dimittit, donec introducat illum in domum matris ſuæ, & in cubiculum genitricis ſuæ cap. 3. 4. id eſt, in domum ſuam, ut ait Tirinus. Vocat autem matris domum, ob honeſtatem, inquit Mariana. Eſt verò domus & cubiculum hoc, ut explicat S. Gregorius Nyſſenus, cor ejus, & mens ejus: S. Ambroſius, internum ſecretum naturæ ejus: alii, centrum cordis ejus, pars ſuperior ac nobilior animæ, ubi reſident virtutes Theologicæ, dona Spiritus ſancti, cæteræque virtutes internæ. Ibi intimam vult fovere cum Deo familiaritatem, & ſpiritnales cum eo nuptias contrahere, illo perpetuò præſente frui, colloquiis ejus paſci, arcana diſcere, & optatis complexibus ſecura gaudere. Deicolus Abbas ſemper ridenti vultu apparebat: cauſam rogatus, ait: *Chriſtum à me tollere non poteſt.* Alia ſunt ſtercora. ſatis eſt, ſi Chriſtum lucrifaciamus, in eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & gaudium hoc nemo tollet à nobis. Adjurat enim filias Jeruſalem per capreas cervoſque camporum. 1. per beatas animas & Angelos, ut ait S. Bernardus 2. per Prophetas, Patriarchas, alioſque ſanctos Eccleſiæ, ut explicat Origenes, ne ſuſcitent aut evigilare faciant dilectam, *quoadusque ipſa velit.* Cant. 2. verſ. 7. In pace, id eſt: in Chriſto, qui eſt pax noſtra Epheſ. 2. 14. & Deus pacis. Rom. 15. 33. pacificans per ſanguinem ſuum, ſive quæ in terris ſenſuum omnium, ſive quæ in cælis ſunt potentiarum animæ. Coloſſ. 1. in hac inquam pace dormit & requieſcit vir cæleſtis ac divinus.

Deicolus ſemper lætus

20\. Operatur Jeſus in anima ſuavi ſomno acquieſcente in ejus providentia, & de ſe non ſollicita, nec quietem turbante erga plurima, cùm videat unum ſibi eſſe neceſſarium, operatur autem ſecundùm propoſitum ſuæ voluntatis: Epheſ. 1. 11. *Operatur Deus omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Propriam voluntatem, ut peſtem virtutum, à ſe removent ſancti, & mittificant in ſe ſolam voluntatem Dei, ea enim ſola cor eorum poſſidere digna eſt. S. Anſelmus lib. de ſimilitudine, cap. 8. *Solus Deus quidquid vult, debet velle propria voluntate, ita ut aliam quam ſequatur non habeat ſupra ſe: Cùm igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem, Deo aufert quaſi coronam ſuam, Sicut enim corona ſoli Regi competit, ſic propria voluntas ſoli Deo.* Qui propriam ſuam voluntatem ſequitur, ſtulto credit unde monet Paulus Epheſios capite 5. epiſtolæ ad eos datæ, verſu 17. *Nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei,* & Coloſſenſes cap. 4. 12. *Ut ſtetis perfecti & pleni in omni volūtate Dei:* illa ſola animam implet, perficit ac ſtabilem facit; ſed vide ut omnem tu ipſe adimpleas, ut penitus implearis, & ſit Deus omnia in omnibus tuis operationibus ac deſideriis. Ut enim ait S. Auguſtinus Soliloq. cap. 30. *Facta eſt anima capax majeſtatis tuæ, ut à te ſolo, & à nullo alio poſſit impleri:* Solùm etiam vir ſanctus id unum curat, ut Deo repleatur, & ejus voluntatem adimpleat, illum enim ſolum amat. Sap. 3. 9. *Fidelis in dilectione acquieſcent illi.* S. Nilus de oratione, ait: *Non ores, ut fiant quæ fieri velis: ſed potius ora, ſicut orare didiciſti, ut fiat voluntas Dei in te.*

In anima ſanctorum operatur Deus.

21\. Hanc Dei voluntatem omnes Sancti in fluctibus mundi verſantes aſpiciunt ut Cynoſuram ſuam, & ad eam aſpicientes curſum in portum dirigunt. Neque hoc tantùm faciunt in fluctibus initio converſionis: ſed longè perfectius, cùm ipſi in cœlo perfectionis verſantur, & in ſtellas mutati ſunt, Dei ad nutum aut lucent nobis, aut in alium orbem recedunt. Job. 9. 7. *Qui præcipit ſoli, & non oritur: & ſtellas claudit ſub ſignaculo.* Sub ſigillo tenebrarum ac nubium, ne lumen earum videatur 1. cœlum eſt veluti theſaurus Dei, clauditur cùm ejus ſplendor terris ſubducitur. 2. cœlum eſt etiam liber, in quo majeſtas, potentia & ſapientia legitur; ſtellæ ſunt ejus characteres auro illuminati, clauditur atque complicatur liber caligine. Tabeſcet, inquit Iſaias 34. 4. omnis militia cœlorum, & complicabuntur ſicut liber cœli. Lucent quoque ſtellæ ei qui fecit illas. Eccli. 43. 10 *Species cœli gloria ſtellarum, mundum illuminans in excelſis Dominus. in verbis Sancti ſtabunt ad judicium, in præcepto Dei ſtant* perſeveranter ad ipſius imperium executioni mandandum, *& non deficient in vigiliis ſuis.* David ab Abſalone filio ſuo expulſus Jeroſolyma civitate ſua regia dicebat 2. Reg. 15. 26. *Si dixerit mihi, non places, præſto ſum: faciat quod bonum eſt coram ſe.* victoriam de hoſtibus obtinuit, & cum gloria in regium ſolium ſubvectus eſt. Cùm Judas Machabæus milites ſuos contra Gorgiam ad pugnam animaſſet, ait. 1. Mach. 3. 60. *Sicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.* Hac vult data teſſeram campum deſcendit *cùm dies factus eſſet,* cap. 4. 6. Semper dies eſt ac lux ei, cui lucet Deus: habebat tantum tria millia virorum, qui tegumenta & gladios non habebant: & vidit caſtra Gentium valida, & loricatos, & equitatum in circuitu eorum: Deo tamen juvāte ſtetit à Juda victoria. Omnibus Chriſtianis præcipitur ut dicant: Matthæi 6. 10. *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra.* Ipſe Chriſtus doloribus graviſſimis paſſionis menti ejus obſervantibus ait Lucæ 22. 42. *Pater, non mea voluntas, ſed tua fiat:* quā vocem meditans S. Leo ſermone 7. de paſſione, ait: *Hæc vox capitis ſalus eſt totius corporis, hæc vox omnes fideles inſtruxit, omnes Confeſſores accendit, omnes Martyres coronavit! Diſcant igitur hanc vocem omnes Eccleſiæ filii, magno pretio redempti, gratis juſtificati, & cum adverſitas violentæ tentationis incubuerit, præſidio potentiſſimæ rationis utantur, ut ſuperato tremore formidinis, accipiant tolerantiā paſſionis.* In eam rem dicit Chriſtus, ſe veniſſe ut faceret voluntatem patris, à quo miſſus erat. Joan. 6. 38. In cœlo non poterat obedire, & ſubjici voluntati patris, cui æqualis erat, deſcendit è cœlo, ut eam impleret. Quod cum delectatione feciſſe ſe teſtatur, cùm eam cibum ſuum vocat. Ibid. cap. 4. 34.

Voluntas Dei eſt aſpicienda, velut ſidus ad portum ducens.

David ſe Dei voluntati conformat.

Judas item Machabæus.

Chriſtus quoque in paſſione.

22\. Sancti faciunt Dei voluntatem, & voluntatis divinæ executio facit ſanctos *ſanctis* qui ſunt in terra ejus (in Eccleſia) mirificavit omnes voluntates meas in eis, hebraica habent, *Sanctis, &c. & inclytis omnis voluntas mea in eis:* Ibi habitat, ibi quietem reperit atque dominatum, ibi gratias ſuas liberè & liberaliter effundit in hoſpitii mercedem. Chald. *Omnis voluntas mea bona in ipſis.* Adimplet lætitia cum vultu ſuo ſe aſpicientem animam, & delectationes ſunt in dextera ejus, vel ut in cornucopiæ, ut illas diſpergat in omnes facultates atque ſenſus, cum ipſe gaudio exundet in tam ſancto domicilio. Syrus vertit, *in quibus tota delectatio mea eſt,* In alio nullo loco delector: quicquid fiat ſi contra Domini voluntatem fit, in ſervo non placet: Sit oportet ſecundùm cor Dei, qui illi acceptus eſſe vult: de Davide ait ipſe Deus 1. Reg. 13. 14. *Inveni* (vix tandem: quærendus eſt, rara eſt avis in

Voluntatis divinæ executio ſanctos efficit ob octo rationes.

terris)

Digitized by Google

tetris) *virum* (robore animi opus eſt) *ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Si vis eſſe ſecundùm cor Dei, fac ejus voluntates, ſed omnes: Saul enim paucas omittens facere, etiam in ſpeciem admodum difficiles, ut patet in eæde Amalecitarum, regno ejectus eſt, ac miſere periit. Vide dicta Pſal. 56. 8. in illud: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.*

1. Enim mores refor-mat. 1. Ad ſanctitatem habendam reformatio neceſſaria eſt, hanc dat deſiderium præſtandi voluntates Dei. S. Paulus id indicat Rom. 12. 2. *Nolite conformari huic ſæculo*, μὴ συσχηματίζεσθε ne configuremini, figura tantùm eſt & apparentia: *ſed reformamini*, μεταμορφοῦσθε, transformamini, ut legit S. Cyprianus, non figuram, ſed formam à Deo prius vobis impreſſam reſumite: quænam porrò illa eſt? ut Deum ipſum ponamus ſignaculum ſuper cor noſtrum & ſuper brachium noſtrum, ut dixi prius: pergit enim Apoſtolus, *ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, ac beneplacens & perfecta.* Hoc eſt, ut exquiratis, & poſt inquiſitionem experientia diſcatis, quid ſit illud quod Deus vult à vobis fieri bonum, quid acceptius & melius, quid verò optimum & perfectiſſimum. S. Chryſoſt. ait, voluntatem bonam eſſe legem veterem: voluntatem beneplacentem, eſſe Evangelium: poſſis dicere accommodatius. 1. Legem naturæ fuiſſe voluntatem bonam. 2. Legem Moyſis beneplacentem. 3. Legem gratiæ perfectam. S. Anſelm. in incipientibus & conjugatis agnoſcit legem bonam in proficientibus & continentibus, beneplacentem: in perfectis & virginibus, perfectam. S. Thomas per ſubjectionem ad Dei voluntatem docet animum noſtrum perfici. 2. 2. q. 81. art. 7. *Per hoc*, inquit, *quòd Deum reveremur & honoramus, mens noſtra ei ſubjicitur, & in hoc ejus perfectio conſiſtit. Quælibet enim res perficitur per hoc quòd ſubditur ſuo ſuperiori, ſicut corpus per hoc quòd vivificatur ab anima, & aër per hoc quòd illuminatur à ſole.*

23. 2. Inordinatas paſſiones tollit. 2. Voluntatis exequendæ deſiderium tollit inordinatas paſſiones. S. Baſilius in regulis brevioribus interrogatione 30. quærit: quomodo amputare poſſimus vitium pravæ concupiſcentiæ? & reſpondet, ἐνδόμυχ διαθέσει τοῦ θελήματος τοῦ θεοῦ *aſſiduo atque flagranti deſiderio explendi Dei voluntatem, talique quale ſe habere judicavit, qui dixit Pſ. 18. Judicia Domini vera, juſtificata in ſemetipſa, deſiderabilia ſuper aurum & argentum pretioſum, & dulciora ſuper mel & favum.*

3. Dat virtutes. 3. Virtutes omnes hoc exercitio acquiruntur, Iſaiæ 48. 17. *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, & gubernans te in via qua ambulas* [non in qua jaces, & quam ut aſperam refugis] *Utinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet juſtitia tua ſicut gurgites maris*, tibi & aliis omnibus ſufficiens, quæ jugibus Dei gratiis, ut fluviis ſeſe continuò infundentibus, augetur.

24. 4. Pacem animæ conciliat. 4. Pax animæ ſumma obtinetur. Job. 22. 21. ait Eliphas Jobo ob dolores maximos conquerenti: *Acquieſce Deo*, R. Moyſes vertit, proſice cum Deo. Tigurina habet, accommoda te Deo: tario id exigit, ut te illi potius quàm ille tibi accommodet per voluntatis conſenſionem: pædagogus eſt, paſtor eſt, pater, Rex, Deus, quid inde ſequetur? *& habeto pacem*: omnis diſciplina, ut ait Paulus Hebr. 12. 11, fructum pacatiſſimum reddit juſtitiæ. Pergit Eliphas mentem ſuam apertius explicare ℣. 22. *Suſcipe ex ore illius legem*, ut ex fonte aquam avida manu accipe, ne patiaris in terram cadere, *& pone ſermones ejus in corde tuo*, non tantùm in fronte cum Phariſæis, qui ut ait S. Hieronymus, membranulas decalogi complicantes, & ligantes in fronte, & quaſi *coronam capiti* facientes, quaſi cuſtodiam & munimentum ſui habebant. Peccator velab aute legem rejicit, ut aſpis non audiens verba incantantis ſapienter: Qui levis eſt corde, ad Deum tamen aſpirat, ſed ſua quærit commoda & adhuc titubat: aurem attentam præbet, ſed in cor non demittit, ubi fructus affert ſuaviſſimos. Additur ℣. 23. & ſeqq. *Si reverſus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, & longe facies iniquitatem* [ut hoſtem omnia diripientem, & ſuccedentem] *à tabernaculo tuo. Dabis pro terra ſilicem, & pro ſilice* torrentes aureos: Primò erit ſilex, & aſperitas: deinde aurum, & quidem potabile & exondans. R. Mardochai vertit, pones ſuper terram aurum, ſuper cor humile charitatem excellentem. *Eritque omnipotens contra hoſtes tuos, & argentum coacervabitur tibi*: etiam divitiæ temporales, quas non coacervabis, ſed quæ tibi ab aliis Deoque ipſo acervabuntur, & adjicientur non cogitanti. *Tunc ſuper omnipotentem deliciis affluet, & elevabis ad eum faciem tuam.* Omnipotens omnes delicias dare poteſt, & in eo poſitum nullus vel unica privare poterit, ſed ſemper læto & hilari vultu oculos in Deum ipſum erectos habebit, nihil præter eum ſpectans, non in terram dejectos, & ad varias cupiditates.

5. Stabilitas in ſuſcepta virtute habetur prima Joannis 2. ℣. 17. *Mundus tranſit, & concupiſcentia ejus: qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* 25. 5. Virtutes perpetuas ſtabilit.

6. Gloria in terra ipſa obtinetur. Iſa 62. 2. Sionem Deus alloquens, i.e. Eccleſiam, ait: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui*, in tutela & protectione, ut ait S. Thomas: eris ſponſa Chriſti, qui te manu tenebit, & te inſtar coronæ ſuæ aſſumet qua exornetur. *Non vocaberis ultra Derelicta: & terra tua non vocabitur amplius Deſolata: ſed vocaberis voluntas mea in ea.* Semper meæ voluntati obediens, eamque alacriter & promptè exequeris, ut Haymo & Ugo explicant. Alia nomina & glorioſiſſima ipſe Chriſtus aſſignat voluntati ſuæ adhærentibus, Matth. 12. ℣ 50. *Quicunque* (ſive dives, ſive pauper, barbarus aut Schyta) *fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* 6. Gloriam largitur

7. Felicitas quædam poſſidetur in mediis afflictionibus. Salvianus lib. 1. de Providentia ait: *Humiles ſunt hoc volunt: pauperes ſunt, paupertate delectantur. Itaque quidquid acciderit iis, quicunque verè Religioſi ſunt beati eſſe dicendi ſunt: quia inter quantumlibet aſpera lætiores ſunt, quàm qui hoc ſunt quod volunt.* 7. Felices facit

8. In cœlum penetrat tantùm is, qui voluntatis divinæ iter init. Matth. 7. ℣. 21. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* 8. In cœlum ducit.

Non qualemcunque perfectionem, ſed mirabilem dat perfecta mentis cum Dei voluntate unio. Arabs in Pſal. noſtro vertit: *Manifeſtavit ſanctis ſuis miracula ſua in terra ſua.* Eſt hoc excellentiſſimum Dei miraculum, ut faciat hominem ſui commodi prorſus oblitum, & Dei unius voluntati addictum in omnibus, ſive proſperis, ſive adverſis. Eccli. 36. ℣. 6. oratio hæc legitur: *Innova ſigna & immuta mirabilia.* Præſentem miſerum ſtatum verte in proſperum: in utroque enim Deus eſt mirabilis, & miracula facit, ſemper tranſit à mirabili ad mirabile: dicit Job Deo cap. 10. 16. *mirabiliter me crucias.* Hebraica habent, *reverſus* (ad me cruciandum) *mirabilis es in me.* Aquila & Theodotio, *mirificaſti in me.* Sic David dicebat Pſalmo 70. 7. *Tanquam prodigium factus ſum multis*, cauſa ſubjicitur, *& tu adjutor fortis.* Rubus ardet Exodi 3. 2. & non comburitur, quia in ejus 26. Conformitas illa cum Dei voluntate dat perfectionem mirabilem.

medio eſt Deus. Mirabilis eſt Deus in ſanctis ſuis, qui igne tribulationis lucent & ardent: ſed non conſumuntur, quia in ejus medio Deum cognoſcunt, ejuſque ſanctæ voluntati mirabiliter acquieſcunt: itaque mira varietate virtutum effulgent. Pſal. 138. ℣. 15. *Subſtantia mea in inferioribus terra*, è throno ad imum dejecta, ſed velut in cœlo arcus mirabilis elucet. Symmach. vertit, [illegible] *variegatus ſum*. Hebraicè, *Acu pictus ſum*. Non tanto fulgore radiaſſet veſtis ſummi Pontificis Judæorum, niſi opere Phrygionico & polymitario ſæpiùs acu puncta & depicta fuiſſet. De Epnod ſive ſuperhumerali habes Exodi 28. ℣. 6. *Facient autem ſuperhumerale* (patientiam fortem & generoſam) *de auro & hyacintho, & purpura coccoque bis tincto* (in proſperis & adverſis) *& byſſo retorta* (non eſſent ſatis fortes martyres, niſi torquerentur) *opere polymito*: opere variorum filorum & liciorum. S. Hieron. dicit, ſuperhumerale ſummi Pontificis fuiſſe contextum ex ſtamine byſſino, & tricolori ſubtegmine, nempe hyacinthino, & purpureo intermixtis filis aureis. Stamen rectum eſt, & byſſo candida fit, eſtque proſperitatis jucundæ ſymbolum: ſubtegmen ponitur in tranſverſum, & cum ſtamine crucem efficit, cujus altitudo per ſpem eſt hyacinthini & cœleſtis coloris: latitudo, coccinei bis tincti, per fidem utroque teſtamento firmatam: profunditas, purpurei, per charitatem cordi hærentem & de Deo cogitantem, intermixtis filis aureis per charitatem proximi: additur ℣. 7. *Duas oras junctas habebit in utroque latere ſummitatum, ut in unum redeant.* In uno Deo conjungi debent proſpera, quæ cor noſtrum & pectus exhilarant, & adverſa quæ dorſum onerant. Voluntas Dei eſt lapis ille onychinus oras conjungens, & non minus in una parte, quàm in altera effulgens. Eccli. 2. 3. Conjungere Deo, & ſuſtine: ut creſcat in noviſſimo vita tua. Alia verſio habet, *conglutinare Deo*. Unio illa debet eſſe maxima. Hinc tot catenulæ aureæ & uncini aure, ut jungant rationale ſuperhumerali: id eſt, Jeſum qui eſt ſapientia æterna, homini cujus eſt acerba pati, & fortiter ſuſtinere.

Perfectionem omnimodam conſiſtere in executione divinæ voluntatis edocet Epictetus 1. diſſert. cap. 20. [illegible] inquit, [illegible] *Summa omnis precepti eſt. Deos ſequi*. Exodi 32. 34. velut magnum populo ſuo beneficium pollicetur, ac præſertim Moyſi. *Angelus meus præcedet te*, & cap. 33. ℣ 14 *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi*: in facie Dei & continuo ejus aſpectu eſt vera mentis requies: cùm Deus familiariter cum amicis ſuis verſatur, & gratiæ radios diſpergit: Moyſes id maximè à Deo confirmari iterum orat ℣. 15. *Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto. In quo enim ſcire poterimus ego & populus tuus invenisse nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaveris nobiſcum, ut glorificemur ab omnibus populis qui habitant ſuper terram.* Gloria magna eſt ſequi Dominum. Eccli. 23. 18. S Thereſia in caſtello animæ dicit, eum qui in oratione ſe exercet, debere omnibus viribus eniti, ut voluntatem ſuam divinæ conformem reddat: ſibique perſuadeat in eo exercitio conſiſtere ſummam perfectionem quam comparare nobis poſſimus. Stephana Soncinas Ord. S. Dominici, cœlum in extaſi ingreſſa, vidit aliquas animas ſibi notas choro Seraphinorum immixtas: cùm cauſam tam excellentis gloriæ inquireret, accepit id illis accidiſſe ob excellentem conformationem & unionem voluntatis ſuæ cum divina, dum in terris ageret.

S. Thereſia ſapiens monitum.

27. Sancti

Gloria hæc eſt omnibus ſanctis ejus, ſi velint: Author Eccleſiaſti ſanctos vocat viros glorioſos cap. 44. 1. *Laudemus viros glorioſos & parentes noſtros in generatione ſua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia ſua à ſæculo.* Hanc autem gloriam iis conceſſam ob conjunctionem voluntatis ſuæ cum divina declarat in variis. 1. In Abrahamo quidem ℣. 20. *Non eſt inventus ſimilis illi in gloria*, ratio ſtatim attexitur, *Qui conſervavit legem Excelſi.* Nam alioqui Salomon & omnes Reges tam Juda quàm Iſrael ipſum ſplendore gloriæ longè ſuperaverunt, cùm ipſe fide demoratus ſit in terra repromiſſionis, tanquam in aliena, in caſulis habitando, cùm Iſaac & Jacob cohæredibus repromiſſionis ejuſdem, ut Paulus ait Hebr. 11. 9.

ſtudioſè conformarunt voluntatem ſuam divinæ.

Primò, Abraham.

2. In Moyſe eluxit illa gloria. Eccli. 45. 2. *Similem illum fecit in gloria ſanctorum.* Eum enim glorificavit in conſpectu Regum, & populi, & ſæpius oſtendit illi gloriam ſuam, unde & vultus ejus radios emittebat, quos velo obtexit, ut intentiores etiam eſſent, & ſibi prodeſſent.

Secundò, Moyſes.

3. De Aarone Moyſis fratre & ſummo Judæorum Pontifice habetur ibidem ℣. 8. *Beatificavit illum gloria, & circumcinxit eum zona gloriæ*, eum ex omni parte cingens gloria, *& induit eum ſtolam gloriæ* (rationis, id eſt, ſapientia & cordis puritate) ratio adjungitur ad rem noſtram aptiſſima. *& coronavit eum in vaſis virtutis.* Virtus eſt cauſa gloriæ, & facit alumnos vaſa gloriæ, & vaſa in honorem, continentia gemmas cœleſtes, quæ etiam in nocte luceant. Verſu 14. additur, *Corona aurea ſuper mitram ejus expreſſa* (ſignata, inſculpta, *ſigno ſanctitatis* (ex ea autem ſequitur ſplendor) Habe ſignum ſeu ſigillum ſanctitatis: ſanctitas in te non tranſiens, ſed habitualis & altè impreſſa, atque in capite tuo gloria emicabit (*opus virtutis, & deſideria oculorum ornata*,) id eſt, ornamentum ad ſe ſuo decore oculos contuentium mirum in modum recreans, & ad ſe ſpectandum alliciens. Habe opus virtutis, virtutem operare, atque omnium ad te oculos & admirationem convertes. Gloria illa non ad breve tempus datur, ſed in æternum manet. Verſu 19. *Factum eſt illi in teſtamentum æternum, & ſemen ejus ſicut dies cæli.* Qui ſunt ſupra nubes, & non obſcurantur: ſed ſemper fulgent, & tonitrua ac fulmina non patiuntur, *Fungi ſacerdotio, & habere laudem* (ut ipſe laudet Deum, & ab hominibus laudetur) *& glorificare populum ſuum in nomine ejus.* Prælatus ita plenus ſit Dei gloria, ut eam ore in populum effundat ex corde ſuo, velut ex cœlo, in quo habitat Deus. Glorificare ibi pro benedicere ponitur. Magna gloria eſt, in nomine Jeſu benedictionem dare, & percipere.

Tertiò, Aaron.

4. Timor Dei & zelus in occidendo Zambri, peccante cum Madianitide, reddit Phinees glorioſum, eod. cap. 45. Eccli. ℣. 28. *Phinees filius Eleazari tertius in gloria eſt:* cauſa profertur, *imitando eum in timore Domini.*

Quartò, Phinees.

5. Joſue laudatur his verbis capite 46. Fortis fuit in bello Jeſus Nave, ſucceſſor Moyſi in Prophetis, qui fuit magnus ſecundùm nomen ſuum (Jeſus enim ſive Joſue ſignificat Salvatorem) maximus fuit in ſalutem electorum Dei, ut expugnaret inſurgentes hoſtes in deſerto & Chananitide, & conſequeretur hæreditatem Iſrael. In iracundia ejus impeditus eſt ſol, & una dies facta eſt quaſi duo (fuit horarum triginta ſex) audivit illum magnus & ſanctus Deus in ſaxis grandinis in deſcenſu Beth-horon (in humilitate cordis candidi, id eſt innocentis: Beth-horon ſignificat domum candidam: vel domum Principis) non longè ab urbe Gabaon, quæ vox collem ſignificat, & eſt typus ſuperbiæ. Unde porrò hæc victoria aliæque innumeræ illuſtrem Joſue

Quintò, Joſue.

Digitized by Google

ſuc reddiderunt. Sequitur ℣. 8. *Secutus à tergo potentis.* Deum præeuntem ſequebatur, ejus voluntati obtemperabat: Deus prædux ante illum pergebat, vaſtumq; limitem agebat: Joſue verò ejus placitis inſiſtens, victoriam incruentam reportabat.

Sextò, Caleb. 6. In Caleb ratio illa apertius declaratur ℣. 11. & 12. *Et dedit Domiaas ipſi Caleb fortitudinem, & uſque in ſenectutem permanſit illi virtus, ut aſcenderet in excelſum terræ locum, & ſemen ipſius obtineret hæreditatem, ut viderent omnes filii Iſrael, quia bonum eſt obſequi ſancto Deo*, & ſanctificanti, non autem fallaci mundo, & carni impuræ. Caleb & Joſue regreſſi ab exploratione Chananitidis pro poteſtate impulerunt populum, ut aſcenderent ad terram illam promiſſam poſſidendam, neque vellent eſſe rebelles contra Dominum. Numer. 14. 9. *Dominus eſt, nolite metuere.* Tantum id curate, ut cum Deo maneatis, & ejus voluntati hæreatis, & vobiſcum erit omne præſidium.

Septimò David. 7. David fuit vir ſecundùm cor Dei, 1. Reg. 13. 14. qui ponebat legem *in medio* cordis ſui. Pſ. 39. 9. ut tanquam Sol omnibus actionibus lucem diffunderet. Non eſt ejicienda Dei voluntas in angulum, ut tuæ prius obſequatis; Davidi autem, ut dicitur Eccli. 47. 13. *dedit Deus teſtamentum regni* (pactum regni in ejus familia duraturi) *& ſedem gloriæ in Iſrael.* De illo itaque verum fuit, *Mortificavit omnes voluntates*, &c.

Octavò, Joſias. 8. Joſia rege Juda piiſſimo dicitur 4. Reg. 23. 3. *Fœdus percuſſit coram Domino* (coram altari, quod Deum repræſentabat, & in quo Deus colebatur) *ut ambularent poſt Dominum, & cuſtodirent præcepta ejus, & teſtimonia, & ceremonias, in omni corde, & in tota anima.* Per vias rectas eum ſequendo, & obliquas ac bifurcatas evitando. Inde accidit, quod refertur Eccli. 49. 1. *Memoria Joſiæ in compoſitionem odoris, facta opus pigmentarii.* Eſt velut jucundiſſimus & ſuaviſſimus odor, qui oritur ex aromatum ſuave fragantium mixtione, quales mixtiones facere ſoliti ſunt pharmacopœi induſtrii, ibid. ſubditur ℣. 4. *Gubernavit ad Dominum cor ſuum*, currens eum Sponſa in odorem unguentorum ejus. Cant. 1. 3. unde ita impletur, ut dicatur cap. 4. 10. odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.

Nonò, Simon. 9. De Simone (ſi ſignificat obedientem) filio Oniæ, id eſt, fortitudinis Dei, legimus Eccli. 50. 6. *Quaſi ſtella in medio nebulæ* (etiam in afflictione) *& quaſi luna plena* (nihil inanis gloriæ eſt in ſanctis) *in diebus ſuis lucet: & quaſi ſol refulgens, ſic ille effulget in templo Dei*, ibi eſt fulgor ſanctorum. Comparatur etiam arcui cœleſti, roſæ, lilio, thuri, igni, olivæ, & cupreſſo.

28. *In omnibus rebus habenda eſt conformitas cum voluntate Dei.* In omnibus rebus eſt habenda conformitas cum Dei voluntate. *Sanctis qui ſaat in terra ejus mirificavit omnes volaatates meas in eis.* Dicendum eſt cum S. Paulo Act. 9. 6. *Domine quid me vis facere?* Si nihil tibi reſervaveris quod pro Deo nolis facere, fies vas electionis & omnia per te efficiet Deus ac maxima. Eccli. 43. 17. *In voluntate Dei aſpirabit Notus.* Anima Dei calore ardens, ac præſertim concionator Spiritûs S. vento hortum Eccleſiæ afflans & ardore fœcundans: vel, gratia Dei ibi ſpirat, ubi videt mentem paratam ad obſequendum Deo.

Geneſis 12. 1. dicit Deus Abrahamo: Egredere de terra & de cognatione tua, & de domo Patris tui. Dicere poterat Abraham, quo me vis pergere; hoc non declarat Deus, ſed dicit tantùm, *Veni in terram quam monſtrabo tibi.* Vult eum eſſe paratum pergere ad omnem locum: non vult affectu ipſum hærere ulli terræ, ſed à nutu Domini ſui pendere: addit illius abnegationis fructum. Verſu 2. Faciamq; te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur univerſæ cognationes terræ. Hæc bona orta ſunt à perfecta voluntatis ſuæ abnegatione. Id præſertim mirabile extitit, cùm extento brachio ſtrictum tenebat gladium, ut Iſaacum filium ſuum immolaret. Tum enim Geneſis 22. Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens, Abraham, Abraham. Qui reſpondit, *Adſum*, quod dicitur. Si vis, paratus ſum vel proprium filium occidere: ſi jubes, ad omnia exequenda promptus adſto: Ideo benedicitur ℣. 16. & promittitur illi ſemen, ſicut ſtellæ cœli: & ſicut arena, quæ eſt in littore maris.

1. Reg. 3. 10. ait Samuel vocanti Deo: *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* Tunc ei loquitur Deus, & ſuam aperit voluntatem, cùm illis temporibus pretioſus & rarus eſſet ſermo Dei, nec viſio manifeſta. Poſtea crevit Samuel, & Dominus fuit cum eo, nec cecidit ex omnibus ejus verbis in terram. Ad hanc Dei revelationem ſe diſpoſuit, cùm ter vocatus, dixit ſemper, *Ecce ego*, & quarta vice ſecundùm Heli Pontificis mandatum, ait: *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus, quod dicitur*, Servus ſum, quæcunq; dicere placuerit audiam & exequar. Ecce ego ad omnia paratus advolo. Heli à Deo monitus per Samuelem, dixit ℣. 18. *Dominus eſt: quod bonum eſt in oculis ſuis faciat:* ſed non dixit, quod bonum eſt in oculis ejus faciam: itaq; non compreſſit impietatem filiorum ſuorum Ophni & Phinees; ideo victi ſunt à Philiſtæis & occiſi, exercitus univerſus victus & fugatus eſt, cæſis primo prælio quaſi quatuor millibus virorum, ſecundo autem triginta millibus, arca capta: uxor Phinees in partu exanimata interiit, ipſe H[illegible] audito triſti nuncio, *cecidit de ſella retrorſum juxta oſtium, & fractis cervicibus mortuus eſt.* Non eſt ſecutus Dominum & ejus voluntatem, propterea abiit retrorſum, & vitam amiſit, tot cladibus domeſticis & publicis acceptis. Si vis perfectè ad Deum converti, dic, ut monui, cum Paulo, Actor. 9. 6. Domine quid me vis facere? tunc ſurges & ingredieris civitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere, reperies *Ananiam*, id eſt, gratiam Dei, & miſericordiam: vel, reſponſionem Dei: vel oculum Dei: cadent ſquamæ peccatorum & ignorantiæ ab oculis, & viſum recipies perfectè converſus ad Deum: Hæc enim eſt perfecta converſio; ad Dei unius voluntatem converti, & eam aſpicere. S. Bernard. ſerm. 1. de Converſione S. Pauli: *Hæc planè fratres*, inquit, *perfectæ converſionis eſt forma. Paratum, inquit, cor meum Deus, paratum cor meum. Domine, quid me vis facere? O verbum breve, ſed plenum, ſed efficax, ſed dignum omni acceptione. Heu plures habemus Evangelici illius cæci, quàm novi Apoſtoli imitatores. Quid vis (ait Dominus ad cæcum illum) ut faciam tibi? Abſit hoc Domine: tu magis dic, quid me vis facere? Sic enim decet, ſic omnino dignum eſt, non meam à te, ſed à me tuam quæri & fieri voluntatem. Sic profectò, ſic multorum uſque hodie puſillanimitas & perverſitas exigit, ut ab eo quæri oporteat: quid vis ut faciam tibi? non ipſi quærant: Domine, quid me vis facere.* Hæc Bernard.

29. *Voluntatem ſuam cum divina conformat Maria Bagneſia.* Maria Bagneſia in graviſſimis doloribus & afflictionibus per annos quadraginta quinque perpeſſis, id unum dicebat: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis Pater.* Nerea Tolomei nunquam à Deo ſanitatem poſtulare voluit, licèt dolores tanti eſſent & tam intolerabilis morbus, ut ab omnibus deſereretur: ipſa autem corde in Deum unum intento dicebat: Hîc ure, hîc ſeca, ut in æternum parcas. Margarethæ Sommaſiæ ſorores compatiebantur in ſummis

neſia N rea Tolomei Margareta Sommaſia.

ſummis morbi cruciatibus, ipſa autem dicebat, libenti ſe animo in infirmitatibus illis permanſuram uſque ad diem judicii, ſi ita Deo viſum eſſet. Cùm S. Catharina Senenſis mortem ſuam prædixiſſet, urgereturque ut vitæ prolongationem poſtularet, reſpondit: *voluntatem Sponſi ſui ſuam eſſe voluntatem.*

B. Edmundus Campianus, Societatis Jeſu martyr in Anglia ſcripſit Patri Saleſio ejuſdem Societatis poſtea martyri in Francia. *Si vel cantibus aleudu fænerari poſſim Domino meo, quis ſum aut qua eſt domus patris mei ut recuſem?* Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrũ. Pſal. 22. v. 2. Non oculi tantùm noſtri ſint ad Deum, ſed Deum totum ad nos trahamus, eoque induamur, ut in eum transformemur. Iſaiæ 61. v. 10. *induit me veſtimentis ſalutis,* Alio verſio habet, *Induit me veſtimentum Jeſum.* A capite ad pedes uſque, ab initio vitæ uſque ad finẽ unum Deum induamur, ejus unius providentiam ſequamur & amemus. Nemeſius tract. de natura hominis ſic divinam providentiam definit: *Providentia eſt Dei voluntas, per quam omnia quæ ſiunt aptè gubernantur.*

S. Catharina Senenſis.

B Campianus.

In omnibus actionibus ſequendam eſſe Dei voluntatem fusè docet S. Chryſoſtomus homilia 2. in Judæos, to. 1. & ſerm. 53: ſic ait: *Omnia quæ contra Dei voluntatem fiunt, licèt ſint ſacrificia & jejunia,* [illegible] *Omnium ſunt ſceleſtiſſima atque impuriſſima.* Samuel 1. Reg. 15. v. 20. Quare non audiſti vocem Domini, ſed ad prædam verſus es, feciſti malum *in oculis* Domini. In oculis Dei peccat, velut ejus pupillam tangens, qui voluntatem ejus non facit. Cùmque Saul excuſaret, reſervatam ſe prædam ex Amalec ad ſacrificia, ſubjecit Samuel v. 22. *Numquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia quàm victima auſcultare magis quàm offerre adipem arietum Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.* Sanctus Pachomius in monitis tom. 4. bibliothecæ Patrum pagina 37. ait *Omnium malorum peſſimum* eſſe legi Dei reſiſtere, & acquieſcere propriæ voluntati. S. Antonius propriam voluntatem vocat ebrietatem. Sic enim loquitur epiſtola 5. ad fratres ſuos Arſenoitas, *Verè, filioli, animum meum phantaſma patitur, & ſpiritus meus in pavore conſiſtit, quòd univerſi nos velut gurgite immerſi ſumus, & velut ebrii muſto conſiſtimus, cum unus quiſque noſtrum propria diſtrahitur voluntate.* S. Laurentius Juſtinianus tract. de ligno vitæ, ſectione de obedientia dicit, Nihil gravius premere, quàm propriam voluntatem.

Imitemur Zorobabelem, qui templum à Chaldæis combuſtum reſtauravit: de illo habetur Eccleſiaſtici 49. v. 13. *ipſe quaſi ſignum in dextera manu,* Dei ipſius: eſt inſtar annuli ſignatorii Principis imagine inſcripti & impreſſi, quique ad omnem manus ejus motum movetur ad quamlibet partem Sic nobis dicet Deus, quod ait Zorobabeli, Aggæi 2. v. 24. *aſſumam te Zorobabel, fili Salathiel ſerve meus, & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi.* Eris inter electos, ſi Dei voluntati hæſeris. Annulus ſignatorius & hæret digito, & illum exornat. Chaldæus vertit: *Ponam te ſicut ſculpturam annuli ſuper manum*: te conſervare cupiens, & per te mea imagine alios inſignire.

ARTICULUS III.

Ad Deum ire compellit tribulatio.

30.
Verſ. 3.
1. Pars.

MUlta ſunt, quæ in via Dei ambulantes ad otium & ſomnum atque inutilem temporis jacturam invitent ut nox incautos occupet prius, quam ad lucis civitatem veniant. Hinc mundus laqueos, indè floreos campos ſed fœneos oſtentat caro, in quibus odore & mollitie retinearis; paſſim obvios muſicæ faſcinantis choros objicit mundus quibus illudat: ſed à tergo inſtans & inſonans tribulatio gradum urget, atque ad arcem citò fugere vanis omiſſis compellit. V. 3. *MULTIPLICATÆ SUNT INFIRMITATES EORUM, POSTEA ACCELERAVERUNT.* Loquitur de ſanctis, de quibus fuit verſu præcedens, quaſi diceret, Tum maximè ſancti voluntates meas exequuntur & bene voluntatem meam erga ſe admirantur, cùm infirmitates ſentiunt: tunc enim clarè advertunt virium ſuarũ imbecillitatem & hoſtium robur. Per *infirmitates* itaque intelligo opum jacturam, morbos, dedecora, aliaque his ſimilia. Secundò, Bellarminus explicat de pœnitentibus peccatoribus. Antea, inquit, infirmiſſimi erant, multiplicatis peccatis uſque ad ſummum: ſed poſtea ſancti per gratiam fortes effecti ſunt, & ideò exultarunt ad currendam viam. Hoc apparuit in principio Eccleſiæ, quando converſi homines ab idololatria, ad martyria feſtinabant. Tertiò, Janſenius exponit de impiis hominibus, qui nec nomine quidem digni ſunt, qui Deo vero relicto multiplicaverunt ſibi idola infirma, in quibus confidentes omni deſtituuntur vera animi fortitudine: & deinde ad ea colenda æſtuanti deſiderio properarunt, nihil quantumvis grave eorum gratia facere detrectantes. Favet huic explicationi ſanctus Hieronymus, cùm vertit: *Multiplicabunt idola eorum poſt tergum ſequentium.* Vertere poſſis hebraica ut nunc leguntur. *Multiplicentur dolores eorum, qui ad alterum Deum feſtinaverunt.*

Senſus primus, & optimus hujus loci.

Secundus ſenſus.

& Tertius.

31.
Peccata ſunt infirmitates.

Senſus primus magis arridet: & Septuaginta interpretibus ut peritioribus & meliores codices nactis, hærendum eſt. Peccata quidem & idola dici poſſunt infirmitates. Nam ut ait S. Chryſoſtomus in illud Iſaiæ vidi Dominum [illegible] *Nihil infirmius eſt eo, qui leges divinas transgreditur.* & Theodorus Abucara tractatu de quinque hoſtibus ait: *Si peccatum in animam venerit:* [illegible] *infirmam eam & ſine viribus facit.* Sed non eſt hic neceſſe abire à communi ſignificatione vocum. Etenim infirmitates, id eſt, morbi, calamitatesque ad curſum nos maximè incitant. S. Gregorius hoc breviter declarat: *Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.* Non invitant ſolum, ſed cogunt. S. Bernardus ſermone trigeſimo octavo ex parvis, locum Pſalmi noſtri applicat iis, qui tantùm in lethali morbo cogitant de ſalute, eoſque jure reprehendit his verbis: *Quomodo ſub unius horæ articulo revocari poſſe æſtimant omnia animæ membra, cujus concupiſcentia & deſideria per totum mundum ſparſa ſunt, & ubique terrarum velut quodam viſco tenentur.* Statim ut te tangit infirmitas, ad animæ medicum accelera.

Multiplicantur infirmitates in hac vita, quæ penè tota eſt infirmitas continuata. Homo dicitur ab Hebræis *enos*, id eſt, ægrotus, infirmus. Vita appellatur à Davide Pſalmo ſeptuageſimo ſexto, verſu ſecundo, dies tribulationis, ut explicat Beda: ne reges quidem ærumnis carent. In antiquo epitaphio Ludovici quarti Regis Francorum, ſepulti in æde S. Remigii hujus urbis Rhemenſis, legitur.

32.
Vita hæc repleta eſt infirmitatibus.

Si quantis regum ſit ſubdita vita periclis,
Noſſent qui cupiunt regna vel imperia,
Sceptra pili fierent.

Hoc eſt, tot in ſceptris reperies pericula, quot ſunt pili in capite: vel, pluris non faceres omnia mundi ſceptra & regna, quam capitis pilum. Alii

non

non ſunt immunes, & vix ullus dies abit ſine moleſtia. Eccli. 45. 17. *Sacrificia Aaronis conſumpta ſunt igne quotidie.* Aaron montanum ſignificat, & hominem figurat, ſive dignitate, ſive virtute excelſum. Deus voluit in ſuo altari holocauſtorum ſemper ignem ardere, non fiet in te verum Dei holocauſtum ſine igne continuo. Vix quicquam ſine difficultate obtinetur: Aurum è mineris extrahitur ligonum ictibus, extractum verò excoquitur ignibus & purgatur: granum è palea flagello excutitur, & in vanno adhuc prius agitatur, quàm reponatur in granario: è plantis aqua exprimitur pyramide ſublimatoria, ac difficilius etiam ſingularum rerum eſſentiæ. Nulla nux eſt ſine duro cortice, quo integitur: nulla margarita ſine concha: roſæ in mediis ſpinis quæruntur. Simon Filius Oniæ Pontificis dicitur Eccli. 50. 8. fuiſſe *quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ* (ab ipſa nube oritur gloria, ſine illa enim non oriretur Iris tot coloribus variegata & admirabilis) *& quaſi flos roſarum in diebus vernis, & quaſi lilia quæ ſunt in tranſitu aquæ* (calamitatis inſonantis, ſed tranſeuntis & fœcundantis) *& quaſi thus redolens in diebus æſtatis* (in ardore perſecutionis) *quaſi ignis effulgens, & thus ardens in igne.* Quò gravior erit afflictio, eò celerior aſcendet oratio, & erit Deo & proximo magis in odorem ſuavitatis ſanctorum operatio. Ignis ſi quid erat impuritatis admixtum, auſert. Eccli. 36. 11. *In ira flammæ devoretur qui ſalvatur.* Auri ſcoriam tollit, & facit vas in honorem. Nunquam deeſt juſto afflictio, ex omni parte illa circumdatur, ibid. cap. 42 ℣. 25. *Plantavit in abyſſo Dominus inſulas:* ſtabiles, munitas, amœnas & fœcundas animas ſanctorum in aquis amaris tribulationum.

Omnia emuntur labore.

33. Verſ. 3. 2. Pars. In mediis infirmitatibus & afflictionibus ad Deū eſt feſtinandum.

Inter medias infirmitates eſt accelerandum, ut citius ab iis te expedias. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, *poſtea acceleraverunt*: Ariſto Sicyonios vocabat ſanitatem *antiquiſſimam dearum*, cum ea florere omnia ac renidere ver gratiarum, abſque ea neminem eſſe felicem. Ariſtotel. lib. 1. Moralium ad Eudemum, ait: In veſtibulo templi Apollinis in Delo ſcriptum eſſe. Eidem non adſunt omnia, honeſtas, bonitas, atque jucunditas: honeſtiſſimum eſt quod juſtiſſimum, *optimum bene valere*, jucundiſſimum potiri eò quòd quis amat. Morbi contrarii ſunt naturæ, ad ſanitatis fontem Deum currendum eſt. Si enim lingua ſapientis ſanitas eſt. Prov. 12. 18. Si multitudo ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum. Sap. 6. 26. quid erit Deus, qui *dat ſanitatem & vitam.* Eccli. 34. 20. Jeſus ab aliquibus dicitur ab ἰάεσθαι, ſanare. Eſt verus medicus, honorandus propter neceſſitatem, qui *unctiones conficit ſanitatis*, cap. 38. ℣. 7. ibid. Eſt enim Chriſtus, id eſt, unctus & unguens. Sol vocatur ob lucem & vivificum calorem. Malachiæ 4. 2. *& ſanitas in pennis ejus.* Eſt lignum vitæ plantatum ſecus decurſus aquarum in civitate cœleſti, *& folia ejus ad ſanitatem gentium.* Apocal. 22. 2. folia ſunt verba: fructus, actiones: *Verba vitæ æternæ* habet Chriſtus, ut ait Petrus Joan. 6. 69. Unde & ſapienter concluſit, ab eo non eſſe diſcedendum: vel verbulo ſanat ſervum Centurionis, *dic tantum verbo & ſanabitur.* Matthæi 8. ℣. 8. filium Reguli, ad cujus domum deſcendere noluit, ſanavit ne verbo quidem prolato ſed ſola voluntate, Joan. 4. ℣. 50. & ſeqq.

34. Accelerandum eſt in via cœleſti, ob tres rationes.

Accelerandum eſt, Primò, quia hoſtis inſtat. Seneca in epiſt. *Properares Lucilli chariſſime, & cogita quantum adductus celeritate fuiſſes, ſi à tergo hoſtis inſtaret, ſi equitem adventurum ſuſpicareris, ac fugientium premi veſtigia: ſic hic premeris, accelera, evade.* Secundò, præmium magnum propoſitum eſt in hac vita currentibus: currendum eſt ut illud accipiamus. 1. Cor. 9. 24. *Sic currite ut comprehendatis*: perſeverantia in curſu requiritur: ait Paulus Galatis c. 5. 7. *Currebatis bene: quis vos impedivit veritati non obedire?* Et de ſeipſo dicit Philipp. 2. 16. *Non in vanum cucurri.* Sicut in aere funambuli, qui ſæpè repentino lapſu cervices ſibi frangunt in terra: non in morem Tantali ad fugaces aquas accurri: non inſequor ignes fatuos honorum, qui inſequentes deludunt, & ſemper antevectunt: non peto inſulas fluitantes, quas quo celerius aſſectari cupis, eò magis recedunt: ſed ad ſolidam beatorum terram contendo, ubi fixa, ſolida & æterna manent præmia, & uno accepto exurgunt ſemper nova. 1. Cor. 9. 26. *Sic curro, non quaſi in incertum*: veluti pugnantes Andabatæ in tenebris, aut cæci in media luce, ait Sponſa Sponſo ſuo Canticor. 1. 3. *Poſt te curremus.* Tu es Sol & Gigas, qui exultas ad currendam viam tuam Pſal. 18. 6. qui venis ſaliens in montibus & tranſiliens colles, Canticor. 2. 8. ad te ut veniam teque aſſequar currendum eſt, Joan. 20. 4. de S. Petro & S Joanne ad reſurgentis Chriſti ſepulchrum euntibus dicitur, *currebant duo ſimul.* Vires ipſe ſufficit. Iſaiæ 40. 31. *Current, & non laborabunt.* Piger verò laborat, quia non currit: motus parit calorem Spiritûs ſancti, qui vivificat & ardentem portat: & facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis: non laborat flamma cùm currit, ſed cùm à curſu & aſcenſu ſuo impeditur. Prov. 4. 12. *Currens non habebis offendiculum.* Disjicies enim ipſo impetu ſeſe obtrudentes. Piger dicit, *leo eſt foris*, ibid c. 22. 13. *leo eſt in via.* c. 26. 13. juſtus autem *quaſi leo confidens*, ca. 28. 1. Non tantùm eſt leo, ſed eſt confidens: alioquin, ut ait Eccleſiaſtes c. 9. 4. *Melior canis vivus leone mortuo*, i. e. melior eſt peccator pœnitens & fervens, quàm juſtus languidus & ſtertẽs.

Imitandus eſt Paulus, ad ulteriora ſemper ſe extendens, & jam parta pro nihilo reputans. Philipp. 3. 13. & ſeqq. *Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus ſim: ſequor autem ſi quomodo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Jeſu. Fratres ego me non arbitror comprehendiſſe: Unum autem, quæ retrò ſunt obliviſcens, ad ea vero quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor.* Syrus vertit decurro ad metam. Tertull. li. de reſurrect. carn. c. 23. *ſecundùm ſcopum.* S Cyprian. ſive author. de ſingular. cleric. *ad regulam ſequor.* Caſſian. Collat. 1. cap. 5. *ſecundùm deſtinationem.* Pergit autem Apoſtolus, & oſtendit quid expectet ubi ad metam & ſcopum pervenerit, *ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.* Quale ſit illud bravium declarat S Chryſoſtom. in illum locum: *Quodnam bravium eſt? Non ramus palmæ. Sed quid? Regnum cœlorum, requies ſempiterna gloria cum Chriſto, hæreditas, fraternitas, innumerabilia bona, quæ verbis exponi non poſſunt. Palmæ illius pulchritudinem explicare nefas eſt: ſolus ille novit, qui obtinet, & quid accepturus eſt: non eſt aurum, non ex lapidibus conſtat, multò iſtis eſt pretioſius. Aurum præ illo lutum eſt, lapides pretioſi præ illa pulchritudine lateres ſunt.* Regnum eſt, & regnum paratum à conſtitutione mundi, quòd à benedictis patris cœleſtis poſſidebitur: itaq; jure S. Bernardus inſanos vocat eos, qui in amaris mundi bonis & viliſſimis immorantur, cœleſtibus & divinis neglectis. *Quanos, inquit, agit inſania, vitiorum ſitire abſinthium, hujus mundi ſequi naufragium, vitæ labentis pati inſortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium, non magis convolare in ſanctorum felicitatem, & Angelorum ſocietatem: ubi videbimus gloriæ decorem, ſanctorum ſplendorem, & regiæ poteſtatis honorem.* Olympiodorus in illud Eccle. 10. 3. in via ſtultus ambulans, ait: in hac vita quam jure viam vocare poſſumus ſtultum peccambulatorem, cum ad ſiniſtram cor habeat, ſemper ceſſare ac poſteriorem inveniri, in vacuum enim perge-

pergere, nequicquam ſibi propoſito ſupernæ vocationis bravio: in anteriora itaque ſeſe non extendere, *nec properare ad finem*. apud Oſtrogothos ac Veſtrogothos inſtituuntur curſus equorum ſuper ſtagna & flumina congelata menſe Decembri, bravium ſunt modii annonæ ſeminandæ, nova veſtimenta, & equus ejus qui metam non attingit, ut refert Olaus l. 1. p. 20. In hyemeſimus, multi pro futilibus ſuper glaciem currunt, & cadunt, aut rupta glacie merguntur; & pro æternis obtinendis jacemus. Sanctus Auguſtinus lib. 4. de civit. Dei cap. 16. arguit ethnicos quòd quandam Deam Murciam coluerint, quæ præter modum non moveret: ac faceret hominem, ut ait Pomponius, *murcidum & inactuoſum*. Vir juſtus ſemper ſe moveat, ſed in cœlum, ſicut arbor paradiſi Eccli. 50. 11. Simon Oniæ filius dicitur fuiſſe, *ſicut oliva pullulans, & cupreſſus in altitudinem ſe extendens*.

Periculum eſt ne claudatur janua.

35\. Tertiò, feſtinatione opus eſt, ne claudatur janua Matthæi 25. 6. *media autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obviam ei*. Tunc cum Sponſo acceleraverunt virgines quæ erant ſapientes: aliæ iverunt ad vendentes oleum, & moram traxerunt, ſicque clauſa eſt janua: & audierunt triſte reſponſum, Neſcio vos. Concludendum itaque eſt cum Apoſtolo Hebræorum 4. verſu 11. *Feſtinemus ergo ingredi illam requiem*. Vel pigros hæc ratio movere poteſt: requies eſt, & requies æterna: curre, labora, ut quieſcas. fuge brevem torporem, ne in æternum labores. Notabile eſt quod refert Plinius lib. 36. cap. 5. *Oſtendunt*, ait, *& Jaſii Dianam manibus eorum factam. Et in ipſa Chio narrata eſt operis eorum Dianæ facies in ſublimi poſita, cujus vultum intrantes triſtem, exeuntes exhilaratum putant.* Dicit Chriſtus Apoſtolis Joan. 16. 20. *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium*: & addit quod eſt adhuc ſuavius. *Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*. Alia gaudia pereunt, quia non ſunt noſtra ſed rerum exteriorum: at cordis gaudium, noſtrum eſt, intus eſt, in theſauro reconditum eſt, eſt manna abſconditum.

36\. verſ. 3. 3. Pars. Tribulatio urget gradú.

Afflictio ipſa gradum urget. verſ. eod. 3. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, *poſteà acceleraverunt*. Non ante afflictionem, ſed poſteà, Pſalm. 76. verſ. 2. *In die tribulationis Deum exquiſivi: manibus meis nocte contra eum*. Vide illum locum. Sponſa dicit Cant. 3. verſ. 1. *Per noctes quæſivi quem diligit anima mea*. De forti muliere habes Proverb. 31. 15 *De nocte ſurrexit*. Hoc maximè videtur in Iſraëlitis, qui impinguati recalcitrabant, afflicti ad Deum currebant, Pſal. 77. v. 38. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & diluculo veniebat ad eum*. Nox calamitatis hoc prudens conſilium dederat. Vide ea de re ibi dicta. Sic dicitur Pſalm. 82. 17. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuũ Domine*. Ubi nota vocem illam, *imple*, nulla ſit pars vultus, quæ non ſit plena ignominiâ, ut ex toto corde te quærant, cùm nullo modo coram hominibus audebunt comparere.

Naves in terra difficilè moventur, & anima in ſecura pace. Mahometis Imp. naves per terram ductas Et Auguſti. Niceta,

Navis in mediis fluctibus, & validis impulſa ventis facilè movetur, in terra vix multis machinis ad breve ſpatium plurimo labore & impenſis moveri poteſt. Mirantur omnes Mahometem Turcarum Regem in obſidione Conſtantinopolis triremes una noctè mari per terram in portum à tergo orbis Galatæ traduxiſſe; mirantur Auguſtum, qui cùm in bello Actiaco propter hoſtes circuire Peloponneſum non poſſet, per anguſtias Iſthmi naves in Aſiam pertraxit; mirantur Nicetam patricium ſub Baſilio Macedone Imperatore, qui & ipſe per eandem terram Iſthmi ex mari Helladico in Occidentem triremes trahens Agarenos Cretenſes fugavit. Sed præſertim miris laudibus extollunt Sorbolum natione Græcum ex Creta oriundum, qui cùm in ſubſidium B[...]iæ, quæ Venetorum erat, & ab hoſtibus premebatur, neceſſaria claſſis eſſet in lacu Benaco, nec ſylvæ eſſent unde pararentur, aut flumina per quæ naves eò trahi poſſent, ſuſcepit duas triremes, quatuor celoces, ac ſcaphas viginti quinque, ex urbe Venetiarum ad eum lacum per ducenta amplius paſſuum millia, perque obvia flumina, & altiſſimorum montium horribiles aſperitates, præruptoſque ſcopulos deducere: idque feliciter magno labore, trium menſium ſpatio perfecit. Et non miramur duobus ad ſummum aut tribus annis Ulyſſippone in Luſitania ſolventes naves ad extremos Japones ac Sinas decurſis ſex leucarum millibus pervenire? Primus omnium orbem univerſum decurrit Ferdinandus Magellanes ſolvit Hiſpali anno 1519. penetrato freto Magellanico Molucas petit, prope quas occiſus eſt. Navis ejus reddit in Hiſpan. anno 1524. Franciſcus Dracus Anglus ſolvit ex Anglia 1577. rediit 1580. Thomas Candych Anglus ſolvit ex Anglia 1586. rediit 1588. Olivatius van der Noit Belga ſolvit ex Hollandia anno 1598. rediit anno 1601. Verè dici poteſt cum Davide Pſal. 106. 23. *Qui deſcendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis* (in magna tribulatione) *ipſi viderunt opera Domini & mirabilia ejus in profundo*, cùm ex omni parte circumdati ſunt infirmitate. Ibi enim Deus eſt, de quo Pſalm. 76. 20. *Semita tua in aquis multis*. Quò major eſt ventus, eò faciliùs naves modico naucleri gubernaculo ducuntur, & celerius ferũtur. Jacob. 3. 4. *Naves cùm magna ſint, & à ventis validis minentur* (aguntur) *circumferuntur à modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit*. Navem tuam in portum dirige cum impetu cum fervore, ſed prudenti Malacia te in medio Oceano relinqueret, venti agitatio dat requiem. Ex afflictione oritur ſecuritas, ut ex bello pax.

Ac Venetorũ.

In aquis celerius moventur naves, & anima in tribulatione.

38\. Tempeſtas excitat nautas.

Cùm ſerenitas eſt aëris & tranquillitas maris, ſæpè nihil ſibi timens navis gubernator obdormit: ſed cùm tempeſtas eſt, procul ab oculis fugit ſopor, & à membris torpor. Omnes huc illuc diſcurrunt, & ſibi conſulunt. Adverſa mentem excitant. Iſaias Propheta cap. 7. 6. inducit Raſin Regem Syriæ & Phacee Regem Iſraël irrumpere cogitantes in terram Juda ſic inter ſe loquentes: *Aſcendamus ad Judam & ſuſcitemus eum*. Dormit ſæpè, qui in proſperitate eſt, calamitas veternum excutit. Abner Dux exercitus Iſboſethi Regis Iſraël ait ad Joab Ducem exercitus David Regis Juda adhuc in Hebron morantis. 2. Reg. 2. 14. *Surgant pueri, & ludant coram nobis*. Antea jacebant, ſed hoſtis eos excitat, & ſua oppoſitione recreat: dimicatio forti & generoſo viro ludus eſt. Hebraica vox קוץ *Kus*, in conjugatione kal ſignificat affligi, anguſtiis affici: in Hiphil verò, expergiſci, evigilare, ſuſcitari, ſurgere, Ezech. 7. 6. Pſal. 17. 15. & 73. 20. Jeſus in media tempeſtate inter Apoſtolos dormit, quia ſcit eos tunc temporis vigilare: in proſperitate autem vigilat, quòd ſciat eos tunc ſomno gravari, & in terram dejici. Sic poſt multiplicationem quinque panum & duorum piſcium, quibus aluerat quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis. dimiſſa turbâ aſcendit in montem *ſolus* orare, Matth. 14. 23. Ne tamen diutius quieſcerent, permiſit ut tempeſtate Poſteà jactarentur, & aſſueſcerent per medias afflictiones iter agere. Ut enim ait Seneca epiſt. 59. *Ad omnem incurſum muniens & intentus ſapiens, non ſi paupertas, non ſi luctus, non ſi ignominia, non ſi dolor impetum faciat, pedem refert interritus, & contra illa ibit, & inter illa.* Edoardus II. Angliæ Rex in ſymbolo ſuo delineavit araneam in tela ſua elaborantem, quam vehemens ventus perflaret. Epigraphe erat: Ardentior ibo.

Turbo ac tempeſtas in altum erigit E-

In cœlum erigit virum fortem tempeſtas & turbo, Eccl. 48. verſ. 1. *Surrexit Elias quaſi ignis*. Elias, id eſt fortis per Deum, ſeu, fortitudo Dei, anima

Deo

Deo plena, eoque roborata atque viviſicata, non teodit in terram ac terrenas cogitationes. Accelerat Elias in cœlum, ſed tranſeundo per ignem & aquam, ut educatur in refrigerium. Aquas Jordanis fluvii pallio dividit atque pertranſit: afflictio enim efficit, ut ſuperflua bona à nobis abjiciamus, & tranſitus ſit liber; deinde de illo additur verſ. 9. *Qui receptus eſt in turbine ignis.* Non ſufficit exigua afflictio, ut erigat: cum igne turbo requiritur, ut non mentem ſolùm, ſed corpus abripiat: *in curru equorum igneorum.* celeres ſunt equi illi, ſunt Angeli Dei veloces & ardentes. Multiplicatæ ſunt infirmitates Eliæ, poſteà ſecelerav it. Quid enim non eſt paſſus ab Achab rege Iſrael, à Jezabele impiiſſima ejus uxore, à Pſeudo-Prophetis Baal penè innumeris à populo nequam, à fame, ſiti, paupertate, aliiſq; incommodis? Paupertas eum leviorem faciebat. Minotius Felix in Octavio: *Ut qui viam terit, eò felicior quò levior incedit; ita beatior in hoc itinere vivendi, qui paupertate ſe ſublevat, non ſub divitiarum pondere ſuſpirat.* Elias ipſe quod ſibi reſtare videbatur palliú abjecit, ut altius evolet: non poteſt ad ſublimia tendere, qui auro ſuffarcinatus in locum ſuum ſuo pondere tendente degravatur, vix greſſum poteſt explicare, nedum volare. Plin. l. 7. c. 20. refert velut rem admirabilem, vidiſſe ſe quendam *Athanatom* Domine, prodigioſæ oſtentationis, *quinquagenario thorace plumbeo* indutum, cothurniſque *quingentorum pondo* calciatum per ſcenam ingredi. Tu curre dilatato corde, atq; ex eo effuſis omnibus terrenis, non autem corde clauſo & opplero laminis aureis & argenteis, vix enim pedem & affectum tuum commovere poſſis.

39. *Cælum afflictis aperitur* Domus cœleſtis aperitur afflictis, Luc. 14. 21. *Exi citò in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Tot alii erant in civitate per plateas inambulantes & ludentes, aliiſq; negotiis intenti, qui ſano & integro corpore facilius atque celerius ad convivium adduci potuiſſent, & jucundiorem aſpectum domino ipſi præbere, ſed illos fecerat amantes proſperitas. Quod magis mirari, cùm adhuc locos in menſa ſupereſſet, ne hi quidem vocantur, ſed longo itinere & multo labore jubet paterfamilias quæri miſeros extra civitatem intra ſpinas & rubos, ℣. 23. *Exi in vias & ſepes, & compelle intrare* (alios ne invitavit quidem) *ut impleatur domus mea:* dari autem curat ſingulis veſtem nuptialem. Deus apparet Moyſi in rubro, & educit Judæos de fornace ferrea Ægypti, ſicut prius Abraham de Ur, id eſt, de flamma Chaldæorum, & ſponſam de monte Amana, de cubilibus leonum, de montibus pardorum, ut eam coronet. Sicut enim ait Euſebius. [illegible] *Oſium tabefacit corpus, animum verò incurta. At exercitatio continua eum ad Deo ſimillimam ſpeciem extollit.* Anthracites lapis ignitus & carbo, jactatus in ignem velut inter mortuos extinguitur: at contra aquis perfuſus exardeſcit, ut ait S. Iſidor. l. 16. etymol. c. 13. Et Gagates gemma *accenditur aqua,* oleo reſtinguitur, fugat ſerpentes, ut ait Plin. lib. 36. c. 26. Oleo peccatoris nolebat impinguari caput ſuum, id eſt, mentem. David noſter, ſed malebat à juſto corripi. Pſ. 140. ℣. 5. Vide illum locú.

Anthracites lapis aquâ accenditur.

40. Lazari in cœlo primas ſedes tenent. Et quidem primas ſedes tenent in cœlo, qui in terris ad ima ſunt dejecti. Dicitur de Babylone civitate opulentiſſima. Apoc. 18. 7. *Quantum glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Dicebat in corde ſuo: Sedeo Regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo; *ideo* in una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur. Sub typo Babylonis figurantur divites ſcelerati, qui induuntur purpurâ & byſſo, & epulantur quotidiè ſplendidè: hi clamant cum divite epulone, Luc. 16. 24. *Crucior in hac flamma:* Lazarus autem mendicus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de menſa divitis, & à nemine accipiebat, fame & miſeriis extinctus, ab Angelis fertur *in ſinum* Abrahæ, in ipſo ſinu Abrahæ quieſcit, unam è primis ſedibus occupans. Nam, ut ait Paulus 2. Cor. 12. 9. *Virtus in infirmitate perficitur,* ſicut aurum in fornace, Eccl 31. 2. *Infirmitas gravis ſobriam facit mentem;* proſperitas, ebriam. Robur dat nobis ipſa infirmitas, tollens enim humanum, dat divinum. Unde Apoſtolus loco citato 2. Cor. 12. 9. ſubdit: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti:* non inhabitat in omnibus infirmis, ſed in iis qui gloriantur in infirmitate, ut ſibi nihil tribuentes, in Deum omnem gloriam rejiciant. Verſ. 10. addit: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis* [ut in vaſe & theſauro Deum continente] *in contumeliis, in neceſſitatibus, in anguſtiis pro Chriſto. Cùm enim infirmer, tunc potens ſum.* In me Chriſtus habitans ſpiritus vitales infundit, & per afflictionem morbos animæ ſanat. Eccl. 43. ℣. 24. *Medicina omnium, in feſtinatione nebula.* De Ezechia rege Juda habes ibid. c. 48. 25. *Fortiter ivit,* objectas afflictiones & difficultates perrumpens, *in via David patris ſui. In diebus ipſius retrò rediit Sol, & addidit Regi vitam:* decem tantùm lineis Sol rediit, i. e. quinq; horis, & quindecim anni vitæ dantur, quia major eſt fructus afflictionis, quàm dolor: & dies atque lux animæ non minuitur, ſed augetur retroceſſione rerum proſperarum & honorificarum. Utilitatem dolorum & laborum alio ſimili poſſis exprimere, de eodem Ezechia dicitur Eccl. 48. ℣. 19. *Fodit ferro rupem, & ædificavit ad aquam puteum:* gratiæ dantur laboranti: item ſapientia, ut alia comparatione dicis cap. 43. 21. *Gelu ſicut ſalem effundet Deus ſuper terram:* pruina eſt & gelu impiis, ſal juſtis, eos à corruptione præſervans, & ſapientiam ac ſaporem cœleſtem tribuens. Hinc ſibi in morbis placent animæ ſibi mortuæ, & Deo uni vivere cupientes. Agata à Cruce in acerbiſſimis morbi doloribus nihil præter hæc verba præferebat: *Deus Deus meus da patientiam, & permittere neceſſa.* Anna à Jeſu tantâ patientiâ morbos ſuos ferebat, ut aſſereret ſe nihil tanto gaudio quàm moleſtos cruciatus perferre. Anna de Vargas in acutis morbi lethalis doloribus ſemper dicebat: *Benedictus ſit Deus in æternum.* Sciebant ſe tum maximè Sponſo ſuo eſſe acceptas, cùm minus ſibi & mundo placerent. Cùm ſcripſerunt Chriſto Maria Magdal. & Martha de fratre ſuo Lazaro ægrotante, id unum ad opem implorandam poſuerunt, Joan. 11. 3. *Domine quem amas, infirmatur:* nullas alias preces attexunt, ut eum ad iter excitent: infirmitas ipſa eſt potens oratio, ut ab eo auxilium impetret: itaq; Chriſtus ſtatim adjecit: *Infirmitas hac non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei,* ut poſteà patuit eo à vivis excitato. Contrà verò, proſperitas hominem perdit, Pſ. 105. 15. Miſit *ſaturitatem* in animas eorum. Hebr רזון *razon,* maciem, ut vertit Arias: perditionem, ut Pagnin. Saturitas corporis, eſt macies & perditio animæ. Pſal. 73. 6. Prodiit quaſi *ex adipe* iniquitas eorum. Vide illum locum. Hebr. עינימו *enemo,* oculus eorum: replens iniquitate animam per arrogantiam & luxuriam, ſicque eam vaſtat. Pſal. 73. 4 *Leva manus tuas in ſuperbias eorum.* Pagninus, *in deſolationes eorum.* Et verſ 17. *Æſtatem & ver tu plaſmaſti ea.* Hebr. חרף *horeph.* & hyemem ver nobis in hyemem vertitur, & hyems in ver. Rident voluptates prima fronte, ſed venenum & aculeus eſt in cauda. Seneca epiſt. 35. *Quis hoſtis tam contumelioſus fuit, quàm tibi quoſdam voluptates ſuæ ſunt?*

Verſ. 4. Senſus literalis eſt, quod Chriſtus in lege gratiæ rejiciet cruenta ſacrificia pecudum. Verſio S. Hier.

42. Ad evitandas afflictiones ſont qui ſe potentiorum licet ſceleratorum in cœtus inſerant, David verò, id ſe non effecturum aſſerit, ſeu Chriſtus potiùs, qui in Pſalmo loquitur, & ait Verſ. 4. *NON CONGREGABO CONVENTICULA EORUM DE SANGUINIBUS: NEC MEMOR ERO NOMINUM EORUM* (conventiculorum) *PER LABIA MEA.* Senſus eſt: Non ambibunt mihi congregationes, quas ſive Judæi, ſive Gentiles habebunt ad cruenta pecudum ſacrificia inſtituenda. Itaq; illos conventus non congregabo, non ſuadebo ut ejuſmodi cœtus fiant, eoſq; ne nominabo quidem, ſed enitar ut oblivioni tradantur. S. Hier. & Pagn. vertunt, *non libabo libamina eorum de ſanguine.* Rectè etiam Sept. verterunt, *non congregabo*, per authoritatem ſcilicet meam illos cœtus conſtituendo & ordinando. Nam vox *naſach* ſignificat quoque conſtituere & ordinare. Sanguis pecudum non quæritur in lege gratiæ, in qua eſt ſanguis pretioſior Salvatoris, qui in juge ſacrificium offeratur, 1. Cor. 10. 16. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Impoſſibile eſt, ut rectè ait Paul. Hebr. 10. ℣. 4. ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Jeſus verò *una oblatione*, conſummavit in perpetuum ſanctificatos, ut additur verſ. 14. Hæc quotidie in Miſſa repetitur ſed incruenta. Id prævidit Jacob Patriarcha in benedictione Judæ filii ſui, ubi agens de Chriſto ait Gen. 49. 11. *Ligans ad vineam pullum ſuum, ad vitem aſinam ſuam. Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum. Pulchriores ſunt oculi ejus vino.* Latens ſub vini ſpeciebus, & ſponſam contemplans per cancellos amoris divini amoris plenus Jeſus, candidus eſt & rubicundus, electus in millibus. Sub candidis panis ſpeciebus etiam latet, columbini ſunt oculi ejus, Cant. 5. 12. Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum, quæ *lacte* ſunt lotæ, & reſident juxta fluenta pleniſſima. Ex Euchariſtia fluunt gratiarum flumina impetu de Libano, i. e. de candore. Geneſ. 49. 11. additur, *Dentes ejus lacte candidiores.* De Chriſto locum hunc intelligi docent SS. Hieronymus, Chryſoſt. Ambr. Auguſt. ligat ad vineam pullum & aſinam, unit in Euchariſtia populum gentilem & Judæos, atque in ſanguine uvæ ſtolam & pallium ſuum, i. e. Humanitatem ſuam, quæ tota vel ſub unica ſpecie continetur: Oculi ejus, id eſt ſcientia & providentia, ſive ſapientia & charitas, pulchriores, atq; ut in Hebr. habetur rubicundiores, ſive ardentiores & ſplendidiores ſunt vino: & dentes illius ſive ſuperiores, ſive inferiores, id eſt doctrina & correptio, ſunt candidiores lacte. Vatablus vertit, *candidi à lacte*, ob teneritudinem maternam. Chriſtus enim ibi filiis ſuis mammam porrigit, ſe totum dans in cibum & potum, ſicut eſt lac parvulis. ipſe autem eſt *mamma patris*, ut ait Clemens Alexandrin. in pædagogo.

Simon Pontifex figura Chriſti.

43. In Simone quoque primò, Oniæ primi filio, Chriſtus ſacrificans, ut ſummus Pontifex futurorum bonorum, repræſentabatur, Eccli. 50. 15. *Conſummatione fungens in ara* conſummatum & perfectum offerens ſacrificium, *amplificare oblationem excelſi Regis, porrexit manum ſuam in libatione, & libavit de ſanguine uvæ*: vinum fundens ſuper victimas, ſanguinem ſuum ſuper animas ſibi ſanctificatas. *Effudit in fundamento altaris odorem divinum excelſo principi.* Sanguinem victimarum fundebant Judæi ad baſim altaris holocauſti, ut denotarent Chriſti ſanguine Eccleſiam & animas ſanctas eſſe in virtute fundãdas & ſtabiliendas. Olaus Magnus l. 3. pag. 78. ait gentes ſuppolares rubrum pannum perticâ vel haſtâ ſurſum appenſum attentis precationibus & cultiore ritu venerari divinam quandam virtutem *propter colorem rubeum*, animalium ſanguini ſimilem, eidem ineſſe putantes. In altaribus noſtris Pontifex noſter ſecundùm ordinem Melchiſedech veſtitur purpurâ & byſſo retorta, candidus & rubicundus, ut dixi.

Tropol. Fugienda ſunt impiorum conſortia.

44. Tropol. Senſus eſt: Non patiar cœtus impiorum fieri, neq; illis me aggregabo, neq; de illis verba faciam, ut è memoria mea prorſus excidant. Vitanda eſſe ſceleratorum conſortia, fusè probavi Pſal. 118. ℣. 115. *Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.* Ac ℣. 116. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ: ideò dilexi teſtimonia tua.* Neq; enim poteſt quis diligere aut ſcrutari mandata Dei, ſi cum impiis verſetur. Pſal. 17. 26. Cum Sancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum perverſo perverteris.

Nam cum iis perit amor Dei.

Amoris divini flammas & ardorem extinguit flatus Aquilonaris ſerpentis per malos ſocios in animam ſeſe inſinuans, & glaciem advehens, quâ refrigeſcit charitas multorum, Eccli. 43. 22. *Dum gelaverit, fiet* [gelu] *tanquam cacumina tribuli* (Spinæ ſecundum tribuli folia rigidæ ſunt & prædurae: multæ puncturæ ſunt in mala ſocietate) *Frigidus ventus* (conſilium à pietate avertens, atq; à fervore ad ſegnitiem inducens) *Aquilo flavit, & gelavit cryſtallus ab aqua* (ob delicias & fluxas voluptates anima congelatur) *& ſuper omnem congregationem aquarum requieſcet, & ſicut lorica induet ſe aquis.* Tandem advenit obſtinatio, quæ vix emolliri poteſt & calefieri, *& devorabit montes, & exuret deſertum, & extinguet viride ſicut igne*: perverſi ſocii devorant prælatos, dignitate & ſanctitate ſublimes, eorum divitias exugendo, & ad inanes ludos ſumptuſq; traducendo: exurunt deſertum, i. e. religioſos, à mundi flammis & deſideriis ſeparatos, & carnis incendia rigore ſuo extinguere molientes: extinguunt verò fervorem ſæcularium in eleemoſynis dandis, aliiſque bonis operibus faciendis.

Virtutes partæ perduntur. Vaccæ macilentæ devorant vaccas pingues in Ægypto.

45. Hæc conſumptio virtutum in viris piis, per ſocietatem malorum, optimè figuratur per devorationem ſeptem boum pinguium & ſpicarum plenarum per boves macilentas, & ſpicas tenues, viſas à Rege Pharaone, Gen. 41. 17. *Putabam me ſtare ſuper ripam fluminis.* In hac vita ſtamus, aut jacemus potiùs, ſuper ripam fluvii turbidi & rerum ſemper labentium. Vide Pſ. 136. 1. pergit Pharao, *& ſeptem boves de amne conſcendere*, à fluxis ad *ſolida, pulchras nimis & obeſis carnibus: quæ in paſtu paludis vireta carpebant.* Vidit deinde ſeptem boves in tantum deformes & macilentas, ut nunquam tales in terra Ægypti vidiſſet, quæ devoratis & conſumptis prioribus *nullum ſaturitatis dedêre veſtigium*, ſed ſimili macie & ſqualore torpebant. Non ſatiantur ſcelerati, ſed ſemper parati ſunt damnum novum inferre, neque virtute aliena meliores fiunt: idem ibi lege de ſpicis percuſſis uredine, id eſt, vento urente, ſive Euro deſiccante.

In ruinam impellit mala ſocietas. Jobi filii in convivio obruuntur.

46. Hæc ſocietas mala in ruinam impellens eſt ventus vehemens, qui Jobi filios everſa domo obruit. Job 1. 18. *Filiis tuis & filiabus veſcentibus & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos & mortui ſunt, & effugi ego ſolus ut nunciarem tibi.* Periculum præſertim eſt inter cibos atq; pocula: tunc enim maximè flatus maligni corpus concutiunt & animam: & quatuor ejus angulos, nempe fidem, ſpem, charitatem, atq; prudentiam evertunt: aut quatuor virtutes Cardinales, & peccato lethali detractionis, ebrietatis, luxuriæ, blaſphemiæ pereunt convivæ, vix uno evadente, ſi ventus ſit vehemens, & oriatur à regione deſerti, ab ea parte, ubi nullum ſit oppoſitum illi obſtaculum. Philiſthæi lætantes per convivia, ſumptis jam epulis præceperunt ut vocaretur Samſon, ut ante eos luderet: ad hoc ſpectaculum qui cum impiis

pro-

principibus venerunt, miſerè cùm illis perierunt, Judicum 16. 27. *Domus erat plena virorum ac mulierum, & erant ibi omnes principes Philiſthinorum, ac de tecto & ſolario circiter tria millia utriuſque ſexûs ſpectantes ludentem Samſon.* At ille concuſſis duabus columnis omnes interfecit. Cave te adjungas iis qui Sanctos irrident, ne eâdem ruinâ involvaris. Contra verò, qui cum Sanctis Deo ſervit, eſt invincibilis. Eccli. 50. 13. de Simone Pontifice ſacrificante habes: *Circa illum corona fratrum quaſi plantatio cedri in monte Libano, ſic circa illum ſteterunt quaſi rami palmæ.* Invincibiles ob pietatem & charitatem mutuam.

David noſter ſceleratos fugiebat, Eccli. 47. 2. *Quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic David à filiis Iſrael.* Erant illi carnei, ſuas delicias & commoda ſpectantes, ipſe quaſi adeps totus in Dei altari comburi optabat, per charitatem perfectam ſuarum utilitatum oblitus: totus adeps in omni ſacrificio utebatur in Dei honorem: quodque amplius eſt, nullum animal mundum ad ſacrificium occidebatur Jeroſolymis, cujus adeps in templo non combureretur. Si David ſe è filiis Iſrael minus perfectis ſeparabat, quid faciendum eſt ut te ab idololatris ſubducas? Eccli. 50. 27. *Duas gentes odit anima mea, & tertia non eſt gens quam oderim: qui ſedent in monte Seir*: in ſuperbia diabolica: Seir piloſum ſignificat, piloſi autem vocant dæmones, Iſaiæ 13. 28. *& Philiſthiim*, mundi pulvere ſordidati, & terrenis involuti: Philiſthiim ſonat, pulvere conſperſos: cinis eſt infrugifer: *& ſtultus populus qui habitat in Sichimis.* Sichem humerum ſonat, tribulationem carnis patiuntur carnis amatores.

87. Socii præſertim crudeles ſunt vitandi.

Fugiendi præſertim ſunt crudeles, & incitantes ad odium inimicorum. Hi ſedent in monte Seir, nempe Idumæi, id eſt, ſanguinarii. *Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus.* Ibi excidium expecta. Jerem. 49. 17. *Erit Idumæa deſerta.* Et ℣. 22. *Erit cor fortium Idumæ, quaſi cor mulieris parturientis*: plenum dolore & cruciatu. Viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos. Nam ut ait Iſaias c. 9. 19. *Vir fratri ſuo non parcet. Unuſquiſque carnem brachii ſui vorabit* (eum ipſum perdet, à quo fuerat adjutus) *Manaſſes Ephraim, & Ephraim Manaſſem, ſimul ipſi contra Judam.* Mutuis ſe detractionibus & conviciis lacerant mundi amatores, ſuaque bona diripiunt: in eo unò conveniunt ut Judam, id eſt, hominem Deum laudantem opprimant, ipſique noceant. Eccli. 37. *Eſt amicus ſolo nomine amicus. Nonne triſtitia ineſt uſque ad mortem?* Et ℣. 4. *Sodalis amico jucundatur in oblectationem, & in tempore tribulationis adverſarius erit.* De Sanctis verò dicitur c. 44. 6. *pacificantes in domibus ſuis*: & ℣. 10. vocantur *viri miſericordiæ.* Verſ. 27. ſpeciatim Aaron & Moyſes nuncupantur homines miſericordiæ. Cap. autem 45. vis illius manſuetudinis & miſericordiæ ad ſanctitatis & divini amoris conſecutionem declaratur ℣. 4. *In fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum* (*Moyſem*) *& elegit eum ex omni carne.*

Perfectam malorum fugam & diuturnam oſtendit David noſter, cùm in verſiculo eod. 4. Verſ. 4.
Pſalmi noſtri ait: *NEC MEMOR ERO NOMINUM EORUM PER LABIA MEA* q. d. 2. Pars.
Adeo illos odi, ut nec de ipſis loqui velim, & memoriam mihi eorum prorſus excidere exoptem. Cùm Jacob Patriarcha ex agro Sichem abiit in Bethel, ut ibi altare Deo faceret, & habitationem ſibi compararet, juſſit abjici non idola tantùm, ſed etiam inaures, in quibus eorum figura erat expreſſa, Geneſ. 35. 5. *Dederunt Jacob deos quos habebant, & inaures: at ille infodit ea ſubter terebinthum.* Ut amplius ad aures ſuas ne formam quidem aut nomen idolorum admitteret. S. Ambroſ. lib. 2. de Jacob, c. 7. Hoc vidit, *Cur*, ait, *ſub terebintho? Certè genus iſtud infructuoſum eſt. Ibi ergo ſunt Dii gentium, ubi nullus eſt fructus. Ibi inaures Gentium infodiuntur, quas dederunt Jacob, ut jam novam linguam audire aſſueſcant, veterem perfidiæ ſonum neſciant, obſurdeſcant aures eorum ſacrilegio, & mundentur ad gratiam.*

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

Tria David, ſeu Chriſtus, prædicat ſe à Deo obtenturum. Primò, ut ſic loquar, bona fortunæ, ſeu hæreditatem in cœlo præclaram. Verſ. 5. & 6. Secundò, bona animi. Verſ. 7. & 8. Tertiò, bona corporis. Verſ. 9. uſque ad finem.

PARAPHRASIS.

5. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.*

5. Nihil eſt, cur ego ſceleratorum cœtus aut facultates ambiam, Deus unus mihi abundè ſufficit, amplaque & ſuavis eſt hæreditas, ille debitam mihi, quam hoſtes fruſtrà eripere moliuntur, hæreditatem aſſeret.

6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.*

6. Non in caducorum bonorum ſortitionem veni, ſed hæreditas mea tota excellens eſt, cœleſtis ac divina. Nihilque ea portione quæ mihi obtigit, fingi quicquam præſtantius poteſt.

7. *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum: inſuper & uſque ad noctem increpuerunt me renes mei.*

7. Deum laudibus eveham, qui hujus mihi hæreditatis cœleſtis intelligentiam conceſſit: mentiſque meæ affectus excitavit, ut ad illam obtinendam contenderem totâ vitâ.

8. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi ne commovear.*

8. Gradientique aſtans, oculis ſe meis internis videndum objecit, ut animos faceret: nunquam enim à latere meo diſcedit, ne fortè ab hoſtibus devolvar in præceps.

9. *Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.*

9. Ob divinam illam præſentiam affuſum cordi meo gaudium perſenſi: & in laudes ejus vocesque lætitiæ indices lingua mea ſoluta eſt, caroque fatigationis neſcia ob ſpem futurorum bonorum requieſcet.

10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

10. Neque enim patieris animam meam dolorem ullum in inferis tolerare, aut diuturnam in iis moram trahere: neque ſines corpus tibi devotum & conſecratum in ſepulchro à vermibus erodi.

11. *Notas mihi feciſti vias vitæ: adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: delectationes in dextera tua uſque in finem.*

11. A mortis faucibus ereptum ad vitam revocâſti: cumulabis me gaudio perfectiſſimo, cùm faciem mihi tuam oſtenderis: ad dexteram me enim tuam collocabis in cœlis, ubi perpetuâ lætitiâ perfruar.

QUÆSTIO

QUÆSTIO UNICA.

Quàm præclara Chriſti & juſtorum hæreditas.

48. Ordo Sectionis. SEctione præcedenti Chriſtus conſervationem ſuam & ſuorum à Patre æterno poſtulavit: nunc quàm perfectè ſibi conceſſa ſit, fusè exponit, eùm in cœlo omnibus fortunæ, animi corporiſq; bonis circumfluentem felicitatem aſſecuturum ſe aſſerit.

Primò, Hæreditatem ſe æternam loco adventitiorum & caducorum fortunæ bonorum obtenturum dicit, verſ. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei.* Eam laudat ab Agonothetæ dantis præſtantia, ibid. *Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.*

Secundò, bona animi adeptum ſe gaudet. 1. In intellectu, cognitionem, verſ. 7. *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.* 2. In voluntate, ardorem, ibid. *Inſuper & uſque ad noctem increpuerunt me renes mei.* 3. In operum ſanctorum executione, jugem Dei juvantis opitulationem, verſ. 8. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi ne commovear.*

Tertiò, Bona corporis ex illo Dei irradiantis fonte, animique exundanti gaudio dimanantia plurima percenſet. 1. In corde lætitiam, verſ 9. *Propter hoc lætatum eſt cor meum* 2. In lingua, cantus hilares, ibid. *Et exultavit lingua mea.* 3. In carne, quietem, ibid. *Inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.*

Quartò denique, oſtendit perfectiſſimam fore ſuam Reſurrectionem. 1. Anima à limbis revocata, verſ. 10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno.* 2. Corpore, à putredine ſervato, ibid. *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: & vitæ reddito, verſ. 11. *Notas mihi feciſti vias vitæ*: ut anima exultet corpori unita, ibid. *adimplebis me lætitià cum vultu tuo*: & corpus ſedens in throno ad dexteram Patris collocato, ibid. *Delectationes in dextera tua uſque ad finem.*

ARTICULUS I.

Deus eſt Chriſti & Sanctorum hæreditas.

49. Verſ. 5. 1. Pars. ADeundæ hæreditatis tanto plerique ardent deſiderio, ut ſint qui vel parentes optimos, de ſe optimè meritos, jam mortuos velint, ut vile prædiolum occupent, licèt hæredes tantùm ſint ex ſextula. Neque æterna latifundia cogitant,

Senſus hujus loci. quæ ex aſſe poſſidere valeant. Chriſtus verò, ſpretis terreis omnibus Deum ſe unum ſibi ſeligere aſſerit, verſ. 5. *DOMINUS PARS HÆREDITATIS MEÆ ET CALICIS MEI: TU ES QUI RESTITUES HÆREDITATEM MEAM MIHI.* Dominus pars, id eſt, tu Domine pars mea, eum enim alloquitur per enallagen perſonæ, utens tertiâ pro ſecunda ad majorem reverentiam, ut patet, cum, ſubdat, *tu es &c.* Senſus porrò eſt: Tu Domine Deus, es tota pars hæreditatis meæ; alii ſibi hæreditates dividant, iis omnia alta relinquam, ſatis eſt mihi, ut tu ſis pars mea & hæreditas, tu mihi eris omnia. Alludit ad diviſiones bonorum, cúm plures ſunt in una domo hæredes. Mundani ſibi divitias, voluptuarii delicias, qui dæmonem ſequuntur, inanes honores ambiunt, ego Deum meum unicum. In hæc hæreditate ſuavitatem ſe quoquè reperturum denotat in mentione *calicis*, per quem ſignificat etiam partem ſuam, & illius jucundam fruitionem. Alludit ad calicem, quem ſolebat paterfamilias propinare convivis, præſertim in cœna paſchali; & ex quo omnes bibebant, ut dicetur infrà.

10. Deus eſt ipſa beatitudo. Nota, Deus, ut ait Boëtius in 3. de Conſol. proſ. 10. eſt ipſa beatitudo. Et David noſter id prædicat Pſal. 72. 26. *Deus cordis mei* (illud poſſidens ut Dominus, & ab eo poſſeſſus ut theſaurus] *& pars mea Deus in æternum.* Hæc hæreditas nunquam defluit, non tranſit à Domino ad alium Dominum. Et Pſ. 141. 7. *Portio mea in terra viventium.* Poſſidetur ibi tota Trinitas. 1. Deus Pater, de quo verſum noſtrum exponit S. Athanaſius. 2. Deus Filius, de quo explicat idem S. Doctor illud Jerem. 10. 16. *Non eſt his ſimilis pars Jacob: qui enim formavit omnia, ipſe eſt: & Iſrael virga hæreditatis ejus: Dominus exercituum nomen illi.* De Spiritu ſancto illud Epheſ. 1. 14. *In quo credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ in redemptionem acquiſitionis in laudem gloriæ ipſius.* Vide Pſ. 90. 2. notat. 3.

S. Thomas 1. 2. q. 2. art. 8. petit. Utrùm beatitudo hominis conſiſtat in aliquo bono creato? & reſpondet, impoſſibilem eſſe beatitudinem ejus in ullo bonorum creatorum ſitam eſſe: beatitudo enim eſt bonum perfectum, quod *totaliter quietat appetitum*: alioquin non eſſet ultimus finis, ſi adhuc reſtaret aliquid appetendum. Objectum autem voluntatis, quæ eſt appetitus humanus, eſt univerſale bonum, ſicut objectum intellectûs eſt univerſale verum. Non invenitur autem univerſale bonum in aliquo creato, ſed ſolùm in Deo, quia omnis creatura habet bonitatem participatam. Unde ſolus voluntatem hominis implere poteſt: ſecundum quod dicitur in Pſal. 102. *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* Et quæſt. 3. art. 8. docet, ultimam & perfectam beatitudinem non poſſe eſſe niſi in viſione Dei, quia homo nõ eſt perfectè beatus quamdiu reſtat ſibi aliquid deſiderandũ.

51. Hæreditatis illius poſſeſſio eſt ſuaviſſima. Nota 2. Suaviſſima eſt illius hæreditatis poſſeſſio: undè dicitur: *Et calicis mei*, id eſt, jucunditatis meæ, ut explicat Ugo Cardinalis. Humano more res jucunda ſub ſymbolo epularum & potûs depingitur. Sic Luc. 22. 29. ait Chriſtus, *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Vide dicta Pſal. 22. 9. *Calix meus inebrians quam præclarus eſt*, ubi de Euchariſtia præſertim egi. Et Pſ. 35. 9. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, ubi de cœleſtibus gaudiis ſatis fusè tractavi. S. Thomas 1. 2. quæſt. 4. art. 1. inquirit, an ad beatitudinem requiratur delectatio, & reſpondet, quadrupliciter aliquid requiri ad aliud. 1. Sicut præambulum vel præparatorium ad ipſum, ſicut diſciplina requiritur ad ſcientiam. 2. Sicut perficiens aliquid, ſicut anima requiritur ad vitam corporis. 3. Sicut coadjuvans extrinſecùs, ſicut anima requiritur ad aliquid agendum. 4. Sicut aliquid concomitans, ut ſi dicamus, quod calor requiritur ad ignem, & hoc modo delectatio requiritur ad beatitudinem: delectatio enim cauſatur ex hoc quòd appetitus requieſcit in bono adepto: undè cum beatitudo nihil aliud ſit quàm adeptio ſummi boni: non poteſt eſſe beatitudo ſine delectatione concomitante. Sed ſi calicem hunc optamus ſuavitatis, felleus cum Chriſto accipiendus eſt, ipſe enim inquirit à S. Jacobo, & S. Joanne filiis Zebedæi primas in cœlo ſedes optantibus, Matth. 20. 2. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Et Petrum gladio irruentes in ſe milites dimovere conantem, & Malcho aurem abſcindentem increpat, cap. 18. 11. quòd ſic probaret, ne calicem ſibi à Patre oblatum biberet

tet. David illum ſe accepturum dicit Pſ. 115. & 13. & vocat calicem ſalutaris, id eſt, Salvatoris, ſive ſalutis. Ægidius Corenzetus de dictis & factis mirabilibus, refert, anno 1214. Philippum Auguſtum Franciæ Regem in Othonem Imperatorem pugnaturum, in patera aurea buccellas panis vino intinctas Principibus ſuis propinâſſe, & contentâ voce dixiſſe: Bibite ex hoc omnes; commune hoc *aut victoria, aut glorioſæ mortis poculum erit*: eâque voce animatos Francos mirâ alacritate pugnam iniiſſe, & numeroſiſſimum hoſtium exercitum fudiſſe.

52. Clericorum pars & hæreditas eſt Deus

Nota 3, Clericis præſertim adaptatur verſiculus Pſalmi noſtri, eumque uſurpant, cum ipſis ab Epiſcopo capilli reſecantur: nam Deum in partem ſpecialem ſibi aſſumunt. Hoc conſiderent oportet, ut monet S. Hieronymus epiſt. ad Nepotianum: *Clericus*, ait, *qui Chriſti ſervit Eccleſiæ interpretetur primò vocabulum ſuum, & nominis definitione prolatâ nitatur eſſe quod dicitur. Si enim Cleos Græcè, Latinè ſors interpretatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia Dominus ipſe, ſors, id eſt, pars Clericorum eſt. Qui autem vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, ut & ipſe poſſideat Dominum, & ipſe poſſideatur à Domino.* Qui Dominum poſſidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere poteſt. Quòd ſi quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Obſecro te, & repetens iterum iterumque monebo, ne officium clericatûs, genus antiquæ militiæ putes, id eſt, ne lucra ſeculi in Chriſti quæras militia, ne plus habeas, quam quando clericus eſſe cepiſti, & dicatur tibi: Cleri eorum non proderunt eis. Hæc aliâque Hieronymus.

53. Undè infertur eos vitam cœleſtem agere debere,

Hæc memoria nominis in officio clericos continebit, & Eccleſiam in virtute promovebit univerſam. Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. de Reformatione, cap. 1. *Nihil eſt, quod alios magis ad pietatem ac Dei cultum aſſiduè inſtruat, quam eorum vita & exemplum, qui ſe divino miniſterio dedicârunt. Cùm enim à rebus ſeculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tanquam in ſpeculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iiſq; ſumunt quod imitentur. Quapropter ſic decet omnino clericos in ſortem Domini vocatos, vitam moreſque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſq; omnibus rebus nil niſi grave, moderatum, ac religione plenum præ ſe ferant: levia etiam delicta: quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Concilium Pariſienſe ſextum, Canone octavo ſic loquitur: Qui ſacris officiis ob meritorum prærogativam ſunt applicati, dedecus, & valdè periculoſum eſt, terrenis actionibus turpibuſque lucris eos implicari. Laurentius Campegius Cardinalis tituli S. Anaſtaſiæ, paucis multa complectitur in Conſtitutione edita Ratiſponæ anno milleſimo quingenteſimo, vigeſimo quarto: Hortamur, inquit, atque monemus omnes & ſingulos, qui ſacris initiati ſunt, ut vitam, *quam profeſſio exigit, & Chriſtus requirit*, inquiens: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.

In Concilio Nicæno, ut ait Gelaſius Gric. libro tertio, Hierarchia Eccleſiæ breviter comparatur Hierarchiæ Angelicæ, quam virtutibus ſuis debet exprimere, [illegible] *Clerici ſacri Ordinis, eſſe debent typus & imago cœleſtium. Epiſcopus quidem debet eſſe typus Dei, tanquam caput, poſt illum, Eccleſia quam recepit. Presbyter tenere debet ſedem & locum Seraphicum: Diaconus verò Cherubicum: Miniſter autem, hoc eſt: Diaconus, debet hiis miniſtrare.*

Nota 4. Ne memoria rerum cœleſtium excidat Clericis, corona illis ſit in vertice capitis, ut ſit velut oculus ſemper cœlum reſpiciens, fiantque ipſi divini Uranoſcopi: habet enim hic piſcis oculum in capite, quo ex aquis eminens cœleſtia reſpectat. 54. Corona clericalis quid denotet 1.

Secundò, ut ſicut, ait Beda libro 5. hiſtor. Angl. 2.

capite 22 ſpineam Chriſti coronam repræſentent, eamque memoriæ ſuæ inſigant, itaque omnibus apparere debent ſicut alteri Chriſti coronati, ſed ſpinis, non roſis. Tertiò, ſanctus Iſidorus libro ſecundo de offic. Eccleſ. arbitratur, illâ coronâ figurari Chriſti Sacerdotium. 3.

In Concilio Ravennat. II. ſub Clemente V. Rubricâ 27. ſic præcipitur: *Coronam condecentem portent Clerici, quæ deſignetur regalis eſſe generis, & ſperare ſe aſſequi debere partem hæreditatis divinæ.* Quartò, tam per 4.

coronam, quàm per reliqui capitis tonſuram denotatur ſuperfluorum omnium ac temporalium, & vitiorum etiam minutiſſimorum abjectio. Clerici curam temporalium reſecent

Sic loquitur ſanctus Hieronymus: Coronam clerici habent ab inſtitutione Romanæ Eccleſiæ, in ſignum regni, quod in Chriſto expectaturi. Ratio verò capitis, eſt temporalium omnium depoſitio. Ab ipſis Apoſtolis hunc manaſſe rectè monet S. Iſidorus lib. 2. de Eccl. Off cap. 4. & refertur in Concilio Aquiſgranenſi I. celebrato, anno Domini 816. tempore Stephani Papæ V, & Ludovici Imp. *Tonſura Eccleſiaſtica uſus, à Nazaræis, ni fallor, exortus eſt, qui prius crine ſervato, divina poſt magnam vitæ continentiam devotione completa caput radebant, & capillos in igne ſacrificii ponere jubebantur, ſcilicet ut perfectionem devotionis ſuæ Domino conſecrarent. Hujus ergo exempli uſus ab Apoſtolis introductus eſt, ut hi qui in divinis cultibus mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazaræi, id eſt, Sancti Dei, crine præciſo, innoventur. Hoc quippe & Ezechiel Propheta jubetur, dicente Domino: Tu fili hominis, ſume tibi gladium acutum, & duces ſuper caput tuum, & barbam: videlicet quia & ipſe ſacerdotali genere Deo in miniſterium ſanctificationis deſerviebat. Hoc & Nazaræos illos Priſcillam & Aquilam in Actibus Apoſtolorum primùm feciſſe legimus, Paulum quoque Apoſtolum, & quoſdam diſcipulorum Chriſti, qui in hujuſmodi cultu mirandi extiterunt.* Cauſam deindè illius reſectionis capillorum aperit. Eſt, inquit, Clericis tonſura ſignum quoddam, quod in corpore figuratur, ſed in animo agitur, ſcilicet ut hoc ſigno in religione vitia reſecentur, & *criminibus carnis noſtræ quaſi crinibus* exuamur, atque indè innovatis ſenſibus & comis rudibus enitescamus, expoliantes nos (juxta Apoſtolum) veterem hominem cum actibus ſuis, induentes novum, qui renovatur in agnitione Dei. Quam *renovationem in mente* oportet fieri, ſed in capite demonſtrari, ubi ipſa mens noſcitur habitare. Quòd verò detonſo capite ſuperius, Inferius circuli corona relinquitur, ſacerdotium regnumque Eccleſiæ in eis exiſtimo figurari. Tiara enim apud veteres conſtituebatur in capite Sacerdotum. Hæc ex byſſo confecta, rotunda erat, quaſi ſphæra media: & hoc ſignificatur in parte *capitis tonſa*. Corona autem, latitudo aurei eſt circuli, quæ Regnum capita cingit. Utrumque itaque ſignum exprimitur in capite Clericorum, ut impleatur etiam corporis quadam ſimilitudine, quod ſcriptum

riptum eſt, Petro Apoſtolo producente, 1. Petr. 2. Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotum. Quæritur autem, cur ſicut apud antiquos Nazaræos; non antè coma nutritur, & ſic tondetur? Sed qui hæc exquirunt, animadvertant, quid ſit inter illud propheticum velamentum, & hanc Evangelii revelationem, de qua dicit Apoſtolus: Cùm tranſieris ad Chriſtum, auferetur velamen. Quod autem ſignificabat velamen interpoſitum inter faciem Moyſis, & aſpectum filiorum Iſraël: hoc ſignificabat illis temporibus etiam coma Sanctorum. Nam & Apoſtolus comam pro velamento eſſe dicit. Proindè jam non oportet, ut velentur crinibus capita eorum, qui Domino conſecrantur, ſed tantùm ut revelentur, quia quod erat occultum in ſacramento prophetiæ, jam in Evangelio declaratum eſt. Hæc Iſidorus. Aſſes populi ſinciput crinitum habebant, tonſum occiput. Machlyes Afri prorſus contrarium faciebant. Herodotus lib. 4. Maxyes dextrâ parte capitis comam gerunt, ſiniſtrâ radunt.

65. Tonſuræ clericalis ſervandi curam habuere Pontifices & Concilia.

Tonſuræ hujus curam habuère Pontifices & Concilia. Anicetus Papa in epiſtola decretali ad Galliæ Epiſcopos ſic in eam rem præcipit: *Prohibete, fratres, per univerſas regionum veſtrarum Eccleſias, ut clerici, qui laicis, & ſimplicibus, virtutis, honeſtatis, pudicitiæ & gravitatis exemplar eſſe debent, ac ſeipſos tanquam ſignum purioris vitæ, rudioribus ad imitationem prudenter exhibere, juxta Apoſtolum comã non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſpheræ radant; quia ſicut diſcreti debent eſſe in converſatione, ita & in tonſura, & in omni habitu diſcreti debent apparere*. Hoc etiam præcipitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 18. de Reform. Et in Concilio Carthagin. IV. can. 44. prohibetur clericis, ne comam & barbam alant. Varia fuit tonſuræ ratio. Nam in Hiſpania, ob hæreticos, juſſerunt Epiſcopi ut declaretur, quòd Catholicis priùs uſitatam tonſuram uſurparent, eoque modo varios deciperent. Extat Canon Concilii Toletani IV. cap. 40. to. 2. part. 2. Concilliorum, pag. 353. *Omnes clerici, vel lectores, ſicut Levitæ & Sacerdotes, detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant. Non ſicut hucuſque in Gallicis partibus facere lectores videntur, qui prolixis, ut laici comis, in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpaniis hucuſq́; hæreticorum fuit. Unde oportet pro amputando ab Eccleſiis ſcandalo, hoc ſignum dedecoris auferatur, & ſit una tonſura vel habitus, ſicut totius Hiſpaniæ, eſt uſus. Qui autem hoc non cuſtodierit, fidei Catholicæ reus erit*. In Polonia contrarium fiebat, relinquebantur enim capilli in vertice, & reliquum caput tondebatur à Nobilibus ob Caſimirum è monaſterio eductum, ut regnaret. Cur autem integrum caput non tonderetur à Chriſtianis ad evitãdos ritus Judaicos, vel Gentilitios. Vide apud Baronium tom. 1. Annal. anno 58 n. 124. id eruditè aliaque ad tonſuram & coronam tum clericorum, tum ſacerdotum & monachorum tractantem.

Nota 5. Multi ſunt, qui caput raſum habeant, & tamen graventur tantâ multitudine peccato-
66. Pauci Deum ſibi pro ſua portione ſumunt.
rum, ut poſſint dicere cum Davide Pſalm. 39. 13. *Multiplicatæ ſunt* (iniquitates) *ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me*. S. Ambroſ. paucitatem eorum, qui totos ſe Deo tradant, & Deum unum ſibi quærant, admiratur in Pſal. 118, Octon. 8. *Quam rarus*, inquit, *in terris, qui poteſt dicere; Portio mea Dominus: quàm alienus à vitiis, quàm ſegregatus ab omni labe peccati, qui nihil habeat commune cum ſeculo, nihil mundi hujus vendicet ſibi, cui non ſit corporalium poſſeſſio cupiditatum quem non inflammet libido, non ſtimulet avaritia, non laſcivia effœminet, non luxuria decoloret, non ſternat ambitio, non maceret invidia, non aliqua negotiorum ſecularium cura ſollicitet, verùm miniſter altaris, Deo, non ſibi natus*. Hoc repræſentatum

Clerici in Levitis figurati poſſeſſionibus carebant.

eſt olim in tribu Levitica, quæ ſacerdotium habuit & omnes functiones Eccleſiaſticas. Levi enim ſignificat aſſumptum, vel aſſumptum mihi: ſive potiùs adhærentem mihi: ſeu copulatum, conjunctum. Qui ſacris altaribus deſtinatur, debet dicere; Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & cum eo fieri unus ſpiritus. Conſecratus Aaron à Moſe in Sacerdotem & filii ejus, elevati ſunt ab eo, ut oſtenderentur eos à terra in cœlum debere efferri, & Deo ſoli ſervire. Hoc præcipitur Exod. 29. 14. *Sanctificabis eos elevans coram Domino*: ideo non habebant partem in poſſeſſionibus terrenis aliarum tribuum, ut diſcerent Deo uni vacare. Deuter. 10. 9. *Non habuit Levi partem, neque poſſeſſionem cum fratribus ſuis; quia ipſe Dominus poſſeſſio ejus eſt*. Aliorum poſſeſſio ſunt agri, vineæ, prata, aliaque terrena. Negatur his, ut ait S. Ambr. terrena diviſio,

S. Ambroſii aurea ſententia.

ut ipſi dum ſecularem ſibi non vendicant portionem, *fiant cœleſtis poſſeſſio. Iſte nihil poſſidens nulli niſi Deo militat, ſupra terram ejus eſt portio, non cum terra deficit, non mari clauditur, Cui portio Deus eſt, totus poſſeſſor eſt naturæ pro agris igitur ipſe ſibi ſatis eſt, habens bonum fructum, qui nunquã poſſit perire. Pro domibus ſatis eſt ſibi, ut ſit habitatio Domini, & templum Dei, quo nihil poteſt eſſe pretioſius. Quid enim pretioſius Deo, aut quid deeſt ei viro, qui poteſt dicere: Non contingat mihi gloriare, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mũdo*. Hic vir Deo plenus etiam ſi bonis omnibus fortunæ ſpolietur dives eſt. Apoc. 2. 9. dicitur S. Polycarpo Epiſc. Smyrnẽſi: *Scio tribulationem tuã, & paupertatem tuam, ſed dives es*. Arca tua & domus exhauritur à perſecutoribus, ſed cor tuum divitiis cœleſtibus refertum, dives eſt Eccli. 44. 6. homines magni virtute dicuntur *homines divites in virtute*, & ad ſpei generis gloriam. 1. Timoth. 6. 17. jubet Paulus præcipi hujus ſeculi divitibus non ſublime ſapere, *nec ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum*. Alia ſunt mortua, & quorum non fruitio, ſed uſus tantùm permittitur: cœleſtibus frui, terrenis uti debemus. Ac verſ. 18. vult, illis præcipi benè agere, *divites fieri in bonis operibus*: modum mirabilem diteſcendi ſtatim attexit, *facilè tribuere communicare*: tribuere bona ſua pauperibus, per donationem; communicare per mutuum, commodatum, alioſque diſtinctos à donatione modos. Sequitur enim, *theſaurizare ſive fundamentum bonum in futurum*, hoc eſt, firmas opes, & benè fundatas, nempe virtutes, ut explicat S. Chryſoſtomus. Alii theſaurizant, ſed ſine ſolido fundamento, ſed in arena mobili: unde concidit domus, ut filiorum Job ad venti flatum, & ærugo ac tinea demoliuntur, & fures effodiunt ac furantur. Hos ſpernit Deus, & felices dicit pauperes, quorum eſt regnum cœlorum. Jacobi 2. 5. *Deus elegit pauperes in hoc modo, divites in fide, & heredes regni*. Seneca optimè epiſt. 18. *Nemo eſt Deo dignus, quam qui opes contempſit, quarum poſſeſſione tibi non interdico, ſed efficere volo, ut illas intrepidè poſſideas*. Ne ipſis quidem clericis interdicitur poſſeſſio divitiarum atque opum, ſive immobilium, ſive mobilium: error enim eſſet Waldenſium, qui docebant ſucceſſoribus Apoſtolorum, nempè Papæ & Prælatis Eccleſiaſticis, repugnare dominium in temporalibus, nec eis licere habere divitias temporales. Joannes de Polemar Archidiaconus Barcinonenſis, Apoſtolici palatii cauſarum auditor, in Concilio Baſileenſi erudi-

eruditam ea de re habuit orationem contra Bohemos in eadem hæreſi exiſtentes, ubi probat Sacerdotium novæ legis eſſe ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui fuit ſimul Sacerdos & Rex: atque ipſum Aaronem & Levitas multa poſſediſſe, nempe aurum, argentum ſervos, ancillas, oves, aliàq; bona mobilia: item domos, urbes, atque ſuburbana, & docet Cornelius, extra Judæam potuiſſe poſſidere agros non minus quàm cæteros Judæos, qui non erant de genere Levitico. Sed dic tu cum Paulo, Philipp. 3. 8. *Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe* (Syrus inopiam) *propter eminentem ſcientiam JESU Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci*, [illegible], *pro damnis reputavi:* quò plura congero, ſentio me plus amittere: è cœlo enim in terram devocor, & dum terrâ cor oppleo, cœleſtia dona ex eo defluunt, *& arbitror ut ſtercora*, [illegible], ſtercus, fimum, rem vilem, & quæ per contemptum abjicitur. S. Baſilius in Regul interrog, 8. vertit, *rejectamenta*. Theodoretus, *paleas*, ſeu ariſtas. Sanctus Hieronymus Dialog. contra Pelag. capite 3. *quiſquilias*, Omnia ſunt abjicienda ut rejectamenta, paleæ, quiſquiliæ, ſtercora; & cauſam addit Apoſtolus Pſalmo noſtro aptiſſimam, *ut Chriſtum lucrifaciam*, Dominus para hæreditatis meæ, hic eſt tota portia mea, cætera ut nihilum ſunt ante Deum, id eſt, Deum aſpectanti: & ut decet, ponderanti. Hæc eſt margarita Evangelica, quam qui invenit homo, abit à rebus terrenis, & vendit omnia quæ habet, & emit eam. Matth. 13. 55. nec una tantum & ſingularis eſt gemma, ſed ager plenus auri & gemmarum, qui theſaurum, ſed multis abſconditum & incognitum in gremio ſuo fovet, verſ. 44. Terra & terræ deſideria prius tollenda ſunt, quam illius fulgor appareat, & oculos mentis ad ſe rapiat.

57. Certitudinem hæreditatis conſequendæ ſubji-
Verſ. 5. cit Vates noſter, ſeu Chriſtus potiùs in Pſalmo no-
2. Pars. ſtro loquens, verſ. eod. 5. *TU ES QUI RESTITUES HÆREDITATEM MEAM MIHI*. q. d. Reddes teipſum, qui es mea hæreditas: quodammodo enim te mihi abſtuliſti, cùm noluiſti ut connaturaliter dimanans ab anima glorificata corporis gloria, ex ea reſultaret; atque juſſiſti, ut me exinanirem, & bonis meis ſpoliarem: tu hæc mihi aliáque ablata reſtitues. Secundò, & melius, *reſtitues*, ponitur pro *dabis*. In Hebr. תּוֹמִיךְ *thomich*, ſignificat eum qui rem ſuſtinet ne cadat, qui eam apprehendit ac tenet, qui poſſidet. Hieronymus hic vertit: *Poſſeſſor ſortis meæ*. Suſtentat itaque Deus coronam Sanctorum, eam manu tenens, ut advenientes coronet corona vitæ, & felicitatis æternæ; ſuſtentat hæreditatem, ſtabilem & certam reddendo. S. Petrus 1. epiſt. 1. vocat. *Hæreditatem incorruptibilem conſervatam in cœlis* S. Paulus 2. Timoth. 1. 12. Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens ſervare depoſitum meum in illum diem.

58. Excellentiam hæreditatis exultans aperit, v. 6.
Verſ. 6. *FUNES CECIDERUNT MIHI IN PRÆ-*
1. Pars. *CLARIS: ET ENIM HÆREDITAS MEA*
Hæredi- *PRÆCLARA EST MIHI*. Hebr. שָׁפְרָה *ſo-*
tas cœ- *phra*, *ſpecioſa ſuper me*. 1. Pluſquam meteor. 2.
leſtis eſt In cœlis. 3. Quia ibi omnes ſunt Reges & coronati,
præcla- eſt hæreditas *ſapphirina*. Tob. 13. 21. Portæ Jeru-
ra. ſalem *ex ſapphiro*. & ſmaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum ejus. Sioni dicitur, id eſt, Eccleſiæ militanti, Iſa. 54. 11. Paupercula, tempeſtate convulſa, abſque ulla conſolatione. Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos: & *fundabo te in ſapphiris, & ponam jaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles*. Nonne hæc hæreditas eſt *ſophra*, ſpecioſa & ſapphirina? Vide cap. 21. Apocalypſis. Erunt ibi ſanctiſſimi Nazaræi, id eſt, ſeparati, ſegregati omni concretione mortali, *ſapphiro pulchriores*. Thren. 4. 7. Syrus in Pſalmo noſtro vertit: Hæreditas mea *mihi placuit*. Cui verò non placeret, præſertim cùm ſit, ſicut interpretatur Arabs. *perpetua in æternum*.

Nota, Donationem illius hæreditatis ex mera 59.
Dei liberalitate & prædeſtinatione initium ducere Ex me-
oſtendit Vates, cùm ait funes *cadere* in præclaris. ra libe-
Funibus enim ſuos agros metiebantur Judæi, ut ralitate
patet Joſue 17. 5. & 14. atque cap. 19. 9. ubi et- Dei do-
iam pro ipſa hæreditate funiculus accipitur. Cùm natur.
iiſque hæreditas aliqua aut regio dividebatur ac diſtribuebatur multis filiis aut incolis, & cùm alicui in ſortem ferax ager obtigerat, dicebantur funes illi cecidiſſe in præclaris, ſupple locis vel agris. Hebr. vox נְעִימִים *neimim*, hic poſita, ſignificat 1. jucunda ſeu *amœna*, ut vertit Muiſius. 2. *dulcia*, ut Chaldæus. 3. *proſpera* 4. *pulcherrima*, ut S. Hieronymus. 5. [illegible], id eſt, *optima*, & in omne fortunæ telum munita, ut Septuaginta. Omnia complexus eſt interpres noſter, cùm vertit, *præclara*: nempe, in jucunditate, amœnitate, dulcedine, felicitate, pulchritudine, firmitate.

Nota 2. Sorte funis hic cadit. 1. Epheſ. 1. 11. 60.
In quo & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſe- Sorte di-
cundùm propoſitum ejus. Græcè [illegible]. ſorte vina
ducti ſumus, ſine merito noſtro primâ gratiâ voca- præde-
ti, metaphora 1. ducta ab aleatoribus, qui jacto ſtinati
alcæ de lucro vel re quapiam ſortiuntur, ut expli- ſumus.
cant S. Anſelmus & S. Thomas. 2. & ad rem noſtram aptè, [illegible], in ſortem & partem hæreditatis filiorum Dei vocati & aſſumpti ſumus, ut exponunt S. Ambroſius ac S. Hieronymus. Cum dividenda fuit terra Chananæorum Iſraelitis, juſſit Joſue ſortes jaci, ut querelis locus non eſſet. Sic cap. 15. 1. pars hæreditatis illius, quæ contigit, tribui Juda, vocatur ſors, & cap. 16. 1. pars filiorum Joſeph, nempe Ephraim & Manaſſe. Et cap. 17. 14. ſors cum funiculo menſorio jungitur; dixerunt enim duæ illæ tribus, Ephraim & Manaſſe Principi & diſtributori Joſue: *Quare dediſti mihi poſſeſſionem ſortis & funiculi unius, cùm ſim tantæ multitudinis?* Erat illa ſors & hæreditas figura terræ cœleſtis diſtribuendæ prædeſtinationis, & ſorte felici vocatis. Coloſſ. 1. 12. *Dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine:* ſine ullo merito noſtro, ſed ſolâ ſuâ gratiâ per baptiſmum & gratiam vocationis ad Chriſtianiſmum, Deus dignos nos fecit, ut adhuc in vivis agentes partem ſeu participationem obtineamus ſortis, id eſt, hæreditatis ſanctorum, quæ poſita eſt in lumine fidei & cognitionis Dei ac bonorum operum in hac etiam mortali vita, & poſteà perfectiùs in viſione Dei & gloria cœleſti, cùm ex hoc degravante corpore emerſerit anima, & in patriam ſuam pervenerit. S. Auguſtinus in Pſal. 34. *Sorte, id eſt, gratiâ* (vocati ſumus) *nam ubi ſors eſt, non eſt electio, ſed voluntas Dei: ubi enim dicitur, iſte fecit hoc, iſte non fecit, merita conſiderantur: & ubi merita conſiderantur, electio eſt, non ſors; quando autem Deus merita nulla invenit, ſorte voluntatis ſuæ nos ſalvos fecit, quia voluit, non quia digni ſumus, hæc eſt ſors*. S. Ambroſius in exhort. ad Virgin. *Sicut*, inquit, *ſortis eventus non eſt in noſtra poteſtate, ſed quam caſus attulerit: ſic gratia Domini, non ex mercedis merito, ſed Domini voluntate defertur*. Vide Pſ. 30. 15.

Tropolog. Funes in præclaris *cadunt*, cùm hu- 61.
miliamur, & per humilitatem obtinemus cœle- Trop I.
ſtem hæreditatem. Hæc eſt mens S. Gregorii l. 33. funes in
Moral. cap. 9. *Funes in præclaris cadunt, dum per* præcla-
humi- ris.

cadunt per humilitatem ſalvatis. 2. Religioſis.

humilitatem vitæ fortes non patriæ melioris excipiunt. Secundò, alter Thomas Jorgius Angelicus ad Religioſos locum noſtrum traducit. Nam funes ſunt, obſervantiæ regulares, quæ dicuntur cecidiſſe, quia deſuper venerunt. Regula data eſt S. Pachomio ab Angelo, & S. Franciſco dictata. In mundo tres ſunt funes omnia conſtringentes: concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Ita in religione ſunt tria vota, de quibus poſſis dicere id, quod habetur Eccleſ. 4. 11. *Funiculus triplex difficile rumpitur.* His colligatus eſt Iſaac ab Abrahamo immolandus, Geneſ. 22. 9. *Cumque alligaſſet Iſaac filium ſuum* [Iſaac riſum ſignificat, filius à riſu dicitur, delectationes ſuas etiam licitas religioſi immolant Deo] *poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum:* In Chriſti cruce.

Sapientibus.

Funes illi cadunt in præclaris, Eccleſiaſtici 6. 30. *Erunt tibi compedes ſapientiæ in protectionem fortitudinis, & baſes virtutis, & torques illius in ſtolam gloriæ: decor enim vitæ eſt in illa, & vincula alligaturæ ſalutaris.* Ligat ad pedem crucis, ubi lavamur & vivificamur ſanguine Salvatoris. Quàm pulchra ſit ipſa ſapientia, habes 24. 17. ubi comparatur cedro, cypreſſo, palmæ, roſæ, olivæ, platano, cinnamomo, balſamo, myrrhæ, ſtoraci, galbano, ungulæ, guttæ, thuri, terebintho, viti. Quàm pulchri ipſius alumni docetur cap. 39. 17. *In voce dicit* [ipſa ſapientia Dei] *obaudite me divini fructus, & quaſi roſa plantata ſuper rivos aquarum fructificate: quaſi libanus odorem ſuavitatis habete, florete flores quaſi lilium: & date odorem, & frondete in gratiam.*

62. Cœleſtis hæreditas eſt amanda. *S. Nivardi pium reſponſum.*

Nota. Amanda eſt hæc hæreditas, & cæteris præferenda. S. Nivardus S. Bernardi frater natu minimus pergentibus ad religioſam vitam amplectendam fratribus, & terrenam ſe illi hæreditatem relinquere dicentibus, ait: Vobis ergo cœlum, mihi terra? non ex æquo diviſio hæc facta eſt. Itaque brevi tempore elapſo ad eos abiit. Malè quidem hìc ubi legimus *funes*, & Hieronymus, *linea*, Thomas Jorg. Cardinalis legit *vinea.* Non malè tamen hæreditatis ſervandæ curam conferemus deſiderio Naboth vineam ſuam conſervandi: noluit enim eam vendere Regi Achab, ut ex ea faceret hortum oleum, atque, ad hoc urgenti, ait 3. Reg. 21. 3. *Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.*

Si eam hæreditatem vis conſequi, ſis Iſaac, ejicietur enim filius ancillæ, nec erit hæres cum filio liberæ: non vult ſolo timore ſervili duci ſervos Deus. Gen. 21. 10. Deus Abrahamo præcipit: *Ejice ancillam hanc & filium ejus: non enim erit hæres filius ancillæ cum libera.* Sara Dominam ſignificat, dominari vitiis contende. *Fecit nos* Chriſtus *regnum*, id eſt, Reges, *Deo & Patri.* Apocal. 1. 6. Sunt etiam qui eâ ſe hæreditate privant propter bonorum temporalium & vilium aviditatem, ſicut Eſau vendens ſua primogenita Jacobo, id eſt, luctatori in vitia, propter lentis Ægyptiæ edulium, Geneſ. 25. 34. *Accepto pane, & lentis edulio, comedit & bibit, & abiit, parvi pendens quòd primogenita vendidiſſet.* Sed poſteà fruſtrà irrugit clamore magno, & conſternatus eſt audiens ſibi à fratre ſuo Jacob præreptam eſſe paternam benedictionem, ſeque illius eſſe ſervituti ſubjugatum.

Allegor. S. Athanaſius explicat funes cadentes in præclaris, de vinculis charitatis Chriſti erga Eccleſiam, quæ præclara, placens, & grata illi eſt.

ARTICULUS II.

Deus dat ad cœlum tendentibus ſapientiam.

Propoſitâ & laudatâ ſuâ hæreditate in cœlis, exultat David, ut Chriſtus potiùs, ut ſæpè monui, quòd ſibi Deus dederit ſapientiam, quâ & illum videret, & viam rectam quæ ad eum ducat, oſtenderet. Verſ. 7. *BENEDICAM DOMINUM QUI TRIBUIT MIHI INTELLECTUM: INSUPER ET USQUE AD NOCTEM INCREPUERUNT ME RENES MEI.* Renes intelligit 1. S. Thomas culpas & infirmitates noſtras, quas ſoluturus venit Jeſus, & tanquam ſuas reputat. Pſal. 21. 1. *Verba delictorum meorum*; pro quibus vadem me ac ſponſorem exhibui, pelles ſunt hœdorum, quibus collum & manus Jacob involvit, Geneſ. 23. 16. ſunt vulnera, ob quæ reputatur leproſus, Iſa. 53. 4. Secundò, Ugo Card. exponit de carnis tentationibus, ſed eas nunquam paſſus eſt Jeſus: tamen pro culpis indè exortis in ſuo corpore myſtico & flagellis cædi, & nudus in cruce pendere: ac ſpinis configi voluit, ut inpoſterum ſtimulos carnis retunderet, atque delicias & impudentiam coerceret. Queritur David Pſal. 37. 8. renes ſuos impletos eſſe *illuſionibus:* non eſt vera & ſolida voluptas, eſt tantùm illuſio & phantaſma avolans ac perturbans quæ in renibus concoquitur, niſi divino igne *urantur*, & cor ipſum. Id poſtulat Pſal. 25. 2. tunc Primò à Deo *poſſidentur*, Pſal. 138. 13. Secundò, *commutantur*, à deliciis carnalibus ad ſpirituales Pſal. 72. 21. Tertiò, *zonâ pelliceâ accinguntur* ab Elia, id eſt, à mortificatione, 4. Reg. 1. 8. Quartò, *gladio* proteguntur à Judæis ædificantibus muros Jeruſalem, priùs à Chaldæis uxuſtæ, id eſt, per fortitudinem ab iis qui reparant animam, ut ſit viſio pacis, ut ſit pacifica, & incendii ſtygii ruinæ reparentur. Quintò, *offeruntur* in altari cum adipe, Levit. 3. 4. Sextò denique, *exultant* ob noſtra & aliorum opera bona, Prov. 23. 16. auro obrizo accinguntur, id eſt, charitate, ſicut Angelus à Daniele conſpectus, Dan. 10. 5.

63.

Verſ. 7. 1. Pars.

Renes ſymbolum ſunt 1. peccatorum.

3. Et melius, cogitationum.

Tertiò, per renes rectiùs intelligemus abſcondita cordis arcana, & ſecretiſſimas cogitationes. Hæ enim *increpant* nos: hoc eſt, Primò, reprehendunt & caſtigant, ut Chaldæus Paraphraſtes explicat. Secundò, & meliùs, *erudierunt nos*, ut vertit S. Hieronymus: utrumque ſignificat vox Hebraica *jaſar.* Sed latiùs patet, ſi de eruditione ſapientiæ explicemus, & magis facit ad rem propoſitam. Job. 38. 36. dicitur: *Quis poſuit in viſceribus hominum ſapientiam?* Cajetanus & Iſidor. variique Rabbini reddunt, *in renibus.*

64. Dei eſt dare intellectum & ſapientiam.

Nota. Deus dat intellectum, id eſt, ſapientiam: ut, ſicut ait Ugo Cardin. iſta hæreditas videri poſſit & credi. Videri in patria, credi in via. Nam, ut loquitur S. Dionyſius: Sapientia eſt altiſſimum *lumen* per tenebras & caliginem divinitatis; in eam caliginoſam lucem intrat Moyſes, id eſt, vir extractus ab aquis Nili, qui eſt שחור *ſihor*, Jerem. 2. verſu 18. id eſt, niger, quòd ſit tenebroſus: tenebræ & turbatio ſunt apud Ægyptios, lux emicat ſuper filios Iſraël mare rubrum tranſeuntes, & ſtatim poſt tranſitum Jordanem Elias rapiatur in curru flammeo & Angelico? in Iſraëlitis duce columnâ fulgidâ mare tranſeuntibus, vides initium ſapientiæ ducentis per medias tribulationes & tentationes. Secundò, in Moyſi ingrediente ignem fumantem in ſummo Sinai vertice, illuminativa in vita virtutum luce circumcinctos: undique circumdat ignis & fulgor, ſed adhuc fumat. Exod. 19. 18.

& mons

& mons eſt terribilis, undè pauci ad eum accedere. Tertiò, in Elia curru igneo & equis igneis, id eſt, Angelis, qui ſunt miniſtri Dei, & ardent inſtar flammæ ignis, abrepto, vides eos qui Deo prorſus uniuntur, ac ſine labore in cœlum uſque evolare, 4. Reg. 2. 11. Ut mare rubrum tranſeas, & hoſtes inſequentes fugias, ingens labor & trepidatio eſt. Exod. 14. 11. ibi *timet* populus Dominum. Verſu 31. ut Moyſes montem aſcendat, labor requiritur, ſed nullus hoſtis à tergo eſt: Joſue, id eſt, Jeſus & humanitas ejus in latere noſtro eſt, cùm ſe fratrem noſtrum fecerit, & ſimilem nobis exhibuerit, ut exemplo ſuo animaret: ante oculos verò eſt Deus in montis vertice vocans & animans, ac lucem oſtendens. Ut ab Angelis in curru igneo rapiaris, nullus labor eſt, ſed jucunditas & inflammatio cordis ac dilatatio: ibi anima non ſolùm currit in odorem unguentorum, ſed volat in ſinum ſponſi, & cum eo liqueſit, ut fiat non caro una; ſed cor unum & anima una, atque unus ſpiritus. 1. Cor. 6. 17. *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*, cum eo ſcilicet: undè cùm Elias in cœlum rapitur, ab ipſo Eliſæo dividitur, 4. Reg. 2. 11. *Cumque pergerent, & incedentes ſermocinarentur, ecce currus igneus & equi ignei diviſerunt utrumque: & aſcendit Elias.* Non priùs aſcendit, quàm ab omni homine dividitur: funes abrumpendi ſunt, ut avis avolet.

56. Nota ſecundò, Sapientia à Deo data eſt lux. Pſ. 118. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen ſemitis meis.* Vide ibi dicta. Semper lucet in anima, Deo conſecrata. Exod. 27. 20. *Ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii.* Per ſeptem dona Spiritûs ſancti in charitate radicata, ut in candelabro aureo Moyſis. Exodi 25. ℣. 37. *Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper candelabrum, ut luceant ex adverſo*, altare thymiamatis erat in prima parte tabernaculi, quæ vocabatur Sanctum, & quidem prope velum, quod dividebat illud Sanctum à Sancto Sanctorum, id eſt, à parte tabernaculi ſanctiſſima: ex utraque altaris parte erat hinc menſa panum propoſitionis, indè candelabrum aureum: hoc quidem in parte Meridionali, menſa autem in parte Aquilonari. Candelabrum itaque erat ſitum ex adverſo menſæ, ſeu è regione ipſius, verſus illam obverſum. Cùm enim menſa illa eſſet veluti menſa Dei, in qua cœna ipſa pararetur, ratio poſtulabat, ut in cœna nocturna lucernæ ſplendorem ſuum præberetur. Euchariſtia eſt cœna Dei, ubi ipſe ſumitur: in nocte fit, ad eam eundum eſt accenſis lampadibus ſapientiæ, ut per contemplationem ejus myſteria admiremur & deguſtemus. Euphorion in hiſtoricis Commentariis refert, Dionyſium Juniorem in Tarentinorum curia candelabrum poſuiſſe, in quo tot arderent lucernæ, [illegible] *quot dies anni ſunt:* Deus verò juſtis tot penè lucernas accendit, quod ſunt vitæ momenta. Apocal. 2. 1. *Qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum.* Ambulabat 1. ut oleum gratiæ ſingulis infundat. 2. Ut accendat lumen ſapientiæ. 3. Ut emungat ſubnaſcentes imperfectiones in ipſa menſis luce ob cineres corporis humani, & opacitatem atque materiam. Hæc erant munera ſacerdotis hebdomadarii.

Sapientia à Deo data nos illuminat.

1. Eſt lucerna candelabri Moſaici.

2. Non lucerna tantùm, ſed ſtella, eſt cœleſtis ſapientia. Apoc. 2. 28. dicitur Epiſcopo Thyatiræ: *Qui vicerit, dabo illi ſtellam matutinam*, id eſt, Primò, gratiam juſtificantem, ut ait Maldonatus. Secundò, Angelum cuſtodem, ut Dionyſius Carthuſianus. Tertiò, Chriſtum, ut Alcazar. Quartò, ad rem noſtram explicans Joachimus Abbas ait, ſtellam illam matutinam eſſe fidem & donum ſcientiæ, qua præcognoſcimus ea, quæ in cœlo viſuri ſumus: atque, ut ait Gagnelus, eſt clara rerum divinarum intelligentia, præſertim ſanctæ Scripturæ: hinc ſtella duxit Magos ad Chriſtum. Adde etiam dici poſſe matutinam, quia datur in prima adoleſcentia iis, qui ab eadem adoleſcentia portant jugum Domini.

2. Et ſtella matutina.

3. Sapientia quoque, Solis inſtar, orbem illuſtrat & fœcundat: & quos illuminat, facit eſſe paſtelia. Eccli. 27. ℣. 12. *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol: nam ſtultus ſicut luna mutatur.* Sapientia in ſe ſuum habet lumen, eoque in Dei amorem ſuccenditur: ſtultus verò, id eſt, peccator, ac præſertim ſuperbus, lucem ſuam aliundè emendicat. S. Bernardus ſerm. in Nativit. S. Joannis Baptiſtæ. *Quia*, inquit, *ſplendet luna ſine fervore, modò plena, modò nulla videtur. Mutuatum ſiquidem lumen nunquam in eodem permanet ſtatu: ſed creſcit, deficit, extenuatur, annihilatur, & penitus non comparet. Sic, qui conſcientias ſuas in alienis labiis poſuerunt, modò magni, modò parvi, modò nulli, ſecundùm quod adulantium linguis, vel vituperare placuerit, vel laudare. At verò Solis ſplendor igneus eſt, & cùm fervet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic ſapientis ardor internus foris lucet, & ſi ei non datur utrumque curat ſemper ardere magis, ut Pater ejus qui videt in abſcondito, reddat ei.* In Pactolo fluvio dicitur naſci lapis, pumici ſimilis, qui quater quotidie colorem mutat. Plinius lib. 36. c. 10. meminit gemmæ Selenitæ, quæ ex candido tranſlucet *melleo fulgore*, imaginem lunæ continens, redditque eam in dies ſingulos *creſcentis minuentiſque numero*, naſcique putatur in Arabia. Meminit etiam gemmæ Solis in eod. c. 10. *Solis*, inquit, *gemma candida eſt, & ad ſpeciem ſideris in orbem fulgentes ſpargit radios.* Nulla ibi eſt imminutio. Sol eſt Chriſtus, ut infrà mox dicam, ejus radios ſuſcipit ac reddit ſapientis animus. Eccli. 17. 6. dicitur Deus creaviſſe hominibus ſcientiam ſpiritûs, & ſenſu impleviſſe cor illorum, & mala & bona oſtendiſſe illis; ℣. 7. additur, poſuiſſe *oculum ſuum ſuper corda illorum*, radios juſti reflectunt, ſicut ſpecula lucentia & ardentia: vel potiùs ut novi ſoles. Verſu 16. *Omnia opera illorum velut ſol in conſpectu Dei.* Heliotropium gemma naſcitur in Æthiopia, Africa, Cypro, porracei coloris, ſanguineis venis diſtincta. Cauſa nominis, quoniam dejecta in vas aquæ fulgorem Solis accedentem percuſſa ſanguineo mutat, maximè Æthiopica: *eadem extra aquam* ſpeculi modo ſolem accipit, deprehenditque defectus, ſubeuntem lunam oſtendens. Sic vir pius ſolem divinum capit, & in corde fovet, atque operibus exhibet.

3. Imò eſt ſol.

4. Sapiens denique, alter Deus eſt in terris. Seneca lib. de Conſtantia: *Sapiens exceptâ mortalitate ſimilis eſt Deo.* Et epiſt. 53. *Deus natura beneficio ſapiens, vir ſapiens ſuo. O res magna habere imbecillitatem hominis, & ſecuritatem Dei.* Hæc indigent benignæ interpretationis. Nullus porrò vim illius poteſt infringere, qui Deum in ſe habet dominantem, & radios explicantem. Cùm S. Stephanus plenus gratiâ & fortitudine, faceret prodigia & ſigna magna in populo, ſurrexerunt quidam de ſynagoga Libertinorum, id eſt, de collegio filiorum, qui nati erant ex parentibus in ſervitutem à Pompeio abductis, ſed poſteà libertate donatis: his admiſcuerunt ſe quidam de ſynagoga Cyrenenſium, ex urbe Africæ Cyrene ortum ducentium; Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia & Aſia minore; ſed ut dicitur Act. 6. 10. *Non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur.* Sicut in energumenis ſpiritus malus & tartareus loquitur, ita in ſanctis viris Spiritus S. Hoc aſſerit Chriſtus Matth. 10. 20. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis,

4. Et Deum quendam in terris facit.

vobis, Efficacia autem ipſius declaratur Luc. 21. 15. *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri.* Seneca dicebat, Sapientem diis parem pura, & Deum in corpore habitantem.

66. Rari ſunt ſapientes. Virtus ſapientiam dat.

Nota 3. Raram avem in terris admirati ſunt ethnici, ſapientem. Seneca epiſt. 41. *Sapiens ut phœnix, anno quingenteſimo ſemel naſcitur.* Comes tamen individua virtutis eſt ſapientia. Eccli. 43. ℣. 37 *Dominus piè agentibus dedit ſapientiam.* In omni ſacrificio erat ſal: ſi Deo te immolaveris per mortificationem, ſal tibi non deerit per divinam infuſionem ſapientiæ. Coloſſ. 4. ℣. 6. *Sermo veſter ſale ſit conditus.* Matth. 5. ℣. 13. dicitur Apoſtolis, *Vos eſtis ſal terræ*, illud in terram, id eſt, animam humilem largâ manu conjicit Deus: datur etiam cœleſtia ſpeculantibus, Eccli. 36. 16. *Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis.* Sion ſignificat ſpeculam, & c. 39. 8. *Spiritu intelligentiæ replebit illum*, ſapientiam ſcilicet: ita ipſum ſpiritu replet, ut nihil vacuum reſtet carni quod ab ea repleatur.

67. Cœlum eſt vir ſapiens.

Cœlum fit ſapiens, ſtellis fixis in contemplatione irradians, & planetis ſeu ſtellis errantibus & hac illac diſcurrentibus in actione. Has omnes illuminat divina ſapientia, ut ſol admirabilis, Eccli. 24. 8. *Gyrum cæli circuivi ſola*: id eſt, totum animum ſapientis: intellectum illuſtrans, voluntatem accendens, confortans memoriam, imaginationem expurgans, & ſenſibus omnibus neceſſaria ſufficiens. Si placet id commodius intueri, relege à verſu 6. ejuſdem capitis, ubi eadem Sapientia ſic loquitur; *Ego feci in cælo ut oriretur lumen indeficiens* (in terra, lumen eſt cum labore ac ſumptu, & citò deficit) *& ſicut nebula texi omnem terram* (corpus refrigerans) *Ego in altiſſimis habitavi* (in contemplativis) *& thronus meus in columna nubis* (in homine ſtabili, & alios in deſerto hujus vitæ illuminante) *gyrum cæli* (partem animæ ſuperiorem) *circuivi ſola*, (ad eam non pervenit hoſtis tenebroſus) *& profundum abyſſi penetravi* (partem animæ inferiorem) *in fluctibus maris ambulavi* (in paſſionibus ſecura extiti, & ſecuros feci) *& in omni terra ſteti* (in toto corpore, licèt in cavernis venti fremerent, ac minas concuſſionis intentarent) *& in omni populo.* In omnibus ſenſibus. Ac poſteà ℣. 13. dicitur: Primò, in Jacob ſapientiam inhabitare, id eſt, in homine luctante per actionem contra vitia, dum eſt in vita purgativa. Secundò, in Iſraël hæreditare, id eſt, in homine Deum per contemplationem vidente, dum eſt in vita illuminativa. Tertiò, in electis mittere radices, id eſt, in viris jam perfectis, qui ſunt in vita unitiva. Et ℣. 15. idem exprimitur, cùm ait, ſe Primò in Sion firmari. Secundò, in civitate ſanctificata requieſcere. Tertiò, in Jeruſalem habere poteſtatem. Ex ℣. 16. ſe 1. radicari in populo honorificato. 2. In parte Dei habere hæreditatem. 3. In plenitudine Sanctorum habere habitationem.

68. Sine virtute nullus eſt ſapiens.

Nota 4. Virtus præcat oportet, ut ſapientia ſequatur. Pſalmi 41. titulus eſt: *Intellectus filiis Core.* Quorum erat Deum laudibus celebrare: erant enim aliqui Levitæ, oriundi à filiis Core in Moyſem & Aaronem rebellis, qui terrâ abſorptus eſt. Magno enim miraculo, cùm pater & reliqua familia in hiatum terræ dejiceretur, in aëre ſuſtentati ſunt filii ab Angelis, donec os illud terribile clauderetur. Illis datur intellectus, qui in terram non immittuntur cæcâ divitiarum & honorum cupiditate, ſed in aëre pendent cum Chriſto in Calvariæ monte. *Core*, clavum ſignificat: in monte Calvariæ crucifixus eſt Chriſtus; undè S. Auguſtinus filios Core, ait eſſe Chriſtianos, filios Crucifixi. Non ſapit divina, qui terræ ſeſe inſtar talpæ infodit, aut in animum ſuam fœtores ſulphureos Sodomæ, Gomorrhæ, & aliarum civitatum in aquam putridam converſarum injicit. Caſſian. collat. 14. quæ eſt de ſcientia ſpirituali, cap. 14. *Impoſſibile eſt immundam animam, quantulibet deſudaverit lectionis inſtantia adipiſci ſcientiam ſpiritalem. Nemo enim in vas fœtidum atque corruptum, unguentorum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretioſi quicquam liquoris infundit. Faciliùs enim quamvis odoratiſſimum myrrum ſemel horrendis imbuta fœtoribus teſta contaminat, quàm ut aliquid ex eo ſuavitatis aut gratiæ ipſa concipiat: quia multò citiùs munda corrumpuntur, quàm corrupta mundantur. Ita igitur & vas pectoris noſtri, niſi priùs fuerit ab omni fœtidiſſima vitiorum contagione purgatum, nec merebitur ſuſcipere illud benedictionis unguentum, de quo dicitur per Prophetam: Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus: nec illam ſcientiam ſpiritalem & eloquia Scripturarum, quæ dulciora ſunt ſuper mel & favum, impolluta ſervabit. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci cum tenebris? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* Ita Caſſian.

69. Peccator eſt ſtupidus inſtar equi & muli.

Peccatores ſunt ſicut equus & mulus, quibus non eſt *intellectus*, Pſal. 31. cœlitus autem ſapientia delabitur in capita juſtorum, & ſedet ſuper illos, illis inhabitat, & ſignatum eſt ſuper eos lumen illius. Jobi 35. verſu 11. Eliu ejus amicus Deum laudans, ait: *Qui docet nos ſuper jumenta terræ* (pluſquam voluptuarios) *& ſuper volucres cæli erudit nos*, pluſquam ſuperbos, & vanitatis alis ſublimia petentes. In beſtiis pleriſque tanta eſt ſagacitas, ut iis animam rationalem ineſſe putârint Pythagoras, Plato, Anaxagoras, Porphyrius, Empedocles, Democritus: &, ut ait ſanctus Auguſtinus libro ſexto contra Fauſtum, Manichæi: & teſte ſancto Epiphanio, Marcion ac Valentinus. Seneca epiſtola 122. *Appares brutis ineſſe appetitum: quod nihil amplius ſi intellexerint, facerent.* Pineda noſter, in locum Jobi citatum, multa refert de animantium & volucrum prudentia, illum ſi placet, conſule. Mirum certè eſt, cornicem illam, quam Mares Ægyptiorum Rex cicurem habuit, poſtquam audiſſet quo volatus eſſet dirigendus & quænam regio tranſeunda, & ubi terrarum quieſcendum, eò Regis literas ocyus quàm quemvis nuncium pertuliſſe: ſed vereor ne aliquid ſæpè magicum ſubeſſet, ſicut in elephantis Cochinæ, de quibus aliàs.

70. Rationale ſapientiæ in pectore gerendum.

Sumus omnes in Chriſti libertatem aſſerti, *regnum & ſacerdotes*, Apoc. 1. ℣. 6. Geramus oportet in pectore rationale ſapientiæ, in quo ſit Urim & Tummim: ſumma ſcientiæ & perfectio virtutis. Aaroni, id eſt, homini *montano*, & ſublimi, atque ſtabili & inconcuſſo, dat Deus, Eccli. 45. ℣. 12. *Stolam ſanctam, auro, & hyacintho, & purpura, opus textile, viri ſapientis, judicio & veritate præditi, torto cocco opus artificis, gemmis pretioſis figuratis in ligatura auri, & opere lapidarii ſculptis.* Ubi legimus, opus textile viri ſapientis, &c. In Græco habetur, opere polymitarii, Rationali Judicii, ſignis veritatis. Janſenius ait fuiſſe ſigna veritatis in Rationali, quia eo indutus Pontifex veritatem manifeſtabat. Palacius cauſam eſſe putat, quia conſulto Domino à Pontifice in Rationalis gemmis ſplendor inſolitus emicabat. Addat ligaturam auri per charitatem, & ſculpat in gemmis nomina filiorum Iſraël, etiam cum ſuo damno per mortificationem & humilitatem, aliorum fulgorem expectet & quærat.

71. Alleg. Chriſtus

Allegor. Chriſtus præſertim, qui in hoc Pſalmo loquitur, dicere poteſt, *Benedicam Dominum*,

qui

Fuit plenus omni ſapientia.

qui tribuit mihi intellectum. Habuit enim 1. divinam ſapientiam ſibi à Patre datam ante omnia ſæcula, Apoc. 5. 12. *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt accipere divinitatem & ſapientiam.* Accipere in hominum mente, i. e. ut homines eum agnoſcant Deum & infinitè ſapientem. Hoc voce magnâ inclamant innumeri Angeli, animalia atque ſeniores in cœlo. 2. Habuit ſcientiam, quam habent Beati in cœlis, fuit enim comprehenſor, ut docet S. Tho. 3. p. q. 9. art. 2. 3. Habuit ſcientiam inditam ſeu infuſam, ib. art. 3. 4. Scientiam acquiſitam, art. 4. De ſcientia animæ beatæ agit fuſius q. 10. de indita vel infuſa, q. 11. de acquiſita, q. 12. Lege ibi pulcherrima, & Suares 3. p. tom. diſp. 24. & ſeqq.

Hæc undique effulgens, ut S. Joanni declaravit

Eſt Chriſtus Dei ſapientia, in eoque ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Hoc vidit S. Joannes Apoc. 1. 13. in illuſtri viſione, in qua ei oſtenditur, Primò, *veſtitus podere*, id eſt, tunicâ hyacinthinâ, propriâ ſolius ſummi Pontificis Judæorum, quæ denotat eum cœleſti ſapientiâ eſſe veſtitum, & ex omni parte ornatum: color hyacinthinus eſt color cœleſtis. Ibi etiam effulgebat Rationale in pectore. Secundò, apparet præcinctus ad mammillas *zonâ aureâ*, i. e. 1. caſtitate, ut ait Chryſoſtom quæ cor ſuccingit & conſtringit. 2. charitate, ut Thomas Angelicus. 3. pietate, ut Joachimus Abbas. 4. dignitate regiâ, ut Rupertus. 7. Clementiâ, ut Andreas Cæſarienſis. 6. ad rem noſtram de ſapientia ejus exponit Ansbertus. 3. v. 14. e. ejus & capilli erant tanquam *lana munda, & tanquam nix*, ut denotaret 1. puritatem vitæ, ut explicat Viegas. 2. Judicia ejus mundiſſima & juſtiſſima, ut Joachimus. 3. ejus æternitatem, ut Cornel. à Lapide. 4. ſapientiam, ut Alcazar: ſenum enim eſt propria prudentia. Quartò, *& oculi ejus tanquam flamma ignis*, ad ſignificandam 1. Chriſti iram & vindictam in perſecutores fidelium, & cæteros ſceleratos, ut ait Ribera. 2. ad oſtendendam mentem ejus omniſciam, juſtis lucentem, & reprobos incendentem, ut ait Gagneius. 5. v. 15 *Et pedes ejus ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti.* Pedes illos cenſet 1. Ribera eſſe hoſtes Chriſti ab eo calcandos, & gehennæ igne cruciandos. 2. S. Ambr. & S. Anſelmus eſſe fideles, qui vivent tempore Antichriſti, & perſtabunt firmi & conſtantes in igne perſecutionis. 3. ad noſtrum propoſitum dicunt Ticonius & Victorinus, pedes Chriſti eſſe Apoſtolos, qui nomen ejus per totum orbem deportarunt: eſſe autem aurichalco ſimiles, quia ſicut aurum effulſerunt, atq; ſicut æs conſtantes extiterunt. Sextò, *Et vox illius, tanquam vox aquarum multarum.* Illa vox eſt prædicatio Evangelii ſonora & potens, ut rectè exponit Pererius. Septimò, v. 16. *Et habebat in dextera ſua ſeptem ſtellas*: i. e, primò ſeptem dona Spiritûs S. ut placet Seraphino, & Ariæ Montano. Secundò, ſeptem ſpiritus cœleſtes, veroſque Angelos, ut ſanctu Gregorio Nazianzeno, & S. Hieronymo. Tertio, & propriè, ſeptem Epiſcopos Aſiæ, quorum eſt ſapientia ſua populos ſibi ſubjectos illuminare, ut cenſet Beda. Octavò, *& de ore ejus gladius utraq; parte acutus exibat*: i. e. verbum Dei, ſicut explicant Primaſius & Richardus à ſancto Victore. Nonò denique, *Et facies ejus ſicut ſol lucet in virtute ſua.* Alcazar 1. vult repræſentari fulgorem Romanæ Eccleſiæ. 2. Antonius ſplendorem Evangelii. 3. Seraphinus ſplendorem Apocalypſeos 4. S. Anſel. Perſonam fidelium ob claritatem gratiæ. 5. Lyranus ſpiritualem lucem mundi. Eſt enim Chriſtus lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Joan. 1. Oriens nomen ejus Zachariæ 6. v. 12. nunquam occidit, ſemper oritur volentibus. Lucæ. 1. v. 78. ait alter Zacharias pater S. Joannis Baptiſtæ: *Viſitavit nos Oriens ex alto.* Stat contra Gabaon, animam excelſam, & quæ ſe à Chananæorum amicitia ſeparavit, illuminans, Joſue 10. v. 12. Exultat ſicut gigas ad currendam viam in anima fervente. Pſal. 18. 6. radios ſemper par illuſtriores oſtendit, quo magis ad animam accedit, eiq; ſe intimius communicat, Lucæ 2. 52. *Proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Hoc ſanctus Vincentius Ferrerius declarat allato ſolis exemplo, qui per horas cenſetur creſcere ſecundùm ſplendorem: ſic ait, Chriſtus in ſapientia non profecit habitualiter, ſed effectualiter. In fano Iſidis & Oſiridis erat inſcriptum, ſicut teſtatur Proclus: ὃν ἐγὼ καρπὸν ἔτεκον, ἥλιος ἐγένετο, *quem pepers fructum, ſol eſt.* Hoc de divina ſapientia jure dixeris, de qua habes Sapientiæ 7. v. 28. *Neminem diligit Deus, niſi eum qui cum ſapientia inhabitat: Eſt enim hæc ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum luci comparata invenitur prior. Illi enim ſuccedit nox, ſapientiam autem non vincit malitia.* Apocalypſis primo, verſu 16. undecim analogias Chriſti cum ſole affert Cornelius.

72. *Nullam gratiam aut ſapientiæ lucem habemus ſine Chriſto.*

Nota. Negant pleriq; ſtellas fixas lumen ſuum â Sole mutuari: de planetis omnes id quidem fatentur, ſed ſpeciale adhuc aliquod ſingulis ſunt, qui tribuant: nihil autem prorſus gratiæ aut lucis habetur ab hominibus ſine Chriſto: qui ab eo recedunt, ejiciuntur *in tenebras exteriores*, non tantùm in interiores: ſtatim illorum peccata apparent, qui verò cum ipſo ſunt, fulgent ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates. Apocal. 1. 16. *Et habebat in dextera ſua ſeptem ſtellas.* Joachimus Abbas cenſet, ſtellas illas eſſe ſeptem planetas, & ſingulis adaptat virum aliquem virtute præſtantem, qui variis ſeculis orbi præluxerit: nempe Adamum, Noë, Abraham, Moſem, Davidem, Joannem Baptiſtam, & Eliam in fine mundi. Sed id melius, & ad literam, ut dixi, explicabis de ſeptem Epiſcopis Aſiæ ad quos ſeptem ſuas epiſtolas ſcripſit, quæ habentur in 2. & 3. capite. Nam Epiſcopi ſunt ſtellæ, Primò, ut alios ſplendore ſuo illuſtrent. Secundò, ut calore ſuo foveant & vivificent. Tertiò, ut influentiis vegetent. Quartò, ut in nocte luceant, id eſt, pauperibus, ignaris, & afflictis, non quærentes ſuam, ſed Dei gloriam, habentes opus in aperto, intentionem in occulto.

73. *Per Chriſtũ omnis gratia datur.*

Si vel in putei fundo jaceas, & factus ſis limus, Chriſto te Soli exhibe, & cum ardore ſplendorem recipies. Hoc figuratum eſt 2. Machab. 1. 19. ubi narratur, quòd cum in Perſidem & Chaldæam captivi ducerentur Judæi, Sacerdotes qui tunc erant cultores Dei, acceptum ignem perpetuum de altari holocauſtorum, abſconderunt in valle, ubi erat puteus altus & ſiccus, & in eo contutati ſunt eum, ita ut omnibus ignotus eſſet locus. Cùm autem præteriiſſent anni multi, ſcilicet 163. & placuiſſet Deo ut mitteretur Nehemias à Rege Perſidis, i. e. ab Artaxerxe, nepotes Sacerdotum illorum, qui abſconderant, miſit ad requirendum ignem; & ſicut narraverunt, non invenerunt ignem, ſed *aquam craſſam*, Et juſſit eos haurire, & afferri ſibi: & ſacrificia, quæ impoſita erant altari, juſſit cum eſſet Sacerdos, aſpergi ipſa aqua, & ligna, & quæ erant ſuperpoſita. Additur deinde v. 22. Utq; hoc factum eſt, *& tempus affuit, quo ſol refulſit, qui prius erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* Nonne limus erat Paulus, blaſphemus, ut ipſe ait 1. Timoth. 1. 13. qui perſequebatur Eccleſiam Dei 1. Cor. 15. 9. & quidem ſupra modum Galat. 1. 13. ſpirans minarum & cædis, Act. 9. 1. ſed poſtquam circumfulſit eum lux de cœlo à Jeſu emiſſa, fit vas electionis, ut portet nomen ejus coram Gentibus & Regibus, & filiis Iſrael, & ſit Doctor orbis univerſi. Dic itaque Chriſto illud

Aqua lucuenta per ſolis radios flammam concipit.

Pſ. 118. 12. *Doce me juſtificationes*, & v. 34. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Lege ibi dicta: & intelliges quàm bonus Doctor ſit Deus.

74. *Christus habet clavem ſapientiæ.* Si puteus clauſus ſit tibi, atque in fundo veritas latent, habet Jeſus clavem David, ut aperiat: nullus Dei theſaurus illi eſt obſeratus. Apoc. 3. v. 7. *Hæc dicit S. & Verus, qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit.* Clavis eſt illa, Primò, pœnitentia, quæ eſt clavis cœli, ut ait Hugo. Secundò, crux, ut S. Chryſoſt. Tertiò, Chriſtus ipſe, ut Ansbertus. Quartò, poteſtas ejus regia, ut Primaſius. Quintò, poteſtas ſumma in Eccleſia, ut illam aperiat iis, quos per gratiam ad eam vocat: claudat iis qui reſiſtunt ejus gratiæ & vocationi, ut Cornel. à Lapide. Sextò denique, ad rem noſtram appoſitè. S. Ambroſ. S. Anſel. S. Thomas, clavem David ajunt eſſe reſerationem & intelligentiam ſacræ Scripturæ & omnium Prophetarum: inter quos David genere, geſtis, regno, prophetiæ dono excelluit, atque ad vivum myſteria Chriſti expreſſit. Pſ. 31. titulus eſt: *Ipſi David intellectus.* Eſt amabilis & amatus. Et ſignatur Pſ. 50. 8. ait: *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Vide ibi dicta, Chriſtus eſt verus David, propter quem datur ejus Populo ſapientia: Eccli. 45. 31. *Et teſtamentum David, Regi filio Ieſſæ de tribu Iuda, hæreditas ipſi & ſemini ejus ut daret ſapientiã in cor noſtrum.* David, ut dixi, amabilem, dilectum, vel diligentem ſignificat. Iſaiæ 5. v. 1. illi dicitur: *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu, filio olei.* Dilectus ibi idem eſt, qui patruelis, i. e. cognatus. Pro dilecto ponitur ידיד *iedid*, & Salomon vocatur *iedidia*, i. e. dilectus Domini, amabilis Domino, David autem deducitur à voce *dod*, amor Vinea porrò dilecti, eſt Eccleſia, quæ eſt in cornu filii olei: i. e. in monte Sion pingui, & fluente gratiis ob doctrinam & legem Chriſti inde exornatam. De Sion enim exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem, & ſicut Pintus annotat, Judæa vocatur filius olei: quia ſicut oleum in lãpade eſt materia ignis & ſplendoris, ſicut Hebræi multis gentibus clarum notitiæ Dei lumen præbuerunt. Notus in Judæa Deus, in Iſrael magnum nomen ejus. Unguentũ cœleſte de capite Aaronis defluxit in barbam & oram veſtimenti ejus, i. e. à Judæa uſque ad Samaritanos & Gentiles.

75. *ſine Chriſto vanus eſt labor ad ſapientiam acquirendam.* Sine auxilio Chriſti fruſtra deſudaveris in ſapientiæ ſtudio. S. Hier. ad Heliodorum generatim pronunciat: *Sine Chriſto vanum eſſe quòd vivimus*, & ipſe Chriſtus ait Apocal. 1. v. 8. *Ego ſum α & ω principium & finis*, mundus eſt tantum omicron, id eſt, ô parvum, & rotundum nullo in loco conſiſtens ſed ſemper ſeſe convolvens & contorquens; Deus verò, ut ait Arias Montanus, eſt α & ω, id eſt, conſummatio, decus & perfectio rerum omnium. Secundò, principium & finis ſermonum & oraculorum, ut ait Hieronymus Prado. Tertiò, cauſa efficiens & finalis univerſorum, ut Cornelius. Quartò, ad rem præſentem vult. S. Petrus Damiani denotari ſummam ſapientiam Chriſti, qua prima & noviſſima cognoſcit

76. *Amicis ſuis dat Deus ſapientiã.* Nota ſecundò: Dat amicis ſuis intellectum & ſapientiæ donum Deus, & dat larga manu, & pleno alveo. S. Jacobus ad eum nos mittit, capite primo epiſtolæ ſuæ, v. 5. *Si quis indiget ſapientiã, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Exundat fons ille paradiſi & dividitur in quatuor capita, ut irriget univerſam *faciem terræ*: id eſt, hominem humilem qui ſe reſpicit & bibit. Ubertas ejus declaratur Eccleſiaſtici trigeſimo nono, verſu vigeſimo ſeptima, *Benedictio illius quaſi fluvius inundavit*: Et expreſſius c. 24. v. 35. *Qui implet quaſi Phiſon ſapientiam, & ſicut Tigris in diebus novorum* (novatum frugum prodeuntium & maturescentium; hoc eſt, verno tempore) *Qui adimplet quaſi Euphrates ſenſum multiplicat quaſi Iordanis in tempore meſſis. Qui mittit diſciplinam ſicut lucem, & aſſiſtens quaſi Geon in die vindemiæ*, in autumno. Itaque vernis, æſtivis, atque autumnalibus aquis anima S. ut paradiſus terreſtris abundat, nullæ ibi ſunt hybernæ aquæ ubi enim ſe perfectè ad verùm & ſemper orientem ſolẽ mens convertit, hyems tranſiit, & imber abiit: ſurrexit Aquilo, & venit Auſter. Habes hic quatuor fluvios horti Eden, Id eſt, deliciarum. Primum Phiſon Secundum Tigrim. Tertium Euphratem. Quartum Geon quibus adjungitur Jordanis terræ ſanctæ fluvius. His Dionyſius & Rabanus accipiunt quatuor Evangelia ex Chriſto fonte vitæ ſcaturientia: ex quo etiam derivatur Jordanis, id eſt, Baptiſmi Sacramentum. Malim dicere quinque, ſapientiæ proprietates notari. *Quinque ſapientiæ proprietates.* Primò, quod ſemper creſcat atque multiplicetur. Phiſon ſignificat multiplicantem ſeu creſcentem. Rad. פוש *phus*, multiplicari. *1. creſcit ut Phiſon.* Secundò, quòd ſit velox. Spiritus S. advenit ut ſpiritus vehemens. Actorum v. 2. neſcit tarda molimina: & Cherubim ab Ezechiele viſi ibant & revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis, Ezechielis 1. v. 14. Tigris lingua Aſſyria ſagittam ſignificat, ob curſus velocitatem. *2. velox eſt ut Tygris.* Tertiò, quod ſit fructifera, ad opera enim bona excitat: rationale jungitur ſuperhumerali, & Seraphini Iſaiæ non tantùm coram Deo ſtant ad radios ejus excipiendos per contemplationem, ſed etiam alas explicant ad volatum per actionem. Euphrates explicatur fructificans. Rad. פרה *phara* fructificavit. *3. fructifera eſt ut Euphrates.* Quartò, ſapientia exundat & in alios ſeſe diffundit. Proverbiorum 1. v. 20. *Sapientia foris prædicat*, & cap. 5. v. 16. *deriventur fontes tui foras.* Capite 13. v. 14. *Lex ſapientis fons vitæ.* capite decimo octavo, verſu quarto. *Torrens redundans fons ſapientiæ.* Geon ſignificat exeuntem, erumpentem. Rad גוח *guah.* exire. *4. Exundat ut Geon.* Circuit omnem terram Æthiopiæ, quis nullus eſt tanta nigredine peccatorum deturpatus, quem non abluat & dealbet ſapientia. Si peccata inveniat ut coccinum, ſicut lana alba erunt, ſi ejus aquis irrigentur. Quinto denique, ſapientia animam ſignificat, & ſecuram judicio Dei ſiſtit. *5. Iudicio Dei ſecuram ſiſtit.* Jordanis eſt fluvius judicii, & terram ſanctam alluit, ſuoque alveo arcam, in qua Dei lex erat capit, & dat populo Dei terram promiſſionis. Primo, in pueritia incipit creſcere ſapientia, ſicut Phiſon, qui etiam interpretatur *oris mutatio*: cùm facti pueri in ſchola Chriſti & puri, os mutamus, diſcimus loqui ſicut Spiritus ſanctus dat eloqui. *In omni ætate prodeſt.* Secundo, in adoleſcentia, ſicut Tigris, celeres & efficaces habet motus atque impetus. Tertiò, in juventute fructus utiles & juvandæ Reipublicæ aptos produxit, ſicut Euphrates. Quartò in virili ætate erumpit, & in omnes exundat, velut Geon. Quintò denique, his quatuor paradiſi fluviis accedit Jordanis, ut ſecuros ſenes judicio Dei ſiſtat aut etiam tunc maximè per ipſorum ſapientiam tota regia judicetur atque gubernetur. Lege caput reliquum Eccleſiaſtici.

De Salomone dicitur Eccleſiaſtici 47. verſ. 16. 78.
Impletus es, quaſi flumen, ſapientia. Semper autem creſcit in hominibus gratia Dei plenis. *Sapientia in juſto ſemper augetur.* De ſancto Joanne Baptiſta qui ſignificat gratioſum ſeu gratia plenum, & aliis lavandi, deſtinabatur, habes per Lucæ. 1. v. 8. *Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu* Factum eſt deſertum ejus in ſtagna aquarum. Policlytus, qui de rebus Siculis ſcripſit, *Stagnũ mirabile.* ait, in ea inſula eſſe ſtagnum, quod ambitu ſuo

ſeutum

ſcuiam non excedat, aqua reſplendente quidem, ſed aliquantulum tribulentiore, in quod ſi quis lavandi gratia ingrediatur in latum extendi: quod ſi iteret, amplius dilatari. Hoc accidit in ſapientiæ ſtudio, in quo ſi proceſſeris, plura reperies haurienda: in ſcripturis quidem divinis agnus ambulat, & elephas natat Deus non deerit laboranti, ipſe eſt qui *diſciplina intellectus* homines replet, & *creras illis ſcientiam ſpiritus*, ſenſu implet cor illorum Eccleſiaſtici 17. 5. Si nihil habeas ſcientiæ ſanctorum, de deſperes, creatio fit ex nihilo. De throno Dei procedunt *fulgura*, Apocal. 4 v. 5. illuſtrant terram etiam in medio nebulæ & tempeſtatis. Lux illa repentina eſt, & latè extenditur, Matth. 24. v. 27. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret uſque in Occidentem ita erit & adventus filii hominis.* Etſi ſis occidens per torporem, ad te veniet, teque illuſtrabit: ſed præſertim ſi cadas per humilitatem, ut Paulus Actorum nono, v. 3.

79. Vers. 7. 1. Pars. In nocte datur ſapientia, ob tres rationes. Primò, ad eam recipiendam eſt animus paratior.

Nota tertio, *IN NOCTE* datur ſapientia Primo, qui ad illam recipiendam eſt animus paratior. Secundo, ut nobiſcum quieſcat in contemplatione. Tertio, ut ad Dei laudes excitet. Itaque dicit David, v. eod. 7. eod. 7. *Inſuper & uſque AD NOCTEM increpuerunt me.*

Ac primò, parati ſunt ad cœleſtia, qui terrenis oculos clauſerunt. Pſ. 118. v. 12. *Nox ſicut dies illuminabitur:* de muliere ſapiente habes Proverb. 31. v. 18. *Non extinguetur in nocte lucerna ejus.* Apparuit Dominus Salomoni per ſomnium nocte, & poſtulanti dat *cor ſapiens & intelligens*: ita tantum ut nullus ante eum ſimilis ipſi fuerit, nec poſt eum ſurrecturus ſit, 3. Reg. 3. v. 5. & ſeqq. Iſaaco apparet Deus nocte, & firmat Abrahamo patenti ejus promiſſiones factas, aitque: noli timere, quia *ego tecum ſum*, Geneſis 26. v. 24. Jacobo apparet poſt ſolis occubitum, & ſcalam illam mirificam oſtendit Geneſis 28. v. 12. eſt ſymbolum ſapientiæ, in qua ſemper proficiunt Angeli veloces aſcendendo, & ad opus revocant quæ cognoverunt, deſcendendo. Dicunt peccatores pœnitentes Jeremiæ 6. v. 4. *Væ nobis, quia declinavit dies, quia longiores factæ ſunt umbræ veſperi. Surgite & aſcendamus in nocte.* Tunc viſus eſt clarior ſanctis. Zacharias Propheta dicit c. 1. v. 8. *Vide per noctem.* Et Danielis 2. v. 19. *Danieli myſterium per viſionem noctis revelatum eſt, & benedixit Daniel Deum cœli*: terra ibi non videtur, ſed cœlum, & Deus cœli aut ſi terra apparet, contemnitur.

80. Secundò Deus cum juſto vult quieſcere.

Secundò, Optat cum anima ſancta Deus quieſcere. Apocal. 3. v. 20. Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſiquis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & *cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Cœna fit die elapſo & nocte advenente: nec cœnat tantùm, ſed dormit cum anima ſancta, unde Canticorum 5. v. 2 pulſat ad oſtium, & caput habet plenum rore, & cincinnos guttis noctium: dum expectat. Sed multi non aperiunt ei januam, ideo ab iis declinat & tranſit: cum aperientibus & clauſo oſtio eum alloquentibus manet. Eccl. 39. 10. *In abſcõditis ſuis conſiliabitur*, in Sãctis qui latere cum eo ſolo cupiunt, & in vulneribus lateris, ibique in pace dormire & requieſcere, ſolo corde vigilante & amore. Et c. 38. v. 25. *Sapientia ſcribæ in tempore vacuitatis: & qui minoratur actu ſapientiam percipiet.* Oſtendit deinde, eos qui nimiis occupationibus externis detinentur, non eſſe aptos ſapientiæ comparandæ. Primò, agricolam qui tenet aratrum, & qui gloriatur in jaculo, ſtimulo boves agitans, qui cor ſuum dat ad verſandos ſulcos, & totam diem conſumit *in ſagina vaccarum.* Secundò fabrum & architectum, qui ſculpit ſignacula ſculptilia. Tertiò, fabrum ferrarium ſedentem juxta incudem, & à calore ignis aduſtum, cujus aures mallei ſono oppleantur, & oculi in vaſe contemplando occupantur. Quartò, figulum ſedentem ad opus ſuum, convertentem pedibus ſuis rotam, in brachio ſuo formantem lutum, & ante pedes ſuos curvantem virtutem ſuam. De fabro ſpeciatim dicit v. 28 *Omnis faber & architectus qui noctem tanquam diem tranſigit.* Hic ſcilicet non eſt aptus ſapientiæ. Tu noli noctem ſicut diem tranſigere, ſed quietis aliquid aſſume, cum Deo verſare, ſubtrahe te à rebus terrenis, in cœlum mente evola, ſufficiat *Diei* malitia ſua: ne inutilibus phantaſiis noctem contere, cogitando de deſtruendis horreis tuis, ut bona plurima quæ habes congregare poſſis in majora: divide ſaltem Deo opera tua & cogitationes: tibi de nocte terram occultat, ut ſe aperiat: quietem tibi offert, ne recuſa Vide dicta Pſ. 126. 2. *Surgite poſtquam ſederitis.* Anima ſedens fit ſapientior. Eccli. 37. 25. *Et ſapiens, animæ ſuæ ſapiens.* Qui corpori tantùm ſuo aut mundo ſapit, deſipit. Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur: aut quam commutationem dabit homo pro anima ſua? Miſerere itaque animæ tuæ, placens Deo.

81. Tertiò, Nocte eſt aptior ad orationem. Gallo datur intelligentia & quomodo.

Tertiò, Nox eſt apta laudibus divinis celebrandis, ob datam ſapientiam. Jobi 38. v. 36. *Quis dedit gallo intelligentiam* Hebr. vocem שכוי *ſechvi*, vertit Pagnus *cordi*, & totum verſũ aptè ad locũ noſtrum reddit: *Quis poſuit in renibus* (Hieronymus, in viſceribus? Aben Ezra, in occultis locis) *ſapientiam, aut quis dedit cordi*) Arias, contemplationi) *intelligentiam*? Etiam cùm dormis, tibi, nihil de tuis commodis curans, cor tuum vigilet Deo, de nocte luceant lucernæ, coram altari thymiamatis, & coram arca, atque propitiatorio & Cherubinis; adjunge te Angelis, & illis luce & cura, cum homines ſeſe à te ſubducent: ibi Deum reperies, ubi creaturas reliqueris. R. Moyſes ait, galli intelligentiam in eo conſiſtere, *quod media nocte ſurgere docent hominem ad laudandum Deum.* Et S. Gregorius in locum illum l. 30. Moralium c. 4. notat, gallos *profundioribus horis noctis*, valentiores ac productiores edere cantus ſolere, cum verò matutinum jam tempus appropinquat, leniores & minutiores omnino formare voces. In ipſa tribulationis nocte Deum lauda ardentius & diutius: ſed in aurora auxilii illuceſcentis & felicitatis, ne ceſſes à cantu. Iſaiæ 46. v. 11. *Vocans ab oriente avem, & de terra longinqua virũ voluntatis ſuæ.*

Avis ab Oriente clamans

Qui ſuam cum divina habet conjunctam voluntatem, in omnibus Deum ſpectans & adorans, non minus in calice paſſionis capiendo, quã in diademate regio. *Avis* illa eſt Primò Nabuchodonoſor, qui inſtar avis advolavit in Judæam, & tulit medullam cedri, &c. Ezechielis 17. v. 3. de illo exponit S. Cyril. Alexandrinus. Secundò, Cyrus, qui teſte Xenophonte l. 7. Cyropæd. aquilam auream expanſis alis in vexillo præferebat, & cum Perſis ſuis involavit in Babylonem liberaturus Judæos ibi captivos, ut explicat Cornelius. Tertiò, avis illa eſt ſol, qui omnibus avibus viam ſuam celerius decurrit, ſingulis horis conficiens, millionem unum, & 140. millia milliarium. De eo Arias interpretatur. Quartò, ad rem noſtram aptius Chaldæus Paraphraſtes intelligit Judæos è Babylone reduces. Sic enim reddit: *Judæos quaſi avem è captivitate Babylonica reducam.* Arabica verſio *Vocabo eos qui ſunt in Occidente, & venient velocius ave.* Illis erunt pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi in pallore auri: duæ pennæ argenteæ ſunt fides & ſpes: color aureus, eſt charitas, dilectum ſuum laudans, Eccl. quinquageſimo primo, verſu vigeſimo

ſimo tertio: *Danti mihi ſapientiam, dabo gloriam.* Galli ſæpè caput in cœlum erigunt, velut gratiam habentes Deo & agentes, *bibunt ſuccu aves*, ait Plinius l. 10. c. 46. *ex his quibus longa colla, intermittentes, & capite reſupinato velut infundentes ſibi. Porphyrio ſolus morſu bibit.* Porphyrio avis eſt in e. habens velnti criſtam, magnitudine per galimia, ſed crura ei longiora: dicitur Porphyrio, id eſt, purpureus: eſt indocilis, nec unquam manſueſcit, ut tradit Polemon: nullius aſpectum patitur dum comedit: Ideoque ſecedit, & in occulto edit, ut docet Callimachus & Ælianus. Immunda erat Judæis non tantùm ad ſacrificia, ſed etiam ad eſum Levit. 11. v. 18. & Deuteronomii 14. v. 17. Cùm quid à Deo acepis, caput erige, & laudes dantis concine. Iſaiæ 5. v. 1. *Cantabo dilecto meo canticum.* Cantabo, quia me amat non tantùm ore, ſed etiam opere. Amare, eſt benefacere. David, qui ſignificat dilectum, omnes ad Dei laudē hortatur Pſal. 95. v. 1. *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.* Vide illum locum, idque ipſe fecit in omnibus acceptis beneficiis, ut traditur Eccleſiaſtici 47. v. 9. *David in omni opere dedit confeſſionem Sancto, & Excelſo in verba gloriæ.* Quàm Deo moleſtum eſt, datam à ſe ſcientiam in res futiles ſæpè impendi? Plutarchus refert, Themiſtoclis juſſu interpretem Græcum qui Perſis miniſtrarat, interfectum fuiſſe: quod indignum arbitraretur, linguam Græcam in uſum barbarorum converti.

82. Cognitioni eſt opus jungendum.

Moral. Opus quoque jungendum eſt cognitioni. Eccl. 37. v. 26. *Vir ſapiens erudit plebem ſuam*, Omnes ſenſus, & paſſiones regit ac mitigat. S. Iſidorus refert, Androdamantem gemmam habere argenti nitorem, & penè eſſe adamantem, quadratum ſemper teſſeris. Magi putant nomen eſſe impoſitum ab eo, quòd animorum impetus vel iracundias domare & refrænare dicatur. Symbolum eſt ſapientiæ, concupiſcentiam frænantis & moderantis. Ælianus l. 12. c. 23. ait in Elymæa regione eſſe templum Adonidis, & in eo manſuetos leones: qui homines templum ingredientes, tanquam ſalutatos, adulando excipiunt. Pietas juncta ſapientiæ etiam maximè barbaros mitigat.

Columna Boos & Jachin ſapientiæ & ſanctitatis ſymbola.

In templi Salomonis veſtibulo duæ columnæ Boos & Jachin denotabant, ſanctitatem eſſe jungendam ſapientiæ initio vitæ Deo conſecratæ. Boos ſignificat, *in fortitudine*: & figurat robur mentis, in ſuperandis difficultatibus ſeſe opponentibus. Jachin verò interpretantur *præparationem*, & denotat ſapientiam, cujus eſt ſingula media neceſſaria ordine. Duo Cherubini aurei à Salomone poſiti ſuper altare thymiamatis, repræſentabant ſanctitatem & ſapientiam in vita illuminativa, quatum etiam hieroglyphicum erant candelabrum cum ſeptem lucernis noctu ardentibus, i. e. cum ſeptem donis Spiritus ſancti tenebras mentis fugantibus, & menſa panum propoſitionis. Denique duo Cherubini Moſaici aurei ſupra arcam & propitiatorium poſiti, notabant ſanctitatem & ſapientiam in vita unitiva.

Sapientia à Deo poſtulanda.

Nota. à Deo poſtulanda eſt ſapientia, & laboribus emenda Apocalyp. 3. v. 18. dicitur Angelo, i. e. epiſcopo laodiciæ tepido & jam evomendo: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias: & veſtimentis albis induaris, & non appareat confuſio nuditatis tuæ.* Si habeas aurum, & locuples eris, & habebis unde tibi emas veſtimenta. Aurum illud ignitum eſt Primò, Chriſtus paſſionis igne inflammatus, ut placet Haymoni. Secundò, Charitas, ut vult Ansbertus. Tertiò, ſapientia, non frigida Philoſophorum, ſed ardens ſanctorum: ipſa eſt theſaurus deſiderabilis, ut ait Sapiens Proverb. 21. & ſicut auro emimus temporalia, ita per ſapientiam comparemus & meremus æterna, ſicut dicit S. Gregorius 4. Moralium 25. Non eſt illud aureum talentum terræ infodiendum, ſed dandum ad menſam, ut veniens Dominus cum uſuris illud exigat, Lucæ 19. v. 23. Nam, ut ait Maximus Tyrius in libello de vita practica: *Injuſtum eſt*, [Greek text illegible], *theſaurum inutilem & otioſum recondere, & ſine fructu ſectari ſapientiam nihil præſtantem.* Multi ſunt ſimiles citharœdo piſci, qui Æliano teſte libro undecimo, capite vigeſimo tertio, lineis nigris à ſummo capitis vertice ad extremam caudam ſic diſtinguitur, ut eas citharæ fidiculas intentas eſſe dixeris: ſed iis nunquam canit. Multi ſunt muti ut piſces licet ſcientia excellant: nec Deo laudem, nec proximo auxilium tribuunt: cum authore Eccleſiaſt. capite vigeſimo, verſu trigeſimo ſecundo dicamus: *Sapientia & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque?*

Collyrium ſapientia.

Oremus cum Bartimæo cæco, qui ſedebat juxta viam Jericho mendicans, atque à Chriſto evocatus, rogatuſque quid poſtularet, id unum petiit, Marci. 10. v. 51. *Rabboni ut videam.* Sine hoc nihil prodeſt: ad opus enim ineptus eſt, qui non videt, nec ullam rerum pulchritudinem ſentit. Itaque dicitur Epiſcopo Laodiciæ miſero, miſerabili, pauperi. cæco, & nudo, qui tamen divitem ſe putabat, locupletatum & nullius egentem. Apocalypſis 3. v. 18. *collyrio junge oculos tuos, ut videas.* Collyrium eſt oculorum, præſertim lippientium, pharmacum. Illo vult Alcazar ſignificari, mortificationem paſſionum. Secundò, Andreas Cæſarienſis contemptum bonorum terrenorum. Tertiò, Viegas memoriam paſſionis Chriſti, qua ſapientiam nobis comparamus. Quartò, Rupertus, humilitatem. Quintò, ſanctus Anſelmus, conſiderationem noviſſimorum. Sextò denique, Victorinus, conſiderationem & obſervationem mandatorum Dei. Cave, ne ſis conchæ ſimilis, quæ *caret viſu* omnique ſenſu alio quàm cibi & periculi, ut docet Plinius libro nono, c. trigeſimo. Quæ te mala maneant & quàm gravia ſi careas oculo ſcientiæ, vide Iſaiæ 5. & ſeqq.

ARTICULUS I.

Deus ſe præſentem conſiderantes in virtute, ſtabilit.

Dixerat David, ſeu Chriſtus, laudaturum ſe Deum quòd ab eo accepiſſet intellectum & eruditionem, tam de die quàm de nocte. Nunc ſapientia illius fontem aperit eſſe Deum, qui os oculoſque ad ſe convertentem perficiat, atque locupleret. Verſu octavo. *PROVIDEBAM DOMINUM IN CONSPECTU MEO SEMPER* (& providebam ſemper & in conſpectu meo exiſtentem ſemper) *QUONIAM A DEXTRIS EST MIHI NE COMMOVEAR.* 83. Verſ. 8. 1. Pars.

Providere Deum in conſpectu ſuo dupliciter ſumitur.

In conſpectu meo ſumi poteſt Primò paſſivè, id eſt, in conſpectu mei: providebam, id eſt propè videbam, ut ait Ugo: vel, procul videbam, ut alii, Deum me aſpicientem. Eſt enim, ſicut dicit author Eccleſiaſtici 36. v. 19. *conſpector ſeculorum*, idque vult ab omnibus cognoſci & ſciri, ſcientia ſcilicet perfecta & imperturbabili. *Sciant omnes qui habitant terram* (ibi multa leocinia à cœlo revocant) *quia tu es Deus conſpector ſeculorum*: quædam Græca habent, Dominus ſeculorum, non aſpicit otioſo contuitu, ſed dominante: &, quæ vult, augere vel perdere valente. Trepidat ſervus id ſciens, Pſalm. 138. v. 6. *Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam;* ibi fusè egi de Dei præſentia, ſive quis aſcendat in cœlum, ſive deſcendat in infernum, ſemper reperit Deum ſe contuentem, Eccl. 23. 27. *Omnia videt oculus illius* (vel unicus oculi jactus) *& oculi*

Primò paſſivè, q. d. conſiderabam me à te aſpici.

oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper Solem. Lucidiores ſole, ſed præterea lucidi ſunt ſuper juſtos, ubi in eos incidunt radii ejus ſicut in ſpecula ardentia, aut in nubes benè diſpoſitas, & ſolis formam repræſentantes. Et c. 39. 24. Opera *omnis carnis* coram illo, & non eſt quidquam abſconditum ab oculis ejus. A ſeculo uſque in ſeculum reſpicit, & nihil eſt mirabile *in conſpectu ejus.* Caveat ſibi homo carneus, & trepidet: ſed gaudeat pius. Nam dicitur c. 34. 15. *Oculi Dei in diligentes ſe.* Seneca generatim locutus eſt epiſt. 85. *Nihil Deo clauſum eſt, intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis intervenit.* Hebræi divinam Majeſtatem vocant *Sechina,* quòd Eccleſiæ ſuæ ſemper cohabitet, & ubique locorum ei adſit præſens. Unum eſt ex decem Dei nominibus apud Rabbinos, ſicut decem ſunt in Scriptura. Rad. שכן *ſacan,* manere in vicinia, cohabitare, unde *Sachen,* vicinus.

84. 2. Activè q. d. oculos in te ſemper conjiciebam. Secundò, & meliùs, *in conſpectu* ſumendum eſt activè. Senſus eſt, q. d. providebam ſemper te eſſe ante oculos meos, ſine intermiſſione conjiciebam in te vultum & oculos meos, teque contemplabar eſſe velut è regione mei, coram me, id ſonat Hebraica vox *negdi.* Dicitur quidem Joan. 1. 18. Deum nemo vidit unquam, 1. Timoth. 6. 16. dicitur lucem habitare inacceſſibilem, Deuteron. 4. 13. loqui de medio ignis, & formam ejus penitus non eſſe viſam. Exod. 33. 23. vix Moſes poſt multas preces videt poſteriora Angeli, Deum repræſentantis. Sed tamen Chriſtus, qui in Pſal. noſtro loquitur, fuit ab ipſo inſtanti Conceptionis in perfectiſſima Dei viſione. De illa agit S. Thom. totâ quæ. 10. 3. parte.

Sancti ipſi Deum vident etiam in terris, non quidem cognitione intuitiva, ſed abſtractiva. De Moſe Hebr. 11. 27. *Inviſibilem tanquam videns ſuſtinuit:* per patientiam expectans, promiſſa: ſuſtinuit etiam & portavit, ut Dei thronus. Apocal. 4. 2. *Ecce ſedes poſita erat in cælo, & ſuperſedens.* S. Ambroſ. 1. dixit, thronum hunc eſſe Eccleſiam. 2. S. Bernardus, Deiparam. 3. Richardus à S. Victore, Angelos. 5. De Sanctis, in quibus moratur, habitat atque dominatur Deus, id exponit Aretas. Cùm Deo ſui ſibi applaudunt Sancti, & eum ponunt tanquam faſciculum myrrhæ inter ubera ſua, ne excidat, atque ut ſemper videatur, & ſuavem amoris odorem exhalet. Joanna à S. Dominico, Religioſa Ordinis S. Dominici, ſemper in Dei præſentia verſabatur, ſæpèque in ea ſibi applaudens exclamabat: *Faciem tuam Domine, requiram.* Margaretha à S. Anna, ut faciliùs & ſuaviùs ſibi Deum præſentem objiceret, varias conſiderationes in ſingulos ſeptimanæ dies partiebatur: die Dominica eū contemplabatur ut Creatorem. 2. Die Lunæ, ut Patrem. 3. Die Martis, ut Medicum. 4. Die Mercurii, ut Judicem. 5. Die Jovis, ut Paſtorem. 6. Die Veneris, ut Regem. 7. Die Sabbathi, ut Sponſum: atque ex his variis motivis affectus ac deſideria, petitioneſque, ac diverſarum virtutum actus efformabat. S. Catharina Senenſis ad Dei præſentiæ unionē omnia referebat: in Patre ſuo Jeſum ſibi repræſentabat: in matre, Deiparam, in Fratribus, Apoſtolos: ſicque illis cum fervore & incredibili conſolatione ſerviebat. S. Mechtildis vidit quadam die Chriſtum in Regali throno ſedentem, & S. Gertrudem ſibi peramicam prope ipſum magnâ modeſtiâ inambulantem, oculis ſemper in Chriſti vultum defixis: quod cùm illa miraretur, à Chriſto his vocem accepit: *Converſatio hujus electæ meæ talis eſt coram me, qualem vides.* Nam in mei præſentia jugiter ambulat, atque mei cognitionem ardenter appetit, meæque voluntati adhæret, atque omnes actiones ſuas ad meam unius gloriam refert, lib. vitæ S. Gertrudis cap. 12. S. Stephanus è terra vidit Jeſum in cœlo ſtantem S. Paulus, & S. Joannes in cœlum intrant, & vident in throno ſedentem Deum, ſed non in propria ſpecie, & audiunt arcana verba, quæ non licet homini loqui: alii Sancti vident Deum in terra, cum ipſis & in ipſis exiſtentem.

Deus enim ubique eſt, juſtos protegens; eſt illis à dextris, à ſiniſtris, ante & retrò, infra ſupraque, in toto circuitu & intùs. 85. Deus undique Sanctos circundat.

1. à dextris velut gladius. Primò, eſt à dextris. Providebam Dominum in conſpectu meo, quoniam *à dextris* eſt mihi ne commovear. Chaldæus Paraphraſtes vertit: *Divinitas ejus quieſcit in dextera mea.* Gaudet enim ſibique gratulatur, cùm videt me fortiter pugnantem. Sanctus Bonaventura dicit, Deum nobis eſſe à dextris dupliciter. 1. Temporalem ſalutem tribuendo. 2. Virtutes animæ cuſtodiendo. Diabolum verò ſtare à dextris, quando intus ad vitia tentat: à ſiniſtris autem, quando foris per adverſa impugnat. Myſticum eſt, quod ait Caſſianus Collat. 12. capite quinto: *Dextras ſuas, id eſt, operationes ſanctas, intelliges vir corporis & animæ puritatem aſſecutus, à Deo jugiter communiri. Dominus enim Sanctis ſuis non à ſiniſtris, quia nihil habet ſiniſtrum vir ſanctus, ſed à dextris ſemper aſſiſtit: à peccatoribus verò & impiis non videtur: quia non habet illas dexteras, quibus Dominus conſuevit aſſiſtere, nec poſſunt dicere cum Propheta: Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos. Quod nullus poterit veridice profiteri, niſi qui univerſa quæ in hoc mundo ſunt aut noxia, aut ſuperflua, aut certè inferiora ſummis virtutibus judicans, omnem intuitum ſuum, omne ſtudium, omnem curam erga cultum ſui cordis & caſtimoniæ defixerit puritatem atque ita mens iſtis exercitiis elimata, & profectibus expoliata ad perfectam corporis atque animæ perveniet puritatem.* Adſtat Deus à dextera viri fortis, & in hoſtem ruentis, Pſ. 120. 5. *Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam:* eam roborans, dirigens & protegens; ſtat ſuper dexteram, hoſtes ad aſpectum primum exterrens, ut fugiant: eos ſuſtinens, ne impetum faciant, & incautum dejiciant. Fert ſecum juſtus Deum, eum manu tenet nec dimittit. Septuag. vertunt παρεστιν, i. e. aſſiſtendo protegens. Paraſtatæ, ſive Adſtites, erant in bello, qui ad pugnantium latus ſtarent, eoſque toto corpore & armis tegerent.

86. 2. à ſiniſtra, velut ſcutum. Secundò, A ſiniſtris Sanctorum ſtat Deus, ut hypaſpiſtes, Deuteron. 33. v. 29. *Beatus es tu Iſrael, quis ſimilis tui popule, qui ſalvaris in Domino? ſcutum auxilii, & gladius gloriæ tuæ.* Hebr. צנה *ſinna,* ut notat Mercerus ex Rabbinis ſignificat majorem clypeum, qui totum ferè hominem obtegat & coronet. Hoc colligere poſſis ex Pſ. 5. v. ult. *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.* Heſiodus ait, in ſcuto Herculis fuiſſe appictum λιμένα εὔορμον, portum commodum & ſtationem navibus opportunam ac ſecuram præbentem. Deus ſcutum & portus eſt cordis: ſine eo nec protegi, nec quieſcere poteſt. Ubique ſcutum illud eſt Deus, & dexterâ ſiniſtrâq; juvat, Pſal. 138. 10. *Si ſumpſero pennas meas diluculo & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua* (ſiniſtra) *deducet me & tenebit me dextera tua.* Prout ratio periculi poſtulat modò Deus eſt in ſiniſtra noſtra tempore tentationis & afflictionis: modò in dextera, tempore proſperitatis, ſemper enim hoſtis adeſt. Ante nos ambulat Deus, cùm aperta eſt irruptio: poſt nos, cùm inſidiæ parantur.

87. 3. Ante oculos, velut lux. Tertiò, Ante oculos noſtros eſt Deus, cùm revelat myſteria, & clarè majeſtatem ſuam oſtendit, Apoc. 4. verſu. 4. *Et in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores.* Alludit Joannes ad 24. Principes Sacerdotum à Davide ſecundùm totidem familias diſtributos, ut per vices Sacra obirent in templo. Nam ſingulæ familiæ

ſuum

ſuum habebant caput ſeu principem: dicebantur autem *Principes Dei*, ſeu *Principes ſanctuarii*, 1. Parali. 24. 5. Si vis eſſe Princeps Dei, & magnus coram Domino, aſpice Deum te aſpicientem. Aliquorum oculi ſunt malefici, & malignas influentias infundunt in obvios, Dei autem oculi benigni & benefici ſunt, luce ſua recreant & vegetant. Hieron. Prado proœmio in Ezechielem ſect. 12. jurè per illos 24. ſeniores intelligit 12. Patriarchas filios Jacob; & 12. Apoſtolos. Per illos autem accipe quoq; illuſtriores Sanctos, tam in veteri, quàm in novo teſtamento: atque enitere, ut illis te admiſceas per jugem Dei contemplationem.

88. Quartò, Deus à tergo eſt, & ſequitur ſervos ſuos ut Pædagogus & protector ab improviſis incommodis, vel radios non ita claros fundens, Apocal. 1. 10. *Fui in ſpiritu* (raptus ſum in extaſim) *in Dominica die, & audivi poſt me vocem magnam, tanquam tubæ.* Ut me belli inſtantis, & hoſtium adventum admoneret. Converſus eſt Joannes, ut videret vocem, id eſt vocantem & eloquentem: tu vide ne obſurdeſcas, neque etiam ſis contentus audire vocem, ſed enitere ut eam videas: acrior enim eſt viſus: & quod erat obſcurius, erit clarius, & vocis loco cernes ſeptem candelabra aurea, & in medio candelabrorum filium hominis veſtitum podere præcinctum ad mammillas zonâ aureâ, &c. Si ſanctus non convertiſſet ſanctus Apoſtolus, hac tam eximia viſione caruiſſet, fortaſſe tota Apocalypſi ſeu revelatione. Si tibi videtur moleſtum ad voces ſingulas caput reflectere, ſimilis eſto illis quatuor myſticis animalibus, de quibus capite quarto verſu ſexto: *Et in medio ſedis, & in circuitu ſedis, quatuor animalia oculis ante & retrò.*

4. à tergo velut pædagogus.

89. Quintò, Deus eſt in circuitu Sanctorum, & Sancti ſunt toti in Deum immerſi, eoque ex omni parte circumdantur, Act. 17. 28. *In ipſo vivimus, movemur & ſumus*: ut aves in aëre, & piſces in aqua. Securitatem hujus manſionis aperit David Pſ. 72. 26. *Deus cordis mei.* Hebr. צור *ſur*, petra, rupes, arx: ibi eſt cor meum, ibi habitat, ibi hoſtes in imam vallem dejectos, & fruſtrà frendentes, videt ac ridet. Suavitatem verò habes Iſaiæ 4. verſ. 3. ibi Deus ipſe ait: *Qui portamini à meo utero, qui geſtamini à mea vulva*, q. d. Vos amo & curo, perinde atque mater amat & curat infantem, quem utero geſtat, ut exponit S. Hieronymus. Quis ubi poſitum conturbabit? Aſpice itaque Deum circa te fuſum, veluti ulnis te geſtantem, ſinu foventem, brachiis complexantem, oſculis ſuaviantem, alentem mammis, utero continentem, & gaude in tam molli cunctis & lecto, Eccl. 14. 22. *Beatus qui in ſapientia morabitur*, intra divinam ſapientiam ſeſe immittet, eamque circa ſe eſſe advertet, *& in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei*, id eſt, Deum, ibi omnia circumſpicere, & ſe ubique objicere circumſpiciendum. Eſt circulus, cujus centrum eſt ubique. Jer. 23. 24. ait: *Cœlum & terram ego impleo*: à S. Paulo vocantur ὀφθαλμοδοῦλοι, qui ad oculum dominorum ſerviunt: in omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos; ut ſaltem ad oculum ſervias.

5. In circuitu velut turris.

90. Sextò, Deus ita eſt in circuitu Sanctorum, ut etiam ſit intra ipſos, velut anima intra domum ad vivificandum, & paterfamilias intra domum ad gubernandum, Iſai. 12. 6. *Magnus in medio tui Sanctus Iſrael.* In medio Sion, id eſt, Eccleſiæ & animæ contemplativæ, eſt Deus Iſraëlis ſanctus, & ſanctificans non manet ibi otioſus: ipſe dicit Joan. 5. 17. Pater meus uſque modò operatur, & ego operor. Eſt Emmanuel, id eſt nobiſcum Deus: & nos cum ipſo ſimus, & ſi abivimus in regionem longinquam cum prodigo, revertamur cum eo & cum Sunamitide: non ut intueatur nos, ſed ut nos ipſum. De quatuor ſacris animalibus Deum ex omni parte cingentibus, & intra ſe habentibus atque aſpicientibus dicitur Apoc. 4. 8. *Et in circuitu & intus plena ſunt oculis.* Ezechieli viſus eſt Deus, currui inſidens forma admirabili; vidit enim capite primo, verſu vigeſimo ſextò, ſimilitudinem aſpectus hominis in throno, & quaſi ſpeciem electri, veluti aſpectum ignis, intrinſecus ejus per circuitum: à lumbis ejus & deſuper, & à lumbis ejus uſque deorſum, quaſi ſpeciem *ignis ſplendentis* in circuitu. Velut aſpectum arcus, id eſt, Iridis, cùm fuerit in nube, in die pluviæ: hic erat aſpectus *ſplendoris* per gyrum. Hic ſplendor ignis & Iridis notant Deum omnia cernere, tam ad puniendos malos, quàm ad juvandos bonos. Rotæ quoque Deum aſpecturæ, eumque portantes, erant plenæ oculis, verſ. 18. *Statura quoque erat rotis, & altitudo & horribilis aſpectus: & totum corpus oculis plenum in circuitu ipſarum quatuor.* Doctores aliqui Hebræi per rotas intelligunt Angelos, & quia Deum vehunt, eſſe Thronos: Hieronymus Prado cenſet eſſe Principatus. Malim nunc in ſenſu allegorico dicere, eſſe Apoſtolos, atque Apoſtolicos viros, Prælatoſque, quia Eccleſiam quæ eſt currus & thronus Dei, ad ejus nutum agunt, ſeque ſancto Spiritu mobiles exhibent. *Spiritus enim vitæ erat in rotis*: & rota eſt in medio rotæ ob eorum concordiam, ſubordinationem, & hierarchiam Eccleſiaſticam. Singulæ rotæ dicuntur habere facies quatuor, verſu. 15. ſicut Cherubini, verſu 6. Facies hominis eorum humanitatem ac manſuetudinem figurat: facies bovis, laborem ac diligentiam: facies leonis, ardorem, & juſtitiam: denique facies aquilæ, perſpicaciam, & Dei contemplationem. Has omnes ad Deum convertant neceſſe eſt, ſi in ejus currus perſtare cupiunt, & eum intra ſe retinere: ibi ſibi complacet, ibi quærendus & contemplandus eſt. Sanctus Auguſtinus libro primo Confeſſ. capite primo hoc advertit: *Quid* ait, *quæro ut venias in me, qui non eſſem niſi eſſes in me?* Ibi eum Angeli admirantur: Matthæi 18. 10. *Angeli ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt*, id eſt in mentibus Sanctorum fulgentibus, Dei præſentia & luce virtutum.

6. Intra ipſus velut anima intra corpus.

91. Septimò, Deus eſt ſupra juſtos, ut umbella ſupra Reges: fecit enim nos Regnum & Sacerdotes, Apoc. 1. 6. vel, ſicut columna nobis, Iſai 4. 5. *Creabit Dominus ſuper omnem locum montis Sion, & ubi invocatus eſt: nubem per diem & fumum, & ſplendorẽ ignis flammantis in nocte*, id eſt, tempore adverſitatis: ubi verò ſit illa fulgens columna, exprimitur: *Super omnem gloriam protectio*, id eſt, ſuper Moſis tabernaculum & arcam, quæ erat gloria populi Iſraëlitici: his autem figurabatur Eccleſia, atque anima ſancta, continens intra ſe legem Dei: ideo meretur, ut ſupra ſe ſit divina protectio. Qualis illa & quàm optanda ſit, habes v. 6. *Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem & abſconſionem à turbine, & à pluvia.* Loth à pluvia ſulphurea Sodomæ protegitur, & filii Core à turbine ſuccuſſu terræ & hiatu totam eorum familiam involvente. Timorem tollit hæc Dei protectio. Apoc. 1. 17. *Et cùm vidiſſem, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus. Et poſuit dexteram ſuam ſuper me dicens: Noli timere.* Quis te rapiet de manu Dei, aut in ea tectum obruet? Dic ergo illi cum Rege noſtro, Pſ. 24. 1. *Ad te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido*, in nullo alio. Vide ibi dicta. Leva etiam manus, Pſ. 62. 5. *In nomine tuo levabo manus meas*, id eſt ſpem & charitatem, quibus te complectar & ſtringam. Leva etiam oculos, Pſalmo 120. 1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* In montibus illis non aſpicio cum Eliſæo obſeſſo à Syris in urbe Dothan, equos & currus igneos, id eſt Angelos, ad opem ferendam paratos, ſed te ſolum Dominum ſabaoth, id eſt, exercituum

7. Supra ipſos, velut umbella

etcituum cœleſtium, Pſ. 122. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.* Primo, oculos erigere ad Deum ſedentem in templo, Iſaiæ 6. Secundo, poſitum in monte Thabor cum Apoſtolis, Matt. 17. 8. Tertiò, habitantem in cœlis, cum Davide & Stephano.

92. *8. danique infra eos velut baſis.*
Octavo denique, Deus eſt infra juſtos, eos ſuſtentans, 1. Cor. 3. v. 11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitũ eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*, eſt fundamentum, ut loquitur S. Auguſt. in Pſal. 86. verſ. 1. quod ſeipſo conſiſtit, & omnia ſuſtinet, ipſumque Petrum, qui eſt petra, ſuper quam fundata eſt immobilis Eccleſia, Matt. 16. 18. Cum hoc fundamento non eſt timendum, domum ſupra petram ædificatam non evertit deſcendens pluvia, venientia flumina, & flantes venti atque in eam irruentes, ibid. c. 7. 24. & ſeqq. Nam, ut ait S. Paulus 2. Timoth. 2. 19. *Firmum fundamentum Dei ſtat habens ſignaculum hoc, cognovit Dominus qui ſunt ejus: & diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Fundamentum illud firmum eſt. 1. Fides, quæ eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, ὑπόστασις, id eſt, baſis & fulcimentum. Hebr. 11. verſ. 1. & ſic explicat Theodor. 2. Promiſſa Dei de redimendis & ſalvandis hominibus, ut vult S. Ambroſius. 3. denique, Deus ipſe atque ejus conſilium, decretum & prædeſtinatio. Si vis habere primum ſignaculum, nempe: Cognovit Dominus qui ſunt ejus, id eſt, qui permanſuri ſunt in fide & gratia ſanctificante, & conſequenter in gloria cœleſti, quaſi filii Dei & hæredes, ſicut Chryſoſt. S. Anſelm. & S. Auguſt. exponunt: ſi, inquam, vis illud ſignaculum habere, vide ut ſecundum habeas quod adjungitur: Et diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. Fuga peccati, id bonum ſignaculum Chriſtiani.

93. *Animã juſti ſuſtentat Chriſtus*
Apocalypſis 12. Mulier quæ eſt amicta ſole, & habet in capite coronam ſtellarum duodecim, i. e. Eccleſia veranima ſancta, & in contemplatione, & in actione cincta virtutum fulgoribus, habet lunam ſub pedibus, verſ. 1. *Et luna ſub pedibus ejus* Quod ad rem noſtram pereommodè explicat Alcazar. Luna, inquit, eſt nobilior ſtellis, hic tamen ponitur ſub pedibus, non ut calcetur, ſed ut mulierem, id eſt Eccleſiam fulciat & ſuſtentet. Locus enim inferior, in ſymbolis eſt maximæ dignitatis, ſignificatque baſim, fundamentum, & fulcimentum. Itaque arbitratur mulierem hanc amiciri ſole, &, ut eſt in Arabico textu, *induti ſole*, id eſt, Deo, coronari ſtellis duodecim Apoſtolis, & infernè quaſi baſi & fundamento fulciri & inniti lunæ, id eſt humanitati Chriſti. Hæc explicatio eſt ſymbolica. 1. Luna à ſole nomen ſuum mutuatur & humanitas Chriſti à Deitate ſapientiam, gratiam & gloriam accipit. 2. Sol eſt luminare majus, ut præſit diei. Luna eſt luminare minus, ut præſit nocti, Geneſ. 1. 16. Deitas Chriſti fulget in cœlo: Humanitas ejus in nocte hujus mundi. 3. Luna poſt plenilunium decreſcit, ita poſt miraculorum gloriam & populi applauſus, in cruce Chriſtus ſe exinanivit, ac poſt reſurrectionem iterum crevit. 4. Luna ſtellis fixis naturâ eſt minor, ſed luce major ita Chriſtus Angelis quoad humanitatis naturam eſt minor, ſed gratiâ & gloriâ eſt major. 5. Magnus eſt Lunæ in hac ſublunaria influxus, ita ut nil videatur producere ſol per ſe ſolus, niſi eum Luna ſociatur. Unde luna à priſcis Romanis dicta eſt genitrix orbis. Vide Plin. lib. 2. c. 41. & 49. ita generatio ſpiritualis, nempe juſtificatio, ac juſtitiæ & gratiæ incrementum, non ſolum ex Dei virtute, ſed etiam ex Chriſti meritis, benignitate & gratia pendat, ita ut nihil Deus hominibus det gratiæ niſi per Chriſtum, atque per Chriſti merita. Ideo ſicut Plinius lib. 2. cap. 99. dixit: *Luna ſidus eſſe rerum ſpiritum.* Ita de Chriſto legimus Thren.

Cujus humanitas comparatur Lunæ.

4. 20. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus.* 6. denique, ſicut Lunæ acceſſus & receſſus efficit æſtum maris, ut ſcilicet mare quotidie ſingulis ſenis horis creſcat, & ſequentibus ſenis decreſcat; ita quod nunc hæ gentes ad fidem & Eccleſiam Chriſti accedant, nunc illæ, ſ[illegible] eſt Chriſtus.

Sic Deo ſuccinctus à dextris, & à ſiniſtris, ante & retrò, infra ſupraque, in circuitu & intra, atque hoc advertens & contemplans, quis timeat? Quapropter ſecurus ait David noſter, verſ. eod. 8. *Prævidebam Dominum in conſpectu meo: quoniam à dextris eſt mihi ne commovear.* Τὸ Quoniam, dupliciter exponi poteſt. Primò cauſaliter, & in propria ſignificatione, q. d. ratio quæ me excitavit ad videndum & contemplandum Deum mihi præſentem, eſt, quia ſic præſens me adjuvat ne commovear. Secundò concomitanter, ita ut ſenſus ſit, prævidebam, & eò quod, &c. Primus ſenſus eſt melior, & fiduciæ atque amoris in Deum plenior. 94. *Verſ. 8. 2. Pars.* *Tò Quoniam dupliciter ſumitur.*

Non timet *commotionem*, id eſt, primò lapſum etiam in pendente clivo, cùm dexteram ejus teneat ac fulciat Deus. Hoc in Arabica verſione intelligis, *Ipſe eſt ad dexteram meam, ne labar.* Secundò, non modo lapſum non timet, ſed ne vacillationem quidem. Hebraica habent, non אמוט emmat, nutabo. Ventorum turbines ab imis radicibus vel ipſas rupes convellant, atq; in aërem disjectent, mediis in tempeſtate & rerum omnium agitatione, Deo meo proximus cœptum iter decurram, & intrepidus ſtabiliſque conſiſtam. Hebr. *mut* ſignificat inclinare, declinare, nutare, commoveri, dirigere, pervertere, cadere. Parva inclinatio, ſæpè gravis ruinæ (præſertim in via declivi, lubrica, & præcipitiis interciſa) eſt cauſa: talis eſt autem vita noſtra. Inter מוט *mot* lapſus, caſus, commotio: & inter מות *moth* mori & mors parva eſt differentis. Teth enim tantùm Thau vertitur. A peccatis venialibus ſæpè ad lethalia venitur. Qui de monte labitur, non ſtatim ubi vult ſiſtit, ſed proprio pondere ad ima rapitur cum majore ſemper cruciatu & periculo. Tertiò, non ſolùm non nutat & titubat pes ejus qui Deum juvantem & præſentem habet, ſed ne cor quidem ipſius timore ſubſiſtit. Chald. *Quieſcit majeſtas ejus à dextera mea, non terrebor.* Conquieſcit Deus in virtute viri fortis, & eum vel in pugna quietum facit. *Qui Deum præſentem cernit, non timet.*

Hoſtes quidem non deſunt, qui commovere & concutere atque proſternere moliuntur, Iſa. 5. 28. de exercitu Chaldæorum & Romanorum invadentium Jeruſalem dicitur: *Ungulæ equorum ejus ut ſilex, & rota ejus quaſi impetus tempeſtatis.* Tempeſtas ſunt, ut dejiciant: ſilex ſunt, ut conterant. *Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum: & frendet, & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat. Et ſonabit ſuper eum in die illa ſicut ſonitus maris.* In illa tempeſtate ultoris Dei jam perierant Sodomitæ, & aliæ urbes verſæ in mare mortuum ſeu lacum bituminis, ut inſtabilitas peccatoris cerneretur, qui eſt quaſi mare fervens quod quieſcere non poteſt. Non quievit, nec quietos alios eſſe paſſus eſt Pharao, ſed aquis maris hauſtus eſt: Iſraëlitæ autem Deo duce ad ſecurum littus pervenerunt, ubi fluctuantes hoſtes ſuos viderunt. Exod. 14. 31. *Viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris.* Non ſatis erat, eos aquis obrui; debuerunt oculis hoſtium ſuorum objici deridendi, & in ipſo littore invenire fluctuationem: ipſa ſecuritas impio affert trepidationem & mortem, timent enim, ubi non eſt timor. 95. *Hoſtibus undique cingitur & quidem frendentibus, inſtar leonum & fluctuum.*

96. *Deus in eos dat victoriã, ſi præſens eredatur & invocatur.*
In mediis periculis Deus præſens dat victoriam & lætitiam. Cùm *Nicanor*, qui nomine ipſo victoriam præferebat, exercitum moveret in Judam & Machabæum *cum tubis & canticis*, quaſi non ad pugnam, ſed ad certum triumphum pergeret. 2. Mach. 15. Judas vir fortiſſimos, & ejus milites, in-

vocato Deo per orationes, congreſſi ſunt, & vicerunt, ℣. 27. *Manu quidem pugnantes, ſed Dominum cordibus orantes, proſtraverunt, non minus triginta quinque millia, magnifice delectati.* Manum operi admove, cor Deo, etiam pugnans lætaberis, Deo ſeſe in tuam manum & cor infundente, & Necanorem proſternes cum armis ſuis, i. e. dæmonem tentationibus. S. Hier. in cap. 22. Ezech. *Memoria Dei excludit omnia peccata.* De eodem Juda Machabæo, cum ſex millibus in Timotheum procedente, in cujus exercitu erant centum viginti millia peditum, equitumque duo millia quingenti, dicitur 2. Machab. 12. 22. *Cùm cohors Judæ prima apparuiſſet, timor hoſtibus incuſſus eſt, qui univerſa conſpicit, & in fugam verſi ſunt alius ab alio, ita ut magis à ſuis dejicerentur, & gladiorum ſuorum ictibus debilitarentur. Judas autem vehementer inſtabat puniens prophanos, & proſtravit ex eis triginta millia virorum.* S. Antonius fratribus ſuis inculcabat, in avertendis omnibus ſatanæ telis firmiſſimum eſſe in Deo præ oculis habendo præſidium. Si præſentem S. Leonem, & S. Lupum reveretur Attila, atq; iram ponit ſi in S. Cæſarium Arelatenſem iratus rex Gothorum Theodoricus, eo viſo conquieſcit, & nudato capite honorem venienti exhibet, quos animi motus non componet Deus præſens, qui imperat ventis & mari, ita ut ad vocem unicam obtumeſcant? furor excidit iis qui ad Chriſtum capiendum erant miſſi à Principibus Sacerdotum: ejus enim conſpectu & ſermonibus in templo capti, liberè dixerunt Joan. 7. 46. *Nunquam ſic locutus eſt homo.* Et verè, quia erat etiam Deus, & omnes ipſius actiones erant *θεανδρικαί*.

Cùm impius agitatur, ſecutus eſt Sanctus, Iſai. 7. 2. *Requievit Syria ſuper Ephraim* (afflictio ſuper hominem fructificantem in terrenis) *& commotum eſt cor ejus* (non tantùm bona externa) *& cor populi ejus ſicut moventur ligna ſylvarum à facie venti.* Impii ſunt arbores ſylveſtres, & omni vento expoſitæ, in vanitatis montibus erectæ, ac nullo muro contectæ. Deus verò admonet Iſaiam, ut moneat Achaz regem Juda, nihil eſſe ſibi ab hoſtibus Syris timendum, ℣. 4. *Noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium iſtorum.* Ita hominum fumus eſt, non ignis. Itaque evaneſcet, & quidem brevi: nihil habet ſolidi. *In ira furoris Raſin regis Syriæ, & filii Romeliæ:* id eſt, Phacee, qui erat filius Romeliæ & Rex Iſrael, q. d. Etiamſi habeas ſolam tribum Juda & Benjamin, Raſin verò hoſtis tuus habeat totam Syriam, & Phacee decem tribus, tamen Deo tibi vires & auxilium dante non eſt timendum. S. Cyprianus de Orat. Domin. *Quis ei de ſæculo metus eſt, cui in ſæculo Deus tutor eſt.*

97. Præſentia Dei conſiderata ad omnes virtutes movet, eaſque perficit. 1. Orationem illuſtrat.

Virtutes quoque facili negotio acquiruntur, ſi præſentem Deum contempleris. Triſmegiſtus apud Lactantium l. 5. Inſtit. divin. cap. 15. *Pietas nihil aliud eſt quàm Dei notio.* In oratione & actione non commovetur, qui Deum ſibi præſentem contemplatur.

Ac primò, Oratio vertere debet vultum ad propitiatorium & arcam, ut Cherubim, Eccli. 39. 6. *In conſpectu Altiſſimi deprecabitur.* Noſter Oliverius Bonartius ibi notat orationis reverentiam, quaſi agentis in præſentia divinæ Majeſtatis. Hinc figurant duo Cherubini Moſaici, de quibus Exod. 25. 18. *Duos quoque Cherubim aureos* (per charitatem) *& productiles* (per mortificationem) *facies ex utraque parte oraculi. Utrumque latus propitiatorii tegant* (in proſperis & adverſis Deo ſe ſiſtant) *expandentes alas* (ferventi deſiderio ad cœleſtia volantes) *& operientes oraculum* (variis virtutibus Dei Eccleſiam protegentes) *reſpiciantque ſe mutuò verſis vultibus in propitiatorium quo operiendu eſt arca*: propitiatio Dei & miſericordia in aſpicientes ſe derivatur. Eos enim illuminat, ac recreat, Pſ. 33. 6. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur*, petita enim concedet, atq; virtutibus ornabit. Eccli. 46. 16. & ſeqq. de Samuele dicitur; Dilectus à Domino Deo ſuo Samuel Propheta Domini, renovabit imperium, & unxit Principes in gente ſua. In lege Domini congregationem judicavit, & vidit Deus Jacob, & in fide ſua probatus eſt Propheta, & cognitus eſt in verbis ſuis fidelis. Ratio porrò horum omnium redditur, *quia vidit Deum lucis.* Cum eo tenebræ non ſunt ullæ: tempeſtatis nebulas diſſipat, S. Baſilius in regulis brevioribus interrog. 21. inquirit: Quæ cauſa ſit, cur animus temerè evagetur, & variis cogitationibus repleatur, & quomodo eas emendare poſſimus, atq; his verbis reſpondet: *Sæpè inanis quæ ſolet eſſe mentis agitatio, ea naſcitur ex inertia ipſius: quandoq; ſcilicet in rebus neceſſariis minimè ſe occupat,* *ἀργὸν ἐστί,* *iners autem ex eo mens efficitur, ſeque juſto plus dedit otioſæ ſecuritati quod Deum adeſſe non credit, qui ſcrutatur corda & renes.* Vide cap. 23. Eccli. ℣. 25. ubi agitur de luxurioſo. Erant ſcelerati, ut diſcimus Deuter. 4. 7. *Nec eſt*, ait Moyſes populo Iſraelitico, *alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.* Poſſidonius li. 5. teſtatur. Parthorum Regem tantâ ſuperbiâ efferri, ſi fortè amicos ad cœnam vocet, eos non faciat menſæ participes, ſed humi ſedeant Rege in ſublimi lecto recumbente, idq; ſolùm comedant, quod iis ut canibus ab eo projicitur, atq; ſæpè ob levem cauſam virgis cædi, & cruore oblitos tanquam beneficio accepto gratias agere, Regemque pronos venerari. At verò Deus noſter cujus deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum, ad eos intrat, cœnat cum illis, & ipſi cum eo Apoc. 3. 20. dat vincenti edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei, cap. 2. 7. dat manna abſconditum, ℣. 17. tranſiens miniſtrat illi, Luc. 12. 37.

Parthorum Regum nimia majeſtas.

98. 2. Orationem inflammat.

Secundò, Non illuſtrat tantùm orantem Deus & delectat, ſed etiam accendit præſentiâ ſuâ. Hinc ſeptem primarii Angeli Dei thronum cingentes vocantur lampades, Apoc. 4. 5. *Septem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei.* Facit Deus Angelos ſuos ſpiritus & miniſtros ſuos *ignem urentem*, Pſ. 103. 4. Vide ibi dicta. De dilectione dicitur Cant. 8. 6. *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum:* nec aquæ paulatim ſtillantes, nec flumina irruentia uno impetu, charitatem extinguent aut obruent. Iſaiæ 10. 17. *Erit lumen Iſrael in igne, & Sanctus ejus in flamma* (ibi vera ſanctitas) *& ſuccendetur, & devorabitur ſpina ejus, & vepres in die una.* Id eſt peccata atque imperfectiones. In fornace Babylonica non ardent pueri, quia Angelus tantùm deſcenderat: ſed ubi Chriſtus eſt, ibi flamma eſt atq; incendia, dicit ipſe Luc. 12. 49. *Ignem veni mittere in terram*, ſed non otioſū; itaque additur, *& quid volo niſi ut accendatur?* Si vel ipſum aſpicias, aut ab eo aſpiciaris, inflammaberis. Nam de eo habes Apoc. 1. 14 *Oculi ejus tanquam flamma ignis*, & ℣. 16. Facies ejus ſicut Sol lucet in virtute ſua, i. e. ut Sol meridianus in maximo ſplendore, Si verò ad te intret, quis poterit habitare cum ejus ardoribus? ℣. 15. *Pedes ejus ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti.* Cherubini throno Dei proximi & currum ejus ſtipantes, ardent & alios inflamant, Ezech. 1. 7. *Scintillæ quaſi aſpectus æris candentis:* pedes eorum tales mittebant ſcintillas, quales emittit æs candens, in medio enim ignis erant. Nec pedes tantùm, ſed etiam facies & alia membra ardebant, ℣. 14. *Aſpectus eorum quaſi carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectus lampadarum.* Labia Iſaiæ uruntur calculo, quem Angelus tulerat *de altari*, Iſai. 6 ℣. 6. Ad altaria accedent ardeas, ibi Deus te reſpiciet atq; inflammabit

cum

cum Abele ſacrificante. Geneſ. 4. verſ. 4. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Theodotion vertit, [illegible] *inflammavit*: non ſolùm ejus victimas, ſed etiam ipſum, diverſo tamen igne. Angeli, qui ab Iſaia viſi ſunt ſtare ſuper ſolium Dei, id eſt, ſuper ſolii ſuppedaneum, erant Seraphim, id eſt, ardentes. cap. 6. ℣. 2.

99. 3. Humilitatem juvat. Tertiò: Humilitas ſumma oritur ex conſideratione divinæ præſentiæ. S. Baſilius in Regul. brevioribus interrog. 34 petit: Quomodo quis captandæ humanæ laudis vitium declinare poſſit, neque jam ſuſcipere, aut miraculi loco admittere eas laudes, quæ ab hominibus ſunt? Reſpondet [illegible] *ſi ſibi certò perſuaſerit, ubique Deum adeſſe*: &, ſi aſſiduè ſemper ac ſollicitè Deo placere ſtudeat, & ſi ardenter eas, de quibus Dominus locutus eſt, beatitudinis concupiſcat. Siquidem nemo eſt, qui cùm ſit [illegible] *in oculis Domini*, cum illius dedecore, conſervo ſuo malit gratioſus eſſe quàm illi, ac perinde ad propriam condemnationem vagus mente diſtrahatur. Seraphim viſi ab Iſaia ſtantes propè Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum *duabus alis velabant faciem ejus*. Dum velant ſuam Hebr. פניו *phanau*, & faciem ejus & faciem ſuam ſignificat. Seraphim cancellatim atque in crucem conjunctas alas ſuæ faciei imponebant, ſicque ex conſequenti faciem Dei velabant. Faciem porro obtegunt præ reverentia & humilitate, ne ſcrutatores majeſtatis opprimantur à gloria. Dei faciem, ait S. Cyrillus, eſſe divinitatis principium atque æternitatem: pedes verò finem & abyſſum, utrumque autem eſſe incomprehenſibile. Vel, ut ait Rupertus, facies eſt Divinitas Chriſti: pedes, ejus humanitas, & humanitatis myſteria, nempe nativitas, paſſio, crux, reſurrectio, aſcenſio, &c.

100. 4. Mentis robur dat. *Seraphim ſtant coram Deo.* Quartò: Mentis robur & conſtantia oritur ex præſentia Dei. Iſai. 6 2. *Seraphim ſtabant ſuper illud*, (Dei ſolium) *ſex alæ uni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus*, &c. *Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum.* Licèt totus Orbis, ipſique Principes, qui omnibus eminent, atque veluti cardines ſingulos ſuſtentant, tremore quatiantur, vel à virtute deflectant, ſtant tamen Seraphim: id eſt, qui ardentes ſunt divino amore, manent ſtabiles & inconcuſſi ante thronum Dei: conſideratio præſentiæ Dei illos firmos reddit. Arias Montanus vertit: *Et moverunt ſe frontiſpicia cardinum.* Nemo movetur niſi à ſeipſo: vir juſtus ita ſtat, ut, ſi fractus illabatur Orbis, impavidum feriant ruinæ. Eccl. 38. 8. *Pax Dei ſuper faciem terræ*, id eſt, animæ humilis, faciem ad Deum vertentis. Mare ipſum in ejus conſpectu tranquillatur. Apoc. 4. ℣. 6. *Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo.* Mare illud vitreum ut cryſtallinum, eſt Primò, Baptiſmus, ut placet Primaſio. Secundò, Pœnitentia, ut Dionyſio Carthuſiano. Tertiò, S. Scriptura, ut Joachimo Abbati. Quartò, præſens ſæculum, ut Riberæ. Quintò, cœlum empyreum, ut Pererio. Sextò, Angeli & Sancti in cœlo. Per mare, ſignificatur eorum immenſa multitudo: per vitrum, ſplendor, puritas, & tranquillitas: per cryſtallum, ſoliditas & firmitas gloriæ, & felicitatis beatarum atque Angelicarum mentium. Septimò denique, ad rem noſtram aptiùs exponemus de Sanctis in hac vita: qui, ut ait Rupertus, ſunt vitrei, id eſt, lucidi; ſed fragiles, infirmi, mortales: poſt reſurrectionem verò, erunt ſimiles cryſtallo: id eſt, ſolidi, robuſti, & immortales. In his terris & mari ſunt ſimiles cryſtallo, & humanam fragilitatem conſolidant, quamdiu in conſpectu divini throni manent, ſibique præſentem Deum intuentur. Noë juſtus *coram Domino* in arcam ingreditur cum uxore & liberis. Gen. 7. 1. atque ibi ſervatur. Intellectus, voluntas, memoria, quinque ſenſus, ſunt octo animæ, quæ à fluctibus diluvii ſalvantur. Illis mare fit inſtar terræ ſecuræ: terra verò Sodomitarum, qui erant *peccatores coram Domino*. Geneſ. 13. 13. fit mare ſulphureum, bituminoſum, in quo nullum animal vivit, ideóque mortuum vocatur.

101. *Columna in templo ut.* Stat vir Deum aſpiciens, ſed in templo ſtat, ibique providet Dominum in conſpectu ſuo ſemper. Apoc. 3. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei*, (ſic Deus eſt in medio ejus: & non commovebitur) *& foras non egredietur ampliùs.* Ad res exteriores animo vagando, & quærendo paleas per Ægyptum ſparſas: non decet lapides Sanctuarii per plateas ſpargi, & Chriſtianos mente per mania divagari: *Et ſcribam ſuper eum nomen Dei mei*, non effluet ab ejus memoria Deus, ſemper ibi inſculptus eſt JEſus: hoc illud eſt nomen novum, quod impoſitum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur, & à Deipara, vel à S. Joſepho in Circumciſione.

Exod. 13. 21. columna Iſraëlitas præcedens idem declarat. *Dominus præcedebat eos* (Eccli. 24. 38 Gloria magna eſt ſequi Dominum) *ad oſtendendam viam* (ſeipſum eſt enim via: ſine illo cæci ſumus, & à cæcis ducti in foveam cadimus) *in columna nubis, & per noctem in columna ignis. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.* Deum te præcedentem intuere, erit tibi non tantùm nubes, ut tegat, non tantùm ignis ut illuminet, ſed etiam columna, ut fulciat. Clemens Alex. lib. 1. Strom. cenſet, ignem illum in columnæ figuram conformatum, denotare [illegible] ſtabilitatem Dei ac firmitatem, [illegible] & immutabilem ejus lucem, quæque figurari non poteſt. *Deus populum præcedit in columna nubis.*

Geneſis 28. 18. *Surgens Jacob manè, tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper.* Si commoveri nolumus, ſupponamus capiti noſtro angularem lapidem Chriſtum, erigamus illum nobis in titulum, quem præ oculis habeamus, quem oleo miſericordiæ ungamus in pauperibus, & in quo poſtea nos ipſos immolemus. 102. *Lapis ſuppoſitus capiti Jacob, eſt Chriſtus.* Philo columnam illam à Jacob dicatam Deo vult figurare, quòd Deus ſolus ſtet, ejúſque verbo omnia, velut firmo & ſolido nitantur fundamento: Hoc de Sanctis præſertim dixeris Gen. 18. 22. *Abraham ſtabat coram Domino.* Apocalypſis 5. verſu 6. ait S. Joannes in extaſi raptus in cœlum, & videns Dei thronum, in eóque Deum ſedentem: *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium*: id eſt. inter thronum, & 4. animalia, non autem in ipſo throno, *& in medio ſeniorum Agnum ſtantem.* Chriſtus eſt Agnus, qui tollit peccata mundi. Stat: Primò, velut paratus ad opus redemptionis perficiendum, ut ait Richardus. Secundò, quia reſurrexit ad vitam, ut explicat Gloſſa. Tertiò, quia ſurrexit ad judicandum, ut Pannonius. Quartò, ut ſit Advocatus noſter apud Patrem, ut S. Auguſt. 4 88 novi teſtamenti. Quintò, ad opitulandum, ut Ansbertus. Non vult ſtans JEſus jacentes ſervos, Paulo ad ejus aſpectum cadenti ait Actorum 9. verſu 7. *Surge, & ingredere civitatem*, id eſt, Eccleſiam, quæ eſt civitas Sion ob contemplationem: eſt Damaſcus, ob fuſum Chriſti ſanguinem. Damaſcus ſignificat ſanguinis ſaccum, Gabriel, id eſt, fortitudo Dei, Chriſtum figurans Danieli apparet: cum ad ejus conſpectum pronus cecidiſſet in terram. Danielis 8. 18. dicit Propheta ipſe, *erigit me, & ſtatuit me in gradu meo*, dextera apprehenſum. Et capite 10. iterum apparet Gabriel, corpus habens quaſi chryſolithum, faciem velut fulgur, oculos ut lampadem ardentem: iterum conſternatus cadit Daniel ſuper faciem ſuam, & jacet: ſed Angelus eum erigit ſuper genua & articulos manuum, & ait verſu undecimo: *Sta in gradu tuo.* Vult nos cooperari gratiæ, ut toto corpore erecti ſtemus. Erigit ſuper genua, ut oremus: & ſuper manus articulos, ut operari incipiamus: ſed in pedes, ut erigamur & curramus: fervore noſtro eſt opus.

Pſalm. 8. 4. *Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti*, ſtabiliviſti & firmaſti. Nihil eſt per ſemetipſum ſtabile, nihil immutabile, nihil bonum, niſi Deitas ſola, ut ait Caſſianus Collat. 23. cap. 3. Dei lux facit cœlos ſtabiles. Pſ. 26. 1. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Et Eccli 34. 17. dicitur: Timentis Dominum, beata eſt anima ejus. Ad quem reſpicit, *& quis eſt fortitudo ejus? Oculi Domini* (vel ipſe Dei aſpectus, eſt ejus fortitudo: omnia enim monſtra fugat) *ſuper timentes eum*: addit deinde, eſſe protectorem potentiæ, id eſt, potentem, vel etiam protectorem potentiæ & roboris omnis Sanctorum: ſine ipſo enim *nihil* poſſumus facere: ait eſſe firmamentum virtutis, id eſt, robuſtum, tegimen ardoris, & umbraculum meridiani, &c. Et cap. 33. 2. de ſapiente amante præcepta Dei, habetur: quod non illidetur quaſi *in procella* navis. Contra autem verſu quinto additur: *Præcordia fatui quaſi rota carri, & quaſi axis verſatilis cogitatus illius.* Nunquam quieſcit, ſurſum deorſum vertitur, & in luto gemit ac ſtridet. Thren. 1. 8. *Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.*

103. 5. A conſideratione præſentiæ Dei eſt omnis perfectio.

Quintò denique, Meditatio divinæ præſentiæ omnimodam perfectionem parit. 1. Reg. 2. 35. *Suſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus.* Coram Rege uncto, qui erat Meſſiæ ſeu Chriſti figura. S. Dorotheus ait ſe id præcepti dediſſe S. Doſitheo diſcipulo ſuo: Nunquam cordi tuo Deus excidat, cogita ſemper Deum tibi præſentem, & te coram illo ſtare. Fecit hoc Doſitheus ſedulò, adeò ut neque in ægritudine licèt graviſſima & extrema, cogitationem tam ſalutarem dimiſerit. Atque hac exercitatione conſecutus eſt, ut quinquennii ſpatio, ex milite nobili, adoleſcentulo diſſoluto, vitiis antè cooperto, & luxu ſæculi perdito, ſanctiſſimus juvenis & perfectus monachus evaſerit: atque poſt obitum quibusdam ſanctitate claris viris per viſum inter beatos anachoretas tunc in cœlo regnantes conſpectus fuerit. Avicenna 1. cant. ait in civitate ad bonam ſanctitatem conſervandam expedire, ut feneſtræ & portæ ſint orientales, & maximam debere eſſe ſollicitudinem, ut venti orientales, ſtructuras, id eſt, domos, ingredi valeant, atque ut Sol ad unumquemque locum venire poſſit: de Chriſto dicitur Zachar. 6. *Ecce vir oriens nomen ejus.* Aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem. Pſalm. 67. 34. inde nobis lucet, atque ad orientem vertuntur orantes Chriſtiani, ſicut Judæi vertebantur ad occidentem. Velo faciei oppoſito deſcendit Moyſes de monte Sinai, id eſt, *rubi* ac ſpinarum, ne lux ejus videretur in lege tribulante & onerante: Chriſtus aperta & micante facie è monte olivarum aſcendit in cœlum montem pinguem, montem coagulatum, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, ad Patrem noſtrum in cœlis fulgentem ſuſpiremus. Baruch. 5. verſu quinto. *Exſurge Jeruſalem, & ſta in excelſo, & circumſpice* AD ORIENTEM. Mons olivarum ſpem facit miſericordiæ etiam peccatori. Thais converſa eſt commemoratione illius divini aſpectus, cui nemo ſeſe occultare poſſit. Leproſo imperatur Levitici decimo tertio, verſu quadrageſimo quinto, ut habeat veſtimenta diſſuta, & caput nudum, ut intelligat Deo omnia eſſe aperta & cognita.

104. Contra verò aſpectus vanitatis vanos efficit.

Sicut perfectus paulatim evadit, Deóque ſimilis, qui ſæpe divinos radios aſpicit, ita vanus evadit, qui ad vana convertitur. Eccleſiaſtici trigeſimo quartu, verſu primo. *Vana ſpes & mendacium inſenſato viro: & ſomnia extollunt imprudentes. Quaſi qui apprehendit umbram, & perſequitur ventum: ſic & qui attendit ad viſa mendacia: hoc ſecundum hoc viſio ſomniorum ante faciem hominis.* Si homines tantum aſpicis, ſomnia aſpicis: hominem vocat Pindarus umbræ ſomnium: ſed cum provides Deum in conſpectu tuo, rem aſpicis, & eum qui eſt Jehova, id eſt, ipſa eſſentia, quique verè dicere poteſt: Ego ſum qui ſum. Abbas Diocles apud Palladium capite nonageſimo ſeptimo ait, eum qui ſe à Dei reſpectu removet, eſſe ἢ δαίμονα, ἢ κτῆνος. id eſt, aut dæmonem, aut beſtiam. Lupi ſuppolares oculis aliquando privantur ob ingens frigus, ut ait Olaus lib. 1. pag. 14. Avari cæci ſunt, in iis enim refrixit charitas: lupi ſunt tenebroſi & veſpertini. Abacuc 1. 8.

ARTICULUS IV.

Deus ſe præſentem conſiderantes lætitiâ afficit.

105. NIhil dulcius quàm reſpicere in mandatis Domini, ut ait author Eccleſiaſtici cap. 23. 37. id eſt, in Dominum imperantem, & quidem eum amore adjuvandum auxilia pollicentem. Eam ob rem Propheta noſter providens Dominum in conſpectu ſuo ſemper, à dextris exiſtentem ne commoveatur, canit exultans, Verſ. 9. PROPTEREA

Verſ. 9. 1. Pars. LÆTATUM EST COR MEUM, ET EXULTAVIT LINGUA MEA: INSUPER ET CARO MEA REQUIESCET IN SPE. Ubi lætitiam aperit. Primò, cordis in cogitatione & affectu. Secundò, oris in locutione. Tertiò, totius corporis in recta operatione ob ſpem vitæ æternæ. Quid ſit ad literam caro requieſcens in ſpe, dicam in fine articuli.

Lætandum eſt in corde

Nota. In corde, ut fronte, lætitia ſit, oportet, ſi ad locutionem velut ad rivum, atque ad operationem velut ad fluvium, derivare cupias: ideo Simon Oniæ filius, ſummus Pontifex Judæorum, ornatus veſtibus pretioſiſſimis in templo primum omnium id poſtulat. Eccli. 50. 25. *Det nobis* (Deus) *jucunditatem cordis*, id eſt, charitatis, à qua velut à corde ipſo, vita in cætera virtutum membra, & in omnes actiones diffundetur, ſpiritibúsque vitalibus totum corpus incaleſcet, aptúmque ad omnia cum facilitate obeunda reddetur. Eccli. 30. 23. *Jucunditas cordis, hæc eſt vita hominis* (triſtitia eſt mors exſiccans & denudans oſſa) *& theſaurus ſine defectione ſanctitatis, & exultatio viri eſt longævitas.* Cauſam veræ lætitiæ aſſignat unius Dei amorem, verſu 24. *Miſerere animæ tuæ placens Deo, & contine; congrega cor tuum,* (ne patiaris dividi in varias creaturas) *in ſanctitate ejus.* Ibi cor tuum pônatur, velut in phiala aurea, plena balſamo & odoramentis: *Et triſtitiam longè repelle à te.* Seſe intrudit in rerum humanarum tanta perturbatione. Eſt equus ille ruſus & ſanguineus, cujus ſeſſor diabolus, cui datum eſt. Apocal. 6. 4. ut ſumeret pacem de terra, & ut invicem ſe interficiant, & datus eſt ei *gladius magnus*: ut uno ictu multos proſternat. Sequitur enim loco citato Eccleſiaſt. verſ. 25. *Multos occidit triſtitia, & non eſt utilitas in illa*, ne minima quidem, tota eſt fellea, & venenata. vel potius, triſtitia eſt equus pallidus. Apoc. 6. 8. & qui ſedet ſuper eum, vocatur mors, & infernus ſequitur eum.

Nota 2. Virtus lætitiam ingenerat, atque triſtitiam diſcutit, atque cum Sponſo Canticorum quarto, verſu decimo ſexto. *Surge* (ahi) *Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* 106. Lætitia ex virtute oritur.
Dæmonem figurat Aquilo ventus frigidus & hybernus: quippe qui, ut ait S. Gregorius Nyſſenus homilia decima in Cantica, *effector ſit hybernæ triſtitiæ.* Auſter ventus calidus, eſt ſymbolum Spiritûs ſancti: qui cùm inſtar venti vehementiæ concuſſiſſet domum, in qua erant Apoſtoli, in eos decidit in figura linguarum ignearum, & ſedit ſuper capita ſingulorum, ut ſciremus tunc eorum mentem flammis cœleſtibus exarſiſſe. Abſalon Abbas integro ſermone trigeſimo ſexto hunc verſum cantici adaptat feſto Pentecoſtes. Aromata fluunt, ut ait Philo; id eſt, juſtæ actiones, & ſanctitatis opera, & odores virtutum omnium, per proximorum mentes ſuaviſſimè redolent. Sed præcipuè fluunt aromata, id eſt, ſuavis lætitiæ ſuffitus in omnes animæ potentias, ut poſſit dicere, *lætatum eſt cor meum*; totum ſcilicet ſine exceptione, interius gaudium habendum eſt prius, quàm ad alios dimanet. Marci decimo quarto, verſu tertio de Maria Magdalena dicitur: *Cùm eſſet JESUS Bethaniæ in domo Simonis leproſi, & recumberet: venit mulier, habens alabaſtrum unguenti nardi ſpicati pretioſi, & fracto alabaſtro, effudit ſuper caput ejus.* Joannis duodecimo, idem referens ait, domum impletam fuiſſe ex odore unguenti. Si plenus ſis virtutibus, habebis unde lætitiam in omnes effundas, etiam cùm morbis & cladibus frangeris, aut teipſum mortificatione & humilitate conteras. *Nardus*, ut ait Plinius libro duodecimo, capite duodecimo, *eſt frutex gravi & craſſa radice, ſed brevi ac nigra, fragilique, quamvis pingui, ſitum redolente ut cyperi, aſpero ſapore, folio parvo denſoque: Cacumina in ariſtas ſe ſpargunt, ideo gemina dote nardi ſpicas ac folia celebrant.* Tam ex ſpicis, quàm ex foliis nardi fit unguentum; ſed quia ſpicæ plus habent ſubſtantiæ & medullæ, ſpicatum eſt melius foliato: itaque tam apud Marcum, quàm apud Joannem vertit Syrus, *nardi capitalis*, id eſt, primarii ac præſtantiſſimi. Arabs, optimi, Interpres Græcus, πιστικῆς, hoc eſt, fidelis, puri, ſinceri, non adulterati: facilè enim adulteratur pſeudonardo ſive lavendula, & aliis herbis, ut ait citatus Plinius. Vix putaverim *piſtici* poſitum eſſe pro ſpicato, ut vult Franciſcus Lucas, & Cornelius à Lapide. Alabaſtrum autem erat vas unguentarium factum ex Alabaſtrite, ſeu onyche lapide marmorei generis, quem ad vaſa unguentaria cavari docet Plinius libro trigeſimo ſexto, capite octavo. Utebantur porrò Judæi, Arabes, Perſæ, aliique populi Orientales unguentis odoratis in convivio ad delicias ad impediendam ebrietatem, & ad refrigerium: erant ut plurimùm unguenta liquida, id eſt, liquores ex herbis odoratis, quibus caput & corpus irrigabant, refovebant, & recreabant: itaque lætitiæ mentis ſunt ſymbolum, & Sponſa dicit Canticorum 1. 11. Nardus mea dedit *odorem ſuavitatis*: hoc autem ait eſſe factum, cum Rex eſſet in accubitu ſuo, id eſt, ut explicat Delrio, quamdiu cum Sponſo cœleſti accubui in convivio, tum in hoc mundo, poſt Incarnationem, tum in cœlo poſt Aſcenſionem,

nem, ibi lætantes & coronatos ſeipſo cibat, & potat, à ſuo aſpectu nunquam dimotos: ibi non tantùm eſt cibus Angelorum, ſed etiam hominum, ibi *vineæ florentes* dant odorem, Cant. 2. 13. id eſt, animæ Sanctorum, & vinum lætificans cor omnium, diffundunt.

107. Oratio præſertim eſt fons lætitiæ.

In oratione præſertim, hoc vinum bibitur. Ad illud Sponſus omnes invitat, Cant. 5. 1. *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Myrrha cum aromatibus, eſt ipſa mortificatio cum lætitia: favus cum melle, eſt labor operationis cum gaudio fructus: ſed vinum & lac figurant orationem cum ſolis deliciis ſine dolore, ibi tantùm eſt potandum: nullus labor eſt in oculis & conſpectu Dei, Pſal. 118. 92. *Lex tua meditatio mea eſt,* pro *meditatio.* שעשעי *ſaaſuai,* id eſt, *deliciæ meæ.* Oſeæ 14. 8. *Memoria ejus, ſicut vinum Libani.* Suaviſſima eſt commemoratio & memoria populi Iſraël, ſicut gratus eſt potus vini creſcentis in monte Libano. Fuit hoc vinum excellens & odoratum ex afflatu odoriferarum arborum, quibus Libanus abundabat: textus Arabicus Alexandr. habet. *Et erit ſicut incenſum.* S. Hieronymus & Chald. Paraphraſt. per vinum Libani intelligunt *vinum templi,* quod ſacrificiis adhibebatur ut libamen. dicitúrque Libani, quia ex uvis Libani erat confectum. Hoc de ſanctiſſima Euchariſtia commodiſſimè dicetur, de qua etiam ſume dictum Eccleſiaſtici 49. 1.

Memoria Chriſti eſt ſuaviſſima ſicut Joſiæ.

Memoria Joſiæ (Regis optimi, qui fuit Chriſti figura) *in compoſitionem odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quaſi mel indulcabitur ejus memoria, & ut muſica in convivio vini.* In conviviis mundi, ut in Cana Galilææ dicitur, vinum non habent, aqua ibi eſt mera: ſed ob præſentiam JEſu habetur vinum optimum. Pſal 76. 3. *Renuit conſolari anima mea.* Habebat tantùm aquam & aquam Mara, Exod. 15. 23. Venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd eſſent amaræ. Mara amarum ſonat, ſed addit David: *Memor fui Dei, & delectatus ſum.* Lignum crucis in aquas conjectum non ſolum eas vertit in dulcedinem, ſed vinum facit in Euchariſtia, ibi eſt enim vinum è crucis torculari expreſſum: ibi licet dicere Eccli. 9. 15. *Vinum novum amicus novus.* Et capite 31. 35. *Vinum in jucunditatem creatum,* & verſ. 36. *Exultatio animæ & cordis vinum moderatè ſumptum.* Vinum vero mundi, eſt aut *fel draconum,* ob ſuperbiam, Deuter. 32. 33. aut de vinea Sodomorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ, ob luxuriam, ibid. verſu 32. aut ſaltem ex botro amariſſimo, ob avaritiam, ibid. Vel acetum, ob calamitates & dolores immixtos, Prov. 10. 26. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis: ſic piger his qui miſerunt eum,* animus tepidus eſt ſibi ipſi & potentiis ſuis acetum. Pſal. 72. 21. *Inflammatum eſt cor meum.* Hebr. יתחמץ *ithhammets,* aceſcet, ut Arias vertit, dolore afficietur, ut Pagninus, *& renes mei commutati ſunt.* Hebr. *eſtonan,* acuti fuerunt. Libido eſt ſtimulus fodiens & cruciatus, tribulationem carnis habebunt hujuſmodi: ſtimulus carnis eſt Angelus ſatanæ, ignis ejus urit, ſed non lucet: tartareus eſt. De hujuſmodi habes verſu decimo octavo, *Dejeciſti eos dum allevarentur.* Hebr eſt: *cadere feciſti eos in* (maſſuoth) *deſolationes*: ipſa elevatio eſt deſolatio, coronæ definunt in aculeos, caput magis pungunt, captivant, & gravant quàm ornant. Et antea in verſu eodem, *propter dolos poſuiſti eis.* Hebr. in lubricis poſuiſti eos, omnis peccator ſtat in præcipitio declivi & lubrico, vertigine laborat, pedes deſluunt, cor ſubſidit, corpus totum vacillat, mens conturbatur. Etiam in licitis deliciis dolor eſt, Pſalmo ſeptuageſimo ſeptimo, verſu ſexageſimo tertio. *Virgines eorum non ſunt lamentatæ.* Hebraicè, non *Hullala,* non epithalamio celebratæ ſunt, ut Arias reddit. Nuptiæ ſæpe ſunt lamenti cauſa: ſeptem mariti Saræ filiæ Raguelis in ipſa prima nocte à dæmone ſuffocantur, in contractibus matrimonialibus fit mortis mentio: ſtatuitur enim, quid ſit alterutri conjugum obventurum conſorte thori defuncto. In roſis mundi non deſunt ſpinæ, in melle fel miſcetur, in vino aqua, in aqua lutum. Dei verò fontes puri ſunt, & ſuavem ſuſurrum edunt, Pſalmo octuageſimo ſexto, verſu ſeptimo. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Hebr. *Cantores ſicut tibicines omnes fontes mei in te.* Erit ibi ſicut lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium ejus non defluet, nihil in cœnum cadit, omnia per ibi ſunt viridia, & ſpei plena. Baruch. 5. verſ. de filius Eccleſiæ Deum colentibus dicitur: *In verbo Sancti gaudentes Dei memoria.* Ideo David Pſal. 48 ait, meditationem cordis ſui eſſe in conſpectu ſuo ſemper. Et Pſal. 67. monet, ut *exultent juſti, & epulentur in conſpectu Domini, & delectentur in lætitia*: id eſt, in Deo, qui eſt vera & ſolida lætitia: JEſus eſt verus Iſaac, id eſt, riſus. de eo dicit Maria Luc. 1. 47. Exultavit ſpiritus meus *in Deo Salutari meo*: Salvatore, JEſu meo.

108. Chriſtus eſt Sol animam luce recreans.

Lux non deeſt accedenti ad Solem, Apocal. 2 28. Chriſtus pollicetur ſe daturum vincenti, *ſtellam matutinam.* Joachimus Abbas per matutinam ſtellam intelligit fidem, & ſcientiæ donum, qua præcognoſcimus ea, quæ in cœlo conſpecturi ſumus. 2. Cornelius à Lapide vult eſſe lumen gloriæ & claram Dei viſionem, quam anima victrix per Dei gratiam adipiſcitur poſt mortem. 3. Magis ad rem præſentem aptè dicit Ribera, ſtellam illam à Chriſto promiſſam, eſſe Chriſti inviſibilem & aliquando viſibilem apparitionem, qua Sanctos ſuos animam agentes conſolatur. De omni Chriſti conſpectu etiam in ætatis vigore, & virtutum exercitio, aut in contemplatione poſſis interpretari. Stellæ mundi ſunt ſtellæ cadentes, Apoc. 6. 13. licet ſint ſtellæ magnæ, cap 8. 10. & nomen ſtellæ *abſinthium* Ibidem verſu 11. nec nomen tantum, ſed res. Stellæ verò Dei ſunt fixæ in cœlo, Deuter. 1. 10. ait Moyſes: *Eſtis hodie ſicut ſtellæ cœli.* Antea eratis ſtellæ terræ, in Ægypto tenebroſa: à nullo dejiciuntur, Deus enim eas claudit quaſi ſub ſignaculo, Job. 9. 7. eas fundat, id eſt, firmat, Pſal. 8. 4. ſemper oriri facit. Num. 24. 17. *Orietur ſtella ex Jacob,* Meſſias ſcilicet illa ſtella ſemper lucet, Apocal. 22 16. ait de ſeipſo: *Ego ſum ſtella ſplendida & matutina.* Et Simon Oniæ filius vocatur Eccli. 50. 6. *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ*, lux autem eſt lætitiæ puræ & cœleſtis hieroglyphicum.

109. Deus cerni non poteſt ſine lætitia.

Deus ita amabilis, ut ſine lætitie cerni non poſſit, Apocal. 4. verſ. 3. *Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis Jaſpidis & Sardinis.* Deus videtur in throno effulgens colore Jaſpidis & lapidis Sardi, quo denotatur: Primò, miſericordia per Jaſpidem virentem, & juſtitia per Sardium rubentem, ut ait Pererius. Secundo, Jaſpis ſignificat ſemper virentem Sanctorum gloriam in cœlo: Sardius incendium gehennæ, ut exponit Richardus à S. Victore. Tertiò, notatur Jaſpide *divina conſolatio & recreatio mundi verſis*: Sardio autem, inflammatio charitatis, quæ facit, ut ardenius Deo ſerviamus, ut placet Lyrano. Quarto, Abulenſis & alii tradunt, Sardio *gaudium* accendi: ūnque commode figurat infinitam Dei gloriam atque felicitatem, ex qua immenſa ejus voluptas & lætitia emanat. Alcazar pag. 979.

Lapis ſymbolũ lætitiæ.

dicit, Sardium partem eſſe & originem ametnyſti: quod inde probat, quia in aliquibus gemmis reperitur una ex parte Sardius, ex altera amethyſtus. Amethyſtu autem, qui vini colorem refert, denotantur *cœleſtes deliciæ*, & divinum nectar atque ambroſia, quæ omni vino vehementiorem *lætitiam* animis ingenerant, ac totum hominem inebriant mixto Spiritûs ſancti etiam in hac vita, Act. 2. ſeu præſertim in futura, torrente voluptatis. Pſalmo trigeſimo quinto. Oritur autem illa lætitia ex Dei conſpectu. Quintò denique, Andreas Cæſarienſis, & Ribera dicunt, Jaſpide, quia gemma eſt ſimilliſſime, viridis ac ſæpe pellucens, ut tradit Plin. lib. 37. c. 8. figurari ſemper virentis ac florentis divinitatis ſplendorem atque pulchritudinem. Sardio autem, qui ſanguinei & ignei coloris eſt, atque teſte Areta, feris terrorem incutit, ſignificari Dei juſtitiam, terrorem & vindictam in impios Antichriſti præcurſores vel aſſeclas.

110. Et ſmaragdus.

Apocalypſis quarto, verſu tertio, *& Iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſione ſmaragdinæ,* id eſt, coloris ſmaragdi, qui eſt viridis: ſolum hunc colorem in illa iride agnoſcit Alcazar: verius dixeris, alios colores iridis huic non defuiſſe, ſed viridem præ cæteris apparuiſſe. Per iridem hanc circa Dei thronum figuratur. Primo, Dei miſericordia, quæ eſt ſignum reconciliationis & fœderis inter Deum & hominem, & colore ſuo multiplici oculus animúmque recreat, ut advertit Viegas. Secundo, iris ſunt Sancti, qui orationibus ſuis Eccleſiam, quæ eſt Dei thronus, ex omni parte cingunt & protegunt, ut ait Beda. Tertio, iris ſunt Angeli, qui triplici virtute purgandi, illuminandi & perficiendi valent, & hi tres ſunt iridis colores, ut docet Pe-

rerins. Quartò, iris eſt incarnatio Verbi, quæ pacis & reconciliationis inter Deum & homines fuit ſymbolum, ut explicat Anshertus. Similis porrò eſt iris viſioni ſmaragdinæ, ut, ſicut dicit Ribera, ſignificet Dei & creaturarum in ipſo velut ſpeculo pulcherrimo, viſionem: quæ mentem contemplantis jucundiſſimè implet, nunquam ſatiat. Plinius trigeſimo ſeptimo, capite quinto: *Tertia authoritas ſmaragdis perbibetur pluribus de cauſis. Nullius coloris aſpectus jucundior eſt. Nam herbas quoque virentes frondeſque avidè ſpectamus: Smaragdos verò tantò libentiùs, quoniam nihil omninò viridius comparatum illis viret. Præterea ſoli gemmarum contuitu oculos implent, nec ſatiant. Quin & ab intentione alia obſcurata, aſpectu Smaragdi recreatur acies, ſcalpentibuſque gemmas non alia gratior oculorum refectio eſt, ita viridi lenitate laſſitudinem mulcent. Præterea longinqua amplificantur viſu inficientes circa ſe repercuſſum aëra, non Sole mutati, non umbra, non lucernis.* Idem ſemper juſto color eſt. Proverbiorum duodecimo, verſu vigeſimo primo. Non contriſtabit juſtum, quicquid ei acciderit. Nam ſcit verum eſſe Salviani effatum libro primo de Providentia: *Nemo aliarum mala miſer eſt, ſed ſuo: & ideo non poſſunt eſſe falſo judicio miſeri, qui ſunt verè ſua conſcientia beati.* Et ſancti Chryſoſtomi homilia decima octava ad populum: Nihil aliud eſt triſte, niſi Deum offendere: quod cùm aderit, non tribolationes, non inſidiæ, non quicquam aliud ſapientem animum poterit contriſtare: ſed quemadmodum [illegible], exiguam ſcintillam in mare ſi dejeceris, ſtatim extinxeris: ſic omnis triſtitiæ ſuperabundantia in bonam miſſa conſcientiam extinguitur ut incidens in πέλαγος εὐθυμίας. lætitiæ pelagus. Propterea Paulus ſemper gaudebat, quoniam interiùs ſecundùm Deum confidebat, neque tot malorum capiebat ſenſum, ſed dolebat quidem ut homo, non tamen cadebat. Sic & Abraham Patriarcha erat in delectatione, multa paſſus triſtia. Hactenus Chryſoſtomus. Notabile quoque eſt, quod ait ſanctus Cæſarius Arelatenſis homilia ſecunda: *Verum gaudium non poſſidetur, niſi pax & juſtitia teneatur.* Prima enim, & quaſi radix, juſtitia. Secunda, pax. Tertia, gaudium. De juſtitia naſcitur pax, de pace gaudium generatur. Juſtitia & pax quaſi bona opera eſſe videntur: gaudium verò, fructus eſſe bonorum operum intelligitur. Sic ſanctus Cæſarius. In afflictione præſentem Deus juſto ſeſe exhibet. Pſalmo nonageſimo, verſu decimoquinto: *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Apparuit Moyſi in Madian, cùm ejectus eſſet à Pharaone, aut potiùs cùm eum timens fugiſſet ex Ægypto, Exodi tertio. Apparuit Jacob, eum timens Eſau fratrem ſuum iratum & mortem intentantem, fugiebat in Meſopotamiam ad Laban, Geneſis vigeſimo octavo. Ezechiel exul in Babylone Deum vidit in illo curru cherubico fulgentem, Ezechielis primo. Sanctus Stephanus cùm lapidandus eſſet, vidit Jeſum ſtantem a dextris virtutis Dei, ut ſibi præſto eſſet, Actorum ſeptimo Joannes in Patmum inſulam relegatus, ibi vidit Jeſum inſtar ſummi Pontificis veſtitum podere, id eſt, veſte talari, & præcinctum ad mammillas zona aurea, &c. quibus notatur ſingularis ejus providentia erga electos, ut ait Pererius. Erat enim inter ſeptem candelabra aurea, id eſt, inter omnes Eccleſias particulares illis pruvidens, modò infundens oleum per miſericordiam, modò lumen accendens per ſapientiam: modò ea emungens per juſtitiam: per omnia illa efficiens ut meliùs luceant. Apocalypſis ſecundo, verſu primo: *Ambulat in medio candelabrorum.* Charitas nunquam quieſcit, ſed lucem ejus recipe, ſi vis eam in medio cordis tui & ſenſuum ac potentiarum retinere. Crudelis erat Nero, cùm Chriſtianis pice & ſulphure oblitis, pro facibus utebatur: amabilis & amantiſſimus eſt JEſus, dum ſervos ſuos cœleſtibus flammis accendit, atque efficit lampades ardentes ante thronum: non autem cruciat, ſed lætitia adimplet.

Sancta Thereſia, ut libro ſecundo vitæ, capite decimo octavo ait Ribera, ita in Dei præſentia verſabatur, quacunque exteriori occupatione teneretur, ut ab ea ne puncto quidem temporis recederet: idque excellenti modo, in animæ ſcilicet fundo poſſidens & guſtans præſentium trium divinarum perſonarum, cum ineffabili mentis pace & progreſſu mirabili in omnibus virtutibus. Agatha à Cruce ſibi ſemper in Dei ſinu eſſe videbatur, quocunque pergeret: ex quo oriebatur ejus mira pax interior.

Cordi lingua jungenda eſt, ut citharæ plectrum, ad percipiendam interiorem harmoniam Verſu eodem nono: ET EXULTAVIT LINGUA MEA. Hebraicè, כבודי chebodi, *gloria mea.* Sic vertit Sanctus Hieronymus, Syrus, Felix Pratenſis, & Muiſius: lingua enim Sanctorum, eſt eorum gloria, præſertim cùm illa Deum laudant. Pſalmo 29. 13. *Ut cantet tibi gloria mea,* id eſt, lingua mea, & Pſalmo 107. verſu tertio. *Exſurge gloria mea, exſurge pſalterium & cithara.* Vult Deus a ſervorum ſuorum labiis ſuam gloriam ſumere: unde Eccleſiaſtici 50. verſu vigeſimo ſecundo dicitur, Simonem Oniæ filium dediſſe gloriam Deo à labiis ſuis. Illa una quærenda, amanda & prædicanda eſt. Vide dicta Pſalmo 113. verſu nono: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Apocalypſis quarto, cùm darent quatuor animalia *gloriam,* & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum, & viventi in ſæcula ſæculorum, viginti quatuor ſeniores. Primo, procedebant, faciem ſuam in terram incurvando, velut humum oſculaturi. Secundo, adorabant Deum, & latriæ cultum ei exhibebant. Tertiò, mittebant *coronas ſuas* ante thronum omnem gloriam ſuam ad pedes ipſius abjiciendo. Quarto, voce lætiſſima inclamabant: Dignus es Domine Deus noſter accipere *gloriam,* & honorem, & virtutem, id eſt, laudem potentiæ & fortitudinis tuæ, quam oſtendiſti in rerum omnium creatione, & in victoria, quam de hoſtibus noſtris reportavimus. 111. Verſ. 9. 2. Pars. Linguâ etiam eſt jubilandum.

Apocalypſis 4. verſ. 5. *De throno* (Dei) *procedebant fulgura, & voces, & tonitrua.* Thronus Dei, inquit Alcazar, ſunt Chriſtiani omnes, qui excellenti Dei cognitione & amore, in ſuo corde ſedem illi fabricant, atque in converſione animarum acriter & ſtrenuè laborant. Ab his procedunt voces, id eſt, ſermones pii conjuncti fulguribus & tonitruis: quia conjunctam habent cœleſtem virtutem, quam ſignificat tonitru: & piæ vitæ ac ſancti exempli illuſtrationem, quam ſignificat fulgur. Poſſis etiam intelligere, voces ad Dei laudem celebrandam de throno illo divino egredi, omnia enim ibi Dei laudem reſonant, & quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores, & Angeli ac Sancti omnes.

Eccleſiaſtici 40. verſ. 21. *Tibia & pſalterium ſuavem faciunt melodiam, & ſuper utraque lingua ſuavis.* Præſertim ſi in Dei laudibus occupetur. Apoc. 5. verſ. 8. *Et cùm aperuiſſet Agnus librum, quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* Oratio Sanctorum comparatur thymiamati facto ex odoramentis, nempe ex galbano, ſtacte, onyche & thure: & illud thymiama offerebatur & cremabatur in altari, quod erat in ſancto tam tabernaculi Moyſis, quàm templi Salomonis, unde vocabatur altare incenſi, ſeu thymiamatis. Odoratur Deus *odorem ſuavitatis* in oratione Noë, Gen. 8. Verſu 21. oratio aſcendit ſicut *virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii.* Canticorum tertio, verſu ſexto, fumus enim ex aromatibus, ut ait S. Gregorius homilia 22 in Ezech. compunctio eſt orationis concepta ex virtutibus amoris, quæ oratio virgula fumi dicitur: quia dum ſola cœleſtia poſtulat ſecreta, progreditur, ut ad terrena petenda minimè reflectatur. Sicut autem per odoramenta in loco citato Apocalypſis orationem interiorem potes exprimere: ita per Citharas poteris accipere exteriorem & Deo & hominibus ſuavem. Nam, ſicut explicat Rupertus, Citharæ ſunt pectora caſta, cum plectro linguæ laudes Dei perſonantia; phialæ aureæ, ſunt corda charitate dilatata. Id habebis, ſi *coram Agno,* in Dei tui præſentia citharam tuam pulſes. Eccleſiaſtici 47. Verſ. 11. *Stare fecit David cantores contra altare,* id eſt, è regione altaris, aſpiciendo altare & Deum in eo victimas noſtras acceptantem, capite trigeſimo quinto, verſu undecimo monet, in omni dato hilarem facias vultum tuum, & in exultatione ſanctifices decimas tuas, & verſu vigeſimo dicit, eum, qui adoret Deum, in oblectatione ſuſcipi: & deprecationem illius uſquam ad nubes propinquare: cadimus coram Angelo, atque citharas tenemus, cùm ante altaria noſtra procumbentes JEſum ibi præſentem celebramus, eóque paſcimur & potamur, cap. 32. verſ. 7. dicitur: *Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio muſicorum in convivio vini. Sicut in fabricatione auri ſignum eſt ſmaragdi,* Citharæ ſanctorũ plectra percuſſa quid?

ſic

ſic numerus muſicorum in jucundo & moderato vino. Carbunculo in tenebris effulgente, & auro, poſſis charitatem figurare: ſmeragdus item fulgidiſſima gemma eſt, quam Athenæus lib. 3 cap. 8. ait deduci à *μάρμαιρειν*, id eſt, ſplendere: puritatis ſymbolum eſt: onde quidam dicunt frangi in actu venereo, idque accidiſſe reginæ Hungariæ alii id negant. Muſicam amat virtus, ſed cæleſtem, eaque luce divina emicans in Dei hymnis utitur. Maximus Tyrius orat. 4. ſic virtutem deſcribit: *εὐσχήμων ἰδεῖν, ἀσάλευτον ὄμμα, φθέγμα μουσικόν, ὄμματα ἥμερα, ἀμπεχόνη ἀνειμένη.* *Decora aſpectu, inceſſu quieta ſermone muſica, oculis placidis & clementibus, corporis cultu mentis remiſſionem & alacritatem præ ſe ferens.*

Lingua & cor ſibi manum & reliquum corpus adeiſcant, ut ſit perfecta harmonia. Verſ. eod. 9.
Verſ. 9. 3. Pars. *INSUPER ET CARO MEA REQUIESCET IN SPE.* Arabica verti poſſunt, *ſuper ſpem*, velut ſpei alis aut curru inſidens. Secundò, Hebr. לבטח *la betah*, ſignificant *confidenter*.

112. Corpus Sanctorum exultat per redundantiam lætitiæ ab anime producentis.

Senſus autem eſt Primò, quaſi diceret, etiam in tota hac vita, velut Alcyon in mari, nidum mihi quietum conficiam: quieſcam non in re, ſed in ſpe: manens quidem in fluctu, ſed portum præ oculis habens. Sapientia amat requiem, & dat. Eccli. 24. 11. *In omnibus* (& hominibus & rebus) *requiem quæſivi.* Sponſa requiem illam in carne ſua ſentiens ait, Canticorum 7. 13. *Mandragoræ dederunt odorem.* Mandragora, ut ait Caſſiodorus, herba eſt aromatica, cujus radix ſimilitudinem habet humani corporis: qui incommodo vigiliarum laborant, hauſtu hujus pomi relevantur & poſſunt dormire. Id confirmant S. Baſilius hom. 5 Hexaem. S. Ambroſius lib. 3. Hexaem. cap 9 S. Cyrillus lib. 11. in Geneſim, exterior cortex vino mixtus propinatur bibendus iis qui ſecandi ſunt, vel cauterio inurendi, vel torquendi, ut ſenſus doloris illis obtundatur, ſicut tradit Honorius & Angelomus, ac Rupertus. Ad mores rem trahit Theodoretus: *Quemadmodum, ait, qui Mandragoram hauſerunt, corporis motiones non ſentiunt: ita qui præ doctrinæ poculum biberunt, perditis hortamines ſtudent conſopire.*

113. Quies animæ eſt virtus.

Caro requieſcit, cùm caret morbis: & anima, cùm tranquillas habet paſſiones corporis ac ſibi ſubditas. Eccli. 30. 15. *Salus animæ in ſanctitate juſtitiæ: melior eſt omni auro & argento: & corpus validum, quàm cenſus immenſus. Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis, & non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium. Melior eſt mors, quàm vita amara.* A præſentia Chriſti oritur illa ſanitas & lætitia, eum nobis ut exorientem Solem & triſtitiæ nebulas effugantem depingit Malachias Propheta, cum ait cap. 4. verſ. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ: & ſanitas in pennis ejus: & egrediemini & ſalietis ſicut vituli de armento.* Chaldæus Paraphraſtes pro Sole juſtitiæ vertit: *Sol puritatis*: hoc eſt, puriſſimus atque ſanctiſſimos. Sol omnibus oculos ad ſe convertentibus, lucem ac lætitiam elargitur; ita Chriſtus fons eſt luminis & gaudii. Eſt verus Samſon, id eſt: *Sol lætitiæ.* Rad. שמש *ſemes*, Sol & שש *ſas*, gaviſus eſt, Vel certè Samſon eſt, id eſt, parvus Sol, quia radios oculis noſtris attemperavit parvulus factus & natus pro nobis, & in Euchariſtia ſeſe coarctans. Sanitas in pennis ejus, ait Cornelius, quia ſolatur mœrentes, recreat afflictos, confirmat labantes, jacentes excitat, iratos mitigat; omnibus denique omnia præſtat officia amicitiæ & charitatis. Sanitas eſt *in pennis ejus*: id eſt, in protectione ejus, ut explicat S Aug. homilia 45. inter 50. Chriſtus ipſe loquens Pſalmo 138. verſu 9. ait: *Si ſumpſero pennas meas diluculo*, in Hebræo eſt: *Si ſumpſero alas auroræ.* Sol exuriens ita radios ſuos in utramque partem expandit, ut videatur eſſe avis fulgida diſtentis alis. Sub illis quieſcemus & ſanabimur mente & corpore. Eccli. 38. verſ. 14. *Medici Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum & ſanitatem.* Opta dari tibi pennas columbæ, ut ad eum voles, in eoque requieſcas, Pſal. 54. verſ. 7. Dic cum Davide Pſal. 114. verſ. 7. *Convertere anima mea in requiem tuam.* Ad Deum tuum, in quo ſolo eſt vera pax & quies. In pace in idipſum dormies & requieſces, Pſal. 4. verſ. 9. ibi nemo evigilare facit dilectam donec ipſa velit, Cant. 2. verſ. 7. Etiam in exterioribus occupatus, dic illi Cant. 8 verſ 1. *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris*, (extra cælum, & extra oratorium) *& deoſculer te.* Ut in eo oſculo quieſcam & recreer.

Noſtra caro eſt Eva noſtra, ſi quieta eſt ac modeſta, domum totam reficit ac ſuſtentat. Eccleſiaſtici 26. verſ. 21. *Sicut Sol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ejus. Lucerna ſplendens ſuper candelabrum ſanctum, & ſpecies faciei ſuper ætatem ſtabilem, columnæ aureæ ſuper baſes argenteas, & pedes firmi ſuper plantas ſtabilis mulieris. Fundamenta æterna ſupra petram ſolidam, & mandata Dei in corde mulieris ſanctæ.* Uxor bona Pſalmo 127. verſu 3. dicitur eſſe ſicut vitis abundans in lateribus domus; ut eam recreet ac reficiat: ſicut hic dicitur columna & fundamentum, ut illam ſuſtentet: Sol & lucerna, ut de die & nocte illuminet: Proverbiorum 12. verſ. 4. vocatur mulier diligens *corona viro ſuo*, ex omni parte eum gloria ſuccingit. Hoc ipſum facit caro animo ſibi intimâ unione conjuncto, ſi rationi ſe ſubjiciat. Si vero effræna eſt, pejor eſt omni ſerpente & fera. Eccli. 25. 22. *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris.* (Nulla perturbatio ſimilis eſt perturbationi carnis.) *Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* Caro efferæ eſt, ut leo: venenata, ut draco. Verſ. 24. additur: *Nequitia mulieris immutat faciem ejus, & obcæcat vultum tanquam urſus, & quaſi ſaccum oſtendit*: immutat faciem ejus: 1. Per iram, ut explicat Palacius. 2. Per ligna benevolentiæ, ut magis noceat, ut Dionyſ. Carthuſianus. 3. Per fucos, unguenta, & vanum cultum, ut Ugo. Idem efficit caro blandè ſæviens. Animus adhæreat quidem carni, ut uxori ſuæ, ſed caveat ne ſint duo in carne una, ſed ſint duo in ſpiritu uno, nuptiæ illæ non ſint carnales, ſed ſpirituales: ibi veſtis nuptialis eſt gratia Dei, & imitatio Chriſti, qua ipſi induimur ſtola alba veſtiti, & ſequentes Agnum, & euntes ad Agni nuptias.

Secundò, ſenſus Pſalmi noſtri eſt: *Caro mea requieſcet in ſpe*, poſt mortem expectans in ſepulchro reſurrectionem poſt triduum, cùm ſciam id figuratum eſſe in Jona exiliente poſt triduum è ventre ceti. Chriſtus autem, ut ſæpe monui in hoc Pſalmo, loquitur, unde dicit verſu ſequenti: Non dereliques animam meam in inferno, non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Sic explicat S Auguſtinus cùm ait: Caro mea non deficit in interitum. Sed in ſpe reſurrectionis obdormiet. Sic vir juſtus tranſit à requie bonæ conſcientiæ ad requiem viſionis Dei. Iſaiæ 66. verſu 23. *Erit ſabbatum ex ſabbatho: Veniet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.* Sanctus Ægidius ſancti Franciſci ſocius dicebat: Sicut malum otium ad mala omnia perducit, ita ſancta quies & bonum otium ad cælum adducit. Mors juſtorum eſt ſomnus. Job. 8. verſ. 21. *Ecce nunc in pulvere dormiam.* Et Sanctus Paulus 1. Theſſal. 4. 12. mortuos juſtos vocat *dormientes.* Vidit eos Sanctus Joannes Apocalypſis 6. verſ. 9. *ſubtus altare* quieſcentes: in Dei ſecuriſſima tutela, ut exponit Dionyſius Carthuſianus. In Pſalmo 149. 5. dicitur: *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.* Helinandus in vita Sancti Gereonis refert, cùm Sanctus Evergiſlus Colonienſis Archiepiſcopus, Ingrediens templum S. Gereonis & Thebæorum martyrum, dixiſſet: Exultabunt Sancti in gloria, audivit ab illis reſponderi, *lætabuntur in cubilibus ſuis.* Sanctus porro Joannes alluſit ad duplex altare, ſcilicet holocauſtorum & thymiamatis: in hoc figuratur quies animarum in cælo, in illo requies corporum pro Deo immolatorum in terra. Solebant corpora martyrum primis ſeculis ſepeliri ſub altari, ut tradit S. Auguſtinus ſermone undecimo de Sanctis. Conſuetudini acceſſit ſanctio Felicis Papæ. Singuli poſſunt dicere id, quod habetur Eccli. 51. verſ. 35. *Videte oculis veſtris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem.* Anima jam habet requiem in re, ſi ſeipſam ſpectat: in ſpe, cùm corpus reſpicit in cineres reſolutum. Romæ in cœmeterio ſanctæ Priſcillæ, vox martyrum in ipſo limine inſcripta legitur. *Hic expectamus requiem.* S. Cyprianus libro de mortalitate ait amicos mortuos non lugendos ſupra modum; *alioquin*, ait, *ſpei noſtræ ac fidei prævaricatores ſumus.* Sunt Sancti naves auro onuſtæ quæ portum tenent, illis gratulemur, & diſtentis ſpei velis ad eos contendamus. Quis non gaudio triumphaſſet videns atque amplexans Cœranum, quem Delphines naufragum dorſo exceperant, & in portu placidè collocaverant? Stat jam JESUS in littore, & eductis è mari diſcipulis

114. Chriſtus in ſepulchro quievit reſurrectionem expectans.

convivium apparat, Joannis vigeſimo primo, verſ. quarto cœnat cum illis, Apocal. tertio, verſu vigeſimo, beati, qui ad cœnam Agni vocati ſunt. Apocalypſis 19. verſu 9 poſt cœnam labor nullus ſupereſt, evocantur, ut requieſcant à laboribus ſuis, c. 14. 13. Aſſerit Olaus lib. 19. pag. 394. eſſe in regionibus Septentr. avem quæ pluvialis dicitur, perdicis magnitudine, variis pennis ornatam, croceo, albo, nigróque diſtinctam colore: hanc credi *ſola aere* vivere, licèt pinguis ſit, & in ejus ventre nihil inveniatur: & tu de Deo & ejus providentia dubitas, qui tibi nectar & ambroſiam offert?

115. Vitia triſtitiã cauſant.

Sicut in virtute ſtabilitas eſt & lætitia, ita in vitiis etiam parvis eſt agitatio & triſtitie, nunc à Deo, nunc à nobis ipſis exorta.

JEſus qui tenet ſeptem ſtellas, id eſt, omnes juſtos, in dextera ſua, ut à nullo moveantur, & qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum, ut ea ſtabiliat & accendat, dicit S. Timotheo Epheſi Epiſcop. nonnihil charitatem ſuam primam relinquenti. Apocal. 2. verſ. 5. *Age pœnitentiam & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo*, id eſt: 1. Auferam à te Epiſcopatum tuum, & alteri dabo, ut explicat Ribera. 2. Mercedem tollam Epiſcupo debitam, & à Deo promiſſam, ut ait S. Ambroſius. 3. Diſpergam plebem tuam, ut Victorinus martyr. 4. Plebem tuam nudabo gratiâ & protectione meâ, eámque in fluctus & tempeſtates conjiciam, & permittam publicæ pacis perturbationem, ut Andreas Cæſarienſis: ibi enim candelabrum Eccleſiam figurat ipſo Angelo ſic explicante, cap. 1. verſ. 20.

Nos ipſi nobis triſtitiæ & agitationis cauſa exiſtimus, cum inanibus ſpectris luctantes & futilia mente verſantes. Eccli. 34. 6. *Sicut parturientis cor tuum phantaſias*, (Iſaiæ 59. 14. vocatur ſpiritus vertiginis) *patitur, niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis in illis cor tuum. Multas enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis.* S. Gregor. lib. 4. dialog. capite 49. ait, cùm cuidam per ſomnium longa vitæ ſpatia promiſſa eſſent, multáſque in eam rem pecunias collegiſſet, ita repentè defunctum eſſe, ut intactas omnes relinqueret, & ipſe ſecum nihil ex bono opere portaret. Eccli. 27. verſ. 5 *Sicut in percuſſura cribri remanebit pulvis, ſic aporia hominis in cogitatu illius.* Cùm cribrum agitatur, pollen & ſimilia ſeu flos farinæ decidit, & ſordes remanent: ita cùm multa voluerit homo & agitaverit in hoc mundo, reperiet vitæ atque ætatis florem decidiſſe, omniáque jucunda periiſſe, ſibi autem in animo ſuo ſolam reſtare triſtitiam & animi afflictionem æternam, ſed in hac vita multus labor eſt peccatorum: Hoc figuratur capite 38. 28. *Omnis faber & architectus, qui noctem tanquam diem tranſigit, qui ſculpit ſignacula ſculptilia, & aſſiduitas ejus variat picturam, cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ.* De fabro ferrario dicitur verſu 29. quòd ſedeat juxta incudem, & conſideret *opus ferri*. 2. Quòd vapor ignis urat carnes ejus, & in calore fornacis concertetur. 3. Vox mallei innovet aurem ejus. 4. & contra ſimilitudinem vaſis ſit oculus ejus, cor ſuum det in conſummationem operum: 5. Et vigilia ſua ornet in perfectionem. Verſu 32. de figulo habetur, quod convertat pedibus ſuis *rotam*. 2. Quòd *in ſolitudine poſitus* ſit ſemper propter opus ſuum. 3. Quod in brachio ſuo formet *lutum*. 4. Et ante pedes ſuos *curvet virtutem* ſuam. 5. Quòd cor ſuum det, ut conſummet linitionem. 6. Et vigilia ſua mundet fornacem. Additur verſu trigeſimo quinto. *Omnes hi in manibus ſuis ſperaverunt.* Pœna vero attexitur verſu trigeſimo ſeptimo. *Non inhabitabunt, nec inambulabunt, & in Eccleſiam non tranſilient*: in congregationem ſapientum, ut explicat Emmanuel Sà, verſu trigeſimo octavo, *ſuper ſellam judicis non ſedebunt, & teſtamentum judicii non intelligent.* Omnis malitia eſt mechanica, virtutem vero evehit Deus, ut ſedeat cum Principibus populi ſui. Non amat tantos tumultus ſapientia, datur in tempore vacuitatis, & ſuper quietam animam ſedet, ac beatam illam facit. Unde jure cum Seneca epiſtola 44. homines anxios mirari poſſis. *Cùm*, ait, *omnes beatam vitam optent, quod inſtrumenta ejus pro ipſa habent, & illam dum petunt, fugiunt. Nam cùm ſumma beatæ vitæ ſit ſolida tranquillitas, & ejus inconcuſſa fiducia, ſollicitudinis colligunt cauſas, & per inſidioſum iter vitæ non tantùm ferunt ſarcinas, ſed trahunt.* S. Auguſtinus libro 4. de civitate Dei cap. 16. tradit, à Romanis deam Quietem, quæ faceret quietem, non eſſe admiſſam intra urbem, cùm ædem haberet extra portam Collinam: ſervi Dei habitant in Jeruſalem, id eſt, in viſione pacis; Salomon, qui pacificum ſonat, templum Deo, qui eſt *pax noſtra*, Epheſiorum 2. 14. *Deus pacis*, Philippenſ. 4. 9. *Dominus pacis*, 2. Theſſal. 3. 16. ædificat, eſt Chriſtus in Melchiſedechn figuratus, qui Hebr. 7. 2. dicitur, *Rex Salem, id eſt, Rex pacis*, declinat ſuper Jeruſalem quaſi *fluvium pacis*. Iſaiæ 66. 12. hoc eſt: Abundantem. 2. Semper fluentem. 3. Suavem. 4. Fructiferam pacem. Vide dicta Pſal. 114. 7. de quiete piorum.

Cor verò hominis ſcelerati eſt fons, & fluvius, & mare agitationis & perturbationis. Eccli. 36. 22. 116. Cor impii eſt mare fervens.
Cor pravum triſtitiam dabit. Græcè, cor diſtortum dat triſtitiam, eſt enim non ſibi tantum, ſed aliis peſtiferum. Pomponius Mela ait duos fontes eſſe in fortunatis inſulis; ex altero qui guſtaverit, riſu ſolvi in mortem, remedium verò eſſe ex altero bibere. Herodot. libro 4. tradit Hypanim fluvium è fontibus quinque dierum itinera fluere ſuavem, ſed exilem: deinde poſt aliorum quatuor dierum iter πικρὸν γενέσθαι eſſe perquam amarum. Voluptas omnis id habet: eſt γλυκύπικρον, dulce amarum, deinde in omnimodam amaritudinem deſinit. Eccleſiaſtici 40. 21. *Omnes aquæ in mare revertentur.* S. Bernardus epiſtula 11. *Hoc ad æternam juſtamque legem Dei pertinuit, ut qui à Deo noluit ſuaviter regi, pœnaliter à ſeipſo regeretur, quique ſponte jugum ſuave & onus leve charitatis abjecit, propriæ voluntatis onus importabile pateretur invitus.* S. Auguſtinus lib. 13. de civitate capite 2. Seipſo, inquit, homo divina voluntate contempta, niſi perniciosè uti non poteſt, ut inde timoribus mœroribúſque completus cantet in Pſalmo 41. verſu 8. Si tamen mala ſua ſentit, ad meipſum anima mea turbata eſt. In mari proceloſo verſaris, navem tibi offert cuſtodiæ ſuæ JEſus, & ſapientiæ gubernaculum, ſéque ipſum nauclerum, ne mundo te, carni, dæmoni, tibi, & malè compactis navibus credas. Britanni utebantur olim vimibus navigiis corio circumfuſo. Moſcovitæ & Bothnienſes navibus vimine & radicibus colligatis ac pice, ſine quovis ferro, linitis: Taprobanæ naves papyraceæ ſunt, anchoris utentes in prora & puppi. Nunc inter Canadenſes, Hurones, Iroquios, alioſque illius tractus in America Septentrionali populos uſus eſt navium de cortice arborum. De diebus vitæ hujus fluxæ ait Job capite nono, verſu vigeſimo ſexto: *Pertranſierunt quaſi naves poma portantes.* Hebraica habent, *naves*, אבה *ebe*, quod: Primò, ad voluptuarius poſſis transferre: *ebe* enim concupiſcentiam ſignificat, à Rad. אבה *aba*, concupivit, deſideravit. Secundò, ad avaros, deducendo à radice אב arbor, fructus, viror. Sed hi fructus ſunt immaturi, & hoc propriè ſignificat *abab*, unde *eb*. Tertiò, de ſuperbis dici poteſt & invidis, derivando *ebe* ab איב *aiab*, odio habere, piraticam exercere, quaſi diceret: Tranſierunt tanquam naves piratarum. Sic dæmoni, mundo & carni ſerviunt peccatores: piratæ etiam ſunt avari rapto viventes.

ARTICULUS V.

Chriſtus ad inferos deſcendit, & inde iterum aſcendit, corpus ſuum vivificaturus.

DIxerat Chriſtus verſu præcedenti carnem ſuam requieturam in ſpe. Rationem aſſignat, quia per animam è limbo Patrum redeuntem erat reſuſcitanda. Verſ. 10. QUONIAM NON DERELINQUES ANIMAM MEAM IN INFERNO: NEC DABIS SANCTUM TUUM VIDERE CORRUPTIONEM. Hebraicè, שחת *ſabath*, vertere poſſis. Primò, foveam, ut Felix, & Arias vertunt: Secundò, Syrus & Arabs reddunt, corruptionem. adhæſerunt Septuaginta interpretibus, qui habent, διαφθοράν. Radix. Hebr. *ſabath*, ſignificat corrumpi, perdi, diſperdi. Verſ. 10. 1. Pars.

117. Chriſtus habuit animã rationalem.

De Chriſto verſum hunc explicat S. Petrus Actorum ſecundo, verſu vigeſimo ſeptimo, & S. Paulus Actorum decimo tertio, verſu trigeſimo quinto, ita qua per ſe Primò, intelligendus eſt de illo. Hinc primò refellitur error Apollinaris, aſſerentis Chriſtum non aſſumpſiſſe corpus animatum anima rationali: nam alioqui non potuiſſet anima à carne ſeparari loco, ut hic factum vides, in illum afferunt verſum hunc Theodorus, Antiochenus, Theodoretus, & Euthymius. Secundò, hinc confutantur Calvinus

Quæ ad inferos deſcendit.

vinus & Beza, qui negant Chriſtum deſcendiſſe ad inferos. Et quidem Beza vertit, non derelinques cadaver meum in ſepulchro; ſed errat: 1. Quia vox ᾅδης ſemper ponitur pro inferno propriè dicto, & ſic verterunt S. Hieronymus, Muſius, Flaminius, & alii. 2. De carne præceſſerat: *Caro mea requieſcet in ſpe*: poſita ſcilicet in ſepulchro, ubi reſurrectionem exſpectabat: deinde hîc fit mentio animæ in infernum deſcendentis. Fide certum eſt, verè Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, ut patet ex ſymbolo Apoſtolorum, ubi quotidie legimus, *deſcendit ad inferos*.

118. Deſcenſus ille probatur.

Deſcenſum hunc teſtatur Paulus Epheſ. 4. verſ. 9. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit, primùm in inferiores partes terræ?* Vatablus, in infimas. Non dicit deſcendiſſe in inferiores partes mundi; ſic enim id de terra poſſet utcunque Beza interpretari; ſed ait deſcendiſſe in infimas partes ipſius terræ, quæ non poſſunt eſſe aliæ, quàm inferi. Et quidem S. Anſelmus vocat loca inferorum. Et ſanctus Chryſoſtomus atque Theophylactus dicunt: *Deſcendit ad infimas partes, poſt quas non eſt aliud: & aſcendit ſuper omnia, ultra quæ non alia.* S. Baſilius illud Pſalmi 44. 10. Myrrha & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, explicans, ait myrrham in ejus ſepultura fuiſſe, guttam denotare deſcenſionem ad inferos, *quia gutta ad inferiora delabitur*: caſiam figurare diſpenſationem in cruce. Quid ſit gutta ſeu ſtacte, vide in illius Pſalmi commentario, de deſcenſu autem Chriſti eſt etiam verſus 5. Pſalmi 87. *Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum: factus ſum ſicut homo inter mortuos liber.*

1. Joſepho projecto in ciſternam eſt.

Figuratus eſt Chriſtus ad inferos deſcendens: Primò, in Joſepho dejecto in ciſternam, Geneſ. 37. 23. *Confeſtim ut pervenit ad fratres ſuos, nudaverunt eum tunicâ talari & polymita: miſeruntque eum in ciſternam veterem, quæ non habebat aquam.* Tunica polymita eſt veſtis ex liciis diverſi coloris variegata, Hebr. פסים, *phaſſim*, quæ tropolog. eſt: 1. Multiformis prudentia Principis, ut vult Philo. 2. Variegatura virtutum, ut exponit Rupertus. 3. Quia talaris erat, denotat in virtutibus perſeverantiam, ut cenſet S. Gregorius lib. 1. Moral. cap. 70. Allegoricè autem illa tunica polymita eſt Chriſti humanitas, quæ dicitur Apocal. 1. hyacinthina ſummi Pontificis tunica, quæ erat confecta ex hyacintho, purpura, cocco bis tincto & byſſo retorta, Exod. 28. In Apocalypſi autem inducitur Chriſtus in medio ſeptem candelabrorum aureorum *veſtitus podêre*, ποδήρη eſt veſtis talaris. Exutus eſt Chriſtus illa tunicâ in cruce, ubi anima à corpore eſt ſeparata: Joſeph mittitur in ciſternam, id eſt, deſcendit Chriſtus ad inferos: inde eductus Iſmaëlitis venditur, quia reſurgens Chriſtus à Gentibus omnibus fidei commercio comparatur, ut ait S. Eucherius lib. 3. cap. 37.

119. *2. Et in Jeremia dejecto in locum luteſum.*

Secundo, figuratus ille eſt deſcenſus in Jeremia dejecto in carcerem, & in lacum. Jerias enim adduxit Jeremiam ad Principes, qui cæſum miſerunt in carcerem, qui erat in domo Jonathan ſcribæ: ipſe enim præpoſitus erat ſuper carcerem. Hoc refertur Jerem. cap. 37. Cæſum fuiſſe pugnis cenſet Cornelius: aut flagellis, ſicut exiſtimant S. Thomas, Rabanus, & Lyranus: in quo fuit typus excellens flagellati Chriſti. Capite deinde octavo Saphatias filius Mathan, Gedelias filius Phaſſur, & Juchal filius Selemiæ, & Phaſſur filius Melchiæ rogant regem Sedeciam, ut adhuc in fœdius ergaſtulum Jeremias compingatur, quod deſcribitur verſu ſexto & ſeq. *Tulerunt ergo Jeremiam, & projecerunt eum in lacum Melchiæ, filii Amelech, qui erat in veſtibulo carceris, in quo non erat aqua, ſed lutum.* Deſcendit itaque Jeremias in cœnum demiſſum funibus. Lacus hi erant putei, vel ciſternæ ad colligendam aquam pluvialem, vel ſcaturientem. Crebri erant ibi putei in Judæa, iiſque aliqui uſi ſunt ad reorum punitionem, & duram cuſtodiam, ut ibi ſqualore & pædore conficerentur. His autem rectè limbi deſignantur, de quibus ait Zacharias Propheta capite nono, verſu undecimo. *Emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* Rabbini locum hunc Zachariæ corruperunt, ſed ita legit S. Auguſtinus lib. 18. de civitate, cap. 35. S. Hieronymus, S. Cyrillus, & alii de Chriſto è limbis Patres educente idem exponunt. Et S. Auguſtinus epiſt. 99 Lacus dicitur limbus, quia eſt in infimis terræ partibus: ſine aqua, quia ibi eſt terra ſicca, & nullum eſt ibi refrigerium & conſolatio. Educuntur inde Patres *in ſanguine teſtamenti*, id eſt, per meritum ſanguinis Chriſti, quo ſancivit teſtamentum ſeu fœdus novum, quod pepigit inter Deum & homines de æterna hæreditate illis danda, quaſi filiis, ut explicant Rupert. & Lyran.

120. *3. In Daniele demiſſo in lacum leonum.*

Tertiò, figuratur Chriſti deſcenſus ad inferos, in dejectione Danielis in lacum leonum: cùm enim Daniël audito regis Darii decreto, ut omnis, qui petiiſſet aliquam petitionem à quocunque Deo & homine, uſque ad triginta dies, niſi ab ipſo, mitteretur in lacum leonum, ingreſſus eſt domum ſuam, & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Jeruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebatúrque coram Deo ſuo, ſicut & antè facere conſueverat: ideo dicitur cap. 6 16. *Tunc Rex præcepit, & adduxerunt Danielem, & miſerunt eum in lacum leonum.*

121. *4. In Jona in ventre ceti ſepulto.*

Quarto denique, hic deſcenſus figuratur, Jonæ 2. 1. *Præparavit Dominus piſcem grandem, ut deglutiret Jonam, & erat Jonas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus.* Cenſent Rondeletius libro decimo tertio de piſcibus, & Ulyſſes Aldrovandus libro 3. de piſcibus cap. 12. piſcem hunc non fuiſſe balænam, ſed carchariam, ſeu canem, qui à Nicandro vocatur lamia, id eſt, galeonum maximus, & aliquando in tantum creſcit, ut curruì impoſitus vix à duobus equis trahatur. Jonas eſt Chriſtus, ut ait Theophylactus: navis, ſynagoga Judæorum: navarchus, Moyſes: nautæ, Prophetæ: mare, afflictiones noſtris peccatis debitæ: ſors, voluntas Patris æterni: venter ceti, ſunt ſecreta mortis, ſepulchri & inferni, in quibus triduò fuit Chriſtus, & poſt triduum inde reſurgens Gentibus pœnitentiam, & Evangelium ſalutis annunciavit per Apoſtolos: tunc venti, id eſt, inſpirationes ac tentationes dæmonum, ſedati ſunt: procellæ voluptatum maris, id eſt, ſæculi hujus proſtratæ ſunt: pax & tranquillitas corporibus & animis fidelium reddita, dicente Chriſto: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Et quidem Jonas ſignificat: 1. Columbam. Chriſtus fuit illa columba deargentata & aurata, quæ dormivit inter medios cleros, & inde cum gloria evolavit, & ex ſepulcbro, & è limbo, Pſal. 67. ℣. 14. Jonas 2. ſignificat rapientem, aliorum ſubſtantiam violenter ferentem. Nonne Chriſtus Epheſ. 4. 8 captivam duxit captivitatem: & nomen ejus apud Iſaiam 8. ℣. 3. habetur: *Accelera, ſpolia detrahere, feſtina prædari*, quod de Chriſto filio Propheti ſſæ, id eſt, Deiparæ, exponunt S. Auguſtin. lib. 17. de civit. cap. ultimo. S. Epiphan. hæreſ. 78. S. Ambroſius in cap. 1. Lucæ ℣ 41. & 44. R. Haccados apud Galatin. lib. 7. demonſtrat. cap. 2. De illo etiam habes Geneſ. 49. 27. *Benjamin lupus rapax: manè comedet prædam, & veſpere dividet ſpolia*, ſtatim à nativitate Chriſtus dæmonem contrivit, & poſt mortem divitit ſpolia liberatis Patribus & animabus purgatorii, aliquibus etiam corporis gloria donans.

122. Deſcendit Chriſtus ad inferos, ob tres rationes.

Rationes affert D. Thomas, cur conveniens fuerit Chriſtum ad inferos deſcendere. Primo, quia venerat pœnam noſtram portare, ut nos à pœna eriperet, ſecundum illud Iſaiæ 53. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Ex peccato autem homo incurrerat non ſolùm mortem corporis, ſed etiam deſcenſum ad inferos. Et ideo, ſicut fuit conveniens eum mori, ut nos liberaret à morte: ita conveniens fuit eum deſcendere ad inferos, ut nos à deſcenſu ad inferos liberaret. Unde dicitur Oſeæ 13. *Ero mors tua ô mors! ero morſus tuus inferne.* Secundo, quia conveniens erat, ut victo diabolo per paſſionem vinctos ejus eriperet, detinebantur in inferno, ſecundùm illud Zachariæ 9. *Tu quoque in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu.* Et Coloſſ. 2. dicitur: *Exſpolians principatus, traduxit confidenter.* Tertio, ut ſicut poteſtatem ſuam oſtendit in terra, vivendo & moriendo: ita etiam poteſtatem ſuam oſtenderet in inferno, ipſum viſitando & illuminando. Unde dicitur in Pſalm. 23. Attollite portas principes veſtras: Gloſ. id eſt, principes inferni auferte poteſtatem veſtram, qua uſque nunc homines in inferno detinebatis: & ſic in nomine JEſu omne genu flectatur, non ſolùm cœleſtium, ſed etiam infernorum, ut dicitur Phil. 2. Hæc D. Thomas. Marcus Idruntinus id factum ait, ut Chriſtus ſua omnia compleret. Clem. Alex. l. 6. Strom. cap. 2. ut captivis annuntiaret Evangelium: à S. Hippolito Chriſtus dicitur mortuorum Evangeliſtes, & Moyſes Mardenus Aſſyrius in tabula lectionum novi teſtamenti, ait, ſabbathum ante Paſcha dictum eſſe apud ſuos: *Sabbathum annuntiationis*, quod ea die JEſus ſalutem partam, & ſuâ morte triumphatum hoſtè Patribus annuntiaverit.

Sapientia divina id ſe facturam pollicetur Eccli. 24. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino*: gaudium Sanctorum magnum ex eo lumine exortum eſſe docet Moyſes Hadarſan in Gen. 24. Accurſum eorum ad Chriſtum deſcribit S. Cyrill. Jeroſol. catech. 14. tremorem dæmonum, Euſeb. l. 10. c. 8. demonſtr. Evangelicæ.

Per tres dies ibi manſit Chriſtus, nempe parte diei Veneris, toto Sabbatho, & initio diei Dominicæ. Hoc prædixerat Scribis & Phariſæis ſignum ab eo petentibus, Matth. 12. 40. Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit Filius hominis *in corde terræ* tribus diebus, & tribus noctibus.

123. Triumphans inde egreſſus eſt.

Inde exivit, ut prævidit David, qui eum ſic loquentem inducit, Pſ. 85. 13. *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori.* A limbo Patres omnes liberavit fractis portis, ut ait Iſaiæ 45. 2. *Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam*: quod ad literam eſt de Cyro domitore Babylonis, ſecundùm allegoriam de Chriſto. Liberationem illam Patrum per Chriſtum explicat & probat S. Thomas 3. p. q. 52. art. 5. nullos damnatos liberatos aſſerit ab inferno inferiori, art. 6. nec pueros mortuos in peccato originali, art. 7. neque omnes animas in purgatorio exiſtentes, ſed tantùm aliquas, art. 8. In hoc ultimo multi ab eo diſſentiunt, quibus lubens me adjungo: ſi enim Reges in urbium ingreſſu carceres evacuant, quantò magis Chriſtus amicos ſuos ære alieno oppreſſos? S. Greg. Naz. orat. in Epiphan. ait, mortis diuturnum imperium evertiſſe. S. Ignat. ad Trallianos, ſeptum illud æternum rupiſſe, & medium parietem deſtruxiſſe. Ibant longo agmine in varios choros diſtributi primæ antiquitatis Patriarchæ, Prophetæ, Reges, Principes, Duces, Magiſtratus: ſummi Pontifices, Sacerdotes, Levitæ, Scribæ aliique. Agmen primum ducebat Adam omnium parens, quem inde eductum tradit Origenes hom. 15. in Geneſ. medius incedebat multo Angelorum ſtipante exercitu JESUS, *inter mortuos incedens*, ut ait S. Athanaſ. hom. de ſemente, *non ſolùm liber, ſed etiam liberator mortuorum*. Et S. Chryſoſtomus ſerm. 5. de reſurrectione, his verbis, è terræ clauſtris aſcendenti & pompam ducenti applaudit: *Hodie Sol juſtitiæ Chriſtus aſcendit evangelizatis ſanctorum animis, ab inferis elevans ſecum corpora Sanctorum, tanquam choros ſiderum cœleſtium.* Eam fidem profitetur Zaga Zabo Æthiops, in confeſſione fidei Æthiopicæ: *Chriſtus*, inquit, *deſcendit ad inferos, ubi erat anima Adæ, & ejus filiorum, atque anima ipſius Chriſti, quæ eſt ab Adam: quam animam ipſe Chriſtus accepit ex ſancta Maria Virgine, in ſplendore ac potentia divinitatis ſuæ, & fortitudine fregit æneas & igneas inferorum portas, & catenas ferreas: ſatanam colligavit, & redemit Adam & ejus filios.*

Verſ. 10. 124. Corpus Chriſti ſine corruptione eſt conſervatum.

NON ANIMA Chriſti tantùm ab inferis liberatur, ſed corpus etiam in ſepuchro ſine corruptione conſervatur, Verſ. eod. 10. *NEC DABIS SANCTUM*, Hebr. הסידך *haſidecha*, miſericordem tuum, qui miſerias hominum abſtulit: Sanctum, id eſt, à peccatoribus ſeparatum: Arabs, electum, *VIDERE CORRUPTIONEM*. Sentire, experiri: viſus enim ſæpè in Scriptura ponitur pro omni ſenſu, cùm ſit omnium ſubtiliſſimus. Pro tactu hîc ponitur. Arca facta erat de lignis Setim. Exod. 25. 10 erant illa ligna imputribilia. Et quidem ſi, ut dicitur Iſa. 20. 10. artifex ſapiens forte lignum & *imputribile* eligit, & quærit quomodo ſtatuat ſimulacrum quod non moveatur, quid non præſtitit Deus Pater, ut Filii corpus conſervaret? S. Thomas 3. p. q. 51. art. 3. ex loco Pſalmi noſtri probat Chriſti corpus in ſepulchro non fuiſſe in cineres redactum, negatque id fuiſſe conveniens. Nam putrefactio cujuſcunque corporis provenit ex infirmitate illius corporis, quæ non poteſt ampliùs corpus continere in unum. Mors autem Chriſti non debuit eſſe ex naturæ infirmitate, ne crederetur non eſſe voluntaria: & ideò non ex morbo, ſed ex paſſione illata voluit mori, cui ſe obtulit ſponte. Itaque decuit ad oſtenſionem virtutis divinæ corpus illud incorruptum permanere. Vermem vocant Hebræi רמה, *rimma*, deducitur à radice רמה, *rama*, projicere, quod facit in conjug. Piel. רמה *rimma*, fraudare, dolo decipere: de Chriſto autem habes 1. Petr 2. 22. *Nec inventus eſt dolus in ore ejus.* Os vermis eum non pungit, qui ore ſuo dolum non facit. Vermes irruant in Herodem Agrippam, Act. 12. 23. nam Dei nomen ſibi dantes adulatores non comprimit: Iſaias à Deo edoctus dicat Balthaſari regi Babylonis c. 14 11. *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadaver tuum: ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Reges Aſſyrii ſolebant poſt mortem condiri unguentis & aromatibus, ne malè olerent & putreſcerent, ut tradit Strabo lib. 16. idem de regibus Babylonis tradit Herodot. l. 1. ſed hoc non eſt factum Balthaſari, qui occiſus eſt cùm capta eſt Babylon à Cyro rege Perſarum, & Dario rege Medorum. In inferis verò longè graviores & diriores vermes experitur, quàm ſint vermes corpus rodentes: neque id mirum, cum laudaret Deos ſuos aureos & argenteos in convivio cum concubinis ſuis, vino ſeſe ingurgitans. De Jeruſalem ſub typo vineæ fructuoſæ dicitur Iſaiæ 5. 2. *Expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruſcas.* Septuag. vertunt, ſpinas, Symmachus *ἀτελῆ*, imperfectas, ſupple uvas, immaturas ſcilicet, in Hebræo באושים *beuſim*, uvas fœtidas ac viles, ut exponit R. David. uvas malas, ut R. Sadaia: uvas peſſimas, R. Hai: fœtores, ut Mercerus. Vult enim id propriè ſignificare, ac deinde poni pro fructu fœtido: ſive in tritico, ut eſt lolium, & zizania; ſive in uvis, ut eſt omphacium. Aquila reddit *σαπρὰς*, putres. Caſſius enim Dionyſius tradit ex Varrone, eſſe quaſdam vites, quæ *fructum recens productam putrefaciunt*, priuſquàm racemi connutriantur & matureſcant. Labruſca porrò eſt vitis agreſtis, hic autem ſumitur pro ejus fructu, id eſt, uva immatura, & acerba. Plin. lib. 16. cap. 27. vocat vitem inſanam, quæ triſero proventu, ſed evanido luxuriat.

125. Sanctitas dat incorruptionem etiam corporum.

Sanctitatis eſt non animas modò, ſed corpora quoque à putrefactione ſervare. Hoc in cælo conſtabit, cùm dotibus gloriæ in cælo illuſtrati Sancti per omnem æternitatem effulgebunt. His in terris etiam hoc patuit in Chriſti corpore, quod prævidens Iſaias cap. 11. 10 *In die illa radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſam gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Radix Jeſſe, id eſt, ſurculus ex Jeſſe parte Davidis exortus, eſt Chriſtus; ſtetit in ſignum, id eſt, vexillum: hoc enim ſonat נס *nes*, populorum, cùm in crucem ſublatus bellum indixit dæmoni, eumque prorſus profligavit, & opem omnibus ad ſe accedentibus, & ſub ſua umbra militantibus paratam oſtendit. Sepulchrum ejus glorioſum eſt, ob incorruptionem corporis, & ejus reſurrectionem. *Et erit requies ejus gloria*, quòd in ſepulchro quietus relinquatur, & à corruptione ac vermibus non tangatur. Et vero, ſi in Finmarchia tanta eſt aëris temperies, *ut piſces nullo ſale conditi, ſed ſolo aere ſiccati, toto decennio ſine putrefactione durent*, ut ait Olaus Magnus lib. 1. pag. 3. Si cor Germanici in medio igne non eſt combuſtum, ut tradit Suetonius in Caligula cap. 1. Si Chernites lapis ebori ſimillimus, corpora ab interitu & corruptione vendicat, in quo Darium conditum ferunt, ut memorat Plinius lib. 36. cap. 17. quid fiet Chriſti corpori, uncto myrrha, caſſia, & omnibus divinitatis aromatibus per unionem hypoſtaticam? Ejus etiam ſanguis in horto, in prætorio Pilati, per vicos & plateas, in monte Calvariæ, atque aliis locis diſperſus, ob eandem unionem incorruptus eſt ſervatus, ut docet Suares, ac poſteà in reſurrectione corpori, Angelorum miniſterio, reſtitutus.

126. Sancti erunt incorruptibiles in cælo.

Incorruptionis illius gloriam communicat Sanctis ſuis Chriſtus, ità ut de ſingulis poſſis dicere: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Hoc verum eſt in cælo, & pollicetur ipſemet Apoc. 2. 17. ubi ait Angelo, id eſt, Epiſcopo Pergami, quæ erat urbs Troadis: *Vincenti dabo calculum candidum*, id eſt, gemmam albam, candicantem, & pretioſam: per quam Primò, Chriſtum ipſum intelligit Ugo. Secundo, charitatem, Anſbertus. Tertiò, Evangelium & doctrinam Chriſti, S. Ambroſius. Quartò, Claritatem luminis, Aretas. Quintò, Corpus in baptiſmo candidatum, poſteà autem reſurrectionis gloria effulgens, Beda. Sextò, Denique magis ad rem noſtram Ugo Card. *Per duritiam calculi, impaſſibilitas: per lucidum, claritas*, deſignatur: nomen novum in eo calculo ſcribendum docet: quia qui in terra Chriſtiani vocantur, *in patria à JESU vocabuntur Jeſuani; id eſt, ſalvati.* Hæc Ugo. Poſſis pari jure dicere vocandos eſſe Jeſuitas. Utinam ſalvati omnes dicamur.

127. Etiam in terris

In terris quoque nonnulli Sancti quandam habent participationem illius incorruptionis in ſuis corporibus: peregrinationem nunc ad eorum ſepulchra

multa Sanctorum corpora ſunt incorrupta.

pulchra glorioſa inſtituamus, & aliquot Orbis provincias decurramus.

1. In Anglia corpus Sancti Eduardi, S. Oſwaldi, S. Ediltrudis, S. Elphegi, S. Cuthberti, S. Wolſtani.

1. Gloriatur Anglia Primò: *S. Eduardi regis* ſui corpus trigeſimo ſexto poſt ejus obitum die, integrum, incorruptum, & flexibile cum recentibus veſtibus repertum eſſe, ut author eſt Ealredus in ejus hiſtoria. Secundo, prædicat *S. Oſvvaldi regis* etiam ſui dexteram manum illæſam à vermibus & putrefactione extitiſſe, ut tradit Beda l. 3. hiſt. Tertio, *S. Ediltrudem, ſive Ediltrudam reginam*, corpore toto incorruptam, ut ait idem Beda l. 4. hiſt. c. 9. Quartò, *S. Elphegum* Cantuariæ Archiepiſcopum poſt decem ab obitu annos integrum inventum, ut docet Oſbernus. Quinto, *S. Cuthbertum* Epiſcop. Lindisfarnenſem, paſt annos undecim cum illæſis veſtibus eſſe repertum, ut Beda teſtatur in ejus vita. Sextò, *S. Wolſtanum* Epiſc. Wirgonienſem poſt centum à morte annos cum veſtibus Pontificalibus integrum etiam inventum, ut habet Baronius. Plures poteris reperire.

2. In Polonia corpus Sancti Stanislai.

2. Polonia ſuſcipit, ac jure quidem merito: *S. Stanislaum* Epiſc. Cracovienſem martyrem, cujus occiſi corpus quatuor aquilæ tangi à canibus, lupiſve aut avibus prohibebant, radiique ac lampades in eas omnes diffuſæ partes, ubi fruſta jacebant diſſecta; jucundiori lumen fundebant. Quibus viſis animata piorum pietas virorum partes ſectas univit, ut ſepulturæ mandarentur, quæ è veſtigio ſtupentibus omnibus ita coaluere, perinde quaſi vulnus nullum illatum eſſet, recitat Joan. Longinus in ejus Actis.

3. In Hungaria corpus S. Stephani.

3. Hungaria offert *S. Stephanum*, non regno magis, quàm virtute inclytum, cujus dextera incorrupta permanſit ob eleëmoſynarum largitatem, ſicut teſtis eſt Chartuitius Epiſcopus.

4. In Bohemia corpus S. Ludmillæ.

4. Bohemiam illuſtrat *S. Ludmilla* ditionis illius Ducilla, quæ & vivens impreſſa ubique pietatis reliquit veſtigia, & moriens cruore ſuo illam purpuravit glorioſa Martyr. Eam ut vitia vivam non eroſere, ita nec mortuam vermes, ut poſt biennium innotuiſſe edocet Nicolaus Salius in annalibus Bohemorum.

5. In Germania corpus S. Severini.

5. In Germania Norici *S. Severinum* Apoſtolum ſuum habent, qui poſt ſextum ab ejus ſepultura exactum annum corpore non exeſo ſuavem odorem afflabat, ſicut tradit Eugippius Abbas. Integer quoque permanſit *S. Corbinianus* Epiſcopus Friſingenſis, ut Aribo ejuſdem ſedis Epiſcopus teſtatur, corpus etiam *S. Burchardi* Epiſcopi Herbipolenſis incorruptum ſervatum fuiſſe ait Egilvvaldus.

6. In Francia corpus S. Sigeberti, S. Remigii, S. Audoeni.

6. Francia quoque noſtra *S. Sigebertum* regem ſuum memorat & oſtendit illæſum à corruptione, ut ait Sigebertus monachus Gemblacenſis. S. quoque *Remigium* Apoſtolum ſuum, & hujus civitatis Rhemenſis Archiepiſcopum, ut Hincmarus ejuſdem ſedis Antiſtes aſſerit. *S. Audoenum* Archiepiſcopum Rothomagenſem, ut refert Fridegodus. Trecis vidi corpus integrum Sanctæ.

7. In Burgundia comitatu corpus Sancti Claudii.

7. Comitatus Burgundiæ habet *S. Claudium* Epiſcopum Biſuntinum ex illuſtri Salinenſium Principum ſeu Palatinorum familia, ut conſtat omnibus catervatim eò confluentibus.

8. In Leodienſi Epiſcopatu corpus S. Huberti.

8. Leodium gloriatur *S. Huberto* Epiſcopo ſuo, cujus corpus poſt multos annos integrum repertum eſt, ut author vitæ tradit.

9. In Flandria S. Amandi.

9. Flandria *S. Amandum* Epiſcopum Trajectenſem narrat poſt decimum ſextum à ſepultura annum, incorruptum viſum eſſe, ut docet Baudemundus.

10. In Hiſpania S. Vincentii.

10. Hiſpaniam exornat *S. Vincentius* diaconus, qui Valentiæ in Hiſpania Tarraconenſi diriſſima tormenta paſſus, cratique ferreæ impoſitus, glorioſam martyrii coronam reportavit. Ejus corpus ad beſtias abjectum, illæſum à corvo eſt ſervatum, ut cecinit Prudentius hymno 5. periſteph. & S. Leo Papa, & S. Auguſtinus aſſerunt.

11. In Italia S. Franciſci. S. Thomæ S. Romualdi. S. Simonis. S. Catharinæ Bonon. S. Cæciliæ.

11. In Italia *S. Franciſcum* Aſſiſiatem ſcimus mirabiliter ſtare integrum nulli rei innixum, niſi pedibus, ut eſt in vita. *S. Thomam* Aquinatem eſſe etiam incorruptum, tradit Surius. *S. Romualdum* quoque Camaldulenſium inſtitutorem, Sanctus Petrus Damiani aſſerit. Cornelius à Lapide in cap. 11. Iſaiæ, verſ. 10. à ſe conſpectum eſſe Tridenti integrum corpus *S. Simonis* pueri à Judæis occiſi: vidi Bononiæ integrum corpus *S. Catharinæ* Bononienſis ſedentis in Cathedra: Romæ verò à Clemente VIII. integrum repertum eſſe corpus *S. Cæciliæ*.

12. In Græcia S. Nicephori S. Anaſtaſiæ.

12. In Græcia *S. Nicephori* Patriarchæ Conſtantinopolitani corpus à Methodio item Patriarcha inventum eſſe integrum poſt annos novendecim tradit Theophanes. *S. Anaſtaſiæ* corpus quoque illæſum in Ægina inſula ſervabatur teſte Simeone Metaphraſte.

13. In Aſia S. Thomæ Apoſt. S. Xaverii.

13. Aſiam non percurram, ibi corpus *S. Thomæ* Apoſtoli incorruptum eſſe repertum ait Ribadineira in vita; & *S. Franciſci* Xaverii corpus licet calce vivâ obrutum, integrum inventum poſt multos menſes, ſicque ſervatum per annos multos docet Turſellinus, quem conſule.

14. In Africa, corpus B. Sylveriæ.

14. In Africa ſit unus inſtar omnium *Sylveria* noſter pro Chriſti fide martyr, qui abjectus à barbaris in profluentem, ibi poſt multos annos integer repertus eſt.

127. Sanctorum incorr. à Chriſto dimanat.

Hæc Sanctorum gloria & incorruptio à Chriſto, eeu fonte, in eos dimanat. S. Epiphanius hæreſi 69. in Arianos: *Omnia*, inquit, *ſuſcepit, ut in carne condemnaret peccatum, & in cruce diſſolveret maledictionem, & in monumento ſepulchri detraheret corruptionem, & in infernum deſcendens cum anima in deitate ſtimulum mortis confringeret.* Incorruptio facit eſſe proximum Deo. Sap. 6. 20. Mundi ſunt oculi ejus, ne videant malum. Abacuc 1. 13. & reſpicere ad iniquitatem non poteſt. Non vident, id eſt, non approbant, iniquitatem oculi Dei. Nam, oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum, quæ *lacte* ſunt lotæ, & reſident ſuper fluenta pleniſſima, Cant. 5. 12. labia ejus ſunt lilia, verſ. 13. venter eſt eburneus, verſ. 15. ſpecies ejus ut Libani. Ibidem mons eſt à terra erectus, & *candidus*, id ſignificat *Laban*, unde derivatur ejus appellatio. Illi canit David noſter Pſal. 5. verſ. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injuſti ante oculos tuos, (*παράνομοι*, legis tranſgreſſores: Hebr. vox *holelim*, & Chald. *metalle abim*, inſanos & illuſores) *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Vide illum locum. Qui corruptus fuit moribus, dum viveret, non poteſt non corrumpi in corpore poſt mortem. Nemeſius dicit tract. de natura hominis cap. 44. Improbus licèt in lectulo, licèt repentè ſine ulla moleſtia vitam finiat, malâ mortuus eſt: ut qui *κακὴν ταφὴν*, malam ſepulturam ſibi aſciverit, peccatum. Poſt multas delicias in puncto peccatores ad inferna deſcendunt, Job, 21. 13. & ibi cum divite epulone ſepeliuntur, Luc. 16. 22. dicitur Angelo, id eſt, Epiſcopo, Thyatiræ, de muliere Jezabele, hoc eſt, de quadam potenti fœmina, & fovente errores Nicolaitarum docentium licitam eſſe fornicationem, & uxores debere eſſe communes, Apoc. I. 2. 22. *Ecce mittam eam in lectum*, id eſt: 1. In bellorum tempeſtates, & excidii procellas, quibus obvolvatur, ut explicat Alcazar. 2. In morbos graviſſimos, ut Pannonius. 3. In infernum, ut Richardus à ſancto Victore, ibi eſt lectus ferreus gigantis Og regis Baſan, Deut. 3. 11. ſed lectus ille eſt flammeus. Iſa. 9. 5. *Veſtimentum mixtum ſanguine* (corpus corruptione fœdum) *erit in combuſtionem & cibus ignis.* Lectus eſt, quia infrà ſupra jue, & ex omni parte ignis eſt, cap. 8. 18. *Succenſa eſt quaſi ignis impietas*: etiam lingua epulonis urebatur, erat enim uſque ad caput intra flammas. Stagnum ibi eſt ignis & ſulphuris, Apocal. 20. 9. ſepulcbrum damnatorum vocatur corruptio, Pſal. 29. 10. *Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem.* Cave ne ibi derelinquaris. Ugo Cardinalis in verſum Pſalmi noſtri ſic tropolog. ait: Linquitur anima, quæ labi permittitur. 2. Relinquitur, quæ excæcatur. 3. Derelinquitur, quæ in infernum præcipitatur. Simile eſt Hebr. 1. Ne forte, pereffluamus. Homo, ait, fluit in lapſu. 2. Effluit in conſuetudine. 3. Supereffluit in damnatione. Hæc paulo ſubtiliora, ſed res eſt terribilis: requieſce tu in ſpe, & dic Deo: Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem: longè minùs in eam intrare, & immergi. Sanctus eſto, & nihil time.

ARTI-

ARTICULUS VI.

Chriſtus reſurgens ſervos ſuos vivificat, atque lætificat.

128. CAſſianus collat. 23. cap. 9. comparat nos ambulantibus in fune ſuſpenſo in aëre, qui ſi vel minimùm à recta via deflexerint, in terram corruunt, & cervices ſibi frangunt: ideò egemus aliquo, qui viam prænunſtret, & cum eum reperimus, lætandum eſt, verſ. 12. *NOTAS MIHI FECISTI VIAS VITÆ, ADIMPLEBIS ME LÆTITIA CUM VULTU TUO, DELECTATIONES IN DEXTERA TUA USQUE IN FINEM.* Hunc verſum Innocentius IV. ſibi ſumpſit in ſymbolum, fortaſſe ut Frederici Imp. inſidias effugeret.

Verſ. 11. 2. Pars.

Via vitæ 5. Modis explicari poteſt. 1. Enim via vitæ eſt Chriſtus. Via vitæ eſt: Primo, ipſe Chriſtus, qui eſt *via, veritas, & vita*, Joan. 14. 6. *dat vitam mundo*, cap. 6. 33. eſt panis vitæ, verſ. 35. 48. verba ejus ſpiritus & vita ſunt, verſ. 64. verba vitæ æternæ habet, verſ. 69. Venit ut vitam habeamus, cap. 10. verſ. 10. vitam æternam dat, verſ. 28. Eſt reſurrectio, & vita, cap. 11. 25. Vita habetur in nomine ejus, cap. 20. 31. Auctor eſt vitæ, Act. 3. 15. Salvi erimus in vita ipſius, Rom. 5. 10. Spiritus vitæ in Chriſto JESU, cap. 8. 2.

2. Humilitas. Secundò, via vitæ, ut ait hîc S. Auguſtinus, & Ugo, eſt humilitas, per quam oportet hominem redire ad vitam, qui per ſuperbiam cecidit in mortem. Philipp. 2. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum.* Apocalyp. 5. 12. dicitur dignus Agnus, *qui occiſus eſt*, accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem: ibi ſtat *tanquam occiſus*, habens cornua ſeptem, & oculos ſeptem: quia ideò eſt exaltatus, robore & ſapientia donatus, quia ſe ſponte ad ferendam crucem obtulit. Proverb. 6. 23. *Via vitæ, increpatio diſciplinæ.* Dicit Chriſtus apud Sanctum Auguſtinum: *Per me venitur, ad me venitur, in me permanetur*, paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur *veſtigia ejus*: pedem ponit in proprio ſanguine pergens ad mortem. Eramus anteà oves errantes, ſed converſi ſumus ad *Epiſcopum animarum* noſtrarum: notas nobis faciet vias vitæ: nempe crucem, quam vult nos ferre: quia qui perdiderit animam ſuam, id eſt, vitam, propter ipſum, inveniet eam. Sanctus Leo epiſt. ad Dioſcorum, ait, veram humilitatem ad crucem ducentem eſſe viam ſapientiæ: *Tota*, inquit, *Chriſtianæ ſapientiæ diſciplina, non in abundantia verbi, non in aſtutia diſputandi, neque in appetitu laudis & gloriæ: ſed in vera & voluntaria humilitate conſiſtit, quam Dominus JEſus ab utero matris uſque ad ſupplicium crucis omni fortitudine elegit & docuit.* Sub lagenis fictilibus militum Gedeonis latet lux, & iis fractis emicat: lux Divinitatis in Chriſti humanitate mortali latebat, vaſe fracto clarus reſplendet, & hoſtem exterret.

3. Omnes virtutes. Tertiò, cum non una tantum via vitæ hic dicatur manifeſtata, rectiùs hoc de omnibus virtutibus dices. De ſapientia dicitur Proverbior. 3. 17. *Viæ ejus viæ pulchræ, & omnes ſemitæ illius pacificæ.* De juſtitia vero cap. 12. 28. *In ſemita juſtitiæ vita: iter autem devium ducit ad mortem.* De via virtutum dixi fusè 141. 3. in illud: *Tu cognovisti ſemitas meas.* Vide illum locum. Viam veritatis elige cum Davide Pſal. 118. 30. & viam juſtitiæ, quæ eſt abſque offendiculo. Proverb. 15. 19. & viam omnis virtutis: *Quia via vitæ cuſtodienti diſciplinam*, c. 10. 17.

4. Reſurrectio Chriſti & noſtra. Quartò, magis ad literas agitur de reſurrectione & Chriſti, & noſtra. Si enim vis loqui Chriſtum, qui verſu præcedenti dixerat: Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem: ſenſus erit, q. d. Tu Deus Pater mihi aperuiſti vias vitæ, oſtendi & feciſti, ut experirer vitam poſt mortem tam atrocem: igitur autem non de ſcientia nuda & arida, ſed de experimentali, & ad actum redacta. Chriſtus enim reſurrexit primitiæ dormientium, 1. Cor. 15. verſ. 20. primus enim etiam tempore ad vitam immortalem reſurrexit: unde dicitur *primogenitus mortuorum.* Apocal. 1. 5. Si David & vir juſtus loquitur, ſenſus eſt Pſalmi: Tu Chriſte, notas mihi feciſti vias vitæ, me reſuſcitando. Nam reſurrectio Chriſti eſt cauſa effectiva & exemplaris reſurrectionis corporum noſtrorum & animarum, ut docet S. Thomas 3. p. quæſt. 56. art. 1. & 2. atque oſtendam infrà.

Quintò, meliùs & pleniùs, vias vitæ, intellige tam reſurrectionem, quàm aſcenſionem Chriſti, & Sanctorum in cælum, unde ſubditur: Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: hæc terra enim eſt terra morientium, cælum eſt regio vivorum. Hinc fit, ut felicitas æterna in cœlo vocetur *lignum vitæ*, Apocal. 2. 7. *corona vitæ*, verſ. 10. *fons vitæ*, cap. 21. 6. *fluvius aquæ vitæ*, cap. 22. 1. Vide dicta Pſal. 35. 10. Apud te eſt fons vitæ. Via ad felicitatem illam ducens eſt lucida. Job. 22. 21. dicitur: Acquieſce Deo, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos: ſuſcipe ex ore illius legem, & pone ſermones ejus in corde tuo: ſi reverſus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, & longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo: *Dabit pro terra ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos, & argentum coacervabitur tibi, & in viis tuis ſplendebit lumen.* Dionyſius rex Indorum domitor templum extruxit, ut refert S. Epiphanius lib. de 12. gemmis cap. 5. in quo eſſent trecenti & ſexaginta quinque gradus ex ſaphiro lapide purpureo. Singuli dies anni ſunt totidem gradus, quibus in cæli templum tendunt Sancti, ſunt illis ſapphirini ob gratiam Dei, quæ iis datur, ut eos illuminet, atque locupletet: ait JESUS Apocalyp. 2. 17. *Vincenti dabo calculum candidum*, id eſt: 1. Incomparabilem divitiarum ſeu rerum pretioſarum copiam, ut exponit Pererius. 2. Gradum perfectiſſimum, ac ſummi apud Deum pretii, ut Alcazar. 3. Æternam felicitatem, quâ Deus vincentes donabit, ut Cornelius à Lapide. Nam, ut annotat, calculus candidus veteribus ſymbolum erat: Primò, rei feſtæ & felicitatis: unde dicitur dies felix, niveo ſignanda lapillo. Secundò, abſolutionis in judicio: ſicut calculo atro notabatur condemnatio, ut habes apud Ovid. lib. 15. Metam. Tertio, victoriæ, ut ait Sixtus Senenſis lib. 2. in voce *calculus.* Quartò, in comitiis, & ferendis ſuffragiis pro creatione magiſtratuum: cui ſuffragabantur, ejus nomine ſignatus calculus candidus dabatur. Nomen novum, quod in eo calculo ſcribitur, eſt, filius & hæres Dei: vel certè, nomen JESU, quod dat lucem & pretium gemmis omnibus cæleſtibus.

129. 5. Et genuinè reſurrectio & aſcenſio.

130. Reſurrectio Chriſti fuit neceſſaria ob quinque rationes.

Reſurrectionem Chriſti neceſſariam fuiſſe, propter quinque rationes, docet S. Thomas 3. p. q. 53. art. 1. Primo, ad commendationem divinæ juſtitiæ, ad quam pertinet exaltare eos, qui ſe humiliant propter Deum, ut Deipara dixit Luc. 1. 52. Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles: & Chriſtus ipſe de ſe ait Pſ. 138. 2. *Tu cognovisti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam:* id eſt, ut exponit Gloſſa, approbaſti humilitatem, & paſſionem, & glorificationem in reſurrectione. 1. Secundò, ad fidei noſtræ inſtructionem: quia per ejus reſurrectionem confirmata eſt fides noſtra circa divinitatem Chriſti: quia, ut dicitur 2. Cor. ult. *Etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei.* Et ideò 1. Corinth. 15. dicitur: Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides noſtra. Et in Pſal. 29. dicitur: Quæ utilitas in ſanguine meo, id eſt, in effuſione ſanguinis mei, dum deſcendo quaſi per quoſdam gradus malorum, in corruptionem? Quaſi dicat, nulla. Si enim ſtatim non reſurgo, corruptumque fuerit corpus meum, nemini annuntiabo, nullum lucrabor, ut Gloſſa exponit. 2. Tertiò, ad ſublevationem ſpei noſtræ: quia dum videmus Chriſtum reſurgere, qui eſt caput noſtrum, ſperamus & nos reſurrecturos. 3. Unde dicitur 1. Cor. 15. Si Chriſtus prædicatur, quod reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? Et Job. 19. dicitur: Scio, ſcilicet per certitudinem fidei, quòd Redemptor meus, id eſt, Chriſtus, vivit, à mortuis reſurgens, & ideò in noviſſimo die de terra reſurrecturus ſum, repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Quartò ad informationem vitæ fidelium: ſecundum illud Rom. 6. Quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. 4. Et infrà: Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur: ita & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo. Quintò, ad complementum noſtræ ſalutis: quia ſicut per hoc quod mala ſuſtinuit (humilitas eſt) 5.

morien-

moriendo, ut nos liberaret à malis: glorificatus eſt reſurgendo, ut nos promoveret ad bona, ſecundùm illud Roman. 4. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Hæc Divus Thomas.

131. Reſurgamus cum Chriſto. Nos quoque cum Chriſto reſurgamus. 1. Corinth. 15. 42. *Seminatur in corruptione.* Primò, in creatione, & parentum generatione, ut ait S. Anſelmus. 2. Cùm corpus velut ſemen in terram abjicitur & ſepelitur, ut S. Chryſoſtomus: *Surget in incorruptione.* Secundo, verſu quadrageſimo tertio. *Seminatur in ignobilitate, Surget in gloria,* id eſt, glorioſum, & luce cœleſti emicans. Hæc eſt ſecunda dos corporis Sanctorum reſurgentium, tantò gratior, quantò fuit vilius, & ſordidius corpus in terra, quod ſeminatur in contumelia, ut legit S. Auguſtinus epiſt. 140. in ignominie, ut S. Ambroſius in dedecoratione, ut Tertullianus lib. de reſurr. carn. capite quinquageſimo ſecundo. Tertiò, datur agilitas, ibidem: *Seminatur in infirmitate,* id eſt, debile, infirmum, tardum, *ſurget in virtute,* ἐν δυνάμει. id eſt, in potentia, potens cum celeritate incredibili, & ſine labore de loco in locum tranſvolare omnibus volucribus & ſagittis velocius. Quartò denique, datur corpori glorioſo ſubtilitas, verſ. 44. *Seminatur corpus animale,* egens cibo, potu, ſomno, aliiſque: craſſum, durum, impenetrabile, *ſurget corpus ſpirituale.* Primo, ſubtile, ut inſtar ſpiritus omnia alia corpora penetret ac pervadat, ut ait S. Damaſcen. l. 4. de fide cap. 28. & S. Epiphan. in hæreſ. Origen. Secundò, quaſi in angelicum habitum commutatum, ut loquitur Tertullian. ita ſpiritu ſubditum, ut cœleſti habitationi conveniat, omni fragilitate ac labe terrenâ in cœleſtem ſtabilitatem mutata atque converſâ, ut dicit S. Auguſt. de fide & ſymbol. cap. 6.

132. Reſurrexit Chriſtus ut reſurgamus. Reſurrexit enim Chriſtus, ut nos etiam reſurgamus & juſtificemur. Romanorum quarto, verſu vigeſimo quinto. *Reſurrexit propter juſtificationem noſtram,* quod expendens Suares noſter 3. p. quæſt. 56. ait, præpoſitionem *propter,* quatuor cauſas hic poſſe ſignificare. Primò, materialem ſeu objectivam, ut Cajetanus & Adamus explicant, ut ſenſus ſit, Chriſtum reſurrexiſſe, ut per fidem reſurrectionis ejus, qua credere cepimus Chriſtum eſſe Dei Filium, & Redemptorem mundi, perducamur ad juſtificationem. Nam reſurrectio Chriſti probavit eum eſſe Deum. Secundò, *propter,* poteſt denotare cauſam exemplarem, ut S. Anſelmus explicat, ut ſenſus ſit: Chriſtus reſurrexit, ut ſit typus & examplar reſurrectionis animæ noſtræ, & ejus exemplo reſurgamus ad novitatem vitæ. Tertiò, *propter,* poteſt ſignificare cauſam efficientem; ut enim ait S. Thomas 3. p. quæſt. 56. art. 2. *Reſurrectio Chriſti habet inſtrumentaliter virtutem effectivam, non ſolùm reſurrectionis corporum, ſed etiam reſpectu reſurrectionis animarum,* eſt autem illud inſtrumentum morale, quia ſtatuit Deus nos non juſtificare, niſi per reſurrectionem Chriſti, & quaſi per illam: ſicut Rex, qui promiſit ſubditis per coronationem filii ſui certa privilegia, nonniſi poſt eam, & quaſi per eam elargitur: non eſt vero inſtrumentum phyſicum, quia dudum reſurrectio præterita non poteſt influere phyſicè in noſtram juſtificationem. Quarto, *propter,* poteſt ſignificare cauſam quaſi meritoriam; Chriſtus enim officium ſuum & meritum paſſionis, in reſurrectione, quaſi in termino ſuo, abſolvit: reſurrectio enim fuit terminus & complementum paſſionis, meritorum, & totius œconomiæ Chriſti. Unde reſurrectio & paſſio cenſentur unum opus redemptionis, & una actio moralis Chriſti completa, quâ ſimul & ſemel meruit Chriſtus tum remiſſionem peccatorum, tum juſtificationem noſtram. Quintò denique, *propter,* ſignificat cauſam finalem. Nam Chriſtus reſurrexit hoc fine, ut mitteret Apoſtolos, & Spiritum ſanctum, qui nos juſtificaret.

Corpus Sanctorum occiderunt tyranni. Potuerunt tyranni corpus Sanctorum occidere. Unde Apocalypſis ſexto, verſu quarto dicitur, quod exivit equus rufus, & quòd ſeſſori ejus datus eſt gladius magnus, ut fideles occideret. Per equum illum ſanguinei coloris intelligitur ſtatus paganorum Eccleſiam per trecentos annos perſequentium: ſeſſores ſunt tyranni, ſcilicet Trajanus, Antoninus, Diocletianus, & alii, qui tanto numero Martyres occiderunt, ut non mente occiſa ſint Diocletiani juſſu *ſeptemdecim millia* Chriſtianorum, ſicut ait Euſebius: quem numerum ſi per decem annos, quibus ejus perſecutio duravit, multiplices: invenies vicies centena millia, ſive *duos martyrum milliones.* Unde non excedit fidem, ut ait Cornelius in caput ſeptimum Apocalypſis, poſſe nos in ſingulis totius anni diebus honorare triumphos martyrum, quaſi tali die in cœlis coronatorum, *uſque ad viginti millia.* Thomas Bozius libro duodecimo de ſignis Eccleſiæ capite vigeſimo ſecundo ex hiſtoriis & Actis Martyrum colligit, in una urbe Roma extitiſſe pluſquam *trecenta millia* martyrum, in quibus numerantur 27. Summi Pontifices. *Undecim* circiter fuiſſe *milliones* martyrum à Chriſti tempore cenſet Franciſcus Arias lib. 3. de imitatione Chriſti cap. 35. cùm ſancta Brigitta diceret lib. 3. revelat. cap. 26. audiviſſe ſe Romæ qualibet die in anno *ſeptem millium* martyrum poſſe feſta celebrari, hoc ei Deipara reſpondit: Si menſurares terram centum pedum in longitudine, & totidem in latitudine, & ſeminares eam plenam puris granis tritici, quodlibet vero granum daret fructum centuplum, adhuc eſſent plures Martyres & Confeſſores Romæ a Petri tempore uſque ad Cœleſtinum. Hyperbolen eſſe arbitror, ſive ſæpè in ipſis Scripturis reperimus.

Sed granum illud in terram projectum, ibique putrefactum, viridius exſurrexit, & fructum attulit, atque in reſurrectione mortuorum eo ſurget lætius, quo exciſum eſt crudelius. Jobi vigeſimo nono, verſu decimo octavo. *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.* Tertullianus de reſurrectione cap. 13. legit, ſicut phœnix multiplicabo dies: velut Pſal. 91. 13. ubi legimus: *Juſtus ut palma florebit,* ipſe habet, juſtus ut phœnix florebit. Phœnicem porrò: 1. Quingentis annis vivere ſcribit ſanctus Ambroſ. lib. de fide reſurr. & S. Hieronymus epiſt. ad Præſidium. 2. Quingentis & quadraginta annis, Solinus cap. 64. 3. Sexcentis ſexaginta, Plinius lib. 7. cap. 47. 4. Annis mille, Martialis lib. 5. 5. Mille quadringentis ſexaginta, Tacitus: ſed hæc tam incerta ſunt, quàm ipſe phœnix. Varietas lectionis in Jobo & Pſalmo oritur, quod Græcè φοῖνιξ, & palmam, & phœnicem ſignificet. Phœnix dicitur è cineribus ſuis renaſci, & eſſe reſurrectionis hieroglyphicum, verius eſt, quod ait Plinius lib. 13. cap. 4. palmam quandam in Chora fuiſſe, quæ diceebatur *emori ac renaſci* ex ſeipſa: nam palma germinat rurſus à radice ſucciſa: reſurgent Sancti à tyrannis exciſi, & erunt *palmæ in manibus eorum.* Apocal. 7. 9. in ſignum victoriæ ac triumphi. 133. Sed reſurget glorioſum.

134. Via vitæ per Chriſtũ nobis innoteſcit. Innoteſcunt nobis viæ vitæ, quibus veram vitam adipiſcamur, ſed ſolum Chriſtum innoteſcunt. Non enim tantùm eſt via & vita. Joannis decimo quarto, verſu ſexto, non tantum oſtium, per quod ſi quis introierit, ſalvabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet, cap. 10. v. 7. & 9. ſed etiam lux vitam ducens. *Vita erat lux hominum,* cap 1. 4. ait ipſe capite octavo, verſu duodecimo. *Ego ſum lux mundi,* & 1. epiſtola 1. 5. *Deus lux eſt.* Apocal. 21. 23. *Lucerna ejus eſt Agnus,* agit de cœleſti Jeruſalem: idem de terreſtri dici poteſt cum Davide Pſal. 118. verſ. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Ubi S. Bonaventura ſic loquitur, ad JEſum prælucentem ſequendum nos invitans: *Lucerna eſt lumen in teſta, lumen in vaſe eſt divinitas in humanitate: lumen divinitas, vitro eſt via, tenebræ ſunt ignorantia: præcedit Chriſtus tenens lucernam, ſequitur Chriſtianus tenens exempli ſemitam: propoſuit humanitatem lucentem ex divinitate: extulit lucernam, ut videamus in fide, ambulemus in operatione, dirigamur imitatione.* Magiſter noſter unus eſt Chriſtus. Matthæi vigeſimo tertio, verſu decimo. in ipſo ambulandum. Coloſſ. 2. 6. ſequendus eſt. Joan. 12. 26. viam ſapientiæ monſtrat. Proverbiorum 4. 11. dat legem vitæ. Eccleſ. 45. 6. deducit in via æterna. Pſalm. 138. 24. *Homini eſt iter ad Deum per Deum & hominem,* ut ait S. Auguſtinus lib. 11. de civit. cap. 2. dicit Propheta Pſal. 70. 14. *Deus in Sancto via tua,* id eſt, in Chriſto, ut explicat idem S. Auguſtinus in ſuo commentario. Eſt *ſtella ſplendida & matutina.* Apocalypſis 22. 16. quia, ſicut annotat S. Gregorius lib. 29. Moral. cap. 30. in illud, nunquid producens luciferum in tempore ſuo, *dum in ſeipſo reſurrectionis exemplum nobis præbuit, quæ lux ſequatur, indicavit,* in tota æternitate ſcilicet: quod aperte ait Beda. Chriſtus eſt ſtella matutina, quia tranſacta nocte ſæculi, lumen vitæ ſanctis pandit & promittit æternæ. Vincenti pollicetur *ſtellam matutinam.* Apocalypſ. 3. verſ. 28. Id eſt: 1. Chriſtum ipſum, ut vult Alcazar. 2. Angelum Cuſtodem, ut Dionyſius Carthuſianus. 3. Joannem Baptiſtam, qui primum Chriſti adventum anteceſſit,

ceſſit, & Eliam, qui ſecundum, ut explicat Andreas
Cæſarienſis. 4. Fidem & ſcientiæ donum, ut Joa-
chim Abbas. 5. Inviſibilem & aliquando viſibilem
Chriſti apparitionem in morte, ut Ribera. 6. Gra-
tiam juſtificantem, ut Richardus à S. Victore. 7.
Denique, lucem à Deo immiſſam animæ, ut An-
dreas Cæſarienſis in medio candelabrorum aureo-
rum, id eſt, Eccleſiarum, Chriſtus ambulat. Apoca-
lypſis 2. 1. ut illa accendat. Nam, ut ait Pererius
noſter: *Eccleſia quaſi candelabrum per doctrinam Scri-
pturarum lucida, per fulgorem virtutum ſplendida*, &c.
Contrà autem, Babylon vocatur ab Iſaia cap. 13. 2.
Mons caliginoſus, dicitur mons ob aulæ regiæ ſplen-
dorem & magnificentiam, ac cæterorum palatio-
rum ac domorum faſtum, turrium ac murorum
excelſitatem: caliginoſus verò Primò, quia in loco
paluſtri & caliginoſo ſita erat propè Euphratem,
unde propter denſos vapores ac nebulas nubilum
habebat & caliginoſum aërem. Secundò, quia erat
in denſa caligine errorum, ſcelerum, ac præſertim
idololatriæ; ejus excidium verſu decimo diriſſi-
mum deſcribitur: *Quòd ſtellæ cæli & ſplendor earum
non expandant lumen ſuum: obtenebratus eſt Sol in ortu
ſuo, & Luna non ſplendebit in lumine ſuo.* Cùm nos lux
Sanctorum, Chriſti & Virginis deſerit, actum eſt
de nobis.

Iſaiæ 48. 17. dicit Deus populo ſuo Iſraëlitico:
*Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in
via, quâ ambulas.* JEſus aperit librum ſigillis ſeptem
ſignatum, quem nemo vel in cœlo, vel in terra, vel
ſub terra poterat videre, neduum aperire. Apocalyp-
ſis 5. 5. *Vicit Leo de tribu Juda, radix David* (id eſt,
ſurculus à Davide ut radice pullulans, ſicut Ribera
& Cornelius explicant; vel eſt radix à Davide ut
ſemine procedens, ſicut exponit Ansbertus) *aperire
librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.* Vicit, ut ape-
riat: ideo aperit, quia vicit. Chriſtus autem, licèt
Agnus ibi apparuerit, vocatur Leo. Primò, ob for-
titudinem. Secondò, ob regiam dignitatem. Ter-
tiò, quòd ſit de tribu Juda, cujus inſigna eſt Leo.
Quartò, quia impiis terribilis. Quintò, quia mox
atque in lucem Leo ortus eſt, oculos aperit, iisque
videt: ita Chriſtus ſtatim ab initio conceptionis ſuæ
Deum vidit, & fuit plenus gratiæ & veritatis in ſe
includens omnes paternæ ſapientiæ theſauros. Sex-
tò denique, quia leo apertis oculis dormit: ita Chri-
ſtus tota vita & in ipſa paſſione habuit viſionem
beatificam & ſcientiam infuſam, verſ. 6. Velut Ag-
nus repræſentatur habens cornua ſeptem, *oculos ſe-
ptem.* Cornua, ut hoſtes proſternat: oculos, ut piis
provideat. Septem illi oculi ſunt Primò, ſeptem
dotes providentiæ Dei, ut ait Alcazar. 2. Septem
dona Spiritûs ſancti, ut vult Beda. 3. Septem An-
geli primarii. His fideles illuminat.

Inclamat itaque omnibus hominibus cum Pro-
pheta noſtro. Pſalm. 68. 33. *Quærite Deum, & vivet
anima veſtra.* Ubi S. Auguſtinus: *Quæritis panem, ut
vivat caro veſtra: Dominum quærite, ut vivat anima veſtra.*
Dat ſequentibus ſe potum & cibum vitæ. 1. Cibum
quidem. Apocal. 2. 7. *Vincenti dabo edere* DE LIG-
NO VITÆ, *quod eſt in paradiſo Dei mei.* Id eſt, de
me ipſo in Euchariſtia, ut explicat Anaſtaſius Sinai-
ta libro primo Hexaëm. & Paſchaſius tractatu de
Chriſti corpore, capite ſeptimo & octavo, *ſic* à ſan-
cto Ignatio epiſtola ad Epheſios vocatur Euchari-
ſtia pharmacum immortalitatis & mortis antido-
tum. Vel meliùs, lignum vitæ eſt fruitio Dei &
beatitudo, atque inde conſequens immortalitas, ut
ait Cornelius. Deus enim ipſe eſt ſpiritualis cibus
per viſionem & contemplationem à mente Beato-
rum poſſeſſus. 2. Potum vitæ dat JEſus. Apocalyp-
ſis vigeſimo primo, verſu ſexto ait: *Ego ſum A & O:
Initium & Finis. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gra-
tis.* Joannis ſeptimo, verſu trigeſimo ſeptimo, invi-
tat omnes ad potum, cum ait: Si quis ſitit, veniat ad
me, & bibat. Et Apocalypſis vigeſimo ſecundo,
verſu decimo ſeptimo. *Qui ſitit, veniat: & qui vult,
accipiat aquam vitæ gratis.* De ſiti Sanctorum inſtar
cervi aquas petentis, dixi fusè. Pſalmo quadrageſi-
mo primo, verſu primo. Hic potus aquæ vitæ ſitim
tollit. Joannis quarto, verſu decimo tertio. Et au-
get. Eccleſiaſtici vigeſimo ſexto, verſu vigeſimo
nono, quia & appetitum explet, & tædium nun-
quam affert. Non tantum JEſus liberum aditum
dat ad illos fontes divinos, ſed ad eos ducit. Apoca-
lypſis ſeptimo, verſu decimo ſeptimo. *Agnus, qui in
medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes
aquarum.* 4. Chriſtus cibo & potu recreatos coro-
nat. Apocalypſis ſecundo, verſu decimo. *Eſto fidelis
uſque ad mortem, & dabo tibi* CORONAM VITÆ,
id eſt, felicitatem æternam, quæ Primò, corona eſt.
1. Quia pretioſiſſima inſtar coronæ. 2. Quia prin-
cipio & fine caret. 3. Quia datur in certamine vin-
centibus. Secundò, eſt corona vitæ, quia eſt æter-
na, & nunquam marceſcet: unde à S. Petro 1. epi-
ſtol. 6. dicitur *immarceſſibilis*. Et S. Paulo 1. Corin-
thiorum 9. verſu ſecundo dicitur *incorrupta*. Viam
itaque amplectere, quæ te à vita ad vitam, id eſt, à
gratia ad gloriam, à ſuavitate virtutis ad ſuavitatem
mercedis traducet: atque, ut monet Eccleſiaſticus,
capite trigeſimo ſecundo, verſu vigeſimo quinto.
In *via ruinæ* non eas, & non offendas in lapides,
nec credas te *viæ laborioſæ*, ne ponas animæ tuæ
ſcandalum. Ora cum Davide. Pſalmo centeſimo
decimo octavo, verſu vigeſimo nono. *Viam iniqui-
tatis amove à me.* שֶׁקֶר *ſeker*, id eſt, mendacii. Via
iniquitatis flores oſtendit in principio, & delecta-
tionem in fine pollicetur, ſed nihil dat, niſi præci-
pitia. Nam, ut dicitur, Pſalmo primo, verſu ſexto.
Iter impiorum peribit. Non deducit ad aliquod pala-
tium, in quo quieſcas: ſed perditur, & perdit ruen-
tem in inferos. Vide ibi dicta. Ad cœlum per vir-
tutes contende, hæ ſunt viæ vitæ, quæ terminantur
in cœleſti Jeruſalem, ubi eſt regio vitæ, ut oſtendi
Pſalm. 115. verſu ultimo. *Placebo Domino in regione
vivorum.*

Vitam dat Deus ſervis, non qualemcunque, ſed
beatam, verſu eodem undecimo. ADIMPLEBIS Verſ. 11.
ME LÆTITIA CUM VULTU TUO, DE- 2. Pars.
LECTATIONES IN DEXTERA TUA US-
QUE IN FINEM.

Dexteram Dei hic intelligit Primò S. Auguſti- 135.
nus favorem & propitiationem Dei in hujus vitæ Dextera
itinere, perducente uſque ad finem gloriæ conſpe- Dei po-
ctus Dei. Secundo, Lorinus per dexteram Dei ac- teſt ex-
cipi vult poteſtatem & munificentiam ejus, eſſeque plicari
hanc dexteram, quæ Sponſam amplexatur, lævam modis
ipſius in hac vita ſentiri: in dextera, meliora collo- tribus.
cari bona longitudinis dierum & æternitatis: in ſi- 1.
niſtra, divitias & gloriam. Tertio, arbitror com- 2.
modius, in dextera Dei ſpectari excelſitatem thro- 3. Et
ni Chriſti, ſplendorem & majeſtatem, cui annexa optimè.
ſit delectatio ob collocatum honorem & dignita-
tem Regis cœlorum & terræ: in præcedenti verſu
dixit, ſe non eſſe relinquendum in inferno, neque
in ſepulchro; hic verò ſe eſſe cum gloria & lætitia
collocandum ad dexteram Dei Patris. Ea de re vide
dicta, Pſalm. 109. verſ. 1.

Quatuor itaque in lætitia Sanctorum ſpectanda 136.
ſunt. Primò, quod plena ſit, *Adimplebis*. Secundo, In læti-
quod à Dei viſione cauſetur, *cum vultu tuo*. Tertiò, tia San-
quòd detur in loco honorifico, *in dextera tua*. Quartò ctorum
denique, quòd ſit æterna, *uſque in finem.* quatuor

Ac primò, plena eſt lætitia, quæ totum cor im- poſſunt
plet. Pſalmo centeſimo ſecundo, verſu quinto. *Qui* ſpectari:
replet in bonis deſiderium tuum: ſe ſolo bono Deus im- Primò,
plere poteſt, alia etiam bona adjicit, ut exundent. quod
Si vel unicum deſiderium oſtendas, multa bona in ſit ple-
cor cœlo apertum effundit. Chaldæus pro *deſide-* na.
rium, vertit, *dies ſenectutis tuæ*, ſed anguſtius, nam in
prima præſertim ætatis aurora rorem Deus effun-
dit, quo mel ſufficiat apibus, & gemmas hiantibus
conchis. S. Hieronymus reddit, *ornamentum tuum*,
id eſt: Animam tuam. 2. Actiones tuas hominibus
magis glorioſas. 3. Opera tua virtutibus ornata.
Coronat Deus juſtos in miſericordia & miſeratio-
nibus, verſu quarto ejuſdem Pſalmi centeſimi ſe-
cundi. Vide ibi dicta. nulla pars non plena eſt in
circulo, in quo reperitur Deus, qui implet cœlum
& terram, id eſt, corpus & animam. Ugo Cardina-
lis in Pſalmum noſtrum paulò acutiùs: Non tan-
tùm, ait, *pleni* erimus, ſed impleti, ſed adimpleti.
Pleni erimus lætitia, pro gloria proximorum: *impleti*,
pro gloria noſtra: *adimpleti*, pro gloria JEſu Chriſti.
Plenitudinem omnimodam nobis promiſſam ha-
bemus. Eccleſiaſtici trigeſimo ſecundo, verſu deci-
mo nono. *Qui quærit legem, replebitur ab ea.* Deus ip-
ſe Iſaiæ quadrageſimo octavo, verſu decimo octa-
vo ait, attendenti ad mandata futuram ſicut flumen
pacem: & juſtitiam, ſicut gurgites maris: & filios
inſtar arenæ maris, & gemmarum. Per pacem He-
bræi intelligunt non ſolum quietam, ſed proprie-
tatem rerúmque omnium copiam & affluentiam,
& adverte pacem dici fluvio ſimilem, juſtitiam ma-
ri: quia ex juſtitia pax exoritur, ut fluvii è mari: &
pax conſervat juſtitiam, & fluvii in mare in illud
decur-

decurrentes, Iſaiæ trigeſimo ſecundo, verſo decimo ſeptimo. *Et erit opus juſtitiæ pax, & ſecuritas uſque in ſempiternum. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Primò, faciente opulentum, anima quieta nihil perdit in Mundi tumultibus. Secundo, facta ob opulentiam & gratiarum abundantiam de ipſa animæ contemplanti, quæ optimam partem elegit, atque ibi gaudiis maximis exundat. In S. Xaverio hoc patuit thoracem diducente præ ardore & ubertate ſeſe infundentis divinæ lætitiæ, & inclamante: *Satis eſt, Domine, ſatis eſt.* In S. Ephrem, qui dicebat nonnunquam: *Recede à me Domine parumper: quoniam vaſis hujus infirmitas ferre non poteſt.* S. Catharina Senenſis aſſerebat, tantum gaudium obtinere mentem ſuam, ut valdè admiraretur durare animam in corpore. Ac præterea aliàs adjungebat: tantum ardorem ſentio in anima mea, ut ignis materialis mihi frigere videatur potiùs, quàm urere. Ex hoc autem ardore exiſtit in anima mea quædam renovatio puritatis & humilitatis: ita ut videar mihi rediiſſe ad ætatem quatuor vel quinque annorum. Tantus quoque in me accenditur amor fraternus, ut non ſolùm libenter, ſed & hilariter pro quocunque proximo velim mortem oppetere.

Plenitudinem hanc cœleſtis gaudii potes videre figuratam in oleo per Eliſæum (qui ſignificat Deum ſalvantem) implentem vaſa viduæ. Cùm illa primò maritum amiſiſſet. Secundò, filios eſſet amiſſura creditoribus eos pro debito accipere volentibus, lege id permittente, ut patet Matthæi decimo octavo in parabola debitoris. Tertiò, parum olei haberet, quo ungeretur, id eſt, ungi poſſet de more, vel quo corpus ejus mox moriturum ungeretur, ſicut etiam erat uſitatum apud Judæos. Sed cum jubente Eliſæo accepiſſet mutuò *vaſa vacua* à vicinis, (omnia enim in Mundo ſunt vacua & inania, nihil implet Mundus, omnia injecta effluunt) clauſit oſtium ſuper ſe & ſuper filios ſuos, (excluſis Mundi ſolatiis ad interiora ſe convertit) tum additur 4. Regum 4. verſu ſexto. *Cùmque plena fuiſſent vaſa, dixit ad filium ſuum: Affer mihi adhuc vas. Et ille reſpondet: Non habeo, ſtetitque oleum.* Et diffluit in terram & pulverem, ſtat ſemper parata gratia influere in animam vacuam, eámque implere: prius deerunt corda hominibus, quæ implenda ſubjiciant fonti divino, quàm Deo oleum ſuavitatis & jucunditatis, quod infundat: dicit Deus, Pſalmo octuageſimo, verſu undecimo. *Dilata os tuum, & implebo illud.* Implet omne animal benedictione. Pſal. 144. 16. Implet *horrea tua ſuavitate & vino torcularia* tua per ipſum redundant. Proverb. 3. 10. domum & receptacula implet *theſauris.* Eccleſiaſtici primo, verſu vigeſimo primo, *ſenſu* impletur, cap. 17. verſ. 6. implet quaſi *Phiſon* ſapientiam, & ſicut *Tigris* in diebus novorum: adimplet quaſi *Euphrates*, ſenſum: multiplicat quaſi *Jordanis* tempore meſſis, cap. 24. 35. tanta copiâ ſeſe effundit divinus ille fons & fluvius, ut fluvios faciat aliis profuturos eos, in quos ſe injurgitat: unde dicitur ibid. cap. 47. 16. de Salomone: *Impletus es quaſi flumen ſapientiâ, & terram retexit anima tua* (Græcè, ἐκάλυψε, cooperuit: offenſione ſcilicet ſapientiæ: unde ad illum venit Regina Saba, ut audiret ſcientiam ejus) *& repleſti in comparationibus ænigmata.* Græcè, & replevit univerſam terram; ænigmatis ſcilicet, parabolis, gravibus ſententiis, ſimilitudinibus, quibus gryphos, emblemata, & alia ingenioſa inventa admiſcuit.

Non vult Chriſtus dare lætitiam, & gratiam exiguam, quæ locum relinquant triſtitiæ ſervis ſuis ferventibus, ſed omnia vertit in gaudium: in Cana Galilææ, cùm vinum deeſſet in nuptiis, ait JEſus ſervit, Joan. 2. 7. *Implete hydrias aquâ*, ex toto corde flete veſtra peccata, tum totam aquam vertet in vinum ſuaviſſimum, eóque pectus veſtrum implebit. Vinum illud lætificat cor hominis. Pſalm. 104. 15. Vide ibi dicta. Bibe cum gaudio vinum tuum. Eccli. 9. 7. Memor ſis uberum divinorum ſuper vinum. Cant. primo, verſ. quarto. Comede, & bibe, & inebriare, tunc eris chariſſimus, cap. 5. 1. *Torrens redundans fons ſapientiæ.* Prov. 18. 4. Non vult ſibi aggerem poni, ne exundet: id ſi feceris, ad iram provocabis. Pſalm. 77. 41. *Fructum Iſraël exacerbaverunt.* Hebr. התוו *hithvu, limitaverunt*, ſemper dicit: plus ultrà. Rad. תוה *thava*, ſignare, limitare, terminum & ſignum aliquod ſtatuere. R. Abraham in commentariis ſic exponit: poſuerunt Deo in corde ſuo terminum ac ſignum, ut non poſſet tranſire illum, dicentes: hoc poteſt facere, illud non poteſt facere, neque iſtud. Chald. vertit, aithiu, thivehu, id eſt, ſignaverunt ſigno, q. d. limites & cancellos, atque ſigna determinantia & definientia Dei poteſtati præfixerunt, ac bonitati: *Poteſtas ſempiterna*, ut ait Daniel Nabuchodonoſori Regi Babylonis, Danielis quarto, verſu trigeſimo primo. *In æternum miſericordia ejus*, ſicut cantat Rex David, Pſalmo nonageſimo nono, verſu quinto, oſtendit *abundantes divitias gratiæ ſuæ in bonitate* ſuper nos in Chriſto JEſu, Epheſ. ſecundo, verſu ſeptimo. *Magnitudinis ejus non eſt finis.* Pſalm. 144. 3. ſemper creſcit uſque ad perfectum diem in mente juſtorum: *Sapientiæ ejus non eſt numerus.* Pſalm. 146. 5. nec in quantitate continua, neq; in diſcreta terminum vult ſibi poni: dona ejus ſemper creſcunt intenſivè & extenſivè in cooperantibus ipſius gratiæ, ut contigit Deiparæ, quæ ex tota latitudine gratiæ ſibi datæ operabatur.

137. Verſ. 12. 3. Pars. Secūdò, quid illa lætitia a viſione Dei cauſetur.

Secundo, illa plena Sanctorum lætitia cauſatur à viſione & contemplatione Dei, tum in hac, tum in alia vita: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*; per vultum tuum, vultu tuo, radiis vultûs tui, te viſu & intuitivè cognito. S. Hieronymus vertit: *Oſtendis mihi ſemitam vitæ, (&) plenitudinem lætitiarum ante vultum tuum*, velut ſacrarum virginum chorum citharas & phialas aureas plenas odoramentorum in conſpectu tuo tenentium, ut accedentes ſono cœleſti recreent, & divino odore & ſuavitate compleant. Senſus eſt, implebis me gaudio, cùm te videro facie ad faciem. Nunc eſt lætitia Deum contemplanti, ſed non plena penitus; nam videmus tantum primò, in ænigmate, 1. Corinthiorum 13. verſ. 12. ait Paulus. 2. In nube, ut Exod. 6. 10. Et Luc. 9. 34. cùm in Tabor transfiguratus eſt JEſus. 3. Per cancellos, Canticorum 2. verſ. 9. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Id eſt, per feneſtrarum cancellos, retium more, decuſſatim conſertus, ut ait Philo. 4. In turbine, Job. 38. 1. ſive cum Iſidoro gravem ſomnum, ſive cum Alberto & Dionyſio diſputationis conflictum, ſive potiùs cum Philippo, & Methodio, & Petro Thyræo libro ſecundo de apparitione viſibili, cap. 2. 3. & 8. verum turbinem & tempeſtatem. 5. In rubo, Exod. 3. 2. adhuc hic ſunt vela & ſpinæ ac tumultus, non eſt plena & pura lætitia, vinum noſtrum miſtum eſt aqua; & aſpectus caligine: habitat adhuc nobis Deus in caligine 2 Paral. 6. 1. Nubes & caligo in circuitu ejus. Pſalm. 96. 2. eſt adhuc Deus abſconditus. Iſaiæ 45. 15. & abſcondens multitudinem magnam dulcedinis tuæ. Pſalmo 30. verſu 20. *Qui abſcondimus vultum ejus*, nec prorſus latet, nec prorſus apparet: hic aſpectus non ſatiat, ſed appetitum magis accendit, viſio clara requiritur ad ſatietatem. Pſalmo decimo ſexto, verſu decimo quinto. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*, alia omnis gloria ſitis eſt atque inopia. Chald. vertit: *Satiabor in tempore, quo evigilavero gloria vultus tui.* Sanctus Bernardus hanc plenam & perfectam lætitiam atque ſatietatem conſiderans ſerm. de obed. patient. & ſapient. dicit: *Inde plenitudo, inde ſatietas, cùm apparuerit gloria Domini: ibi omnes promiſſiones. Hoc eſt plenum gaudium promiſſum à Chriſto, qui replet in bonis deſiderium noſtrum.*

Myſticum eſt, quod S. Cyprianus ſermone de Nativitate, & S. Auguſtinus libro de ſpiritu & anima, per *vultum Dei* intelligunt Chriſtum, cujus humanitas poſt eſſentiam divinam eſt præcipuum beatitudinis objectum; ſic dicitur Pſalmo 79. 4. & 8. *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus*, id eſt, Chriſtum, ut exponit R. Moyſes: eodem ſenſu poſſis accipere illud Malachiæ tertio, verſu primo. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam.* Joannem Baptiſtam, qui vocatur Angelus, Marci primo. Secundo, ante Chriſtum, ſicut auroram ante Solem. Felix in Pſalm. 79. citato vertit: *Illuſtra faciem tuam.* Et Chald. *Splendeſcere fac ſplendorem aſpectûs tui.*

Verſ. 11. 4. Pars. 138. Tertio, quod illa lætitia eſt annexa gloriæ.

Tertio. Lætitia Sanctorum juncta eſt gloriæ, Apocalypſ. tertio, verſ. 21. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo*; mirabilem addit comparationem: *ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus.* Et quidem in Pſalm. 109. dicitur: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis; qui locus de Chriſto eſt apertiſſime, ut ibi oſtendi; in Pſalmo autem noſtro habes, *delectationes in dextera tua* uſque in finem: id eſt, in præcipuis bonis tuis & honoribus. Sedere in throno DEI dicuntur, Primò, in hac vita, dum pace & tranquil-

quillitate mentis perfruuntur, ut explicat Alcazar in Apocalypſim. Secundò, cùm in fine mundi erunt participes judiciariæ poteſtatis, ut ait Haymn. Tertiò, cùm præſertim in cœlo participes erunt gloriæ & Regni cœleſtis. In en throno effulgens ornatu regio. Apocalypſis quarto, verſu quarto. *Et ſuper thronos 24. Seniores* (Principes) *ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Principes illi ſeu Seniores ſunt omnes Epiſcopi in thronis, id eſt, Epiſcopatibus, ut placet Lyrano. Secundò, ſunt Sacerdotes in Eccleſia Chriſti, ut explicat Alcazar. Tertiò, ſunt ſancti Prædicatores, ut ait S. Gregorius libro quarto in primo Regum capite nono, aut omnes Eccleſiæ Doctores, ut Gloſſa. Quarto, duodecim Patriarchæ in Veteri Teſtamento, & duodecim Apoſtoli in Novo, ut recenſet Hieronymus Prado in Ezechielem ſectione undecima, & Aretas. Quintò, & meliùs Maldonatus in notis manuſcriptis & Ribera intelligunt omnes Patres atque Sanctos inſigniores, tam Veteris quàm Novi Teſtamenti. Sextò, ad rem noſtram aptè Beda & Ticonius id explicant de univerſa Eccleſia, quæ à Deo coronata eſt, atque coronas ſuas Deo acceptas refert. Capite ſeptimo, verſu nono de turba magna, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis dicitur, quòd ſtantes ante thronum & *in conſpectu Agni*, erant *amicti ſtolis albis*, & palmæ in manibus eorum. Turbam illam cenſet Lyranus eſſe Martyres Diocletiano ſæviente trucidatos. Secundò, gentibus Conſtantino Imperatore regnante converſos interpretatur Aureolus. Tertiò, Martyres omnium ſæculorum, Joachimus Abbas. Quartò & veriùs, Cornelius explicat de gentilibus Chriſtianis, qui futuri ſunt Sancti in fine mundi: ideóque ſignati & electi, atque intacti futuri à plagis ſeptem Angelorum ſeptimi ſigilli, de quibus agitur cap. ſeqq. Quintò, ad rem noſtram accommodatiùs de beatis omnibus, qui Dei viſione fruuntur, explicant S. Ambroſius & Beda. Stola porrò alba ſignificat Primò conſcientiæ puritatem, caſtitatem & candorem. Secundò, inde conſequentem ſerenitatem, hilaritatem & lætitiam. Tertiò, felicitatem & gloriam; lumen enim gloriæ eſt ſtola, ſeu veſtis velut talaris totam animam veſtiens & exornans: ideo alba dicitur, quia lux candicat, deinde ob Sanctorum innocentiam atque lætitiam & pacem, quarum color albus eſt ſymbolum, ſicut immortalitatis & claritatis.

139. Verſ. 11. 5. Pars. Quartò, lætitia Sanctorum eſt æterna.

Quartò denique, lætitia illa Sanctorum in cœlo eſt æterna. Verſu eodem undecimo. *Delectationes in dextera tua uſque in finem.* S. Hieronymus vertit, decores æterni. Felix, jucunditates in æternum. *Civitas in quadro poſita eſt.* Apocal. 21. 16. non commovebitur in æternum. Verſ. 25. *Nox non erit illic.* Capite vigeſimo ſecundo, verſu tertio. *Omne maledictum non erit amplius.* Verſu quinto. *Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in ſæcula ſæculorum.* Datur iis manna abſconditum, quod nemo poteſt rapere; ibi enim fures non effodiunt nec furantur. Apocal. 2. 17. Secundò, S. Joannes Angelo, id eſt, Epiſcopo Pergami verba hæc Chriſti conſcribit: *Vincenti dabo manna abſconditum*; id Primò, Chriſtum ipſum, qui eſt abſconditus in lege, in carne, in Euchariſtia, ut explicant S. Ambroſius & Primaſius. Secundò, de conſolationibus ſpiritualibus, quæ dantur vincenti tentationes & concupiſcentias carnales, exponit Cornelius. Tertiò, de ſuavitate, quæ percipitur in contemplatione rerum cœleſtium, S. Bernardus lib. de converſione ad Clericos cap. 21. Quartò, de arcanis divinitatis & æterna felicitate, Richardus à S. Victore. Hæc enim felicitas eſt manna, ob inenarrabilem felicitatis dulcedinem: eſt calculus, id eſt, gemma, propter opes & pretium: eſt nomen, ob famæ & gloriæ claritatem, ut ait Pererius. Hæc autem cum manna vincenti promittuntur loco citato.

Nota: Etiam in via hujus vitæ eſt lætitia, non tantum in termino viæ. *Notas mihi feciſti vias vitæ*, &c. Sic monet David Pſalm. 137. verſ. 5. *Cantent in viis Domini*, (in miſericordia ejus & veritate) *quoniam magna eſt gloria Domini*, ad quem juſti feſtinant, & quæ radios clariores & jucundiores emittit, quò magis illi appropinquant. Ad lætos cantus illos incitat S. Auguſtinus in illud Pſalm. 66. verſ. 2. *Illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri, ut cognoſcamus in terra viam ſuam*, de Chriſto enim id explicans ait: Cognoſcamus in terra Chriſtum. Ambulate in via, ô filii pacis! cantate ambulantes, faciunt hoc viatores ad ſolatium laboris. Cantate vos in hac via, obſecro vos per ipſum Viam. Cantate in hac via, canticum novum cantate, nemo ibi vetera cantet: cantata amatoria patriæ veſtræ, nemo vetera, via nova, viator novus, canticum novum. In ipſo carcere gaudendum & exultandum, docet S. Chryſoſtomus epiſtola centeſima decima octava.

140. Mundi lætitia eſt triſtitiæ mixta.

Contrà verò, mundi gaudia non ſunt pura & ſyncera, & brevi in luctum deſinunt. Proverb. 14. 13. *Riſus dolore miſcebitur*, ſicut vinum fæce, etiam in principio & in medio, ſed præſertim in fine; unde additur: *Et extrema gaudii luctus occupat.* Ut miles arcem mentis invadens, & inde omne gaudium exterminans; ſola fæx eſt in fundo dolii, & non exinanitur: itaque, ut rectè admonet Salomon, Proverb. 23. verſ. 31. *Ne intuearis vinum, quando flaveſcit, cùm ſplenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet*: regulus, ſive baſiliſcus, eſt Rex ſerpentium, perinde atque delphinus piſcium, aquila avium, ferarum leo, & elephas jumentorum: ſic appellatur, ut ait Feſtus, vel quòd in capite habeat album quiddam inſtar diadematis: vel, quòd reliqua ſerpentum genera vim ejus fugiant. Arias vertit: *Sicut regulus punget.* Pagninus: *Dolore afficiet.* Occidit regulus ſeu baſiliſcus vel ſolo aſpectu, ita & voluptas uno oculi aut mentis contuitu. Remedium eſt in voluptate, quod Ælianus & Solinus tradunt pro enecando baſiliſco, nempe admotio ſpeculi, in illud venenatos halitus diffundit, quibus in eum reflexis occiditur. Plato ſuadebat ebrietati deditis, ut ſumpto nimio vino ad ſpeculum ſe contemplarentur, ad videndam deformitatem inde enaſcentem; tu potius ſobrius conſidera dictum Anacharſis: *Primum poculum ſanitatis, ſecundum voluptatis, tertium injuriæ, quartum inſaniæ*; & dictum Pythagoræ: Tres, inquiebat, botri naſcuntur in vite: primus voluptatis, ſecundus ebrietatis, tertius injuriæ. Mundus miſcet fel vino myrrhato, Matth. 27. 34. ideo JEſus & Sancti nolunt ex eo bibere. Qui vineam habent Sodomæ, colligunt uvas felleas. Deuteron. 32. verſ. 32. ait Moyſes de Judæis à Dei cultu receſſuris: *De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ: uva eorum uva fellis, & botri amariſſimi: fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* Vinum poſſis 1. cum Cornelio accipere de doctrina eorum, quæ eſt venenata, & alios inficit. 2. De eorum deliciis, quæ in amarorem convertuntur. Ut enim ait S. Gregorius libro quarto, in primo Regum capite quarto. *Uva in viſu eſt, fel in ſapore: viſum oblectans, cor amaricans: quia nimirum reprobæ menti valdè placet, quod concupiſcit; ſed in æterna pœna, quod ſibi modò eſt dulce, amareſcit.* Moyſes priùs capite vigeſimo nono Judæos monuerat, cavendum eſſe, ne inter eos vir aut mulier, familia aut tribus inveniretur, cujus *cor averſum* eſſet à Domino Deo: rationem reddit verſu decimo octavo. *Ne ſit inter vos radix germinans fel & amaritudinem.* Chaldæus Paraphraſtes vertit: *Ne ſit inter vos cogitans peccata & ſuperbiam*, hoc fel draconum eſt, & venenum aſpidum. Si avertaris à Deo Sole tuo, & convertaris ad eum, qui ſedet in monte frigido Aquilonis, anima tua replebitur felleo liquore: ſi autem verteris te ad radios veri Solis, ſuaves & utiles fructus percipies. Referunt, qui de rebus Indicis tractant, non longè à Malaca arborem eſſe Antiſtrophon, cujus radices, quæ Orientem reſpiciunt, ſunt contra venena, febres, & alias ægritudines remedium: quæ verò ad occaſum vergunt, ſunt venenatæ atque lethiferæ. Tandem arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, Matthæi tertio, decimo & ſeptimo, verſu decimo nono, ac vinea, quæ dat labruſcas pro uvis bonis, erit in direptionem & conculcationem, Iſaiæ quinto, verſu quinto, per vineam ibi intelligitur Jeruſalem, quæ tradetur Chaldæis & Romanis diripienda, tropolog. de anima peccatrice agitur: cap. 16. verſu 8. *Vineam Sabama* (urbem in Moab, quæ captivam, ſive captivam miſerabiliter ſonat) *domini Gentium exciderunt: flagella ejus uſque ad Jazer pervenerunt*; flagella in vite ſunt teneriores palmites, ex anniculis ſarmentis enati, qui ſeſe ad palum ſeu arborem convolvunt, ut vitem ſuſtineant, ne in terram defluat: unde claviculi dicuntur, lege cætera, & caput præcedens, ibi videbis, Moab ululare *ſibi*, ridentibus Sanctis; auferri lætitiam & exul-

Arbor Antiſtrophos.

& exultationem de *Carmelo*, id eſt, ab ubere campo, ut vertit Pagninus: à divitibus & delicatis, vocem calcantium uvas eſſe ablatam: aquas Nemrim (Perdos ſignificat) id eſt, variis dolis maculatorum, eſſe deſertas, quia aruit herba, & viror omnis interiit. Nemrim poteſt etiam ſignificare amaras, deliciæ peccatoris ſunt ipſa amaritudo. Aliâ voce *ra* poſſis id explicare; nam ſignificat 1. malum, id eſt, malignum. 2. Macilentum, tenuem. Geneſis quadrageſimo primo, verſu vigeſimo primo, ubi de vaccis à Pharaone viſis agitur. 3. Afflictum. 4. Voluntatem, in qua ſignificatione ſunt, qui à *raa* paſcere deducant: ſed ab *raa* etiam malum eſſe ſumi poteſt. Nam proni ſunt ſenſus ab adoleſcentia in malum. Sic רוע *roa*, immen, ſumitur pro malitia. Iſaiæ primo, verſu decimo ſexto, & pro triſtitia. 2. Eſdr. 2. verſu ſecundo. Senſus autem Iſaiæ decimo quinto, verſu ſexto dicentis: *Aquæ Nemrim deſertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit*, eſt, ut ait Cornelius, aquæ Nemrim ab accolis in hac vaſtitate Moabitica deſerentur, nec ſuis aggeribus concludentur: ideóque ex aquis maris mortui adjacentibus ſalſæ in eas influent, eáſque inficient, ut fiant amaræ & peſſimæ, ſicut dicit Jeremias capite quadrageſimo octavo, verſu trigeſimo quarto, particula autem כי *chi*, *quia*, ſæpe non cauſam, ſed concomitantiam, eventum, effectum, & id quod conſecutum eſt, declarat, ut illo loco: non enim aquæ deſeruntur, quia herba areſcit; ſed areſcit herba, quia aquæ diffluunt aut corrumpuntur. Si tamen tropologiam ſpectemus, verum eſt dicere, quòd ideo equæ deliciarum deſeruntur, quia areſcit herba & viror perit; nam in eam etiam rem quæruntur, ut in molli herba quies reperiatur ac ſomnus. Horribilius eſt, quod addit Iſaias verſu nono. *Aquæ Dibon repletæ ſunt ſanguine?* deliciæ putredine, & proprio ſanguine, Deo ponente additamenta, id eſt, nova ſemper flagella. In Hebræa eſt *Dimon*, quod ſignificat ſanguinem iniquitatis, aut divitiarum: id eſt, iniqui aut divitis. Qui eſt in deliciis, caveat ſibi à gladio percutientis. Jeremiæ vigeſimo, verſu tertio & quarto, ubi dicitur: *Non Phaſſur vocavit Dominus nomen tuum, ſed pavorem undique.* Phaſſur interpretantur 1. apertionem lucis, à rad. phaſah, aperui: & *ur*, lux. 2. Luxuriantem principem, à rad. פשה *phaſa*, crevit, diffuſus eſt, luxuriavit: vel à פוש *phus*, multiplicatus eſt: & הור *hur*, princeps, heros, album, candidum. Etiamſi ſis aut per honores lucidus, aut per hypocriſim candidus, aut per divitias multiplicatus, niſi Deo ſervias, nomen tuum erit *pavor*, & fugies nemine perſequente. Proverbiorum vigeſimo octavo, verſu primo, terrebit te *ſonitus folii* volantis. Levitici vigeſimo ſextu, verſu trigeſimo ſexto, etſi ne in te quidem cadat, ſed aliò avolet, terreberis. Pſalmo ſeptuageſimo tertio, verſu vigeſimo tertio dicitur: *Superbia eorum*, qui te oderunt, aſcendit ſemper. Hebraicè, *ſonitus*; ſuperbia eſt merus ſonus, non res; ventus, ac præterea nihil; ſonus ille terrere poteſt, delectare non poteſt. Jobi decimo quinto, verſu vigeſimo primo *Sonitus terroris ſemper in auribus illius*, ſuperbi impii. Itaque conclude cum Authore Eccleſiaſtici capite quadrageſimo, verſu duodecimo.

Subſtantiæ impiorum ſicut fluvius ſiccabuntur:
& ſicut tonitruum magnum in pluvia perſonabunt.

INDEX

Rerum & Verborum, in primum Tomum Commentarii in Pſalmos.

A.

Abſalon.

ABſalonis etymon, col. 291. num. 4. ab Abſalonis facie fugere, quid? ibid. n. 3.
Abſalonem plurimi ſecuti, col. 321. n. 45.

Actio.

Actionis diffic, tollit Chriſtus, 338. n. 68.
Activa vita dat lætitiam, col. 990.
Adamo peccatori omnes complantamur, 54.
Adeps devotio eſt, 411.
Adoleſcenti noxia mala conſortia, col. 9.

Adoratio.

Adoratio interior & exterior, col. 476. n. 53.
Adoratio exterior juvat interiorem, 477.
Adorant Deum Sancti, ibid. & Reges, Vide *Nativitas Chriſti.*

Adulatio.

Fovet ſcelera potentium, 835. n. 113.
Adulator eſt aſpis ob 4. rationes, 973.
Æquitas quid, 903. Vide *Juſtitia.*
Ægidii Montani veſtis plumbea, 368.
Ætnæ impii ſimiles, 424.
Affectus noſtri victimæ ſunt, 105. 411.
Afflictio, Vide *Tribulatio, Tempeſtas.*
Alapa ignominioſa 327.
Alcippe varii monſtrorum partus,

Altare.

Altare, eſt cor, in quo fit ſacrif. juſtitiæ, 410, num. 104. Notabile de S. Luciano, 411.
Ambitio ſtulta Humeræ, regnum flag. 614. numer. 49. Vide *Superbia.*

Amor. Amicus.

Amoris vehementiam quinam ſancti ſenſerint nimiam, 1132.
Amor ligans & vulnerans, col. 168 n. 48.
Amor & timor ſunt vincula, 158. n. 34.
Amor cordis jungend. manib. 34 & 35.
Amor Dei juvat medit. 37. n. 55.
Amor non ſentit laborem, 170. n. 50.
Amici conſtantes, col. 1019. n. 56.
Amator ſui migrat in montem, 872.
Amor Dei, Vide *Charitas.*
Amator mirus Ariobarznis erga filium, 215.

Angelus,

Angelorum zelus, 665. n. 114.
Angelorum in occipitio oculatus, 627. n. 63.

Anima.

Animæ locus in corp. ex Philoſophis antiquit, col. 622. &c.
Anima pro toto homine, 870.
Anima juſti hortus concl. 424. Domus Dei, 999. Tabernac. 994. Templum, 889. ob conſecrat. Ibid. ob altare holoc. & labium æreum. ibid. &c. candelabrum aureum. & menſam panum propoſ. 890.
In Anima ſancta Deus eſt politicè, œconomicè, ethicè, phyſicè, 508. eam ſuſtentat, 1101.
Animæ Medicus eſt Deus, 546. n. 34.
Animam odiſſe, quid? 896. n. 54.
Annulus Pyrrhi mirabilis, 243.
In Animalium multit. Deus mirab. 675.

Antichriſtus.

Antichriſti actiones, col. 844. n. 181. An toti Orbi imperaturos, ibid.
Antichriſti prodromi, hæretici, col. 21. n. 43.
Apes Hymettiæ, col. 93.

Apoſtoli.

Apoſtoli zelo ardent, 645. n. 86.
Apoſtoli indocti, ſunt infantes Chriſtum laud. 684.
Apoſtoli idololatriam deſtruunt, 782. Id figur. in everſione urbis Jericho, 783 n. 32. in clade Madianitarum & Moabitarum, 783. & 785.

Aqua.

Aquæ effectus mirabiles, col. 76. &c. & 573.
Aquæ eloq. Dei, col 62. Contritionis & gratiæ, ibid. & ſeq. Aqua lutea per ſolis radios flammam concipit, 1090.
Aqua eſt ſymbol. gratiæ: & cur? 64. n. 80.
Aquæ decurrentes: mortalitas? peccata: gratiæ, 65. & 66.
Aquæ curſus norat aquam vivam, col. 66. n. 82. abundanter dari, nec reſiſt. &c. col. 67.

Arbor.

Arbores mellitæ in India, col. 88. Lanigeræ, prope Jericho, 93. medulla ferrea, in Java, 235.
Arbor viridis, in ſumma ſiccitate, 83. nec folia defluunt, ibid. E pectore S. Nicetæ mortui cupreſſus enata, 55. Arbor folus aureis & arg. 83.
Arbores ventis agitatæ, firmiores & ſan. 92.
Arbor vitæ eſt Chriſtus, col. 61. & vir pius, 52. radix, truncus, &c. 52. &c.
Arbor eſt omnis homo, & cur? col. 52. Arbor bona, vir juſtus, 55. Novem ejus parallela, 56. eſt pulchra, 71. & & 83. ac mirabil. 86.
Arbor infelix. Vide, *Impius.*
Arbori Nabuchodonoſoris confertur juſtus, 56.
Arboris Antiſtrophos mirabilis radix, 1137.

Arguo.

Argui in ira & furore, quid? col. 534. n. 16. eſt horrendum, 535.
Arguunt Sancti ipſos Reges, 787.
Arma lucis ſumenda, col. 451.
Armagedon, 106.

Arrogantia.

Arrogans lingua, 921. & 922. Vide, *Lingua.*
Arrogantia velut perſona tragica, 921, Vide, *Superbia, Præſumptio, Ambitio.*
Arrogantis pœna in Nabuchodonoſore, 921.
Aſcenſio. Vide, *Chriſti Aſcenſio.*
Aſtare Deo quid denotet, 459. &c Vide, *Oratio.*

Atheus.

Atheus eſt ſtultus, 958. In omnibus corruptus, 957. & 144. negat Deum: & quomodo? 958. &c.
Atheus eſt monſtrum: habet proſerpinæ caput, 971. manus Harpyarum, os Cerberi, &c 971. 972.
Atheiſmus, eſt maximum ſcelus, 968.
Atrium quid, 850.

Avaritia.

Avaritia totum hominem corrumpit: in intellectu, 840. Voluntate, 840. Memoria, 842. Actionibus, 843. cor gravat, 369. talentum plumbi. ibid.
Avarus ſibi nocet, col. 658 conſiliis ſuis capitur, 834. argento involutus perit, 372.
Avari vitia varia, 849. In Deum impietas, & in homines furor, 822. &c.
Avarus eſt idolum deaurg. & intus putridum, 372. C. Illud conterit Deus, 237.
Avarus occultè nocet, 850. Leoni comparat, 852.
Aves & piſces ex aquis creavit Deus, 740.
Avis ab oriente clamans, 1094.
Aureolæ Martyrum, Virginum & Doct. col. 512.
Aurum eſt tyrannus, 377.

B.

Baptiſmus. Beatus.

BAbylone everſa lætitia cœleſtis, 663.
Per Baptiſmum Chriſto inſerimur, col. 64.
Beatitudo Sanctorum eſt Deus ipſe, 1076. eſt beatitudo ſuaviſſima, 1076.
In Bello ſpirit. vir fortis innumeros hoſtes vincit, 322. 383.
In Jonatha figur. 323. Vide. *Tentatio.*

Benedictio.

Dari ſolita à Sacerd. Moyſis, 335. n. 64. Ejus forma, ibid.
S. Eduardum benedicit Chriſtus in Miſſa, 535.

Benefi-

Beneficia Dei ſunt vincula, 168.
Benignitas Chatilli nimia. 665.
Berſabee, col. 166.
Bethauen, col. 99.
Bethel, col. 166. n. 44.

Blaſphemia.

Blaſphemia oritur ex atrog. 924. n. 39. Velut perſona tragica inducitur, ibid. ejus cathedra, 15. 16.
Blaſphemis lingua tranſ foſſa, 924. Variæ pœnæ inflictæ, ibid. &c.
Bogoris rex viſa judicii extremi tabula convertitur, 167.
Borith, herba fullonum, 402. n. 92.

C.

Cælum.

CÆlum eſt mons ſanctus, ob varias convenientias. 1000. & ſeqq. Ob ſublimit. ſtabilit. ſecurit. ſalubrit. Solis aſpectum liberum, 1001. &c. theſauros, fontes, aſcenſum arduum, 1002. 1005.
Cælum eſt tabernaculum Dei, 993. & 996. in eo habitare dicitur, 174. & ſeq.
Cælum eſt templum Dei, ob quinque rationes, 886. numer. 34. Eſt Sanctum ſanctorum ob ſeptem conven. 997.
Cælum dicitur fundatum, & cur? 668. Velut mundi anima, ibidem. Opus maximum Dei, 689. & digitorum, 690.
Cæli aſpectu: lætantur Sancti Martinus & Ignatius, 176. in fine, quantum diſtet a terra. 550.
Cælum empyreum habet influentias, ibid.
Cælum eſt vir ſapiens, 1087. Cæli portæ, fides & aliæ virtutes, 821. 822.
Cæleſtium amor, in lignrio ſignt. 254. Vide, *Luna, Stellæ, Sol, Hæreditas.*
Caiphæ etymon, col. 146.
Calcanei iniquitas quæ? 370. ei quomodo inſit luxatia, ibid.
Calicis pars, quid? 901.

Calumnia.

Calumniator eſt monſtrum. Habet os volpis, 489. Cor inſtar follis, 491. Guttur leonis, 498. Linguam viperæ, 494.
Calumniatores Deus deſtruit, per infantes, 687. Vide, *Detractio.*
Candelabri aurei canales occulti, 483.
Captivus eſt peccator. Vide, *Peccator.*
Carnis vincula, ſunt vincula Dalilæ, 160.
Caſtitas facit holoc. 407.

Cathedra.

Cathedra peſtil. col. 15. Doctores ejus, 15. Gradus, pedes, &c. 19. fugienda, 26. in fine.
Cellæ cuſtodia neceſſaria, 873.

Charitas.

Charitas ſolius Dei gloriam quærit, 513. Eſt cauſa perfecti gaudii, ibidem. Et in eo ſolo gloriatur, 511. eique aſtat, 533. Eſt ignis holocauſti, 412. affert lætit. ſpirit. 362. & 513. porta cœli, 821. 826. Aliæ elogia, 283.
Charitas eſt ſcutum aureum, 518. Vincit dæmonem, 580. ad bellum, docit omnes virtutes, 518. eam ſequuntur ut reginam, 404.
Charitas mentem in tribul. dilatat, 162. & crucis pſallentium cum gaudio pulſat. 765. ſuavia ejus vincula, 767.
Charitatis præceptum eſt ſpeciale præceptum Chriſti, 200. 201. Sit curæ Prælatis, 156.

Chriſtus.

Chriſtus eſt nomen dignitatis. col. 137. n. 7. Eſt unctus gratia unionis & ſanctif. 137. unctus in Prophet. ſacerd. & regem. ibid.
Chriſti humanitas eſt magnificentia Dei, 678. & mons ſanctus, 317. Luna perfecta, 1101.
Chriſtus eſt cauſa omnis benedictionis, col. 340. n. 70. noſtra ſalus, 334. Vera lux nos recreans, 421. Lumen vultus Dei, 420. n. 122.
Chriſti vultus quadruplex, 1046. variæ ejus voluntates, quibus ad perf. ducit, 1033.
Chriſtus eſt arbor bona, in Eccleſiæ medio, col. 57. n. 75. Multis arboribus comparatur, 57.
Chriſtus eſt arbor vitæ, col. 61. ejus ſurculi & fructus, 62. & folium, 85.

Chriſti generatio æterna.

Verbum divinum eſt propriè Filius Dei, 208.
Verbi divini à Patre proceſſio dicitur propriè generatio, 205. Cur potiùs dicitur, *genui te,* quam *gigno te*, 206. Cur dicitur *hodie* genui te, ibid. Quomodo ſit illa generatio, 207.

Chriſtus verè & propriè eſt filius Dei, 205.
Chriſti triplex generatio: æterna in cœlo, temporalis in Bethlehem naſcendo: & in Jeruſalem reſurgendo, 205. &c.
Chriſti excellentiæ in filiatione Dei fundantur, col. 214. Inde eſt ſummus Pontifex, ibid. Rex & Legislator, 214. 215. Judex. 216.
Chriſtus, etiam ut homo, eſt filius Dei naturalis, non adoptivus, 209.
Pater æternus non eſt Chriſti Pater, ſecundùm naturam humanam, 210.

Chriſti Incarnatio.

Chriſti Incarnatio eſt amabilis & utilis, 604. admirabilis, 608.
Chriſti humilitas in Incarnatione, 611. & 608. depreſſio infra Angelos, 728. Præſtantia præ illis. ob unionem, ibid n. 97. & 193. n. 85. & 729. ad eum omnes confluunt, 611. fuit Rex ab ipſa conceptione, 192. n. 81. corona ejus eſt Humanitas, 734.
Chriſti Incarnatio eſt Myſterium occultum, col. 753. per eam dæmon victus, 602.

Chriſti Nativitas.

Chriſtus natus eſt inter duo animalia, 608 gloria Eduardi Regis Angliæ, inter duos Reges victos, ibid.
Chriſtus in Nativit. ſe Regem probat, 191.
Chriſtum natum omnes circum ſtant, ut lineæ centrum, 610. Ut filii parentem, ibid. ut fluvii mare, & planetæ Solem, ibid. & 610. 611.

Chriſti adoratio.

Adorationis ſignum eſt oſculum, 274. Oſculandus Chriſtus eum amore, 270. reverentia, 271. 272. humilitatem, fine, 272.
Chriſti memoria ſuaviſſima, 1110. Eſt ore laudandus, 761. n. 6. Eſt Sol, omnibus lucem affundens ut ſtellis, 1111. Vide, *Chriſti Nativitas.*
Chriſti hæreditas, ſunt præſertim Gentiles, 218. ſed verè totus Orbis, 217. 218. Orat pro ea obtinenda: & cur? 219.
Chriſti mirabilia quæ? 762. &c. Studia, 811. fine.
Chriſtus orat pro nobis, triplici oratione, 220.

Chriſtus Judex.

Chriſtus eſt judex ſapiens, 802. eſt Sol juſtitiæ, 617. Bithyni judices ex adverſo Solis judicabant, ibid. Oculos habet in occip. & vert. 628.
Chriſtus in judicio extremo Regem ſe probabit, 199. parat ſuum tribunal, 801. ejus & judicis & regis emblema, 198. judicium eſt myſterium occultum, 756.
Chriſtus vulnera ſua tunc oſtendit, 183. eſt Lapis evertens ſtatuam auream, 189.
Chriſti hoſtium pœna quadruplex, Irridentur à Deo, 176. Subſannantur, 178. condemnantur, 180. conturbantur, 182.

Chriſtus Paſtor.

Chriſtus paſtor omnium Fidelium, 287.
Chriſtus paſtor potens, 288. vigilans, 128. 289. ſeverus, 250 fortis & ſecurum gregem præſtat, 250.
Chriſtus unctus eſt in Sacerdotem, 138
Chriſti corona ſacerdotalis, 735. n. 107.

Chriſtus Legiſlator.

Chriſtus fuit verus Legiſlator, non tantùm promalg. legis, 203 Id illi debebatur, ut filio Dei, ibid. ut Regi, 204. ut ſupremo Judici, 204.
Chriſti poteſtas legislativa, ſeptem habuit excell. 203. &c.
Chriſti Lex Evangelica, eſt Lex præceptiva, col. 100. numer. 92
Chriſtus eſt finis Legis, & quomodo? 545. fuit plenus omni ſapientia, 1089. Habet clavem ſapientiæ, 1091.
Chriſti jugum eſt ſoave, 169. leve, forte, 170. glorioſum, 170.

Chriſtus Rex.

Chriſtus fuit Rex ab æterno ut Verbum Dei, 190.
Chriſtus ut homo fuit Rex ab ipſa conceptione, 192. Id probavit in Nativitate, 193. In Vita, Paſſione, Reſurrectione, 194. 195 In Aſcenſione, 196. Hoc in die judicii declar. 198.
Chriſtus, Rex ſpiritualis Eccleſiæ totius, 187. cum poteſtate excellentiæ: quæ fusè prob. ibid. qualis hæc poteſtas, ibid. & ſeq.
Chriſtus non fuit ſpecialiter Rex temporalis Judææ, 190. Habuit directum dominium in totum Orbem, 190. amplitudo regni ejus, 222. Ferdinandi Regis præclara de regno Chriſti confeſſio, 199.
Chriſtus unctus eſt in Regem, 138. quinque ejus elogia, 197 corona dominii, 755. Angelis præſtantior, ob dominium, 729. eſt eorum caput, 744. Magna felicitas ſub Rege Chriſto, 224

Chriſtus Rex erit, per totam æternitatem, 199. Coronæ ejus quatuor, 199. Omnia ei ſubjicientur, 744.

Chriſti Paſſio.

Chriſtum ex omni parte invadunt impii, col. 134.

Chriſtus ligatur & ligat, 166 Vincula ejus ſunt neceſſaria, 161. Suavia, ibid. potentia, 168 glorioſa, 167. Illa amabat Paulus, 166.

Chriſtus in maxilla ignomin. percutit. 327. coronatur ſpinis, 734.

Chriſtus in Paſſione Regem ſe probat, 195. miracula facit, 763.

Chriſti hoſtes & auxilium, 294. Quæ gentes, qui Reges & Principes in eum inſurg. 131.

Chriſtus in Paſſione eſt minoratus ab Angelis, 728. n. 08. Paſſionis myſterium eſt occultum, 755. In ea tribulatione eſt dilatatus, 358. n. 25.

Chriſti Paſſionis memoria cor ſignandum, 761. n. 5. in plurium cordibus ſtigmatizata, ibid. In eo crucifixo lætandum, 763.

Chriſti deſcenſus ad inferos.

Chriſti adventum Sancti flagitab. 949.

Chriſtus ad inferos deſcendit, ob tres rationes, 1119. & 1121. fin. Figuratus in Joſepho dejecto in ciſternam, 1119. In Jeremia deſcendente in lacum, ibid. in Daniele demiſſo in lacum leonum, & in Jona abſorpto à piſce, 1120

Chriſtus in ſepulchro quievit, reſurrect. exſpectans, 1116. ſine corporis corrupt. 1122.

Chriſtus ab inferis aſcendit, 1118. triumphans, 1121.

Chriſti Reſurrectio.

Chriſti Reſurrectio eſt veluti nova ipſius generatio, in fine, 210.

Chriſtus reſurgens mortem vicit, 804. & vincula Judæor. abrupit, 133. Regem ſe probavit, 196. fin. Corona gloriæ, in Reſurr. 735. à patre mirific. 381.

Chriſtus in Paſſione dormivit, excitatur in Reſurr. 319. Figuratus in Jona, exeunte è ventre piſcis, 218. in verme hederam erodente, 212. in Phœnice è ſuis cineribus renaſcente, 213.

Chriſtus reſurgens ſervos ſuos vivificat, & lætificat, 1126. & 1128. à vinculis liberat, 153. 154.

Chriſti reſurrectio eſt via vitæ, 1126. Ob quinque rationes neceſſaria, 1128. 1129.

Chriſti Aſcenſio.

Chriſtus eſt mirificatus per Aſcenſionem, 381. Tunc Regem ſe probavit, 214. Corona gloriæ in Aſcenſione, 755.

Chriſtus Aſcenſionem meruit eſt, per humilitatem paſſionis, 611.

Chriſtus aſcendit ob Eccleſiæ utilitatem, 612. n. 46.

Chriſti figura.

Chriſtus in Davide figuratus, col. 188. in Jona filio Amathi: hoc eſt, veritatis, 201. & 211. In verme, 212. Phœnice, 213. Eliſæo, 334. num. 61. Simone Pontifice, 1071. lapide ſuppoſito capiti Jacob, & uncto, 1106.

Chriſtianus.

Chriſtus eſt Chriſtiani gloria, 311. & corona, 333. Exaltat ejus caput, 381. fin. n. 59.

Chriſti ſumus filii, 366. illi inſiti, 556. quilibet eſt ſacerdos, 408.

Chriſtiani ſunt Religioſi Crucis, 768. mali gravius punientur, 620.

Chriſtiani cur magis ſubjecti morbis, podagræ, lepræ quàm alii, 620.

Chuſi. 579.

In Circuitu impii ambulant, Vide, *Impius.*

Cithara Sanctorum, 1113.

Civitas.

Civitates à Chriſto deſtructæ, 792. n. 43.

Civitas dæm. eſt impius, 795. numer. 46. conditor illius, amor ſui, 795. Situs eſt incommodus. 796. Fundamenta in arena fluitant, ibidem. Muri ſunt lutei, ibidem. Foſſæ tetros odores exhalant, 797. Turres ruinoſæ, ibid. Portæ ſemper patent, 797. n. 54. Domus malè coagment. ibid. Plateæ monſtris plenæ, &c. ibid. n. 56.

Civitas dæmonis periit cum ſonitu. 800.

Clericus.

Clericorum pars & hæreditas eſt Deus, 1077.

Clerici in Levitis figurati, 1080 Vitam cœleſtem agant, 1077. curam temporalium reſecent, 1078.

Clericalis tonſura & corona, 1078. & 1079.

In Clypeo Reges, ſtatim à creatione elevati, 522. numer. 106.

Cogitatio & affectio ſoli Deo nota eſt, 628. n. 64. Ab eo expenditur & punitur, 616. 619.

Cogitationi & affect. opus jungend. 1093. 394.

Cognitio ſui.

Cognitio ſui, eſt ſecundus humilitatis greſſus, 1052. 1052. n. 13. Vide, *Humilitas.*

Cognitio ſui impedit detractionem, 1021. n. 43.

Columna in templo, vir juſtus, 1106

Columnæ Booz & Jachin, ſapientiæ & ſanctitatis ſymb. 1095. n. 82.

Concilia generalia non poſſunt errare, 913.

Concio.

Concionator ſit ſimilis Eliæ, col. 48. & ſeptem Angelis lino veſtitis, 48. atque Angelo, habenti librum legis in manu, col. 48

Conformitas cum Dei voluntate dat perfectionem, 1058. n. 16. S. Thereſiæ ſapiens monitum, 1059. Eam Sancti habuêre, etiam in pœnis, 664.

Cum ea conformitate crux accip. 769. Vide, *Voluntas Dei.*

Conſcientia.

Conſcientiæ morſus, 983. n. 35.

Conſcientiæ tumultus eſt ſpiritus procellar. col. 901. numer. 61.

Conſcientia terrebit impios in judicio, 118.

Conſcientiæ examen inſtituendum, 395. Eſt animæ medicina, 197. Ejus judex, 395. Materia, ibid. Locus, 397. Tempus & utilitas, 397.

Conſilium. Conſiliarius.

Conſilium eſt baſis actionum, col. 8. n. 14.

Conſilia prava, adoleſcenti noxia, col 9. numer. 15. ad ea vitanda robore mentis opus eſt col. 10. numer. 16.

In Conſilium impiorum qui non abit, eſt beatus, col. 5. num. 8. eſt irreprehenſibilis, col. 6. num. 10. perfectus, col. 6. num. 11. quietus, 7. bonis abundat, col. 8. n. 13

Conſiliarios quales eſſe deceat, 6. n. 10. 11. 15.

Conſortium.

Conſortia impiorum fugienda, 1072. Felix eſt, qui id facit, col. 18. n. 40. & 938. n. 64.

Conſortium impiorum eſt peſtilens, col. 17. n. 38. charitatem & alias virtutes tollit, 1072. & in ruinam homines impellit, ibid.

Conſuetudo.

Conſuetudine obdurati ſedent in cathedra peſtilentiæ, col. 16. n. 35. Vide, *Obſtinatio.*

Conſuetudo ridicula Mexicanorum, 803.

Contemplatio.

Contemplatio eſt ſomnus animæ, 320. [illegible] lætitiam, 928. Vide, *Oratio, Meditatio.*

Contemplatio ſit attenta, 457.

Contritio facilior de nocte, col. 44. Vide, *Lachryma, Nox.* Eſt mentis medicina, 548.

Cor.

Cor eſt vas amplum, 389. domus Dei, 368. altare, in quo fit ſacrif. juſtitiæ, 410. S. Luciani factum notabile, 411. cor luteum facit luxuria, 370.

Cor eſt cogitationum ſymbolum, ob ſex rationes, 821. n. 56.

Cor Deo placet, 1015. Erat Soli factum, 624. vult Deus jungi manibus, col. 32. ad 55.

Cordis quærenda mundities, rectitudo, 630. erigendum in cœlum, 631. recti corde ſalvantur, ibid.

Cor ſcrutatur Deus, ut judicet, 626. n. 60. illi toto corde confitendum, 759.

Cor gravant avaritia, luxuria, & alia peccata, 389. & ſeq.

Corde & corde loqui, 918. fin. Cordis duo ſinus, col. 920. Perdices Paphalag. corde duplici, 920.

Corona

Coronæ variæ victorum: obſidionalis, civica, &c. 521.

Corona datur victori Imp. & Ducibus, 663.

Corona clericalis, Vide, *Clericus.*

Corpus.

Corpus Sanctorum eſt tabernaculum Dei. 1207. fin.

Corpora Sanctorum incorrupta, in Anglia, Polonia, Francia, &c. 1183. & ſeq. Ex illis ſuavis odor. Exempla, 556.

Corpora Sanctorum exultant: & cur 1114. reſurgent glorioſa, 1129.

Creatura.

Creaturæ ſunt ſpeculum, in quo videtur Deus, col. 680. n. 19. Echo, Dei laudes reſonans, ibid. num. 20. veſtigium à Deo impreſſum, 681. n. 21. ſcalæ ad Deum ducentes, 682. n. 22. literæ attributa ejus declarantes, ibid. n. 23.

Crudeles ſocii vitandi, 1073. rejiciendi, 662.

Crux Crucifixus.

Crux eſt Chriſti lumen, 420. thronus, 777. ferculum

Salo-

Salomonis, ibid. ſceptrum & corona, 780. torcolat, 669. alia elogia, 168.

in Cruce Chriſtus toti orbi dominatur, col. 780. ibi ab omnibus Rex colitur, 781. ibi Regem ſe probavit, 193.

Crux parit lætitiam, 425. amara facit dulcia, 363. lapis in Scotia mirabilis, ibid.

Crux amanda, 769. ſumenda cum reſignatione, 770. in ea gloriandum, 171. Ordines militares id faciunt, eam ferendo, 171. crucis amatrix S. Lydvvina, 769. & B. Coleta, 767.

Crucis pſalterium ut benè reſonet, pulſandum cum fide, 765. cum ſpe, 766. charitate, ibid. religione, 767. patientia, &c. 767.

Crucis ſacrif. eſt ſacrif. juſtitiæ, 401. 408.

Cruce dæmon fugatur, 771. figuratus in Amalecitis, Madianitis, &c. victis, 773.

Cuſtos pervigil eſt Deus, 1047. & fortis, 1047.

Cyrus Solem ſibi ſubjectum in ſomno vidit, 241.

Cymbalum tinniens & alatum quid? 374.

D.

Dæmon.

DÆmon eſt ſerpens vectis & tortuoſus, 882. crudelis, 701. Leo ſæviens, 585.

Dæmon in juſtos irruit: ſed Deus eos protegit Emblema, 583. n. 5. Chriſtus illi arma detrahit, 789. ideo contemnend. 1052. Lis inter dæmonem & homines, 776.

Dagon an ſit Jupiter Aratrius, 447. & 775.

Dalilæ viocula quæ? 160.

David.

David fuit miſericors, 380. Nimium indulgens filiis, 303. Innocentem ſe dicit, & quomodo? 390. Fugæ ejus variæ, 870. fugit à facie Abſalonis, 291. filii ejus nati in Hebron, 291.

in Davidem multiplex Dei ſpiritus dirigitur, 380. illum Deus mirabilem fecit, 379. Cur Deum ſæpè Dominum vocet, 354.

Davidem Deus protexit, 321. in bello juvit, 312. ei neceſſaria providit, 425. hoſtes ejus attrivit, 326. eum mirabilem reddidit præ Regibus ſeenturis, 379 380.

Delitiæ periculoſæ, 487.

Deſideria ſola non ſufficiunt, 72.

Dentes nigrifaciunt Japones, 331.

Deſperatio.

Deſperatio eſt cavenda, 307. ejus mala, 308. ad eam impellit dæmon, 306. figuratus in Semei, in uxore Jobi & aliis, 307.

Detractio.

Detractio delectat, & cur? 1011. Eſt vitium diabolicum, 496. Sanctis odioſa, 1020. Remedium eſt cognitio ſui, ibid.

Detractor eſt ſepulchrum vacuum, 496. plenum cadaveribus & fœtens, 496. Eſt homicida, 497. fera, ac Marreæ beſtia, ibid.

Detractor eſt leproſus, 497. Fœtore audientes necat, ibid. num. 77. ſibi nocet, ibid. eſt peſtifer, 350. omnibus execrab. ut in Zoilo patuit, ibid. eſt ſuccus loliginis, 331. dentes ſuos inficit nigredine, 331. detractoris cathedra, 974.

Detractor alios devorat, 980. Denti comparatur, 328. Dentes ejus, dentes leonis, orſi, & beſtiæ terribilis, 328. loligini ſimilis eſt, 331.

Detractor linguam ſuam lanians, 329. eſt vipera ſe devorans, ibid. canis rapidus, & ſima ac ſerta ſe exedens, 330. Eſt ſpernendus, 1024.

Detractores punit Deus tribus modis, per eos ipſos, 329. per alios homines, 330. & per ſeipſum. 332. igne, lepra, &c. ibid.

Detractori auris non præbenda, 1019.

Devotio eſt adeps victimæ, 411.

Deus.

Deum eſſe per ſe notum eſt: & quomodo? 960. probatur quinque demonſtr. 961.

Deus eſt Sol animorum, 416. domus Sanctorum, 484.

Deus quærendus eſt cum alacritate. 809. ejus cognitio, eſt primus humilitatis greſſus, 1050. ei conſecrandæ corporis & animæ vires. 346.

Deorum prodigioſa multitudo paganorum, 788.

Dei nomen

Deus unde dictus, 808. ejus nomen eſt inſcriptum omnibus creaturis. 695. Phidiæ Minerva, ibid.

Nomina Dei decem Hebræis, 697. Dei nomen cognoſcendum, 207.

Dei nomen, pro Deo ipſo. 673. & pro efficacia divina, 674.

Deus nullo nomine ſatis poteſt exprimi, 696. Deus ineffabilis per ciconiam & crocodilum figuratur, 701.

Deo omnia nomina danda ſunt. 696.

Dei voluntas.

Dei voluntas eſt ſidus ad cœlum docens, 1055.

Dei bona voluntas eſt ſcutum juſtos coronans, 515. & corona ipſorum, 515. per gratias & virtutes, ibid. Per gloriam cœli, 521.

Dei voluntati ſe conformant David, Judas Machab 1054. & Chriſtus, ibid. &c. Vide, *Voluntas Dei, & conformitas.*

Dei bonitas & miſericordia

Miſericordia Dei eſt gratuita, 818 eſt ejus oculus, 891.

Deus eſt noſter per creationem, redempt. &c. 1050, 1031. nos ſuſcipit, ut Redemptor & Protector, 309. ut Adjutor, Advocatus, & Pater, 310.

Deus habitat in Sanctis, 506. fin. quieſcit, 1093. dat lætitiam, 1111.

Dei ſapientia & leges.

Dei eſt dare intellectum, 1084. Eſt lux perfecta, 626. Tiberius Imper. videt in tenebris, 656.

Dei verba igne examinata. 934. Vide. *Verbum.* Legum dator eſt, col. 32. Vide. *Lex Dei.*

Dei providentia.

Providentia eſt oculus Dei, 891. num. 44. lucem dat ſervis ſuis, 417. multis varia providit neceſſaria, 425. &c. eſt dux in via cœli, col. 483. præcidit, ut columna ignis & nubis, 1106. 0, 101.

Dei liberalitas.

Deus à dando, 808. Liberalitas Othomani, & aliorum, ibid.

Deus eſt ipſa ſanctorum beatitudo, 1076. Vide, *Hæreditas cœleſtis.*

Dei fortitudo.

Deus dat ſalutem Regibus, 356. n. 66.

Deus eſt clypeus Juſtorum, 516. & 620. fin. eſt gratuitus & utilis, 516. neceſſarius, 516. miſericors & juſtus, 630.

Deus undique Sanctos circumdat. Eſt à dextra gladius, 1098. à ſiniſtra, ſcutum, 1098. ante oculos, lux, 1098. à tergo, pædagogus, 1099. in circuitu turris, ibid. intra ipſos, velut anima, ibid. n. 90. ſupra ipſos, umbella, 1100. infra ipſos baſis, 1101.

Dei dextera tribus modis explic. 1133.

Dei juſtitia.

Dei juſtitia dat Sanctis & Angelis lætitiam, col. 662. Cur Deus juſtitiæ dicitur.

Dei Judicia virtutes, 634. & ſequent. atque celſitudo, 665.

Deus Judex S. Joanni apparet in throno, col. 146. Throni color jaſpideus & ſardinus, ibid. Iris thronum cingit, 148. Aſſeſſores duos habet, 149. De throno procedunt fulgura & tonitrua, 150.

Dei gladius punitionis ſymbol. 640. Ritus notabilis Regum Aſiæ, ibid fin.

Iraſci & punire in Deo idem eſt, 178 jacere, ſedere, & dormire cur dicitur? 602. fin.

Dei immenſitas.

Deus eſt ubique, 172. num. 52. per potentiam, col. 172. præſentiam, 173. eſſentiam, ibid. domus ejus, totus mundus, 172 n. 53.

Deus in cœlo dicitur habitare ad augendam fidem noſtram, col. 174. n. 58. ſpem, 175. charitatem, 176. Ejus magnificentia elevata ſuper cœlos, 677.

Deus eſt in anima ſancta, Vide. *Anima.*

Dei præſentia.

Deus eſt ubique per præſentiam, col. 175. nos ubique aſpicit ut dominus, 967. & gubernator. 969. Mundi ſunt oculi ejus, 1010.

Dei præſentia meditanda, col. 45. & 1996. tollit peccata, 632. dat lætitiam. 1108. robur mentis, 1105. perfectionem, 1107. ad virtutes omnes movet, 1104. orationem illuſtrat & inflammat, ibid. humilitatem juvat, 1105. Timorem tollit, 1102.

Diſciplina.

Diſciplinæ triplex notio, 267. Apprehendenda Regibus, ibid.

Diſciplina Chriſti accipienda cum ardore, 267. 268. cum fortitudine, ibidem, conſtantia, ibidem, & amore, 269.

Dives. Divitiæ.

Divitiæ ſunt urticæ, 266. Lappæ, tribuli, ibid. Ignis, 852. Fluxæ, ut aqua, 373.

Dives facilè ſuperbit, 852. à Deo terretur, 164. timeat Deum, ut ſit lætus, 266. juvat pauperes, 857.

Doctor. Doctrina.

Doctrina prava, eſt cathedra peſtil. col. 15. & 26. Vide, *Hæreſis.*

Doctores boni ſunt ſtellæ cœli, 692. n. 43.
Doctores mali, vermes lucentes, 694.
Doëgi impietas, col. 460. n. 17.
Dæmon quomodo vincitur, 585. &c.
Dolor, quem aliis ſert impius, in caput ejus recidit: ut lapis in altum jactus, 659. & terra impoſita foveæ, ibid. Vide, *Fovea.*
Dolor mulieris in partu, 649.

Dolus. Doloſus.

Doloſi rejiciendi, 491. Sunt monſtra duplici corde, ibid. in fin. eos rejicit Deus, 1015 & exterminat, 920.
Dolus Jacobi crudelis, col. 472. Fenellæ, mirabilis, 472. Vide, *Fraus.*
Dominum ſæpè vocat Deum David: & cur? 621.
Dominium triplex eſt, 191.
Donum. Vide, *Munus.*
Draconia machina crudelis, 791. n. 42.

Dux.

Dux neceſſarius in via ſpirit. eſt Deus, 483. ob hoſtes vigiles, &c 487.
Ducem ſe præbet Deus, 485. mittit ſuos Angelos, Iſraëlitis, Tobiæ & aliis, ibid.
Deductio divina denotat familiaritatem, 486. cooperationem & conſtantiam, ibid.

E.

Eccleſia.

ECcleſia eſt Luna: Stellæ, Doctores, 693. Eſt via, quæ ducit Bethſames: id eſt, ad domum Solis, 277. Eſt via lucida & odorifera, 278.
Eccleſia eſt arx, Deo tutante, inexpugnabilis, 867. Propugnaculum primum, Dei majeſtas, ibid. Secundum, Dei poteſtas, 868. Tertium, Dei ſapientia, ibid. Quartum, Dei fidelitas, 869
Eccleſia eſt templum Dei, 888. & ſeq. atque tabernaculum, 994.
Eccleſia eſt fundata in petra, 867. deficere non poteſt, 909. nec defecit tempore Eliæ, 910.
In Eccleſia Rom. Sancti extitére omnibus ſæculis; etiam iniquiſſimis temp. ibid.
Eccleſiæ perſecutores puniti. Exempla, 660.
Eliſæus Chriſti typus, 334. ejus etymon, ibid.

Epiphania.

Vide, *Chriſti adoratio.*
Evangelium Chriſti vocat ad aſpera, 786. Vide, *Verbum Dei.* Peccatores & Reges increpat, 786.

Euchariſtia.

Euchariſtia eſt frumentum Electorum, 427. & manna in urna aurea, 890. n. 41.
Euchariſtiæ ſacrificium, eſt ſacrificium juſtitiæ, 402. numer. 92.

Examen conſcientiæ.

Examen ſub veſperam faciendum, 394. Vide, *Conſcientia.*
Juſtus, eſt judex ſui, col. 244. n. 155.
Exultandum in Deo, toto corpore, 761. numer. 6. Vide, *Lætitia.*

F.

Felicitas. Fervor.

FAſciculi deprimentes qui? 368.
Felicitas magna virtuti annexa, col. 3. n. 7.
Felicitas impii eſt brevis, 282, Vide, *Proſperitas.*
Fervor eſt gladius, victimas Deo immolans, 411. fin.
Fervore opus eſt, ad vincendum dæmonem, 588.
Feſtinandum in via cœli, ob tres rationes, 1066.

Fides. Fidelitas.

Fides eſt vitæ fundamentum, 274. Porta cœli, 822.
Fides altare erigit, in ſacrificium juſtitiæ, 403. charitatem ſequitur, ut reginam, 518. Sine illa ad ſalutem non ſufficit, 283. in Enoo figuratur, 403. Eſt candelabrum aureum, 890.
cum Fide pulſandum Crucis pſalterium, 765.
Fidelitas Venetorum & Genuenſium, 1029.
Fiducia. Vide, *Spes.*
In Finem, quid, 345.
Finis legis Chriſtus, ibid.
Fletus triplex: cordis, oris, operis, 573. Vide, *Contritio, Lachrymæ.*

Flos. Folium.

Flos eſt deſiderium, col. 72. n. 87.
Flores, ſunt quidam fructus, ibid.
Fluvii mirabiles, 364.
Folium eſt veſtis arboris, col. 82. Symbolum exteriorum virtutum, ibid. Item actuum & verborum, 82.
Folium, id eſt, verbum, Chriſto non defluit, 83. 84.
Folia arboribus non defluunt, in Tilu inſula, 83.
Folia aurea arboris, 83.

Fons. Fortis.

Fons in Umbria mirabilis, col. 67. 68. n. 84.
Fons linus abortum impedit, 85.
Fortis gaudet in dolore, 563.
cum Fortitudine pſalterium Crucis capiend. 768.
Fortitudo reſiſtit dæmoni, ut leoni, 587. Lyſimachi & aliorum, 588.

Fovea. Fraus.

In Foveam à ſe paratam cadit impios, 655.
Hunnorum foſſis capti Perſæ, 655. 656.
Framea, telum Germanorum, 790. Frameæ dæmonis, 791.
Fraus eſt arcus mendacii, 719. 718. Varia ejus mala, 1016. Velut perſona tragica deſcrib. 917. 918.
Fraudis officina, os impii, 973. num. 10. Vide, *Dolus.*
Fremunt aquæ, 139. Feræ, ibid. Homines irati, 140.

Fructus.

Fructum homo ferre debet, col. 72. rationalem, & gratiæ proportionatum, 74. Fructus hominis dicitur variis modis, 81.
Fructum ſuum fert, qui fert naturæ ſuæ conformem, 73. Tempore ſuo: qui nec tardius, nec maturius, 77. in tota vita, 79.
Fructus bonos producit vir juſtus, 72. Tres ſpeciales ſanctus Benedictus, 74. Decem communes omnis Sanctus, ibid.
Fructus Solis & Lunæ, ac poma aurea, ſunt virtutes, col. 71.
Fructus gloriæ cui datur, 80.

Fulmen.

Fulmen non lædit Mithridatem, 91.
Fulmini inſidens aquila, & fulmen lecto incumbens, quid figur. ibid.
Funes in præclaris cui ceciderunt, 1082. n. 61. fin.

G.

Galgala. Gemma.

GAlgala, 166.
Gallo datur intelligentia: & quomodo, 1094.
Gaudere de aliorum interitu an liceat? 662. 643.
Gelboë etymon, 1056.
Gemmæ Rationalis, 253. n. 170.
Gemma Pyrrhi, in qua novem Muſæ, 243.
Generoſi eſſe debemus, 930. n. 51.

Gladius. Gloria.

Gladios à clade dictus, 641. à Scythis adorab. ut Deus, col. 640. n. 80. ejus ritus varius, 640.
Gladius & arcus ſimul junguntur. & cur, 639.

Gloria.

Gloria datur fructum virtutis ferenti, 80. & Dei voluntatem exequenti, 1058. Humili, 613.
Gloriæ inſana cupiditas, 614. Vide, *Superbia.*
Gloriandum in ſolo Deo, 510. n. 91.
Gloriæ inanis amator tranſmigrat in montem, 872. numer. 11.

Gratia.

Gratia tum interna, tum externa à Deo eſt, col. 66. nulla ſine Chriſto, 1090. multæ actuales dantur juſto, col. 67.
Gratia præveniens vocatur infuſio, col. 69. & inſpiratio, 69.
Gratiâ ſuâ Chriſtus nos ſuſcipit: ut Redemptor, Protector, &c. col. 309. Effectus duplex, 335.
Gratia ſignat in nubis imaginem Dei, 418. ſuavem odorem infundit animæ, 555. eſt florens vinea, quæ illam habet, ibid.
Gratia eſt neceſſaria, col. 85. Ad mortem animæ vitandam, 393. n. 16. ad peccati jugum rumpendum, 164. n. 41. ad bona opera, 75. & 312. ad piè vivendum inter impios, 912.
Gratia eſt matutinum tempus, ob ſeptem rationes, 449. Illi cooperandum, col. 75. Ejus ſymbolum eſt aqua, col. 64. Vide, *Aqua.*

Gula.

Gula cor gravat, 170.
Guloſus eſt ſepulchrum patens. Exempla, 492. Voracitas mira Carchariæ piſcis. 920.
Guſtu carat, in peccato ſeneſcens, 173. n. 83.

H. *Habitus,*

H.

Habitus.

HAbitus peccaminoſi, ſunt faſciculi deprimentes, 368. Ægidii veſtis plumbea, ibid.

Per Habitum in peccato ſeneſcens; eſt cæcus, 572. Surdus, 572. 573. Sine guſtu, odoratu, tactu, ibid. ſine pulchritudine & ſtabilitate, col. 573.

Hæres. Hæreditas.

Hæreditas Chriſti & Sanctorum præclara, 1075. & 1081. Eſt Deus ipſe, 1076. Rebus omnibus præferenda, 1083. S. Nivardi pium reſponſum, ibid. Ex menſa Dei liberalitate donatur, 1082. Vide *Cœlum.*

Hæreſis. Hæreticus.

Hæreſis eſt venenum, col. 53. Eſt meretrix Babylon, vinum dat venenatum, ibid. & 54.

Hæreſis eſt mons dæmonis, ob ſeptem rationes, 874. fin. n. 13.

Hæreſis Lutheri, alias innumeras peperit, 876.

Hæreſes parum durant, 876.

Hæretici ſunt ſuperbi, 873. libidinoſi. 876. furioſi, 877. vani & leves, 877. portæ mortis, 820.

Hæretici ſedent in cathedra peſtilentiæ, col. 20. n. 43. In Leviathan figurari, 21.

Hæretici ſunt prodromi Antichriſti, 21. ſemen diaboli: genimina viperarum, 22. locuſtæ Apocal. 23. ſimiles dæmoni, 25.

Hæretici in Eccleſiam pugnant, 866. eorum arma & furor, 878. arcus & ſagittæ, 880. gladius ipſorum eſt mendacium, 883. galea, præſumptio, 884.

Hæretici adulterant verbum Dei, 860 crebra Scripturæ mentione decipiunt, 881. & occulte graſſantur, 882.

Hæretici ſymbolum, paſſer, ob octo rationes, 875. 876.

Haſta olim pro ſceptro, 227.

Herodes.

Herodes quatuor in Scriptura, 136.

Herodis Aſcalonitæ conatus irritus, in cæde Innocentium, col. 148. n. 42.

Herodis Antipæ perverſitas, & etymon, 141.

Herodes Antipas punitur, col. 149.

Homo. Homicida.

Homo eſt abjectiſſimus in corpore & animo, 912. in conceptione, 723. nativitate, 724. infantia & pueritia, 725. adoleſc. & virili ætate, 726. ſeneƈt. & morte, 726. 727.

Homo minoratus ab Angelis, ob tempus & modum creationis, 929. & ob alia, ibid. &c. Eſt vanitas cordis, oris, operis, eſſentiæ, 172. 173.

Hominem Deus fecit rectum, in corde, ore, &c. 944. numer. 73. Eſt Angelis compar. 727.

Homo eſt Angelis præſtantior, ob affinitatem cum Chriſto & Deipara, 731. ob poteſtatem remittendi peccata, 731. conſecrandi Corpus Chriſti, & ob alia, 732.

Homo gloriâ coronatur, 733. Eſt imago, & pars Dei, & parvus Deus, 733.

Homo eſt Rex orbis, 936. Palatium eſt totus mundus; ſupellex, res omnes, ibid. forma regia, 737. thronus regius, 739. veſtis regia, & arma, & ſatellites, 738. 739.

Hominium in animalia, & Sanctorum præſertim, 942. Subditorum multitudo, 743.

Hominum multitudo potentiam Dei probat, col. 675. Sinarum multitudo immenſa, 676.

Homo Deum laudet, & ſui ipſius conſid. 748.

Omnis Homo eſt noſter proximus, 1017.

Hominis vilitas & celſitudo, 720.

Quid Homo, & filius hominis? 720.

Hominium ligium, 172.

Honor. Hoſtis.

Honor eſt aquæ bulla, 173.

Honoris & laudis differentia, 1026. Vide, ***Gloria, Ambitio, Arrogantia, Superbia.***

Horti Alcinoi, col. 80.

Hoſtes ipſi amandi, 1018. n. 40.

Hoſtibus undique cingimur, 1102.

Humilitas.

Humilitas eſt baſis ſanctitatis, 608. pes ſiniſter Sanctorum, 1050.

Humilitatis duo greſſus: cognitio ſui, 1032. cognitio Dei, 1030.

Humilitas eſt via vitæ, 1050. ad cœlum ducit, 1052. Sanctos gloriâ coronat. Exempla, col. 613. Dei opem obtinet, 1046. fin.

Humilitas in templo neceſſaria, 477. in Theodoſio Imp. mirabilis, 478.

Humiliari debemus, ob humilitatem naturæ noſtræ, 365. n. 33. Et quia ſæpe decipimur, 366. Et ob Dei præſentiam, 1105.

Humilitas in Chriſti Incarnatione, 608. Vide, *Incarnatio.* Dæmonem vincit, 586.

I.

Jacob. Jehova. Jeſus.

JAcob anno ætatis ſuæ, 77. benedictionem ab Iſaac obtinuit, 107. & 470.

Jacob & Iſraël quid literaliter, tropol. anag. allegor. 987. Jezrahel, 114.

Idola deargentata, intus putrida qui? 172.

Jehova eſt Deo maximè proprium. 698 n. 50. Quomodo pronunciandum. 700. In eo miranda, ibid. n. 52.

Jeſu nomen in toto corde adorant, col. 706. admirabile in terra, 708. in cœlo, 710 in inferis, 711. Sanat morbos corporis. 708. & mentis, 709.

Jeſu nomen clypeus in dæmones, 711. Lorica, murus, turris, &c. ibid. hoſtes proſternit, 713.

Jeſu nomen omnibus nominibus eminet, 703. & 715. etiam Dei, 705. & ipſi Jehova, 705.

Jeſu nomen cordi, ori & manui inſcrib. col. 717. Illud adorant infantes, 714. Japonicæ fœminæ mira pietas, 714. illud venerantur Prophetæ, 713. Sibillæ & Sancti, 716.

Jeſu Societas. Vide, *Societas.*

Ignatius. Ignavus. Ignis. Imago.

S. Ignatius fuit vir igneus, 934.

Ignavos reddit impietas, 982.

Ignis tribulationis, 934. Spiritûs ſancti, ibid. divinæ vindictæ in judicio, 281.

Igne cupiditatis, inferorum & vehemen. ſupplicii torquetur impius, col. 900.

Imaginem Dei in nobis ſignat gratia, col. 418.

Impius.

Impius à Deo faciem avertit, 770. à via aberrat inutilis, rejicitur a Deo, 971. in omnibus corruptus, 974. in manibus, pedibus, &c. ibid. Ignavus, 981.

Impio non eſt quies, col. 7. & 1118. Secum pugnat, 437. eſt ardens Ætna, 424.

Impii in circuitu ambul. Vide, *Circuitus.*

Impius eſt arbor infœlix & funeſta, 95. radix in loco arido, 95. Truncus ſine medulla, aut eſt ferrea, ibid. Rami fragiles: & folia defluunt, 96. Fructus nullus vel peſtifer, 97. Umbra noxia, 100.

Impius eſt ſimilis Æg. ſerpentibus, ranis, &c. col. 16. Caſoci mira imp. col. 7 Ætnæ ſimilis, 424.

Impius à Deo damnatur, 478. ſpe ſua excidit, 499. Rejicitur, 500. Succiditur, 500.

Incarnatio. Infans.

Incarnationis executionem meriti ſunt Sancti, 928. Vide, *Chriſti Incarnatio.*

Incorruptio. Vide, *Corpus incorruptum.*

Infantes Chriſto placent 681. Deum miracul. laudant, 683 & 688. Dæmones & tyrannos deſtruxêre, 686. & calumniatores, 687.

Infantes varii martyres, 686. per eos docet Deus Eccleſiam, 687.

Infantes qui a Davide dicti, 683. 684.

Infernus. Inimicus.

Infernus variè ſumitur, 553. in ea pluvia laqueorum, 898. & ignis, 899. ejus amplitudo, 900.

Inimicorum amor vincit dæmon. 590. & ſeq. & dat gloriam, 599.

Inimico non parcens, à dæmone vincitur, 593. capitur & poſſidetur, 596. Exempla. 594.

In ſtatu innocentiæ an fuerint ſpinæ, 90.

Intelligentia animæ oculus, 241.

Invidia. Ira.

Invidia cor gravat, 370. n. 41.

Nocet invido, 658. n. 102.

Jovis ſtatua ſine auribus, 654.

Joanna Reg. patiens canitas, 363.

Ira prudens, licita eſt, 392. Paſſiones reprimit, ut Phineës & Elias, ibid. & 393. Juvat ad virtutes acquirendas, 393 cos virtutis, & pharmacum mentis, ibid. alios juvat & protegit, ibid.

Ira furens eſt tonitru & fulmen, 389. In Cambyſe, Dario, Xerxe, Alex. patuit, ibid. Ira habet vapores & nubes, 390. ignes, ibid. ſonum, 391. celerem impetum, ibid. dæmonem, 392. &c.

Ira fremit, 139 & ſeq. Gravior ſaxo, & plumbo, 370. In Idumæa figur. 152. Ira unde componatur, 390.

Iræ Delphialæ, 663. Iram trænandi modus, 389.

Irriſor eſt peſtilens, col. 17.

Jubilæus. Judæa.

Jubilæi annus, col. 530.
Jubilandum lingua, 1113.
Judæa facta Rom. Provincia, 236.
Judæorum malitia in Chriſtum, 140. & quatuor eorum conventicula. 142. & 145. à Deo puniti, 149.

Judex. Judicium.

Judex ſit juſtus, id ſigni in Jovis ſtatuâ ſine auribus, 634. Sit fortis, ut Wilhelmus Rex Scotiæ, ideo dictus Leo, 637.
Judex non temerè judicet, col. 638. & 802. Theodoſii prudens edictum, & Berenices factum, 639.
Judici ſapientia neceſſaria, 244. in auro figurata, 252. Opus addatur ſcientiæ, 255. fin.
Judex bonus, præſertim Eccleſiaſticus, eſt Pontifex Rationali ornatus, 252. & ſeq. fusè in Judiciis Perſarum mos, 618.
Judicium temerarium cuncti homines vitent, 802.

Judicium extremum.

Judicium Dei juſtum & ſeverum, 615. ac terribile, 533. ipſis Sanctis, 536.
In Judicio Chriſtus iraſcetur, ut leo, 181. 182 & 183. ut urſus. 134. Vulnera oſtendet, 183. Vox ejus erit tonitru, ibid. ſe Regem prob 184. ibi ignis divinæ vindictæ, 281. qui impios involvet, 570.
Judicii tempus incertum, 285. Variis ſæculis exſpectatum, 286.
Impii in eo non reſurgent, quo ſenſu, 115. terreb. à conſcientia. 118. ab accuſatorum multitud. 118. ab ira jud. 119. à certitudine damn. 120. ibi laqueorum pluvia, 899.
Impii ſeparab à Sanctis, 120. ut ab agnis hœdi 120. Subſannabuntur, 178. Quâ ſententiâ damnabuntur, 179. Ipſi Reges jud. 617.
Judicio peracto, in cœlum ducentur Sancti, 620.

Jugum. Juramentum.

Jugum legis Chriſti ferendum, 169. Suave, 169. leve, forte, ibid. glorioſum, 170.
Jugum legis Moſaicæ excut. 154.
Jugum peccati ferreum, 122.
S. Julianus in pulverem idola redigit, 237.
Juramentum eſt licitum, 130. Tres ejus comites: juſtitia, judicium, veritas, 1031.
Juramentum vafrè interpret. 1033.

Juſtitia. Juſtus.

Juſtitiæ varia acceptio, 400, & 1005. Eſt primum elementum judicis, 635. jungenda ei veritas, 915.
Juſtitiæ armis pugnans vincit, 637.
Juſtitia & æquitas, 903.
Juſtitia è cœlo dejicit Luciferum, 113. è paradiſo Adamum, 114. è terra promiſſ. Judæos, ibid.
Juſtitia eſt omnis virtus, 1006.
Juſtitiæ ſacrif. duplex, 401. & 404.
Vir juſtus eſt arbor bona, 70 pulchra, 81. &c. mirabilis, 85. Novem parallela cum arbore, 56. Eſt arbor Nabuchod. ibid. Olea, 59. palma, laurus, 69. arbor vitæ, ibid. plantandos juxta aquas eloq. Dei, 62. contrit. & omnis gratiæ, ibid.
Juſti non fluctuant, 1042. A Deo roborantur, 985. Sunt ſui ipſorum judices, 244. 245.
A Juventute colendus Deus, 458.

L.

Labia. Labor.

Labia tripliciter ſumpta, 918.
Labia doloſa, ibid. Labia à nobis eſſe, 923.
Laborandum in via cœli, 1010. Labore omnia emuntur, 1063.

Lachryma.

Lachrymæ morbos animæ ſanant, 573. & mortem imped. ibid. ſunt vox magna apud Deum, 573. Si jungatur humilitas, 564.
Lachrymæ nocturnæ iram Dei mitigant, & animam lavant, 565. Mentis aridit. tollunt, 568. mœrorem fœcundant, ibidem. ignem judicii extinguunt, 569. & inferorum 571. Lachrymis lectum lavabat David, 567.

Lætitia.

Lætitia triplex juſtorum: in animo, corp. & bonis externis, 505. & 510. Ob Dei lucem, 421.
Lætitia Sanctorum plena: & cur? 1132. ſuæ cor penetrat, 423. & 1108. Eam dat virtus, & oratio, 1109.
Lætitiæ ſymbola, Jaſpis & ſmaragd. 1111.
Lætitiæ ſpir. jungendus timor, 261. 262.
Lætitia mundi, mœrori mixta, 1136. arbor antiſtrophos, 1137. peccata dolorem pariunt, 1116.

Lapis. Laqueus.

Lampas Regibus prælata, 241.
Lapis anthracites aquâ accenditur, 1069.
Lapis dulcia reddens omnia, 363. ſymbolum eſt lætitiæ, 1111.
Lapis exciſus ſtatuam conterens quid? 259.
Lapides mirabiles, 1086.
Laquei varii peccatoris, 823. Venus compedita apud Laced. 823. illis capitur, 824. Carolus Burg. & Aquitinus, ibid.
Laqueorum pluvia in morte, &c. 897. & 898.
à Laqueis mundi cavendum, 165.
Lauro vir juſtus comparatur, col. 60. coacta vireſcit, 60. in fine.
Laudis & honoris diff. 1026.

Leo.

Leonis ira, 182. ei Chriſtus judicans compar. 181.
Leones variis locis cicures, 852. cicurati à Sanctis, 930.
Leo ſudorem abſtergit Sandrocotto, 432.
Leones duos occidit Banaias, 587. Lyſimachi & Pepini Regis Franciæ mira fortitudo, ibid.
Leo vigilans quid? 242.
Leoni compar. avarus, 852.
Lepræ aliiſve morbis cur magis ſubjecti Chriſtiani quàm alii? 620.
Levitæ nihil poſſidabant, 1080.

Lex.

Leges quatuor: æterna, natur. divina & humana, col. 27. Ab omni lege emanant bona, col. 36.
Lex Dei cur dicatur una? 28. dat vitam incip. 35. ſecurit. proficienti, & coronam ac gaudium perfecto, 35. Eſt lux & Sol, 40.
Legis Dei amor Beatos facit, 27. & 35.
Lex humana eſt appendix divinæ, 29.
In Lege habet voluntatem, qui eam vult implere, 35. Sub lege eſſe, ſervile eſt, 30.
Legumlatores dicti filii Deorum, 203. inventum Zamolxis, 205. A Diis ſe leges accepiſſe multi finxerunt, 28. & 203.

Lex Moyſis & Evangelica.

Lex Moyſis à Deo commendata, col. 46. Eſt meditanda, ibidem. Eam homines non poterant abrogare, 185. Chriſtus abrog. ibidem, quando cepit eſſe mortifera, 157.
Lex Evangelica lex orbis eſt, 47. Eſt obſervanda, 204. Vide, *Chriſtus Legislator.*
Liberalitas mira S. Joannis Eleëm,

Lingua. Loqui.

Lingua eſt univerſitas iniquitatis, 847. Ejus mala quinque, 846. Amaritudo, 846. Dolus, 847.
Linguæ matrices quot ſint? 108.
Labor & dolor, 847. Tragœdiam facit, cum quinque vitiis, 915.
Lingua magniloqua ſe jactantis, & præſumentis, 92. atque arrog. 922,
Linguam magnificant, ibid. Sophiſta, 93. Hæret. Phar. ſubtilit. affectans, ibid
Lingua calumniatoris. Vide, *Calumnia.*
Linguam corrump. munera, 1043.
Linus fons abortum impedit, 85.
Loligines piſces linguis coëunt: iis detractor ſimilis, 331.
Loqui ore ſolo, corde ſolo, 918. ore & corde, 919.
Loqui veritatem in corde, 1011.

Lumen. Luna.

S. Lucianus pectore ſuo pro altari utitur, 411. n. 104.
Lumen vultûs Dei, eſt favor ejus, 414. & lumen gloriæ, 420. Ex eo lætitia, 421. n. 125.
Luna eſt regina cœli, 692. In ea Deus laudabilis, ibidem. Vide, *Chriſtus.*

Luxuria.

Luxuria cor gravat, 370. Eſt iniquitas calcanei, ibid.
Luxuria omnia penè imperia & Regna evertit, 298. Aſſyr. Babyl. Perſarum, ibid. &c. Græcorum, 299. Roman. & aliorum, 301. quomodo ſit in calcaneo, 370.
Luxurioſi, ſunt ſepulchrum fœtens, 493 & 494.

M.

Magnanimitas. Manſuetudo.

Cum Magnanimitate pſalter. crucis accip. c. 770. n. 20.
Magnificate linguam, 922. Vide, *Lingua.*
Magnificentia Dei, 677. & ſeq.
Majeſtas Dei eſt cauſa ſpei, 886.
Manè aſtandum Deo. Vide, *Oratio matutina*, quid denotet, 453. ſin. matutinâ induſtriâ qui Reges facti, 453.
Manſuetudo ſpeciale Chriſti præceptum, parit gloriam, 499. 690.

Manſue-

Manſuetudo mitaS. Joan Eleëm. 599. S. Eliſabethæ, 597. S. Cypriani, S. Lupi, 597. & aliorum, 665. Charyllinimia, 665. Joan. Abbatis mita, 399. Sultani, 598.
Maria Virgo Deum laud. à Concept. 688.
Martyrea carcer noo arctabat, 361. Adriani Papæ ſymbol. ibid. Martyrum numerus quantus, 1129.

Meditatio.

Meditanda lex Dei totâ die, 41, totâ nocte, 41. die & nocte, 37. Vide, *Nox*.
Meditatio legis a Deo commend, 38 dirigit opera, ibid, facit animam cœlum, 40. & beatam, 47. Juvat in vita purg. illumin, & unitiva, ibid. & 48.
Meditationem juvat amor Dei, 37. bona opera, 47. ei nocent peccata, 47.

Medulla, Mendax.

Medulla cedri ablata, quid? 95. Arbor habeos ferream medullam, 96.
Memoria impiorom perit cum ſonitu, 793. memoria Proærelii mirabilis, 271.
Mendacium nunqoam eſt licitum, 466. Eſt à diabolo. & alter diabolus, 467. Studioſè vitandom, 468. Deo contrarium. A Kennerbo ſeverè punitum, ibid.
Mendaces puniti apud Perſas, Indos, Ægyptios, Scythas, 1051. 1052.
Mendacium triplex io terrenis, Vide, *Mundus*,
Mendacium eſſe licitum cenſuit Plato, 468. de mendacio obſtetricum Æg. Rahab, & Jacob, ibid.
Nunquam mentitus Ferdinandus, 490.
Mens Vide, *Anima*.
Meretricius homo cur mortuus dicitur, 953.
Milites ſunt muri civitatum, 689.

Miſericordia.

Miſericordia oleum affundit ſacrificio, 403, amatur à Deo, 380. facit Sanctos, dat virt, initium, progreſſum & perf. 384. & ſeq. duabus alis in cœlum volat, 586. & 602.
Miſericordiæ figura, Cherubini oleagini in templo, 586.
Miſericordia in hoſtes Ageſil. Lycurg. &c. 601. & ſeq.
Miſericordia Dei imploranda, 557. hjus objectum miſeria noſtra, 558.

Modeſtia. Mons.

Modeſtia eſt hymen vultûs Dei, 420. Vide, *Manſuetudo*.
Mons Dei quid: 1000.
Mons eſt cœlum, 1001.
Mons aureos Pompeji. 83.
Morbi mentis ſunt graviores morbis corporis, 543. morbis, podagræ, &c. cur magis ſubjecti Chriſtiani, quàm alii, 610.

Mors.

Mors varia, 552. In quanam nullus Dei memor, 553.
Mors Sanctorum quieta, 428.
In Morte impius a Deo irridetus, 178. In eum cadit laqueorum pluvia, 898.
Morte repentinâ qui ſublati, 616.
Mortis cogitatio prodeſt S. Joſaphato, 847.
Mortis portæ ſunt iniqui judices, 819. peccata, ibid, Senſor corp. 819. hæretici, 820.
Morti proximus eſt, qui eſt in peccato habituali, 389.

Mortificatio.

Mortificatio eſt altare holocauſti, 88 v. ſuperat dæmonem, 58 v. generoſa mortificatio Radegundis, 924.
Mortificatio corpus & animam immolans eſt ſacrificium Abrahæ, 407. fin.
Multi, id eſt, magni ſeu magnates, 296. num, 10, & multi, ibid.

Mundus, Mundanus.

In Mundi creatione elucet Dei gloria, 673. in terræ ac cœli product. mirab, ibid. Bom aſpectu Deus laud. 679.
Mundus eſt locus certaminis, 605. n. 56.
Mundus eſt civitas Acab. id eſt, mendacii: ubi amara promittunt ſuavit. 375. fugacia ſtabilit. 576. quietem turbulenta, infelicia felicitatem, 578.
In Mundo eſt peſtis, 456. bellum. ibid. fames, 457.
Mundanorum generalis corruptio, 707.
Mundi vincula, ſunt vincula Nabuch 159. &c.
Mundi applauſus eſt ventus meridionalis domum dejiciens, 115.
Mundus ergò deſtitutus eſt contemnendus, 1032. Viſio S. Anſelmi, quam mundus ſit immundus, ibid.

Munus.

Munera totum hominem corrumpunt: intellectum & voluntatem, 1039. & linguam, manus, pedes, 1040. domum, &c. 1041.

* * * * * *

N.

Natura, Nomen.

NAves miræ celeritatis, 1067.
Natura docet oos principia practica, 418. n. 120.
Negina, 344. n. 7.
Nocet ſibi, qui aliis nocet, 659. Fraude ſua periit Maxentius, ibid. Vide, *Fovea*.
Nomina honorifica homines ſibi arrogant, 703.
Nomina hominum petita à ſapientia, &c. 696.
Nomina clarorum viro uro veneranda, 718. Vide, *Dei nomen, Jeſus, Jehova*.

Nox.

In Nocte datur ſapientia, ob tres rationes, col. 1093. fin. Mirum de S. Simeone Sales. 451.
Nox apta eſt conſiliis, 51. & fletibus, 568.
Nocte meditanda lex Dei, 42. Nox apta eſt orationi, ob ſex rationes, col. 43. & 1094.
Nocte tentationes graviores, col. 43.
Numerus ſeptimus quid? 528. Quid octavus? 523.

O.

Obedientia, Obſtinatio.

OBedientia animam offert in ſacrif. 424. eſt inaurit data Jobo, ibid. Vide, *Conformitas Dei voluntas*.
Octava eſt dies æternit. 523. & dies reſurrect. 526. & ſeq.
Octonarius numerus eſt numerus cubicus, 528.
Oblivіſci non poteſt Deus, 948.
Obſtinatio in peccato cavenda, ob ſex rationes, col. 11, 12. &c.
Obſtinatus eſt arbor, habens medullam ferream, 69.
Obſtinatio ſedet in cathedra peſtil. col. 15.
Octava quid? 525. & ſeqq.

Oculus, Olea.

Oculis peccans David, debebat flere, 565.
Oculi meoch. 950.
Oculi Dei ſunt provid. & miſeric. 891. Lucidiores ſole, 173
Oleæ comparatur vir juſtus, col. 59.
Oleum eſt ſymbolum conſol. miſericordiæ, gratiæ, adul. 427.
Opprobrium non accipere, 1019.
Opus jungendum meditationi, col. 47.

Oratio.

Orationes frequentes fundunt Sancti, 45.
Orationis bonæ tres conditiones: ut ſit fervens, à viro juſto, humilis, 348.
Quatuor conditiones: petat pro ſe, neceſſaria ad ſalutem, piè, perſever, 352. 353.
Orationis bonæ octo proprietates: ſit plena ſpei, ut filii ad parentem, 443. fiat cum reverentia, ut ſervi ad dominum, 444. Vide cætera.
In Oratione aſtare Deo notat munditiem cordis, 451. ſpem, charit. & alia, 452.
Orationem illuſtrat & inflammat Dei præſentia, 1103. Varii per orationem a periculis liberati, 554.
Oratio eſt ſacrif. Nehemiæ, 408 Eſt thus in ſacrificio, 413.
Orantis cor eſt mons ſanctus, 316.
Orandus ſolus Deus, ut cauſa donorum principalis, 336.
In Oratione cor levandum cum manibus, col. 549. Invocandus Deus in veritate, 330.
Oratio eſt fons lætitiæ, 1109.
Oratio opem obtinet in afflictione, 38. in ea mentem dilatat, 358. 359.
Oratio impetrat, quæ petit, 316. ac ſecuritatem, 317.
Oratione à variis periculis liberati, 354. Betbulia & Aurelia, 360.
Oratio dat victorias in tentation. 1102 illi omnia obed. mare, terra, aër, ignis, 351. Sol, luna, aſtra, ibid. Animalia, Angeli, & Deus, 356.
Orationis tres effectus, 547. Citò exauditur, 352.
Oratio convenit incip. & perfecto, 316.
Oratio bona eſt, in omni corp. ſitu, 568. Oratione muri cedunt, 314.

Oratio vocalis.

Oratio vocalis eſt utilis, 315. Devotionem excitat. & prodeſt ad alia. ibid.
Orationi clamor eſt addendus cordis, oris, & operis, 314. &c.

Oratio matutina.

Oratio matutina eſt utilis, ob rationes ſex, 455. & ſeq. Eſt holocauſtum, 455.
Manè aſtandum Deo, ut amico & judici, 450. ut Regi, ibid. Id faciebat Carolus V. Imp. 456. Et primi Chriſtiani, ibid. ac Reges Ægypti, 275.

Ad Orationem matutinam incitamur galli cantu, 436. Stellatum luce, & Solis fulgore, 456. & 457.
Ordines militares crucem portant, 171. 172.
Ordo militaris Borbonii, 104.

Orphanus.

Orphanus & popillus quis? 858.
Orphanis Deus magna cura providet, col. 855. 858. fore. Eis eorum pater, mater, tutor, &c. 860. Illis eſt judex favorabilis, 860. Legiſlator, 861. vindex, ibid.
Orphanis variæ nationes favent in ſuis legibus, 862. Eorum curam gerunt Sancti, 863.

Os.

Os impii eſt ſepulchrum patens, 973. ſ puteus abyſſi, ibid. officina fraudis, ibid.
Os vulpis eſt calumniatori, 498.
Oſſa mentis ſunt cogitationes & potentiæ, ac virtutes, 544 Ob peccata exareſcunt & nudantur, 543. tremunt, conteruntur, ibid.

Oſculum.

Oſculor pro veneror, 273.
Oſculum amoris ſignum, apud multos, 270. ſignum reverentiæ. 272. ſubmiſſionis, 271. adorationis, 274.
Oſculo Chriſti quinque denot. Eum amandum, 270. colendum, 271. 272. adorandum, &c. 273. & 274. Oſculandi pedes, manus, & os, 275.
Oſculum ſanctum Chriſtianorum, 271. Januas templorum oſculab. 274.
Oſculum Samuelis Saulem ung. in Regem, 273.
Oſculabantur Gentiles idola, quæ adorab. vel manum ſuam, 274. oſcula varia, 275.
Oſtraciſmos, 1028.

Otium. Ova.

Otium vitandum, 888. &c. & otioſa verba, ibid.
Otium tabefacit corpus. 1069. Lapis Anthracides aquâ accenditur, 1069.
Ova ventoſa quid? 888.

P.

Palma. Paſſio.

PAlmæ compar. vir juſtus, 58.
Palpebræ tria notant, 893. palpebris interrogare, ibid. Palpebræ Dei. 894.
Patiens Joanna cantat, 363.
Paſſer, hæretici ſymbol. ob octo rationes, 865. 866.
Paſſiones Deo immol. 407.
Paſſion. inordinat. tollit voluntatis Dei executio, 1053. paſſiones moderandi modus, 399.

Paſtor. Patientia.

Paſtor amet & poſtet gregem, 256. 0. 175.
Paſtores male plebem devorant, 980. Vide, *Chriſtus, Paſtor.*
Patientia neceſſaria in hac vita, 670.
Patientia mentem dilatat in afflictione, col. 361. Adriani Papæ ſymbol. 362.
Cum Patientia pſalterium crucis accip. col. 767.
Patientia pro Clementia, 658. 0. 78.

Paulus. Pauper.

S. Paulus, tuba evangelica, 785. Cordis ejus elogia, 934. Amabat Chriſti vincula, col. 166. & 169.
Pauperes in cœlo primas tenent, 1283.
Pauperum adjutor Chriſtus, 801. 929. 986. Eſt illis aſylum glor. 804. paratum, 805.
Paupertas religioſa Deum poſſidet, 1080. Deo ſerviant pauperes, 806 Eos aſpicit benignis oculis, 890. penè ſolus, 857.
Pauperum pecunia eſt comm ſanguis, 814. Illam rapientes ſunt homicidæ, 812. Eorum irriſores à Deo puniuntur, 813. 816.
Pauper, ſuperbiente impio, incenditur, 833.
Sanguis pauperum quæritur ab impiis, 814. Requiritur à Deo, 816.

Pax.

Pax mentis eſt in quiete appetitus, 429. Eam parit conformitas cum Dei voluntate, 1058. Ejus triplex ſymb. 431. & ſeq. Non eſt pax impiis, 500. 501. ab iis recedendum, 436.

Peccatum, Peccator.

Peccatum eſt vanitas ob 4. rationes. 574. eſt onus animæ, 650. captivitas, 987. morbus, 557. in tota anima, 540. in viſu & auditu, ibid. 541. in guſtu & odorato, 541. in tactu, 542. & 1064.
Peccatum eſt animæ ſomnus & mors, 951. 554. ac fovea, ob profundit. & fœtorem, 636. Infernus, ubi ignis, 557. catenæ & dæmon, 558. carcer, vermis, 539. ſerpentes, tenebræ, 560. blaſphemiæ, ibid & 561.
Peccati fœtorem ſentit S. Catharina, 333. Ejus corruptio explicata variis compar. 964. 963.
Peccata ſunt portæ mortis, 819.
Peccati partus, pejor partu viperæ & monſtrorum, 652. Univerſa ejus generatio à dæmone, 653. &c. Hinc dolor illud concipienti & parienti, 851. 648.
Peccata cauſæ morborum corp. 539. nocent peccatori, 638. Imped. meditation. 49.
Peccati jugum eſt ferreum, 162.
Peccata odit Deus, 459. & peccatores, 465. Non eſt auctor peccati, 466. gentil. 460. Deus quomodo non vole peccata, 459.
Peccati vetuſtas pernicioſa, 572. in peccato ſeneſcens quid patiatur, 572.
Peccati macula mentem fœdat, col. 1004. 1005. Vitanda ob 4. rationes, 1008. & ſeq.
Peccator odit ſeipſum, ob ſex rationes, 895. ſtat in cathedra peſtil. col. 19. Eſt gloma, quiſquiliæ, favilla, 105. lanugo & pulvis, 103. eſt lupus, leo, leopardus, 190. non eſt homo, ſed beſtia, 365. &c.
Peccator ligatur in ore, manib. &c. 161. & 162. eſt captivus, 351. & 987. ſibi laqueos tendi, 771.
Peccatorum abominationes, 964.
Peccator omnia eſt mendax, 466. Et vir ſanguinum, 470.
Peccator à Deo irridetur, dum peccat, 176. tota vita, 177. in morte, ibid. in judicio, 178. conteritur, ut vas figuli, 251. & ſeq.
Peccatorum pœna figur. in punitione Adami, ejecti è paradiſo, 53. Sobnæ, 113. civitatum everſarum: Damaſci, Gazæ, &c. 151.
Peccatorum in via qui ſtent, 10. & ſeq.
Peccator eſt ſpern. & expell. 1024. et ſtupidus, 1088.
Peccato mori, ut Deo vivas, 357. Vide, *Impius.*

Pentecoſte.

In Pentecoſte Lex vetus deſiit obligare, 156.
Perfectio. Vide, *Sanctitas, Dei præſentia.*
Perfidia Solimanni, 1052. Vide, *Fraus, Dolus.*
Peregrinari non licebat Laced. 875.

Perjurium.

Perjurii odium, 1028. 1029.
Perjuros punivit Deus in Sicilia, Arcadia, Italia, &c. 1032.
Perjuri ſeverè puniti à Rom. Æg. &c. 1032.
Perſecutores Eccleſiæ & juſtor. puniti, 660.
Peſtilentiæ cathedra. Vide, *Cathedra.*

Pietas.

Pietas Reges decet, 214. eſt regum & regnorum fundamentum, 215.
Pietas erga parentem dat regnum Eumelo, 644.
Pietas Theodoſii jun. in templo, 478.
Pius eſt Angelus in cœlum volans, 349.

Pigritia.

Pigritia cor gravat, 371.
Pigris cœlum clauditur, 1067. & 371.
Pilatus fuit membrum diaboli, 142.
Pleiades, 154.
Pluvia laqueorum. Vide, *Laqueus.*
Podagræ aliiſque morbis cur magis ſubjecti Chriſtiani quàm alii, 620. *Pœnitentia.*
Pœnitentiæ magna vis, 363. dat ſecuritatem, 570.
Pœnitentia aquam victimis infundit, 407. eſt ſacrif. Eliæ in monte Carmelo, ibid. & labrum æneum. animam purgant, 889.
Pœnitentia omni tempore agenda, 563. ad eam quatuor neceſſaria, 576.
Pœnitentiales Pſalmi ſeptem, 529.

Pontifex, Præceptum.

Pontifex nihil poteſt docere contra fidem, 914.
Portæ mortis variæ, 819. Portæ cœli, virt. 821.
Portis captis capitur civitas, 820.
In via præcept. Dei ambul. ſine macula, 1008.
Prædeſtinati ſumus divina ſorte, 1082.

Præſumptio.

Præſumptio eſt galea diaboli, 884.
Præſumentis lingua, 921. Vide, *Arrogantia.*
Primogeniti in Lege naturæ erant ſacerdotes, 214.
Principes ſeverius quam privati homines puniuntur, 279.
Prophetæ ungebantur, 138.
Proſperantur omnia in Chriſto, 86. & in Sanctis, 87.

Providentia. Prudentia.

Providentia Dei, eſt lux, 417. dat lætitiam, 421. in productione frumenti mirabilis, col. 426.
Providet Deus ſervis ſuis neceſſaria, 425. panem, vinum, oleum. Exemplis prob. ibid.
Proximus eſt omnis homo, licèt hoſtis, 1017. 1018
Prudentia eſt dexter mentis oculus, 976. & ſal ſacrificii, 412. Ejus ſymb. Rationale Pontif. 251.

Pſalmus.

Pſalmus, canticum, & hymnus diff. 345.
In Pſalmis Davidis non ſervatur ordo temporis, 295. Quis primo, quis ultimo loco ſcriptus, col. 2. n. 5.

Pſalmo-

Pſalmorum tituli a quo ſcripti, col. 2. n. 4.

Puer. Punitio.

Pueri multi Martyres, 686. &c.
Per pueros Deus docet Eccleſiam, 687.
Puniti aliqui dum peccarent, 646.
Punit Deus ſeverius Principes, 279. & ſeq.
In ſceleratos recidunt mala, quæ aliis parant, 653.
Purgatorium ſancti Patricii, 711.

Q.

Quies.

QUies animi, 432. In ſolo Deo reperitur, 429. per virtutes, 1114. 1115.
In quiete Jacob vidit Angelos. 433.
Quietè vivit, qui fugit impios, col. 7. n. 12.

R.

Rationale. Renes.

RAtionale fusè deſcribit. 255. Sapientiæ ſymb. 1088. 251.
Cum Religione pſalter. crucis accip. 767.
Renes ſymbol. peccati & cogitation. 1084. atque affect. 624. & 631. Veneri ſacri, 624.
Reſurrectio. Vide, *Chriſti Reſurrectio.*

Rex.

Regeadoleſcentiores quales habeant conſiliarios, 9. n 53.
Reges ſunt regnorum Soles, 245. Ignis præſ. 241. Vario modo creati, 192 in clypeo elevati, 522.
Reges qui amplum domin. habuêre, 707. nimia Parthorum majeſtas, 1104.
Regum corona, ſceptrum, &c. eſt ſapientia, col. 243. & ſeq. decet Chriſtian. Regem, 240. ut luceat, ibid. regnum ſtabiliat, 241.
Regem decet pietas, 275. Deo ſerviat cum timore, 264. eum honoret, 272. ut vaſallus, 273.
Regis vigilantiis ſymbol. eſt leo, 242, & irati 384.
Reges mali puniti, 280.

S.

Sacerdos.

SAcerdotes erant primog. in lege nat. 254.
Sacerdotes Moſ. miniſtrab. in veſte linea, 480. 481.
Judicabant etiam civilia, 250.

Sacramentum. Sacrificium.

Per Sacramenta, Deus fit noſter, 1035.
Sacrificia pecudum rejecta in Lege gratiæ, col. 1075.
Sacrificii ſpirit. ritus, 412. locus, tempus, col. 413. Ibi omnis Chriſtianus eſt Sacerdos, 408. illud ab omnibus faciendum. 399.
Sacrificium juſtitiæ, & omnis virtus. 403. Fides altare erigit, ſpes ligna componit, char. &c. Ibid. & ſeq.
Salvandorum paucitas, 993.
Samſonis pectus intertritum. 927.

Sanctus. Sanctus Sanctorum.

Sancti in cœlo ſine macula. 1009. Et in terra, ibid. Ignei ſunt, 934. Silenis ſimiles, 1027. Arena in tribul. extenti, 365.
Sanctitas quid, 1100. Dat incorrupt. in cœlo & in terra, 1123. 1124.
In Sanctis Deus habitat per gratiam & gloriam, 505. eos obumbrat, 506. in iis eſt politicè, œconomicè, &c. 508. & operatur mira, 1268. ac ſuavem ſe præbet, 1034.
Sanctos ſuos efficit Deus mirabiles, 379 382. & in eis eſt mirabilis, 384. illis cum amore providet, 414.
Sanctorum typus, Simon Oniæ filius, 482. fulciunt domum Dei, ibid. Sunt Sol. Luna, Stellæ, ibid. & 483.
Sancti extitêre omnibus ſæculis, 910. Eos orare bonum, 315. Honorati a Regib. & Imp. 1026. &c. Ex eorum corp. ſuavis odor. Exempla, 336.
Sanhedrim quid, 250.
Sannarum tria genera, 178.

Sapientia.

Sapientiæ proprietates quinque. Creſcit ut Phiſon velox, ut Tigris, &c. 1092.
Sapientia à Deo petenda, 1093. Sine Chriſto non obtinetur, 1090. ejus habet clavem, 1091. eam dat amicis, 1091.
Sapientia animam ſanctificat & ſecuram facit, 1092. in juſtis ſemper augetur, ibid. Sapientiæ collyrium, 1096. Hominem cœlum facit, 1087.
Sapientia à Deo data illuminat, 1083. Eſt lucerna candelabri Moſ. & ſtella mat. 1085. & Sol, 1086. Deum quendam in terris facit, 1086. Sapientiæ Rationale in pectore gerend. 1088. Id pauci habent, 1087.
Sapientia eſt Regum corona, 243. ſceptrum & purpura, ib. theſaurus, 244. datur in nocte, ob tres rationes, 1093.
Sapor ſalutatus rex antequam natus, 193.

Saul. Scientia.

Saul vocatur Chuſi: & cur? 579.
Saulis ſpiritus malus, qualis, 380. & 388. mors miſera, 659.
Scala virtutum in cœlum ducens, 991. Decem ejus gradus, ibid. Eſt decurrenda, 1134
Sceptra diverſa variarum gentium, 227. 231.
Scientia judici neceſſaria. Vide, *Judex.*
Scientia rutigidi ſunt cymbalum alarum, 394.
Scientia carens eſt brutis ſimilis, 39. Vide, *Sapientia. Doctrina.*

Scriptura.

Scriptura eſt eloq. Dei, 931. eloq. caſtrum, ibid. argentum purgatum, ob ſex rationes, 933. Eſt cœlum, 693
In Scriptura eſt ſplendor veritatis, &c. 933.
Scripturæ crebra mentione hæretici decip. 881. Vide, *Verbum Dei. Lex Evangelica.*
Scutum Romanorum quam longum fuerit, 516.
Securis pro Sceptro, 231.
Sela, col. 308.
Septenar. numerus eſt numerus perfect. 328.
Sepulchrum quid, 492. 493. 496.
Servus Dei, ſuperat hoſtes innumeros, 320.
Serpenti ſimilis impius, col. 16. n. 37. fin.
Severius Galbæ Imp. 641. Vide, *Judex.*
Siggaion quid, 581.
S. Simeonis actus mirabiles, 451.
Smaragdus quid? 1111.
Sinarum regnum populoſum, 676.

Societas. Somnus.

Socii impii vitandi, col. 5. n. 8. & crudeles, 1073.
Societas Jeſu cur ſic vocata, 716. Aliæ ſimiles ſocietates, 717.
Solem pedibus ſubjectum vidit in ſomnis Cyrus, 241.
Somnus animæ peccatum eſt, 951. &c. Eum fuge ut mortem fugias, 952. Lux Dei neceſſaria, 953.
Ex ſomno ſe hominem agnoſcit Alexander, 953.
Somnus ſymbol. pacis, 432. In ſomnis Deum & Angelos in ſcala videt Jacob, 433.
Somnus eſt animæ contemplatio, 320.

Spes.

Sperandum ſub alis Dei. 1048. Spes ſtat Deo. 452.
Spes eſt pes dexter juſtorum, 1048. Catena aurea in cœlum trahens, 308. Menſa panum propoſit. 890. Spes juſta mira efficit, 59 60.
Spei in Deum cauſæ quatuor, 884. & 175. ſpem augentia motiva, 444.
Spes in Deum, ſervat ab ejus vindicta, 282. & 1047. ac 1048. 1049. animam ſecuram facit, 435. replet lætitia, 503. Lud. Borbonii & Scotiæ Regum ſymbola, 504.
Spes jungenda fidei & charit. 783. fine. Spes Judæ Machab. & aliorum, 175. in Noemo fig. 403.
Spiritus ſanctus eſt lumen vultûs Dei, 420.
Spumæ rex confertur. 279.
Stagnum mirabile, 1092. 1093.
Stare in via peccatorum quid eſt? 11. n. 18.
Stellæ ſunt oculi Dei, 693. Stellata Demetrii veſtis, ibid.
Stigmata Chriſti variis Sanctis impreſſa, 760.

Superbia.

Superbia in Tyro figurata, 369. Cor gravat, 369.
Superbi ſedent in cathedra peſtil. col. 15. num. 33. eorum oratio rejicitur, 315. Suis conſiliis capiuntur, 834.
Superbi pereunt in Scotia, Hiſp. &c. 613. à Deo conteruntur, 236.

T.

Tabernaculum.

TAbern. Moſ. in variis orbibus manſio, 274. aliquando Templum vocatur, 473. Vide, *Templum*, quid denotet, 999.
Tempeſtas excitat nautas, 1068. & in altum erigit, ibid.
Tempeſtates pulveris, in Arabia & in Africa, 112.

Templum.

Templa ſunt domus Dei, 479. cœlum ſerenum, ibid. Sancta, ob 4. rationes, 480 & ſeq.
Templa adeunda, cum timore & sever. 473. cum ſpe & humil. 476. cum metu filiali, 479. in illis trepidant Angeli, Sancti, & Pagani, ibid.
Templum Salom. magno ſumptu ædif. 430. profanatum, 945. in eo abominationes, 963. quo in loco thronus Regis, 476. fine.
Templum Zorobabelis majus Templo Salomonis: & cur? 430.
In Templo Herculis, nec canes, nec muſcæ. 480.
Templum Dei eſt Eccleſia, 886. & anima ſancta, 410. & 889. Vide, *Tabernaculum. Eccleſia.*

Tem-

Tempus.

Tempus omne æternitati comparatum, eſt breve. 288.
Tempore ſuo fructus ſerendus, 76.

Tentatio.

Tentatio eſt ſemen ſerpentis, col. 649. Lis inter homines ac dæmonem, 776.
Tentationum multitudo timenda, 305. Undique impetunt, 1802. Mundus tentans figur. in Rom. Jeruſalem obſidentibus, 325. Caro, in Sodomitis domum Lothi invad. Dæm. &c. Ibid
Tentationes ſibi ſemper ſuccedunt, 302. Sunt erucæ, locuſtæ, bruchi, rubigo, ibid. Ranæ, ſciniphes, &c. 302. Venti evert. domum filiorum Jobi, 303.
Tentatus eſt ipſe Jeſus, 304
Hoſtes non timendi: Deus milites ſuos armat, 338. Eſt illis clypeus, murus, & lorica, 325. Dat victoriam, ſi invocetur, 1103.
Tentatio nulla vincitur, ſine gratia, 339. Eſt utilis, ut portum teneamus, 304. Vide, *Dæmon.*

Terrena.

Terrena ſunt vana, 984. non ſolida, 371. citò tranſeunt, 372.
Terrena ſunt mendacium. Promittunt, quod non habent, 378. 375. & ſeq. Volunt falſum prom. 376. illam falſitatem aliis ſuadere. ibid. Nihil ſunt, col. 372.
Terrenorum amor timidum facit impium, 984.
Theatrorum exitioſa ſpectacula, col. 29.
Theraphim, 92.
Thirſus pro ſceptro, 227.

Timor.

Timor & amor ſunt vincula, 158.
Timet impius, ubi non eſt timor, ob rationes octo, 982. Timidi ſunt impii, ibid. Timor Artemonis ridiculus. 984. & paraſidorum Heliogab. Imp. 493.
Timor Dei eſt ſiniſter mentis oculus, 976. eſt neceſſarius Regibus & Judicibus, 257. & ſeq. dat lætitiam, 262 & 266. eſt fons ſapientiæ, 263. & 264. ad virtutem incitat, 265. paratas docet inſidias, 264.
Timor filialis manet cum charit. 261.
Timor ſervilis bonus eſt 258. Radix amara, ſed ſalutaris, 259. Gladius flammeus paradiſi terr. 239. Vox contereſens cedros, 260. Quatenus manet cum charitate. Ibid.
Tonſura. Vide *Clericalis tonſura.*

Tribulatio.

Tribulatio eſt utilis, 155. Eſt juſtorum felicitas, 90. Eos non contriſtat, ſed recreat, ibid. Fructus virtutum auget, 91. dat conſtantiam, 92. ad Deum ire cogit, 92. & 1064. cœlum aperit, 1069.
Tribulatio reddit ferro & adamante fortiores, 93 Dat mentis latitud. 351. Tollendo vincula paſſionum, 350. Mentem elevando per orationem, ibid. & 360. per patientiam, 361. per charitatem & lætitiam ſpirit. 362.
Tribulatio dulceſcit per gratiam, 363. Eſt torrens ſpinarum, ibid. Aqua maris ſanata, ibid. puteos aquæ dulcis in medio ſalſarum, 364. Himeræus fluv. amarus & dulcis, ibid.
Tribulatio urget gradum: mira de navibus, 1067. Deus invocandus, 1065.
Tributa nimia pauperum ſanguinem exſugunt, 815. ſinnum. 80.

V.

Vallis. Vanitas.

VAllis Achor, col 93.
Vanitas eſt peccatum, ob 4. rationes, 373.
Vanitatis aſpectus, vanos facit, 1108.
Vanitas eſſentiæ, cordis, otia, operis, eſt homo, 372.
Vana loqui, eſt loqui mendacia, 916, inutilia, ibid. temporalia, 916, ſeductoria, ibid.
Vaſalli Chriſti ſunt reges, 274.
Vaſis figuli confractio, 233.

Ventus.

Venti quatuor impios diſjiciunt. Carnis cupiditas, ab Occidente, 111. Mundus, à Meridie, ibid. Dæmon, à Septentr. 112. Deus ab Orient. 113.

Verbum.

Verbi divini generatio. Vide, *Chriſti generatio æterna.*
Verba Dei argento puriſſimo ſunt ſimilia, 926. & 936.
Verbum Chriſti verax, 83. neceſſarium, utile, efficax, ibid.
Verba hominum ſcoriæ plena, 973. verba otioſa vitanda, 916.

Veritas.

Veritas triplex: doctrinæ, vitæ, juſtitiæ, 912. ter homines imminuta, 612.
Veracitas placet Deo, 1013. In Joanne, Rege Franchiæ, & in Renato Duce Barri laudabilis, 1028.
Veritatem loqui in corde, 1011.
Vermes lucentes ſunt mali doctores, 694.
Veſtis plumbea Ægidii Montani, 368. in linea ſacerdotes, & miniſtrabant, 481. 482. Stellata Demetrii, 693.

Via.

Via vitæ per Chriſtum innoteſcit, 1130.
Via juſtorum, 122. Eam novit Deus: & quomodo, 126, ibid. Placet Deo, 124. Eſt recta, plana, munda, 124. lucida, 125. delectabilis, 1610 ſecura & expedita, 126.
Via peccatorum, col. 10. Perit: & quomodo, 126. eſt tortuoſa, aſpera, tenebr lutulenta, lubrica, periculoſa, 127. & ſeq. implicata ad mortem, 129.
Viam noſtram dirigit Deus luce ſua, 488. eam complanat, ibid. &c in ea ducit, 485.

Victima. Victoria.

Victimas voluntarias amat Deus, col. 57. & perfectas, 58. Vide, *Sacrificium.* Victimæ ſunt affectus noſtri, 411. & 105.
Victoriæ per orationem obtentæ, 314.
Vincunt pauci multos, 322. imò unus, ibid.
Victores hoſtium colla calcabant, 599.
Ob victoriam Pſalmus canendus, 345.

Vinculum.

Vincula vitiorum ſunt moleſta, 158. Vincula mundi, ſunt vincula Nabuch. 159.
Vincula dæm. ſunt vinc. Pharaonis Nechao, col. 159. Catenia vincula Dalilæ, 160.

Vindicta. Virga.

Vindicta Dei per ignem, in toto corde, 284.
Vindictam ſumens, eſt abjectæ mentis, 599. tùm conculcat dæmonem, 599. Sapricii lapſus, 593.
Vindicator à dæmone & hoſte vincitur, 595. 596. &c.
Vinea florens eſt anima ſancta, 555.
Vinum Deus mirabiliter S. Bonifacio providit, 423.
Virga vigilans, 629.
Virga Chriſti ferrea, 227. Denotat auctorit. ac poteſtatem, 228. Vigilantiam & ſeverit. inflexibilem, 228. 229. 230.

Virtus.

Virtus addenda ſcientiæ, 255. Eſt quies animæ, 114. Via vitæ, 1226. ſactif. juſtitiæ, 403. & 1006. Fructus Solis & Lunæ, 71.
Virtus ſecura eſt, Deo illam tutante, 817. dat ſapientiam, 1087. ſine eo nemo eſt ſapiens, 1087. Dat felicitatem, col. 4. & 88.

Vita.

Vita noſtra, eſt via aſpera, 484. 485. Certamen, 301. calamit. plena, in principio, medio, & fine, 671. 672. & 1064.
Vita purg. illumin. & unitiva juvantur legis Dei meditat. col. 49. & 50. Vide, *Via, Mundus, Homo.*
Vitium eſt cauſa triſtitiæ. Vide, *Peccatum.*

Voluntas, Voluptas.

Voluntas juſtorum eſt in lege Dei, ut avis in nido, ut ſtella in cœlo, ut miles in arce, &c. col 30.
Voluntatis Dei executio Sanctos efficit, ob rationes octo, 1053. &c. Vide *Conformitas & Dei voluntas.*
Voluptas citò tranſit, 374.
Voluptuoſos contemnit Deus, col. 238. Vide, *Gula, Luxuria.*
Voracitas prodigioſa multorum, 493. Piſcis carchariæ, 979. 980.

Urbs.

Urbes dolo captæ, per portas, 820.
Urbes refugii, in locis elevatis, 175.
Urim & Thummim in Rationali, 256.

Uſura.

Uſuræ duplex acceptio, 1032 Uſuræ variæ, 1033.
Uſuræ pater, mater, nutrix, 1033.
Uſura fons plurimorum malorum, 1032. & 1034. eſt morſus & mors, 1032. parit fœtorem, 1034.
Uſura eſt prohibita Lege naturæ, 1036. Lege poſitiva, in Vet. Teſt. 1036. In Novo, 1037. Lege humana Eccl. in Aſia, Africâ, Europa. 1038. Lege humana politica, apud Rom. Græc Perſas, &c. 1038.
Uſurarius ſeipſum occidit, & alios, 1033.

Z.

Zelus.

ZElus S. Capi ferventior, 352. Zelus Angelorum & Eliæ, 665.
Puniendi flagitia, 646
Zoili mors & maligna indoles, 332.

FINIS.

R. P. THOMÆ
LE BLANC,

Soc. Jeſu SS. Theologiæ Doctoris, in Academia Remenſi & Muſſipontana, atque in Collegio Divionenſi Scripturæ ſacræ Profeſſoris,

PSALMORUM
DAVIDICORUM
ANALYSIS,

IN QUA APERTE CERNITUR SINGULIS in Pſalmis ordinem eſſe admirabilem:

ADJUNGITUR

COMMENTARIUS AMPLISSIMUS,

IN QUO

Non tantùm ſenſus Litterales ; ſed omnes etiam

Myſtici exponuntur: atque ad eorum illuſtrationem plurima & ſelecta Scripturæ teſtimonia, Sanctorum Patrum ſententiæ, veterum Philoſophorum & Oratorum dicta, Principum ſymbola, aliáque afferuntur.

Adduntur loci communes, de omnibus propè materiis moralibus, non ſolùm ad Conciones; ſed etiam ad honeſtam converſationem: allatis diverſarum Nationum non paucis Hiſtoriis.

Acceſſit duplex INDEX: alter Rerum, in fine cujuſque Tomi: alter Concionum, cujuslibet Tomi initio præfixus.

TOMUS SECUNDUS.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud Hæredes PETRI PÜTZ, & JOANNEM MICHAELEM PÜTZ Bibliop.

Unter fetten Hennen im Roſenkrantz.

Anno M DCCXXXXIV.

Cum Privilegio Sacræ Cæſ. Majeſt. Speciali, & Permiſſu Superiorum

APPROBATIONES.

EGO PETRUS LE CARRE, Præpoſitus provinciæ Campaniæ Societatis Jeſu, poteſtate ad id ſuperioribus annis ab Adm. R. P. Goſvvino Nickel, Præpoſito Generali ejuſdem Societatis tradita, facultatem concedo, ut R. P. THOMÆ LE BLANC, ex eadem Societate Theologi, Commentaria in Pſalmos Davidicos, trium Theologorum Societatis judicio approbata, typis mandentur. In quorum fidem, has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Divione 27. Octobris, Anno 1661.

PETRUS LE CARRE.

EGo infraſcriptus Doctor Theologus, nec non divi Juliani apud Remos Paſtor, me legiſſe Commentarios in Pſalmos Davidis, Authore Reverendo Patre THOMA LE BLANC, è Societate Jeſu, nihilque in illis reperiſſe quod Eccleſiæ Catholicæ adverſetur, teſtor. Datum Remis, die 6. Julii, Anno Domini 1665.

JOANNES CRUCHAN.

EGo infraſcriptus in Sacra Theologia Doctor & publicus Profeſſor erudito cuivis, pio, & fideli Lectori Tomi hujus II. Commentariorum in Pſalmos quem in prioribus notata & nunquam ſatis laudata ſolertia edidit Rev. P. THOMAS LE BLANC, atteſtor ex attenta ejus lectione me eum comperiſſe, quem docti jucundè, pii utiliter, omnes ſecurè legere poterunt: opus quippe exhibentem, quod à fidei principiis nuſquam, à ſolidis morum regulis, nec ad apicem, à Doctorum ſenſu & conſenſu, ne ſyllaba quidem recedens, ideo omnibus commodum, omnibus commendandum duxi. Remis die Auguſti vigeſima, Anno 1668.

DANIEL EGAN.

PRIVI-

PRIVILEGIUM CÆSAREUM
SPECIALE.

CAROLUS SEXTUS Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wurtembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis, quòd, cùm Nobis quondam Wilhelmi Metternich Bibliopolæ Colonienſis Hæredes, Joannes Everhardus Fromart, Joannes Wilhelmus Huiſch, & Hæredes Petri Pütz humillimè exponi curârint, quem in modum P. Thomæ Le Blanc Soc. Jeſu Analyſim Pſalmorum Davidicorum, unà cum Commentario ampliſſimo in folio denuo prælo committere reſolverint, vereantur autem, ne æmulorum invidiâ hanc editionem imitantium impendii & laboris ſui fructu fruſtrentur. Ideoque Nobis demiſsè ſupplicârint, quatenus eorum indemnitati Privilegio Noſtro Cæſareo ſuccurrere clementiſſimè dignaremur, Nos ſubmiſſæ pariter ac æquæ eorum petitioni annuendum cenſuerimus. Ac proinde Authoritate Noſtrâ Cæſareâ omnibus & ſingulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis & aliis quibuſcunque rem librariam ſeu negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, vetamus, & interdicimus, ne quis ſupra nominatam P. Le Blanc Analyſim Pſalmorum Davidicorum cum Commentario ampliſſimo ſub hoc alióve titulo aut hac vel aliâ formâ in toto vel in parte intra decem annorum ſpatium, ab hodierno die computandum, intra S. R. Imperii & Regnorum ditionúmque Noſtrarum hæreditariarum fines recudere, vel aliis recudendum dare, alíorſumvè impreſſum apportare, vendere vel diſtrahere, citra præfatorum impetrantium, Hæredumque ac ſucceſſorum voluntatem & aſſenſum, in ſcriptis obtentum auſit vel præſumat. Si quis verò ſecùs faciendo Privilegium hoc Noſtrum ſeu interdictum violare, contemneréque præſumpſerit, eum non ſolùm ejuſmodi exemplaribus, ubicunque locorum repertis, perperam quippe recuſis ſeu apportatis (quæ antenominati ſupplicantes ſive propriâ authoritate, ſive Magiſtratùs illius loci auxilio ſibi vindicare poterunt) de facto privandum, ſed & decem marcarū auri puri pœnâ, ærario ſeu Fiſco Noſtro Cæſareo & parti læſæ ex æquo pendendâ, omni ſpe veniæ ſublatâ mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus Noſtri Privilegii in fronte libri impreſſus reperiatur. Mandamus itaque omnibus & ſingulis Noſtris & S. R. Imperii Regnorum & Dominiorum Noſtrorum hæreditariorum ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, cujuſcunque ſtatùs, gradùs, dignitatis, aut ordinis exſtiterint, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti vel ſuo vel Superiorum ſuorum loco aut nomine jus juſtitiámque adminiſtrant, ne quempiam Privilegium hoc Noſtrum Cæſareum impunè violare, ſpernere, aut transgredi patiantur. Sed, ſi quos contumaces compererint, conſtitutâ à Nobis mulctâ eos puniri, & quibuſcunque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipſi graviſſimam Noſtram indignationem, prædictamque pœnam evitare voluerint. Harum teſtimonio litterarum manu Noſtra ſubſcriptarum, & Sigilli Noſtri Cæſarei appreſſione munitarum. Quæ dabantur Laxenburgi die trigeſimâ Maji Anno Milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo octavo, Regnorum Noſtrorum Romani vigeſimo ſeptimo, Hiſpanicorum trigeſimo quinto, Hungarici & Bohemici verò vigeſimo octavo

CAROLUS m.p.

(L.S.)

Vt Joan. Ad. Comes de Metſch. m. p.

Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.

J. J. Hayeck de Waldſtætten. m. p.

INDEX

INDEX.

CONCIONATORIUS

TOMI SECUNDI.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Tunc videbunt filium hominis, Luc. 21.

PRo exordio ſerviet paraphraſis Pſalmi, c. 177. 278. verſ. 9. & 10. & in hos ordo ſectionis, c. 179. fuſius hoc deducere aggredior, &c. Confirmationem inchoabis cum iis quæ voles ex c. 279. 280. & ſeq. ad 284. tunc videbunt filium hominis flammante vultu ſcilicet iratum Judicem ac vindicem, & dolore æſtuabunt. Et in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt, 982. n. 75. quantus tunc futurus ſit impiorum dolor, colligere eſt ex verbis Prophetæ, Pones eos ut clibanum ignis, quæ verba explicat, c. 282. n. 48. juſti non trepidabunt, eos in perſona David perorante ſe ſistent (ut paraphraſis 649. &c. 651.) tunc videbunt filium hominis vermē ſe conſumentem, &c. 331.

Dominica II. Adventus

Quid exiſtis in deſertum videre? Matt. 11.

Pro exordio ſerviet deſertum bonum & malum, 823. n. 57. exiſtisne aliquando in deſertum malum? quid vidiſtis! Ego ſi illud intrarem, viderem ſane nil, præter deſertum) cor peccatoris deſertum ob quatuor rationes, o. 55.) c. 822. & In hoc deſerto 1. ſpinas, de quibus, 964. uſque 966. 2dò, rinocerotes, i. e. diabolos, 403. 3tiò, mulos ſuperbiæ, avaritiæ, &c. 1022. n. 128. uſq; 1024. 4tò, feras peſſimas invidiæ 361. 5tò, fluvium voracem gulæ, 7056, n. 39. 6tò, furias torquentes, 314. 315. vitulos, taurus, leones, canes. (divitias) 364 &c. Quid verò vidiſtis in deſerto bono (Cades) Imò, generoſiſſimam virginem (ſpem) eripientem à tentatione, 109. tradentem clypeum impenetrabilem, 120. plura de ea, 701. 702. 1041 n. 159. 606. 2dò. Scalam virtutum ſapientiam, 577. 3tiò, fontem gaudii pœnitentis, 1000. 1004. 4tò, virgulam fumi, orationem, 55. 5tò, lucem gratiæ, 695. 6tò, armaturam fortium, patientiam, 736. num. 100. 130. 735. 736. 7mò, cibum, potum, vexillū, &c. charitatem, 51. 8vò, auxilium fortitudinis, 110. 109. 9nò, lumen animæ fidem, 698. 80. 10mò, alas innocentiæ, 574. n. 50. 583. 11mò, victoriam humilitatis, 974. certitudinem ſeu ſecuritatem à fulmine, 72. aquilam conterentem laqueos, 645. 12mò, ſi quando deſertum hoc denſaris adverſitatum nubibus obtui videtur, diſſipa tormento bellico orationis, 923. n. 80. oratio humiliantis ſe penetrat nubes, quidni diſſipabit? ut deſertum malum diſſipetur, opus eſt voce Domini tonitru, 806, & timore Dei, 821.

Dominica III. Adventus.

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Luc. 3.

Pro exordio pœnitentiæ elogia, 1009. 1004. baptiſmum pœnitentiæ prædicavit, quæ verba duorum ſacramentorum baptiſmi & pœnitentiæ faciunt mentionem, quod facit duplicem Concionis materiam. Baptiſmus eſt porta Eccleſiæ, 922. ejus aqua regenaret & purificat, 382. pœnitentiæ ſacramentum, 508. ejus proprietates octo, &c. 967. ad 982. & ſeq. ſanat triſtitiam, 1003. facienda Deo & ſacerdoti, 983. an in lege Moyſis præcepta? 985. præcepta in lege gratiæ, 986, 987. ejus utilitas, 953. culpam remittit, 992. & pœnam æternam, 995. eſt alter baptiſmus, 998, ejus egregii fructus. ibid. in plur. num. 995. pœna injungitur pœnitenti, 946. pœnitentiæ Sanctorum, 947. pœnitentes Deus illuminat, &c. 1007. pœnæ reatus eſt in peccato, 946. poſt remiſſionem culpæ manet, 946. contritio tollit peccata, 944. 994. eſt ſacramenti diluvium, 835. dat gratiam, 930.

Dominica IV. Adventus

Ego vox clamantis in deſerto, parate viam Domini.

Clamor variorum ante prælia, 320. Joannes vox clamantis (Chriſti) 321. n. 30. poſſunt ex ſeqq. multa applicari. Parare viam Domini, per lotionem interiorem, 67. n. 49. applicari poſſunt multa ex hac quæſtione & articulo.

Dominica infra octav. Nativit.

Poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael. Luc. 2.

Quomodo fieri poteſt, ut is, qui propter nos & propter noſtram ſalutem diſcendit de cœlis, qui non vult mortem peccatoris, filius æterni patris poſitus ſit in ruinam & reſurrectionem multorum? hoc diſce ex ſeq. Ut quondam l. 1. Reg. c. 5. ad præſentiam arcæ Dagon prolapſus, ita ad præſentiam arcæ cœleſtis Chriſti, prolapſa in univerſo mundo idololatria (totus mundus in maligno poſitus & omnia vitia) & vera fides & ſalus per eam erecta eſt, figura fuit David, 217. n. 12. poteris deducere per ea quæ hic habes num. 13. uti David deſtruxit idololatriam disjiciendo Goliath, ita cœleſtis David Chriſtus implendo legem Moyſis, & impletam abrogando & legem gratiæ inſtituendo. Prolapſus eſt Dagon, i. e. obſtinatus peccator, 611. n. 28. 29. ſeverè punitur, 741. quali exitio, 758. nu. 46. prolapſus eſt, ſeu prolabitur mundus in maligno poſitus, quia Deum & ſervos Dei odit, 21. qualem habeat exercitum, 262 laqueos, 641. poſitus eſt in reſurrectionem juſtorum, quos exaudit. 574. n. 50. 576. n. 53. 577. n. 57. 579. n. 59. 60.

Dominica I. poſt Epiph.

Inveniebant eum in templo Luc. 2.

Templa devote adeunda, 710. num. 40. cum puritate & pietate, 667. n. 40 833. à Regibus, 711. n. 44. belli tempore, ibid. n. 46. illud ad orandum ſtudioſe quærunt SS. 59. n. 37. id ingreſſuri olim lavabantur; 669. n. 44. templum ſanctum, quid, 743. n. 21. ſunt ornanda templa, 682. n. 74. illis Angeli præſident, 710. n. 45. ornatus pietatem excitat, 683. 75. templum Salo-

monis cur turris dicitur, 713. n. 50. cur Ariel, ibid. in excelſis locis extructa cur, ibid. Illuſtria in variis nationibus, 683. n. 76. ſunt domos Dei, 710. n. 42. fontes gratiæ, aſylum animæ, 731. n. 50. cœlum terreneum, 223. n. 17. 682. n. 74. variis montibus ſacris comparata, 221. n. 17.

Dominica II. poſt Epiph.

Primò bonum vinum ponit, dein quod deterius eſt Joan. 2.

Mundus ponit primo bonum vinum: terrena quæ vana ſont, 16. & 17. contemnenda, 608. n. 22. non aſpicienda? 639. n. 76. contra voluptates, quæ ſunt vapor fœtidus, 424. n. 192. ſpina conſigens, 965. n. 55. divitias peritusas; 193.) delicias, 36. n. 52. hæc proponit dum mundani ea temerè quærunt, 5156. n. 31. tum quod deterius eſt, ſcilicet pœnas æternas, 289. 291. 293. ibid.

Chriſtus verò, bonum vinum beatitudinis magnæ, multæ, &c. 905. 908. 910. 913. 914. 916. 918. 276. reſervat, poſt vinum amarum tribulationis, quod neceſſario prius bibendum, 644. n. 85.

Dominica III. poſt Epiph.

Domine ſi vis potes me mundare, Matt. 8.

Efficax fuerit oratio hodierni leproſi; uti & Centurionis, cùm ad eum ſtatim dixerit Chriſtus, volo ſis mundatus, ad hunc, veniam, & curabo, vel potius ſicut credidiſti, fiat tibi. Ut oratio noſtra efficax ſit, & tam cito impetret, debet habere quatuor proprietates, 742. prodire ex corde, &c. 742. eſſe fervens 59, n. 37. 724. conſtans, 131. n. 151. pura, 209. 210. perſeverans, 325. n. 34. ante orationem varii populi ſe lavabant, 669. n. 44.

Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores Matt. 8.

Quod ſi pauci ſalventur, 569. n. 40. adeo ut etiam filii regni ejicientur in tenebras exteriores, certe cum tremore ſalutem debemus operari, 202. n. 57. ſervict & paraphraſis, verſ. 13. 199. quia difficile peccata cognoſcuntur, 201. & peccata occulta ſunt periculoſa, 201. n. 55. timor tamen nimius animo excludendus, 700.

Dominica IV. poſt Epiph.

Motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, & ipſe dormiebat. Matt. 8.

Eccleſia eſt mare, ob ſeptem rationes, 1094. quod ſi motus magnus perſecutionis excitetur, ita ut navicula operiatur fluctibus: timendum tamen non eſt, ne intereat, quia Chriſtus ſeſe uſque ad conſummationem ſæculi ei affuturum promiſit, & quis unquam ſibi perſuadebit Eccleſiam fundatam ſupra firmam petram (Chriſtum ſummum angularem lapidem) tanquam Dei templum, 684. n. 78. 842. n. 6. civitatem mundi, 910. evertendam? corona Chriſti eſt, 272. n. 32. hanccine dabit altari? fundata eſt ſuper aquas tribulationum, ſanguinis Chriſti, gratiarum, &c. 565. 566. & ſeq. quis credet fundamentum reſurrecturum in ſuperædificatum? ſtabilis eſt, 569. n. 39.

Dominica V. poſt Epiph.

Sinite utraque creſcere. Matt. 13.

Cùm Deus malos adeo ſevere puniat, 755. n. 39. quid ſibi vult quòd Chriſtus jubeat Apoſtolos, ut permittant zizania creſcere cum bono ſemine niſi quòd oſtendat patrem ſuum cœleſtem eſſe æque miſericordem, atque juſtus eſt & æque juſtum ac miſericordem; id quod inſtructo jam muſicorum choro, pataris que ad triumph. cantus muſicis veluti quadriga invectum Deum nobis David oſtendit, & curru triumphali ſpectabilem rotis ſanctitatis, fidelitatis, miſericordiæ, & juſtitiæ deductum, Pſ. 32. v. 4. quia rectum eſt verbum Domini, & omnia opera ejus in fide, v. 5. Diligit miſericordiam & judicium, ſic juſtitia Dei fit cum miſericordia, 880. n. 9. eſt ejus dextera, 280. n. 45. juſtitia & miſericordia ſunt duo Chriſti pedes, 1074. & brachia, ibid. ſunt duæ ſorores. 1073. miſericordia magis apparet in terris quam ejus juſtitia, 1078. 1079.

Dominica VI. Epiph.

Quod minimum quidem eſt Matt. 1.

Granum ſinapis (in numero ſingulari) non incongruè Eccleſiam ſignificat unam, 478. quæ initio parva, magna jam facta eſt tripliciter, 417. militaris & triumphans eſt una, 920. n. 76. illius conditor, fundamentum, foſſa, murus, &c. 925. fusè.

Dominica Septuageſimæ.

Quid hic ſtatis tota die otioſi Matt. 20.

Otium, invidia, murmur, ſeu detractio ſunt individuæ ſorores ſeu ſociæ, quemadmodum ſocietas bona utilis, ita mala pernicioſa eſt, 99. n. 96. pejor eſſe non poteſt quàm harum ſororum, otii, invidiæ, detractionis ſeu murmuris; pigritia eſt ignis clibani. 284. cauſa ſterilitatis & ſtupiditatis, 1023. n. 129 piger umbras venatur, 501. auram captans punitur, 756. n. 39. eſt mulus, 1023. n. 129. murmura varia Iſraëlitarum in deſerto, 141. nu. 170. invidia ignis clibani, 284. ſedes beſtiæ, 756. n. 39. invidus fera peſſima, 360. umbras venatur, 499. detractio vitanda 24 n. 26. pejor lanceâ cor Chriſti vulnerans, 364. n. 98. edit carnes, 475. detractor eſt matrichora 360, n. 94.

Dominica Sexageſimæ.

Serviunt hic varia, nita patientia martyrum, 308. exemplum dedit Chriſtus, 307. plura, 733. ad 737. verba Dei recta, 1067. n. 39. 1068. n. 40. verbum in divinis dicitur notionaliter, 1081. importat reſpectum ad creaturas, ibid. verbo Dei cœli firmati ſunt, ibid. quomodo à cœlis deſcendit. 82. n. 21.

Cecidit ſecus viam.

Via mandatorum Dei dura, 26. ardua ſed ſuavis, 912. eam complanat Chriſtus, 124. triplex ad cœlum purgativa, illuminativa, unitiva, 693. earum figura iter Iſraëlitarum, 494. via Dei ejus providentia, 217. 218. eſt impolluta, ibid.

Cecidit inter ſpinas.

Spinæ duplex acceptio, 962. ſpinæ ſunt peccata & afflictiones, 963. Davidem conſigentes, voluptates, 965. n. 55. & 56. ſymbolum peccatorum, 966. n. 57.

Tempora tribulationis recedunt.

Tribulatio neceſſaria, 644. camus ſeu frænum quo peccator tenetur, 1028. n. 137. ſanguiſuga malum ſanguinem ſorbens, 856. n. 37. eſt aqua maris, 1088. diluvium animam lavans, 875. umbra mortis, 497. illuminat, 698. num. 14. probat, conſervat, &c. c. 5. ſeqq. perficit ut fornax, c. 16. ejus cauſæ variæ, 653.

Dominica Quinquageſimæ.

Cæcus quidam ſedebat ſecus viam. Luc. 18.

Cæcus eſt ſymbolum peccatoris, eſt enim peccatorum oculis tenebræ. 501, n. 65. & cæcitas 620, eſt ignis in ſinu peccatoris. 959. n. 44. ignis clibani, 283, torrens inundans, 58. cibus teter, 518. jugum & funis, 752. catena ferrea. ibid. murus à Deo ſeparans, 112. n. 218. eſt infernus, 848. ejus impietas ſex modis explicata, 992. n. 87. in illo eſt offenſa, macula, &c. 935. 936.

omne

omne peccatum mortale eſt maximũ. ob quinq; rationes, 207. quodnam verò omne maximum, 208.& 209. ſpina cordi, 962. peccatores ſedent ſecus viam, quia via Domini eſt dura, 18. ad 21.

Dominica I. Quadrageſimæ.

Ut tentaretur. Matt. 4.

Tentatio eſt vita noſtra, 109.n.114. tribulatio circumdans, 1001.n.100.tentationibus dæmonis, carnis, mundi circumdamur, 58. n. 36. tentatos juvat Deus, 220.n. 16. præcingit ut ſimus fortes diligentes, caſti, 123,n. 137. in tentationibus ſpes in Deum, & fortitudo animi proſunt, 109.

Dominum Deum tuum adorabis.

Adorandus Deus in templo cum puritate & pietate, 667. n.40. Chriſtus in altari; 439. 220. adoratio in & exterior, ibid 219.

Oſtendit illi omnia regna mundi.

Bene inquit, oſtendit, tum quia deliciæ ejus breves & immundæ, 57. n. 82.537.n. 155. eas tamen avidè quærit, 1157.mundus triplex, 687. pater peccatoris mater caro, 727. confuſione plenus 558.ejus cupiditas, curioſitas, 903. eſt templum & canticum, 833. n. 70. 1063.n. 32.

Dominica II. Quadrageſimæ.

Quia clamat. Matt. 15.

Clamor variorum populorum ante prælia, 320. n. 29. fiat digreſſio ad materiam Concionis, clamor cordis & oris movet Deum, 745. clamabat & tacebat David, 956.clamatur tredecim modis, 747. clamor triplex peccati. 312. num. 19. clamor orationis dat victorias Moyſi, Theodoſio, &c. 56. & lætitiam, 1154. n. 23. eſt legatus ad Deum, 60. quem alloquitur & tenet? 56. elevat in cœlum, 805. clavis cœli, 60. ad hunc clamorem accedat vehiculum ſ uti apud hanc mulierem uſque ad canem ſeſe humiliantem) humilitas, 100. 101. chorda cytharæ ad Deum laudandum, 1150.1151.n.18. vallis therebinthi, & victoria de diabolo in Goliath figurata, 974.

Dominica III Quadrageſimæ.

Cum fortis armatus cuſtodit atrium, &c. Luc.11.

Fortes vult Deus ſervos ſuos, 48.n. 15.& gratia id efficit, 122. paſtori animarum neceſſaria fortitudo, 506.jungenda timori & charitati, 78. fortitudo militaris Sanctorum, 120. n 116.mira Aureliani, 228 dat honorem Deo, 785. eripit à tentatione, 110.elucet in mediis difficultatibus, 111.n. 117.

Dominica IV. Quadrag.

Subiit in montem Jeſus & ibi ſedebat, &c. Jo.5.

Mons ſymbolum perfectionis religioſ. 19. fundamentum ejus quid? 75. n. 61, mons domus Domini ſeptuplex, 570.n.41. montes perfuſſi ad iter agendum, 124. n, 138. montes inter ſe concurrentes, 811.812. pro doctrina poteris accommodare quæ habentur, 19. & 20.

Dominica V. Quadrag.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Jo.8.

Chriſtus puriſſimus ab omni peccato, erat enim lux vera, 104. n 104. lucerna Davidis & Eccleſiæ, 106.n. 109.ſol Eccleſiæ, 78.n.66:& 168. eſt via, veritas, & vita, 118 n. 125, ſtudendũ nobis eſt, ut ab eo ſimus, immunes tum quia nullus ſuis viribus ab eo reſurgit, 848. eſt cauſa confuſionis, 609.terram concutit. 64. in cœlum clamat 312. peccatis in ſingulis ſuis reſp. pœna, 754. executitur caſtigatione, 559. peccata non amputare, 936, remittere, tegere, &c. 937. ejus fuga oritur in timore Dei, peccatum alienum fit noſtrum duodecim modis, 204.n.69.

Dominica Palmarum.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.

Quis ille Rex? Chriſtus amicus fidelis & verus, 50. animæ unguentum, 522.Eccleſiæ ſponſus & animæ ſanctæ, 171. 172. cui venit? etiam peccatori, qui ab eo ſe avertit, 131. feris ſimilis eſt, 360. in eas mutatur, 365. iis pejor, 31. qui Chriſtum flagellat, &c, 361. huic venit, ut convertatur, quod alias non fieret, 522.486. 1078. ejus converſio eſt terræ motus, 76. incipit à timore, 821. peccator equo & mulo comparatur, 1019. camo & fræno revocatur, 1028. comparatur terræ, 75.n. 60. eſt pulvis. 869. carbo extinctus, 80. venit manſuetus ut manſuetudinẽ diſcamus: quæ cæteras virtutes juvat, 628. eſt neceſſaria prælatis, 155. Regibus, ideo inunguntur 235. manſuetudo eſt chorda cytharæ ad Deum laudandum, 1152. facit bonam ſymphoniam, ib. manſuetis dat Deus legem, 623. & Euchariſtiam 423. manſuetos dirigit Deus in judicio, 627.

Feria VI. Paraſceve.

Chriſtus paſſus eſt pro nobis 1. Pet. 2.

Chriſtus in paſſione vermi ſimilis, 327. & ſeq pavor ejus & extaſis, 877. cor ejus ceræ ſimile 372.ſeq.cur crucifixus, 381. ſeq.ad 389 in cruce cur derelictus, 305. ſeq. cur conqueritur, 309. clamat. 317. exauditur, 322. ſanguis ejus ut aqua effunditur, 368. ſeq. nervi areſcunt, 376. ſitit, 377. ejus brachia in cruce arcus ærcos, 131. latus oſtium vitæ, 368. ob ſeptem rationes commendat animam in manus patris, 866. ſeq. Chriſti veſtes quæ, 398. ejus paſſio noſtra juſtitia & ſanctificatio, 941. pro peccatis omnium paſſus, 315. eos ſanguine redemit, 595. & humilitate, 325. 105. dat ſuavitatem, 1176.

Dominica Reſurrectionis.

Reſurrexit. Marc.16.

Chriſtus qua hora reſurrexit, 299. vermi ſerico ſimilis, 330. cervæ, ſtellæ matutinæ, 301, 303. dat lætitiam, 859.Chriſti reſurrectio ſuſceptio matutina. 299. exit è limbo. 848. (plura Dom. 1.) hic poterit applicari triumphi lætitia, 228.ad eum neceſſaria, 593. n. 91. & quanta victoria. 594. n. 92.triumphantium Romanorum ornatus. 592.n.88.dabant dona militibus, 916. n. 66. triumphus Chriſti æternus, 541.n.85. illum eſt promeritus, 593.n. 91.

Dominica in Albis.

Pax vobis. Jo. 2.

Pax eſt ardenter quærenda. cum quibus, ad pax animæ quadruplex, 838. pacem præcedit virtus, 837.reddit pingue holocauſtũ, 225. jungenda decori, 895. eſt animæ lucerna, 107. via ad cœlum, 118. ſcala cœleſtis, 577.calix inebrians, 601, camus & frænum, 1031. reddit intrepidos, 701. veſtis animæ, 392. virtutibus altare cordis circumdandum, 677.

Accipite Spiritum S. Hic illuminat animam, 698. eſt Deus, 1085. cur dicatur ſpiritus oris Dei, ibid. ejus vox audita, 801. ſpiritus hominis variè ſumitur, 882.

Dominica II. poſt Paſcha.

Ego ſum paſtor bonus. 10.

Chriſtus comparatur hinnolo, 50. botro cypri, 1006. unicorni ob 8. rationes, 815. hodie ſeipſum dicit paſtorẽ, fuit perfectus paſtor, 471. ſeq. amans, vigilans, fortis, 502. ſeverus, 604. providet ovibus ſollicitè. &c. 479. ſeq. lavat oves, 481. errantes reducit, 486. ſub illo nil deeſt ovibus, 475.eas ad optima paſcua ducit, 476.a ſecutæ ſunt, 469. 502. paſtorum ars eſt nobilis, 473, eam Deus exercet, 471. paſtori vigilandum pro grege, 439. & ſeq.

Dominica III, poſt Paſcha.

Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me &c, Jo. 16.

Beatitudo in quo conſiſtat, 35. 36. eſt in ſolo Deo nō in aliis, ibid, beatitudo noſtra Chriſtus, 273. beatitudinis SS. ſeptem ſymbola, 909. n. 51. dicitur abſcondita ob 5. rationes, 911. plura 905 909. 913. 914 916. 918. eam ſeu felicitatem dat lex Dei, 186. ſeq. in cognitione & amore ſita, 36. gradus ad eam, 925. SS. duplex, 1106.

Dominica IV. poſt Paſcha.

Vado ad eum qui miſit me. Jo. 16.

Memoria cœleſtis gloriæ utiliſſima, pro hac materia poterunt ſervire cœlorum materia, 555. enarrant gloriam Dei. 145. eorum diſcipuli omnes homines, 152. cœlum eſt domus Dei, 570. 714. 1110. terra viventium, 731. fertiliſſimâ, ibid. pluia, ad 712. civitas minuta, 920, cœli mons habet 5. proprietates, 571. ſæpè aſpiciendum ut Deum laudes, 145. 510. à veteribus tributa divinitas, ibid. ad illud magno ardore aſpirandum, 721. illud pauci ingrediuntur, 569. cœlum petenti neceſſaria fortitudo, &c. 24.

Dominica V. poſt Paſcha.

Exivi à Patre, & veni in mundum. Jo. 16.

Verbum in Incarnatione an deſcenderit de cœlo, 82. venit Chriſtus in mundum per Incarnationem puriſſimam, 332. verus homo, 405. ſponſus humanæ naturæ, 172. ſtatim à conceptione habuit gratiam unionis, 348. habitualem, ibid. viſionem beatam, 348. ſcientiam infuſam. ibid ſummam gratiam, 264. ſeq. benedictionibus quomodo præventus. ibid. impeccabilis, 265. 273. ejus charitas in Incarnatione, 83. humilitas, 359. factus frater noſter, illi debemus reverentiam ut primogenito, 402. Incarnatio figurata in curru Ezechielis. 77. eſt incomprehenſibilis, 86. ſeptem in ea miracula, 88. ejus œconomia, 67.

Dominica VI. poſt Paſcha.

Charitas operit multitudinem peccatorum, 1. Pet. 4.

Cum peccatum non tantum ſit ignis in ſinu peccatoris, 959. ignis clibani, 283. torrens inundans, 58. cibus teter, 519 jugum, 753. catena, 752. murus à Deo ſeparans, 112. verum & ipſe Infernus, ibi ignis, &c. 848. quanta virtus erit charitas ad Deum ducens, 1158. reddit intrepidos, 702. Deo unit. 31. & 90. in cœlum elevat, 606.

Dominica Pentecoſtes.

Qui diligit me ſermonem meum ſervabit. Jo. 14

Præcepta ſunt ſemina juſtitiæ, 492. varia ſignis zodiacis comparata, 189. præceptorum Dei via dura, 18. diligenti Deum levia, charitas enim reddit intrepidos, 703. unit Deo, 31. 90. in cœlum elevat, 606. omnia eſt amanti, 51.

Ille vos docebit omnia.

Ex citato textu clarè ſequitur Eccleſiam Chriſti eſſe unicam, 478. & ſtabilem, 569. fugiendi hæretici, 662. hi ſcindunt Chriſti veſtem, 592. ſunt umbra mortis, 497. vulpes Samſonis, Prothei, &c. 664. ſumunt ſibi ſuperba nomina. 662. hæreticorum mos peſſimus, 0. 109. hæreſis domos deſcribitur, 359.

Dominica Trinitatis.

Baptizantes eos, &c. Matth. 28.

Trinitas laudatur in creaturis, 1186. ſeq. Baptiſmus cur in aqua Inſtitutus, 485. regenerat & purificat. ibid. porta Eccleſiæ, 922.

Et ecce vobiſcum. Matt. 28.

Chriſtus libenter eſt in cordibus mundis, piis, ſanctis, & virtutibus ornatis, pro hac materia ſervient ſequentia, cur velut alterum animal, 722. cordis munditiei orandi neceſſaria 209. 210. & in cœlum aſcendenti, 576. cor ſibi in victimam petit Deus, 226. ejus clamore movetur, ibid. cor. & manus homo abluat, 667. illis legem Dei ferat, 596. cor. & renes urunt ignes, 605. cor impii clibanus ardens, 232. cor durum non recipit lætitiam in Euchariſtia, 529. cor Chriſti & Deiparæ liqueſcens ut cera in paſſione, 373. Sancti ſunt cœlum, 1087. eorum aſpectus ad virtutes incitat, 31. Sancti ſunt miſericordes, 855. felices, 904. 1100. Deus benedictionibus eos prævenit, 264. benedictiones duodecim Chriſti & SS. in cœlo, 276. ſunt Chriſti corona, 271. 273. gratiâ ſuâ juvat eos, 135. 398. 836.

Dominica I. poſt Trinit.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. 14.

Cœna hæc non immerito eſt SS. Euchariſtia, quæ Chriſtum continet latentem, 92. ibi eſt impaſſibilis, 132. ejus figura, 511. ad 525. ad hanc accedendum cum fiducia, 202. tremore, 460. ſæpè, 129. 542. plura 432. 448. eſt deferenda ad ægrotos, 402. ad 465. Deus id probat, 474. plura Feſt. Corp. Chriſti.

Dominica II. poſt Trin.

Gaudium erit in cœlo, &c. Luc. 15.

Murmura varia Iſraëlitarum in deſerto, 141. lætitia ſpiritualis 9. effectus, 1041. lætitia ſolida eſt tantum juſtorum, 1049. ſeq. ſuperat eorum dolores, 1005. eſt enim maxima & æterna, 1052. pœnitentia dat lætitiam, 1004. ejus elogia, 1000.

Dominica III. poſt Trinit.

Hypocrita ejice primum, &c. Luc. 6.

Hypocriſis virtutum peſtis, 952. eſt fugienda, 949. Abſalonis & Achitop. 733.

Eſtote miſericordes.

Miſericordia eſt Dei propria, 366. ejus oculus, 1014. & manus, 280. ſumma in peccati remiſſione, 992. triplex, 546. quomodo ſervos ei circumdet, 1038. 115. ad 121. miſericordia & juſtitia duæ ſorores, 1073. miſericordia & veritas viæ Dei, 629. ſæpe junguntur in Scriptura, ibid. præ oculis habendæ, 658. miſericordia virtus & telum Chriſtianorum, 1070. facit nos ſanctos, 855. miſericordiæ & juſtitiæ mixtio neceſſaria eſt Regibus, 1075. patribus familias, judicibus, 1076.

Dominica IV. poſt Trin.

Per totum noctem laborantes. Luc. 8.

Nox eſt vita noſtra, &c. 865. ad 863 quia brevis, 374. oportet ſeriò laborare ut capiamus gravis eſt, & acceptabile, quo Deus exaudit, 977. 979. 980. nox eſt amabilis & admirabilis, 150. ſymbolum tribulationis, 13. noctis ſpiritualis partes, 325.

Dominica V. poſt Trin.

Omnis qui iraſcitur fratri ſuo &c. Matt. 5.

Pro hac materia ſervient quod ira ſit inſania, 858. & plura à 395. ad 397. ignis clibani, 283. aſcendit ad nares, 66. an peccatorum maximum, 208. eam ſanat confeſſio, 1002. ira rinocerotis & diaboli, 402. ira Dei brevis, 935. 857. iracundorum tres ſpecies, 66. equo ſimiles, 1020, tauro, 355. cani, 361. mari, 755. puniti, ibid. irati diſcriptio, 269. umbras venatur, 500. ignem vorat, 424.

Non occides.

Homicidæ malè pereunt, 686. ſeveræ leges in eos, ibid. ſpirituales homicidæ ſunt detractores, ſunt Matichoræ triplici dentium ordine, 360.

ne, 360. edit carnes, 706. detractio vitanda, 24. pejor lancea cor Chriſti vulnerante, 364.

Dominica VI. poſt Trin.

Miſereor ſuper turbam. Marc. 8.

De Dei miſericordia, quàm pretioſa, 1071. eſt tota cura Dei, 1072. plura uſque, 1080. juvat uſque in finem, 1134. 1136. de bonitate, eſt bonus in ſe, 1173. in verbis, 1175. dulcis & rectus, 623. bonus bonis, 97. providentia eſt ſedula erga pios, 1101. ejus ſeptem radii, 1131. 1132. illuminat variis modis, 695. ignis illuminans & inflammans, 76.

Dominica VII. poſt Trin.

Quæ non facit fructum bonum. Matt. 7.

De fructu bonorum operum quod cum gratia Dei legant peccata, & ſanent vulnera animæ, 938. 939. 940.

Attende à falſis Prophetis.

Falſi Prophetæ ſunt hæretici ſumentes ſibi ſuperba nomina, 662. eorum mos peſſimus, ſcindunt Chriſti veſtem, 392. ſunt umbra mortis, 497. vulpes, 664. ſunt fugiendi, 661. hæreſis domus deſcribitur, 662. deinde adulatores cavendi, 753. alterius peccatum faciunt ſuum, 204. ſunt ſcorpiones, facie blandiuntur, 753. crocodili, ibid. lamia mammam oſtentans, ibid. adulatio vitanda, 23.

Dominica VIII. poſt Trin.

Redde rationem. Luc. 16.

Examen Dei terribile, 651. juſti ſtabunt intrepidi, 652. judicium extremum diluvio ſimile, 982. ibi dolor impiorum, 281. in eo Chriſtus vermis dæmoni & impiis, 330. ſeq.

Quantum debes Domino meo?

Homo eſt ſub Dei dominio, 558. cui debet honorem, 787. 788. 789. animam ot pote ipſius numiſma & imago, 884. curanda ut pupilla oculi, 28. in Dei manus conjicienda cum ſpe, 880. Deo commendanda ut depoſitum, 884. Deo reddenda, 885.

Dominica IX. poſt Trin.

Quia venient dies in te. Luc. 19.

Quod Chriſtus prophetizat Jeruſalem, timere debet quivis peccator, cujus typus everſa Babylon, 612. multis flagellis percotitur, 1033. ad 1036. miſerè perit, 132. igne divino, 65. non ſine myſterio cum omne peccatum ſit ignis clibani, 283. igne devorabitur in die judicii, 285. & æternum torquebitur igne infernali corpore, ibid. ſic in quo quis peccat, in eo & punietur, ignis in peccato, 859. & ignis in pœna pro peccato, in inferno, 289. ſeq.

Dominica X. poſt Trin.

Qui ſe exaltat humiliabitur: qui ſe humiliat exaltabitur. Luc. 18.

Superbia vitiorum maximum, 208. fons vitiorum, & regina, ibid. vertit felicitatem in miſeriam, 863. in oculis eminet, 102. ſuperbus ſimilis quibus? 356. 362. 1018. 1022. umbras venatur, 499. ſuperbi ſunt ſoles obſcurati, 756. cedri Libani confracti, 812. eorum ſedes fundamenta montium diajecta, 46. eorum punitio, qui ſe humiliat exaltabitur, quia humilitas erigit & ſalvat, 102. obtinet ſapientiam, 125. vertit miſeriam in felicitatem, 863 Chriſti in Euchariſtia. 431. Huniadis & Davidis circa Euchariſtiam, 458. humilis ſe abſcondit, 432. in eo latet Deus, 90.

Ut orarent.

Orationi triplex tempus opportunum, 977. Sancti libenter orant in templo, 60. orantes Judæi ad templum ſe convertunt, &c. 748. 749. 669. Regibus neceſſaria, 249. ante prælium oratio, ibid. oratione aliorũ muniamus, 1054 oratio peccatoris doloſa, 8.

Dominica XI. poſt Trin.

Tetigit linguam ejus. Marc. 7.

Lingua fons malorum, 917. fræno timoris Dei comprimenda, 66. ejus quinque vitia, remedia ſeptem, ibid.

Dominica XII. poſt Trin.

Diliges Dominum Deum tuum, &c. Luc 10.

Deus amandus toto corde, 45. ſeq. in hoc noſtra felicitas in hac vita, 36. amore trahitur anima, 50. amor Dei erga nos, 98. amor Deo dat victimas, 783. amor Dei calix inebrians, 531. tollit amaritudinem, 23. probat cor & renes, 654. eum inflammat Euchariſtia, 535. non ſeparandus à timore, 527. amans currit & volat, 126. quorundam erga invicem, 317. 409. amantium refugium Deus, 49. adjutor, 52. ſpes & protector, 53. proximi omnes ſumus quatuor modis, 752. 410.

Dominica XIII. poſt Trinit.

Oſtendite vos Sacerdotibus.

Sacerdotes ſunt filii Dei, 781. oſſa Chriſti, 372. ſacerdotalis corona, 270. hanc materiam poterit pro libitu deducere, iis oportet ſeſe oſtendere per confeſſionem perfectam, quam habet, 967. perſpicuam, 976. integram, 970. accuſatoriam. 973. &c. 974. itaque mundat leproſos, i. e. peccatores à culpa, & pœna æterna, 992. 995. ſilentium peccatoris ſcelera occultantis perniciofum, 954. 959.

Dominica XIV. poſt Trinit.

Scit enim Pater veſter, quod his omnibus indigeatis. Matt. 6.

Cur enim non ſciret? quia eſt ubique, & omnia videt, 1110. 1111. opera & corda intuetur, 1101. providentia ſedula erga pios, ibid. ejus ſeptem radii, 1132. ſeq. vult ob bonitatem quia bonis bonus, 97. ſeq. dulcis & rectus, 623. & poteſt, quia potens eſt, & portat juſtos, 885. ad eum fuge ab omnibus derelictus, 727. eſt ſe amantium fortitudo, 47. refugium 49. 51. petra protegens, 744. eo ductore ſecuri ſumus, 693. clypeus pugnantium eſt, 120.

Dominica XV. poſt Trin.

Ecce defunctus efferebatur, Luc. 7.

Mora corporis eſt umbra mortis, 497. ad meliorem vitam nativitas, 863. mortem timent omnes, 868. in morte Regis Ægypti luctus, 230. mors peccatoris peſſima, ob 6 rationes, in mortis pulverem quomodo deductus Chriſtus, 378.

Accepit autem omnes timor.

Timor Dei initium converſionis, 821. aperit oculos, 1131. varia ejus commoda, 1161. timor Dei in mediis armis ſecuros facit, 1180. omni bono replet, 1180. parens virtutum. 1183. tres ejus effectus, 1183. timor ſpei jungendus, 646. illi amor ſuccedit, 646. timorem nimium pellit Dei protectio & amor, 694. 701. docetur & diſcitur, 1184. filialis manet in cœlo, 190. plura, ibid. & ſeq. illum habent Angeli ob contemplationem, &c. 925.

Dominica XVI. poſt Trin.

Si licet Sabbatho, &c. Luc. 14.

Sabbathi dies ſanctificatus ab initio mundi, 552. 554. ſabbathum vocatur tota hebdomada, 552. ſabbatho audienda eſt Miſſa, ſub qua ſilendum, 447. repræſentat ſacrificium in Cruce, 450. offerenda Deo pinguia holocauſta per devotionem, per virtutum exercitium, 225. n. 23. Miſſæ nomen, 451. Angeli in ea miniſtrant, 517.

Dominica XVII. poſt Trin.

Diliges Dominum Deum, &c. Matt. 22.

Charitas, animam illuminat, 696. cor dilatat, 253. protegit, 698. ad Deum ducit, 1159. eſt Chriſti corona, 268. tunica inconſutilis, 393. gradus ad felicitatem, 926. eam habens fit domus Dei, 90. ejus varii gradus, charitas in ſumptione Euchariſtiæ, 456. Rudolphi comitantis Euchariſtiam, 457. ſit in familia, 2156. paſtori neceſſaria oves corrigenti, 501. omnibus erga omnes quia fratres, 410.

Quid vobis videtur de Chriſto?

Videtur mihi Chriſtus amator virginitatis, 816. & doctor; 394. quoad ſtaturam excelſo corpore, 275. ejus actus infiniti valoris, 9. velox in omnibus ut cervus, 6. habuit ſpem, &c. 348. 373. 890: 1034. 418. videtur mihi Rex temporalis totius orbis, 592. ſacerdos & Propheta, 692. Rex ſpiritualis Eccleſiæ. 256. inter eum & cæteros Reges differentiæ, 257. videtur mihi dux exercitus, 259. armis omnibus munitus, 260. vincit dæmonem, mundum, carnem, 261. ſeq. 296. gloria ejus orbem implet, 89. eſt pupilla Eccleſiæ, 27. Rex gloriæ, 365. plura, 267, 582. 117. 229. 273.

Dominica XVIII. poſt Trin.

Surge, tolle lectum. Matt. 9.

Totus Evangelii contextus apertè docet doctrinam Chriſti miraculum præceſſiſſe, eoque confirmatam eſſe juxta quod exemplum dicit S. Marcus, Apoſtolos profectos prædicaſſe ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, 12. 13. ideoque miracula ſunt cœleſtes fulgetræ ob quatuor rationes, 807. 808.

Dominica XIX. poſt Trin.

Miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias. Matt. 22.

Per nuptias has bene poteſt intelligi beatitudo ſeu felicitas Sanctorũ, de qua plura, 909. 905, 1100. 908. 913. 914. ſeq. exhibetur in regno cælorum ornatum ſtellis gloriam Dei enarrantibus, 147. earum varia elogia, ibid. velocitas, 176. 1083. multitudo, 1084. ad quas ut perveniamus oportet vitare carnis delicias immundas & breves, 36. 37. manus ejus duæ gula, luxuria, 903 vitanda ebrietas, de qua 208. 707. ſervanda caſtitas, cujus elogia, 171. & juvat ſapientiam, 1027. imitandi SS. in celeritate, in pugnando & vincendo, 125.

Mittite eum in tenebras exteriores.

Inferni pœnæ octodecim, 289. 290. 291 292 Infernus Inferior & ſuperior, 848. ibi nulla lætitia, 294. infernus umbra mortis 497.

Dominica XX. poſt Trin.

Quia Jeſus adveniret à Judæa, &c. Jo. 4.

Veroſimile eſt, quod Regulus hic iviſſet uſq; in Judæam pro impetranda vita filio ſuo, nec abſq; myſterio; quia de illa prædixit David Pſ. 26. *credo videre bona Domini in terra viventium* (Judæa S. quæ eſt terra viventiũ) applicari poſſunt & præcedentia ob quatuor rationes, ivit ergo ſaltem Judæam verſus, ut videret bona Domini, nõ tantum vitam filii, verùm etiam vitam animæ ſuæ & ſuorum, credidit enim ipſe & domus ejus tota; ratio verò cur Jeſus diſceſſerit à Judæa poteſt eſſe inter cæteras, quia Judæos dilexit ut filios Jacob, 218. illi tamen ſimiles unicorni, 817. & leone duriores, 559.

Dominica XXI. poſt Trinit.

Simile eſt regnum cælorum homini Regi. Matt. 18

Quod ſi Reges ſint ſol regni, 12. 171. populi baſis, 75. filius & anima Dei apud Tartaros, 230 pupilla regni, 27. 05, 696. cor, 198 quid erit regnum cœlorum, non tantùm viſibilia illa ſtructura, cui à veteribus tributa divinitas, 146. & benè terra viventium, 731. 732. civitas munita, 920. verùm potiùs beatitudo noſtra in illo regno Chriſtus, 273. beatitudinis SS. ſeptem ſymbola, 909. ſi Reges amandi, 230. quidni ad cœlum magno ardore aſpirandum, 721. ſi ad regiam dignitatem non datur facilis acceſſus, quidni cœlum petenti neceſſaria fortitudo, &c. 24. & pauci illud ingrediuntur, 569. poteſt tractari pro libitu materia de regibus, 52. pios Reges tuetur Deus. 27. eſt illis arx tuta, 216. orantes facilè exaudit, 215. Reges Franciæ oraverunt ante, in, poſt pugnam, 249. pro Regibus orandum, 247. 248. adorant Chriſtum in Euchariſtia, & varias virtutes exercent, 455. 456. 457. n. 238. 238. & ſeqq. Euchariſtiam ſumant cum tremore, 460. donis à Chriſto afficiuntur, 459. impios punit, 460. Si Reges Judæorum debebant ungi, 233. quidni oportebit. nos pro accipiendo regno cœlorum ungi oleo ſacramentali in baptiſmo, confirmatione & Euchariſtia, 523. & oleo effuſo, Chriſto, 541. ſi vel velociſſimi, vel robuſtiſſimi ad regiam dignitatem admittebantur, 125. certè regnum cœlorum nonniſi violenti rapient, & ſapientes, 259. ſeq ſi Regum vita dies tribulationis, 214. quæ alia via ad cœlum niſi neceſſaria tribulatio, 644.

Dominica XXII. poſt Trinit.

Cujus eſt hæc imago? Matt. 22.

Imagines raræ, 725. repræſentant Deum unum & trinum, ut imaginem ſeu objectum formæ veſtræ viſionis beatificæ. Fiat digreſſio ad imagines morales virtutum & vitiorum, carbo extinctus imago peccatoris, ardens viri pii, 80. Babylon everſa imago peccatoris, 612. aurora felicitatis SS. 862. (hoc modo poteſt pergi de quibuſcunque volueris) in ſpecie adhuc quædam adjicio, de quibus erit facilè. Aſſueri convivium figura Euchariſtiæ, 514. 517. arrogantes puniti, 902. avaritia crudelis, 686. ignis clibani, 283. cor exedit curis, 282. ſeqq avari deſcriptio, 360. Anima Imago Dei, 884. cor noſtrum Altare *Dei*, 677. calix inebrians amoris Dei, 531. ſcorpio adulator, 753. (ſic de quibuſcunque volueris, dabit index rerum & verborum.)

Dominica XXIII. poſt Trin.

Et deridebant eum. Matt. 9.

Irriſio hoſtilis moleſta viris generoſis, 846. n. 17. quidni Chriſto volenti reſuſcitare à mortuis modò defunctam?

Domine filia mea modo defuncta eſt.

Ex occaſione vitæ noſtræ breviſſimæ, 734. 742. ut & ex modò defunctâ filiâ Auditores inſtrui poſſunt, quod vita noſtra ſit via, 633. tentatio, 109. dies tribulationis, 214. plura, 496. veſpera umbroſa, 861. & ſeq. quod ſit tempus opportunum ad Deum recipiendum, 978. gratiæ obtinendæ, 979. nihilominus tandem moriendum, ut vivamus verâ vitâ quæ eſt cœleſtis, 1184. quam debet præcedere vita ſpiritualis, quæ eſt initio difficilis & anguſta, 125. in progreſſu latior, 138. ſeq. vita Chriſti in Euchariſtia eſt vivendum, 432.

Dominica XXIV. poſt Trinit.

Pro hac Dominica ſerviet in exordio c. 71. vit eum dracone, &c. cætera habebuntur ex ſeq. c. 61. ad 93.

FESTA

S. THOMAS.

Dominus meus & Deus meus. Jo. 20.

Chriſtus gratiâ ſuâ tegit nos ne lædamur, ſuſtentat ne labamur; erigit ne pereamus, erectos juvat ne torpeamus, 133. & ſeq. patet in Thoma, gratia ſuperat vires naturæ, 804. eſt lux cœleſtis 695. murus divinus, 920. refectio & potus, 484. gratia & charitas tegunt peccata, 938. 943. non effunditur ſine peccati remiſſione, 946. gratia ſanctificans facit nos Chriſti fratres, 405. ſ ero dilovio animam inundat, 835. multiplex juſtorum, 266. gratia Dei ſecunda ſors hominis, 899 unctio Regum gratiæ ſymbolum; 234. præveniens, concomitans, ſubſequens, 265. variæ earum acceptiones,

NATIVITAS Chriſti.

Verbum caro factum eſt Jo. 1.

Nativitas Chriſti puriſſima, 333. an natus in manibus Angelorum, 364. natus in terram decidit ob quinque rationes, 365. cur lacte virginis uſus, 341. vermi ſimilis. 347. adventu ſuo terram concuſſit, 75. Nativitas Chriſti dat ſuavitatem, 1174.

S. STEPHANUS.

Stephanus plenus gratiâ & fortitudine. Act. 6.

Ex occaſione quod Stephanus idem ſit quod corona, poteſt tractari de coronis. Corona aurea Conſtantini, 269. coronant reges ſuos fere omnes nationes, 276. coronæ Chriſti & SS. proprietates, 275. corona SS. eſt Deus, ut Perſarum mithra, 271. Chriſtus, 273. virtutes, ibid. plura 167. ad 275. 581. 732. 885. 960. 906. 907. 904. S. Stephani fortis charitas, 131.

S. JOANNES Evangeliſta.

Quem diligebat Jeſus. Jo. 21.

Jeſu nomen juvat tentatos & pugnantes, 220. n. 16. & 17. Jeſus diligit contemplantes juvando, 57. contemplatione cor elevandum, 590. ad eam ſex gradus, 58. eſt ſumnus divinus. 56. diligit humiles cùm Deus in iis lateat, 90. diligit juſtos, 1072. 1073. non diligit impios, ſed eos punit igne abſumendo. 65. 61. aliis modis, 135. diligit virgines, 816.

Circumciſio Domini.

Vocatum eſt nomen ejus Jeſus. Luc. 2.

Solet hoc die dari ſtrena, da nomen Jeſus: nobile exordium dabit art. 2. in Pſ. 19. & ſi placuerit, habebis ex ſolo hoc articulo Concionem paucis adjectis.

Epiphania.

Dux qui regat populum. Matt.

Vere Dux natus Chriſtus eſt, cùm præſtet omnia quæ requiruntur ut populus renovetur, regatur, 466. 467. 468. Prælati debent ſubditos amare, 410. debent eſſe manſueti, 155. miſericordes, 1080. peccantes arguere, 205. ſunt oſſa Corporis Chriſti, 371. manus Dei, 889. legem Dei cuſtodire, 197.

PURIFICATIO B. V.

Venit in ſpiritu in templum. Luc. 2.

Templa ſunt domus Dei, 710. aſylum animarum, 712. cœlum terrenum, 221. 682. variis montibus ſacris comparatur, 221. ſunt devotè adeunda, 709 cum puritate & pietate, 667. 833 à Regibus, 711. belli tempore, ibid.

MATHIAS APOSTOLUS.

Invenietis requiem animabus veſtris. Matt. 11.

Animæ quatuor acceptiones, 894 anima juſti templum Dei, 842. civitas munita, 924. terra ſuper aquas fundata, 564. ejus domus ſunt virtutes, 919.

Tollite jugum meum ſuper vos.

Per jugum bene poteſt intelligi lex Dei, quæ eſt mel ſuaviſſimum, 194. 195. cauſat timorem Dei, 190. ducit in cœlum, 185. ſecuto tramite, 627. plura à 175. ad 199.

S. JOSEPH.

Ipſe ſalvum faciet populum à peccatis. Matt 1.

Textus ſtatim indicat populum ſalvandum per Jeſum vel Chriſtum, qui eſt Rex, 192. à 56. ad 265. faciet ſalvum omnem populum, patet ex eo, quod miſericordia Dei magis apparet in terris, quàm juſtitia, 1077. 1079. gratiâ præveniente, 264. ſeq. præſertim ſervos quos alis tegit, 31. judæos quos dilexit ut filios Jacob, 218. imo omnes omnino, quod patet ex inductione omnium myſteriorum Incarnationis, nativitatis, &c. & hinc ſine dubio eſt manus Dei, 900. Jacob & Iſraël, 412. Gigas, Samſon, 175. 117.

Feria 2. Paſchæ.

Et eſtis triſtes? Luc 24.

Bonam concionem ſuggeret art. 1. in Pſ. 29. triſtitiam ſanat confeſſio, 1003. & elevatio mentis in DEUM, 734.

Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, &c.

Quænam? dabit Feria 6. paraſceve, ſi cum Chriſto glorioſo glorificari deſideremus, oportet prius pati. ergo crux poſt Chriſtum ferenda, 20. eſt protectio noſtra ab omni parte, 133. Juvat tentatos & pugnantes, 220.

Feria 3. Paſchæ.

Pax vobis Luc. 24.

Pax animæ quadruplex, 838. pax eſt ardenter quærenda, 1191. non poterit hoc melius fieri quàm offerendo Deo victimas, quod fieri debet, 779. & ſeq. poteris pro libitu agere de victimis diverſis Deorum, 226. victima pro omnibus fuit Chriſtus, peculiares gentilium, 315. 316. pax erit obtenta victoria, quam Deus ſervis dat facilem, 115. per orationem 35. 36.

SS. PHILIPPUS & JACOBUS.

Oſtende nobis patrem, & ſufficit. Jo. 14.

Bene dixit Philippus, oſtende, &c. & ſufficit, &c. Beatitudo enim noſtra in ſolo Deo eſt, 35. & 36. ad eam pervenitur per portam Eccleſiæ, baptiſmum, 922. deìn per crucem, quæ juvat tentatos & pugnantes, 220. & timorem qui Sanctis per totam vitam eſt neceſſarius, 1180.

Aſcenſio Chriſti.

Aſſumptus eſt in cœlum. Marc. 16.

Chriſti Aſcenſio mirabilis, 176. 571. modus, 572. cauſa noſtræ ſalutis, 582. Aſcendit vi divinitatis ſuæ, 573. & animæ glorioſæ, ibid. quia victor, 581. Chriſtus aſcendens volat ſuper Cherubin, 88 ejus & triumphantium ſeptem convec. 587. ei ſeptem chori applaudant, 588. Feſtum Aſcenſionis laudatur, 572. Chriſtum aſcendentem ſequi volens habeat quinque dotes, 583. 590.

Feria 2. Pentecoſtes.

Lux venit in mundum. Jo. 3.

Deus ſcilicet in mundum venit lux vel lucerna juſtorum, 104. lucem ponit in ſervis ſuis, & vult ut luceat, 107. lux pro lætitia & gloria, 80. Lucifer ſtella, 862. lucerna quale ſymbolum, 104.

Feria 3. Pentecoſtes.

Veni ſancte Spiritus.

Per Spiritum ſanctum ſæpius intelligitur gratia; hinc poteris agere de gratia de qua in indice verborum.

Attendite populus meus legem meam, Pſ. 77. ex introitu Miſſæ. Lex Dei qui vocetur, 181. 184. 186. eſt puriſſima, 181. 182 fidelis. 184. recta, 186. cauſat timorem Dei, 190. eſt ſol mentium, 187. Plura vide indicem verborum, v. Lex.

Feſtum Corporis Chriſti.

Caro mea vere eſt cibus &c. Jo. 6.

De venerabili Eucharistia vide multa & præclara à 412. ad 468. 518. 519. & ſeq. & à 510. ad 547. 510. cibi horrendi variorum populorum, 512. cibus dat lætitiam, 425. cibus ſuavis charitatis, 51. Deus dat triplicem cibum, 1133.

S. JOANNES BAPTISTA.

Inter natos mulierum, &c.

Poterit Joannes conferri cum David, de quo &c. 128. 166. 844 848. 208. & facile oſtendi quod Joannes ſit Davide major, quòd conceptus in originali, & in utero eo liberatus, dabit occaſionem dicendi de dæmone, qui nos oppugnat, 707. 21. 608. ejus exercitus terribilis, 261. oblaqueos, 661. edit carnes noſtras, 707. quia Joannes ejus vinculis in utero matris ſolutus, non eſt timendus; ibid. illum vicit Chriſtus, 261. laqueos ejus evitat, qui ſe in cœlum erigit, 605.

SS. PETRUS & PAULUS.

Apoſtoli ſunt cœli, deſcribuntur à 143. ad 158. Chriſti brachia. 131. enn, 374. corona, 271. frates, 404. ſagittæ Dei, 97. fulgura & fulmina, 94. 818. nubes, 92. vento comparantur, 813. arietes duces gregis, 784. cervi, 825. lux mundi, 80. 158.

MARIA MAGDALENA.

Cùm converſio Magdalenæ adſcribatur oculis Chriſti, quibus eam ſuperbam intuitus fuit, poterit hic tractari materia de oculis, oculi Dei ſunt ſuper pœnitentes, 1015. n. 120. patet in Magdalena, oculi ad Deum elevandi, 55. in cœlo videbunt pulcherrima, 733. n. 94. oculus ſponſæ eſt charitas, 81. 82. oculi in curru Ezechielis, 579. o. 59. oculi elogia, 29 plura ſeq. in oculis & ſuperciliis habitat ſuperbia, 101. eos turbat ira, 896. oculi SS. inflammant ad virtutem, 81.

S. JACOBUS.

Poteſtis bibere calicem. Matt. 20.

Calix inebrians octuplex, 531. 552. 553. plura vide Pſ. 115. in verba, *Calicem ſalutaris*, calix tribulationis illuminat, 698. probat, conſervat, glorificat, 5. ſeq. perficit ut fornax, 17. calix inebrians ſanguis Chriſti in Euchariſtia, 532.

S. LAURENTIUS.

Martyrum charitas & fervor, 177. 178. patientia in tormentis, 131. 308. in iis Deum laudant, 1149. armabantur Euchariſtia, 69. erant cœlum pulcherrimum, 154. martyrium eſt calix inebrians, 552. quod S. Laurentius in craticula taliter locutus, ad hoc poterit applicari, 817. num. 48. martyres offerunt Deo pingue holocauſtum, 225. Sanctus Laurentius in craticola, cur, uti & aliis Sanctis Ignis non nocuit, 656.

S. BARTHOLOMÆUS.

Quis eorum videretur eſſe major. Luc. 22.

Carpit Chriſtus diſcipulorum ambitionem, & merito carpenda eſt, ambitioſi nutriuntur aëre, 424. volebat eos eſſe lucem mundi, (ut & fuerunt, 80. & pulcherrimos cœlos, 154.) carenda ergo erat ſuperbia, quæ feciſſet eos ſoles obſcuratos, 756.

S. MATTHÆUS.

Miſericordiam volo, &c. Matt. 9.

Miſericordia eſt Dei propria, 566. ejus oculus, 1014. manus, 270. ſumma in peccati remiſſione, 995. eâ ſervos circumdet, quomodo, vide pulchra, 1038. nu. 151. & ſeq. miſericordia & veritas præ oculis habenda, 658. aſt virtus & telum Chriſtiani. 1071. facit Sanctos, 855. miſericordiæ & juſtitiæ mixtio neceſſaria, 1075. ſeq.

S. MICHAEL.

De S. Angelis, miniſtrant in miſſa, 517. angelicæ cuſtodiæ octo proprietates, 1165. Angeli cuſtodes Eccleſiæ, 922. Angelis egemus ut nos illuminent, roborent, ſunt ſontes in circuitu juſtorum, 1166. ad 1173. Angelorum exercitu Sancti cincti, 122. Angelus unus inſtar totius exercitus, 1168.

SS. SIMON & JUDAS.

Sed ego elegi vos de mundo. Jo. 15.

Servos ſuos Deus juvat ante pugnam, in & poſt pugnam, 149. eos exaltat, 846. hinc elegit Apoſtolos de mundo, qui corruptus ſervos Dei odit & impedit, 21. habet exercitum, 262. & laqueos, 640. eſt pater peccatoris, 727. ejus deliciæ breves & immundæ, 557. 37. confuſione plenus, 558.

OMNES SANCTI.

Beati qui perſecutionem patiuntur, &c.

Tribulatos Deus aſſumit octo modis, 728. in tribulatione Deus laudandus. 855. in ea ad Deum fugiendum, 727. durat donec convertamur, 16. 17. eſt diluvium animam lavans, 835 ejus utilitates, 698. & ſeptem ſeq. ejus variæ cauſæ, 653.

Beati mundo corde.

Laus puritatis & virginitatis, 172. amatur à Chriſto, 816. & docetur, 263.

Beati pauperes, &c.

Paupertas juvat orationem, 1162. in paupere latet Deus, 90. eum juvat, 103. cum fructu Euchariſtiam percipiunt, & qui, cum lætitia, 425 427.

S. ANDREAS.

Ambulans Jeſus juxta mare. Matt. 4.

Uti tota vita Chriſti plena myſteriis, ita & hæc obambulatio & vocatio, per ambulationem haud dubiè voluit ſignificare nos fluctibus variis huc illucque agitari, 189. n. 114. per vocationem dicendo; *venite poſt me*, poteſt intelligi voluiſſe dicere & docere, in tribulatione ad Deum fugiendum, 713. & in ea Deum eſſe laudandum, 855. ut ex his fluctibus tandem appellemus ad portum, ſeu terram, in qua eſt Fons, fluctus & arbor vitæ, &c. 731. ſeq.

DE B. VIRGINE.

Qualis virga, 507. virga Aron ſymbolum virginitatis Mariæ, 338. & vellus Gedeonis, 359. eſt nubes lucida & levis, 539. eſt virgo ante, in, & poſt partum, 334. ſeq. fons lucis, cor Chriſti, 378. civitas munita, 924. miraculorum Officina, &c. 85. 87. terra fundata ſuper aquas, 562. 563. mare, 108. eſt amanda, quia mater fratris noſtri, 409. dat nobis cibum in Euchariſtia, 422. porta orientalis templi Salomonis, 357.

PSAL-